


Reliure du XVIe
datée 1554-1555
monogrammes
FE.I.

Complet mais taché



PENSI

HISPANIAE ILLVSTRATÆ

SEV

RERVM VRBIVMQ. HISPANIÆ, LVSITANIÆ, ÆTHIOPIÆ ET INDIÆ SCRIPTORES VARII.

Partim editi nunc primum, partim aucti atque emendati.

Quorum Seriem sequens post Præfationem pagina exhibet.

TOMIS ALIQVOT DIVISI.

Operâ & studio

DOCTORVM HOMINVM.

Accessit rerum memorabilium & verborum INDEX *copiosissimus.*



FRANCOFVRTI

Apud Claudium Marnium, & Hæredes Iohannis Aubrij.

MDCIII.

Cum Gratia & Priuilegio S. Cæs. Maiest. ad decennium.

Priuilegium Cæsareum.


VDOLPHVS SECVNDVS diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, Rex; Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtembergæ; Comes Tirolis &c. Recognoscimus, & notum facimus tenore præsentium vniuersis; Cum res literaria, quæ bono publico plurimum præsidii conferre solet, omnibus modis promouenda sit: Nobisq; nostri & sacri Romani Imperii fideles, dilecti CLAVDIVS MARNIVS, & hæredes IOANNIS AVBRII, ciuitatis Francofurtensis ad Mœnum ciues atque Typographi humillimè exposuerint: se opus quoddam insigne, cuius talis est inscriptio: *Hispaniæ illustratæ, seu rerum vrbiumq. Hispaniæ, Lusitaniæ, Æthiopiæ & Indiæ scriptores varii: partim editi nunc primum, partim aucti atque emendati,* magno suo sumptu atque labore, vt pro communi vtilitate in lucem prodeat, typis iam absoluisse: vereri autem ne sinistris æmulorum artibus, vt fieri sæpe assolet, fructu & emolumentis, tanta impensa & labore dignis fraudentur: Nobisq; proinde perquã demisse supplicarint, vt nostra authoritate istorum æmulorum iniuriam arcere, ac priuilegii nostri præsidio indemnitati eorum clementer prospicere dignaremur: Nos sanè ipsis hoc in casu bene consultum volentes, precibus eorum iustis & æquis annuendum duximus. Quapropter scienter animoq; deliberato, & ex Cæsarea authoritate nostra seriò vetamus & interdicimus omnibus & singulis Typographis, chalcographis, Bibliopolis, aliisq; negotiationem librariam quamuis exercentibus, ne quis præmemoratum opus in sacro Romano Imperio, & Regnis Prouinciisq; nostris hęreditariis intra decenniũ ab editione eius inchoandum æmuletur, imprimat, aut distrahat, vel etiam aliunde impressum aduehat, aut diuendat palàm vel occultè. Quisquis verò interdictum hoc nostrum neglexerit aut violarit, eum nõ solum eiusmodi libris, perperã quippe illiciteq; impressis & adductis (quos nimirũ supradicti MARNIVS & hæredes Aubrii aut mandatũ ab eis habentes, auxilio Magistratus eius loci, vbi deprehensi fuerint, vel propria etiã authoritate sibi vendicare poterunt) priuandum; verumetiam insuper decem marcis auri puri Fisco seu Ærario nostro Imperiali, & dictis hęredibus ex æquo soluendis & numerandis mulctandum statuimus. Hac tamen etiam conditione adiecta, vt opus prędictum nihil in se contineat, quod orthodoxæ fidei Catholicę, vel nostris & sacri Romani Imp. constitutionibus aduersum sit: ac insuper vt sæpe dictus MARNIVS & hęredes tria nimirum operis istius exemplaria ad Cancellariã nostrã Imperialem Latinam propriis sumptibus quamprimum transmittant. Quod si neglexerint, priuilegio illi hoc nostro priuati & exuti esse debeant. Mandamus vniuersis & singulis nostris & sacri Romani Imperii subditis, & fidelibus, dilectis, tam Ecclesiasticis quam secularibus, cuiuscunque status, gradus, ordinis, conditionis, & dignitatis extiterint; præsertim verò iis, qui in Magistratu constituti sunt, ac vel superiorum, vel suo ipsorum nomine ac loco Iuris & Iustitiæ administrationem exercent, ne quenquam hoc priuilegium nostrum impune violare patiantur; sed si quos contumaces compererint, præscripta pœna plecti, &, quibuscunque rectè fieri, potest, modis coërceri curent; quatenus & ipsi grauissimam indignationem nostram, & eandem mulctam incurrere noluerint. Quod hisce literis nostris testatum esse voluimus. quas manu propria subscriptas, & sigilli nostri Cæsarei impressione roboratas. Datum in Arce nostra Regia Pragæ, die vigesima mensis Augusti, Anno Domini Millesimo sexcentesimo tertio: Regnorum nostrorum, Romani vigesimo octauo, Hungarici trigesimo primo, & Bohemici itidem vigesimo octauo.

RVDOLPHVS

Ad mandatum Sacræ Cæsareæ Maiestatis proprium

RVDOLPHVS CORADVCIVS

IOAN. BARVITIVS.



Illustriss. Heroi
D. BALTHASARI
SVNIGÆ REGIS CATHOLICI APVD ALBERTVM ET ISABELLAM BELGARUM PRINCIPES LEGATO

Andreas Schottus
S. D.



NTER cetera felicitatis sæculi huius argumenta, amplissime SVNIGA, *non postremum locum obtinet Ars illa diuina typis optimos quósq; Auctores excudendi: quæ quidem vt nihil ad hominum vtilitatem excogitari potuit melius, vtiliúsve, si recte quis vtatur; sic contra nihil perniciosius, si quis ad sui, aliorumq; detrimentum abutatur: nimirũ communi rerum humanarum conditione, dum eadem, hominum arbitrio, dissimili tamen ratione, vel prosunt, vel obsunt, vt ignis, vt ferrum, aurum denique, & argentum, aliáque innumerabilia. Huius autem Artis inuentio Germanis potissimum, & in his Moguntinis primùm accepta est referenda; tametsi & Batavi eam sibi laudem vindicet, repetántque & aliæ gentes, iúsq. antiquitatis Indorum Chinæ ad Orientem iactando arroget. Rursum Germani, siue librorum optimorum copiam spectes, siue in edendis etiam Græcis melioris notæ Scriptoribus accurationem consideres, facilè ceteros omnes omniũ gentium Typographos operosis officinis, diligentia, ac magnitudine superant, tuentúrq; eandem in posteris nominis auctoritatem. Etsi enim parentum nostrorũ memoria Græco venusto typorũ genere, qui Regis Gallorum Christianissimi typis vix concedant, Græcos Auctores ordine euulgarint, Platonem, Aristotelem, Plutarchũ, Xenophontẽ, Pausaniam, ceteros: & omnes adeo doctorum hominũ Notis illustratos: Tamen hoc ipso sæculo* HISTORIARVM *seriem suis typis sic* WECHELIANI, *adornarunt, vt dicere ausim, Regiam posse Bibliothe-*

cam, summi etiam pretii ab vnis WECHELIANIS *commodè instrui: quod nullum sit Europæ imperium, regnum, prouincia, ditio, aut deniq; angulus, cuius non historiam, si modo quid Latinis litteris scriptum de iis reperiri vspiam potuit, illi excuderint. De florentissimis Europæis Regionibus, Annales sic collegerunt, vt Germani, Galli, Itali, Britanni, Pannonii, Siculi, aliiq; propè innumerabiles prædicare meritò queant, nunc demum se errantes, vagósq; domum esse ab* HISTORIA *reductos, néque peregrinãtes alieno cœlo, solóq; amplius iactari, sed origines, ortus, principia, atq; adeo Gentium diuersarum ex aliis in alias sedes migrationes, (quod à Lazio Cæsaris Historico nuper est diligenter tractatum) vicissitudines, euenta denique omnia, & domi, militiæque præclarè gesta, sic hodie legant, vt omnes omnium ætatum nationibus, quot fuerunt, quot sunt, quòtque aliis erunt in annis, quasi præsentes Lectores interesse videantur. Est enim, vt Te omnium minime fugit, doctissime* SVNIGA, *rectè à Marco Tullio pronunciatum, testem esse temporum* HISTORIAM, *lucem Veritatis, vitam memoriæ, morum denique magistram: átque adeo turpe semper visum, ac plane puerorum esse, quæ, antequam natus sis acciderint, ignorare. Tum vero turpissimum semper existimaui, mecúmque sentient, qui rem æqua lance ponderabunt, Gentis suæ, nationísque, ac patriæ, parentis maioris, nescire originem, antiquitatem, progressus, átque incrementa: interitus denique, ac vicissitudines. Non secus átque reprehendi grauiter, & despicatui inter æquales haberi solet vir domi nobilis, qui maiorum imagines, ortum, progressúmque familiæ, résque fortiter in toga aut sago gestas ignoret. Quo factum est, vt M. Terentium Varronem, togatorum doctissimum M. Tullius, summa vir eloquentia, in Academicis in cœlum laudibus tollat, gratiámque referat, quam potest, maximam, quod eius Antiquitatum, ac De vita populi Rom. atque adeo scripta omnia, peregrinantes Romanos, ac veluti hospites, domum reduxerint, quod etiam Elogium, omni prædicatione maius, B. Isidoro, Hispalensium doctissimo Præsuli Braulio, Cæsaraugustanus Episcopus, eius æqualis, merito attribuit. Verum, vt quod dicere orsus eram, demum pertexam; vti Gentium omnium, ac nationum Historiam Wecheliani suis typis, posteritatis commodo transcripserunt, sibique adeo artissimo vinculo deuinxerunt; sic vero &* HISPANICAE GENTIS HISTORIAS, *Latinis quidem litteris consignatas, non modo collegerunt olim, sed & vno fasce colligarunt. Laudandum enim eorum consilium, qui partim eiusdem Auctoris omnia ingenii monumenta, partim argumenti eiusdem varios Scriptores, σποράδην dispersos, diuulsos, passímque iacentes, variis formis Bibliothecarum incommodo editos, veluti naufragii tabulas colligentes, vno alteróve Volumine includunt, simúlque edunt, incredibili ementium, ac legentium vtilitate.*

Nunc

Nunc vero cum RERVM HISPANICARVM *Scriptores iam defecissent, omnesque conuicio pæne efflagitarent, ne Gens ea, & armis, atque ingeniis iuxtà celebris, totóque terrarum orbe clara, ab exteris ignorari non deberet, optimum factu Wechelianis visum, pretiúmque operæ fore, si eosdem illos Annalium Tomos adeo desideratos, atque certatim expetitos incudi redderent, augeréntque quoad eius fieri posset in maius. Amicorum hic eruditorum subsidium, vt suppetias ferrent, implorandũ fuit. Deplorandum vero prioris sæculi vitio (attritis tunc Hispanis cùm Gotthicis armis, tùm bello cum Mauro assiduo debilitatis) adeo paucos Latinos ibi Historicos, eósque non admodum disertos, vt illa ferebant tẽpora, exstitisse; (Lucam enim Tudensem frustra quæsitum nancisci ad hanc diem Typographi non potuerunt) vernaculi vero Hispaniæ sermonis plures fuisse historicos comperi, aut certe longe, quam Latinos, copiosiores: vt nostra memoria scripsisse res Hispaniæ constat Ambrosium Morum Cordubensem Tomis tribus post Florianum Ocampium: Hieronymum quoque Suritam Cæsaraugustanum Tomis sex Aragonensium domi, forísque gesta librorum triginta, quot etiam annos impendit: Stephanum denique Garibaium Cantabrum Tomis item quattuor, & Petrum Antonium Beuterum Valentinorum facta. Mitto minorum Gentium reliquos, haud scio an satis, quibus legendis tempus teras, dignos. Surita quidem homo doctissimus Aragonensium Annales suos Latine conscribere aggressus est, quos* INDICES *Aragonum nominat, vidimúsque olim ab Auctore valde auctos, asseruatósque, ac pæne dixerim sepultos, & cum blattis, tineísque rixantes in Carthusianorum ad Cæsaraugustam cœnobio. Quos quidem Indices vtinam (si quid his votis proficere possumus) eius Aragonici regni Octoviri tandem aliquãdo è tenebris erutos bono publico, ingenti sane gentis adeo splendidæ, & claræ gloria, atque honore proferant, & in apertum, vt olim vernaculos eius Annales ediderũt, nunc referri iubeant. Alterius item Hieronymi Blancæ fastos Magistratuum Aragoniæ Latine conscriptos inde exoptamus, vt aliquando ceteris hisce voluminibus trans Pyrenæos, bono sane publico, subiungantur, atque hoc quidem non optare modo, sed & sperare de eius regni incolis aliquando liceat.*

Venio ad symbolam de meis angustiis collatam, vt exstet apud posteros, cupio quidem certe, peregrinationis meæ per Hispaniam fructus aliquis: (cui rei tanquã Itenerarii vicem adolescens Pomponiũ Melã, Bæticum scriptorem Toleti illustraram; & Senecam Rhetorem, domo Corduba, Philosophi Stoici parentem Notis vberioribus ante hos ipsos annos sedecim, expletis etiam Græcis hiatibus, Tarracone explicaram:) Tum vt grati animi testificationem aliquam dedisse videar, fortissimæ genti bonis omnibus de me sponte exsulanti meritæ, dum tribus in Aca-

demiis frequentioribus, Toletana, Cæsaraugustana, & Tarraconensi, honoris gratia, doctoris de superiore loco personã sustinere iuberet. Itaq; ne hospes in alieno solo, ac cœlo versari perpetuo viderer, sumsi in manus B. Isidori Hispalensis Episcopi Scriptorum Ecclesiasticorum Catalogũ, & cum antiquis membranis compositum meliorem feci: additis etiam, quæ in Coloniensi Petri Suffridi Frisii editione desiderabãtur, Ildephõsi, ac Iuliani Episcoporum additamentis. Hinc ad Roderici Ximenii Nauarri, Toletanorum in Carpetanis Archiepiscopi Annales edolandos, amicorum rogatu, me conuerti: duabus sane de causis lubentius, quod & antiquissimus pæne esset rerum Hispanicarum Historicus magnæq; in narrando fidei: deinde quod deprauatum admodum, & lacunis hiantem obseruassem. Quamobrem faciendum putaui, vt ad αὐτόγραφον, *quod in Toletanæ Ecclesiæ Bibliotheca asseruatur, committerem diligenter, & sartum tectum redderem: adiectis & hic de Arabum historia, aliisque libellis hactenus ineditis, atq; inuisis. Ioannem quoq; Margarinũ Gerundensem Antistitẽ, cuius hactenus cognomentũ ignoratum, natalibus suis reddidimus. Attulimus & Ferdinandum Garsiam Mattamorũ de Hispaniæ Academiis, & claris Scriptoribus. Taceo reliquos à nobis erutos, ac veluti in lucem reuocatos Hispanos Auctores: omitto & Lusitanos, quos nuper in Vbiis Coloniæ Agrippinæ vir ornatissimus Arnoldus Mylius, accuratus, & eruditus typographus, me hortante maxime, euulgauit: opera nimirum Andreæ Resendii, & Damiani à Goës Lusitanorum, Ioan. Genesii Sepuluedæ Cordubẽsis, & Hieronymi Suritæ Cæsaraugustani Commentarium in Itinerarium Antonini Aug. Vt nihil interim dicam de Victoris Tunnunensis Episcopi Africani, & Abbatis Biclarensis Chronicis, Ingolstadii nunc publicatis (qui, post Prosperum Aquitanum, Eusebij Chronicon pertexuerũt.) Quem quidem laborem si placuisse cognouerim, erit cur aliquando Sacros Hispaniæ Scriptores vno tomo, magno Bibliothecarum commodo, coniungendos curem.*

Deliberanti autem mihi, cuinam potissimum hic labor inscribendus videretur, nominis tui amplitudo statim occurrit. Vsurpabo igitur per Parodian illud Poëtæ:

Cui dono Hesperiæ nouum volumen,
Arida modo pumice expolitum,
BALTHASSAR? Tibi, namque tu solebas
Omne æuum Chronicis notare chartis.

Caussæ multæ suppetunt. Primùm, quia in Hispanicæ nobilitatis flore, eruditissimus ipse, eruditos amas, ac foues: quod gentilitium est familiæ vestræ ornamentum, quæ Gymnasium Societati erudiendæ iuuentuti, ingenti auditorum frequentia, exstruendum curauit. Deinde quod Historicos

ſtoricos aßidue tractes, cum patrios, tum Plutarchũ in primis ſummum & Philoſophum, & Hiſtoricum libenter, & quidē Græce legas: quo prudentia maior indies paratur, quam rerum vſus, Reiq́ publicæ tractatio abſoluit. Deniq; quia amoris erga me tui, ac beneuolentiæ non raro teſtificationem dare ſoles, qui & Lipſium noſtrum, Belgii ocellum, collegamq́ noſtrum Martinum del Rium complecti ſoleas. Perge itaque, hæc æqui, boniq; conſulendo, doctos homines re, conſilioq; iuuare, & labantem noſtram, prô dolor, Belgicam Remp. conſtituere, ac fulcire. Sic Tibi, piiſq; adeo omnibus eueniant quæ volo: & ex voto fluant omnia.

Vale.

INDEX AVCTORVM
PRIMI TOMI.

INDEX

INDEX AVCTORVM

SECVNDI TOMI.

Lusitanica.

Æthiopica & Indica.

1. *Epi-*

Hispa-

HISPANIAE VETERIS DESCRIPTIO.

Ex conatibus Geographicis Abrah. Ortelij

CANTABRICVS OCEANVS.

Septemtrio.

GALLIAE CONFINIA.

OCEANVS ATLANTICVS, QVOD ET MARE HESPERIVM, VESPERTINVM, OCCIDVVM, ET EXTERNVM.

MEDITERRANEVM.

AFRICAE Meridies PARS.

Occidens.

Oriens.


HISPANIA TRANSFRETANA, SIVE TINGITANA QVAE ET MAVRITANIA.

HISPANIAE LOCA ALIQVOT INCOGNITAE POSITIONIS.

POPVLI, *Æbisoci, Æquesilici, Allotrigæ Ammienses Andologenses, Arenates, Axabricenses, Babanenses, Banienses, Bursaonenses, Bursavolenses, Cæsarobricenses, Carausia, Cibilitani, Cincerses, Colarni, Cortonenses, Dazimamitani, Elo[illegible], Equæsi, Fortunales, Gessorienses, Ialdenses, Idienses, Ilumberitani, Interausenses, Ispalenses, [illegible], Kaurenses, Leuni, Meleſſes, Onenses, Oppidani, [illegible], Paltiani, Pantiani, Racenes, Sacilernusi, Segienses, Solienses, Talori, Teari Iulienses, Tuisi, Velienses, Vennenses, Viacienses, Vibienses, [illegible]* ¶ VRBES, *Abobrica, Accabicus, Adercon, Adrobicus, Agla, Alea, Alicensis, Alpesa, Andarisippo, Apetua, Apilscarium, Arialdunum, [illegible], Atetona, Axatiara, Azonum, Bæcor, Bæcyla, Bætyca, Belippo, Besaro, Biendium, Brachyla, Brana, Brutobria, Cæsaris Salutariensis, [illegible], Calacula, Canbis, [illegible], Carruca, Castax, Castragemina, Castra Vinaria, Cedrippo, Certima, Cimbis, Cinniana, Cisimbrium, [illegible], Colobona, Coplanum, Cetinas, Cralasia, Cusibi, Danium, Dia, Dumium, Escadia, Erisane, Fabrescense, Gemella, Grumius, Helingas, Hellenes, [illegible], Hippo Carausiarum, Ibem, Ilipa minor, Ilipula Laus, Illurco, Ilucia, Indica, Ipasturgi, Ituci, Iulia cognomine Concordia, Iul. Constantia, Iul. [illegible] tributa, Iul. Fidentia, Iul. Restituta, Lancia Transcudana, Lenium, Magala, Malia, Marcolica, Massia, Moroa, Merucra, Nobilia, Nadimanum, [illegible], Olone, [illegible], Ossigi, Ossigitania, Oxthraca, Sacrana, Sapona, Saon, Segeda, Segestica, Serippo, Sicane, Silpia, [illegible], Soricaria, [illegible], Transducanus, Tribola, Turba, Turobrica, Tutia, Vella, Ventisponte, Vergentum, Vergium, Vescelia, Vesci, [illegible], Vesperies, [illegible], Vxena.*

MONTES, *Sacer, Idrus.* ¶ FLVMINA, *Chalybs, Silicense* ¶ FONTES, *Tamarici. & quædam [illegible] tumquamvis ignorarem, abesse tamen ab hac tabula iniquum putavi. Ex omni enim vetere historia (veterem [illegible]) omnium huius regionis locorum vocabula exprimere volui: & ni fallor expressi. Si qua autem lectori mea [illegible] videbuntur, [illegible] vundam synonyma, de quibus omnibus in nostro Thesauro geographico.*


REGNI HISPANIAE POST OMNIVM EDITIONES LOCVPLETISSIMA DESCRIPTIO
SEPTENTRIO NORT
MERIDIE SVYDT
OCCIDENS WEST
ORIENS OOST
CANTABRICVS OCEANVS
OCEANVS OCCIDENTALIS
OCEANVS ATHLANTICVS
GALLIÆ PARS
GALLICVM MARE
IBERICVM MARE
MARE MEDITE
BARBARIÆ SI
VE AFRICAE PARS
BALEARIDES siue GYMNESIAE insulæ duæ
BALEARICVM MARE
PITIVSAE insulæ duæ
MALLORCA
MENORCA
Scala leucarum
5. 10. 15. 20 25 30
Estrecho de Gibraltar
ARAGON
CASTILIA NOVA
GRANADA
ANDALVZIA
VALENCIA
CATALONIA
GALITIA
ASTVRIAS
NAVARRA
LEGIO
PORTVGAL
ESTREMADVRA
ALGARBE
BARCELONA
TOLEDO
SEVILLA
MADRID
LISBOA
CORDOVA
MALAGA
CARTAGENA
ALICANTE
SALAMANCA
BVRGOS
PAMPLONA
ZARAGOSA
VALLADOLID
PALENCIA
ALCALA DE HENARES
CAMPO DE MONTIEL
CAMPO DE CALATRAVA
SIERRA MORENA
SIERRA NEVADA
CADIZ
GIBRALTAR
TARAGONA
LERIDA
TORTOSA
MVRCIA
CVENCA
SEGOVIA
AVILA
LEON
OVIEDO
SANTIAGO
PONTEVEDRA
BRAGANÇA
PORTO
COIMBRA
EVORA
MERIDA
BADAJOS
OLIVENÇA
LAGOS
TAVILA
SILVES
Formentera insula
Ibicus fl
Ceuta
Tanger
Oran
Melilla
Velez
Arles
Mompelier
Narbona
Perpignan
Elna
Colibre
Fuenterabia
Bayona
Biscaya
Guipuscoa
Alava
Vitoria
Bilbao
Rosas
Palamos
Denia
Xucar rio
Guadiana
Tajo rio
Duero
Minho
Ebro rio





HISPANIAE SITVS, A MARIO ARETIO PATRITIO SYRACVSANO, IN DIALOGI MODVM CONSCRIPTVS.

LODOVICVS, PRVDENTIA, CALIPHO.

QVISNAM mihi tantam adferet lætitiam, vt hæ me derelinquant tristes, quibus torqueor, cogitationes? causa, cur sim mœstus, non quidem deest. ratio homines qua gubernantur, illam vincere perquam studet. Sum quamobrem in ærumnosa positus controuersia. PRVDENTIA. Certe nullam intueor mi vir causam, quare diutius tu istis incumbas cogitationibus perniciosis. prudentium enim est (vt ipse haberis) fortunæ in rebus peractis cedere, in agendis vero, in quibus ab ipsa valde timendum, vel virtute, vel nouis repugnare inuentionibus. Sed quæso quid id est? LODOVIC. Nescis mea coniunx me magistratum gerere? nescis inter Cæsaris primores ad Italiam petiisse? rursus valetudine coactum perquam infirma illico remeasse? quid ergo grauius, quidve mihi iniucundius euenire poterat vnquam? Nempe huius ab ineunte ætate seruiui auo, etiam in Celsensi bello, vbi vulnera accepi plura: & huic etiam multum, vt tibi compertum est. Quid plura? quum illa dies, quam diu optaram, adfuit, seruire non licuit. ægrotus sum reuersus, quid molestius? PRVD. Quid faceres? nemo est qui tuum non inspexerit animum: liberes ergo tete, obsecro, istis tuis curis. Sed Caliphonem eccum, lætor quidem, erit tibi fortasse leuamen aliquod. LOD. Opportune, dic tu illi aliquid. PRVD. Salue Calipho, suntne aliqua, vel de cercopitheco, epigrammata? CAL. Ex Italia redeo cum Cæsare adeo exanimatus, vt mihi haud vnquam erit curam faciundis versibus nauandum posthac. PRVD. Macilentus es, & raucus. CAL. Mos est illis qui in aliquam eunt expeditionē, interrogantibus quo properent, hilari cum fronte ac voce elata se ad bellum gerendum proficisci respondere: at vero hi, si viui è castris remeant, vnde veniant rursus interrogati, tenui voce vultuque dimisso, vno verbo è militia se venire aiunt. Porro etsi res gestas mea potius interfit scribere, quam arma gerere, nihil tamen superest mihi præterquam vita. omnium namque rerum iacturam feci. PRVD. Malo me Hercule impræsentiarum, mi Calipho, sermones quibus alacriores fiant adstantes, habeantur, quam locus sit aliquis tristitiæ: sic dii te adiuuent, missa ista faciamus. CAL. Quid iubes? PRVD. Dic meo viro historiam, vel fabellam duntaxat, quæ sit ei voluptati. CAL. Vnde exordiar? dicam Cæsaris Bononiam ingressum, ad diem solemnem, qua fuit diademate coronatus, cum Hispani proceres aurum & gemmas induti diuitias ostentarunt suas? LOD. De his omnibus binis me literis certiorē tum fecere: potius Hispaniæ situm abs te, ac recentiora, quæ ad prisca faciunt, nomina enodata vellem audire. CAL. Onerosam prouinciam. LOD. Quid onerosam? nonne tibi illius diei venit in mentē, qua Toletum versus iter facientes nos, ad Solorii montis ac Carpetanorū iuga cum venimus, & regiones, & labentia hinc inde flumina admodum fuimus scrutati? Verum te plurima audiui tum nunciantem. itaq; si me amas, fac quod ipse rogo. CAL. Quam libentissime obtemperabo tibi, vt semper. Sed quum vel Mauritanorum, qui Hispaniam occuparunt, barbaries, vel temporis longioris immanissima rabies, non modo nomina, sed & rerum faciem quoq; permutassent, difficile erit quod iubes obseruare: nihilominus tamen capessam iussa, tametsi meo repugnaturos iudicio videam quamplurimos, præsertim si meis forum spargetur nugis. PRVD. Eia rumpe moram, mutis quidē veluti qui loquitur, non tamen surdis recitare videberis:

CALIPHO, LODOVICVS.

HISPANIA montibus Pyrenæis, ac mari nostro, Atlantico deniq; Oceano, & sinu Cantabrico perstricta, primam partem Europæ efficit ab occidēte. Pyrenæi hi sunt montes qui adhuc prisco gaudent nomine, quibus ab interiori mari ad ipsum Ibericum pelagus protentis Hispania à Gallia separatur. Quæ in duas primum diuiditur partes, citeriorem & vlteriorem. Et vt valeat quisque melius eius percipere figuram, hoc in totius Hispaniæ descriptione ordine vtendum nobis duximus, quo hactenus nemo vsus. In Oretania igitur, quæ regio maritimum attingit littus, in quo Carthago noua, nunc Carthagena, promontorium est Scombraria, à nostris Caput Depalis nuncupatū. Hinc mons Solorius paulatim septentrionem versus oritur, qui modo accliuis, modo infimus & apertus (vt Ptolemæus & Plinius ostendunt) per Carpetanos, Vaccæos, Vectones, & Celtiberos, ad Cantabros vsque procedit. Hi montes ea complectuntur oppida, quæ in præsentia Cuenca & Siguenca (Concia & Serguntia olim) indigenis dicuntur, ad montem vsque producti, quem Moncaium vocant, & hinc ad læuam declinantes Cantabriæ iugis eunt obuiam. Moncaium, an à Caco nomen deductum sit, quasi montem Caci, adstipulari nō audeo. Et Siguenca vrbs, non Seguntum quidem olim, sicut multi prædicant, sed Serguntia, per cuius agrum Durius perlabitur. Strabo, Durius, inquit, præter Numantiam oramque Serguntiam currit. Ergo quicquid terrarum ad orientem hæc iuga relinquunt, citeriorem: ad occidentem vero vlteriorem esse Hispaniam, antiqui voluere. Nempe Oretanos maxime ad meridiem vergere, ad mare vsque peruenientes, & mox Carpetanos ad Aquilonem declinantes, nouissimos Callæcios autumat idem Strabo. Ac Hispaniam hoc distinctam modo, in quatuor rursus partes, Bæticam, Lusitaniam, Callaciam, & Tarraconensem distribuendam omnino nobis videtur. Romani nanque in tres vlteriorem Hispaniam, vt ius facilius diceretur, diuisere, antiquissimi licet in duas per longitudinem. Nec labor quidem erit alicui Tarraconensem ipsam agnoscere prouinciam, quum non sit minor quam ipsa citerior Hispania est. Nam hæc vnam partem facit, vlteriore in tres diuisa prouincias, in Bæticam, Lusitaniam, & Callaciam: quæ & Ana & Durio fluminibus discretæ, Oretanis Carpetanisque adhærent, dum tendunt in occasum. Et vt res longe sit vobis notissima, ea qua potero facilitate explicare nitar. Ana, qui Bæticam à Lusitania disterminat, in Laminitano agro, circa oppidum quod Cagnamares Hispanis dicitur, ex vastis oritur stagnis: & triginta M. pass. decurrens obtusis totum se propere condit cuniculis, rursusque stadiorum sexaginta quatuor subterraneo peracto cursu, ad oppidum, Villarta quod nuncupatur, totus renasci conspicitur: qui Emeritam fama antiquissimam vrbem (quæ suo lætatur nomine, vna dempta, alteraue tantum mutata litera: Meridam nanque dicunt) abluit, & in Oceanum erumpit. Guadianam Mauritani Hispanis dominantes hunc nominarunt amnem: quod flumen Anæ sonat. Guad siquidē illi, nos flumen dicimus. Ora autem, quam ad meridiem ipse detrudit amnis, quæ mari percutitur, quæve diuiti cultu ac fertilitate cæteris omnibus antecellit, Bætica, à Bæti fluuio eam mediam resecante, fuit olim cognominata, cuius pars ab nostræ tempestatis hominibus Andalusia adpellatur, quasi, vt auguror, ante Lusitaniam, mutatis literis. partē inquam, quoniam nō tota, cui Bætica tunc nomen, nunc Andalusia est: propterea quod ea, quæ Mariano monte ad meridiem stringitur terra, duntaxat Andalusia est: reliqua vero inter ipsum montem & Anam fluuium posita, vel inter vtrunq; flumen. Bæturia erat pars tamē Bæticæ, in duas à Plinio distincta partes, totidemq; gentes, in Celticos, qui Lusitaniam attingunt, & Turdulos, qui & Lusitaniam & Tarraconensem: illi Hispalis conuentus (in conuentus tum Hispaniam diuidebant) hi quidem Cordubensis. Quos ipse sic interpretor, primos regioni quam Extremaduram, alteros quam Manchiā vocant iuniores, tribuo, qui omnes tum Bætici. Et id quoque videtur de Turditanis sentire Strabo, qui confestim in Romanorum ritum, Latiali penitus vtentes sermone, ante alios mutati sunt. Marianus autem mons, cuius Ptolemæus & Plinius mentionem faciunt, ab Hispanis Serra Murena nuncupatur. Cæterum Bætis fluuius (à quo Bætica, vt dictum est) in præsens Guadalchebir, quod est flumen magnum, à Pœnis inditum nomen, Tygensi saltu in monte Argento, circa oppidum Castaonem exoritur. Nostri Castaonem Alcarras, Argentum vero montē, Serram Alcarras vocant. Hic ergo & mediam Bæticam influit, Cordubam tot claris viris insignē, atq; Hispalim, illius oræ caput, modo Siuiglam, tangens, & in Atlanticū Oceanū effunditur. Tartessum hunc vocitarunt nonnulli, à Carteia ciuitate, quæ Tartessos à Græcis dicta, ad Bætis ostiū, vnde Tartessus ager. Carteiā ab Hannibale fuisse dereptā, scripsit Liuius. Betis insuper Salsum admittit fluuiū, qui ab eo, quo ipse Bætis, erumpit monte, nunc Guadelemar dictus: apud quē cum Pompeio Pōpeii filio, manus Cæsar cōseruit. Bæticæ latus mariti-

maritimum ab Herculeo freto, ad eos quos diximus Oretanos, & nouam Carthaginem, Bastetani obtinebant, à quibus Baeza & Baza oppida nomen sortita sunt. Hi rursus Bastetani ab occasu Baream regionem, Mauitaneam, mox Deitaniam, & deinde Contestaniam complectebantur, autor est Plinius. Oppida vero retrogredientibus sese offerunt, post Scombrariam promontoriũ quod supra nominauimus, ipsa Carthago, ab Hasdrubale ædificata, vbi Scipio Africanus virginẽ vnam inter captiuos adductã (quę forma erat insignis) Luceio sponso reperto intactam restituit. Hic itẽ in ludis ab ipso Scipione factis, duo Hispani principes, Corbis & Orsua patrueles, de regno dissidentes alterius in alterũ facto impetu ambo periere. Promontorium deinde, cui modo caput Guatte nomen, olim Charidemum: & mox portus magnus, vbi Almeria sita est, Salabina, Selbrehia accolis vocata, Malacha, & Salduba: de quibus talẽ facio coniecturam Ptolemæo autore. Malacham tunc fuisse mihi persuadeo, vbi nunc Caput Maducæ: at vero vbi Malacham in præsens reponunt, Saldubam tunc, cum flumine Fœderatorum, cui Salduba nomen. Et mox Bessulam fluuium ad oppidũ Marbellã in mare erumpere puto. Vbi Hasdrubal Barchinus primum, Mago deinde, & Hasdrubal Gisconis à Scipione fugati, vt narrat Plutarchus. Mons Calpe, quem montem Gibeltar vocitant, iuxta fretũ, Abilam Africæ montẽ spectans: quos Herculis columnas esse, quasi ærumnarum metas, in fabulis traditum est. Et iuxta, oppida quibus Sola & Barbe nomen, Alcafirã & Tariffam quæ à nostris cognominari auguror, licet alii aliter sentiant. Post hæc Iunonis templum ad Oceanũ, in oppido Belon, & id in præsentia Trafalgar, & flumen Belona. Gadis item, seu Gadira insula paulo à continente seposita, Bæticæ proxima. Hinc demum ad Sacrum promontoriũ, à nautis nostri seculi Caput Sancti Vincentii vocitatum, ager omni vbertate felix distenditur. Ex mediterraneis autem, præter quas diximus, Hispalim & Cordubam, Carmona & Nebrissa, nunc eiusdem nominis. Ac nonnulla quidem nouissimis oportet oppida interpretari nominibus, Orospeda, quod Oropesam esse credimus: & Abdera non lõge à Malaca oppidum in mediterraneo, vel quod Plinio placet, Ebura. Ipse Vbidam quemadmodũ dicere audere, sic & Eguam, Esigam fuisse existimo. Munda vrbs, quam Mundecaram nunc vocant: apud quam Pompeium Pompeii filium Cæsar in fugam vertit: autor est Hircius. Plinius tamen duas fuisse Mundas, in Lusitania alteram inter Durium & Tagum, alteram vero in Bætica, scriptũ reliquit. Itẽ vrbs opulentissima in hac erat regione, Oringis, quam ad expugnandam, quia Pœnis studebat, Scipio fratrẽ misit. Et ea quæ in nominibus nullã habent cum priscis similitudinem: Granata imprimis vrbs populosa, quæ victis Pœnis à Ferrando Aragonio rege Christiano ritui vendicata, omnibus Hispanis multo est oppidis feracior. Singiliam oppidũ in Bætica reponit Plinius. Et fluuius qui Granatam abluit, nunc Xinil vocatur, possumus propterea Granatam Singiliam vocare, si licet. Vrsaonem ab Hircio in Commentariis citatum oppidũ, nos Vssunam vocamus, præsertim quod nõ longe ab Hispali illud ostendit. Et Tuccis, quod Tucinum fortasse: Carbulo, Carpium. Et Murgis vrbs, quam Mursiam esse puto. Iaen deniq;, Xeres, ciuitas regalis, Anduiar, Antichera, sunt hæ ciuitates, quæ vigent his à recentioribus adpellata nominibus, quas interpretari non audeo. Ac satis quidem de hac parte dictum est, nunc ad reliquas: breuiter enim omnia explicare volui. LODOV. Credo profecto de Murgi: nam in Bætica illam Plinium collocare memini me legere.

CALIPHO, PRVDENTIA.

AB Ana ad Durium quæ clauditur ora, Lusitania est, à Lusu Liberi patris dicta: autor Varro. Nec his quidem incongruum mihi videtur pauca Plinii inserere verba: Vniuersa autem quæ de Hercule, ac Pyrene, vel de Saturno traduntur, fabulosa imprimis, vt arbitror. Hæc ille de Hispania. Durius igitur qui Duero ab Hispanis, stadiis centũ ab Numantia illa quæ vna tot strenuos, totq; duros, veluti Hispaniæ totius robur, milites sola peperit, ortum habere cernitur. Numantini igitur post decimum quartum annum obsidionis, cum amplius se tutari non possent, in rabiem conuersi, duces suos, seq;, patriamq; ferro, & veneno, subiectoque vndique igne peremerunt, adeo vt triumphus fuerit Romanis tantum de nomine. modo vero non Numantia, sed Soria exiguum oppidum. Terra autem, quam Durius ad læuam ad Anam vsque, in Oceanum properans relinquit, Lusitania est, Tago auriferis arenis celeberrimo amne per longitudinem resecata. Tagum, qui non alio ac suo gaudet nomine, ad Carpetanos in montis radicibus, stadiis quinquaginta ab oppido paruo cui Tragacet nomẽ, quod non multũ abest ab vrbe Concia (quã Cuencam, vt ante dictum est, adpellant) nasci non dubium est. Qui vbi Toletum, nostra tempestate regalem vrbem, oppidaque infundit plurima, fluuiorum etiam admittit multos,

Oliſipponenſes, nunc Lisbonenſes, muros influit, & in mare vaſto facto oſtio demum ſe proiicit. Nec cum illis quidem ſentio, qui Toletanos Carpetanos eſſe dicũt: quandoquidem hos diſtinctos eſſe, alteros ad Tagi ortum, alteros illis proximos, haud vereor. nam & Plinius illos diſtinxit. Carpetani (ait,) & Toletani Tago flumini impoſiti. Et in Oceano Barbarum promontoriũ, quod noſtri Caput Spiches, & mox Oliſippo ab Vlyſſe condita, ſi Solino credimus, vrbs, quam Lisbonam vocant, in extremis Luſitaniæ oris ad Tagi oſtium ſita: quæ hac tempeſtate nobilis, & Africano diues commercio. cuius nanq; ciues mercaturæ gratia Æthiopicum per Atlanticum nauigant mare, Africæ ſinus penetrantes. Nec illius quidem regionẽ (vt multi deluſi credunt) tantummodo fuiſſe Luſitaniam adfirmo: quoniam ea Luſitaniæ pars, quæ mari adfixa, eſſe Portugallenſe regnum certũ habeo tantum, ita quod pars erat, & non tota Luſitania. Erat enim tum hæc non parua regio, quum Ana, & Durio, ac iugis etiam Carpetanis fuiſſet terminata. Et nunc quidẽ de huius regionis oppidis. Nam præter Toletum (de qua ſupra ſcripſimus) Segouia vrbs diues, ac cunctis fere Hiſpanis nota, ſub nemore poſita, & in ea aquæductus maximus, qui pons ab Hercule conſtructus peruerſe vulgo creditur. Sunt & qui iuga, quibus hæc ſita eſt ciuitas, Carpetana eſſe volunt, in quorum ire ſententiam omnino non placet. Porro quum Carpetana iuga Oretanis omnes ſcribentes adiungant, quumq; Ptolemæus nullũ in Luſitania eſſe montem aſſerat, rem non aliter, ac ſcripſi, in animum induco meum. At Ptolemæi forte ſententia alicui ſi non ſatisfacit, eo quia montes, vbi ipſa Segouia, & illis proximi quos Guadaramę nunc vocant, aliique etiam in ipſa viſuntur Luſitania: ego de illis qui digni erant, quorum mentio fieret, Ptolemæum eſſe locutum, reſpondeo. Et item Obila quę Abila, & Salmantica famoſiſſima Academia, Moro deniq;, & Talabrica, modo Mora, & Talauera. Sunt oppida nonnulla quæ viuunt, & nihil cum antiquis faciunt in nominibus, tum quia id quod habebant antiquitatis, penitus amiſere, tum quia fortaſſe deinde condita. Valliſoletum oppidum magnificum, & rebus neceſſariis maxime refertum. A quo haud longe abeſt Methina de campo (vt ipſi) omnium rerũ, propter hyemales nundinas, menſes tres, totidemque æſtiuales ibi celebratas, nobile emporium. Emporia quæ Empudia, Toro, Camora, Metina Roſſeci, Illeſca, Vccagna, & tandem Madrid oppidum, viuis vndiq; ſilicibus conſtructũ, & hoc nulla vnquam eſt victus penuria fatigatum, nec cœli grauitate oppreſſum. Alcala Definari (ſic ipſi aiunt) à flumine Finari, quod Tago abſorbetur, vbi artium floridũ gymnaſium, & hoc Complutum eſſe ab Ptolemæo demonſtratũ oppidum, Hiſpani pro certo habent, ſicq; illud in publicis adpellant rationibus. Et non longe aliud, Guadalaiara à Mauritanis nominatum, quod flumen lapidum ſignificat, vbi Iacobus Mendocius Infantaſciorum dux habitat, vir, præter nobilitatem, munificentiſſimus. PRVD. De illuſtribus viris ac de domorũ pariter nobilitate ſi facienda verba, Toletanam domum quoque, aliasque etiam antiquiſſimas merito memorare fas eſt. CAL. Per id tempus præter duas, Mendociam & Toletanam, quas nominaui domos, Cerdeam, Cardoneam, Larenſem, Velaſceam, Pimentellam, Stunicam, Henriticam, Oroſiam, Cordubenſem, Limenſem, Guſmaneam, Mondragoneam, & quæ antiquiſſima, Patiecam, ſcio quidem eſſe clariſſimas, attamen nolo de his nunc agere. PRVD. Quid Patiecam: domũ antiquiſſimam ais? CAL. Quendam Lucium Iunium Patiecum Cæſaris in Hiſpania bella aduerſus Pompeii filios gerentis ſocium reperio. PRVD. Operæ precium eſt audire. CAL. Hircius in Commentariis de Corduba loquens, Cæſar ait, eam ciuitatem omni tempore optime de populo Romano meritam eſſe ſciebat. Sex cohortes ſecunda vigilia iubet proficiſci, pariq; equites numero, quibus præfecit hominem eius prouinciæ notum, & non parum ſcientem, L. Iunium Patiecum. Hæc ille.

CALIPHO, LODOVICVS.

DVABVS vlterioris Hiſpaniæ partibus abſolutis, ad Gallaeiam deſcribendam ipſo cogimur ordine. Et hanc non ſolum eam, quam Galiciam vocant, eſſe volumus, quæ vt nemoribus, montibus, ac aquis etiã abundat, ita meſſibus nuda penitus: ſed & omne quoque vlteriori Hiſpaniæ quod ſupereſt, Bætica & Luſitania exceptis. Eſt in hac prouincia in Oceanum protendens promontoriũ magnum, quod Artabrũ nominarunt, nunc Caput finis terræ: veruntamen his qui de hoc aliter ſentiunt, Strabonẽ adduco teſtimonio, nullũ aliud memorabile promontorium inter ipſum Artabrum & Pyrenes promontoria reponentẽ. Minius amnis hanc infundit oram, & in Durium ſe recipit. Cæterum Aſturi, nunc quoq; Aſturi, huius regionis partem habitabant. Et his proximi Cantabri, partim montium cacumina, partim loca maritima in ſeptẽtriones ſpectantia incolentes, & eã regionẽ quam Biſcaiam dicimus, & montes etiam Liconitiurgis ciuitatis ad Iberi vſque amnis ortum

tum obtinebant: siquidẽ Iberum ipsum qui ex illis videtur montibus erumpere, in Cantabria nasci & Plinius & cæteri omnes sunt testes. Callaciorum oppida quæ vltra Durium ad Aquilonẽ: Asturica vrbs olim magnifica, nunc Astorga: & Liconitiurgis copiosa mercatura, compluribusque etiam equitibus & nobilibus clara vrbs, quæ Burgos incolis dicitur: Arunda siue Arandis, quam ab amne Arandam Durii adpellant: & in eodem fluuio Pallantia, quæ Palentia: & nomina recentiora præterea, Leonem vocant Hispani ciuitatem quandam quæ haud multum distat ab Astureca. Est & Compostella, vbi Diui Iacobi templum, quæ eiusdem tantum miraculo memorabilis. Homines præterea olim duri, & omni expugnatu difficiles, nullum tunc colentes deum, tantum Lunæ peracto orbe noctu ante fores saltus agitabant. Ac de vlteriori Hispania quidem satis dictum videtur, deinceps ad citeriorem, vel Tarraconensem prouinciam transeamus. Lod. Sum omnino exutus illis quibus eram obsessus curis, perge oro, vt magis lætus euadam.

Calipho, Prvdentia, Lodovicvs.

Tarraconensis prouincia à Pyrenæis montibus, qui Hispanias Galliasque distermìnant, duobus promontoriis diuersis insurgit: angusta primo, paulatim deinde se pandens, vlteriorem iam latior facta contingit Hispaniam. Promontorium alterum interiori mari percussum, Veneris templum, nunc portum Veneris nominant: alterum in Iberico pelago OEaso tunc, quod illud esse arbitror cui modo caput Berton nomen. Hæc rursus Balearico à meridie, ab septentrione ipso Iberico mari adstricta, adfixaq; Pyrenæo currit in occasum, & Oretanis, monte Solorio, Carpetanisque iugis ab aliis Hispaniæ oris distinguitur. Plinius in Tarraconensi Cantabriam recondere videtur prouincia. Huius oppida nonnulla quanquam non illis à iunioribus cognominantur nominibus (prisca enim temporum varietate nomina defecere) nos tamen nouissimis quoad fieri poterit, adaptare conabimur. Principio à læua Pyrenæi montis ad mare nostrum Gerundenses populi Galliæ fines colunt, & hi Geronam tenent vrbem, quam Gerundam quondam dicebant. Cæterum ab hoc mari Ibericum sinum versus, per Celsenses & Iaccetanos, ad Nauarræ (vt Hispani aiunt) vsque limites, Ausetani, Itani, Lacetani, ac per Pyrenæi radices, Ceretani discurrebant: autor est Plinius. Et post eos Vascones ad mare Ibericum, & Pampelonenses, quos Nauarros esse auguror Plinii verbis persuasus: ait enim quod Vasconum saltus proximus est Pyrenæo per Oceanũ. Et Strabo item ad septentriones supra Iaccam, vbi Pompelon à Pompeio dicta, Vascones reponit. Iaccetanæ gentes olim nobilissimæ, quæ à Pyrenæi radicibus ad Ilerdam vsque latius extendebantur, vbi Sertorius bella gessit extrema: itaque hinc expulsus, apud Saguntinos fuit ab suis dolo interfectus militibus. Victoria oppidum idem tenens nomen prope Cantabros: in quorum montibus Iberi amnis ortus inspicitur, quem nostræ ætatis mortales Hebrum, Thraciæ Hebri nomine decepti, nuncupant. Iberus ab Ibera olim vrbe opulentissima dictus: à qua non procul Scipio Pœnos vicit, & Hispaniam vniuersam populo Romano adiunxit, vt Titus Liuius testimonio est. Ergo Cantabriæ iugis Prouincia de Campo (sic ipsi dicũt) duobus ex fontibus è rupe scaturientibus, haud procul oppido Iuliobrica dilapsus per Celtiberos, & Dertosam cõfluens mare subit Balearicum. De quo sic: Iberus amnis nauigabili commercio diues, ortus in Cantabris, haud procul oppido Iuliobrica. Hæc Plinius. Celtiberi quos nominauimus, à Celtis Galliæ populis illuc profectis ripasq; colentibus Iberi, & Iberis indigenis, ex duob. vno facto nomine, Celtiberi sunt dicti, spaciosam tenentes prouinciam qua Segorbienses & Numantini claudebantur. Segorbienses hi sunt, quorũ vrbs Segorbia, in Valentino regno. In Celtiberia Cæsaraugusta Romanorũ colonia, Ibero adfusa, vbi pons lapideus memorabilis, nobilissimis ciuibus ornata, quam ab Cæsare Augusto propagatam, Cæsaraugustã dixere, quum antea Salduba nuncuparetur. Zaragozam turbato vocabulo, ac mutatis literis nunc vocant: tametsi in tabulis publicis prisco ipso non fraudant nomine. Ac ad Bæticæ fines reuertor. Satabis fluuius per Contestaniam, nunc Consentaniam, labens, ab eo monte, quo Bætis, egreditur, & in mare nostrũ ad oppidum modo Guardamar, effunditur, quem Hispani Seguram vocant. Nec hunc quidẽ admodũ effugit Sucron, nunc Xuccar, apud quem Pompeio & Sertorio congressis, æquo fuisset Marte pugnatum, nisi Pompeius vulnus adcepisset. Oritur circa Carpetanorum oppidũ cui in præsentia Tragacet nomen, per vrbem Conciam & pontem qui Talaiolæ dicitur, dilapsus, Algiram oppidũ haud procul à Valentia cingit, & alteri se adiungens fluuio quem Gabrielem vocant, mari nostro sese immiscere visus est. Setabis vrbs, quam Xantinam esse arbitror. At nunc Valentiam, quæ suo illustrata nomine viuit amœnissima ciuitas, adcedimus. Est itaque equitibus nobilissimis insignis, ac in totius Hispaniæ prouinciis nitore, splendore insuper

nulli ſecunda, cum flumine Turia, modo Guadalabiara à Mauritanis inditū nomen, quod flumen album ſonat, cuius ortus apud Celtiberos. Non longe à Valentia per occaſum ſtagnum abeſt, memoratu dignum, piſcoſum, & immenſum, de quo nuſquam legi factam mentionē, niſi apud Plinium. Conteſtaniæ, inquit, ſinus regio Edetania amœno prætendente ſtagno, ad Celtiberos recedens. Et poſt hęc de Valentia agit, quod nunc Albuferam adpellant. A Valentia autem Saguntum haud procul à mari, ciuium Romanorum oppidum, nunc Moluiedro, vbi theatrum cum ſcena, cui nihil deeſt, ac plura etiam antiquitatis veſtigia, quæ imaginem quandam vetuſtatis oſtendunt. Saguntini ab Hannibale obſeſſi, quum de ſalute deſperaſſent, argentum aurumq; omne ex publico priuatoq; in forū collatum, in ignem ad id raptim factum coniicientes, eodem pleriq; ſemetipſos præcipitarunt. Dertoſani mox celeberrimi quondam populi, quibus Dertoſa (quam Tortoſam vocamus) ad Iberi oſtium colebatur. Et hinc non procul Tenebrium promontorium, & Tenebris portus ad occaſum. Vnde recedentes per ortum vetus nos aduocat Tarraco, à qua nomen tota eſt ſortita prouincia, quæ littori impoſita totius eſt regionis vetuſtatis caput. Tarraconam hanc adpellamus, vbi Scipionum interitus. Ab ea ſexaginta ſex M. paſſ. ſolem orientem verſus, per maritimum littus tendenti Barcinum olim paruum oppidum, Barſellona impræſentiarum clara ciuitas, prudentiſſimis imprimis ornata ciuibus, eſt obuia. Et inde Lunarium promontorium, à noſtris Caput de Vallis: circa quod Blanda oppidum, nunc Blanes. Gerunda item, quæ Gerona nunc ciuitas, de qua fecimus mentionem, & Emporiæ, modo Empuriam vocant, cum flumine Clodiano. Roda oppidum iuxta Veneris templum, nunc Roſes dictum. In mediterraneo autem Ilerdenſes, vetuſtiſſimi populi, ad Sicorim fluuium Ilerdam ciuitatem, quā Leridam vocitamus, vbi publica gymnaſia, incoluerunt. Sicoris ergo fluuius, qui Segre impræſentiarum dictus, à Pyrenæo monte per illius muros & pontem, quem diximus, ciuitatis diſcurrens, Ibero non multum peragrando abſorbetur. Et à Sicori Siculos ipſos habere nomen, memoriæ proditum eſt. Populos nanque illuc transfretaſſe, ac eam Siciliæ partem quæ ad occidentem vergit, incoluiſſe adfert Thucydides. Cinga huic vicinus fluuius, qui Singa modo, pontem & oppidum quod Fragam recentiores nuncupant, abluens, Iberum rapido petit curſu. Et inter hos fluuios Monſion oppidum. Cæterum ab Ilerdenſibus ad Pyrenæum Oſcenſes, quorum nos ciuitatem Hueſcam vocamus. Ac alia oppida quæ haud ſunt priſcis ſimilima in nominibus: in Celtiberia Taragona, Balbaſtrum, Teruel, Boria, & denique Calataiut, quod an ſit Calatagurium oppidum à Strabone citatum, penitus ignoro, à quo diſtabat ad occaſum P. M. circiter ſedecim Bilbilis in quodam tumulo, cuius ruinæ viſentibus adhuc fidem faciunt. Ac quicquid referam amplius ſupereſt nihil, plura dixiſſe videor, quibus etſi vobis non ſatisfeci, obtemperaui tamen. PRVD. Gratias, quia nobis geſſiſti morem, agimus mi Calipho. LOD. Omnia, quemadmodum pollicitus es, breuiter dixiſti. At quia rem feciſti gratam nimis, me perinde ac te vtere, paratum me inuenies procul dubio.


HISPANIÆ SITVS EX PAVLI OROSII LIB. I. CAP. II.

HISPANIA vniuerſa terrarum ſitu trigona eſt, & circumfuſione Oceani Tyrrhenique pelagi peninſula efficitur. Huius angulus prior ſpectans ad orientem, à dextris Aquitanica prouincia, à ſiniſtris Balearico mari coartatus, Narbonenſium finibus inſeritur. Secundus angulus eius Circium intendit, vbi Brigantia Galleciæ ciuitas ſita, altiſſimam pharum, & inter pauca memorandi operis ad ſpeculam Britanniæ erigit. Tertius eius angulus eſt, qua Gades inſulæ intentæ in Aphricum, Atlantem montem interiecto ſinu Oceani proſpiciunt. Hiſpaniam citeriorē ab oriente incipientē, Pyrenæi ſaltus à parte ſeptētrionis vſque ad Cantabros Aſtureſque deducit, atque inde per Vaccæos & Oretanos, quos ab occaſu habet, poſita in noſtri maris littore Carthago determinat. Hiſpania vlterior habet ab oriente Vaccæos, Celtiberos, & Oretanos, à ſeptentrione Oceanum, ab occaſu Oceanum, à meridie Gaditanum Oceani fretum, vnde mare noſtrum quod Tyrrhenum vocatur, immittitur.

IOAN.

IOANNIS EPISCOPI GERVNDENSIS PARALIPOMENON HISPANIÆ LIBRI DECEM.

AVTORIS PROOEMIVM, IN QVO FERNANDO ET ELISABÆ, CASTELLÆ ET ARAGONIÆ Regibus, præsens opus consecrat.



VM descripsissem libris decem obliterata Hispaniæ, quibus illa dignius consecrare potui, quam vobis serenissimis Ferdinando & Elisabæ Regi & Reginæ Castellæ & Aragonum? qui succedentes paternis & auitis regnis, ipsa coniugali copula, vtriusq; Hispaniæ citerioris & vlterioris vnionem fecistis: quæ à Romanorum & Gotthorum temporibus semper diuisa, nunquam sub eodem imperio perstiterunt. Accedit ad hoc non modo autoris deuotio in eius benemeritos Reges & Dominos, sed & virtutis laus & omnium præconium de suscepto bello aduersus illum Bæticum ac Machometicum Regem, qui per multa tempora ipsius Hispaniæ partem occupatam tenuerat, in magnum Regum Hispaniæ non minus opprobrium quam iacturam. Quoniam si ab ipsa pellatur Hispania, ipsius prouinciæ pene omne imperium apud nos sit necesse est, & Christiani nominis religio in tota ipsa colatur Hispania. Ex qua re consecuturi estis æternæ vitæ præmium, immortalemq; gloriam & honorem, vt constituamini supra omnes Christiani nominis Reges & Principes seculi nostri decus & gloria. Quum videamus huius ætatis nostræ Principes non modo ad dilatandam Catholicam fidem non elaborare, verumetiam vim quam continue Turcus Christiani nominis hostis in Christicolas infert, propulsare recusent ac negligant, alii secum paciscentes, alii tributa illi pendentes, alii somno & desidiæ vacantes. Ex quo factum est, vt ætate nostra Turcus ipse transacto Hellesponto Byzantium primum illiusque imperium, inde vniuersam Græciam, Dalmatiam, Macedoniam, Epirum, aliasq; plures prouincias, magnam insuper Europæ partem à veri Dei religione cultuq; auerterit & occupauerit. Adeoque creuit eius audacia, vt Rhodum vnicum Christianæ religionis propugnaculum obsidere, & fines Italiæ inuadere ac vastare non dubitarit, nobilemq; Hydronti vrbem in Apulia expugnare ac diripere, incolis trucidatis. Vos autem serenissimi Reges huic cladi velocissime occurristis munitissima ac opulentissima classe, cæterisque dormitantibus Pontificem maximum, cæterosq; potentatus Italiæ vestris legationibus solicitastis ad vindicandum tantam Christianæ religionis offensam. At vbi omnium torpentes animos comperistis, animum erexistis ad eliminandam ab Hispania Machometicam sectam, omnium antecessorum vestrorum irreligionem ac negligentiam emendando. Suscipite igitur serenissimi Reges opus oblitorum Hispaniæ, cuius præclara antiquitas nulli prouinciarum non modo Europæ, verum nec totius orbis cedit. Cuius exordia siluisse vsq; ad nostra sæcula, Hispanis, tanquam in fine mundi iacentibus, obscuritatem tribuit: arguitq; priscorum aut ignorantiam aut negligentiam. Eoq; potissimum gloriosum visum est huius operis sumpsisse laborem, quoniam per illum video prouinciæ afferri splendorem. Et illud gloriosius consideratum est, quod ipsa obliterata instaurari contigerint temporibus vitæ vestræ, quorum ætate & imperio non dubito nobilissima primordia præclarissimis vestris operationibus illustrari.

DE HISTORIOGRAPHIS HISPANIÆ.

CVM inter rerum maximas Hispaniæ vbertates, illius præcipua à scriptoribus gesta accuratissime perscrutarer, tantam huiusce rei ariditas exhibuit admirationem, quod non leuem attulerit, si quo modo fieri potuit, vt inde tot viri clarissimi procedentes, Hispaniæ tam grandia clarissimaque gesta scripturis tradere sint obliti. Et quoniam inter omnes quos memoria hactenus celebrauit, quatuor recoluntur, quorum tres laudabiles, quartus vero tolerabilis iudicantur. Laudabilis enim Trogus Pompeius Hispanus, quem Iustinus mirabili eloquentia abbreuiauit, Paulus Orosius Tarraconensis, & Isidorus Hispalensis: tolerabilis, Rodericus Toletanus. Cæteri vero ignorantium caterua plurima, qui diuinationes & somnia contexuerunt. Quia tamen superiores tres, singuli sua historia delectati, nobilissima ma-

ximaque Hiſpaniæ geſta prætermiſerunt: quum Trogus Pompeius, quem Iuſtinus abbreuiauit, licet Hiſpanus, Græcorum ac Aſiaticorum geſta potius quam propriæ prouinciæ deſcribere delectatus, in eius opere ex quatuor & quadraginta libris vltimum Hiſpanis concedere eſt dignatus. Oroſius inſuper, cùm rogatu Auguſtini Romanorum hiſtoriam, ſeu verius cunctarum gentium clades deſcripſiſſet (ex cuius ſcriptis Auguſtinus factus inſtructior librum de ciuitate Dei in medium protulit) quæ maxime ad Hiſpanos pertinebant omiſit, niſi quatenus ad Romanorum tempora pertinuerunt. Iſidorus vero ſacram hiſtoriam inſecutus ab Adam principium ſumens, tempora cum illorum calendariis breuiſſima compreſſione notauit vſque ad Iuſtiniani iunioris tempora, in quibus aliqua & non multa de Gotthorum ſucceſſibus inſeruit. Cuius opus inſtitutionemque proſecuti Ildephonſus, Toletanus, & Sulpitius, aliqua etiam de Gotthorum ſucceſſibus addiderunt. Quartus vero Rodericus etſi ab aduentu Herculis in Hiſpaniam hiſtoriam exorſus ſit, inde tamen tanquam ſuper prunas gradiens, neque in ea hiſtoria diutius immoratur, quoniam & aliqua minus vera interſerens maiora ac potiora dimiſit: & tantum in Gotthorum proſecutione, & in iis quæ recentiſſimis temporibus occurrerunt, verſatus eſt. Quum vero compererim inter omnes mundi prouincias maximam nobiliſſimãque Hiſpaniæ antiquitatem maximis laudibus extollendam, & exterarum gentium commentariis ac variis libris atque deſcriptionibus labore maximo comprobatam, non potui calamum continere, quin, licet ſtylo rudi incompoſitoque ſermone ſcripturus, eandem antiquitati conſecrarem, oblitamque atque obliteratam futuris hominibus inſtaurarem, memor quantum ab hominibus rerum ſcriptoribus debeatur: quoniam nihil adeo ad cognitionem veritatis pertinet, quàm geſtarum rerum habere notitiam. Quod ipſe Deus omnipotens contemplatus, non prius legem Moyſi tradere dignatus eſt, quam earum rerum quæ præteritis temporibus occurrerunt, plenam notitiam conceſſiſſet ſpiritu quodam ſiue prophetico ſiue euangelico, vt meruerit deſcribere cæli & terræ cæterarumque rerum creationem vſque ad ſua tempora. Ex qua re factus inſtructior ad humanam vitam peragendam, legem digne recipere, & populi gubernacula meruit. Quis enim futuram agere vitam excogitat, qui diem ſuæ natiuitatis ignorat? aut quis quo tendat ſcire poteſt, qui vnde venit neſciat? His igitur circunſpectis librum de Hiſpanorum geſtis, maxime antiquorum, ſum exorſus: quem in libros decem illum partitum, PARALIPOMENON HISPANIÆ appellari inſtitui, id eſt, librum oblitorum: quoniam etſi quæ in eis inſerui, deſcripta comperiantur, non tamen apud maiores noſtros Hiſpaniæ ſcriptores, ſed illa omnia conquiſiui ex cæteris commentariis tam Græcis quam Latinis. Finemque operi facturus ſum ad Gotthorum in Hiſpaniam ingreſſum, qui contigit temporibus Honorij & Arcadij Auguſtorum. Quorum progreſſum reſque in Hiſpania geſtas Oroſius, Iſidorus, Ildephonſus, ac Rodericus Toletanus ſunt proſecuti. Noſtri autem propoſiti eſt obliterata tantummodo inſtaurare. Diſtinxi enim opus noſtrum in libros decem. Primus continet veterum Hiſpanorum exitum, deſcriptionem & originem vſque ad Græcorum aduentum, mutationeſque nominum prouinciarum, vrbium, montium, fluminum, & ſyluarum. Secundus liber habet geſta Græcorum ab aduentu Herculis in Hiſpaniam, diſcretionemque Herculum, ipſorumque geſta vſque ad Pœnos. Tertius continet geſta Pœnorum vſque ad primum Punicum bellum. Quartus per Pœnos geſta temporibus prioris belli Punici vſque ad ſecundum. Quintus habet Pœnorum & Romanorum progreſſum in ſecundo bello Punico, captionemque Sagunti, ac Hannibalis tranſitum in Italiam. Sextus deſcribit geſta in Hiſpania poſt Pœnos expulſos vſque ad tertium Punicum bellum. Septimus bellum aduerſus Numantinos, euerſionemque Carthaginis & Numantiæ, geſtaq; in Hiſpania à Romanis vſque ad tempora ciuilis belli. Octauus ciuile bellum inter Marium & Syllam. Nonus ciuile bellum inter Cæſarem & Pompeium. Decimus geſta Imperatorum in Hiſpania ab Auguſto vſque ad Theodoſium Seniorem patrem Honorij & Arcadij, quorum temporibus Gotthi in Hiſpaniam intrauerunt. Vtarque præter antiquorum morem teſtimonio ſcriptorum maxime circa antiquiora, ne legentes me deliberaſſe, aut confinxiſſe vetuſtiora, opinentur. Sequarque vt plurimum autores antiquiſſimos, tam Philoſophos, quam Geographos, Hipparchum, Eudorum, Eratoſthenem, Hippiam, Seboſum, Bionem, Xenophontem, Betonem, Themaum, Dionyſium, & totius artis ſplendorem & conſtantem artificem Claudium Ptolemæum, Plinium, inſuper Pomponium Melam, Polybium, Artemidorum, Poſidonium, ac Strabonem Cretenſem, Diodorum, Titum Liuium, Trogum Pompeium, alioſque plurimos.

IOANNIS EPISCOPI GERVNDENSIS PARALIPOMENON HISPANIÆ

Liber primvs.

Europæ diuisio.



VROPA prouincia eſt quæ primò à filiis Iaphet & filio eius Tubale dicitur incolatum habuiſſe, quoniam ſecundum librum Geneſeos inſulæ maris Iaphet deputatæ ſunt, inter quas inſulas Europa dinumerata eſt: quoniam terminatur ab Aſia Mæoti palude ſiue Getico mari vſque ad Oceanum per medias duas Sarmatias diuidente fluuio Tanai. Sunt autem tres orbis partes, Aſia, Aphrica, Europa: quæ tres orbis partes tribus Noe filiis aſſignatæ ſunt. Aſia enim primogenito Noe Sem ſacerdoti: ſecundo vero Cham terra Chanaan & Aphrica: Iaphet vero minori inſulæ maris: inter quas Europa nuncupatur, quia modico ſinu inſula fieret, & id multi Imperatores efficere cogitarunt: ſed tantum ex eo prohibiti ſunt, quia viſum eſt, Oceanum ipſam Europæ inſulam ex eius altitudine eſſe ſuffocaturum. Diuiditur autem orbis (vt diximus) in partes tres, Aſiam, Aphricam, & Europam. Quarum trium partium Aſia reſpectu magnitudinis media eſt, & quæ terminatur ad Orientem mari Arabico, Perſico, & terra incognita: à Septentrione Oceano & flumine Tanai, quo quidem flumine ab Europa diuiditur. Aſia ad partem Auſtri Arabico mari terminatur, ad illud promontorium vbi ciuitas Heroum ſita eſt, & Mediterraneo mari, ad eum locum vbi Palæſtina Iudæa ab Ægypto ſeiungitur: & (velut quidam referunt) ne diuidatur Nilus, ipſe amnis Nilus Aſiam ab Aphrica diuidit. Vt autem Aſiam & Aphricā omittamus, de quibus nobis ad præſens ſermo non eſt, Europa ſecundum Claudium Ptolemæum orbis accuratiſſimum deſcriptorem habet prouincias ſedecim, quæ ſequuntur. Prima ad Oceanum & Septentrionem Hibernia inſula Britannica, ſecunda inſula Albion Britannica, Hiſpania Bætica, Hiſpania Luſitania, Hiſpania Tarraconenſis, Celtogallatia Aquitanica, Celtogallatia Lugdunenſis, Celtogallatia Belgica, Celtogallatia Narbonenſis, Germania magna & Germania parua, Rhætia & Vindelicia, Noricum, Pannonia ſuperior, Pannonia inferior, Illyris aut Liburnia, Dalmatia: quæ ſimul iunctæ ſedecim numero ſunt. Dicitur autem Europa ab Europa filia Agenoris Libyæ Regis ac ſororis Phanias, quam Iupiter Saturni filius ac Rex Cretæ rapuit, & prouinciam ab ea cognominauit: ad quam recuperandam Cadmus præfati Agenoris filius & Europæ frater miſſus eſt, ſtatuto à patre vt ſine ſorore non rediret in regnum. Ipſe vero cum non reperiſſet ſororem, Apollinis Delphici oraculo Euboiam prouinciam atque Thebanorum vrbem in prouincia conſtruxit.

Hiſpaniæ terminatio.

HISPANIA autem terminatur ab occidente Oceano mari, & inſula Gades, ad quam veniens Hercules fortiſſimas turres conſtruxit, quas Gades Herculis appellauit. Terminatur autem ab Auſtro, Mediterraneo mari & freto Herculeo & Balearico pelago; à Septentrione vero & Oriente, Pyrenæo monte, qui mons protenditur ab Oceano promontorio Eaſo iuxta ciuitatem Eaſo (quæ hodie Baiona vulgo appellatur) vſque ad montem Canum (qui hodie Canigo mons à modernis nuncupatur) & influit in Mediterraneum ad eum portum vbi portus Veneris ſitus eſt, vbi erat olim Veneris templum: vel (vt placet Pomponio Melæ) ad oppidum Ceruariæ, quod modico interuallo diſtat ab ipſo Veneris templo. qui montes ab Oceano mari vſque ad Mediterraneum continent ſpacia ſexcentorum milliariorum, vt placuit Iuſtino poſt Trogum Pompeium vltimo libro ſui Epitomatis. Et Pyrenæo monti medio Galliæ adhæret, cæteris vero partibus vn-

dique mari Oceano & Mediterraneo cingitur. Et eſt ipſa prouincia quaſi quadrata, cuius anguli ſunt ad Orietem ad Veneris templum, in Pyreneo ad Oceanum, vbi eſt eccleſia de finibus terræ ſita, quæ quondam Solis ara dicebatur, ad Auſtrum ad fretum Herculeum & Iunonis promontorium ſeu montem Gibeltarif, ad Septentrionem ad promontorium & ciuitatem Eaſo, quæ nunc Baiona dicitur: ipſa enim terra quaſi quadrata eſt, vt placet Iuſtino. Continet autem in longitudine ſecundum Appianum clariſſimum hiſtoriographum à Gadibus vſq; ad Oceanum ſeptentrionalē decem milia ſtadiorum. Latitudo vero à portu Veneris vſq; in Compoſtellam totidem. Vel verius ſecundū Strabonem lib. 3. quod ipſi probauimus cum charta nauigabili, habet in longitudine ſtadia circiter ſex milia, & in latitudine etiā circiter quinq; millia, alicubi tamen arctior eſt, maxime circa Pyrenæum. eſt autem ſtadium centum vigintiquinq; paſſus, & per conſequēs octaua pars vnius miliarij, & octo ſtadia faciunt vnum miliarium. & (vt placet Straboni, & Pomponio Melæ, & Claudio Ptolemęo) illius figura ad modum corij pecudis eſt. Collum ipſius pellis eſt, quantum protenditur mons Pyrenæus à Mediterraneo mari ad Oceanum Britannicum. Inde dilatatur ad brachia à noua Carthagine vſque ad Cantabros ſeu Bardulos. Ipſius corij crura à freto Herculeo vſq; in Compoſtellam & Oceanum Britānicum. Vltimum corij ad modum caudæ promontoriū ſacrum, quod nos hodie caput ſancti Vincentij appellamus, quod præeminet & extenditur in Oceanum Atlanticū lōge vltra omnem Hiſpaniam. Continet autem permagna flumina, Iberum, Tagum, Bætim, Anam, Dorium, Minium, minoraque plurima intermedia, & quæ ſuperioribus immiſcentur.

Diuiſio Hiſpaniæ.

DIVIDITVR autem Hiſpania in prouincias tres ſecundū deſcriptiones Claudij Ptolemæi, Pomponij Melę, Plinij, & Strabonis, & aliorum pluriū, ſcilicet Tarraconenſem, Bæticam, & Luſitaniam. Sciendum tamen eſt Hiſpaniam temporibus Romanorum Conſulum in duas eſſe diuiſam præfecturas & prouincias, citeriorem & vlteriorem. Citerior continebat à noua Carthagine per Caſtulonem vſq; in Cantabriam ſpatio trecenta ſeptem miliaria, & à Pyrenæo vſque in Carthaginem & Caſtulonem totidem, de quibus late diſſeruit Plinius lib. 3. natur. hiſtor. Poſtea vero Auguſtus ſuperatis Vaccæis, Illiturgibus, & Cantabris, illam in vnam redegit prouinciam, vt Iuſtinus in vlt. lib. ſui Epitomatis voluit. Fuerat tamen ab initio Hiſpania diuiſa in tres, Tarraconenſem, Bęticam, ac Luſitaniam, vt placet omnibus hiſtoricis. Bętica prouincia continet quicquid amnis Bętis (nunc Guadalquiuir vocitatus) claudit à montibus altis nouæ Carthaginis vſq; in Hiſpalim incluſiue per Caſtulonem & Cordubam: vocitaturq; Bætica ab ipſo amne Bæti, prouincia interſecāte Luſitania quicquid interiacet inter duo flumina Bętim & Tagum interfluente medio Ana flumine. A quo Ana prouincia denominata eſt, tanquam apud eundem amnem Liber pater ac Lyſas cum eo bacchante luſerint, propterea cognomen dediſſe prouinciæ, vt Plinio placet lib. 3. Ad Tarraconenſem vero prouinciā pertinebat omnis citerior Hiſpania, & quicquid vltra Tagū eſt, inducens Compoſtellā, Gallatiā, & Aſturias per medium Toletanum agrum vſq; in Oceanum Atlanticum, & vſq; in orā fluminis Dorij. Poſtea vero ad tempora Conſtantini Pij diuiſa eſt ipſa Hiſpania in prouincias quinq; ſecundum Appium, Tarraconenſem, Carthaginenſem, Bæticam, Luſitaniam, Gallatiam: & ſingulis prouinciis aſſignatæ ſunt metropoles & Archiepiſcopi in cōcilio Illiberitano, videlicet citeriori Hiſpaniæ Tarraconenſis, Carpetaniæ Carthaginenſis, Bæticæ Hiſpalenſis, Emeritenſis Luſitaniæ, & Bracarenſis Gallatiæ. Poſtea vero ad tempora Gotthorum addita eſt ſexta prouincia Tingitana trans fretum in Libya. Deinde vero modernis temporibus, videlicet ſub Ioanne XXII. Pontifice ſummo ſupraſcriptis quinque prouinciis, ſemota Tingitana quæ à Mauris & Machumetenſibus poſſidetur, adiunctæ duæ aliæ metropoles, Cæſarauguſtana, quæ detracta eſt ex Tarraconenſi, Vliſbonenſis vero ex Hiſpalenſi Bætica. Dicitur autem Hiſpania citerior & vlterior. Citerior autem à ſeptentrionali plaga monteque Pyrenæo vſque ad nouam Carthaginem Cantabriamque: vlterior vero à Celtiberis vſque ad Oceanum Gadeſque inſulam protenditur, tanquam citra & vltra. Sed citra quaſi circa terram, vel vltra, quia vltima, vel quia poſt hanc non ſit alia terra. Hæc Strabo & Plinius.

Hiſpaniæ deſcriptio & terminatio per maritima littora & Pyrenæum.

HISPANIA (vt diximus) terminatur Pyrenæis montibus, quibus Gallia diuiditur ab Hiſpania. Hos autem montes quidam dixerunt incipere à fonte Salſulæ propinquo pro-

promontorio Leocatæ. Quidam vero à Veneris portu, in quo Veneris templum locatum fuerat, non longe à capite Illibero, seu ab oppido Ceruaria, quod ab eodem loco modico distat interuallo. Protenduntur autem iidem montes ab Iberico & Mediterraneo mari vsque in Oceanum Britannicum ciuitate Baiona, quæ quondam Easo dicebatur, spacio tercentenorum quinquaginta miliariorum, quanquam Trogus Pompeius & alij plures dixerunt multo plura continere. Nostra autem mensuratio experimento numerata est ex charta nauigantium. Curuatur ipse mons paululum ex Mediterraneo in Oceanum, vrbemque Baionam. A Salsulæ itaq; fonte vsq; in Barchinonam miliaria CXX. A Veneris vero portu siue templo, seu oppido capite Illibero miliaria C. A Barchinona vero vsq; in Tarraconam vrbem miliaria LX. A Tarracona vsq; ad ostia Iberi vsq; in vrbem Valentiam miliaria CX. A Valentia vero vsque ad promontorium Artemisium Demamq; oppidum (quod Martini caput modernitas vulgi appellat) miliaria LXX. erat in eodem promontorio Dianæ Ephesinæ sacellum. A Dema vero in Alecanthum miliaria LXX. Ab Alecantho vero in nouam Carthaginem, hodie Carthageniam appellatam, etiam miliaria LXX. ibiq; celeberrimus portus est. A noua vero Carthagine vsq; in Veram quæ quondam Abdera dicebatur, etiam miliaria LXX. ibique principium regni Granatæ est & Maurorum qui partem in Hispania possident, & Castulos & Itanos. A Vera vero quæ Abdera quondam, ad Almeriam quæ quondam Illiberis dicebatur, miliaria L. Hæc enim vrbs differt ab altera Illibera, altera vero Elibera, duoq; episcopi Illiberitani comperiuntur in conciliis Hispaniæ. Ad eius distinctionem cum Hieronymus in lib. de viris illustribus meminisset de quodam Gorgonio episcopo Illibero, adiecit Bætico ad differentiam alterius Tarraconensis. Ibiq; promontorium est ab antiquis descriptoribus non descriptum, & quod Moderni caput Gactæ appellant. Ab Illiberi vero ad Granatæ portum, quam moderni Malacam Secanguam dicunt, miliaria LXXX. Granata enim vrbs ex opposito est, ad quam mercatoria à maris littore & ab ipso portu deducuntur. Hanc autē Strabo Exitanorum vrbem appellari dicit antiquitus. Alij autem Mænacen, vt Strabo refert. ibiq; promontorium est ab antiquis omissum, caput Capsa à modernis vocitatū. Ab ipsa vero Malaca ad Gibeltarem seu Calpen montem iterum miliaria nonaginta. A Calpe autem monte (qui hodierno die Gibeltar appellatur) miliaria sexaginta ad Gades insulam. A Gadibus vero siue Bætis ostio vsq; ad Anam fluuiū (qui hodierno idiomate Guadiana dicitur, & à quo Lusitania denominationem habet propterea, quia apud illum amnem Liber pater cum Lysa luserit, vt Plinius voluit lib. 3. naturalis historiæ) miliaria centum. Ab Ana vero flumine vsq; ad Sacrum promontorium, quod antiqui Hieron appellabant, quod hodie Caput sancti Vincentij appellamus, miliaria LXX. A sacro vero promōtorio vsq; ad amnem Tagum, vbi Vlisbo seu Vlisbona vrbs in Portugallia sita est, miliaria centum quinquaginta. Ibiq; promontorium est ab antiquis prætermissum, distans ab ostio Tagi miliariis XL. vbi castellū Castar & Suctres oppida sunt. Ab ostio vero Tagi vsq; ad Mundā fluuium, supra quem Colimbria vrbs est sita, quam antiquitus Mundam aliqui dixerunt, alij oppidum esse eiusdē nominis Mundego dictū, miliaria centū. A Mūda vero flumine vsq; ad ostium Dorij amnis, qui ad Portum vrbem fluit in Portugallia, etiam miliaria centum. Et est sciendum quod prouincia Gallecia à Tago flumine incipit, quanquā Ptolemæus velit incipiat à Dorio, qui influit in Portum. Incipit enim Gallecia Bracarensis à Tago flumine: Bracara enim vrbs inter Tagum & Iberum amnes est: ipseq; Dorius & Portus per fluxum & refluxum Oceani commodissimus portus fit ad nauigationes rerum omnium Galleciæ. Ex quo fit, vt Portus Galleciæ etiam ipsa vrbs appelletur à quo nomen recipit Portugalliæ Rex. Cuius metropolis Bracarum est, ex qua Gallecia Bracaria dicta est, & protenditur vsq; ad flumen Liminū. post sequuntur Artabri, & inde Gallecia Lucentia vsq; ad Pyrenæum. A flumine vero Dorio vsq; ad promontoriū quod antiqui Onerium appellabant, moderni vero caput Panisarij seu sancti Martini, vbi nunc Baiona oppidum est, & Ponteuedra, magnusq; portus, miliaria LXX. Ab ipso vero promōtorio vsq; in promōtorium, vbi ecclesia de finibus terræ constructa est, quæ quondā Ara Solis dicebatur, etiam miliaria LXX. A cuius promontorio vsque in Compostellam miliaria sunt XII. De istis vero Gallecis refert Strabo de situ orbis lib. 3. quod Deum non haberent, sed Solem & Lunam adorarent. Videntes autem quod apud eos Sol occumberet, illi eo in loco tanquam in vltima terrę parte aram constituerunt. Huic autem promontorio oppositæ sunt Insulæ Cassiterides ad Austrum in pelagus, quanquam Strabo dixerit ad Aquilonem, quod satis charta nauigationis ostendit, & color incolarum, qui sunt fusci coloris. A promontorio vero de finibus terræ vsque ad sequens promontoriū quod Prioris appellant, & antiquitus Lapacianorum Scutrilentum vt Ptolemæo placet,

ſeu(vt dicit Strabo)Ierna,miliaria x c. Intraque hoc promontorium magnus portus Artabrorum eſt, vbi Clunia oppidum eſt. Ab ipſo vero promontorio vſque in oppida ſancta Martha & Ninerium,miliaria quinquaginta : ab ipſo vero oppido ſancta Martha ad ſequens promontorium, vbi Hyaneo eſt,& caput dictum Stationes,c x x.miliaria.Hique omnes à magno portu,vbi Clunia oppidũ eſt,vſque huc Gallecij Lucentij ſunt:& quanquam protendantur vſque in Pyrenæum,habent tamen Baſtulos ſeu Bardulos, quos Biſcaynos appellamus,qui maximos intermedios montes inhabitant. illorum principium ab hoc promontorio eſt. Ab iſto vero promontorio vſque ad oppidum Pantāder itidem centum viginti miliaria. Ab ipſo vero Santander vſque in Pyrenæum Baionamque vrbem,centum quinquaginta miliaria,videlicet vſque ad oppidum Bilbao, quod metropolis Biſcayæ eſt,miliaria x x. Ab oppido vero Brenico ad oppidum Mophrygo, miliaria x. A Mophrygo vero vſque ad ſanctum Sebaſtianum,in quo Biſcayæ finis eſt,miliaria xx. A ſancto itaque Sebaſtiano ad Pyrenęum miliaria x x x. Sicque circuit Hiſpania per Pyrenæum ab eius principio ex Mediterraneo mari vſq; in Oceanum Britannicum, & per ipſius montis iuga vſque ad principium ipſius montis,miliaria duo milia quingenta octoginta.

Deſcriptio Hiſpaniæ per Mediterranea.

DEſcripſimvs enim vniuerſam Hiſpaniã per marina littora,nunc autem deſcribenda eſt per Mediterranea. Habet enim(vt diximus) Hiſpania figuram admodum pecudeæ pellis,habetque in longitudine ſtadia circiter ſex milia, & in latitudine quinque, faciunt ad numerum miliariorum per longitudinem ſeptingenta quinquaginta,per latitudinem circiter quingenta quindecim,vt placet Straboni. Et à promontorio Pyrenęi vbi Veneris templum eſt,in Iberico mari,quod antiqui Aphrodiſium appellabant(vt Straboni placuit libro quarto) vſque ad Oceanum Britannicum , miliaria trecenta & quinquaginta. Partitur autem Hiſpania in duas partes,citeriorem & vlteriorem. Citerior terminatur ad nouam Carthaginem,& per Caſtulonem protenditur per Iberum vſque ad Cantabros,includens regnum Nauarræ, quæ ab antiquis omnis Hiſpania citerior Celtiberia dicta eſt. Suntque in ea prouinciæ quinque: Cathalonia à Pyrenæo vſque ad vltimum Iberum, Valentiæ & Murtiæ regna per oram maritimam,inde regna Aragoniæ & Nauarræ,quæ clauduntur excelſis montibus & Ibero amne vſque in Calagoram & Tiraſonam. Vlterior Hiſpania in duas diuiſa eſt partes, diſcreta altiſſimis montibus , quæ à Pyrenæo procedentes vſque ad Oceanum Atlanticum dilabuntur,diſtinguentes Caſtellæ regnum: vna quæ ad Oceanum Britannicum ſpectat,altera quæ ad noſtrum Ibericum mare. Quæ autem ad Oceanum,frigida,ſterilis,inculta eſt,magnis refulta montibus: quę vero ad noſtrum mare ſpectat, maximeq; citra columnas,ferax, irrigua, omnibus abundans bonis,grano,vino,& oleo,fructibus,piſcibus non paucis. In ea vero quę ad noſtrum ſpectat mare, Granatæ regnum eſſe conſtat, quod Mauri Machumetenſes obtinent in Hiſpania,quod clauditur Bæti flumine(quod hodierno idiomate Guadalquebir Arabica lingua vocant)& per maritimam oram à Vera vrbe vſque ad Malacam. Extra flumen in Mediterraneo Andaluſij ſunt,ibique ſunt vrbes & regna Hiſpalis, Murtiæ, Gehen, Cordubæ,Gibelterræ,quæ omnia excepto Granatæ regno poſſidet Rex Caſtellæ. Poſt Andaluſios Toletum eſt vſque in Celtiberiam,citerioremque Hiſpaniam per oram fluminis Tagi vſque ad Dorium. In quibus terminis ſunt ampliſſimæ ciuitates,& omnis hęc regio Luſitania dicitur: fluuntque per medium eius Tagus & Dorius ampliſſima flumina(quanquam regio Luſitania ab Ana flumine(qui Godiana dicitur) nomen receperit) ibique in maritimis confinia regni Portugalliæ ſunt vſque ad vltra Dorium amnem. Vltra fines Portugalliæ eſt Zamora vrbs,oppidum Truſillum,Magiſtratus,& Militia ſancti Iacobi de Spata,Calathraua & Alcantara,Ereualum oppidum. In alia vero parte vltra montes Alaua prouincia eſt,& caput regionis oppidum Victoria,inde Burgens vrbs,Legio,Biſcaya,Aſturiæ,Galleciæ vſque in Oceanum Britannicum ac Atlanticum. Omni autem citeriori Hiſpaniæ & Celtiberis, excepto Nauarræ regno , ſolitus erat imperare Aragoniæ Rex: Vlteriori vero,Caſtellæ,Portugalliæ,& Granatæ reges. Hac autem noſtra ætate coniuncta ſunt hæc duo regna Caſtellæ & Aragonum per copulam matrimonij inter ſereniſſimos Ferdinandum Ioannis Aragonum Regis digniſſ. gnatum , qui patri ſucceſſit in Regnis,& Eliſabeth alterius Ioannis Caſtellæ Regis filiam , & quæ vltimo Henrico Regi fratri & ſine filiis mortuo ſucceſſit in Regnis Caſtellæ. Hæc eſt enim generalis Hiſpaniæ deſcriptio,quo ad temporale dominium prouinciaſque noſtri temporis. quo ad ſpiritualitatem poteſt & alio deſcribi ordine. Habet enim ipſa Hiſpania

ſpania quo ad religionem ſpiritualitatemque prouincias & metropoles ſeptem, vt ſupra diximus, quinque antiquas & duas modernas: quibus ſinguli Archiepiſcopi metropolitani aſſignati ſunt: quatuorque & quadraginta eccleſias cathedrales. Quarum metropolum Aragoniæ regnum duas obtinet, Tarraconenſem & Cæſarauguſtanam: Caſtellæ regnum tres, Toletum, Hiſpalim, & Compoſtellam: Portugalliæ duas, Bracarum & Vliſbonam. Et eſt ſciendum, quod duæ ex his ex priori inſtitutione mutatæ ſunt, quoniam Toletana & Compoſtellana recentibus temporibus à cathedralibus erectæ ſunt in metropolitanas, ſicut & moderniſſimis temporibus, Cæſarauguſtana & Vlisbonenſis. Quoniam poſt Nicenam generalem ſynodum in Bithynia celebratam tercentorum & decem octo Epiſcoporum, ſub Conſtantino Proimperatore & beatiſſimo Syluestro Pontifice, in primo Hiſpaniæ concilio quod in Illiberitana vrbe celebratum eſt, ſancta Helena Conſtantini matre præſente, quinque tantum metropolitani Epiſcopi deſignati ſunt: Tarraconenſis qui Celtiberis præeſſet, Carthaginenſis qui Carpetanis, Hiſpalenſis qui & Bæticis, Emeritenſis qui Luſitanis, Bracarenſis qui & Galleciis. Aucta vero & ampliata Toletana vrbe, Gotthorum temporibus metropolis Carpetaniæ de Carthagine in Toletum tranſlata eſt, remanente exempta è Carthaginenſi ſub nomine metropolitano. Poſtea vero ſucceſſu temporum, poſt occupatam Hiſpaniam per Mauros Machumetenſes, ab octingentis circiter annis, Emeritenſis metropolis tranſlata eſt in Ouetum, & de Oueto ſucceſſu temporis in Compoſtellam, remanente etiam exempta eccleſia Ouetenſi. Cæſarauguſtana vero & Vlisbonenſis modernis temporibus, ſcilicet à ducentis annis citra, de cathedralibus erectæ ſunt in metropoles temporibus Ioannis xxii. Papæ. Quarum Cæſarauguſtana detracta eſt à Tarraconenſi, Vlisbonenſis ab Hiſpalenſi. Habet autem Hiſpania vltra hos metropolitanos, catholicas ſedes cathedrales Epiſcoporum xliiii. Quarum Aragoniæ regnum habet xii. Nauarræ vnam, Portugalliæ ſeptem, Caſtellæ quatuor & viginti. Cathedrales Aragoniæ, Helna ſiue Helena, Gerundenſis, Barchinonenſis, Maioricenſis, Dertuſenſis, Vicenſis, Vrgellenſis, Ilerdenſis, Valentina, Segobricenſis, Tiraſonenſis, Oſcenſis. Vna Nauarræ, Pampelonenſis. Caſtellæ cathedrales, Carthaginenſis, Caurienſis, Saguntina, Viennenſis, Cordubenſis, Zamorenſis, Salamantina, Palentina, Pacenſis (quæ & Badaioz) Conchenſis, Oxomenſis, Calagurritana, Burgenſis, Legionenſis, Abulenſis, Segouienſis, Ouetenſis, Mindonienſis, Palentina, Ciuitatenſis, Tudenſis, Lucenſis, Aſtoricenſis, Gadicenſis. Regni Portugalliæ cathedrales ſunt, Colimbrienſis, Portugallenſis, Eborenſis, Syluenſis, Egitanienſis, Vicenſis, Lamacenſis. Bracarenſi ſubiiciuntur Portugallenſis, Colimbrienſis, Egitanienſis, Vicenſis. Subiiciuntur autem iure metropolico Tarraconenſis, Barchinonenſis, Gerundenſis, Vicenſis, Ilerdenſis, Vrgellenſis, Dertuſenſis, Valentina. Cæſarauguſtanæ metropoli ſubiiciuntur Oſcenſis, Tiraſonenſis, Pampilonenſis, Calagurritana, Segobricenſis. Toletanenſi ſubiiciuntur Saguntina, Oxomenſis, Burgenſis, Segobricenſis, Conchenſis, Cordubenſis. Compoſtellanæ ſubiiciuntur Abulenſis, Pacenſis, Salamanticenſis, Chaurgenſis, Zamorenſis, Ciuitatenſis, Placentinenſis, Caurienſis, Tudenſis, Lucenſis, Aſtoricenſis, Mindonienſis. Vlisbonenſi ſubiiciuntur Eborenſis, Syluenſis, Lamacenſis. Hiſpalenſi ſubiiciuntur Viennenſis, Gadicenſis. Eccleſiæ exemptæ in Hiſpania Maioricenſis, Carthaginenſis, Legionenſis, Ouetenſis. Et hæc eſt generalis deſcriptio Hiſpaniæ quo ad vtrumque dominium ſpirituale & temporale.

De terra Ruſcilionis, an ſit in Hiſpania.

QVVM multi ex antiquis ſcriptoribus terminent Hiſpaniam Pyrenæo monte, ad eum locum vbi fons Salſulæ manat (hoc habebat communis omnium vulgarium opinio: veterum vero ſcriptorum aſſertio habebat, quod terminetur ad Pyrenæum ad Veneris templum oppido Caput Illiberæ) inconueniens ſatis videtur prouinciam Ruſcilionis ſilentio præterire: quippe cui ego debitor ſum, tanquam qui ei præfuerim cathedra Epiſcopali annis octo. Igitur de illa diſſeramus. Eſt mons in Ruſcilionis prouincia altiſſimus in vertice Pyrenæi, à canicie Canus appellatus, quoniam æſtate & hyeme ſemper inibi niues inhabitent. A cuius vertice duo montium iuga emanant: quorum alterum ad Veneris templum mare pertingit, alterum vero per multa oppida peruenit ad Salſulæ fontem. Inter hos terminos prouincia Ruſcilionis eſt, habens duo flumina quæ influunt in Mediterraneum, & totidem opulentiſſimas quondam vrbes, quæ corruerunt, de quibus etiam aliquid dicendum eſt. Eſt enim ea in prouincia flumen, quod veteres Ruſcion appellauere, quod quidem prouinciæ & metropoli vrbi regionis nomen indidit ſecundum Claudium Ptolemæum, prout ab antiquis fieri ſolitum eſt;

vt maximæ à fluminibus nominentur prouinciæ. ſic Indi ab Indo flumine, Alamanni ab Alamanno amne, Iberi ab Ibero, à Bæti Bætici, ab Ana Luſitania. Hic itaque amnis vrbem habuit prouinciæ metropolim ſui nominis, quam Ruſcium dixere priores, non longe à Perpiniano oppido, cuius hactenus veſtigia patent, & ex quorum fluminis & vrbis vetuſtate prouinciæ in hodiernum emanat nomen, vt à Ruſcion Ruſcilion appelletur. Flumini autem Romani nomen mutauere. nam à fluminis vbertate Thetim appellauerunt. Eſt enim fluuius ad irrigandum aptiſſimus vbertiſſimuſque. quoſcunque enim agros irrigat, hos & quam maxime alit atque fœcundat: quod ab aliis prouinciæ præfatæ fluminibus eſt alienum. Ab iſta enim vbertate, tanquam qui materno vbere patriam fœcundaret, Thetis appellatus eſt. Thetis enim fuit Oceani vxor, mater Nympharum, quæ aquarum Deæ à poetis dictæ ſunt. Thetis enim amnis totam pene per longum regionem irrigat vbertiſſimo lacte atque fœcunditate. Erat præterea & aliud flumen Illeris dictum, ab eodem monte manans per quandam Illiberam vrbem ad radicem montis, & per Helnam vrbem influens in mediterraneum: quod à Romanis Tetrum eſt appellatum: quia per diuerſas metallorum venas, maximeque ferri ſcaturiens, nigrum colorem geſtat, & propterea ad irrigandum maxime nocet. Quod vulgus vocabulum corrumpens, etymologiæ ignarus Techum appellat. Sciendum eſt enim duas eſſe Illiberas vrbes, vnam in Bætica, quæ noſtra tempeſtate à Mauris poſſidetur, & Almaria dicitur. Altera in Ruſcilione ad radices Pyrenæi territorio Voluſto, in quo Volonum oppidum ſitum habet, cuius termini intra Hiſpaniam diſtribuuntur. In ea enim vrbe eſt celebratum primum Hiſpaniæ Chriſtianorum concilium, prout in libro conciliorum legitur. Eodem ſiquidem ſynodus congregata eſt poſt Nicenam generalem ſynodum triceſima xviii. Epiſcoporum, temporibus Conſtantini Cæſaris. in qua etiam ſynodo Illiberina interuenit, & præſens affuit Helena Conſtantini mater cum Conſtante nepote, qui denuo Helenam condidit vrbem. Quoniam fide Chriſti per orbem terrarum proclamata, & in Nicena ſynodo explanata, erroribuſque maxime Arianis purgata, Conſtantinus tribus filiis imperium partitus eſt Conſtantino priori, Conſtanti, & Conſtantio. Ceſſit autem Gallia, & Hiſpania, plurimæque Libyæ partes Conſtanti. Decretus eſt autem in ſuam prouinciam Conſtans ſub tutela ſanctæ auiæ Helenæ, quæ cupiens Hiſpaniam & Galliam, ſicut cæteras prouincias, ad Chriſti fidem ordinare, ordinauit ſynodum in Illibera vrbe. In qua Hiſpaniæ metropolitanæ atque cathedrales eccleſiæ ordinatæ ſunt, & diſtinctæ metropoles diœceſeſque pro more gentilium, ſecundum decreta per ſanctos viros Clementem & Anacletum ſucceſſores Petri Apoſtoli edita. Eiſdem temporibus Helena ciuitas (quæ à modernis Helna dicitur) condita eſt, ſiue ab ipſa Helena, ſiue à Conſtante nepote in ſanctæ auiæ Helenæ honorem. apud eam etenim Conſtans deceſſit, prout de eius obitu meminit Eutropius lib. ix. & Paulus Oroſius lib. vii. Quorum verba iſta ſunt: Obiit autem Conſtans Conſtantini filius vico vocato Helena, non longe ab Hiſpania diſtante. quia necdum duabus leucis iuxta morem regionis diſtet à Pyrenæo. Vocata eſt autem ipſa Helna ciuitas Helena ab antiquioribus vſque ad circiter annos centum, ex quibus recentiores Helenam abbreuiarunt in Helnam, vt ſatis liquide conſtare poteſt ex antiquis libris & codicibus eccleſiæ iam dictæ, cui in epiſcopali (vt retulimus) cathedra præfuimus annis octo. Ipſa enim Illibera vrbs Pyrenæo admodum coniuncta erat vltra amnem Illerim ſiue Tetrum, oppido vero Coquo libro. ſic enim vulgus propter diuerſas mutationes linguarum corrupit. Quod non longe à promontorio Pyrenæi & Veneris templo diſtat, quoniam ab ipſa vrbe Illibera caput Illiberæ dicebatur. Perpiniani etiam oppidum à recentiſſimis etiam temporibus dicitur: Stabulum enim antiquitus vocabant. Sic namque reperitur in Itinerario Antonij Pij, de quo mentionem per hæc verba, vbi iter faceret ab Italia in Hiſpaniam, facit: In Beterras Narbone, Salſulis ad Stabulum, ad Pyrenæum Iuncaria, Gerunda, &c. Quod autem Ruſcilionis prouincia ſit intra Hiſpaniæ fines, ſequentibus teſtimoniis comprobatur. Primo ex libro conciliorum, ex quo patet, quod primum catholicorum concilium in Hiſpania congregatum fuit in Illiberitana vrbe, quæ fuit intra fines Ruſcilionis in radice Pyrenæi ad Galliæ partem, prout de deletis vrbibus in ſequentibus dicemus, fuitque congregatum poſt Nicenam ſynodum temporibus Conſtantini Pij, vt ſupra dictum eſt. Conſtat inſuper ex dicto libro, quod ipſi Illiberitani conuenerunt pene omnib. Hiſpaniæ conciliis ſub metropoli Tarraconenſi. Secundo probatur ex dictis Strabonis lib. iiii. de ſitu orbis, cuius verba interſeram. Quum enim Galliam tranſalpinam deſcriberet & prouinciam Narbonenſem, adiecit: Hoc igitur littus vſque ad Pyrenææ Veneris templum extenditur. hic eſt & huius prouinciæ & Hiſpaniæ terminus. quia ve-

ro

ro hunc tractũ in quo Pompeii trophæa sunt, Hispaniæ & Galliæ confinia declarant. Ex quo patet trophæa Pompeii vltra Veneris templum posita esse ad eum Pyrenęi locũ, quo altera ex Pyrenæi radicibus à monte Cano, quod est ad Pyrenæum, prominet ad promõtorium Leocatæ, ad Salsulisque fontem deflectitur. Quod etiam sequens Strabonis miliariorum computatio declarat.

Hispania quot nominibus ab antiquioribus appellata sit.

HISPANIA Europæ terminos claudit. hanc veteres ab Ibero ante Iberiam, postea ab Hispano Hispaniam cognominauerunt. Ab initio autem Igletæ dicti sunt, vt placet Straboni libr. 3. vbi de Iberia loquens ait: Nostri sæculi homines ipsius confinia Pyrenęos montes ponunt, eandemque Iberiam & Hispaniam nominant, quæ intra Iberum continetur. Vetustiores autem eos Igletas nominant. Hęc Strabo. Hęc inter Aphricam & Galliam posita, Oceani freto & Pyrenæis montibus clauditur: ac sicut minor vtraque terra, ita vtraque fertilior. nam neque vt Africa violento sole torretur, neque vt Gallia assiduis ventis fatigatur: sed media inter vtranque, hinc temperato calore, inde fœlicibus & tempestiuis imbribus in omni frugum genere fœcunda est, adeo vt non ipsis tantum incolis, verumetiam Italiæ, vrbique Romanæ cunctarum rerum abundantia sufficiat. Huic enim non frumenti tantum magna copia est, verum & vini, mellis, oleique: nec ferri solum materia præcipua, sed & equorum pernices greges. sed nec summa tantum terræ laudanda bona, verumetiam abstrusorum fœlices diuitiæ. Iam lini ei spartique vis ingẽs, minii quoque nulla feracior terra. In hac cursus amnium sunt, non torrentes rapidique vt noceant, sed lenes & vineis campisque irrigui. Plærique etiam ditantur auro, quod in paludes vehunt. auris quoque Oceani afflata vr i tantum Pyrenæi montis dorso adhæret & Galliæ, reliquis partibus nuda in orbem mari cingitur. Forma terræ prope quadrata, nisi quod arctantibus freti littoribus in Pyrenæum coit. Porro Pyrenæi montis spacium trecenta quinquaginta milia passuum amplectitur. Salubritas cœli per omnem Hispaniam æqualis, quia aeris species nulla paludum graui nebula inficitur. Huc accedunt & marinæ aurę circum vndiq; assidui flatus, quibus omnem prouinciam penetrantibus, euentilato terrestri spiritu, præcipua hominibus sanitas redditur. Corpora hominum ad inediam laboremque, animi ad mortem parati, dura & astricta parsimonia, bellum quam ocium malunt. Si extraneus deest, domi hostem quærunt. Quorum plurimi sępe in tormentis ob silentium rerum creditarum expirauerunt, adeo illis potior taciturnitatis cura quam vita celebratur. Hinc est etiam bello Punico serui illius patiẽtia, qui vultus hominũ inter tormenta risu prosecutus est, serenaque lætitia crudelitatem torquentium vicit. Velocitas est genti pernix & inquietus animus. Plurimi ibi militares equi & arma sanguine ipsorum chariora, nullus ibi festus dies, nec apparatus epularum. Aqua calida lauari post secũdum bellũ Punicum à Romanis didicere. In Lusitanis iuxta fluuium Tagũ vento equas concipere multi autores prodidere, quæ fabula ex equarum fœcunditate & gregum multitudine nata est, qui tanti in Gallecia & Lusitania, ac tam pernices visuntur, vt non immerito vento ipso concepti videantur. Nec minora adiecerunt ad Hispanię laudes Plinius de naturali historia, & Strabo de situ orbis.

Quot nationes & populi vsque ad nostra tempora Hispaniam obtinuerunt.

NECESSARIVM quidem existimamus ad nostrorum originem indagandum, non ignorare, quot nationes gentiumque populi hanc nostræ Hispaniæ prouinciam obtinuerunt vsque ad nostrã tempora. res quidem admodum difficilis, maxime propter obliteratam maiorum antiquitatem. quo fit vt ipsius antiquitatis inuestigatio nobis admodum reddatur difficilis, & legentibus quæ scribimus fabulæ videantur. Ideo contra morem cæterorum scriptorum, testimonia illorum ex quibus difficilia detraxero, in medium afferam, ne me obliterata recensentem existiment delirare. Primi omnium fuere Cetubales, vt quidam dixerunt, à Tubale Iaphet filio: quorum ad nos pauca & admodum nulla saltem authentica peruenerunt. Secundi omnium fuere Igletæ, vt voluit Strabo libro tertio de situ orbis. Tertii Sicani. Quarti Iberi. Græci quinti. Pœni sexti. Romani septimi. Gotthi octaui. Mauri noni. Et quoniam nobis intentio est istorum successus discutere vsque ad Gotthos, quia Isidorus, Orosius, & Rodericus Toletanus sunt Gotthorum gesta plenissime prosecuti, non vltra progrediar.

Quidam vero quos scriptores fabulosos existimo, scripsere, quod post Hispanum (à cuius nomine Hispania dicta est) qui Herculi successerat, gentem quam Almoniphides appellant, venisse in Hispaniam, ac illam possedisse annis 40. quam gentem aiunt ex Chaldæis ortam. Vnde quia neque verisimilia sunt, neque à probatis scribuntur, illa prætereo. Primum Hispaniam priores appellauere Hesperiam, omissis Cetubalis & Igletis, de quibus supra diximus. Sunt autem (vt antiqui tradunt) Hesperiæ duæ, Italia, & Hispania, quarum quælibet Hesperia dicta est. Est autem Hesperia Italia ab Hespero Rege fratre Atlantis Regis Æthiopiæ, qui regnauit in Italia. Vbi autem additur vltima Hesperia, de Hispania intelligendum est: vbi vero magna, Italiam significat. vnde Vergilius in principio septimi libri Æneidos,

Hesperia in magna (si qua est ea gloria) signat.

Sed Hispania dicitur vera Hesperia. Dicta est autē Hispania Hesperia ab Hespero stella, quę post solis occasum primũ in Hispania apparet, & ortum habere videtur. Vel secundũ aliquos dicitur vtraq; Hesperia, Italia & Hispania, quia ab Oriente in Occidentē Hespero stella nauigatur. Sic enim loquebatur magister in historia tripartita, quum Valentinianus Imperator ad oras Hesperias nauigaret, vtramque Hesperiam per ipsius nauigationē intelligens. Secundo Hispania ab Iberis Iberia dicta est ante Herculis aduentum, secundũ Claudium Ptolemæum, & Plinium de naturali historia libr. tertio, & Iustinum post Trogum Pompeium vltimo libro sui Epitomatis, & alios plures scriptores. Tertio vero Hispania nominata est ab Hispano Rege successore Herculis, qui in ea diutius summa pietate regnauit secundum Iustinum loco superiori, siue ab Hispali vrbe, vt placet Appiano historico satis claro.

De primis Hispaniæ incolis.

PRIORES Hispaniæ incolę Cetubales appellati sunt, vt plurimis antiquis scriptoribus placuit. Sunt autē dicti Cetubales à Tubale filio Iaphet, quorũ filii primi dicti sunt Hispaniam incoluisse. Quanquam Iosephus libr. 1. antiquitatum incolatum filiorum Iaphet sic dixerit. Item filiorum Iaphet Medeus & Ianus fuerunt. Et ex Medeo sunt gentes quæ à Gręcis Medi vocantur. De Iano vero omnes Ionii, qui & Gręci, vnde & mare Ionicum appellatur. Condidit autem Iobel Iobelos, qui nostris temporibus Iberes nuncupantur, qui & Hispani, à quibus postea Celtiberi appellati sunt. Hæc Iosephus. Post hos, quorum vetustas nobis obliuionem relinquit, primi fuere Igletæ, vt voluit Strabo de situ orbis libro 3. Deinde Sicanos eam incoluisse authentica multa referunt, quoniam ab illis Italia omnis, vrbsq; Roma, & originem & incrementum habuisse cōstat. Iam ad eos veniamus. Sicana gens Hispaniæ antiquissima fuit, quæ Iberum amnem ab initio incolebat, vt refert Diodor. Sicul. qui lingua Græca suam priscæ antiquitatis fabricauit historiam, de insula Sicilia agens. Idem etiam descripsere multi ex Italiæ scriptoribus, inter quos fuit Solinus de mirabilib. mundi. Idem hoc etiam meminit Aulus Gell. lib. 1. noctium Atticarũ. Idem etiam Leonardus Aret. nostrę ætatis historiographorum princeps in descriptione Sicilię, in lib. quem edidit de primo bello Pun. Hoc idem etiam censuit Zozomenus presbyter Pistoriensis, dicentes quod insula Siciliæ primum Sicania dicta est à Sicanis, qui eam primum incoluerunt. Dicti sunt autem Sicani, quia prodierũt ex Sicore amne Hispaniæ. Est autem Sicoris flu. per Ilerdam decurrens, & miscetur Ibero flu. non longe ab ipsa Ilerda: de quo Cæsar meminit in Com. cum apud Ilerdam pugnaret. Habitabat autem gens Sicana oram ipsius flu. Sicoris, ab ipso nomen recipiens: & inde magna Hispanorum manu congregata nauigauit in insulam Siciliæ quam ex suo nomine Sicaniam appellauit, & hoc ante Troiana bella, vt dicit Solinus: instruxeruntque in ea vetustissimam vrbem Syracusas, ab ipsaq; vrbe Syracusis prodiisse Italum illum, nemo dubitat. qui quum diu Syracusis regnasset, transfretans in Italiam, primus in ea regnauit, nomenq; genti ac regioni dedit, vt refert Vergilius in septimo Æneidos:

---Italusque paterque Sabinus,
Vitisator curuam seruans sub imagine falcem.

De Iberis & Celtis, vnde Celtiberi.

HISPANIA primum (vt supra diximus) ante aduentum Herculis Iberia dicebatur, vt scribit Trogus Pompeius vltimo libro, & Claudius Ptolemæus de Hispania agēs, & Pli-

Plinius de Naturali hist. Strabo deniq; & alii multi: & deinde ab Hispano qui Herculi successit, Hispania est dicta. Est autē Iberia dicta ab Ibero amne Hispaniæ. Huic autē fluuio nomē dedit gens, quæ orā fluminis ante incoluerat. Processerat enim hæc gens à prouincia Iberia, quę in Asia situm habet, media inter Armeniā & Colchos, secundū Claudium Ptolemæum. De qua etiam & eius situ meminit Paulus Orosius lib.6. per hæc verba: Iberia regio est Asiæ prope Pontum, Armeniæ iuncta. Hanc itaque gentem vetustissimo tēpore refert Priscianus libr.6. ab eius prouincia prodiisse, & peruenisse in Scythiam, & inde in Oceani oram, & ab ipsa ora nauigasse in insulam, quam ex suo nomine atque aduentu Hiberniam appellarunt: quæ insula est in Oceano Britannico. Altera nauigatione peruenisse tradunt in Hispaniā, quæ oram amnis incolens, flumini & regioni tradidit nomē, vt Iberus amnis, & Iberia prouincia appellata sit. Iberis vero post multa secula admixti sūt Celtæ, qui vnde prodierunt, videamus. Celtæ Galli sunt. Scribit enim Diodorus Siculus lib.4. Celtas appellari Gallos qui habitant à Pyrenęis montibus vsque ad Alpes ad Mediterraneum. quumq; diutius cum Iberis contendissent, & decertassent pro agris cōterminis, ad vltimū pace composita simul inhabitauere, & mutuis inter se initis coniugiis Celtiberi dicti. Hoc idem contestatur Titus Liuius libr.5. dicens tertiam Galliæ partem Celtas appellari, qui venientes ad Iberum fluuium Hispanorum, ibique considentes, retenta primi nominis parte, & assumpto fluminis nomine iuxta quod consederant, Celtiberi dicti sunt. Quod Lucanus meminit lib.4. dicens:

---Profugique à gente vetusta
Gallorum Celtæ miscentes nomen Iberis.

Adiecit etiam Diodorus superiori loco: Gallos, qui ad Oceanum sunt à Pyrenæis montibus vsq; ad Danubium amnem, Gallatas appellari. Inde Claudius Ptolemæus Ægyptius, Galliam omnem in quatuor Celtogallatias diuidit: Belgicam, Lugdunensem, Aquitanicam, & Narbonensem. Ex quibus euidenter colligitur, Celtas qui admixti sunt Iberis, Celtiberos appellari. Admixti vero Gallatis, Celtogallatas vocari. Ex his vero Celtis fuere, qui terra peruagati sine nauigatione in vlteriorem peruenerunt Hispaniam, ibiq; considentes Celticam regionem apud amnem Tagum effecerunt: idemq; Ptolemæus, Strabo, & Plinius ibi recolunt Celtarum regionem. Galli vero Gallatæ aliam Gallaciam prouinciam in Græcia effecerunt hoc modo. Quoniam aduocati Gallatæ à Rege Bithyniæ in eius auxilium, quum tulissent, dimidium cum eo regnum partiti sunt, & primum Gallogræci, inde Gallatæ cognominati sunt. Ab his enim etiam prouincia Gallacia Hispanica processit, prout late dicitur infra in Græcorum progressibus. Dicti sunt autem Galli à galacte, id est candore. gala enim candidum significat, quia humido educati cœlo corpora alba habeant. De quibus Iustinus libro 15. Herodotus autem Græcorum historicorum maximus de Celtis libro 2. ita meminit: Celtes autem sunt extra cippos Herculis, Cynesiis finitimi, omnium in Europa habitantium vltimi.

De vrbibus Hispaniæ ante Herculis aduentum.

REFERT Iustinus post Trogum Pompeium (quoniam superiori loco commemorauimus) Abium qui secundo loco regnauit Hispanis ad oram Oceani, populos in septem vrbes reduxisse: illas tamen non nominat. quas non stare credo ad præsens præter duas, cæteræ autē aut mutauerunt nomina, vel terræmotu, vel succedentibus cladib. bellorum deletę sunt. Verius tamen putandum est eas corruisse, quum omnium vrbium Hispaniæ autoribus circumspectis, præter has duas, nulla ipsius ab his temporibus scribenda comperiatur. Prima siquidem è duabus Scalabius est, quæ hodie Vlysbona nuncupatur: vrbs siquidem admodum vetustissima, per cuius fimbriam Tagus amnis decurrit in Oceanum. Hæc vrbs omnium vetustissima, autorem Abium secundum Regem habuit. Et dicta est Scalabius, quam postmodum moderni breuitatem sequentes dixerunt Scalabum, perstititque sub eo nomine vsq; ad tempora Romanorum secundum Claudium Ptolemæum: & dicta est Scalabius, quoniam in eo loco Abius primum ceperit cibum, ac sequens ceruorum greges inibi nutritus sit. Cuius denuo loca aeris salubritate ei conferēte prospecta vrbem statuit ex suo nomine appellandam, quanquam reperiam Pomponium Melam libro 3. appellasse hanc vrbem Elisopum. Aliam enim & tertiam vrbem cōperio, quæ ad Iberos incolas pertinuit, Iberiam nomine, demolitam tempore Romanorum. Illius enim situs fuerat ad ostia fluminis Iberi Occidentem versus apud quam Gneus Scipio, patruus illius qui primo cognominatus est Africanus, Haldrubalem Pœ-

norum Ducem, fratremque Hannibalis vicit nauali certamine. Hę quidem ad primarios incolas pertinuere, duæ ad tempora Abii ſecundi Regis, tertia ad tempora Iberorũ. Sunt & aliæ vrbes quæ non adeo vetuſtam habuere originem, fuere tamen ante tempora Herculis. Et quoniam Iſidorus atque Toletanus nullam in Hiſpaniam vrbem nominant, niſi ab Herculis aduentu, perneceſſarium nobis viſum eſt, antiquitatem recenſentes, illas illarumque autores in medium producere. Inter has igitur quæ ad recentiora tempora ante Herculis aduentum pertinent, primum vrbem noſtram Gerundam connumerabo. Hanc etenim vrbem condidit Geryon Chryſauri filius Hiſpaniæ Rex, quem idem Hercules interfecit, & dicitur Gerunda à Geryone, & Vnda flumine, quod per vrbis medium fluit. Certum eſt enim quod vrbes ſiue ab autoribus ſiue à fluminibus inundantibus nomina receperunt. Vnde à Belo Babylonia, à Nino Niniue, à Romulo Roma, à Conſtãtino Conſtantinopolis, & plurimæ orbis vrbes. Et ſi quæ ſunt quæ ab autoribus, ſiue fluminibus, nomen ad præſens non retinuerint, huius rei cauſa ſunt Græci, vt meminit Ioſephus libro 1. antiquitatum. qui præſumpſerunt nominibus ornare Rempublicam tanquam à ſe conſtitutam. Huic teſtimonio accedit nomẽ maioris amnis, qui ad oram ipſius vrbis decurrens, ab ipſa vrbe & illius conditore nomen recepit. Ipſe enim Geryon triceps vir, ſiue tria geſtans capita deſcribitur à poetis ſecundum Iuſtinum lib. vltimo. Vnde Vergilius octauo Æneid. agens de Hercule & morte Geryonis, ait:

Tergemini nece Geryonis, ſpoliiſq. ſuperbus
Alcides aderat.

Cui fabulæ Trogus Pomp. Hiſpanus reddit rationem: quod eſſent tres fratres, adeo vnius animi & effigiei, quod non facile diſcernerentur. Cui ſententiæ tribuit argumentũ ipſius vrbis fabrica triangularis, quæ ſingulis angulis arcem habet, ſingulis fratribus (vt à plurib. creditur) pertinentem. Huic accedit & Oſca ciuitas, cuius initium à Caco Hiſpano eſt, quem Hercules ab Hiſpania rediens apud Tiberim Italiæ amnẽm interemit: de quo Vergilius meminit in octauo lib. Æneidos:

Hic ſpelunca fuit vaſto ſubmota receſſu
Semihominis Caci, facies quem dira tegebat.

& denuo ſubdit ſequentibus verſibus:

Huic monſtro Vulcanus erat pater: illius atros
Ore vomens ignes, magna ſe mole ferebat.

Hunc itaque Cacum finxere poetæ ſemiuirum, & appellarunt eum Vulcani filium, pro eo quod ignes fumiferos ore euomeret. Hic enim Cacus iuxta hiſtoriam princeps in Hiſpania fuerat, Carpetanis regnans. Fuere autem Carpetani Cæſarauguſta, Oſca, Calagurris, & Tiraſſona, vel verius à noua Carthagine vſque in Toletum, & Tiraſſonam, & Oſcam, hæc eſt vera Carpetania. Hic Cacus in montibus regnans, nomen monti indidit, quem hodie montem Caium vulgus appellat, effectumque eſt, vt horribili facie, ac dira conuerſatione, & aſpero cultu ſemiuir appellaretur. Hic autem primus omnium dicitur inueniſſe ignem ex diuerſo compoſitum puluere, quo lapides iactabat in altum modo, licet inculto, quo nos bombardis vtimur in hodiernum. Hic itaque Cacus Oſcam condidit vrbem, quam eius incolę Oſcati ſemiferi appellauere. Hic vero Cacus fugatus ab Hercule extincto Geryone, in vindictam aſpirans more patrio, qui ad vindictas ab omni æuo promptiſſimi fuerunt, intellecto receſſu Herculis ab Hiſpania illum vſque Italiam ſecutus, quum apud Tiberina oſtia quatuor ipſius Herculis boues rapuiſſet, cõprehenſus ab Hercule in ſpelunca, in qua latitabat, peremptus eſt maximo igne euomito: propter quem finxere poetæ Vulcani filium. Has itaque vrbes ad tempora ante aduentum Herculis compertas habeo veraci hiſtoria. Et ſi quæ aliæ ſunt, quia de illis probata non monſtrantur teſtimonia, omittuntur.

De Regibus qui ante Herculem in Hiſpania regnauerunt.

RODERICVS Toletanus antiquitatem Hiſpaniæ ſubticens, vel ignorans, neminem ante Geryonem Herculiſque tempora regnaſſe referens, ipſa Herculis & Geryonis geſta ſicco pede pertranſit, tanquam qui per ignotam prouinciam fugitiuus cupit ad notam ſibi regionem pertingere, quadam nimia celeritate & minus vera relatione diſcurrens, ipſius operis & geſtorum temporibus eſt orſus. Nos vero omnem antiquitatem amplectẽtes, vetuſtiora Hiſpaniæ geſta, quatenus ex approbatis ſcriptoribus cõprobare potuimus, futuræ poſteritati decreuimus annotare. Primum Hiſpaniæ Regẽ refert Iuſtinus vltimo libro ſui epitomatis per multa ante Herculis ſecula fuiſſe Gorgonium, qui etiam primum

primum vſum mellis dicitur inueniſſe. Huic cum ex filiæ ſtupro nepos & filius proueniſſet, pudore flagitii variis generibus extingui paruulum voluit; ſed per omnes caſus fortuna quadam ſeruatus, ad poſtremum ad regnum tot periculorum miſeratione peruenit. Primo enim quum eum exponi iuſſiſſet, & poſt dies ad corpus expoſiti requirendum miſiſſet, inuentus eſt vario ferarum lacte nutritus. Deinde relatum domum, in tramite anguſto, per quem armenta commeare conſueuerant, proiici iubet, crudelis prorſus, qui proculcari nepotem quam ſimplici morte interfici maluit. Ibi quoque quum inuiolatus eſſet, nec alimentis egeret, canibus primo ieiunis & multorum dierum abſtinentia cruciatis, mox etiam ſuibus obiecit. Itaque cum ei non ſolum non noceret, verumetiam quarundam ferarum vberibus aleretur, ad vltimum in Oceanum abiici iuſſit. Tum plane manifeſto quodam numine inter furentes æſtus & reciprocantes vndas, veluti naue, non fluctu vehitur, leuique ſalo in littore exponitur: nec multo poſt cerua adfuit, quæ vbera paruulo offerret. Inde deniq; conuerſatione nutricis eximia puero pernicitas fuit: inter ceruorum greges diu montes ſaltuſque haud inferior velocitate peragrauit. Ad poſtremum laqueo captus, Regi donatus eſt. Tunc & lineamentorum ſimilitudine, & notis corporis quæ paruulo fuerant, nepos agnitus: admiratione deinde tot caſuum periculorumque, ab eodem ſucceſſor regni deſtinatur. nomen illi impoſitum Abius. qui vt regnũ accepit, tantæ magnitudinis fuit, vt non fruſtra Deorum maieſtate tot periculis ereptus videretur: quippe & barbarum populum legibus iunxit, & boues primum aratro domari, frumentaque ſulco quærere docuit, & ex agreſti cibo mitioribus veſci, odio eorũ quæ ipſe paſſus fuerat, homines coegit. Huius caſus fabuloſi viderentur, ni & Romæ conditores lupa nutriti, & Cyrus Rex Perſarum cane alitus proderetur. Ab hoc enim, & miniſteria populo indicta ſunt, & plebs in ſeptẽ vrbes diuiſa memoratur. Et inſuper alium ante Griſaurum, & Geryonem nomine Argantonium, de quo meminit Herodotus Anacreõtem poetam dixiſſe: Equidem Amaltheę cornu nolui, neque annorum centum quinquaginta Imperium tenuiſſe Tarſi. De quo etiam & meminit Strabo de ſitu orbis libr. 3. Mortuo inſuper Abide, regnum per multa tempora à ſucceſſoribus eius retentum eſt. In alia parte Hiſpaniæ, & quæ inſulis conſtat, regnum penes Griſaurum Geryonis patrem, deinde apud eiuſdem Griſauri filium Geryonem fuit. In hac tanta pabuli lætitia eſt, vt niſi abſtinentia interpellata ſagina fuerit, pecora rumpantur. Inde denique armenta Geryonis quæ illis temporibus ſolæ opes habebãtur, tantæ famæ fuerunt, vt Herculem ex Aſia prædæ magnitudine illexerint. Porro Geryonem ipſum non triplicis naturæ, vt fabulis proditur, fuiſſe ferunt, ſed tres fratres tantæ concordiæ extitiſſe, vt anima vna regi viderentur, nec Herculi ſua ſponte bellum intuliſſe, ſed quum armenta ſua rapi vidiſſent, amiſſa bello repetiiſſe. Hæc Iuſtinus. Poſt hos igitur decimus Geryon fuit, quem Hercules Gręcus vir fortis deuicit & peremit. Erat enim & ipſe Geryon ditiſſimus Rex pecudibus & armentis, in quibus pro eo tempore hominum diuitiæ conſiſtebant, quum & pecuniarum vſus nondum hominum mentes cæcaſſet, nec vſui habebantur. Huius itaque Geryonis diuitiis allectus Hercules, vt eum prædari valeret, ſuiſque armentis ſpoliare, poſt prioris Troiæ excidium, cæteraque fœda quæ ibi geſſerat, in Hiſpaniam venit. Hunc enim Geryonem poetæ tricipitem hominem, id eſt tria tenentem capita deſcripſerunt. Inter quos Ouidius lib. 9. Metamorph. & Vergilius in 7. Æneid. Cauſas inſuper quare hunc ſic poetæ deſcripſerunt, declarat Iuſtinus poſt Trogum Pompeium vltimo libro antiquitatum. Regnauit autem hic Geryon & fratres eius ad alteram partem Hiſpaniæ, quæ ad Mediterraneum pertinet & Iberi oras, ſecundum Iuſtinum. Quare autem alii Reges qui fuerunt inter Abidem & Geryonem non nominentur, ex hoc creditur, quia nihil memorabile fecerunt.

Quæ de Celtiberis & Celtis ſcripſerunt antiqui hiſtorici atque poetæ.

DIODORVS libro quinto de vniuerſis orbis regionibus, quum de Celtis ac Galatis ad Celtiberos perueniſſet, hæc quæ ſequuntur, inſeruit, quæ ad noſtram primum antiquitatem pertinent. Iberi quondam, Celtæque pro agris bello certantes, pace demum conſtituta, communicata inuicem patria, quum mutua connubia proueniſſent, dicuntur hac rerum communione id nomen ſortiti. Duæ igitur robuſtæ nationes in patria fertili coniunctæ effecere, vt magnum eſſet Celtiberorum nomen. A Romanis poſtmodum multo poſt tempore bello cum eis geſto vix tandem ſubacti ſunt. Non enim ſolum equites, ſed & pedites aptos bello, robore, malorumque tolerantia cæteris excellentiores habẽt. Breui vtuntur veſte, ac nigram lanam habente ſimilem caprarum pilis. Armantur Celtiberorum quidam ſcutis leuibus, alii rotundis vmbonibus magnitudine clypei. Cruribus ocreas ex pilis factas aduoluunt, galeas ferunt æreas criſtatas, &

palmis gladios ex chalybe puro ad palmi mensuram, quibus in conserta vtuntur pugna, ferrum insuper suo more ad conficienda arma præparant. Nam ferreas laminas in terram abscondentes, ibi tamdiu esse sinunt, quoad debiliori parte ferrugine assumpta validior supersit. Ex ea tum enses fortissimos, tum cætera ad belli vsum arma necessaria componunt. hoc pacto fabricata adeo cædunt omnia, vt neque scutum, neq; galea, neque aliud quid eis obsistat. Duobus gladiis fulti, cum equestri certamine superiores euaserint, ex equis desiliunt, pedestremque adiuuant pugnam. Mirabilis apud eos viget consuetudo. nam cum in victus munditia elegantes existant, in vna re videntur immundi, spurcitieq; pleni. Vniuersum enim corpus lauant vrina, dentesque fricant, hanc optimam corporis curam existimantes. Erga nefarios homines atque hostes, crudeles sunt: cum aduenis humani atque hospitales. aduenientes enim externos benigne inuicem pro illorum honore certant recipere. quos aduenæ sequuntur, hos laudant, amicos deorum putant. Nutriuntur affluenter variis carnibus, potum ex melle conficiunt, eius copiam præbente affatim patria. vinum emptum bibunt, mercatorum opera aduectum. Ex propinquis gentibus gratior est eis Vaccæorum natio. ii enim singulis annis sortitos inter se agros colunt, fructusque cum cæteris communicant, cuique sua portione præbita. Quod si quid agricolæ abstulerint, è vestigio morte multantur. Celtiberorum fortissimi habentur qui appellantur Lusitani, peltas in bello paruas ex neruis confectas, quibus tegatur corpus, habent. ii in bello ea agilitate vtuntur, vt ictus & sagittas euitent. iaculis ferreis vtuntur. galeam ensemque more Celtiberorum ferunt. iaculum longe iaciunt & summa arte. in acie diutius perseuerant mobili corpore leuique, vt facile fugiant hostem & insequantur. In profundis periculis superantur à Celtiberis. In pace choreas leui saltu exercent mirabili crurum ac totius corporis agilitate. bella ad numerum aggrediūtur, aliquid ex poematibus quum hosti obuiant cantando. Iberi Lusitanique ætate integra, præsertim inopia oppressi, qui robore præstant atque audacia, in montibus asperis manu facta diuersis per Iberiam locis latronum more, leui armatura, agilique corpore veloces discurrunt, populatisque agris ad montem, veluti tutam patriam, cum locorum asperitate nullus eo exercitus adire possit, confugiunt. Aduersus hos profecti sæpius cum exercitu Romani, eorum audaciam represserunt, latrocinia nequaquam tollere potuerunt. Sequitur, vt de argento quod plurimum apud Iberos, optimumque effoditur, quodque multum vtilitatis incolis afferat, scribamus.

De Pyrenæis montibus, ac metallis eorum.

MEMORIÆ proditum est ab antiquis scriptoribus, Iberiæ montes qui Pyrenæi vocantur, & latitudine, & longitudine longe alios excellere. Nam à mari quod est ad meridiem, iacent vsque ad Oceanum ferme ad Arctos situm, Galleciamq; ab Iberia diuidunt. per Celtiberiam quoque protenduntur stadiis tribus milibus. in quibus cum sint frequentes syluæ, ferunt priscis temporibus igne à pastoribus iniecto montanas omnes regiones fuisse combustas. qua ex re montes aiunt cognominatos Pyrenæos, ardente cōtinuis diebus igne. pluresque ex montium incendiis argenti puri riuuli effluxerunt. quod incolis ignotum, Phœnices mercatores vili rerum permutatione emptum in Græciam, Asiamque, ac nationes cæteras deferentes, magnas ex eo commercio opes contraxerunt. Adeo autem mercatores quæstus excitauit cupiditas, vt quum onustis nauibus superaret argentum, amoto ab ancoris plumbo argentum subderent eius loco. Hoc lucro Phœnices admodum opulenti facti plures colonos, tum in Siciliam, propinquasque insulas, tum in Libyam, Sardiniamque, ac Iberiam destinauerunt. Multis postmodum seculis cognito argento, Iberi metallis quærendis operam dedere: magnaque argenti copia reperta ingens ex eo vectigal prodiit, quum æs, aurum, argentumque sint metalla præcipua. Qui reperiendo æri dant operam, quartam eius quod effodiunt, portionem capiunt. Qui in argento effodiendo occupantur, singulis tribus diebus Euboicum eximunt talentum. Terra enim omnis argento, cæterisque metallis adeo referta est, vt mirabilis sit & eius soli natura, & operariorum continuus labor. Nam qui primum his metallis reperiendis incumbebant, magna comparabant. In promptu est enim argentum, terra abunde illud præstante. Postea quum Romani Iberiam subegissent, Italici qui lucri cupiditate id sibi opus assumpsere, maxime ex eo ditati sunt. Emptam enim seruorum copiam ad effodienda metalla deputant, qui variis locis metallorum venas scrutati, & alte lateque terra effossa, plurimum auri argentique eruunt, variis multorumque stadiorum cuniculis sub terram actis. Multoque fœlicior & quæstuosior est hæc cura, quam metallorum, quæ apud

apud Atticos reperiuntur. Ibi enim multas impenſas effodiendo ſubeunt, ſæpius opinione fruſtrati, quum aut non inueniunt quod quærunt, aut inuentum ita parui ſit, vt ſuperetur à ſumptu. Apud Hiſpaniam qui metallis incumbunt reperiendis, ampliori ſpe percipiunt. Bonitate quippe ſoli glebas ſemper auro argentoque fertiles inueniunt, vtpote terra metallis penitus plena. Reperiuntur ab eis nonnunquam in viſceribus terræ flumina decurrentia, quorum fluxum ſpe quæſtus vi magna recidunt, aut quod mirabilius videtur, cochleis quas dicunt Ægyptiacas, ab Archimede quum in Ægyptum profectus eſt, adinuentas. Eiſdem inſtrumentis loca diuertunt, vbi metalla effodiuntur, eiecta ſuperius aqua ſumma arte diligentiaque excitant. Mirabitur profecto quis Archimedis ingenium non ſolum in his, ſed in cæteris quoque maioribus, quas multis in orbis partibus egregias fabricauit. De quibus ſcribetur diligentius, quum ad eius tempora veniemus. Serui qui ad hæc metalla deputati ſunt, incredibilem quæſtum afferunt dominis. Verum enim die noctuque in labore perſeuerant, quorum multi ex nimio labore moriuntur, quum vix vlla eis ab opere detur requies, aut laboris intermiſſio, ſed verberibus ad continuum opus coacti raro diutius viuant. Quidam tamen robuſtiori corpore ac animi vigore, plurimum temporis in ea verſantur calamitate, quibus tamen ob miſerię magnitudinem mors vita eſt optabilior. Quum plurima in hoc metallorum munere ſint admiratione digna, nequaquam tamen quis admiretur, cur nullus recens horum reperiendorum extiterit autor. Verum argenti ſtudio à Carthaginenſibus, quo tempore Iberiam tenuere, ea metalla adinuenta ſunt. Hæc fuit cauſa, vt eorum poſtmodum excreſcerent vires. Precio enim optimis militum conductis plura geſſerunt aduerſus hoſtes bella, neq; domeſtico, neque ſociorum milite vſi. Romanos, Siculoſque, ac Libycos ad maxima deduxerunt pericula, quum omnes diuitiis ab auri argentique copia ſuperarent. Perſpicaces ſane (vt videntur) priſcis temporibus extitere Phœnices. Itali nullis aliis ceſſere. Oritur & ſtannum in pluribus Iberiæ locis, non caſu repertum (vt quidam ſcriptores vulgarunt) ſed effoſſum conflatumque, quemadmodum aurum argentumque traditur. Nam ſupra Luſitaniam plurimum ſtannum effoditur, in inſulis Oceani Iberiæ proximis, quæ à ſtanno Caſſiterides denominantur. Plurimum tamen à Britannia inſula ad oppoſitam Galliam affertur: niſi per loca mediterranea Celtici mercatores equis per Maſſiliatas ac Narbonam vrbem Romanorum coloniam, optimum earum partium tum opportunitate, tum commoditate adeuntium emporium producant. Sed de Gallis ac Celtiberis hactenus.

De prouinciis Hiſpaniæ quæ nomina mutauerunt.

DIXIMVS Hiſpaniam omnem in tres diſtinctam prouincias, Tarraconenſem, Bæticam, & Luſitaniam ſecundum Claudium Ptolemæum, Strabonem, Plinium, Pomponium Melam, cæteroſque antiquiores Geographos. Quarum Bætica continet flumen Bætis dictum Guadalquebir à noua Carthagine, à cuius montibus defluit in Oceanum Atlanticum, cuius regionis & prouinciæ caput eſt Hiſpalis, quæ & metropolis Bæticæ, à palude quæ vrbi circunfertur, ſic dicta, ſiue (vt aliqui voluerunt) quia vrbs eo in loco conſtructa ſit infixis palis, in quibus vrbs fundata eſt propter aquarum redundantiam. Luſitania vero dicitur ab Ana flumine, quod hodie Guadiana appellatur, quod ab eius exortu per totam decurrens prouinciam continet quicquid interiacet inter duo flumina Bætim & Tagum, decurrente per medium amne, à quo prouincia denominationem habet, propterea quia apud illum Liber pater, & Lyſas luſerint, & Phana eius præfectus, vt Plinio placet libro tertio Naturalis hiſtoriæ, quanquam idem Plinius eodem loco dixerit, quod flumen Anas interſecet, & diuidat prouinciam Luſitaniam. in quo non recte dixit, quum ipſa Luſitania prouincia contineat quicquid interiacet inter ipſa duo flumina Bætim & Tagum, decurrente per medium prouinciæ ipſo flumine Ana, vſque in citeriorem Hiſpaniam Celtiberiamque. Cætera ad Tarraconenſem ſpectant, ſcilicet omnis citerior Hiſpania à Pyrenæis montibus vſque ad nouam Carthaginem, & Cantabriam, & inde quicquid continetur trans flumen Tagi ab illius exortu, Oceanumq; Atlanticum, & Britannicum. In his quoque tribus prouinciis, populis, ac regionibus plurimi ſunt qui ſua nomina mutauerunt taliter, quod difficillimam reddant lectionem rerum antiquarum, quum propter obliterationem antiquorum nominum ignorationem faciant legentibus, tum circa prouincias, tum etiam circa montes, & flumina, vrbeſque deletas: quæ quum non extent, neq; quibus in locis fuerint, neque res apud eas geſtæ facile deprehendi poſſunt. Igitur primum de populis, prouinciis & regionibus: ſecundo de vrbibus: tertio de fluminibus: quarto de montibus: quinto

& vltimo de deletis vrbibus agendum est. Habet igitur Hispania tres & quadraginta populos, regiones, & prouincias quæ sequuntur, incipientes a Gadibus & freto Herculeo, & inde vsque ad nouam Carthaginem, quantũ continet vlterior Hispania, & inde à Gaditano vsque in Pyrenæum promontorium, ad Oceanum Britannicum ad oram maritimam, & inde mediterranea, ac postremo citeriorem Hispaniam. Oram itaque maritimã Bætis fluminis inhabitant & Turduli, inde Bastuli, & Itani. Contestani, Oretani ad alteram oram, Celtici, Bracarii, Artabri, Callaici, Lucencii, Celerini, Memerani, Lacerini, Cygures, Hedii, Seburi, Asturici, Amaces, Ceperani, Pelendones, Berones, Celini, Pisicori, Tugones, Austri, Autrigones, Caristi, Cantabri, Varduli, Vascones, Hedetani, Lacertani, Ilergetes, Ilarqueones, Pœni, Lætani, Cositani, Ceretani, Authetani, Castellani, Indigetes. His itaque tota continebatur Hispania. Atq; quicũq; perlegerit antiquorum historias atq; annales potius populos, quã vrbes, expressos comprobabit. Incipiẽtes igitur à Gaditano & Herculeo freto, ipsaq; ora maritima quæ ad Gades pertinet, & ostia fluminis Bætis (quæ Guadalquebir modernitas nominat) Turditania appellatur, & protenditur vsq; ad Calpen montem, quem vulgus Gibeltarem appellat. Illi autem qui ab ostio Bætis incolunt vsq; ad Anam fluuium, Turduli appellantur, quãquã Ptolemæus libr. secundo dixerit Turdulos tenere mediterranea à Baria, vsq; in nouam Carthaginẽ, quasi Turditanos & Turdulos eosdẽ dixerit. De quibus Strabo libro tertio de situ orbis sic ait: Turditania, incolæ vero ipsi Turdetani & Turduli appellãtur. Sunt qui eosdẽ arbitrẽtur idem esse, sunt tamen diuersi, ex quibus est Polybius, qui Turditanis Turdulos finitimos esse dixit ad Septentrionem. A quibus dicimus fines Turdetanorum & Turdulorũ esse Bætim. Turditani sunt ad austrum ac montem Calpen, & protenduntur per mediũ duorum fluuiorũ Bætim & Anam vsq; in Castulonem quoque vrbem. Turduli vero sunt habitantes oram maritimam Oceani Atlantici, vsq; in Anam flumen & Sacrum promõtorium, quod caput sancti Vincẽtii appellamus. Post Turdetanos sequũtur Bastuli, à monte Calpe, siue Gibeltarem, vsq; ad nouam Carthaginẽ, quos simul & Itanos Ptolemæus appellat. Sed veritas est, quod Bastuli, licet largo modo protẽdantur vsq; in nouam Carthaginem, Carthageniam appellatam, tamen strictius non protẽditur Bastulia, nisi à monte Calpe vsq; in Bariam: & à Baria vsq; in nouam Carthaginẽ Itani appellãtur. Ii vero qui incolunt mediterranea vsq; ad Obulustulum, quæ Baccia appellatur, sunt Turditani vsque ad Hispalim & oram maritimam. Ii vero qui incolunt mediterranea vsque ad Vbedam & Murtiam, appellantur Besetani: incolæ vero à noua Carthagine vsque in Succonem amnem & Valentiæ regnum, Oretani sunt: cuius regionis caput est Orantia vrbs, quæ & Oriola appellatur. Redeuntes vero ad oram maritimam Oceani, post Turdulos & Sacrum promontorium sequuntur Celtici, qui à Gallis in eam regionem translati sunt, & protenduntur à Guadiana flumine, Ana antiquitus dicto, vsque vltra Tagum & flumen Mundam, & protenduntur vsque in vrbem Salamanticam. De istis autem Celtis refert Strabo, ob quandam seditionem per eos commissam cum Turdulis in eam regionem venisse, apud eos dicit esse flumen Lethes, quod ideo flumen obliuionis esse appellatur. inde sunt Gallaici, Bracarii à Bracada vrbe sic dicti, & protenduntur vsque in oppidum Baiona & Ponteuedra includentes Tidures. qui incolæ Tudenses sunt. Et quoniam in Bracariorum incidimus mentionem, hæc Galleciorum regio, & prouincia magna est, & adeo magna, quod refert Strabo continere in se triginta populos. Et quoniam ipse asserit multi ex illis adeo humiles sunt, quod rarissimam mentionem de eis antiqui scriptores faciant: quoniam quum de illis Ptolemæus meminit, plures ex dictis populis singula quæque oppida ait continere, & aliqua duo aut tria: propterea non oportet per illa singula discurrere. Ad Gallecïam itaque pertinent Artabri, qui antiquitus Arotrebæ vocabantur (vt voluit Strabo libro tertio) à promontorio Onerio, & portu Baiona, & Ponteuedra protenduntur ad aliud promontorium Hauatiacorum, in quo magnus portus est, & oppidum Clunia. Ad istos enim Gallecios pertinent Tudures, qui & Tutenses ab vrbe Tutense. ad istos pertinent Nonieiani ab oppido Noia, Celerini, Luanci ab oppido Luanco, Limicei ab amne Limino, Bibali ab oppido Bibalo (nunc Birbao) Lacerni, Silini, Cepori, Lamauori, Tibures, Gigures, Seburi, Amaces, Ceperani, Lugones à Lugo oppido, Oriuaces, Austri, Autrigones, Caristi, à Caristo oppido, nunc Castro. Ad ipsos insuper Gallecos pertinent Vaccæi, Misburgi, Vectones, siue Vergones, Palendones, Aruaces, Ascurici. Pisicorii vocati sunt, qui à Galleciis Lucensibus & ora maritima mediterranea possident, quæ prouincia nunc Alaua dicitur: complectunturque agrum, & vrbem Burgens. quamquam specialius Burgenses Misburgi sint ab antiquis scriptoribus appellati. Vaccæi enim

enim etiam complectuntur & continent quicquid est vsque ad Orontiam vrbem, vt Strabo voluit. Hos sequuntur Vectones, qui Legionenses sunt, quos aliqui Vergones appellant, & complectuntur agrum Toletanum, immo (vt Strabo vult) Toletum, licet re vera in Carpetanis sit. quod satis declarat eius Metropolis, quum illius præsul metropolitanus Carpetaniæ in Toletanis conciliis descriptus reperiatur. Inde Palendones à Palentia vrbe sic cognominati, postea Pacicori à Pascensi vrbe sic dicti, Asturici ab Asturgo flumine appellati, Aruaces ab Arena flumine & oppido ipsius nominis sic dicti. Inde sunt Autrigones, quorum caput Calaguris est. Inde sunt Hedetani qui sunt Sorienses à Soria vrbe, & continent vsque ad Aragoniæ fines & (vt plerique asserunt) Tirassonam. Vultque Ptolemæus, quod complectantur Cæsaraugustam, quamquam alii scribant eos in Lacetanis, vt placet Straboni. Hæcque descriptio generalis vlterioris Hispaniæ est mutationis nominum regionum & prouinciarum.

De citeriori Hispania.

IAM nunc citeriorem Hispaniam aggrediamur. in citeriori Hispania ad partem Oceani Britannici, ad interiora Mediterranei Cantabria est continens regnum Nauarræ, habens populos tres, Vardulos, Vascones, atque Berones. Varduli sunt ii, qui montana tenent, atque Opuscuam. Vascones Pampilonenses, & vsque ad Pyrenæi iuga. Berones, vbi nunc Taphalla est, quæ antiquitus Tritium metallum dicebatur, & Olitum, quod & antiquitus Oliba, & Tutella dicta hodie, antiquitus Titultia. Inde sunt Celtiberi, quoniam licet omnis citerior Hispania nominetur Celtiberia, specialius tamen prouincia Celtiberia dicta est, cuius caput Cæsaraugusta, & protenditur vsque ad vrbem Segobriam. post Celtiberos vero sunt Ilergetes, continentque Oscam & Ilerdam vrbes, & quicquid iis in terminis interiacet. Redeuntes igitur ad maritimam oram, post Oretanos & Succonem amnem Contestati sunt, complectunturq; Valentiam & Saguntum, quod hodie Muriuetus appellatur, & Magistrum Montesiæ vsque ad Iberum amnem. Hos sequuntur Ilarqueones, qui sunt Dertusenses & Tarraconenses. Inde Pœni, cuius caput Villa franca est dicta Pœnorum, quoniam eo in loco erat vetus Carthago Hispaniæ, quam deleuerunt T. Sempronius & Publius C. Scipiones, qui primi secundo bello Punico intrauerunt in Hispaniam. Illam quia penitus euerterunt in vindictam euersionis Sagunti factæ à Pœnis, neque illam sub illo nomine vlterius esse voluerunt. Sed post euersionem concessa immunitate redeuntibus incolis non priori nomine, sed Villam francam nominari voluerunt, sub eoque nomine manet in hodiernum: Sed in memoriam antiquæ vrbis prouinciæ nomen retinuit, ita vt Villa franca Pœnorum siue Phœnicum vsque in hodiernum appelletur. De hac veteri Carthagine meminit Ptolemæus libro secundo, & statuit eam in Ilarqueonibus, quum tamen verum non sit, neque Ilarqueones Pœnos attingunt, sed solum Tarraconensem agrum complectuntur. Post Pœnos sequuntur Lætani, quorum caput regionis Barchinona vrbs est, concluditurque per maritimam oppidum & flumen Tarmin, nunc Torderia nuncupatum. Abinde ad mediterranea sunt Authetani, quorum caput est Gerunda ciuitas, & illius ager, complectunturque Besulam, quæ hodie Bisuldunum appellatur. Inde ad montana habitant Castellani, dicti Castellani ab oppido Castellione, quod caput regionis erat, habetque nunc oppidum parui momenti Castrum Castellionis nuncupatum, quod omni regioni Bassi sic dictæ nunc præest. Protendebantur iidem Castellani vsque ad Basagodam oppidum, & Ceretanos per montana. hos sequebantur à parte occidua Occetani, quorum caput est Vicus vrbs, & omnis Ausonia: suntque dicti huiusmodi Occetani Ausonii à Vico vrbe, quæ quondam Ausonia dicebatur ab Italis condita, quum perantea Italia Ausonia diceretur, maxime ad tempora. Hos vero ad septentrionem sequuntur Cositani, qui Vrgelenses dicuntur, complectentes Comitatus Vrgelensem, Cardonæ, & Palaric n-sem vsque ad Pyrenæi iuga. Post hos ad ortum solis sunt Ceretani incolentes oram Pyrenæi, & pene intra Pyrenæi montes cõstituti (qui & nunc dicuntur Sardones) cuius caput Iulium oppidum erat, à Iulio Cæsare conditũ (quod nunc modernitas Lyncã appellat) ibiq; est Sardonũ oppidum (quod nunc Podium Ceretanorũ appellatur) suntque hi Ceretani ab Italia in coloniam missi à Cereto oppido, à quo Cereto Ceremoniæ nuncupantur. Vltimi vero omniũ ad maris littora sunt Indigetes, ab oppido Ciuixellensi, vsq; ad Pyrenæum, & continet Emporium vrbẽ, ac omnẽ Emporitanensem agrum, ac Rhodam quondam vrbem à Rhodiis cõditam, necnon mediterraneas vrbes Iuncariam & Sinianam, Runcas est vltra vrbes Iuncariam, & Sinianam: vltra est Ruscilionis prouincia, &

Trophæa Pompeii, vt supra satis diffuse disseruimus. Et sic expediuimus mutationes omnium prouinciarum Hispaniæ, pro vt apud veteres scriptores nominantur, & quibus ad præsens modernis nominibus vocitentur. Iam nunc de vrbibus, fluminibus, & montib. videndum est, vrbibusque deletis. Sed prius quàm ad eas deueniamus, aliqua memoratu digna quæ ad nonnullas Hispaniæ prouincias pertinent, interseram. Primo enim sunt multa quæ Strabo meminit de Turditanis, qui ad Bætim amnem habitant circa maritima littora. Hi inter Hispaniæ populos sapientia putantur excellere, & in terris studiis vtuntur, & memoranda vetustatis volumina habent, vatum codices, legesq; à sex annorũ millibus versibus conscriptas: cæteri autem Hispani vsum quidem habent literarum, sed non vnius generis, nec vna lingua est. Addit insuper & alio loco, in præfato tertio libro, quæ sequuntur: Verum ad regionis fœlicitatem mansuetudo simul & vrbanitas accedit Turdetanis & Gallis propter vicinitatem cognationemq; (vt testis est Polybius) cæterum illis minorem, vt plurimum enim vicatim habitant & viuunt. Nam Turdetani, præsertim qui circa Bætim loca tenent, in Romanos penitus vsus transformati sunt, nec propriæ linguæ memoriam seruant amplius, plurimiq; Latini facti secum accolas accepere Romanos. Itaque parum abest, quin vniuersi Romani sint. & nunc habitatæ vrbes, & in Gallia Pezaugusta, & in Turdulis Emerita Augusta, & in Celtiberis Cæsaraugusta, & aliæ coloniæ quædam permutatos dictarum ciuitatum ritus demonstrant. Hispani quoq; qui hoc institutionis seruant genus, stolati, vel togati dicuntur, in quibus sunt & Celtiberi, qui quondam cæteros immanitate superare credebantur. Ad illius autem vbertatis fidem faciendam in tertio libro etiam Strabo addidit quæ sequuntur: Quanta vero rerum ex Turditania exportandarũ copia sit, maxime declarat nauigiorum magnitudo & numerus. ingentes enim naues onerariæ istinc Puteolos nauigant, & ad Ostia, Romanorum nauale, permeant. Insuper multitudo Africanis ferme æquiparanda, tantum est incrementum. Quum autem huiusmodi sit mediterranea Turditaniæ copia, æqualem maritimam ex pelagi bonis inuenies. Ostrea nanque & conchylia omnia, & multitudine, & amplitudine omnium ex parte exterius mare superat, præcipue cum fluxus & refluxus hic augeantur, qui causa (vt par est) magnitudinis & multitudinis propter inundationes existunt. Eundem se habet in modum circa Cetaria genera, orygos, phalænas, physeteras, quibus reflantibus nebulosæ cuiusdam columnæ visio longe cernentibus offertur. Quid congri, quid murænæ, quanto nostris maiores capiantur, aliaq; complura huius generis edulia? In Carteia vero cerycas, id est murices & purpuras, librarum decem, in exterioribus autem locis murænulam & congrum, minarum supra L X X X. polypum talenti pondo: duorum autẽ sepias cubitorum, & similia. frequens vero thynnus è vetusto feruore ingẽti aruina horsum impellitur. Querna vero quadam glande saginatur, quæ ad mare nascitur, humilis admodum, fertilem ingentemq; impendio producens fructum: quæ quidem copiosa in ipsa etiam terra generatur Hispania. Ingentes sane radices, perinde ac integræ quercus, habens: quæ profecto ab humili radice tollitur nimis. Tantum vero fructum affert, vt post maturitatẽ littora & extra columnas, & intra, glande referta sint, quam æstus aquarũ eiectat. Cæterum intra columnas semper minus ac minus reperitur. Vt autem autor est Polybius, vsq; Latinam ipsæ glandes emittuntur, nisi Sardinia quoq; (inquit) & huic vicina regio ferat. Verum thynni ipsi quo magis columnis propinquant ab exteriore delati pelago, eo amplius esca deficiente macerantur. Hæc in mari belua semper adest, plurimum glande gaudens, cuius cibo eximie pinguescit. Quumq; glandium sit copia thynnorum itidem sit vbertas. Quum vero prædicta regio omnib. bonis exuberet, effodiendorũ sane metallorum ingenium admireris. Tota enim talibus plenissima est Hispania, non tota tamen procreandis fructibus facilis, nec tota ferax eundem in modũ, præsertim quæ metallis abundat. rarum est enim vtriusq; rei commoditate fortunari: rarum & eandem diuersis paruo in loco abundare metallis. At Turditania agerq; coniunctus nullam in hoc fœlicitatis genere rationem cõmendare volentibus abesse sinit. Nam aurum, argentũ, æs, ferrum nullibi terrarum, neq; tantum, neq; tam probatum generari, hactenus compertum est. Aurum enim non solum ex metallis effoditur, verum etiam fluit. flumina namque torrentesque auream deferunt arenam, quæ passim & per loca aquarum indiga existens cognoscitur. Cæterum quum illic quidem minus appareat per aquatilia, quidam elucent grumuli. Quod si quibus à natura negatæ sunt aquę, illatis rigantes aquis, dehinc splendescentem efficiunt grumulum, puteos quoque effodientes, & alia per solertiam tractantes artificia, lauandis arenis aurum excipiunt. Pluresque hac ætate sunt qui aurum eluant, quam qui effodiant: vnde & chrysoplysia, id est auri lauacra, sunt appellata. Galli quidem digniora esse sua prædicãt metalla, quæ in Cemmeno monte sunt præsertim,

ſertim,quæ ad Pyrenęum vergunt. verum enimuero quod his locis deducitur magis probatum eſt. Inter auri micas autem quandoq; dimidia libra ad modum purgationis, grumos quos palas vocant, repertos fuiſſe memoriæ traditum eſt, qui paruæ admodum purgationis indigeant. Traditum etiam eſt ſciſſis lapidibus glebulas quaſdam papillis mammarum ſimiles inueniri. Ex auro autem excocto & ex tenaci quadam creta repurgato, purgamentum electrum rurſus excoquitur, commixtionem auri atque argenti habens. Argentum quidem exuritur, cæterum aurum ipſum remanet.forma enim eſt facile fuſilis & lapidoſa.Eapropter paleis aurum potius liquefit,quoniam quum flamma mollis exiſtit,ad illud ſeſe pariter metitur,quod & facile cedit,facileque diffunditur. Carbo autem caloris vehementia liquefaciens & ſublimans,magis ac magis abſumit. In Erythriis verò extrahitur,& prope lauatur,& in alueolis vel puteis mundificatur,limuſq; huic exhauſtus eluitur. Argentarias autem fornaces excelſas efficiunt,vt fumoſa illa glebarum euaporatio tollatur in altum.grauis enim eſt & pernicioſa.Ærariæ quoque effodinæ vocantur & aureæ,ex quibus licet per coniecturam agnoſcere aurum,inde prius effodi ſolitum.Poſidonius autem quum effodiendi locos multitudinemq; laudibus extollat,& eorum virtutem,à ſolita minime ſeſe abſtinet eloquentia: verum diuino quodam afflatus ſpiritu per ipſos agitatur exceſſus. Haud enim fidem(inquit)abnego fabulæ, quod ſyluis aliquando per incendia abſumptis terra ipſa,auri atque argenti feraciſſima,noua quædam in ſuperficiem & ſuperiorem telluris faciem germina efferbuit.Montes enim omnes & omnem tumulum materiem eſſe monetæ,quam quædā fœlicitatis abundantia cumulauit.Quod ſi quis regionem inſpectet (inquit)effluentis vbique perpetuo naturæ theſauros,&imperatoriæ cuiuſdam maieſtatis nequaquam deficiens ærarium eſſe dicat. Non enim diues tantummodo, ſed diuitias ſufficiens & ſuggerens eſt regio, peneſque illorum (vt vere dicam)ſubterraneum locum,non infernus,ſed Pluto ipſe opulentiæ Deus inhabitat. Talia quidem ſpecioſa quadam figura de hiſce locutus eſt, perinde ac ſi & ipſe de metallis copioſa vſus ſit oratione. Effodientium vero ſolertiam commemorans ſcitum illud Valerii adiungit, qui in argenti fodinis agri Attici ſic intente atq; acriter homines effodere aſſerit,vt in ſuperiora Plutonem ipſum adducendum eſſe præſtolentur.

De montibus Hiſpaniæ qui nomina mutauerunt.

REGIONVM Hiſpaniæ deſcriptionem abſoluimus quæ in hodiernum nomina mutauerunt, ne legentes auertantur à ſenſu hiſtoriæ propter ignota nomina regionum. Nunc autem (vt promiſimus) itidem faciendum eſt de montibus, fluminibus, ac vrbibus Igitur à montibus incipiemus. Sunt montes excelſi in Hiſpania: primum Pyrenęi,qui Hiſpaniam à Galliis ſeiungunt, & incipiunt ſecundum communem hiſtoricorum opinionem à templo Veneris,& Mediterraneo, vltimoque confine agri Gerundēſis,& protenduntur vſque in Oceanum ad promontorium & ciuitatem ſui nominis Eaſo,quæ hodie Baiona dicitur, ſeu(vt aliis placet) à vico ſancti Ioannis de Lueza, ne ſcindatur mons. Hi montes vſque in hodiernum ſuam appellationem retinuerunt. De iſtorū tamen montium nomine diuerſi diuerſa ſentiūt: quoniam dixerunt quidam Pyrrhenæos à Pyrrho Hiſpani ſucceſſore vocitari. Diodorus vero libro quarto ait, quod cum mons ipſe plenus eſſet maximis arboribus, plurimiſque paſtoribus propter greges qui inibi paſcuntur, accidit vt die quadam appoſito igne monti, quum ventus validus excreuiſſet, ignis vrens glebas ipſius montis coegit aurum atque argentum colligendum,reliquam ipſorum mōtium partem incenderunt,& ab ardenti pyra (quæ eſt lignorum congeries ardens) Pyrenæi montes appellati ſunt. Hæc Diodorus. Idem etiam cenſuit Appianus. Aliqui à crebris fulminum ictibus illic cadentium Pyrenæos dixere, à pyr, quod eſt ignis. Ab his itaq; montibus procedunt & alii mōtes, qui per Lacham vrbem in Caſtellam ac vlteriorē Hiſpaniam protenduntur,& ad vltimam Oceani oram in Portugallia terminantur,ad oppida Cintres & Turres vedres: & hi montes Caſtellę regnum per medium ſcindunt in partes duas. A primis enim habitatoribus Ebullei montes appellati ſunt. Hi radicem habent à Pyrenæo,atque Cantabris magnam regni Nauarræ partem claudentes. Hi iidem montes, qui in Aragoniam vergunt, mons Caci, ſiue Moncaio à Caco Hiſpano dictus, de quo meminit Vergilius lib.octauo. Vnde protenduntur per vlteriorē Hiſpaniam, includentes diuerſas vrbes Segouiam, vrbemq; Rhoderin(quam Ciuitatenſem vocāt) & ſecundū diuerſa loca diuerſa nomina ſortiti ſunt. Sunt & alii mōtes in Bætica, qui ab ora fluminis Bętis alias Guadalcauir ſupra Hiſpalim in fretum Herculeum protenduntur, & pene illis clauditur Granatę regnum. vnde inexpugnabile fit regnum montibus altiſſimis circum-

ſeptũ. Hi montes quatenus orã freti Herculei cõtingunt, Calpe montes ab antiquis ſcriptorib. appellati ſunt: ibique fixæ ſunt alteræ ex columnis Herculis, mediũ habentes inter Malacã & Gades inſulã, vbi alteræ fueræ fixæ columnæ. Nunc vero mons iſte mutationẽ nominis fecit ab aduentu Arabum, qui eandẽ inhabitant regionẽ, & Gibeltarich appellatur. Gibel itaq; Arabica lingua montẽ ſignificat, tanquam mons Tarich. Hic itaq; Tarich primus Dux Arabũ fuit, qui claſſe inſtructa Arabibus de Africa traiecit in Hiſpaniam. Ipſi vero mõtes, quum in Hiſpalim protẽduntur, Illipæ montes dicebantur: quum in Cordubã verſus Themarini montes ſiue Orthoſdadæ montes dicti ſunt. Erat enim per antea ibi vrbs Calpe dicta à monte ipſo. Promontoriũ vero quod in Oceanũ mittit, & Iunonis antiquitus templũ habebat hodie Tarypha oppidũ eſt. Ibique non longe eſt Miniſter portus, & vrbs Belon, & fluuius eiuſdem nominis. In hocque monte incipiunt Herculei freti fragores exauditi, habetque ex oppoſito Libyam, & alium montem Abylam, quanquam Calpe mons excelſior ſit: & hi montes, quatenus ex oppoſito Malacæ ſunt, habent Vlyſſeam vrbem & Mineruæ templum, vt voluit Strabo libro tertio de orbis ſitu. Suntq; mõtes ipſi referti auro, argento, ære, ac diuerſis metallis, vt idem aſſerit. Illi vero montes qui Valentiam ſeiungunt à Murtiæ regno, Vbedę mõtes appellati ſunt etiam ab antiquis Sturiarum & Biſcaiæ. Inſuper qui ad Oceanum, alteramque partem Hiſpanię pertinent, Numidicæ montes dicebantur, & à Pyrenæo procedentes per Cantabriam, Nauarræque regnum prolabuntur. Item per Biſcaiam, Opuſcuamq;, Sturias, & Galleciam, vſque in vltimam oram ad promontorium, vbi eccleſia de finibus terræ ſita eſt. & hi montes ſecũdum vnamquanque prouinciam, per quas progrediuntur, nomen acceperunt. Et propterea mons vrbi Barchinonenſi adiacens ad oram maritimam, mons Iouis (vt placet Pomponio Melæ libro ſecundo & tertio) dicitur. Quod quidem nomen vulgus corrupit, & Iudaicum montem appellat idiomatum confuſio. Sunt præterea Scalę Annibalis inter Barchinonem & Tarraconem, quæ Coſtæ de Garafà modernis dicuntur. Reperiuntur præterea & alii montes in Hiſpania, omiſſi ab antiquis ſcriptoribus, non omittendi propter illorum ſingularitatem. Sunt enim in Tarraconenſi Hiſpania duo montes: primus in Lęcitanis inter vrbes Barchinonem & Gerundam, oppoſitus oppido Blandæ, dictus mons ſigni, ſiue ſignorum, tanquam nauigantibus per maritimam oram primus totius regionis ſigna terræ præbeat, ſiue grauia regionalibus ſigna pluuiarum, & imbrium ſigna præſtet. Eſt & alius mons in Comitatu Cardonæ ſale plenus, prę̨ſtatque omnibus regionalibus ſalis fertilitate: quem montem, quum maxime ſale euacuatur, tunc latius in altum creſcere nemo dubitat. Et hæc de montibus ſufficiant.

De fluminibus quæ nomina mutauerunt.

PRIMVM omnium fluminum Hiſpaniæ quæ nomina mutauerunt, Bætis eſt, à quo Bætica Hiſpanię prouincia dicta conſtat. Hic amnis ortum habet à montibus propinquis Carthagini, qui quondam Orthoſdadæ dicebantur, & decurrens per Caſtulonem & Cordubam, influit in Oceanum Atlanticum ad vrbem Hiſpalim, clauditque ſuis terminis prouinciam Bætiam, in qua Granatæ regnum ſitum eſt. Corduba inſuper ciuitas quæ in medio pene fluminis curſu eſt, ab eodem flumine denominationem habet, vt tanquam cor Bætis dicta ſit Corduba. Huic autem flumini Arabes nomen immutarũt, quum Gotthis expulſis Hiſpaniam obtinuiſſent. Quorum reliquiæ in Granatę regno permanẽt. Amnem itaque appellarunt Guadalchauir, quod nomen in hodiernum manet. Poſt hũc oram ſequendo Oceani, Anas fluuius eſt, à cuius nomine prouincia Luſitania dicta eſt. Hic amnis ortum habens à montibus Orthoſdadæ & Vbedæ, vicinis Carthagini & Murtiæ, per mediam vlteriorem Hiſpaniam, & Caſtellæ regnum decurrens ad oppidum Calatrauam influit in Oceanum ad confinia Portugalliæ, diuidens regna Caſtellæ & Portugalliæ loco vocato Lanis. Huius autem fluminis priori nomini addiderunt Guadi, quod Arabica lingua interpretatur aqua, & ſic Ana Guadiana dicta eſt vſque in hodiernum diem. Tagus autem qui à Bebuleis montibus naſcens, per Toletum & Vliſbonam vrbem decurrit in Oceanũ, nomen retinuit ab antiquis impoſitũ. Item apud hunc amnẽ finxere poetæ (vt ait Iuſtinus) equas ex aura cõcipere propter agri vbertatẽ. Ad præfati Oceani oram Compoſtellam verſus ſequitur alius amnis decurrẽs per Coimbriam in Portugallia, qui ab antiquis Munda appellabatur ſimul cum ipſa vrbe Coimbria. Hoc etiam flumen à modernis Mundeuo appellatur, eſtq; ibi oppidũ ad Oceani littora eiuſdẽ nominis veterẽ denominationẽ retinẽs: apud quod Caius Iul. Cęſar, ſeu eiuſdẽ Duces, Agrippa & Brutus bella-

bellarunt vltimo contra Pompeii filios, Gneum & Sextum: quorum alter ibi occubuit, alter aufugit, quoniam mortuo patre apud Ægyptum posteaquam superatus est in Thessalia apud Pharsaliæ campos, victis peremptisq; Scipione, & Catone, Lucio Afranio, M. Petreio, ac Iuba Getulorum Rege, Pompeii filii Hispaniam omnem occupauerunt. Postea ad eam vrbem ad prælium coacti fuerunt. De quo prælio & vrbe meminit Lucanus in principio, dicens:

Vltima funesta concurrant prælia Mundæ.

Et hæc Lusitania dicta est. quanquam enim Lusitania dicta sit prouincia, hi tamen specialius qui incolunt Vlisbonam & Coimbriam, Lusitani dicti sunt vsque ad flumen Dorium, vt placet Straboni. Post Mundam Dorius est, procedens ex montibus Ebuleis, & decurrens per mediam Castellam, influit in ciuitatem Portum, & hic amnis priscum retinet nomen. Post hunc Liminus fluuius est, quem Iustinus Minium appellat ab ingenti copia minii, in montibus Asturiarum & Biscaiæ, qui quondã Vidumi montes dicebantur, enascens. Hic amnis influit in Oceanum, Portugalliamque à Galliciis seiungit loco dicto Toi, quæ vrbs est, & à modernis nomine immutato Vnga vocatur. Post Vngam tria sunt in Galliciis flumina quæ nomina mutauerunt: primum est ad Ponteuedrum, quod Vias ab antiquis dicebatur: alterum, quod decurrit non longe à Compostella, Tamarus: tertium est post vltimum promontorium de finibus terræ Asturios versus, Vir nomine. Post hæc in Sturiis tria alia flumina sunt: primum versus Gallicios Vieatus: secundum, decurrens non longe ab Oneto, Natum: post hæc in Biscaia vltimisq; finibus Asturiorum Nebealmonus. Item alia tria: primum ad Asturios, Nelus non longe ab oppido Castro: secundum est Negangesia, quem alio nomine appellat Iustinus Chalybim, & ad oppidum Birbao decurrit in Oceanum: tertium ad Nauarram pertinet, & Nerua dicebatur. Hæc quidem flumina aptiora sunt omnibus aquis ad ferri fortitudinem faciendam. Ad partem vero Mediterraneam euntibus, à Bætica & noua Carthagine primum flu. decurrens in Mediterraneum ab oppido Oriola, quod antiqui Oritigum dixere, non longe à vico dicto Gardemar, Alana dicebatur, nunc autem à modernis Segura. alterum vero sequẽs, quod influit in Mediterraneum, quondam Secabur dicebatur ab antiquis, nunc vero :tertium vero quod decurrit per Alzesiram oppidum, ab antiquis primo Succon dictum est, deinde Succeo, nunc Chucarus. Apud hunc amnem Pompeius pugnauit cum Sertorio, & vicisset Sertorius, nisi superuentu Appii Metelli Pompeius adiutus fuisset. Amnis insuper qui per Valentiam decurrit in mare, Pallentia dicebatur, nunc vero Gaiadalaycar. Qui vero per Saguntum quondam nunc Murinetus Turris nomen habet. Qui vero prope Barchinonam decurrit à montibus Pyrenæis, ab antiquis Rubricatus dictus est, à nostris vero r litera est mutata in l, & dicitur Lubricatus: postea Betullo amnis (vt placet Pomponio Melæ, non longe à Barchinone, qui nunc Bisocto dicitur, alias Besotium. Inde Tarnum flumen secus Blandam decurrens, quod Tordera hodie vocitatur. Ticer vero amnis qui per Gerundam vrbem decurrit, & influit in Mediterraneum ad oppidum Turricellam, nomen retinuit. Cluuianus qui non longe ab Emporio, quondam maxima vrbe Gerundensis agri, per occasum influit in Mediterraneum, solam vnam mutauit literam c in f, & Fluuianus dicitur, quanquam Plinius de Naturali historia libro tertio illum Flumialbum appellat. Sembroca alter amnis, qui ad Orientem direptæ vrbis Emporiæ influit in Mediterraneum, à modernis Sambucha dicitur. Sunt & alia duo flumina quæ in mare non influunt, sed coniunguntur Ibero, de quibus accurate disseruit Iulius Cæsar in suis Commentariis, quum aduersus Lucium Afranium & M. Petreium in Hispania apud Ilerdam pugnasset: quorum alterum Sicoris, alterum Cinga appellatur. Sicoris ad Ilerdam, Cinga ad Fragam fluit. Hæc igitur de fluminibus quæ in Hispania nomina mutauerunt, dicta sufficiant. Iam ad vrbes veniamus.

De vrbibus Hispaniæ quæ propria nomina mutauerunt.

IAM enumeratis ad plenum prouinciis, montibus, & fluminibus Hispaniæ quæ nomina mutauerunt, restat & vrbes discutere. Primum itaque ab Oceano, Gadibusq; Herculis, ac freto Herculeo incipientes, oram Mediterranei vsque ad Carthaginem, inde alteram oram Oceani cum residuo interiacenti Mediterraneo, & vlteriorem Hispaniam describemus. inde redeuntes tanquam ad propriam domum, ad citeriorem describendam deuoluemur. Prima igitur omnium ciuitatum Gades erit, de qua meminit Dionysius Alexandrinus, quem ætate nostra Antonius Bacharia Veronensis transtulit, quod ante aduentum Herculis Tartessus dicebatur. Postea vero quam Hercules ad eam peruenit, statuitque in eadem columnas ad æmulationem alterius Herculis Ægyptii, qui alias

columnas statuerat ad alteram Libyæ oram secundum Diodorum libro quarto, ab ipsis columnis erectis Gades Herculis insula, & illius vrbs appellata est. hęc Priscianus. quanquam Strabo libro tertio referat, Polybium dicere eam regionem, quæ circa Bætim est, cognominari Tartessum, Gades vero prius Erytheam vocitatam cum duabus adiacentibus insulis. huic autem propinquum est oppidum sancti Lucæ de Baromeda, in nauigatione per flumen Bætim, quod quondam Mendalia dicebatur. illi enim adiacet vrbs Belon ad partem freti (quæ hodie Taripha oppidum est) & erat ibi tēplũ Iunonis & Mnesthei portus: hanc regionem à Calpe monte vsque in Bætim amnem, vocitari Tartessum. Alii vero dicunt agrum Turditanorum, qui oppositus est insulæ Gadi per oram Bætis fluminis vsque in Sacrum promontorium (quod caput sancti Vincentii hodiernis temporibus vocitamus) appellari Tartessum. De hac enim Tartesso late diximus supra de prouinciis quæ nomina mutauerunt. Sed de hac vrbe Gade prætereundũ non censeo, quod de ea refert Strabo libro tertio de situ orbis, quod quum esset primum oppidum, Balbus Gaditanus vir triumphalis aliud illi insuper ædificauit quod Neapolim, id est nouam vrbem, appellauit. Additæ sunt etiam à Balbo ipso insulę duæ: vna, quam Didymam appellant, & altera illi adiacens, quę maximum vrbi incolatum præbuerunt. Adiecit etiam Strabo ad illius magnitudinem, quod adeo creauerat, quod post Romanã vrbem, cæteras vrbes mundi anteibat. Et quum illi ager nullus esset, omnes illius vrbis incolę ad nauigationem se contulerant in asportandis Romam rebus mercatoriis, maximeque eis quæ ab Hispania exportabantur. Adiecit etiam Strabo ad illius amplificationem, quod quũ census semel exigeretur ex ea, reperti sunt in ea militaris ordinis equites aurati viri quingenti, quod nusquam in aliqua ciuitatum Italiæ compertum, quam in Patauio vrbe. Post Bellonem vrbem sequitur vrbs Mellaria ante fretum (quæ nunc Alzezira nuncupatur) vt placet Plinio libro 3. Ptolemęus vero libro secundo vult, quod Alzezira fuerit Carteia, Carteia primo à Græcis dicta, sub Calpe monte in Oceano Atlantico locata ante fretum. Inde sequitur Molena, quę antea Suelum dicebatur, vt placet Ptol. lib. 2. ad mediterranea Obebusca est, quã hodie appellamus Bahessam. Inde est Sisapo oppidum, quod Xeres appellatur, apud quod metalla expoliuntur. Hanc itaq; per orã Mediterranei maris sequitur vrbs Granata, quę ab Arabibus occupata est, à qua vrbe regnum Arabum nominationē capit. Ea autem vocabatur magna Illipula secundum Claudium Ptol. Causam vero mutati nominis authenticam non memini me legisse, de ipsa tamen vaticinari libet. Consueuere arborum fructus appellari à regionibus, vbi iidem fructus ab initio sunt reperti, vt ait Hieronymus in epistola ad Eustachiũ, dicens: Cerasa ex eo sic appellari, quod primũ Lucullus à prouincia Cerasa Romam veniens detulisset, sic à Perside Persica. Granata mala punica dicta sunt, quia ii fructus apud Pœnos primum reperti sunt. Quum vero Hispania diutius sub Pœnorum fuerit potestate, perfacile fuit, vt illius generis arbores de Aphrica translati sint in Hispaniam, & ea vrbs à qua forte per Hispaniam trãslati sunt, ab eorum fructu conuersionem nominis fecerit, vt Granata dicatur. Hispano siquidē nomine mala punica Granata appellantur. Almaria vrbs ab antiquis Illibera dicebatur, quæ ad oram Mediterranei est. De hac igitur Illibera vrbe & eius Episcopo Gregorio meminit Hieron. in lib. de viris illustribus, quod est Bæticus. nec immerito illum non expressit Hispanum sed Bæticum, quum Hispania habeat duas vrbes Illiberas, vnam in Bætica, alterã in Tarraconensi ad iugum Pyrenęi, quæ confinis quondam fuerat nostrę diœcesi, de qua suo loco dicetur de vrbibus quæ corruerunt in Hispania. Post oram vlterioris Hispaniæ, quę est in Mediterraneo, sequitur & altera ora ad Oceanum. Post Gades Hispalũ est. Hãc vrbem multi ferunt ab Hercule conditam, sicq; vocitatam, siue quia palis suppositis condita sit, siue à palude, quæ maximam vrbem circumdat. Hispalis dicta est à prioribus antiquis: Postea vero à Iulio Cæsare Iulia Romulea appellata, vt Straboni placuit, à cuius nomine vulgata locutio originem traxit, vt Siuillia appelletur tãquam à Iulio Cæsare instaurata, & dicatur ciuitas Iulia: referuntque, præfatum Cæsarem eandem vrbem construxisse, quod tamen verum non est, quum apud Titum Liuium, Commentariaque præfati C. Iulii Cæsaris, ac Lucium, plurimosque scriptores antiquiores, fiat eius ciuitatis mentio. Potuit tamen Iulius Cæsar illam instaurasse labentem, auxisse, ac dilatasse, obtinuit tamen moderna literarum locutio, vt pristino nomine ab eis nuncupetur. Post Hispalim sequētes Oceani orã peruenitur ad Guadianã fluuium, regnumq; Portugallię, vbi ciuitates Sylua & Eura conditę sunt, & ad extremũ Oceani promontoriũ, vbi sacrũ erat Herculis tēplũ, & sacrũ est appellatũ promontoriũ. De hoc vero Herculis tēplo & sacro promontorio libet aliquid dicere, quũ referat Trogus Pompeius Hispanus, quē Iustinus singulari eloquentia abbreuiauit, esse in Hispania saltus Tercenorũ, apud quos finxere poetę Titanas

bellasse

bellaſſe cum diis, in quibus primi Hiſpaniæ Reges Gorgonius & Abius regnauere. Hos autem ſaltus non declarat, vbi ſunt, nec bellum Titanum aduerſus Deos elucidat, quum vltra fabulam, falſa admodum videantur. quoniam etſi fabulæ falſitatis plurimum habēt, ſemper tamen veteres poematibus ſunt vſi, quum aliquid ad hiſtoriam fictio veritatis habuerit. Vnde Firmianus Lactantius vir eruditiſſimus, de poetarum licentia primo libro ſic loquitur: Hic homines decipiuntur maxime, quod hæc omnia ficta eſſe à poetis arbitrantur, colunt quod ignorant. neſciunt enim quis ſit poeticæ licentiæ modus, quouſque progredi fingendo liceat, quum officium poetæ in eo ſit, vt ea quæ vere geſta ſunt, in alias ſpecies obliquis figurationibus cum decore aliquo conuerſa traducat. Totum autē quod referas fingere, id eſt ineptum & mendacis potius quam poetæ. Vnde qui hi ſaltus Tercenorum ſint, videndum eſt, vbi inhabitauere Curetes, & quid fuerit ad hiſtoriam prælium deorū cum Titanis. Saltus enim nemus eſt Tercenorum. Itaq; vel ciuitas Gades eſt, vel littus Bætis, vt ſatis declarauimus. Saltus vero iſtorum Tercenorum ſylua quondam maxima erat vltra Gadianam flumen. Hæc enim ſylua protendebatur ab Eura vrbe vſq; ad vltimum promontorium Oceani, quod ſacrum promontorium veteres appellabant. Hic ſaltus non longe à Gadibus, ſiue à Bæti flumine diſtabat, quem ſaltum Curetes primi incoluere. Ab ipſo itaque ſaltu Sylua vrbs Portugalliæ hodierno idiomate nuncupatur, quoniam Latino ſermone ſaltus & ſylua idē ſunt. Quum enim Hercules in Tarteſſum veniſſet, finitimi regionis intelligentes aduenam potentiſſimum hoſtem aduenïſſe, finitimamque occupaſſe vrbem, ſeu prouinciam Tarteſſum, apud eandem ad ipſum ſaltum cōgregari cœperunt amni propinquum. Inde Hercules quum prouinciales apud eūdem ſaltū qui vltra Anam, ſiue Guadianam flumen eſt, inuaſiſſet, cum eiſq; certaſſet, illos prælio vicit, atque propterea parta victoria ibi Herculem luſiſſe ferunt, atque ludos quos alter quondam Hercules Cretenſis patri Ioui inſtituerat, ibi renouauit, quem ipſe ſe fore mentiebatur. Erat enim gens ea tempeſtate rudis, & ad bella inſueta, & propterea quia illos apud eandem ſyluam vicit, Titanas cum diis certaſſe finxere poetæ. cui fabulę cauſam tribuit, quod Hercules ad excuſandum matris Alcumenę adulterium propter eius robuſtitatem Iouis ſummi dei filium falſo mentitus eſt. Quoniam cum Iupiter Cretenſis Herculem alterum, qui hunc per multa ſæcula anteceſſit, habuiſſet filium, à Græciſq; vt Deus fuiſſet adoratus, ille ſe illum aſſerens, à Ioue ſummo Deo genitum rudi populo affirmauit. Vnde Ioui patri ac ſibi, tanquam Deo, templa & adorationes conſtituens inſania quadam rudem populum circumuenit. Aduerſantes propterea ſibi prouinciales populos Titaneos, Herculeos vero deos poeta fingens ad illum ſaltum Tercenorum pugnaſſe refert. Quomodo vero Titanes cum Ioue Cretenſi antiquiori hiſtoria pugnauerint, ex quibus diuerſimoda poemata prodierunt. ſcribit enim Firmianus Lactantius de falſa religione libro ſecundo (quam hiſtoriam hic referre, accommodatum videtur) quod fuit apud Græcos inſulamq; Cretam quædam Regum genealogia à Saturno incipiens, quam propter nonnulla ab eis facta, prima gentilium ætas vana ſuperſtitione in deos translatā eſſe credidit, de eiſque poetæ multa fingentes ad nos multa vana perduxerunt. Saturnus enim huius genealogiæ principium, & Titan eiuſdem frater, Vrani Regis Cretæ filii fuere. Titan enim primogenitus fuit, & Saturnus ſecundus. His autem mater erat Veſta, ſororeſque Ceres & Ops. Saturno vero vxor fuit Ops. Quum vero Saturnus fuiſſet facie hilarior, aſpectuq; magis decorus, quoniam Titani facies admodum triſtior eſſet, regnūque Titani tanquam primogenito pertineret, ſuaſum eſt à ſororibus matre id præſtante conſilium, vt Saturnus Titani præficiatur in regnum. re itaque peracta ad concordiam ventum eſt. Quod vbi Saturno aliquis liber maſculi ſexus naſceretur, necaretur: eo modo vt ſucceſſio regni ſaltem in Titanis filios deueniret. Firmata itaq; pactione interueniente Veſta matre, quod primo natum eſt, à parentibus eſt extinctum. Quum vero denuo Ops Saturno peperiſſet geminos, Iouem ſiquidem & Iunonem, Veſta occultauit Iouem, & Iunonem palam edidit. Quumque Iouem clam educaſſet, Ops iterum parturiuit Neptunum, quem quum denuo occultaſſet Veſta, iterum & Ops geminos parit Plutonem & Glaucam. Pluto item celatur, Glauca vero oblata in medium ſtatim emoritur. Re itaq; cognita Titani, quod nati eſſent Saturno maſculi, quos etiam educaſſet, congregatis filiis, aliiſque adhærentibus, quos Titanas antiquitas appellauit, Saturnum, vxoremq; Opem vinxit compedibus, & in cuſtodia poſuit. Quum vero Iupiter Saturni filius adoleuiſſet, intellexiſſetq; parētes carcere detineri, collecta iuuenum manu ad liberandos parentes properat, & commiſſo prælio cum Titanis, Iupiter Titanas vicit, parenteſque in regnum reſtituit, atque in Cretam rediit. Hæc & longe alia de Ioue ac Saturno proſequitur Firmianus Lactantius primo libro de falſa religione. Quum vero Hercules pri-

mus, prout inferius suo loco de Herculibus dicetur, Iouis filius Regis Cretensis fuerit, ob eiusque virtutes à Græcis vt deus veneratus sit: illum Herculem hic noster Alcides se esse falso mentitus est, atque illius instar quum etiam ipsi Ioui (vt persuaserat) patri ad orationes templa constituerit, poeta fingens Herculem, suosque, deos, Hispanosque cum eo belligerantes Titanas appellauit, tanquam Ioui summo Deo aduersantes & hostes: quod quidem prælium apud syluam ad oram amnis Anæ cōmissum est. quæ sylua non longe à Tercenorum vrbe distat, nunc vero Gades appellata, apud quam Titanas cum diis certasse finxerunt, siue (vt Strabo & plærique alii voluerunt) apud oram Bætis, id est agrum Turdetanorum, qui (vt supra diximus) Tartessus vocabatur. De hac etiam Tartesso meminit Solinus de mirabilibus mundi, quum de insula Sardinia ageret. Sed iam nunc aliquatenus peruagati ad nostrum propositum redeamus. Post Tercenorum syluam, vbi Sylua, & Eura vrbes constitutæ sunt, Passa in agro Lucentino posita est, quæ licet Latini nominis prioritatem retineat, vulgari tamen sermone conuersionem fecit, & dicitur Badabos. Hác sequitur Vlisbona vrbs ad oram fluminis Tagi. hæc autem apud veteres Scalabus dicebatur, pro vt supra retulimus in titulo de vrbibus ante Herculis aduentū. Inter saltus vero Tercenorum, & ipsam vrbem Vlisbonam, & Tagum interiacet promontorium dictum Sacrum ab antiquis, quod nūc caput sancti Vincentii appellamus. in quo ad Oceani oram, post obtentam de prouincialibus victoriam Hercules Ioui (vt asserebat) patri, libauit, & ipsi patri & Herculi mendacibus diis templum constituit. quod vsque ad tempora Claudii Ptolemæi perstitit, quanquam multi ex antiquis scriptoribus asserant huius templi institutionem non ad nostrum Herculem, sed ad alterum pertinere, qui columnas in parte Libyæ constituit, vt placet Diodoro. Vlisbonam vrbem sequitur Colymbrium quæ simul suo flumini iuncta ab antiquis Munda dicebatur. De qua Lucanus in principio, & Cæsar in Commentariis libro vltimo, & superiori titulo de fluminibus: causam vero mutationis nominis Rodericus Toletanus assignat. Apud ipsam itaq; Mundam vltimo pugnans Pompeius maioris Pompeii filius, cum Bruto & Agrippa Cæsarianis ducibus, victus peremptusque est. Colymbriam vrbem sequitur Portus ciuitas, à qua vrbe Portugalliæ regnum nomen habet. Dicebatur enim eadem vrbs ab antiquis Lauara. per ipsam enim decurrens flumen Doria latissimo sinu influit in Oceanum. Comperta itaq; opportunitate atque salubritate Portus ciuitatis, quum prouincia ipsa Gallecia dicta sit ab Vlisbona vrbe ad omnem Oceani oram vsque in finem Pyrenæi montis & promontorium Easo vrbemque Baionam, ideo Portus Gallecię dictus est. Vnde & Portugalliæ nomen exortum est, & creuit in hodiernum. post Portum Gallecię sequitur Compostella, quæ per antea Ara Solis dicebatur. sed verius dicitur, quod locus Aræ Solis sit vltimus locus promontorii, vbi hodie ecclesia beatæ Marię de finibus terrę sita est. Compostella vero ciuitas à promontorio & Ara Solis duodecim milliariis distat. Veteres enim Iberi iam vsque à Chaldæorum finibus progressi, vbi Solem vti deum adorant, illum ab illius ortu vsq; in occasum prosequi statuerūt: quumque inde ad vltimos terræ fines illum secuti, & vltra non posse progredi conspexissent, ibi Soli tanquam Deo aram constituerunt. A cuius adoratione & ritu remota est posteritas. quumque ad eam partem Hesperum stellam oriri vidissent, ipsamque tanquam regionibus illis salubrem, compotem stellam nominarunt. Vnde & Compostella vrbs vicina denominationem trahit: eiq; vicinum oppidium est Clunia. Ad vltimum vero promontorium Pyrenæi sita est Baiona ciuitas, quæ quondam Easo dicebatur. Sicque vlteriorē omnē maritimam Oceani atq; Mediterranei maris expediuimus, quatenus ad vlteriorē pertinet Hispaniam. In cuius peregrinatione potuissemus & multa Mediterranea atque maritima recensere, vrbes, & oppida, quæ maximis commentariis indigerent, inter quæ ciuitas Complutum est, dicta hodie Alchala lingua Arabica, vicina Toleto (vt placet Ptolemæo) quum post Complutum subiungat immediate Toletum: sed satis sit principaliores vrbes & castra expressisse. Iam nunc citeriorem Hispaniam aggrediamur, & primum de insulis disseramus. Sunt itaque in Mediterraneo pelago insulæ tres memorabiles, duæ siquidem quas Baleares vocant moderni, quarum maiorem à maioritate Maioricam, & minorem à minoritate Minoricam vulgus appellat. Hæ itaque insulæ ab antiquis Gymnasiæ primum ante Græcorum aduentum appellatæ sunt secundum Claudium Ptolemæum & Diodorum: postea vero Baleares à Græcis (vt Ptolemæus ait) siue à Romanis (vt ait Diodorus) à peritissimo fundarum vsu, quas veteres baleas dixere. Refert enim Diodorus adeo accuratam esse curam ipsis insularibus de fundarum vsu, vt eorum natis statim illarum vsum pro magisterio atque continua exercitatione tradant, nec vnquam quis paruulus apud eorum priscos poterat cibum sumere, nisi matre consentiente vt educaretur, prius panem supra palum impositum funda

ipsa deiiceret. Quumque in prælium veniunt, tribus fundis vtuntur, prima caput cingunt, secunda ventrem, tertia manu exercentur, adeo vt quum ab eorum manu lapis emittitur, à quodam tormento emissus videatur. De ipsis insularibus refert Diodorus, nullum habuisse auri & argenti vsum ad Romanorum & Carthaginensium tempora, existimantes si auro & argento carerent, omnia infortunia se facile euasuros. Meminerant enim Geryonem Chrysauri filium ob maximas eius diuitias ab Hercule peremptũ. Quumque à Carthaginensibus semel fuissent conducti, nihil pecuniæ, auri denique, neque argenti habere curarunt, sed tantummodo mulieres & vinum pro stipendio acceperunt. Hæc Diodorus. Erat enim maior admodum populosa, ad triginta millia hominum, in qua opulentissimæ fuerunt vrbes Palma & Pollentia secundum Claudium Ptolemæum. In minori vero est Iamna oppidum (quod Ciuitatella hodie ab incolis vocatur) alterum vero oppidum Mago est, à Magone filio Amilcaris, Hannibalis fratre conditum, quum à Scipione Africano fuisset Hispania pulsus. De Balearibus vero populis refert Diodorus libro quarto facetam historiam, quod consueuissent iis qui vxores ducebant, primi ex amicis, secundi, & tertii vsque ad certum numerum mulieris concubitum prætentare rogatu viri, atque quum placuisset, explicato sponso, atque consulto, ad eam vltimus accedebat. Hæc Diodorus. Strabo vero libro tertio de situ orbis addit & aliam de his insulis facetam histotiam. Quoniam quum antiquo tempore incolæ dictarum insularum infestarentur à quibusdam animalibus, quæ alii cuniculos, alii lepusculos vocant (tanta enim illorum multitudo creuerat, vt insulas ipsas inhabitabiles redderent, quoniam & vnguibus terram effoderent, & radices frugum euellerent, vastitatemque inferrent) ii legatos Romam miserunt petentes auxilia aduersus huiusmodi bestias, quoniam eiectati ab ipsis bestiis propter illarum multitudinem resistere non valerent. Itaque præstitis auxiliis, quum ad mediocritatem reductæ essent, plures ad eas capiendas repertæ sunt venationes. Adinuentæ enim catellæ agrestes, quas ab Africa eduxerunt (eas vulgari idiomate furones appellamus) quæ funiculis ligatæ intra foramina admittuntur: ea vero quæ capiunt, vnguibus extrahunt, aut in summum telluris effugere cogunt, indeque eas venatores capiunt. Sunt autem & aliæ duæ insulæ, quarum minor caret incolatu, hæ ante aduentum Herculis Pytiusæ sunt appellatæ secundum Claudium Ptolemæum atque Diodorum. Dionysius vero Alexandrinus cosmographus dicit primam illam Lausum appellatam. Post Herculis vero aduentum maior insula nomen mutauit, ita vt Ebusa diceretur, quod nomen vsque ad omnia Romanorum tempora retinuit. Dicta Ebusa à candore salis, quod ebori simillimum est. Nunc autem eadem insula Aluiza dicta est ab Auicenna Arabe medico, quem ibi regnasse ferunt Arabum tempore. Huic autem insulæ adiacet altera, dicta à nostris Sementaria, quæ habitatoribus caret. Post insulas Baleares, atque Pityusas, quæ ad citeriorem Hispaniam pertinent, quarum Ebusa Tarraconam, Baleares vero Barchinonam ex opposito habent. Nunc ipsa littora citerioris Hispaniæ describamus. Prima itaque omnium ciuitatum in littore citerioris Hispaniæ Saguntum est (quæ hodie Muriuetus appellatur) quatuor distans à Valentia leucis, quę quondam opulentissima vrbs Hispaniæ ab Hannibale Pœnorum duce octo mensium obsidione capta est, indeque deuastata, ac diruta, sola antiqua arcis mœnia extant. Vnde à successoribus muri veteres dicti sunt, & à modernis Muriuetus oppidum dictum est. Post Saguntum Oriola vrbs fuit quæ ab antiquis Orontia, siue Orintigum dicebatur, quam Lucius Scipio frater Africani expugnauit, accepit cruenta victoria, quoniam ex oppidanis in ipsa expugnatione duo millia perempta sunt, fuitque ipsa expugnatio statim capta ab Africano noua Carthagine. Hinc sequitur Cæsarea Augusta ciuitas olim Agrippa dicta ab eius conditore Agrippa (vt multis scriptoribus placet, inter quos Strabo libro tertio, & Plinius idem libro tertio de Naturali historia) quæ prius vocabatur Salduba: conuersionem autem nominis ei dedit Augustus Cæsar, posteaquam deuicto Antonio Romam rediens, est cognominatus Augustus, qui victricia arma quum transtulisset in Hispaniam, ibique Vaccæis, Illiturgibus, plurimisque Hispaniæ populis perdomitis, demum Agrippam, vel Saldubam vrbem venit, eamque ampliauit, atque ex suo nomine Cæsaraugustam nominauit. Apud amnem Iberum duæ quondam florentissimæ fuere vrbes, quæ hodie in parua oppida sunt redactæ, Aseua prima, quę à modernis Asco oppidum dicitur. Altera Ascapa, quã hodie Cespũ vulgus nominat. Est & pręterea oppidũ ad Iberũ, quod Hitona dicitur, Octogesima ab antiquis appellatũ: de quo Cęsar meminit in Cõment. ciuilis belli lib. I. Vicus ciuitas ab antiquiorib. Ausa dicta est: à recẽtiorib. vero Ausonia. Ausam multi dixerunt ab ausu homniũ, quũ cęteris confinitimis sint audaciores: quidã vero Ausoniã,

tanquam ab Ausoniis qui Itali sunt, condita sit. de quibus Ausoniis meminit Vergilius sæpius. Post Ausam, siue Ausoniam (quæ tamen Vicus ciuitas nuncupatur) Berga oppidum est, quod veteres Birginium appellauere. Post hos iam nostram intremus diœcesin, in qua Bysuldiuio oppidum est, quondam vrbs quæ Betula dicebatur. Inde Balneole oppidum, quod Aquæ Votonis per antea dicebatur, vt ex itinerario Antonii Pii constat. post nostram diœcesin sequuntur Ceretani, quorum apud antiquos maxima vrbs fuerat Libyca, quam Iulius Cæsar Iuliam Libycam appellauit. Nunc vero ad parui momenti arcem, tutissimam tamen, redacta est. Et iam expediti ab vrbibus quæ nomina mutauerunt, nunc deletas vrbes aggrediamur.

De vrbibus quæ quondam florentissimæ in Hispania sunt deletæ.

SI ignorantia prouinciarum propter mutationes nominum vrbium, montium, & fluminum legentibus verum sensum impedit, itidem quoque existimandum est, quum memorantur florentes quondam vrbes, quæ diuersis casibus sunt deletæ: quæ quum non appareant quibus in locis extiterint, turbationem legentibus inde fieri necesse est. Ideo vrbes quondam memorabiles Hispaniæ statui recensere, præmittens quod multæ fuerũt in Hispania vrbes & oppida deleta, quæ in veteribus historiis nominantur. Nunc autem nec earum vestigia exstant, neque euersiones illarum memorantur. De quibus recensere libet, quod refert Strabo Polybium dicere in tertio libro T. Tiberium Gracchum in Celtiberia tercentas vrbes euertisse. Quod idem Strabo videtur irridere, vt more comico dictum, nisi turres vrbes dixisset. quanquam Lucius Florus in suo Epitomate secutus Titum Liuium libro secundo dixerit, Tiberium Gracchum patrem duorum Gracchorum Celtiberos centum quinquaginta vrbium euersione mulctasse: in Bæticaque primam omnium vrbium deletarum Calpe vrbem esse in radice montis Calpe, quæ posita erat ad fretum Herculeum, de qua meminit Strabo libro tertio, referens Timosthenem dicere illam ab Hercule conditam, & Heracleam appellatam: ostentari etiam magnum murum in circuitum & naualia. estque mons Calpe, & quondam vrbs in Turdetania. Ab eo enim monte in nouam Carthaginem tenditur, & ab iis temporibus quibus Titus Liuius eloquentissimam historiam texuit, vrbs collapsa refertur. Vnde à Lusitanis erit incipiendum. Prima itaque omnium Lusitaniæ erit vrbs Lemacenorum, quondam opulentissima, grandi murorum ambitu circunspecta inter flumina Doriam & Liminum, quem Liminum vulgus Vngium vocat. Collapsa vero refertur Traiani Imperatoris temporibus propter rebellionem. Erat autem ipsa vrbs Dorio flumini satis propinqua, vicina Portugalliæ regno. Erat præterea maior omnibus vrbibus Hispaniæ secundum Claudiũ Ptolemæum. à qua Lemacenorum vrbe, vel ab amne Limino, illius agri incolæ Limicæ dicti sunt. Secunda opulentissima quondam vrbs Hispaniæ fuerat Norbea, quam Claudius Ptolemæus Cæsaream appellat, propterea quia quum in primo ciuili bello partibus Cæsarianis adhæreret, à Pompeianis, siue Sexto Pompeio, vel Petreio, seu Afranio Pompeianis ducibus in odium Cæsareanorũ euerteretur. vnde Norbea Cæsarea dicta est. Hęc enim vrbs situm habuit in Lusitania inter duo flumina Tagum & Anam nunc Godiana appellatum, Tago tamen magis appropinquabat. magna siquidẽ & opulentissima quondam vrbs erat, ad cuius æmulationem, vel verius satisfactionem Augustus Cæsar superata Hispania vrbem aliam illi vicinam instituit ex dispersis populis, & veteranis Hispaniæ militibus qui cum Cæsaribus Iulio seu Augusto militauerant: quos quoniam emeritos appellabat, ideo Emeritam vrbem vocauit. Ad alteram partem Norbeæ vrbis constructam, quæ amni Tago magis appropinquat, quæ perstitit vsque ad Gotthorum tempora, maxima quidem vrbs, Lusitaniæ metropolis, temporibus Diocletiani & Maximiani Cæsarum, in qua multi martyres passi sunt: inter quos fuere Eulalia ab Emerita vrbe oriunda, & Iulia eius soror, quarum in Elnensi ecclesia corpora quiescunt. à Mauris itaque euersa putatur, quoniam Gotthorum Archiepiscopum habuit, qui interfuit pene omnibus Toletanis conciliis. Et inde deleta Emerita, metropolitana sedes translata est in Ouetensem, & ab Ouetensi in Compostellanam. Tertia vrbs euersa est in Asturiis Asturica Augusta, quæ etiam à Mauris euersa putatur. sita enim erat in planicie inter Pisorgiam atque Storgiam flumina, interque duas vrbes Legionem & Burgium. Oppressi siquidem Christiani a Mauris plana deseruere, atque in montana confugientes Ouetum vrbem condiderunt, seu ampliarunt. qui Pontificum summorũ concessione Ouetum metropolim Galliciarũ effecerunt: inde per posteros Reges ædificata Compostella, ipsam metropolitanam ecclesiam in Compostellam transtulerunt. Erat præterea & alia vrbs opulentissima quæ Illiturgium dicebatur, non longe ab Aragoniæ finibus distans, quam Publius Cornelius

Eulalia & Iulia in Elnensi Ecclesia.

Scipio

Scipio, is qui Africanus cognominatus est, incendit atque euertit in vindictam patris & patrui, qui illius vrbis opere perierunt. Obtenta siquidem noua Carthagine ab ipso Scipione, prima aggressione Illiturgium inuasit, atque igne vastatam deleuit. hanc itaq; non longe a Medina cæli distare Titi Liuii designationes ostendũt. Deinde fuit & altera vrbs Castulo quondam opulentissima, medium tenens in citeriorem vlterioremque Hispaniam, de qua Silius Italicus de bellis Punicis libro primo:

Fulget præcipuis Parnasia Castulo signis.

Et Plinius de Naturali historia libro tertio: Longitudo citerioris Hispaniæ est ad finem Castulonis à Pyrenæo, sexcenta septem millia passuum, & paulo amplius: latitudo à Taracone ad littus Olarsonis CCCVII. ab hac enim vrbe, quanquam collapsa atque diruta, à multis creditum est Castellæ Reges traxisse nomen. vnde versus:

Castulo barbarica luget ditione Granata.

A qua Rex habet denominationem Castulonensis. Fuit enim hæc ciuitas ab eodem Africano in patris & patrui vindictam euersa, quæ non longe ab Iliturgo eadem supputatione distabat. Hæ sunt vrbes vlterioris Hispaniæ, quæ deletæ maxime memorantur. Iam nunc ad citeriorem Hispaniam veniamus. Prima igitur omnium vrbium citerioris Hispaniæ est Numantia, cæteris Hispaniæ vrbibus vulgatior propter virtutem ac res ipsius mirifice gestas: quæ vrbs in citeriore Hispania sita erat inter medios fines Cantabrum, Vaccæorum, & Galliciæ, qui hodie termini sunt Nauarræ, Castellæ, & Aragoniæ regnorum fines, vt placet Claudio Ptolemæo in eius Cosmographia, nec non & Tito Liuio, & Lucio Floro in suo epitomate. Estque illius situs ad oram Iberi supra flumen, secus oppidũ Grunium Cantabricæ prouinciæ, modico in colle subleuata, maxima vndiq; planicie circũstante, vrbi per montis radicem decurrente Ibero. Eratq; (vt placuit Lucio Floro) nec muro circundata, nec turribus munita, quia ex ipsa naturalis situs natura munitissima erat, difficillimum hostibus aditum præbens propter eius circumundique altitudinem. vidimusque ipsi oculis situm præmissis autoribus concordantem. Propereaque in hac describenda errauit Pomponius Mela, qui illam hodie Cæsaraugustam dixit appellari, quia nec situs, nec locus possunt illi conuenire. quod Strabo declarauit libro tertio, vbi dicit Numantiam distare à Cæsaraugusta stadiis octingentis, quæ sunt milliaria centũ. Quo itinere Cæsaraugusta recte distat ab oppido Clunia, vt est dictum. Addit etiam idem Strabo, quod Numantia supra Iberum sita fuerat. Erat enim vrbs Carthaginis, Capuæ, Corinthique opibus aliquantulum impar, virtute tamen omnibus præstantior. De cuius ruina videtur inferius latius in gestis Romanorũ in tertio Punico bello: solum sufficiat de eius ruina ac situ nunc mentionem fecisse. Post Numantiam commemorabo Saguntũ maximam olim in Hispania vrbem (quæ hodie Muriuetus appellatur) non longe à Valentia distans: de cuius situ dicetur infra libro quarto in eius vastatione. post Saguntum quæ vicina Ibero fuerat, Iberia est quondam nobilissima vrbs, ab Iberis condita. De ea etenim sæpius signanter meminit Titus Liuius, quũ describit ingressum Cornelii Scipionis in Hispaniam classe instructa. Refert enim secunda decade nauali certamine pugnasse cum Hasdrubale fratre Hannibalis, ac Imperatore Pœnorum apud eandem vrbem Iberiam, cuius situm late ibi declarat. Erat enim eadem vrbs ad alteram partem fluminis Iberi Occidentem versus, cuius ruinæ hactenus ibi visuntur. Post hanc fuit vrbs Bilbilis in Vrgelensi agro posita secundum Claudium Ptolemæum, à qua vir maximus Valerius Martialis poeta clarissimus traxit originem. Post Bilbilim fuit quondam maxima nobilissimaq; vrbs, dicta Carthago vetus Hispaniæ, situm habens secundum Claudiũ Ptolemæum libro secundo eo in loco seu prouincia, vbi nunc Villa franca Pœnorum est constructa inter populos Ilarqueones: à cuius Carthaginis deuastatione ac gentis, nomẽ hactenus est prouinciæ Pœnorum. Hæc quidem vrbs colonia Carthaginensium facta, post obtentum Hispaniæ dominium ad effodiendum aurum argentumque à montibus Pyrenæis ac vrbi propinquis se totam contulit: à qua effossione Carthago maxima ac omni genere diuitiarum affluentissima facta, omnibus formidabilis apparuit vsque ad tempora Cornelii & Publii Scipionũ patris & patrui, illius qui primo Africanus est cognominatus, qui (vt superius diximus) eam expugnauit, ac deleuit. Noua vero Carthago seu ab Hannibale secundũ Plinium de Naturali hist. lib. tertio, seu ab aliis Pœnis (vt multi voluerũt) condita, non ab alia magna Carthagine noua Carthago, sed ab ipsa veteri Carthagine Hispaniæ dicta est, vt iam dicto loco condita & statuta. Post veterẽ Carthaginem ciuitas Rubricata erat ad oram fluminis Rubricati ad occidentalem partem à flumine dicta. Vrbi autem & flumini nomen dedit eiusdem nominis gens, sicuti de Iberis superius diximus. Fuit enim ea gens ex Africa in Hispaniam translata Carthaginensium temporibus. Habet enim

Africa quasi ex obiecto fluminis Rubricati alium amnem eiusdem nominis, cuius finitimi Rubricati appellantur, de quo Africano amne Rubricato meminit Cæsar libro secundo ciuilis belli, & Claudius Ptolemæus lib. 4. Ex huius enim ora incolæ translati in Hispaniam oram ipsius fluminis per longum incolentes, nomen flumini ac prouinciæ dederunt, vrbemque in ea condiderunt à nomine patrio Rubricatam appellantes. ex cuius ruina Barchinona ciuitas aucta, de tenui oppido in vrbem magnam creuit. Rubricatam insuper vrbem sequebantur tres nobilissimæ ciuitates in nostra diœcesi. Prima omnium erat Emporium à Græcis Phocensibus quondam condita, à qua Emporiana prouincia hęc nostra diœcesis appellata est, vrbs quidem & nobilissima, & maxima quondam, de qua sæpius meminit Titus Liuius in vita Marci Portii Catonis illius qui Censorius dictus est, qui quum iam deleta Carthagine Consul in Hispaniam missus aduersus multas Hispaniæ prouincias apud eandem vrbem sæpius pugnasset, & quidem prospere (vt refert Flauius historicus qui ea tempestate annalia describebat) in agro Gerundensi atque Emporitano, vbi pugna conserta fuit, victore Catone XL. millia Celtiberorũ occubuisse. Cato vero suam historiam scribens refert, detractor laudum suarum, multa millia hominum interuenisse, sed numerum non expressit. In eadem etiam vrbe referunt scriptores moderni Iulium Cæsarem instituisse coloniam Romanorum ciuili bello, itemq; peracta dicta colonia mansisse vrbem sub triplici custodia, murorumq; distinctione, diuersis spatiis ac idiomatibus seiuncta. Vna siquidem quæ ad littora maris ad Orientem spectabat, Græcorum erat: altera vero, quæ ad Occidentem, Romanorum: tertia vero, quæ ad Septentrionem vergebat, prouincialium seu Celtiberorum erat. Hæc enim vrbs in tres diuisa, singulæ vallo mœnibusq; seiunctæ, alia aduersus aliam se tutabatur. Ad eam itaq; ab Italia veniens in Hispaniam Cæsar applicuit, pugnaturus aduersus Pompeianos, qui Hispaniam obtinebant, L. videlicet Afran. M. Petreium, ac M. Varronem. Habuit autem hæc vrbs eandem originem cum Massiliensibus ex Phocensibus Græciæ populis, in qua (vt refert Strabo lib. tertio) cum ipsis Massiliensibus Dianam Ephesiam maxima veneratione colebant. Hæc gens quum primum littori applicuisset, apud paruam admodum insulam, quam Palæpolin prius vocitabant ex opposito vrbis (nunc vero Medam appellãt) habitarunt: inde postero tempore ad continentem translati, simul cum paucis ibi stantibus incolis habitarunt, seiunctis tamen mœnibus, sed ex communi concordia remp. administrarunt. Deinde Iulius Cæsar adductis ibi Romanis populis tertiam vrbem constituit, quam Coloniam Romanorum effecit. Appellata est autem Emporium Iuncaria, sicuti noua Carthago Spartaria, ab amne nauigabili, qui in eo agro ab oppido Iuncaria emanat, per vrbemque delabitur, & ab eo vsque in Italiam nauigatur. Hæc Strabo. Satis itaque sit de Emporio hæc perstrinxisse. Ferunt autem quidam hanc vrbem Traiani temporibus euersam propter rebellionem, quod tamen non existimo verum, quum legatur Maximiani & Diocletiani temporibus constitisse, diuersasque inibi per prætores exercuisse passiones martyrum, fueruntque à patribus inibi statuti episcopi. vtcunque igitur euersa sit, illam non extare nunc certum est. qualisq; & quanta fuerit, ostendunt ruinæ ac vestigia collapsæ vrbis. Erat præterea & altera vrbs in præfata nostra diœcesi, de qua meminit Titus Liuius & Valerius Antias, ad oram maritimam sub iugo Pyrenæi posita, quæ quondam Rhoda dicebatur, à Rhodis condita. Ad quam veniens Marcus Portius Cato, is qui Censorius est appellatus, ad domandos nonnullos Hispaniæ rebellantes populos, ad eam primum applicuit ex portu Lunæ, prout in vita præfati Catonis legitur. Ipsa vero vrbs collapsa manet omnino carens incolatu, eiusque pauca admodum vestigia manent, præter insigne quoddam monasterium sub beati Petri nomine constructum, cui cognomen de Rhodis inditum est à vicina vrbe, quæ in radice montis locata fuerat. Monasterium enim collem vrbi superiorem occupat. Hæcque vrbs vsque ad Gotthorum perstitit tempora, & Episcopos habuisse legitur, qui diuersis conciliis interfuere. Fuit & alia vrbs Iuncaria dicta in nostra diœcesi sub iugo Pyrenæi, quę etiam collapsa, manet redacta ad parui momenti oppidum, quod tantum viatoribus solitum est præstare receptaculum, de qua meminit Ptolemæus libro secundo. Et sic finem faciemus narrationi direptarum vrbium.

IOANNIS EPISCOPI GERVNDENSIS PARALIPOMENON LIBER SECVNDVS.

De aduentu Herculis in Hispaniam.

VASTATA igitur Troia sub Laomedonte Rege infœlicissimo, traditaque ab Hercule Hesiona præfati Laomedontis filia Telamoni Salaminorũ Regi in concubinam: is vtique omni sceleratissimo sceleratior quum nihil in Asia prædandum cõspexisset, audita Geryonis Hispaniarum Regis fama, quod ditissimus esset (vt refert Iustinus libro vltimo) ad illum prædandum animum flexit. Erat enim Geryon ea tempestate armentis ditissimus, in quibus solis tunc hominũ diuitiæ consistebant. Magna itaq; manu pugnatorum hinc inde collecta ex diuersis Asiæ, Libyæ, Europæq; populis, instructa classe in Hispaniam pergit. Peragrato siquidẽ Phœnicum regno, in quo clarissimæ tunc Tyrus, & Sidonis vrbes erant, Achaiæq; ac Illyridis discussione facta, per Italiam nauigans alto pelago in Hispaniam properat. Ab Ausoniis itaq; ac Latio vbi nunc Roma est, & quæ quondam Ausonia & Latium dicebatur, per oram maritimam ad montem Tusciæ Tiberi propinquum peruenisse ferũt. Ex cuius aduentu nomen portui inditum est, vt portus Herculeus diceretur, quod vsq; in hodiernum durat. Inde per pelagus mediterraneum in Sardiniã peruenit, ibiq; cum inter insulas Sardiniam Corsicamq;, quæ quondam Cyrnus dicebatur, apud paruulam insulam intermediam libamina prospera nauigatione diis obtulisset, eam ex suo nomine Herculis insulam appellauit secundum Claudium Ptol. Sardis autẽ filium Sardum Regem dedit, qui ex suo nomine insulam Sardiniam nominauit. Fuit enim Sardus filius Herculis secundum antiquorum scripta. Altera vero nauigatione ab insula Sardinia Cyrnoq; in Baleares insulas peruenit, quæ ante præfati Herculis aduentum Gymnasiæ dicebantur secundum eundem Ptolemæum, quanquam Diodorus referat à Romanis Baleares esse dictas: in quo potius Ptolemæo credendum esse puto. Quum enim insulares inauditam ferocemq; Græcorũ gentem fundis, quæ Græca lingua baleæ appellantur, propellerent ac propulsarent, Hercules Baleares insulas censuit appellari. Habebant enim per eadem tempora iidem insulares peritissimum fundarum vsum, vt supra de vrbibus, quæ nomina mutauerunt, late disseruimus. Quumq; primo in minorem insulam peruenisset, templum Iano dicauit, cui rerum initia consecrare solebat antiquitas. intrans enim in Hispaniam eam expugnaturus, Ianũ deum sibi propitiatorem statuit, apud oppidum quod nostris temporibus Ciuitatella dicitur, & templum Iano statuit, & vrbem, quam à Iani templo Ianam appellauit: portusque ab vrbe nomen retinuit vsq; ad Ptolemæi tempora. Ab insulis itaque Balearibus & altera nauigatione in alteras insulas minores Tarraconæ oppositas peruentũ est, quæ ante eius aduentũ Pityusæ dicebantur, quæ ab eodẽ postea mutato nomine Ebusæ sunt dictæ, prout superius dictũ est in cap. de vrbib. quæ nomina mutauerunt. Et à Pityusis insulis in Oceanũ properans, quidam dixerunt iam primũ Hispaniæ oram attigisse apud Dianæ promontorium, quoniam Dianæ templum ibidẽ erat, quod Herculi ad ea littora in Hispaniã intranti ascribitur, quoniam ducatus itinerum ac syluarum Dianę tribuebatur. indeq; per altum pelagus ad Herculeum fretum peruenit. Vbi primum resedit, & columnas fixit ad æmulationẽ alterius Herculis qui alias fixerat ad alterã Libyæ oram, ab eodẽ siquidẽ Herculeum fretum Herculeum ibi dicitur, Iunonisq; eo in loco construxit templũ, quod vsq; ad Claudii Ptolemæi perstitit tempora: cui terrarum spatia ac planicies gentilium obseruantia consecrabantur. Indeq; in Gaditanam insulam nauigans, in ea aliquandiu resedisse ferunt, quæ quondã Tartessus dicebatur. Deinde accinctus ad prælium ad oram Anæ fluminis cum prouincialibus decertauit. Ex cuius pugna finxere poetæ, Titanes pugnasse cũ diis apud saltus Tercenorum. Victisq; prouincialibus quum ibi lusisset gaudẽs de obtenta victoria, ab Ana flumine & luso facto Lusitaniam prouinciam dixit (vt supra diximus) quanquam Plinius lib. tertio de naturali historia sic propterea dicat appellatam, quia apud illam Liber pater, ac Lysas luserunt cum Phana eiusdem Liberi præfecto. Inde Hercules victor ingressus Hispaniam ab vlteriori Hispania in citeriorem peruenit, in qua regnabat Geryon, eumque cum prælio vicisset, interemit, omnemque Hispaniam in suam subegit ditionem. Tartessum autem vrbem in Gades mutato nomine ex Tyriis & Sidoniis

ampliauit. Post enim Herculis aduentum, ex Tyriis & Sidoniis fuit eiusdem vrbis incolatus & ampliatio secundum Iustinum vltimo libro suarum antiquitatum.

De origine Herculis nostri & eius sceleribus.

REM maxime difficilem aggredior, dicturus de Hercule nostro, in quo omnes fere scriptores, tum varii, tum ignari Herculum, errore quodam ducti sunt. Scribentes enim de Hercule, quidã quod tantum vnus fuerit Hercules putauerũt: gestaque omnium huic nostro Herculi qui venit in Hispaniã, tribuũt. In quo numero fuit Toletanus noster, nec non & Firmianus Lactantius libro primo de falsa religione, plurimique alii. Nonnulli vero plures Hercules confitentur, nec tamen inter eos facta patiuntur, sed illa inter se conculcantes, qualis quisque fuerit, non discernunt. ex quibus est Iustinus post Trogum Pompeium penultimo libro. Papias insuper quum duos fuisse Hercules asserat, inter eos non discernit. Dicit enim duos Hercules, vnum Argiuum, alterum Etham. Ioannes insuper Boc. in lib. quos de genealogia Deor. inscripsit, quum diuersos admodum Hercules confiteatur, de illorum singulis gestis non differit. Eodem etiam modo August. noster in XVIII. libro de Ciuitate Dei, quum secretiori historia plures Hercules esse confiteatur, inter eos facta non diuidit. Sic & Macrobius libro Saturnalium: Non existimes (inquit) Alcumenæ apud Thebas natum solum, vel primo Herculem nuncupatum, immo post multos atque postremos ille hac appellatione dignatus est, quod multa fortitudine nomen Dei promeruit. Ego vero plurimis hinc inde digestis codicibus quæ de Herculibus inuenire potui, proferam in medium. Et primo de nostro differamus. Hercules enim nomen Græcum esse monstratur, & Gręce Herculeos dicitur, nomen compositum ab her, quod Græce significat hominem, & culeos fortem, siue strenuum, agonesque superantem. Hic autem, de quo dicturi sumus, natus est in ea Italiæ ora quæ magna olim Græcia dicebatur, ciuitate Tarento, ipsius enim pater ignoratur. Erat in ea vir priuatus nomine Amphitryo, cui erat vxor nomine Alcumena: quæ hunc Herculem absente viro peperit ex adulterio, & Alcidem appellauit. Sic enim eum appellat Vergilius in septimo Æneidos, dicens:

Tergemini nece Geryonis spoliisque superbus
Alcides aderat--.

Postea vero Alcides Thebas Euboias mittitur educandus, qui admodum puer quum semel duo ei serpentes occurrissent, ambos pariter interemit: quumq; coætaneos suos iam animo & virtute superaret, Hercules cœpit cognominari. Perantea enim præcesserant alii eius nominis, qui hoc Herculis nomine insigniti immortalitatẽ famæ iam fuerant consecuti. Hic autem quum adoleuisset, magnaque de eo roboris ac virium corporis fama percurreret, Peleus dolo concepto quum Iasoni nepoti parasset classem virosque strenuos ad vellus aureum conquirendum, ei hunc Alcidem socium dedit. qui expleta nauigatione in Colchos, deletaque Troia, cum Laomedonte Rege, ac suaso ad fraudes Iasone ob raptum Medeæ, quum iam sibi nihil prædæ in Asia Græciaq; esset, audita fama Geryonis Hispaniæ Regis, quod ditissimus esset pecudibus & armentis, quæ tunc solæ hominum diuitiæ habebantur, cogitauit in Hispaniam venire sola prædæ cupiditate allectus, vt placet Trogo Pompeio. Non ergo quisquam putet hunc Herculem nostrum illũ esse, qui illa XXI. pericula superauit, neque illum qui Antæum in OEta monte peremit, neque illum alium quem Græci Deum putauerunt. Hic enim noster sceleratissimorum sceleratissimus, & omnium sui nominis deterrimus fuit. Hic enim quum ex adulterio Alcumenæ procreatus esset, poetæ ad excusandum adulteriũ matris, sibiq; adulari cupientes, finxerunt Iouem cum Alcumena concubuisse, ex Iouequé hunc Herculem peperisse infantem, qui quum tandem cœpisset bella facere, nec quicquam quod ad vitium, fœditatem, atque immanitatem pertineret, omisisset, deductus ad Troianam vrbem ad perdendum eam dedit operam, & illa duo fœda ac immania facinora, ab omniq; posteritate vituperanda commisit, Regem scilicet Laomedonta deuictum armis propriis perimendo, truncandoque manibus, & eiusdem Regis filiam virginem Telamoni Aiaci tradendo in concubinam, vt superius diximus. Qui item quum in Colchos peruenisset, quam deprauata consilia Iasoni dederit, docent historiæ velleris aurei. Operatis siquidem fraudibus, rapta Medea, orbatoque patre qui aduenas summa pietate colebat, cogitauit in Hispaniam transfretare. Collectaq; magna manu Tyriorum, ac Sidoniorum, Italicorumque classe instructa in Hispaniam venit. Vbi quum alterũ Hispaniæ Regẽ, seu tres fratres Geryones etiam armis victos peremisset, falso mentitus est se Deum, Iouisq; filium, nouamq; in Hispania ac falsam introduxit religionem, atq; omnia quæ ad priscos sui nominis Hercules

cules pertinebant, laudandaque occupauit. Sic itaque noua per eum introducta religione, ad multorum prædam conquirendam omnium decimas ſibi mendaci præſtari diuina autoritate decreuit, vt refert Diodorus libro quarto & quinto, & Iuſtinus lib. penultimo. De iſto enim Hercule, quanquam aliorũ virtutes huic referat Rodericus Toletanus, tanquam qui præter vnicum Herculem aliorum notitiam non habuerit; ſubdit in iſtius deteſtationem: quod ſatis fuit Hiſpano ſucceſſori direpta & prædata ab Hercule emendare ætate ſua, tanquam qui nihil laudis & virtutis dignum Hiſpanis reliquerit. Illius vitia proſequitur Firmianus Lactantius dẽ falſa religione lib. primo. Inde poſtquam Hiſpaniam iam multis annis prædis & incurſionibus fœdaſſet, euocatus à Telamone Salaminorum Rege, cæteriſq; Græcis pro vindicando Helenæ raptu, cuius cauſa extiterat ob raptum Heſionæ, veniſſetq; in Italiam regnumq; Fauni, recepto ab eodem Fauno humaniter curauit eius filiam ſtupro polluere nomine Carmentem Nicoſtratam. Ex cuius concubitu creditum eſt Latinum Regẽ genuiſſe. Traditiſq; nonnullis deitatis ac religionis ceremoniis Latinis, & maxime Pontificiæ domui (vt refert Iuſtinus libro penultimo, & Valerius libro primo) in decennali obſidione Troiana poſt annum firmata obſidione obiit correptus febre. cuius vim ac impetum quum ferre non poſſet, in ardentem ignis pyram ſe iactare inſtituit, atque miniſtrata ſibi camiſia à Deianira eiuſdem concubina, ea indutus in ignem ſe proiecit. cuius mortem poetæ fictionibus ornantes, dixere Deianiram cum ipſa camiſia ſibi miniſtraſſe venenum, qua autore ſe in ignem præcipitauit, ſed tamen veraci hiſtoria ex eo fuit, quia ardorem febris ferre non poterat. Hæc de Hercule noſtro à veridicis ſcriptoribus relata comperta ſunt. Iam nunc nobis ad alios tranſeundum eſt.

De pluribus aliis Herculibus.

AVGVSTINVS in XVIII. libro de Ciuitate Dei multos Hercules ac Liberos patres ſecretiori hiſtoria fuiſſe affirmat. quam ſecretam hiſtoriam cum multi ignorauerint, nos Deo ductore eam aggrediemur, primoque dicemus vnum fuiſſe Herculem natione Syrum ex Phœnicia, ad quem illa XII. pericula referuntur, quem Samſonem (vt opinor) dixit antiquitas. Hunc affirmat Diodorus libro tertio & quarto præceſſiſſe Troianũ bellum annis fere mille, quibus temporibus nondum arma erant ad bella apta, ſed tantum homines fuſtibus vtebantur pro armis, & pellibus pro indumentis. Auguſt. vero eodem loco, quem multi ſequuntur, refert illum fuiſſe tempore Moyſi alias exactis annis anno ab orbe condito milleſimo terno, ac ſexcenteſimo quinquageſimo ſecundo tribus millibus ſexcentis quinquaginta duobus. Iſtumque Herculem aiunt Syrum Delphiniamque appellari apud Phœnices. vnde de eo hactenus Macedonibus remanſit nomen, vt Dethanans appellatur. Secundus fuit Græcus, filiuſque Iouis Cretenſis Regis, ac nepos Saturni. Ferunt enim veteres ſcriptores Iouem habuiſſe duos filios Herculem & Dionyſium, qui Liber pater dictus eſt. Hercules enim in Creta inſula & Græcia regnauit, Dionyſius vero intrauit in Indiam ibi regnaturus, duxitque ſecum mulieres, quas Bacchas appellauit. De iſtis enim duobus refert Iuſtinus, quod fuerunt Reges Orientis, lib. XLII. quoniam alter in India, alter in Græcia regnauerunt. Fuerunt autem Hercules & Dionyſius Iouis filii per annos circiter trecẽtos ante Troianum bellum, vt de eis meminit Firmianus Lactantius in fine primi libri. hicque Hercules computationem Olympiadum conſtituit, ac Olympiacum ludum, multaque laudanda Græcis reliquit, propter quæ ab indocta multitudine Deus putatus eſt. de iſto etiam Hercule meminit Auguſtinus dicto XVIII. libro. Hunc Herculem falſo ſe fuiſſe finxit Hercules noſter Hiſpanus, de quo ſuperiori loco diximus. Tertius Hercules fuit Ægyptius ſiue Afer, de quo late diſſeruit Diodorus libro primo & quarto antiquitatum. Et hic Ægyptius ſiue Afer Antæum palæſtræ inuentorem in Oeta monte peremit. Mons enim Oeta in Libya eſt. hic Antæus Tangin vrbem in Mauritania Libyæ conſtruxit, apud quam vrbem ſepultus comperitur. De cuius corporis magnitudine refert Plutarchus in Sertorii vita, quod quum cepiſſet ipſam vrbem Tangin, ibique multa dicerentur de magnitudine corporis ipſius Antæi, quum ibi eſſet ſepultum corpus ipſius, ipſe Sertorius iuſſit aperiri ſepulchrum, in quo quum nihil inueniretur, illud effodere iuſſit: vbi comperit oſſa illius longitudinis cubitorum LXX. Hic enim Hercules Ægyptius ſiue Afer totam peragrauit Libyam, & quum perueniſſet in Oceanum, ibi columnas fixit ad Libyæ partem. ad cuius æmulationem noſter Hercules, quum in Hiſpaniam veniſſet, fixit alias ad partem Europæ in Gaditano, vt meminit Diodorus libro quarto. Hic autem Hercules Ægyptius ſiue Afer per annos vltra centum Troianum bellum anteceſſit, & hic à multis Nili filius dictus eſt, tanquam apud illum natus & educatus fuerit, vt refert Ioannes Boccatius libro quarto & ſeptimo de genealogia Deorum. Fuit

Hercules noster Hispanus ex Græcia, ex Alcumena & incerto patre ob adulterium natus, de quo etiam superiori capite late disseruimus. Tantum itaque horum Herculum fama claruit, vt quicunque strenui ac fortis nomen essent adepti, ii omnes Herculis nomine conscriberentur. Vnde Varro quum nominasset tres & quadraginta Hercules, adiecit postea, quod omnes qui fortiter aliquid fecissent, Hercules appellatione nominis dicti fuerunt. Sed huic qui Iouis ex Alcumena filius dictus est, cuncta poetæ absque aliorũ differentia tribuunt. Hoc itaque Herculis nomen ob virtutem resque gestas vel gerendas etiam Euander habuit, & Arcadiæ Hercules appellatus est, vt de eo meminit Ioãnes Boccatius lib. 12. de genealogia deorũ. Item Alexandri Macedonis filius ex Arsine natus Hercules appellatus est, tanquam qui Alexandro patri successurus alterum Herculem se exhibere conueniebat. De isto Hercule meminit Iustinus post Trogum Pompeium XIII. lib. Maximianus quoque Imperator propter virtutem Hercules fuit cognominatus, & ab eo Constans gener eiusdem Maximiani, & Pii Constantini pater, creatus Imperator Occidentis, Hercules & ipse dictus est. Et sic concludendo septem Hercules connumerati sunt veraci historia, & climatibus & operibus distincti, quanquam Boccatius in libro de genealogia Deorum longe plures asserat, gesta tamen eorum & origines ita conculcat, vt non facile deprehendi possint.

De vrbibus ab Hercule in Hispania conditis.

SINGVLA quæque per Herculem in Hispania gesta non possunt describi veraci historia, quum quasi vetustate cõsumpta maiorum nostrorum taciturnitate obliterata probentur. Extant tamen nonnulla ex gratis scriptoribus fragmenta, quæ ad nos transmissa certiores reddiderunt de quibusdam in Hispania ab hoc Hercule gestis, quæ tamen de eo incidenter, non vt historia Herculis texeretur, conspersa leguntur. Herculem igitur antiqui ferunt Hispalim construxisse, pro vt superiori loco dictum, vel à palis infixis, vel (vt alii volunt) à palude quæ vrbem circumdat, appellatam. deinde Iulius Cæsar illam Iuliam Romuleam cognominauit, & Romanorum coloniam effecit. vnde adhuc remanet vrbi vulgare nomen, vt à ciuibus Iulianis Ciuilia, id est ciuitas Iulia, appelletur. Post Hispalim ad Herculem pertinet Calpe vrbs dicta prius Heraclea, de qua diximus in vrbibus deletis. Ad ipsum etiam Herculẽ pertinet Carteia vrbs, quæ nunc Alzezira dicitur ad fretum Herculeum, quæ prius Carteios à Græcis dicta est, vt placet Ptolemęo & Straboni. Ad ipsos item Græcos pertinent quæ de Vlyssea vrbe Strabo meminit, dicẽs, quum de Malaca vrbe disseruisset: Superiora regionis montana loca Vlysseam ostentant, in qua erat Mineruæ templum, vt auctor est Posidonius. Ad Græcos quoque vrbs Saguntũ spectat à Zacynthiis condita (vt Strabo voluit) qui cum Hercule in Hispaniam nauigarunt. Segouiam insuper vrbem ad Herculem pertinere multi asserunt. Postea vero quam citeriorem omnem Hispaniam conquisisset fugato Caco, Geryoneque, ac fratribus eius deuictis & interemptis, ii qui eum ab Oriente Græciaque secuti sunt sedes proprias exposcentes, partemque à Gręcis ob acquisitam victoriam eo annuente sibi vendicarũt. Vnde Tyriis & Ausoniis Tyrassonã concessit. Tyrii siquidẽ Asiani sunt, & Ausonii Itali, qui eum ab initio secuti fuerũt. Vrbem itidem construxerunt Illyrici, qui Achæi sunt, & apud nos hodierno idiomate Sclauones dicuntur, quæ apud amnem Sicorium sita, instar eorum propriæ regionis agrum valde fertilem sortita est. Hanc à propriæ gentis cognomine nominauerunt Ilerdam. Illyrici enim Dalmatiæ contigui sunt secundum Claudium Ptolemęum & oram Adriatici sinus obtinent, qui hodie Sclauones appellantur. licet enim vniuersa Græcia, maximeque ea quæ ad Pontum & Propontidem spectat, Illyris appelletur, Illyrici tamen specialius appellantur ii qui oram Adriatici sinus inhabitant secũdum Claudium Ptolemæum. Ausoniis insuper qui Itali sunt, Ausoniam concessit, quam terram ex suæ gentis nomine appellarunt. Italia siquidem ante Italum Syracusanorum Regem, Ausonia dicebatur, & Ausonium regnum. vnde Vergilius de Ausoniis meminit sæpius in libro Æneidos. Parta itaque victoria vsque in Pyrenæum vltimosque fines Hispanię, etiã Barchinonam condidit, quam Ioui Deo sacrauit. statuit enim templum Ioui in monte vrbi contiguo, quem montem ipsi Ioui dicauit, & ab eodem nomen retinuit vsque in hodiernum (vt placet Pomponio Melæ) quanquam vulgus idioma corrupit, vt apud nostros mons Iudaicus appelletur, quum tamen Iouis mons ab antiquis fuerit appellatus secundum Claudium Ptolemæum & Melam. De vrbis autem nomine multi auctores dissentiunt, quoniam qui vrbem Barchinonam appellant, eam terminant in a, vt sit primæ declinationis, alii autem vti Claudius Ptolemæus, Strabo, & Mela, multiq; alii antiquiores Barcinon eam appellant, & tertiæ declinationis instituunt. Ex quorum differentiis diuersas vr-

sas vr-

ſas vrbi etymologias conſtituunt. Ii enim qui eam in a terminant, & primæ declinationis conſtituunt, affirmant ex nona Herculis barcha ſic vocitari. Aiunt enim, Hercule citeriorem Hiſpaniam nouiter ſubactam peragrante, nouem à Græcia rates aduenisse noua legatione à Telamone, Aiace, cæteriſque Græcis aduocaturas, vt in Græciam rediret, petiturus cum regionalibus Græcis ſecundam Troiæ vindictam, quoniam præſumpſiſſet Paris dictus Alexander, Priami filius ac Laomedontis nepos in vindictam Heſionæ ab Hercule raptæ, & Telamoni Salaminorum Regi traditæ in concubinam, Helenam Menelai Mycenarum Regis vxorem rapere, & violenter in Phrygiam transferre. Atq; quum ad littora Hiſpaniæ rates applicuiſſent, vna apud vrbem Barchinonam confracta traditur cæteris in Oceanum decurſis, vbi Herculem moram trahere intellexerant. Interea captis hominibus nonæ ratis à prouincialibus & ad Herculem deductis, audita legatione Hercules in Græciam redire parat, quod & fecit, vrbemque pro nona barcha in eo loco conſtituit, quam Barchinonam appellauit. Hoc tamen fabuloſum exiſtimo doctiſſimorum autoritati aſſentiens, qui vrbis nomen tertiæ declinationis conſtituunt, vt Barcinon dicatur, quod nomen veraci hiſtoria Græcum eſt, & ſignificat domunculas ex virgultis contextas, quæ ad maris littora ad piſcandum ſunt, in quibus ſe piſcatores recipiunt: quarum quum ibi magnus eſſet numerus, loci ac aeris ſalubritate proſpecta, Barcinon vrbem eodem in loco conſtituit, ſicque eam ab eiſdem domunculis appellauit. Plinius vero libro tertio de Naturali hiſt. etiam Græco nomine Barcinon appellans, Fauentiam quoque dixit cognominari à Romanis, quorum colonia effecta eſt. Ipſi etiam Herculi pertinet Calpe vrbs, dicta primum Heraclea, de qua ſatis in deletis vrbibus dictum eſt.

De reditu Herculis ab Hiſpania in Græciam.

IVSTINVS poſt Trogum Pompeium penultimo libro ſui Epitomatis Herculis reditum de Hiſpania in Græciam refert, & poſteaquam Fauni regnum deſcripſiſſet, qui tertio loco poſt Saturnum regnauit in Italia, adiecit hæc verba: Fauno vxor fuit nomine Fatua, quæ aſſidue diuino ſpiritu impleta, velut per furorem futura præmonebat. Ex filia huius Fauni & Hercule, qui eodem tempore extincto Geryone armenta victoriæ præmia per Italiam ducebat, ſtupro conceptus Latinus eſt procreatus. Diodorus vero poſtquam veritatem Herculum ex veteribus hiſtoriis conſcripſiſſet, quum poetarum antiquorum fabulas de heroibus ac ſemideis retuliſſet, factaque multorum Herculum ex vario ſcriptorum aſſenſu, reditum Herculis ab Hiſpania per Celtogallaciam deſcribit per hæc verba: Peragrata maioris Libyæ parte, Hercules ad Oceanum qui eſt ad Gades, peruenit, ibique in Iberiam cum exercitu tranſiit, vbi columnis poſitis Chryſaoris filios tribus magnis exercitibus ſidẽtes ſingulari prouocatione ſuſtulit. Capta Iberia greges boum ſecum ducens, iterque per Iberiam faciens, quum quidam eius gentis Rex, vir iuſtus præ cæteris ac probus, eum magno honore excepiſſet, partem boum Regi dono dedit, quos ille Herculi dicans ſingulis annis ex his pulchriorem taurum illi ſacrificauit. Hos ſacros in Iberia boues vſque ad noſtra tempora conſtat permanſiſſe. Et poſtquam columnarũ Herculis meminimus, videtur de his paulo amplius dicendum. montes ab vtroque latere cõtinentis mari Oceano imminent, in quibus ſtatuit columnas. cupiens autem ſempiternum ſui nominis monumentum eſſe, aiunt vtrumque montem, vt Oceani maris aditum antea arctiſſimum ampliorem longioremque redderet, excidiſſe, vt magnis nauibus ab Oceano in noſtrum mare aditus præberetur, vt vſque ad poſteros perpetua huius operis gloria maneret. Tradunt alii, maxime poetæ, coniunctis prius montibus ab eo effoſſis ab Oceano ad noſtrum mare aditum præbuiſſe. Verum hæc, quum ſingulis liceat pro libito credere, exiſtimationi hominum relinquenda ſunt. Poſt hæc Iberorum regno optimis eius regionis viris tradito cum exercitu in Celticam Galliam profectus eſt: & quum ingens ex omnibus gentibus exercitus eum ſequeretur, vrbem condidit amplam, quam appellauit Aleſiam, plurimis ex propinquis incolis ſponte in ciuitatem confluentibus: qui quum reliquam multitudinem ſuperarent, è veſtigio ciuitas ad barbaros mores defluxit. Hanc vrbem Celtæ etiam nunc in honore habent tanquam omnis Celticæ prouinciæ metropolim. permanſit hæc vrbs à ſua conſtructione ſemper libera ac ſui iuris vſque ad tempora Caii Cæſaris, qui propter res geſtas Deus dictus eſt, à quo vi capta Romanorum imperio cum aliis Celtis ceſſit. Ab his Hercules in Italiam tendens, iterque per Alpes faciens ita difficilem aditum aſperamque viam ſtrauit, vt poſtea exercitibus cum iumentis impedimentiſque facile iter eſſet, Barbaroſque montanos tranſeuntibus infeſtos ac latrociniis aſſuetos occiſis eorum ducibus deleuit, poſteris reddita itineris ſecuritate, tranſcendenſq; Alpes ad eam oram quæ nunc Gallia appellatur, per Ligures, qui hodie Ge-

nuenſes dicuntur, tranſiit, patriam aſperam & omnino duram multoq; etiam incolarũ labore ac ſtudio paucos omnino fructus ferentem. Qua ex re robuſti ſunt homines, validique, & agiles, ac in bello præcipue fortes ob inopiam & laborem, quibus eorum corpora durantur. Hi enim quum vltra cęteros agrorum exercitio fatigentur, fœminas quoque ruſtico aſſuefecerunt operi, quorum partem Hercules mercede conduxit ad ferendum Græcis auxilium in oppugnatione Troiæ triremibuſque in portu Liguſtico relictis ad Tiberim fluuium, vbi nunc Roma eſt, multis poſtea ſæculis à Romulo Martis filio condita, peruenit. Tenebant tunc Aborigenes locum, vbi nunc Palatium eſt, vrbem penitus paruulam incolentes. Inter hos præſtantiores Poticius & Pinarius erant, qui Herculem vt hoſpitem, magno honore doniſque ſuſcepere. Horum virorum monumenta vſque ad hanc ætatem Romæ permanent. Nam inter nobiliores habentur Pinariorũ deſcendentes, tanquam vetuſtiſſimum genus: Poticiorum in palatio cochleæ deſcenſus eſt lapideæ, ab illo Poticia dicta propinqua domui, quæ tunc Poticii fuit. Hercules ob honorem ſibi à Palatinis impenſum, dixiſſe fertur, eos qui ſibi, poſtquam ad eos translatus eſſet, decimam bonorum dicarent, vitam fœlicem victuros, quod & eueniſſe vſque ad hoc tempus conſtat. Multi enim Romanorum non ſolum mediocri cenſu, ſed qui ditiſſimi ſunt habiti, decimas Herculi vouerunt, poſteaq; fortunatiores facti bona ſua ad quatuor talentorum millia Herculi ſacrarunt. Lucullus Romanorum ferme ditiſſimus æſtimatis bonis decimam partem Herculi dedit, epulas præbens continue, ac profundens multa, Templum inſuper iuxta Tiberim egregium condidere qui ex decimis ſacra Deo offerebant. Deinde à Tiberi profectus Hercules per littus Italiæ ad mare, quum deſcendiſſet ad eum locum, vbi Rhegium vrbs condita eſt in loco valde anguſto, vt pote tredecim ſtadiis diſtante à continente Trinacria, ipſe cornu bouis innixus gregibus præmiſſis mare traiecit, in Siciliamque (quæ & Trinacria à tribus promontoriis dicitur) ingreſſus eſt, quam cupiẽs circumire ad Erycem Regem perductus eſt, cui Nymphæ ad lauandum aquas calidas exhibuerunt. Inde quum in Syracuſam perueniſſet, cum Sicanis qui regionem incolebant, in prœlium venit, quos ſuperauit. Inde in Italiam rediens, quum Cacus Hiſpanus, quem Diodorus Latinum dicit, quatuor illi boues, quos ab Hiſpania duxerat, rapuiſſet, Cacus ab eodem Hercule peremptus eſt: quanquam Vergilius ad oram Tiberis hoc fuiſſe ferat. Et quoniã in Caci memoriam incidimus, quem Hiſpanum fuiſſe tam Toletanus, quam alii plures commemorant, quodque Carpetaniis princeps eſſet, à quo mons Caci dictus ſit, & vrbs Oſca, tanquam os Caci, aliquid de eo dicendum eſt. Hic enim victus & fugatus ab Hercule in Hiſpania extincto Geryone Rege, ſecutus Herculem vindictæ cauſa cupiebat ei ſiue publice ſiue latenter mortem inferre. Quumque opportunitas non daretur, quum diutius in quadam ſpelunca latuiſſet, quatuor Herculi boues rapuit. quos quum mugientes Hercules perſenſiſſet in ſpelunca, illos interempto fure extraxit. Hic autem Cacus Vulcani filius appellatus eſt, propterea quia ignes fumigantes euomere dictus eſt in ſpelunca, quod ex eo fuiſſe fertur, quia primus puluerem ex diuerſis compoſitum ſpeciebus ad iaciendos lapides adinuenit. qui an in Calabria, an apud Tiberim interemptus ſit incertum eſt. Refert etiam Diodorus pręfato lib. quinto, poſt mortem Caci Herculem colonis prædixiſſe futuram ibi vrbem, quam demum fundatores illius oraculo Herculis à Caco Catronam appellaſſe. Hæc Diodorus. Inde iter inceptum agẽs cum Adriaticum ſinum circuiſſet per Calabriam, Apuliam, Brutium, ac Picenum agrum in Epirum peruenit, inde in Macedoniam Thraciamque. vbi quarto anno poſtquã Troiana obſidio firmata eſſet, obiit correptus febre, cuius vim quum ferre non poſſet pyram ardentem ordinati iuſſit, in qua ſe iactaret, quumque petiiſſet camiſiam, à Deianira concubina ſua miniſtrata eſt ei, de qua multi poetæ dixerunt, Deianiram ſibi miniſtraſſe venenum cum ipſa camiſia, quæ ipſum Herculem præcipitaret ad mortem. Hæc autem dixiſſe libuit ad memorandum quæ de reditu ab Hiſpania retulere priores, vt ſciremus, an terra, an mari redierit. Referunt tamen plures Herculem nauigatione traiectum in Italiã rediſſe regnumque Fauni, vbi nunc Roma condita eſt. de cuius aduentu meminit Iuſtinus libro quadrageſimo tertio: Ex filia Fauni & Hercule qui extincto Geryone armẽta victoriæ præmia per Italiam ducebat, ſtupro conceptus Latinus procreatur. Vocabatur autem filia Fauni, Latini mater, Carmentis: Nicoſtrata autem ſecundum Eutropium libro primo, quæ prima dicitur Latinas literas inueniſſe, quas denuo Latinus eius filius quum correxiſſet & emendaſſet, ex ſuo nomine denominauit Latinas. De morte vero Caci diſſentiunt Vergilius & Ouidius à Diodoro, quoniam Diodorus in Calabria apud Catronã vrbem dicit interemptum: cæteri vero apud Tiberim amnẽ. Referunt etiam ii qui dixerunt Herculem nauibus ab Hiſpania rediiſſe in Græciam, quod decedens ab Hiſpaniæ fini-

finibus iugoque Pyrenæi, ad Mediterraneum littus dicauit templum Veneri, à quo etiam hac tempeſtate Portus Veneris nomen habet. Sciens autem ſe ad vindicandum Helenæ raptum in Græciam redire, vouit Veneri illius vindictam, & templum Deę dicauit, quod vſque ad hæc tempora permanſit ad iugum Pyrenæi in finibus Hiſpaniæ. Et hæc de Hercule dicta ſufficiant, iam de aliis Græcis qui venerunt in Hiſpaniam videamus.

De aduentu Teucri, & aliorum Græcorum, & vrbibus ab eis conditis.

REFERT Iuſtinus poſt Trogum Pompeium vltimo libro ſui Epitomatis, quem ſequitur Iſidorus libro nono, quod Telamon Salaminorum Rex dictus Aiax, quum duos habuiſſet filios Aiacem & Teucrum, Teucrum exoſum habuit, Aiacem vero regni ſucceſſorem inſtituit excluſo Teucro. poſt finem itaq; Troiani belli Teucer intellecta morte Aiacis fratris venit in regnum Salaminorũ, atque quum ibi non reciperetur, inſtructa claſſe in Cyprum properat, ibiq; Salaminam vrbem condidit ex nomine ſuæ gentis. Poſtea vero audita fama Hiſpaniæ, per rumorem eorum quæ de ea Hercules ſe feciſſe iactabat, in ipſam Hiſpaniam veniens appulit ad littora Hiſpaniæ, ad eum locum vbi nunc noua Carthago ſitum habet. qui expoſitis ſedibus vrbem conſtruxit, quam à Salamanis & Atticis Salamanticam appellauit. Attica enim prouincia Græciæ eſt ab Athena, Athique illius primo Rege ſic dicta, Salamina à Salamine ciuitate. Ex his igitur duob. populis quos ſecum duxerat, Salamanticam ciuitatem inſtituit. Teucer itaque Salamantica in Galliciã venit, eamque regionem incoluit. Vnde ab aduentu ſuo Gallacia dicta eſt, tanquam à Galatis inhabitata. Vnius autem regionis Gallicię partem occupauit Amphilochi gens ſecũdum Iuſtinum. Sunt enim Amphilochici populi in Gręcia inter Epirum & Achaiam prouincias, habentq; duo flumina Arathum & Acheloum, & in Mediterraneum fluunt. Habent inſuper ex oppoſito inſulam Cephaloniam ſecundum deſcriptionem Claudii Ptolemæi. Ipſius etiam prouincię Gallaciæ partem occupauere, & proprias ſedes ibi conſtruxere Mygdonii, qui ex nomine ſuæ gẽtis vrbem Mygdoniam dixerunt. Eſt enim Mygdonũ regio Mediterranea in Græcia, ſeu Græcis propinqua, inter duo flumina Aium & Erygon, quæ ſimul iuncta fluunt in Ægæum mare. Hæ itaq; & aliæ ſedes ſunt, quas in Gallicia Galatæ conſtruxerunt, de quibus Iuſtinus breuiſſime meminit. Ad hos etiam Græcos pertinet Portus ciuitas, quæ quondam Lauara vrbs dicebatur. Dicitur autẽ Portus Gallacię, quoniam amnis Dorus per eam decurrens quodam latiſſimo ſinu cõmeatus omnes ab Oceano recipiat in Gallacia, à qua Portugallię regnum nomen habet. Portugallia enim omnis ad Gallaciam ſpectat, vel ſaltem quicquid vltra Tagum ac Doriam amnem eſt. Apud iſtam itaque prouinciam Gallacię Hiſpaniæ mons ille Sacer eſt auro refertus, de quo Iuſtinus vltimo libro meminit in hæc verba: In huius gentis finibus Sacer mons eſt, quem ferro violari nefas habetur: ſed ſi quando terra fulgure proſciſſa eſt (quod in his locis aſſidua res eſt) detectum aurum, veluti Dei munus, colligere permittitur. Hæc Iuſtinus.

De Galatis, & eorum nomine, & vnde prodierunt.

EX ſuperioribus ſcriptis oſtenſum eſt Gallaciam Græcam habuiſſe originem à Teucro Telamonis filio. Vnde Hieronymus in procemio epiſtolæ ad Galatas ait: Galatæ Græci ſunt. quomodo autem Græci ſunt appellati Galatæ, quum per antea alio nomine vocarentur, ſuo loco dicetur. Dicendum eſt Galatas omnes ex Græcia prodiiſſe. Vnde Diodorus libro ſexto de Galatis agens ait, Galliam duas habuiſſe vetuſtiſſimas gẽtes, Galatas & Celtas. In Galliæ enim ora maritima quæ ad Mediterraneum ſpectat, Celtæ fuere, & incipiunt ab Alpibus quæ diuidunt Galliam à Liguribus, & protenduntur per Maſſiliã vſque in Pyrenæum: cæteri vero qui incolunt Oceanum à flumine Rheno vſque in Pyrenæum cum cætero interiacenti Mediterraneo Galatæ ſunt. Vnde Celtæ per tempora commixti Galatis & Iberis, finitimis populis, ii qui Iberis admixti ſunt, Celtiberi ſunt dicti ab Iberis & Celtis: cæteri vero qui Galatis admixti ſunt, Celtogallatæ ſunt appellati à Celtis & Galatis. Vnde Gallia omnis his duobus iuncta populis in quatuor Celtogallacias diuiſa eſt: Celtogallaciam Lugdunenſem, Belgicam, Narbonenſem, & Aquitanicam ſecundum Claudium Ptolemæum & Strabonem. Hæc autem admixtio Celtarum cũ Galatis recens eſt. per antea enim omnis Gallorũ regio quæ ad Oceanum ſpectabat, dicta eſt Galacia à candore populorum ſic appellata, quia homines illius regionis humido cœlo educati corpora cæteris habent candidiora. Vnde Galatę qui & Galli dicti ſunt, quum intra proprias ſedes non reciperentur prę illorum multitudine, coadunatis trecẽtis mil-

libus Alpestranſiuere, ac trecenteſimo & quadrageſimo quinto anno poſt vrbem conditam, Romam præter Capitolium incenderunt. Inde in Thraciam Græciamque declinãtes, quibuſdam intra Pannoniam relictis diuerſa in Oriente ac Macedonia bella geſſere ducibus Belgio & Brenno, de quibus Iuſtinus meminit vigeſimo tertio libro ſui Epitomatis cum ſequentibus. Et deinde quum à Rege Bithyniæ qui ab hoſtibus premebatur, eſſent in ſubſidium aduocati, quum viciſſet Rex, cum Galatis dimidium regni partitus eſt. vnde ſimul inhabitantes Gallogræci primum dicti ſunt à Gallis & Græcis, deinde Galatæ. Cæterum Bithynia Græciæ prouincia eſt, cuius prouinciæ metropolis Nicæa vrbs eſt. Inde Galatæ ex dicta cauſa, & ſuæ gentis nomine prouinciȩ Gallaciæ inditum nomen eſt. Huius autem Galatarum nominis originem deſcribit Diodorus præfato libro ſexto de eis latius agens per hæc verba: Celtis olim imperauit, vt aiunt, vir egregius, ex quo filia corporis magnitudine vltra naturæ modum, decoreque cæteras excellens orta eſt. Hæc enim tum viribus, tum ſpecie elata, omnes qui eam vxorem expectabãt, contempſit, exiſtimans neminem ſuo matrimonio dignum. Interim quum Hercules bello aduerſus Geryonẽ moto veniſſet in hanc prouinciam, ibique ciuitatem Aleſiam condidiſſet, admirata tum virtutem Herculis, tum corporis præſtantiam permiſſu parentum eius concubitũ appetiuit. iuncta illi filium genuit nomine Galaten, qui coæuos ſuos tum virtute animi, tũ viribus corporis exceſſit. vir factus quum paternum regnum ſuſcepiſſet, plures oras ſibi ſubdidit propinquas præclaris rebus bello geſtis. Quumque eius gloria celebraretur, ſubditos omnes ſuo nomine appellauit Galatas, ex quo omnis ea regio Gallacia dicta eſt. Huius gens ſola erga Romanos antiquam & quæ ad hanc vſque ætatem durauit amicitiã cõſeruat. Natio vt plurimum ad arctum ſita, regio vtique frigida, ac hyemis tempore pro aqua niuium opulentia abundans. glacies quoque immenſa adeo regionem illam occupat, vt congelata flumina nõ ſolum paucis hominibus, ſed exercitibus quoque cum curribus ac impedimentis tranſitum præbeant. Suntque in Gallacia plures magnique fluuii, alii ex profundis ſtagnis, alii ex montibus emanantes, aliique in Oceanum, alii in noſtrũ mare decurrẽtes. Eorum qui in noſtrum mare labuntur, maximus tenetur Rhodanus, qui in montibus fontes habens quinque oſtiis deſcendit in mare. Ibique Diodorus multa miranda de Galatis proſequitur, ſed tamen omittendum non eſt, quod quanquam Gallia omnis à flumine Rheno vſque in Pyrenæum dicatur Gallacia, Diodorus tamen à dicto loco extendere eam videtur vſque in Danubium atque Scythiam, omnemque Oceani maritimam oram, ſubiiciens poſt multa quæ de Galatis diſſeruit, hæc quæ ſequuntur: Nunc quod à multis ignoratur, ſcribetur. Vltra Maſſilias, qui Mediterraneas regiones, quique iuxta Alpes & montes Pyrenæos incolunt, Celtȩ appellantur. vltra hos, qui ad Notum Oceanum verſus pertinentes oras & Hercynium montem, quiq; deinceps & in Scythiam vſque habitant, dicuntur Galatæ, quas omnes gentes communi nomine Romani Galatas appellant. hæc Diodorus. De Galatis vero Hiſpaniæ refert Strabo lib. tertio de orbis ſitu, quod Gallecii Hiſpaniæ olim nullum habebant Deum: quod Biſcaiæ vſque ad hæc tempora perdurat, quæ regio intra Galleciæ fines ſita eſt, & licet eiuſdem incolæ Chriſtianæ religionis cultores appellentur, ab illis tamen nullum venerari coliq; Deum, certum eſt, ſolumque Chriſtianam religionem labiis profitentur. Apud illos presbyter nullus recipitur non habens concubinam. arbitrantur enim neminem poſſe à carnalibus continere. Quod quum non poſſent, dicunt neceſſe eſſe presbyteros ad parochianorum vxores cõuerti. Ad Biſcaiȩ regionẽ nullus ex inſtitutione Epiſcopus adire poteſt, quinimmo horrẽdam rem narrabo quam ipſe vidi. Quum enim ſub Caliguritano Epiſcopo ſint, ad illos tamen idẽ, nec alius Epiſcopus, etiam pro ſacramentalibus, adire poteſt. immo quum anno M.CCCC.LXXVII. Ferdinandus Caſtellæ Rex inclytus in Biſcaiam intraſſet, adducẽs ſecum Pampilonenſem Epiſcopum, occurrentes prouinciales dixerunt hoc eſſe cõtrarium ſuis legibus. Itaque ne tumultus fieret, Epiſcopus ab Rege remiſſus eſt. Tantaque ex aduentu Epiſcopi ſe affectos moleſtia oſtenderũt, quod vbicunq; Epiſcopus eorũ ſolum calcaſſet, proſequentes illius veſtigia, ac eraſa terra puluerem colligentes maximo coadunatum puluerem igne cremarunt, illiuſque cineres in quandam ſuperſtitionem ac diuini honoris ignomiam in mare proiecerunt.

De aduentu Phocenſium in Hiſpaniam, & vrbe Emporia.

DESCRIPTO aduentu Herculis in Hiſpaniam, & inibi per eum geſtis, viſo item de Galatis ac Teucri aduentu, iam cætera quæ ad Græcos ſpectant, nobis videnda ac deſcribenda ſunt. Nunc igitur de Emporia vrbe quæ à Græcis Phocenſibus originem habet,

bet, videamus. Eadem enim vrbi Emporio origo est quæ & Massiliensibus. De quibus vtrisq; meminit Strabo lib. tertio, nosq; de eis satis supra retulimus in capite de deletis vrbibus. Alii vero secuti Valerium Antiam, Flauium, Titum Liuium, ac Plinium lib. tertio de Naturali hstioria, aliosque autores referunt in hæc verba: Marcus Portius Cato Consul, postquam abrogata est lex Oppia, extemplo x x v. nauibus lõgis, quarũ quinq; sociorum erant ad Lunæ portum, aliis omnis generis contractis, cum ingenti classe à Luna soluens, edixit vt ad portum Pyrenæi omnes sequerētur. Quo fœliciter acto inde Rhodam venerunt, & præsidium Hispanorum quod in castello erat, vi deiecerunt. Ab Rhodaq; secũdo vento Emporias peruenerunt, vbi copiæ omnes, præter socios naualis classis custodes, in terra expositæ sunt. Iam tũc Emporiæ duo erant oppida muro diuisa, vnũ Græci habebãt à Phocensibus, vnde & Massilienses oriundi, alterum Hispani. sed Græcum oppidum in mare expositum muri ambitum minus quadringentis passibus patentem habebat, Hispanum vero retractius à mari erat, cuius murus ad tria millia passuum in circuitu cõplectebatur. Tertium etiam genus ex Romanis colonis à diuo Cæsare post deuictos Pompeii liberos adiectum est. Nunc vero in corpus vnum confusi omnes habitant, prius Græcis, postremo & Romanis in ciuitatem adscitis. mirandum prorsus erat, quæ res Græcos tutaretur, ab altera parte aperto mari, ab altera Hispanis tam feræ & bellicosæ genti obiectos. Sed disciplina certe custos erat infirmitatis, quam inter validiores optime timor cõseruat. Hispani siquidem oppidi murum agros versus egregie munitũ habebant, vna tantummodo in eam regionem porta imposita, cuius assiduus custos aliquis ex magistratibus erat: nocte vero pars tertia ciuium in muris excubabat non minori certe vigilantia, quam si hostis ad portas esset, & custodientes, & continue circumeuntes ciuitatem diligenti cura, Hispanum neminem in vrbem recipiebant, nec ipsi quidem temere vrbe excedebant. Ad mare patebat omnibus exitus, portis alterutrius oppidi è regione factis. Ex eis nunquam nisi frequentes, aut pars tertia fere, cuius proxima nocte vigiliæ in muris fuerant, egrediebantur. Causa exeundi hæc erat, commercio eorum Hispani non adhuc experti mare gaudebant, mercarique ipsi ea quæ externa nauibus adueherentur, volebant. Huius mutui vsus desiderium, vt Hispana vrbs Græcis pateret, faciebat. Erant enim eo tutiores, quod sub vmbra Romanæ amicitiæ lætabantur, quam sicut minoribus viribus quam Massilienses, ita pari colebant fide. De huius autem vrbis initiis satis diximus supra in cap. de deletis vrbibus. Tunc quoque consulem exercitumq; Romanum comiter ac benigne susceperunt. Paucos ibi moratus dies Cato, dum exploraret vbi & quantæ hostium copiæ essent, modicumque id tempus in re frumentaria milites exercendo consumpsisset (id enim erat tempus anni quo frumentum in horrea portatur) ab Emporiis profectus agros hostium vssit vastauitque, omnia fuga & terrore concutiens.

IOANNIS EPISCOPI GERVNDENSIS PARALIPOMENON LIBER TERTIVS.

De Tyriis & Sidoniis, vnde Carthaginenses & Gaditani originem habuerunt.



ET quoniam diximus, Iustinum post Trogum Pompeium scripsisse vltimo lib. sui Epitomatis, Gaditanos ex Tyriis duxisse originem, qui quum à finitimis Hispaniæ impeterentur, ab eorum consanguineis Carthaginensibus auxilia petiuere, quorum auxilio ac fœlici expeditione & Gaditanos ab iniuria vindicauerunt, & maiorem partẽ prouinciæ suo imperio adiecerunt: quapropter, à quibus Carthaginenses originem habuerunt, nobis videndum est. Carthaginenses itaque Assyrii fuere ex Sidoniis & Tyriis. Vnde Vergilius referens aduentum Æneæ in Carthaginem quam Dido construxerat, Sidoniorum & Tyriorum ostendit originem in quarto Æneidos, vbi ait:

Nunc media Æneam secum per mœnia ducit,
Sidoniasque ostentat opes vrbemque paratam.

Pauloque post ostendens non solum Sidonios, sed etiam Tyrios, atq; amorem Didonis in Æneam, sic ait:

Dotalesq; tuæ Tyrios permittere dextræ.

& paulo post subiungit:

Sed fatis incerta feror, si Iuppiter vnam

Eſſe velit Tyriis vrbem, Troiaque profectis:
Miſcerive probet populos aut fœdera iungi.

Iuſtinus vero poſt Trog. Pomp. lib. 18. illorum originem proſecutus, ſic ait: Et quoniam ad Carthaginenſium mentionem ventum eſt, de origine eorum pauca dicenda ſunt, repetitis Tyriorum paulo altius rebus, quorum caſus etiam dolendi fuerunt. Tyriorũ gens condita à Phœnicibus fuit, qui terræ motu vexati relicto patrio ſolo Aſſyrium ſtagnum primo, mox mari proximum littus incoluerunt, condita ibi vrbe, quam à piſcium vbertate Sidona appellauerunt. nam piſcem Phœnices Sidon vocant. Poſt multos deinde annos à Rege Aſcaloniorum expugnati, nauibus appulſi Tyrum vrbem ante annum Troianæ cladis condiderunt. Ibi Perſarum bellis diu varieque fatigati, victores quidem fuere, ſed attritis viribus à ſeruis ſuis multitudine abundantibus indigna ſupplicia perpeſſi ſunt: qui conſpiratione facta omnem liberum populum cum dominis interficiunt, atque ita potiti vrbe lares dominorum occupant, rempub. inuadunt, coniuges ducunt, & quod ipſi non erant, liberos procreant. Vnus ex tot milibus ſeruorũ fuit, qui miti ingenio ſenis domini paruuliq; filii eius fortuna moueretur, dominoſq; non truci feritate, ſed pia miſericordiæ humanitate reſpiceret. Itaque cum velut occiſos occultaſſet, ſeruiſq; de ſtatu reipub. deliberantibus placuiſſet Regem ex corpore ſuo creari, eumq; potiſſimum, quaſi acceptiſſimum Diis, qui ſolem Orientem primus vidiſſet, rem ad Stratonem (hoc enim illi nomen erat) dominum occulte latentem detulit. Ab eo informatus, quum medio noctis omnes in vnum campum proceſſiſſent, cæteris Orientem ſpectantibus, ſolus Occidentis regionem intuebatur. Id primum aliis videri furor, in Occidente ſolis ortum quærere. Vbi vero dies aduentare cœpit, editiſſimiſque culminibus vrbis Oriens ſplendere, expectantibus aliis vt ipſum ſolem aſpicerent, is primus omnium fulgorẽ ſolis in ſummo faſtigio ciuitatis oſtendit. non ſeruilis ingenii ratio eſt viſa, requirentibuſque autorem de domino confitetur. Tunc intellectum eſt quanto dominorum ingenia præſtarent, malitiaque ſeruos, non ſapientia vincere. Igitur venia ſeni filioque data eſt, & velut numine quodam reſeruatos arbitrantes, Regem Stratonem creauerunt. Poſt eius mortem regnum ad filium, ac deinde ad nepotes tranſiit. Celebre hoc ſeruorum facinus, metuendumq; exemplum toto orbe terrarum fuit. Itaque Alexander Magnus quum interiecto tempore in Oriente bellum gereret, veluti vltor publicæ ſecuritatis expugnata eorum vrbe, omnes qui prælio ſuperfuerant, ob memoriam veteris cædis crucibus affixit, genus tantum Stratonis inuiolatum ſeruauit, regnumq; ſtirpi eius reſtituit, ingenuis & innoxiis incolis inſulæ attributis, vt extirpato ſeruili germine genus vrbis ex integro conderetur. Hoc igitur modo Tyrii Alexandri auſpiciis conditi, parſimonia & labore quærendi cito conualuere. Ante cladem dominorũ cum & opibus & multitudine abundarent, immiſſa in Africam iuuentute Vticam condidere: quum interim Rex Mulcto Tyro deceſſit filio Pygmalione, & Eliſa filia inſignis formæ virgine hæredibus inſtitutis, ſed populus Pygmalioni puero regnum tradit. Eliſa quoque Aceruæ auunculo ſuo ſacerdoti Herculis, qui honos ſecundus à Rege erat, nubit. Huic magnæ, ſed diſſimulatæ opes erant, aurumq; metu Regis non tectis, ſed terræ crediderat: quam rem etſi homines ignorarent, fama tamen loquebatur. qua inceñſus Pygmalion oblitus iuris humani, auunculum ſuum, eundemq; generũ, ſine reſpectu pietatis occidit. Eliſa diu fratrem propter ſcelus auerſata, ad poſtremum diſſimulato odio, mitigatoque interim vultu, fugam tacitam molitur, aſſumptis quibuſdam principibus in ſocietatem, quibus par odium in Regem eſſe eandemq; fugiendi cupiditatem arbitrabatur. Tunc fratrem dolo aggreditur, fingit ſe ad eũ migrare velle, ne amplius ei mariti domus cupidæ obliuionis grauem luctum renouet, neve vltra amara admonitio oculis eius occurrat. Non inuitus Pygmalion verba ſororis audiuit, exiſtimans cum ea aurum Aceruæ ad ſe venturũ. Sed Eliſa miniſtros migrationis à Rege miſſos nauibus cum omnibus opibus ſuis prima veſpera imponit, prouectoſque in altum compellit eos onera arenæ pro pecunia inuolucribus inuoluta in mare deiicere. Tunc deflens ipſa, lugubriq; voce Aceruã exorat, vt libens opes ſuas recipiat, quas reliquerat, habeatq; inferias, quas habuerat cauſam mortis. Tunc ipſos miniſtros aggreditur, ſibi quidẽ ait optatã olim mortẽ, ſed illis amaros cruciatus & dira ſuppliciaim minere, qui Aceruæ opes quarũ ſpe parricidiũ Rex fecerat, auaritię tyranni ſubtraxerint. Hoc metu omnib. iniecto comites fugę accepit, iunguntur & ſenatorũ in ea nocte pręparata agmina, atq; ita ſacris Herculis, cuius Aceruas ſacerdos fuerat, repetitis, exilio ſedes quærũt. Primus illis appulſus terræ Cyprus inſula fuit. Ibi ſacerdos Iouis cum coniuge & liberis, Dei monitu, comitẽ ſe Eliſæ ſociumq; præbuit, pactus ſibi poſteriſq; perpetuũ honorẽ ſacerdotii. Cõditio pro manifeſto omine accepta. Mos erat Cypriis virgines ante nuptias ſtatutis dieb. dotalẽ pecuniã quæſituras in quæſtũ ad lit-

ad littus maris mittere, pro reliqua pudicitia libamenta Veneri soluturas. Harum igitur ex numero octoginta admodum virgines raptas nauibus imponi Elisa iubet, vt & iuuentus matrimonia, & vrbs sobolem habere possit. Dum hæc aguntur, Pygmalion cognita sororis fuga, cum impio bello fugientem persequi pararet, ægre precibus matris deorumque minis victus quieuit. Cui quum inspirati vates canerent non impune laturum, si incrementa vrbis toto orbe auspicatissimæ interpellasset, hoc modo spatium respirandi fugientibus datum est. Itaque Elisa delata in Africæ sinum, incolas loci eius, aduentu peregrinorum mutuarumque rerum commercio gaudentes in amicitiã solicitat. Deinde empto loco qui corio bouis tegi posset, in quo fessos longa nauigatione socios, quoad proficisceretur, reficere posset, corium in tenuissimas partes secari iubet, atque ita maius loci spatium, quam petierat, occupat. Vnde postea ei loco Byrsę nomen fuit. Confluentibus deinde vicinis locorum, qui spe lucri multa hospitibus venalia inferebant, sedesq; ibi statuentibus, ex frequentia hominum velut instar ciuitatis effectum est. Vticenses quoque legati dona vt consanguineis attulerunt, hortatique sunt, vt vrbem ibi conderent, vbi sedes sortiti essent. Sed & Afros detinendi aduenas amor cepit. Itaque & consentientibus omnibus Carthago cõditur, statuto annuo vectigali pro solo vrbis. In primis fundamentis caput bubulum inuentum est, quod auspicium fructuosæ quidem, sed laboriosæ perpetuæque seruæ vrbis fuit: propter quod in alium locum vrbs translata. ibi quoque equi caput repertum, bellicosum potentemq; populum futurum significans, vrbi auspicatam sedem dedit. Tunc ad opinionem nouæ vrbis concurrentibus gentibus, breui & populus, & ciuitas magna facta est. Quum successu rerum florentes Carthaginis opes essent, Rex Mauritanorum Hiarbas decem Pœnorum principibus ad se accersitis Elisæ nuptias sub belli denunciatione petit: quod legati Reginæ referre metuentes, Punico cum ea ingenio egerũt, nunciantes Regem aliquem poscere qui cultiores victus eum Afrosq; perdoceat, sed quenquam inueniri non posse, qui ad barbaros & ferarum more viuentes transire à consanguineis velit. Tunc à Regina castigati, si pro salute patriæ asperiorem vitam recusarent, cui etiam ipsa vita, si res exigat, debeatur: Regis mandata aperuere, dicentes, quæ præcipiebat aliis ipsi facienda esse, si velit ciuitati consultum esse. Hoc dolo capta diu Acerbæ viri nomine cum multis lachrymis, ac lamentatione flebili inuocato ad postremũ ituram sese, quo sua & suæ vrbis fata vocarent, respondit, in hoc trium mensium sumpto spatio. Interim pyra in alta parte vrbis extructa, velut placatura viri manes, inferiasq; ante nuptias missura multas hostias cædit. Sumpto gladio pyram conscendit, atque ita ad populum respiciens ituram se ad virum, sicut præceperant, dixit, vitamque gladio finiuit. Quandiu Carthago inuicta fuit, pro Dea culta est. Condita est hæc vrbs LXXII. annis ante quam Alba. Cuius vt virtus bello clara fuit, ita domi status variis discordiarum casibus agitatus est, quum inter cætera mala etiam laborarent cruenta sacrorum religione, & scelere pro remedio vsi sint. quippe homines, vt victimas, immolabant, & impuberes (quæ ætas etiam hostium misericordiam prouocat) aris admouebant, pacem deorum sanguine eorum exposcentes, pro quorum vita dii rogari maxime solent.

Quomodo Carthaginenses Hispaniæ post Græcos dominium obtinuerunt, & per longa sæcula tenuerunt.

VISA Carthaginensium origine, introitum eorum in Hispaniam & gesta memoratu digna videamus. Quum enim Græci per multa sæcula Hispaniæ dominium tenuissent, tandem à Pœnis ab ipsa Hispania expulsi sunt. Vnde Iustinus post Trogum Pomp. in suo Epitomate libro vltimo de aduentu Carthaginensium meminit per hæc verba: Post regna deinde Hispaniæ primi Carthaginenses imperium occupauere. Nam cum Gaditani à Tyro (vnde & Carthaginensibus origo est) sacra Herculis per quietem iussi in Hispaniam transtulissent, vrbemque ibi condidissent, inuidentibus incrementis nouæ vrbis finitimis Hispaniæ populis, ac propterea Gaditanos bello lacessentibus, auxilium consanguineis Carthaginenses misere. Ibi fœlici expeditione & Gaditanos ab iniuria vindicauerunt, & maiorem partem prouinciæ suo imperio adiecerunt. Hæc Iustinus. Diodorus vero libro sexto & Hispaniæ Carthaginensium imperium narrat, & quomodo ex Hispaniæ auro argentoque, quæ in eadem prouincia effodiuntur, Carthaginenses ditiores & opulentiores facti multa bella gessere, & diuersas colonias in ipsa Hispania, Libya, Sicilia, & Sardinia construxerunt.

De coloniis & vrbibus à Carthaginensibus in Hispania constructis.

PRIMAM omnium vrbẽ memorare libet veterem Carthaginem Hispaniæ, quam ex suo nomine denominauerunt (lingua enim Pœnorum Carthago noua ciuitas interpretatur) quæ primo Byrsa, deinde Tyrios, tum Carthago à Cartha oppido, vnde fuit Dido, vel à Cartha, id est corio bouis in tenuissimas partes secto, quo locum vrbis cinxit. Hæc in citeriori Hispania situm habuit inter Ilarqueones secundum Claudium Ptolemęum libr. secũdo, quę Lætanis, Barchinoni, & Rubricatæ propinqua erat. Nunc quoque ager Pœnetensis ac prouincia dicitur ab vrbe Pœnorum demolita nomen retinens. itaque ibi vrbem condiderunt, quam Carthaginem dixerunt, & à succedentibus vetus Carthago Hispaniæ dicta est. De hac meminit Claudius Ptol. libro secundo, describens Tarraconensem Hispaniam. Alia enim noua Carthago Spartaria secundum Strabonem appellata, non est dicta noua respectu magnæ Carthaginis, sed respectu veteris (de qua diximus) quæ condita est à Carthaginẽsibus secundo Punico bello post euersam hanc veterem Carthaginem. Euersa est autem vetus Hispaniæ Carthago à duobus Scipionibus Cornelio & Publio fratribus post captam Saguntum à Pœnis, & in illius vindictam direpta, vt supra diximus. Secunda noua Carthago est condita ab Hasdrubale genero Amilcaris Barcæ, qui primus eidem Amilcari successit, vt refert Strabo libro tertio. Constat tamen quod ante illorum imperium habuit incolatum, cum referat Trogus Pompeius libro vltimo, Teucrum Telamonis Aiacis filium ad eundem locum venisse, ibique resedisse. Hoc etiam placet Pomponio Melæ in sua Cosmographia. Sed potuit illius ampliatio ac dilatio ad Hasdrubalem pertinere. Plinii quoque verba de Carthagine noua sunt hæc: Tarraco Scipionum opus, sicut & Carthago Pœnorum. Causa autem huius ædificandæ ac construendæ vrbis fuit duplex. Vna, euersio veteris Carthaginis Pœnorum coloniæ, ac metropolis citerioris Hispaniæ. Secunda causa fuit institutio seu ampliatio Tarraconæ per Scipiones post deletam veterem Carthaginem in metropolim citerioris Hispaniæ erectæ. Sicut enim Romani voluerunt obfirmare partes citerioris Hispaniæ cis Iberum, ita & Carthaginenses illas vltra Iberum, quarum dominium apud Pœnos erat. Comperto itaque salubri loco portuque nouam Carthaginem Tarraconæ oppositam, Pœnorum coloniam, erexerunt. Inde est Malaca, quam etiam in hodiernũ Mauri possident in Hispania, de qua Strabo libro tertio sic meminit: Malaca vero Phœniciæ ciuitatis propinquioris tenet formam. Idem & de Abdera, quæ nunc Bera dicitur, eodem loco meminit dicens: Abdera Phœnicum etiam ipsa ædificium. Bracara etiam vrbs Galliciæ, nunc in Portugalliæ regno sita, ad Pœnos pertinet. Bracarii enim gens Libyca sunt, quæ incolit ripam fluminis Bracadæ, quod est propinquum Carthagini ad solis ortum, & ibidem influit in Mediterraneum. Incolæ enim riparum dicti fluminis ad partem vtranq; Bracarii appellantur secundum Claudium Ptolemæum lib. 2. Fluit autem amnis Bracada ab vltimis Æthiopię montibus, latissimoque sinu influit in Mediterraneum. Quum enim Carthaginẽses (vt supra diximus) à Gaditanis aduocati essent, collecta magna Libycorum manu, in qua expeditione viciniores Carthagini fuerunt, tandẽ liberata vrbe, quã Gaditani intra Hispaniam erexerant, passim Carthaginenses occupauere prouinciam cum sacro Herculis promontorio, quod est vltra amnem Anam ad Oceanum, principiumq; regni Portugalliæ, quod Hieron appellabant. Vnde & Bracarii milites vrbem ex sua gente constituerunt ac nominarunt. Eaque prouincia à duobus populis Galatis ac Bracariis, Gallatia Bracaria dicta est, sicuti Celtiberiæ quoque ac Celtogallatiæ accidisse diximus, ab Iberorum ac Galatarum gente Celtis commixta. Numantia quoq; à Carthaginensib. cõdita est, seu à Numidis, qui vicini sunt Carthagini, quib. imperauit Masinissa Rex Numidarũ, qui pro Carthaginensibus bellauit in Hispania: de qua Africæ prouincia late mẽtionem facit Crispus Salustius in historia Iugurthina. Vnde Numancia à Numidia Libyæ dicta est, quę semper fuit infesta Romanis, de cuius situ & euersione suo loco dicetur. Legio autem ciuitas, licet multi asserant eam ad Romanos pertinere, veraci tamen historia ad Pœnos pertinet. Fuit autem eadem ciuitas à primis institutoribus cognominata Eleona, dicta à prouincia Eleona Libyæ propinqua, Syriæ, & Æthiopiæ, in qua maxima leonum copia inuenitur, adeo vt præ multitudine pecudum greges videantur: à quibus vt caueant homines regionis, leones sibi domesticos nutriunt ad tutelam. Est enim leo domabile animal, & aptum suum benefactorem tutari. De cuius regionis situ, leonumque multitudine ac ferocitate differit Diodorus libro tertio. Hæc autem gens ab Eleona Libyca Legionem vrbem, quam à sua gente Eleonam vocauit, construxit magna domesticorum leonum multitudine pro suæ regionis more adducta. Qua ex re leonis illi vrbi ac regno figura pro armis

& insigni-

& insignibus est vsque in hodiernum. Quomodo autem Legio dicta sit, cum insignia nomini non conueniant, à multis refertur: inter quos est Isidorus iunior. Ait enim quod Traiani Imperatoris temporibus qui Hispanus fuit, diuersæ vrbes in vlteriori Hispania rebellarunt, & ab Imperio defecerunt, ad quas recuperandas quum Traianus quatuor in Hispaniam militum legiones misisset, vna legio quæ Gerionarum fuit, in Eleona vrbe diu consedit, vnde ab hac legione vrbs nomen mutauit, & legio dicta est. Sic enim eam nominat Claudius Ptolemæus, qui paulo post Traiani tempora orbem descripsit temporibus diui Antonini. Hinc etiam est controuersia, quod arma Leonis nomini vrbis ac regno non quadrent, quoniam veri ac vetustioris nominis insignia sunt. Rubricata autem vrbs apud Rubricatum amnem sita ad oram Mediterraneam non longe à Barchinone Libycam habet originem. Habet enim vrbs & amnis aliud flumen eiusdem nominis Rubricatum ex opposito in Africa, pro vt videri potest ex descriptione Claudii Ptolemæi libro secundo, cuius regionis incolæ translati Carthaginensium tempore, flumini & vrbi dederunt nomen, vti de Iberis supra diximus. Asturica insuper vrbs & prouincia Libycam habent originem. Asturi enim secundum Claudium Ptolemæum Libyci sunt, incoluntque eam Libyæ partem, quæ à Carthagine respicit Orientem Ægyptumque ad oram magni fluminis, quod Symphus dicitur, quod ab altissimis Arabiæ montibus per ipsos Astures aliasque Libycas gentes defluit in Mediterraneum secundum Claudium Ptolemæum. Hæc gens cum Carthaginensibus in Hispaniam peregrinata vrbem condidit, eamque cum prouincia à suo nomine denominauit, diciturque Asturica vrbs, & Asturica prouincia, quas mundant duo flumina Asturga & Pisurga, quæ fluunt in amnem Doriam, & suis terminis claudunt prouinciam, quam (vt diximus) Pœni primo incoluerunt, deinde Asturi, postquam primo & secundo bello Punico eis adhæserunt. Pœnis vero ab Hispania fugatis Romani vrbem Romanis impleuerunt, eamque augentes ac dilatantes Romanorum coloniam effecerunt, quam postea Augustus Cæsaraugustam cognominauit. Abinde enim secundum Claudium Ptolemæum Asturica Augusta dicta est. Hæc enim vrbs ad Galatas, Gallaciamque pertinet, quæ perstitit vsque ad Gotthorum tempora, quibus exactis ab Arabibus vrbs deleta est. Postea vero conualescentibus Christianis, & præfatam regionem occupantibus post Pelagium & Petrum Cantabriæ Ducem primi Asturicarum Reges appellati sunt, in eaque regione Ouetum vrbem prouinciæ metropolim erexerunt, vrbemque regiam efficientes, in ea Reges diutius morati sunt, & ab Emerita vrbe in Ouetensem ecclesiam cathedralem sedem transtulerunt: postea vero de Oueto translata est in Compostellam. Biscaia quoque partim Libycam, partim Græcam habet originem, & licet antiquorum eorum origo Græca sit, habens Amphilochios ac Mygdones qui Græci sunt, iis tamen admixti sunt Bastuli, à quibus Biscaiæ prouinciæ nomen est inditum à Maurorum temporibus. Bastuli enim sunt ii qui quondam prouinciam Bæticam incolebant, quæ hodie Granatæ regnum continet, & à Mauris & Arabibus possidetur, & à prouincia Bætica Bastuli dicti sunt secundum Claudium Ptolemæum, qui ex vicinitate regionis Libycam habent originem, quum alteram Europæ oram Mediterraneo Africæ & Libyæ obiectam obtinerent, ex qua vicinitate iam secundo Libycis in Hispaniam aditum præbuerunt. Primo enim quum Carthaginenses Hispaniam occupauerunt, secundo quum & Mauris præbuerunt aditum aduersus Gotthicam gentem. Hoc enim secundo transitu Afrorum, Bastulorum gente pulsa, à Mauris finibus suis passim propulsi in montes Galleciæ confugerunt, ibique domicilia statuentes nomen gentis retinuerunt, vt Bastulia ab eo tempore dicta sit, atque etiam appellata, qui admixti sunt Galatis, Græcis, Asturiis, Britannisque, quorum vicinam Oceano oram incoluerunt. Hi proprium idioma Barbaricum à Latino non admodum distans effecerunt, quod vsque ad nostra tempora retinent. His in montibus in Hispaniam passim grassante Maurorum vastatione Christi nomen seruatum est, quoad vsque Dominus suscitauit Pelagium in populo suo Hispano belli fulmen, alterumque Gedeonem, qui primus prostratis Christianis spem victoriæ aduersus Mahumetenses exhibuit: ita vt eo præstante victoriam, Christi nomen per Hispanias ampliatum sit vsque in fines dictæ regionis Bæticæ, quam vsque ad nostra tempora iidem Mauri obtinent.

IOAN-

IOANNIS EPISCOPI GERVNDENSIS PARALIPOMENON LIBER QVARTVS.

De iis quæ gesta sunt in Hispania durante primo bello Punico.



XPEDITI iam à Carthaginensibus, gestisque per eos in Hispania, nunc gesta Romanorum describamus, qui Pœnis superatis Hispaniæ imperium diu tenuerunt. Consulatum agente Appio Claudio, qui primus contra Carthaginenses arma sumpsit, anno ab vrbe condita quadringentesimo septuagesimo septimo secundum Eutropium, & septuagesimo octauo secundum Titum Liuium in principio quartæ Decadis, agebatur de bello contra Carthaginenses ineundo, mortuo iam Alexandro Macedone, qui obierat per annos ante sexaginta duos, anno ab vrbe condita quadringentesimo sexto decimo. Causas autem huius belli pernecessarium est exquirere. Occupauerunt Romani ante actum tempus ad subiiciendam Tusciam agrum Picenum, Campanum, cæterasque Italiæ partes, quæ ad Orientem Septentrionemque respiciunt, nec vsque ad ea tempora extra Italiam arma assumpserunt. Interea Carthaginenses iam potentes facti, Africam omnemque Hispaniam possidebant, cœperantque Messanam potentissimam vetustissimamque Siciliæ vrbem infestare obsidereque. Messanenses (qui & Mamertini appellantur) maximam Carthaginensium potentiam formidantes, auxilia à Romanis petere decreuerunt. Legatos igitur Romam mittunt, decernentes potius parere Romanis quam Pœnorum imperium sustinere. Facta Mamertinorum expositione legationis, in Senatu res anxie tractabatur. periculum captæ Messanæ Romano Senatui obiiciebant, ex aduerso metuebant Carthaginensium potentiam (eis enim parebat omnis Africa, plurimæque insulæ, Hispania insuper, quæ Romanis admodum formidabilis videbatur) timebatur nauale prælium quod à Romanis eatenus incognitũ fuerat. Sic æqua lance negotium in Senatu gerebatur. Interim Mamertini causam ad plebem deferunt, exponunt periculum vrbis. A plebe causa suscipitur, & instante plebe bellum aduersus Carthaginenses decernitur. Et Appius Claudius Consul creatur, & constituitur Imperator, qui confecta classe apud Neapolitana littora exercitum traiecit in Siciliam. Interim Hiero Syracusanorum Rex audiens Romanos bellum aduersus Pœnos suscepisse, inito fœdere cum Carthaginensibus Hiero terrestri robore Messanam, Carthaginenses vero nauali classe obsidere acrius decreuerunt. Igitur quum Appius exercitum in Siciliam traiecisset, cum Hierone prælium communiter cœpit, vbi tamen cum aliquandiu dubie pugnatum esset, tandem Hiero ab Appio deuictus est. Cœpit interim Appius agros vsque Syracusanos deuastare, Messanamque rediit. Erat Pænorum naualis Dux Hasdrubal, qui commisso prœlio cum Appio, cessit Hasdrubal. Quum diutius terra marique, tam in Sicilia, quam in Africa Hispaniaq; pugnatum esset, Appio Claudio, Quinto Flauio, Marco Attilio Regulo, Catuloque consulibus per annos viginti quatuor, quum Carthaginenses incommodo graui ac inopia laborarent, pacẽ à Catulo poposcerunt, qui nec pacem repulit, sed pluribus adiectis conditionibus pacem ad Senatum remisit, qui quidem Senatus missis in Siciliam decem legatis, adiectis nonnullis etiam aliis legibus, pacem Carthaginensibus concesserunt, quæ per annos triginta septem perstitit. Durauit autem primum Punicum bellum & pax sequuta vsque ad secundum Punicum bellum per annos quadraginta duo, quatuor scilicet ac viginti sub bello, reliquos vero sub pace. Et quoniam in Marci Attilii Reguli incidimus mentionẽ, cuius extat maxima laus de fide seruata, ipsius obitum interseremus. Marcus igitur Regulus quum in ipso primo Punico bello Consul & Imperator factus, obsessa Carthagine rupto exercitu captus esset à Carthaginensibus, Romam remissus est pro commutandis captiuis, iuramento præstito, vt confecto vel infecto negotio rediret Carthaginem. Quumque idem Regulus Romam venisset, consedissetque in Senatu, legationemq; de commutandis captiuis exposuisset, ac à Senatu sibi remissum esset, in quam ipse sentẽtiam declinaret, censuit captiuos non commutandos. Quum à cognatis maxime vrgeretur, ne rediret in Carthaginem, postpositis mortis periculis iusiurandum anteposuit omni morti. Qui quum applicuisset Carthaginẽ, innotuissetq; eius sententia Carthaginensium Senatui, diuersis cruciatibus exulceratus est atque extinctus.

De diui-

De diuisione Hispaniæ in pace primi Punici belli, & morte Amilcaris.

INTEREA composita pace in Sicilia Pœni exercitum curarũt in Carthaginem traducere, qui quum datis pluribus interuallis copias traduxissent, quia militibus grãdis pecunia debebatur propter exhaustum Carthaginis ærarium, Carthaginensium exercitus ad oppidum Tunez deductus est, quod milliaribus distat vndecim à Carthagine. Milites vrbem Carthaginem infestare cœperunt, & diu Carthaginenses cum proprio exercitu de vita & sanguine certauerunt. Romani vero retractis copiis à Sicilia, neque eas otiosas voluerunt. cœperunt enim Macedonicum & Gallicum bellum agere. Interim turbatis rebus in Africa, bellum adhuc in Hispaniis agebatur per Amilcarem Hannibalis patrem aduersus Romanos. Post inchoatum igitur in Sicilia bellum, plurimæ Hispaniæ vrbes & populi qui Carthaginẽsibus obtemperabant, defecerunt ad Romanos. missis itaq; à Romanis auxiliis ad eos iuuandos contra Amilcarem qui eos bello impetebat, interim moritur Amilcar: quo mortuo Hasdrubal ipsius Amilcaris gener Carthaginẽsium ducatum administrabat. Nec prætereundum est quod refert Titus Liuius libro vigesimo primo tertiæ Decadis, quod Hãnibal quũ esset annorum nouẽ, patre Amilcare sacrificãte apud Carthaginem, quum copias in Hispaniam traducturus esset, ad aras iurauit se Romanorũ inimicum, atque quandiu ætas perstaret, arma contra Romanos sumere. Amilcare mortuo, qui dum fortunam sequeretur, incautus in insidias deductus occisus est, pax in Hispania firmata est, anno ab vrbe condita quingentesimo decimo septimo, quo tẽpore Onias sacerdotium Hierosolymis administrauit: de quo in secundo Maccabæorum libro habetur historia. Cuius pacis conditiones fuere, vt ea pars quæ citra Iberum fluuium est, & Pyrenæum respicit, Romanis cederet: alia vero pars quæ vltra est, & in Herculeum fretum contendit, Carthaginensibus deberetur. Saguntum vero nobilissima Hispaniæ vrbs (quæ hodie Muriuetus appellatur) quum vltra Iberum esset, & ad Pœnorum partem cõsisteret, post longa certamina libertate donata est, quum facile diuidi non posset, nec propter eius magnitudinem splendoremq; in portionem distribui. Hac itaq; conditione adiectioneq; pax inter Romanos Carthaginensesq; iterum in Hispania confirmata est (vt refert Titus Liuius) agentibus pro Romanis Luctatio Consule, & pro Carthaginensibus Hasdrubale Amilcaris genero, anno ab vrbe cõdita quingẽtesimo decimo septimo. Hoc itaq; pactum paci adiectum esse dicitur, vt media inter partes libera maneret ciuitas, vt placet Tito Liuio & Lucio Floro. Mortem autem Amilcaris Iustinus libro vltimo agens de rebus in Hispania gestis describit per hæc verba: Postea quoq; hortantibus primæ expeditionis auspiciis, Amilcarem Imperatorem cum magna manu ad occupandam prouinciam misere, qui magnis rebus gestis dum fortunam inconsultius sequitur, in insidias deductus occiditur. in cuius locum gener ipsius Hasdrubal mittitur, qui & ipse à seruo cuiusdam Hispani vlciscente domini iniustam necem interfectus est. Post obitum autem Amilcaris remansit in Hispania Pœnorum Imperator Hasdrubal, qui primus omnium nouam instruxit Carthaginem in Hispania.

De violato fœdere Pacis, & obsidione Sagunti.

PACE itaq; firmata post annos quindecim quibus prima pax inter Romanos Carthaginensesque in Sicilia composita est, auctoribus Luctatio Consule ac imperatore Romano, & Carthaginensium duce Hasdrubale Amilcaris genero, durauitq; per annos tres & viginti, vel (vt placet Tito Liuio & Lucio Floro) per annos decem & octo, postquam in Hispania confecta firmataq; est: interim magnæ hinc inde struuntur vrbes. Agebantur interea pace composita in magnæ Carthaginis vrbe ciuiles contentiones in Senatu. Senatus hinc inde diuisus videbatur, quidam Amilcari cui cognomen Barca erat, eiusq; genti ac soboli, qui magni in vrbe principes habebantur, fauebant, & ex cuius nomine Barcina factio appellata est: quidam vero Hannoni alteri vrbis principi. Interim ciuilibus altercationibus sic se agentibus adoleuit Hannibal. Quumq; in virum euasisset, agitur in Senatu, vt Hannibal Amilcaris filius concessis copiis in Hispaniam militaturus accedat, partes Hannonis contradicere conantur: tamen obtinet Hannibal, vt sub Hasdrubale cognato militet. Quumq; concessis copiis in Hispaniam transfretasset, triennio sub Hasdrubale cognato imperatore militauit. Interim moritur Hasdrubal, & Hannibal Amilcaris filius Imperator creatur. Quumq; ætati adolescentisq; ardori successisset imperium, Hãnibal in Romanos insultare parat, Vaccæosq; aggreditur (quæ ea gens est, quã ad Astu-

ricas Burgiumq; contenditur) in quibus Romani vrbes ex pacis conditione tenebant. Inde Carpetanos pariter insultauit. Carpetana enim ea gens (vt diximus) & prouincia est, quæ Cæsaraugustam, Oscam, Tirassonam, Caucham, Calagurimq; continet. His igitur prouinciis debellatis, quum cætera omnia quæ vltra Iberum erant, Carthaginensium imperio subegisset, Saguntum obsidere cœpit. Quo intellecto Saguntini legatos mittunt in vrbem petentes auxilia dari, amicitiam & fœdus Romani populi allegantes. res huiusmodi diu dubie agitur. in Senatu quidam auxilia dari diceb ant: illis obstabat otium, ciuitas inconsulta, res diuersa, hinc inde prælia, Macedonicum videlicet & Gallicum, agitata. Vicerunt qui dixerunt legatos destinandos ad Hannibalem Carthaginemq;, requirendosque fore, vt pacem & fœdera obseruarent, Saguntum in pace dimitterent, ac illata damna repararent. Mittuntur ad hoc legati Publius Valerius Flaccus & Quintus Fabius Pamphilus. Hannibal vero acriter Saguntum diuersis ingeniis expugnabat. Centum & quinquaginta hominum millia Hannibali parebant in ea obsidione. Quumque supradicti Romanorum legati iam Sagunti littora nauibus seu triremibus attigissent, ab Hannibale recepti non sunt: à quo responsum habuerunt, non opus esse verbis legationibusque homini in tanta rerum turbatione agenti. His itaque auditis legati Romani Carthaginem contendunt. Exponitur legatio Romanorum in Senatu Carthaginensium. Hanno & ii qui partibus Hannibalis aduersabantur, Romanorum partes suscipiunt. Hanno quum in deliberationem Senatus res veniret, orationem habet ad Senatum, dicens se hæc omnia vrbis incommoda prædixisse, quum de Hannibale cum copiis in Hispaniam transmittẽdis disceptaretur. Hannibal vero suæ factionis viros per litteras sollicitat, ne legati Romanorum aliquid à Senatu obtineant. Interea octauo mense, quo Sagunti ciuitas ab Hannibale obsessa est, capitur: fit magna in vrbe cædes, & hominum interitus, vrbisq; magna vastatio. De situ autem huius vrbis alii ignorantia rerum antiquarum dixerunt esse Segontiam, alii Medinam cæli, quos vtrosque plurimum à veritate distare certum est, quoniam Claudius Ptolemæus libro secundo suæ Cosmographiæ eam propinquam Valentiæ dicit. Titus vero Liuius secunda Decade in principio refert illam vno vel duobus milliaribus à mari distare, quod nemini ex ipsis vrbibus pertinere posset. cõcordat etiam eorum assertio cum Romanis annalibus, quoniam in pace primi Punici belli fines Romanorum Carthaginensiumque Iber amnis erat, atque quum Sagunti vrbs vicina esset Ibero, & propter illius opulentiam in maximam concertationem venissent, nec de ea valerẽt faciliter concordari, libertati relicta est. Ex quo satis patet fuisse vicinam Ibero, quod neque Segontiæ, neque Medinæ cæli patet aliquatenus conuenire. De situ vero Sagunti Strabo libro tertio meminit per hæc verba: Hispaniæ adiacent insulæ, duæ quidem Pityusæ, duæ vero Gymnasiæ, quæ Baleares appellantur, quibus ante Tarraconis & Sucronis oram maritimam esse situs contingit. super has conditum est Saguntum.

IOANNIS EPISCOPI GERVNDENSIS PARALIPOMENON

LIBER QVINTVS.

De secundo bello Punico, & exercitu Romanorum aduersus Hannibalem.



CAPTA igitur Sagunto vrbe, legati Romani Romam redeunt, exponentes omnia hostilia fore. Magnus & terror, & ira fit vrbi. Populus Sagunto compatitur, quod perierit vrbs amica populi Romani, nec iuuare potuerunt. dolet populus non pręstitisse auxilia. interim metus fit vndique, populo formidatur callidi adolescentis Hannibalis ferocitas animusque, exercitatus animus Macedonum Gallorumq;, quibus bellum intulerat, & non quidem bellum, sed turbationem, quum bellum cum solis Pœnis gessissent. Inter hæc decernitur bellum aduersus Carthaginem. Creantur Consules ad id bellum gerẽdum, imperatoresque constituuntur Publius Cornelius Scipio & T. Sempronius, ex ærario pecunia ministratur ad parandum exercitum, componitur classis, viri equestris & pedestris generis conducuntur, qui apti ad bellũ haberi potuerunt. Interea Hannibal considerans quod ipse causa huius belli fuerat, non decretum Carthaginensiũ Senatus, quum milites in nouam Carthaginem reduxisset partis

tis

tis spoliis, militibusque ex victoria iucundatis, munitis Hispaniæ vrbibus, in Italiã venire parat. Hispaniæ igitur præfecit Hasdrubalẽ fratrem suum. Igitur Hannibal occupata reliqua Hispania Pyrenæũ transire satagit. De cuius vero itinere auctores dissentiunt, quoniam dixerunt aliqui Hannibalem superatis Ilergetibus, qui Nauarrenses hodie dicuntur, suntque coniuncti Pyrenæo, per Rucissum vallem transisse in Vasconiam. Titus vero Liuius (cui magis standum est) refert Hannibalem per Emporitanum agrũ transiuisse Pyrenęum. dicit enim in secunda Decade, transacto Pyrenæo Hannibalem ad oppidũ Illiberim secus Ruscinonem concessisse, & quinto mẽse à capta Sagunto Italiã aggressus est. Interim audito aduentu Hannibalis Romani ad Gallos legatos mittunt ad reconciliãdos eorum animos, vtq; Hannibali transitum prohiberent. Aspernũtur à Gallis legati Romanorũ asserentibus, Romanos de Gallis non bene meritos esse, neq; Carthaginenses male meritos, vt trãsitum prohiberent. Hannibal ergo superato Pyrenęo Vasconiã Auxiumq; quæ ad dorsum Pyrenęi situm habent, occupat, inde ad Alpes per medias Gallias peruenit, quæ Alpes Galliam ab Italia seiungunt. Quumq; igne acetoq; rupiũ aspera itineri obstantia fregisset, in Italiã traiecit exercitum. Titus vero Sempronius in Siciliã properat cũ exercitu nauali, & Publius Scipio alter Consul obuiã Hannibali cũ exercitu terrestri mittitur. Qui cum audisset Hannibalem iam Alpes superasse, is apud Ticinũ amnem Italiæ consedit. qui cum furore valido amnẽ Ticinum pertransisset, occurrit ei Publius Scipio Consul ex insperato. grauis pugna cõmittitur, & satis æqua lance pugnatum est. Publius vero Consul multa dubitãs intra Padum apud Placentiã se recepit. Hannibal vero mox sequutus Consulem Emporiũ oppidum vicinum Placentiæ inexpugnatum deleuit, cuius habitatores & qui euadere potuerunt, ad maritima Liguriæ fugientes ab altero Consule qui in Hispaniam cum exercitu mittebatur, recepti sunt. Interim Gneus Scipio Publii Scipionis frater in Hispaniam mittitur nauali exercitu præparato, qui primum in Emporiam vrbem nostræ diœcesis exercitum duxit.

Gnei Scipionis aduentus in Hispaniam, Emporiumq; vrbem.

IGITVR quum Gneus Scipio Emporiũ venisset, fama ingens per Hispaniam volat, Cõsulem Scipionem aduenisse. Erat enim ea ciuitas non longe à Pyrenæo monte. Dimisso itaq; exercitu apud Emporium discurrit partim pro renouando, partim pro instruendo exercitu. Magnus clementiæ Scipionis rumor non solum per maritima, sed etiam per plana & montana spargitur. fit inter eos non solum pax, sed fœderatio. multi ex prouincia in Romanorum auxilia ascribuntur. Erant apud eam regionem duces duo Carthaginensiũ, Hanno scilicet & Hasdrubal, quos magna militum manu Hannibal ab Hispania recedẽs in prouinciæ præsidium reliquerat. Hanno itaq; alter ex ducibus apud Tarraconã agens, de Consulis aduentu factus certior, castra mouit aduersus Romanorum Consulẽ. Gneus vero Consul animaduertens necessario cum Hannone sibi dimicandum esse, & etiam Hasdrubalem properare vt trans Iberum cum Consule certamen iniret, potius cũ altero certandum decreuit. Quumque Hanno prope Romanũ exercitum castra mouisset, inde instructa acie in prælium venit. Graue hinc inde prælium committitur. Contigit autem hoc certamen (vt ex veterum scripturis colligitur) apud vrbem quæ quondam vetus Carthago dicebatur, vbi nunc Pœnetensium prouincia dicitur, ad eum locum vbi nunc Villa franca Pœnetensium sita est; vbi secundum Claudium Ptolemæum vetus erat Hispaniæ Carthago, sicuti supra disseruimus. Igitur commisso prælio inter vtrasq; copias, vicit Consul, & captus est Hanno dux exercitus, sex millia Carthaginensium cæsa sunt, duo millia capta cum castrorum præsidio. Deinde expugnatur vrbs, quæ facile victa, cæso & capto præsidio in vindictam Sagunti, & iniuriam nominis Carthaginis demolita est. cuius incolæ per prouinciam dispersi, promissa immunitate volentibus eam inhabitare, Villam francam iisdem in mœnibus construxerunt (vt superius diximus) & sic postea semper vsque adhæc tempora nominata est cognomine adiecto Pœnetensium, quia primo Pœni, id est Carthaginenses, in ea habitassent. Igitur capto Pœnorum duce, superataq; vrbe, Romani milites multa supellectile ditati sunt, quoniam omnis Pœnorum supellex, eorũque præcipue qui cum Hannibale ex Hispania recesserunt, ne onusti incederent, in ea vrbe dimissa à Romanis militibus intercepta est. Hasdrubal vero nouorum hostium aduẽtum præsentiens, cum mille equitibus ac octo millibus peditum, transacto flumine Ibero, in occursum consulis properat, sed audito castrorum suæ gentis anfractu, non vltra ire ausus est. Sed Tarraconam versus, vbi Scipio classem habebat, quum Romanorum milites per agros bacchar ẽtur, multos ex Romano exercitu interfecit, & reliquã partẽ exercitus ad naues fugere compulit. His sic actis consul Scipio præsidio Tarraconæ dimisso,

classem Emporium redire iussit. Hasdrubal vero consulem timens in vlteriorem Iberi partem ad mare se recepit,

De Tarracona vrbe, & aliis vrbibus à Romanis in Hispania conditis.

ET quoniam in Tarraconæ incidimus mentionem, à quibus Tarraco originem habuerit videndum est. Strabo enim declarans in tertio libro conditores vrbium Hispaniæ, adiecit: Tarraconam Scipiones construxerunt, ideo caput est Tarraconēsis prouinciæ. Idem pene dicit Plinius de Naturali historia libro tertio: Tarraco Scipionum opus, sicut Carthago Pœnorum. quod tamen non existimo verum, quoad illius fundationem, sed quoad illius instaurationem vel ampliationem, vt sæpius ex antiquis scriptoribus factitatum constat. Refert enim Varro Cecropes construxisse Athenas, sed veraci historia Athis Rex primus illam construxit, à quo Athenæ nomen vrbi est, & Atticæ prouinciæ, vt meminit Iustinus in suo Epitomate. Et ideo puto eiusdem vrbis primam constructionem ad Græcos & Herculem pertinere, sequentibus rationibus. Prima est, quoniam nequaquam verisimile est, vt Scipiones, si illam ab initio fundassent, Græcum illi nomen imponerent, quum essent Latini. quod euidenter ostendit Isidorus, existimans illam ad ipsos Scipiones pertinere: propterea Tarraconam nominat, facitque eam primæ declinationis in 15. etymologiarum lib. Sed antiqui omnes non quasi Latinam habens originem Tarraconam dicunt, sed Tarraconem, quasi plane Græcum sit, tertiæ declinationis faciunt, inter quos est Claudius Ptolemæus Ægyptius libro secundo suæ Cosmographiæ, & Plinius de Naturali historia libro tertio, & pene omnes antiquiores. Secunda ratio est. quoniam constat ex Romanis annalibus Gneum Scipionem, qui primus cum Romano exercitu ex omnibus Scipionibus intrauit Hispaniam, in primo suo aduentu comperisse Hannonem Pœnorum ducem considere apud Tarraconam: ipsoque Hannone deuicto statim paruit Scipioni. ex quo clare constat antiquiorem illi esse originem à Græcis profectam. & quanquam authentice non legerim, tamen vaticinari licet eius exordium ad Herculem Græcosque pertinere. quod sequēti ratione firmatur, quoniam quū idem Hercules diuersis populis quos ex Tyriis, & Phœnicibus, cæterisq; regionibus secum adduxerat, concesserit sedes, vrbesque construxerit, atque ex nomine gentis eas appellauerit, non videtur à vero distare, quod Aconitis quos secum adduxerat, Tarraconenses agros concesserit, & terram Acon appellauerit. Acon enim vrbs est in Phœnicia non longe distans à Tyro & Sidone. Cuius Tyri & Sidonis incolæ cū Hercule militantes Gades instruxerūt, vt refert Iustinus. Sic enim ab ipsis Aconitis terra Acon appellata dici potest. Eam tamen præfati Scipiones, Gneus & Publius Cornelius fratres auxerūt ac dilatarunt, validissimoq; muro cinxerunt, & metropolim totius citerioris Hispaniæ effecerunt. Ex quo non est dubiū, quod potuit dici Scipionū opus, sicut Carthago Pœnorū. Ad Romanos igitur pertinet Corduba Bætica, quæ à Marco Marcello condita est, vt placet Straboni libro tertio. Item & Emerita à Iulio Cæsare condita ex veteranis militibus, quos emeritos appellabat, & ab ipsis emeritis, Emeritam appellauit. Itidem & Hispalis, quoniam licet illius prima constructio ad Herculem pertineat, illius tamen instauratio & amplificatio ad Caium Iulium Cæsarem pertinet, ipseq; Iuliam Romuleam appellauit, illiusque denominationem vulgari idiomate vsque in hodiernum retinet, vt ab ipso Iulio Cæsare Ciuilia, id est ciuitas Iulia, appelletur. Inde etiam Pampilona, quæ à Pompeio condita est, dum non longe ab ea pugnasset cum Sertorio, & dicta fuit Pompeiopolis, scilicet ciuitas Pompeii, vt voluit Strabo libro 3. de situ orbis. Brutus insuper cognominatus est Gallecus: qui quū obtenta Gallecia diutius cum Lusitanis pugnasset, illosque vicisset, Toletum vrbem ex natura loci munitissimam in præsidium Lusitanorum construxit. Quæ quum ab initio parua fuisset vrbs, Gotthorum tēpore tanta effecta est, vt in metropolim creata sit suppressa metropoli Carthaginensi, sub qua erat, vt ex libro Conciliorum constat. Ad Romanos etiam pertinet Cæsaraugusta, Salduba per antea dicta (vt Plinio placet) ab Augusto Cæsare condita. Pertinet insuper ad Romanos Villa Franca Pœnorum, Sardoniumque oppidum, & Iulium in Ceretanis, quæ omnia non à Romanis prius fundata, sed vel ampliata, vel instaurata fuisse cōstat.

Brutus Gallecus Toleti conditor, vt putat: qua vrbs Metropolis facta sit, deleta Carthagine: cui parebat antea, vt patet ex libro Conciliorum.

De gente Nauarrorum, & vrbe Athanagia, quæ hodie Pampilona dicitur.

SCIPIO vero capta Tarracona, ibique dimisso præsidio, classe Emporiū remissa Ilergetum gentem opprimere decreuit. Interim profectus Athanagiam vrbem, quā hodie Pampilonam dicunt, obsidet, quæ caput illius gentis habebatur (dicta est autem Pampilona à Pompeio, vt supra diximus) positaque obsidione, & infesto ex-

ercitu

ercitu poſt dies paucos obſidibus imperatis Ilergetes etiã pecunia multatos in ius ditionémque recepit. Inde in Auſetanos procedens, Tutelam vrbem ad oras Iberi perueniẽs obſedit. Quumque Lacetani (qui & Cæſarauguſtani) vicinis ferrent auxilia, nocte nõ longe ab vrbe, quum intrare vellent, excepit eos inſidiis. eorũ cæſa ſunt duodecim millia, reliquos vero pene omnes exutos per agros diffugere compulit. Vrbi tunc maximo adiutorio erat nix iniqua infeſtaque oppugnantibus: quæ, quum hyems eſſet, per x x x. dies quibus durauit obſidio, pedes alta quatuor extitit. Deinde quum Amuſitus Princeps eorum ad Haſdrubalem confugiſſet, oblatis de vrbe x x. talentis argenti, obſides Tarraconam deducuntur. Hæc in hyeme geſta ſunt anno ab vrbe condita quingenteſimo viceſimo octauo. Sequenti vero æſtate dum Haſdrubal duro bello Romanos in Italia quateret, in Hiſpania terra marique pugnatum eſt. Haſdrubal x x x. habebat naues ſiue triremes ſibi ab Hannibale dimiſſas. His autem x x x. decem adiunxit, quas x l. Amilconi commiſit, atque cum illis Carthaginem profectus exercitum ad maris littora ducebat, paratus pugnare terra marique, ad quamcũque partem hoſtis occurriſſet. Gneus Scipio primum terra hoſtem aggredi ſtatuerat, ſed tamen intellecto cum nouis hoſtibus conſultius eſſe, mari pugnandum ſtatuit, parataque claſſe quinque & triginta triremium hoſtẽ ſequi parat, qui delectis militibus ex omnibus copiis ſuis triremẽ cõſcendit. Primaq; ſtatione deno milliario ab oſtio Iberi fluminis claſſem duxit, auditoque claſſem hoſtiũ ad Iberi oſtia ſtare, duæ Maſſilienſium ſpeculatoriæ triremes à Cõſule miſſæ ſunt, quæ retulerũt Carthaginenſiũ claſſem ad fluminis Iberi oſtia eſſe, caſtraq; in ripa poſita. Vnde viſum eſt, vt incautos improuidoſquẽ magno clamore, ſimul & terrore aggrederetur, atque ſublatis ancoris ad hoſtem vadit. Multas ea Hiſpaniæ pars altas turres habet, quibus & ſpeculas & propugnacula aduerſus latrones, maximeque piratas, habent. Ex quibus primum conſpectis Romanorum nauibus ſignum dederunt Haſdrubali, ortuſq; tumultus maximus eſt prius in terra quam in mari, nondum vllo pulſu remorum, aut alio nautico ſtrepitu audito, quum nihil minus eo die quam prælium expectarent. Cõſcenderunt igitur quam raptiſſime naues, atque arma capere iuſſit Haſdrubal. caſtrorũ milites potius fugæ locum dabant, quam in prælium properabant. Carthaginenſium adeo omnia præpropere gerebantur, & perturbatione nautica prohibebantur, vt tentata ſit potius quam inita pugna. Iam ſatis in lato pelago Carthaginenſes terram contingere conati, in littus triremes ire coegerunt, ſicque alii vadis, alii ſicco littore excepti, partim armati, partim inermes ad inſtructam per littus aciem ſuorum confugere conabantur. Duæ tamen fuere naues Carthaginenſium quæ primo congreſſu captæ ſunt, & ſubmerſæ quatuor. Romani vero quanquam terra hoſtium erat, armatamque aciem paratam in littore cernebant, inſecuti trepidam claſſem hoſtium præter eas triremes quæ proris in terram colliſis, aut carinas vadis fixerant, puppes in altum extraxere. atque ex Punicis x x x. nauibus x x v. ceperunt. indeque parta victoria Conſul Romanus Carthaginem profectus eſt: atque omnem agrum circunquaque depopulati tecta vrbi muroque coniuncta incenderunt. Inde grandi ac maxima præda ditati, Conſul cum claſſe Vticam peruenit, quæ vrbs non multum à Carthagine diſtat, in littore quod ad fretum Herculeum pertinet. Ibique ſublatis iis quæ Haſdrubal ad nautica officia parauerat, cæteris vero incenſis, deinde in Ebuſum inſulam (quæ hodie Iuiza dicitur) nauigauit, ibique oppugnata vrbe quæ caput eſt inſulę, quum eam expugnare non valuiſſent, biduo ibi cõmorati ſummo labore ſpeque fruſtrati, ſe in agri depopulationem verterunt, direptiſq; ac incenſis pluribus vicis, multaque parta præda quum in naues ſe recepiſſent, ex Balearibus inſulis (quæ hodie Maiorica & Minorica nuncupantur) legati ad Scipionem perueniũt pacem petentes. Interim flexa retro claſſe, multorum populorum, tam citerioris, quã vlterioris Hiſpaniæ ad Scipionẽ legationes miſſæ ſunt, qui vere dominio imperioq; Romanorum ſe ſe dederunt obſidibus datis. Fuerunt autem populi Hiſpaniæ qui ea ſtatione ad Romanum venerunt imperium, amplius quam centum & viginti. Cõſul vero Romano exercitu ſatis fidens, exercitum vſque ad Caſtulonem ſeu illius ſaltum perduxit. Fuit enim Caſtulo vrbs amica ſatis populi Romani, quæ in principio vlterioris Hiſpaniæ, ſeu Caſtellæ ſita erat, in capite Bætis fluminis, à qua Caſtellæ Rex (vt diximus) nomen & arma habet. Interea Haſdrubal exercitum in Luſitaniam duxit, ac propius Oceanum cõſedere fecit, ſperãs reliquũ æſtatis ibi tranquille trãſigere. Interim (ſicut Hiſpanis mos eſt noua expetere) Mandonius quidam nobilis ex Ilergetum gẽte (quæ, vt diximus, hodie Nauarrenſis dicitur) quum intellexiſſet Romanum Conſulem à ſaltu Caſtulonis ad maritimam oram duxiſſe partem Romanorum ſociorum, quæ pacata erat & pacifica, eos inuaſit. Cõtra quẽ quũ à Scipione miſſa fuiſſet tria millia Romani exercitus cũ expe-

ditis auxiliis, leui certamine deuictus est Mandonius, ipsoque ac omnibus suis occisis tumultus sedatus est. Huius autem tumultus causa fuit, vt Hasdrubal qui ad Oceanum sedebat, in socios Romanorum castra Punica ad Iberi littora retraheret. Cuius aduẽtus alio vertit bellum, quoniam Celtiberorum princeps qui Romanis datis obsidibus se dederat, accepto nuncio à Scipione arma capit, qui nouæ Carthaginis prouinciam valido exercitu inuadit, tria oppida expugnat: & cum ipso Hasdrubale bis pugnantes, & quidẽ egregie, tria millia hominum occiderunt, quatuor millia etiam vi ceperunt cum multis militaribus signis.

Quomodo Publius Scipio Gnei frater Consul & imperator in Hispaniam venit, & fratri coniungitur.

SVPRA scriptis rebus sic se agentibus, Publius Scipio iam Consul, imperator constituitur, prorogatoque consulatu in Hispaniam venit missus à Senatu, triginta secũ adductis nauibus, & octo millibus militum, magnoque commeatu rerum. Ea enim classis procul visa, à sociis in Hispania militantibus magna cum lætitia ciuium sociorumque recepta est in portu Tarraconæ, ibique in terram expositis militibus profectus Publius Scipio fratri coniungitur, quorum ab inde communi consilio bellum gereretur. Occupatis igitur Carthaginensibus Celtiberico bello, transacto Ibero, ac nullo penitus viso hoste Saguntum pergunt, eo quod ibi traditos custodiæ ab Hannibale omnes Hispaniæ obsides, fama erat, modico in arce præsidio custodiri. Erat autem apud Saguntũ Bostar Carthaginensium dux, qui quum intellexisset Scipiones aduersus Saguntum castra mouere, ipse secus Saguntum castra posuit, medius inter Saguntum (quod, vt diximus, Muriuetus hodie appellatur) & littora maris, ne classis Romanorum veniens posset vrbem inuadere. Erat & insuper dux quidam Carthaginensium, alias Pœnis fidus, natione Hispanus, Abelox nomine, qui callido potius quam fideli consilio Bostarẽ aggreditur, dicens se durum arbitrari statum Carthaginensium, nec modicum periculum, si vlterius apud eum sit violenta obsidum detentio, consultiusque putare se Pœnis, si obsides gratia Carthaginensium patribus remitterentur, qui cum viri maiores vrbium forent, fortius beneuolentia aduersus Romanos dimicarent. Quumq; hoc satis Bostari placuisset, eum huiusmodi genere ministrum fecit. Præsciuerat enim Abelox, Scipiones Saguntũ versus venisse, quibus per quendam transfugam innotuit, se ad maxima quæque acceptissimaque Romanis paratum esse. Qui quum obsides à custodibus accepisset mandato à Bostare dato, vt eos genitoribus atq; propinquis redderet, ipse data notitia Romanis in eorum manus se finxit incidisse. Vnde quod facere Bostar Carthaginensesque de Hispanis obsidibus statuerant, fecere Romani, qui magnam inde populorũ Hispaniæ captauerunt beneuolentiam. Redditis enim filiis patribus atque propinquis, Romanorũ nomen quod per antea ferum crudeleque credebatur, clemens ac liberale habitum est. Communis itaque omnium ciuitatum defectio secuta à Carthaginensibus fuisset, nisi hyems superuenisset, quæ Romanos Carthaginensesque, ne in castra prodirent, detinuisset. Dum hæc igitur à Scipionibus in Hispania agerentur, Hannibal primo à Q. Fabio magistro militum victus est. Deinde Hannibal apud Cannas Apuliæ vicum Romanos vsque ad finalem interitum vicit, adeo vt si victoriam secutus fuisset, non dubium est quin Romanos penitus deleuisset. Per ea tempora Ptolemæus Philopater sextus Ægyptiorum Rex, qui annis decem & septem regnauit, annis ab orbe condito quatuor millibus nongentis octoginta decessit.

Quomodo duo Scipiones, alter terra, alter mari prælia ex concordia gesserunt.

INTEREA dum hæc sic in Italia agerentur, acriter bellum in Hispania gerebatur. Sed ad eam vsque diem magis prospere pro Romanis Publius Scipio & Gneus frater cõmuni concordia decreuerunt, vt exercitibus partitis Gneus terra, Publius mari bella gererent. Hasdrubal Pœnorum imperator neutri parti terra mariq; satis fidens procul ab hostibus ducebat exercitum. Et quum sæpius ac sæpius à Carthaginensibus auxilia postulasset, tandem quatuor sibi à Carthagine missa sunt equitum millia, & pedites quantũ sufficerent. Tũc Hasdrubal refecta spe propius castra mouit, classemq; & ipse instrui parariq; iubet ad insulam maritimamque oram tutandam. Nunquam enim ex illa ora Hasdrubal nautis nauiũq; pręfectis fidẽ habuerat, qua ad Iberi orã turpiter pugnarũt, vel potius classem deseruerũt: illis tamẽ plurimũ increpatis clasẽ de integro instaurat, & motis aduer-

aduersus hostem Romanū castris Galbū nobilē Tricenorū ducē,qui se in castris valido exercitu detinebat,aggredi statuit.Præmissa igitur leui suorum comitiua,vt illum posset ad prælium concitare,partem etiam ad vehementius excitandum ad agrorū deuastationem laxauit.Tumultus interim oritur,& per agros fuga simul & cędes fit.Quum interea Tricenorum dux ad castra se recepisset magna trepidatione, hostem Pœnū aggredi statuit,nedum se ab eo tueri. Quumque Hasdrubal eorū animos deprehendisset,copias in altum locum retrahere curauit,qui clausus flumine satis fortis erat:nec se etiam tutum confidens,castra vallo muniuit.Iterum quum Hispani sępius Pœnos ad prælium incitassent,pari fortuna ac pauore vtrinque pugnatum est. Quū vero Hispanus vidisset Pœnos non posse ad bellum elicere: Asenam vrbem aggressus est,quam vi cepit,agrosque hostium deuastauit.Ea enim ciuitas Asena apud fluuium Iberum sita, hodie Ascho dicitur.

Literæ Carthaginensium ad Hasdrubalem, vt in Italiam transeat relicta Hispania.

HIs igitur sic se habentibus,à Carthagine ad Hasdrubalē literę delatę sunt,vt primo veris tempore exercitum in Italiā traduceret.quæ res vulgata per Hispaniam,omnium Hispanorum animos ad Romanos conuertit. Ita Hasdrubal statim literas Carthaginem mittit,dicens & indicans quanto damno profectionis suæ fama fuisset. His addebat,si à prouincia discederet, Romanorum Hispaniam fore, seq; non habere præsidium, minusque ducē quem præficere prouincię posset,atq; duos esse Romanorū imperatores, Scipiones Publium & Gneū,quibus vix æquis viribus resistere posset.Itaq; si vllam Hispaniæ curam haberent,orabat,vt successorem sibi cum valido exercitu mitterent. cui si omnia prospere euenirent,non tamen opus esse eum ociosum morari in prouincia. Hæ literæ quanquam primo aspectu Carthaginensium Senatus animos mouissent,tamē quia eis de Italia potior cura erat, nihil de Hasdrubale & copiis eius mutatum est, Amilco successor Hasdrubali, & imperator missus est in Hispaniam valido cum exercitu, classeque instructa ad retinendam terram, maritimamque oram tutandam. qui cum exercitum classemque in Hispaniam traiecisset, castris communitis, & vallo circundatis, nauibusque subductis, ipse cum quibusdam delectis militibus, festinanter, & quantum accelerare potuit, per dubios infestosque populos ad Hasdrubalem peruenit. Quumque decreta Senatus exposuisset, edoctus ab Hasdrubale, quemadmodum bellum in Hispania gerendum esset, retro in sua castra rediit, arbitratus nihil adeo quam celeritate opus esse, ne hostes eius reditum præsentirent. Hasdrubal igitur prius quam castra moueret, pecuniam omnibus Hispaniæ populis imperat, nō ignorans quemadmodum Hannibal ipsius frater transitum pecunia mercatorum comparasset, nec auxilia Gallica aliter quam conducta habuisse, inopemque tantum iter ingressum vix ad alpes penetraturum fuisse. Pecuniis igitur raptim exactis ad Iberum flumen descēdit. Vbi vero decreta Senatus & Hasdrubalis iter Romanis innotuit,omnibus omissis rebus ambo duces iunctis copiis ire obuiam Hasdrubali cœperunt,vt ei obsisterēt,rati si Hannibali Hasdrubal in Italia iungeretur cum Hispano exercitu,finē Romano imperio fore. His anxii curis exercitus ad Iberū ducunt,& transacto flumine quum diu consultassent, an deliberarent castra castris cōiungere, tandem vrbem propinquam flumini, quæ Ibera dicebatur, quam ex illius situ quidam Dertusam arbitrātur, obsidere cœperunt. Quod vbi Hasdrubal intellexit, opem ferre vrbi parat, quæ paulo ante in amicitiam Pœnorum venerat. ita cœpta obsidio à Romanis omissa est, & in ipsum Hasdrubalē verterunt bellū. Quumq; quinq; milliarium interuallo castra posuissent vtrinq;, singulis diebus commissis hinc inde præliis, tandem vno eodemque die velut ex composito vtrinque signū pugnæ propositū est.Triplex eo die fuit Romana acies,peditū pars ante inter signa locata, pars post signa, equites cornua cinxere. Hasdrubal vero mediam aciem Hispanis firmat: in cornibus, dextero Pœnos locat,læuo Afros. non longe vtraq; acies virib. distabat,tum equitū,tum peditū numero, sed vincendi dispar Pœnis animus. Romani quidem persuadebantur pro patria, pro repub. pro reditu in Italiā pugnare. pro aduersa Pœnorū parte non ita pertinaces animi erant,quasi mallēt in Hispania vinci,quā in Italia vincere.Primo igitur cōcursu cum solū pila cōiecta esset,retulit pedē media acies, inferentibusq; sese magno impetu Romanis,media Hispanorum acies quæ cum Hasdrubale erat, terga vertit: & tantum in cornibus prælium committitur. hinc Pœnus,hinc Afer vrgent, & ancipiti prælio pugnant. iamque duo prælia esse videbantur, quoniam submotis mediis ad alterutram partium pugnabatur. Iam Romana acies, media Hasdrubalis acie submota, satis virium habebat, ad dimouenda Pœnorum cornua, quum & numero, & viribus potiores hostibus forent. Hasdrubal vero ad vltimum euentum

pugnæ moratus, ex media cæde solum cum paucis aufugit. Romani victo Hasdrubale Pœnorũ castra cepere atq; diripuere. Ea pugna, siqua dubia in Hispania erant, Romanis adiunxit: Hasdrubaliq; non solum in Italiam traducendi exercitũ, sed ne manendi quidẽ satis tuto loco in Hispania spem reliquerat. Quæ posteaquam literis duorum Scipionum Romæ nunciata sunt, non tam victoria, quàm prohibito in Italiam Hasdrubali transitu lętabantur. Post priores igitur literas Publii & Gnei Scipionum, aliæ sunt delatæ literæ eorundem ad Senatum, nunciantes quales quantasque res gessissent in Hispania prospere, sed primum stipendia, vestimentaq; & frumentũ exercitui, & naualibus sociis deesse. Deinde postquã de publico ærario, & priuata pecunia à populo Romano prouisum fuit, conducta omnia magno animo fuerunt. Factum est hoc anno ab orbe cõdito quarto milleno nongentesimo octogesimo primo, & ab vrbe condita quingentesimo tricesimo secũdo. Postea vero anno secundo, quum duobus sequentibus annis pene nihil memoria dignum egisset Hasdrubal, cum Magone fratre & Amilcare Bomilcaris filio vrbẽ Illiturgum obsidere cœperunt, quam vrbem Medinam cæli hodie vocitari arbitror. Hanc enim obsidionem Hasdrubal, Mago, & Amilco fecerunt propter defectionem, quam à Carthaginensibus fecerant ad Romanos. Quum vero ea vrbs frumento maxime indigeret, duo Scipiones inter tria hostium castra maxima cum angustia commeatũ frumenti afferentes ad vrbem peruenerunt, cohortatiq; sunt ciues, vt eo animo, quo prius, se defenderent, etiam mœnia tutarentur. In eo autem transitu commeatus magnam suorum stragem, cædem, ac ruinam passi sunt Romani. Quum vero Carthaginenses maxima eruptione in duos Scipiones irruissent, grauis pugna commissa est. Fuerunt enim eo die in Carthaginensium exercitu vltra sexaginta millia hominum: Romanorum vero sexdecim millia tantum. Eoq; die ex Carthaginensibus plures occisi sunt, quam essent Romani numero. Ceperunt & insuper eo die ex Carthaginensibus circiter tria millia equorum, & sexaginta signa militaria, quinque etiam elephantis mortuis. atq; omnibus Carthaginẽsium castris in direptionem adductis Illiturgum ab obsidione liberatum est. Hanc Illiturgi obsidionem fecerunt Carthaginenses in odium vrbis quæ Castulo dicitur, propinqua Illiturgo, quæ quum olim affectissima Pœnis esset, ab eis tamen defecerat ad Romanos, quorum præsidium à Scipionibus positum in Illiturgo erat. Longe maiora hoc anno in Hispania gesta sunt, quam in Italia. Inde Carthaginenses reparatis statim exercitibus, nouis denique auxiliis ab Africa traductis Burgiam vrbem, quæ Romanis sociata fuerat, Carthaginenses oppugnare cœperunt. Quam obsidionem veniens Gneus Scipio soluit. Ad Mundam exinde vrbem castra Punica mota sunt. Est autem Munda vrbs (quam hodie Colymbriam appellamus) in qua denuo Sextus Pompeius cum Agrippa Cęsaris duce pugnauit. Quum vero Romani intellexissent, ad Mundam vrbem castra mouisse, statim se eo contulerunt, ibique collatis signis ad bellum ventum est, & per quatuor horas fere pugnatum est. Vincentibus Romanis signum receptui datum est, quod Publius Scipio tragula in femore vulneratus esset. pauor ceperat milites. ne vulnus mortiferũ esset. Nisi casus vulneris Scipionis occurrisset, castra Punica eo die capta fuissent. in hocque prælio dicuntur occisa ex Carthaginensibus duodecim millia, & capta tria millia. Interim Pœni ad Auringen vrbem recesserunt, quos, vt territos, non deseruit sequi Scipio, quoniam lecticula aduectus iterum cum Pœnis prælium cepit, atque in hac secunda pugna circiter sex hominum millia fuere cæsa, & mille quingenti capti. His igitur peractis Hasdrubal Magonem fratrem pro reparandis exercitibus ad conquisitionem militum misit: qui quidem breui exercitum repleuit militibus, animosque ad instaurandum denuo certamen excitauit. Denique conserto prælio, eodem euentu fortunaque pugnarunt. In eo enim plus quam octo millia Carthaginensium cæsa sunt, elephanti octo capti, tres occisi sunt. Rebus igitur Romanorum sic se prospere in Hispania habentibus, verecundia cepit Romanos Saguntum vrbem quæ causa belli fuerat, non obsidere, quæ permultos iam annos in hostium potestate fuerat. itaque ad illud exercitus duxerunt, quod modica vi expulso præsidio obtinuerunt, indeque Turditanos qui Saguntinis parauerant bellum, vendiderunt, illorumque vrbem, precio inde recepto. Turditani ea gens Hispaniæ est secundum Claudium Ptolemæum, quæ à flumine Bæti est & vrbe Hispali vsq; ad flumen Anã (quod hodie vulgo dicitur Godiana) ibi enim vrbs erat à nomine prouinciæ dicta, quæ ob istam ipsius vrbis hominum venditionem deleta dicitur, & prouincia manet. Apud eandem enim vrbem & prouinciam Hannibal quum primo à Carthaginensibus dux exercitus creatus est, dicitur exercitum instruxisse, vt Saguntum vrbem populi Romani amicissimam oppugnaret. Hæc autem gesta sunt anno ab orbe condito quarto milleno nongẽtesimo octogesimo quarto, & ab vrbe condita quingentesimo tricesimo sexto.

De mor-

De morte duorum Scipionum in Hispania, Publii videlicet & Gnei.

SEQVENTIBVS igitur duobus post annis, videlicet anno ab orbe condito quarto milleno nongentesimo octogesimo sexto, & ab vrbe condita quingentesimo tricesimo octauo, quum in æstatem tenderent transactis hyemalibus turbinibus, ambo Romani imperatores, Publius & Gneus Scipiones duos exercitus coniunxerunt consulte, & decreto consilio, vt Hasdrubalem quem censebant in Italiam transiturum, totis viribus impedirent. Ad hoc credebatur satis virium, quum ad eorum exercitum & potentias accessissent viginti millia Celtiberorum, qui transacta hyeme ad arma fuerant concitati. Tres enim fuerunt Carthaginensium exercitus: duces vero duo Hasdrubales, quorum alter maximus erat Pœnorum dux in Hispania, Amilcaris filius, & frater Hannibalis, alter vero Hasdrubal Gisconis filius, & Mago etiam Amilcaris filius. Hi etiam omnes tres exercitus iungere statuerunt. Hasdrubal Gisconis filius ambos exercitus iam simul iunctos habebat, distabantq; dierum quinque itinere ab Romanis. propior ipsis Romanis erat Hasdrubal Amilcaris filius, magnus Hispaniæ imperator, qui exercitum ad vrbem Astorgum habebat. Eam igitur vrbem imperatores Romani maxime obtinere cupiebant, & Hasdrubalis Amilcaris filii exercitum delere, rati si illum frangere possent, facile alterum Hasdrubalem, & Magonem per deuia & saltus fugere compulsuros. Itaque decreuerant copias in duos exercitus diuidere, vt scilicet Publius Scipio duas Romani exercitus partes assumeret dimicaturus cum Magone & Hasdrubale Gisconis filio. Gneus vero Scipio cum reliqua tertia parte adiunctis Celtiberis bellum aduersus Hasdrubalem Amilcaris filium assumeret. Sic igitur rebus compositis Gneus cum fratre Publio adiunctis Celtiberis pariter omnes cum duobus exercitibus aduersus hostes itinere arrepto ad Astorgium vrbem castra posuerunt ex opposito Hasdrubalis, eos diuidente vrbe, quibus castris firmatis Publius ad decretos hostes progressus est cum duabus exercitus partibus, Gneo ibi cum Celtiberis remanente. Hasdrubal vero quum conspexisset imminutum exercitum Romanorum ex discessu Publii, solamque vim exercitus Gnei Scipionis consistere in Celtiberis, quorum duces ex diuturno bello atque consuetudine linguæ cognitos habebat, quum totum exercitum plenum Hispanis haberet: cum eis paciscitur, & occulta colloquia tractare cœpit, vt Celtiberi illorumq; principes ad patriā decederent, atq; copias inde abducerent magna mercede eis promissa. Illis vero tum illectis præmio, tum ob dubium euentū futuri belli, spe etiam remeandi ad propria suosq; visendi, nō atrox iniuria videbatur, quod nō vertendi belli opus videbatur, sed abstinendi ad tempus. Hęc res Celtiberis haud dubia facta est propter Romanorū metū, quū adeo pauci Romani essent in exercitu, vt Celtiberis resistere non valerent. Ex qua re hactenus Romanis restat prouerbium, vt nunquā adeo debeāt in exteris fidere, quin in suis fiant etiam potiores. Signa itaque mouentibus Celtiberis, mirantibusq;, instantibus, rogantibus, ac contradicentibus Romanis, vt remanerent, nullam aliam causam allegarunt, nisi se domestico bello reuocari. Quum vero Gneus Scipio vidisset, nec hortatu, nec vi posse Celtiberos compellere vt remanerent, cum anxietate cogitans quid inde acturus esset, quum nec ibi tutus esse posset, nec etiam fratri ob distantiam se coniungere, nullum aliud consultius in promptu visum est remedium, quam retro paulatim exercitum ducere. Nec minor anxietas terrorque fratrem premebat, periculumque maius ex nouo hoste, quoniam interea Masinissa Rex Numidarum eo tempore socius Carthaginensium factus est, quem postea Romana amicitia fecit clarum. Is quum venisset valido Numidarum exercitu, Publius Scipio aduenienti occurrit, qui deinde diebus ac noctibus Romanis adeo infestus erat, vt non sineret eos longius lignatum pabulatumque ire, quoniam sæpe inuentus inter medias Romanorum stationes omnia ingenti tumultu miscebat. Noctibus quoque eorum incursu repentino in portis & vallo Romano trepidatum est, nec vel locus, vel tempus vllum vacuum à metu ac solicitudine erat Romanis compulsis intra vallum, adempto omnium rerum vsu, consistere. Quum igitur prope esset obsidio, eamque à ratione conciperet, dux cautus ac prouidus Scipio victus necessitatibus temerarium capit consilium, vt nocte hosti obuiam iret, & quocunque loco occurrisset, prælium caperet. relicto igitur modico præsidio in castris, præpositoque Tito Fronteio legato, media nocte profectus cum hostibus obuiis manus conseruit, agmina magis, quam acies pugnabant: nec tempus noctis, nec hostium impetus ordinari acies permittebat. Superiores vero ex tumultuaria turba Romani erant, sed cum venissent à lateribus equites Numidarum, quos repentino incursu fefellisse Scipio arbitrabatur, ii magnum terrorem Romanis intulerunt. Contracto insuper

nouo certamine aduersus irruentes equites Numidas, superuenerunt etiam noui hostes duo duces Pœnorum à tergo pugnantes. anceps & dirum committitur prælium. Quumque diutius prælium ad vtranque partem dubie perdurasset, prouidus & strenuus imperator hinc inde prouidebat, vbi maxime videret occurrendum esse. interim dum strenue ad alteram commissi certaminis partem prælium ageret, latus eius dextrum lancea transfigitur. Quumq; hostes qui in imperatorem Romanum dimicabant, eundem ex quo labentem prospexissent, alacres ac magno gaudio exultantes cum clamore per totam aciẽ nunciauerunt imperatorem Romanum cecidisse. Quæ vox vulgata passim, Carthaginẽses victores, Romanos victos effecit. Fugam igitur Romani amisso imperatore statim arripere ceperunt, multoque plures ex Romanis in fuga quam in prælio cæsi sunt, quoniam velocitate equorum Barbarorum statim fugientes comprehensi fuerunt. nullusq; eo die Romanorum euasisset, nisi nox occurrisset. Quum vero Pœnorum duces victoriam ex hostibus conspexissent, eam ociosam esse noluerunt. Statim enim citato gradu exercitum Hasdrubali Amilcaris filio coniungere decreuerunt, pro indubitato tenentes, si illi coniungerentur, alterum Romanum imperatorem Gneum Scipionem deleturos esse. Nec eos spes fefellit. læti enim ex priore victoria in alterum imperatorem Romanum vnitum exercitum ducere parant. Gneus vero quamprimum fratrem occisum intellexit, auctumque exercitum hostium, suumque imminutum, & socios territos ex amisso fratre, nihil consultius esse duxit, quam paululum retrocedere, vt interim ad aliquem tutiorem locum se reciperet, quo deliberare valeret, quid ei agendum esset. Vnde vna nocte ignorantibus hostibus exercitum illinc eduxit. Capto igitur aliquantulo itineris antequam recessus imperatoris Romani ad hostes peruenisset, Hispani statim cognita fuga præmissis Numidis quantum poterant citatis agminibus, sequi cœperunt. quos ante noctem assecutos Numidæ, nunc à tergo, nunc à lateribus incursantes Romanos consistere coegerũt. Gneus vero Scipio imperator prouide suum tutabatur exercitum, nunc agendo, nunc consistendo expectatis pedestribus, vt simul omnes iuncti confligerent. Quum vero aliquandiu non multum procederetur, & iam instaret nox, Scipio suos è prælio reuocat, & in vnum tumulum collegit, qui locus non satis tutus erat timore concusso exercitu, sed tamen tutior quam aliquis ex circunstantibus. Ibi igitur impedimentis in medium receptis, & peditibus circunstantibus, vix exercitum ab impetu incursantium Numidarum tutabantur. Postquam igitur omnes tres imperatores Pœnorum aduenerunt cum eorum exercitibus, imperatori Romano visum est in loco sine præsidio & vallo non posse tuto consistere: & quum locum accuratius circunspexisset, minime aptum iudicauit, vt vallo circundari posset. Nam adeo nudus erat ac asperi soli, vt nec in eo virgulta essent, nec terra effodi, nec vlla opera aptari posset, vt hostibus difficilem aditum præberet. Cui nullum præsentius remedium fuit, quam locum sarcinulis exercitus circundare, vt ipsis obiectis hostes non tam facile valerent inuadere. Quum id factum esset, imperatoresque Pœnorum clausum vidissent Romanũ exercitum, vociferantes acclamantesq;, quasi capti intra sarcinulas Romani tenerentur, inuadere Romanos curant. Et quum magno impetu irruẽtes hostes nec illa clausura, nec defensione possent ab aditu prohibere, multi ex Romanis militibus in syluas, quidam in castra Publii Scipionis mortui quibus præerat T. Fronteius legatus, confugerunt. Ferunt aliqui ipsum Gneum Scipionem imperatorem in primo congressu ac impetu mortuum fuisse: quidam vero, eum in propinquam turrim cum paucis effugisse: quam circundatam quum nulla vi possent superare, igne foribus succenso, cum ipso imperatore omnibusq; qui intus erant, crematam dicunt. Sicque Gneus Scipio imperator Romanus tricesimo die post Publii fratris obitum interfectus est. Luctus ex morte eorum non tantum Romæ, sed & per totam Hispaniam fuit. Lugebant Romani amissos duces, dissipatum exercitum, & alienatam prouinciam. Hispani vero ipsos lugebant desiderabantque duces, Gneum tamen magis qui diutius prouinciæ præfuerat, maioremq; ex diutiori mora fauorem populorum fuerat consecutus, experimentumq; iustitiæ ac temperantiæ Romanæ primus Hispanis fuerat. His itaque peractis quum deletus esset Romanus exercitus, amissæque Hispaniæ viderentur, vir vnus Lucius Martius Septimii filius, qui erat Romanus, impiger iuuenis, animiq; & ingenii aliquanto maioris, quam pro fortuna in qua erat natus. huic ad summam indolem accesserat Gnei Scipionis disciplina, sub quo tot annos militiæ artem edoctus fuerat. qui ex fuga collectis militibus, & quibusdam ex præsidiis vrbium adductis, non contemnendum exercitum fecerat, coniunxeratque cum Tito Fronteio Publii Scipionis legato, tantumque ei omnes Romani equites tribuerunt, vt ad eum summam imperii detulerint. Commutatis igitur & communitis castris circa Iberum amnem, modico temporis interuallo omni re neces-

necessaria, victualibusq;,& commeatibus referta sunt. adeo omnia per nouum Imperatorem Lucium Martium cum impigro tum prestanti animo exequebantur. Cæterum postquam Romani milites intellexerunt Hasdrubalem Gisconis filium ad delendas reliquias belli venisse Iberumque trāsisse,appropinquasse,signū pugnæ datum esse,recordati quos prius imperatores habuissent,quibusq; ducibus & copiis freti prodire in cāpum ad pugnam soliti essent,flere omnes repente offensareq; capita cœperunt, & alii manus in cœlum tendentes,& Deos incusantes,alii strati humo suum quisque ducem inuocātes erant.nec sedari poterat lamentatio,excitantibus tamen centurionibus,& increpante Martio porrectis manibus, quod in muliebres & inutiles se proiecissent fletus, potius quam ad tutandos semetipsos ac rempublicam hortarentur, vt secum acuerent animos, & ne inultos imperatores suos sinerent iacere. His verbis aliquantulum excitati, quum repente clamor tubarumque sonitus audirentur, (iam enim hostes prope vallum erant) omnes à luctu ad arma discurrunt, & in hostem negligenter & incomposite venientem occurrunt.Quæ res improuisa primo aspectu terrorem intulit Pœnis,admirantibus vnde tot hostes deleto paulo ante exercitu tunc occurrissent,vndeq; tanta audacia,vt duobus victis imperatoribus,in bellum ire præsumerent.percunctantibusq; quis castris preesset, exercitumq; duceret, quis pugnæ signum dedisset, omnia admirationi erant. Deinde facta in eos valida impressione retro fugam capere Pœni cœperūt, & magna eo die fuisset cædes fugientium,nisi Martius incursantes suos repressisset,concitatamq; aciem, ad prima signa se opponēs, cædis ac sanguinis auidam ad castra retraxisset. Carthaginenses (vt diximus) primo aspectu trepidantes vallo se munierūt.Quumq; vidissent Romanos substitisse, metu id fecisse arbitrati, lento gradu in castra redeunt, contēptuiq; Romanos habentes, grandis illis negligentia in custodiendis castris erat: quoniam etsi vicinos hostes sciebāt,occurrebat tamen illis esse reliquias duorū exercituū ante paucos dies deletorum. Quum ergo omnia apud Pœnos neglecta essent,exploratis his Lucius Martius ad consilium magis temerarium quam audax animum adiecit,vt scilicet castra hostium inuaderet,consultius arbitratus vnius Hasdrubalis aggredi castra,quā, si se omnes tres exercitus ac duces iunxissent,in sua illorū expectare oppugnatione. Ne tamen subita res militum animos turbaret, alloquendos milites statuit, & aduocata cōcione declarat, quid faciendum sit, hortans vt constanti animo pugnent, neque etiamsi difficillimū videatur, paueant, quum rem facillimam commoditate captata aggrediantur. Statuit enim eis tertiam vigiliam noctis, in qua exploratum habere dicebat, nullum vigiliarum ordinem in castris hostium esse, stationes denique ac custodias non visas fuisse. Quū igitur hora aduenisset, primo impetu castra hostium cepit. Tum in omnes passim grassatur mucro, qui semisomnes, trepidique ob inopinatum tumultum, & inermes trucidabantur. Erant vltra eos proxima Pœnorum castra distantia interuallo sex milliariū. Itaq; Lucius Martius silenti agmine proximos hostes aggreditur, quum nullæ in castris portæ, neque in vallo custodiæ forent.in quæ, velut sua castra, nullo vsquam obsistente penetrauit.inde tubæ canunt, signa prodeunt, rumor tollitur & clamor. Pars Romanorū semisomnes hostes cædunt, pars portas occupant, pars ignem succendunt, pars obruunt tecta, vt fugam aggressis intercludāt, ignis, clamor,cædes velut alienatos sensibus hostes reddebant. incidunt inermes inter cateruas armatorum,alii ruunt ad portas,alii interceptis itineribus supersaliunt vallum,& vt quisque euadere poterat,ad alia sociorum castra fugiebat, inter quæ Romani cohortem in mediis syluis statuerant, quæ fugientibus præcludere viam posset. Quum igitur aliqui à trucidatis castris euadere crederent, ad alia castra fugientes intercipiebantur à cohorte media Romanorum, à qua cæsi ad vnum omnes sunt. si qui tamen euaserunt in ipsa proxima castra, non prius ab eis renuntiari potuit sociorum cædes, quam priori exercitu cæso Romani milites adessent. qui feroces ex nocturna victoria facti, quum eis in castrorum portis obsistere non valerent, graue atroxque intra portas ineunt prælium. Quumque Pœni alterius exercitus intellexissent, terrore versi sunt in fugam.itaq; die ac nocte Pœnorum castra expugnata sunt ductu Lucii Martii. Ex quibus septem & triginta millia hominum cæsa sunt secundum Claudium, qui annales Acciales de Græco in Latinum vertit: capti vero mille octingēti ac triginta, præda ingenti parta, in qua non abfuit clypeus argenteus Hasdrubalis librarum centum ac triginta, in quo desuper imago Barcini ferebatur: ob quam causam Hasdrubal Barcini ab auctoribus appellatus est. Magnum deinde Lucii Martii nomen fuit. eius insuper victoriæ quidam addunt, ex eius capite flammam igneam emicuisse qua hostes delebat. Tantum Romæ de eius victoriis exultatum est, vt in templo Iouis eius statua locata fuerit cum imagine Hasdrubalis, tantusque ignis pro

lætitia accensus est, vt pene Capitolium conflagratum sit. Post hæc vero res aliquanto tempore pacificæ in Hispania fuerunt. Dum hæc tamen in Hispania gerũtur, omnis belli cura à Romanis versa est in obsidionem Capuæ in Italia, quæ iam ante diutius ab Hannibale tenebatur. quam quum Romani fortiter oppugnarent, Hannibal ad eam obsidione liberandam occurrit: quam tamen quum non posset liberare, vrbem Romam obsidere decreuit. Ad eam igitur veniens castra firmauit ad tertium milliare apud amnẽ Anienem. Fuluius Flaccus imperator Romanus inter Collinam & Exquilinam portam extra vrbem castra posuit. Caium Calphurnium Prætorem Capitolio Consules præfecerunt & arci: Senatum frequenter in foro contineri ordinarunt, vt si in tam dubiis rebus aliquid occurrisset, prouideretur. Altero vero die postquam Hannibal ad eum locũ castra firmasset, cum duobus millibus equitum à porta Collina vsq; ad Herculis templũ discurrit, propius quæ potuit mœnia explorando. Quod Fuluius Flaccus vbi vidit adeo licenter Hannibalem hoc facere, indignum existimans, iussit equitatum submoueri, & in castra hostium exerceri. Ad pugnam igitur veniẽtes illo & altero die, pluuia immixta grandine vtrumq; exercitum semel & secundo diremit, ita vt alteruter in propria castra compulsus sit remeare. Quam rem Hannibal ad miraculum capiens, credidit Romam ex eo aduẽtu sibi nullatenus deberi, vt ab ipso vinceretur. Sic post paucos dies abire statuit, spoliatoq; templo Feroniæ quod multis ditatum donis, auro, argentoq; erat, discessit, per Reatemq; in Samnium profectus est. Interim Capua capitur à Romanis.

Caius Nero à Senatu imperator in Hispaniam mittitur.

ORDINATIS igitur quæ ad vrbis Capuæ tuitionem pertinebant, Romani patres cũ Senatu Caium Neronem qui ad Capuam vrbem militauerat, cum duabus peditum legionibus quas Capuæ habuerat, & equitibus adiunctis sibi totidem peditibus, ac equitibus octingentis quos ipse legisset Latini nominis, Puteolos miserunt, vt inde in Hispaniam nauibus transiret. Qui vt Puteolos exercitum adduxit, naues exercitum conscendere iubet, indeq; traiecit in Hispaniam, ad Iberumq; fluuium venit, atq; exinde cũ Lucio Martio ac Tito Fronteio cõiunctus est, statimq; properauit ad hostes ire. Hasdrubal Amilcaris filius interea ad Lapides atros castra habebat in Ausetanis. Is enim locus est inter oppida Illiturgum, quod Medinam cœli ex illius situ hodie appellari arbitror. Emensus alios montes iam huius saltus Nero fauces occupauerat. Quam rem quum prospectasset Hasdrubal, legatum mittit ad Neronẽ, dicẽs, si secum colloqui vellet, omnem suum exercitum ex Hispania educturum. Quam rem cum lęte suscepisset Claudius Nero, colloquium ad posterum diem cum Hasdrubale petiuit, vt Romæ leges componerẽtur de tradendis arcibus, vrbibusq;, dieq; statuenda, ad quam præsidia deducerentur, omniaque sua Pœni sine fraude asportarẽt. Hoc enim Hasdrubal egisse probatur, dubitãs, ne restringeretur in arcto, excogitans si quo modo hostem fallere posset, vt inde exercitum educeret. Quod colloquium quum à Nerone non minus libenter quam auide expectaretur, Hasdrubal interim exercitũ nocte parat educere. Primumq; quod in exercitu grauissimum erat, prima noctis hora iubet è castris educi: dataq; opera est, vt pauci simul, vt hostem silentio aptius falleret, egrederentur. Nam euadẽdum per arctas ac difficiles vias erat. Quum vero iam maior pedestrium pars ex saltu euasisset, iamque fide decrescente, non sine maximo metu stari posset, prima luce omnem aciem simul cum elephantibus educit. Ea hora nebula densa omnem agrum montesque texerat. quod vidẽs Hasdrubal, nuncium mittit ad Neronem, orans vt in alterum diem differat colloquium, asserensque illum diem religiosum Carthaginensibus, ac feriatũ esse. Exacta deinde hora diei quarta, nebula abeunte, & claritate diei facta, fraus detecta est. Tũc enim Hasdrubal instructa acie omnibusque elephantis tutus extra saltus angustias per campos apparuit. Quum vero Nero clarescente die Punicam fraudem agnouisset, proficiscentẽ hostem insequitur, acieque instructa ad pugnam cogebat. Sed Hasdrubal detrectabat pugnam: leuia tamen conferebantur prælia per Romanos & extremam Punicã aciem. Inter hæc Hispaniæ populi qui post cladem Scipionum à Romanis defecerant, nec redibãt ad Romanos, nec vlli deficiebant.

Publius Cornelius Scipio filius alterius Publii annos natus XXIIII. *creatur consul, & in Hispaniam mittitur.*

CAPTA igitur Capua in Italia à Romanis anno ab orbe condito MMMM. DCCCC. LXXXVII. ab vrbe vero condita DXXXVIII. iam misso in Hispaniã Nerone eodem

Idem anno Senatus Romanus decreuit, vt exercitus augerentur, Imperatorq; item alius in Hispaniam mitteretur. Non tamen quem mitterent, idoneum aliquem censebant, animo voluẽtes, quod duo adeo insignes Imperatores intra dies triginta ceciderant, quorum loco deligendus imperator substitueretur. Quumque alii alios nominarent, postremo decursum est, vt populus super imperatore creando qui in Hispaniam iret, comitiũ haberet. Dicitur autem comitium, congregatio in qua omnes magistratus & Romanus populus descendebant in campum Martium Romæ pro creandis Imperatoribus & reliquis magistratibus. Statutoque die ad comitium interim consultant, quem dignum imperio tanto arbitrarentur. Quumque destituta expectatio videretur, neminem idoneũ inueniendo, redintegratus est luctus acceptæ cladis desideriumque amissorum imperatorum. Qua ex re mœsta ciuitas erat, inopsque consilii videbatur. Die tamen statuta omnes in campum conueniunt. Tum magistratus versi circumspectant ora primatum ac ipsius populi, illique illos intuentes dolent fremuntque, adeo perditas res videri, desperatumque de republica esse, vt nemo vel non inueniatur, vel non audeat imperiũ in Hispanos capere. Tũc statim Publius Cornelius Scipio alterius Publii Scipionis, qui in Hispania occubuerat, filius, adolescens quatuor & viginti annos natus, in alto eminentique loco, vt videri prospicique ab omnibus posset, consistens, imperium aduersus Hispanos petiit. In quem omnium ora vultusque conuersi, cum maximo assensu totiusque comitii fauore proclamatur dignus eo imperio vt in Hispaniam mitteretur. Cæterum post rẽ actam dum ardor animorumque impetus quieuisset, silentium statim & tacita cogitatio suborta est, considerantes quidnam fecissent, pœnitebatque eos quod plus valuisset fauor, quam ratio ætatis. Quin etiam fortunam domus horrebant ac Scipionum nomen. Scipio vero ad rem tantam delectus ita de ætate sua, imperioque mandato, quomodoque bellum gerendum esset, magno elatoq; animo disseruit, vt ardentissimum omnium in se amorem excitaret, certosque redderet omnes considerantes de futura victoria. Fuit autem Scipio non tantum veris suis virtutibus mirabilis, sed arte quoque quadam adiutus, & in ostentationem earum compositus, ita vt multitudinis quadam superstitione de ipso capta mentes occupasset. Postquam enim togam virilem susceperat, nullo vnquam die vllam rem aut publicam aut priuatam egit, quin in Capitolium iret, ingressusque penitiorem templi locum quasi cum Diis consultaturus, solus diutiuscule manebat, ita vt stirpis diuinæ eum fuisse fama retulerit. Multa alia eiusdem generis, alia vera, alia simulata, admirationis humanæ in eo iuuene excesserant modum. Ad has itaque copias quas Claudius Nero à Puteolis traiecerat, decem millia peditum & equites plurimi adduntur, & Marcus Iunius Syllanus prætor, adiutor ad res gerendas datus est. Ita cum triginta nauium, id est quinqueremium classe, à Tiberis ostio soluens, per mare Tuscum sinumq; Gallicum Emporias peruenit, ibique descendens, nauibus iussis sequi, terrestri itinere Tarraconam vrbem petiit. Audita igitur fama sui aduentus legati ad eum ex omni prouincia concurrerunt. Naues in Tarraconæ portu consistere iussit, remissis quatuor triremibus Massiliensium, quæ causa officii Scipionem secutæ fuerant. Tum responsa legationibus dare cœpit, suspensa tamẽ suspensis prouisionibus varietate tot casuum, ita elato animo ab ingenti virtutum suarum fiducia, vt tamen nullum ferox verbum excideret, ingensque omnibus quæ diceret, cum maiestas inesset, tum fides. Profectus à Tarracone ad Iberi ostia exercitum duxit, vbi Nero & Titus Fronteius exercitum habebãt, ibique collaudauit milites, quod à duabus tantis cladibus perpessis deinde prouinciam obtinuissent, neque passi essent hostes fructus habere fœcundarum rerum, atq; ipsos hostes coercuissent ab omni agro cis Iberum, sociosq; Romanorum cum fide tutati essent. Lucium vero Martium secum cũ tanto honore habebat, vt facile appareret, nihil magis vereri, quam ne quis obstaret gloriæ illius. Successit inde Syllanus Neroni. Deducto itaque nouo exercitu ad Iberum amnem, vt alteri exercitui iungeretur, compositis ordinatisq; rebus Scipio Tarraconam rediit, qui ob quandam futuri diuinationem non minori fama apud hostes fuit, quam apud ciues sociosque suos: cuius diuinationis ratio reddi nullatenus poterat. Erat per idem tempus iam hyemis principium, antequam obtineretur Capua, & Scipio in Hispaniam mitteretur. in hac hyeme Romanus exercitus cis Iberum hybernauit: Scipio vero Tarraconæ, Hasdrubal Amilcaris filius apud Saguntum orasque Iberi vltra amnem, alter Hasdrubal Gisconis filius ad Oceanum & Gades, Mago vero apud Mediterranea circa saltus Castulonis cum suis exercitibus hybernauerunt.

Dira & maxima prodigia.

EODEM anno multa prodigia visa nunciataque sunt Romæ. Nam in vrbe Roma idolũ Victoriæ in culmine templi Concordiæ locatũ, fulmine percussum corruit, omniaq;

victoriæ ſigna quæ ante idolum pendebant, à fulmine ſuccenſa ſunt. Idemque fulmen Anagniam percutiens, muros ac portas vrbis arſit. in foro inſuper Suedertano ſanguinis riuulos per diem fluxiſſe ferunt, & lapides immixtos grandini pluiſſe in Reate vrbe, mulámque peperiſſe. Quæ prodigia Romani plurimum metuentes hoſtiis placare Deos ſtatuerunt, & multiplicatis ſacrificiis per nouem dies hoſtias immolarunt.

Captio nouæ Carthaginis in Hiſpania à Scipione.

SEQENTI igitur vere, videlicet ab orbe condito MMMM.DCCCC.LXXXVIII. & ab vrbe condita quingenteſimo trigeſimo octauo, quum iã ver eſſet, præfectos militum, qui in claſſe apud Tarraconam hyemabant, accerſiit, illiſque edixit vt cum omni claſſe onerariisque nauibus ad amnem Iberum traiicerent. Ipſe vero terreſtri itinere cũ quinque millibus ſociorum in exercitum profectus eſt ad Iberum amnem. Vbi quum iunxiſſet omnes exercitus ac Romanas legiones, cõuocata concione milites alloqui ſtatuit, præcipueque eos qui tantis ſuperfuerant cladibus. Quos omnes ad oppugnandam nouam Carthaginem excitat, bonoq; animo ac magna ſpe eſſe iubet. Quumque omnes vna voce id faciendum conclamarent, eos Carthaginem duxit. Quo viſo Mago dux Pœnorum, qui ad præſidium vrbis erat, ſtatuit cum Scipione inire certamen, ſi vrbem aggredi auderet. quam militibus ordinans, duo millia oppidanorum ex aduerſo, vbi caſtra Romana erant, oppoſuit, vt eis ad eam vrbis partem reſiſti valeret. quingentos inſuper milites in arce conſtituit: alios item quingentos diſpoſuit ad quendam tumulum, qui ad partem Orientis in ea vrbe loco eminenti fortiſſimus erat: reliquam vero multitudinem inſtruit, vt vndique occurrat, hoſtique reſiſtat. Patefactaque porta vrbis eos quos ordinauerat in via ad Romanorũ caſtra, mittit. Romani duce ſuo præcipiente parumper ceſſere, vt propiores ſubſidiis in certamine ſubmittendis eſſent. Tum imperator Romanus dato ſigno copias immittit, quæ facto impetu in oppidanos, eos vſq; in vrbem propulerunt, adeo vt niſi ipſe imperator eis conſiſtendi ſignum dediſſet, commixtę oppidanis in vrbem cõfugientibus irrupiſſent. Magna trepidatio tum Carthaginenſibus militibus, tum etiam toti vrbi fit, multæque ſtationes à militibus deſeruntur. Scipio vero circumſpecto quod erat in vrbe locus, cui ob fortitudinem nullum aderat præſidium, occupatis omnibus ad ferendã opem militibus ad ciuitatis portam confligentibus, cui loco ſtagnũ ſuberat. Ad eam igitur partem ſcalis admotis paucos quoſdam milites conſcendere iubet. quibus conſcenſis ſine vllo certamine obſtaculoque, quanto potuerant curſu ad eam portam conceſſerunt, circa quam omne contractum certamen erat. adeo fuerunt omnium non ſolum oculi, ſed etiam animi intenti ad prælium, vt non prius intelligerent à tergo captam vrbem, quã porta interius exteriusque infringeretur. ad quam Romani impetum facientes ea diſrupta in vrbem irruunt, in forumque acie inſtructa prodeuntes magnam hominum cædem faciebant. Deinde quum hoſtes alii in tumulum ſe reciperent, alii in arcem confugerẽt, in qua ipſe Mago erat cum omnibus armatis qui è muris expulſi fuerant, ipſe Scipio partem militum ad oppugnandum tumulum, partem ad oppugnandũ arcem mittit. Tumulus primo congreſſu captus eſt. Mago vero qui arcem conabatur defendere, quũ vidiſſet omnia hoſtibus plena, nec in arcis præſidio ſatis fideret, ſe, arcem, & præſidium dedit. Quum vero arx data eſt, cædes maxima per totam vrbem facta eſt. nulli etiam puberum qui obuiam repertus ſit, parcitum eſt. tum ſigno dato vt à cædibus abſtinerent, ad prædã victores verſi ſunt, quæ ingens omnis generis fuit. Liberorum capitum virilis ſexus decẽ millia capta ſunt. Inde qui ciues erant nouæ Carthaginis, dimiſit, vrbemq; reliquam quæ illis bellum fecerat, reſtituit. Opifices ad duo millia hominum erant. eos populi Romani fore cum propinqua ſpe libertatis edixit, ſi enixe ad miniſteria belli darent operam. Cæteram multitudinem incolarum iuuenum ac validorum ſeruorum in claſſem ad ſupplementum remigum mittit. Ex his captiuis auxerat octo quinqueremibus claſſem. Extra hanc multitudinem Hiſpanorum obſides erant, quorum perinde cura ſuſcepta eſt, ac ſi liberi vel ſocii eſſent. Captus eſt & ibi apparatus belli maximus. Machinæ ferme CCXX. minores CCXCI. baliſtæ maiores XXIII. minores LIII. Scorpiones, minorumque armorum ac telorũ infinitus numerus. Signa militaria LXXIIII. auri & argenti relata ad imperatorem magna vis. Patinæ aureæ CCLXXVI. ſingulæ ponderis fere vnius libræ, argenteæ vero decem & octo millia & trecenta. Vaſorum argenteorum infinitus numerus. Hæc omnia Caio Flaminio quæſtori aſſignata numerataque fuerunt. tritici modiorum quadraginta millia. Hordei centum ſeptuaginta millia, & naues onerariæ ſexaginta tres. in portu expugnatæ captæque cum ſuis oneribus, frumento, armis, ære, ferro, linteis, & ſparto, aliaque nauali materia ad claſſem ædificandam. Eo die Scipio

C. Lali-

C. Lælio cum sociis naualibus vrbem custodire iussit, ipseque in castra milites ac legiones adduxit. Postero vero die commilitonibus naualibusque sociis conuocatis, primum Diis immortalibus laudes & gratias egit, qui se non vrbis solum opulentissimæ omnium in Hispania vno die compotem fecissent, sed quod ante eo congessissent omnes Africæ & Hispaniæ opes, ne hostibus aliquid relinqueretur, ac sibi & suis omnia superessent. Militum deinde virtutem collaudauit, quod eos non eruptus hostium, non altitudo mœnium, non explorata stagni vada, non castellum in alto tumulo situm, non munitissima arx deterruisset, quo minus transcenderent omnia perrumperentque. Itaque omnes laudãs, omnibus se debere dicebat, præterea muralis coronæ decus eius esse qui primus murum ascendisset. Deinde Scipio pronunciauit se satis compertum habere Quintum Trebellium, & Sex. Digitium pariter in murum ascendisse, seque eos virtutis causa coronis muralibus donare, tum reliquos, prout cuiusque meritum virtutis erat, donauit. Postremo Scipio vocatis obsidibus Hispaniarum, vniuersos bono animo esse iussit, dicens ipsos venisse in populi Romani potestatẽ, qui beneficio potius quã metu obligare homines malit, exterasq; gentes fide ac societate vinctas habere quam tristi seruitio subiectas: deinde acceptis nominibus ciuitatum recensuit captiuos, nunciosq; ad easdẽ ciuitates misit, vt ad suos vnusquisque recipiendos veniret. Si quarum forte ciuitatum legati præsentes erant, suos cuique restituit: curam vero aliorum benigne tuendorum C. Flaminio quæstori dedit. Inter hanc mediam turbam obsidum mulier magni generis, quæ Mandonii vxor erat fratris Ilergetum principis, flens ad pedes imperatoris procedit, supplicare ac obtestari cœpit, vt curam cultumque fœminarum impensius custodibus cõmendaret. Cum vero Scipio nihil defuturum præfecto diceret: tunc rursus mulier, Haud magni ista facimus, inquit. Quid enim huic, cui nos commisisti, non satis est fortunæ? ætate enim & forma flores est, & extra periculũ mulierum ætas eum stimulat. Ipsi autem omnes obsides nobilitate clari eam vti parentem colebant venerabanturq;. Tum Scipio, Meæ, populiq; Romani disciplinæ causa facerem, inquit, ne quid quod sanctum vsquam esset, apud vos violaretur: nunc vt curem id impensius, vestra quoque virtus dignitasque facit, quæ ne in malis quidem oblitæ decoris matronalis estis. Spectatæ deinde integritatis viro tradidit eas, tuerique non secus verecunde ac modeste iussit, quam hospitum coniuges aut matres. Captiua deinde à militibus ducitur ad eum adulta virgo adeo eximia forma, vt quacunque parte se verteret, omnium ad eam conuerteret oculos. Scipio percunctatus patriam parentesque, inter cætera accepit desponsatam eam principi Celtiberorũ adolescenti, cui Lucio nomen erat. Hæc à Scipione honestissime pudicissimeque seruata est. Interim vocato sponso parentibusque per dies, cum interim audiret sponsum deperire sponsæ amore: vbi primum venit, accuratiore eum sermone prius quam parẽtes alloquitur: Iuuenis (inquit) cum sim, appellor Iunior. sit inter nos huius sermonis verecundia. Ego cum sponsa à militibus nostris ad me deducta esset, audiremque eam tibi cordi esse, & forma faceret fidem, voluissem pro ætate mea secum lusisse læto legitimoq; amore, nisi cura reip. meum animum occupasset. Nunc autem eam tibi sponso amanti impensius conseruaui. Fuit enim sponsa tua apud me eadem, qua apud soceros tuos parentesque suos verecundia, atque seruata est tibi, vt inuiolatum & dignum me teq; dari tibi donum posset. hanc mercedem vnam pro eo munere paciscor, vt amicus populi Romani sis. Et si me virum bonum credis, quales patrem patruumque meum, scias multos nostri similes in ciuitate Romana esse, nec vllum in terris populum hodie dici posse, qui tibi tuisque minus hostis esse velit, aut amicus malit. Adolescens vero simul pudore gaudioque perfusus, dexteram Scipionis tenens, Deos omnes inuocare cœpit ad gratiã illi pro se referendam, ad quam iam sibi neque satis facultatis pro suo animo atque illius erga se merito esset. Parentes inde cognatique virginis appellati, quoniam gratis sibi redderetur virgo, ad quam redimendam satis magnum attulissent auri pondus, orare Scipionẽ cœperunt, vt id à se donum acciperet, neque ob id minorẽ à se susceptam gratiam arbitraretur. Scipio quoniam tantopere peterent, accepturum se pollicitus, auri pondus poni ante pedes iussit, vocatoque Lucio, super dotem (inquit) quã accepturus à socero es, hæc tibi à me dotalia dona accedant, aurumque inde tollere, ac sibi habere iussit. His lætus donis honoribusque dimissus domum, impleuit laudibus Scipionis populares, & cõgregato delectoque maximo comitatu, ne ingratus Scipioni tanti beneficii fieret, cum mille & quadringentis equitibus intra paucos dies ad Scipionem venit. Interim Scipio Lælium, postquam captiuos obsidesque ac prædam ex consilio eius disposuerat, omnibus satis compositis, ei data quinquereme cum captiuis, Magone, quindecimque Senatoribus Catthaginensibus, nuncium victoriæ Romã mittit. Ipse paucos dies quibus mo-

rari in noua Carthagine ſtatuerat,exercendis naualibus pedeſtribusq; copiis abſumpſiſſ, ne otioſæ vacarent. Primo enim die legiones ſpatium quatuor millium decurrerunt, ne otioſis,dum in armis eſſent,anhelitus deficeret:ſecundo vero die arma curare & tergere ante tentoria iuſſit: tertio die ſudibus inter ſe in modum ruſticæ pugnæ concurrerunt, conglobatique iaculati ſunt: quarto die quies data eſt: quinto inſuper die iterum in armis decurſum eſt.Hūc ordinē laboris quietiſq; quādiu apud Carthaginē morati ſunt, ſeruauerunt. Remigium etiam claſſis: ac ciues in altum euecti agilitatem nauiū ſimulacris naualis pugnæ experiebantur. Hæc extra vrbem terra mariq;, corpora ſimul, animoſq; ad bellum acuebant. Res ipſa publica ſtrepebat apparatu belli, fabris omnium generum in publica officina incluſis. Dux cuncta pari cura ſubibat,nunc operibus aſpiciendis tēpus dabat, quæ in officiis, quæ in armamentario, quæ in naualibus ſociorum fabrorum multitudo plurima in ſingulos dies certatim faciebant, conſiderans. Vrbis itaq; inchoatis refectiſq; muris, diſpoſitiſq; præſidiis,Tarraconam profectus eſt.Cui multæ etiam in via legationes occurrerunt,quas partim ex itinere dato reſponſo remiſit,partim diſtulit in Tarraconam vrbem,ad quam omnibus ſuis veteribus ſociis edixerat conuentum,cunctique qui cis Iberum erant, multique ex vlteriori Hiſpania ad eum conuenerunt.Interim de induſtria Carthaginenſium duces famam captæ nouæ Carthaginis compreſſerunt: tandemque quum vulgari cœpiſſet,aiebant,nec tanti momenti eſſe ipſis captam vrbem vnam in Hiſpania ab adoleſcente inexperto vna die,furtive, & non vi oppugnatam, ipſi vero tacite conſiderabant,quanti eſſet nouam Carthaginem in Hiſpania amiſiſſe.Facto igitur conuentu Hiſpanorum Tarraconæ à Scipione tota illa æſtas conſumpta eſt ad reconciliandos Hiſpanorum animos partim donis,partim remiſſione obſidum,captiuorumque ſolutione. Clarus inter Hiſpanorum duces ad Scipionem venit Indibilis,Mandoniuſque. erat enim coniux liberique eius apud Romanos, ſed præter eam cauſam etiam fuit fortunata inclinatio animorum, quæ Hiſpaniam omnem à Punico imperio auertens ad Romanos trahebat. vnde quaſi omnes Hiſpanorum principes cum omni populari manu ad Romanos confugere videbantur. Sicque Scipio tota hyeme Tarraconæ hybernauit.

Prælium Publii Cornelii Scipionis contra Haſdrubalem.

QVVM vero iam altera æſtas adueniſſet ſequētis anni,& Haſdrubal cerneret res Romanas tot augeri incrementis, ſuaſque imminui, & quod,niſi forte aliquid audendo tentaret, frui forte ex toto poſſent: dimicare igitur cum Scipione quam primum ſtatuit. Scipio autem certaminis auidior erat, conſiderans quod ſibi res proſpere ſuccederent, conſultiuſque exiſtimabat cum Haſdrubale Barcini præliari,quam ſi omnes ſimul Pœnorum exercitus, duceſque iungerentur. Igitur irritatis ad certamen animis Romani caſtra poſuerunt nocte. Haſdrubal in quodam plano caſtra habebat. qui quum appropinquaſſe Romanos intellexit, copias in quendam tumulum in plani ſummitate conſtitutum recepit, habens à poſteriori parte flumen, & hinc & inde ripam quæ tumulum omni ex parte cingebat. Cum vero Romani ad iactum lapidis tumulo appropinquaſſent, omnis generis telorum copia iactata eſt: Pœni vero è contra. ſaxa etiam quibus tumulus omnis reſperſus erat, iactabantur non ſolum à militibus, ſed etiam à multitudine magna colonum eis immixta. Verum licet aſcenſus difficilis eſſet,licet pene telis ſaxiſque Romani obruerentur, tamen quadam audacia, & conſuetudine ſuccedendi muros, primo aliqui ripam conſcenderunt quadam pertinacia animi, qui ſimul ceperunt aliquid in eo loco, quo firmo gradu perſtiterunt. Quumq; modico interuallo ibi aliquandiu perſtitiſent, Pœni impetu facto eos inde expulerunt.Scipio vero quum in mediam hoſtium aciem irrumpere cuperet,aſſumpto Lelio qui ad dexteram tumuli partem decertaret, ipſe vero ad leuam, inde vterq; altitudine loci explorata, qua aſcenſus facilis in tumulum fieret,Scipio apto ſatis aſcenſu in altum prodiit.Dumq; inſtructas acies ordineſq; in Scipionē Pœni voluere volūt,ex alia parte Lælius ſubiit.Dum vero ipſi retro ordines auertere curant, ne à tergo vulnerētur, dilatatur prima acies,locuſq; datus medius ad peruadēdū aciem.Quumque inter medias copias præliarentur, quia locus eis ad prælium difficilis erat,partitis hinc inde ſtationibus,elephantiſque in medio conſtitutis & ante ſigna locatis,magna Romanorum cædes fiebat: neque inde euadere potuiſſent, niſi Scipio qui à læuo cornu in dexterum incurrerat, acriter in nuda hoſtium latera pugnaſſet.Et iam ad eo à Romanis fortiter retro , læuoque cornu pugnabatur, quod fugæ non dabatur locus. Præcluſerant enim vias & portas caſtrorum, clauſerant & elephantes inter mediam

aciem,

aciem, & Romanorum impetu plurimum trepidabant. In eo igitur prælio cæsa ad octo millia hominum ex Hasdrubalis exercitu. Hasdrubal vero quum exercitum exterminatum conspexisset, rapta pecunia, elephantisque præmissis, quos potuit ex cæde fuga liberauit, atque transacto flumine Tago Pyrenæum versus in Ilergetes contendit, vbi nũc Nauarrę regnum esse constat. A Scipione vero recensitis captiuis Pœnorum, reperti sunt ad decem millia peditum, equitum vero ad duo millia. qui retentis Iberis hominibus cæteros cum omni præda spoliisque castrorum, quibus omnibus potitus est, militibus diuisit, Hispanos vero captiuos sine pretio omnes domum remisit, Afros vero quæstori vendi iussit. Quumque Hispani magnam Scipionis liberalitatem considerarent, & ii qui Romanis prius adhæserant, & ii qui liberati fuerant, circunfusi Regem Scipionẽ appellare cœperunt. Quum vero regium nomen alibi magnum & videretur, & esset, Romæ tamen tolerabile non erat. ex qua re multitudinem allocutus dixit. Si enim animi magnitudine Regem iudicarent, à voce tamen abstinerent. stupebant Hispani Barbariq; omnes magnitudinẽ animi eius, cælitusque hominem proditum, ad magnaq; fastigia euectum prædicabant. Iussit etiam Scipio dona dari principibus Hispanorum, atque Indibilem sibi deligere trecentos ex omnibus captiuis, qui sibi dono darentur. Quũ autem quæstor Afros iussu imperatoris venderet, inuetus est inter eos puer adultus forma insignis. Audiens autem Scipio eum regii generis esse, iussit afferri ad se. quem quũ percunctaretur Scipio, quis, & cuias esset, & cur tali ætate in castris esset: lachrymans Numidam se esse ait, Massiuamque appellari, orbumque patre apud Galam maternum auum Regem educatum, cum auunculo Masinissa, qui nuper cum equitatu in subsidium Carthaginensium venisset, in Hispaniam traiecisse, atque cum fuisset prohibitus à Masinissa, nunquam ante prælium adiisse, eo die, quo pugnatum cum Romanis esset, inscio auunculo clam arma sumpsisse, equoque in præceps delapso captum à Romanis esse. Scipio reseruari Numidam iussit: quæ tunc agenda erant pro imperii rebus, peregit. Inde quum se in prætorium recepisset, accitum eũ interrogat, an vellet ad Masinissam reuerti? quum effusis gaudio lachrymis cupere se diceret, tum puero annulum aureum, tunicam insuper admodum ornatam cum Hispano sagulo, fibulaque, ac aurea zona, equo quoque ornato iussit, quo vellet, progredi.

De transitu Hasdrubalis in Italiam ab Hispania.

ANNO itaque ab orbe condito quarto milleno nongentesimo nonagesimo primo, & ab vrbe condita quingentesimo quadragesimo secundo, Scipio post hanc victoriam consilium de bello habuit. Et dum quidam consulerent, vt fugatum Hasdrubalem insequeretur, diu cõsultatione huiusmodi anceps fuit, dubitãs ne alter Hasdrubal Gisconis filius, ac Mago eidem Hasdrubali Amilcaris filio iungeretur. Tãdem cõsultius remanere ratus, quasdam exercitus copias misit, vt Pyrenæus intercideretur, ne ad illum posset Amilcar descendere. Interim Scipio Tarraconam venit, vbi reliquum æstatis in recipiendis in fidem Hispaniæ populis consumpsit. Interea paucis post prælium diebus Hasdrubal Gisconis filius, & Mago, imperatores Carthaginensium, & Masinissa Numidarũ Rex ad Hasdrubalem Amilcaris filium cum magno exercitu venerunt. tardum post rem male gestam auxilium, consiliumque ad cætera belli opportuna. Consultantibus itaque de progressu belli, qualesque Hispanorum animi erga se essent in quacũque prouincia, vnus Hasdrubal Gisconis filius ignorabat eam vlterioris Hispaniæ partem quæ ad Oceanum & Gades vergit, Romanorum esse, quam ipse satis fidam Carthaginensibus credebat. Cõstabat tamen alteri Hasdrubali, & Magoni, eandem Scipionis beneficiis occupatam esse: & ne Hispani milites quorum defectionem timebant, ad Romanos transferentur, nihil eis consultius visum est, quam vt omnes ab Hispania Hispani milites amouerentur, atque in Italiam vbi caput belli erat, transferrentur, etiamsi Senatus Carthaginẽsium decreta obstarent. Itaque Hasdrubal Amilcaris filius cum omnibus Hispanis militibus in Italiã trãsfertur, vbi Hispanos milites à Scipionis nomine alienos non aliter quam strenue bellicum opus acturos credebat. Interim Mago decretus est, vt tradito exercitu Hasdrubali Gisconis filio cum magna pecunia in Baleares insulas ad cõgreganda auxilia mitteretur. Masinissaq; ex omnib. decretus est, vt lectis ex vniuerso exercitu tribus millibus equitum, expeditus prouinciam peragraret auxilia sociis prępstiturus, ac hostium agros depopulaturus. Hasdrubal vero Gisconis filius cum omni exercitu ad tutãdam prouinciam ordinatus est. Deinde Hasdrubal Amilcaris filius magna pecuniæ vi congregata trãsiuit Pyrenęũ, mercede Gallorũ auxilia cõducturus in suo trãsitu. Ita quibusq; in d-

pus suum digressis in hyemem ventum est. Quum indies cura de transitu Hasdrubalis in Italiam creuisset, mittuntur legati Massiliensium Romanis, nunciantes Hasdrubalem in Galliam transisse, attractosque ad se plurimorum Gallorum animos esse, quia magnum auri pondus attulisse diceretur ad conducenda Gallorum auxilia. Missi deinde ab Roma legati sunt Sextus Antistius, & Marcus Retius ad rem inspiciendam. qui in vrbem rescripserũt, misisse se cum Massiliẽsibus ducibus, qui per Principes Gallorum & hospites Carthaginensium omnia explorata referrent: qui redeuntes dixerunt, Hasdrubalem ingenti coacto exercitu proximo vere Alpes transiturũ, nec eum tunc quicquam morari, nisi q̃ clausæ niuibus Alpes essent. Romæ igitur creantur Consules Claudius Nero, & Marcus Liuius. Magna vrbi trepidatio fit pro aduentu Hasdrubalis in Italiam. creatis Consulibus magna Romæ sacrificia præter solitum fiunt. per nouem enim dies ducebantur ab æde Apollinis boues binæ albæ, quas sequebantur duo signa cupressea. Deinde virgines viginti septem longa indutæ veste carmen Iunoni Reginæ cantabant. Virginum ordines sequebantur omnes prætextati, omnis Senatus, & à porta per Iugarium vicum in forum venere. In foro vere omnis pompa constitit. per manus recte datas virgines sonum vocis pulsu pedum modulantes intercesserunt. Inde vico Tusco in ędem Iunonis peruentum est, & his duabus hostiis Deos Romani placatos crediderunt. Decreuerant enim his peractis Consules, eundum obuiam Hasdrubali esse ab Alpibus descensuro, ne eius aduẽtus Cisalpinam Galliam & Tusciam rerum nouarũ auidam turbaret. Dicitur autem Gallia Cisalpina ea pars, quæ hodie Longobardia dicitur, ab ipsis Alpibus vsque in Padum Rauennamq;, inclusis vrbibus Mediolano, Pergamo, Brixia, Verona, Vincẽtia. Datum insuper consulibus fuit, vt ex omnibus prouinciis exercitibusque eligerent eam exercitus partem quæ tantæ rei necessaria foret, ne Hannibal qui Tarentum obsidebat, suo domestico prælio occupatus, fratri Hasdrubali in occursum venire posset. Magna ex omnibus prouinciis Romę missa sunt auxilia: ex Hispania vero cum Publio Sulpicio ac M. Liuio ad octo millia peditum, equitumq; duo millia, cum multis sagittariis ac fundibulatoribus, mari Romam trãsmissa sunt. Similiter & ex aliis omnibus prouinciis. Interim vere superuento, annis ab orbe condito quatuor millibus nongentis nonagesimo primo, & ab vrbe condita quingentis quadraginta duobus exactis, tumultus Romæ factus est ex literis Lucii Portii, quæ nunciarent Hasdrubalem ex hybernis castra mouisse, Alpesque transuectum, Ligurum nouem millia conduxisse, qui secum ducerentur, nisi eos prius prælio occuparet. Liguria enim Genuam vrbem continet, eamque partem quæ à Pado flumine in maritimam & Apenninum vergit. Consules vero accelerantes eorum digressum ire obuiam parant. Interim Hasdrubal vrbem Placentiam obsidere cœpit. credebat enim campestrem vrbem facilius obtinere. Est enim Placentia vrbs hodie Longobardorum, Romanorum colonia, ex cuius expugnatione sperabat magnam suo exercitui gloriam, commoditatemque fieri, spemque Hannibali fratri futuram, ex ea quoque rumorem sui transitus ad Hannibalem perduci. Qui licet diu firmatam obsidionem tenuisset, ab ea tamen amoueri compulsus est.

De prælio ac morte Hasdrubalis.

INTERIM quum Hasdrubal ab obsidione Placentiæ discessisset, quatuor Gallos equites & duos Numidas ad fratrem Hannibalem mittit cum literis, qui in itinere ab exploratoribus militibus capti, ad Quintum Claudium proprætorem deducũtur. qui quum interrogati varia respondissent, facto metu tormentorum veritatem dicere compulsi sunt, atque cum ipsis signatis literis traditi sunt Lucio Virginio tribuno militum, adducendi ad Claudium Consulem peruenerunt. literæ per interpretem lectæ sunt, & ex captiuis percunctatio facta. Quibus intellectis non opus mora ordinatis iam rebus censuit, sed aliquid ex inopinato in hostem tentare. Scribebat enim Hasdrubal occursurum se fratri Hannibali in Vmbria. Consul igitur Romã mittit, dicens, vt lectum militẽ ex vrbano exercitu in arma ad se mittãt. atque idem Claudius ex omni suo exercitu sex millia peditum, & decem millia equitũ legit, occursurus Hasdrubali. Dimisso itaq; omni reliquo illic exercitu Quinto Tatio pronunciat, se proximam in Lucanis vrbem cum præsidio capturũ: & arrepto itinere quã maxime properat, vt collegæ Marco Liuio iungat exercitum. Terror vrbi non minor fuit ac trepidatio, quam ante biennium, dum castra Punica vrbi obiecta erant. Festinato igitur gradu Claudius Nero Consul per Picenum in occursum Hasdrubalis properat, maximeq; vt iungatur alteri Cõsuli Marco Liuio. Missis itaq; literis nunciisq; ad alterum Consulem de suo aduẽtu, Liuius ordinat vt tribunus tribunum, centurio centurionem, miles militem, pedes peditem hospitaretur, quoniam Claudius per literas indicasset, nihil cum exercitu ferre se præter arma. Interim cum per

agros

agros vrbesq; pertransiret, occurrebant viduæ ac matronæ, quæ Deos precabantur pro victoria, simulq; cantantes virgines, cæterique necessaria ministrabant. Claudius vero Consul monebat, vt nihil nisi ad victum necessaria susciperent, & ita citato gradu iter accelerabat. Quum igitur Claudius prope Liuii castra venisset, nocte clam hospitaliter ab exercitu Liuii recepti sunt omnes, & quotcunq; erant, alter alterum ad prælium inuitabant: qui omnes validissimo corpore, ac robustissimo ad cœnam conscripti sunt. Postero die concilium habitum est, cui Lucius Portius Prætor affuit. multi in eam sentētiam declinabant, vt dum Claudius reficeret fatigatos milites, ad cognoscendū hostem paucos sibi sumeret dies. Erant autem Pœnorū castra ad quingentos passus. Claudius vero necdum huic sententiæ acquieuerat, sed consilium tutissimum in celeritate putauit, in morando temerarium arbitratus est, signumq; dari pugnæ iubet. concilio dimisso signum pugnæ proponitur. Hasdrubal quum signa belli audiuit, suspicatus ne nouis auxiliis Romanorum castra aucta essent, & ipse suas acies instrui iussit. Quumq; iam ante signa fuisset Hasdrudal, quædam scuta vetera hostium notauit, quæ ante non viderat. strictior acies, ac multitudo maior solito visa est. Sciscitatus quid hoc esset, acies stare iussit, ac cecinit, misitq; milites exploratores ad flumen vbi aquabantur, vbi & accipi possent, & notari oculis, si qui forte adustioris coloris, vt ex recenti via, essent: simulque se circunuehi procul ad eorum castra iubet, specularique, num aliqua ex parte auctum sit vallum, atq; attenderent vtrum semel, an bis, signum caneret in castris. Ea omnia quum per ordinem relata essent, castra nihil aucta errorem faciebant, quod bina erant, sicut ante aduentum consulis alterius fuerant: vna Liuii, altera prætoris Portii. in neutra enim aliquid de nouo adiectum erat, sed omnes qui cum Claudio Nerone altero Consule venerant, apud alios Liuii Consulis, & Prætoris fuerant hospitati. Illud autem dubium maxime referebant, quod in castris Prætoris signum datum semel, in Consulis vero castris bis referebant cecinisse. Cura quam maxime Hasdrubalem angebat, quidnam Hannibal ageret, cum quo castra collocata haberet ignotans, serumque ei suum auxilium dubitabat, timens ne Romanis eadem in Italia, quæ in Hispania fortuna belli foret: vel suas ad eum literas nō peruenisse credebat, interceptisq; literis Consulem accelerasse ad eum opprimendum. His anxius curis, extinctis ignibus, prima noctis vigilia dato signo, vt taciti vasa colligerēt, signa afferri iussit. Ita in trepidatione ac nocturno tumultu duces parum intenti, inconsiderati in recessu, quidam in destinatas animo iam latebras concesserunt, quidam per vada vltra Metaurum fluuium transnatarunt. ita desertum agmen. primo vagi per agros ac palantes eunt, fessiq; aliqui somno & vigilia sternunt corpora passim, atque infrequentia relinquunt signa. Hasdrubal vero dum lux viam ostēderet, in ipsa fluminis ripa signa ferri iubet: & per tortuosi amnis sinus flexusq; cum errore voluens, quum non multum processisset, impeditus altioribus fluminis ripis vadisque altioribus ne transiret, spacium dedit Consulibus ad eum insequendum. Claudius Nero primum cum omni equitatu aduenit insequens Hasdrubalem. Portius deinde secutus cum leui armatura. qui quum fessum exercitum Hasdrubalis attigissent, ab omni parte incursantur. omisso itinere quod fugæ simile erat, Pœni in montem qui ripæ fluminis propinquus erat, castra metati sunt. Tum aduenit secundus Consul Marcus Liuius cum omnibus pedestribus copiis ad conserendū prælium instructis armatisq;. Sed vbi omnes copias coniunxerunt, directa est acies. Caius Claudius Nero dextro cornu, Liuius à sinistro pugnam instruxerunt, media acies prætori Lucio Portio tuenda data est. Hasdrubal vero omissa castrorum munitione, postquam necessario pugnandū videt, suas acies instruxit. In prima acie autem signa collocat & elephantos, circa vero læuum cornu aduersus Claudium Neronē Gallos opponit, neq; tantum in illis fidebat, quantū putabat illos à Romanis timeri, dextrum cornu aduersus Marcum Liuium sibi atq; Hispanis reseruauit (& ibi maxime in veteribus suis militibus spem habebat) in medio post elephantes sumpsit Ligures. Interim ea frons quam Hispani tenebant, concurrit cum sinistro Romanorum cornu, in quo Liuius præsidebat. inter Hasdrubalem & Liuium ingens prælium certamenque contractum est, atroxque cædes vtrinque fiebat. ibi Duces ambo, ibi pars maior peditum equitumque, ibi Romanæ pugnæ, & Ligures, asperrimum hominum genus in armis, in eum locū versi, elephanti insuper qui primo impetu ante signa turbauerant Romanos, etiam signa à suo loco mouerunt. Deinde crescente certamine & clamore, iam regi milites inter duas acies non poterant, pugnabantque velut incerti quarum essent, non aliter quam nauibus sine gubernatore vagis contingit. Claudius ergo clamabat militibus, Quid ergo milites tam celeri cursu tam longum iter mensi sumus inaniter? Quum in aduersum collem frustra signa erigere conatus esset, videns eam in partem penetrari non posse ad ho-

stem, cohortibus aliquot subductis è dextero cornu, vbi cruentũ magis præliũ iudicabat, à tergo hostium suis etiam inopinãtibus in sinistrũ hostium latus incurrit, tantaq; celeritas fuit, vt quum ascendisset à latere, mox in terga iam pugnaret. Ita ex omnibus partibus à fronte, à latere, & à tergo trucidantur Hispani, Liguresque: & ad Gallos iam cædes penetrabat. ibi enim minimum certaminis fuerat. ipse autem Hasdrubal pugnantes nũc hortando, nunc adeundo pericula sustinuit. ille fessos, abeuntesque tædio & labore, nũc precando, nunc castigando accendit. ille fugientes reuocauit, omissamque pugnã aliquot locis restituit. Postremo quum iam victoria Romanorum notissima esset, ne fracto tanto exercitu tanti nominis dux superesset, concitato equo in cohortem Romanorum irruit, ibique vt patre Amilcare & Hannibale fratre dignum erat, pugnans cecidit, & interfectus est. Nunquam vna acie tantum Pœnorum interfectum est, quantum eo bello. reddita est pugnæ Cãnensi æqua cædes & vindicta. sex enim & quinquaginta millia hominum, & quadringenti ceciderunt. Præda insuper magna, tum auri argentique, tum alia omnis generis: capti insuper sunt Romanorum qui serui apud eosdem tenebãtur, supra triginta millia capitum. illique pro solatio amissorum in prælio militum recepti sunt. Nam ipsa victoria nec sine sanguine fuit. octo enim millia Romanorum occisa sunt. Die vero postero quum nunciatum esset Liuio Consuli, Gallos Cisalpinos, Liguresque, qui aut prælio non interfuissent, aut inter cædem effugissent, vno agmine abire sine certo duce, sine signis, sine ordine vllo aut imperio, atque posse omnes deleri, si vna militum ala mitteretur, Sine (ait) vt supersint aliqui nuncii & hostium cladis, & nostræ virtutis. Claudius vero Nero Consul secuta nocte post pugnam citatiori itinere, quam inde venerat, die sexto ad castra sua quę obiecta Hãnibali dimiserat, peruenit. Hic igitur dicẽda restãt, quæ per Claudium cũ Hannibale gesta sunt iuxta Titi Liuii narrationem. Sed quoniam ad res Italicas pertinent, subsisto. Obitum enim Hasdrubalis, licet in Italia cõtigerit, inserere volui, quia de eo res maximæ in Hispania prædicantur.

Hanno Pœnorum imperator ex Africa in Hispaniam mittitur.

ET quoniam paululum digressi sumus ab Italia, iam ad propria, id est ad Hispaniam, reuertamur. Post transitũ Hasdrubalis in Italiam, quantum in Italia eius trãsitus turbauerat, tantum alleuare in Hispania Romanorum statum visum est. Nihilominus statim bellum in ea par priori exortum est. In eius enim transitu (vt dictum est) duo in Hispania Pœnorum duces remanserãt, Mago Hamilcaris filius, fraterq; Hannibalis & mortui Hasdrubalis, & Hasdrubal Gisconis filius. Hi enim duo duces post Hasdrubalis transitũ ad Oceanum Gadesq; concesserunt. Mediterranei vero maris nostri oram & quicquid Orientem versus pertinet, Scipio Romanique tenebant. Interim nouus imperator ex Africa in Hispaniam mittitur Hanno nomine, qui traiecto ex Africa in Hispaniam exercitu in Celtiberia Magoni coniungitur. Dicitur autem Celtiberia ea omnis regio quæ ad Iberum fluuium inter vtrunq; mare est vsque in nouam Carthaginẽ. Hanno igitur coniunctus Magoni in Celtiberia breui tempore magnum gentiũ numerum armauit aduersum Romanos duces, Scipio M. Syllanum cum decem millibus equitum peditumq; misit, qui quam festinatiori poterat iussu properabat, vt Pœnorum castris occurreret. Sed plurimum impediebatur, tum saltibus, tum asperitate viarum angustiisque, quibus ea omnis regio inclusa est. ex quo factum est, vt non solum fama, sed nuncii aduentus Syllani ad Pœnos peruenerunt. Vnde factum est, vt ex ipsis Pœnis transfugæ venirent ad Syllanum, qui nunciarent, decem millia à Pœnis abesse, atq; bina esse castra eorum: ad læuam itineris, quo irent, castra esse noui exercitus Pœnorum, nouem millia hominum habere: dextera vero Punica castra esse tuta ac firma militari custodia, altera vero noui exercitus soluta neglectaque esse, vtpote barbarorum tyrannorum. Ea prius Syllanus aggredienda censuit, & signa ad læuam afferri iussit, ne à stationibus Punicis conspicerentur: ipse vero Syllanus præmissis speculatoribus tacito agmine ad hostem pergebat. ad tria iam prope erant milliaria (quæ vna leuca more Gallico dicitur) & nemo Pœnorum Syllanum senserat, quoniam cõfragosa loca & obsita virgultis tenebãt: ibique in caua valle, ac propterea occulta, consedere, cibumq; cepere. interea speculatores transfugę dicta affirmãtes venerunt. Tunc itaque sarcinis in medium coniectis Romani arma sumpserunt, instructaque acie in pugnam vadunt.

Prælium M. Syllani cum nouo imperatore Pœnorum Hannone, Magoneq;.

IAM quum instructa acie in bellum Romani properarent, quum ad mille passus hosti appropinquarẽt, ab ipsis hostib. cõspecti sunt, & Mago ex castris citato equo ad primũ clamor-

clamorem deuehitur. Erant autem in Celtiberorum exercitu quadraginta scutati, & equites ducenti. hanc igitur legionē, & quicquid roboris erat, in prima acie locat, leuem vero armaturam in insidiis posuit. Quum vero ita instructos ex castris adduceret, vix dū vallum egressus, in eos Romani pila iniecta coniecerunt: subdideruntque Hispani Celtiberos aduersus immissa tela à Romanis, ad immittenda ipsi consurgunt. quæ cū Romani densatis excepissent scutis, tunc pes cum pede collatus, & gladiis res geri cœpta est. Asperitas vero locorum Celtiberis propter eorum velocitatem spem faciebat euadēdi, sed angustiæ & internata virgulta ordines dirimebant: & singuli, binique velut cum paribus conserere pugnam cogebantur. quod ad fugam impedimento Carthaginensibus erat, id eos velut vinctos ad cædem ducebat, præbebatque. & iam pene omnibus scutatis Celtiberorum interfectis, leuis armatura, & Carthaginenses qui ex aliis castris subsidio venerant, perculsi cædebantur. Denique duo amplius millia peditum, & equitatus omnis, & ex veteribus peditibus euaserunt fugientes, qui decimo die in Gaditanam prouinciam ad Hasdrubalem Gisconis filium reliquū imperatorem peruenerunt. Noui vero milites Celtiberorum in proximas syluas dilapsi, inde in domos diffugerunt proprias. Scipio igitur collaudato benigne Syllano cum animaduertisset, si promptus fuisset, & reliquum Pœnorum exercitum facile deleturum: in vltimam Hispaniam aduersus Hasdrubalem Gisconis filium pergit. Hasdrubal vero per antea cum visitasset vrbes sociorum in Bætica, vt contineret illos quos in fide habebat, sublatis signis in modum fugæ potius quam itineris, ad Oceanum Gadesque confugit. Veruntamen antequam freto Gades traiiceret, exercitum omnem passim in ciuitates amicorum dimisit, iussitque vt muris seipsos, & ipsi armis muros tutarentur. Scipio vero cum vidisset dissipatum exercitum, ac singulas vrbes debellare diuturni magis quam magni operis, retro vertit iter, & ne hostibus eam relinqueret regionem, Lucium Scipionem fratrem suum cū decem millibus equitum peditumque ad oppugnandum opulentissimam iis in locis vrbem, quam Ortigem Hispani appellabant, dimisit.

Obsidio & captio Ortigis vrbis per Lucium Scipionem.

ERAT enim eo tempore iis in regionibus vrbs opulentissima, quæ Ortigis dicebatur, agro fertilis (quam Oriolam moderni appellant) in eaque fodiebatur argentum. Hāc igitur Lucius Scipio obsidere decreuit. In ea arx erat Hasdrubali ad faciendas circa Mediterraneos populos incursiones. Scipio castris prope vrbem positis, priusquam vallaret vrbem, nuncios misit ad portas, qui ex propinquo colloquio tentarent animos, suaderētque vt amicitiam Romanorum potius quam arma experirentur. Vbi vero nihil pacati responderunt, fossa duplici valloque circundata vrbe in tres partes exercitum diuisit, vna semper pars, quietis interim duabus, oppugnaret. Prima igitur pars adorta est vrbem oppugnare, scalisque muro admotis, quidam qui ascenderunt, vel à muris deiecti fuerunt, vel suspensi videbantur. Magna itaque telorum ac saxorum vi à muris ruēte, anceps bellū ducebatur. Tunc animaduertens Scipio nimia suorum paucitate inęquale certamen esse, duabus simul partibus vrbem est aggressus. quæ res tantum pauorem iniecit animis iam fessis, vt oppidani nimia trepidatione mœnia repentina fuga desererēt, & Punicum præsidium, metu ne vrbs prodita esset, relictis stationibus in vnum se colligeret. Timor inde oppidanos inuasit, ne si Romani vrbem intrassent, siue Pœnus, siue Hispanus foret, obuii passim cæderentur, atq; patefacta repente porta frequentes se ex oppido eiecerunt scuta præ se tenentes, ne tela procul post se proiicerentur, dexterasq; suas nudas ostentantes, vt appareret gladios abiecisse. Id vero cū dubitaretur an dolus esset, impetu hostili in transfugas facto, non secus quam si aduersa foret acies, cæsa est, eademque porta signa infesta in vrbem illata sunt, & aliis partibus securibus dolabrisque cædebantur portæ, & vt quisque intrauerat eques, ad forum occupandum currebat citato equo. sic enim præceptum fuerat. Carthaginenses omnes in custodiam dati sunt, ex oppidanis ii qui clausis portis euaserunt, libertate donati sunt, & sua omnia reddita sunt. In ea oppugnatione tam ex oppidanis, quam ex Carthaginensibus ceciderunt circiter duo millia, ex Romanis vero octoginta. Læta igitur fuit iis qui rem ipsam gessere, eiusdem vrbis expugnatio, & imperatori Publio Scipioni, cæteroq; exercitui spatiosus ac iocundus aduentus: collaudatque fratrem Lucium cum quanto potuit verborum honore, & Carthagini à se captæ Ortigē æquat. Cæterum quia instabat hyems, nec Gades tentari poterant, nec dispersum exercitum Hasdrubalis per totam prouinciam consectari expediebat, in citeriorem Hispaniam ad Iberum fluuium omnes suas copias exercitumq; reduxit. Ipse vero imperator Scipio cū Lucio fratre, & Hānone Pœnorū imperatore, & aliis nobil. captiuis Tarraconam venit.

Pugna Scipionis cum Hasdrubale Gisconis filio, & fuga Hasdrubalis in Oceanum & Gades insulam.

ANNO ab orbe condito quarto milleno, nongentesimo, nonagesimo secundo, & ab vrbe condita CCCC.XLIII. quùm in Italia prospera omnia essent, de retinenda Hispania soliciti erant Romani, quæ tamen eandem quasi fortunam habebat exercitus Romani gestis fœliciter cedentibus. Nam Pœni amisso Hannone duce exercitus, vsq; ad vltimam Oceani oram Gadesque perfugerant, qui tamen tum situ locorum, tum hominum ingeniis ad bellum reparandum idonei videbantur. Itaque cum Hasdrubal Gisconis filius, tertius post Barcinos Hannibalem scilicet, ac Hasdrubalem fratres, Pœnorum dux maximus eo bello haberetur, regressus à Gadibus rebellandi spem Hispanis dedit. Adiuuanteque Magone Hamilcaris filio, directis per vlteriorem Hispaniam literis nunciisque, ad quinquaginta millia peditum, quingentosque ac quadraginta milites armauit. Deinde fama vulgata quod ad LXX. millia peditum comparasset, ad Alpiam vrbē concessit, in cuius agro Pœni positis castris eo animo erant, vt nullo pacto detrectarent certamen. At Scipio cum ad eum fama tanti comparati exercitus perlata esset, præmisso Syllano qui milites à locis quibus per hyemem degebant, acciperet, ipse protinus à sociis contrahendo auxilia Castulonem peruenit, ad quem adducta sunt à Syllano auxilia peditum equitumque tria millia. Inde ad Betulam vrbē cum omni exercitu progressi sunt, in quo erant equitum quinque millia, & peditum quadraginta millia, quibus castra ponentibus, eos Mago & Masinissa cum omni equitatu aggressi sunt, turbassentque muniētes castra Pœni incursantes in Romanos, nisi à Scipione in tumulum propinquum loco adducti fuissent. Interim graue committitur prælium ad eam partem, vbi signa locata erant. Interim cum omnis multitudo ex Romanorum castris efflueret, Pœni ordinibus iā confusis in fugam versi sunt, profugientes hac & illac, vbi propior vnicuiq; salus videretur. Inde cum iam ex ea pugna Romani potiorem partem obtinuissent, aliquibus tamen postea diebus licet tentati essent, abstinuerunt ab incursionibus. Deinde quum tentati à Romanis Pœni essent, Hasdrubal primo è castris copias in aciem eduxit, & Romani inde sequuti sunt. Quumque vtraque acies vallo aspero inter medio astitisset instructa, à neutrisque pugna caperetur, iam die ad occasum vergente, à Pœnis prius, deinde à Romanis in castra copiæ adductæ sunt. Hoc etiam postea per dies aliquot factum est, quoniā Pœnus primo è castris copias educebat, & prior fessis instando signum receptui dabat, quū à neutra parte procursum esset, telumve immissum, aut vox exorta. Hoc sic per dies aliquot perperam acto. cum iam Hasdrubalis tyrones Hispani & lixæ matutino tumultu à militibus Romanis mandato Scipionis oppressi pugna deficerent, Pœnorum duces, priusquam corpora cibum reciperent, raptim in aciem copias extraxerunt. Scipio hæc cōtemplatus detardare, & in vesperum differre prælium statuit. Nam hora septima primo cornua cœpit instruere, & longe tardius ad medias acies peruenit. Æstus à meridiano sole, laborque armorum, ac insuper fames, & sitis, prius quam manus ad prælium conferent, corpora non mediocriter affecerunt. Ita vtraq; acies innixis scutis signisque diutius perstiterunt. Cum vero dies declinaret, pugnaque è cornibus, & quidem valde tumultuosa inciperet, cum elephanti aliquantulum à leui armatura Romanorum in mediam aciem se intulissent, Pœni fessi corporibus animisq; retulere pedem castra versus, ordinē tamen seruantes, non secus, quam si hoc ducis arbitrio fieri contigisset. & sic aliquantisper seruatæ sunt integræ acies, quum tamen Romani eas in fugam inclinatas viderent, impetusque ab illis non posset facile sustineri, quanquam Hasdrubal quantum poterat retineret, resisteretque cedentibus. qui videns collem esse à tergo, vbi tutum esset receptaculū, si modico suos interuallo retraxisset, clamitabat, vt in eum se collem reciperent. Interim cum verecundia vicisset metum, Hasdrubale paulisper in vna montis radice exercitum continente, atque in ordinem suos milites reuocante, citato Romani gradu signa in collem quē prius Hasdrubal occupare cogitauerat, erexerunt: cumq; hoc Pœni vidissent, integra fuga in castra profugerunt, ne interciperetur à Romanis iter. Superuenit interea Post vehementē solē tanta vis aquę, vt vix Pœni in castra se reciperent. nec, dū introirēt, procul à vallo Romani erant: qui proculdubio castra cepissent, nisi vi aquæ fuisśet prohibiti. Ex eo itaque die Carthaginenses vlterius aliquid tentare nō sunt ausi. ipsi enim licet labore fessi ac vulneribus essent, noxque & imber ad pernecessariam quietē eos traheret, tamen quia metus & periculū cessādi tēpus non dabant, prima statim luce castra saxis vndiq; ex propinquis vallibus aduectis augēt vallo, quoniam in armis parū fidebāt. Castra itaq; Punica oppugnaturi Romani quāprimuū erāt, sed impediti sūt ob defectionem

nem Hispanorum ad Romanos. Nam Athenas Regulus Turditanorum cum magna populorum manu transfugit. duo insuper munitissima castra cum eorum præsidiis sese Romanis dedere. Turditani ea gente & prouincia continentur, quæ à Bæti flumine (quod hodie Guadalcauir appellatur) per oram Oceani vergit ad orã fluminis Anæ (quod hodie Guadiana dicitur) vsque ad sacrum Herculis promontorium in Portugallia secundũ descriptionem Claudii Ptolemæi. Interim Hasdrubal Gisconis filius cum intelligeret animos suorum ad defectionem inclinatos, ne alii ex suis transfugerent, silentio noctis facto castra inde mouet. Quum vero dies aduenisset, & ab iis qui in stationibus erant, relata esset Hasdrubalis cum toto exercitu profectio, Romani præmisso equitatu signa moueri ac ferri iubent, adeoque citato agmine ducebantur, vt si recta via issent, proculdubio eum fuissent assecuti: sed ducibus creditum est, qui dixerunt breuius esse iter aliud ad Bætim fluuium (qui, vt diximus, Guadalcauir dicitur) vt transeuntes aggrederentur. Hasdrubal vero cum intellexit clausum esse trãsitum fluminis, ac interceptum à Romanis, flectit ad Oceanum exercitum, qui fugientium more dispersi abibant. Tandem assequuntur eos equites Romani, & ii qui leuiter armati erant, Pœnos nunc à tergo, nunc à lateribus incursabant, fatigabant, & morabantur, adeo vt legiones Romanorum ac signa iam appropinquarent. Cum enim ad crebros tumultus signa consisterent, & nunc equestres, nunc pedites prælium consererent, superuenerunt legiones ac signa Romanorum. iam non pugna, sed trucidatus velut pecorum fieri cœpit, donec ipse dux & fugę autor in proximos colles cum sex millibus fere inermium profugit atque euasit: cæteri vero cæsi captique sunt. Interim Pœni in ipso colle castra tumultuaria communierunt. Romani vero cum in collem subire tentassent, iniquo ascensu impediti nequiuerũt. Pręterea considerantes quod obsidio in loco inopi atque nudo vix ad paucos dies tolerabilis esset, obsidionem firmauerunt. Interea multi ex Pœnis ad Romanos confugiebant. Postremo Hasdrubal ipse dux acceptis nauibus, quum nocte clam fugisset, Gades traiecit. erat enim locus ipse non longe à mari. Scipio vero fuga Hasdrubalis audita, decem millia peditum, & mille equites Syllano ad obsidionem castrorum reliquit. Ipse enim cæteris copiis causa recognoscendorum regulorum, populorumque vt præmia pro meritis posset elargiri, Tarraconam rediit. Post profectionẽ vero eius Masinissa rex Numidarum clã nocte ad colloquia venit cum Syllano, in quibus se gentemq; suam amicam Romani populi spopondit. in qua amicitia vsq; ad finem vltimamq; senectutem permansit, indeque concilio facto in Africam reuersus est.

Quomodo Carthaginenses vltimo ex Hispania sunt expulsi.

POSTEA vero quam Hasdrubal in Gades profugerat, naues Magoni remisit, quæ eũdem in Gades asportarent. Mago igitur dimissis iis qui ex exercitu superfuerãt, in Gades transit, quorum pars ad Romanos confugit, pars à ducibus deserta per vicinas vrbes & oppida dispergitur nullo robore munita. Postea vero quam Syllanus vidit omnes Carthaginenses ab Hispania pulsos, & dissipatum exercitum ducesque fugatos, Tarraconam ad Scipionem properat. Qui cum venisset, Lucius Scipio Magni Publii Scipionis frater Romam à fratre nũcius missus est cum multis Hispaniæ nobilibus captiuis, quos in victoriæ signum secũ attulit, qui res mirifice in Hispania gestas atq; victorias Senatui nũciaret.

Quomodo Scipio & Hasdrubal ad Syphacem Massylorum Regem venerunt pro fœdere.

QVVM fama Scipionis ingenti gloria celebraretur, vulgoq; Hispaniarum victor proclamaretur, vir magnanimus, inexplebiliq; laudis amore captus, iam Africã magnãque Carthaginem petere statuit, vt maiorem suo nomini honorẽ gloriamq; compararet. Et vt voti compos facilius euaderet, reconciliandos animos Regum ac gentium partium illarum tentare decreuit. Primumq; aggredi Syphacem Massylorum Regem curat, quæ gens est ad finẽ Maurorum nouæ Carthagini obiecta, diuidente sinu Mediterranei maris. Erat enim cum Carthaginensibus ipsi Regi ac genti fœdus, ipsisq; prę cęteris barbaris de obseruatione fœderis pręclarius nomen erat, cum ipsis barbaris (vt multi dixerunt) fides ex fortuna esse consueuerit. Ad eundem itaque Regem Caium Lælium oratorem mittit cum donis, qui iocunde receptus est ab eo, quia res tam prospere Romanis successissent, maximeq; Scipioni. Cumq; etiam in Italia Pœnis aduersæ res essent, in Hispania nullæ, amicitiam Romanorum Syphax Lælio annuit firmandam: eã tamen nec dare, nec recipere posse, nisi coram ipso Romanorum duce Scipione. Itaque Lælius accepta fide à Rege ad Scipionem reuertitur. Erat enim Syphax Rex opulentissimus, bello aptus, Car-

thaginique magnæ vicinus, illique ſuis finibus coniungebatur, modico maris freto ab ipſa Hiſpania diſtans. Scipio igitur audito Lælio ratus rem dignam non poſſe ſine maximo periculo agi, Tarraconæ Lucio Martio, nouæ vero Carthagini Syllano ad præſidium Hiſpaniæ relictis, ipſe terreſtri itinere à Tarracona nouam Carthaginem venit, & à noua Carthagine cum duabus triremibus tranquillo mari in Africam traiecit: caſuq; accidit, vt eadem hora Haſdrubal ab Hiſpania pulſus, ſeptem cum triremibus ad Syphacem veniens, iactis ancoris in terram deſcenderet. Ita prior in terram Haſdrubal, mox Scipio & Lælius egreſſi, pergunt ad Regem. Vt Syphaci viſum eſt, duorum opulentiſſimorum populorum duces ea tempeſtate eademque die ſuam pacem amicitiamque petentes veniſſe ad eum, vtrunque ad hoſpitium inuitat. Et quoniam eos ſub vno eodemque tecto ſors perduxit, conatus eſt eos ad colloquium deducere cauſa dirimendarum inter ſe factionum. Scipio hoc renuit, dicens nullũ cum Pœnis priuatum odium eſſe quod colloquendo finiret, neque de republica ſe cum hoſte agere quicquam niſi iuſſu ſenatus poſſe. in illudque magnopere Rex tendebat, ne alter hoſpitum excluſus menſa videretur, ideoque Scipionem ad eandem menſam cum Haſdrubale inuitat, quod Scipio nõ abnuit, & quia id maxime Regi placebat, Scipio & Haſdrubal ſimul cœnati, eodem etiã lecto ſimul dormierunt. Tanta autem comitas Scipioni, atque ad omnia naturalis ingenii claritas, & facundia erat, vt non modo Syphacem barbarum, inſuetumque Romanis moribus, ſed etiam hoſtem quencunq; infeſtiſſimum alloquendo ſibi conciliaret: mirabilioremque aſpectum ac maieſtatem præ ſe fecerat, quam geſtarum rerum gloriam. Nec dubium eſt Regem regnumque ſola Scipionis allocutione in Romanorum eſſe poteſtate, tantam artem ad conciliandos animos eidem natura tribuerat. Itaque non tantum quomodo Hiſpaniæ amiſſę eſſent, ſed quomodo Africa retineretur, Carthaginenſibus neceſſariũ fuit cogitare. Iniit igitur Scipio fœdus cum Syphace Rege, nec poſtea diutius immorans ſtatim prouinciam a ſe derelictam cum duobus exercitibus repetiit. Non enim peregrinãdi cauſa, neque ſolatii, Africam petierat, ſed deſiderio ea potiendi, hocque cum iam diutius in animo reuoluiſſet, tandem palam efficere voluit, vt quemadmodum Hannibal in Italia bellum gereret, ſic Scipio in Africa. qui à receſſu ſuo dubiis plerunq; & contrariis ventis in alto iactatus, quarto die nouæ Carthaginis portum tenuit. Hiſpani vero licet à Punico bello quieti eſſent, in quibuſdam tamen ciuitatibus non bonus animus erat, quæ metu tranquillæ manebant. conſcientia enim illos premebat commiſſorum delictorum, inter quas maxime inſignes erant magnitudine ſimul & culpa Illiturgum & Caſtulo opulentiſſimæ vrbes. Cum enim proſperis rebus Romanorum ſocii fuiſſent, poſt cæſos tamen Scipiones cum exercitibus defecerũt ad Pœnos. Illiturgitani vero defectioni hoc addiderunt, quoniam Romanos qui ex illa clade ad eos profugerant, hoſtibus prodiderunt interficiendos. In eos itaque populos, cum dubiæ adhuc Hiſpaniæ forent, ſæuitum fuiſſet, niſi vtiliter potius quam merito factum diſtuliſſet. Cum vero res tranquillæ viſæ ſunt, tempus expectandæ vindictæ non amplius diſſimulauit: aduocatumque Lucium Martium à Tarracona cum tertia parte copiarum ad expugnandum Caſtulonem mittit. Ipſe vero Scipio cum reliquo exercitu quinque caſtrorum ſtationibus ad Illiturgum peruenit, cuius portas occluſas reperit. Tum omnibus inſtructis ad oppugnationem faciẽdam ipſe Scipio milites adhortari cœpit, vt multo infeſtioribus animis cũ ſuis quam cum Carthaginenſibus bellum gerendum eſſet, quippe cum illis de imperio & gloria ſine ira certabant, cum iſtis vero, vt perfidię, crudelitatis, ac ſceleris pœnas luant, quo & nefandã commilitonum necem vlciſcerentur, vt in omne tempus documentum ac prouerbium fierent, ne quis vnquam Romanum militem ciuemque in qualibet fortuna conſtitutum iniuria premeret. Ab hac exhortatione ducis incitati milites, electis viris qui per manipulos ſcalas erigerent, partito exercitu, vt alteri Lælius præeſſet legatus, duobus ſimul locis ancipiti terrore vrbem aggrediuntur. Non enim dux vnus aut princeps oppidanos ad defenſionem inuitabat, ſed ſola conſcientia & culpæ metus, ex quibus non gloriam, nec imperium, ſed ſupplicium quærebant Romani. Quapropter ſeipſos oppidani animabãt ad pugnam, dicentes melius eſſe in acie mori, vbi Mars omnibus communis eſſet, qui ſæpius victum erigere, ac victorem affligere ſolitus eſſet, quam poſtmodum cremata direptaque vrbe ante ora captarum coniugum liberorumque, inter verbera & vincula, omnia fœda atq; indigna paſſos exſpirare. Igitur non militaris tantum ætas & viri, ſed fœminæ quoque ac pueri ſupra animi corporiſque vires adſunt, pugnantibusq; arma telaq; miniſtrant, ſaxa quoque ad murorum munitionem adducunt. Accendebantur ita animi certamine, labore, ac periculo, atq; ipſo inter ſe conſpectu, adeoque magno ardore certamen initum eſt, vt à iuuentute oppidanorum exercitus Scipionis à muris repulſus ſit.

Quod

Quod factum vt Scipio vidit, veritus ne vanis conatibus hoſtium animus creſceret, & remiſſiores ſui fierent, ſibimet conandum eſſe cenſuit, partemque periculi capeſſens ferri ſcalas iubet, & ſeipſum aſcenſurum, ſi cæteri recuſarent, comminatur. Tum à multis partibus cœptæ ſunt ſcalæ erigi, ex aliaque parte vrbis Lælius vehementi conatu inſtabat. Tunc victa eſt vis oppidanorum, deiectiſq; propugnatoribus occupantur muri. Arx inſuper ab ea parte quæ inexpugnabilis videbatur, capta eſt. Viderat enim eminentiſſimã eius partem quæ alta rupe tegebatur, neque vllo opere munitam, & à defenſoribus vacuam. Hanc partem leuium corporum homines, & multa exercitatione diſpoſiti clauos ferreos ſecum portantes per inæqualiter prominentia rupis ſcandebant. Vbi per modica interualla diſtantes figebant clauos, quibus, velut quoſdam gradus facientes, ita in ſummũ peruenerunt. Capta igitur vrbe, Romani iram in eos odiumque euomunt. Nemo enim viuos capiebat, nemoque prædæ memor erat. Trucidantur paſſim inermes ſimul cum armatis, infantulique cum mulieribus, ignemque inſuper tectis iniiciunt, diruunt quæ ignis abſumere nequiuit. ita enim memoriam vrbis penitus extinguere voluerunt. Caſtulonẽ deinde Scipio exercitum duxit, quam non modo oppidani defendebant, ſed etiam reliquiæ exercitus Pœnorum qui ex diſſipata fuga paſſim in eam confugerant. Sed cum Scipio aduenifſet, fama cladis Illiturgitanorum eis pariter terrorem ad deſperationem intulit. Et quum in diuerſas ſententias quiſq;, prout ſibi videbatur, cõſuleret, diſcordia inter Pœnos ac Hiſpanos orta eſt. Oppidanorum atq; Hiſpanorum caput erat Cerdubellus autor deditionis, qui propoſuerat vrbem Romanis tradere, Pœnis vero præerat Amilco. Cerdubellus vero fide accepta à ciuibus Hiſpaniſque, vrbem clam Romanis prodit, quæ quoniam non tantum deliquerat, partemque indignationis Romanis abſtulerat cruenta Illiturgi vaſtatio, & voluntaria ipſorum deditio, humaniter tractata eſt.

Scipio patri patruoque exequias facit, & reddit diis vota pro vindicta.

SCIPIO igitur nouam Carthaginem rediit redditurus diis vota, ac daturus munera gladiatoribus haſtiluſoribuſque, pro vindicta patris patruique. Statuit igitur diem ad munera gladiatorũ. conuenerunt q; ad ſtatutũ diem non ſolum obſcuri generis, ſed etiam reguli, illuſtreſque & clariores viri, quorum aliqui per ſe pugnauerunt, aliqui per alios, alii profeſſi ſunt ſe pug naturos ob gratiam ducis, alios æmulatio traxit, vt certamen prouocarent, prouocatique non abnuerent. Quidam controuerſias quas inter ſe terminare non potuerant, pacto inter ſe inito, vt victorem res ſequeretur, ferro terminare decreuerunt. Spectaculoque ludi funebres additi ſunt. Interim Martius inultas ciuitates in deditionem accepit ſine vllo certamine.

Aſtapa vrbs Carthaginenſium igne ferroque vaſtatur.

ASTAPA erat vrbs (quæ hodie Aſcho dicitur) quæ ſemper Carthaginenſium fuerat, quæ ſingulare quoddam odium ſemper habuit in Romanos, & tamen vrbem nec ſitu, nec munimento tutã habebant, quæ ferociores illis animos faceret, ſed ingenia incolarum latrociniis dedita: qui ob excurſiones quas in finitimum agrum ſociorum populi Romani faciebant, ad Romanorum odium prouocati ſunt. Ii etiam vagos Romanorum milites ac mercatores dietim intercipiebant, & magnum quendam Romanorum comitatum per eorum fines tranſgredientem, iniquo loco circumuentum interfecerant. Ad hanc igitur vrbem expugnandam quum admotus exercitus eſſet, oppidani conſcientia ſcelerum, quia nec deditio tuta ad tam infeſtos hoſtes videbatur, nec ſpes in mœnib. aut armis tuendæ ſalutis erat, facinus in ſe ac ſuos ferum ac tetrum excogitant. Locum enim in foro ordinant, in quo pretioſiſſima rerum ſuarum congererent. ſuper eum tumulum coniuges ac liberos conſidere quum iuſſiſſent, ligna faceſque virgultorum circa eum extruunt, vt donec incertus euentus pugnæ eſſet, præſidium in eo loco fortunarum ſuarum corporumque, quæ cariora omnibus fortunis erant, ſeruarent: ſi vero rem inclinatam viderent, atque in eo eſſe, vt iam ciuitas caperetur, ſcirentque omnes quotquot in prælium iſſent obituros, eos per ſuperos inferoſq; deos orauere, vt memores libertatis quæ illo die aut morte honeſta, aut miſera ſeruitute finiẽda eſſet, nihil relinquerẽt in quod ſæuire hoſtis poſſet. ferrum ignemque in manibus eſſe: manuſq; amicę ac fideles potius ea quæ peritura erant, abſumerent, quam hoſtes ſuperbo ludibrio inſultarent. His adhortationibus excitati, ne quem à propoſito ſpes mollitia ve animi flecteret, die adiecta concitato agmine, patentibus portis, ingenti tumultũ erumpunt. nec enim erat aliqua oppoſita ſtatio fir-

ma, quia nihil minus timeri poterat, quam vt ex vrbe oppidani egrederentur. Perpaucæ igitur turmæ equitum leuisque armaturæ repente è castris ad id ipsum accurrunt. actior impetu atque animis, quam compositior pugna fit, quoniã sine ordine vllo ab vrbe plebs egressa est. Itaque pulsi sunt equites, qui prius se oppidanis obtulerant, cæterisque terrorem non leuem intulerunt: trepidatumque parumper est circa signa, quum robur legionum præ angusto tempore dato ad instruendũ non potuerit tempestiue occurrere, quoniam ipsi oppidani in vulnera, hostes, ac ferrum vehementi vecordia ruebant. Occurrerunt tamen interea probati ac electi milites, qui temerarios impetus cæde primorũ suppresserunt. Patefacta itaque acie quoad fieri poterat, multitudo armatorum abstinebat à cædibus: nec tamen poterat propter obstinatos oppidanorum animos, qui sic passim in eos insultabant, vt in vrbem pugnando intrantes coacti sint omnes vsque ad vnum occidere. Hoc itaque bellico more decertando actum est in prælio, sed fœdior in vrbe trucidatio fuit, quoniam proprii ciues omnem fœminarum turmam, puerorumq; imbecillem inermemq; multitudinem occiderunt, & incenso rogo semiuiua adhuc corpora in ignẽ iecerunt. Præterea ipsi etiam suorum cæde miserandi cum armis in medium se iecerunt incendium. Cæterum iam cæde perpetrata superuenerunt Romani, ac primo conspectu tam atrocis rei mirabundi parumper obstupuerunt. Deinde quum aurum argentumque flamma liquefaciente, tumulo rerum aliarum interfluerent, auiditate ducti milites, dum capere vellent, alii correpti flamma sunt, alii combusti à flamma, quũ primi vrgente turba retrocedere nequirẽt. Ita Astapa sine militum præda, igne ferroq; absumpta est. Martius vero cæteris eius regionis partibus in deditionem acceptis, victorem exercitum reduxit.

Infirmitas Scipionis, & quæ mala pertulit.

SCIPIO interea graui morbo impeditus est, grauiorem tamen ægritudinem reddebat, quum plærique adiicerent, ei corruptionem humorum ex nimia castitate accidisse. Vnde factum est, vt prouincia omnis, & maxime longinqua turbaretur. Ex quo deprehendi potuit, quid subsequutum fuisset, si vera fuisset mors, quum vanus rumor tãtas excitasset procellas. non enim socii ac fœderati in fide manserunt, non exercitus in officio. Mandonius enim & Indibilis Celtiberoum princeps (qui Aragonenses hodie dicuntur) quum Scipioni expulsis Carthaginensibus adhæsissent, nihilque ex eo prosperi obtinuissent, congregata magna Celtiberorum iuuenum manu agrum Sedetanum (in quo ciuitas Soria sita est) & agrum Suessitanum (in quo & Sanguessa oppidum est in Nauarræ prouincia) sociorum populi Romani multipliciter infestarunt, atque hostiliter pene depopulati sunt. Deinde alius, & quidem maximus, ciuilis rumor in castris ortus est. Erant enim ad præsidium octo millia militum in castris, iis gentibus quæ cis Iberum morabantur, ab Imperatore impositum. motæ sunt autem eorum mentes, quum primũ de vita Imperatoris dubii facti sunt: sed per antea cœperunt ex diuturno, vt fit, ocio, quum arctiores res essent, occulte disseminare, quid esset, si debellata confectaq; prouincia esset, quid in pace item inter pacatos facerẽt, quidve si bellũ in prouincia esset, quomodoq; in Italiam remearent. Petitumque est stipẽdium sæpius procacius ac auidius solito ex more ac modestia militari, & à custodibus in circuneuntes vigilias tribunosq; opprobria iactabantur, & nocte multi in agrum pacatum prędatũ ibant: deinde iam crescente licentia, sine mandato à signis abibant, omnia libidine ac licentia militum infestabantur, nihilq; instituto, aut disciplina militari, aut imperio eorum qui præerãt, gerebatur. Fortuna autem Romanorum castra seruabantur, eo quod tribuni à principio iura reddere omiserant ex contagione furoris, non ex parte seditionis defectionisque. Postquam vero tribuni reprehendere atq; improbare ea quæ fierent, cœperunt, & propalam dicere se furoris eorum non futuros socios, statim erupit seditio. Fugatis itaq; principibus, ac deinde tribunis è castris expulsis ad duos principes seditionis, Caium Albium, & Caium Atrium delatum est imperium omnium consensu. qui nequaquam tribunitiis contenti ornamentis, insignia etiam summi imperii fasces securesque attrectare ausi sunt, neque in mentem veniebat suis tergis ceruicibusque virgas illas ac secures imminere, quas ad metum aliorum pręferrẽt. Mors enim Scipionis falso credita erigebat eorum animos, ob cuius vulgatam famam mox non dubitabant totam Hispaniam arsuram bello. In eo enim tumultu nec socii pecunias Imperatori afferre, nec adire propinquas vrbes poterant propter turbatas res, quũ omnia omnes auderent. Expectabant enim singulis horis nõ tam nuncios mortis, quã funeris, neq; superuenire aliquid posse arbitrabantur quod eorũ posset propositũ euacuare. Verum quum viuere primum, mox etiam valere Scipionem, certi nuncii afferrẽt, tribuni militum

militum septem ab ipso Scipione sunt missi, ad quorum aduentum primo factionis viri exasperati sunt animo. Percunctati igitur, quæ causa iræ consternationisque subitæ esset, dissimulando stipendium ad diem non datum iactabant: & quum eodem tempore, quo scelus Illiturgitanorum extitisset, post duorum Imperatorum duorumque exercituum stragem sua virtute defensum nomen Romanorum ac retenta prouincia esset, Illiturgitanos pœnam noxæ meritam habere, suis vero non esse qui gratiam exoluat recte factis. talia quærentibus responderunt tribuni vere se oraturos, ac ad Imperatorem delaturos. Lætari insuper se fingebant seditionis autores, quod nihil tristius insanabiliusque euenisset, & quod superesset Scipio qui Deûm benignitate reipublicæ gratiam reddere posset. Scipioni itaque in principio leuiter agi placuit, & missis circa stipendiarias ciuitates exactoribus, stipendii spem propinquam dedit. Edictumque subinde positum est, vt ad stipendium petendum conuenirent in nouam Carthaginem, spemque maximam suæ factionis seditionisque abstulit Mandonio & Indibili. qui audito quod viueret & valeret Scipio, omisso incepto in suos fines redierunt, neq; videbant quenquam, non principem, non priuatum, apud quem recipi possent. Omnia enim circumspectantes, nihil reliqui habebant, præter vulgatissimum à malis consiliis receptum, dubiique erant, an Imperatoris iussu pro stipendiis irent, vel de eius clementia desperarent, quum scirent eum etiam hostibus ignouisse, cum quibus dimicasset, suamque seditionem sine sanguine, sine vulnere esse, ac propterea non atrocem, aut atroci pœna dignã. vt humana ingenia sunt, ad suam quisque leuandam culpam declinabat. Maior tamen inter eos illa erat dubitatio, an eorum tribuni & centuriones, an vero omnes pro recipiendo stipendio irent, & valuit sententia, vt omnes irent, quia tutius esse censebant.

Quomodo puniti sunt tantæ seditionis autores.

QVVM vero per eosdem dies hęc illi inter se consultarẽt, consilium de his nouę Carthagini agebatur, certabaturque sententiis, vtrum in autores tantum seditionis animaduerteretur, an vero omniũ supplicio culpa vindicanda esset. erãt enim autores paulo plures quinq; ac triginta. Vicit tandẽ pœna leuior, vt vnde culpa esset, ibi pœna cõsisteret: ad multitudinem vero satis esse castigationem verbalem. Concilio itaque dimisso parari expeditio cœpit aduersus Mandonium Indibilemque, cibariaque exercitui qui Carthagini erat, parari iubentur. Et cum tribuni septem, qui per antea Sucronem missi fuerãt ad leniendam seditionem, obuiam exercitui irent, singulis data sunt nomina principum seditionis, vt eos per idoneos homines benigno vultu & sermone prius lenitos Carthaginẽ adducerent. Qui quum venissent, ad concionem vocati, in forum ad Imperatoris tribunal ducuntur. Imperator vero sedit paulisper tacitus, tum silentio per præconẽ facto, pluribus verbis de eorum seditione habitis, atque errore cõfutato, tum ex præparato omniũ rerum terror oculis auribusque omnium est offusus. Inter hęc exercitus qui corona concionem circumdederat, gladiis & scutis concrepuit. Tum præconis audita vox est citantis nomina damnatorum, qui statim in Concilio nudi in medium protrahuntur, & simul omnis apparatus supplicii expromebatur. Deligati igitur ad palum, virgisque cæsi, & securi percussi sunt, adeo concussis metu qui aderant, vt circumstantium gemitus exauditi sint. Tracti inde de medio omnes sunt, purgatoq; loco, citati milites nominatim apud tribunos militum in verba Scipionis iurarunt, stipendiumq; ad nomen singulis persolutum est. Hunc finem seditio militum habuit.

Fugatur iterum Hanno præfectus Magonis à Lucio Martio.

PER idem tempus Hanno præfectus Magonis, missus à Gadibus cum parua manu Afrorum, data mercede Hispanos solicitando ad quatuor millia iuuenũ armauit. Castra deinde parans, ab Lucio Martio dissipatis castris, multis captis, cęteris in fugam datis, ipse Hanno cum paucis effugit, reliquos per deuia vagos palantesq; persecutus est. Dum hæc agerentur ad Bætim fluuium (qui hodie Guadalcauir dicitur Arabica lingua) Lælius cum classe in Oceanũ nauigauit ad vrbẽ quæ Carteia dicitur. Erat enim ea vrbs in Oceani ora ad eam Hispanię partẽ, qua ex angustis faucibus panditur mare ad Gades. Causa autẽ aduentus Lælii erat, quia Gaditani missis ad Romanos nunciis in castra, obtulerant vrbẽ sine certamine tradere. Romanis interim vulgata proditio est, quoniã Mago qui in ea vrbe erat, comprehensos eos omnes Adherbali Prætori Carthaginẽ deuehendos tradidit, Adherbal vero coniuratis in quinqueremibus impositis, præmissisq; ipsis quinqueremib. quæ tardiores quam triremes erãt, ipse cũ octo triremibus modico interuallo secutus est.

Iamque fretum intrabat quinqueremis Carthaginensium, & ecce Lælius cum classe affuit, qui quum quinqueremem Carthaginensium capere conatus esset, sequentibus septem triremibus ad Adherbalem euectus est. Quinqueremis vero Pœna videns se deprehensam, & obsistente æstu freti in aduersum reciprocare non posse, in re subita parũper timuit, an videlicet suæ triremes sequerentur, an vero hostis rostra conuerteret. ipsa enim dubitatio moram fecit detractandæ pugnæ. Iam enim sub ictu teli erant, & vndiq; stabant hostes. æstus quoque moderandi naues adimebat arbitrium. neque enim erat simile nauali pugnę, quum nihil voluntarium haberet, nihilque artis vel consilii esset, quoniam & natura freti æstusque suis alienisque nauibus pariter inuehebat, vt remigi vllus locus non esset, si in contrarium æstus tetendisset. fit igitur coacta pugna. Quum igitur quinqueremis Pœnorum coacta, infestaque in Romanam rostro decurrisset, inuasissetque, obliqua Romana ictum alterius rostri recipiebat. interim anceps prælium commissum est. Quinqueremis vero Romana, seu pondere tenacior, seu quia pluribus remorum ordinib. referta facilius regeretur, duas triremes suppressit, & vnius ex aliis remos detorsit oppressa, cæterasque quas adepta esset, mulctasset, nisi Adherbal cum quinqueremib. extensis velis in Africam transfretasset. Lælius vero victor cæterarum reuersus, auditis quæ acta Gadibus essent, ob patefactam proditionem, coniuratosque Carthaginem missos, spe ad irritum redacta, nuncios ad Lucium Martium misit, de cunctis certiorem faciens. & quia frustra ibi tempus tererent, assentiẽte Martio redire ad imperatorem decreuerunt, postque paucos dies ambo nouam Carthaginem redierunt. Ad quorũ discessum nec ociosus Mago fuit, quæ poterat terra marique ordinans, vt in Hispaniam rediret. Audita enim Illergetum rebellione (quæ Nauarrorum gens est, vt supra diximus) spem recuperandæ Hispaniæ cepit. Missis igitur nunciis ad Senatum Carthaginẽsium, qui simul seditionem ciuilem in castris Romanis, defectionemque sociorum in maius verbis augerent, imperium Hispaniæ posse repeti persuasit.

Prælium Scipionis, & Indibilis ac Mandonii Celtiberorum regulorum, qui aduersus Romanos rebellarant.

MANDONIVS itaque & Indibilis audita Scipionis sanitate, quia in fines suos regressi fuerant, visuri paulisper quid seditio incepta statueret, quoniam si conspiratis ciuibus in castris indulgeretur, sibi quoq; ignosci non dubitabant. Postquam vero vulgata est atrocitas supplicii, suam quoque noxam pari pœna vindicandam arbitrati, vocatis rursus ad arma popularibus, contractisque quæ ante habuerant auxiliis, in Sedetanum agrum, vbi defectio primum exordium habuerat, cum viginti millibus peditum, & duobus millibus & quingentis equitum transcenderunt. Scipio vero quum omnibus noxiis innoxiisq; stipendium dedisset, vultu & sermone in omnes placato, facile reconciliatis militum animis, prius quam castra à noua Carthagine moueret, concione aduocata multis verbis in perfidiam regulorum verba faciens asseruit, non se eo animo ire ad vindicandum hoc scelus, quo ciuilem errorem nuper sanauerat: quoniam id fecit non secus, quam sua viscera secans cum gemitu ac lachrymis, triginta hominum capitibus liberasse octo milliũ siue imprudentiam, siue noxam: nunc vero lęto & erecto animo in cędem Illergetum ire. Deinde se ad iter præparare in diem alterum iubet, profectusq; decimis castris peruenit ad Iberum flumen: deinde quarto die castra in conspectu hostium posuit. campus enim erat ab interiori parte montibus circumseptus. In eam vallem Scipio quum pecora multa ex hostiũ agris rapi iussisset, ad irritãdos barbarorũ animos, velites (qui proprie Hispano nomine Ginecatii appellantur) immisit. Vbi vero per excursionẽ cõmissa fuit pugna, Lælium cum equitatu impetũ ex occulto facere iubet. mons enim præeminẽs equitum insidias texit. nec vlla mora ad pugnã facta est. Hispani cernentes eorũ pecora tolli, in velites Hispanos præda occupatos incurrere cœperunt. Vnde quũ cœpisset iã pugna, & gladiis nudatis, collatoque pede certamẽ fieret, superuenere equites. & maiores inde cædes fiunt, quã per excursiones ac leuia certamina fieri soleãt. ita magis accendũtur ira Hispani ad vindictã. qui ne pulsi viderentur, postero die prima diei luce in aciẽ processere. neq; capiebat omnes copias angusta vallis: duę namq; peditum partes, & omnes deniq; equitatus in aciẽ descenderunt, reliqua vero peditũ pars in vnũ ex obliquo collẽ constitit. Scipio considerans loci angustiã pro se esse, quia in arcto pugna aptior Romanis, quã Hispanis futura videbatur, quodq; in eum locum retracta eorũ multitudo esset, qui omnes minime capere posset, nouo consilio animũ adiecit, vt scilicet tã angusto spatio circumdaret cornib. hostiũ aciẽ, quo peracto Hispanis inutiles forẽt pedestres copię. Itaq; imperauit Lælio

Lælio vt per colles occultissimo itinere circumducat equites, segregetque quantum possit equestrem à pedestri pugna. ipse quoque Scipio statim omnia peditũ signa in hostes vertit, quatuorque cohortes in fronte statuit, quia latius non poterant aciem pandere, neque moram pugnandi vllam fecit, vt cum certamine auerteret conspectum equitũ transeuntium per collem, neque ante conspicerent circunductos esse, quam à tergo inuasos se esse sentirent. ita duo prælia, duę peditum acies, & duo equitatus per longitudinẽ campi. nam misceri non poterant, quia vallis angustia hoc non patiebatur. pugnabantq; adeo, vt neq; pedites equitibus. neq; equites peditibus auxilio esse possent, quoniam quũ pedites qui in fronte erant, pugnarent, putantes equites à tergo eis auxilio esse, trucidantur, quoniam equites ipsi à Lælio & Romanis ab ipso tergo inuasi etiam delebantur. Quumq; ipsi equites aliquandiu Lælii impetum sustinuissent, finaliter tamen ad vnum omnes cæsi sunt, nec quisquam equitum peditumve superfuit, eorum scilicet qui in valle pugnauerunt. Tertia vero pars quæ super collem secesserat, & potius ad spectaculum quam ad pugnam steterat, & locum, & tempus ad fugiendum habuit. Inter eos enim Mandonius & Indibilis reguli fratres ipsi fugerunt, prius quam à tergo tota circumueniretur acies, elapsi inter tumultum. Castra itaque Hispanorum eo die pręter aliam prædam, cum trib. ferme millibus hominum capiuntur. Ex Romanis vero eo die ac prælio circiter mille ac ducenti ceciderunt, vulneratique sunt amplius quam tria millia hominum. Neque enim adeo cruenta fuisset victoria, si patentiore campo decertassent, & ad fugam capessendam facilitas fuisset. Indibilis itaque abiectus bello & fugatus, consilium cepit, & afflictis prostratisque rebus nihil tutius esse duxit, quam vt in Scipionis clementia speraret. Experta itaque eius fide Mandonium fratrem ad Scipionem mittit. qui aduolutus genibus eius, fatalem rabiem temporis accusat, quum velut contagione quadam pestifera, non Illergetes modo & Lacetani, sed castra quoque Romana insanierint. suam itaque, & fratris, & reliquorum popularium eam conditionem esse, vt, si velit, reddant spiritum Scipioni: vel si seruare malit, tanquam ab eo acceptum, illum pro eius voluntate deuouerent, tanquam ab eo seruatum. In causa enim fuerat eatenus, ipsam clementiam nõ petiisse, quum de ea, eius inspecta magnanimitate, non haberetur fiducia: nunc autem è contra, quoniam quũ victor euaserit, non est dubium in eius maxima clementia sperare. Ille enim semper Romanis mos fuit, parcere prostratis, & debellare superbos. Scipio igitur, licet vetus mos Romanorum fuisset, vt eis quos non fœdere, sed armis superassent, nõ prius daretur amicitia tanquam in pacatum populum, quam omnia diuina & humana dedissent, obsides insuper acciperentur, adimerentur arma, præsidiaque vrbibus composita forent: multis verbis detestatus Mandonium præsentem, Indibilemque absentem, illos merito perituros fuisse suo ipsorum maleficio asseruit, victuros populi Romani beneficio. Itaq; eisdem regulis, & illam pugnam, & rebellionem liberam esse voluit, eisque velle præter Romanum morem, & arma relinquere, nec obsides petere, ne si iterum deficerent, in obsides innoxios, sed in seipsos sęuiret, atque eorum esse, an pacatos, an iratos Romanos velint. Ita dimissus est Mandonius, pecunia tantum imperata, qua militibus subsidium parari posset, qui Lucio Martio in vlteriorem Hispaniam præmisso, paucos moratus dies, dum imperatam pecuniam Illergetæ numerarent, cum expeditis Lucium Martium iam Oceano appropinquantem assequitur. inchoata enim res erat de Masinissa, vt ad colloquiũ cum Scipione veniret. vulgatũ est in castris Scipionis Masinissam cum Scipione velle cõgredi, ad hoc quæ dexteras sibi inuicẽ dedisse. Masinissa vero quum Gadibus esset, certior factus à Martio, Scipionem aduentare, causando dixit corrumpi equos in insula, penuriãque rerum omnium pati, & ideo se velle traiicere ad depopulãdos Mediterraneos agros: vtque imperator Mago hoc pateretur, marcescere se dixit equitum desidia. Transgressus itaque tres principes Numidarum præmittit, ad tempus locumque pro colloquio statuẽdum, duos pro obsidibus retineri à Scipione iubet, remisso tertio, qui quum iussus esset, adduceret Masinissam. cum paucis itaque ad colloquium venerunt. Ceperat enim Numidam Scipionis fama, gestarumque rerum admiratio, qui animos ad speciem corporis eius amplam atque magnificam erexerat. cæterum maiorem venerationem præsentia fecit, & præterquam quod à natura multa in eo erat maiestas, adiuuabat tamẽ promissa cæsaries, habitusque corporis, non cultus exquisitis munditiis, sed virilis, ac vere militaris (quod plenius nitidiusque ex morbo apparebat, velut renouatus flos iuuentæ) prope attonitus ipso primo congressu Numida est. Ait igitur Masinissa primum Scipioni gratias de fratris filio remisso, ex eoque tempore eam se quæsisse occasionem, quam tandem oblatam deorum immortalium beneficio non omiserit, cupereq; se illi populoque Romano operam nauare, ita vt nemo vnus externus magis enixe adiuuerit rem Romanam, seq;

diu hoc facturũ parauerat in Hispania ignota, alienaque sibi patria: cum autem hoc fieri non valuerit, sed id in Africa, ac propria patria facturũ, quoniam si Romani eundem Scipionem in Africam mittant, non est dubium, sperare posse, se breui illam adepturos. Lætus enim vidit eum Scipio, audiuitque, cum caput rerum in omni hostium equitatu Masinissam sciret: qui & iuuenis erat, & decorem pr§ se ferebat. Fide igitur data receptaque, Scipio regressus est Tarraconam. Masinissa vero permissu Scipionis, ne sine causa traiecisse videretur, depopulans vicinos agros Gades rediit.

Mago Pœnorum Dux à Gadibus ad minorem Balearium insulam cum classe hybernaturus venit.

MAGO igitur desperatis in Hispania rebus, quoniam eum spes fefellerat, quã primum in militari seditione concipiens, in defectione Indibilis ac Ilergetum posuerat (quæ duo eius animum diu sustinuerant) dum pararet classem in Africam traiicere, nuncium à Carthagine accepit, iubere Senatum, vt classem quam Gadibus haberet, in Italiam traiiceret, cõducta ibi quanta posset Gallorum ac Ligurum iuuentute, coniungeretq; Hannibali, ne sineret senescere bellum maximo impetu ac fortuna cœptum. Ad eam rẽ maxima pecunia à Carthagine magna adducta est, & ipse quantum potuit à Gaditanis exegit, nõ modo publice ab eorum ærariis, sed etiam templis spoliatis, priuatim ab omnibus, eos cogendo vt aurum argentumque in publicum conferrent. Qui cum à Gadibus cum classe discessisset, ac præteruteheretur ad Hispaniæ oram, non procul à noua Carthagine expositis in terram militibus proximos depopulatur agros, inde ad vrbem classem appulit, ibique cum die milites in nauibus tenuisset, nocte in littus exposuit ad eam muri partem qua capta à Romanis noua Carthago fuerat, pro constanti habens, eam vrbis partẽ nullo saltem valido præsidio teneri, & aliquos oppidanorum ad spem nouandi res moturos. Interim nuncii ex agris trepidi simul depopulationem, agrestiumque fugam, & hostium aduentum retulerunt. Tum visa est classis, nec sine causa electa ante vrbem statione apparuit. armati igitur oppidani instructique ad portam mare versus ac stagnum concurrerunt, vbi circumfusi hostes ad muros, tumultu maiore quam vi, subierant, patefactaque repente porta Romani cum clamore erumpunt, turbatosq; hostes ad primum incursum coniectumque telorum vsque ad littus cum multa cæde persequuntur: & nisi naues littori appulsæ trepidos recepissent, non superfuisset fugæ aut pugnæ quisquam. In ipsis quoque nauibus trepidatum est, ne hostes cum suis simul in naues irruerent. Retrahunt igitur scalas, ancorasque ne moram nimiam facerent, præcidunt. quorum multi in littore derelicti, vt naues natando assequerentur, incerti præ tenebris quid peterent, aut vitarẽt, fluctibus obruti sunt. Postero vero die cum classis retro in Oceanum vnde venerat, fugeret, circiter duo millia ac octingenti homines cæsi inter muros littusque reperti sunt. Mago autem in Gades cum classe reuersus excluditur, inde ad Cimbim non longe à Gadibus classe appulsa clauduntur illi port§, inde ad Pityusam centum pene milliaria amplectens, quam Pœni adhuc obtinebant incolebantque. In ea classis bona cum pace suscepta est, nec modo commeatus ab ea benigne præbiti sunt, sed etiam in supplementum classis iuuentus armaque data sunt, quorũ fiducia Mago in Baleares insulas quinquaginta abinde milliaribus distantes transfretauit. Duæ enim sunt Balearium insulæ, vna maior, quam Maioricam à maioritate insulæ, vt supra diximus, altera minor, quam à minoritate respectu maioris Minoricam dicunt, armis hominibusque copiosior, ac portum habens pulcherrimum, in quo se hybernaturum sperabat. ad extremũ enim autumni erat. Quum itaque ad maiorem insulam cum ipsa classe transfretasset, cum fundis insulani omnes hostiliter occurrerunt (quo solo armorum genere, sicuti in aduentu Herculis supra narratũ est, vtebantur, & inde etiam Baleares dictæ sunt) tantaque vi lapidum appropinquantem classem obruebant, vt introitum portus eis omnino vetuerint. Inde igitur recedentes ad minorem Balearium insulam traiecerunt. In cuius portu locũ munientes, sine certamine vrbe agroque, & quidem fertili, potiti sunt, in qua tota hyeme residens Mago, duo millia auxiliarium ex eis conscripsit, vrbemque ipsam amplians, & portui & vrbi nomen dedit, Magoque vsque in hodiernum appellantur. Gaditani vero post eius ab Oceano discessũ Romanis se dediderunt.

Scipio obtenta Hispania Romam reuertitur, atque Consul creatur, eique Sicilia & Africa assignatæ sunt.

HIS itaq; peractis anno ab orbe cõdito quarto milleno, & ab vrbe condita DXLIII. Scipio obtenta Hispania Romam rediit, & iterũ Consul creatur, & multis in Senatu contra-

contradicentibus Sicilia illi prouincia decreta est, & insuper Africa Romanis armis aggredienda. Magnus itaque Romæ apparatus fit ad bellum in Africam transferendū, Scipioque traiicere exercitum in Siciliam, & inde in Africam parat. Sed quoniam hæc ad Hispaniam pertinere non videntur, illa prætermitto, de quibus satis abundeque Romani scriptores meminerunt. Nos autem de nostris videamus.

Mago Amilcaris filius à portu & vrbe Magone minoris insulæ Balearis exercitum Genuam traiicit, & vrbem vi cepit, Indibilisq; defectio ac pugna.

MAGO igitur cum hybernasset (vt diximus) in minori insula Balearium, sequenti vere anno ab orbe condito quarto milleno nongentesimo decimotertio, & ab vrbe condita DXLIIII. ex ipsa minori insula Balearium iuuentute lecta & in classem imposita, in Italiam triginta rostratis nauibus & multis onerariis duodecim millia peditū duoque ferme equitum traiecit, Genuamque nullis præsidiis maritimam oram tutantibus repentino aduentu cepit. In Hispania denuo bellum exortum est consentiente Indibili, ac iterum rebellante nullam aliam ob causam, nisi propter admirationem virtutum, Scipionemque solum militari peritia clarum putabat superfuisse Romanis cæteris omnibus ab Hannibale interfectis. Contemnens itaque reliquos, intra paucos dies cōcitatis finitimis populis ad Hispaniam liberādam, triginta millia peditum & quatuor ferme equitum in Sedetanum agrum congregauit. Romani quoq; imperatores L. Lentulus & L. Manlius exercitum contra Indibilem duxerunt: & cōmissa pugna tandem cum vidissent turbatos hostium ordines, trepidantesque atque fluctuantia signa, hortantur milites, vt perculsos inuadant, nec restitui aciem patiantur. Neque sustinuissent impetum Hispani, nisi Indibilis ipse cum equitibus pedes digressus ante prima signa peditum se obiecisset. ibi enim aliquandiu atrox pugna fuit. Tandem postquam ii qui circa regem semimortuum, ac deinde terræ confixum, pugnabant, obruti telis occubuerunt, tunc fuga passim cœpta est, pluresque cæsi equites, quia eis conscendendi equos spatium non dabatur, & quia Romani perculsis Hispanis institerunt acriter. nec ante abscessum est, quam à castris hostem penitus expulissent. Tredecim millia Hispanorum eo die cæsa sunt, octingenti vero capti: at Romanorum sociorum paulo amplius quam ducenti, & præcipue in læuo cornu ceciderunt. Pulsi itaque è castris Hispani sunt, & qui ex prælio effugerunt, dispersi primo per agros, inde ad suas ciuitates redierunt. Tum à Mandonio regulo fratre Indibilis ad concilium euocati, conquesti sunt ibi clades suas, valdeque detestari cœperunt autores belli Indibilem, cæterosque Principes, quorum plærique in acie occidissent. Qui cum legatos ad arma tradenda deditionemque faciendam misissent, responsum est à Romanis imperatoribus, in deditionem ita accipi, si Mandonium cæterosque belli concitatores viuos traderent: sin aliter facerent, exercitus in agrum Ilergetanum, moxque Ausetanum, & deinceps aliorum populorum se ducturos cum maximo eorum malo. Hæc dicta vbi à legatis renunciata sunt, Mandonius, cæterique principes in concilio comprehensi, traditi sunt Romanis ad supplicium. Sic pax Hispaniæ populis reddita est, stipendium insuper duorum, & frumentum sex mensium imperatum est, & obsides à triginta ferme populis accepti sunt. Ita Hispaniæ rebellantis tumultus magno metu intra paucos dies concitatus & compressus est, & omnis terror in Africam versus.

IOANNIS EPISCOPI GERVNDENSIS PARALIPOMENON LIBER SEXTVS DE IIS QVÆ GEsta sunt in Hispania, & quomodo Pœnis expulsis vsque ad tempora ciuilis belli quieuit Hispania à bellis annis fere decem, in quibus Carthago magna capitur à Scipione.

De Lege Oppia.


AM itaque à superiori anno, id est ab vrbe condita quingentesimo quadragesimo quarto vsque ad eiusdem annum DLIIII. nil memorabile in Hispania gestum est, sed quieuit à bellis. Quo decennio Scipio in Africam cum exercitu traiectus, Carthaginem vniuersamque Africam debellauit, ex qua re Africanus est cognominatus. Moxque exacto temporis huius curriculo, ciuilis contentio in vrbe commota est, instantibus mulieribus, vt lex Oppia quæ mulierum ornatũ prohibebat, abrogaretur. Tulerant enim eam Marcus Oppius, & Titus Romuleus tribuni populi, Quinto Fabio, & Tito Sempronio Consulibus, in medio ardore Punici belli, ne qua mulier plusquam semunciam auri gestaret, neque vestimento diuersi coloris vteretur, neque vehiculo curruque in vrbe oppidove ad mille passus, nisi sacrorum causa vteretur. Tulerunt enim ad plebem de abroganda lege Marcus Fundanius, & Lucius Valerius tribuni populi. Brutus & Titus Iunius legem Oppiam tuebantur, nec etiam abrogari se passuros aiebant. Ad suadendum vero dissuadendumq; multi nobiles prodibant. Capitolium turba hominum fauentium aduersantiumque legi complebatur. Matronæ nulla nec autoritate, nec verecundia, nec virorum imperio contineri limine poterant. Omnes enim vias vrbis aditumque in forum obsidentes, viros descendentes ad forum orabant, vt florente republica, ac per consequens crescente in dies etiam priuata, omniumque fortuna, matronis quoque pristinum ornatum reddi paterentur. Augebatur hæc mulierum frequentia in dies. nam etiam ex oppidis conciliabulisque conuenerant. Iamque consules & prætores publice rogare audebant, habebant tamen alterum Consulem Marcum Portium Catonem inexorabilem, qui pro tuenda lege publice orationẽ habuit. Contra vero Lucius Valerius pro rogatione mulierum confutauit Marci Portii Catonis orationem. Vicit itaque mulierum petitio, vt lex abrogaretur. Omnes enim vrbis matronæ & mulieres vna acie in Capitolium conscendentes rogarunt omnes magistratus ac tribunos. ex qua re tantus fuit mulierum fauor, quod omnes pariter iudicauerunt legem Oppiam esse abrogandam, quæ vicesimo, postquam lata fuerat, anno abrogata est.

Marcus Portius Cato Consul cum exercitu in Hispaniam venit.

POSTQVAM igitur lex Oppia abrogata est anno ab orbe condito quinto milleno tertio, & ab vrbe condita quingentesimo quinquagesimo quarto, Lucio Valerio Flacco, & Marco Portio Catone Consulibus, idem Marcus Portius Cato cum exercitu ad Lunæ portum cum quinque ac viginti nauibus venit. Deinde nauibus omnis generis hinc inde contractis proficiscens, edixit vt ad portum Pyrenæi omnes sequerentur, indeque ad vrbem Rhodam ventum est. Hæc enim vrbs in Gerundensi erat diœcesi, cui nunc præsidemus, & à sexcentis annis Episcopos habuit. quæ vrbs iuxta Claudii Ptolemæi descriptionem non longe à Pyrenæo distabat, sita ad littus maris portu à vulgo vocato Lalena, quæ omnino deleta est: extat tamen in ipso vertice montis cœnobium, quod sancti Petri de Rhodis accolæ dicunt ab ipsa vrbe Rhoda. Erat autem in ipsa vrbe arx quam Hispani tenebant. eam itaque vi expugnatam Cato cepit. Indeque secundo vento Emporias vrbem à Rhoda non longe distantem venit, quæ in tres diuisa erat. Primam enim mari vndique circundatam tenebant Græci, qui à Phocensibus, vnde Massilienses, ortum habuerant, de quorum origine Iustinus post Trogum Pompeium late disseruit, quod Græcum oppidum pene mare hinc inde cingebat, cuius muri quadringentorum passuum spatio pro-

tendebantur. Secundam Hiſpani tenebant, cuius trium milliarium ſpatium muri ample-ctebantur, quæ diſtans à mari milliario prope vno magnum Hiſpanorum ferociſſimorumque virorum numerum continebat. Tertiam vrbem oppidumque incolebant Romani ad littus maris quod Oceanum reſpicit. Hanc itaque tertiam refert Zozomenus Piſtorienſis hiſtoricus Iulium condidiſſe, poſtquam deuicit in Hiſpania Pompeii liberos: quoniam cum primum à Gerunda Sextum Pompeium fugaſſet, inde etiam vſque ad Ilerdam venit. Poſtquam Brutus eum apud Mundam vrbem (quæ nunc Colimbrium dicitur) in Portugallia victum interfeciſſet, Iulius Cæſar oppidum ex Romanis, Italicis, qui primum (vt opinor) cum Cornelio Scipione venerant, conſtruxit, coloniamque Romanorum effecit. Sicque enim Emporium vrbs in tria oppida diuiſa diuerſis linguis voluntatibuſque conſiſtebat. Per eadem enim tempora rebellarat citerior Hiſpania omnis, ac Romanum oppidum quod apud Emporias erat, vi occuparat. Ad hanc igitur rebellionem perdomandam Cato Conſul in Hiſpaniam venerat. Græcorum vero oppidum non modo non eſt rebellionem ſecutum, verum ſeruata Romanorum fide ſeruatum legimus. Accurata enim diſciplina (quæ potiſſimum, vbi metus accidit, ſeruatur) eos eatenus conſeruarat. partem enim murorum ad Hiſpanos verſam optime munitam habebat, vna tantum orta ad eam regionem vtebantur, in qua ſemper alter ex magiſtratibus vrbis præſidebat. Nocte vero qualibet tertia ciuium pars in muris excubabat, tanquam ſi hoſtis ad portam eſſet, & ſeruabant vigilias ſemper, & circuibant ciuitatem diligenti cura, Hiſpanum neminem intra vrbem recipiebant, nec ipſi temere ab vrbe exibant. Ad mare enim patebat omnibus exitus ad portam ad Hiſpanorum oppidum verſam, à qua non niſi frequentes egrediebantur. Cauſa vero exeundi tantum erat cōmercium cum Hiſpanis. Hiſpani enim tanquam maris imprudentes inexpertiq; mercari gaudebāt, vt ex iis quæ mari afferebantur, haberent, ſuoſq; fructus illis venderent. Huius igitur deſiderii cauſa Hiſpana vrbs Græcis patebat. Sic Græcum Emporiæ oppidū ſeruatum eſt. Erantq; eo tutiores, quod ſub ſpecie Romanæ amicitiæ tutabantur, quam ſicut Maſſilienſes, à quibus deſcenderant, minoribus licet viribus, pari tamen colebant fide. Sic conſulem Catonem ad eam declinantem comiter ac benigne ſuſceperunt: paucoſq; dies ibi moratus eſt, dum explorare cœpit, vbi, & quantæ hoſtium copiæ eſſent. Vnde ne mora ipſa inutilis eſſet, omne id tempus exercendis militibus conſumpſit. erat enim tempus, quo frumentum in horreis coaceruatur. Redemptoribus itaque vetitis ne frumentum exportarent, vrbe Græca eiſdem repleta ad bellum ſe parat, ac profectus ab Emporiis agros hoſtium vrit vaſtatque, omnia fuga & terrore complens. Qui cum caſtra non longe ab Emporiis in agro qui eſt inter medios fines Gerundæ vrbis & Emporiæ, poſuiſſet, cum hoſtibus qui ex reliqua Hiſpania confluxerant, conſeruit prælium: quos deuictos cæcidit, ac diſſipauit. qui exuti caſtris, ſigna armaq; abiicientes vſque ad vicinorum oppidorum portas fugantur, in quibus ipſi Hiſpani ſuo ſe agmine ac preſſura perimebant, cædentibus Romanis à tergo, ac eos comprimentibus: quorum caſtra omnia Romani diripuerunt. Refert Valerius Antias hiſtoricus eo die ſupra quadraginta millia Hiſpanorum cæſa. Cato vero ipſe geſta ſua conſcribens, detractor laudum ſuarum, multa millia hominum ait ſe interemiſſe, ſed numerum non expreſſit. Nihil denique à victoria ceſſatum eſt. Quum enim receptui ſignum datum eſſet, ſuoſq; ſpoliis onuſtos ad caſtra reduxiſſet, paucis horis noctis ad quietem datis, ad prædandum in agros hoſtium ſparſos reduxit ad comprehendendum hoſtes hinc inde ſine ordine fugientes. quę res non minus quam pugna prioris diei Emporitanos, Hiſpanos, accolaſque eorum in deditionem compulit. Sic Cato vrbem Emporiam Hiſpanorum obtinuit deditione recepta, ex aliiſque vicinis vrbibus eos qui Emporiam profugerant, Cato benigne ad ſe vocatos in ſua quemque dimiſit. Inde caſtra mouit, ac itinere recto per Gerundam Barchinonamque Tarraconam peruenit. Interim ad quemcunque locum Cato cum exercitu applicuiſſet, occurrebant indique legati ciuitatum ſe illi dedentium. Ita per Catonem omnis cis Iberum Hiſpania perdomita, & Romano nomini reſtituta eſt. Captiuique non modo Romani, ſed etiam ſociorum & Latini nominis variis caſibus in Hiſpania oppreſſi, ad domum Conſulis ducebantur. Fama deinde vulgatur, Conſulem velle in Turditaniam proficiſci cum exercitu, & inde ad deuios montanos eſſe venturum: quem rumorem falſo vulgus iactauit. quam ob cauſam ciuitates ſeptem cis Iberum, & caſtella plurima defecerunt, ad eaſque deducto exercitu in poteſtatem redegit, quas cum pacatas reliquiſſet, ac Tarraconam reuertiſſet, iterum rebellarunt, quas iterum ſubiugauit: & ne pari indulgentia relinquerentur, eos iuſſit venundari, & redigi in ſeruitutem, atque quæſtori, vt venundarenrur, traditi ſunt.

Rebellio Turditanorum & prouinciæ cis Iberum, propter quam illis arma adempta sunt.

ET quoniam Turditani interim rebellarant, qui sunt incolæ maritimæ oræ Bætis fluminis, & per Mediterraneum vſque Caſtulonem, vt ſupra ſatis declarauimus (hæc enim gens præ cæteris Hiſpanis imbellis erat, & armis inſueta) audita rebellione Publius Manlius, qui Q. Minutio ſucceſſerat, accepto vetere exercitu Romano ab eodem Q. Minutio, adiunctoque Appio Claudio Nerone, ex vlteriore Hiſpania cum exercitu in Turditaniam proficiſcuntur. Turditani igitur audito Romanorum aduentu, freti ſua multitudine ire obuiam Romanis parant: quumque ipſis Romanis occurriſſent, equites Romani in agmen Turditanorum immiſſi ſtatim eos turbauerunt, atque in fugam conuerſos plurimos ſimul & ceperunt, & trucidarunt. Nec prælio locus fuit, ſed in prædam & fugam prælium conuerſum eſt. Quumque Romani indubitatam victoriam obtinuiſſent, neque ob id Turduli paruerunt, ſed conductis decem millibus Celtiberorum, alienis auxiliis bellum parant. Interea Catoni conſuli in Turditaniam properanti nunciatũ eſt rebellaſſe Barguſtanos, quæ gens ea eſt quæ inter Valentiam & Carthaginem Spartariam, ſiue nouam Carthaginem ſita eſt. ipſeque conſul ratus cæteras Hiſpaniæ vrbes itidem facturas, ſi non prouideretur, omnibus Hiſpaniæ vrbibus quæ cis Iberum erant, arma ademit. quam rem adeo prouinciales ægre paſſi ſunt, vt multi ex eis mortem ſibi intulerint (gens ſiquidem ferox, vt ab antiquis ſcriptoribus traditum eſt, nullam vitam ſine armis eſſe arbitrantes) quod vbi Conſuli nunciatum eſſet, Senatores omnium vrbium ad ſe euocari iuſſit, quibus in hanc ſententiam verba fecit: Non quidem noſtrum, nec veſtrum intereſt rebellare, multoque maiore malo veſtro id quam Romanorum fit à vobis. Verum vno modo fieri poſſe video, vt vlterius non rebelletis, voloque id quam molliſſima via cõſequi, vos quoque me adiuuare debetis. nullum enim conſilium libentius ſequar, quam quod voſmetipſi attuleritis: tacentibuſque omnibus tempus reſpondendi dixit. Quumque acciti ſecundo conſilio tacuiſſent, vno die muri omnium illarum vrbium Catonis edicto dirũpti ſunt. Ad eoſque deinde omnes, qui nec ſic parebant, cum exercitu profectus eſt. ita in quamcunque regionem veniebat, omnes ſeſe dedebant: Sygeſtam tantum grauem & opulentam ciuitatem vi cepit. Deinde Lacetanos (qui hodie Barchinonenſis ager dicuntur) in deditionem recepit. Inde victor ad Regium caſtrũ caſtra direxit, quod receptaculum prædonum erat. inde enim excurſiones in agros pacatæ prouinciæ fiebant. Transfugit interea Princeps Larguſtanus, & purgare ſe ac populares ſuos cœpit, dicens, non eſſe in manu ipſius prædones expellere, caſtrumque illud ſuæ poteſtatis non eſſe. eum Conſul domum redire iuſſit, poſtquam cum eo ordinaſſet, vt quamprimum ſecum exercitum caſtri muros ſubire cerneret, intentoſque prædones ad tuenda mœnia, ipſe cum ſuæ factionis hominibus eniteretur arcem occupare. Id, vti præceperat, factum repente eſt, hinc muros aſcendentibus Romanis, illinc arce capta. Cato eos qui arcem obtinuerant, cum cognatis ſuiſque omnibus liberos eſſe iuſſit, omniaque ſua habere. Larguſtanus cæteros Quæſtori, vt venderet, imperauit: de prædonibus vero ſuppliciũ ſumpſit. Ex ferrariis argentariiſque fabris, à quibus prouincia locupletior fiebat, conſilio expectato vſque in diem tertium, nihil ſupplicii ſumens, eos conuenienti modo diſpoſuit. Poſtmodum vero ſequentibus duobus annis, anno videlicet ab orbe condito quinto milleno quinto, & ab vrbe cõdita quingenteſimo quinquageſimo ſexto, Caius Flaminius in citeriori Hiſpania bella geſſit, & Lunam in Oretanis cepit. Inde exercitũ ad hybernandũ ad Iberum amnem adduxit, & per hyemem bella aliquot geſſit, vario euentu, non tamen memoratu digno, quia potius aduerſus incurſiones latronum quam hoſtium pugnatum eſt. Multo maiores res fuere Marci Fuluii, qui apud Toletum oppidum cum Vaccæis, Vectonibus, Celtiberiſque ſignis collatis dimicauit, earumque gentium exercitum fudit, atque Ibernum Regem viuum in prælio cepit.

Prælium Heluii cum Celtiberis.

INTEREA Heluius miſſus à Publio Claudio prætore ex vlteriori Hiſpania cum exercitu ſex millium occurrit, vt Catoni Conſuli iungeretur. Quo audito Celtiberi intercidere viam Heluio parant, atque ad oppidum Illiturgũ occurrentes cum viginti millib. armatorum, prælium cum Heluio fecerunt. in quo (vt refert Valerius Antias) eo die duodecim millia Hiſpanorum ceciderunt, indeq; Romani ad oppidum Illiturgum occurrentes quod receptum hoſtibus præbuerat, puberes omnes ipſius oppidi Romani interfecerunt, ac deinde Heluius ad caſtra Catonis peruenit. Et quia iam ab hoſtib. tuta regio erat, præſidio in vlteriorem Hiſpaniam remiſſo, Cato Romam rediit, & ob rem fœliciter geſtam

vrbem

vrbem triumphans intrauit. Attamen de triumpho sibi concedendo fuit aliquantisper disputatum. Aiebant enim qui sibi triumphum negari dicebant, quod fortuito casu, & non in propria, sed aliena prouincia pugnasset. Vicit tamen sententia, vt decerneretur triumphus. Magnumque argenti pondus attulit, & in ærarium vrbis misit.

Capitur Toletum parua vrbs, & Oliba, quæ nunc Olith dicitur, & oppidum Lycabrum, ac Rex Corbilio.

SEQVENTI vero anno, videlicet ab orbe condito quinto milleno sexto, & ab vrbe cōdita DLVII. Caius Flaminius oppidum Lycabrum munitum vineisque refertissimum expugnauit, ac regem Corbilionē viuum cepit, & Marcus Fuluius Proconsul cum duobus exercitibus hostium duo prælia fecit, oppidaque duo cepit, Vesceliam & Eleonam (quæ nunc Legio corrupto vocabulo dicitur) & castella multa expugnauit. Ad eundem de alia voluntate defecerunt qui Nauarræ confinia tenent. Progressus vero duobus potitur oppidis, Oliba (quod hodie Oletum dicitur) & altero eius vicino: indeq; pergit ad Tagum amnem, Toletumque, quæ parua vrbs erat, sed tamen munita, oppugnatur. Quumque eam oppugnaret, Vaccæorum, Vectonum, Celtiberorumque magnus exercitus Toletanis subsidio venit. Cum his igitur signis collatis prospere pugnauit, quibus fusis Toletum cepit.

Lucius AEmilius Paulus contra Lusitanos tumultuario exercitu pugnat.

QVVM anno ab orbe condito quinto milleno decimo, & ab vrbe condita quingentesimo sexagesimo primo Romani Lucium Belum Prætorem in Hispaniam misissent cum exercitu, in Liguria (quæ terra Genuensium ac vicinarum est vrbium) à Liguribus circumseptus magnam exercitus partem amisit, ipse cum paucis vulneratus aufugit, Massiliamque peruenit, vbi spatio trium dierum expirauit. Quod vbi Romæ nunciatum est per legatos, decreuit Senatus, vt Publius Mumius Brutus, qui cum exercitu in Tuscia erat, diuiso exercitu, cui vellet ex legatis, ipse in vlteriorem Hispaniam iret, eaque prouincia illi cederet. Hocque cum egisset Brutus, per antea Lucius Æmilius Paulus (qui postea vir maximus fuit, & Perseum Macedoniæ Regem maxima cum gloria cepit, & Macedonicus appellatus est) iam virtutis suæ præsagium faciens tumultuario exercitu coadunato, signis collatis cum Lusitanis pugnauit, & ab eo fusis atque fugatis, octodecim millia armatorum ab eo cæsa sunt, & tria millia capta.

Publius Catinus Prætor in Hispania moritur ex vulnere.

DEINDE secundo post anno, videlicet ab orbe condito quinto milleno duodecimo, & ab vrbe condita CCCCCLXIII. Caius Catinus per bienninm ante Prætor cum Lusitanis in agro Astensi signis collatis pugnauit: in qua pugna Hispanorum sex millia cæsa sunt, cæteri vero fugati fusique sunt. Inde ad Astam vrbem oppugnandam exercitum duxit, quam non longe minori vi cepit, sed dum incautus muros subiret, ictus ex vulnere paucos post dies moritur. Statimque Senatusconsultum Calphurnium Prætorem ac successorem misit, ne prouincia sine imperio esset. Per eadem tempora P. Manlius Acinius, qui eodem tempore, quo C. Catinus, in prouincia erat, cum Celtiberis acie conflixit, & tandem incerta victoria discessum est, nisi quod Celtiberi nocte proxima mouerunt castra. Quæ res Romanis, & suos sepeliendi, & spolia legendi ex hostibus potestatem fecit. Paucos post dies Celtiberi maiore coacto exercitu Romanos ad Calagurum oppidum lacesserūt. Neque traditur, quibus auxiliis Celtiberi firmiores potentioresq; facti fuerint. Tandem inito certamine duodecim millia cæsa, & plus quam duo millia capta ex eis referuntur, & Romani Celtiberorum castris potiti sunt. Post hæc quum Calphurnius applicuisset, Prætores ambo exercitum ad hyberna reduxerunt. Duobus vero post annis, videlicet anno ab orbe condito quinto milleno decimo quarto, & ab vrbe cōdita quingentesimo sexagesimo quinto, quum Lucio Manlio successisset in prætoria dignitate Lucius Quintius, & Caius Calphurnius, primo vere ambo Prætores pariter in castra prodierunt, in Carpetaniamque vbi hostium castra erant, progressi, iunctis copiis, communi animo consilioque rem gesserunt. Quum enim non longe à Toleto inter pabulatores pugna exorta esset, dum iis vtrinque subuenitur, à castris paulatim omnes copiæ in aciem adductæ sunt. in eo enim tumultuario certamine, & loca sua, & genus pugnæ pro Hispanis fuere. Nam Romani duo exercitus fusi, atque in castra compulsi sunt, vbi non pestiterūt Roma-

ni Prætores,ne poſtero die caſtra oppugnarentur. In ſilentio igitur proximæ noctis tacito ſigno tubę exercitum abduxerunt. Luce itaque prima Hiſpani acie inſtructa ad vallum acceſſerunt,vacuaq; caſtra præter ſpem ingreſſi,quæ relicta inuenerunt inter nocturnam trepidationem,diripuerunt,regreſſiq; in caſtra ſua,paucos dies quieti ibi manſerunt. Romanorum atque ſociorum in hac pugna ad quinque millia occiſa ſunt, quorum ſpoliis Hiſpani ſe armauerunt. Inde ad Tagum flumen profecti ſunt. Interea Prætores Romani omne tempus in contrahendis ex ciuitatibus Hiſpanorum ſociis, reficiendiſque auxiliis dederunt. Vbi vero ſatis virium conduxiſſe viſum eſt, excitatis militum animis ad delendum priorem ignominiam ſe præparant. profecti itaque cum toto exercitu ad duodecim milliaria à Tago flumine caſtra poſuerunt. Inde tertia vigilia ſublatis ſignis ad Tagi ripam peruenerunt:trans fluuium enim in colle caſtra hoſtium erant. Deinde ab omnibus clamor & pugna incipit. Romani fundunt ſternuntque Hiſpanos, perculſoſque metu ac fugientes in caſtra perſequuntur, immixtique turbæ hoſtium intra vallum penetrauerunt. vbi ab Hiſpanis in præſidio caſtrorum relictis prælium inſtauratur: coguntur que Romani equites ex equis deſcendere. Dimicantibus his, legio quinta Romanorum ſuperuenit, aliæque, vt quæque poterant, copiæ affluebant. Tum cæduntur paſſim Hiſpani per tota caſtra, nec plures quam quatuor millia hominũ effugerunt. Ex quibus tria millia fere qui arma retinuerunt, montem propinquum ceperunt,mille vero ſemiermes per agros vagi, palanteſque fugerunt. ſupra enim quinque ac triginta hominum millia fuerũt, ex quibus tam exigua pars pugnæ ſuperfuit. Cruentæ maxime victoriæ cauſam tribuit ſubita caſtrorum inuaſio, ex qua Hiſpani aggreſſi non habuerunt ſpacium ſua cõmuniendi caſtra. Ex Romanis tantum centum ac duo & triginta ceciderunt , ex ſociis paulo plus quam ſexcenti,& ex prouincialibus auxiliis centũ fere quinquaginta ceciderunt, tribuni militum quinque amiſſi,& pauci equites Romani. Poſtero die laudati donatiq; ſunt milites à Caio Calphurnio,qui pronunciauit eorum opera maxime hoſtes fuſos,expugnata caſtra, & ſigna capta eſſe. Quintius alter Prætor ſuos itidem milites donis affecit,& centuriones maxime,qui in vtroque exercitu mediam aciem tenuerant.

Prælium Q. Fuluii Flacci cum Celtiberis.

IN citeriore Hiſpania magnum bellum exortum eſt ſexto poſt anno , quam ſuperiora geſta ſunt, anno ab orbe condito quinto milleno decimo octauo, & ab vrbe condita quingenteſimo ſexageſimo nono. Celtiberi enim compararuerant quinque ac triginta hominum millia, quantum nunquam antea coadunauerant. Quintus enim Fuluius Flaccus prouinciam obtinens, quum armari iuuentutem Celtiberorum audiſſet, & ipſe quanta poterat auxilia à ſociis contraxit, ſed tamen hoſtem non æquabat numero militum. ac deinde pugna ab vtriſque cœpta eſt, in qua tria & viginti millia Celtiberorũ eo die cæſa ſunt, quatuor millia & ſeptingenti capti cum equis plus quam quingentis, & ſigna militaria octingenta ſeptem. Magna quidem fuit Romanorum victoria, non tamen ſine cruore. Ex Romanis enim militibus ex duabus legionibus paulo plus quam ducenti ſuperfuerunt, ſociorum Latini nominis octingenti ac triginta, externorum auxiliorum mille ferme & quadringẽta ceciderunt. Prætor igitur victorem exercitum in caſtra reduxit: Attilius tamen manere in caſtris à Romanis captis iuſſus eſt. Poſtero die ſpolia de hoſtibus lecta ſunt,& pro conditione donati ſunt omnes quorum inſignis virtus fuerat. Saucíis vulneratiſque in Eburam oppidum miſſis per Carpetaniam ad vrbem Cantabriam (quæ hodie Santroniogo appellatur) inde ductæ ſunt legiones, vrbeq; circumſeſſa,quum à Celtiberis auxilia poſtulaſſent,morantibus iis, non quia auxilia dare renuerent,ſed quia adeo inexplicabiles pluuiæ imbreſque ceciderunt,& amnes intumuerunt, vt ſubueniendi illis poteſtatem impedirent, ab auxilio ſuorum deſperati ciues in deditionem venerũt. Flaccus vero tempeſtatibus fœdis coactus,exercitum omnem in vrbem introduxit. Celtiberi demum deditionis ignari, vbi primum viæ aditum viderunt, imbreſque ceſſarunt, Cantabriam cum auxiliaribus copiis venerunt, ibique nulla caſtra extra mœnia videntes, alioque hoſtem commigraſſe credentes, negligenter ad oppidum peruenerũt. In eos itaque Romani patefactis duabus portis eruptionem fecerunt, incompoſitoſque aggreſſi fuderunt,& ex Celtiberis tandem duodecim millia cæſa ſunt,& capti pluſquam quinque millia, equi quadringenti, ſigna militaria ſexaginta duo: cæteri vero per vicos & caſtella ſua dilapſi ſunt. Deinde Flaccus à Cantabria profectus per Celtiberiam legiones duxit, multa caſtella expugnando. Sic maxima pars Celtiberorum in deditionem venit. Hæc in citeriore Hiſpania geſta ſunt.

IOAN-

IOANNIS EPISCOPI GERVNDENSIS PARALIPOMENON LIBER SEPTIMVS DE TERTIO PVNICO BELLO.

Quomodo Scipio Cornelius AEmilianus Carthaginem, ac Numantiam euertit.

POSTEA vero quam ſupradicta geſta ſunt, exacti ſunt anni tres ac triginta, quibus nihil memorabile de Hiſpania ſcriptum comperio. Poſt quod tempus, quum euerſa Carthago eſſet per Scipionem Cornelium Æmilianum, iterum bella ſurrexerunt. qui Conſul eam deleuit anno ab orbe condito quinto milleno CCCCCII. & ab vrbe condita DCII. ex cuius euerſione Africanus appellatus eſt, qui quidem fuit nepos alterius Publii Scipionis, qui eandem vrbem primo ſubiugauerat. Hic enim adoptatus eſt filius à Scipione filio Scipionis Africani maioris, qui vxorem habuerat Æmiliam Lucii Pauli Æmilii filiam, quæ fratrem habuit Paulum Æmilium, qui Perſeum Macedoniæ Regem & ipſam Macedoniam ſubiugauit. qui Paulus Æmilius duos filios habuit ex priori coniuge Papyria Naſonis viri conſularis filia, quæ licet illi prolem nobiliſſimam genuiſſet ipſos duos filios, tamen ab eodem Paulo Æmilio repudiata eſt. Poſt eius diuortium aliam duxit vxorem, ex qua dum alios duos genuiſſet filios, tamen priores duos aliis duabus maximis nobiliſſimiſque familiis per adoptionem inſeruit: quorum maior à Fabio maximo quinquies conſule, & Scipio minor à Scipione filio maioris Africani adoptati ſunt, videlicet à Publio Scipione alterius Publii Scipionis filio: & quod Æmilius Papyriam repudiauerit, non traditur ab autoribus. Sed cum à multis conſanguineis, & amicis impeteretur dicentibus, Nõne hęc pulchra eſt? nonne honeſta? nonne fœcunda? quib. ille calceum porrexit in medium dicens, Nonne pulcher hic calceus? nonne nouus? ſed tamen nemo veſtrum videt, qua ex parte me premat. Hic igitur Scipio Pauli Æmilii filius naturalis à Publio Scipione Africani maioris filio adoptatus, Scipio Æmilianus appellatus eſt, & quia vltimo Carthaginem funditus euertit, etiam Africanus appellatus eſt. Hic, quum Carthaginenſes contra fœdus initum arma ſumpſiſſent, Conſul creatus eſt ad eam euertendam. De qua euertenda quum pluries in Senatu controuerſia haberetur, Cato cenſebat eam euertendam: Scipio vero Naſica Pontifex eam ſeruandam eſſe cenſebat, prædicens illius ruinam interitum vrbi minari, quia non ſtantibus vrbi æmulis ac hoſtibus, facile vrbs in multa vitia laberetur. Vicit tamen Catonis ſententia, vt deleretur. Scipio igitur Æmilianus ad eandem euertendam Conſul creatus eſt. Quam tandẽ cum funditus euertiſſet, poſt diuturnum bellum (de quo apud pleroſque autores de tertio bello Punico agitur hiſtoria) in vrbem rediit.

De viriato Hiſpanorum Duce.

INTEREA in Hiſpania Romanis res non proſpere ſucceſſerant. ſurrexerat enim per eadem tempora Viriatus quidam Hiſpanus ex Luſitania (de quo Cicero in ſecundo Officiorum mentionem fecit) qui primum paſtor fuerat, inde latro: & quum latronum copias coadunaſſet, vias primum inuadere, ac deinde prouincias vaſtare cœpit, poſtmodum vero etiam Prætorum exercitus ſuperare, & in fugam vertere, adeo vt magnum terrorem Romanis intulerit. Huic primum Caius occurrit, ac eius exercitum pene profligauit. Deinde idem Viriatus Caium Plantium, nullis præliis victum fugauit, & ipſe Prætor cum paucis euaſit, ac denuo quum Claudius Numidanus cum magno belli apparatu, quaſi ad delendam ſuperiorum Prætorum infamiam, à Senatu miſſus cum Viriato congreſſus eſſet, pene vniuerſas quas ſecum adduxerat, copias Romanorum amiſit. Viriatus deinde tot ex Romanis ducibus victoriis habitis trabeas, falces, cæteraq; inſignia Romana, in ſuis montibus trophæa, quaſi de Romanis triumphãs, præfixit. ita minus proſpere aliquandiu in Hiſpania bellatum eſt à Romanis, adeoque confuſæ res videbantur, vt vix aliqui reperirentur, qui aut tribunatum in Hiſpania ſuſcipere vellent, aut legationis munere fungi. Tum Scipio Cornelius Æmilianus in medium proceſſit, ſeque accepturum quodcunque militiæ genus imperatum fuiſſet, profeſſus eſt: quo exemplo omnes ad ſtudium militandi concitauit. Per antea enim in vlteriori Hiſpania Lepidus Proconſul Vaccæam gentem (quæ in Caſtellæ confiniis ad Nauarram ſpectat)

quæ gens innoxia fuerat ac simplex, prohibente Senatu expugnare tentauit. Vnde tam memoris audaciæ pœnas luit. nam ab eis prælio victus, sex millia Romanorum amisit, atque exustis castris vix cum paucis fuga euasit. Isto etiam tempore Caius Mancinus apud Numantiam infœlicissime bellauit, pro vt infra dicetur. Interea mittitur contra Viriatum Brutus Consul, qui eum pugnando vicit, & in fugam vertit, ac Laconiam oppidum, quod idem Viriatus cum suis obsederat, liberauit. Post cuius fugam Viriatus à suis dolo interfectus est, cuius interfectores quum à Romanis præmium postulassent, indigni præmio iudicati sunt, ex eo quod eorum ducem dolo interfecissent.

Brutus vniuersam Galleciam occupat.

BRVTVS itaq; post Viriati interitum per totam vagatus Hispaniam vsque ad Oceanũ peruenit, quadragintaque millia Gallorum & Græcorum, qui Viriato & suis auxiliũ præbuerant, atrocissima pugna deleuit. ob quam victoriam vniuersæ Gallaciæ populos in deditionem recepit. Hæc quæ dicta sunt de Viriato, & Bruto, cæterisq; Romanorum ducibus à Viriato deuictis, acciderunt anno ab vrbe condita sexcentesimo nono.

De Numantia vrbe, quæ fuit quondam Hispaniæ decus, & eius situ.

ERat in Hispania citeriore vrbs nobilissima, Hispaniẹ decus, vltima Celtiberorum, Inter vltimos fines Gallaciæ, Cantabriæ, Vaccæorum. De cuius situ hæsitatur à multis: quoniam Pomponius Mela libro secundo dixit illam esse Cæsaraugustam, & Rodericus Toletanus dicit esse Zamoriam: ego vero testimonia antiquorum adducam ad illius situm comprobandum. Vnde Lucii Annei Flori in secundo libro Epitomatum Titi Liuii verba audiamus, quæ sunt hæc: Numantia quantum Carthaginis, Capuæ, & Corinthi opibus inferior, tantum virtutis nomine & honore par, simulque si viros existimes Hispaniæ decus: quippe quæ sine muro, sine turribus, modice edito in tumulo apud flumen sita, quatuor millibus Celtiberorum quadraginta millium exercitum per annos XIIII. sola sustinuit, nec sustinuit modo, sed sęuius aliquãto perculit, pudẽdisq; vulneribus affecit. Ex his enim constat Numantiam in Celtiberia conditam. Hoc idem de eius situ meminit Claudius Ptolemęus in sua Cosmographia, & Strabo de situ orbis libro tertio sic ait: Sunt & Lusones qui ad ortum spectantes, & ipsi ad Tagi fontes pertinent. oppidum est Areuacorum Segida, & Pallantia, Numantia, quæ ab Augusta Cæsarea (cuius super Iberum situm esse diximus) abest ad stadia octingenta. Ad hanc itaque expugnandam fuerat decretus Consul Caius Mancinus, qui cum exercitum apud Numantiam suscepisset, adeo cuncta prælia infeliciter gessit, vt in supremam desperationem redactus, fœdus cum Numantinis componere coactus sit, quod Senatui populoque Romano molestum ac irritum fuit. quo non acceptato Mancinum tam turpis fœderis autorem nudato corpore, ac manibus post tergum ligatis ante Numantinorum portam iusserunt exponi, ibique vsque ad noctem manens, à suis derelictus, & ab hostibus non receptus, vtrisque miserandum spectaculum præbuit. Videtur autem quod Scipio Æmilianus Africanus, qui per hoc tempus potens in republica habebatur, & Tiberius Gracchus, qui Mancino quæstor erat, ad salutem profuerunt. Sed nihilominus aduersus Scipionem querelæ iactabantur, quod non etiam Caium Mancinum seruasset.

Numantia vrbs, Hispaniæ decus, igne crematur à ciuibus suis.

DELETA itaque Carthagine à Scipione Æmiliano qui Consul erat iam creatus, Senatus circumspecta infamia, qua iam diu Romani in Hispania militauerant, Scipionem Æmilianum, qui secundo Africanus cognominatus est, in Hispaniam, maxime aduersus Numantinos mittere decreuit. Quumque profectus esset, primo infestissimos insolentissimosque Numantinorum animos, superiorum Romanorum ducum culpa auctos, contundere curauit. Sed quum reperisset exercitus voluptatibus omnibus ante eius aduentum occupatos atque corruptos, non magis cum hostibus, quam cum Romanis militibus pugna fuit. Præcepit enim, vt omnia quæ ad voluptatem atque lasciuiam aderant, de castris abiicerentur, & confestim scortorum multitudo de castris amota est. itaque coquorum & scortorum vltra duo millia expulit, adire culinas & tabernas inhibuit, atque iumenta exonerantia fessos venundare iussit, militemque cotidiano labore exercuit: & sic à turpi libidine purgatus est exercitus. nã tãtæ est exercitus virtutis quãtæ

tæ imperator. Igitur Scipio non ilico cum hostibus pugnauit, vt quasi incautos circunueniret, sciens nunquam Numantinos ociosos, sed iugiter ad bella paratos ac expeditos. Vnde milites suos in castris tanquam tyrones exercuit in ludis, & sic totam æstatem hyememque sine pugna transegit, ac deinde redacto, siue exercitato exercitu, ad prælium cum Numantinis descendit. Sed Numantini impetu facto iam Romanos cædebant, & vertebant in fugam, nisi Scipio fugientes vi coactos ad pugnam redire coegisset. Ac tandem cum difficultate maxima Romani fugassent Numantinos, Scipio Numantiam vrbem fossa & obsidione circundedit. Numantini itaque sic obsessi, ac fame coacti, ad vltimum humanis carnibus vescentes, deditionem postremo Scipioni obtulerunt, si tolerabilia & humana iuberet. Quæ postquam à Scipione repudiata sunt, pugnam Numantini petierunt, vt saltem, non vt pecudes, sed vt homines trucidarentur. Quod etiam quum à Scipione negatum esset, Numantini primum vino calefacti confestim duabus portis erumpunt, & contra Romanos acriter insurgunt. atrox diu certamen fuit: & fortasse Romani cecidissent, nisi Scipionis virtus affuisset. Numantini igitur sic certantes, non tamen tanquam fugientes, in vrbem reuertuntur, suorumque corpora à Scipione oblata recipere noluerunt. Postremo de salute desperantes, ne in Romanorum ditionem venirent, clausis ianuis vrbis, totam ciuitatem igne consumpserunt, ipsique pariter vel igne, vel ferro, venenoque mortem oppetierunt. Et sic Romani nulla de Numantinis spolia reportarunt. Nec vnum solum Numantinum victũ in triumpho suo adduxit, nec etiam aurum, argentum, arma, atque vestes, quæ omnia ignis consumpserat, sed tantum de nomine triumphatum est. Numantinum enim victoris catena non tenuit.

Mors Scipionis Æmiliani.

POST deletas vero vrbes, Carthaginem scilicet, ac Numantiam in Hispania, Scipio Æmilianus Aphricanus cognominatus quum in vrbem rediisset, & graues inter eum & Caium Gracchum, cæterosq; Gracchos discordiæ ac simultates successissent, quadam die quum fortis validusque se domum recepisset, mortuus nocte in cubiculo repertus est. Suspecta de ea re fuit vxor Sempronia, tanquam illi ministrasset venenum, & hoc ex eo creditum est, quum præfata vxor soror Gracchorum fuerit: de morte tamẽ eius nulla quæstio facta est. Post cuius mortem multum ciuiles contentiones exarserunt. quo viuente tanta erat eius autoritas apud Romanos, vt nullo pacto sociale ac ciuile bellum oriri posse crederent. Pro huius autem Scipionis morte Tullius librum de Amicitia composuit, in quo introducit Lælium cum Mutio Scæuola, & Fannio generib. suis de amicitia disputantem.

IOANNIS EPISCOPI GERVNDENSIS PARALIPOMENON LIBER OCTAVVS DE GESTIS in ciuili bello inter Marium & Syllam.

De origine Caii Marii & eius moribus.

IN superiori hucusque libro actum est de iis quæ gesta sunt in Hispania à Romanis post Pœnos eiectos à prouincia vsq; ad tempora ciuilis belli, quæ duo fuerunt, Marii videlicet ac Syllæ, & secundo Cæsaris & Pompeii. Et quoniam alterum ab altero dependet, de eorum initiis aliquid nobis dicendum est. Quoniam eorum strages nõ modo vrbem, sed vniuersum quoq; orbem infecerunt, diuersisq; cladibus impleuerunt. Cœperant enim & perantea ciuiles contentiones in vrbe, quæ eam cruentis cædibus maculauerant, à Gracchis initium sumentes ob leges Agrarias. Tulerant enim Gracchi, vt agri inter plebem diuiderentur, quos nobilitas perperam possidebat. cuius rei contentio multos necauit viros illustres in vrbe, inter quos fuit Lucius ille egregius Consul Scipio Æmilianus. qui quum Tito & Graccho aduersaretur, nocte sanus dormiens mane in lecto defunctus est compertus, & creditum est, quod vxor eius, quę Gracchorum soror erat, venenum ei ministrasset. ex hoc etiam plu-

rimus sanguis nobilium effusus est. Ex quorum interitu deficiente nobilitate Marius ad consulatum effectus est. De quo nobis primo, deinde de Caio Cæsare, & Pompeio nobis dicendum est. Caius Marius obscura satis origine ortus, patrem habuit Marium, matrem Felicianam, pauperes homines atque mechanicos, qui in vrbem proficiscens studia vrbana aliquantulum degustauit, reliquo tempore in villa Ticernate, quæ erat in agro Arpinati vitam ab vrbanis viuendi moribus alienã, sed modestam, & priscis Romanorum institutis propriam egit. Primumque in Hispania militauit sub Scipione Æmiliano Numantiam obsidente, vbi & præstantia, & fortitudine videbatur cæteros adolescentes superare. cuius præstantia Scipionem non latuit. Recepit enim eum Scipio apud se egregium forma, sed corruptum rei militatis disciplina emendauit, quem ferunt cum bellicoso hostium duce congredientem, illum ante ora Scipionis interfecisse, quapropter plures dignitates sub Scipione consequutus est. Et cum aliquando post cœnam sermo de imperatoribus fieret, dum iocose Scipionem interrogasset, quem ducem post illum Romanus populus habiturus esset, Scipio leuiter percusso Marii humero, Hunc, inquit. nam magnam de se in adolescentia exhibet experientiam. ab ipsis enim cunabulis futuram auguramur virtutem. Fertur hac Scipionis voce Marium elatum, animum ad rempublicam applicuisse, tanquam diuino quodã oraculo. Inde Marius tribunatum obtinuit fauente sibi Metello Cæcilio, cuius in domo ipse à pueritia ac pater eius ministri fuerant. Inde quum ædilitatem petiuissent, non obtinuit. Quumque Iuliam ex insigni Cæsarum familia ortam in vxorem duxisset, Prætor creatus est, & in prætura mediocres laudes consecutus: post præturam vlteriorem Hispaniam assecutus est sorte. Quumque Cæcilius Metellus contra Iugurtham creatus esset consul, Marium legatum in Numidiam duxit, ibique quum strenue bellasset, magno etiam militũ consensu Consul creatur ad bellum contra Iugurtham, contradicente sibi vniuersa vrbis nobilitate, populo vero assentiente. Opponebatur Mario, quod antecessorum imagines non haberet, atque etiam nouus homo potiores honores in vrbe consequi non deberet: qui septimum consulatum obtinuit, qui primum Consul creatus in Libya erat, ad eumque Sylla Quæstor cum exercitu venit in Libyam. De cuius Syllæ natalibus aliquid etiam nobis dicendum est, vt vtriusque origo per quos incendium ciuilis belli in vrbe cœpit, nobis nota sit.

De origine Syllæ & eius conditionibus.

SYLLA igitur patritiæ gentis nobilis fuit (eius familia iam prope extincta erat maiorum suorum ignauia) qui litteris Græcis atque Latinis doctissime eruditus fuit. Animus illi erat ingens, cupidus voluptatis, sed tamen gloriæ cupidior, & licet otium luxuriosum sectaretur, à negotiis tamen eum nunquam voluptas abalienauit. Causa autem paupertatis parentum Syllæ fuerat, quia vnus ex antecessoribus suis Rufinus nomine cum Consul esset, repertum est in eius domo argentum non bonum, immo falsificatum (quod veteres stultum dicebant) ad libras decem: & quia à lege vetitum erat, à senatu cum omnibus suis remotus fuit, cuius deinde progenies vitam satis tenuem vixit. Qua ex re Sylla pauperrimis parentibus ortus, domum non habuit propriam. Cui etiam pro conuitio dictum fuit, quod postquam diuitias consequutus fuerat, indigne prosperabatur, quomodoque vir bonus esse posset, postquam ex hæreditate paterna nihil accepit. Erat præterea Sylla oculis ardentibus & terribilibus, vultuque albus & rubeus, quo terribilior reddi videbatur. Fuit etiam in adolescentia alacer, cum histrionibus & cum sodalibus rixabatur, ac etiam postquam in ætatem processerat, diuesq; ac potens factus fuit, in theatris & in cœnis cum eis bibebat, & amore captus Nicopolim vxorem duxit: quæ postea moriẽs eum reliquit hæredem, & similiter bona nouercæ suæ post eius mortem ex testamento suo consequutus est, & sic ex consecutis hæreditatibus diues factus fuit. Facũdus etiam, & callidus, & amicitię facilis erat, ad simulanda quoq; negotia aptus, altissimi quidem ingenii incredibilisque, multarum rerum largitor erat, ac maxime pecuniæ, & omnium fidelissimus fuit ante ciuilem victoriam. nunquã enim fortuna industriam eius superauit, multiq; de eo dubitauere, fortior, an fœlicior esset. Igitur Sylla (vt superiori capite dictũ est) postquam in Africam venit ad castra Marii cum exercitu & equitatu, rudis antea & ignarus belli, expertissimus omnium paucis diebus effectus est. Ad hoc milites benigne appellare cœpit, solitus multis rogantibus, & ex se, beneficia dare, & inuitus accipere, sed ea propensius curare, vt si quod mutuum reciperet, redderet, ipse vero à nullo repetere, idq; laborabat, vt ipsi quamplurimi deberent, loca cum humilibus exercebat, neq; quod multorum praua ambitio facere solet, Consulis aut cuiusquam boni viri famam lædere satagebat, tantummodo neminẽ neq; consilio neq; manu priorẽ pati. Quibus rebus breui Mario militibusq; charissimus fuit.

De

De causis dissensionis inter Marium & Syllam.

AGEBAT Marius Romanorum Consul & imperator bellum aduersus Iugurtham Numidarum Regem, quem quum regno pene expulisset, Iugurtha ad Bocchũ Getulorum Regem sibi vicinum confugit, ab eo auxilia postulans, promittensq; tertiã Numidiæ partem si auxilia pręstitisset. Quo audito Bocchus maximo gentium numero collecto in Numidiam venit, & Iugurthæ coniunctus est. Qui ad prælium cum Mario venientes, obtinuit Marius, Numidæq; ac Getuli superati sunt. Quo facto legati à Boccho ad Marium venerunt, petentes vt idem Marius duos fidelissimos de suis ad eundem Regem Bocchum mitteret, atq; velle de suo ac reipublicæ Romanæ commodo differere. ille statim Syllam & Aulum Manlium ire iussit. Qui cum celeres issent, Sylla ad Regem orationem habuit. cui cum Bocchus respõdisset, impetrauit Bocchus ea legatione, vt per Marii medium legati Bocchi Romam mitterentur ad senatum. Habito quidem de infra scriptis pluribusque aliis inter Marium & Bocchum tractatu, Bocchus à Mario per literas petiuit, vt item Syllam ad se mitteret, cuius arbitratu communibus negotiis consuleret. Is igitur Sylla missus est cum præsidio militum atq; peditũ, sagittariis insuper, & fundibulariis, qui accepta tantum leui armatura muniti erant. Postquam enim Bocchus rex & Sylla congressi sunt, Sylla dicit se missum à Consule, ac venisse quæsitum ab eo, pacẽne an bellum agitaturus esset? Tunc Rex post decem dies iterum venire iubet. Exactis deinde decem diebus Rex Bocchus prætextu pacis vocatis Iugurtha & Sylla, statim signo dato, vndique simul ex insidiis Iugurtha capitur, ac cæteri socii sui obtruncantur, atque idem Iugurtha viuus ac vinctus Syllæ traditur à Boccho. Hinc graues & nefariæ seditiones inter Marium & Syllam, quæ fere Romam & vniuersum orbem funditus euerterunt, primordia habuerunt. Nam multi qui contra Marium propter inuidiam accensi erant, Syllæ opera captum esse Iugurtham, ac sibi à Boccho traditũ: Marius vero qui neminem parem in gloria patiebatur, decertabat. Aduersarii vero Marii qui primas maximasque belli laudes Metello, secundas autem & vltimas tribuebant Syllæ, in illum vehementer agebant. Itaque populus qui inprimis Marii partibus fauebat, perculsus terrore Marium deserebat.

De cædibus quas Marius in vrbe fecit.

AVGVSTINVS in 3. lib. de Ciuit. Dei, de malis quæ in Mariano bello Romæ secuta sunt, sic ait in cap. 26. Quum vero Marius ciuili sanguine, iam multis aduersarum sibi partium peremptis, victus vrbe profugisset, vix paulum respirante ciuitate (vt verbis Tullianis vtar) superauit postea Cinna cum Mario. Tunc vero clarissimis viris interfectis, lumina ciuitatis extincta sunt. Vltus est huius victoriæ crudelitatem postea Sylla, nec dici quidem opus est quanta diminutione ciuium, & quanta calamitate reipublicæ. De hac enim vindicta, quæ perniciosior fuit, quam si scelera quæ puniebantur, impunita relinquerentur, ait & Lucanus:

Excessit medicina modum, nimiumque secuta est:
Qua morbi duxere manus, periere nocentes.
Sed cum iam possent soli superesse nocentes,
Tunc data libertas odiis, resolutaque legum
Frænis ira ruit.——

Illo bello Mariano atque Syllano, exceptis iis qui foris in acie ceciderunt, in ipsa quoq; vrbe cadauerib. vici, plateæ, fora, theatra, templa completa sunt, vt difficile iudicaretur, quando victores plus funerum ediderint, vtrum prius, vt vincerent, an postea quam vicissent: cum primum victoria Mariana, quando de exilio se ipse restituit, exceptis passim quaqua versum cædibus factis, caput Octauii Cõsulis poneretur in rostris, Cæsar & Fimbria in domibus trucidarentur à suis, duo Crassi pater & filius in conspectu mutuo mactarentur, Bebius & Numitorius vnco tractis visceribus interirent, Catulus hausto veneno se manibus inimicorum subtraheret, Merula Flamendialis incisis venis Ioui etiam suo sanguine litaret. In ipsius autem Marii oculis continuo feriebantur, quibus salutantibus dexteram porrigere noluisset.

De malis quæ Sylla Romæ operatus est.

DE Syllano quoque bello Augustinus dicto 3. lib. de Ciu. Dei sic prosequitur cap. 27. Syllana vero victoria secuta, huius videlicet vindex crudelitatis post tantum sanguinem ciuium, quo fuso comparata fuerat, finito iam bello inimicis viuetibus crudelius in

pace graſſata eſt. Iam etiam poſt Marii maioris priſtinas ac recentiſſimas cædes, additæ fuerant aliç grauiores à Mario iuuene atque Carbone earundem partium Marianarum. Qui, Sylla imminente, non ſolum victoriam, verum etiam ipſam deſperantes ſalutem, cuncta ſuis alieniſque cædibus impleuerunt. Nam præter ſtragem late per diuerſa diffuſam, obſeſſo etiam ſenatu, de ipſa curia tanquam de carcere producebantur ad gladium. Mutius Scæuola Pontifex, quoniam nihil apud Romanos templo Veſtæ ſanctius habebatur, aram ipſam amplexus, occiſus eſt, ignemq; illum qui perpetua cura virginum ſemper ardebat, ſuo pene ſanguine extinxit. Vrbem deinde Sylla victor intrauit, qui in via publica, non iam bello, ſed ipſa pace ſæuiente ſeptem millia peditum vndecimque inermium non pugnando, ſed iubendo proſtrauerat. In vrbe autem tota, quem vellet Syllanus, quiſque feriebatur. Vnde tot funera numerari omnino non poterant, donec Syllæ ſuggereretur ſinendos eſſe aliquos viuere, ut eſſent, quibus poſſent imperare qui vicerat. Tunc iam cohibita quæ hac atque hac paſſim furibunda ferebatur licentia iugulandi, tabula illa cum magna gratulatione propoſita eſt, quæ hominum ex vtroq; ordine ſplendido, Equeſtri ſcilicet atque Senatorio, occidendorum ac proſcribendorum duo millia continebat, contriſtabat numerus, ſed conſolabatur modus. Nec quia tot cadebant, tantum erat mœroris, quantum lætitiæ, quia cæteri non timebant. Sed in quibuſdam eorũ qui mori iuſſi erant, etiam licet ipſa crudelis cæterorum ſecuritas, genera mortium exquiſita congemuit. Quendam enim ſine ferro laniantium manus diripuerũt, immanius homines hominem viuum, quam beſtiæ ſolent diſcerpere cadauer abiectum. Alius oculis effoſſis, & particulatim membris amputatis in tantis cruciatibus diu viuere, vel potius diu mori coactus eſt. Subuaſtatæ ſunt etiam tanquam villæ, quædam nobiles ciuitates. Vna vero, velut vnus reus occidi iuberetur, ſic tota iuſſa eſt ciuitas trucidari. Hæc facta ſunt in pace poſt bellum, non vt acceleretur obtinenda victoria, ſed ne contemneretur obtenta. Pax cum bello de crudelitate certauit, & vicit. illud enim proſtrauit armatos, iſta nudatos. Bellum erat, vt qui feriebatur, ſi poſſet, feriret: pax autem, non vt qui euaſerat viueret, ſed vt moriens non repugnaret. Quæ rabies exterarum gentium? quæ ſæuitia barbarorum huic de ciuibus victoriæ ciuium comparari poteſt? Hæc Auguſtinus loco iam dicto.

De origine Gnei Pompeii Magni, & eius ſucceſſu.

IAM ad Gnei Pompeii Magni & Caii Iulii Cæſaris ortum ac geſta veniamus, qui è ſuperioribus ciuilibus bellis ortum trahentes, aliam nouam peſtem orbi effuderunt. Et quoniam diuerſa, ac maxima eorum geſta Hiſpania habuit, de eis ac de eorum origine, vt clarior nobis eorum notitia fiat, aliquid deſcribamus. Gneus Pompeius Magnus appellatus alterius Pompeii filius Romæ natus eſt, quum Marius (de quo ſupra diximus) Conſul contra Iugurtham in Africa bellum ageret, anno ab orbe cõdito quinto milleno XCVI. & ab vrbe cõdita DCXLVII. cuius ſuperiori anno M. Tul. Cicero vir præclarus Arpinati natus fuerat. Hic igitur Gn. Pompeius Magnus primo ſub patre Põpeio, ac deinde ſub Sylla militauit. illi ab initio omnes Rom. populi beneuolẽtiæ plurimum contulerunt. fuit enim bellicoſiſſimus, & imagine videlicet ex coma protenta, & lineamento oculorum adeo perſimilis Alexandro, vt à multis Alexander nominaretur. illi vna labes tantum fuit, quæ totius odii ciuilis fuit ſeminarium, inexpleta cupido & auaritia, quoniam ſicuti Cæſar neminem ſuperiorem, ita & ipſe neminem parem volebat. Ei beneuolentia plures aſtricti erant, vitæ continentiam habebat, armorum inſuper peritiam, linguæ perſuaſionem, morum fidem, & conueniendi modeſtiam. Aderat etiam eius gratiis, nihil cum faſtu dare, nihil niſi ample recipere. Adhuc enim adoleſcens, & ſub patre militans, Ariſtiam Ariſtii filiam accepit vxorem. Erat & inſuper populari gratiæ plurimum accommodatus. Poſtea vero quam adoleuiſſet mortuo patre ſub Sylla militauit, & cum Syllam fuiſſet ſecutus, ipſe Sylla obtenta victoria contra Caium Marium Iuniorem cæteroſque partium ſuarum Dictator factus multa in vrbe fecit. Primo enim quod nemo vnquam fecerat, cum XXIIII. faſcibus proceſſit, & rebus nouis remp. confirmauit. Tribunorum plebis poteſtatem minuit, & omne ius legum ferendarum ademit. Pontificium augurumque collegium ampliauit, vt eſſent quindecim. Senatũ ex equeſtri ordine ſuppleuit. proſcriptorum liberis ius petendorum bonorum eripuit, & bona eorum vendidit, ex quibus plurima rapuit: conſtituitque, quod de nullo maleficio homicidioque facto atque fiendo poſſet cognoſci, niſi per ipſum. Bona præterea proſcriptorum formoſis mulieribus, & in cantu eruditis, & hiſtrionibus, ac ſalibus diſtribuit. Puellas item innuptas ac nobiles, inuitas hominib. facinoroſis ac vilibus matrimonio coniunxit. Omnes inſuper ſui exercitus præfectos inſigniuit meritis, hos ad diuitias, alios ad dignitates magiſtra-

giſtratuſq; prouehens, alios abunde donis erexit. Gnei vero Pompeii magnam virtutem admiratus, magnumq; præſidium ſibi fore exiſtimans affinitate eum ſibi iungere curauit. Cui rei cum Metella vxor nutu conſilioq; faueret, Pompeio ſuaſit, vt Ariſtia dimiſſa Æmiliam Syllæ priuignam, videlicet ex ipſa Metella & Scauro genitam ducat. Hęc enim Æmilia dudum viro nupta fuerat, & ex eo grauida erat. Vnde hoc coniugium magis tyrannicum, quam tempeſtati Syllanæ congruum fuit, quanquam Pompeio placeret. Ad ipſum itaq; Pompeium Æmilia per quendam domeſticum adducta, repudiata eſt Ariſtia proba ac miſera, quę dudum etiam patre orbata fuerat, quoniam perantea iugulatus fuerat in Senatu Ariſtius pater propter Pompeium qui Syllanam factionē ſequebatur. Hoc repudium Ariſtiæ mater quum agnouiſſet, mortem ſibi intulit. Vnde noua quædam materia tragicorum hæ nuptiæ viſæ ſunt, quum etiam nupta ipſa apud Pompeiū mox è partu obiiſſet. Hic igitur Pompeius cum valido exercitu à Sylla aduerſus Carbonē, Perpennam, atq; Domitium, cæteroſq; Marianarum partium, qui in Siciliam traiecerant, miſſus eſt: quos deuicit, atq; Perpenna à Sicilia fugatus eſt, & Carbonem ab exercitu Pompeii comprehenſum tribunitio ſubſellio ſedens damnauit, ac occidi iuſſit, ciuitateſq; afflictas recepit præter Meſſanā. Dum itaq; hæc Pompeius ciuiliter in Sicilia adminiſtrat, decretum Senatus, ac Syllæ literæ miſſæ ſunt ad eum, quibus præcipiebatur in Africā traiicere, omniq; manu oppugnare Domitiū, apud quem omnes eæ conuenerant copiæ, cum quibus nuper Marius ex Africa in Italiam rediens rerum potitus erat, tyrannus ex exule factus. Statim igitur Pompeius omni apparatu in expeditionem inſtructo, præfectum Siciliæ Mumium ſororis ſuæ virum inſtituit, atq; à Sicilia cum cxx. longis nauib. proficiſcitur. Hæ quum partim ad Vticam, partim ad Carthaginē applicuiſſent, ſeptem millia hominum ex Mauris ad Pompeium defecere. ipſe enim Pompeius ſex integras legiones in exercitu habebat. Domitius autem contra inſtructo exercitu vallem quandam grauem & aſperam ſuperaturus, ab imbre validiſſimo, ventoq; qui matutinis inſpirabat, detentus eſt. Vnde ea die pugna deſperata à Domitio ad ſtationes reditum eſt. Sed Pompeius ratus ad tempus ſibi congruere, agmine citato vallem inuadit, tum Mariani tumultu facto, nullo ordine ſubſtitere, neq; omnes plane manſere. Ventus præterea circunſtabat, procellam inſuper propellebat, nihil tamen minus ea hyems Syllanos perturbabat, quoniam ſe adinuicem mutuo videre non poterant. Hocque Pompeius ferocius bellare ſatagebat, quum eius nomen adhuc fuiſſet incognitum, & ſic magna cæde hoſtes vrgebat. Fertur enim ex tribus ac viginti millibus tria tantum millia effugiſſe. Deinde Pompeius Magnus appellatus eſt. Quum vero ſic eum vniuerſi milites appellare cœpiſſent, exclamauit, Non ſum itaque dignus tali nomine, quo ad vſque vallum hoſtile ſtaret: ſiq; dignum eum tali appellatione iudicarent, vallum deiicerent. mox impetu facto in vallum irruere. quo in conatu Pompeius priori periculo monitus non ſine galea certauit. Vallum tandem captum eſt, periitq; ibi Domitius. Ciuitates vero aliæ confeſtim paruere, aliæ vero vi captæ ſunt. Percurrit denuo Pompeius Africam Numidiamq;. per quadraginta enim dies, poſtquam ſuperius bellum geſtum eſt, totam obtinuit Africam. concurrerunt deinde omnes Africæ Reges ad Pompeium, & frequens inter eos factus eſt, & inter plures arbiter multa iudicauit.

Pompeius quomodo Magnus ſit appellatus, & in Hiſpaniam mittitur.

POMPEIVS igitur quum Vticam confecto bello Africano rediiſſet, ecce literæ ſibi à Sylla ſunt redditæ, quibus iubebatur, vt reliquo dimiſſo exercitu ſucceſſorem expectaret, & cum vna legione Romam venire properaret, in quibus tacite ipſe triſtatus eſt, ægreque id tulit, ſed manifeſte totus exercitus eius eſt motus indignatione maxima. Deinde orante Pompeio vt iuſſa exequerentur, cœperunt obiectare Syllam, Pompeiumq; non permiſerunt ſine exercitu vniuerſo abire, dicentes, Syllæ tanquam tyranno non eſſe credendum. Pompeius igitur tentauit eorum animos mollire ſedareq;, ac perſuadere vt iuſſis obtemperarent. Sed poſtquam perſuadere id nequit, à ſubſellio in ſtationē deſcendens ceſſit illachrymans, ſed milites arreptum in ſuggeſtū reponunt. Suggeſtus enim eſt locus, in quo Reges ſedere conſueuerunt pro magnis rebus tractandis. Hac itaq; altercatione plurima diei pars aſſumpta eſt, volentibus illis manere eum, & imperare. E cōuerſo antem Pompeio exhortante vt Syllæ iuſſis abſq; ſeditione parerent, tandem non deſinentibus illis, ſed arctius vrgentibus, preceſq; cum clamore admiſcentibus iurauit Pompeius ſe ipſum interfecturum, ſi vim afferret. quo illos pacto vix acquieſcere coegit. Cæterum ad Syllam per primum nuncium allatum eſt Pompeium defeciſſe. Re tandē certius cognita compertaque, vt aduenienti Pompeio vndique viri omnes obuiam irent,

eumque beneuolentia cum ampla pompa prosequerentur, mandat: præuenire tamen eum Sylla accelerauit. Profectus ergo,& illi obuiam factus, quam lætissime dexterā iunxit,eumque ingenti voce Magnum Pompeium salutauit, iussitq; omnibus qui tum aderant, vt similiter Magnum eum appellarent. Alii dicunt cognomen hoc primum in Africa ab vniuerso exercitu illi inditum, deinde vim atque consuetudinem ex hac Syllæ affirmatione habuisse. Pompeius tamen longo post tempore Procōsul in Hispaniam missus est aduersus Sertorium qui illam detinebat, & in eius epistolis actisque se Magnum Pompeium scripsit. Neque hoc cuipiam admirationi sit. nam consueuerunt Romani nō hos solum qui præclara confecerant bella,quiue strenue manu vsi sunt,sed eos etiam qui rempublicam consiliis ac virtutibus suis decorarūt,huiuscemodi cognomentis sæpe exornare. Duos enim populus Romanus cognominauit maximos: Valerium, quod patres à plebe dissidentes conciliauit: Fabium Tullium, quod diuites quosdam viros è libertis genitos è Senatu amouit.

De Sertorio & Appio Metello.

ERAT in Hispania ea tempestate Sertorius qui illam diu tenuerat,& ciuili bello adhæserat partibus Marianis,tremendus hostis Syllæ cæterisque suæ factionis. Aduersus Sertorium diuersi duces missi sunt,quos Sertorius valide superauit. Denuo aduersus huius rabiem Appius Metellus vir clarissimus missus est,& quidem bellicosissimus ac sapiētissimus,satisq; Marco Lepido dissimilis, sed nimis grandi cura implicitus propter senectutem. ob hanc enim tardus nimium erat ad bellum,Sertoriusque propter velocitatem ac promptitudinem sæpius grauitatem eius deluserat. Ex qua etiam re Senatus decreto Magnus Pompeius in Hispaniam missus est, vt Sertorium comprimeret Pompeius. itaq; Proconsul à Senatu ordinatus contra Sertorium, iam Magnus cognominatus, quum in Hispaniam venisset Proconsul, primum Appio Metello se in præsidium disposuit. Interim tamen Hispanos populos Sertorio parum donatos seu beneuolos solicitare cœpit,& quosdam ad defectionem adduxit. ex quo fertur Sertorium dixisse quam insolentissime, virga & loro sibi opus esse ad puerum Pompeium castigandum, nisi vetulū pertimesceret,de Metello sene locutus. Hoc itaq; verbum iactauit: factus est tamen de cætero Sertorius cautior,metuque Pompeii cautius in hostem ferebatur. Metellus quidem (quod incredibile erat) propter senectutem deliciis omnibus & voluptati fræna laxabat. Vnde crescebat Pompeii gloria ac beneuolentia in ea militari disciplina, qua milites tenebat, quoniam non magno degebat apparatu. Natura enim sobrius fuit,& à cupiditatibus longe abstinens: verum belli fortuna varia est. Cœpit enim Pompeius Vylauronam vrbem. nam putabat Pompeius Sertorium circunuenire, ex quo gloriam quam maximam sperabat,in cuius spem maxime elatus multa iactauit. prospexerat enim Pompeius ante suos oculos vrbem captam & incensam,castraque sua à Sertorio circundata. Sertorio enim spem fecerant Perpenna & Eninus maximi duces, qui à Pompeio ad Sertorium profugerant,illique se socios belli addiderant. Quo audito Pompeius eos vsque in vrbem Valentiam fudit atque fugauit,in qua fuga vltra decem millia hominum interemit. Ex qua re Pompeius spem,simul & gloriam consecutus,elatus victoria,mox in ipsum Sertorium festinat irruere,ne gloria Metello impartiretur. iuxta ergo Sucronem amnem, sole iam ad occasum vergente,copias ad pugnam ambo duces instruxere. Metellus enim & Pompeius ambo cupientes belli gloriam,alter alterum præuenire in bello cupiebat,Sertorius etiam,vt cum solo pugnaret,studuit. Conserta itaque pugna est,tandemque æquo Marte dirempta. vterq; enim alterum cornu strauit. verum ex duobus maiorem gloriam reduxit Sertorius: nam solus aciem oppositam in fugam vertit. In Pompeii vero cornu vir permagnus equo ex pedestri comitatu Sertorii obuiam Pompeio egressus, postquam ad conflictum ensium peruentum est,pugnauit cum Pompeio,dissimili tamen plaga, quoniam ad manus quum venissent,Pompeius saucius factus est ensis ictu,hosti vero à Pompeio est amputata manus. Quamprimum deinde postera dies illuxit,ambo duces simul acies instruxerunt,proximæ pugnæ victoriam quisque suam fuisse asserens,sed ex aduētu Metelli soluto exercitu abiit Sertorius. Cæterum Pompeius quum priuatim ad hoc bellum multa exposuisset,pecunias à Senatu postulat,addens,ni mittant,se cum copiis in Italiam reuersurum. Lucullus tunc consulatum gerebat,qui vir licet à Pompeio dissentiret,quoniam in Mithridaticum bellum mitti affectabat,in mittendis pecuniis studet, timens ne Pompeio redeundi materia esset, qui dimisso Sertorio cupiebat etiam Mithridatem inuadere,Regem gloria splendidissimum,hostemque: quod credebat facile obtinere.

De mor-

De morte Sertorii & Perpennæ.

SERTORIVS igitur poſt clariſſimas res in Hiſpania geſtas, ſicut à principio omnium Hiſpanorum animos ad ſe flexerat, ita poſtea ab ipſo deſciuere. Huius autẽ defectionis autor Perpenna fuerat, qui tanquam nobilitate familiæ præſtantior, Sertorio inuidebat, principatumq; affectabat, ſermoneſque pandebat in detractionem Sertorii. Ex quibus inquinamentis ciuitates quædam Hiſpaniæ à Sertorio defecerunt, effecitq; vt indies minus Sertorio pareretur: auxitque indignationem Hiſpanorum immenſa Sertorii ab initio humanitas in crudelitatem conuerſa. Is enim quum ab initio pueros Hiſpanorum obſides ſibi aſſignari iuſſiſſet, & in Oſca vrbe tenuiſſet, illos liberalibus ſtudiis, aliiſq; bonis artibus erudiebat. Deinde vero in eorum indignationem crudeliter conuerſus, quũ alios necaſſet, alios vendidiſſet, magnam exinde populorũ indignationem contraxit. Qua opportunitate comperta, Perpenna in eiuſdem mortẽ cœpit conſpirare. Qui quum multos ſibi aſciuiſſet, Manlium quendã ex Sertorianis ducibus ad hoc ſibi adiunxit. Hic tum forte adoleſcenti cuius amore detinebatur, hæc omnia pandit, & hac ſpe elatus, cæteris amatoribus omiſſis ſibi vni ſe addiceret, hortabatur, maximam confeſtim potentiã habituro. Adoleſcens cuidam Aufidio amatori qui ſibi gratior erat, hæc aperuit. Quæ quũ audiſſet Aufidius, obſtupuit (nam & ipſe vnus ex coniuratis erat) ignorabat tamen Manliũ iſta ſentire. Perpennam vero & quoſdã alios de quibus ſibi notum erat, nominãte adoleſcente, conturbatus ſermonẽ abrupit, & inſanum contemnendumq; Manlium dixit, qui ita vanas fictiones inducat. ipſe autem ad Perpennã profectus, rem, pro vt audiuerat, & quanta celeritate opus foret, expoſuit. Rem igitur aggreſſi conficiendam, nuncium induxerunt victoriam quandam vnius ex Sertorianis ducibus & cædem magnam inimicorum ſignificantem. Ad quem exhilaratus Sertorius quum immolaſſet, Perpennã ipſum & alios qui aderant (hi erant omnes coniurati) ad cœnã inuitat exoratque. Mos erat Sertorio in conuiuiis plurimã ſemper honeſtatẽ decoremq; ſeruare, nec videre quicquam turpe, nec audire ſuſtinebat, docueratq; omnes ſuos ab omni maledicto ac iurgio abſtinere, ſed placide ac modeſte ioco vti. Tunc igitur in medio conuiuii rixæ initiũ quærentes, aperte verba turpia flagitioſaq; iactabant, & ficta ebrietate multa ſceleſte agebant, vt Sertorium prouocarent. Sertorius vero ſiue quod grauiter ferebat inconcinnitatẽ eorum, ſiue quod ipſorum mentes ex tarditate loquendi & inconſueto contemptu animaduerteret, mutato diſcumbẽdi modo ſe ſupinum diſpoſuit, quaſi nec videre quicquam vellet, nec audire. Perpenna autem phialam meri in medium proiiciente, & ſtrepitu inde facto, quod erat ſignum coniuratis datum, Antonius qui ſupra diſcumbebat, gladio Sertorium percutit. Conuerſi vero ad plagam, & inſurgere conantis in pectus ruit, manuſque ambas capit, ne reſiſtere valeret. per hunc modum à multis confoſſus occiditur. Maxima Iberiæ pars Metello & Pompeio poſt mortem Sertorii ſeſe tradit. Eos qui manſerant Perpenna ſuſcipiens, aduerſus inimicos bellum gerere adortus eſt, in quo ſtatim ſui experientiam dedit, vt viri nec ad parendum, nec ad imperandum apti. Nam fretus Sertorii apparatibus aduerſus Pompeium congreſſus, breui ſuperatus fuit & captus. Nec vltimam quidem fortunam ingenue tulit: ſed quum haberet Sertorii literas, Pompeio promiſit, virorum conſularium & qui plurimum Romæ poterant, epiſtolas propria manu ſcriptas, per quas cupidi nouarum rerum Sertorium in Italiam vocabant, ſe oſtenſurum. Sed Pompeius non vt iuuenis, ſed vt grauis, & prudentis animi vir, eas quidem literas nec legere ipſe voluit, nec à quoquam vt legerentur permiſit, ſed ipſas omnes in vnũ collectas cremauit. Quod eius factum multos ciues periculo, & magnis nouitatibus patriam liberauit. Perpennam inſuper ſtatim occidit, veritus ne vulgatis quorundam nominibus turbationes & ſcandala orirentur. Reliquorum vero qui Sertorianæ necis conſcii fuerant, alii ad Pompeium deducti mactati ſunt, alii in Libyam profecti, à Mauruciis interfecti fuerunt: nec quiſquã euaſit præter vnũ Aufidiũ Manlii riualẽ. Hic .n. ſiue latẽs, ſiue neglectus in quadã barbariæ villa, inops inuiſuſq; conſenuit. Neq; præterire libet in factis Sertorii, quod dum ab Hiſpania veniſſet in oppidũ Tanginũ in Libya, ibiq; vidiſſet ſepulchrũ Antei, nõ credidit facile vulgationi barbarorũ de illius corporis magnitudine: quod vbi effodi feciſſet, repperit illius oſſa longitudinis LXX. cubitorũ. res quidẽ auditu ſtupẽda. Poſt mortẽ itaq; Sertorii Perpenna celſior habitus eſt, qui imperiũ occupãs aduerſus Pompeiũ ſe inſtruit. Põpeius igitur extemplo exercitũ eduxit, deceq; cohortes in eſcã hoſtiũ miſit, iubẽs vt paulatim per agros in cõſpectu Perpẽnæ vagarẽtur. quas vidẽs Perpẽna rerũ inſcius, illas paſſim inſequitur: Põpeius vero inſtructa acie irruẽs conſerta pugna oĩm victor fuit. Quũ vero pleriq; primorũ Perpennã cepiſsẽt, Põpeius ad ſe addu-

ctum occidi iuſſit, non immemor eorum quæ in Sicilia contigerant, quemadmodum à nonnullis criminatus eſt. In huius enim captura Pompeius maxima arte ad omnium ſalutem vſus eſt. Perpenna enim quum in poteſtate literas omnes cæteraque Sertorii monumenta habuiſſet, epiſtolas quorundam clariſſimorum virorum ciuium Romanorum propalauit, qui ad res vrbis innouandas ſtudebant, in Italiamque Sertorium vocabant. Pompeius ergo timens ne ex his maiora ſuſcitarentur bella, quam quæ iam reſtinxerat, Perpennam trucidauit, & epiſtolas omnes à nemine inſpectas incendio tradidit. His peractis Pompeius quum Hiſpaniam, & maxime Celtiberiam deambulaſſet, omnes tumultus innatos oppreſſit, incendiaque rerum extinxit. Poſt hæc vero Pompeius Romam rediit, ibique triumphum petiit. cui ſe obiecit Sylla: Conſuli enim tantum, & non Proconſuli aiebat triumphum lege permitti. vnde Scipio quum magnis & arduis præliis ſuperauiſſet in Hiſpania Carthaginenſes, triumphum nõ poſtulauit: nondum erat Conſul, aut id bellum ſuis gerebatur auſpiciis. Obſtabat præterea triumpho Pompeii, quia vix pubeſcebat, quiue ob ætatem nondum in Senatum admiſſus fuerat. omnino ſibi gloriam inuidioſam erat pariturus, principatuſque ſuus ab vniuerſis ciuibus ægre perferendus erat. Hęc aduerſus Pompeiũ Sylla obloquebatur, veluti illi nõ aſſenſurus, ſed contentione ſua impediturus rogationem. Non tamen Pompeius ob hoc territus eſt, ſed quum denuo inſtaret Pompeius, admiratus iuuenis fiduciam bis acclamauit, Ergo triumphet. Qua ex re quum indignatio complures caperet, grauiterque id ferretur, optans Pompeius eos grauiori moleſtia afficere, conatus eſt curru à quatuor elephantibus ducto triumphum ducere, anguſtiori tamen porta vrbis prohibitus equis vſus eſt.

De Marii morte.

QVONIAM de ciuili bello Marii & Syllæ diximus, de eorum quoq; factione ac morte dicendum videtur. Marius igitur poſtquam de exilio ſe reſtituit, quum magna Romanos ſtrage, ac nece vrbem fœdaſſet, omnia pariter diuina ac humana confundens, ſeptimum Conſulatum aſſumpſit, quod nemini Romanorum adhuc contigerat. Qui quum magiſtratum cepiſſet ad Kalendas Ianuarias, quibus annus incipitur, quendam Sextum Lucillum præcipitem dedit. quod ipſi & vrbi magnum fuit augurium ad futuras calamitates. Ipſe autem Marius corporis laboribus atque ſollicitudine perterritus, quia multa pericula expertus fuerat, animi ferocitatem amiſit, exiſtimans in ſe crimen rediturum. Nam Sylla, qui ipſum Marium patria expulerat, ad Mithridatemque potentiſſimum Regem fugere compulerat, Romam repetebat. Huiuſmodi mentis agitationibus Marius affectus, quum ante oculos errores, exilia, periculaque maris ac terræ adduceret, in varias dubiaſque partes diſtrahebatur, & nocturnis turbulentiſque ſomnis perterrebatur. Videbatur enim continuo quendam audire dicentem, dura ſunt cubilia leonum. Sed quum maximè vigilias pertimeſceret, intempeſtiuis potationibus & ebrietatibus indulgebat, tanquam per ſomnum animi cogitationes vitaturus eſſet. Cui quum quidam nunciaret ea quæ apud mare per Mithridatem ac Syllam facta erant, nouis timoribus perculſus, partim futura timens, partim tanquam præſentium vulnere male affectus, paulo poſt exilium reſtitutus, vt Poſidonius philoſophus ſcribit, in malam valetudinem incidit. Caius autem Piſo vir hiſtoricus memoriæ literarum tradidit, Marium poſt cœnam cum amicis deambulantem in ſermonem de rebus ab eo geſtis veniſſe, & à rerum primordiis incipientem, ſæpiuſque de vtraque fortuna diſputantem dixiſſe, non ſanę mentis hominem eſſe qui fortunæ ſeſe committeret. Poſt hæc appellatis læto vultu qui aderant, quum per ſeptem dies paulatim deficeret, diem obiit. Quidam ferunt eius ambitionem in ipſa mala valetudine omnino detectam in vanam ſpem euaſiſſe. putabat enim ſe in Mithridatico bello imperatorem eſſe. Deinde (quemadmodum in ipſo languore corporis accidere ſolet) varias in corpore mutationes cum gemitu ac multis vlulatibus patiebatur. Sic adeo ingens cupiditas magiſtratus illius belli eum ceperat, vt nulla conſolatione curari poſſet. Duos ac ſeptuaginta annos natus obiit, primuſque omnium Romanorum fuit, qui ſeptimum Conſulatum attigerit. qui quum domum magnificam inſtruxiſſet, quæ multis regiis ædibus clarior erat, fortunam ſuam crudelem appellabat, quod priuſquã conſilia deſideriaque ſua peregiſſet, morte obiret. Septimo igitur die ſui ſeptimi Conſulatus Marius diem clauſit extremum, cuius mors ſtatim Romam magna lætitia atque exultatione affecit, ex eo quod graui tyranide liberata eſſet.

De

De Syllæ obitu.

LVCIVS Sylla postquam omnia mala, quę multis voluminibus descripta fuerũt, peregisset, voluptati ac ebrietati ad vltimum datus electis maximi pretii ferculis, potationibusque, in quibus vinis quadraginta annorum vtebatur, inter quas potationes Metella vxor eius obierat, & cum aliam Valeriam, quæ per antea diuortium cum viro suo fecerat, amore captus duxisset vxorem, ac vitam suam ageret cum cantoribus, tibicinibus, & histrionibus, cæterisque ad voluptatem pertinentibus, ad vltimum mala valetudine correptus est, atq; grauatus propter phlegma, quod adeo viscera sua putrefecerat, vt fœtorem emitterent, & quidem maximum, ac eius corpus pediculis totum abundans erat: nec tonsores continue radẽtes eos remouere valebant. Nam illis remotis alii plures pullulabant vestes eius implentes, & intra oculos eum etiam molestabant, cui nec balnea, nec alia remedia proderãt, & sic pediculis afflictus erat quotidie. Pridie vero quàm moreretur, quum Granium quendam potentissimum ciuem Romanum, qui magnam pecuniam populo Romano debebat, audisset solutionem tergiuersari, atque ipsius Syllæ mortem expectare, ad se accitum hominem in secretiorẽ locum adduxit, accersitis deinde ministris, vt illum necarent, præcepit. Ipse vero Sylla cum clamore ac totius corporis contentione laborasset, disrupto quod gestabat apostemate, maximam vim sanguinis effudit. qua de causa vehemẽter debilitatus, atq; omnino viribus amissis, magna anxietate nocte illa vitam ducens mane obiit. Aderat enim eius morti Pompeius, qui licet contra Syllam simultates haberet, maxime quum Sylla ostendisset, se minus beneuole haberecum Pompeio ex testamento (aliis enim munera legauit, alios filiorum curatores instituit, sed Pompeiũ omisit) tulit tamẽ hoc omnino Pompeius modeste nimis, placideq;, non obstante quod Lepidus Consul, cęterique nonnulli cõtradicerent, ne Sylla in Campo Martio sepeliretur, neve funus fieret publica impẽsa. Pompeius suo præsidio gloriam simul defensionemq; funeri attulit: & corpus eius in campo Martio sepultum est, & statua magna ad eius similitudinem posita est, & epitaphium positum, quod ipsemet fecerat, videlicet: NVLLVS MEVS AMICVS ME BONITATE SVPERAVIT, NEC INIMICVS MALITIA. Filios præterea duos gemellos reliquit (vt dictum est) Faustum & Faustam, & ex Valeria post eius mortẽ nata est puella, quæ more Romano Posthuma est appellata.

IOANNIS EPISCOPI GERVNDENSIS PARALIPOMENON LIBER NONVS DE CIVILI BELLO INTER CÆSAREM ET Pompeium, & eorum progressibus vsque ad Augustum Cæsarem.

De origine Caii Iulii Cæsaris.



CAIVS Iulius Cæsar ex patre Lucio Iulio Cæsare ortus est, qui Marianæ factioni adhærebat. Erat enim Marius senior cognatus Lucii Cæsaris, quoniam Iulia soror Cæsaris vxor Marii erat, cuius respectu suæ factioni adhæsit, qui Lucius interfectus est à Sylla, dum vltimo in vrbem intrauit. Erat quidem ex nobilissima Iuliorum familia, à Syluio Posthumo Æneæ Veneris & Anchisæ filii, & Lauinia Latini Regis filia ortum trahens. In cuius familiæ laudem Caius Iulius Cęsar dum orationem haberet, in laudem amitæ Iuliæ, vxoris siquidem Marii senioris, sic ait: Amitę meæ Iuliæ Marii senioris vxoris maternum genus ex regibus ortum, paternum cum diis immortalibus coniunctum est. Nam ex Anco Martio sunt Martii reges, & à Venere sunt Iulii, cuius gentis familia nostra est. Est ergo sanctitas in genere regum, qui plurimum inter homines pollent, & ceremonia Deorum, quorum in potestate sunt ipsi reges. Erat itaque Caius Iulius Cæsar annorum sexdecim, cum illi mortuus Lucius pater, & cum à principio ignoraretur, in quas partes declinaret. Cossutiam ex equestri familia, quæ primo Prætextato desponsata erat, duxit vxorẽ, ipse autẽ satis inops habebatur: postea vero Cossutiã vxore repudiata Corneliã Cinnę filiam, qui quarto Consul fuerat, vxo-

rem duxit, posteaquam Pōtifex factus est. Quam cum Sylla voluisset repudiari à Cæsare, quia hoc renuit, sacerdotium & vxoris dotem publicauit, & gentilitiis hæreditatibus mulctatus est. aduersarum enim partiū habebatur. Vt etiam discedere è medio conaretur, tamen morbo quartanæ aggrauāte prope per singulas noctes mutare latebras cogebatur, seque sæpius ab inquisitoribus pecunia redimebat, donec per Mamercum Æmilium, & Aurelium Cottam consanguineos & affines, ac per Vestales virgines, quarum summa tunc erat autoritas, Sylla deprecatus multis tandem ac validis precibus acquieuit. Vbi illud memorabile contigit, quod cum Sylla diutius obstitisset, neque vllus esset precandi finis, victus ad vltimum exclamauit vel diuino oraculo, aut coniectura humana: Vincite itaque, atque habetote vobis cunctisque nobilibus hoc damnosum donum: prædico autem vobis, quoniam hic quem adeo enixe saluum vultis, optimatum partibus quas vos mecum defendistis, erit quoque excidio. in Cæsare enim multi sunt Marii. Suetonius etiam Tranquillus vitam Cæsaris describens sic ait: Etiam cultu notabilem ferunt. vtebatur enim lato clauo & nimium fimbriato, sed tamen supra eum cingebatur, & quidem fluxiore cinctura, quoniam Romanis mos erat, vt stricte cingerentur: vnde emanasse dicitur Syllæ dictum ad Pompeium cæterosque nobiles suæ factionis, vt male præcinctum puerum cauerent. Vnde etiam legitur illud Ciceronis, cum post ciuile bellum interrogaretur, cur ita aberrasset Pompeium Cæsari præferendo, Præcinctura (inquit) me decepit. Militauit ergo adolescens in Asia primum, deinde in Græcia, ac Cilicia, nunc clara fama, nunc obscura. Audita autem Syllæ morte & nouandarum rerum spe trahente, Romam rediit. Sed ciuili motu præter spem compresso ne nihil ageret, Cornelium Dolabellam virum consularem ac triumphalem accusauit, quo iudicio magnam sibi eloquentiæ famam acquisiuit, sed multum inuidiæ. Quam vt leniret absentia, absoluto reo rebusque præter vota fluentibus in insulam Rhodum se transferre disposuit, vt simul & otio operā daret & literis apud Apolloniū Molonē virum clarissimū, tunc facundiæ præceptorem: sub quo Cicero ipse Romanæ princeps eloquentiæ didicisse creditur. Sed dum eo nauigat, captus est à piratis, & familiaribus omnibus præter tres Romam remissis ad redemptionis suæ pecuniam procurandam, mansit cum prædonibus dies circa quadraginta non sine tristitia & indignatione grauissima. Cumq; illi ex conuictu familiaritate orta eum percontarentur, quid eis, si in sua potestate essent, faceret: respondebat iocanti similis, se illos crucibus affixurum, idque tacitus facere iureiurando etiam confirmauit. Cum vero comitibus & seruis Roma redeuntibus quinquaginta talenta pro redemptionis precio persoluisset, libertati redditus classe ilico conquisita illos attigit comprehenditque: in quibus iam tum secuturæ lenitatis & clementię gustum dedit. Nam quum & sontes plectere, & iuramentum seruare fixum esset, modum excogitauit, quo vtrunque leniore supplicio compleretur. Itaque iugulari illos primum, post exanimes crucibus iussit affigi. Nec per otium publicas res neglexit. Mithridate enim Asiam infestante congregatis auxiliis obstitit, & præfectum regis Asiæ pepulit, & prouinciam conseruauit. His exactis Romam rediit, primusque illi honor fuit tribunatus militum, in quo quidem imminutam à Sylla tribunitiam potestatem restituere summo studio nisus est.

Caius Iulius Cæsar Quæstor in vlteriorem Hispaniam missus est.

POST præmissa igitur Cæsar à Senatu in vlteriorem Hispaniam missus est Quæstor factus. Qui cum venisset in Gades, vbi Herculis erat templum summa veneratione celebratum, in quo erat imago Alexandri Macedonis, quam imaginem cum Cæsar diutius contemplatus esset, vehementer indoluit, quod ætate illa, quam ipse tunc ageret, Alexander famam sui nominis in fines terræ extendisset, à se vero nihil adhuc dignum actum esset, ideo petiit à Senatu, vt pro eo mitteretur, cupiens esse, vbi maioris famæ materiam inuenisset. Romam itaque reuersus fœdo ilico turbatus est somno. visus enim sibi est per somnium dormiens cum matre concumbere. Est hæc quidem vna humanarum miseriarum, vt quamuis verum sit quod ait Cicero, quodque de Homero scribit Ennius, plerunque ea videre dormientes, de quibus sæpissime vigilantes sint soliti cogitare & loqui: tamen illud certissimum est, solere se quieti hominum visiones fœdas, ac turbidas, & à somniante anima peregrinas offerre, vt quod nunquam vigilantes cogitarent, quodq; potius quam facerent, mori eligerent, consopiti facere videantur. Patefacta igitur visione, illi quorum vafrum fallaxque est artificium, ad coniecturas redigentes, æstimatis (vt credo) viri moribus ac natura, consentanea interpretatione magnalia terrarum & orbis imperium significari somnio dixerunt, quod ea scilicet quam sibi subditam

ditam habuisset, nihil aliud esse nisi terra parens publica, sicut experientia perhibet. ad amplissimam itaque spem incitauerunt. Quod ego potius narro, quia sic ab aliis scriptum inuenio, quam quod verum credam, virum tanti animi, tantæque prudentiæ ad immensam spem somnio inani ac nocturno phantasmate, aut omnino circulatorum fallaciunculis incitatum. Ad quam implendam quanta fortuna, quanto ingenio, quantis bellicis artibus, quantisque laboribus, quantis denique rebus aliis opus fuisse quam somnio, quis non videt? Dehinc Ædilis factus est, quo tempore in suspicionem magnam venit, vt non modo semel, sed pluries cõspirasse crederetur cum viris insignibus, vt totum statum reip. perturbaret. Numerabatur enim inter Catilinæ coniuratos, sed vel pœnitentia, vel metu, seu morte conspiratorum effectu consilium caruisse. In ea enim ædilitate multa fecit insignia ad ornatum vrbis. quorum omnium ipse solus excluso collega populi gratiam consecutus est, speransque sibi nihil negatum iri, tẽtauit extra ordinem Ægyptum prouinciam adipisci, quod Alexandrini regem suum solio deiecisẽt. Sed ab optimatibus impeditus, vt quo poterat modo se de illis vindicaret, in illorum contemptum Caii Marii noui hominis trophæa de Iugurtha scilicet, ac Cimbris, atque Teutonis, quæ Sylla hostili superbia euerterat, reparauit. perdita itaque spe Ægypti Pontificatum maximum petiit non absq; fluxu munerum ingenti. Ita iam ambitio Romanum orbem inuaserat, vt iam tunc Pontificatus pecunia venderetur. Qua in re quum ipse sibi non sufficeret, alienum æs, & quidem non modicum mutuauit. Quod deinde secum existimans, cum in campum mane candidatus descenderet, matri eum deosculanti dixisse traditur, Domum nisi Pontifex nõ reuertar. Reuersus est autem Pontifex duobus clarissimis competitoribus superatis, ętate & dignitate præstantibus. Interea Cæsar de coniuratione Catilinæ, quod, cum ipso Lucio Catilina cæterisque viris illustribus coniurasset, à Lucio Vectio, & Q. Curio accusabatur: asserebatque Vectius se ostensurum chirographum Cæsaris Catilinæ pro coniuratione oblatum. quod tamen Cæsar ægre ferens confutatis accusatoribus liberari obtinuit, & pręmia illi decreta à Senatu, Vectiusque & Curius grauiter mulctati sunt & priuati honore. Allegauit enim Cæsar innocentiæ suæ testem Consulem Ciceronem, cui præfatę coniurationis multa reuelauerat. His peractis Cæsar Prætor in Hispaniam decernitur. Tanta vero fuerat eius inopia, vt sequestraretur Romæ à creditoribus, impediretur que, quominus posset in præturam proficisci, nisi quia oblatis fideiussoribus permissus est in Hispaniam ire. quam profectionem quum peregisset, compositis prouinciæ rebus, pacatisque simultatibus quæ in ea fuerant, etiam successore non expectato, properat Romam redire petiturus consulatũ triumphumq;. Sed quum legibus vtrunq; petere prohibitus esset, omisso triumpho consulatum petiit cupidus rerum gerendarum.

Caius Iulius creatur Consul, sibique decernitur prouincia Galliarum, & Illyricum.

FACTVS est itaq; Consul cum M. Bibulo, quem collegam facta cõtentione legis Agrariæ, cum Bibulus dissentiret, foro armis eiecit. Vnde Cæsar solus rempub. gubernabat nemine prorsus obstante, & si quis obstitisset, non tamen minis sed factis quoq; exterreret. in quibus Marcum Catonem virum tantæ sapientiæ & virtutis actibus suis contradicentem, manu lictoris exactum curia mitti fecit in carcerem, quo euntem illum Senatus prosecutus est, non aliter quam si vnius in persona capti omnes viderentur. Sunt etiã qui dicant, vestem quoque velut in luctu publico permutasse. qua quidem tanta veneratione ac pietate (nisi fallor) iniuria carceris cõpensata est, vt optabile fuisse videatur Catoni, sic in carcerem duci, vnde mox sic educeretur. Siquidem hæc Senatus tanta consensio Cæsarem ipsum mouit, vtq; ait Valerius, diuini animi perseuerantiam flexit. Et quanquã hic aliquantulum fines Hispaniarum rerum egressi fuerimus, quia tamen rerum factorumq; Cæsaris ac Pompeii in ipsa Hispania magna stat copia, ipsius Cæsaris vitam, originemque ciuilis belli pernecessarium est attingere. Igitur Cæsar initio cõsulatus sentiens inuidiam contra se laborantem, & Consulibus à senatu prouincias nullius laboris & gloriæ decretas, idq; in se vnum fieri cogitans, & ad suam, sicut erat, iniuriam trahens, quod collegam scilicet ista non tangeret, atque incẽsus cupiditate vindictæ, Gneum Pompeium Magnũ, tunc Senatui infensum, quod Mithridate perdomito ad ipsius Pompeii honores silẽtium habuisset, omni obsequio promereri studuit. Vtque solidior Gneus esset, M. Crassi amicitiam vetusto odio interuptam ex consulatu quem ambo diffidentissime gesserant, resarcire visus est. Effecitque solito ac solerti ingenio, vt ipsi tres in repub. vnum essent: ratus, vt quę eis placuissent, nullus rescinderet. nec eum fefellit spes. Vtque amicitiam consangui-

nitate firmaret, filiam suam Iuliam Pompeio coniugem dedit, & vndique sibi adminicula coaceruans ipse Calphurniam Lucii Pisonis successuri sibi in consulatu filiam in matrimonium accepit, generique atque soceri suffragiis fultus ex omnibus prouinciis Gallias atque Illyricum præelegit, amplissimam quidem opum viam, atque vberrimam materiam triumphorum: nō quod Senatus ei transalpinam Galliam libens daret, sed veritus ne à se negatam populus largiretur, & quod suum nollent munus, fieret alienum. Necdū itaque inuidia quiescente iam profectus in prouinciam accusatus ab æmulis procurauit, vt absens reipublicæ causa vocari ad iudicium non posset, posuitque in animum, omnes qui ad magistratum ascensuri essent, sibi amicos efficere, atque nullum adiuuare, sed pro viribus impedire, nisi qui sibi pollicerentur se eius amicitiam defensuros, ita vt à nonnullis iusiurandum ac chirographum non vereretur accipere. Audiens vero Lucium Domitium Consularem candidatum, qui eum Prætor anno altero vexare voluerat, iactare solitum se, quod prætor nequisset, Consulem effecturum, sibique exercitum erepturum, illius consulatum impediendi viam vnam meditatus, nouos amicos Pompeium & Crassum ad se Lucam iure amicitiæ euocatos induxit vt anni instantis consulatum peterent, quatenus tantis competitoribus ille succumberet. Prouidensque in posterum, ne quid in se liuor posset hostilis, illud quoque suffragatoribus tantis obtinuit: imperium à senatu sibi in quinquennium prorogari, quæ quidē res & in Gallia, & in Italia, & in toto orbe magnorum motuum causa fuit. His enim ad vota fluentibus iam securior & despexit aduersarios, & legionibus nouis pro arbitrio conscriptis, omne quantumlibet periculosum & graue belli genus aggressus, Gallicum bellum per annos decem exercuit, de quibus ipse latius in suis commentariis meminit, quæ Franciscus Petrarcha lucidius & explanauit & abbreuiauit in libro de viris illustribus, cum vitam & gesta Cæsaris latius descripsisset. Et quoniam in ciuili bello bis Cæsar Hispaniam ingressus est, vbi res bellicas mirifice gessit, primo aduersus duces Pompeianos, Lucium Afranium, Marcum Petreium, ac M. Varronem, secūdo aduersus Pompeii liberos progressus, eiusdem Cæsaris saltem summatim & compēdiose narraturi sumus, ac deinde ciuilis belli initium, ex quibus mala bellorum tum in Hispania, tum alibi successere.

Initium ciuilis belli Caii Iulii Cæsaris, & Pompeii.

EGIT itaque Cæsar (vt diximus) bellum Gallicum annis decem, cuius finis initium ciuilis belli fuit. Peracto siquidē bello Gallico, in ipso temporis discursu Pompeius, qui Romæ remp. administrabat, ab antiqua Cæsaris amicitia discessit, amicosq; Cæsaris cœpit multipliciter infestare. Hanc causam ciuilis belli multi autores tradunt, quod Pōpeius parem in rep. Cæsar autem dominum recusarent. Præstitit autē causam dissensionis Iulia filia Cæsaris Pompeii vxor, quæ abortiuo vno filio obiit, vinculumq; affinitatis solutum, quo perantea fuerant fœderati. Soluta itaque coniūctione inter Cæsarem & Pompeium per obitum Iuliæ vxoris Pompeii ac filiæ Cæsaris, Pompeius solus remp. administrare cupiens amicos Cæsaris cœpit multipliciter molestare, & etiam vrbe pellere. Multa itaque clam contra Cæsarem dicta tractataque sunt, inter quæ illud est de Labieni defectione. Procurauit itaque Senatus Pompeiusque, vt Labienus à Cęsare deficeret, quod effectum fuit. Erat quidem Labienus legatus Cæsaris, qui in Gallico bello multa & præclara peregerat. In Senatu quoque multa tractabantur in damnum Cæsaris, nouæque viæ quærebantur, quibus potestas Cæsaris quæ iam multis formidabilis esse cœperat, tolleretur, aut certe minueretur. Siquidem cunctis iam magnificentia & liberalitate Cæsarea stupefactis, & quid his rebus tantis & tam late effusis sibi vellet secum tacitis meditantibus, nec loqui aliquid audentibus, M. Claudius Marcellus Consul, cui aut amore publico, aut vero priuato odio dignitas Cæsaris ac potestas inuisa erat, frequenti Senatu testatus de salute reipublicæ se acturum definiuit: vt quum bellum in Gallia finitum esset, dimitteretur victor exercitus, & quisquam ante tempus successor Cæsari mitteretur qui in pace prouinciam gubernaret, ipse vero sine imperio rediret. Addidit etiam ne absentis ratio comitiis Consularibus haberetur, quod licet communi lege de omnibus cautum esset, lege tamen Cæsar exceptus erat. ita ergo sublata erat exceptio. Et non contentus Consul iniuria Cæsaris in personam illata, iis quoque quos Cęsar ciuitate donauerat, adimendam iudicauit, ambitiosam & immodestam concessionē asseuerans. His & aliis turbatus Cæsar, nec immerito, cogitansque quod sæpe dicere solitum fama fuit, operosius multoque difficilius principem à summo dignitatis gradu ad media deiici, quam à mediis ad extrema, non cedendum, vt Africanus maior fecerat, sed obstandum statuit inuidiæ, & turbare potius omnia quam exemplo illius, quamuis laudatissimo, inuictū ab hostibus vinci à ciui-

ei à ciuibus. Sed donec iure potius quam bello agendi ſpes ſuperfuit, quieſcendum ſtatuens, patienter quidem, ſed rectius diſſimulanter cuncta ſuſtinuit, & quoniam non niſi verbis offenderetur, adhuc verborum quoque defenſionem parans, è collegio tribunorum Caium Curionem multa ſibi ac profuſa largitione quæſiuit, ne quando vel in Senatu, vel ad populum deeſſent ſuæ cauſæ defenſores. Cum vero iam multi Cæſaris, nec non alii Pompeii formidarent potentiam, ſæpe Curio ipſe Senatui obtulerat, vt vterque ſimul ab armis abſcederet, atque ad ęquam ciuilitatem pariter remearent, itaque demum ſecuram liberamque remp. fore: idque non ſolum pollicitus, ſed etiam contentioſe niſus eſt efficere, certus de Cæſaris voluntate, qui idipſum à Senatu literis petiit, vt ſcilicet aut ſibi populi Romani beneficium integrum ſeruaretur, hoc eſt imperium cum legionibus, aut cæteri ſaltem duces in eadem conditione eſſent, exercituſque dimitterent. Ad hocq; plurimum inducebat Cæſarem fides, quam ad ſuos veteranos habebat, quod hoc faciliter poterat polliceri. ſciebat enim eos quacunque ſua neceſſitate ei non eſſe defuturos. Tantam enim cum eis Cæſar longo vſu familiaritatem contraxerat, vtque erat eis affabilis & animorum rapax, quod hæc ab eis poterat ſperare. Sed tamen neque per ſe, neq; per tribunos quod petebat obtinuit, obſtantibus fautoribus partis aduerſę qui nullum Pompeio parem pati poterant. Incidit in hoc tempus Senatuſconſultum prima æquum fronte, re autem iniquum, vt duæ quidem, vna ſcilicet ex Pompeii, altera ex Cæſaris legionib. ad bellum Parthicum mitterentur. En in verbis ęqualitas, in rebus autem iniquitas. Siquidem quum Pompeius vnam ex ſuis, quibus ipſe præerat amicitiæ iure Cæſari conceſſiſſet, illam bello Parthico deputauit verbo non animo, eamque repetiit: eam Cæſar remiſit, & ex ſuis miſit vnam. Ita Pompeium nulla, Cæſarem vero duabus legionibus imminutum nemo fuit qui non intelligeret. Tulit tamen cum etiam cum aduerſariis paciſci voluit, vt tranſalpina Gallia & Illyricum cum duabus tantum legionibus, & nomen imperii remaneret, donec Conſul fieret. Denique eo vſque ſubmiſit excelſum animum, vt qui Cæſarem non noſſet, ſuſpicari eum poſſet belli metu ad iſta deſcendere, quo nihil erat ab illius viri moribus ac mente remotius, ſed tantum illi ſtudium fuit, vel exercendæ, vel ſimulandæ modeſtiæ, vt quiduis videri potius eligeret quam publicæ tranquillitatis euerſor. Cumque obſtinatos ad negandum cerneret, Senatum ſibi aduerſum, & è ſuis inimicis deſignatos iam Conſules, audiretq; Tribunos qui ſibi adhærebant, nihil poſſe, imò propter ſe periculo atq; odio expoſitos, nō amplius differendum ratus: ne autem ſui periclitaretur, aut ipſe cunctatione vileſceret, diſpoſitis more ſolito per hyberna legionibus, vltimo tranſitu ex Galliis in Italiam rediit. Quo cum veniſſet, inuenit illas duas legiones ſub obtentu Parthici belli ſibi ereptas, nec ad bellum profectas, ſed in Italia detētas, quin & Pompeio aſſignatas. Quod ad euidentem Cæſaris iniuriam pertinere, non ſolum ipſe vir talis, ſed quicunque de populo perpendebat, adhuc tamen tacitus proceſſit, conuentibuſque peractis, vt ſolebat, Rauennam venit vrbem ſuæ prouinciæ ab ea parte nouiſſimam, vt neque terminos ſuos excederet, & proximus eſſet aduerſariis, & paratus vlciſci, ſi quid forte ſui odio in Tribunos inimici ſui decreuiſſent. Et hoc quidem belli ciuilis initium, hæque fuerunt cauſæ, aliquam fortaſſe non paruam iuſtitiæ faciem habentes (ſi qua vnquam eſſe poteſt iuſtitiæ cauſa patriam oppugnandi) quamuis ab aliis minus iuſtæ cauſæ quædam afferantur, ſed odium manifeſtū teſtimonii fidem leuat. Gneus igitur Pōpeius gener atque hoſtis factus Cæſaris dicit eum, ideo quod non poſſet opera incepta perficere, neque de ſe populi expectationem adimplere, ideo turbare omnia voluiſſe, ne in turpitudine veritas appareret. Fuere qui timuiſſe illum dicerent, ne eorum quæ primo conſulatu contra leges geſſerat, rationem reddere graui ſuo periculo cogeretur, cum M. Cato iſte vltimus, cuius virtus & grauitas comminationem eius non minus terribilem quam cuiuſcunque conſulis faciebat, palam diceret ac iuraret, ſe nomen Cæſaris, mox vt priuatus ipſe inciperet inter eos delaturum, ſiue hoc publicæ ille iuſtitiæ ſtudioſus, ſeu propriæ memor iniuriæ. Vnde iam in vulgus effuſum erat, idem Cæſari euenturum quod Miloni, vt circumſeptus armatis apud iudices, ſeu ex vinculis cauſam dicat. Aliis viſum eſt, eum ſpatio plurimorū annorum imperio aſſuefactum dedidiciſſe priuatum modum, & ſola cupidine dominandi in bella ciuilia conceſſiſſe. Hæc eſt enim diuerſitas opinionum in cauſa Cæſaris, quam Tullius diuerſis in locis damnat. Franciſcus vero Petrarcha in libro de viris illuſtribus Cæſarem excuſat, adducens ad hoc plurimas epiſtolas ſignanter Tullii. Ad hiſtoriam igitur reuertamur.

Quomodo Cæſar à Rauenna fines populi Romani aggreditur, & in vrbem properat.

QVVM Rauennæ igitur Cæſar ſubſtitiſſet, ne prouinciæ ſuæ terminos tranſgrediendo aperte agere contra rempubl. videretur, audiens Tribunos qui pro eo erant, contemptui habitos, & vel vi vrbe depulſos, vel ſua ſponte digreſſos, Romæ omnes vnanimiter contra ſe ſentire, omnia ſui odio diuina atque humana miſceri ac peruerti, ſe quoque per patientiam contemptum iri cogitans, neque iam amplius ferendum diſſimulandumque aliquid exiſtimans, euocatis legionibus vbicunque eſſent, præmiſſiſque clam cohortibus quæ aderant: ſero tamen clandeſtino egreſſu ſecretum iter paucis comitatus arripuit, in quo quum nocte tota deerraſſet, vix ad auroram ducem aliquem caſus obtulit. Quo primo ad rectum iter à perplexo ac difficili calle reuerſo, inuentiſque cohortibus quas præmiſerat, ad Rubiconem venit amnem exiguum, ſed magnarum tunc limitem regionum, ibique parumper cogitabundus ſubſtitit ſecum tacitus, examinans quantum opus aggrederetur. Tandem verſus ad comites, Adhuc, inquit, cœptis reſiſtere & reuerti licet: & ſi riuum hunc tranſgredimur, ferro nobis gerenda ſunt omnia. ibi hærens dubiuſque animi huiuſcemodi viſione firmatus eſt. Quidam ſibi & ſtatura & ſpecie corporis ſupra humanum modum ſubito viſus eſt, qui amnis ad ripam ſedēs paſtoria modulabatur arundine. Ad quem, vt alias non viſum, cum paſtores locorum & quidam quoque militum conueniſſent, ille ſubito vnius è manu tubicinum ere ptatuba, vehementi inflatu increpuit. Motus ergo tāto ſpectaculo, Eatur ergo, ait, eatur, quo deorum prodigia atque hoſtium notat iniquitas. cœpta res eſt. Hæc dicens tranſiit, ac traduxit exercitum, Ariminumque vrbem proximam longa pace tranquillam attigit, & patentibus portis introgreſſus, tribunis plebis qui propter eius odium pulſi ſibi obuiam veniebant aſtantibus, concionem habuit ad exercitum in medio fori. Fuit autem concio efficaciſſima, ſciſſa (vt ferunt) veſte veris ſeu fictis cum lachrymis ad ſuam dignitatem contra inuidiam hoſtium conſeruandam, fidemque militum implorans, & ingentia promittens. Cæſarem itaque Arimini agentem Lucius Cæſar adoleſcens adiit, qui patrem habebat Cæſaris legatum. is à Pompeio ad Cæſarem miſſus erat iure amicitiæ quæ inter eos erat. Ea vero huiuſmodi fuere: Excuſare ſe Pompeium Cæſari, & poſcere ne ea quæ pro Reipublicæ ſtudio atque amore geſſerit, ad iniuriam ſuam trahat. carum enim eſſe ſibi Cæſarem, ſed Rempublicam rebus omnibus cariorem & eſſe, & ſemper fuiſſe. Similiter & Cæſari etiā caram eſſe debere vt priuatus ſuas iniurias ac inimicitias Reipublicę remittat. ne tam grauiter iraſcatur, vt dum hoſtibus vult nocere, patriæ immeritæ noceat: idque ita facere, ad ſuum decus eximium pertinere. Ad ea Cæſaris reſpōſio paulo longior fuit. Rememorauit iniurias pro multis in Rempublicam meritis ſibi illatas, paratum ſe tamē omnia Reipubl. condonare, ita tamen, vt decedant omnes ab armis, & ad ciuilitatem ſolitam reuertantur. Proficiſcatur ergo Pompeius in Hiſpaniam prouinciam ſuam, dimittantur exercitus omnes per Italiam, arma deponant, ceſſent motus & metus publici, ſit togata ciuitas, non armata, ſe quoque æquiſſimo animo quieturum, iniuriaſque omnes & contumelias obliturum. Ad hæc tamen facienda & iureiurando confirmanda petiit, vt Pompeius accederet, vel ſe accedere pateretur. ſperare enim ſe, colloquio & conſpectu mutuo omnes controuerſias finiendas. Hac itaque reſponſione in ſcriptis in Senatu redacta, reſponſum eſt à Pompeio, vt Cæſar quamprimum in Galliam reuertatur, exercitumque dimittat. quo facto iturum in Hiſpaniam Pompeium: alioqui nihil de delectibus armiſque omiſſuros Conſules. Hinc pacis deſperatio & belli præludium viſum eſt. Erat interea ad cuſtodiam Arimini ciuitatis Actius Varus, quem decuriones Ariminiani ſummo adeunt conſenſu, dicuntque notum ſibi eſſe Cæſaris aduentum, neq; verò propoſiti ſui eſſe ſuorumq; ciuium, neq; rationi conſonum videri imperatorem populi Romani, talem virum, de imperio ſic meritum, tot victoriis inſignem mœnibus amicæ vrbis arceri: orant, vt famæ, vt ſuo ſuorumque diſcrimini, dum tempus eſt, conſulat. His permotus Varus, & perniciem timens, fugā arripit, & inſequentibus Cæſaris militibus prælio decernere coactus, ac deſertus à ſuis ſolus abiit, quibuſdam eorum domum, aliis vero ad Cæſarem confugiētibus. quos Cæſar collaudatos benigne ſuſcepit, & Lucium Pupium centurionem partis aduerſæ ad ſe adductum ilico relaxari ac dimitti iuſſit. Ariminum ingreſſus ciuibus gratias egit, atque illorum erga eum caritatis non immemorem ſe futurum ſpondet. Quibus Romæ cognitis tantus pauor omnium mentes inuaſit, vt ab vrbe omnes fere abſcederent, ipſique Conſules, atque ipſe Pompeius, actum ſuis de rebus opinantes, & ex vnius oppidi euentu omnia metuentes. Mirum valde, vnde in tam paruis animis tam magna ſuperbia, vt eius viri meritos honores ac gloriā tam pertinaciter detrectarent, cuius nec conſpe-

conspectum certe, neque viciniam pati possent, & talem patriam solum ad illius nomen vniuersali animorum conseruatione desereret. sed vrgebat hinc inuidia, inde autem terrebat fama viri, quæ eousque creuerat, vt clementissimus omnium præ omnibus atque ab omnibus timeretur. His ad Ariminum gestis Picenum omne (cuius olim Asculum, hodie Ancon est caput) nullo vsquam contradicente peruagatur, sed cunctis sibi vrbibus atque oppidis obuiam mittentibus, lætoque eum atque exercitum eius obsequio ac fauore prosequentibus. Diffuso itaque metu, simul & fama virtutis, & vulgato horum de quibus diximus exemplo, cæteri omnes sequebantur. vndique fiebant deditiones, & si quis præfectorum contradiceret, capiebatur aut pellebatur. Itaque pulsus ex Hetruria Libo, Thermus ex Vmbria, ex Asculo Lentulus, captus & Gneus Magius præfectus fabrûm. Et quũ Magius ad Cæsarem ductus esset, & supplicium formidaret, Cæsar eum placato animo dimisit, &, Vade (inquit) ad Pompeium, eique meis verbis nũcia, quoniam ad hunc diem non fuerit nobis opportunitas colloquendi, atque ego Brundusium, quo iuisse illum audio, profecturus sum, credo, vt colloquamur, expedire publicæ saluti, cuius curam gerere maxime nostrum est. Non est autem par effectus, per nuncios de longinquo, atque inter præsentes ista tractari, quod cõspecti vultus, & viuæ voces ad mouendos animos multũ possint. Occupato sine ictu gladii Piceno Corfinium progreditur. ibi contentionis plusculum fuit. Pendente tamẽ obsidione, Lentulus per murum egressus, & finem metuens ad Cæsarem venit, sibi atque intrinsecis veniam petens. Ad quem Cæsaris responsio fuit: Non se, vt cuiquam malefaceret, venisse, sed vt ab inimicorum malitiis atq; iniuriis tueretur, ac tribunos plebis sui odio in exilium actos in suam reponeret dignitatem, denique vt seipsum ac populum Romanum ex paucorum tyrannide conculcatum antiquæ redderet libertati. Oppido tunc præerat Lucius Domitius vir magni animi, sed exiguæ fortunæ & bello promptus, sed infaustus. is defensionem parãs, sed ab oppidanis ad deditionem coactus, quum mori mallet, venenum à seruo medico poposcit. quod ille nec dare volens, nec negare ausus, vt qui domini mores nosset, poculum somniferum pro veneno obtulit: quo ille hausto graui sopore resolutus conquieuit. Experrectus postmodum, & delusum se intelligens, vixque à seruo manus abstinens, cum multis nobilibus qui secum sentiebant, vinctus ad Cæsarem est perductus, mori appetens: quem Cæsar ilico solui iussit, neue quis eorum à militibus re vel verbis offenderetur, inhibuit, questusque breuiter, quod pro suis ingentibus & in illos & in Rempub. meritis referre sibi debitam gratiã neglexissent, & iniurias ac cõtumelias retulissent, cunctos dimisit incolumes. quin & pecuniæ pondus ingens Domitii depositum, & ab oppidanis oblatum, quãuis & pecunia publica esset, & in stipendium numerata, Domitio restituit, ne sanguinis, quam pecuniæ abstinentior videretur. Nihil postremo ex ea victoria, vel prædæ cuiuspiam, vel vltionis accepit, nisi quod Domitii milites sacramento adegit, non inuitos (vt arbitror) sed eo libentius iurantes, quo fœlicius est sub victore, quam fugaci duce militare. Vulgatis nanq; quæ ad Corfinium acta erant, multum metus omnibus demptum, multumq; spei additum est cognoscentibus, Cæsarem nihil bello nisi victoriam petere. Vnde (vt diximus) & Tuscorũ populi, & omnis Vmbria pulsis inde præsidiis ad Cæsarem transiere.

Pompeius à Luceria digressus Brundusium Apuliæ petiit, eum Cæsar insequitur & obsidet.

His itaque rebus more Cæsaris velociter gestis ac prospere, cum iam secum Gallia omnis Cisalpina sentiret, magnas Italiæ partes primo occupauit aduẽtu. Sed cum spes cæteris omnibus, soli Pompeio ac Senatui additus timor fuerit, qui Pompeius ac Senatus in Domitio multum momenti reposuerant, & sæpe eum per literas euocatum expectabant. Itaque confestim his cognitis Pompeius Luceria digressus, vbi belli sedem constituisse videbatur, Brundusium petiit, vt Italiæ littore in extremo promptior esset ad transitum. Ita enim animo decreuerat relicta Italia transmarina tentare, siue id solo metu pellẽte, siue intentione illa, quia ibi tutior esset ab hoste. Cæsar autem semper propinquus atq; contiguus hostibus esse festinans, non nisi septem dierum mora ad Corfinium exacta, eo ipso die quo Domitium captiuosq; dimiserat, motis castris in Apuliam perrexit. Et quoniam Cæsar inter omnes exactos de clementia laudatur, quum à quibusdam amicis Cornelio Balbo, Oppio fuisset per literas collaudatus de iis quæ Corfinii gessit, ipse sua illis epistola me hortatu digna respondit per hæc verba: Cæsar Oppio Cornelioque salutem. Gaudeo me hercle, vos significare literis, quam valde probetis ea quæ apud Corfinium gesta sunt. Consilio vestro vtar libenter, & hoc libentius, quod mea sponte facere consti-

tueram, vt quam leniſſimum me præberem, & Pompeium darem operam vt reconcilia-rem. Tentemus hoc ſi poſſumus omnium voluntates recuperare, & diuturna victoria v-ti, quoniam reliqui crudelitate odium effugere non potuerunt, neque victoriam diutius tenere, præter vnum Lucium Syllam quem imitaturus non ſum. Hæc noſtra ſit ratio vincendi, vt miſericordiâ nos muniamus. id quemadmodũ fieri poſſit, nonnulla mihi in mẽtem veniunt, & multa reperiri poſſunt. De his rebus rogo vos, vt cogitationem ſuſcipiatis. Gneum Magium Pompeii præfectum deprehendi, ſcilicet meo inſtituto vſus ſum, & eum ſtatim miſſum feci. Iam duo præfecti partium Pompeii in meam poteſtatem venerunt, & à me miſſi ſunt. Si volent grati eſſe, debebunt Pompeium hortari, vt malit mihi eſſe amicus quam illis, qui illi & mihi ſemper fuerunt inimiciſſimi, quorum artificiis effectum eſt, vt Reſpub. in hunc ſtatum peruenerit. Ciceroni præterea qui etiam ſibi de hoc ſcripſerat, factumque laudauerat, qui ſe inter partes ad hæc medium, licet magna animi fluctuatione, & multa conſiliorum varietate, conſtituerat, reſcripſit per hæc verba: Cæſar imperator Ciceroni ſalutẽ dicit. Recte auguraris de me (bene enim tibi cognitus ſum) nihil à me longius crudelitate. Atque ego cum ex ipſa re magnam capio voluptatem, tamen meum factum probari abs te triumpho, gaudeo. Neque illud me mouet, quod ii qui à me dimiſſi ſunt, diſceſſiſſe dicuntur, vt mihi rurſus bellum inferrent. Nihil enim malo, quam & me mei ſimilem eſſe, illos ſui. Quum itaque Cęſar Apuliam attigiſſet, mox Brunduſium adiit, Pompeiumque iam prægreſſum valida obſidione circumdedit. De quo idem Cæſar ſupradictis ſcribit per hæc verba: Cæſar Oppio Cornelioq; ſalutem. Ad ſeptimũ Idus Martias Brunduſium veni, ad murum caſtra poſui. Pompeius eſt Brunduſii. miſit ad me Gneũ Magium de pace, quæ viſa ſunt reſpondi. Hæc vos ſtatim ſcire volui. Quum in ſpem venero, de compoſitione aliquid me conficere, ſtatim vos certiores faciam. Et quoniã propter nauium penuriam mari eum obſidere non poterat, timens hoſtis fugam, famoſiſſimũ maximumque illum portum ſaxorum molibus iniectis obſtruere niſus eſt, opus non tantum hominum, ſed naturæ improbum atque inextricabile. Quum vero exitu eum prohibere illo modo natura ipſum prohibente non poſſet, catenis os portus præcluſit. Sed nec ſic detinere valuit Pompeium, quin mari Hadriatico Dyrrachium nauigaret.

Cæſar Romam intrat, & inde in Hiſpaniam properat.

QVVM itaq; intellexiſſet Cæſar Pompeium à Brunduſio digreſſum fugatumq;, cum non poſſet eum cõmode ſequi propter nauium penuriam (vt dictũ eſt) Brunduſium ingreſſus eſt, ibique concionem habuit, qua iuſtitiam cauſæ ſuæ iniuriaſque hoſtium omnibus aperiret. Quo facto cum ſua illis in locis inutilis mora eſſet, ne quod ſibi tempus otioſum efflueret, vrbem Romam verſus iter arripuit, toto belli Gallici decennio non viſam. Cuius aduentus fama cognita quantus Romæ terror fuerit, non facile dictu eſt: multo quidem maior, quam neceſſe fuerat. Iratus ſiquidem multis erat, & fortaſſe non immerito, ſed iratiorem exiſtimabant. Non enim naturaliter, neque niſi magnis ex cauſis ad iracundiam pronus erat. Venit igitur Romam Senatumque habuit ex iis patribus qui domi ſubſtiterant, ibi perpetuam dictaturã ipſe ſibi ſua autoritate arripuit. Vnde Cæſaris dictatoris nomine multa quoque conſtituit, in quibus pro lege voluntas fuit. Illud inter cũcta memorabile eſt. nam ærariũ populi Romani, quod tot victoriæ, tot ſecula compleuerant, vno die exhauſit, interque alia (vt ſcriptum eſt) protulit ex eo latorum aureorũ viginti & ſex millia, non theſaurizandi cupiditate, ſed largiendi. Nam (vt alter ait) nemo liberalius victoria vſus eſt, nihil ſibi retinuit præter diſpenſandi poteſtatem. Compoſitis itaque rebus vrbanis, vt melius viſum eſt, animum ad extrema conuertit, atque in primis Siciliã atque Sardiniam, illa duo horrea populi Romani, per legatos adminiſtrare diſpoſuit, de Gallia nihil ſolicitus, quam in ſumma pace reliquerat: ſolam reſpexit Hiſpaniam, cogitãſque quum primum claſſis opportunitas affuiſſet, veſtigiis Pompeium aſſequi, ne quid à tergo formidabile relinqueret. Decreuit ergo in ipſam Hiſpaniam proficiſci, vbi Pompeii copiæ ingentes erant, quarum præſidio Hiſpania omnis tenebatur ſub legatis tribus M. Petreio, Lucio Afranio, & M. Varrone. Eo vero in Hiſpaniam pergente, Maſſilia fœderata ciuitas, & ab ipſo principio amiciſſima populi Romani, non ſui odio, ſed ingenti ſtudio Reipublicæ portas clauſit. quam ille quum obſidione cinxiſſet, Decium Brutum adoleſcentem, & C. Trebonium legatum cum parte copiarum ad eam oppugnandam reliquit. Caium Fabium legatum cum tribus legionibus quas Narbonæ circumque ea loca hyemandi cauſa diſpoſuerat, præmittit ad occupandum Pyrenæi ſaltus, celeriterque ab eo occupati ſunt, qui eo tempore à Lucio Afranio præſidiis tenebantur. Reliquas legio-

legiones, vti longius hybernabant, subsequi iubet. Afranius enim se continebat ad oppidum Castillionem non longe à Pyrenæi saltu, loco vocato à modernis Pertusio, supra collem vbi nunc arx constructa est. Diuisa siquidem Hispania erat inter tres præfatos Pompeii legatos, quoniam Afranius præsidebat à Pyrenæo Castillioneq; citeriori omni Hispaniæ: Petreius vero ab Ana flumine (nunc Godiana dicto) vsque ad Cantabros (qui Nauarri sunt) Oceanumque: Marcus vero Varro Lusitaniam Bæticamque obtinebat. Fabius itaque (vt fuerat imperatum à Cæsare) à Narbona primo aduentu Pyrenæum occupat, præsidiumque à saltu deiecit, magnaque celeritate ad exercitum Afranii contendit. Afranius vero intelligens colle Pyrenæi occupato, patere aditum Cæsari in Hispaniã, ab agro Emporitanensi properat coniungi Petreio ac Varroni, communicatoque consilio de aduentu Cæsaris statutum est, vt Petreius cum duabus legionibus coniungatur Afranio, Varro vero aliis duabus legionibus tutetur omnem vlteriorẽ Hispaniam: statutumque insuper est, vt bellum ad Ilerdam geratur propter loci opportunitatem. interim Petreius à Lusitania per Vectones (qui Legionenses sunt) cum legionibus & omnibus amicorum auxiliis ad Ilerdam vrbem citerioris Hispaniæ properet. Interea Cæsar occupato Pyrenæo à Fabio Emporium vrbem ingressus est. Erat enim vrbs regionis metropolis in duas diuisa vrbes & mœnia: vna quidem fuerat ad mare, quæ Græcam habuerat originem cum Massiliensibus ex Phocensibus, & ea etiam Græco idiomate loquebatur: altera, quæ fuerat Celtiberorum ad Occidentem versus, hæcque regionalium colonum fuit. Vtraque vero suo vallo, suisque mœnibus, ac seiunctis custodiis tutabatur. In ea siquidem vrbe Cæsar ab vtrisque acceptus benigne, timens ne si ab hinc digrederetur, vrbs propter Pompeianorum amicitiam Massiliensiumque affinitatem deficeret, tertiam vrbem addidit. instruxit siquidem vrbem ad Meridianum vtrique, Græcæ & Celtiberorum vicinam, quam ex Romanis instruxit, & Romanorum coloniam effecit in præsidiũ regionis. Cæsar igitur his compositis occupato omni Emporitano & Gerundensi agro ad Ilerdam properat secutus Afranium Petreiumque.

Prælia Cæsaris apud Ilerdam vrbem, cum L. Afranio, & Marco Petreio.

QVVM itaque peruentum esset ad Ilerdam, erant exercitus Afranii Petreiique cum vrbe coniuncti. Est enim Ilerda ciuitas sita inter duo flumina, Sicorim & Cingã. Cæsar itaque duos pontes astruxit ad Sicorim amnem quatuor milliaribus inter se distantes, per quos exercitus pabulatum iret, quum magna pars eorum quæ fuerant citra Sicorim, consumpta fuerit. Itidemque Pompeiani fecere, propter eaque sæpius inter se equestribus præliis contendebant. Cæsar igitur castra posuerat inter duos amnes Sicorim & Cingam supra vrbem, ad eam partem vbi oppidum Baleaguerum situm est. ibi in Sicori duo pontes erant à Fabio constructi. Quumque Fabii duæ legiones irent præsidio pro more eorum, qui vltra flumen pabulantur, quum transissent pontem vrbi proximum, prę multitudine iumentorum sequentium, & vi aquarum pons interruptus est. Quod vbi intellectum est à Pompeianis, quatuor legiones missæ sunt ab Afranio vrbi ac castris, vt fortunæ beneficio vterentur ad opprimendum duas Fabii legiones. Re itaque nunciata Lucio Planco qui duabus legionibus Fabianis præerat, necessaria re coactus locum capit superiorem, omnemque comitatum in duas diuidit acies, ne ab equitatu circumueniri faciliter posset. Ita Plancus hostium impetum satis dispari numero sustinet. Commisso itaque prælio ab equitibus, signa legionum duarum procul ab vtrisque conspiciuntur, quas Fabius vlteriori ponte subsidio suis miserat, suspicatus id quod accidit: quarum aduẽtu prælium dirimitur, ac vterq; reducit suas legiones in castra. Post vero, die scilicet tertio, refecto iam prope ponte qui fuerat interruptus, relicto præsidio in castris pontibusq;, triplici instructa acie ad Ilerdam proficiscitur, & sub castris Afranii constitit. At Cæsar vbi paululũ sub armis constitisset, exhibet de se opportuno loco pugnandi facultatẽ: quã opportunitate facta Afranius copias educit, & in medio colle sub castris constitit. Cæsar autem vbi cognouit Afranium prælium respuere, ab infimis radicibus montis intermissis quadringentis circiter passibus castra ponere constituit, & ne milites in opere faciendo impedirentur incursionibus hostium, propugnacula in castris fieri prohibuit, quæ à procul cernerentur, sed constitutis aciebus prima & secunda ante castra, fossam latitudinis pedum quindecim fieri iussit. Adstantibus itaque duabus aciebus ante castra ne opus inceptum videretur ab hostibus, tertia à tergo acies opus fossę perficiebat. Sic omne opus perfectum est, antequam ab Afranio perciperetur. Vespere itaque facto Cęsar legiones intra hanc fossam reduxit, & omne per circuitum opus patentibus propugnandis à cæteris le-

gionibus fieri iussit,& interim legiones expeditas contra hostes constituit. Afranius ita-
que atque Petreius quum intellexissent inceptum opus,terrendi & impediendi causa co-
pias suas ad infimas montis radices producunt, vt prælio Cæsarianos lacessant. Neque ta-
men Cæsar opus intermittit,confisus præsidio trium legionum, quas in armis habebat,&
fossæ:ipsi tamen non diu ibi commorati, nec ab infima collis radice digressi copias in ca-
stra reducunt. Erat itaq; in vrbe Ilerda, ac prope vbi Petreius & Afranius castra habebāt,
mons planiciem habens desuper passuum trecentorum, atque in ipsius planiciei medio
planicies paulo eminentior. quem tumulum Cæsar cogitauit occupare, & communire,
sperans ab eodem loco & occupare pontem, & commeatum ab vrbe à castris Afranii &
Petreii prohibere. Hoc cogitans legiones tres Cæsar à castris eduxit ad occupandū col-
lem, acie in locis idoneis instructa, atq; vnam legionem ad occupandū collem procurre-
re iubet. Qua re ab Afranianis cognita,celeriter cohortes Afranii breuiori itinere ad eun-
dem occupandum locum mittuntur. Locus nanque ab Afranianis præoccupatus est ve-
loci cursu, atq; Cæsariani compulsi sunt intra suas se legiones recipere. qui hoc graue fe-
rentes in hostes vrbem versus prorumpentes, quinque horis præliatum est, & Afraniani
in vrbem compulsi sunt. Multi vtrinque mortui sunt, multi vulnerati: Afraniani enim tu-
mulum eo die retinuerunt, & plurimum magnis operibus muniuerunt, præsidiumq; eo-
dem in loco posuerunt, in quo nunc templum monasteriumq; de Gaderni stare cogno-
uimus. Interim post biduum vero accidit incommodum inopinatū. Tanta enim vis tem-
pestatis exoritur, vt nunquam maiores aquas illis in locis fuisse constaret. ex omnibus e-
nim montibus niues maximæ prosilierunt, adeo vt omnes ripas fluminum superassent:
pontesq; ambos quos Fabius in Sicori confecerat, vno die interrupit, quæ res maximas
incommoditates attulit Cæsarianis. Castra enim Cæsaris posita erant inter duo flumina
Sicorim & Cingam, neutrum transiri poterat pro commeatu, necessarioque omnes intra
has continebantur angustias, neque ciuitates quæ ad Cæsaris amicitiam accesserant, fru-
mentum portare, neque ii qui pabulatum ire longius decreuerant, interclusi fluminibus
reuerti poterant, neque maximi commeatus qui ex Italia & Gallia veniebant, transire.
Tempusq; erat difficilimum, quo frumenta non comperiebantur hyemis decurso tem-
pore, neq; frumenta noua multum à maturitate distabant, atq; omnes ciuitates frumen-
tis exinanitæ fuerant, quoniam Afranius ante Cæsaris aduentum, omne frumentum Iler-
dam duci iusserat. Reliqui si aliquid fuerat, Cæsar ipse cum ipso exercitu consumpserat.
Exercitus autem Afranii rebus omnibus abundabat, causam ad id præstante ponte vrbis
Ilerdæ, per quem commeatus ab omni parte ad Afranii castra poterant asportari: & fru-
mentum per antea superioribus temporibus iam prouisum. Permanserūt itaq; aquæ dies
complures, Cæsarq; conatus est pontes reficere, sed nec magnitudo fluminis & aquarum,
& expeditæ cohortes aduersariorum ad ripam fluminis ad defensionem paratæ hoc per-
mittebant. Interim magnus commeatus qui ex Gallia & Ruthenis cum multis curribus
Gallico more, cum multisque iumentis ad Cæsaris castra portabatur, inuaditur à Pom-
peianis, frumentum capitur, & multi ex iis qui comitabantur. Nunciatur res per literas
Romæ, magna hinc inde laus Afranii Petreiiq; prædicatur, multique ad Pompeium cur-
runt, finis belli ex illo incommodo breuissime speratur. Interea Cæsar, quo melius pote-
rat, incommoda supportabat, colonos vrbium remittebat ciuitatibus quæ ad eius amici-
tiam accesserant, quæ blado carebant, pecus imperabat. His sic se habentibus, interq; has
angustias Cæsar positus, naues & scaphas militibus fieri iubet, cuius generis superioribus
annis eum Britanniæ vsus docuerat, ex leui primum materia viminibus contextas, corio-
que coopertas, piceq; linitas. quas perfectas curribus suppositas deducit ad flumen loco à
castris duobus & viginti millibus passuum distanti, militesque trans flumen in proximam
ripam transportat, collemq; ripæ proximum occupat, ipsumq; collem, antequam intelli-
geretur ab Afranio, summa celeritate communiuit, legionemq; statim traiecit, pontem-
que ab vtroq; latere biduo perfecit. Ita commeatus & eos qui frumenti causa processerāt,
tute recipit ad se, & rem frumentariam incepit expedire. Eodem die equitū magna pars
traiecit flumen, qui pabulatores inopinantes & sine vllo dissipatos timore aggressi, quam
magnum numerū hominum atq; iumentorum intercipiunt capiuntque. Missisque aliis
centuriatis cohortibus in subsidium, in duas se partes diuidunt, vt alii videlicet prædę sint
præsidio, alii vero vt venientibus resistant, eosq; propellant: circumueniuntq; cohortem
vnam quæ ante alias procurrerat seclusam, atq; eam interficiunt, incolumesque cum ma-
gna præda eodē ponte in castra reuertuntur. Itaq; perfecto ponte statim fortuna mutatur.
Afraniani nanq; perterriti virtute equitum, minus libere ac minus audacter vagabantur.
Interim Oscenses & Calagurritani confœderati ad inuicem legatos ad Cæsarē mittunt,
se fa-

ſe facturos quicquid per eum fuerit imperatum. hos etiam ſequuntur Tarraconenſes, & Lacetani (qui & Barcinonenſes ſunt) & Auſetani (qui & Vicenſes) & poſt paululum Ilarqueones (qui & Dertuſenſes fuere, oraſque Iberi obtinent) Hos Cæſar hortatur, vt eius caſtra frumento iuuent: quod ipſi ſe facturos pollicentur, conquiſitiſq; hinc inde iumentis in Cæſaris caſtra deportant. Eratq; cum Afranio cohors vna Illurgauonenſium ſiue Ilarqueonum, quæ cognito conſilio ciuitatis ad Cæſarem tranſit. Magna quidem celeriter fit rerum commutatio perfecto ponte, magnis quidem ciuitatibus ad amicitiam adiunctis, extinctis rumoribus de auxiliis legionum, quæ cum Pompeio per Mauritaniam venire dicebantur. Multæ longiores ciuitates ab Afranio deficiunt, & Cæſaris amicitiam ſequuntur. Quibus rebus perterritis animis aduerſariorũ, Cæſar, ne ſemper magno circuitu equitatus per pontem eſſet mittendus, compertis idoneis locis foſſas xxx. pedũ in latitudinem complures fieri iubet, quibus partem aliquam Sicoris auerteret, vadumq; in eo flumine efficeret. Quibus effectis Afranius Petreiuſq; in magnum timorẽ perueniunt, ne omnino frumento pabuloq; intercluderentur, quoniam multum Cæſar equitatu valebat. itaq; conſtituunt ipſi locis excedere, & in Celtiberiam bellum transferre. Iuuabat hoc propoſitum Valentia, nonnullæque ciuitates quæ olim à Lucio Sertorio defecerant, adhæſerantq; Pompeio, in eiuſque amicitia permanſerãt multis receptis ab eo beneficiis, & enixe eum diligebant. Cæſaris enim in Celtiberis & Hiſpanis erat nomen obſcurius, illiuſq; plurimi faciem pertimebant. Ab his itaq; ciuitatibus magnos equitatus, magnaq; auxilia expectabant, differuntque bellũ in hyemem, in quo potuiſſent hinc inde plurima auxilia contraxiſſe. Hoc inito conſilio per totum amnem Iberum naues cõgregari iubẽt, atque efferri in oppidum Octogeſima (quod hodierno idiomate Hitona dicitur) ibique pontem inſtrui iubent ad tranſitum Iberi, diſtabatque oppidũ Octogeſima ſiue Hitona à caſtris milliaribus xx. Interim legiones duas pontem Ilerdæ tranſire iubent: trans Sicorim caſtra muniuntur foſſa latitudinis pedũ xii. Qua re per exploratores cognita, ſummo labore militum Cæſar continuato opere die noctuq; in auertendo flumine huc reduxerat rem, vt equites etſi difficulter ac ægre poſſent, tamen auderẽt flumen tranſire, pedites vero tantummodo humeris ac ſummo pectore extarent, & tam magnitudine aquæ, quam etiam rapiditate fluminis ad tranſeundum impedirentur. Eodem tamen tempore pons in Ibero ab Afranianis effectus nunciabatur, & in Sicori iam vadum reperiebatur, & ideo iam magis Afranius atq; Petreius feſtinandũ iter exiſtimabant. Itaq; duabus auxiliaribus cohortibus Ilerdæ pro præſidio relictis, cum omnibus copiis Sicorim tranſeunt, & cum duabus legionibus quas ſuperioribus diebus traduxerant, caſtra coniungunt. Cæſar enim nihil ſperabat niſi equitatum aduerſus Pompeianos, & cum pons eius magnum habuiſſet circuitum, multo breuiori itinere Pompeiani poterant ad Iberũ peruenire. Equites itaq; à Cæſare miſſi flumen tranſeunt, & cum tertia vigilia Afranius & Petreius caſtra mouiſſent, repente Cæſariani ad vltimum agmen oſtenduntur, atq; magna multitudine circunfuſa morari atque iter impedire incipiunt, atq; ipſi Cæſariani Pompeianos aggrediuntur, inſultant, & incurſant, adeo vt nunc ſuſtinere, nunc in eos irrumpere, nunc fugere compellerentur, ſæpius rumpere alas cogebant, inferri ſigna. Totis vero caſtris milites circulari, & dolere hoſtem è manibus dimitti, bellum neceſſario longius duci: hortabanturq; milites centuriones tribunoſque militum, vt per eos certior Cæſar fieret, ne labori ſuo, neve periculo parceret, paratos ſeſe audere ea omnia quæ expedirent, tranſire flumen vado eo modo, quo traductus fuerat equitatus. Quorum ſtudio & vocibus excitatus Cæſar, etſi timebat tantæ magnitudinis flumini exercitum obiicere, conandũ tamen atq; experiendum iudicauit. Itaq; infirmiores milites ex omnibus centuriis deligi iubet, quorũ aut animus, aut vires viderentur ſuſtinere nõ poſſe, quos cum legione vna caſtris præſidio reliquit, reliquas omnes legiones expeditas educit, magno numero iumentorũ in flumine ſupra infraq; conſtituto traduxit exercitum. Pauci tamen à flumine erepti ſunt, qui ſtatim ab equitatu ſuſcepti ſunt, & nemo ibi interiit. Traducto itaq; incolumi exercitu copias inſtruxit, triplicemq; aciem ducere incipit, ac tantum fuit ſtudii in militibus, vt ſex milliaribus ad iter per vadum de circuitu factis, magnaq; fluminis mora interpoſita eos qui tertia vigilia exiſſent è caſtris, ante horam diei nonam attigiſſent & conſecuti fuiſſent. Quos vbi Afranius & Petreius procul vidiſſent, noua re perterriti locis ſuperioribus cõſtiterũt, acieſq; inſtruxerunt. Cæſar tunc in campis exercitum refecit, ne defeſſum prælio obiiceret. rurſus conantes progredi inſequitur, & detinet, & moratur. Properant maturius atq; conſultius quam cõſtituerant, caſtra ponũt (ſuberant enim montes, atq; à millib. paſſuum quinque itinera difficilia atque anguſta excipiebant. hos montes intra ſe recipiebant, vt equitatum Cæſaris effugerent, præſidiiſque in anguſtiis collocatis exercitum itinere pro-

hiberent, & ipsi sine periculo ac timore ad Iberum copias traducerent. quod fuit illis cōnandum, atque omni ratione efficiendum) & totius diei pugna & itineris labore defessi rem in posterum diem distulerunt. Cæsar quoque in proximo colle castra ponit. media circiter nocte ii qui aquandi causa longius è castris processerant, ab equitibus Pompeianis correpti sunt. Fit certior Cæsar, duces Pompeianos silentio copias ex castris educere. quo cognito signum dari iubet, & vasa omnia castrorum militari more conclamari. Illi exaudito clamore, veriti ne nocte impediti non pari conditione confligere cogerentur, aut ne ab equitatu Cæsaris in angustiis itinerum tenerentur, iter supprimunt, copiasque in castris continent. Postero vero die Petreius cum paucis equitibus occulte ad exploranda loca proficiscitur. hoc etiam idem fit ex castris Cæsaris. mittitur Lucius Decidius Saxo cum paucis qui loci naturam perspiciant. vterque idem suis renunciat, esse quinque milliaria campestris itineris, inde incipere loca saxosa atq; montuosa: vnde qui prior has angustias occupauerit, hostem ab eodem itinere prohiberi. Disputatur igitur in Petreii & Afranii concilio, & tempus profectionis quæritur. plærique censebant, vt noctu iter fieret: sic enim eos posse prius ad angustias peruenire quam sentirentur. alii sumebant argumento ex nocturno conclamatu in castris Cæsaris ex eo loco non posse clam exiri, atque circumdari noctis tempore equitatum Cæsaris, omniaq; loca & itinera obsideri, nocturnaq; prælia maxime esse vitanda, quoniam perterriti milites timori magis quam religioni consulere consueuerint: ad lucem multum prodesse pudorem omnium oculis, multum etiam tribunorum militum & centurionum præsentiam afferre, quibus rebus coerceri milites, & in eorum officio contineri soleant. Hæc tandem post multa euicit in concilio sententia, vt omni ratione esset interdiu prorumpendum, etiamsi aliquo accepto incommodo, tamen coniectabant salua summa exercitus locum quem petebant, capi posse: & prima luce postero die constituunt proficisci. Cæsar exploratis regionibus, albente cælo omnes copias è castris educit, magnoq; circuitu nullo certo itinere exercitū educit, quoniam itinera quæ ad Iberū & Octogesimam siue Hitonam ducunt, castris oppositis Pompeianorum tenebantur, erantq; transcendendæ valles, maximeque difficilima saxa multis locis prærupta iter impediebant, ita vt præ difficultate viarum arma de vno in alium per manus necessario traderentur, militesque inermes subleuatique alii ab aliis magnam partem itineris conficerent. sed hunc laborem nemo recusabat: existimabant enim eum esse laborum finem, si Pompeianos Ibero intercluderent, & frumento potuissent prohibere. Pompeiani è contra milites loci videndi causa ex castris procurrebant, contumeliosisque verbis Cæsarianos prosequebantur, quod coacti victus inopia cogerentur Ilerdam reuerti. quod satis erat à Cæsaris proposito alienum. Duces enim Pompeianorum consilium eius summe laudabant, si se in castris tenuisset, considerantes quod Cæsar sine iumentis atque impedimentis ad iter profectus esset, ideoque non posse diutius eum inopiam sustinere confidebant. Sed vbi viderunt paululum retorqueri agmen ad dextram, iamq; primos Cæsarianorum superare locum, & regionē castrorum Pompeianorū, nemo ex Pompeianis fuit adeo tardus, aut laboris fugiens, quin statim castris exeundum, atq; occurrendum putarit. Conclamabant ad arma, atq; omnes copiæ paucis præsidio relictis exeunt, recteque itinere ad Iberum contendunt. erat in celeritate positū omne præsidium, ideo vtriq; prius angustias montemque præoccupare contendebant. Sed exercitus Cæsaris viarum difficultate superata prius iter confecit, atq; ex magnis rupibus nactus planiciem, in hac contra hostem Cæsar aciem instruit. Res à Pompeianis huc erat necessario deducta, vt etiam si priores montes quos petebant attigissent, ipsi quidem periculū vitarent: impedimenta tamen totius exercitus, cohortesque in castris relictas seruare non possent. Afranius autem quum ab equitatu Cæsaris in nouissimo agmine premeretur, & ante se hostem videret, collem quendam nactus ibi constitit. ex eo loco quatuor cohortes in montem excelsissimum, qui erat in conspectu omnium, mittit. Hunc magno concursu concitatos iubet occupare, eo consilio vt ipse cum omnibus copiis ad illum conscenderet, & mutato itinere Octogesimam siue Hitonam per iuga montium concederet. Hunc cum obliquo itinere cohortes peterent, conspicatus equitatus Cæsaris in cohortes impetum fecit: nec minimam quidē partem temporis equitū impetum cohortes sustinere valuerunt, sed omnes ab eis circumuenti in cōspectu vtriusq; exercitus interficiuntur. Quæ res maxima fuit occasio Cæsari bene gerendæ rei. Neq; hoc Cæsar ignorabat, perterritum exercitum tanto in conspectu omnium, & sub oculis accepto tali detrimento eum sustinere non posse, præsertim quum eorū exercitus esset circundatus equitatu magno, tum quia loco apto atq; aperto esset confligendum. Concurrebāt insuper legiones, centuriones, tribuniq; militum, hortantes ne dubitaret prælium conserere, ad hocq; omnium mi-

litum

situm animos esse paratissimos: è contrario autem Pompeianos multis rebus sui timorem ostendentes, quod suis, dum interficerentur, non subuenissent, quod denuo de colle non recederent, quod vix suorum equitum incursus sustinerent, collatisq; in vnum locum signis neq; ordines neq; signa seruarent. Quod si iniquitatem loci timeret, futurum esse vt aliquo opportuno loco pugnandi facultas captaretur, quoniam in eo loco essent Pompeiani, vbi re aquaria laborantes diutius esse non poterant. Cæsar tamen in eam spem deuenerat, se sine pugna ac sine vulnere suorum rem conficere posse, quũ iam rem frumentariam eis interclusisset: hocque sit munus imperatoris, non minus cõsilio superare quam gladio. Mouebatur etiam Cæsar misericordia ciuium Romanorum aduersariorum suorum, quos interficiendos videbat, quibus saluis atque incolumibus rem obtinere malebat. Hoc autem consilium Cæsaris à plerisq; non probabatur, militesq; inter se palam loquebantur, quod non daretur talis pugnandi occasio: ipse tamen Cæsar in sua sententia permanebat, & paululum ex eo loco digreditur, vt timorẽ aduersariis minueret. Petreius atque Afranius data pugnæ facultate in castra se referunt. Cæsar interclusis omnibus itineribus, præsidiisque in montibus relictis, ad Iberum castra ponit, quam maxime potest castris hostium coniuncta, illaque communiuit. Postero vero die duces Pompeianorum, perturbati quod rei frumentariæ & Iberi spem omnem amisissent, de reliquis rebus consultabant. Erat enim vnũ iter Ilerdam, si reuerti vellent: aliud Tarraconam. hoc ipsis consultantibus nunciatur, aquatores Pompeianos ab equitatu Cæsariano premi. Qua re cognita diuersas stationes equitum disponunt, vallumque à castris ad aquam facere incipiũt, vt intra munitionem & sine munitione ac stationibus aquari possent: idq; opus Petreius & Afranius inter se partiuntur, ipsique perficiendi causa operis longius progrediuntur. quorum discessu nacti milites colloquiorum facultatem procedunt, & quem quisque in castris notum ac municipem habebat conquirit atque euocat. Primum itaq; agunt gratias omnes omnibus, quod sibi perterritis pridie pepercissent, eorumq; se beneficio viuere, deinde de Cæsaris fide inquirunt, an ne illi se possent tuto cõmittere. Queruntur præterea, quod arma sumpserint in homines amicos & consanguineos. His prouocati sermonibus fidem à Cæsare petunt de Petreii atque Afranii vita, ne quod in se scelus concepisse, neque suos duces prodidisse viderentur. quibus confirmatis rebus se statim signa translaturos confirmant, Legatosque de primo ordine centurionum ad Cæsarem mittunt. Interim alii suos in castra inuitandi causa adducunt, alii à suis adducuntur, adeo vt vna eademque castra esse facta viderentur. Compluresq; centuriones & tribuni militũ ad Cæsarem veniunt, seq; ei commendant. idem etiam hoc fit à principibus Hispaniæ, quos illi euocauerant, & secum in castris habebant obsidum loco: hi suos notos & hospites quærebant, per quem quisque eorum aditum commendationis haberet ad Cæsarem. Afranii etiam filius adolescens de sua ac parentis sui salute per Sulpicium Legatum agebat. erant plena lætitia & congratulatione omnia, & eorum qui tanta pericula vitasse, & eorum qui sine vulnere tantas res confecisse videbantur: magnumq; fructum suæ pristinæ lenitatis omnium iudicio Cæsar ferebat, consiliumque eius à cunctis probabatur. Quibus rebus nunciatis Afranio, ab instituto opere discessit, seque in castra recepit, sic paratus, vt videbatur, vt quicunque accidisset casus, hunc quieto & æquo animo ferret. Petreius vero nõ deserit se, armat familiam: cum hac, Prætoriaque cohorte, & paucis Hispanis beneficiariis suis, quos custodiæ causa habere consueuerat, ad vallum aduolat, colloquiaque militum interrumpit, Cæsarianos repellit à castris, & quos deprehendit interficit, reliqui vero recipiunt se inter se, & perterriti inopinato periculo sinistris vestimẽta inuoluunt, gladiosque distringunt, atque ita se à militibus defendunt, castrorumq; propinquitate confisi se in castra recipiunt, & ab iis cohortibus, quæ erant in stationibus ad portas castrorum, defenduntur. Quibus factis, flens Petreius circuit, militesque appellat, obsecratque, ne se, neque Pompeium absentem imperatorem suum tradant Cæsari ad supplicium: fitque celeriter concursus in tabernaculo ducum. postulat Petreius, vt iurent milites omnes se exercitum ducesque non deserturos, neque prodituros, neque separatim à reliquis consilium capturos. Iurat itaque princeps Ilerdæ primus, secundus Petreius, tertius Afranius. Afranium sequuntur tribuni militum, centuriones centuriam producunt, milites idem iurant, & dicunt, penes quem quisque sit Cæsaris miles, vt eos palam producant, productosque interficiant. Sed plerique quos ceperant, celant, noctuque per vallum emittunt. Sic terrore oblato, à ducibus crudelitas facta in Cæsarianos, noua insuper iuramenti religio spem instantis deditionis sustulit, mentes militum conuertit, & rem in pristinam belli rationem redegit. Cæsar milites aduersariorum qui per tempus colloquii ad sua castra venerant, perquiri summa diligentia, ac remitti iubet, sed ex

numero tribunorum militum, centurionumque nonnulli sua voluntate apud eum remanserunt. quos Cæsar postea in magno honore habuit, centuriones amplioris ordinis & tribunos in tribunitium honorem restituit. Premebantur Pompeiani pabulatione, aquabantur ægre. Frumenti copiam nonnulli Legionarii habebant, quoniam frumentum viginti duorum dierum ab Ilerda iussi portare fuerant. auxiliariorum quorumque erant facultates tenuiores, & corpora insueta ad portandum onera, magnus cotidie numerus ad Cæsarem perfugiebat. Res itaque eorum erat inter has angustias, vt vel Tarraconam contenderent, cuius itinere loci nimium in longum protrahi videbantur, vel Ilerdam reuerterent. Probatur vltima sententia, & probato consilio ex castris proficiscuntur Ilerdam versus. Cæsar equitatu præmisso qui nouissimum agmen carperet atque impediret, ipse cum legionibus subsequitur, neque vllum intercidebat tempus, quin extremi cum equitibus præliarentur. Tali igitur dum pugnatur modo, lente atque paulatim proceditur. Quum igitur milliaria pene quatuor progressi essent, ibi vnanimi fronte hostis contra hostem castra muniuit: neque tamen iumentis onera deponunt. Vbi vero Cæsaris castra posita sunt, tabernaculaque constituta, & dimissi equites pabulandi causa animaduertunt Pompeianos iter facere, sese subito proripiunt, & illos more solito insequuntur. Erat enim quasi hora diei sexta. Spem igitur eis fecerat euagatio militum Cæsarianorum qui ad pabula digressi fuerant. Quumque iter facere incepissent, Cæsar subsequitur, relictis quibusdam cohortibus præsidio impedimentis: qui pabulatores reuocari, & hora decima subsequi iubet. & celeriter equitatus ad cotidianum itineris officium reuertitur. Pugnatur itaque acriter ad nouissimum agmen, adeo vt pene terga conuerterent, pluresque milites & centuriones Pompeianorum interficiuntur. Instabat agmen Cæsaris, & ab omni parte premebat, adeo vt neque ad explorandum idoneum locum ad castra ponendum, neque ad progrediendum data esset facultas. Tandem necessitate coacti consistunt, & castra ponunt loco iniquo, & procul ab aqua. Cæsar autem iisdem de causis quæ supra sunt demonstratæ, prælio amplius non lacessit, & eo die tabernacula statui passus non est, quo omnes paratiores essent ad insequendum, siue nocte, siue die erumperent. Pompeiani vero animaduerso loco quo castra posuerant, de vno loco in alium castra mutare satagunt. hoc & sequenti die faciunt, totumque diem in ea re consumunt, sed quantum à priori loco discesserant, tanto longius ab aqua distabant. Prima itaque nocte nemo aquandi causa à castris egreditur. Proximo die præsidio castris relicto, vniuersas ad aquam copias educunt, pabulatum emittitur nemo. His eos supplices malis Cæsar necessariam subire deditionem quam prælio decertare malebat: conatur tamen vallo fossaque eos circummunire, vt quam maxime eorum repentinas eruptiones demoretur. illi vero & inopia pabuli adducti, & quo essent ad id expeditiores, omnia sarcinaria iumenta iubent interfici. in his operibus consiliisque biduum consumitur. Tertio iam die magna pars operis Cæsaris processerat. Pompeiani vero impediendæ rei, quæ munitionis causa fiebat, hora circiter nona signo dato, legiones è castris educunt, aciemque sub castris instruunt. Cæsar legiones ab opere euocat, equitatum omnem conuenire iubet, aciem instruit contra opinionem militum, qui dicebant Cæsarem prælium diffugere. consistunt itaque armatæ acies ab vtrisque vsque ad solis occasum. Cæsar statuerat non pugnare certus de victoria. Pompeiani aggredi metuebant, scientes pugnam satis esse disparem: illis satis erat operam impedire, ne circundarentur vallo. Post vero occasum solis vtrique in castra se recipiunt. Postero vero die Cæsar parat munitiones perficere, Pompeiani amnis Sicoris vadum tentare satagunt, si transire possent. Qua re animaduersa Cæsar Germanos equitumque partem flumen traiicere iubet, plurimosque in ripis fluminum disposuit & ordinauit. Tandem omnibus rebus obsessi, quarto iam die sine pabulo retentis iumentis & equitibus, aquæ, lignorum, ac frumenti inopia colloquium petunt, & id, si fieri potest, semoto à militibus loco. Vbi id à Cæsare negatum, & palam si colloqui vellent, concessum est, datur obsidis loco Cæsari Afranii filius. Venit itaque in eum locum, quem Cæsar delegit, & audiente vtroque exercitu loquitur Afranius. Cuius orationem Cæsar in Commentariis libro primo ciuilis belli explicat prolixo sermone: quam Franciscus Petrarcha in libro de viris illustribus adeo compressit: vt multa effectualia omiserit in explicatione Afranii, & replicatione Cæsaris. ideo Cæsarem sequar in Commentariis, quem in omnibus potissimum sum secutus. Loquitur ergo Afranius in hanc sententiam: Non est aut mihi aut militibus his Cæsar irascendum, quod fidem erga imperatorem nostrum Gneum Pompeium conseruare voluerimus: sed iam satisfecimus officio, satisque supplicii tulimus perpessi omnium rerũ inopiam. Nunc vero quoniam pene, vt fœminas, circumuentos nos intelligimus, prohibiti aqua, prohibiti ingressu, neque

corpo-

corpore dolorem, neque animo ignominiam ferre possumus. itaque victos nos confitẽtes oramus atque obsecramus, vt nobis locus aliquis misericordiæ relinquatur, ne ad vltimum supplicium veniendum nobis sit. Hæcque exponit Afranius quam dimississime & subiectissime potest. Ad eaque Cæsar respondit: Nulli hominum has miserationes & querimoniæ preces minus conuenire quam ipsis. reliquos enim omnes officium suum præstitisse, qui etiam bona conditione, & loco, & tempore congruo confligere noluerunt, vt quam integerrima ad pacem essent omnia. Exercitum vero suum in iniuria acceptα suisque interfectis conseruauit & texit, illius denique exercitus qui per se de conciliandα pace egerant. Qua in re omnium suorum vitæ cõsulendum putarunt, sic omnium ordinum suorum partes in sola misericordia constitisse, ipsos duces à pace abhorruisse, eosque nec colloquii, neque induciarum iura seruasse, & homines imperitos per colloquium deceptos crudelissime interfecisse. Accidisse igitur eis quod plærunque nimia pertinacia & arrogantia viris accidere soleat, vti eo recurrant, & id cupidissime petant, quod paulo ante contempserant: neque nunc se illorum humanitate, neque aliqua temporis opportunitate postulare quibus rebus opes suæ augeantur, sed eos exercitus quos contra se annos iam multos aluerant, velle dimitti. Neq; enim sex legiones in Hispaniam per Pompeium missas, ac septimam in ipsa Hispania conscriptam, neque tot tantasq; classes paratas, neque submissos duces rei militaris peritos, nihil eorum ad pacandas Hispanias, neque ad vsum prouinciæ comparatum esse, quæ propter diuturnitatem pacis nullum auxilium desiderarit. Omnia hæc iampridem in se parari, in se noui generis imperia constitui, vt idem ad portas vrbanis præsideat rebus, & duas bellicosissimas prouincias absens tot annos obtineat: in se iura magistratuum commutari, ne ex prætura & consulatu, vt semper fit, sed per paucos probati & electi in prouincias mittantur: in se ætatis excusationem nihil valere, quod superioribus annis probati ad obtinendos exercitus euocentur: in se vno non seruari, quod sit omnibus datum semper imperatoribus, vt rebus fœliciter gestis, aut cum honore aliquo, aut certe sine ignominia domum reuertantur, exercitumque dimittant, quæ tamen omnia & se tulisse patienter, & esse laturum: neque id agere, vt ab illis abductum exercitum teneat ipse, quod tamen difficile non sit, sed ne illi habeant, quo contra se vti possint. proinde, vt esset dictum, prouinciis excederent, exercitumque dimitterent: sed si id sit factũ, se nociturum nemini. hanc vnam atque extremam pacis esse conditionem. Id itaque pergratum fuit militibus & iocundum, vt ex ipsa significatione cognosci potuit. Nam cum de loco & tempore huius rei controuersia inferretur, & voce & manibus vniuersi ex vallo vbi constiterant, significare cœperunt, vt statim dimitterentur, neque aliter firmum esse quod promittebant, si in aliud tempus differretur. Et cum paucis verbis esset in vtranque partẽ disputatum, res in hanc conclusionem deducta est, vt ii qui haberent domicilium aut possessionem in Hispania, statim dimitterentur, reliqui vero ad Varum flumen, quod est in ingressu Italiæ, dimitterentur, neque eis à quoquam noceretur, neque quis inuitus astringeretur sacramento militiæ Cæsari. Atque Cæsar eis qui ad Varum fluuium dimittendi erãt, se frumentum necessarium daturum pollicetur. Addidit etiam Cæsar, vt cuique qui in bello aliquid quod sit penes milites amisisset, hoc illi restitueretur, data satisfactione ei apud quem res ipsa esset: quam æstimationem ipse Cæsar ex proprio soluit militibus. Itaque post biduum pars ipsa quæ ad Varum flumen dimittenda fuerat, dimissa est, ordinatumque est, vt duę legiones præcederent, & reliqua postea sequeretur, ne simul castra ponerent: illisque vsque ad Varum flumen præfectus est Quint. Fusius Calenus: & reliqua pars quæ ad Hispaniam pertinebat, statim dimissa est.

Superatis Lucio Afranio & M. Petreio, Cæsar M. Varronem insequitur in vlteriorem Hispaniam.

SVPERATIS itaque Lucio Afranio & Marco Petreio cũ eorum exercitibus, apud Ilerdam, statuit nullam belli rationem in Hispaniis relinquere, sed M. Varronem, tertiũ Põpeii legatum, qui vlteriorem Hispaniam tutabatur, insequi. Comparauerat autẽ Varro multa ad belli opus. indixerat enim ciuitatibus vlterioris Hispaniæ cohortes octoginta, necnon & argenti pondera viginti millia, frumenti modios centum & viginti millia: illisque ciuitatibus quas Cæsaris amicas arbitrabatur, grauiora onera iniungebat, prouinciamque omnem in Pompeii fidem adegit: cognitisque rebus quæ ad Ilerdam gerebãtur, bellũ parabat. Ratio autẽ & summa gerẽdi hęc erat, vt duas legiones quas secũ haberet, Gades conferret. Gadibus enim sex cohortes præsidii causa reliquerat, omneq; pecuniã,

atque theſaurum, & ornamenta ex templo Herculis rapuerat, & in Gades contulerat. Cui prouinciæ Gallonium equitem Romanum familiarem Domitii præfecerat. cognouerat enim prouinciam omnẽ rebus Cæſaris fauere. Vnde ſperabat, frumento in inſulam tranſportato nauibusque faciliter bellum duci. Itaque Cæſar duas legiones præmittit in vlteriorem Hiſpaniam cum Q. Caſſio tribuno, & ſexcentis equitibus. qui magnis itineribus progreditur, edictumque præmittit ad certum diem, quo omnes magiſtratus principesq; omnium ciuitatum præſto ſint Cordubæ. quo edicto per totam prouinciam promulgato, nulla fuit ciuitas quæ non ad id tempus partem Senatus mitteret Cordubam. Corduba vero per ſe nunciato edicto Cæſaris portas claudit, Varroniq; cuſtodias ac vigilias in turribus muroq; diſpoſuit, & cohortes duas quæ Colonicæ appellabantur, & cum Varrone venerant, tuendæ vrbis cauſa penes ſe retinuit. Iiſdem interea diebus Carmonenſes, quæ eſt longe firmiſſima totius prouinciæ ciuitas, deductis in arcem oppidi cohortibus à Varrone pro præſidio, per ſe eiecerunt cohortes, portasque præcluſerũt. Hæc magis properare compulerunt Varronem, vt cum legionibus Gades veniret, ne itinere aut traiectu intercluderetur. tanta ac tam fœcũda in Cæſarem voluntas prouinciæ reperiebatur. Progreſſoque ei paulo longius literæ à Gadibus redduntur, continentes, quod ſimul cum eſſet cognitum de edicto Cęſaris & eius Cordubam aduẽtu, concordaſſe Gaditanos principes cum tribunis cohortum quæ eſſent in præſidio, vt Gallonium ex oppido expellerent, vrbemque ac inſulam Cæſari ſeruarent, hocque inito conſilio denunciauiſſe Gallonio, vt ſua ſponte, dum ſine periculo liceret, à Gadibus excederet, & ſi id non feciſſet, conſilium eſſe executuros. hoc timore adductum Gallonium Gadibus exceſſiſſe. His cognitis altera ex duabus legionibus, quæ Vernacula appellabatur, quæ cum Varrone fuerat, ex caſtris Varronis adſtante & inſpiciente ipſo, ſigna ſuſtulit, ſeſeque Hiſpalim recepit, atq; in foro & porticibus ſine maleficio conſedit: quod factum adeo conuẽtus ciuium Romanorum qui ibi aderant, probauerunt, vt eos quiſq; ad propriã domum hoſpitio cupidiſſime reciperet. Quibus rebus perterritus Varro, certior à ſuis factus præcluſas eſſe portas, tum vero omnium interclusus itinere ad Cæſarem mittit, paratũ ſe eſſe legionem, cui iuſſerit, tradere. Cæſar vero ad eum Sextum Cæſarem mittit, atque huic illam tradi iubet. tradita vero legione Varro Cordubam ad Cæſarem venit, relatis ad eum publicis cum fide rationibus, quod penes eum fuit pecuniæ tradidit, & quod habebat vbiq; frumenti ac nauium oſtendit. Cæſar cõcione habita Cordubæ omnibus generatim gratias agit: ciuibus Romanis, quod oppidum in ſui poteſtate ſtuduiſſent habere: Hiſpanis, quod præſidia expuliſſent: Gaditanis, quod conatus hoſtium infregiſſent, ſeſeque in libertatem vendicauiſſent: tribunis militum centurionibuſq; qui eo præſidii cauſa venerant, quod eorum conſilia ſua virtute confirmauiſſent. Pecunias quæ erant in publicum ciuium Romanorum, Varroni remittit, ac bona reſtituit iis qui in eius fauorem liberius ſunt locuti, & pœnam tuliſſe cognouerat. tributis quibuſdam publicis priuatisq; pręmiis, reliquos in poſterum bona ſpe complet: biduoque Cordubæ commoratus Gades proficiſcitur. pecunias ac monumenta quæ ex phano Herculis ablata fuerant, & in priuatam domum Gallonii collata, referri in templum iubet. prouinciæ Q. Caſſium præfecit, illiq; quatuor legiones aſſignauit: ipſe vero iis nauibus quas M. Varro, quaſque Gaditani iuſſu Varronis fecerant, Tarraconam paucis diebus peruenit: vbi totius fere prouinciæ citerioris Hiſpaniæ legiones Cæſaris aduentum expectabant, vt redderent rationem de pecuniis ad ſuffragia belli priuatim ac publice exactis: ibique paucos cõmoratus dies ab ea diſcedens terreſtri itinere Narbonam, atque inde Maſſiliam peruenit.

Cæſar obtenta omni Hiſpania & Maſsilia, Pompeium inſequitur.

CÆSAR itaq; (vt diximus) à Tarracona Narbonã terreſtri itinere peruenit, & à Narbona Maſſiliã, quã olim in trãſitu in Hiſpaniã obſidione cinxerat, relictis ibi Legatis: quã ſuo aduentu cepit & dirupit quibuſdã interiectis diſcriminibus. Deinde claſſe & nauibus paratis Pompeium inſequi ſtudet, miſſoq; ad occupandũ Hadriaticum ſinum, ipſe cum copiis traiecit in Epirum, quem perantea Pompeius occupauerat, prouinciã ſibi ad bella gerenda aptiſſimam. Receperat ſe igitur Pompeius in Dyrrachium vrbem Epiri. ad hanc igitur contendit Cæſar, Pompeiumq; ibi obſedit. qua obſidione firmata, Cæſar diuerſis tractatibus de pace agere cœpit, & vbi hoc à Pompeio obtinere non potuit, pugnę opportunitatem exhibet, quam Pompeius recuſauit. Vbi vero neq; hoc eũ iuuare videt, cogitauit Pompeii caſtra vallo circundare, & paucioribus plures conſtringere. Foſſa itaque circundare incipit & vallo Põpeii caſtra, turreſq; ac propugnacula inſtruit, vt intercideren-

tiderentur eruptiones in castra Cæsaris. Cupiebat enim Cæsar, vt quicunq; belli futurus esset exitus, statim esset: omnia tamen frustra erant. Nam & Dyrrachium inexpugnabile erat, & Pompeius immutabilis, vt qui contrario Cæsaris consilio niteretur, sperans dilatione victoriam propter inopiam rei frumentariæ, quæ valde Cæsarem premebat, neq; diutius tolerari posse videbatur: insuper & quod simillimum veri erat, vt virtus animosissimi imperatoris tædio atq; expectatione senesceret, impetusq; lentesceret, ac ardor tepesceret. hac spe pugnam recusabat, neq; rationis partes fortunæ committere volebat. Sic quum Pompeio cunctatio, Cæsari celeritas grata esset, statuit Cæsar, quum nō posset prælio, vincere obsidione. propterea (vt dictum est) Dyrrachium & castra Pompeii sexdecim millium passuum fossa circunduxit ac vallo, impositisque castellis ac turribus cū paucioribus obsedit plures, si modo obsideri dici possunt, quibus maria patent. Idcirco crebræ fiebant eruptiones, & sæpe erumpentibus funestæ succedebant, pugnabaturq; etiam sæpius diuerso Marte: quoniam quum semel Cæsar profecturus Publium Syllam castris præfecisset, & ille audisset cohortem vnam ab hostibus vrgeri, duarum legionum auxilium tulit laborantibus, quarum occursu versi sunt in fugam Pompeiani, & si insequi perfugos victoribus licuisset, creditum fuit die illo cōfici bellum potuisse. Sed Sylla suorum impetum cōtinuit, cecinit receptuiq;. cuius cōsilium à scriptoribus excusatur, quoniam aliud est legati, & aliud imperatoris officium. Imperator rei totius exitū expectat, & consilio metitur: at legatus solum imperatoris sui iussum aspicit, & mandati finibus se cōtinet. Syllæ enim castrorum à Cæsare custodia cōmissa fuerat, cōtentus fuit custodisse, & suos periculo liberasse. Multæ præterea eruptiones hinc inde fiebant, & in Dyrrachiū, & à Dyrrachio in castra Cæsaris, adeo vt vno die sex in locis pugnaretur. Quibus in prȩliis de Cæsarianis viginti duntaxat, Pompeianorum vero duo millia periere, inter quos multi erant centuriones, & insignes viri. in quibus congressibus insignis virtus laudatur Volcatii Tullii, qui cum tribus cohortibus Pompeianam legionem pertulit repulitq;: necnon & quorundam Germanorum, qui è munitionibus erumpentes multis hostium cæsis sospites rediere. In castello autem quodam quod Pompeius inuaserat, tātus fuit sagittarum imber, vt sine vulnere defensorum nullus euaderet: quin & centuriones quatuor oculis capti sunt: & quum sero diurni laboris & periculi summam repræsentare decreuissent, triginta sagittarū millia numerarunt. Inter cuncta Scæuæ cæsi cēturionis admirabilis virtus fuit, cuius scutum relatum Cæsari cum centum viginti foraminibus est inuentum, de quo quidem varia fama est. Quidam enim tradunt, Cæsarem viri & de se & de Republica (vt aiunt) meriti eximia virtute permotum, qua castellum prope sua seruatum esset, pecuniariis eum donis ingentibus & magnis honoribus cumulasse: & inter cȩtera ab octauis ordinibus ad primipilum prouexisse, cohortem vero totam duplici stipendio, & donis militaribus prosecutum. Apud alios Scȩua idem duce absente cedentibusque suis, clypeo centum viginti telorum ictibus transfixo, mirisque ac incredibilibus rebus gestis occubuit. Sic igitur rebus se habentibus, Cæsar neque prosperitate tumidior, neq; aduersitate contractior, cotidie in aciem ducebat exercitum, & pugnæ copiam faciebat. Quotidie interim congressus fiebat in prælia, & vtrinq; cædes, atque insignium virorum casus miserabiles: pacisque consiliis male repudiatis locus iræ atq; odio datus erat. Fuit dies vnus Cæsari satis aduersus, quo eruptio ab hostibus violentissima facta est. Fuitq; eo die Aquiliferi illius virtus insignis, ac spectata dies, qui quū lethali vulnere trāsfixus morti proximum se sentiret, versus ad comites, porrigensque aquilam quam iam ægre sustinebat, Hanc, ait, ô commilitones mei viuens multis annis & multa cura seruaui, & nunc moriens eandem Cæsari pari fide restituo: vos autem per cōmunis imperatoris amorem oro atque obtestor, cauete dedecus Cæsaris castris insolitum, ne forte hostium in manus veniat tanti ducis signū, per manus vestras salua ad Cæsarē reuertatur. Hæc dicēs corruit, cētumq; alii primȩ suȩ cohortis cum principe ceciderunt, multaq; diuersis in locis cȩde edita, vicit Pompeius illa acie, & imperator est appellatus. Quūq; cedētes fugientesq; non sequeretur, negauit Cȩsar aut vincere, aut victoria vti scire. Cȩsi sunt autē eo die de Cȩsarianis (vt refert Orosius) militum quatuor millia, cēturiones viginti duo, plurimiq; equites Romani. Labienus vero in suum olim ducem inexpiabili odio accensus, à Pōpeio captiuos sibi dono dari petiit. ꝙ quū impetrasset, productos omnes in medium, & cōtumeliosissimis verbis increpitos in cōspectu omnium interfecit. Hoc enim euētu Pōpeianis tantum spei accreuerat, vt non de bello amplius, sed de victoria cogitarent, & multa varia decernerent: & quasi nil iam incidere posset aduersi, famam victoriæ per terrarum orbem nunciis ac litteris diuulgarunt. Cæsar concione aduocata milites consolatus est, hortatus ne deficerēt animis. debere enim eos vnū, & idipsum non nimis gra-

ue prælium ac infaustum, multis fœlicibus cōpensare, & fortunæ gratiam habere, quod Romam, quod Italiam, quod Hispaniam vtranque sine sanguine quasi diuinitus recepissent: non posse, præsertim in bello, prospera omnia prouenire, verum tristia lætis temperanda esse, aduersamque fortunam virtutis ope leniēdam. & hæc quidem ad exercitum. Quosdam vero signiferos quorum culpa clades accepta fuerat, notatos infamia à gradu militię suæ amouit. exercitū reliquū tantus pudor & tantus dolor inuaserat, tantumq; desiderium abolendæ ignominiæ, vt non expectato superioris imperio vltro quisq; pro supplicio grauissimo sibi labores assumeret, omniumq; animi arderent incredibili quadam cupiditate pugnandi, viam illam expurgandæ infamiæ vnicam existimantes. Quin & legati, & qui ad consilium vocabantur, oratione Imperatoris & pudore tacti, persistendum pugnandumque censenbant, & acceptam prælio hostibus refundendam cladem. Solus Cæsar erat in contraria sententia: nam neque victis tam cito in aciem reuersuris satis fidebat, & reparandis animis spacio opus esse: neque præterea tam hostem, quā frumenti inopiam esse metuendam eo loco manentibus iudicabat. Ilico igitur sauciorū & ęgrotantium cura suscepta, noctuque impedimentis præmissis, Apolloniam profectus est: his vna legio præsidio relicta, & hinc in Thessaliam fatis impellentibus commigrauit.

Prælium Cæsaris & Pompeii in Thessalia.

QVANQVAM hæc Cæsaris gesta nullatenus ad Hispaniā illiusq; gesta pertineant, quia tamen gesta Cæsaris in Hispania plurima & magna sunt, visum est & alibi facta innectere duplici consideratione: prima, quoniā eius facta adeo magna sunt, & à viris illustribus commendata, vt debite debeant interseri, ne ab Hispanis ignorentur: secunda, quia res Cæsaris in Hispania gestæ magnæ sunt, & plurimæ quadruplici transitu, vt illorum facta & gesta continuentur ad ea quæ apud exteras nationes & prouincias ab eo gesta sunt, quoque ordine gesta sint pernecessarium est intelligere. Hunc tamen in eis explicandis obseruabimus modum, vt res extra Hispaniam gestas breui relatione perstringam, cæteræ vero quæ ad Hispaniam pertinent, copiosa relatione describentur. Intellecto itaque à Pompeio discessu Cæsaris, concione facta suis pro rebus bene gestis gratias agit, eos vero qui cum Metello Scipione socero Pompeii paucis ante diebus venerant, hortatur nō tam ad bellum, quam ad præmia belli, ipsi autem socero & classicum & prætoriū tribuit, quæ fuerant imperatoris insignia omnisque & honoris & imperii eum participem fecit. Duobus enim tantis exercitibus in eadem castra coniunctis nemo erat qui de victoria dubitaret, vsque adeo vt iam omnes de præmiis & honoribus, & quod stultius est, de Cæsaris contumelia plurimum inter se agerent. Pompeius quidem solitis artibus bellum trahere cunctando erat intentus, vt cœperat: principes vero ipsius ambitionem in prorogando bello arguebant. tot vocibus consiliisque superatus vnus omnibus cessit inuitus, decreuitque pugnare: adhuc tamen rem trahebat. Cæsar vero dilationem oderat, neque sperabat, Pompeium posse vllo ingenio ad pugnandum induci. hac difficultate perplexus vtilimum belli genus elegit, vt motis castris in perpetuo motu esset, neque vnquam amplius quam vnum diem vno ageret in loco. hoc sibi consilium vna ratio suggerebat: nouerat enim exercitum suum fortem, duratumq; laboribus, Pompeianum vero molliorem, versatum in vrbibus, & discursibus insuetum, itaque circunducēdo illum posse fatigari. Præterea mutatione locorum, quod frumenta iam in agris essent, victurum vberius exercitum cōfidebat. illa autem spe potissimum mouebatur, si forsitan se vagāte hostis etiam moueretur, & sic inter eundum casus aliquis atque occursus exoptatæ pugnæ tribueret facultatem. Ex his enim omnibus hoc vltimum euenit, vt sine ampliore discursu pugnæ daretur occasio. Vnde quum ab Apollonia Cæsar castra metatus esset in Thessaliam regionem vicinam, & vt decreuerat, signum dedisset itineris, & iam tentoria vellerentur, ecce iam mota Pompeii castra prospiciunt. Qui (vt diximus) victus omnium vocibus suo abiecto aliena consilia sequebatur, & assumpta, vt fit, multorum hortationibus fiducia, paulo ante hunc diem in concilio dixerat, euenturum vt ante congresū exercitus Cæsaris vinceretur. quibusdam mirantibus, non se nescium incredibilem rem videri prima facie, dehinc latius ingressus exposuit, quum equitatu abundarent, circunueniri omnes Cæsaris copias esset perfacile. Quod quum pluribus verbis explicauisset, Labienus incepit Pompeii sententiam atq; potentiam laudibus ad cælum ferens, & Cæsaris imbecillitatem oratione deprimens insolenti. Quibus dictis ne quid deesset insaniæ, iurauit se nisi victorem nunquam è prælio reuersurum, cæterosq; ad id iusiurandum verbis incitauit, nec minus exemplo Pōpeius dictum laudans iurauit similiter: & sic omnes pariter

pariter iurauerunt, vt neceſſe fuerit multos ibi fieri periuros. Ingenti gaudio, tanquam fœliciter rebus geſtis, nec minori ſpe à concilio diſceſſerunt, iuramentum tanti imperatoris de tam magna re velut arrham victoriæ tenentes. digreſſi autem è concilio nō ita multo poſt (vt diximus) in aciem ſunt progreſſi. Quos vbi Cæſar, quùm ipſe etiàm caſtra mouiſſet, aduertit in eum locum deſcendiſſe, vbi æquo Marte certari poterat, ſubſtitit, & conuerſus ad ſuos ait: Non eſt modo amplius de itinere, ſed de prælio laborãdum: adeſt ecce nobis occaſio quam ſemper optauimus, pugnandi, & finem laboribus imponendi. Hęc dicens, inſtruere acies cœpit omni militari arte, cuius peritiſſimus erat, ſuoſque interim admonere, ne ſe à multitudine hoſtium circumueniri ſinerent, omnibus iubens ne ſine iuſſu eius inciperent, ſe in tempore quid agendum ſit, ſigno indicaturum. Circumuenire inde acies, & animos verbis accendere, virtutemque inſitam excitare commemoratione ſuæ erga illos ſemper optimæ ac beneficæ voluntatis. Inter alia non omiſit ſe modis omnibus pacem quæſiuiſſe, & humilius forte etiam quam deceret: nominauit etiam per quos de pace Pompeium & Scipionem interpellaſſet, atque hæc omnia non metu aliquo, ſed pietate, vt ciuili ſanguini parceretur, ne Reſpublica paucorum furoribus in magnas calamitates incideret. Ex aduerſo autem quam ſuperbe ac impiè petitiones ſuas neglexerunt, telorumque miſſione repulerunt, magnam nobilibus animis indignãdi materiam præbuiſſe. Hiſque explicitis obſecrantibuſque militibus, pugnæ ſignum dedit. Erat in exercitu Craſtinus quidam, qui priori tempore ſub Cæſare honeſto gradu militauerat, tunc vero non militiæ ſacramento, quo ſolutus erat, ſed iure quodam amicitiæ euocatus aderat, vir bellica virtute memorabilis. Hic Cæſaris concione intellecta, & ſigno prælii audito alacri vultu & voce, Sequimini, inquit, me manipulares olim mei, imperatori noſtro quam debetis operam exhibete. vltimū hoc prælium eſt, quo peracto ille ſuam dignitatem, nos noſtram recuperabimus libertatem. Dehinc verſus in Cæſarem, Faciam, inquit, hodie imperator, vnde vel viuo, vel mortuo mihi gratias agas. Hæc dicens, primus in hoſtes impetum fecit, eumq; delecti milites circiter centum viginti voluntarie proſecuti ſunt. Concurſumque eſt in campis Theſſaliæ quos Philippicos vocat, ad Pharſalum oppidum. illum ſibi locum Romæ inuidens fortuna delegerat. De numero vero copiarum longe autores diſſentiunt, Annei quidem Flori qui hanc rem breuiſſima oratione perſtrinxit, verba ſunt hæc: Nullo vnquam loco tantum virium Romani populi fortuna vidit, trecenta & amplius millia bellatorum hinc atq; illinc præter auxilia Regum & Senatus. Eutropius vero deſcribit in eo bello fuiſſe cum Pompeio peditum quadringenta millia, milites vero mille & centum, ſexcentos videlicet in ſiniſtro cornu, in dextero vero quingentos. Cæſar vero habuit peditum non plene trecenta millia, equites vero mille. Huic autem concordat Oroſius. Cæſar vero in Commentariis numerum copiarum non exprimit, ſed aſſerit eodem bello interfuiſſe mille viginti duas cohortes, ex qua expreſſione de ſuprādicto numero facilius poteſt haberi credulitas. Petrarcha vero in libro de viris illuſtribus tranſit cum aſſertione Annei Flori. Hic exitus pugnæ ad Pharſalum fuit.

De morte Pompeii, & bello Alexandrino & Africano à Cæſare geſto.

POMPEIVS igitur viſo aduerſo belli euentu fugiens in Lariſſam vrbē ad Ægęum mare in oſtio Penei amnis onerariam nauem nactus in Aſiam tranſiit, inde in Cyprum, poſt in Ægyptum venit. Ibique mox, vt littus attigit, iuſſu Ptolemæi regis Ægyptiorum in gratiam Cæſaris victoris occiſus eſt. Pompeii filii fugerunt. Cætera Pompeiana claſſis direpta eſt, omnibus qui in ea erant crudeliſſime trucidatis: ibiq; & Pompeius Bithynicus occiſus eſt. Lentulus vero vir conſularis etiam apud Peluſium interfectus eſt. Cæſar compoſitis apud Theſſaliam rebus, Alexandriam venit, prolatoq; ad ſe per Ptolemæum, ac viſo Pompeii capite anuloq;, fleuit. Cumq; Ptolemæus in regiam ſe domum recepiſſet, hortabatur à tutoribus, vt pecuniam omnem acciperet, ac templa ſpoliaret ſuis ornamentis, & regios theſauros vacuos eſſe oſtenderet, & in odium Cæſaris populum excitaret. Præterea Achillas dux Regius imbutus ſemel Pompeii ſanguine, & Cæſaris meditabatur. nam iuſſus exercitum dimittere (præerat enim 20. millibus armatorum) non modo ſpreuit imperium, verum etiā aciem direxit. in ipſo prælio regia claſſis quæ ad terram adducta fuerat, iubetur incendi. ea flamma pars quoq; bibliothecę Philadelphi proximis ædibus constructa exarſit. Cæſar poſtea inſulam vbi Pharos eſt, cepit. Achillas deinde cū Gabinianis militib. venit. ingens vbi pugna commiſſa eſt. magna quidē ibi Cæſarianorū militū multitudo cecidit: omnes etiam interfectores Pōpeii interfecti ſunt. Cæſar vi inſiſtentiū hoſtiū preſſus ſcaphā aſcendit: qua mox ſubſequentiū pondere grauata ac merſa,

per ducentos passus ad nauem vna manu eleuata, qua chartas tenebat, natando peruenit. Mox nauali certamine inito magna facilitate classem regiam depressit, & Alexandriam cepit, petentibusque Alexandrinis Regem suum reddidit, monitum vt magis amicitiam Romanam quam arma experiri studeret, qui tamen ilico vbi liber fuit, bellum intulit, sed continuo cum toto exercitu suo & ipse deletus est. Nam viginti millia hominum in eo bello cæsa referuntur, duodecimque millia cum septuaginta longis nauibus dedita, & quingenti ac duo ex victoribus cecidisse dicuntur. Rex vero ipse adolescens scapha exceptus vt fugeret, multis insilientibus mersus ac necatus est, corpusque eius ad littus euolutum, indicio loricæ aureę cognitum fuit. Quo peracto Cæsar Alexandrinos omnes desperatione ad deditionem compulit, regnumque Ægypti Cleopatræ regis sorori ob in eã illecebrarum amorem conceptum dedit. Inde Syriam peruagatus, Pharnacem in Ponto vicit. Postea vero quam Romam venit, in Aphricã transiuit, & apud Thapsum cum Iuba & Scipione pugnauit, maximamque ibi hominum multitudinem interfecit, castraque vtriusque diripuit, ac sexaginta elephantos cepit. Cato sese apud Vticam occidit: Iuba Rex percussori iugulum dato precio præbuit: Petreius eodem se gladio perfodit: Scipio in naui qua ad Hispaniam fugere contendens vento coactus in Africam redierat, semetipsum iugulauit: in eadem naui etiam Titus Torquatus occisus est. Inde quatuor triumphis vrbem ingressus, disposito recuperatoque Reipublicæ statu, continuo in Hispanias contra Pompeianos Pompeii filios profectus est.

Cæsar iterum in Hispaniam venit ad prosequendum Pompeii filios.

IAM igitur quarto Cæsar intrat Hispanias, persecuturus vltimo Pompeii filios. Hæc enim quæ ad Hispaniam non pertinerent, cursim pertigimus, vt Hispaniæ gesta quo ordine constarent, facile quisque intelligeret. Nunc vero paululum digressi ad nostrum Hispaniæ propositum reuertamur. Decimo igitur septimo die postquam ab vrbe egressus fuerat (vt ait Orosius) Saguntum Hispaniæ (nunc Muriuetus) peruenit, & inde septimo die terrestri itinere videlicet XXIIII. die, postquam ab vrbe discessit (vt refert Petrarcha libro de viris illustribus) Cordubam vrbem vlterioris Hispaniæ attigit. Duo enim superfuerant filii Pompeii, Gneus & Sextus. Sextus perantea in Hispaniam se receperat post patris mortem, Gneus vero, quum Cæsar bellum Africanum ageret, pulsus ab oppido Sturro in littoribus Africanis per Baleares insulas in Hispaniam peruenit. Sextus Cordubam cum præsidio tenebat, Gneus vero circuibat prouinciam, & quarundam ciuitatum amicitiam petebat à patre receptis beneficiis, quarundam vero amicorum beneuolentia, aliarum precibus, cæteras vero etiam bello & armis tentabat. Interea Gneus nullũ oppidum inter Hispalim Cremonamque quondam opulentissimam vrbem oppugnare statuit. Oppidani quidem Vllæ portas Gneo Pompeio clauserunt. intellecto enim Cæsaris aduentu, duos ab oppido nuncios per media hostium castra miserunt, nunciantes Cęsari, nisi citissime occurreret, oppidum in manus Gnei Pompeii esse venturum. Cæsar audiẽs vrbem Vllam tam bene de ipso meritam, sexdecim cohortes totidemque equites ad illorum auxilia nocte secundaque vigilia misit, illisq; præfecit hominem eiusdem patriæ, doctum rei militaris & practicum L. Viminiũ Patiecum. Qui quum venissent ad Gnei Põpeii præsidia, quæ tempestate aduersa ac vento afflictarentur, adeo vt vix proximos conspicere possent, maximam exinde opportunitatem assecuti sunt. Nam quum videri non possent, per media hostium castra bini emittuntur equites, qui simulantes esse de Põpeianis, ad oppidi portas venerũt, & signo dato tam ipsi, quam equites & pedites sunt recepti. Inde rebus dispositis in Pompeianos obsessores eruperunt, plurimaque illis tanquã insciis damna intulerunt. Cæsar igitur misso ad Vllam præsidio, vt Gneum Pompeium ab obsidione auerteret, Cordubam quæ principalis tunc vrbs erat illius regionis, concessit.

Bellum ad Cordubam à Cæsare secundo gestum.

CÆSAR (vt diximus) vt Gneum Pompeium ab Vllæ obsidione deduceret, Cordubã venit (venerant enim ad eum perãtea legati à Corduba promittẽtes vrbis deditionẽ) Sextus vero Pompeius frater Gnei in ea se continebat. Præmisit igitur Cæsar nõnullos loricatos viros fortes cum parte equitatus, qui quum ante conspectum vrbis se cõtulissent, ab oppidanis & ciuibus deprehensum est, Cæsarem proximum esse. Propterea erupit magna vrbis multitudo ad excitandum prælio loricatos. Ipsi autem loricati ab equis descendentes, magnum ibi prælium commiserunt, superuenienteque equitatu Cęsaris, qui latebat in insidiis, maxima multitudo erumpentium cessit, & capti sunt, ita quod pauci in

vrbem

vrbem redierunt. Qua ex re timore commotus Sextus Pompeius literas misit ad fratrem Gneum, vt celeriter sibi subsidio veniret, ne prius Cæsar Cordubam caperet, quam ipse venisset. Itaque Gneus Pompeius Vlla vrbe capta literis fratris excitatus cum copiis Cordubam venit. Est autem Corduba sita ad flumen Bætim (Guadalchauir moderna lingua vocitatum) estque posita vrbs ad Occidentem ad Lusitaniæ partem. Ad eam itaq; partem Cęsar castra posuerat, inde ad Bætim amnem pontem instituit, quo in Bæticam transiret per eumque traiecit exercitum. Vrbs vero pontem habebat quo transitur in Bæticam. Pompeius igitur quum venisset, castra posuit contra vrbem, & Cæsar Lusitaniam versus, qui vt commeatum ab vrbe prohiberet, pontem vrbis intercidere conatus est. Quod quum fuisset prospectum à Pompeio, ad pontem concursum est, ibique diuersis prælis pugnatum: quod vt expeditius fieret, Gneus Pompeius intra vrbem se recepit. Per hos igitur dies pedites duo à Cæsarianis capti sunt, qui se seruos dicerent. Illis autem non licuit Cæsarem suam seruare consuetudinem. antequam enim ad Cæsarem ducerentur, quod ex Cæsariano exercitu transfugissent, à militibus interfecti sunt: & tabelliones capti qui ad Pompeium Cordubam mittebantur, & præcisis ilico manibus sunt remissi. Similiter speculator Pompeianus captus, atque occisus est. Creditur enim milites hoc fecisse tanquam iratos bello, & cognito Imperatoris sui more, qui in hos semper consueuit esse clemens, hoc remedii genus excogitasse, ne quis faciem eius videret, vt sic nullus euaderet. Multis igitur & magnis insultibus vtrinq; decertatum est in ea obsidione. Quũque die quodam ferro & flammis solito etiam grauius pugnaretur, ciues ira in furorem versa in hospites qui securi secum iure veteris hospitii morabantur, inspectante Cæsaris exercitu, iugulatos è muris præcipitauere. Qua re audita ex gemitu morientium vnius, quidam qui ad muri custodiam stabat in cuniculo, scilicet ad murum perfodiẽdum, exclamauit: Tetrum scelus, & immane flagitium, nullaque excusandum barbarie commisistis absque vlla causa. nihil enim mali merebantur, quia nihil mali fecerant, qui ad vos, vestrasque aras, ac focos infausta fiducia se contulerant: ius hospitii sanctum gentibus soli vos spreuistis, atque vtinam spreuisse sufficeret, inhumano illud scelere violâstis. Multa quoque in hanc sententiam dixit, quorum verecundia repressi ciues ab hospitum cædibus se continuerunt. Sic interdum vnius boni viri inter multos malos valuit oratio. Ea res relatu transfugæ in exercitu primum Cęsaris innotuit. Die proximo Tullius quidam cum Catone Lusitano quodam legatus ex oppido ad Cæsarem venit. Huius prima pars orationis fuit, optare vt suus potius fuisset quam Pompeii miles, suamque constantiam in Cæsaris potius fœlicitate quam in Pompeii miseria præstitisset. Finis autem fuit, se à Põpeio desertos, victos à Cæsare, seque & vrbem dedere, atque orare vt clementiam, quam victis gentibus præbuisset, suis ciuibus non negaret. Multa præter hæc loquutus est, quæ (vt refert Petrarcha libro de viris illustribus) librariorum culpa confusa vix intelligi possunt. Vnum tamen hoc intelligitur, quod multis vltro citroque dictis tunc vrbis deditio non est facta. Sequenti tempore duo Lusitani fratres qui à Pompeio ad Cæsarem transfugerant, nunciarunt Gneum Pompeium concionẽ habuisse, quoniam vrbi subsidium ferre non posset, qui ex Pompeianis essent, nocte se deducerent mare versus vrbe relicta. quod vbi quidam respondisset expedire potius, vt ad dimicandum descenderent quam fugæ signum ostenderent, eum Pompeius iussit occidi, secundum Petrarcham: quanquã Anneus Cirtius & Iulius Celsus (qui Commentaria Cæsaris de vltimo Hispano bello alter composuit, & alter emendauit) de hoc nullam faciant mentionem. Pugnatum est itaque pro his nunciatis ad murũ acriter, donec turres ligneæ Cæsaris, altera vi telorũ corruit, altera vero igne incensa est. Sequenti vero die quædam materfamilias de muro se deposuit, & transfugit ad Cæsarem. Hoc pręterea tempore tabellæ de muro sunt deiectę, in quibus inuentum est scriptum: Lucius Mutius Cæsari. Si mihi vitam tribuis, quoniam à Gneo Pompeio sum desertus, qualem me illi præstiti, tali virtute & constantia me tibi præstabo. Eodem tempore iidem legati ex vrbe qui ante exierant, Cæsarem adierunt: si sibi vitam concederet, sese in sequenti luce vrbem daturos. quibus respondit, se Cæsarem esse, fidemq; præstiturum. Ita ante diem vndecimam Calend. Martii Cæsar vrbem obtinuit, & Imperator est salutatus. Quod vbi Pompeius ex profugis scisset, castra mouit, Vcubimque oppidum peruenit (quod quidam Vbedam, alii vero Baessam arbitrantur) illucque cum peruenisset, conuocatis quos in oppido fidos habuerat, seu arbitrabatur, imperauit discerni qui sibi, qui Cæsari fauerent. Quæ res quum sibi relata esset, & distincti essent, quasi foret scelus maximum amasse Cæsarem, septuaginta quatuor ictu securis occidit, reliquos intra oppidum inclusit, ex quibus centum & viginti elusis custodiis ad Cęsarem transfugerunt. Multaque per hos dies à Pompeio eiusq; militib. crudeli-

ter gesta sunt. Per hos etiam dies multa bella & prælia gesta sunt ad oppidum Theugam, Grimiumque, ac alia oppida, quæ Pompeius cum retinere non posset, incendit, & hodie non extant: de quibus late disserunt Anneus Cirtius & Iulius Celsus in explicatione Cōmentariorum Cæsaris de vltimo bello Hispano. Pompeius igitur cum amicis magnanimitatem suam & metum Cæsaris dissimulabat. Inuentæ autem sunt literæ eius, continētes Cæsarem non audere copias in campum educere, suis tyronibus deficientem. qui si copiam æquis in locis aliquando faceret, se rem omni opinione celerius confecturum, idq; se expectare. Ibat interea Hispanias ambiendo, & vt ipse dicebat, ciuitates suarum partium conseruando. Itaq; Hispalim venit, contraq; vrbem in Oliueto castra posuit, indeque alias atq; alias adiit. ad extremum Mundam venit, quam tutissimum belli locum delegerat, & quam fortuna vltimam priscis cladibus cōseruarat: ibiq; Pompeius substitit.

De bello Cæsaris ad Mundam gesto contra Gneum Pompeium.

Munda] *quibusdam Conimbrica creditur, quam Mūda fl. hodie Mōdego alluit: aliis verius Rōda est in Batica.*

PERVENIT ergo Pompeius ad Mundam vrbem. Fuit autem Munda ciuitas (quæ à nostris Coimbrium appellatur) in regno & regione quæ nunc Portugallia dicitur, ab antiquis Gallatia. Ad eam itaque vrbem Cæsar applicuit, castraque castris Pompeii adiunxit. Erat autem locus vbi Pompeius castra posuerat altus, difficilis, atque præruptus, ne inuaderetur à Cæsarianis. In medio vero duorum castrorum planities erat pro parte Pōpeii paludosa, voraginosa atque difficilis, & per eam aditus habebatur ad castra Pompeii. Interim Pompeius Fausto scripsit, qui se intra vrbem continebat: cui significabat Cæsarem non audere exercitum ad plana deducere, neque in vallem descendere, eo quod exercitus suus pro magna parte tyronum esset. quæ literæ miris modis animos oppidanorum attollebant. Dum sic igitur Pompeius alios solaretur, & ingenti, quātum arbitror, solicitudine agitatus magna parte noctis instructis staret aciebus, Cæsar, nescio quonam iturus esset, castris egrediebatur. Cui cum status hostium nunciatus esset, constitit, ordinauitque aciem, & inde concursum est magnis hinc & hinc clamorib. sed maioribus animis, ineffabilibus atque immensis odiis, pugnatumque est acriter atq; pertinaciter. Et quod pene pudendum dixeris humanæ fragilitatis indicium, nusquam Cæsari neque cum hostibus, neque cum ciuibus aut tam anceps euentus, aut proprius extremo periculo res fuit, vsque adeo, vt (sicut elegantissime ait Florus) plane videretur nescio quid deliberare fortuna. Tamque hæc fortunæ deliberatio diuturna fuit, vt inter moras prælii neutram in partem declinante victoria, quum iam veterana illa militū manus tot probata victoriis, Cæsareis oculis insuetū dedecus, sensim retrocederet, nec quominus palam fugeret, tam virtute, quam pudore teneretur, dubitare, quod nunquam ante illum diem fecerat, Cæsar cœperit, atq; diffidere, & solito mœstior ante aciem stare ita tamen, vt nihil penitus de imperatoria solita virtute remitteret. immo equo desiliens, & furenti similimus in aciem primam peditum euolauit, clamans, increpans, obsecrans, atque exhortans, nec tantum voce, sed oculis, sed manu, & pectore fugam sistens & fugere incipientes in prælium vi retorquens. Tanta denique trepidatio illius ducis seu imperatoris fuit, tamq; diu ambiguis pugnæ finis, vt cogitasse de extremis Cæsarem scriptorum plurimi tradiderint, & eo vultu fuisse, quasi iamiam mortem conscire cogitaret. Et quanquam apud eos qui in prælio fuerunt, nulla penitus huius rei sit mentio, dicunt tamen, & quidam etiam pro comperto asserunt, tam diu hanc rerum ambiguitatem durasse, donec quinq; cohortes hostiū à Labieno castris laborantibus auxilio directæ, mediāq; per aciē properantes fugæ speciē portenderūt. O fortuna in omnibus potens, sed in bellis potētissima! siquidē Cæsar siue illas fugere arbitratus, siue credulitatem simulans, ducum sagacissimus, velut in profugos impetū fecit, animosq; & suis addidit, & hostibus depressit: & hostes fugere, & suos hostes insequi cōpelleret: & dum Cæsarianos fugere suspicarētur, fugerent ipsi. Ita Labienus Cæsaris desertor & transfuga, & Actius Varus cū triginta millib. hominū ex Pōpeianis ceciderūt eo prælio, ac mortui sunt: cecidissentq; longe plures, nisi adeo habuissent propinquū refugium vrbis. Ex victoribus vero Cæsaris ceciderūt ad tria millia, pluresq; tā ex militibus quā ex peditibus sauciati. Itaq; quū Cæsar muris vrbis obsidionē admouisset, ager flebilis & horrēdus ex cadaueribus erat, per quē ad oppugnationē vrbis ascēderetur. in quo telis atq; mucronib. tanquā calce cōpacti sibi inuicē cohęrebāt, muriq; officiū exhibebāt. Visuntur aūt adhuc eo in loco sepulchra Labieni & Vari iussu Cęsaris facta, nō respiciētis ad iniurias ab eis, sed pręcipue à Labieno receptas. Gne⁹ quidē Pompeius humero & lęuo crure saucio inter medias cædes prælio pulsus excessit. Hūc in lectica, quū nec equo, nec vehiculo vti posset, per nemorosas vias penetrantē. atq; fuga

Fuga humili & occulta in ſpeluncis latitantem, Cæſonius Cæſaris Legatus ad Lauronam oppidum conſecutum occidit, & obtruncatum caput ad Cæſarem detulit, talibus donis & muneribus minime gaudentem. Hic vero autores diſſentiunt, quoniam Anneus Florus, quem ſecutus eſt Petrarcha in lib. de viris illuſtribus, aſſerit Gneum Pompeium Mundenſi prælio ſauciatum, Iulius vero Celſus qui Commentaria Cæſaris emendauit, videtur dicere, quod alio loco & prælio fuerit ſauciatus. Vtcunq; fuerit, ſatis eſt eum poſt Mundæ prælium tali morte occubuiſſe. Interea Munda a Cæſare expugnata captaque eſt, & magna ſanguinis diluuione perfuſa. Sextus itaque Pompeius frater intermedio tẽpore Cordubam vrbem occupauerat, intraque eam ſe continebat. Quumque confugiſſet ad eum Phalorius adoleſcens cum paucis, Sextoque nunciaſſet belli exitum, quicquid pecunię & bonorum habebat, diſtribuit militibus ac oppidanis, dixitque ſe ad Cæſarem pro componenda pace proficiſci, ſicque è Corduba fugiens, vt Petrarcha poſt Anneum Florum refert, in Celtiberiam conceſſit. Poſt eoſdem dies expugnata eſt denuo Corduba, quæ qualiter a Cæſare defecerit, non inuenitur. magni in ea motus erant, magnaq; diſſenſio, parte vna in Cæſarem, altera in contrarium inclinante. Quumque eſſet ad arma concurſum, vicit pars quæ Cæſarem colebat, ſibique oppidum ceſſit: de parte vero Pompeiana viginti duo millia cecidere. magna ſiquidem in vrbe ciuilis ſtrages erat. His peractis Cæſar Hiſpalim venit, ibiqueCaninium cum præſidio reliquit. Philo itaque qui in ea vrbe defenſor fuerat Pompeianorum partium acerrimus, vir per totam Luſitaniam notiſſimus, & ad comparanda auxilia aptiſſimus, in Luſitaniam proficiſcitur, atque quodam Cæcilio Nigo nomine in auxilium aduocato, qui magnam Luſitanorum manum congregauerat, rurſus Hiſpalim de nocte per murum aggreditur, vigiliaſque iugulauit: Caninius partem vrbis cum præſidio defendit. Inde Cæſar cum in Gades traieciſſet, auditis quæ Hiſpali geſta eſſent, iterum Hiſpalim rediit, Caninio & ſuis præſtiturus auxilia. Interim Luſitani qui intra vrbem erant, decreuerunt in caſtra Cæſaris eruptionem facere, ſed Cæſarianis acriter reſiſtentibus vltra progreſſi cogitarunt claſſem maritimam quæ intra Bætim amnem erat, incendere. quod cum incepiſſent, à Cæſarianis repreſſi & intercepti pro maiori parte occiſi ſunt. Vrbeque denuo recepta, ad res Hiſpaniæ vltimo diſponendas Cæſar concione aduocata ad Hiſpanos verba fecit: ſe videlicet cum primum Hiſpaniam Quæſtor intraſſet, eam prouinciam, ſcilicet vlteriorem Hiſpaniam, inter omnes alias ſibi peculiarem elegiſſe: inde cum ſecundo Prætor aduenïſſet, multa illis beneficia contuliſſe: inter quæ illud fuit, cum vectigal quod Metellus illis impoſuerat, donari & eis remitti à Senatu obtinuit. Deinde Conſul factus, ipſius prouinciæ curam atque patrocinium aſſumpſit, multis legibus in Senatu introductis, multis publicis ac priuatis odiis conceptis eos defendit ac iuuit. Eorum omnium beneficiorum & commodorum eos fuiſſe & eſſe immemores, & ingratos & in ſe, & in populum Romanum, & hoc bello & præterito tempore cognouiſſe: quodq; ipſi ſæpius tractaſſent eum medio foro capere more barbarorum, eoſq; ſemper odiſſe pacem, atque in eadem prouincia ſemper haberi maleficia pro beneficiis, eoſque neque in otio concordes, neque in bello virtute præditos vllo tempore eſſe potuiſſe: quoniam veniſſet ad eos vt priuatus ac fugatus Gneus adoleſcens, ab eiſque receptus eſſet, illique obtuliſſent faſces & imperium, multiſque occiſis ciuibus auxilia ei contra Romanum populum contuliſſent, prouinciamque ſuo impulſu vaſtaſſent. In quo ignorabãt, quo freti auxilio ſperarent Romanum populum ſuperare. quoniam ſi ſperarent eo mortuo finem belli, meminiſſe debuiſſent Romanum populum immortalem, ac ſibi ſupereſſe decem legiones, quæ non modo Hiſpalenſes & Hiſpaniam domare, ſed cælum quoque euertere ſufficientes forent. multaque alia in hanc ſententiam protulit. Hiſque peractis conſtruxit in regione vrbem ex iis regionalibus, & aliis qui eodẽ in loco conſidere voluerunt, qui cum eo militauerant, quam Emeritam à merito ipſorum militum appellauit. Hiſpalim vero Romanis tam militibus, quam aliis impleuit, & ampliauit, & (vt multi referunt) Iuliam Romuleam appellauit. ex qua re vſque in hunc diem remanet nomen, vt ab ipſo Iulio Cæſare Ciuilia moderno idiomate, id eſt ciuitas Iulia nominetur. Et hic ciuilis belli finis eſt.

IOANNIS EPISCOPI GERVNDENSIS PARALIPOMENON HISPANIÆ LIBER DECIMVS DE GEstis in Hispania ab Augusto Cæsare, & aliis Imperatoribus vsque ad Theodosium.

Quomodo Octauianus Augustus Cæsar sumpsit imperium, & est cognominatus Augustus.



Onvs præcedens continet gesta in ciuili bello Cæsaris & Pompeii in Hispania, illiusque exordium, atque finem: nostri autem operis institutio est prosequi gesta sequentia temporibus Augusti Cæsaris, aliorumque Imperatorum vsque ad tempora Theodosii senioris, atque Honorii & Arcadii filiorum eius: quorum temporibus Gotthi ab Arcto venientes Hispaniam occupauerunt, quorum decursum Isidorus aliique scriptores sunt prosecuti, vbi nos operi nostro finem proposuimus facere. ad historiæ igitur seriem redeo. Quum Cæsar obtenta Hispania (vt superiori libro late diximus) Romam rediisset, dum Reipublicæ statum contra exempla maiorum clementer cœpisset instaurare, autoribus Bruto & Cassio, conscioque plurimo Senatu, viginti tribus vulneribus confossus interiit: in qua coniuratione fuisse amplius quam sexaginta conscios ferunt. Post Cæsaris vero mortem anno ab vrbe condita septingentesimo decimo, Octauianus qui testamento Iulii Cæsaris auunculi sui & hæreditatem & nomen assumpserat, creatus est Imperator, Pansa & Hircio Consulibus. Erat quidem Octauianus adolescens natus annos septendecim, qui cum duobus Consulibus Pansa & Hircio missus est à Senatu ad persequendum Marcum Antonium, qui pro Iulio Cæsare Africam tenebat, & multa nefaria committebat. Missi tres autem duces contra Antonium, eum apud Vticam vicerunt, acciditque vt ambo Consules Pansa & Hircius morerentur, omnesque simul tres exercitus vni Imperatori Octauiano cesserunt. Antonius amisso exercitu & fugatus confugit ad Lepidum, qui Cæsaris magister equitum fuerat, & secum copias militum grandes habebat in Sicilia, à quo benigne susceptus est, & statim Lepido operam dante Octauianus Cæsar cum Antonio pacem fecit. Et quasi vindicaturus patris sui mortem, à quo per testamentum fuerat adoptatus, Romam cum exercitu profectus extorsit, vt sibi ad vicesimum annum Consulatus daretur, atque Senatum proscripsit, & Rempublicam cum Antonio & Lepido armis tenere cœpit. Qui posteaquam vicisset Cassium & Brutum interfectores Cæsaris patris, Sextumque Pompeium in Sicilia, plurimaque alia bella prospere gessisset, intellecto quod Antonius repudiata sorore Octauiani Cleopatram reginam Ægypti duxisset vxorem, aduersus eum bellum mouit. quo deuicto ac superato nauali pugna apud Actium, qui locus in Epiro est, post eam pugnam Ægyptus Romano accessit imperio. Atque qui duodecim iam annis cum Antonio & Lepido imperasset ab eo anno quo primum Consul creatus est (vt placet Eutropio) Romam cum venisset, primum Augustus nominatus est: atque Consulatum (tunc enim rerum omnium summam, atque absolutam potestatem, quam Græci Monarchiam vocant) adeptus est. Eoque die hoc factum est, quo Magi ab Oriente venientes Christum regem adorauerunt, videlicet octauo Idus Ianuarias: quem diem nos Christiani Epiphania, siue apparitionem appellamus, vt placet Orosio. Et tunc primus Augustus Cæsar, quia Ægypto & Oriente perdomito, victo atque mortuo Antonio, quum cessassent ciuilia bella, claudi iussit portas Iani, quæ iam ab vrbe condita tertio tantum clausæ fuerant, vt refert Orosius libro sexto. Considerans tamen postea Cantabros, atque Astures, nonnullasque alias Hispaniæ vrbes quæ Romano non parerent imperio, iterum iussit aperiri portas Iani, translatisque victricibus armis in Hispaniam, ipsam prouinciam pacare instituit.

De aduentu Augusti Cæsaris in Hispaniam.

CÆSAR igitur iam cognominatus Augustus, considerans parum fuisse, bellum gestum esse in Hispania per annos ducentos, si Cantabros, atque Astures, duas potentissimas Hispaniæ gentes & prouincias, suis legibus vti sineret, aperuit portas Iani, atq; in Hispaniam ipse cum exercitu suo profectus est, & (vt Iustini verbis vtamur in vltimo libro) victricia arma Cæsar transtulit in Hispaniam. Et quoniam de portarum Iani apertione fecimus mentionem, eius rei rationem aperire libet. Erat in vrbe Romana templum dicatum Iano, cui offerebantur victimæ bellorum temporibus, cuius portæ tantummodo claudebantur, quum vrbs cessaret à bellis. Has autem portas à condita vrbe bis tãtum clausas fuisse constat, primo quidem post Romulum temporibus Numę Pompilii, secundo vero capta seu deleta Carthagine. iam enim tertio tunc portæ clausæ sunt Iano. Hic ergo Octauianus Cæsar iam cognominatus Augustus, videns parũ sibi esse Asiam Africamque perdomuisse, si Cantabros, Vaccæos, Astures, Illiturgos, ferocissimas Hispaniæ nationes, Romanoque imperio non parentes, prætermisisset, apertis iam portis, redditisque sacrificiis, in Hispaniam venit debellaturus dictas quatuor regiones, vt placet Iustino in suo Epitomate. Inter has itaque gentes potentiores duæ erant Cantabri & Astures. Cantabrorum vero & prior, & altior, & magis pertinax in rebellando animus fuit, qui non contenti libertatem suam defendere, sed finitimis etiam imperare tentabant, Vaccæosque, ac Illiturgos, & alias eis vicinas nationes crebris incursionibus fatigabant. Igitur ad Cantabros primum veniens, partito exercitu eos debellare cœpit. Habebat enim classem ab Oceano, quæ terga hostium grauiter premebat, adeo vt ad Cantabriæ mœnia bellice pugnatum sit. Hinc Cantabri deficientes, nec vim Romanorum ferre valentes, fugam in eminentissimum vicinum montem arripiunt, in quem potius Oceani maria, quam Romanorum arma ascensura esse crediderant. Inde Romani Aracillum oppidum magna vi repugnans capiunt. Cantabri vero quum Medulli montis iuga occupassent, quæ faciliter expugnari non poterant, Octauianus Augustus ipsum montem fossa & vallo quindecim milliarium obsidione circundedit, assistente circum vndique Romano exercitu. Quum vero obsessi extrema vitæ vidissent, dietimq; fere certaret, certi de suo interitu, quidã qui ferro cum hostibus agere non poterant, veneno sumpto, quod ex arboribus taxeis exprimitur (quarum arborum in ipso monte copia magna est) mortem sibi consciuerunt: sicq; illorum pars maxima obsessorum à captiuitate quæ imminere videbatur, subtracta est. Durauitq; bellum hoc per annos quatuor, vt placet Orosio, & Lucio Floro. in hoc tamen autores dissentiunt, an per se Augustus Cæsar hoc bellum gesserit, an per Legatos: pluribusq; placuit Augustum per se bellum gessisse, Lucio vero Floro in fine sui Epitomatis visum est Augustum hoc gessisse bellum per Antistium, Furnium, & Agrippam legatos hybernante Augusto Cæsare in Tarraconæ maritimis. Deuictis itaq; Cantabris, Asturibus, Vaccæis, Illiturgibus, aliisq; populis Hispaniæ inimicis Romani imperii, Augustus Cæsar ampliata vrbe Cæsaraugusta (quam ex suo nomine appellauit Cæsaraugustam, quæ etiam perantea Agrippa dicebatur) quum Tarraconã recessisset, & omnia bella humani generis cessassent pacatis omnibus, quum portas Iani iam secundo eo imperante claudi iussisset, illud decreuit edictum quod in Euangelio Lucæ legitur, & in nocte salutiferi partus recitatur: Exiit edictũ à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis qui sub eo erat, &c.

Probatio quod hoc edictum ab Euangelista Luca nominatum, decretum sit Tarraconæ, & de differentiis annorum edicti & Christi natiuitatis.

ET quia sicut Christi natiuitas Orientem, ita & Occidentem quoque, id est ipsam Hispaniam, illustrauit prophetarum vaticiniis ex tempore eius edicti effectum suum habentibus, ideoq; quibus probetur testimoniis id Tarraconæ fuisse decretum, videamus. Primum quidem testimoniũ est à maioribus nostris traditum in Romanis annalibus, vbi in calce edicti legitur: *Datum Tarraconæ.* Secundum testimonium est Pauli Orosii presbyteri Tarraconensis viri clarissimi, & in historia summi, in eius Hormista libro 6. qui sic ait: Post deuictos Cantabros, Vaccæos, Astures & Illiturgos, quod bellum annis quatuor expeditum est, quum Augustus Cæsar Tarraconam concessisset, iterum ac secundo, id est ab vrbe condita quarto Iani portas claudi iussisset, orbisq; quieuisset à bellis, illa gloria Augusto Cæsari Tarraconã allata est de Orientis populis, quæ quondam Alexandro Macedoni de Occidentalibus Babylonem est allata. Ex quo constat tunc Augustum habuisse vniuersale dominium, completasq; prophetias quæ cecinerant Christum pacis tempore esse nasciturum. Accedit etiam testimonium Titi Liuii in historia clarissimi, vt refert Anneus Lucius Florus in fine tertii libri sui Epitomatis, postquam retulisset Cantabricũ bel-

Hæc in optimis editionib. Orosii, qualis est Fran. Fabricii, non comparet.

lum per annos quatuor gestum, concessionemque Augusti Cæsaris ad vrbem Tarraconam: Hæc per Antistium, Furnium, & Agrippam legatos hybernans in Tarraconis maritimis Cæsar accepit. Ipse præsens hos deduxit montibus, hos obsidibus astrinxit, hos sub corona iure belli venundedit. Digna res lauro, digna curru Senatui visa est, licet Cæsar tantus erat, vt posset triumphos contemnere. Astures per idem tempus ingenti agmine à montibus suis descenderant, & positis castris apud Asturam flumen trifariam diuiso agmine tria simul Romanorum castra aggredi parabant. Fuisset anceps & cruentum & vltimum mutua clade certamen, nisi tam fortes tanque subito consilio venientes Brigæcini prodidissent, à quibus præmonitus Carisius cum exercitu adueniens oppressit consilia. Sic tamen non incruento certamine reliquias validissimi ac fusi exercitus ciuitas Lancia excepit: vbi adeo pugnatum est, vt quum in captam vrbem faces poscerentur, ægre dux impetrauerit veniam, vt victoriæ Romanæ beneficio potius extaret, quã in vindictã destrueretur. Et post subdit Florus: Hic finis Augusto bellorum ac certaminum fuit, idem rebellandi finis Hispaniæ, mox certa fides. Et postea quibusdam adiectis subdit: Omnibus ad Occasum & Meridiem pacatis gentibus, ad Septentrionem quoq; duntaxat intra Rhenum atque Danubium, item ad Orientem intra Taurum & Euphratem, illi quoque reliqui qui immunes imperii erant, sentiebant tamen magnitudinem & victoriam gentium populi Romani. Nam & Scythæ & Sarmatæ misere legatos amicitiam petentes. Seres etiam habitantes sub ipso Sole, inclyti gemmis & margaritis, elephantos quoque inter munera trahentes, nihil magis quam longinquitatem viæ imputabãt, quia in itinere quadriennium exegerant, quos ipse hominum color ab alio venire cælo fatebatur. Parthi quoque quasi victoriæ pœniteret eos, rapta classe Crassiana, signa vltro retulere. Sicque vbique cuncta atq; continua totius generis humani aut pax fuit, aut pactio. Tandem Cæsar Augustus septingentesimo ab vrbe condita anno Ianum geminum clausit, bis ante se clausum, sub Numa Rege, ac victa primum Carthagine. Et hæc de perpetua & æterna pace. De æris vero edicto subiungit idem Lucius Florus in fine: Hinc conuersus ad pacem, pronum, & in omnia mala luxuriamq; fluens seculum grauibus seuerisque legibus multis coercuit. Ob hæc tot facta ingẽtia Dictator perpetuus, & pater patriæ appellatus est. Tractatum etiam est in Senatu, an quia condidisset imperium Romulus, inter Deos relatus esset: an sanctius ac reuerentius visum esset nomen Augusti. Probatur etiam quod hoc edictum in Hispania & vrbe Tarracona sit decretum, quoniam ab illo edicto ac ærea constitutione Hispania omnis semper postea computauit annos vsque vltra millesimum ac ducentesimum annum, & maxime in ecclesiasticis rebus, in quibus non à mundi creatione, non ab indictionibus, non ab Olympiadibus, nec à Christi natiuitate seu incarnatione, sed ab æra, illoque Augusti Cęsaris edicto, vt satis patet ex libro conciliorum, omnibusq; Hispaniæ conciliis, ac cæteris veteribus ecclesiasticis Hispaniæ codicibus, hæc cõputatio solum ab Hispanis retenta est & obseruata, vt meminit Guilielmus Duranti in vltimo libro Rationalis diuinorum officiorum. Cur autem differat hæc computatio ab anno incarnationis seu salutiferi partus annis viginti sex, dicimus quod quum ipsum edictũ decretum fuisset Tarraconæ, & pronunciatum per Augustum Cæsarem sextodecimo sui imperii anno, vel saltem decimo septimo, videlicet postquam annis duodecim imperasset cum Antonio, & denuo victo Antonio Romam rediens post annum duodecimum, quum fuisset consalutatus Augustus, transtulissetque victricia arma in Hispaniam, quod bellum aduersus prædictas quatuor gentes quum intra annos quatuor absoluisset, rediẽs Tarraconem ipso sextodecimo vel septimo decimo imperii sui anno, non fuit tamen executioni mandatum vsque ad quadragesimum secundum sui imperii annum. Quoniam quum putaret pacem omnibus sæculis constitutam in emanatione decreti, quam secuta hominum salus & in terram venire debuerat, iuxta Esaiæ, Dauid, & cæterorum prophetarum vaticinia: ob eam edicti pronunciationem nonnulli populi in Gallia & Germania rebellarunt, suspensoq; edicto missi sunt ad illos domandos à Cæsare Tiberius & Drusus. qui postquam omnia pacassent, Romanoq; imperio subegissent, anno quadragesimo secundo sui imperii, quo anno Christus natus est, à præside Syriæ Cyreno cæteroque orbe edictum Tarraconæ decretum executioni mandatum est. Cuius computationem Hispania omnis, non à generali executione per vniuersum facta, sed à die decreti facti retinuit. Qua ex causa differunt computationes Christi incarnationis & partus salutiferi ab ipsa ærea computatione ipsis viginti sex annis, quibus æreæ computationis edictum præcessit, & si qui plures addunt annos, errant vehementer. *

* imo tu] *Errat vehementer Io. Margaritus Gerundens. Episcopus hic in supputatione Æra ab omnibus discedens. Primum enim non soli Hispani ea calculandi ratione vsi sunt: nam & Galli & Græci, vt Did. Couaruuias Var. Resol. lib.* I. *c...* *docet, &* XXXVII. *anni ante Christi natalem inchoauit: non, vt hic contendit, nodum in scirpo quærens,* XXVI. *Vide Vagati Chronica. Item Sepuluedam, And. Resendium & Did. Couar. & Blasium Orthoz. de templo Toletano Amlir. Moralem.*

Ioannis Episcopi Gerundensis Paralipomenon Hispaniæ finis.

RODE-

RODERICI SANTII EPISCOPI PALENTINI HISTORIÆ HISPANICÆ PARTES QVATVOR.

SERENISSIMO AC INVICTISSIMO PRINCIPI DOMINO D. HENRICO IIII. CASTELLÆ & Legionis Regi excellentiſſimo, eiuſdem regiæ maieſtatis humilis capellanus, auditor, & conſiliarius, Rodericus Santii de Areualo, vtriuſque iuris & artium profeſſor, Epiſcopus Palentinus Hiſpanus, Caſtri ſancti Angeli almæ vrbis Romæ pro ſanctiſſimo Domino, Domino Paulo ſecundo Pontifice maximo Caſtellanus, ſeipſum cum ſupplici recommendatione.

*F*ALLVNTVR *plurimum qui Hiſpaniarum laudes, patriæ ſitum, gentis religionem & cultum, atque virtutes & ſtudia, bellorum quoque victorias, aut nolunt, aut ſcire negligunt. Idque, vt arbitror, ob ſcriptorum inopiam contigiſſe putandum eſt: quemadmodum de geſtis Romanorum Saluſtius in Catilinaria conqueritur. Inuidet enim Athenienſibus quod res ſuæ ſcribentium induſtria longe illuſtriores in toto orbe, quam fuerint, referantur. Nec aliter de rebus Hiſpanicis dici poteſt. nam & Perſarum, Græcorum, & Romanorum geſta, licet ampliſſima fuerint, verum aliquanto forſan inferiora quam fama ferantur. Sed quia magna ſcriptorum ingenia ea luſtrarunt, per orbem terrarum pro maximis celebrata ſunt. Hiſpanica tamen gens nunquam habuit talem copiam ſcriptorum, quia pauci ingenium ſine corpore exercebant, & quilibet optimus vir potius volebat facere quam dicere, cupiebatque amplius ſua benefacta laudari, quam ipſe aliorum benefacta narrare. Cæterum nonnulli Hiſpanas res legere dedignantur, eo (vt puto) errore ducti, quo nonnulli bonarum artium ac rerum inexperti, quod in angulo mundi (vt aiunt) Hiſpania ſita eſſe videatur, contendunt, atque extra orbem poſita (vt eorum verbis vtar) ab orbis gloria aliena videatur. Longe aliter ſapientes coſmographi ſenſere, qui orbem deſcripturi, ab Hiſpania, tanquam à principali orbis porta, incepere. Cum enim mundi machina marino circumfuſa ſit pelago, Hiſpania illa eſt quæ ad orbem ipſum aditum præbet, veluti ex cuius oris atque littoribus Atlantico monti oppoſitis pelagus ipſe oceanus profluit, & Africam, Aſiam, Europamque nedum nobilitat, ſed luſtrat atque diſterminat. Vt igitur huiuſmodi hominum error tanto apertius à mentibus ſenſatorum exulet, quanto eſt à veritate remotior, mandauit mihi Serenitas T. quæ totius orientis, ſimul & mediterraneæ, ac ſeptentrionis regionum ſitum, deſcriptionem, & principatus, præclaraſque res ſic mente tenet, ac ſi pedibus oculiſque illa omnia peragrando conſpexiſſet, vt noſtram Hiſpaniam, immo tuam, quæ occidentis plagam tenet, ad aliorum potius quam tuam inſtructionem breuiſſime deſcriberem, ac paucis quibuſdam (vt ita dixerim) ſyllabis paucula quædam inter plurima quæ huiuſmodi prouinciam concernere & ornare videntur, ſubiicerem. Verum quia nonnulli ſancti & egregii viri res Hiſpanicas ſummatim deſcripſere, prouinciæ ſitum, gentis mores, præconia ſimul & præclara facinora non ſatis complectentes, inter quos beatus Iſidorus breui, ſed graui ſtylo, Gotthicæ gentis originem qui in Hiſpania regnarunt (ex quibus tua maieſtas tuique progenitores ortum trahitis) regumque ipſorum geſta & ſucceſſiones ſua vſque tempora contexuit. Rurſus id ipſum egit Lucas Tudenſis. Deinde Rodericus ſanctæ ſedis Toletanæ Archipræſul eorundem regum ſucceſſiones, pariter & ſucceſſus vſque ad tempora Ferdinandi huius nominis* III. *(à quo per rectam lineam tua maieſtas* XI. *gradu diſtat) breui, ſed ſuaui eloquio luſtrauit: quæ omnia eadem tua excellentia ſolerter inſpexit. Voluit tamen nunc ſingulari ſui ingenii acumine, & præteritas præclaraſque res agnoſcendi deſiderio accenſus, nedum earundē Hiſpaniarum ſitum & laudes, regumque ſucceſſiones, ſimul & ſucceſſus poſt eundem Fernandum* III. *agnoſcere, ſed longe ante, à primo videlicet Hiſpaniæ rege poſt illius calamitoſam miſeramque cladem (quem Pelagium eſſe conſtat) vſque ad moderna hæc tua tempora, præſertim quia ea omnia Latino ſermone deſcripta non plene reperiantur. Iniunxiſti profecto princeps Sereniſſime, rem optimo principi debitam ac te dignam, dum voluiſti vt ea omnium præclariſſima orbis regio, quæ tibi famulatur naturali ſubiectione, obſequatur & delectabili lectione, & delecteris illius præconia ac*

res gestas legendo, quam diligis eius incrementa quærendo. Faciam igitur satis non quidem desiderio, sed præcepto tuæ maiestatis, & rem ipsam altius repetendo, breuissimas quatuor in hoc historiæ compendio particulas edisseram. In prima quidem Hispanicæ auræ salubritatem, terræq; feracitatem, auri argentiq; ac cæterorum metallorum & mineralium diuitias ac fœcunditatē, gentis quoq; religionē, fidem, amicitiam, humanitatem, strenuitatem deniq;, ac cæteras hominū & glebæ Hispaniæ laudes & præconia breui interseram. Situm rursus Hispaniarum, illarumq; descriptionem respectu cæterorū orbis climatum, & regionū antiquitatem: deniq; principatus Hispanici regnorumque erectionem, sed & diuisionem, & quando, & quomodo, & à quibus inceperunt, ac in quo tandem regno Hispaniæ titulis resideat: rursus in ea parte Græcorum, Pœnorum, ac Romanorum ad Hispanias ingressum: initium deniq; & originem principatus Gotthorum, Ostrogotthorum, Vandalorum, Alanorum, Hugnorum, Sueuorum, illorumq; ad Hispanias accessum, & incolatum, & principatum succincte perstringam. In secunda vero parte eorundem Gotthorum primum in Hispania regnantium principatum, illorumque regnandi ordinem, successiones, ac gesta vsque ad Rodericum vltimum eorundem Gotthorum regem, sub quo calamitosa clades Hispaniæ secuta est, breui calamo percurram. In tertia tandem parte sequentium regum omnium Hispaniæ successiones, & succedendi ordinem, successus denique & clariora eorum gesta, à reparatione Hispaniæ inchoando, videlicet post infelicem cladem, vsque ad Fernandum III. prædictum, qui à Pelagio ipso primo post dictam cladem regnante XXXV. rex fuit, summatim repetam, nonnullaque addam, à prædictis scriptoribus intacta. In quarta parte continuans Roderici Toletani historiam, incipiam à dicto Fernando, in quo ille scribendi finem dedit. Deinde sequentium post illum in Hispania regnantium successiones, clarioraque gesta vsque ad hos nostros dies, in quos fines sæculi peruenerunt, quibus T. excellentissima M. feliciter regnat: demum quæ prædictorum regum temporibus digna relatu fuere, tam in Romana & Apostolica sede, quam Imperio, clarioraque exterorum illustrium virorum & pulchra sapientum documenta breui & fideliter referam, vt quod vnus Rodericus præsul tam vtiliter inchoauit, alius eiusdem nominis & professionis expleat, impari tamen sapientia & eloquio, licet pari affectu. Dabo ego enarrandis rebus testimonium verissimum, veluti qui partim corpus dedit historiæ, & Hispaniarum oras, littoraque, & angulos à mari vsque ad mare, seriose ac personaliter peragraui atque conspexi. Nec dubito à quibusdam multa in rebus ipsis scripta fore, quæ forte à tramite veræ narrationis deuiasse audio, pro eo quia nihil oculata fide, sed per audita à remotis narrata scriptitarunt. Tunc enim, vt putamus, res qualibet certissimo comprobatur testimonio, cum eodem vtitur relatore, quo teste.

RODERICI SANTII EPISCOPI PALENTINI

HISTORIÆ HISPANICÆ

PARS PRIMA.

De laudibus & præconiis prouinciæ & terræ Hispaniæ quoad aeris & patriæ salubritatem.

CAP. I.



DICTVRVS de regione Hispaniæ, eiusque situ, descriptione, ac de Regibus in ea regnantibus, & de illorum genealogia, & clarioribus gestis, decreui paucula ex multis contexere. Scio quidem longiora, aut breuiora dici posse, ego tamen potius breuitati studui quam copiæ, ne legentes fastidio afficiam. Atque vt lectores attentiores reddam, dignum existimaui incipere à laudibus & insignibus præconiis eiusdem Hispaniæ prouinciæ, gentisque religione, fide, humanitate, & amicitia. Primo itaque de terræ Hispanicæ salubritate, ac aeris puritate: secundo de glebę Hispanicæ feracitate, & rerum omnium fertilitate, quæ naturales diuitias ad humanum victum necessarias gignunt, breuiter differemus: tertio de auri & argenti, metallorum, ac aliarum rerū copia, quæ industriales efficiunt opes: quarto de gentis Hispanicæ religione, fide, humanitate, & laudibus. Verum ne domesticæ laudes ab Hispano viro allatæ, Hispaniæ gloriam minuant, dabunt fidem historiæ, rebusq; enarrandis viri sapientes à sæculo famosi, præcipue Strabo, Pomponius Mela, denique Ptolemæus, Plinius, Solinus, Iustinus, & plerique alii qui orbis & vrbis gesta fideli narratione scripserunt. Hispania itaque ab Hispa-

ab Hispano Herculis nepote appellata est, quam longe ante veteres ab Ibero fluuio Iberiam, alii Hesperiam ab Hespero sydere quod eam respicit, nominarunt, & (vt statim latius in eius descriptione differemus) Hispania sita est inter Africam & Galliam, vt refert Strabo. Quinimmo (vt Iustinus subdit) sicut minor vtraque terra, ita vtraque longe vberior atque salubrior. Nam neque vt Africa violento sole torretur, nec vt Gallia assiduis ventis fatigatur, sed media inter vtramque, hic temperato calore, ibi felicibus & tempestiuis imbribus gaudet. Rursus (vt refert Iustinus) salubritas cæli per omnem Hispaniam æqualis est, nullaque paludum graui aeris nebula inficitur, vt plures orbis regiones. Tanta denique (vt Straboni placuit) in ea terra aeris puritas est, vt in ea prouincia nō facile noxium animal reperiatur. Temperies item eius tam à priscis sæculis est laudata, vt quidam Elysios campos non procul ab ea posuerint. Ibi enim mites Zephyri flant, ibi vita ducitur facilima. nam ad eam marinæ auræ accedunt, vndique assiduique ventorum flatus, quibus omnem prouinciam penetrantibus præcipua omnibus sanitas redditur. Nec Aristoteles rerum naturalium indagator solertissimus id ipsum negauit. ait enim in Politicis salubritatem terræ ex duobus maxime causari, alterum ex cælesti conformitate, alterum ex ventorum puritate. Conficitur primo patriæ salubritas ex cęlesti conditione, vt videlicet hyemali tempore absque nebulis debita claritate lustretur: in ęstate vero immoderato calore non opprimatur. Secundo cognoscitur terræ salubritas è ventorum puritate. Ea siquidem terra saluberrima cōprobatur, quā boreales siuè septētrionales purificant venti. Idque contingit, cum talis orbis plaga ad eosdem aquilonares ventos aperta est, nec à propinquis montibus impeditur, vt Hispania. Habent enim proprium ipsi septentrionales venti, vt à cunctis contagionibus terram quam visitant, puriorem atque salubriorem reddant. Hinc Palladius Rutilius scribit, quia salubritatem cuiusuis regionis aerisq; puritatē declarant ipsa loca ab infimis vallibus & nebularum noctibus absoluta, ac spirituum aquilonarium flatibus non impedita: constat vtique Hispaniæ terram densis tenebrarum nebulis non assidue infici, nec à quibusuis motibus impediri, quin à septentrionalibus vētis libere visitetur. Cuius salubritatis signa humana sentiunt corpora. Hominibus enim eius regionis incolis capitis sanitas, capillorum item firmitas inest, inoffensum denique lumen oculorum, purus auditus, fauces commeatum liquidæ vocis exercent: contraria vero aeris malignitatem annuntiant. Hispani itaque intra natales suos degentes acutiorem firmioremque visum retinent, quam si alibi commorentur, vbi capitis vertiginem sentiunt, ac capillorum dentiumq; tempestiuius firmitate & pulchritudine frustrantur.

Hispaniæ situs.

Eiusdem puritas aeris.

Terræ salubris argumenta seu probationes ex sententia Aristotelis.

Palladius Rutilius.

Hispanorum proprium.

De Hispaniæ laudibus quoad terræ fertilitatem & aliarum rerum vbertatem. quæ naturales efficiunt diuitias.

CAP. II.

HISPANIÆ fertilitas, ac frugum rerumque omnium ad vitam mortalium expedientium feracitas, non ignota priscis sapientibus fuit, adeo vt non ipsis tātum incolis, verum etiam Galliæ, Flandriæ, vtriq; Britanniæ, ipsi quoque Africæ cunctarum rerum abundantiam præbeat. In Hispania rursus (vt Iustinus voluit) non aquarum cursus veloces, non torrentes rapidi, vt noceant, veluti Longobardorum laudata prouincia patitur, sed lenes. Vineis rursus campisque irrigua est, vt vitæ humanæ congruit. Nec solum frumenti ingens copia est, verum & mellis, zuchari, cunctorumque liquidorum. Adde, nascitur in Hispaniæ gleba alius non paruus thesaurus, alibi rarus. lini enim, sparti vis ingens, minii nulla terra feracior est. Tanta enim patriæ vbertas sese offert, vt fœminæ non modo res domesticas, sed agrorum culturas administrent, dum viri bellis, nonnunquam rapinis & venationibus vacant. Adde, quia Strabone teste ex Hispaniæ gleba vini, frumenti, ceræ magna extrahitur vis: item pix, grana, purpuræ & salis ingens copia. Inde lanarum & telarum abundantia. cuniculorum quoque quos plerique lepusculos vocant, tanta est copia, vt sterilitatem terræ aliquando ingerant, quo fit vt plerunque habitātes pecunias venatoribus, vt capiant, largiantur. Taceo de radice ad tincturam idonea, quę inibi abūdat. Arbores in Hispaniæ gleba Strabo fore testatur, ex quarū exciso ramo lac effluebat dulcissimum. Rursus circa Carthaginem nouam fuisse arborem perhibet, è cuius cortice tela pulcherrima coficiebatur. Fructuum quoque atque pomorum tam exuberans copia atque dulcedo inibi est, vt ad cæteras orbis partes continuo deferantur. Nam apud Alexandriam fructibus pomisque nostris cum eorum aromatibus permutatis, prouincia nostra eorum vbertate ditatur. Quid de vinorum copia, varietate, & bonitate dici potest? Gallorum littora maritima atque Flandrensium vino carentia, id non ignorant: sed & Anglicorum Scotorumque ampla sitis testimonium perhibet, ad quos assidue onerariæ

naues non paucæ deferuntur. Olei insuper copia linit eius vbertate & dulcore orbem. Piscium quoque tanta multitudo, & magnitudo, & bonitas est, vt incredibile videatur. Nã in capite Bęticæ prope Gaditanum fretum res non tam mirabilis quam vtilis omni anno visa est. Certis enim temporibus anni innumera dalphinorum multitudo ad littora infallibiliter accedit, quasi piscatoribus se offerant. Turres enim inibi sitæ sunt, ex quibus venire cateruatim cernuntur, & appositis magnis retibus cum paruo labore & summo venandi gaudio tanta capitur piscium copia, quantam piscatores volunt, appositisque salibus conseruantur, & per totum fere orbem deferuntur. Vnde Strabo, in mari, inquit, Hispano omnia genera piscium capiuntur, vt Dalphini, ostrea, conchylia, congri, murænę: a nostris maiores inueniuntur aliquando quatuor cubitorum. Animalium quoque & armentorum, sed & pecudum à quibus pecunia appellata, tanta copia est, vt plerunq; ob vellera atque coria multa millia occidantur. Capras denique Hispania equosque producit syluestres abundanter, procreat & castores. Equorum vero ne dum copia, sed pernices greges Hispani obtinent, quorum tanta est velocitas, vt potius volare quam currere credantur, illorum præsertim quos olim expeditos equos, hodie Ginetos vocant, quos Strabo ait esse similes equis Spartarũ, reliquos omnes mira celeritate superantes. Rursus equorum Hispaniæ tanta fertur esse fides, vt cum se percussos in bello sentiant, sessores suos incolumes inter hostes mira probitate extra prælium reponãt. Serico vero adeo abundat, vt cæteræ sibi cedant prouinciæ. Denique in ea prouincia ingens est materialium copia ad medicamenta victumque hominis pernecessariorum. Sed iam agemus finem, si id vnum attulerimus, quo huius refertissimæ vbertas prouinciæ feracissima designatur. Teste enim eodẽ Iustino in Lusitania iuxta flumẽ Tagum quod Toletanos agros vsque in oceanum mira fertilitate rigat, compertum est equas vento flatuque concipere. quod à nonnullis fabulose exponitur, pro eo quod inibi tanta equorum equarumque copia generatur, vt quasi vento ipso concepti videantur: quod ipsorum scribentiũ salua dixerim gratia. Quinimmo natura ipsa, terræque salubritate, aeris puritate, atque supracælestium corporum peculiari quadam inibi influentia, accedente naturali denique equarum ipsarum concipiendi desiderio, id effici posse physici non negant. Idque Solinus in eo quem de mundi mirabilibus libro edidit, constanter affirmat. ait enim in ea quam ediximus Hispaniæ parte, aspirante Fauonio, equas ipsas vento concipere, & cum masculos sitiunt, aut odorantur, aurarum spiritu maritantur.

Pecunia etymon.

Tagus fl.

De Hispaniæ præconiis quo ad auri, argenti, & aliorum metallorum, cæterarumq; rerũ copiam, quæ industriales opes comparant.

CAP. III.

SOLICITVS ordo solicitat, vt reliquam partem amplectamur. Postquam igitur actũ est de terræ Hispanicæ feracitate & rerum omnium fertilitate, ex quibus naturales diuitiæ nomen acceperunt, superest breui agere de auri & argenti cæterorumque metallorum copia, ex quibus industriales opes conficiuntur. Est itaque Hispaniæ terra mineris auri & argenti & aliorum metallorum ditissima, si solerter inquiruntur. Ferrariis quoque vltra cæteras orbis plagas abundat, adeo vt etiam aquas generet, quibus ferrum acrius tẽperatur. Inde chalybis copia exhauritur, & plures mundi prouincias ferro & chalybe ditat, nec vllum apud Hispanos telum probatur, quod nõ aut Birbili fluuio aut Chalybe tingatur. Vnde etiam Chalybes huius fluuii finitimi appellati ferro cæteris præstare dicũtur. Plumbi denique & æris vberrima est. Sed vt de auro amplius dicamus, vsque adeo auro ditissima est, vt etiam aratro frequenter glebas aureas excitent rustici. quippe & hodie in arenis Tagi fluminis assiduo viros fœminasque non paucos conspicimus noctis tempore arenulas aureas splendentes colligere. Taceo de monte appellato sacro plurima dicere, quem Iustinus meminit, si ferro violetur, nefas grande reputandum: sed si quando fulgure terra proscissa est (quod etiam illis locis frequens res est) detectum aurum velut Dei munus colligere permittitur. Adde (vt Straboni placuit) chrysocolla, id est auri lauacra, appellata reperiri. Ibi denique ex purgamento auri quædam fit terra tenax, quam electrum vocant. Apud populos Carthaginis nouæ tantã auri & argenti copia est, vt eodem Strabone teste in ea prouincia quatuor hominum centuriæ (vt verbis eius vtar) & planius loquẽdo quatuorcenti homines populi Romani nomine x x v. millia drachmarum per dies singulos referebant, adeo vt ex nulla orbis plaga tam ingentem diuitiarum copiam exhaurirent. Cuius rei stant hodie signa patentia, cauernæ videlicet atque fodinæ minerales nimis profundæ, aceruus item scoriarum & purgamentorum argenti quod illo

Birbilis fl.

Chalybes.

Mons sacer.

Carthago noua.

illo tempore exhauriebatur,quę in instar montis habent. Fatemur tamen,nostris temporibus hominum incuria nulla ibi metallorum vtilitas carpitur, non quod desit nobis minor veteribus auri cupiditas, sed illud inquirendi inferior sagacitas. Rursus non puto omittendum quod idem Strabo subiicit. ait enim montes Hispanicos ad Boream versos multum vtilitatis prouinciæ afferre propter aurum, & argentum, & æs,quibus abundat. Talis est & Carpetania Celtiberorum pars & Bæturia. Generatur rursus stannum copiose admodum supra Lusitanos & in Cassiteriis insulis in quibus auri,& argenti,& metallorum copia reperitur. Ibi denique Salmoniacum,ibi vitriolum,ibi auripigmentum,ibi sulphuris ingens copia,ibi marchasitæ omnium genera alchimistis pernecessaria, ibi thuria & cætera atramenta abundanter repeiiuntur. Taceo mercurii copiam designare, quod argentum viuum appellant,cuius tanta fit exhauritio, vt nulla in orbis parte tam abundãter colligatur,adeo vt magnum regi vectigal comparet. Nec minor boli armenici, aluminis,spodii copia est.

Carpetania. Bæturia. Cassiteria insula.

De Hispaniæ laudibus quoad gentis religionem, fidem, amicitiam, humanitatem, strenuitatem, & cæteras virtutes.

Cap. IV.

CONSEQVENS est vt post enarrata paucula quędam ex multis laudum præconia terræ Hispaniæ quoad aeris salubritatem, simul & frugum vberrimam fertilitatem naturalem,sed metallorum cęterarumque opum iudustrialium copiosam feracitatem: gentis quoque Hispanicæ religionem, fidem,amicitiam, ingenii denique acumen, & viuacitatem,cæterasque laudes breui repetamus. Primo igitur supponendum putamus illud Aristotelis verissimum documentum, quoniam humana anima operationes intellectuales ipsasque ingenii vires, quibus homines vtique recte laudantur, nequaquam exercet, nisi mediantibus congruis corporis organis,pro eo quia (vt aiunt) nihil in intellectu esse putatur,quin prius fuerit in sensu. Quæ vna sufficiens causa creditur,cur humanus intellectus quandoque fatigatus putetur. Idque quanquam improprie, nec secundum se dictum sit, creditur tamen verum secundum ipsos exteriores sensus, quibus mediãtibus intellectus agit, atque vtiliter operatur. Ex quo illud sequi necesse est, vt operationes intellectuales sint habiliores, prout corpora humana melius aut peius disposita reperiuntur. Operatur ergo habilius intellectus, ipsæque animæ vires potiores redduntur, cum corpus maiore aeris salubritate & incolumitate gaudet. Ingenii siquidem vis & intellectus acumẽ (vt est philosophi sentẽtia) non parũ ex bona hominis complexione & validitate prouenire putatur. Ex quo illud elicitur, quia (vt aiunt) animæ sequuntur corpora, pro eo quia ex bona corporis valetudine sensus animæ fiunt viuaciores: cui igitur natura dat corpus non incolume, nec optime dispositum, per consequens & dat animam non recte dispositam. Cum igitur Hispania (vt præmisimus) incolis suis optimam generet salubritatẽ, vt etiam eis ingenii excellentis acumen intellectusq; viuacitatem tribuat, per quam necessarium videtur. Habent ergo Hispani ingenia pręclara, si ea colere velint, & ad omnia sciendi genera habilia. Adde huius rei aliam non insulsam, sed naturalem causam, quia ea est patriæ dispositio, ea temperies, quæ in hominibus remissos atque æquales spiritus non ad impetus sensuales agitantes tribuat, sed prout bonæ corporis & mentis valetudini conuenit. quo fit vt propter remissiores animorũ impetus sanguinisque æqualitatem habiles ingenio reperiantur. Demum vt virtutes corporeas non omittamus, habent Hispani corpora (vt veteribus placuit) ad inediam & labores aptissima, quarumuis corporis & animi fatigationũ patientissima, duram obseruãt & astrictã parsimoniam, vigilias, solẽ, & hiemem, famem quoque, ac sitim pati, & quæuis pericula pro patria sustinere & pro honore adire paratissimi sunt. vinum quoque malunt in cellario quam in ventre, quippe qui vendere potius quam gustare præeligunt: fœminæ vero & pueri Bacchum vt venenum fugiunt. Rursus Hispaniæ gentes (vt Iustinus refert) bellum quam otium præoptant, & (vt aiunt) si deest domi, extra hostem quærunt. Velocitas Hispanis atque lacertorum agilitas inest & fortitudo. saltandi quoque, trahendi, luctandi, ac natandi arte & exercitio plurimum callent. Hinc Romanus Vegetius, Hispanos, inquit, non tantum numero, sed viribus corporum, lacertorum agilitate nostris præstitisse manifestum est. Sed & Liuius id non negauit cum ait: Clarissima viris & armis Hispania, quæ si vires suas cognouisset, facile in imperium euasisset. Denique Hispanis equi & arma sanguine cariora sunt. Macilenti maiore ex parte & sicci sunt: quod signum est vigilantiæ, sobrietatis, & laborum patientiæ: ciuiles & ad omnem dexteritatem ingenii & corporis aptissimi. Nec mirum itaque

Aristotelis axioma.

Hispanorũ corpora qualia.

si tantum sanguinis Carthaginenses, si tantum Romani in subiuganda Hispania fudere. Quoties enim pugnatum est cum Hispanis impari fortuna? quoties cæsi Romani exercitus & duces? quoties turpi inito fœdere capti? quoties denique prope ad desperationem redacti fuere? licet illi nouis creatis ducibus fortius arma sumpserunt, adeo vt neminem Roma reperiret qui Hispaniam accedere niteretur. Nam (vt aiunt Liuius & Eutropius) anno ab vrbe condita DC. omnes Romanos tam ingens Celtiberorum metus inuasit, vt ex omnibus non esset qui in Hispaniam vel miles, vel legatus ire auderet. Sed & anno sequenti, licet Metellus in Celtiberiam missus esset, infeliciter militauit. Cui successit Quintus Pompeius, & demum Quintus Scipio, qui contra Viriatum in Lusitania bellum contra Romanos gerentem pugnantes, inglorii redierunt. Fuit autem Viriatus primum pastor, mox latro, mox acerrimus dux, vt XIIII. annis Hispaniis dominaretur. tantos enim ad bellum populos concitauit, vt sæpe Senatus res Hispanicas deserere cogitaret. Sed tandem (vt Liuius & Eutropius referunt) contra Viriatum Sextus Vectilius prætor mittitur, qui toto exercitu cæso, vix fuga elapsus euasit. Deinde Caium Plautium prætorem multis præliis fractum fugauit. Posthæc Claudium Vnimanum cum omni exercitu superauit. Sed interim Viriatus ipse à quibusdam Afris sibi familiarissimis interfectus est, putantibus Romanos interfectores præmio donare debere. Cum ergo à Scipione consule præmium peterent, probe responsum est, nunquam placuisse Romanis imperatores à suis militibus interfici. De huius Viriati moderatione, cultu, & moribus statim dicemus: cuius tempore Iudas Machabæus & frater eius Ionatas florebant in Iudæa. Quanta denique Hispanorum strenuitas fuerit, nouerunt Romani qui bello Numantino interfuere, qui publice fassi sunt (vt refert Æmilius Probus) potius victos quam victores Romam rediisse, nihilque ex eo bello aliud quam securitatem adeptos, seque magis euasisse Numantinos quam vicisse dixerunt. nam cum ex ea tempestate superesset quidam Tiresus Celticus, interrogatus à Scipione qua de causa Numantia aut prius inuicta, aut post euersa fuerit: Nostra, inquit, infelicitate, non tuis viribus. concordia enim victoriam, discordia excidium præbuit. Rursus Hispanis nullæ sunt balneorum aut vnguentorum deliciæ, quæ virorum animos effœminatos reddunt, nullus ibi festus dies, nullus epularum apparatus. aqua calida lauari post secundum bellum Punicum à Romanis didicere. Nec parum mirandum est (vt inquit Vegetius) in tanta sæculorum serie nullus Hispanis dux præter Viriatum fuit, qui (vt diximus) annis XIIII. Romanos vacua victoria fatigauit, quem ipsum non iudicio populi electum, sed vt cauendi declinandorumque periculorum scientia peritum secuti sunt: cuius ea virtus continentiaque fuit, vt cum consulares exercitus frequenter vicerit, tantis rebus prospere gestis non vestis cultum, non armorum titulum, non denique priorem victum mutauit, sed in eo habitu quo bellare primum cœperat, perseuerauit, vt quisquis gregarius miles ipso imperatore opulentior videretur. Fides quoque atque legalitas erga dominos Hispanis non facile credibilis est. Huic genti obedire dominis natura est, non quidem violentia, sed amore: & cui semel dedere fidem, præstitere simul & vitam. Testis est, vt cætera taceamus, illa Saguntinorum non modo fortitudo, sed expectata ad socios fides, vt Liuius, deinde Valerius referunt. Post duorum Scipionum totidemque Romanorum sanguinis exercituum miserabilem stragem, Saguntini victricibus Hannibalis armis intra mœnia vrbis suæ compulsi, cum vim Punicam nequirent amplius arcere, collatis in forum quę cariora cuique erant, & igne succẽsis, ne à fide & societate Romanorum discederent, communi rogo semetipsos superiecerunt. Hinc id ipsum Augustinus recitans ait: Hispaniæ ciuitas Saguntinorum, populi Romani amicissima & fidissima, dum eius populi fidem seruauit, euertitur. Rursus tanta huius gentis ad dominos amicitia & fides est, vt (testibus Iustino atque Valerio) tormentis sæpe pro fide, pro silentio rerum creditarum afflicti quippe & mortui, adeo vt potior illis fidei & taciturnitatis cura quam vitæ fuerit. Cuius rei celebratur etiam bello Punico serui Hispani fides & patientia, qui vltus dominum inter tormenta risu exultauit, serenaque lætitia crudelitatem sæuientium vicit. Vxorum denique ad viros fides & summa dilectio apud Hispanos non solum legum animaduersione, sed assidua obseruantia celebratur. Stat illud præclarum non longe à nostra ætate, sed sempiternis seculis consecrandũ facinus. Vt enim vera perhibent annalia, cum Eduardus regis Angliæ primogenitus in Domini sepulchrũ transfretasset, fuissetq; in via proditorie à Mauro quodã gladio veneнato percussus, & medicorũ remediis non tam alleuaretur quam alligaretur, tandem in Angliam sine salutis spe est reuersus. Eius itaq; vxor, regis Hispaniæ filia, nouam atque inauditam, sed amore & pietate plenam adhibuit medelam. plagas enim mariti toxico infectas

Viriatus.

Sextus Vectilius.

Iudas Machabæus & frater eius Ionát as quo tempore floruerint.

Tiresus Celticus.

Eduardus Angliæ Regis primogenitus.

fectas, quæ ipsius veneni vi claudi non poterant, lingua dietim lingebat, sugebatque humorem venenosum sibique liquorem dulcissimum. Cuius vigore, dicam verius fidei vxoriæ virtute, sic omnem materiam veneni attraxit, vt integratis vulnerum cicatricibus ille plene curatus, illa incolumis euaserit. Quid igitur huius mulieris fide rarius audiri? quid mirabilius esse potest? vt vxoris lingua fide & dilectione maritali peruncta, venena à dilecto marito expulerit, quæ ab electo medico trahi non valuerunt: & quod plurima exquisitaque non effecerunt medicamenta, vna vxoris pietas expleuit. Religionis insuper cultum obseruant Hispani summa cum veneratione, diuinis quoque ceremoniis delectantur apprime, assiduoque augetur in eis sacrorum cultus & sanctitudo. postquam enim sacræ fidei prima rudimenta sumpsere, quæ Iacobi Zebedæi Christi Apostoli tempore receperunt, nusquam à fide deuiarunt: Romanę sedi quæ fidei magistra est, sunt obsequentissimi. Nec id Hieronymus negauit. nam ad eosdem occiduos loquens, Apud vos, inquit, incorrupta patrum seruatur auctoritas, & cespite terra fœcundo dominici seminis puritatem centeno fructu multiplicat, ibi sol iustitiæ oritur. Rursus gens Hesperica nouitatum fidei inscia est atque impatiens. Hispaniæ gens denique amicitias quærit maxime, & ad omnes conuersandi dulcorē obseruat, humanitas illis adest & mansuetudo perhumilis. Et (vt paucis agamus) Hispanos siue clementia aeris, aut benignitate soli, siue natura & instituto ingenio, non modo litteris, sed & ciuilitati constat esse aptissimos, solertiaq; & moribus, alloquio sed & facilitate perornatos. Sed iam vt ad situm descriptionemque Hispaniæ accedamus, agam finem de laudibus eius, si sub quodam epilogo ea ipsa quæ attulimus, vt apud sapientes carpimus, summatim succincteque referamus. Hispania igitur, velut paradisus domini, quinque principalibus fluminibus irrigatur & fœcundatur, scilicet Ibero, Dorio, Tago, Ana, & Bæti, montanis inter quemlibet interiectis: mediæque valles, quæ sui latitudine vbertatem conferunt singularem. Nam humore fluminum & montium fœcundantur, sed & pro magna parte riuis & fontibus irrigantur. puteorum etiam suffragia non desunt. Rursus Hispania fœcunda frugibus, amœna fructibus, deliciosa piscibus, abundans venationibus, gulosa armentis atque gregibus, superba equis, cōmoda mulis, priuilegiata castris, curiosa vino, diues metallis, gloriosa sericis, dulcis melle, copiosa oleo, læta croco, præcellens ingenio, audax in prælio, agilis exercitio, fidelis domino, facilis studio, pollens eloquio, fertilis in omnibus, nulla in ipsa fertilitate similis, paucæ magnitudine æquales, in libertate pręcipua, fidelitate preciosa, in strenuitate singularis.

Religionis cultum Hispani quęq; obseruēt.

Hispaniæ encomium.

De Hispaniæ situ & descriptione respectu cæterorum climatum & regionum orbis.

CAP. V.

HISPANIÆ igitur situm descripsere permulti. Ptolemæus quidem per climata, prout à superioribus & cælestibus corporibus visitatur, pulchre discernit. Plinius, Solinus, sed & antiqui cosmographi perabūde, sed inter eos arbitratu meo Iustinus in calce Chronicæ eius situm atque differentias, simul & qualitates luculenter enarrat. Idem quoque fecit Orosius, veluti qui prouinciam eiusque situm non tam libris, quam oculis descripsit atque depinxit. Idem egit Pomponius Mela. Strabo quoque Græcus latioribus verbis eam distinxit prouinciam. Verum quia prouinciarum & vrbium antiqua nomina non satis à modernis agnoscuntur, ea de re diuersas huius prouinciæ descriptiones, vt eius situs facilius percipiatur, succincte contexere decreui. In primis igitur ab eo inchoandum putaui quod sapientibus quos ediximus, sed & cunctis cosmographis est notissimum. Qui enim vtiliter orbem describere satagunt, ab Hispania, tanquam à principali porta ad orbis ingressum, incipere oportet. nam cum mundus pelago cingitur marino, Hispania illa est quæ (vt diximus) ad orbem ipsum vna aditum præbet. Equidem ex oris littoribusque Hispaniæ Atlantico monti oppositis pelagus ipse profluit, Africam, Asiam, Europamq; nedum nobilitat, sed irrigat & illustrat. Est ergo Hispania ipsa tota pene insularis, veluti quæ oceano atq; mediterraneo mari circumfusa est, pręter breuem atque angustū ingressum, qui quinque fere dietis constat, à mari videlicet oceano, appellato mari Baionensi, vsq; in mare mediterraneum, dictum pelagus Narbonēse. Ingressus itaq; ad Hispanias difficilis est propter Pyrenæos montes, qui diuino quodā ministerio angustas portas difficileq; aditū Hispanię naturaliter præbēt. quo fit vt Hispanię sitū, cælū, & Pyrenęi mōtes finiant ordine qui sequitur. Ab oriēte igitur, oceano sinu qui Hispaniā à Gallia disten-

minat, præsertim prouincia Aquitaniæ & Britanniæ: in nostris vero littoribus Viscaia est & Lepuscua. Versus autem septentrionem oceano, & cingitur, vbi Asturia est & Gallicia, in qua Compostella: deinde idem oceanus ab occidente cingit aliam Galliciæ partem quæ Portugalia dicitur: postea vero in eisdem littoribus versus meridiem Lusitania est: deinde Bætica, vt in sequenti capite dicemus, in quibus pars non parua Portugaliæ est: deinde Hispalis insignis vrbs putatur, quæ sita est super Bæti flumine. Rursus Gades incidit insula, vbi ciuitas Gaditensis, à Gadibus seu Herculis columnis sic dicta, quæ nauigandi strenuitate & populi Romani caritate eo felicitatis peruenit (teste Strabone) vt in extremo orbe sita vniuersas celebritate nominis superet. In eis vero littoribus non longe angustum oceani fretum accedit, ex quo oceanum ipsum veluti torrens orbem rigans versus meridiem defluit, quod mare mediterraneum vocant: quod siquidem fretum Hispaniam ab Africa paruo spacio XII. fere milliarium diuidit. In eisdem item littoribus nostris Tarifa est ac Gibraltar, insigne oppidum, à quo fretum ipsum nomen sumpsit. appellatum est enim strictus de Gibraltar, habens in oppositum Africam, illam videlicet prouinciam, quæ & Mauritania, in qua famosus est mons Atlanticus. Ibi & ciuitas dicta Cepta, & Tanger, sic hodie vrbes appellatæ: vbi Tingitania à Tanger vrbe dicta: quæ quondam atque hodie licet in Africano solo sitæ, tamen prouinciæ Hispaniæ connumerantur, vt infra liquebit. In eisdem denique littoribus ad meridiem Hispania mediterraneo mari circumducitur. Ibi Bætica prouincia protenditur, in qua regnum est Granatæ quod Sarraceni incolunt, habens in oppositum eam partem Africæ in qua Busia est & Hipponensis vrbs, cui beatus Augustinus præfuit: deinde Numidia & cæteræ prouinciæ Africæ, quæ nunc aliis nominibus quam antiquitus nuncupantur, vt sunt regna Fez, Benamarini, & Barbariæ, & Tunitii. Rursus habet Hispania in nostris littoribus Africæ oppositis nouam Carthaginem, deinde Valentiam, Dertusam, Tarraconensem prouinciam vbi Barchinona, Perpinianum, vsque Narbonam in Gallia. Hic situs Hispaniæ ita generaliter descriptus est respectu aliarum prouinciarum. Vt igitur cum eodem Iustino paucis vtar, Hispania ipsa inter Africam & Galliam sita est. Alii vero breuioribus verbis vtentes ad eundem tamen sensum aiunt, Hispaniam totam oceano, deinde mediterraneo freto, Pyrenæisque montibus claudi. Hi sunt illi montes, qui, vt edixi, ingressum ad Hispaniam præbent.

Hispalis.
Gades insula.
Tarifa.
Gibraltar.
Mons Atlanticus.
Cepta.
Tanger.
Tingitania.
Bætica prouincia.
Busia.
Hipponensis vrbs.
Fez.
Benamarinũ.
Barbaria.
Tunitium.
Valentia.
Dertusa.
Perpinianum.

De eiusdem Hispaniæ situ & descriptione respectu particularium prouinciarum in ea sitarum, seu diuersorum regnorum in ea erectorum.

CAP. VI.

DESCRIPTA igitur Hispania per differentiam ad exteros, eam rursus inter sese per antiquarum regionum prouincias & ciuitates, & demum per regna moderna secernamus. Omnes igitur Hispaniæ (vt antiqui scriptores volunt) sex habent prouincias: Tarraconensem, Carthaginensem, Bæticam, Lusitaniam, Galliciam, sextam deniq; trans pontum, & in solo terræ Africæ, quæ Mauritania Tingitanica cognominatur. Hæc non mea, sed Sexti Rufi verba sunt in ea Chronica vbi ait, quo ordine singulas prouincias respublica Romana assecuta est. Isidorus etiam in etymologiis eandem facit descriptionem, & Mauritaniam trans pontum in solo Africæ partem Hispaniæ asserit. Repetamus igitur vnamquanq; prouinciarum huiusmodi per regna hodierna & nobis notas vrbes. Tarraconensis itaq; prouincia à limitibus Galliæ incipit, habet in se Cataloniam totam, & partem regni Aragoniæ. Carthaginensis vero à noua Carthagine dicta, Valentiam & Murtiam continet, & eandem Carthaginem cum adiacentibus, atq; alteram partẽ Hispaniæ, quam hodie La mancha vocamus. Continet etiam Saguntum, Conchensem, & Oxomensem, & plures alias vrbes. Bætica vero secundum Pomponium Melam in cosmographia sua, & Solinum de mirabilibus mundi, incipit post Carthaginem versus oceanum, & protenditur vsq; ad Gades, quam Solinus asserit caput Bæticæ: quo fit vt Bætica ipsa vtrunq; mare respiciat. In qua inclytæ sunt vrbes, Astigia, Hispalis, Corduba, Xeritium, & Vandalia. Nonnulli vero huic annumerant Toletanam prouinciam. Lusitania post Gades incipit, & per Portugalliam protenditur vsque ad insigne promontorium Vlisbonense, quod Artabran alii appellant, vt idem Solinus dicit. Post Vlisbonense Gallicia incipit, vt statim dicemus. In Lusitania ergo latissimæ includuntur prouinciæ & plurimæ vrbes, licet solum oceano mari obiecta sit secundum Pomponium. Hæc continet quam diximus Portugaliæ partẽ, deinde Pacensem, Placentinensem, Cauriensem, Ciuitatensem, & alias vrbes & Diocensem, sed & latam regionem quam Extrematuram vocamus. Gallicia vero non

Hispaniarum prouincia.
Catalonia.
Aragonia.
La mancha.
Saguntum.
Astigia, Hispalis Corduba, Xeritium & Vandalia.
Lusitania.
Artebran.
Gallicia.

ro non parua est prouincia referta vrbibus, sed & montibus plena. Huius (vt dixi) pars est Portugalia ad occidentem. Deinde famosam vrbem Compostellam habet, Tudensem, Auriensem, Mindoniensem, Lucensem, totas denique Asturias, Viscaiam, atque Lepuscuam, & eas partes quas hodie Castellam antiquam vocamus: quæ omnes antiquitus sub Cantabria & Celtiberia notabantur. Trans pontum vero in Africa quæ Mauritania appellatur, regna habet Debelamerin, Marruecos, & de Fez. In eadem quoq; prouincia Cepta sita est. Hodie tamen propter mare intermedium & disparem religionis & fidei cultũ reges ipsi Maurorum Tingitaniam & Mauritaniam prouinciam partem esse Hispaniæ, licet de facto, non recognoscunt. Hæ igitur sunt antiquæ prouinciæ Hispaniæ, quarum vna tantum hodie nomen integrum retinet, videlicet Gallicia: Tarraconensis vero & Carthaginensis vrbium, non prouinciarum nomina tenent, ea vt puto ratione, quia Gallicia a longissimis temporibus sub vno principe, videlicet rege Castellæ mansit: cæterarũ vero nomina propter principantium varietates & noua nomina regnorum antiquas nominationes perdiderunt. Descripta igitur Hispania per antiquas prouincias, superest vt per moderna regna illam secernamus, & qua parte vnumquodq; regnum situm existat, breuiter disseramus. Ex his itaque sex prouinciis quæ totam Hispaniam conficiunt, quinque sunt orta regna. Quando igitur & quomodo prædicta regna erecta & stabilita sunt, in xvi. capite latius tangemus: nunc vero regna ipsa quoad situm discernamus. Primum quidem atque principale Hispaniæ regnum illud est quod hodie Castellæ & Legionis vocatur, quod centrum Hispaniæ est, & à quo cæterorum regnorum reges vsque in hodiernum diem deriuati sunt. Hoc itaque regnum cæteris omnibus non modo terræ situ, sed & populis maius. nam ex sex prouinciis quas Hispania continet (vt supra diximus) hoc Castellæ regnum & Legionis sic hodie appellatum, quatuor fere sub se prouincias continet, videlicet Carthaginensem, Lusitaniam, Bæticam, & Galliciam. Habet enim in longitudine xxx. dietas legales, incipiendo à Lorca prope Almeriam vsque ad finem Galliciæ: in latitudine vero quæ mensuratur à Tarifa opposita Atlantico monti vsq; ad oppidum Fontis rabidi in Lepuscua quod Hispaniam à Gallia disterminat, xxv. habet dietas similes. Quo fit vt à simili, impari tamen, proportione dici possit de regnante in Castella, quod Propheta ait: Quia dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terræ. Nam à Carthagine & à regno Murtiæ quod iungitur mari mediterraneo, vsque ad Viscaiam & Galliciam, quæ sunt ad oceanum, & ab Ibero flumine quod diuidit Hispaniam vlteriorem à citeriore, vsque ad oppidum quod re & nomine dicitur Finis terræ, vbi est vltimus terminus occidentis, omnia sunt sub regno Castellæ & Legionis. Ex prædictis patet quomodo hoc regnum respiciat omnes plagas orbis. Nam versus orientẽ Viscaiam habet & Lepuscuam: versus septentrionem Asturias & partem Galleciæ: versus occidentẽ vltimam habet Gallecię partẽ, vbi Cõpostella iacet (ibi enim vere occidens est qui nihil vltra orbis habet habitabile) versus meridiẽ vero Carthaginensem habet ciuitatẽ & Murtiam cum adiacentibus. Secundum regnum est Aragonia, cui accedit Valentia atque Catalonia. Hoc versus meridiem protenditur, & mediterraneum mare respicit: versus occidentem vero & septentrionem regno Castellæ cingitur: versus orientalem plagam Nauarram & Narbonensem prouincias conterminat. Tertium est regnum Nauarræ, Castellæ & Aragoniæ contiguum. Paruum quidem est gleba, sed mira fertilitate refertum. Antiquis temporibus partim ex Cantabria, partim ex Celtiberia sumebat. mare oceanũ parum attingit prope fontem rabidum. Versus orientem Gallos Vascones respicit: versus septentrionem & occidentem regno Castellæ cingitur: ad meridiem vero Aragonenses & Catalanos respicit. Quartum regnum Portugalia est, cuius non paucam partem Galleciæ antiqui connumerant. Opulentissimum certe regnum & omnibus bonis plenum, super littora oceani constitutum, ex qua parte occidentalem plagam respicit. Ex meridiana vero & orientali parte atque septentrionali Galleciam & Castellæ regnum respicit. Quo fit vt in Portugalliam accessus aut aditus nullibi pateat, nisi per eas partes Hispaniæ, quas Castella obtinet. Quintum regnũ Granata nuncupatur. Hoc solum infidelium est, & totũ pene adhæret Bæticis littoribus: ad meridiem vero mediterraneo mari protenditur, oppositas habet oras Africanas. Ex reliquis vero partibus regno Castellæ cingitur, nec aliter quam per Castellam, si per terram eundum est, ad regnum illud accessus patet. Regnum quidem longum. trecenta enim milliaria in longitudine obtinet. Nam à finibus Vandaliç per Bęticam protenditur vsque ad Carthaginem nouam. patria opulentissima est, quæ bis in anno fructificat. in montibus sita est, & pene tota montuosa. Arces habet atq; vrbes inaccessibiles, quibus construendis Sarraceni mirum in modum vacant: quæ res huc vsq; egit vt in nostram non venerint ditionem. Adde industriam eorum, quæ tanta est, vt totum

Compostella. *Castella antiqua.* *Cepta.* *Lorca.* *Tarifa.* *Oppidum Fontis rabidi.* *Finisterræ.* *Regnum Nauarræ fertile.* *Portugalia regnum opulentissimum.* *Granata.*

fere regnum irriguum faciant. quo fit, vt aquis fluuialibus vbertatem ſimul & ſecuritatem nanciſcantur. torrentibus enim ac fluminibus manu factis, velut quibuſdam ſtrictis, ſed profundis canalibus, aquas quo volunt conducunt, vt equites niſi per pontes crebros patriam illam ingredi non poſſint. De horum itaque regnorum initiis quando & à quibus inceperunt, latius dicemus in IX. & ſequentibus capitibus.

De initiis antiqui principatus & monarchiæ Hiſpaniæ, & quanto tempore per vnum regem, aut per plures Hiſpania fuit gubernata.

CAP. VII.

EXPLEVIMVS breui Hiſpaniæ ſitum & prouinciarum antiquarum & modernorum regnorum inter ſe varietates, reſtat de antiquiſſimis initiis monarchiæ & principatus Hiſpaniæ, & quanto tempore per vnum regem aut monarcham, vel per plures, & per quos gubernata fuerit, breui diſſerere. Omnes igitur quas enumerauimus ſex prouinciæ in Hiſpaniæ terra conſtitutæ, olim ſub vno rege vnoq; monarcha multis temporibus gubernatæ fuere: qui rex Hiſpaniæ, aliquando imperator Hiſpaniarũ appellabatur, vt hiſtoriæ aperte docent. Quod vt lucidius intueamur, à fundamentis rem ipſam repetendam cenſui. Primo namque ſupponendum eſt, quod in Hiſpania, etiam in ea prouincia quæ Caſtella dicitur, fuerunt reges longe ante primam deſtructionem Troiæ. Hercules enim ille magnus, qui primæ deſtructioni Troiæ non paruam opem dedit, tempore regis Laomedontis ante tempora Priami venit in Hiſpaniam, quem conſtat prælium campeſtre cum Geryone geſſiſſe tunc rege Hiſpaniæ, immo (vt verius loquar) Caſtellæ. Erat quidam Geryon ipſe tunc rex trium regnorum, videlicet Luſitaniæ, quam nunc Extrematurã appellant, & Bæticæ quam appellamus Andaluſiam, & Galliciæ quæ hodie antiquum nomen retinet. Hæ igitur omnes prouinciæ hodiernis temporibus ſub ditione ſunt regis Caſtellæ. Hercules igitur deuicto Geryone inſtituit in ea regem Hiſpam nepotem ſuum, à quo Hiſpania dicta eſt. Hæc autem antiquiſſima fore nemo ambigit. Ab vrbe enim condita vſque ad aduentum Saluatoris ſeptingenti quindecim fluxerunt anni, & ab euerſione vltima Troiæ vſque ad vrbem conditam CCCCLIIII. Conſtat autem, ante illam euerſionem vltimam fuiſſe Herculem quaſi per centum annos. Conſtat rurſus ante Herculem fuiſſe reges in Hiſpania. Quo fit vt ſupputando à Geryone Hiſpaniæ rege ſic vocato (quẽ vt diximus in Caſtella regnaſſe comperimus) vſque ad præſentem ætatem, fluxerint duo millia annorum. Nec eſt dubitandum ante Geryonem reges fuiſſe in Hiſpania, licet propter nimiam antiquitatem eorum nomina non retineamus. Ex quibus antiquitas regum & principatus Hiſpaniæ aperte conſpicitur. Taceo Teucrum è Græcia in Hiſpaniam pulſum, & Gargorin, & Habidem filium eius: qui per plurima tempora regnarunt in Hiſpania ante Herculem. Taceo denique Herculem ipſum, qui quendam Cacum in Carpetania & Celtiberia commorantem, quippe & principantem, bello victũ ab Hiſpanis fugaſſe fertur, qui Vulcani filius dicitur: & in prædicto Carpetaniæ mõte adhuc hodie mons Caci vulgato nomine Moncayo dicitur, qui apud Celtiberos habetur celebris. Sic igitur Hiſpania longo tempore ſub dominatu Græcorum recta fuit fere vſque ad tempora Romanorum, præter illa tempora quibus Aſdrubal & Hannibal Pœnorum duces in aliqua Hiſpaniæ parte dominati ſunt. Demum conſtat quoſdam Romanos conſules amicitiæ, ne dixerim ſubiectionis, nomine quaſdam Hiſpaniæ prouincias obtinuiſſe: idque egiſſe legimus Iulium Cæſarem, qui plurimis acceptis cladibus prius totum pene orbem perdomuit, quam Hiſpania ſibi plene ceſſiſſet. Sed & plures alios cõſtat Hiſpanias tentaſſe ſubiicere, quorum aliqui prius vitam finiere, quam victam Hiſpaniam occuparent. Poſt quos Vandali, Alani, Hugni, & Sueui Hiſpanias ſunt aggreſſi. Quæ ſiquidem Barbaricæ gentes cauſam Hiſpanias ingrediendi habuerunt, pro eo quia Theodoſius Imperator eos inſequens à Galliis fugauit. Quare pulſi ſunt Pyrenæos montes tranſire. Hiſpanias ergo inuaſere, eaſq; diuiſerunt. Alani enim Luſitaniam & Carthaginem ſortiti ſunt, Vandali Galleciam, Sueui maritima, & occidua oceani obtinuerunt, & partem Celtiberiæ, dum Romani Saguntũ & Numantiam & nonnullas alias vrbes tenebant. Hi Vandali Poloni eſſe creduntur à flumine Vandalo Poloniæ dicti. Quare ab illo tempore in hodierna vſq; tempora ea Hiſpaniæ pars, quam obtinebant, Vandalia dicitur, quam vulgato nomine Andaluſiam vocamus. Obtinuerunt deniq; Mauritaniam Tingitanicam vltra mare in ſolo Africæ, cuius ſupra mentio facta eſt. Horũ Vandalorum rex Genſericus Romam occupauit, Eudoxam Valentiniani relictam & duas filias duxit captiuas cum multis millibus Romanorum: à ſanguine tamen abſtinuit precibus Leonis Papæ ſibi in ingreſſu vrbis occurrentis. Et

Caſtella. Hercules Magnus.

Ab vrbe cond. vſque ad aduẽtũ Chriſti quot fluxerint anni.

Vandali ſunt Poloni.

tis. Et ſic Roma domina orbis quaſi tertio terræmotu conquaſſata & afflicta fuit, primo ab Alarico, ſecundo ab Ataulfo regibus Gotthorum: tertio à Genſerico. Quo tempore ſanctus Paulinus Nolanus Epiſcopus ſe ipſum vendidit Vandalis pro redemptione captiuorum, vt beatus Gregorius ait in dialogo. Hic Geſericus Ariana hæreſi infectus per Hiſpaniam & Africam eccleſiam perſequitur, ſacerdoteſq; & plurimos eccleſiaſtici ordinis viros exilio mittit, & non paucos martyres fecit, confeſſoribuſque linguas abſcidit, qui (vt Iſidorus narrat) abſciſſis linguis perfecte loquebantur. Sed tandem rex ipſe Vandalorum pœnas exoluit. cunctis enim effuſis viſceribus miſerabiliter vitam finiuit. Et de his Vandalorum regibus Ariana infectis hereſi pulchre narrat Chriſtianiſſimus Iuſtinianus Imp. in ea famoſa lege quam edidit C. de officiis præf. prætorio Africæ, inquiens quod Vandali ex eccleſiis fecerunt ſtabula, & teſtatur ſe vidiſſe venerabiles viros qui abſciſſis radicitus linguis mirabiliter loquebantur. Hæc ſub Innocentio primo accidere anno domini cccc. & ſub hoc turbine Auguſtinus obiit.

Romæ orbis domina.

De ingreſſu regum Gotthorum in Hiſpaniam, & quomodo Vandalos & alias gentes ab Hiſpania expulerunt, & de præclaris virtutibus & geſtis gentis Gotthorum, & de laudibus eorum.

CAP. VIII.

REGNANTIBVS igitur Vandalis in Bætica quæ & Vandalia dicitur, atq; in prædicta parte Africæ Sueui etiam regnabant in Gallicia, & in aliquibus Hiſpaniæ partibus. Procedente vero tempore hæc duo regna valida Gotthorum manu, & tota deleta ſunt, & ad eandem glorioſam atque inuictam gentem Gotthorum vtrunque regnum deuenit. Liberet igitur in hac parte de origine gentis Gotthorum, & illorum ſtrenuitate, nobilitate, & victoriis, atque virtutibus aliquid dicere: tamen Iſidorus in Chronica ſua & Rodericus Toletanus Archiepiſcopus quædam ſuccincte circa eam rem diſſeruerunt, & nos illico eorundem ſapientum & antiquorum coſmographorum ſentētias ſequentes aliqua compendioſe adducemus. Sed vt breuibus agamus, plenus eſt mundus eorum victoriis. Nam (vt antiqui ſcribentes tradunt) Gotthi regem Ægypti Vexorem fugauerunt, Aſiam ſubiugarunt, ex quibus Parthi (vt creditur) proceſſerunt. Horum Gotthorum fœminæ à viris relictæ armis & prœliis partem Aſiæ domuerunt. Telephus rex Gotthorum vicit Danaos, interemit Therſandrum, inſecutus fuit Vlyſſem. Cyrus famoſus à Tomyri regina fuit occiſus. Darius & filius eius Xerxes ab Anciro rege Gotthorū in prælio victi ſunt. Hos Alexander vitandos docuit, Pyrrhus pertimuit, Cæſar exhorruit. Cum Pompeius pro accipiendo Romanæ reipublicæ principatu contra Iulium Cæſarē arma mouit, Gotthi fortius cæteris dimicarunt. Thraciam irruerunt, Italiam ſæpe vaſtarunt, Romam ceperunt, atque eius ædificia perpetuis vulneribus pro ampliore eorum memoria non diruerunt, ſed perforarunt. Veronam ædificauerunt, nomē imponentes, quaſi ve Romam, in odium Romanorum. Aduerſus hos in Thracia Valens Auguſtus xv. imperii anno cōgreſſus eſt, ſed magna ſtrage victus, & ſubito igne conſumptus. Tandem Gotthi Italia capta vrbe Roma potiti ſunt, licet ſtrenuitate & potentia Belliſarii in Gallias & Hiſpanias trāſiere. In quo acceſſu Gallias ſunt aggreſſi, Hiſpanias ſunt adepti. nam poſtquam (vt præmiſſum eſt) tam vrbem, quam orbem domuerunt, Hiſpanicæ gentis humanitate & dulcedine freti, illorumque & ſtrenuitatem & vires experti, derelictis cæteris orbis quas obtinuerunt regionibus, ad Hiſpanias ſe conferunt, putantes totius Europæ monarchia potiri facile poſſe, ſi gentis Hiſpaniæ aut ſubiectionem aut amicitiam nanciſcerentur. Adde quia Gotthi ipſi Vandalos, Alanos, Sueuos, Hugnos, infeſtiſſimos habebant, tanquam vicinos eorum natalibus. Quare freti Hiſpanorum præſidiis, feritatem Vandalorum, & Sueuorum, ac Hugnorum non ferentes, eoſdem Vandalos, & ſi quæ manſerunt Sueuorum & Hugnorum veſtigia, ab Hiſpaniæ finibus expulerunt. Quo autem tempore, quo ordine Gotthi regnarunt, & de eorum ſucceſſionibus & ſucceſſibus breui in fine huius primæ partis tangemus. Nec illud obmittendum putamus, quia duo Gotthorum genera legimus. Qui enim in Italia manſerunt, Oſtrogotthi appellati ſunt, quaſi orientales Gotthi: qui vero Hiſpaniam ſortiti ſunt, Viſigotthi ſunt dicti, quaſi occidentales Gotthi: quorum primus rex fuit Athanaricus. Qui & eorum ſucceſſores populorum Hiſpaniæ viribus freti, non ſolum crudeliſſimos Arianos Vandalos (vt diximus) ab Hiſpania expulerunt, ſed & Rethiarium regem Sueuorum apud Aſtoricam deuicerunt atq; interfecerunt, Armicium etiam regem Vandalorum latitantem à finibus Hiſpaniæ expulerunt. Hi igitur inclyti Gotthi monarchiam omnium Hiſpaniarum obtinuerunt cum prædicta

Fœminæ bello gerantur.

Mauritaniæ parte post fretum Africæ, vt in fine huius partis tangemus. Tandem continuata est successio in regno & principatu Gotthorum vsque ad Rodericum, qui vltimus rex Gotthorum dicitur, vt statim in eadem parte referemus, & latius in historia Roderici Toletani enarratur. Huius igitur Roderici regis tempore propter peccata Christiani populi iustitia Dei feriente principatus, ipse atque monarchia regum Hispaniæ humiliata est, & potentia diuisa pariter & diminuta. Nam sub eodem Roderico omnes Hispaniæ prouinciæ præter Asturias & partem paruam Gallicia per Sarracenos vltramarinos occupatæ sunt: quos proditor quidam & regis Roderici vassallus, Iulianus Comes Ceptæ intra Hispaniam introduxit. Roderico igitur mortuo & filiis eius interfectis, frater eius Pelagius in montibus Asturiarum latuit, & tandem Dei clementia miserante ipse & ab eo descendentes cum Christianorum Hispanorum manu paulatim deperditas terras recuperarunt. Et ab isto Pelagio continuati sunt Reges Hispaniæ per eandem rectam lineam descendentes vsque ad modernum Henricum quartum Regem Castellæ. Fatemur tamen quia post dictum Pelagium in diuersa regna diuisa est Hispaniæ monarchia, vt in secunda & tertia parte dicemus.

Iulianus Cepta Comes.

De origine gentis Gotthorum, & principatu illorum, & qua prouincia orti sunt, & de eorum progressu & gestis clarioribus.

CAP. IX.

VERVM quia succincte de Gotthis, Vandalis, & Hugnis dictum est, qui nedum Hispanias, sed plurimas prouincias diuersis temporibus afflixerunt, dignum duxi harum gentium originem, nec non principatus, initium, & progressum breui inserere. Gotthorum igitur originem Isidorus late deduxit, veluti qui ex illorum stirpe originem duxit. Nam Leander, & Isidorus, & Fulgentius, filii fuerunt Seueriani ducis Carthaginensis, qui etiam genuit Theodosiam, quæ nuptui data est Leonogildo qui in Hispania regnauit. Seuerianus itaque ex vxore Theodora, ex Gotthorum sanguine descendenti, genuit præfatos gloriosos pontifices & doctores, Leandrum, Isidorum, & Fulgentium. Circa originem itaque Gotthorum Isidorus ipse & cæteri scribentes in eo conueniunt, videlicet Gotthos ex insula Scandiæ siue Scythiæ septentrionali ortum habuisse. Quinimmo (vt ait Martinus Polonius in chronica sua) tres gentes scilicet Gotthi Hypogotthi, Vandali, & Hugni vnam linguam habentes, nomine tantum diuersi, ex eadem insula & adiacentibus prodiere. Quamlibet igitur gentem attingemus, & originem atque progressum breui sermone differemus. Gotthi præfata Scandiæ insula non contenti inde exierunt, & vicinas non infestas eis gentes septentrionales subiicere cupientes, inceperunt finitimas prouincias inuadere longe ante Herculem, quem tempore Gedeonis fuisse legimus. Sed & eo tempore Gotthos reges habuisse Isidorus, Lucas Tudensis, atque Vincentius perhibent. Inter cæteros fuerunt eorum reges Berig, Gadarig, & Filimer, & alii complures. Post Herculē vero plurimos alios reges Gotthos habuisse compertū est, qui ingentia bella tam aduersus regiones aquilonares, quam orientales gesserunt: tantaque fuit eorum in belligerando ferocitas, vt ad fœminas transiret. Nam ex Gotthorum genere famosæ illæ fœminæ, dictæ Amazones prodiisse narrantur, quarum Tomyris regina tantæ potentiæ & animositatis fuisse traditur, vt Cyrum Persarum regem immanissimum & potentissimum deuicit & capite truncauit, quod in vtre pleno sanguine suorum consanguineorum demisit inquiens, Satia te sanguine quem sitisti. Has Magnus Alexander debellare voluit, cui regina earum talia scripsisse fertur: De tua (inquit) prudentia non parum est mirandum, quod cum fœminis natura imbellibus confligere statuisti. nam si fauente nobis fortuna subcumbere te contingat, gloria quam tantopere quæris, frustraberis: quod si deuincas, nequaquam tibi ad honorem cedet, quia de mulieribus triumphasti. Super cuius prudenti responso Alexander admiratus ait, Decens fore non per gladii furorem mulieres vincere, sed potius per amorem. Sic itaque libertatem eis concessit, quas non violentia, sed amicitia suo imperio tandem subiugauit. Mortuo igitur Berig primo Gotthorū rege, successit filius Gadaricus, qui magnos & feroces populos in ea parte Scythiæ quæ nunc Dacia & Gotthia dicitur, subiugauit. Postea filius eius Filimerus videns terram minus fertilem, suasit suis transmigrandū ab illis sedibus. quo euenit vt cæteras Scythiæ prouincias perquirerent: quas cum occupassent, earum vbertate delectatus Filimerus decreuit inibi residere. Cum itaque in vasto flumine pontem conspexisset, voluit regiones trans flumē peragrare, cumq; aliqua pars exercitus per pontem transisset, aut diuino iudicio sic disponente, aut pontis vitio, euenit vt pons ipse corrueret, adeo vt nec transmissis licuit

Tomyris Amazonū regina.

Literæ reginæ Amazonum ad Alex. Mag.

Gadaricus filius Berig mortuo succedit.

licuit remeare, nec cæteris ad eos transire. Pars vero Gotthorum quæ cum Filimero citra flumen remanserat, extremā partē Scythię quæ adiacet Ponto mari, præclaris victoriis obtinuit: indeq; quasi toti Scythiæ dominātes, Scythię vt indigenæ appellati sunt. Et quāquam diuersas orbis plagas petiissent, suos in Scythia præsides dimittebant. Hinc euenit vt Iosephus eosdem Gotthos Scythas appellet. Isidorus vero Getas. Vnde mutata prima litera e in o, & vltima æ in i, qui Getæ appellabantur, Gotthi dicuntur, qui fortes per interpretationem nominis dicuntur. De quibus Poeta ait:

Contemnunt mortem laudato vulnere Getæ.

Vt igitur paucis agamus, Gotthi ex plaga aquilonari prodiere. Et si accurate considerare libet, vtique reperiemus ex illis regionibus eos originem duxisse, quæ hodie Regibus Daciæ subiiciuntur, videlicet Dacia, Suetia, Noruegia, Gotthia siue Gotthorum. A quibus prouinciis & cæteris vltra situm aquilonarem in magna latitudine diffusis, quæ hodie à Barbaris & Tartaris incoluntur, Gotthi ortum trahere creduntur. Rursus Gotthi licet à principio ferocitati insudarent, & vix rationalis naturæ semitas agnoscerent, postquam tamen mores cæterarum gentium experti sunt, humanitatem induerunt, adeo vt ad doctrinas & scientias se conferrent, & philosophos ac sapientes ex eorum gente habuerunt, quorum consilio cuncta gerebant. Gotthi igitur in omni armorum genere experti erant, exercitabantur armis, ludorum certaminibus assiduo vacabant, solo nauali prælio caruerunt vsque ad tempora Sisebuti regis. Fuerunt naturaliter magnanimi, liberales, ingenio faciles, audaces, constantes, gestu decori, habitu venerandi, viribus præpollentes, statura proceri, duri vulneris, manu prompti, corpore validi, ad cuncta dispositi. De quibus apud Strabonem legimus, Astas Scytharum principem ad Philippum scripsisse: Tu quidem Macedonibus hominibus imperas, qui bellandi peritiam didicere: ego autem Scythis qui aduersus famem & sitim & quæque aspera pugnare nouerunt. Gotthi igitur Asiam subiugarunt, quorum aliqui inibi remanserunt. Armeniam quoque, Syriam, Ciliciam, Galatiam, Pisidiam, & plurimas prouincias domuerunt. Hi (vt ait Vincentius & Gilibertus) sub quinto rege suo Filimero ad citeriores partes Danubii, Thraciæ videlicet, Daciæ, Mœsiæ, longe lateque peruagantes in gentem magnam creuerunt. Tempore vero Decii Imperatoris transito Danubio, Romanum imperium molestabant, quos Decius impetens, tandem cum exercitu suo profligatus & cæsus est atque peremptus. Ex qua victoria elati, maximo fuerunt terrori nedum Romano imperio, sed orbi. Trans Danubium vero constituti tempore Valentis Imperatoris inter se ciuili bello diuisi cœperunt collidi. Alaricus vero dux vnius partis, cum præualuisset Frigiterno duci alterius partis, Frigiternus ipse à Valente imperatore petiit auxilium, pollicens se baptizari. Valens autem misit auxilium, sed parum profuit. Eodem tempore, anno XII. imperii Valentis, Hugni qui etiam in Scythia debacchabantur, inuadunt Gotthos discordantes inter se, quosdam autem captiuitate subiugant, quosdam patria pellunt. Quo euenit vt Gotthi subditi fierent Hugnis. Magnificati igitur Hugni toti fere Scythiæ dominabantur, de quorum origine statim dicemus. Gotthi itaq; terga dantes transito Danubio (vt Eutropius ait) à Valente imperatore sine vlla fœderis pactione suscepti sunt. Tandem propter intolerabilem auaritiam fame compulsi in arma surgentes Valentem profligant. Qui reassumptis viribus cum eisdem Gotthis lacrymabili bello commisso, tandē exercitus eius miserabiliter occubuit, ipseq; saucius sagitta versus est in fugam, sed superuenientibus Gotthis igne crematus est, idque diuino iudicio, & quidem iusto, actum creditur. Nam cum paulo ante Gotthi à Valente peterent Episcopos à quibus fidei rudimenta susciperent, ipse Imperator, vt erat Arianus, Arianos Episcopos eis misit, quorum doctrina vniuersa illa gens dogmate Ariano infecta est. Recte igitur Valens ipse ab illis crematus est, quos ipse perfidiæ succenderat igne. Gotthi itaque versus Italiam iter agentes, omnia ferro & igne vastabant. Tandem Visigotthi appellari decreuerunt, id est occidentales Gotthi, & vsque ad vlteriores Hispanias transiere. Gotthi vero qui trans Danubiū remanserant, habentes super se regulos, Ostrogotthos, id est oriētales Gotthos, sese nūcupari voluerunt, & postea à Zenone Imperatore Italię regnū dono acceperunt: quod & longo tempore tenuerunt. quo euenit vt Gotthi ipsi quasi duobus cornibus orientem & occidentem ventilātes, acriter orbem cruciarent: & in duo regna, Visigotthorum in Hispania & Ostrogotthorum in Italia se diuiserunt. Qui vero in Hispania regnarunt, Vandalos & Sueuos inde pepulerunt, sed (vt inquit Vincentius) tertia pars Hispaniæ quæ regnum Galliciæ continet, insuperabilis mansit, quam nec Visigotthi, nec Alani, nec Vandali, nec Sueui, sed nec Sarraceni subiicere valuerunt: quod adhuc viget incolume, & regnum insuperabile appellatur, quanquam postea accessit regibus Gotthorum, qui in Hispania vt indigenæ regnarunt, vt inferius differetur.

Astæ Scytharū principis litera ad Philippum.

Gotthi à Valētē Imp. suscepti.

Valens Imp. Arianus crematur à Gotthis.

Visigotthi.

Ostrogotthi.

Vandali. Sueui. Alani. Sarraceni.

De origine Vandalorum & Hugnorum, & de illorum principatu, & progreſſu, & clarioribus geſtis vſq; ad eorum exterminium.

CAP. X.

CÆTERVM de origine Vandalorum & Hugnorum, & eorum regnis breui differendum eſt. Vandali igitur (vt quidam volunt) ex plaga ſeptentrionali, præſertim ex ea regione quæ hodie Polonia vocatur, originem ſumpſere, dicti Vandali à Vandalo flumine (vt aiunt) ſic hodie vocato. Iſidorus tamen, quem ſequitur Vincentius & cæteri Coſmographi, Vandalos de Scythia natos perhibet (vt ſupra diximus) qui à Gotthis victi terras alienas inuadere tentant, quos circa Danubium commorãtes poſt multa tempora etiã Fridericus rex Gotthorum bello vicit, & inde expulit. Qui Romano ſe ſubdentes imperio à Conſtantino Magno terram habitationis petunt, & Pannonias acceperunt, vbi per annos LX. pacifice manſerunt, ſed anno XIII. Arcadii Imperatoris rebellare contra rempublicam Romanam cœperunt, ſeque per Gallias diffundẽtes, quas aliquo tempore miſerabiliter deuaſtarunt, ſed à Gotthis expulſi ſunt, non quidem compatientibus Gallicanæ quieti, ſed quærentibus omnes Gallias occupare. Vandali igitur à Gallia pulſi Hiſpanias petunt, & nunc illas, nunc rurſus Gallias multo tempore affligunt. Sed nec ſic à Gotthis tuti erant. Honorius igitur Imperator inito conſilio, Hiſpanias & Gallias à Vandalis ereptas Gotthis dedit. Cum igitur Gotthi feſtinarent fugare Vandalos & alios hoſtes ſuos à finibus Galliarum & Hiſpaniarum, Vandali concluſi vndiq; erant timore Gotthorum. Sed fauentibus ſibi peccatis populi, inopinabilis & grata illis occurrit opportunitas. Nam inter Bonifacium & Etium duces Romanos orta ſimultate per inuidiam, Bonifacius factus inferior, cum dolorem ſuæ iniuriæ nollet vlciſci niſi damno & periculo reipublicæ, ad Hiſpanias tranſiuit, & Vandalos ad occupandum Libyam & Africam inuitauit. quo cum perueniſſent, regnum ſuum longo tempore inibi confirmarunt, diuina & humana perturbantes. Quo tempore beatus Auguſtinus apud Hipponam Africæ diem clauſit vitæ mortalis. Primo igitur anno Gratiani Imperatoris regnat ſuper eos Modogiſilus annis XXX. poſt quem Gudericus filius eius in aliqua parte Hiſpaniæ regnauit annis XVI. qui cum occupata Hiſpali elatus manus in Eccleſias extendiſſet, à dæmone interimitur ſecũdum Vincentium: cui ſucceſſit Genſericus frater eius, qui in hæreſin Arianam (vt fertur) lapſus eſt: cui ſucceſſit Honorius filius. Hic cõtra Eccleſiam conſurgens, tandem Dei iudicio percutitur, & vermibus ſcatens miſerabiliter moritur. Poſt quem regnauit Guthamundus, & poſt illum frater eius Traſamundus. Hic Hildericum filium ex Eudoxa filia Valentiniani Imperatoris genuit, qui octo annis regnauit: poſt quem Guilimer regnauit annis quinque, qui tantæ fuit crudelitatis, vt nec parentibus parceret. Tandem Belliſarius patritius à Iuſtiniano Imperatore non niſi iuſſu Dei ad Africam liberãdam de manu Vãdalorum tranſmiſſus eſt, qui Guilimerem cepit, & duxit Conſtantinopolim ad Imperatorem: & ita rabies Vandalorum funditus euerſa eſt. Hugnorum vero originem & eorum regnum deſcribit Iſidorus, & Solinus, ac cæteri qui de orbis deſcriptione ſcripſerunt, ſed diuerſimode. Nam Albertus Magnus eos fore Hugnos aſſerit, quos hodie Pannones vel Vngaros appellamus. Pomponius Mela generalius loquens, Hugnos originem ex Scythia ſumpſiſſe contendit, quæ (vt diximus) vaſtiſſima regio eſt in partibus aquilonaribus poſt Danubium. Hugni itaque (vt diximus) in omni pene Scythia principatum tenuerunt, ex quibus radix peccati proceſſit, Athila, flagellum orbis, quem ad corripiendas gentes peccatrices Deus vt acutum gladium deſtinauit. Igitur Guilimer rex Gotthorum, qui poſt egreſſum Scandiæ inſulæ quintus rex Gotthorum fuerat, cum terras Scythiæ cum valido exercitu ingrederetur, reperiit in eiſdem regionibus quaſdã magnas mulieres, quas Gotthico ſermone Alirimas dicunt. eaſque habens plurimum ſuſpectas de illa regione expulit. Quas cum quidã ſilueſtres homines per deſertum vagantes vidiſſent, earũ amplexibus ſe miſcentes hoc genus hominum, ſcilicet Hugnorum, ferociſſimum ediderunt, quod tãtæ ferocitatis fuit ſecundum Vincentium, vt niſi quia ſermonis quaſi quaſdam habebant imagines, cum eſſent nigerrimi, oculis quaſi punctis exiſtentibus, nullus eos homines fore crediſſet. Hi in filios ſuos primo die deſæuiunt. Nam maribus ferro genas ſecant, vt antequam lac ſuſcipiant, ſanguinẽ fundant. Hi imberbes ſeneſcunt, ad equitandũ promptiſſimi, ceruicibus firmi, ſuperbi & elati, cunctis erant horrori & formidini. Horũ potentiam auxit victoria habita de Gotthis manentibus circa ripas Mæotidis paludis. Quã victoriam Vincentius refert hoc modo aſſecutos fuiſſe: Venatores Hugnorum ſequentes ceruam, Mæotidas paludes tranſeuntes explorata regione ad ſuos redierunt, & ad tranſeundum animauerunt. Cum igitur tranſuadaſſent gens ipſa Hugnorum eaſdem paludes Scythicas

Bonifacius. Etius.

B. Auguſtinus moritur. Gratianus Imp. Modogiſilus. Gudericus. Genſericus. Honorius. Guthamũdus. Traſamundus. Hildericus. Eudoxa. Belliſarius. Guilimer.

Athila flagellũ orbis.

Alirimæ.

Scythicas gentes fere omnes subegerunt suo dominio, & ipsos Gotthos expulerunt sedibus suis. quo factum est, vt per LXXX. annos Hugni mundum conarentur euertere. Tandem Gallias & Hispanias plurimum vexantes, postremo à Romanis, deinde ab ipsis Gotthis Hispanis effectis dissipati & extincti sunt. Sed iam libet vt redeamus ad res Hispanicas, & breui deducamus ortum & initium regnorum & regum Hispaniæ post miseram eius cladem. Illud tamen præsupponendum est, quia licet diuersi ante regnum Gotthorũ in diuersis Hispaniæ prouinciis regnarunt (vt supra dictum est) quia tamen illorum principatus violentus fuit, & non voluntarius, erectio regnorum pro eo tempore non fuit legitima. cœpit enim ab euentu feliciore. nam potentior regnabat. Secus autem post cladem Hispaniæ, quo tempore per legitimas successiones & iustos titulos erectio facta est, vt statim dicemus.

De origine regnorum & regum Hispaniæ post miseram eius cladem, & à quo tempore, & quomodò diuersa regna in eadem Hispania erecta sunt, & de ortu & initio vniuscuiusque regni, & à quo incepit: & primo de origine regni & regum Legionis & Castellæ.

Cap. XI.

POSTQVAM igitur in superioribus deduximus initia antiqua principatus Hispaniæ, & per quos, quomodo, & quanto tempore gubernata fuit vsque ad miseram cladem & irruptionem, diuino iudicio eidem calamitosæ Hispaniæ inflictam tempore Roderici vltimi regis Gotthorum: superest vt breuissime ostendamus ortum & progressum principantium in eadem Hispania post prædictam persecutionem, ac etiam regnorum diuersorum erectionem. Vt igitur in octauo capite diximus, post huiusmodi calamitosam Hispaniæ cladem (de qua inferius latius agemus, in vltimo capite secundæ partis sub Roderico rege) Pelagius qui (vt diximus) ex genere Gotthorum descendebat (secundum alios frater erat regis Roderici vltimi regis Gotthorum) primus fuit qui ex Asturiis exiens cœpit resistere Sarracenis, & paulatim principatũ, licet tenuem, habuit super Christianos qui in Asturiis latuerant: non tamen regium titulum Gotthorum sumpsit, vt cæteri ante regem Rodericum. Nam ille titulus regum Gotthorum penitus cessauit post eandem cladem. Licet enim Hispaniæ reges ab eisdem Gotthis descenderunt, titulum tamen Gotthicum non sumpserunt, sed aliis titulis fuerunt insigniti. Nam alii reges Asturiarum, postea reges Gallicæ & Legionis, tandem reges Castellæ appellati sunt. Quo autẽ tempore punctualiter idem Pelagius regnare cœpit, non habemus, licet aliqui dixerunt, quos sequitur Lucas Tudensis, quod principari cœpit anno Domini DCCXII. alii tamen incertum asserũt tempus principatus sui: nam paulatim principari cœpit. quo fit vt aperte non legatur, quo anno regium sumpserit titulum. Sunt tamen qui asserunt, quod post biennium à clade prædicta regalem titulum accepit. Nihilominus pro clariore supputatione regum, & ne interruptionem admittamus in principatu Hispaniæ, congruenter dici potest, quod ex eo die regium sumpserit titulum, quo infeliciter Rodericus regnum perdidit. Computando igitur ea tempora putandũ est illũ regnare cœpisse anno prædicto DCCXII. regni vero Hispaniæ CCCXX. qui annis XX. regnauit, vt inferius tangemus cum de eodem Pelagio agemus. Hic itaque Pelagius sumpsit pro armis & insignibus suis leonẽ rubeum in campo albo: quæ constat fore arma regum Legionis, quia (vt diximus) ab eo tempore cessarunt in Hispania intitulationes & insignia regum Gotthorum. Quod putandum est ea ratione esse factum, quia prima ciuitas quam à Sarracenis recuperarunt, fuit Legionensis. Genuit igitur Pelagius duos filios, Fafilam, qui post obitum eius regnauit, & Ormisindam reginã, vxorem regis Alphonsi primi, dicti Catholici, à quo effectualiter regnum Hispaniæ incepit. Hic Alphonsus filius fuit Petri ducis Cantabriæ, qui fuit de genere gloriosi Recharedi regis Gotthorum, qui vniuersæ Hispaniæ ante cladem prædictam principatum tenebat, & hæresin Arianam extirpauit ab Hispania. Hic Alphonsus re & nomine Catholicus, & gloriosus princeps fuit, & à Mauris campos Gotthicos, plurimasque ciuitates, prouincias, castra, & oppida magnifice recuperauit vsque ad montes Pyrenæos, qui vere restaurator patriæ dici posset, vt dicemus infra in III. parte cum de eodem Alfonso agemus: quas siquidẽ prouincias & ciuitates (vt inquit Rodericus in Chronica sua) regno Legionis adiecit. Durauit igitur hæc intitulatio à regno Legionis vsque ad Sancium dictũ Maiorem, regem Nauarræ, qui ex successione vxoris suæ, quę erat filia Santii Comitis Castellæ, in titulo regio Castellæ successit, de quo statim erit sermo. Ante illũ enim Castella quæ Bardulia vocabatur, Comitatus erat, sic dicta Castella, quasi sit castellis munita. Castellæ igitur regnũ (vt prędiximus, & latius illico tãgemus) initiũ habuit quoad intitulationem à

Pelagius.

Fafila.

Ormisinda Regina.

Alphonsus I. dictus Catholicus.

Sancius Maior.

Castellæ etymon.

Fernandus Sãtii filius primus Rex Castellæ. *Ordonii II. crudelitas.* *Nunius Rasura.* *Santia nubit Fernando.* *Veremundus.* *Fernandus primus Rex Castellæ & Legionis intitulatur.*

prædicto Santio & Fernando filio eius, qui primus segregatim regni Castellæ titulum & regiam denominationem assumpsit, anno domini millesimo decimo sexto. tamen ante huiusmodi intitulationem principatus & iurisdictio Castellæ pro aliquo tempore pertinuit ad regem Legionis. Itaque Castellani regem Legionis in superiorem cognoscebãt vsque ad tempora Ordonii secundi, qui in Legione regnabat. Hic Ordonius Comites & magnates Castellæ ad se euocans proteruo spiritu instigatus, eos interfici iussit. Quo scelere Castellani indignati ab obedientia regum Legionis discesserunt: ne tamen rectore carerent, & acephali reputarentur, ex nobilioribus eius prouinciæ duos sibi iudices elegerunt. Vnius nomen fuit Nunius Rasura: alterius Laynus Caluus, quorum filii & ab eis descendentes, Comites Castellæ appellati sunt vsque ad dictum Santium Maiorem & Fernandum filium suum, qui primo in Castella (vt diximus) regnauit. Itaque longo tempore distincta fuerunt regna Legionis & Castellæ. Vnio autem vtriusque regni facta est ordine sequenti. Prædictus Fernandus filius Santii, primus rex Castellæ, duxit vxorem Santiam, filiam Alfonsi regis Legionis, & sororem Veremundi regis: & cum hic Veremundus absq; liberis decessisset, Fernandus primus propter Santiam vxorẽ regnum Legionis obtinuit, & sic fuit primus qui rex Castellæ & Legionis intitulatus est, & regna fuerunt vnita quousque iterum per Alfonsum regem Castellæ & Legionis fuerunt diuisa, & iterum reunita, vt nunc sunt, vt latius in Chronica Roderici cõtinetur, & inferius tangemus. Voluimus tamẽ breuiter hæc scripsisse, vt cuiusque regni initium legentes non lateret.

De origine regni & regum Nauarræ, & partium ei adiacentium, & à quibus, & quomodo initium habuerunt, & de vnione eorum.

CAP. XII.

Enequus vir bellicosus & strenuus primus Nauarræ Rex. *Santius.* *Garsias dictus Tremulentus.* *Santius Maior.* *Eluira.* *Petrus Aragonum Rex.*

REGNVM Nauarræ sic incepisse creditur. Cum enim circa annos Domini DCCCCLXI. Castella & terra Legionis ac Nauarra variis Arabum incursionibus vastarentur, aduenit ex Comitatu Bigorriæ, vir bellicosus & strenuus, ac armis assuetus, vocatus Enequus. Hic in montibus Pyrenæis Nauarræ contiguis morabatur. Deinde ad planitiem Nauarræ, descendens cum plurima bella vtiliter gessisset, tandem à populis Nauarrensibus primus Rex Nauarræ assumptus est. Post quem regnauit filius eius Garsias, & post eũ Santius dictus Abarca, filius eiusdem Garsiæ. Deinde regnauit Garsias filius eiusdem Sãtii, qui quidem Garsias dictus est Tremulentus, & hic fuit quartus rex Nauarræ. Post quẽ regnauit in Nauarra Santius filius eius dictus Maior, de quo paulo ante diximus. Hic fuit quintus rex Nauarræ, & duxit vxorem Eluiram filiam maiorem Comitis Castellæ, & sic ex successione reginæ vxoris dictus Santius intitulatus est rex Castellæ. Potest ergo hic Santius, aut efficacius Fernandus filius eius, dici primus rex Castellæ, præsertim post miseram cladem Hispaniæ. Hic Santius rex genuit ex dicta Eluira regina Castellæ Garsiam & Fernandum, & dimisit intuitu reginæ regnum Castellæ Fernando, regnum vero Nauarræ reliquit Garsiæ. Genuit denique idem Santius Ramirum bastardũ, cui reliquit regnum Aragoniæ, & hic fuit primus rex Aragonum. Regnum vero Valentiæ adhuc occupabatur à Sarracenis. Quare longe post circa annum Domini millesimum sexagesimum octauum Rodericus Cidus obtenta licentia ab Alfonso sexto rege Castellæ, cuius vassallus erat, sociatus consanguineis & plurimis Castellæ nobilibus decreuit contra Sarracenos qui Valentiam & partes illas occupabant, bellum gerere. Cum igitur circa partes Aragoniæ & Valentiæ propinquasset, Petrus rex Aragonũ, de quo statim dicemus, manu potenti ei resistere decreuit: tamen in bello à Roderico viuus & incolumis captus est, & illico suæ libertati donatus. Rodericus igitur Valentiam à Sarracenis occupatam petiit, illãque obsedit. Tandem deuicto rege Buchar & innumera multitudine Sarracenorum, eandem vrbem Valentiæ gloriose accepit, quam tenuit quoad vixit: licet eo mortuo iterũ à Sarracenis occupata est, & rursus à rege Aragonum Iacobo feliciter fidei lucro reddita, vt inferius tangemus in capite XXVII. tertiæ partis. Huius autem regni Nauarræ situm & vbertatem, vbi Cantabri degunt, gentisq; strenuitatem supra deduximus in principio huius primæ partis vsque ad caput VII.

De origine regni & regum Aragoniæ, Valentiæ, & Cataloniæ, & à quibus, & quomodo initium habuerunt, & de vnione eorum.

CAP. XIII.

Ranimirus filius Santii Maioris Rex Ca-

REGNVM Aragoniæ & eius intitulatio (vt antiqua annalia perhibent) incepit à prędicto Ranimiro filio Santii Maioris regis Castellæ & Nauarræ (vt supra diximus) & primus

primus intitulatus est rex Aragoniæ, de quo in præcedenti capitulo diximus. Nam ante eum nullus intitulabatur rex Aragoniæ, sed Santius tertius rex Nauarræ, dictus Abarca, primus fuit qui post cladem Hispaniæ magnam partem Aragoniæ à Mauris recuperauit, quam Garsias eius filius & Santius pater huius Ranimiri adauxerunt. Ipse vero Ranimirus patre Santio mortuo aliquam partē Aragoniæ ab Arabibus occupatam post plurimas susceptas clades recuperauit. Incepit autem regnare in Aragonia circa annos domini M.XVII. Hic Ranimirus filium genuit Santium, strenuum & animosum, qui obsedit Oscam, & ibi à Sarraceno sagitta letali percussus obiit, relictis Petro & Alfonso ac Ranimiro. Petrus vero regnum suscepit, & Oscam, aliasque ciuitates, & oppida regno Aragoniæ adiecit. Hic Petrus postea a Roderico de Biuar Castellano, Cido cognominato, qui Valentiam à Mauris recuperauit (vt diximus) in bello captus fuit & liberaliter relaxatus. Primis itaque duobus fratribus sine sobole vita functis, cum regnū sine hærede fluctuaret, quia Ranimirus monachus & sacerdos fuerat ordinatus, ea de re magna inter Aragonenses dissensio secuta est. Tandem Ranimirum monachum à monasterio reuocarunt, & apud Oscam regem sublimarunt, cui vxorem dederunt sororem Comitis Pictauiēsis. Hic Ranimirus filiam genuit Vrracam quæ data est nuptui Comiti Barchinonæ: & exinde facta est vnio Cataloniæ ad regnum Aragoniæ. Ranimirus vero rediit ad monasterium, & regnauit pro eo in Aragonia & Catalonia dictus gener eius, vt latius dicemus in tertia parte sub eodem Ranimiro. Hoc autem Aragoniæ regnum Celtiberorum gens bellicosissima incolit, quæ sæpe Romanis & exteris non paruo terrori atque excidio fuit, cuius regni situm, feracitatem, gentisque nobilitatem, & laudes supra tetigimus in principio huius primæ partis.

stella & Nauarra primus intitulatus est Rex Aragonia

Santius III. Rex Nauarra dictus Abarca.

Santius Ranimiri filius. Obitus, eiusdē.

Vnio regni Cataloniæ ad regnum Aragonia vnde.

De ortu & initio regni & regum Portugaliæ, & quando, & quomodo, & à quibus inceperunt, & quot in eodem regno hucusque regnarunt.

CAP. XIIII.

PORTVGALIÆ denique regnum nouissime erectum est ordine qui sequitur. Alfonsus sextus rex Hispaniæ qui Toletum è Sarracenorum manibus recuperauit, filiam suā bastardam, nomine Therasiam, dedit vxorē nobili Henrico Comiti Lotaringiæ consanguineo Imperatoris, qui de partibus Galliarum venerat. Motus est ad id Alfonsus rex, quia illum strenue pugnantē contra Mahometos conspexit. Hic Comes in rebus bellicis expertissimus fuit, atq; vir magni consilii, & plurimū præsidii regi Alfonso attulit, deditq; ei in dotem partē Galliciæ quæ nunc Portugalia dicitur. Comes igitur ipse patriam illam possedit cum solita recognitione, regi Hispaniæ debita. Genuit igitur ex ea filium Alfonsum Henriques nomine, quem rex Castellæ primo Ducem Portugalię creauit. Deinde aliquibus præliis habitis cum Sarracenis & rebus prospere gestis, volente rege Castellæ, regium titulum assumpsit. Hoc igitur Alfonso Henriques vita functo Therasia eius vxor nupsit cuidam Fernando Comiti. Quæ res plurimum displicuit Alfonso eius filio. Quare orta est inter eos implacabilis discordia, bellaque grauia conserta sunt, vsque adeo vt in quodam campestri prælio Alfonsus victor euasit contra Fernandum vitricum, matremq; suam Therasiam captiuauit, & in vinculis trusit, parum imitatus Coriolanum Romanum, qui matris precibus nedum victor esse noluit, sed principatui cessit. Therasia itaq; conquesta est Romano Pontifici, qui per Episcopum Colimbriensem monuit Alfonsum, vt matrem liberaret, alias illum excommunicaret. Ille vero renuit. Quem Episcopus anathemati dedit, regnumq; interdixit, & Romam aufugit. Demum prædictus Romanus Pontifex Cardinalem misit legatum, sed non profuit. Quinimmo cum Alfonsum iterum excommunicasset, ille in reprobum sensum datus, legatum fugientem persequitur, & capit. Refert tamen Lucas Tudensis quod Alfonsus dolēs legatum cepisse, coram eo se spoliauit, eiq; cicatrices & vulnera ostendit pro fide catholica augenda à Sarracenis illata, indigneq; ferebat vt alius à principatu eum pelleret. Placatus itaq; legatus pollicitus est absolutionem à Romano Pontifice obtinere. Mater igitur videns differri relaxationem suam, maledixit filio dicens: Quia crura mea vinculis alligasti, & mihi abstulisti honorem à patre relictū, Deum precor vt ab hostibus sis captiuus, vt ego sum, demum crura tua fracta cōspicias, sicut mea ferro vinxisti: quod paulo post expletum est. Nam cum bellum apud ciuitatem Pacensem cum Fernando rege Legionis Alfonsus confereret, exiens per portam ciuitatis ad prælium iam cœptum, tibia vectis ferro inuoluta est pariter & rupta: ille vero in bello victus & captus est. Itaque eadem inobedientia ad mandata apostolica, simul & maledictio materna eum cōprehenderunt. Scriptum est enim: Filius stultus de-

Hēricus Comes Lotaring. Therasiā Reg. Hisp. filiā ducit vxorem.

ſpicit matrem ſuam. Et iterum ſapiens ait: Maledictus à Deo qui exaſperat matrem. Et rurſus: Maledictio matris eradicat fundamenta. Vt igitur ad inceptũ propoſitum redeamus, titulus regni Portugaliæ à prædicto Alfonſo modo quo enarrauimus incepit, & tãdem continuati ſunt reges vſque ad Dionyſium regem Portugaliæ, qui per matrimonia præcedentia nepos erat Alfonſi x. regis Caſtellæ ex filia: & hic Dionyſius fuit per eundẽ ſuum auum ab omni recognitione liberatus. quod nõ ſine grauiſſimis ſcãdalis actum eſt, vt infra in quarta parte ſub eodem Alfonſo decimo agemus. Itaq; ſupputando ab eodem Alfonſo primo, qui regium titulum in eadem prouincia primus aſſumpſit, vſq; ad hęc noſtra tempora, duodecim reges ſucceſſiue ſortita eſt Portugalia, ordine ſequenti. Primus fuit Alfonſus prædictus, gener Alfonſi regis ſexti Caſtellæ. Poſt quem immediate regnauit Santius primus: deinde Alfonſus ſecundus. Rurſus poſt illum Santius ſecundus, cognomento Capello, cuius corpus apud Toletum honorifice tumulatum eſt. Huic ſucceſſit Alfonſus tertius. Demum regnauit Dionyſius: deinde Alfonſus quartus: poſtea Petrus: deinde Fernandus: poſt quem Iohannes regnauit ex ordine militari aſſumptus: deinde filius eius Eduardus. Poſt quem Alfonſus nunc feliciter regnat, duas habens ſorores. Primam nuptui dedit Imperatori Friderico moderno, alteram Henrico regi Caſtellæ, vt latius ſub eodem Henrico dicemus. Hoc Portugaliæ regnum (vt prædiximus) per oceani maris littora diffunditur. In eo Luſitani ferociſſimi, cunctis ſæculis laudati viri inhabitant, cuius regni ſitum, vbertatem, gentiſque ſtrenuitatem & laudes ſupra tetigimus in principio huius partis.

Portugaliæ Reges.

De ortu & initio regni & regum Granatæ, & quando, & quomodo inceperunt.

CAP. XV.

GRANATÆ regnum in Bætica prouincia ſitum eſt. Ex omni fere parte à cæteris regni Caſtellæ prouinciis cingitur, ſolum verſus meridiem Africam reſpicit. Ab occidente enim Vandaliam & Luſitaniam conterminat. Deinde per littora mediterranea vſque ad Carthaginem nouam protenditur. Nouiſſime igitur poſtquam alia Hiſpaniæ regna erecta ſunt, Granata titulum regni aſſumpſit, magis certe Sarracenorũ ſiniſtris quam proſperis euentibus. Fuerat enim Granata Mauris proſperantibus non vtique regni caput, ſed pars regni Cordubæ, quæ vna longis temporibus patritia fuit ciuitas Arabibus, & principalior eorum ſedes. Pro cuius clariore notitia libet antiqua ſummatim recolere. Vt enim certiſſima nos docent annalia ex Iſidoro & Luca Tudenſi referentibus, diuina prouidentia cuius iudicia abyſſus multa, exigentibus peccatis Chriſtiani populi Hiſpaniam flagellare diſpoſuit, ac ſub ditione Arabum & miſera ſeruitute ſubiecit. Fuit eiuſdem irruptionis peſtilens inſtrumentũ atq; principalis fautor, ſceleratiſſimus proditor Iulianus, Comes Ceptæ, ex quadam ad regem Rodericum indignatione. Nam Miramomelinum potentem Arabum principem Africæ accerſiuit, eique liberum ad Hiſpanias aditum obtulit. Ille vero Muzam præſidem ſuum & Tarif virum bellicoſum cum innumera Arabũ multitudine in Hiſpaniam transfretare iuſſit. Illi vero aditus liberos ad Hiſpaniam reperientes cuncta deuaſtant, occupant, & diruunt. Veruntamen Rodericus Rex Hiſpaniæ, qui à mari vſque ad mare omnes Hiſpaniarum prouincias obtinebat, cognito ingreſſu Arabum reſiſtere decreuit. Cumque vtrinque acies prope Gienenſem ciuitatem confligeret, & poſt plurima bella ex Arabibus Tarif DCC. & ſex millia cæſa eſſent, tandẽ ſic diſponente diuina ſententia dominica die de anno domini DCCXIIII. Chriſtiani victi ſunt, cunctis partim cæſis, partim fugatis, rege Roderico interfecto. quo euenit vt intra breue tempus Mauri omnem fere Hiſpaniam occuparint, & pro aliquo tempore qui principatũ Africæ obtinebant, etiam ciſmarinas partes Hiſpanicas gubernabant. Demũ vero Mauri qui Hiſpaniis præerant principibus Africanis rebellantes, diuiſi ſunt, nedum à principatu Africano, ſed dominia inter ſe aliquando ex concordia, aliquando ex bellis & ſeditionibus partiti ſunt. Nam quidam Mahomet dictus Abenalabeth à prædicto Africano imperio ſe diuidens, ſedem regni apud Cordubam ſtatuit, alius in Hiſpali & Vandalia. Itaque exinde Sarraceni ipſi particularibus dominiis Hiſpanias afflixerunt, quaſi miſeræ & calamitoſæ Hiſpaniæ non ſuffeciſſet Mahometis ſpurciſſimis ſeruire, ſed & plures principantes illam deuorarent, vt experiretur quia iuxta prophetã, propter peccata gentis multi principes eius. Igitur apud Cordubam regnum erectum eſt, ſub quo Granata & Malica fuerunt. Alii regnarunt in Hiſpali: deinde amplius ſæuiente ira Dei alii in Murtia & noua Carthagine. Sic & apud Toletum, Valentiam, & Cęſarauguſtã, quę quidẽ prouinciæ ſingulos

Iulianus taxatur.

gulos reges longiſſimis temporibus obtinuerunt, vſque ad tempora quorundam principum Sarracenorum qui dicebantur Almorauides, qui tandẽ ab aliis potẽtioribus Mauris appellatis Almohades ab Hiſpania expulſi ſunt. Illi vero ſic pro diuiſo regnarunt vſque ad tempora regis Fernãdi tertii, qui regnare incepit anno Domini M. CCXVI. cuius tempore interfecto à ſuis Mauris quodam appellato Abenhut, qui Vandaliam & Bæticam obtinebat, alter potens Sarracenus, dictus Mahometh Arenalagmat, animoſus & ſtrenuus, licet humiliter natus, ex aratro & bobus, in Granata & Gieneſi ciuitate regnare cœpit. iam enim ira Dei placata Chriſtianis ex miſericordia vires cõceſſit, quibus ex iuſtitia ante abſtulerat. Nam reges Caſtellæ pro tempore animos reaſſumentes paulatim plures deperditas prouincias recuperarunt, adeo vt prædictus Fernandus, huius nominis III. de quo inferius agemus, diuino auxilio munitus, Sibiliam, Cordubam, & totam Vandaliam, & partem Bæticæ lucro fidei attulit. quo effectum eſt vt cum Mauri Hiſpalim, deinde Cordubam regiam eorum vrbem perdidiſſent, neceſſitate compulſi ſedem regiam ad Granatam tranſtulerunt, quia amplior & inſignior illius anguli ciuitas eſt, quam vſque in hodierna tempora noſtra obtinent in felicitate. Huius autem regni ſitum, vbertatem, & laudes explicarem latius, referremque dulcius, ſi à Chriſti fidelibus habitaretur: ſed pudet, vt à Chriſtiano viro ea regio laudibus extollatur, in qua non Chriſtus, ſed Chriſti hoſtis colatur.

Quomodo omnes reges regnorum Hiſpaniæ ducunt originem ex trunco & ſtipite regum Caſtellæ & Legionis.

CAP. XVI.

EX hac igitur ſupputatione, rerumq; geſtarum fideli narratione iuxta hiſtoriæ veritatem, manifeſte demonſtratur erectio, principium, & ortus regum Hiſpaniæ, eorumq; origo & continuatio. Conſtatque liquido omnes reges qui poſt cladem Hiſpaniæ erecti ſunt, ex trunco atque ſtipite regum Hiſpaniæ, quos nunc reges Caſtellæ appellamus, deſcendiſſe & originem tuliſſe, nonnulli tamen remotius, aliqui propinquius, prout ſupra diſſertũ eſt. Rex vero ipſe Caſtellæ Henricus quartus modernus ab Athanarico ex Gotthis primo regnante per ordinatas ſucceſſiones deſcendit. Quinimmo ab eadem domo, eademque familia, & eodem Gotthorum genere, ſine aliqua extraneæ familiæ ac ſtirpis interpellatione, continuatus eſt, adeo vt computando quemlibet regem pro vno gradu, rex ipſe Caſtellæ modernus diſtat ab Athanarico prædicto per LXXXII. gradus lineæ deſcendentis, aut à Theoderico qui effectualiter monarchiam Hiſpaniæ aſſecutus eſt per LXX. ſucceſſiones, & à Pelagio qui primus regnauit poſt cladem in Hiſpania per XLIIII. gradus totidemque ſucceſſiones. Quæ res ita ſingulariſſima eſt, vt in tota Europa ſimilis forte non valet reperiri: & quanquam in ea multi antiquiſſimi & excellentiſſimi principatus exiſtant, non tamen eſt regium aliquod ſolium tam diurnis temporibus ſub eadem familia & domo regia & ſine interpoſitione alterius familiæ continuatum. Et licet plerũque inter eoſdem Hiſpaniæ reges certatum ſit, & prælia non parua inita, cædeſque ſecutę, nunquam tamẽ ad extraneam familiam principatus deuenit. Quod tam excellens beneficium non alia vt putandum eſt ratione eis ab Altiſſimo donatũ fore, niſi ob ſingularem & deuotum religionis catholicæ cultum, quem à tempore Iacobi apoſtoli vſque in hodiernum diem perſeueranter cuſtodierunt, atque propter obſeruantiſſimam reuerentiam & obedientiam ad ſedẽ apoſtolicam, vt merito non fallat ſcriptura ſacra quæ ait: Si obedieris voci ſacerdotis Dei, faciet te Deus cunctis gentibus excelſiorem. Et alibi: Cum rex iuſtitiam Deo ſeruauerit, firmabitur ſolium eius. Et iterum iuxta Sapientem: Vir obediens loquetur victorias. & rurſus econuerſo: Non deſit aduerſitas contrarium agentibus, iuxta veritatem eiuſdem diuini oraculi; quo legimus propter iniuſtitias & contumelias nonnunquam transferri regnum de gente in gentem. Inter omnes autem iniuſtitias nulla capitalior eſt quam Chriſti vicario, veri Dei vices in terra gerenti, obediẽtiæ & reuerẽtiæ cultum ſubtrahere, aut in aliquo diminuere.

Quomodo in regno quod hodie appellatur Caſtellæ & Legionis, reſidet titulus & nominatio regum Hiſpaniæ.

CAP. XVII.

SVPEREST igitur vt illud minime obmittendum, quinimmo & inquirendum ſit, in quo videlicet regno aut prouincia principale Hiſpaniæ nomen inſideat. Erit etiã breuis ſermo de quibuſdam inſignibus victoriis & bellis contra Sarracenos habitis. Prędicta

igitur regna (quemadmodum præmissum est) per vnum regem atque monarcham longissimis temporibus gubernata fuere, & tandem diuisa adinuicem & separata (vt supra relatum est) & vnumquodque regnum nomen regium sibi assumpsit à nominibus prouinciæ, quibus tempore quo regna erecta sunt, nuncupabatur. Nomen vero Hispaniæ re ipsa & veritate, ac debito vniuersalis successionis titulo, sed & omnium nationum ore & nominatione in ea parte Hispaniæ mansit, quæ hodie subiicitur regi Castellæ, ea potissimum inter cæteras ratione, quia reges Castellæ à quibus ipsi descēdunt, monarchiam Hispaniarum (vt dictum est) magnis temporibus in solidum nacti sunt. Accedit, quia constat maiorem Hispaniarum partem subditam fore regi Castellæ, ita vt iuxta iurium dispositionem, qui maiorem rei partem obtinet, totius rei dominus appellari recte possit. *Axioma Iuridicum.* Constat siquidem ex sex prædictis prouinciis Hispaniæ, quatuor fere integras regi Castellæ & Legionis subiectas fore, Carthaginensem videlicet, Lusitaniam, Bæticam, & Galliciam. Id etiam vox omnium populorum probat, qui licet non ignorēt prædicta quinque regna intra nationem Hispaniæ sita fore, cum tamen secernunt Hispaniæ gentes, solum natos in prouinciis principatus subditi regi Castellæ vocāt Hispanos: cæteros vero à regnis & prouinciis ex quibus nati sunt. Nam plurimi sunt populi qui nunquam Castellam, sed Hispaniam audierunt. Quod vtique nequaquam ex ignorantia procedit, quasi nesciant potentiam & latitudinem dominiorum regum Castellæ, sed ex industria alios reges propriis nominibus appellant, veluti regem Aragonum, & Portugaliæ, & Nauarræ, atq; Granatæ: solum autem regem Castellæ vocant Hispaniæ regem. Ita enim ab antiquo inhibitum est cordibus hominum, quod principatus Hispaniæ titulo vniuersalis successionis legitime continuatur in reges Castellæ: principatus vero & regna aliorum ex titulis singularibus, & vt plurimum ex regum Castellæ aut stirpe, aut dependētia processerunt, vt dictum est, non autem ex titulo vniuersalis successionis principatus Hispanici, & ideo omnes gentes prudēter & vere ipsos reges Castellæ ab antiquo nomine principatus appellant reges Hispaniæ. Nec inuenio rationem quare post illam cladem indifferenter non appellantur reges Hispaniæ. Et huius veritatis potissimum signum est, quod solus rex Castellæ habitu & animo ac re ipsa tāquam vniuersalis hæres monarchici principatus Hispaniæ, præter regna prædicta postea separata, cætera omnia habet, quæ antiquis temporibus spectabant ad vnum Hispaniæ monarcham. Nam omnium aliarum prouinciarum conquesta, quas infideles possident, & aliquando fuerunt Hispaniæ, vt dictum est, ad eum vt vniuersalem hæredem principatus Hispanici pertinet nemine inficiāte, sicut Granata & omnes insulæ in oceano sitæ, quæ vocantur insulæ Herculis & Fortunatæ atque Canariæ, quarū aliquas hodie rex Castellæ possidet. Illud præterea non obmittendum censui, quia inter omnes turbines & dissidia in Hispaniis exorta, nusquam à bellis contra Mahometos cessatum est. Licet enim (vt præmisimus) Sarraceni per quingentos fere annos quinq; prouincias Hispaniæ ex sex prædictis inuaserūt, & sic potētia facti diminuta est: sed tamen ius monarchiæ & vniuersalis principatus & potestas iuris non potuit hostiū inuasione tolli. quanquam enim angustarentur, tam numerus personarum, quam latitudo territorii, ipse tamen principatus, prout est ius principandi illęsum, manebat heredib. iniuste expulsorū, præsertim quia, vt dictum est, reges qui à Pelagio prodierunt, diuino auxilio & magna eorum virtute & fide tandem eosdem Sarracenos taliter restrinxerunt, vt eos compellerēt quinque occupatas prouincias deserere, & partem Bæticæ solum in qua nunc degunt, incolere. Et vt paucis agam, à CCC. fere annis Castellæ & Legionis reges maiorem Hispaniarum partem à faucibus hostium Christi eripuerunt. intra hoc enim tempus ciuitas & patria Hispalensis, à qua princeps quidam Sarracenorum rex Sibiliæ vocabatur, recuperata est per Fernandū regem tertiū. Item ciuitas Cordubensis, à qua etiam rex quidā Sarracenorū intitulabatur, & ciuitates Gienensis Carmona, Vbeda, Baeza, Badaioz, & fere tota prouincia Toletana recuperatæ sunt. Demū Alfonsus rex Conchensem, Carthaginensem, & innumeras alias vrbes & oppida recuperauit, & sui successores cum Sarracenis incredibilia bella gesserunt, in quibus diuina præsidia visibiliter opē tulerunt, & beatus Iacobus Hispaniæ patronus oculariter armis materialibus pugnare visus est. Sed inter cætera gloriosa bella illud minime obmittendum censui quod gestum est anno Domini M. CCXII. per Alfonsum regem Castellæ, & per consanguineos suos regem Nauarræ & regē Aragonum, contra Miramomelinum & alios simul reges Sarracenorum, qui fauente diuina clementia mirabiliter victi sunt atq; prostrati, & magna Hispaniæ pars tunc lucro fidei cessit. Cuius belli particularem seriem prædictus rex Castellæ ad consolationem sanctæ matris ecclesiæ domino Innocentio summo pontifici magno cum gaudio intimauit, quæ siquidem litera in apostolicis libris registrata reperitur, vt latius tangemus in tertia

parte

parte ſub Alphonſo octauo. Sed iam huius primæ partis finem abſoluamus, vt tandem initium principatus Gotthorum in Hiſpania, & eorum ſucceſſiones ſimul & ſucceſſus vſque ad regẽ Rodericum ſuccincte recolamus, quia diffuſius à Roderico Toletano enarrantur. Quæ omnia ideo breui repetemus, vt addamus genealogias & ſucceſſiones ſequentium regum poſt Rodericum & Pelagium vſque ad moderna noſtra tempora.

PARTIS PRIMAE FINIS.

RODERICI SANTII EPISCOPI PALENTINI HISTORIÆ HISPANICÆ PARS SECVNDA.

PRÆFATIO.

QVONIAM *in ſuperioribus antiquum Hiſpaniæ principatum ſummatim & in genere retulimus, & tandem deduximus Gotthorum reges inclytos, Hiſpanorum viribus fretos, à finibus Hiſpaniarum Vandalos expuliſſe, nec non Hugnos, Sueuos, Alanos, Selinguos, ſed & Afros, deinde Romanos: rurſus diximus ab Athanarico primo Gotthorum rege vſque ad Henricum quartum, moderno tempore regnantem* LXXII. *gradus ſiue ſucceſſiones ex eodem Gotthorum rege effluxiſſe: iam ergo ſupereſt, vt in hac ſecunda huius hiſtoriæ parte eorundem Gotthorum ſpecificam genealogiam, ac principandi ordinem & numerum, ſed & perſonarum regnantium nomina & ſucceſſiones, clarioraque illorum geſta ſuis temporibus occurrentia vſque ad Rodericum vltimum regem Gotthorum breui diſſeramus. Demum vero in tertia parte ſubſequentium regum poſt Rodericum, incipientes à Pelagio, qui primus poſt cladem Hiſpaniæ regnauit, non ſolum ſucceſſiones, ſed & ſucceſſus, inſignioraque geſta ſuis temporibus occurrentia, vſque ad Fernandum tertium, in quo Roderici Archiepiſcopi hiſtoria clauditur, ſuccincte perſtringemus. In quarta vero parte ſucceſſiones regum, eorundem genealogiam & geſta, ac occurrentia vſque ad præſentia Henrici quarti tempora aliquanto latius deſcribemus.*

DE ATHANARICO PRIMO REGE Gotthorum.

CAP. I.

ATHANARICVS igitur primus ex gente Gotthorũ obtinuit principatũ, vt paulo ante diximus. Incepit autẽ regnare anno Domini CCCXLIII. regnauit annis XIII. Licet enim hæſitandũ nõ ſit Gotthos ante Athanaricũ plures inter ſe reges habuiſſe, poſtquam tamen ab eorum propria patria exierunt, & Italiam, Galliam, Germaniam, & Hiſpaniam inuaſerunt, hunc Athanaricum primum regem elegiſſe hiſtoriographi teſtantur. Hic in Græcia, Pannonia, Italia diuerſa bella fœliciter egit. Demum vt eundem Athanaricum poſt deuaſtatam diruptamque Romam, plurimaſque Italiæ illatas clades, Honorius Cæſar ab Italia pelleret, Gallias ei conceſſit & Hiſpanias, vt quidam referunt. Deinde Cæſar Theodoſius ex Hiſpana familia natus, non parum eum formidans, fœdus cum illo pepigit. Inuitatus igitur ab eodem Theodoſio Conſtantinopolim adiit, vbi honorifice receptus illico obiit. Tempore huius Athanarici ſedebat in cathedra Petri Liberius primus, & Felix ſecundus, & Damaſus primus. In imperio vero ſedit Valentinianus, qui imperauit vna cum Valente fratre ſuo. Hic Valentinianus compeſcuit Valentem fratrem volentem perſequi Chriſtianos. Tandem apud Strigoniam ex apoplexia obiit: quo tempore apud Atrebatas (vt ait Eutropius) vera lana de nubibus pluuiæ mixta defluit. Rurſus eodem tempore terræmotus per totum orbem factus eſt, & mare ita terminos ſuos egreſſum eſt, vt Siciliæ inſulas ac plurimas vrbes & populos oppreſſerit.

Athanaricus quando regnare inceperit.

Terræ motus vniuerſalis.

De Alarico secundo Rege Gotthorum.

CAP. II.

Alaric. regnat

ALARICVS secundo loco Gotthorũ regnum obtinuit, non illico post Athanaricũ, sed aliquanto tẽpore post, videlicet anno redemptionis Christi CCCLVI. nam Gotthi benignitatem Theodosii Cæsaris conspicientes se eius imperio dederunt, fueruntq; sine Rege XXVIII. fere annis. Regnauit autem annis XXIII. quibus expletis Alaricus Gotthorum regnum suscepit. Hic Thracias, Pannonias, Germanias diuersis afflixit cladibus: deinde Italiam ingressus cuncta deuastat, sed Theodosius Gallias eis ab Honorio concessas iterum confirmat. Sed cum à Stilicone comite prædictus Alaricus in via impeteretur, eodem extincto comite indignatus Romam rediit, cuncta deuastat, dato tamen prius pręcepto suis militibus, vt siqui in sancta loca, præcipue sanctorũ Petri & Pauli basilicas, confugissent, hos securos cum fortunis suis custodirent, à sanguine præcipue districte præcipiens abstinendum. Huius Alarici tanta fuit ad sacra limina reuerentia, vt cum in sacrario sancti Petri plurima preciosa iocalia Christiani saluandi gratia detulissent, Alaricus illęsa à suis custodiri iussit dicens: cum Romanis se bellum gerere, non cum Apostolis: plurima deinde quæ eius milites ab ecclesiis abstulerant, illico templis restituens, quemadmodum Augustinus in de ciuitate Dei libris testatur. Fuit autem ab Alarico Roma capta anno M. CLXIIII. ab eadem vrbe condita. Itaq; Roma olim cunctarum gentium victrix sub Alarico Gotthorum rege humiliata est, & suæ ditioni subiecta. Tandem ob innumera mala, quæ Romæ à se & suis perpetrata sunt, cum per Italiam cuncta vastaret, subita interiit morte, quem sui incõsolabiliter luxerũt. Vt tamen victorię cõtra Romanos obtentæ sempiterna duraret memoria, alueum cuiusdã magni fluminis mutarũt, ibiq; tumulũ honorabilem Alarico cõfecerũt: rursus aquam fluminis ad eũdem alueum redire fecerũt, vt ignotus esset locus sepulcri Alarici, sicut alias de sepulcro Moysi sacra historia cõmemorat, quod vsq; in hũc diem incognitum est. Huius Alarici tempore sedit Romæ Quiricus primus, & Anastasius, & Innocentius primus: in imperio Gratianus cum fratre Valentiniano. Hic Gratianus quendam virum strenuum moribus & armis cõsortem fecit in imperio orientis: sibi vero & fratri suo partes occidentales reseruauit. Tandẽ Maximus Cõstantini consanguineus Rex Britanniæ ab exercitu suo imperator eligitur, & per tyrannidem imperium inuasit, & prope Lugdunum Gratianum circumuenit & occidit.

De Ataulpho tertio Rege Gotthorum.

CAP. III.

Ataulphus regnum suscipit.

ATAVLPHVS Alarici affinis, secundum alios nepos, tertio loco regnum Gotthorum suscepit, anno Saluatoris mundi CCCCXI. regnauit annis sex. Hic Vandalos, Alanos, Sueuos, & Hugnos, quos Ostrogotthi à Pannoniis fugauerant, & ad Gallias trãsire coegerant, valida manu insequitur. Illi audito Ataulphi aduentu, dimissis Galliis Hispanias petunt. Ataulphus vero post deuastatas diu Gallias, primus omnium Gotthorum Hispanias ingreditur, Vandalos cæterosque Barbaros cæsurus. Tandem apud Barchinonam à suis seditiose iugulatur. Hoc tempore sedebat Romæ Sozimus: in imperio Honorius & Arcadius fratres filii Theodosii senioris. Arcadius imperabat in oriẽte, Honorius in occidẽte.

De Sigerico quarto Rege Gotthorum.

CAP. IIII.

SIGERICVS Ataulphi consanguineus quarto loco regnum Gotthorum suscepit anno natiuitatis Christi CCCCXVII. Parum dignum relatu egit, pro eo quia vno videlicet anno regnauit, cuius tempore pręfuerũt in sede Apostolica & in imperio proxime nominati. Circa hæc tempora Orosius doctor Hispanus, doctrina ac eloquẽtiæ suauitate clarissimus, floruit. Hic (vt Genadius de illustribus viris refert) egregia descripsit opuscula, præsertim contra querulos Christiani nominis falso asserentes eclipsatum diminutumq; fuisse imperium & statum Reipublicæ Romanæ per aduentum Christi. Aduersus quem errorem plurima sempiterna commemoratione digna descripsit, liquido ac apertissimis testimoniis ostendens, longe maiora grauioraque mala Romanæ Reipublicæ ac vniuerso orbi accidisse à principio sæculi vsque ad Redemptoris nostri aduentũ, quam post euangelium diuulgatum. Hic Orosius Augustini discipulus fuit secundum eundem Genadiũ, & pro discẽda animæ ratione ad Hierosolymã missus, reliquias beati Stephani protomartyris secũ tulit in Africã. De quarũ innumeris virtutib. & ingẽtib. miraculis idẽ beatus Augustinus XXII. de ciuitate Dei longum agit sermonem.

Orosius Augustini discipulus teste Genadio.

De Walia quinto Rege Gotthorum.

Cap. V.

WALIA quinto loco regnum Gotthorum suscepit anno Saluatoris mundi quadringentesimo decimo octauo, regnauit annis tribus. Hic Vandalos Silinguos ex Bętica fugauit, & Hispaniis solus præfuit. Nam Gensericus rex Vandalorum cum omnibus Vādalis & familiis suis ad Africam transire coactus fuit, qui continuo obsederunt Hipponā. Cuius obsidionis anno primo beatus Augustinus migrauit ad Christum, inter ipsos obsidentium impetus suos ad martyrium confortans. obiit autem anno episcopatus sui trigesimo quinto, anno vero decimo post Hieronymi obitum. In hoc Walia principatus Vandalorum qui & Silingui dicuntur, finem habuit. Vocati sunt autem Silingui illi Vandali, qui in Africam transiere, eadem tamen gens erat: Leonogildus tamen eorum vestigia totaliter extirpauit. Huius regis Waliæ tempore in Francia primus omnium regnauit Faramundus. Hoc tempore sedit Romæ Celestinus primus: in imperio prædictus Honorius. Hoc tempore celebrata est synodus Ephesina CC. Episcoporum. Cusentinus tamen refert congregatam sub Theodosio iuniore. in qua synodo interfuit Cyrillus Episcopus Alexādrinus. vbi damnatus est Nestorius Episc. Constantinopolitanus, qui impie negabat beatā virginem esse veram Christi & Dei matrē, quia asserebat duas in Christo filiationes, duas personas, & duo supposita. qua de re synodus anathematizauit tredecim capitula, in quibus consistebant blasphemiæ eius, de quibus latius agitur in decreto XVI. distinct. Tertia synodus. Rursus eo tempore (vt ait Martinus) apud Cretam Diabolus, qui se plerunq; transformat in angelum lucis, in specie Moysi apparens dum Iudęos in terram promissionis per mare pede sicco transire polliceretur, plurimos inter fluctus necauit: sed qui euaserunt ad Christi fidem conuersi sunt. Sic itaq; hostis ipse malignus à seipso victus est, plus dolens de paucorum viuentium fide suscepta, quam de multorum morientium cæde adepta. Sed verum est illud Augustini, quia dæmon magis dolet de vno peccatore pœnitentiam agente quam de centum in peccatis decedētibus: plus odit profectum vnius, quā tormenta multorum.

Waliæ res gestæ. — *Silingui.* — *Faramundus.* — *Synodus Ephesina 200. Episc.* — *Nestorius.* — *Augustini dictum.*

De Tenderedo sexto Rege Gotthorum.

Cap. VI.

TENDEREDVS sexto loco regnauit, tribus annis post Waliam anno Domini CCCCXXI. Hic ab Athila rege Hugnorū in campis Catalaunicis interficitur. Alii vero referunt hunc cæsum fuisse Theodericum. ipse tamē Athila victus est à Gotthis & Romanis. Nec legitur à multis sæculis tam illustre, immo tam cruentum bellum in Europa contigisse. nam vt historiæ habent, trecenta millia hominum cæsa sunt. Paulo ante hoc dirissimum bellum terribilia signa visa sunt magnam sanguinis effusionē indicantia. nam post eclipses solis & Lunæ, sol visus est per tres dies sanguinolentus vltra communem & solitum ordinem. Athila vero sic victus dolo Etii ducis Romanorum dimissus est. putauit enim perempto Athila Romanos opprimi posse à Gotthis. Athila vero Pannonias repetit, maioremque congregat exercitum, & furibundus Italiam ingreditur, ac primo Aquileiā expugnat triennio. Sed cum eius exercitus famem pateretur, nec amplius tolerare posset, quadam die Athila ciuitatem circuit, vt videret quā ex parte facilius oppugnare posset, & repente ciconias cernit in turrium fastigiis nidificare solitas vno impetu è ciuitate migrare, fœtusque suos sublatos rostris forinsecus deportare. Quo viso auspicio, Conspicite, inquit ad suos, futurorum aues præscias perituram relinquere ciuitatem: statimq; adhibitis machinis hortatur suos acriter pugnare. Vrbē itaq; sine mora capit, & cuncta igne vastat & gladio. Quod cum cerneret quædam nobilissima & pudicissima virgo in quadam altissima turri existens, ne sordidissimis barbaris ludibrium fieret, è summa turri euoluto capite se præcipitem dedit, (vt ait Eutropius) metum amittendæ pudicitiæ memorabili exitu terminauit. Demum Athila inter conuiuia vino soporatus, sanguine per os & nares effuso, suffocatus est. Qua nocte Martianus Imperator Constantinopoli existens vidit in somniis collum Athilæ esse fractum.

Tenderedus regnat.

De Turismundo VII. Rege Gotthorum.

Cap. VII.

TVRISMVNDVS filius Tenderedi septimo loco regnauit anno Domini CCCCLII. & à suis decimo anno regni sui interficitur fratrum consilio.

Turismundus.

De Theoderico VIII. Rege Gotthorum in Hispania regnante.

Cap. VIII.

Theodericus.

THEODERICVS frater Turismundi post eum octauo loco regnauit anno Domini CCCCLIIII. Hic extincto apud Rauennam Odoacre, totius Italiæ adeptus ditionem Romam pergit, & à Romanis magno cum gaudio susceptus est. Tandem Barbaros insequens Hispanias affligentes, in Gallicia apud Astoricam Rhetiarium Regem Sueuorum, Hispanorum præsidiis prostrauit atque interfecit. Extunc principes Gotthorum effectualiter in Hispania regnarunt, & eius monarchiam tenuerunt, non tamen sub Hispaniæ titulo, sed Gotthorum. Hunc tamen Theodericum à fratre occisum ferũt. Hoc tempore sedit Romæ Hilarius: in imperio vero Martianus, qui apud Constantinopolim suorum seditione interfectus est.

De Henrico IX. Rege Gotthorum in Hispania regnante.

Cap. IX.

Henricus.

HENRICVS post necem fratris Theoderici nono loco successit in regno anno Domini CCCCLXVII. regnauit annis XVII. Hic primus leges Gotthorũ scriptis redegit populisque tradidit: quemadmodum Phoroneus leges primus Græcis dedit, Solon Atheniensibus, Lycurgus Lacedæmoniis, Numa Pompilius Romanis, secundum Isidorum. Hoc tempore sedit Romæ Simplicius: in imperio vero Leo primus, qui quendam filiolum suum nomine Leonem fecit in imperio consortem, secundum Sicardum.

De Alarico II. decimo Rege Gotthorum in Hispania regnante.

Cap. X.

Alaricus.

ALARICVS II. Henrici filius decimo loco apud Tolosam regnum Gotthorum assumpsit anno Domini CCCCLXXXV. regnauit annis XXII. Sed anno duodecimo regni sui accidit quod Transmundus tyrannus Africæ, fautor hæresis Arianæ omnes episcopos vltra, & viginti ex Africa exulare fecit, qui dispersi per orbem recurrerunt ad Symmachum Papam. Ille pietate motus aliquos episcopos transmisit ad Hispaniam, fueruntque humaniter recepti. Tamen paulo post Iustinianus Imperator misit Belisarium qui deuicit eundem Transmundum, & eum interfecit. Hic igitur Alaricus apud Pictauium in Gallia à Fludiguino Galliarum principe victus & occisus est. Hoc tempore sedit Romæ Felix tertius & Gelasius & Symmachus successiue: in imperio vero Zenon. Hic apud Constantinopolim regnauit annis viginti. Hic Zenon Leonem puerum Augusti filium interficere quærens, mater eius hoc sciens alium sibi similem obtulit, filiumque Leonem occulte clericum fecit ordinari, qui in clericatu vsque ad tempora Iustini vixit. Hic Zenon misit Theodericum cum Gotthis in Italiam contra Odoacrem: tandem post multa bella victus est. Odoacer vero à Theoderico est Rauennæ peremptus, secundum Sicardum & Vincentium.

De Gesselarico XI. Rege Gotthorum in Hispania regnante.

Cap. XI.

Gesselaricus.

GESSELARICVS Henrici filius ex concubina vndecimo loco regnauit anno Domini DVIII. præfuit regno Gotthorum annis quatuor. Hic Alarico fratre defuncto, qui filium Amalaricum ex filia Theoderici regis genuerat, qui in Italia regnabat, ad regnum Gotthorum per tyrannidem assumitur. Sed tandem victus & fugatus à quodam duce Theoderici Regis Ostrogotthorum, & in Africam transire pulsus est, ibique morte propria obiit. Sedit eo tempore Romæ Hormisda: in imperio vero Anastasius primus. Hic Imperator infectus fuit hæresi Eutychiana & Ariana, & monitus per Papam Hormisdam vt ab hæresi resiliret, cum non discederet, subito diuino iudicio à fulmine percussus est. Hoc tempore Vandali in Africam transierunt, ecclesias claudunt, Episcopos exilio mittũt.

De Theoderico XII. Rege Gotthorum in Hispania regnante.

Cap. XII.

Theodericus.

THEODERICVS patruus Alarici duodecimo loco regnauit, non iure proprio, sed quam diu nepos Alaricus puer fuit, cœpit regnare anno Domini DXII. Hic ex Italia celeri gressũ veniens regnũ Hispaniæ Alarico nepoti dimisit. Regnauit annis decem, mensibus septem. Nam audito quod Gesselaricus sua ignauia fugatus, & per diuersas orbis plagas vagare-

vagaretur, & regnum Gotthorum ad Amalaricum nepotem suum pertineret, venit in Hispaniam & cum esset bellicosissimus & magnificus, licet Arianis deditus, vnanimiter ab omnibus Rex assumitur: qui tamen renuit, nisi solum durante pueritia nepotis sui. Quo adueniente illico regnum ei dimisit, & Italiam petiit: & sic aliquo tempore in Italia & Hispania regnauit. Hic Theodericus Arianus fuit, ecclesiam persequitur, misitque Iohannem Papam & viros consulares ad Iustinum Imperatorem, vt ecclesias Arianis restitueret, alias Christianos per totam Italiam trucidaret. Quod audiens Iustinus paulułum supersedit persequi Arianos. Interim idem Theodericus Boetium Senatorem, & alios claros viros quos tenebat in carcere, iussit interfici. Hic Theodericus pater fuit excellentissimi principis Seueriani ducis Carthaginensis, qui ex nobili Theodora genuit sanctissimos ac clarissimos filios, videlicet Leandrum & Isidorum Archiepiscopos Hispalenses, & Fulgentium Episcopum Tingitaniæ, ac Theodosiam vxorem Leonogildi Regis: genuit & Florentiam virginem. Hoc tempore sedit Romæ Iohannes primus, & in imperio Iustinus primus prædictus.

Boetius interficitur.

De Amalarico XIII. *Rege Gotthorum in Hispania regnante.*

CAP. XIII.

AMALARICVS Alarici filius, decimo tertio loco regnum Gotthorum suscepit anno Domini DXXIIII. regnauit annis quinque. Hic à Giliberto Rege Francorum in bello occiditur. Mansit regnum matri suæ dictæ Amalasentæ, filiæ Theoderici Regis. Illa vero ex Italia euocauit Tendium eius consobrinum, quem in regno Italiæ & Hispaniæ hæredem instituit, qui tamen ei ingratissimus fuit, vt statim dicemus sub eodem Tendio. Hoc tempore sedit in cathedra Petri Felix quartus, & Bonifacius secundus: in imperio vero Iustinianus primus. Hic XXXVIII. annis imperauit, leges condidit, & consummauit codicem & digesta. Eo tempore floruit beatus Benedictus apud montem Casinum. Hic Iustinianus per Belesarium plurima prospere expleuit tam contra Vandalos, quam Gotthos. Signanter transiens in Africam multis gladibus Vandalos afflixit.

Amalaricus.

Codicē & Digesta consummat Iustinianus Imp. nunquam satis laudatus.

De Tendio XIIII. *Rege Gotthorum in Hispania regnante.*

CAP. XIV.

TENDIVS Amalasentæ Reginæ & quondam filii eius tutor, decimo quarto loco regnauit anno Domini DXXXI. præfuit regno annis XVII. qui eandem matrem Amalarici & consanguineam suam postea in balneo mori fecit: & quia illa se & filium Imperatori Iustiniano commiserat, ipse Christianissimus Imperator misit Belesarium in Hispaniam, vt in eundem Tendium tantum facinus vindicaret, sed ante eius aduentum quadam singulari morte interfectus est. Cum enim Tendius quadam die in regio palatio maneret, præsentibus plurimis regni magnatibus vnus homo vilis conditionis, buffonis artem exercens, seque stultum simulans, Tendium Regem gladio perfodit, & illico extinxit. Ille vero Barones hortatur, ne buffonem læderent, quia Dei erat executor, & digne pœnas luebat. Hoc tempore sedit Romæ Iohannes Papa secundus & Syluerius, in imperio prædictus Iustinianus, qui post multa præclara opera templum construxit apud Constantinopolim mira structione ad honorem sanctæ Sophiæ, ibique in multa pace sepultus est.

Tendius.

De Theudiselo XV. *Rege Gotthorum in Hispania regnante.*

CAP. XV.

THEVDISELVS duxit exercitus Gotthorum, & Tendii consanguineus, decimus quintus Rex fuit. incepit regnare anno Domini DXL. regnauit anno vno, postquā à Gotthis Rex eligitur. Hic pessimus fuit, & vltra communem modum valde luxuriæ deditus, nam nobilium vxores rapiebat. Qua de re apud Hispalim suorum coniuratione strangulatus est, ac paruo tempore regnauit. Ferunt Hispanica annalia, quia Regina huius Theudiseli vxor cum illum dulciter argueret de extraneis libidinibus, ille dixisse fertur: Nil tuæ dignitati detrahit mea luxuries, nec meum ad te minuit amorem: imitatus Ælium Commodum Cæsarem, apud quem cum vxor conquereretur propter aliarum fœminarum concubitus, ille, Patere, inquit, me per alias exercere cupiditates meas. vxor enim dignitatis nomen est, non voluptatis. Suoque tempore concurrerunt Iohannes & Syluerius Romæ, & in imperio prædictus Iustinianus, de quibus sub Tendio diximus.

Theudiselus.

Χρεία elegans Theudiseli.

De Agila XVI. *Rege Gotthorum in Hispania regnante.*

CAP. XVI.

AGILA à Gotthis Rex eligitur & decimo sexto loco regnauit anno Domini DL. regnauit annis V. Hic aduersus Cordubam bellum mouit, & sanctorum Acisdi & Victoriæ tumulos prophanauit, tandem in bello contra ciues Cordubenses vindictam diuinæ vltionis sensit. nam in eo conflictu filius eius interfectus, & thesaurus suus ablatus, nec multum post apud ciuitatem Emeritam à suis occisus est. Hoc tempore sedit Romæ Pelagius Papa primus, in imperio Iustinianus primus, de quo paulo ante diximus. Hoc tempore Armeni fidem Catholicam receperunt. Eo etiam tempore secundum Martinum propter terribilem pestem apud Constantinopolim instituta est festiuitas purificationis beatæ Mariæ.

Pelagius Papa I.
Iustinianus I. Imp.
Festum purificationis Mariæ.

De Athenagildo XVII. *Rege Gotthorum in Hispania regnante.*

CAP. XVII.

ATHENAGILDVS post mortem Agilæ decimo septimo loco per tyrannidem regnauit, anno Domini DLV. regnauit annis XIV. Hic apud Toletum morte propria obiit. Tempore huius Regis horrenda auspicia acciderunt. nam prope flumen dictum Tedon, vnus altissimus mons prope Hispaniam Gotthicam per tres dies vlulatus lacrymabiles effudit, & statim alius vicinus mons submersus est, nec manserunt vestigia illius, nec aliquorum populorum ei proximorum. Sæpe enim occurrunt prodigia ex diuina dispositione, aut vt homines corrigantur, aut puniantur, sicut in Ægypto fecit signa & prodigia magna & pessima, iuxta illud: Vide opera Domini, qui posuit prodigia magna. Et iterum: ipse fecit prodigia in medio tui Ægypte. Hoc tempore sedit in cathedra Petri Iohannes III. in imperio vero Iustinus secundus Iustiniani nepos. Hic bonum initium habuit, deinde cupiditati & plurimis se vitiis dedit. Eo tempore Narses patricius cum Longobardis regnum Italicum a Iustino & iugo Constantinopolitano eripuit, & ab illo tempore (vt refert Martinus) Romani per patricios cœperunt regere.

Auspicia horrenda.

De Limba XVIII. *Rege Gotthorum in Hispania regnante.*

CAP. XVIII.

LIMBA, alias Luiba, post Athenagildum decimo octauo loco Rex Gotthorum eligitur, anno Domini DLXIX. regnauit annis tribus. Hic Leonogildum fratrem suum non solum regni successorem, sed participem fecit, & Hispaniæ gubernatorem: ipse vero Galliæ Gotthicæ regno fuit contentus. Hoc tempore sedit Romæ Benedictus V. in imperio vero Tiberius II. Eo tempore secundum Martinum magna pars gentis Gotthicæ Christianã fidem suscepit, dimissis cunctis hæresibus. Hic Tiberius Christianissimus fuit & plurimum pauperibus compatiens.

Benedictus V. Papa
Tiberius II. Imp.

De Leonogildo XIX. *Rege Gotthorum in Hispania regnante.*

CAP. XIX.

LEONOGILDVS post Luibam fratrem Hispaniæ & Galliæ decimo nono loco regnũ adeptus est anno Domini DLXXII. regnauit annis XVII. Hic habuit vxorem Theodosiam Theoderici neptem, filiam Seueriani ducis Carthaginensis, filii Regis Theoderici. Seuerianus vero ex vxore Theodora, ex regum sanguine descendenti, genuit clarissimos filios Leandrum & Isidorum Archiepiscopos Hispalenses, & Fulgentium Tingitanum Episcopum, & duas filias, Florentiam monialem & Theodosiam reginam, quam diximus vxorem Leonogildi, qui ex illa genuit Hermegildum qui fuit Christi martyr, & Recaredum qui fuit Rex. Hic Leonogildus bellicosus fuit, & accepit Cantabriam, Sabaudiam, & nonnullas alias Galliæ vrbes, & plurimum Hispaniam ampliauit. Nam ante eum gens Gotthorum angustis terminis arctabatur, & aliquam partem Hispaniæ obtinebat. Eo tempore regnum Sueuorum intra Hispaniam penitus deletum est, quoniam hic Leonogildus contra Andecam Regem Sueuorum in Gallicia pugnauit, illumque deuicit: & ex tunc cessauit regnum Sueuorum quod centum septuaginta & septem annis principatum tenuerat, illudque regno Gotthorum additum est. Deinde hic Leonogildus Romanos apud vrbem Legionem fudit, vrbem cepit, & suo nomine Legionem vocauit. Hic

Liberi Leonogildi.

Ariana

Ariana hæresi infectus fuit, & quia Hermegildus eius filius hæresi non assensit, martyrem propria manu consecrauit. Nam assumpta occasione quod Hermegildus acceperit vxorem filiam Gidiberti Regis Francorum, contra eum exercitum congregauit, & apud Hispalim eum obsedit, & cepit, & carceribus trusit. Cui suasit vt Catholicam fidem desereret, & regna illi tanquam primogenito dimitteret. Cui Hermegildus ait, se non curare si ei in terreno regno nō succederet, si aliud longe felicius regnum obtineret in cœlis. Tandem post plurima supplicia ipse impius pater securi caput filii elisit. Hoc tempore sedit Romæ Pelagius II. & Gregorius primus: in imperio vero Mauricius primus ex Græcorũ gente. Hic fuit gener Tiberii, & fuit catholicus & deuotus, Persas & Armeniam deuicit. Hoc tempore beatus Gregorius in Papam eligitur, cum quo Mauricius discors fuit, adeo vt imperator mortem ei comminaretur, sed tandem de cunctis pœnituit. Hic Imperator in oriente constitutus cum à rapinis & furtis suos cohiberet & puniret, prouocati milites Phocam Cæsarem elegerunt, qui Mauricium in quandam insulam cum vxore & filiis fugauerunt, & tandem peremerunt.

Leonogildus Arianus.

De Recaredo XX. *Rege Gotthorum in Hispania regnante.*

CAP. XX.

RECAREDVS filius Leonogildi vigesimo loco regnauit, anno domini DXC. hic regnauit annis XV. Christianissimus fuit, & patri fide & moribus valde dissimilis. Nam hic gloriosus Princeps bello promtus erat, in pace præclarus, longe plus fide quam pater armis regnum dilatauit. Hic à sanctis viris Leandro & Fulgentio à cunabulis eius in fide instructus fuit, & à populis suis Arianam hæresin in concilio Toletano congregatis multis catholicis Episcopis extirpauit. Nam ipse Christianissimus princeps personaliter in eodē concilio Toletano interfuit, gestaq; in eo sua subscriptione firmauit, damnans perfidiam Arianam, quam pro magna parte Gotthi tenuerant, & proprio ore prædicauit trium personarum vnitatem, vnum Deum, Filium cōsubstantialem genitum, Spiritum sanctũ inseparabiliter à Patre & Filio procedentem. Post quam fidei professionem ac hæresis damnationem, ipse princeps religiosissimus fidei armis munitus apud Linguam Occitanam XL. millia Francorum prostrauit atque deuicit. Quo bello præter illud in montibus Catalaunicis commissum, nullum acrius commissum in Gallia legitur. Sępe hic Rex Romanos & diuersas alias gentes deuicit & fugauit. Ex huius regis tempore nulla hæresis reperitur in Hispania orta aut defensa. Hoc tempore sedebat Romę Sabinianus primus & Bonifacius tertius, & Bonifacius quartus: in imperio vero Phocas. Hic (vt diximus) seditione militari creatus est contra Mauricium. Hic Phocas cōcessit beato Bonifacio, vt templum Pantheon in ecclesiam consecraretur. Contra hunc Phocam Heraclius bellum mouit, & eum vita & regno priuauit.

De Luiba XXI. *Rege Gotthorum in Hispania regnante.*

CAP. XXI.

LVIBA II. Recaredi filius vigesimo primo loco regnauit, anno domini DCVI. regnauit annis duobus, mensibus quinque. Hic sedecim annorum erat cum à Viterico per seditionem est occisus. Propter regni breuitatem non ponitur concursus Romani Pontificis nec Imperatoris, nisi id vnum. Nā eo tempore maxima bella exorta sunt aduersus Regem Persarum, & Romani Hierosolymam & plurimas prouincias dimittere coacti sunt.

De Viterico XXII. *Rege Gotthorum in Hispania regnante.*

CAP XXII.

VITERICVS occiso Luiba vigesimo secundo loco per tyrannidem regnum assumsit anno domini DCVII. regnauit annis septē. Hic multa illicita fecit, & tādem qui interemit Luibam, ab eius consanguineis est gladio interemptus. Hoc tempore sedit Romæ Deusdedit natione Romanus: in imperio vero Heraclius cum Constantio filio suo. Hic filius fuit Heracliani Consularis Africæ, & duos filios genuit, Heraclionem & Constantinum, qui Constantinus Heraclio mortuo Imperiũ suscepit. Huius Heraclii tempore Machometus impius propheta Saracenorum surrexit, causamq; huic sectę non paruam attulit tyrannis & iniqua gubernatio Heraclii in partibus Orientis, qui plurimos grauabat & affligebat talliis & exactionibus. Quare subditi ab eo recesserunt, & vt rebellio eo magis duraret, fecerũt schisma & diuisionem in secta, vt egit Ieroboā, qui vt perduraret rebellio contra Roboam & regnum Israel, recessit à cultu veri Dei, & de hoc ibi diximus latius.

Deusdedit. Heraclius. Constantinus. Machometi origo.

De Gundamiro XXIII. *Rege Gotthorum in Hispania regnante.*

CAP. XXIII.

Gundamirus.

GVNDAMIRVS post Vitericũ vigesimo tertio loco regnauit anno domini DCXIV. Hic pręfuit regno annis duobus, ipse Vascones domuit, Romanos fugauit, apud Toletum obiit. Statuit plurimas leges in fauorem ecclesiarum, signanter quod nullus inuitus extrahatur à sacris templis. Hoc tempore sedit Romę Honorius pręđictus: in imperio vero idem Heraclius, à quo Chosroes Rex Persarum victus & cæsus est, & populus Christianus cum sancta cruce à captiuitate liberatus: & ex eo tempore instituta est festiuitas exaltationis S. Crucis.

De Sissebuto XXIIII. *Rege Gothorum in Hispania regnante.*

CAP. XXIV.

Sissebutus Christianiss. & religiosiss.

SISSEBVTVS post Gundamirum vigesimo quarto loco regnauit anno domini DCVI. regnauit annis IX. mẽsibus VI. Hic Christianissimus & religiosissimus appellatur. Hic inter plurima opera sua zelo fidei accensus, interfuit concilio Toletano. vbi eo instãte statutum fuit, vt illi qui hactenus ad Christianismum fuerant coacti, quia iam fidei Catholicæ sociati fuerant, compellerentur fidem seruare, licet illam necessitate susceperint, vt habetur in C. de Iudæis, XLV. di. Sunt tamen qui asserunt hunc Sissebutum in principio regni sui cõpulisse Iudæos omnes ad baptismum. Postea vero cernens multos ex eis recidiuasse & iudaizasse, assensit vt in Concilio Toletano statueretur, quia deinceps nullus inuitus baptizaretur, licet qui iam taliter fidem susceperant, eam seruare cogerentur. Sub hoc Sissebuto gloriosus Isidorus apud Hispalim concilium celebrauit contra hæresin Acephalorum. Hic Sissebutus in propria persona bis cõtra Romanos triumphauit, & aliquas eorum vrbes expugnauit: deinde in Africa trans fretum nauigans plurimas gentes sibi & domino Gotthorum subiecit. Fuit miræ clemẽtiæ & benignitatis, & in redemptione captiuorum thesauros expendit non paruos. Obiit (vt quidam asserunt) veneno, cuius obitus toti Hispaniæ plurimum fuit dispendiosus. Hoc tempore sedit Romæ Seuerinus & Ioannes IIII. in imperio prædictus Heraclius, de quo paulo ante diximus.

Isidorus gloriosus Concilium apud Hispalim celebrat.

Seuerinus & Ioannes IV.

De Recaredo XXV. *Rege Gotthorum in Hispania regnante.*

CAP. XXV.

RECAREDVS huius nominis III. Sissebuti filius, vigesimo quinto loco regnauit anno Domini DCXXV. solum mensibus sex pręfuit. Hic Rex paruo tempore regnauit, ideo non fit mentio de Romano Pontifice & Imperatore suo tempore concurrentibus.

De Suintilla XXVI. *Rege Gotthorum in Hispania regnante.*

CAP. XXVI.

SVINTILLA primus filius Recaredi primi Regis gloriosissimi vigesimo sexto loco regnauit annis X. incipiens anno Domini DCXXVI. Hic sub Sissebuto dux fuit, & Romanos bis domuit. Hic totius Hispaniæ monarchiam exclusis omnibus vestigiis Romanorum primus obtinuit. Fuit bello victoriosus, & (vt ait Lucas Tudensis) inter Reges Gotthorum auxit principatum Hispanię miro modo, non tam prudentia singulari, quam virtute prælii. Hic filium suum Rachimirum in consortio regni assumpsit, & simul cum patre regnauit. Sed illico aut parum post mortem patris obiit, & manserunt duo alteri filii Suintilla & Sisenandus, quos Suintilla pater susceperat ex Theodora filia Sissebuti. Hic Suintilla belli & pacis tempore moderatissimus fuit, Deo & hominibus dilectus. Hoc tempore beatus Isidorus obiit in Christo. Circa illa tempora sedit Romæ Theodorus primus & Martinus primus: in imperio vero Constantinus tertius. Hic secundum quosdam filius Heraclii dicitur, secundum alios filius fuit Constantini: vnde à quibusdam appellatur Constans. Sub eo magna pars reipublicæ à Machometis desolata est. Hic pessimus fuit. Suo etiam tempore Sarraceni Africam occupant. Sub hoc Imperatore Papa Martinus concilium congregat ad delendum hæresin. Qua de re commotus Constantinus Papam capit & in exilio mori fecit. Hic Imperator omnib. fuit exosus, & in Sicilia apud Syracusas à suis occisus est: post cuius obitum milites quendam Armenum nomine Mezẽtium elegerunt. Sed paulo post Constantinus filius Constantini occisi applicuit, & imperialem purpuram sumpsit, interfectis tyranno & patris occisoribus.

B. Isidori obitus

Martinus Papa Concilium congregat.

Constantinus à suis occisus.

De Sise-

De Sisenando XXVII. *Rege Gotthorum in Hispania regnante.*

CAP. XXVII.

SISENANDVS Suintillæ filius vigesimo septimo loco regnauit anno domini DCCV. Hic regnauit annis quinque, mensibus septem. Per tyrannidem regnum obtinuit, cum regnum deberetur Suintillæ fratri suo primogenito. Apud Toletum obiit morte propria. Eo tempore Romæ Martinus primus, in imperio sedebat Constantinus tertius, de quo supra diximus.

De Suintilla XXVIII. *Rege Gotthorum in Hispania regnante.*

CAP. XXVIII.

SVINTILLA II. filius Sisenandi, vicesimo octauo loco regnauit anno Domini DCCXI. regnauit annis IIII. cuius tempore concilia Toletana fuerunt frequentata sub beato Eugenio sedis Toletanæ Archiepiscopo Hispaniarum primate, subscribentibus Narbonensi & Tarraconēsi Archiepiscopis metropolitanis sub eadem Toletana primatia. Hoc tempore sedit in cathedra Petri Eugenius primus: in imperio vero idem Constantinus tertius, de quo paulo ante diximus.

B. Eugenius.

De Tulga XXIX. *Rege Gotthorum in Hispania regnante.*

CAP. XXIX.

TVLGAS ex Gotthico regio sanguine descendens regnauit vigesimo nono loco, anno Domini DCCXLV. regnauit annis duob. Hic catholicus & optimus Rex fuit, humilis, liberalis, cultor iustitiæ, dilectus à clero & populo, confirmauit publicis legibus quæcunque decreta fuerant in conciliis Toletanis. Sed peccatis Christiani populi hic Christianissimus princeps intempestiue moritur. Hoc tempore sedit Romæ Vitelianus: in imperio vero idem Constantinus tertius, de quo Suintilla primo diximus.

Obitus Tulga Christianiss. principis.
Constantinus III.

De Cindasuindo XXX. *Rege Gotthorum in Hispania regnante.*

CAP. XXX.

CINDASVINDVS post Tulgam per tyrannidem trigesimo loco regnasse perhibetur anno domini DCCXLVII. regnauit annis decem. Cuius tempore duo apud Toletum fuerunt concilia congregata. Hoc tempore sedit Romæ Deodatus: in imperio vero Constantinus quartus, qui filius fuit Constantini tertii. Hic fuit fide catholicus & deuotus, restaurauit ecclesias per hæreticos diruptas, præsertim tempore Heraclii ataui sui. Demum propter hæreses insurgentes congregauit sextam synodum vniuersalem. Constantinopolitanensis insurrexit contra Manichæos, quos pater & auus suus protexerūt. Eo autem feliciter mortuo filius eius Iustinianus eligitur. Huius Imperatoris tempore Regina Persarū nomine Cæsarea clam venit Constantinopolim, vbi baptizata fuit, nec ad virū rediit, quousq; vir eius etiam baptisma gloriose suscepit, secundum Martinum & Sicardum.

Constantinus IV.
Synodus sexta vniuersalis.
Iustinianus Imp.
Cæsarea Persarum regina baptizatur.

De Recinsuindo XXXI. *Rege Gotthorum in Hispania regnante.*

CAP. XXXI.

RECINSVINDVS filius Cindasuindi trigesimo primo loco regnauit anno Domini DCCLVII. regnauit annis XVIII. mensibus XI. Hic procurauit vt suo tempore sub Eugenio tria concilia Toletana congregarentur, cuius tempore defuncto Eugenio Ildefonsus præfuit sedi Toletanæ genere, scientia & moribus præclarus; virgini Mariæ deuotus, de cuius virginitate præclare scripsit contra quosdam hæreticos Heluidium & Pelagium, quos sua melliflua doctrina mirabiliter confutauit. Quare beata virgo apud Toletum eidem Alfonso matutinale officium celebranti apparuit, choro virginum comitata inquiens: Quia fide certa & recta conscientia lumbos tuos virginitate cinxisti, & virginitatis meæ gloriam cordibus fidelium depinxisti, accipe vestem de thesauris filii mei qua in festis solemnibus vestieris. Quo munere Alfonsus lætus remansit. Hoc tempore sedit Romæ Paulus primus natione Romanus: in imperio vero Constantinus quintus filius Leonis. Hic annis XVII. imperauit simul cum patre. Fuit autem pessimus. nam sacrificauit dæmonibus, habebat consultorem Anastasium falsum patriarchā Constantinopolitanensem.

Constantinus V.

De Bamba XXXII. *Rege Gotthorum in Hispania regnante.*

Cap. XXXII.

Bamba de Gotthorum genere descendens, strenuus & mansuetus, trigesimo secũdo loco in Regem Gotthorũ assumitur defuncto Recinsuindo, anno Domini DCCLXXVI. regnauit annis IX. mense vno. Hic Paulũ Græcum rebellantẽ captiuum duxit Toletũ. Hunc Paulũ magno exercitu congregato obsedit apud Nemausum, tunc ciuitatẽ Hispanico principatui subditã, quæ in Gallia Gotthica sita est, illumq; cepit, ac eius complices carceribus mancipauit: cuius tempore CCLXX. naues Maurorum littora petunt Hispanię, sed Bambæ Regis prouidentia & strenuitate cremantur. Hic liuore inuidorum veneno creditur infectus per Eringium consobrinum Cindasuindi Regis, qua pestifera potione Regis memoria, nec non prudentia confusa est. sed Quiricus Archiepiscopus Toletanus & regni optimates causam nescientes, regi ecclesiæ sacramenta vt deuote susciperet, procurarunt. Tandem paululum ad se reuersus, habitum religionis assumpsit apud cœnobium oppidi de Pampliega Burgensis districtus, quod postea translatum est ad monasterium sancti Petri de Arlanza: ibique vitam immaculatam finiuit. Vixit autem in monasterio annis septem. Nonnullæ vero historiæ Hispanorum quas pias fabulas aliqui putant, asserunt hunc Bambam regem ex aratro assumptum esse ad sceptrum regni. Nam aiunt, post mortem Recinsuindi regis omnes regnicolæ supplicarunt Papæ Leoni, vt preces Deo porrigeret, quem idoneum ad Regendum Hispaniam electuri essent. Leoni igitur summo pontifici oranti reuelatum est, vt eligerent quendam commorantem in partibus occiduis, nomine Bambam rusticum. Qui quæsitus per omnes Hispanias tandem diuino iudicio repertus est in finibus Portugaliæ, in agro quem cum bobus suis arabat. Cum igitur duo milites eum reuerenter salutassent, dixissent ei à Deo cæli ordinatum esse, vt Rex Hispaniæ futurus esset, ille putans sibi illudere velle, post multa ait ad milites: Quando hic baculus cum quo boues percutiebat, germinabit frondes & fructum, tunc ego Rex vester ero. Quo dicto miraculose virgula illa radices, folia, & fructum produxit. Omnes igitur perterriti diuinæ voluntati non resistentes Bambam ad vrbem Toleti perducunt, ibique per Quiricum Archiepiscopum vnctus & coronatus est. Hæc est vulgata Hispanorum opinio, quæ pro eo quod miraculo iuuatur, à multis comprobatur: authenticæ tamen historiæ Bambam ex Gotthorum genere descendisse perhibent, quod tamen huic diuinæ assumptioni non repugnat. potuit enim ex Gothorum genere descendisse. Plerumque enim vtilius ad Regimen populorum quis assumitur ex laboribus rusticanis, quam ex deliciis vrbanis. Quare diuina dispositione quæ nouit quid cuique populorum & prouinciarum congruat, sæpe ex agro & pastura Reges assumpsit. Sic Saul patris asinos pascens Rex eligitur. Sic & Dauid de post fœtantes ad regni sceptrum diuino iussu acceptus est. Sed apud Romanos Quintius Cincinnatus Dictator ex aratro ad dictaturam vocatus est. Sic & Tullius Hostilius, qui in pascendo pecore diligens fuit, diligentius atque salubrius Romanum rexit imperium. Adeo vt teste Valerio trita illa in agricultura ætas altissimo maiestatis fastigio fulsit. Sic & Attilius cum à Senatu quæreretur ad imperium, semina agris spargens, non inter vrbium illecebras repertus est. Quare (vt idem Valerius subdit) illæ ex aratro attritæ manus salutem publicam stabilierunt, atque ingentes hostium copias fuderunt. Hoc tempore Bambæ Regis sedit Romæ Leo Papa IIII. in imperio vero idem Constantinus, de quo paulo ante diximus.

Bamba in monasterio vitam finit.

Fabula pia.

De Eringio XXXIII. *Rege Gotthorum in Hispania regnante.*

Cap. XXXIII.

Eringivs Recinsuindi nepos trigesimo tertio loco regnauit anno Domini DCCLXXXV. Hic regnauit annis septe, tyrannicẽ intrauit. erat enim superstes Theofredus filius Recinsuindi, cui regnum debebatur. Hic Cisilonem filiam suam vxorem dedit Egicæ consobrino Regis Bambę in odium Theofredi, ne impediretur in regno. Hoc tempore tria Concilia Toletana fuerunt congregata sub Iuliano Pomerio primate, viro sciẽtia & moribus præclaro. His temporibus valida fames Hispaniam inuasit, adeo vt multi cogerentur per mundum vt profugi peregrinari. Hoc tempore sedit Romæ Benedictus II. Iohannes quintus: in imperio vero Iustinianus secundus. Hic Imperator fuit fide catholicus, plurimum honorauit ecclesias, & diuinum officium frequentauit. Contra hunc conspirauit Leo patricius cum præsidiis Tiberii principis, qui eundem Iustinianum imperio priuauit, eumque lingua & naso truncatum in exilium mittit. Postea vero populo acclamante

acclamante Iustinianus recuperauit imperium, Leonemque & Tiberium vsurpatores Imperii iugulat. Quinimo (vt Martinus refert) tantam in rebelles vindictam exercuit, vt quoties sibi à naso præciso aqua deflueret, toties aliquem aduersariorum occideret.

De Egica XXXIV. *Rege Gotthorum in Hispania regnante.*

Cap. XXXIV.

EGICA gener & hæres Eringii trigesimo quarto loco Gotthorum regnum suscepit anno Domini DCXCII. regnauit annis decem. Hic postquam Rex assumptus est, filiam Eringii Regis vxorem suscepit, sed comperto quod dictus Eringius in mortem Bãbæ conspirasset, eandem vxorem suam à se abiecit. Hic tandem communi morte apud Toletum obiit. Hoc tempore sedit Romæ Papa Sergius primus, & in imperio Leo secundus. Hunc Leonem ab imperio expulit & in exilium misit Absimarus dux, Aliæ historiæ habent, quod vinctum in vrbe detinuit. Eo tempore, secundum Martinum, magnũ schisma fuit, & synodus congregatur apud Aquilegiam.

Sergius primus Papa.
Leo II. Imp.
Synodus apud Aquilegiam.

De Vitiza XXXV. *Rege Gotthorum in Hispania regnante.*

Cap. XXXV.

VITIZA filius Egicæ post patris obitum trigesimo quinto loco regnat anno Domini DCCCII. Hic regnauit annis nouem, minimum tamen bonus vixit. pessimus namque fuit & flagitiosissimus. Nam Theofredum filium Recinsuindi Regis exilio relegauit, & oculos effodit. Hic Theofredus ex Retilene vxore sua regio genere descendẽti genuit Costam & Rodericum, & secundum alios Pelagium. Præfatus Vitiza itaque voluit occidere Pelagium, cuius patrem peremerat, sed ad Cantabriam fugit euadens furiam persequentis, quia per illum diuina prouidentia decreuerat à clade miseram Hispaniam liberare. Hic Vitiza post multa scelera ab eo commissa pœnas luit. Nam Rodericus filius Theofredi quem Vitiza interficere voluerat, fauore Romani Senatus, cui Recinsuindus amicus erat, contra Vitizam rebellauit, & tandem eum cepit, regnoq; priuauit. Alii dicũt Costam fratrem Roderici id egisse. Inter cætera flagitia Vitiza hoc addidit. Nam spreta propria vxore plurimis concubinis adhæsit, & omni luxuriæ se dedit, dicens illud sapiẽtis, Non sit pratum quod non pertranseat luxuria nostra: & vt multitudinem haberet sociam tantæ libidinis, auctoritatiue dedit præceptum, vt clerici possent publice ducere quotquot mulieres valerent nutrire, nec obedirent præceptis apostolicis contrarium iubentibus. Denique restituit Iudæos, quos Christianissimus Sisebutus à regno expulerat. Quorum flagitiorum pœnas persoluit, quia (vt diximus) oculis simul & vita mulctatus est, iuxta sententiã prophetæ: Disperdã habitantes in domo voluptatis & luxuriæ. Hic Vitiza cum à multis argueretur, quod quẽdam sceleratum virum sibi acceptum, omnibus odio habitũ, ad magnas dignitates peruexisset: ad illos, Mentitur, inquit, vulgus, qui me omniũ mortalium pessimum arbitratur: imitatus Dionysium seniorem tyrannum, qui eum accusantibus quod hominẽ iniquissimum, ciuibus molestum, ad summos magistratus vocasset: Volo, inquit, eum esse, quem magis quam me ciues odiant. Funestum verbum tali auctore dignum. Ferunt deniq; Hispanorum annalia quendam Buffonem facetũ Vitizæ ioco aut serio dixisse: Cum filius Regis & Rex ipse existas, cur ita agis vt regnũ perdas. At ille, vt alter Dionysius Syracusanus, Pater, inquit, sua mihi regna reliquit, non fortunã. Ad quem iterũ Buffo ait, Falleris in hoc, veluti in aliis, dum putas fortunam tibi vitia & scelera induxisse, quæ potius ad bonum quam malum impellit. Hoc tempore sedit Romæ Iohannes sextus & Iohannes septimus: in imperio vero Iustinianus secundus, iterum ex exilio reuersus, de quo diximus supra cum de Eringio egimus. Hunc Iustinianum de iniuriis sibi illatis vindicantem homines prouinciæ ab imperio expulerunt, & quendã Philippum elegerunt, qui Constantinopolim veniens Iustinianum cum filio peremit.

Vitiza captus regno priuatur.
Vitiza Dionysii æmulus.
Iohannes VI. & VII. Papæ.
Iustinianus II. Imp.

De Costa Theofredi filio XXXVI. *Rege Gotthorum in Hispania regnante.*

Cap. XXXVI.

COSTA Theofredi filius, & frater Roderici trigesimo sexto loco regnum Gotthorum suscepit, anno Domini DCCCXI. regnauit annis quinq;, mensib. septẽ. Hunc Rex Vitiza solita malitia, sicut patrem Theofredũ, voluit obcæcare, sed Costa restitit etiã patre viuente, & eum excæcari iussit, sicut ipse fecerat Theofredi patri suo. Attulit autem auxilia Costæ Senatus & populus Romanus, ob amicitiam quam cum Recinsuindo auo suo

habuerant. Nam in bello campestri eundem Vitizam deuicit, & oculis ac regno priuatū Cordubam misit, vbi miseram, sed debitam vitam finiuit. Nonnulli historici, vt Rodericus Toletanus, nullam de regno Costæ faciunt mentionem, sed immediate post Vitizam Rodericum regnasse perhibent: alii Costam licet paruo tempore, tamen post Vitizam regnasse affirmant. Qui (vt aiunt) propria morte obiit, relictis duobus filiis impuberibus. Sub hoc Costa præfuit Romæ prædictus Iohannes VII. & in imperio sedit Iustinianus secundus, de quo hactenus diximus.

De Roderico XXXVII. & vltimo rege Gotthorum in Hispania regnante, & de infelici clade Hispaniæ eiusdem Roderici tempore occurrente, & de causis præfatæ irruptionis, & de malis quæ ex vindicta procedunt, & quare Rodericus dicitur vltimus rex Gotthorum, & de aliis occurrentibus.

CAP. XXXVII.

RODERICVS vltimus Rex Gotthorum ante irruptionem & cladem Hispaniæ, filius Theofredi & frater Costæ, trigesimo septimo, sed vltimo loco regnauit, anno Domini DCCCIX. regnauit annis duobus cum Vitiza, & vno solus. Hic regnauit viuente Vitiza. Fuit autem Rodericus agibilis valde, sed in bellis infortunatus, moribus non satis ornatus. Hic Rodericus filiam Iuliani Comitis in suo regio palatio enutritam violenter oppressit, dum pater in Africa legationis officio fungeretur. Erat Iulianus ipse vir nobilis, & de Gotthorum prosapia descendens, consanguineus Vitizæ, sed & plurimum audax, & armis strenuus: cuius filiæ infelix stuprum infelicissimam Hispaniæ cladem attulit. Nec solam huius præclaræ regionis irruptionem hæc fornicaria pestis adduxit. Nam (vt Methodius voluit) quid aliud quam stupra & libidines mundum ipsum diluuio diluere? quid Gomorram & socias villas incendit? Equidem raptus simul & stuprum Helenæ Troiæ euersionem peperit, Græciamque viris præclaris orbauit. Sed & raptus Dinæ filiæ Iacob regni Sichem desolationē pertulit. Verū quia (vt aiunt sacri interpretes) altissimus Deus, iustus malorum vindex est, & corruptos hominum mores, stupra, ac funesta flagitia solet bellis plerumq; emendare, nonnunquam conterere: igitur huius Roderici & aliorum regum Gotthorum peccata, tyrannides, iniustas successiones, cædes, rapinas, & alia scelera vindicare voluit. Non enim durabilis est scelere quæsitus principatus. Vnde noster Lucius Seneca in tragœdiis: *Violata nemo imperia continuat diu, moderata durant.* Cum igitur ad perditionē & Hispaniæ euersionem festinarent tempora, Iulianus ipse ex legatione rediens, stuprumq; filiæ comperiens, iræ stimulis accenditur, lingua cōfunditur, cor palpitat, facies ignescit, exasperantur oculi, nequaquam cognoscit notos, superiorem non videt, nihil nisi de vindicta cogitat ad quam properat. Quare vxorem, filios, ac res suas ad vrbē Ceptæ in Africam traducit, ibiq; habita coniuratione cum Arabibus, tandem obtinuit filius ipse perditionis à Miramomelino principe Africæ, vt quidam Muza princeps Africæ, & alter dictus Tarif, cum Iuliano magnis Arabum copiis suffulti in Hispaniam transirent. Quibus Iulianus plurimis nequissimis Christianis sociatus aditum præbuit, & Tarifam, Algeziram, pleraq; alia loca occuparunt, ingentemque prædam in Africam attulerunt. Quæ res maiorem Muzæ iterum transeundi fiduciam tribuit. Quare idem Tarif Iuliano comitatus cum infinita multitudine Arabum secundo in Hispaniam transuectat. Contra quos Rodericus Rex Santium nepotem suum mittit, qui victus & interfectus est. Tunc Sarraceni dilatantes potentiam suam, Bæticam & Lusitaniam iam diuina indignatione animis & viribus destitutas, sibi subiecerunt. Cumque Rodericus Rex cognouisset stragem suorum, patriæ deniq; inuasionem, cōgregatis copiis suis, Arabibus se obiecit, & prope Xeritium diuersa & acerrima bella commissa sunt, in quibus (vt refert Lucas Tudensis) DCCCVI. millia Arabum diuersis bellis ceciderunt. Sed tandem die quadam dominica, anno Domini DCCCXIII. Iuliano & cæteris perfidis Christianis ac Mauris fortiter dimicantibus, & nouis eis copiis aduenientibus, vt Deo placuit, franguntur acies Christianorū, & Rex Rodericus (vt putatur) extinctus est. nō enim nisi vestigia coronæ & vestium sunt reperta. Tandem Sarraceni per omnes Hispanias debacchantes omnia diruerunt. Nam infra biennium principatū Hispaniæ obtinuerunt præter Asturias, quousq; ira Dei permisit, quæ propter populi Christiani peccata, magis quam manus hostiū pugnabat. Nec solum Hispania eam diruptionem passa est, sed magna pars Galliæ, præsertim Aquitania, Vasconia, & tota Narbonensis prouincia, in qua Lingua Occitana, quæ olim Hispania Gotthica appellata est. Nec facile dici posset, quantus illo infelici tempore sæuiit in Christia-

Raptus & stuprum Helenæ euersionem peperit Troiæ, & raptus Dinæ filiæ Iacobi regni Sichem desolationem.

Christianos Sarracenorum gladius. Vbiq; enim per omnes Hispanias Mauri passim sæuiebant etenim interficiebant fideles & pecudes, paratus erat ad cædendum gladius, parati qui cæderentur. Vnde Stephanus Papa interpellatus à Rege Roderico pro auxilio, eidem (vt aiunt) in hæc lachrymosa verba scripsit: Tuæ excellentiæ litteras tristis accepi, lætus relegi. Quis enim (inquit) tam miseram terræ tuæ eladem non lugeat? quæ Barbarorũ gladiis tradita pene iam non habet qui in ea viuat, & tamen habet qui cotidie in domino, immo pro domino moriantur. Quæ omnia funesta mala vnius hominis vindictæ rabies induxit. O infelix vindicta, quę ab ipso vindicante incipit, & ad se vindicta retorquetur, dum primo pœnas in se exigit, quam aliis exsoluat! O infelix vlciscendi libido, quæ hostis iniurias in se vindicat, & suis hostibus offert vlciscendas! O iterum infelix vindicādi rabies, quæ in suos sæuit, vt hostes liberet: suos expilat, vt hostes ditet! O infelix hominis religio, quæ Deum immortalem deserit, & sceleratum Machometũ colit, & fidem negat, vt perfidiam induat! O infelix impietas, quæ suam patriam prodit, vt alienam concilìet: ac suos filios vlissima mancipia facit, vt hostes simul & seruos non modo liberos, sed dominos constituat! O rursus infelix ad dulcem patriam crudelitas, quę proprios expellit ciues, vt hostes inhabitent: ac propinquos interimit, vt exteris vitam donet: fugat domesticos, vt admittat Barbaros! Et (vt paucis agamus) o infelicissimā omniũ victoria, quā qui victor putatur, victus euadit! Cætera huius infelicissimi Iuliani scelera, ac tantæ cladis & diruptionis calamitates Rodericus Toletanus sapienti, sed mœsto ac lugubri stylo deplorat. Verum Iulianus ipse perfidissimus pœnas in hoc seculo non euasit, acerbiores apud inferos recepturus. Nam ab ipsis Mauris iuste trucidatus creditur suspicionis & Christianitatis ei notam fingentibus, vt verum sit quod Propheta ait: Impii consumentur ab idolis quibus sacrificarũt. Et iterum in se experiretur quod sapiens ait in Ecclesiastico: Qui vindicare vult, à Deo inueniet vindictam. Et rursus in Ezechiele: Pro eo quod fecit vltionem in Idumæa vt se vindicaret, vlciscar & ego in eum. Sic Ieremias ait: Vlciscar vltionē tuam. Destruit enim Deus omnem inimicum & vltorem, sed præcipue in eos parata est vindicta qui in patriæ perniciem vlciscuntur, dicente propheta, Vlciscar in eos qui destruunt regionem suam. Hinc Gregorius: Si ob illatas nobis cōtumelias implacabiles sumus, vindictæ furor in nos ipsos reuertitur, & inde punimur, vnde alios puniri sperabamus. Fuisset satius maledicto Iuliano iniuriam contemnere, quam in se vindictā agere, quia iuxta Ambrosium sapientior est qui contemnit, quā qui dolet. qui enim contemnit, quasi non sentiret ita despicit: qui autem dolet, ideo dolet, quia sentit. Sed iam ad Rodericũ redeamus vltimum Regem Gotthorum. Appellatur autem (vt putamus) vltimus Rex Gotthorum, non quod Pelagius & sequentes Reges ex Gotthorũ genere non descēdant, sed quia reges omnes ab Athanarico, qui primus ex Gothis (vt diximus) regnauit, vsque ad istũ Rodericum, solo nomine regio Gotthorũ appellati sunt. Nec enim intitulati sunt Reges Hispaniæ, aut Castellæ, vel Legionis, sed Reges Gotthorum simpliciter. Qui & arma atque insignia deferebant, non Hispaniæ quidem, sed gentis Gotthicæ, aut originalis prouinciæ Gotthicæ à qua processerunt, quæ Dacia & Noruegia putatur, in qua & Gotthica est, vt latius in prima parte tactum est. Post Rodericum vero Pelagius & cæteri qui ei in principatu Hispanico successerunt, etsi ex sanguine Gotthorũ (vt diximus) descenderunt, tamen nō Gotthorũ titulis, sed Hispaniæ primo, deinde Legionis & Asturiarum, rursus Castellæ regiis intitulationibus sunt appellati, quamquā substantia principatus eadem in vtrisq; fuerit. Ea igitur causa fuit, cur Rodericus vltimus rex Gotthorum communiter appellari solet. Post cuius infelicem cædem & occupatas Hispanias prædicti Arabes Muza & Tarif duces Regis Miramomelini trāsfretarunt in Africam, cōstituentes Regē principatus Hispaniæ Bellazim filium Muzæ, qui paruo admodũ tempore regnauit, & à suis est interfectus. Post illum vero regnarunt in Hispania quindecim Reges intra viginti annos. omnes enim occidebātur ab eisdem Sarracenis vsq; ad principatũ Acabat filii Laget, quem Sarraceni in Regem elegerũt apud Hispalim. Hic Acabat astutus & solers admodum fuit. Inuenit enim remedium, quo & principatus eius duraret, & præteritorum regũ interfectores puniret. Ea enim die qua Rex electus fuit, decreuit potius ingratus viuere, quam gratus mori. iussit enim electores vt paululum in palatio spectarent: interim vero quibusdam sibi fidissimis ad cameram vocatis, Scitis, inquit, quia inter hos omnes qui me elegerunt, partialitates & discidia sunt, & quilibet voluit Regem ad sui voluntatem eligere, Deo tamen placuit, vt illi prudentia & consilio parentum & amicorum meorum vota sua in me direxerint. Si igitur de me, vt de cæteris Regibus disponũt, satius mihi foret viuere vt priuatus, quam cito Rex mori. Deliberauit itaq; eos omnes electores gladio cædere. Paratis igitur lictorib. singulos aut binos ad se euocat, & tandē eos eadem hora numero trecentos

Acabat astutus & solers.

interficit. Quo facto cæteri de regno perterriti fuere, nec in eum conspirarunt. Regnauit autem longo tempore & plurimas clades Christianis intulit. Tempore Roderici præfati sedit in cathedra Petri Constantinus secundus, qui ex laico factus est presbyter, & tandem per tyrannicam ambitionem papatus inuasor fuit secundum Martinum: sed tandem à fidelibus, oculis priuatur. Sedit etiam post eum Stephanus tertius. Hic ex Gallia & Italia conuocata synodo, omnia à Constantino prædecessore ordinata deordinauit, & omnes per eum ordinatos degradauit. Huius Pontificis tempore (vt refert Sicardus) in partibus Liguriæ, vir magnæ sanctitatis, Boadinus nomine floruit, qui sæpe futura prædixit, absentia quoque quasi præsentia nuntiabat. Nam cum Rex Luprandus venaretur in sylua, alter ex familiaribus putans ceruum percutere, nepotem Regis Anfusum nomine sagitta sauciauit. Quem cum Rex vnice diligeret, sancto viro recommisit. Ille vero ad Regis seruitorem ait: Scio quid Rex optat, sed hac hora puer obit in Christo. Significa ergo Regi, magis sibi proficiet mortuus quam viuus. Rex itaque licet doluerit de obitu nepotis, tamen sustinuit æquo animo, Deo gratias agens quod suo tempore vir Dei spiritu prophetiæ lustraretur. Eo deniq; tempore sedit in imperio Philippus secundus, qui (vt diximus) Iustinianum Imperatorem iugulans imperauit annis duobus. Parum vero post eundem Philippum Anastasius Imperator secundus, qui & Artemius dictus est, oculis & imperio priuauit. Hic secundum Martinum & Vincentium hæreticus & nequissimus fuit, omnesque picturas & imagines ab ecclesiis præcepit abradi, propter quod Romani imaginem ciuitatis ipsius recipere noluerunt.

Philippus II. regnat.

Anastasius II. hæreticus & nequissimus.

PARTIS SECVNDAE FINIS.

RODERICI SANTII EPISCOPI PALENTINI
HISTORIÆ HISPANICÆ
PARS TERTIA.

PRÆFATIO.



IN superioribus huius historiæ partibus ex multis pauca complectentes de salubritate auræ Hispanicæ, eiusque terræ feracitate, auri denique, argenti, cæterorumque metallorum diuitiis & vbertate, nec non gentis fide, religione, strenuitate, amicitia, & humanitate breui egimus. Situm rursus & eiusdem præclaræ prouinciæ descriptionem respectu aliarum orbis nationum, sed & prouinciarum sub ea contentarum succincte contexuimus. Postremo regnorum in ea erectorum originem, tempora, diuisiones & vniones summatim ostendimus. Verum quia inter cætera, quæ fideliter retulimus, Isidorum, Lucam Tudensem, Rodericum deniq; Toletanensem historiographos clarißimos sequentes, id constanter diximus, quoniam ab Athanarico, qui ex Gotthis primus in Hispania regnauit, Henricus quartus Rex Castellæ & Legionis modernus LXXXII. *gradibus totidemq; successionibus per rectas lineas distat, quarum successionum gradus* XLV. *numerantur, supputando quemlibet Regem pro vna successione siue gradu, incipiendo à Pelagio qui primus regnauit post infelicem calamitatem miseramque Hispaniæ cladem, peccatis populi Christiani diuinitus permissam, verius iuste inflictam, qua omnes fere Hispaniæ, & non parua Galliæ pars sub Machometi seruitute miserabiliter subactæ fuerunt, vsque ad Henricum quartum prædictum, nunc feliciter regnantem, veridica computatione constat, quia prædictæ* LXXII. *successiones totidemque regnandi gradus intra eandem familiam continuati fuerunt, intra eandem stirpem, eandem denique domum, idemque genus, nec in eodem Hispaniæ principatu alterius extraneæ familiæ interpolatio inuenta est (Quæ res in nullo cæterarum orbis nationum principatu reperiri facile potest) dignum duximus sub quodam epilogo omnes reges, eorumque successiones, & regnandi ordines, illorũ successus, & clariora gesta à Pelagio prædicto vsque ad inclytum Fernandum tertium qui Vandaliam & Bæticam à Mauris recuperauit, breuißime recensere. Rursus pro maiore historiæ ornamento aliqua præclara gesta ac similia exempla & memorabilia dicta & facta inseremus, tam ex sacra scriptura quam ex veterum Romanorum & Græcorũ annalibus, addentes insuper quædam moralia documenta rerũ narrationi congruentia, latiorem rerum Hispanarũ narrationem historiæ Roderici Toletani relinquẽtes, qui res Hispanicas vsq; ad Fernandũ prædictum inclusiue sapienti & graui stylo perstrinxit.*

Deinde

Deinde paulo extensius subsequentium post prædictum Fernandum in Hispaniis regnantium generationes, successiones, & regnandi ordines, necnon successus & clariora gesta describemus.

DE PELAGIO PRIMO REGE IN HISPANIA POST *eius cladem & desolationem à Mauris, & de genealogia eius, & Regibus Gotthorum, & de gestis suo tempore.*

CAP. I.

PELAGIVS primus Rex Hispaniæ fuit post eius cladem, & XXXVIII. ab Athanarico primo Rege Gotthorũ, incepit regnare anno Domini DCCXII. regnauit annis XX. Hic (vt historiæ perhibent) filius Theofredi fuisse creditur. Ipse vero Theofredus filius extitit Recensuindi Regis Gotthorum, qui fuit pulsus in exilium per Egizam patrem Vitizæ. Et hic Theofredus pater fuit Regis Roderici, & per cõsequens Pelagius fuit frater Roderici vltimi Regis Gotthorum. Alii historiographi aiunt Pelagium ipsum fuisse filium Fafillæ ducis Cantabriæ: omnes tamẽ concordant Pelagium per rectam lineam à Regibus Gotthorum descendisse. Adde quia Alfonsus dictus Catholicus, filius Petri ducis Cantabriȩ, ex progenie gloriosissimi principis Recaredi Regis Gotthorum, gener fuit Pelagii. Quo fit vt ex omni successione Pelagius, & ab eo descendentes, verum Hispaniæ principatum obtinuerint. Hic igitur Pelagius primus post cladem Hispaniæ principatum in ea tenuit, saltem iure, licet nõ plene de facto, vt dictum est: tum quia in eo vno repræsentabatur ius & successio principatus Hispaniæ, cæteris Regibus Gotthorum & præsertim Roderico fratre mortuis atque cęsis: tum quia (vt ait Rodericus in Chronica sua) populi Christianorum qui in Asturiis latitabant, in quibus residebat ius eligendi principem, eundem Pelagium in principem elegerunt: quamquam illa electio fuit quasi quędam iuris continuatio potius, quã noui dominii assumptio. Hic Pelagius diuina pietate pręseruatus creditur, vt miseras Hispanias peccatis Christiani populi afflictas, & pene euersas restauraret, ne inclytę gentis Gotthicę lucerna in orbe penitus extingueretur, vt de Roboam legimus, quẽ ob merita Dauid & patrum suorum Deus in regno Iuda præseruauit. Postquam igitur apud Asturias latuit diuino cõfortatus auxilio, paucorum Catholicorũ copia fretus, Mauros, quibus vndique circumseptus erat, paulatim insequitur. Tandem eo magis respirans, incredibilia & plus quam humana bella gessit, adeo vt paucis interiectis annis nõ mediocrem terrarum perditarum partem, iuuante domino, recuperauit. Hic recte primus liberator & patriæ instaurator dicendus, immo lustrandus est. Huic sacerrimo principi cedat Romanus Camillus, qui (vt aiunt) Romam captam à Gallis liberauit. Cedat & Quintus Fabius M. qui imperium Italiæ Romanis restituit, ac sæpe conseruauit. Amilcar quoq; sileat pater Hannibalis, qui imperium Charthaginensibus restituit. Pelopidas item qui tyrannos ex vrbe Thebarum expulit. Brutus denique qui Tarquinium Regem Superbum à patria ignominiose deiecit. Sed & Dion Syracusanus qui patriam à manibus Dionysii tyranni liberauit. Thrasybulus quoque Pelagio inferior est, licet Athenas patriam à XXX. tyrannis liberauit, & Themistocles qui Græciã à manibus Persarum tutatus est. Pelagius igitur de quo sermo est, postquam magnam Hispaniæ obtinuit partem, contra Mauros ingentia bella deuicit, & de cætero successores sui non fuerunt intitulati Reges Gotthorum, sed Reges Legionis & Asturiarum. Genuit duos filios Fafillam, qui post eum regnauit, & Ormisebam reginam vxorẽ Alfonsi Regis Catholici. Hoc tempore sedebat Romæ Gregorius Papa II. in imperio Anastasius, & post eum Theodosius III. Hic Anastasius nequissimus fuit, qui Philippum Imperatorem prædecessorem suum iugulauit. Theodosius vero Anastasium deposuit, & fecit presbyterum ordinari. Hic gesta VI. synodorum fecit describi. Tandem à Leone Papa depositus clericus effectus in pace quieuit.

Pelagii progeniei.

De Fafilla II. Rege Hispaniæ post dictam cladem, & de gestis suo tempore.

CAP. II.

FAFILLA filius Pelagii, II. Rex fuit in principatu Hispaniæ post illius cladẽ, & XXXIX. ab Athanarico primo Rege Gotthorũ, incepit regnare anno Domini DCCXXX. regnauit annis II. Hic magnus venator fuit, & à quodã vrso quẽ insequebatur occisus. Nõ parua dementia est sese periculis exponere, cum necesse non sit, maxime vero cum feris voluntarie contendere, vt de Adonide legimus ab apro interfecto, & Aty Crœsi filio, qui Adrasti hospitis hasta transfigitur, dum aprũ petit. Qui enim feras insequitur, dignũ videtur, vt à feris lædatur, fera enim bestia se natura tuetur, cũ persequentẽ ferit: homo vero cõtra naturam agit, cũ bestiam non lædentem persequitur. Cuius tempore Gregorius III. Romæ

Fafilla venator magnus.

Gregorius III.

Leo III. Imp. sedebat: in imperio vero Leo III. quo tempore Saraceni Constantinopolim obsederunt, & plurima damna intulerunt. Huic Leoni Imperatori successit filius eius Constantinus V.

De Alfonso primo dicto Catholico III. rege post cladem Hispaniæ, & de eius genealogia & gestis.

CAP. III.

ALFONSVS primus dictus Catholicus, III. Rex fuit in principatu Hispaniæ post eius irruptionem, XL. vero ab Athanarico primo rege Gotthorũ, regnauit XIX. annis. Hic gener Pelagii ex regum Gotthorum genere descendit. Fuit enim ipse Alfonsus filius Petri ducis Cantabriæ de genere Recharedi gloriosi Regis Gotthorum, qui ante cladẽ Hispaniæ hæresin Arianam extirpauit. Veluti enim fide & opera Constantini Magni in VI. synodo precisa est hæresis Manichæorum in oriente: sic in occidente eadem religione & fide Alfonsus Arianam hæresin extirpauit. In Italia vero Gratianum Cæsarem hæresin extirpasse legimus, & ad rectam fidem perduxisse, qui libros beati Ambrosii contra eandem hæresin ab omnibus recipi obtinuit. Incepit autem regnare anno domini DCCXXXI. dictus est Catholicus, quia fidei documẽta obseruabat. Hic in omni parte Hispaniæ multa oppida & castra obtinuit à Mauris. Deinde Astoricam, rursus Legionem vbi sedem regiam posuit, campos etiam Gotthicos, & plurima castra in Castella deuicit. Sed quid hæc minima commemoramus? Fuit gloriosissimus & victoriosissimus. nam ingentes victorias contra Sarracenos obtinuit, & plurimas prouincias, ciuitates, & oppida à Mauris occupata mira animositate lucro fidei adiecit. Inter cætera recuperauit Portum, Bracham, Viseum in Portugalia, deinde Beiar, Ledesma, Zamoram, Salamanticam, Simancas, Duennas, Saldanam, Mirandam, Segobiam, Curugnam: in Gallicia Transmieram, Garnicam, & prouinciam Barduliæ quæ nunc Castella vetus appellatur, Ordunam, Viscaiam, Bitoriã, Pampilonam & Nauarram, Pancoruo, & quasi vsq; ad montes Pyreneos. Deinde Alfonsus re & nomine Catholicus omnes ecclesias à Mauris destructas reparauit, quibus calices & ornamenta donauit. Merito igitur hic excellentissimus rex post irruptionem Hispaniæ ac post Pelagium II. instaurator patriæ recte dici potest: vt alter Camillus Romanus, qui vrbem à Gallis obsessam liberauit, etiam recipientes aurum pro tributo expulit, & adepta libertate vocatus est alter Romulus, vt ait Liuius. Rursus idem Alfonsus vt alter Iosua amissa patrum suorum hæreditate (vt scriptura commemorat) expugnauit insurgẽtes hostes, vt consequeretur hæreditatem perditam inuocauit Altissimum, & impugnauit inimicos vndique: & vt alter Natan ornauit templa vsq; ad consummationem vitæ, vt laudarent sacerdotes nomen sanctum domini. Denique Alfonsus ipse tam feruentissimi zeli fuit ad augendam Remp. Christianam, vt sæpe dissimulato habitu castra Maurorum exploraret, qui plerunque cognitus fuit, sed mira strenuitate euasit: imitatus Mutiũ Scæuolam, qui obsessa vrbe à Porsena Rege Hetruscorum iuit in castra Regis, vt eum interficeret, loco cuius occidit Secretarium. Captus igitur & ad Regem ductus constanti animo affirmauit peccasse, quia Regem occidere decreuerat, manumq; in igne positam cõbussit. Qua animi constantia Rex ab obsidione recessit. Sed iam Regis Alfonsi prolem referamus. Igitur ipse Alfonsus ex filia Pelagii genuit Froilam & Aurelium, qui regnauerũt post eum successiue. Genuit & Egimadam quæ fuit vxor Silonis, & propter eam regnauit: & Ilmarãu patrem Veremundi Regis: & Mauregatum ex concubina. Incepit regnare anno domini DCCXXXI. fuit piissimus, & Deo & hominibus dilectus. Suo tempore sedit Romę Zacharias Papa: in imperio Constantinus quintus. Hic fuit patre peior. quia sacrificia dæmonibus immolauit. Tandem pessimi incendii plaga percutitur, & clamãs adhuc viuus igni simul inextinguibili traditus miserabiliter moritur.

Alfonsus re & nomine Catholicus instaurator patriæ dici meretur.

Alfonsus cum Mutio Scæuola comparatur.

De Froila primo, qui tertio loco post cladem Hispaniæ regnauit, & de eius genealogia & gestis.

CAP. IV.

FROILA huius nominis primus, Alfonsi filius quartus Rex fuit post Pelagium, sed XLI. post Athanaricum primum Regẽ Gotthorum. Incepit regnare anno domini DCCLII. regnauit annis XIII. Hic contra Sarracenos Galleciam infestantes bella felicia egit, LIIII. millibus Arabum cæsis, à quibus ditissima spolia & diuitias consecutus est. Maiorem certe in ea re laudem consecutus, quam Cęsar qui totidem Gallorum: item quam Marius qui Cimbrorum multa millia imperandi gratia occidit, cum hic religionis, non ambitionis causa

causa hoc fecerit. Nauarros rebellantes inuasit, Vascones infestos subdidit. Tandem in Asturiis ab Aurelio fratre suo iniuste regnandi gratia propriis manibus occiditur, idemq; frater filium interfecti fratris, nomine Veremundum, quasi pro satisfactione adoptauit, imitatus Ptolemæum, qui teste Valerio Memphitem filium suum, quem ex Cleopatra, eadem sorore sua & vxore, sustulerat, optima spe puerum, in conspectu suo occidi iussit: nec ea sæuitia contentus, caput, manus, & pedes eius abscissos manibus contrectauit, naribusque applicans, dicebat: optime olere filium hostemque occisum. Tandem membra ipsa incisa chlamyde cooperta pro munere natalitio matri suæ misit. Demum tantum flagitiũ arbitrans beneficio delere, alterum filium parti regni præfecit. Similis regnandi cupiditas Romulum, Atreum, Polynicem ad tale facinus impulit. Ferunt Hispanorũ annalia quendam veteranum militem dixisse Alfonso Catholico patri huius Froilæ, vt modũ daret in successione regni. videbat enim Aurelium omne periculum subiturum regnandi gratia. Ad quem Alfonsus verba Magni Alexandri retulit, vt ait Q. Curtius. designans enim Froilam, Nefas, inquit, est forti viro alium quam virum fortem succedere, aut tãti regni opes aliis quam fortibus & probatis viris relinqui: & subdit, Talem quippe vobis in regno dimitto, sed futuri periculi timorẽ non aufero. Tempore suo in cathedra Petri sedebat Stephanus secundus: in imperio Constantinus sextus cum filio Leone quarto. Hic Leo cupiditate ductus à crucifixo cuiusdã ecclesiæ coronam habẽtis lapides preciosos asportauit. Cum igitur eandem coronam in capite portaret, exierunt lapides & gemmæ, ipseque febre mortuus est: post quem deuenit imperiũ in manus vxoris Irenes dictæ & Constãtini filii secundum Sicardum.

De Aurelio quinto Rege Hispaniæ post cladem.

CAP. V.

AVRELIVS filius Alfonsi Catholici, quinto loco regnauit post cladem Hispaniæ, sed XLII. Rex fuit ab Athanarico I. Rege Gotthorum, regnauit annis sex. Hic post interfectionem fratris sui cœpit regnare anno domini DCCLXVI. Huius Aurelii tempore serui per omnes Hispanias contra dominos surrexerunt, sed Aurelii industria verberati in pristinam seruitutem sunt redacti. Voluerunt enim imitari Scythas, de quibus Herodotus ait: quia cum persequerentur gentes Cimmerias, Asiam ingressi sunt, & Medos imperio eiecerunt, quod XXVIII. annis tenuere. Reuersi itaque in patriam inuenerunt vxores impatientia libidinis cum seruis concubuisse. Quare opus fuit, vt serui cõtra dominos arma sumerent: qui superari non potuerunt, nisi domini eos verberibus, non gladiis comprimerent, fueruntque eiecti cum prole extra patriam. Ex his originem ducunt populi qui appellantur Sindi. De quibus Valerius Flaccus ait:

Serui per Hispanias contra dominos surgunt.

Degeneresque ruunt Sindi, glomerantque paterno
Crimine nunc etiam metuentes verbera turmas.

Hac de causa Scythæ quoscunque capiunt seruos, occidunt. Sic & in Sicilia ingens seditio seruilis insurrexit cõtra dominos, plus quã triginta millia, quorum insolentiam Fuluius & Rutilius represserunt, & teste Iustino, viginti millia ex eis trucidarũt. In Minturnis vero CCCCL. serui in cruce suspensi fuere. Apud Suessam quoque quatuor millia seruorum tumultuantium à Q. Metello & Gneo Seruilio oppressa sunt. Regnante autem eodem Aurelio, sedebat Romæ Paulus primus: in imperio Leo quartus.

De Silone sexto Rege Hispaniæ post cladem.

CAP. VI.

SILO frater Aurelii, gener Alfonsi Catholici, post Aurelii obitum sexto loco regnauit post Pelagium, sed post Athanaricum primum Regẽ Gotthorum quadragesimo tertio loco regnum suscepit, regnauit annis octo. Hic vxorem duxit Odisindã sororem Regis Froilæ, & Alfonsi filiam, propter quam regnum simul & pacem obtinuit. Nuptiæ enim sæpe ex regia stirpe conciliant regnum, vt olim accidit multis Regibus Syriæ, Macedoniæ, & totius orbis. Incepit autẽ regnare anno domini DCCLXXII. Hic pacẽ ignobilem firmauit cum Arabibus, sed tandem male ei fuit obseruata, vt in eo verificaretur, Quia qui turpem pacem conficit, honestum bellum patitur. In pœnam quidem perniciosæ pacis iusto Dei iudicio graue bellum & improuisum à Mauris sustinuit, vt de eo propheta dicere visus sit: Decepisti populum tuum, dicens, Pax erit vobis, & ecce gladius. Et iterum, Curabant contritionem populi cum ignominia, & dixerunt pax, & non est pax. Tãdem correctus de turpi pace vtiliter postea cõtra Mauros bellauit. Deniq; Gallæciã rebellantẽ

domuit. Eo tempore ſedit in cathedra Petri Conſtantinus ſecundus natione Romanus, & Stephanus natione Syrus: in imperio præfuit Conſtantinus ſeptimus. Hic Conſtantinus cum matre ſua Irene nomine imperauit annis decem, quorum tempore cõgregata eſt Nicena ſynodus CCCL. patrum. Hic Conſtantinus matrem priuat imperio, & ſolus imperat, vt Ninus iunior matrem Semiramim regno Babyloniæ. Ipſa vero Irene mater erepto ſibi imperio rancore ſtimulata Conſtantinum filium exoculans, vita & imperio priuat, & ſola tribus annis imperat. Hanc Irenem, quia Carolo nubere voluit, Græci in monaſterium intruſerunt, & Nicephorum Imperatorem elegerunt.

De Mauregato ſeptimo Rege Hiſpaniæ poſt eius cladem, & de geſtis ſuo tempore.

CAP. VII.

MAVREGATVS Alfonſi Catholici naturalis filius Silone defuncto per tyrannidem regnum occupat. nam Sarracenis confœderatus eorum auxilio fretus regnum obtinuit. Et ſic numeratur ſeptimus Rex à Pelagio primo Rege poſt cladem Hiſpaniæ, ſed quadrageſimus quartus ab Athanarico primo Rege Gotthorum, regnauit annis tribus. Hic Mauregatus Pſeudophilippo ſimilis fuit, qui licet ſpurius, regnum tamen per tyrannidem occupare conatus eſt, Alfonſo Catholico patri ſuo valde diſſimilis. Ille enim talis fuit, vt nullus clarioribus viris fuerit deditior, iſto vero nullus turpioribus coniunctior: illo nullus principum melior, iſto nullus hoſtis deterior: illo nullus principũ ſuo tempore caſtior, iſto nullus voluptatibus inclinatior: illo nullus liberalior, iſto nullus rapacitate auarior: illo nullus animoſior, iſto nullus timidior. Ipſe enim quadam animi malitia in Dei offenſam vt Sarracenis placeret, certas virgines pro tributo annuatim mittebat. Qua de re Deo & hominibus ingratus eſt, & in quinto anno regni prauus in Prauia Aſturiæ prouincia mortuus & ſepultus eſt. Cum enim variis voluptatibus & deliciis deditus foret, euenit vt ignauus, imbecillis, ac puſillanimis euaderet. Nam qui tã turpibus ſeruiebat vitiis, neceſſe erat tam turpia tributa præſtaret. Scriptum eſt enim per Sapientem: Manus fortium dominabitur: quæ autem remiſſa fuerit, ſeruiet ignobiliter. Hoc eſt certe illud funeſtum tributum, de quo in Threnis propheta lamentabatur inquiens: Contritæ ſunt virgines populi mei. Et ſequitur, Quis audiuit talia horribilia. & iterũ, virgines eius ſqualidæ, oppreſſæ amaritudine. Nec aliud tributũ deplorabat Ieremias: Audite (inquit) obſecro vniuerſi populi, & videte dolorem meum. Virgines meæ abierunt in captiuitatem inimicorum ſuorũ. Eo tempore ſedebat Romæ Adrianus primus: in imperio Nicephorus Cæſar. Hic imperauit apud Conſtantinopolim annis nouem, & poſt eum Stauratius filius eius ſecundum Sicardum.

De Veremundo primo, qui octauo loco in Hiſpania regnauit poſt cladem, & de geſtis ſuo tempore.

CAP. VIII.

VEREMVNDVS huius nominis primus, filius Bilmarai filii Alfonſi Regis Catholici, fuit octauus Rex à Pelagio, ab Athanarico primo Rege Gotthorũ XLV. Hic regnare incepit anno domini DCCLXXXIII. regnauit annis duobus. Hic Mauregato mortuo in regem aſſumitur. Fuit magnanimus: recolẽs tamen ordinem diaconatus ſuſcepiſſe, regno ſponte ceſſit poſt duos annos, & conſobrinum ſuum Alfonſum, qui ad Nauarros confugerat, in regno ſubſtituit ſucceſſorẽ, relicta vxore ſua in religione: ex qua duos filios ſuſceperat, Ramirum poſtea Regem effectum, & Garſiam. Hic Veremundus Imperatorem Lotharium imitatus eſt, qui partito inter filios regno, ſęculo renũciauit, vt ante animo cõceperat, & monachus effectus eſt, magiſque orationibus ſuis quã filiorũ armis regno profuit. Imitatus eſt deniq; Lycurgum, qui filio fratris facto adulto regnum reſtituit. Hoc tẽpore ſedebat Romæ Papa Leo tertius: in imperio Michael apud Conſtantinopolim annis duobus. Huius Imperatoris & duorum prædeceſſorum, videlicet Nicephori & Stauratii, imperium orientale (vt inquit Sicardus) ad nihilum redactum eſt.

De Alfonſo ſecundo, cognominato Caſto, qui fuit nonus Rex poſt Hiſpaniæ deſolationem, & de geſtis ſuo tempore.

CAP. IX.

ALFONSVS ſecundus, cognominatus Caſtus, filius Regis Froilæ filii Alfonſi Catholici, incepit regnare anno Domini DCCCV. Hic nonus Rex fuit à Pelagio primo Rege

Gottho-

Gotthorum poſt cladem Hiſpaniæ, ſed XLVI. ab Athanarico primo rege Gotthorum, regnauit annis XLI. Sobrius autem & pudicus admodum fuit, pius & humilis. Ideo recte nomen Caſti ſortitus eſt. Quare Deus ei præcipuas contulit victorias, quia ſcriptum eſt: Vir humilis loquetur victorias. Nam magna Arabum multitudo Aſturias ingreſſa eſt, quam Alfonſus Deo duce proſtrauit, LXX. millibus Arabum cæſis. Ædificator fuit præcipuus eccleſiarum, inter quas Ouetenſem & Aſtoricenſem cōſtruxit & dotauit: & vt cultus Dei augeretur, plurimum fuit ſolicitus. Quare auxit Deus domum & regnum ſuum. gratiſſima eſt enim Deo templorum ædificatio & reparatio. Nam vt ſacra ſcriptura commemorat, Abraham quamprimum ædificauit in terra Cham altare Domino, illico audire meruit, Tibi & ſemini tuo dabo terram hanc. Sed & Salomon quia prius ædificauit domum Dei, quam palatium regium, auxit Deus regnum ſuum, & ſiluerūt coram eo omnes inimici eius. Demum hic Alfonſus Gotthorum priſtinam gloriam pene extinctam ad hominum memoriam reduxit, & ad eandem eccleſiam Ouetenſem reliquias ſanctas ex Toleto & aliis partibus honorifice tranſportauit. Hic rurſus (vt à multis fertur) vicit Carolum Magnum regem Francorum, & Rolādum, & cæteros à ſeculo famoſos, dictos Pares, apud montes Pyrenæos, in valle, quæ hodie Hoſpita vallis dicitur. Iſte Alfonſus religione & pietate Conſtantinum Magnum imitatus fuit, Numam Pompilium ſuperans. Nec mirum ſi exteriores deuicit hoſtes, qui interiores ſuperauit, carnem videlicet ad libidines prouocantem. Nam Hieronymo teſte, Iudith caſtitas hoſtem Holofernem vincere meruit, quæ ſæuiſſimū ſui hoſtem ſuperare potuit. Hoc tempore ſedit Romæ Stephanus quartus, & Paſchalis, & Eugenius: in imperio Carolus Magnus filius Pipini ſecundi. Hic Carolus fuit coronatus à Leone Papa tertio, in baſilica ſancti Petri, cum regnaſſet ſuper Francos annis XXXIII. hic primus Francorum Romanis imperauit annis XIIII. & cum Michaele & Nicephoro imperantibus apud Conſtantinopolim concordauit, vt inuicem ſe iuuarent, & fratres appellarentur, & Græcus imperator haberet orientem, Carolus vero & ſucceſſores occidentem.

Alfonſi elogiū.

Abraham.

Hostis duplex.

Iudith.

De Ramiro primo, qui fuit decimus Rex poſt Hiſpaniæ cladem, & de geſtis ſuo tempore.

CAP. X.

RAMIRVS huius nominis primus, filius Veremundi Regis prædicti, decimus rex fuit à Pelagio, ſed XLVII. ab Athanarico primo rege Gotthorum, regnauit annis ſex, menſibus nouem. Incepit autem regnare anno Domini DCCCXXIII. Hic dum in Caſtella pro accipienda vxore moram traxiſſet, quidam Nepotianus Comes Palatinus tentauit regnum occupare. Cui Ramirus feſtina & armata manu reſtitit, & tandem eum fugauit, quem iterum bello cepit, & in monaſterio vitam finire fecit. Hic Ramirus adeo dilexit Garſiam Infantem fratrem ſuum propter virtutes & merita ſua, vt eum ſecum cōregnare fecit, & ita cuncta gubernabat, vt Ramirus. Inter quos fuit ſingularis vnitas, nec vnquam audita eſt ſcintilla diſcordiæ. Suo etiam tempore gens Normannorum innumera littoribus Galliciæ applicuit, cui Ramirus occurrit, & cum eis conflixit. Tandem ſeptuaginta nauibus Normannorum ſuccenſis, & copiis eius fuſis, qui euaſerunt, inglorii abierunt. iuſtus eſt enim Deus, cui (Ieſaia teſte) ingrata eſt omnis violenta prædatio, & (vt ait Iob) iudicat opera & ſcelera aliena occupantium, quia dignum eſt, vt propriis careat, qui aliena rapere conatur, vt illud Prophetæ in ſe experiatur: Væ qui deprædaris, quia deprædaberis. Hic felix rex cum Sarracenis apud Calagurram decertauit, in quo bello ſanctus Iacobus apparuit, & cæſa ſunt multa millia Arabum, & Calagurra cum adiacentibus partibus in deditionem Ramiri deuenit. Bello inquam apparuit ſanctus Iacobus, non ficte, vt olim de Caſtore & Polluce finxere Romani. Merentur catholici principes diuina auxilia, cum infideles perſequuntur zelo ampliandi legē Dei, non augendi regna temporalia. Sic Machabæis pro lege Dei ſui certantibus contra Timotheum, viſus eſt ſenſibiliter de cœlo vir Dei Iudæis auxilia præbens, & Iudam incolumem ſeruans: & iterum contra Lyſiam apparuit ſanctus Dei de cœlo in veſte candida, haſtam contra hoſtes vibrans. Tandem obiit Ramirus in Domino. Tempore huius regis præfuit ſedi Romanæ Valentinus, deinde Gregorius quartus: in imperio ſedit Lodouicus primus cognomento Pius, Caroli Magni filius. Hic fuit natura ipſa clementiſſimus, ideo vocatus eſt Pius: imperauit annis viginti ſex.

De Ordonio primo qui in Hispania vndecimo loco regnauit post eius cladem, & de gestis suo tempore.

CAP. XI.

ORDONIVS Ramiri filius regnauit anno Domini DCCCXXVII. & fuit vndecimus rex à Pelagio, ab Athanarico vero primo rege Gotthorum XLVIII. regnauit annis decem. Hic genuit quinque filios, Alfonsum, Veremundum, Nunium, Ordonium, & Froilam. Hic aduersus Vascones rebellantes exercitum congregauit, quo simul & patriam subiugauit, quam paululum seuere rexit, regem quendam Iuda imitatus, qui populum Edom rebellantem, & ne ei foret subiectus summopere conantem, graui seruitute afflixit, dignũ iudicans, vt qui humanitatis dulcedinem non sapiunt, acerbitatis pocula degustent. Hic Ordonius in reditu Arabes inuenit patriam depopulantes, quos vicit atque fugauit: & iterum Muzam principem Sarracenorum patriam infestantem deuicit, decem millibus militaribus cæsis, & Lupus filius Muzæ qui in Toleto principabatur, Ordonio se subiecit. Hic Cauriam Salamanticam recuperauit. Huius Ordonii tempore sedit Romæ Sergius, in imperio Lotharius huius nominis primus, Lodouici filius, qui solus imperare tentauit. Sed fratres eius Carolus & Lodouicus contra eum insurgunt, & magna vtrinq; strage secuta pax initur. Nam regno diuiso Carolus in Francia, Lodouicus in Germania, Lotharius vero qui maior natu erat, tenuit Italiam, & eam partem Franciæ, quæ dicitur Lotharingia, ab eodem Lothario sic dicta. Deinde Lotharius seculo abrenuntiato habitum monachalem suscepit, & regnum filiis diuisit.

De Alphonso cognominato Magno, qui duodecimus fuit post illius cladem, & gestis suo tempore.

CAP. XII.

ALFONSVS huius nominis tertius, cognominatus Magnus, filius Ordonii, duodecimus Rex fuit à Pelagio, ab Athanarico vero XLIX. incepit autem regnare anno Domini DCCCXXXIII. regnauit annis quadraginta, genuit quatuor filios, Garsiam, Ordonium, & Froilam, & hi tres successiue regnarunt: Genuit & Gundissaluum archidiaconum Ouetensem. Contra Sarracenos victoriosus fuit, & plurima sibi loca subiecit. Inter cætera subiugauit Alabam, Colimbriam cepit atque Viseum & alias vrbes in Portugalia, & catholicos terminos dilatauit. Hic amator fuit pietatis & iustitiæ, & bella contra Arabes assiduo gessit, & Galliam Gotthicam, & populos Vasconum, & Nauarrorũ non paruas terras quas Arabes detinebant, flamma & cædibus coarctauit, ecclesias plurimas ædificauit, Constantinũ & plurimos Christianissimos imitatus, qui firmamentũ imperii in religione & fide collocarũt: quod & gentiles Cæsares egerũt, falsos deos colẽtes. illi enim (teste Valerio) ita se humanarum rerum commercia gentiumq; cuncta imperia obtinere existimarunt, si diuinæ potentiæ bene atque constanter fuissent famulati. Tandem hic Alfonsus filium Garsiam sibi reconciliauit, & contra Arabes eum misit, qui duodecim millia cæcidit. Hic princeps Alfonsus etsi catholicus & animosus fuerit, crudelitate tamen simul & ingratitudine non caruit, quendam ex regibus Israhel imitatus, de quo scriptura commemorat, quia pietatem & religionem sua crudelitate maculauit. Nam Veremundũ, Nunium, Ordonium, & Froilam, fratres suos oculis priuauit, quia (vt fertur) in eius necem conspirabant. Sub hoc Alfonso militauit strenuus ac nominatissimus miles Bernardus de Carpio, cuius ad regem fides, ac ad parentes pietas, & clarissimarum victoriarum felicitas nulla obliuione delebitur. Huius Bernardi patrem nomine Sandias Comitem, virum præstantissimum, Rex Alfonsus quorundam æmulorum suorum suggestione captiuauit, tanquam parũ sibi fidum. Nam (teste Æmilio Probo) est hoc cõmune vitiũ apud magnos principes liberasq; ciuitates, vt inuidia gloriæ comes sit, & libenter iis detrahunt, quos virtute eminere altius vidẽt. Tanta enim erat patris & filii in rebus bellicis & omniũ virtutum genere præstantia, vt cæteri magnates æquo animo eum nõ intuerentur: quare Regi de eis obloquebantur. Bernardus igitur sæpe Regẽ suppliciter exorauit, vt eius genitorem libertati donaret, nec inuidis suis aures daret. id etiam expetebant ingentia patris & nati obsequia eidem Regi præstita, illud præcipue quo idem Rex fidei Bernardi exploratissimum argumentum agnouit. Nam cum apud Beneuentum Alfonsus contra Mauros prælium consereret, quippe qui interfecto eius equo & in terra prostratus, & multitudine hostiũ obsessus, extremo foret periculo adductus, nihilominus fidelissimus Bernardus de suo equo descendens Regi assignauit. Quo egregio facinore & insigni fidei experimento

rimento è manibus Arabum Regem exemit, vt alter Ionathas, qui se tunica spoliauit sua, & eam Dauid dedit, ne imminens periculum incurreret: imitatus illum fidelissimum seruum, quem Valerius commemorat, qui vt dominū proscriptū à morte liberaret, permutatis cum eo vestibus & domino per posticum misso, sese dominum quem hostes quærebant, finxit: imitatus denique amicum Bruti, qui videns hostes Brutum inuestigasse, ille falso se Brutum asseruit, vt vere Brutum liberaret. Sed verum est quod Sapiens ait, Quia ingratus sensu derelinquit liberantē se, & vix dimidium reddet qui solidum debet. Rursus Bernardus recolebat aliud nō inferius beneficium. Cum enim ciuitas Zamorensis à Sarracenis obsideretur, præsidiis, copiis, ac strenuitate Bernardi ab hostibus liberata est: quo tempore Rex Alfonsus eidem Bernardo patrem liberaturum pollicitus fuerat. Verū quia ingrati animus causas semper inuenit, ne referat, & nunquam de reddendo recolit, qui semper de nocēdo cogitat, quia scriptū est per Sapientem: Ingratus etiamsi potuerit reddere, aduersabitur: Rex ipse post plurimas preces respondit Bernardo, nullo pacto patrem velle liberare. Ipseq; Bernardus, vt alter Quintus Crispinus, quem Valerius commemorat, qui ingratum contra se principem prius monere quam vincere maluit, iterum regem hortatur, vt patrem relaxet. Rex vero comminationem ei mortis indixit, si de ea re amplius loqueretur, vt de eo Sapiens loqui videretur, Quia ingratus conuitia & maledicta reddet ei, & pro honore & beneficio reddet contumeliam. Bernardus igitur suis & amicorum copiis fretus terras regias vastat, & inuictus, sed voluntaria pietate motus, maximas deprędationes subditis regis infert. Contra quem rex exercitum mittit. Sed quia pietas ad omnia valet, Bernardus regis exercitū deuicit, & duces exercitus captiuauit, quos eo pacto regi transmisit, vt patris liberationem obtineret. Quorum precibus, simul & omnium regni magnatum instantia rex ipse deuictus annuit, & solenniter pollicitus est patrem Bernardi liberare, si Bernardus castrum del Carpio regi assignaret. Idq; egit Bernardus illico libens. Rex vero misit ad vrbem Legionenses, vt pater Bernardi duceretur: sed quatuor ante diebus obierat. Quæ res cum regi secreto innotuisset, iussit corpus exanime certis vnguentis & aquis calidis perungi, & optimis pannis vestiri, supra equum vt viuus crederetur, putans promissioni fecisse satis mortuum reddere, qui viuum dare promiserat. Cum igitur rex intelligeret aduentum eius, obuiam ei fecit, & Bernardo patrem assignauit. Qui vt primum eum mortuum cognouit, inconsolabiliter lacrymatus est. Cui rex loco consolationis, quæ pro causa & tempore debita erat, grauiter comminatus est, vt omni mora postposita à regno exiret. Quod sine mora expleuit Bernardus, & ad Carolum dictum Caluum, regem Franciæ, se transtulit. Sed nec inuidiam fugit à suorum conspectu recedendo. Quinimo quanto maior fuit eius gloria, tanto amplius æmulos comparauit, eumq; absentem persequebantur. Ille tamen tantam ingratitudinem, dicam inauditam inuidiam, passus, à caritate patriæ recedere non potuit. in Galliis enim militans saluberrima auxilia patriæ contra Mauros tulit, maiorē cōsecutus gloriā odio quam obsequio æmulorum. Non parua fuit huius principis ingratitudo. Nec aliter Themistocli accidit, qui cum principi Græciæ tantum præsidii & consilii impendisset, vt per eum rex vitam, simul & Græciam recepisset, tamen eo vsque ingratum eum Themistocles sensit, vt pro cuius vita & regno paulo ante triumphauerat, non debitam sibi vicem, sed nec misericordiam reperiens, ab eo effugere cogeretur. Sic rursus, vt apud Machabæos legitur, Demetrius egit, qui cum de manu hostium Antiochenorum à Ionatha sæpe liberatus esset, paulo post se ab eo alienauit, quem valide persecutus est. Sic & Ioas rex Iuda pro maximo à Ioiada pontifice recepto beneficio maximam ingratitudinem persoluit, cum filium eius occidit, vt apud Paralipomena scriptura sacra commemorat. Habent tamen quædam Hispanorum annalia Alfonsum regem post hæc omnia sibi Bernardum ob sua ingentia merita reconciliasse, ambosque contra Sarracenos gloriosa simul bella gessisse. Nec aliter Salinatori & Neroni accidisse Valerius refert. Cum enim inuidia Neronis per ingratum senatum missus esset in exilium, Senatus cognoscens ingrate egisse aduersus Salinatorem, qui plurima Romanæ Reipublicæ beneficia præstiterat, illum cum honore reuocauit, atque simul & Neronem consules creauit. Qui pristinæ inimicitiæ obliti apud Metaurum fluuium quinquaginta millia Pœnorum captiuarunt. Sic Marcus Lepidus & Fuluius: sic Scipio & Tiberius depositis grauissimis inimicitiis in miram vtilemque Reipublicæ amicitiam deuenere. Refert Lucas Tudensis tempore huius Alfonsi tertii apud Cordubam à Sarracenis tunc occupatam, regnasse quendam Machometum nomine, qui cum quadam die ad amœnissimum viridarium variis & odoriferis arboribus & rosis consitum diuertisset, ait ad eum vnus miles: O quam pulcher, quam dulcis, sapidus, & delectabilis est hic mundus, si homines nō essent morituri. Ad quē Rex, Erras, in-

quit, grauiter in eo quod loqueris. Si enim non esset mors, vtique ego non regnassem. Ad quem rursus quidam sapiens qui aderat, Grauius, inquit, tu erras, ô rex, dum ideo caram habes mortem, quia tibi regnum attulit. odias ergo mortẽ necesse est, quia tibi breui regnũ auferet. Quare tu magis præ cæteris timere debes mortẽ, qui magis cæteris perditurus es per mortem. Adde quia si dulce putas regnare, amarissimam puta & mortem, quæ ne regnes efficiet. Mihi igitur crede, ô rex, mortem minus timet (teste Romano Vegetio) qui minus delectationis minusq; terrenæ habet felicitatis. mors enim quæq; suauia spernit, odit alta fastigia, quæ diu stare non sinit. Ad quem rex, Quid igitur regnare iuuat? At ille, Vt honore rex solum fruatur & gloria. Cui autem (teste Aristotele) hæc non sufficiunt, tyrannidem exercere, non regnare, dicendus est, nec regnat, quem ratio non regit. Eo tempore sedit Romæ Leo IIII. & Iohannes VIII. demum Benedictus III. & Nicolaus primus: in imperio præfuit Lodouicus II. Lotharii filius, de quo paulo ante diximus.

Imperiorum finis verus.

De Garsia primo, qui fuit in Hispania XIII. rex post eius desolationem, & de gestis suo tempore.

Cap. XIII.

Initium imperii Garsiæ regis Gotthorũ quinquagesimi.

GARSIAS primogenitus Alfonsi III. rex fuit post cladẽ Hispaniæ, post Athanaricum vero primum regem Gotthorum quinquagesimus. Incepit autem regnare anno Domini DCCCLXXXIII. regnauit annis III. Hic Arabum terras duris incursionibus afflixit, & breui tempore præclara bella contra Arabes confecit. Inter cætera deuicit & captiuauit Aiolas Regem Maurorum, & cum magna præda rediuit ad propria, & cum religiosissimus & catholicus foret, preciosiora spolia ecclesiæ sancti Saluatoris Ouetensis contulit, imitatus Gratianum Cæsarem, qui vota sua Deo dirigens inæstimabilem hostium multitudinem apud Argentariam Galliarum oppidum incredibili felicitate prostrauit, & Romam rediens liminibus sancti Petri partem spoliorum dedicauit: quam siquidem victoriã cultura rectæ fidei & eximiæ religionis tribuit. Sic & Iosua ob eius religionẽ & ad Deum deuotum cultum Gabaonitas mirabiliter cęcidit. Gedeon quoque religione plus quam armis deuicit. Garsias igitur post tres annos propria morte obiit, sepultus apud Ouetum. Eo tempore sedit apud sedem apostolicam Adrianus II. in imperio Carolus II. cognomẽto Caluus, rex Francorum, Ludouici II. filius. Hic audita morte imperatoris nepotis sui properat & Iohannem Papam VIII. & Romanos sibi concilians, imperator efficitur secundum Vincentium: contra eum tamen à Ludouico fratre suo rege Germaniæ bellum paratur, quia eo inconsulto imperium vsurpauit. Tandem cum ab Italia rediret in Franciam, creditur veneno extinctus.

De Ordonio II. qui decimo quarto loco in Hispania regnauit post cladem, & de gestis suo tempore.

Cap. XIIII.

ORDONIVS II. frater Garsiæ prædicti, XIIII. rex fuit, & LI. post Athanaricũ primum regem Gotthorum. Incepit regnare anno Domini DCCCLXXXVII. regnauit annis VIII. mensibus VI. Hunc Ordonium Alfonsus præfecerat Galleciæ adhuc viuens. Hic prudens & sagax fuit, in bello captiuum duxit principem exercitus regis Cordubæ, & plurimas alias victorias contra Arabes obtinuit, totam fere Lusitaniam deuastauit, & castrum Alarim occupauit, ecclesiam Legionensem plurimum decorauit & dotauit. Semel tantum fuit victus à Mauris, quo bello fuerunt captiuati Legionenses & Astoricenses Episcopi. Hic Astoricensis Episcopus Pelagium nepotem obsidem dedit, & tandem apud Cordubam per Abderramem regem Sarracenorum martyrio coronatus est. Ordonius ipse à principio tam pius & mansuetus fuit, vt Tito & Vespasiano & Antonino comparari potuerit. Verum quia insolens est regia dignitas & festinata prosperitas, gloriam suam appetitu vindictæ maculauit, & nõ mediocribus vitiis virtutes pristinas dehonestauit. Sed verum est, quia (vt inquit Valerius) sicut aliqui degenerant à parentum nobilitate & dignitate, sic aliqui degenerãt à seipsis & pristina virtute & probitate: sicut Nero, de quo quantum ad sui principatus initium dicit Seneca in libro de clementia: Nemo viuens homo vni homini tam carus fuit, sicut tu populo Romano. difficile hoc fuisset, nisi na-

Ordonii pietas & mãsuetudo.

ſi naturalis tibi bonitas ineſſet: qui tandem omnium nequiſſimus euaſit. Ordonius ergo vitiis acceſſit, ſed infeliciter ei ſucceſſit. Nam pro eo quod impleuit iram ſuam iniquitate & dolo, ac loquutus eſt in fraude pacifica, regni Legionẽſis honorem & præeminentiam perdere meruit, vt alter Tryphon quẽ ſcriptura recolit, ne veritas fallat, quæ ait, propter iniuſtitias & dolos regna trãsferri de gente in gentẽ. Hic enim Ordonius crudeliter & impie agens Comites Caſtellæ qui tũc regi Legionis ſubiiciebãtur, ſub ſecuritate vocatos apud Carrionẽ dolo cepit, & tãdem apud Legionẽ in carceribus occidi iuſſit. Fuerunt autem quatuor Comites ſic interfecti: Nunius Fernandi, & Donus Almudo Aluo, Didacus filius ſuus, & Fernandus Zul. Quæ res plurimum diſplicuit Deo & hominibus, & nõ parum virtutes Ordonii obtenebrauit. Fatendum eſt enim, iuſta fuit regis indignatio cõtra Comites, qui vocati à rege ſuo pro iuſto & pio bello venire contempſerunt: veruntamen tam acrem vindictã inferre non debuit, præſertim cum violatione fidei à ſe præſtitę. Nam cum ſcriptũ ſit, Quia iuſtus ex fide viuit, non rectè iuſtitiam exercet qui fidẽ à ſe oblatam violat, quæ etiam hoſtib. ſeruanda eſt. Hæc aliter fecit Ioab, vt ſcriptura cõmemorat, qui vocauit in pace Amaſan ad colloquium, & quaſi oſculari vellet, in dolo eum percuſſit. Sic & Antiochus rex eſt locutus verba pacifica cõmorantibus in Ieruſalẽ, & illico in dolo irruit ſuper eos, & percuſſit plaga magna. Sed & Iſmael apud Machabęos legitur Godoliam ducem Ezechiæ regis apud Maſfad à ſe inuitatum ex inſidiis occidiſſe. Sed tanta fidei violatio per Ordoniũ perpetrata, perpetua vindicta punita eſt. Nam ob eam cauſam prouincia Caſtellæ, quæ hactenus regibus Legionis ſubiiciebatur, ob illud ſcelus à ſubiectione prædicta ſe ſubtraxit. Caſtellani enim regibus Legionis deinceps rebellarunt, & iudices de nobilioribus patriæ elegerunt, videlicet Nuniũ Raſura auum nobiliſſimi principis Fernandi Gundiſſalui Comitis, & Laynum Caluum proauum egregii bellatoris Roderici Cidi: ex quibus deſcendunt reges Caſtellæ. Dictus vero Ordonius genuit Alfonſum & Ramirum. Huius tempore ſedit Romæ Ioannes VIII. in ſolio vero imperii Carolus III. Ludouici Germaniæ imperatoris filius ac nepos ex fratre Caroli Calui. Hic annuentibus ſibi quibuſdam Romanis imperium adeptus eſt. Hic Carolus corpore & animo deficiens ab optimatibus repudiatur, & Arnulphum in imperatorem eligunt.

Fides vel hoſti ſeruanda eſt.

Ordonii progenies.

Ioannes VIII. Carolus III. repudiatur.

De Froila II. qui fuit XV. rex in Hiſpania poſt cladem, & de geſtis ſuo tempore.

CAP. XV.

FROILA II. frater Ordonii, & filius Alfonſi III. decimus quintus rex fuit poſt cladem Hiſpaniæ, ſed LII. poſt Athanaricum primum regem Gotthorum. regnare autẽ incepit anno Domini octingenteſimo nonageſimo quarto, vno anno & duobus menſibus regnauit, genuit quatuor filios, Alfonſum IIII. & Ramirum II. vterque fuit rex: item Ordoniũ & Froilam. Hic ſæuus fuit (occidit enim multos nobiles) & tandem lepra percuſſus eſt, vt alter Sylla Romanus. qui ob eius crudelitatem pediculari morbo percuſſus extitit. Digne quidem à viliſſimis animalibus vita priuatur, qui nobiliſſimos homines morte affecit. Nihil egit memoria dignum. Eo tempore ſedit Romæ Martinus II. in imperio Arnulphus filius Caroli Magni nepotis ex fratre Caroli III. Hic Arnulphus filius Caroli, nõ tamen legitimus, tandẽ imperator efficitur, & pediculis moritur. nam irremediabiliter (vt fertur) ab eius corpore ſcaturiebant vermes, qua afflictione obiit. Huius tempore Franci imperium perdiderunt, quod apud eos fuerat circiter centum viginti annos.

Froila alter Sylla.

Martinus II. Arnulphus filius Caroli M. nepos ex fratre Caroli 3. pediculis moritur.

De Alfonſo quarto, qui in Hiſpania decimo ſexto loco poſt cladem regnauit, & de geſtis ſuo tempore.

CAP. XVI.

ALFONSVS IIII. filius Froilæ, XVI. rex fuit à Pelagio primo rege poſt cladem Hiſpaniæ, & LIII. poſt Athanaricum primũ regem Gotthorum: cœpit autem regnare anno Domini DCCCXCV. regnauit annis quinq;, menſibus VII. Hic ex Ximena genuit Ordonium vocatum Malum: ipſe vero Alfonſus monachus effectus regnum Ramiro fratri dimiſit, & tandẽ pœnituit. Nam apoſtatauit à religione & Monaſterio S. Facundi. Tandem

iuit Legionem vbi in Regem se erexit. Sed à fratre Ramiro captus & excæcatus fuit. Ramirus imitatus Ludouicum regem Francorum, qui Carolum Magnum filium suum pro eo quod apostatauit, & plurimis sceleribus genus regium maculabat, carceribus trusit atque excæcauit. Alter enim Iulianus Apostata effectus erat. Ordonius vero filius huius Alfonsi apud Cordubam interfectus est. Hoc tēpore præfuit sedi apostolicæ Stephanus v. & Formosus, & successiue Bonifacius III. in imperio vero Ludouicus II. filius Arnulphi. In isto Ludouico cœpit deficere progenies Caroli Magni, & cessauit imperium Frācorum, & huius Ludouici tempore Italici cœperunt imperare. Hic Ludouicus propter tyrannorum Italiæ insolentiam non habuit benedictionem imperialem.

Ordonius Alfōsi filius trucidatur.

De Ramiro II. qui in Hispania XVII. rex fuit post cladem, & de gestis suo tempore.

CAP. XVII.

RAMIRVS II. frater Alfonsi, & filius Froilæ, XVII. rex fuit post cladem Hispaniæ, sed LIIII. ab Athanarico. cœpit autem regnare anno Domini DCCCCI. regnauit annis XIX. mensibus II. Hic genuit duos filios, Ordonium & Santium, qui ambo fuerūt reges. Hic bellis deditus contra Arabes victorias obtinuit. Nam sociatus nobili Fernando Gundissalui Comite Castellę, apud Osmam contra Arabes gloriosam obtinuit victoriam. Huic Ramiro Abenaye rex Cæsaraugustæ obedientiam & tributa dabat, qui tādem fiducia regis Cordubæ nedum rebellauit, sed Castellam ingressus est vsque ad Simancas, vbi grauissimo bello commisso, tandem octoginta millia Arabum ceciderunt, & Abenaye proditor captus est. Vix tot millia hominum vno prælio cæsa reperimus, non à Romanis, non à Carthaginensibus, non denique ab Alexandro. Quare putandum est, pieque credendum, angelo duce, vt in castris Senacherib, tantam cædem contigisse. Clariores tamen victorias ac cæsorum numerum latius infra tangemus, cum de Alfonso VIII. agemus. Ferunt Hispanorum annalia, quod cum Abenaye rex Maurorum prædictus cum magnis copiis Castellam intrasset, nonnulli Barones Ramiro persuadebant stipendiis admittendos esse quosdam Barbaros, dictos Alarabes, inimicos Abenaye: illique se velle Christianos iuuare pollicebantur, si eis salaria militaria soluerentur. Plures vero ex militibus Ramiri negabant Barbaris stipendia danda fore. Ramirus vero, vt alter Cato Senior, errare vltimos grauiter asseruit. Si enim Barbari (inquit) vicerint, non à nobis, sed ab hostibus mercedem exigent illis soluendam: quod si victi fuerint, nec à quibus stipendium petatur, nec qui petent erunt futuri. Cæterum cum parta victoria contra Abenaye regem Maurorum milites Ramiri de diuidendo spolia cōtenderent, quæ pauca admodum erāt, Ramirus singulis militibus singulos nummos argenteos solum distribuit, dicens quod apud Quintum Curtium, Alexandrum in pari casu dixisse fertur: Longe melius fore pauperes domum redire, quam diuites extra eam mori. Sic & Catonem Seniorem dixisse ait Polybius. Nam cum libram argenti militibus suis distribuisset, ait felicius esse vt multi cū argento quam pauci cum auro à bello reuerterentur. Habēt annalia Hispaniæ contra hūc regem Ramirum rebellasse duos nobiles de regno Legionis, vocatos Fernandū Yuanens & Didacum Nunii, adeo vt Ramirus nullo pacto posset eos à seditionibus retrahere. imo facti sunt vassalli Aceffæ regis Sarracenorū, qui ab eisdem militibus instigatus cōgregato exercitu terras Ramiri hostiliter inuasit. Cui Ramirus adunatis gentibus suis animose occurrit, & vt Deo placuit, Sarraceni victi & cæsi sunt: sed & capti illi duo nobiles, cōtra quos ventilato iuridico processu fertur capitalis sententia. Sed illico plurimi nobiles regni regi supplicarunt, vt eis ea vice indulgeret, supponentes capita sua si amplius rebellarent. Quibus rex Ramirus, vt erat natura clementissimus, Dono, inquit, vobis vitam illorum, experiarque an vincam beneficiis quos minis & terroribus flectere non valui. Quare sua illis bona restituo ac certas illi villas regio munere tribuo. Ipsi itaque milites conspecta tanta erga eos regis clemētia & beneficentia, deinceps fidelissimi omnium fuerunt. Imitatus est Ramirus illum Principem quem Seneca in de beneficiis recolit, qui cum non posset quendam potentē militē sibi satis conciliare, vxorē cōsuluit, quæ dixit ei: Fac quod medici solēt facere, qui vbi vsitata remedia prodesse nō possunt, tētant contraria. Tu ergo si seueritate nihil profecisti, nunc tēta per viā clemētiæ. Ille igitur vxoris cōsilium sequēs ei nedū indulsit, sed munera dedit, fuitq; deinceps sibi fidissimus, adeo vt illū hæredē faceret. Hic itaq; actus Ramiri clemētia & beneficētia plenus plures vitę Ramiri insidiantes sibi deuotissimos & fidelissimos reddidit, vt verū sit quod idē Seneca ait: Quia grauiter errat, si quis extimat ibi tutū esse principē vbi nihil est tutum à principe. securitas enim

Rebellio duorū nobilium de regno Legionis.

enim securitate pensanda est. Rursus hic Rex Ramirus maiores victorias obtinuisset, sed à fratre Alfonso impeditus est. Quem quia excæcauit, pœnitentia ductus monasterium sancti Iuliani cōstruxit, ibique fratrem sepeliuit. Salubri cōsilio ductus pœnitentiam egit, ne comminatas sibi cælitus pœnas lueret, vt à quodam sancto viro dicitur habuisse, dicēte Saluatore: Si dixero impio morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato suo, conuertar ad eum, & si pœnituerit, ego pœnitentiam agam super malo quod cogitaui. Hoc tempore sedit Romæ Papa Romanus, & Theodorus, & Iohannes IX. & Leo V. & Christophorus: in imperio Berengarius & Conradus Alemanus huius nominis primus. Hic successit Ludouico tertio in Germania. Hic coram principibus regni instituit Regem Henricum, filium Othonis ducis Saxonum. Quo effectum est, vt cessaret progenies Caroli in regno Germaniæ.

Theodorus & Ioannes IX. & Leo V. & Christophorus Papa. Berengarius & Cōradus Alemanus Imp.

De Ordonio tertio, qui in Hispania decimo octauo loco post cladem regnauit, & de gestis suo tempore.

CAP. XVIII.

ORDONIVS III. filius Ramiri, XVIII. rex fuit à Pelagio primo Rege post cladem Hispaniæ, & LV. ab Athanarico primo Rege Gotthorum. cœpit autem regnare anno Domini DCCCCXX. regnauit annis quinq;. Hic genuit Veremundum paulo post Regē. Hic prudens fuit. Verumtamen frater eius Santius quem Ramirus ex sorore Garsiæ Regis Nauarræ susceperat, fauore & auxilio eiusdem Garsiæ, & Fernandus Gundissalui Comitis Castellani attentauit eundem Ordonium fratrem à regno expellere. Sed Ordonius derelicta Vrraca vxore sua, quia pater eius Fernandus Gundissalui Comes fratri fauēbat, duxit aliam in vxorem, in nullo Pompeium imitatus, qui Iuliam vxorem, licet Cæsaris hostis filiam, non modo non repudiauit, sed eo tenacius dilexit, maiorique honore habuit, sed nec animum Iuliæ patris nec mariti odium mutauit. Tam tenere itaque maritum amauit, vt cum Pompeii vestem cruore respersam de castris adductam vidisset, de salute mariti territa exanimis concidit, partum edidit quem ventre conceperat, & cum magno dolore expirauit. Illa denique viuente dissidia inter Cæsarem & maritum quieuerunt: mortua vero tranquillitas orbis & vrbis sua parta virtute truculētissimo cruore perturbata est. Cæterum quia Gallicia fauebat fratri Santio, Ordonius congregato exercitu Gallecos perdomuit vsque ad Vlisbonam. Tandem facta est concordia inter Ordonium & Comitem Fernandum. Hoc tempore præfuit Romanæ sedi Sergius & Anastasius: in imperio vero Berengarius. De isto Berengario primo & de secundo, ac de Hugone & Berengario III. nulla fit mentio in Chronica Vincentii.

Sergius & Anastasius Papa. Berēgarius Imperator.

De Ordonio quarto, qui in Hispania XIX. loco regnauit post cladem.

CAP. XIX.

ORDONIVS IIII. cognomento Malus, filius Alfonsi excæcati, XIX. rex fuit, & LVI. ab Athanarico primo Rege Gotthorum. Hic tyrannice regnū vsurpauit, ideo non attribuuntur ei anni regni, nec cōcurrentia, quia omnia supputantur sub Santio. Hunc Ordoniū cum nonnulli hortarentur, vt à tam infesta tyrannide abstineret, & cum Santio componeret, ad eos Ordonius dixisse fertur, Quia regnandi auiditas non nisi gladio amittitur. Imitatus est Ordonius, immo secutus Adriani Imperatoris sententiam, qui (vt ait Volcatius Gallicanus) dicebat, Quia misera conditio regnantium de affectata tyrannide, non aliter quam eis occisis credi potest. Hic Ordonius duxit vxorem filiam Fernādi Gūdissalui Comitis Castellæ, sed propter scelera eius eam sibi abstulit, & fugatus à regno per Sātium apud Cordubam occisus est. Recte quidē ab hoste infideli occiditur, qui infidelis « & hostis auxilium inuocat, vt illud prophetæ experiatur qui ait: Consumentur impii ab i- « dolis quibus sacrificarunt. dignū enim videtur, vt ab exteris cędatur, qui suos cędere conatur. Hoc tempore sedit in cathedra Petri Anastasius, in imperio Berengarius secundus.

Anastas. Papa. Berēgarius II. Imperator.

De Santio primo, qui primus rex fuit Legionis & magnæ partis Hispaniæ, & quomodo Castella fuit liberata à subiectione Legionis.

CAP. XX.

SANTIVS huius nominis primus, nominatus Grossus, filius Ramiri, & frater Ordonii, XX. rex fuit à Pelagio primo Rege Hispaniæ post cladē, & LVII. ab Athanarico primo Rege Gotthorū. cœpit autē regnare anno Domini DCCCCXXVI. Hic regnauit annis XIII. fuit intolerabili pinguedine grauatus: quare pacē fecit cū Abderame Sarraceno rege

Cordubæ, qui copiam medicorum habebat. Cordubā igitur adueniens & magnifice susceptus, conuocatis medicis antidoto cuiusdam herbæ à grauitate pinguedinis est liberatus. Intolerabilis pinguedo pro morbo habetur iuxta illud Iuuenalis:

Montani quoque venter adest abdomine tardus.

Hunc annalia tradunt herba curatum, verius dicerem maturius necatum. Nam in Iudicum libris dicebat vnus ex Regibus Ægypti: Nunquid possum deserere pinguedinē meam? Dum vero Santius apud Cordubam moram traheret, magnates regni Asturiarum, & Fernandus Gundissalui Comes Castellæ Ordonium Malum in principem elegerunt, qui habuit vxorem Ximenam dicti Comitis Fernandi filiam. Quo audito Santius fretus auxilio Arabum Regis Cordubæ venit in Asturias, & Ordonium Malum fugauit, & domitis rebellibus regnum recuperauit. Ordonius Malus victum se exhibuit, & in nullo restitit. Quare Comes Fernandus ei abstulit vxorem. Hic Santius deuotus fuit, & cōstruxit monasteria apud Legionem, qui Rex Legionensis existens, ex pacto facto cum Fernando Gundissalui Comite & domino Castellæ, à iurisdictione Regum Legionensium, quibus hactenus obediebat, Castellam perpetuo liberauit. Obiit Santius (vt creditur) ex veneno. adeo enim est infida Regum fortuna, vt vel gladio crebrius, aut veneno eos mori sępe cōtingat. Reliquit autem Ramirum filium suum, qui postea Rex. Eo tempore sedebat Romæ Anastasius III. & Iohannes X. in imperio Henricus primus. Hic primus dicitur inter Reges Teutonicos. Fuit filius Othonis ducis Saxoniæ. Quo defuncto filius eius Otho primus in regem coronatur. Aliqui non computant in numero Imperatorum, quia nec benedictionem obtinuit, nec in Italia regnauit.

Regū fortuna infida.

De Ramiro tertio qui XXI. *loco regnauit in Legione, & magna parte Hispaniæ post cladem, & de gestis suo tempore.*

CAP. XXI.

RAMIRVS III. filius Santii, XXI. rex fuit à Pelagio primo Rege post cladem Hispaniæ, & LVIII. ab Athanarico primo Rege Gotthorum. Cœpit autem regnare anno domini DCCCCXXXVII. regnauit annis XXV. Hic quinq; annorum existens de consilio matris cum Arabibus pacem fecit. Interim Normannorum multitudo cum Rege eorum Gunderico littoribus Galliciæ applicuerunt, vrbes & loca vastantes, & cum vellent discedere, nobilis Comes Gundissaluus Santii, vocato nomine Domini & Iacobi apostoli mirabiliter sunt prostrati, & in ore gladii cæsi, nauigiis eorum succensis. Interim Arabes rupta pace cum Ramiro, patriam Castellæ & Legionensis insequuntur, cædibus & incēdiis cuncta vastantes, & venientes Zamoram funditus eam subuerterunt. Ramirus vero duxit vxorem Vrracam. Hic ætate & actibus puer insolenter regebat. Quare Galleci Veremundum filium Regis Ordonii in Regem apud Compostellam creauerunt, cōtra quē Ramirus cum magno exercitu vadit, & prælio cōmisso vterq; inuictus à prælio discessit, non sine graui vtriusq; gentis cæde. Plurima incōmoda hic rex sua imprudentia expertus est, quia Comiti Gundissaluo parum credidit. Scriptum est enim: Rex sapiens stabilimētum regni, & qui spernit consilia, perdet populum suum: Et iterum apud Danielem: Cōsurget Rex imprudens, & non prosperabitur. Obiit autem morte communi apud Legionem absque liberis. Tempore huius Ramiri Regis Legionis erat dominus Castellæ Garsias Fernandi, filius nobilissimi Comitis Fernandi Gundissalui. Cum igitur iussu eiusdem Garsiæ Comitis nobiles viri septem Infantes filii Gundissalui Gustii de lara, terras Sarracenorum inuaderent, ex insidiis & proditione perfidi auunculi sui, Roderici Vasti traditi sunt ad manus Sarracenorum. Nam etsi horribile atque infaustum auspicium conspexissent in via (viderunt enim aquilam seipsam percutientem) multique eisdem suaderent, ne vltra procederent: illi tamen non acquiescentes illico obuiarunt auunculo proditori, qui sub pacis velamine eosdem nobiles infantes deduxit ad insidias paratas. Eius enim industria latebant duo Sarracenorum Reges, videlicet Aliquamte & Viara magnis copiis muniti. Commisso itaque bello tandem victi pariter & occisi fuerunt Infantes prædicti. Sępe enim prodigia & auspicia futura indicant. Sic enim ante mortem Iulii Cęsaris (vt ait Comestor) fulgur cecidit iuxta statuā eius quę Iulia dicitur, & de nomine eius C literam capitalem amputauit, mortē eius pręsignans. Rursus iuxta Martianum, II. de nugis philosophorum: plerunque Deus commonet mortales vel syderis cursu, vel fulminis iaculo, vel prodigiali nouitate, sicut excidium Troiæ stella super domum fascem ducens, viamque significans in Ida se condidit: quo signabatur Troianos ad domum Anchisæ fugituros. Hæc tamen auspicia siue prodigialia signa terrere, sed nec mouere catho-

catholicos debent. Similes enim actus auium & animalium secundum sanam doctrinam contingere possunt, ex corporum supracœlestium dispositione: quo casu signa quædam sunt circa naturalia. Nonnunquam vero accidunt diuina dispositione, quæ ita disponit, « vt per aliqua animalia certa futura prænosticentur: veluti coruus qui pascebat Heliam. « Sed plerunque talia contingunt diaboli illusione, qui per tales actus animalium decipit, « quos prospicit pronos ad talia credendum, vt tandem inducant ad dæmonum culturam, vel vt ipsos fideles terreant, quo facilius ab infidelibus vincantur cum fidei iactura: quẽadmodum Hispanica annalia referunt accidisse tempore nobilis viri Fernandi Gundisalui Comitis Castellæ, patris huius Garsiæ Comitis. Nam cũ potentissimus Rex Sarracenorũ Almanzor adunatis copiis terras Christianorum inuaderet, præfatus Comes Fernandus Gundissalui ei viriliter occurrit. Ea igitur dæmonum deceptione visus est ingens draco in aere volitans, ignesque euomens, atque terribiles vlulatus emittens: cum vero Christianus exercitus nõ parum terreretur, Fernandus Comes eos cõfortans illa dæmonum esse præstigia ad terrendos decipiendosqq; fideles, suadens vt in Deo spem ponerẽt. Commisso igitur sequenti die bello Sarraceni victi fuere. Hoc tempore sedebat Romæ Stephanus VII. & Iohannes XI. & Leo VII. & Stephanus VIII. in imperio sedit Berengarius III. Hoc tempore graue schisma fuit in Italia.

Draco in aere volans.

De Veremundo II. Rege Legionis & magnæ partis Hispaniæ, & de victoriis, & de gestis suo tempore.

CAP. XXII.

VEREMVNDVS II. filius Ordonii, XXII. Rex fuit à Pelagio primo Rege post Hispaniæ cladem, & LIX. ab Athanarico primo Rege Gotthorum. Hic mortuo Santio patruo suo & Ramiro consobrino, regnum Legionense ad eum deuolutum adeptus est, anno domini DCCCCLXII. regnauit annis VII. Hic binas successiue vxores duxit. Ex prima Alfonsum genuit postea Regem. Hic contra Almanzor Regem Maurorũ, qui vsq; ad Compostellam cuncta vastabat, viriliter pugnauit, assistente Garsia Fernandi Comite Castellæ, & eum primo deuicit. Deinde Almanzor reassumptis viribus regnũ Legionis potenter ingreditur, adeo vt Rex Veremundus cogeretur fugere in Asturias sanctis reliquiis in Ouetum transportatis. Tandem Almanzor Legionem obsedit, & ciuitas occupatur muris destructis. Deinde cuncta deuastans, fastu & superbia elatus in patriam rediit, Osmam & Berlang ãobtinuit. Nec his Almanzor contentus, iterum in Galleciam ingreditur per partem Portugaliæ, Compostellanam cepit ecclesiam, eamq; dirupit, sed locum vbi erat corpus Iacobi, fulgure territus violare nõn valuit. Sed statim pœnam tanti sacrilegii suscepit. Nam incredibili dysenteria percussus vix euasit. Reliqui morte subita perierunt, quorum spolia Veremundus colligi fecit. Tuetur enim Deus quæ sua sunt, tuetur & sancti. Sic enim in libris Iudicum sacra scriptura cõmemorat, quia Barbaros sanctũ templum Domini cõtaminantes apprehendit tremor & horror, ne facerent quod cogitarant. Quinimmo Machabæorum principes illico post templi violationem ingenti victoria potiti sunt, dixeruntque, Vadamus mundare templum Domini. Quod & si priscorũ gentilium annalib. credimus, sacra offendẽtes ii multos dimisere. Sic Dionysius tyrannus quia templum Proserpinæ violauit, simul & spoliauit, ac Æsculapio barbam euulserat, à regno eius filius deiectus est. Sic & Varro quia parum honorauit sacra templa, Cannensem cladem pati meruit. Item Varro propter sublatas tegulas à templo Iunonis Locrinæ insanus factus est. Sic rursus & Quintus Flaminius, quia offendit sacra, Romanis suis memorabilem illam stragem apud Trasymenum perpessus est. Denique Nero ipse & Domitianus fidei nostræ hostes pœnas luerunt sacrilegiorum in templa cõmissorum. Valens quoque perfidus, quia sacra & religiosos insequebatur, diuino miraculo in bello contra Gotthos viuus cœlesti igne consumptus est. Legitur denique in Tripartita, quod Pompeio obsidente Hierosolymam Aristobulus & Hyrcanus intra vrbem plurimum diffidebant, dũ alter ingressum Pompeii impedire, alter vt intraret niteretur. Quæ discordia effecit, vt libere Pompeius vrbem caperet. Captiuatis itaq; Aristobulo & filiis, Hyrcanũ dimisit pontificem & ducem ciuitatis. Interim tamen Romani insolentes ex victoria effecti sacrum templum irreuerenter polluunt, equosque in porticu locant, & sacra multipliciter profanarunt. Qua de refertur Pompeium ex illo tempore infelicem fuisse, & semper victum qui ante victoriosissimus fuit. De hac violatione sacrorum tangemus infra sub Santio maiore. Tandem igitur reformata pace inter Veremundum & Garsiam Fernandi Comitem Castellæ, ambo personaliter Almanzor insequuntur, qui iam exercitum magnis copiis auxerat, & apud oppidũ Decanatãnazor prope Soriã bellũ est cõmissum, in quo plu-

Almanzor Legionis regnum ingreditur.

rimi Mauri ceciderunt. Quo dolore prostratus Almanzor vitam finiuit apud Medinam Celi. Rursus in eodem loco filius eiusdem Almanzor post dies paucos victus & fugatus est. Veremundus igitur tantis victoriis plenus rediit gloriosus. Hic postea leges Gotthorum confirmauit. Vitiis tamen non caruit. facilis enim fuit ad credendum. Ex qua re sæuitias exercuit, præsertim contra Episcopum Compostellanum, in quem taurum ferocem iniecit, qui mansuetus effectus ad Episcopum innocentem accedẽs, cornua in manibus eius dimisit. Hic Rex etiam Episcopum Ouetensem incarcerauit, & tamdiu pluuia cessauit, & ingens siccitas terram oppressit, quousque Episcopus liberaretur. Eo itaque liberato pluuia abundanter de cælo descendit. Quo miraculo Veremundus compunctus ecclesiam sancti Iacobi & cætera pia loca per Almanzor dirupta restaurauit, & pœnitentiam de consilio prælatorum egit. Cauere catholici principes debẽt sacrilegas manus in Episcopos Domini mittere, qui ait, Nolite tangere Christos meos, & in prophetis meis nolite malignari: sed imitari debent Constantinum gloriosum, qui teste Eusebio Cæsariensi, dicebat, Absit vt nos deos iudicemus. Quid enim mirum si nostra pietas eos dignetur honorare, quibus Deus in suo eloquio honorem tribuens illos deos, aliquando angelos nominauit? Et subdit, Dei ergo solius est eos iudicare, eo per prophetam dicente, Deus stetit in congregatione deorũ, in medio autem discernit Deus. Ea igitur de re Princeps ille deuotissimus felicissimus fuit & victoriosissimus. Longe aliter sacra annalia perhibent de his qui sacerdotes Dei inhonorant. Sic Sedechias Rex cum Ieremiam prophetam captiuasset, pessima occubuit morte. Ozias itẽ Rex quia cõtumelias intulit sacerdotibus, eisque pœnas pollicẽns, statim lepra in fronte respersus est. quis enim dubitat iniuriam ministris illatam Deo inferri cuius sunt ministri? qui ait, Qui vos tangit, me tangit, & qui vos spernit, me spernit. Tandẽ Veremũdus obiit relicto Alfonso filio & Rege. Hoc tempore sedebat Romæ Martinus III. & Agapitus II. & Iohannes XII. & in imperio Lotharius imperator huius nominis II. Hic imperauit apud Italiam annis duobus.

Veremundus leges Gotthorũ confirmat.

Constãtini gloriosi sententia elegans.

Pœna illorũ qui sacerdotes Dei inhonorant.

Veremundus moritur.

De Alfonso quinto, qui XXIII. Rex fuit in regno Legionis & magnæ partis Hispaniæ, & de victoriis, & de gestis suo tempore.

Cap. XXIII.

ALFONSVS V. filius Veremundi vigesimo tertio loco post cladem regnauit, anno Domini DCCCCLXXIX. regnauit annis XXVII. Hic genuit Veremundum regni sui successorem, & Sãtiam quæ nupsit Fernãdo filio regis Nauarræ, qui & Rex Castellæ fuit, sed & propter eam regnum Legionis adeptus est. Hic Alfonsus prauo ductus consilio cum esset puer, Therasiam sororem suã cuidam Abdalæ Sarraceno Regi Toleti vxorem dedit, vt ei auxilium præstaret contra Regem Cordubæ. Ipsa autem sancta fœmina renuens suasit Abdalæ, ne eã tangeret, alias Christus filius Dei eum percuteret. Rex autem impius talia deridens, eã amplecti tentauit, sed illico ab angelo percussus est quasi ad mortem. Quare vocatis familiaribus sanctam virginem auro & argento ac preciosis vestibus onustam ad Legionem remisit, quæ in monasterio sancti Pelagii vitam cælibem fecit. Quid enim mirum si Christus castitatis amator, virginitatis sectator, virgines suas tueatur? Cum teste Egesippo gentiles virgines falsorum deorum patrocinio tutæ legantur. Claudia enim virgo Vestalis (teste Valerio) cum in suspicionem stupri venisset, & simulachrum deæ matris in vado Tiberis ad probandam suam pudicitiam peteret, fertur cingulo duxisse nauem, quam multa hominum millia trahere nequiuerunt. Ex eo tamen Alfonsi tentato infelici contubernio, quo magis ipse culpæ reus arguitur, eo magis filiæ pudicitia lustratur. Hęc enim virgo imitata est Corneliam Scipionis filiam cunctis seculis cõmẽdatissimã, quia spreuit nuptias Ptolemæi Regis Ægyptiorũ barbarę religionis ac sectę. Pater vero parũ imitatus est quosdã Imperatores Romanos, qui quãquã omnia possent, tamẽ nequaquam cũ potẽtissimis ex terrarum nationibus nuptias fecere: etsi Cęsar Cleopatrę reginę Ægypti se vinxerit, pœnas (vt putatur) eo scelere luit, & M. Antonius interfecto Cęsare non alieno supplicio emẽdatus cũ eadẽ Cleopatra fœdus nuptiarũ iunxit, filiosq; suos Regibus Iudęorũ nuptui dedit. Ex quo flagitio sibi manus inferre coactus est. Hic Alfonsus apud Viseum in Portugalia, quę tũc Arabum erat, & quã tenebat obsessam, à sagitta cuiusdã Sarraceni letaliter est percussus, & vitã finiuit. Sed paulo post Fernandus I. Rex Castellę gener eius iterũ Visensem ciuitatẽ obsedit, tandẽ eã cepit. Sed ballistarium Sarracenum qui Regem Alfonsum percusserat, diuersis mortis suppliciis affecit, atque in vindictam necis Alfonsi maximam Sarracenorum multitudinem cæcidit. Eo tempore Santius Comes Castellæ apud Cordubã Arabes famoso prælio deuicit. Sedit eo tempore Romæ Benedictus Quintus, Leo VIII. Iohannes XIII. & Benedictus Sextus & Benedi-

Claudia virgo Vestalis pudicitiam suam probat.

Obsidio vrbis Visensis.

Arabes à Sãtio deuicti.

Benedictus VII. in imperio vero sedit Otho I. & II. Hic Otho primus secundum Sicardum, primus Imperator fuit Alemanorum vsque ad tempus præsens. Hic Otho apud Medeburg ecclesiam mirifice ædificauit, & in ea fuit tumulatus: Otho vero secundus Romæ moritur, sepultus apud sanctum Petrum.

De Veremundo III. qui in regno Legionis vigesimo quarto loco regnauit, & quomodo post istum Castella in regnum fuit erecta.

CAP. XXIV.

VEREMVNDVS III. filius Alphonsi, vigesimo quarto loco post cladem Hispaniæ regnauit, & ab Athanarico primo Rege Gotthorum LXI. Rex fuit. cœpit autem regnare anno Domini M.VI. regnauit annis X. Hic Veremundus Rex Legionis desponsauit Santiam sororem suam Infanti Garsiæ filio Santii Comitis & Domini Castellæ, qui Garsias apud Legionem proditorie est interfectus, vt illud Lucani dici possit:

Garsias proditorie interfectus.

Nulla fides regni sociis, omnisque potestas
Impatiens consortis erit.---

Deinde eadem Santia desponsata est Fernando filio Santii dicti Maioris, Regis Nauarræ, qui postea (vt paulo ante diximus) fuit primus intitulatus Rex Castellæ propter vxorem, quæ erat filia Santii Comitis Castellæ. Et cum inter hos Fernandum & Veremundum dissensio orta fuisset propter successionem regni, bellum inter eos initum est apud Carrionem, & Veremundus regno pariter & vita priuatus, & translatum est regnum Legionis ad dictum Fernandũ propter Santiam vxorẽ suam, qui etiam fuit Rex Castellæ. Et sic regna Castellæ & Legionis fuerunt vnita in persona Regis Fernandi, vt olim Romanorum & Albanorum, item Persarum & Babyloniæ. Igitur vsque ad istum Regem narrata est genealogia regum Legionis, nam Castella regebatur per Comites (vt prædiximus) nec hactenus fuit regio titulo illustrata. Sæpe enim sic disponente Dei prouidentia regna aut eriguntur, aut supprimuntur: nam Aug. teste, regna Deus distribuit, vt ei placet, cui nihil iniuste placet. quando enim voluit, regnũ dedit Romanis, sicut dedit Assyriis, vel Persis. Castella igitur erecta est in regnũ, cuius sectio siue diuisio à regno Legionis Deo disponente facta est, quemadmodũ Alexandrum Macedonẽ fecisse liber Machabæorum ostendit, qui prouincias pueris suis diuisit, & illi posuerunt sibi diademata. Sic & prouincia Iuda quæ sub regno Israhel fuit, postea regio titulo fuit decorata. Nec id ingratum fuit Deo, quod ex eo liquido patet, quoniam Ieroboam primus regnauit in Iuda, cumque vellet eam prouinciam tanquam per tyrannidẽ diuisam persequi, & regno Israhel, vt hactenus fuerat, subiicere, prohibitus est populus iussu Dei ne pugnaret contra fratres suos. Vnde subdit August. manifeste comprobari iussu aut voluntate Dei, aut vindicantis, aut sic occultis nobis causis disponentis, quasdam regiones sic diuidi, vt duo regna efficiantur, nonnunquam regius titulus supprimatur, vt dietim conspicimus in Lombardia & Burgundia, quæ antiquo tempore titulo regio gaudebant. Sic & in Hispania, Valentia, Cæsaraugusta, item Hispalis, Corduba, Toletum, quæ omnia regiis titulis olim lustrabantur. Rursus non est obmittendum, quia ab Athanarico primo Rege Gotthorum in Hispania vsque ad Rodericum, cuius tempore Hispania destructa & à Mauris occupata est, Hispania ipsa gubernata fuit sub titulo regio Gotthorum, postea vero Pelagius qui Hispaniam restaurare & recuperare cœpit, licet de genere descenderet Gotthorum (vt diximus) tamen ipse & posteri sui non fuerunt intitulati Reges Gotthorum, sed sumpserunt titulos Legionis & Asturiarum, deinde Castellæ, prout eas à Sarracenis recuperarunt. Huius regis temporibus sedit in cathedra Petri Benedictus VII. & Iohannes XIV. & Gregorius V. & Iohannes XV. in imperio vero sedit Otho III. filius Othonis II. Hic coronatus fuit Romæ à Gregorio V. & (vt fertur) in Italia fuit veneno extinctus, & hi tres Othones per successionem generis regnarunt. Post eos vero Ecclesia Romana instituit, vt per officiales imperii eligatur Imperator. Vnde versus:

Primus Castellæ Rex Santius Maior, Rex Nauarræ.

Deus regna distribuit & dirigit.

Maguntinensis, Treuerensis, Coloniensis,
Quilibet imperii fit Cancellarius horum:
Palatinus dapifer, dux portitor ensis,
Marchio præpositus cameræ, pincerna Bohemus.
Hi statuunt Dominum cunctis per secula summum.

De Santio dicto Maiore, qui vigesimo quinto loco regnauit post cladem, & quomodo fuit primus Castellæ propter vxorem.

CAP. XXV.

SANTIVS dictus Maior, Rex Nauarræ, filius Garsiæ Tremulenti regis Nauarræ, XXV. rex fuit à Pelagio primo Rege Hispaniæ post cladem, & sexagesimus secundus ab Athanarico primo rege Gotthorum. Huic non cõputantur anni regni, quia paruo tempore præfuit tanquam Rex Castellæ. Hunc propter vxorem Eluiram filiam Comitis Castellæ aliqui primum Regem Castellæ intitularunt, vt supra dictum est: alii vero Fernandũ filium eius propter matrem in Castella & Legione primum regem effectualiter dixerũt. Vtcunque sit Santius dici potuit propter vxorem primus rex Castellæ, quia (vt iura volunt) vir coruscat honore & dignitate vxoris. Sed Fernandus filius eius ex successione efficacius fuit rex Legionis & Castellæ. Hic Santius ex dicta Eluira genuit Garsiam, & ex concubina Ramirum bastardũ, de quibus inferius dicetur. Santius itaq; instigatus ab vxore Eluira prædicta, sorore Infantis Garsiæ, qui fuit dominus Castellæ, iustissime condemnauit Comites, Enecum, & Didacum, ac Rodericũ Vela, filios Comitis Vela, quia proditorie interfecerunt præfatum Infantem Garsiam dominũ Castellæ. Nam post longam obsidionẽ in castro de Monzon, tandem eos cepit & sententialiter comburi iussit. Cæterũ hic Santius Maior bellum graue gessit contra Veremundum regem Legionensem & plurima castra & loca ab eo euicit. Hic cum esset magnus venator, aprum secutus est vsq; in Ecclesiam sancti Antonini, quæ tunc in quadam silua nemorosa sita erat. Nec eo tempore aliqua populatio, nec ecclesia cathedralis ibi erat. Cum vero aper ad altare sancti martyris confugisset, Santius rex conatus est illum venabulo percutere, sed propter irreuerentiam sacri templi & reliquiarum beati martyris diuino flagello percussus, illico obriguit brachium eius, nec potuit bestiam percutere. Rediens igitur ad se & prostratus apud altare, tandem precibus beati martyris vires brachii fuere sibi restitutæ, ipseq; ecclesiam mirifice ædificauit, & opulenter dotauit, atq; in cathedralem erigi obtinuit, & ciuitatem Palentinam ædificare & populare incepit. Hic Santius irreuerenter se habuit volens bestiam apud sacrum altare interficere, imitatus sæuum illum Syllam Romanum, qui Mutium Sceuolam ad templum Vestæ, quo nihil sanctius Romæ habebatur, obfugientẽ aramq; ipsam amplexantem irreuerenter gladio perfodit, vt ait Augustinus. Quod sacrilegium inultum dii non permiserunt. Summam certe reuerentiam antiqui sacris templis præstabant, nec „ violentam aut sanguineam effusionem in eisdem templis patiebantur. Nam scriptura sa„ cra quandam securitatem cunctis animantibus polliceri videtur, dicens, ingredietur be„ stia latibulum suum, & in antro tute morabitur. Adde, quia fugientes præ lassitudine be„ stias persequi, non est actus fortitudinis. Simile narrat Herodotus de Cambyse, qui in Ægypto contemnens templum, in eo vulnerauit Apim bouem. Quo scelere equo descendens pugione seipsum transfodit. Rursus Meleager quia interemit aprum Calydonium sacrum Dianæ, mortis causam sibi præbuit. Crœsus quoq; cum aper sacer se ei in venatione offerret, casu quodam, siue quia rem sacram rex ipse polluisset, filium suum Atym occidit, dum hastam iacularetur in aprum. Vide quæ de irreuerentia templorum & sacrorum diximus supra sub Veremundo II. Huius regis Santii temporibus sedebat in cathedra Petri Iohannes XVI. & Benedictus VIII. qui fuit à papatu eiectus, & fuit teterrimum schisma in Ecclesia, de quo alibi dicemus: in imperio vero sedit Henricus II. Hic secundum Richardum filius fuit Conradi.

Santii sæuitia.

Iohannes XVI. & Benedictus VIII. Papæ. Henricus II. Imp.

De Fernando primo, qui vigesimo sexto loco post cladem regnauit, & quomodo in eo regna Castellæ & Legionis fuerunt vnita.

CAP. XXVI.

FERNANDVS huius nominis primus, filius Santii Maioris prædicti, XXVI. rex fuit à Pelagio primo rege Hispaniæ post cladem, & LXIII. ab Athanarico primo rege Gotthorũ. Cœpit autem regnare anno Domini M.XVII. regnauit annis XL. Hic (vt diximus) duxit vxorem Santiam filiam Alfonsi regis Legionis, sororẽ Veremundi. Quo sine filiis decedẽte Fernandus prædictus propter vxorẽ Santiam regnum Legionis obtinuit. quo euenit vt iste Fernandus virtualiter & ex successione primus rex intitularetur in Castella & Legione. Hic genuit ex Santia vxore Santium, Alfonsum, Garsiam, & Eluiram, & ex concubina Fernandum qui fuit sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalis. Hic Fernandus optimus princeps fuit, & valde bellicosus, Colimbriam in Portugalia ab Arabibus occupatã sancto Iacobo visibiliter apparente obtinuit, & maiorẽ Portugaliæ partẽ suæ ditioni subiecit. Nam (vt ait Lucas Tudensis) dum hic Fernandus candẽ ciuitatem Colimbriæ à Mauris detentam

tam obſideret, accidit quendam Epiſcopum Græcum nomine Hoſtianũ limina ſancti Iacobi viſitaſſe. Et cum multis referentibus audiret glorioſum apoſtolum Iacobum vt militem ſæpe viſum fuiſſe, auxilia Chriſtianis ferentem, deridens, Nolite, inquit, apoſtolum vocare militem, ſed paſtorem, aut piſcatorem. Dum igitur ea nocte dormiret, apparuit ei ſanctus Iacobus dicens, Noli Hoſtiane dicere me non fore militem contra Chriſti perſecutores. quod vt pro explorato habeas, ecce iam equito laturus auxilia regi Fernando, qui per ſeptem annos obſedit Colimbriam, & vt ſis certior, conſpice claues quibus cras hora tertia aperiam portas ciuitatis Chriſtianis. Qua reuelatione perterritus, facto mane Canonicis eccleſiæ Compoſtellanæ reuelauit, & compertũ eſt ita eueniſſe. Sæpe enim diuino nutu in ſomniis reuelantur futura, quemadmodum ait Polybius, quia ea nocte qua mortuus fuit Athila rex Hugnorum, Imperator Martianus tunc apud Conſtantinopolim reſidens, vidit in ſomniis arcum Athilæ fractum. Ex quo ſequenti die affirmauit mortuum fore Athilam. In domo huius Fernãdi nutritus eſt inclytus vir Rodericus Cidus, qui poſtea Valentiam à Mauris obtinuit. Sic & Philippus princeps Macedonum nutritus eſt apud Epaminundam Thebanum. De quo pauca ex multis in ſequenti cap. dicemus. Cum autẽ Garſias rex Nauarræ, frater Fernandi torqueretur de fratris ſublimatione, & apud Anaiarum ægrotaret, Fernandus rex eum viſitauit, ſed Garſias eum decreuerat retinere. Cuius maleuolam mentẽ Fernandus agnouit, & incolumis ad propria remeauit, quẽ infirmantem rex Garſias frater eius ſimili modo perſonaliter viſitauit. Fernandus vero vices ei gerens captum cuſtodiri fecit, vt de eo illud Sapientis verum ſit: Quia qui fraudem cogitat, incidet in eam. Et iterum: Laqueum aperuit, & cadet in ipſum. Sic Andronicus in eodem loco occubuit, vbi alios fecerat trucidari, vt apud Machabæos legitur. Sed & Aman eodẽ patibulo quod alteri parauerat, eſt ſuſpenſus. *Talionis pœna.* Poſtea vero Garſias à carceribus euadens vindictam procurauit, & congregato exercitu Caſtellam ingreditur. Cui occurrit Fernandus cum copiis ſuis, & inito prælio cum Garſias inſolens eſſet, & ſuorum animos non haberet, in eo bello victus & cæſus eſt, ne hoſtes quantumcunq; debiles contemnamus. Nec aliter Remus egit. cogitauit enim fratrem regno pellere. Quod ille præſentiens Remum non modo regno priuauit, ſed vita. Fernandus vero fratre occiſo & fugato motus pietate ſuis iuſſit, ne fugientes læderent, corpuſq; Garſiæ honorifice ad monaſterium de Anaioro quod ipſe conſtruxerat deportari fecit. Sæpe enim proſperitas hominis cauſas inuidendi reprobis occaſionaliter tribuit, ſibiq; tandem in perniciem vertitur. Sic Iſaac cum eſſet locupletatus, patiebatur inuidias ſimul & inſidias à Palæſtinis. Sic & fratres Ioſeph inuidebant ei, quod proſpera ei ſuccederent. *Inuidia malũ.* Non enim propinquis inuidia parcit. Nam & Maria atq; Aaron Moyſi fratri ſuo inuidebant, quod dux à Deo conſtitutus eſſet. Regno præſertim inuidia innata eſt, cuius dignitati multi inuident, plures etiam concupiſcunt. quo fit vt plerunq; fratres regnantes non libenter fuerint ante oculos fratrũ ſuorum. Hic igitur Garſias iuſte pœnas inuidiæ luit, & iniquitas, quam fratri inferre cogitauit, in ſe reuerſa eſt, vt puniatur in quo delinquit. Sic Saul cogitauit capere Dauid, & ipſe in manus eius incidit. Sic & Amaſan cogitauit occidere Ioab, qui eadem fraude eum percuſſit. nam quaſi oſculari eum vellet, gladio effudit inteſtina illius. Hic igitur Fernandus fratre mortuo, regnum fratris obtinuit, & factus eſt monarcha Hiſpanię vlterioris, ſcilicet Caſtellæ & Legionis, rurſus Galleciæ in qua Portugalia, & Aſturiatum. Terra autem Nauarræ inter Iberum & Pyrenæos montes manſit Santio regis Garſiæ filio, qui poſtea occiſus eſt. Aragonia vero cum Ripagorcia Ramiro fuit aſſignata. Hic Fernandus contra Sarracenos qui partem Luſitaniæ occupabãt, perſonaliter accedit, & multas ciuitates ac oppida fidei lucro dedit. Tandem Fernandus ipſe, ne filii ſuper regnis poſt mortem contenderent, dum viueret, regna diuiſit. Nam primogenito Santio Caſtellam contulit, Alfonſo Legionem, Aſturias, & Transmeram: filiabus vero Vrracæ & Eluiræ contulit Zamoram & Taurũ, Alfonſo fratre id petente. Garſiæ vero totam Galleciam aſſignauit cum ea parte, quæ dicitur Portugalia. Hic multas eccleſias & pia loca conſtruxit & dotauit. Huic Arabes Celtiberiæ & Carpetaniæ tributa ſoluebant. Et inſtante die mortis ſuæ, quem ſibi reuelauit beatus Iſidorus, feliciter obiit. Vir certe fuit cuiuis regum externorum comparandus, non ſolum fortuna ei alludente, ſed magnitudine animi, pietate, religione, ac ſobolis felicitate. *Encomiũ Garſiæ.* Sepultus eſt in eccleſia ſancti Iſidori apud Legionẽ, quã ipſe conſtruxerat.

De ſtrenuitate & nobilitate Roderici Cidi dicti Campiatoris, & de præclaris geſtis ſuis, & quomodo recuperauit Valentiam. CAP. XXVII.

CÆTERVM quia (vt diximus) tempore huius Fernandi floruit æternis victoriis Rodericus de Biuar cognomento Cidus Campiator, exigunt eius ingentia merita, vt pau-

cula ex multis in medium afferamus de eius strenuitate ac innumeris virtutibus, rursus de excellentissimis eius victoriis, quæ totum pene orbem repierunt. Duxit itaque originem Rodericus Cidus ex illustribus & antiquis Comitibus Castellæ, signanter à clarissimo viro Layno Caluo, qui vna cum Nunio Rasura longo tempore per se suosque successores iudicauit Castellam. nam prædictus Laynus genuit Fernandum Layni, à quo genitus est Laynus Fernandi, qui genuit Nunium Layni, à quo genitus Laynus Nunii, à quo genitus est Didacus Layni, qui ex vxore sua Teresia Nunii, quæ neptis erat ex concubina Regis Legionis genuit illustrem bellatorem Rodericum prædictum, qui fuit pater Eluiræ reginæ Nauarræ, ex qua natus est Garsias Rex Nauarræ, pater dominæ Blanchæ, quæ fuit regina Castellæ, vxor Santii regis dicti Desiderati. ex quo matrimonio genitus est Rex Alfonsus VIII. Ex qua breui genealogia aperte conspicitur excellentissima Roderici Cidi generis claritudo. Verum magnifica ac inclyta eius gesta tam excellentia & sempiterna sunt, vt ea magnus non caperet liber: succincte tamen quædam paucula summatim tangemus. Fuit Rodericus creatus miles per prædictum Fernandum regẽ Legionis, ea præsertim die qua Colimbriam à Mauris recuperauit. Præfatus igitur rex cum cognosceret strenuitatem, prudentiam & virtutes Roderici, sciens quod scriptum est per Sapientem, „ Quia legatus fidelis, sanitas, & ipse est protectio fortis: & iterum, Sicut frigus niuis in die „ messis, sic homo fidelis ei qui misit eum: decreuit committere Roderico gubernationem „ Burgensis ciuitatis & Castellæ. Cum igitur quinque reges Sarracenorum terras Christianorum ei commissas hostiliter ac valida manu ingressi forent, Rodericus multitudine Maurorum non perterritus cum quadam animi latitudine & strenuitate eos insequitur in Domino confisus, qui (vt ait Iob) prout ei placet, dat fidelibus suis victoriam. Tandem eosdem reges Maurorum & eorum copias gloriose deuicit, atque plurimos captiuauit. Deinde superauit simul & interfecit fortissimum militem Martinum Gomecii, qui Calaguram nomine Regis Aragonum occupabat, & ciuitatem ipsam regi Fernando subiecit. Præterea his victoriis non contentus, cæcidit maximum exercitum Arabum prope oppidum sancti Stephani de Gormas, qui magna spolia de terris Christianorum deportabant. Demum vero cum rex Alfonsus VI. eundem Rodericum ad Regem Sibiliæ vassallum mitteret, vt solitum tributum reciperet, euenit vt Roderico moram apud Sibiliam trahente, rex Granatæ plurimis nobilibus Christianis sociatus, qui erant ab Hispania exules, durissimum bellum contra regem Sibiliæ prædictum ageret. Rodericus itaque ad defensionem Regis Sibiliæ vassalli regis Alfonsi viriliter accessit, tandem regem Granatæ & prædictos nobiles prostrauit, & plurimos captiuauit. Rursus maxima vi & arte castrum fortissimum de Alcozer à Mauris cepit, & parum post, duos reges Sarracenorum eundem Rodericum in dicto castro obsidentes mirifice deuicit, & ingentia spolia reportauit. Post prædicta bellum campestre tribus vicibus gessit cum Raymundo Comite Barcinonæ, & regem Denie & toties eum deuicit, & postremo captiuauit, quem tandem liberaliter relaxauit. Denique Petrum regem Aragonum in campo collatis vtrinque signis strenuissime deuicit atque cepit, quem cum multis nobilibus domus suæ magnifice liberauit. Post has præclaras victorias & plurima alia quæ enarrare operosum foret, cepit sibiq; subiugauit inclytam ciuitatẽ Valentiæ. contra quẽ rex de Marruecos dictus Vnes potentissimam ex Africa classem parauit, & tandẽ obsedit Valentiam quinquaginta millibus equitum & centũ millibus peditũ. Rodericus vero Cidus non expectata longa obsidione ei animose occurrit, commissoq; durissimo bello, demũ vt Deo placuit, victi sunt Arabes, magna eorũ parte cæsa & captiuata. Rex vero Vnes percussus sese & quos adunare potuit, ad classẽ recipientes patriam infeliciter petierunt: ipse vero rex ex vulneribus post paucos dies vitam mœstus finiuit, iniungens Buchar potentissimo fratri suo, vt tantæ iniuriæ non immemor quantocyus eam vindicaret. Buchar igitur adunata sua potentia Valentiam petit. Tantæ itaq; erant Arabum copiæ, vt (teste Giliberto, qui Africanam historiam contexuit) in castris Regis Buchar magna tentoria quinque millia reperiebantur præter papiliones innumeros. Cum igitur exercitus Roderici innumeram Maurorum multitudinem expauesceret, Rodericus ad suos ait: Sinite timere. armorum enim varietas, non militum strenuitas est, quam conspicitis, adducẽs illud Titi Quintii cõsulis Romani, qui cum videret milites suos ex aduentu exercitus Regis Antiochi in Peloponnesum non parum pauidos, ad eos valde probe & facete ait: Cum Chalcide apud hospitem cœnarem, mirarerque multitudinem carnium, hospes ad me inquit, eas omnes porcinas esse, sed condimentis atque apparatibus differre. Proinde ait, nec vos admiremini Antiochi copias. nam sagittarii astuti, equites, ac pedites, Syri sunt, quos sępe vicistis, nunc tamen solis armis sunt differentes. Qua spe confortati hostem vicerunt. His igitur dictis contra hostes Rodericus

Cidus

Roderici Cidi prosapia.

Valentia obsidetur.

Cidus viriliter occurrit. vbi acerrime pugnatũ eſt, nec ſine ancipiti fortunæ varietate. Nam Sarraceni de multitudine confidentes, ac priorem cladem mœſtiſſimis animis recolentes, in Chriſtianos primos impetus plus quam viriles dederunt. Sed diuino auxilio noſtris opem ferente, in progreſſu prælii imbecilles animos & minus quam fœmineos habuiſſe rerum euentus demonſtrauit. Nam in eodem bello Sarraceni victi & proſtrati ſunt. Habent enim illius temporis annalia vltra triginta millia in bello occubuiſſe, præter captiuos & eos qui in mari ſubmerſi ſunt. Ipſeque Buchar illorum Rex victus & fugatus infelix euaſit. Quem cum ſui improperarent, quod non à Rege, ſed à priuato homine eſſet victus, Sinite, inquit, talia loqui, non dignitas, ſed ſtrenuitas victoriam comparat. Et addit, Quid enim mirum ſi vnum Regem vicerit, qui plures eadem die ſuperare ſolet, nec mihi (inquit) pudori eſt ab eo vinci, qui meliorem me fratrem deuicit. nam ſi vinci oportet, præeligerem ab Hercule vinci, quam cum Sardanapalo vincere. Imitatus es in his verbis Buchar Darium, qui (vt ait Quintus Curtius) gratum ſibi eſſe aſſeruit, ſi Alexandrum vincere non poſſet, nec ſibi dedecori putauit, quod à tali clariſſimo duce vinceretur. Rodericus igitur deuictis hoſtibus ex eo bello ditiſſima ſpolia aſſecutus eſt, de quibus magnas oblationes eccleſiis & piis locis deuotiſſime obtulit. Nec in vita hic glorioſus dux Arabes deuicit, ſed mortuus, vt eius habent annalia. Ex huius Roderici nobili ſtirpe procedit nobilis domus de Mandoza, vt hiſtoriæ ferunt. Hic certe Rodericus Cidus nunquã reperitur ſuperatus, ſed ſemper victor euaſit, non impar Iulio Cæſari, qui (vt aiunt) ſignis collatis quinquagies dimicauit, & Marco Marcello, qui triginta noue vicibus fuit prȩliatus, & toties victoria potitus. Quibus hic Rodericus in bellando par fuit, in victoria tanto glorioſior, quanto illi non pro religione, ſed pro caduco imperio dimicarunt: hic vero nõ pro terreno incremento, ſed fidei catholicæ augmento conflixit. Fuit Rodericus tantæ *Roderici clementia.* bonitatis, vt quos armis ſubegit, clementia magis vicerit. Sed vt paucis agamus, quãtȩ excellentiȩ & virtutis prædictus Rodericus Cidus fuit, inter cætera ex honore ei à Rege Alfonſo ſexto, filio huius Fernandi, præſtito facile cognoſcitur. Rodericus enim ex Valẽtia diſcedens nongentis electis militib. ſociatus, ad curiã Alfonſi Regis apud Toletũ acceſſit, iuſtitiã petiturus contra Infantes Carrionis propter iniurias factas vxoribus ſuis, filiabus eiuſdem Roderici. Alfonſus igitur cognito aduẽtu Cidi, obuiam exiuit ei honorifice. Cui vt vberiorem exhiberet honorem, leuius ſemper cum eo per totam viam & vrbem inceſſit, eumque vſque ad eius hoſpitium ſociauit. Cumque ſequenti die Rodericus Regem in ſuo palatio viſitaſſet, quæreretq; à Rege quonam in loco ſe & ſuos ſedere volebat: ad quẽ Rex non tam vrbane quã prudenter, Tam ingentia, inquit, ſunt merita veſtra, vt in nullo alio loco niſi mecum vobis ſedere conueniat. Nam merito ſedere debet apud Reges, qui ſolet vincere Reges. Decernimus igitur ſedem veſtram cõtiguam impoſterũ ſedi Regiȩ, immediatamq; eſſe debere. Longe certe arbitratu noſtro Rex Alfonſus moderatior prudentiorque fuit quam Actius poeta, quem Maximus Valerius commendare nititur, qui Iulio Cæſari ampliſſimo ac florentiſſimo Imperatori in collegium poetarum venienti nõ aſſurrexit, quaſi in comparatione ſtudiorum aliquãto inferior eſſet Cæſaris maieſtas. Sed niſi fallor iſtius humanitas & illius petulantia facile ex eo cõſpicitur, dum iſte regia dignitate inſignitus priuatam virtutem honorauit, ac ille infimæ conditionis vir tantæ maieſtati impudenter non aſſurrexit. *Actius poeta taxatur Iulio Cæſari non aſſurgens.* Huius Fernandi temporibus ſedit in cathedra Petri Romæ Iohannes decimus octauus, & Benedictus octauus. Fuit maximũ ſchiſma in eccleſia Dei, de quo alibi dicemus: in imperio vero ſedebat Henricus ſecundus.

De Santio ſecundo, & de præclaris geſtis ſuis, & de cæteris occurrentibus ſuo tempore, & de eius genealogia.

CAP. XXVIII.

SANTIUS ſecundus, primogenitus Fernandi, vigeſimus ſeptimus Rex fuit à Pelagio primo Rege Hiſpaniæ poſt cladem, & ſexageſimus quartus ab Athanarico primo Rege Gotthorum. Cœpit autem regnare anno Domini milleſimo quinquageſimo ſeptimo, regnauit annis ſex. Hic cum Alfonſo fratre ſuo concertans, regnum Legionis à patre diuiſum vi accepit. Ipſe vero Alfonſus metu fratris Santii ad Regem Toleti Maurũ dictum Habalmone ſe tranſtulit, qui ſolenniter eſt receptus. Eo autem apud Toletum manente Garſias alter frater ſe tranſtulit ad Agarenos regni Cordubæ, quorũ præſidio incepit Portugaliam Regi Fernando ſubiectam infeſtare. Cui occurrit Santius apud Sanctum Anderium. Bello itaq; commiſſo Santius vincitur, & captiuatur ſimul, & Nunius de Lara & Garſias de Cabra, plurimis ex ſuis cæſis. Garſias tamen volens victoriam proſequi San-

tium quatuor suis militibus commisit custodiendū. Interim vero nobilis Aluarus Fannes Minaya qui erat de fidelioribus Santii, recollectis gentibus quas adunare potuit, circuibat vt leo rugiens, quærens dominum suum. Quem vt vidit, ait ad milites custodes Santii, Dimittite Regem vestrum, ô proditores. Tam animose igitur atque strenue cum illis cōseruit, vt eos vicerit, illorumque equos Santio & cęteris captis assignauit, qui omnes reassumptis viribus cæteros Santii milites dispersos congregant. Interim vero nobilis Rodericus Cidus cum trecentis electis militibus applicuit opem laturus Santio. Iterum ergo confligitur, & post multa Garsias victus est pariter & captiuatus. Fuit denique interfectus Infans Santius nutritius & director Garsiæ & plurimi alii. Garsias vtique sciuit vincere, " sed nesciuit victoria vti. Nec enim parum esse debuit vincere, à quo viribus vinci debuit. Sed verum est quia (vt ait Valerius) sæpe victor ab ipsa victoria vincitur. Idq; accidit cum victor immoderate ipsam victoriam ad insolentiam vertit. Vt enim idem Valerius subdit, decet victorem victoriam temperare, & insolentes animositatis impetus cum pietate & ratione ab animo cohibere, quia (vt aiunt) ipsa optatissima victoria moderatione temperari desiderat. Fatemur, vincere egregium est, sed superuincere inuidiosum. Hinc alius ex sapientibus ait, quia victoriam assequi gloriosum est, sed victoriam insequi periculosum. Libuerat enim Regi Garsiæ reliquias ipsas victoriæ non persequi aut humanitatis intuitu, aut quo testes superessent victoriæ suæ. Sed iuste ab ipsis belli fragmentis fractus & superatus est, qui victo quippe & captiuato principali hoste, immo fratre contentus non est. nec enim modo hostem, sed & fratrem persequebatur. Quare hostilem decuit animum deponere, ac aduersam calamitatem fraternis lacrymis deplorare, non " penitus exterminare, memor illius prudentissimi ducis Abner, quem libri Regum com" memorant, qui ait ad Ioab: Nunquid vsque ad internecionem tuus mucro desæuiet? An " ignoras quod periculosa sit desperatio? & subdit, Vsquequo nō dimittis persequi fratrem tuum? Sed iam ad Santium reuertamur, qui potitus vltima victoria, Garsiam captiuum apud Lunam castrum in Asturiis vinculis tradit. Hic Santius terras sororis voluit occupare, & cum Vrracam sororem conclusam apud Zamoram teneret, à quodam Vellido proditore proditorie est interfectus. Proditorem autem ipsum Rodericus Cidus insequens interfecit. Proditor inquam putabat se rem gratam fecisse Vrracæ sorori illius, tamen acerbissime tulit, & vindictę operam dedit, imitata Magnum Alexādrum, qui (teste Quinto Curtio) familiarem proditorem atque interfectorem Darii in vindictam proditionis fratri Darii concessit trucidandum, dicens falli eos qui ab eo proditionis præmium expectarent: imo violatæ fidei neminem acriorem fore vindicem quam seipsum. Santius itaque sic in regna & fratrum dominia ambiens vita caruit atque regnis, parum imitatus Scipionē Africanum, qui adeo Lęlio caritate fraterna coniunctus erat, vt supplex rogaret Senatum, ne prouinciæ sors quæ à fratre suo eripienda erat, ad eum transiret, dicens dignitates fratribus se optare non eripere. Santio itaque sine libris decedente magnates regnorum Alfonsum qui à facie fratris ad Regem Sarracenorum apud Toletum confugerat, per nuntium secretissimum reuocarunt. Tandem Alfonsus præstito iuramento quod Regi Toleti & filio suo amicus esset, liber permissus est ad regna accedere. Qui obtento regno quod perdiderat, atque etiam regnum fratris ac imperii diadema accepit, vt infra dicemus. Huius Santii tempore sedit Romę Victor secundus, qui imperiali fauore factus est Papa, & Stephanus nonus, & Benedictus decimus, & Nicolaus secūdus, & Alexander secundus: in imperio vero sedebat Henricus quartus. Hic fuit filius Henrici tertii, Imperatoris. Hic suscepto imperio secundum Sicardum, patrem suum cepit, ac in vinculis mori fecit. Quare isto Dei iudicio punitus est, quia patrem dehonestauit. Nusquam aut raro legitur tale facinus, nisi de Ioue qui Saturnum patrem captiuauit, & regno spoliauit, si fabulis credimus. Mithridates etiam regnandi gratia contra patrem dimicauit, & Soriaster contra Tigranem patrem Armeniæ regem pugnauit. Decessit enim sine filio. Successit ei Lotharius Dux Saxoniæ.

De Alfonso

De Alfonſo ſexto, qui vigeſimo octauo loco poſt cladem Hiſpaniæ regnauit, & quomodo ab eo Reges Portugaliæ ortum & initium habuerunt, & de vxoribus & prole Alfonſi, & quomodo recuperauit Toletum & alia loca à Mauris, & qualiter eccleſia Toletana ex Meſquita fuit conſecrata, & de his quæ ob eam rem acciderunt, & de præclaris victoriis & virtutibus eius.

Cap. XXIX.

ALFONSVS ſextus, filius Fernandi & frater Santii, vigeſimo octauo loco regnauit poſt cladem, & ſexageſimo quinto poſt Athanaricum primum Regem Gotthorum. Incepit autem regnare anno Domini milleſimo ſexageſimo octauo, regnauit annis quadraginta tribus. Ex hoc deſcenderunt Reges Portugaliæ, vt ſtatim dicemus, & ſupra diximus in prima parte, capite decimo quarto, vbi egimus de origine Regum Portugaliæ & aliorum Regum Hiſpaniæ. Hic igitur Alfonſus filium maſculum non genuit, ſed plures filias reliquit ex ſex vxoribus. Ex prima procreauit Vrracam, ex aliis vero genuit alias filias, ex quarum vna quæ fuit Sarracena filia Regis Sibiliæ, vocata Zaida, ad fidem conuerſa Maria cognominata, genuit Infantem Santium qui in quodam prelio occiſus eſt, vt ſtatim dicemus. Ex quadam vero concubina genuit Theraſiam quæ nupſit Henrico Comiti Lotaringiæ, & dedit eis in dotem partem Gallecíæ quæ nunc Portugalia vocatur: ex quibus deſcendunt Portugaliæ Reges. Nam ille Henricus Comes fuit pater primi Regis Portugaliæ. Hic Alfonſus ſextus Rex Caſtellæ Toletanam vrbem variis vaſtationibus fatigatam poſt longam obſidionem obtinuit modo qui ſequitur. Regnabat enim Alfonſi tempore in Toleto Alemaymon Rex Sarracenorum qui ſingulari fœdere & amicitia Alfonſo vinctus erat, adeo vt Alfonſus ipſe iurauerat eundem Regem & filium ſuum iuuare, & in vita eorum protegere: idque ſibi fideliter obſeruauit. Verum vita functis eodem Alemaymon & filio, Alfonſus ſolutus à fide præſtita duriſſimum bellum geſſit contra eandem vrbem. Tandem neceſſitate famis venerunt Sarraceni in deditionem Alfonſi, eo pacto vt Sarraceni ipſi tanquam ciues & vaſſalli manerent in vrbe, retinerentque domos & agros, rurſus illæſa eis maneret Meſquita maior eiuſdem vrbis: arces vero & cetera omnia ad manus Alfonſi dederunt. Decreuit igitur Alfonſus in eadem vrbe dimittere Reginam vxorem ſuam & Bernardum electum Toletanum, ipſe vero pro occurrentibus rebus ad regnum Legionis ſe tranſtulit. Interim itaque Regina ipſa ſpiritu Dei vigorata, & Bernardus quadam intempeſta nocte multis Chriſtianis ſociatus militibus, Meſquitam Sarracenorum ingrediuntur, quæ expulſis cunctis Machometi ſpurcitiis in eccleſiam ſanctę Marię dedicata, & per Bernardum deuotiſſime conſecrata eſt. altareque erectum, & inibi ſolennia celebrauit Archiepiſcopus. Sarraceni vero ruptis veſtibus, ſimul & internis viſceribus plurimum fuerunt conturbati, & illico lamentabiles querelas per ſuos legatos apud Regem fecerunt. Quare Alfonſus acerrime iratus, & vehementer cōtra Reginam & electum indignatus eſt. Itaque cunctis dimiſſis rebus Toletum celerrimo greſſu petiit. deliberauerat enim & firmo animo fixerat Reginam & Archiepiſcopum publice interficere. Et quia ſciebat plurimos Barones pro Regina & electo fore exoraturos, iurauit Rex præſentibus legatis Sarracenorum nihil facere eorum quæ pro parte Reginæ & Archiepiſcopi ſibi foret petitum. dicebat enim iniuriam nō Sarracenis, ſed eidem Regi fuiſſe factam, aſſerens quia cum omnis Rex non niſi pacto & fide ſubditorum regnet, indigne Rex appellari poteſt qui pacta & fidem ſubditis non ſeruat. Tandem Regina & electus intelligentes Regem tam acriter eſſe commotum, clerum & omnes religioſos proceſſionaliter & Regis filiam inductam cinere & cilicio in medio proceſſionis incedentem præmiſerunt. Quos cum Rex vidiſſet, vt erat deuotiſſimus, deſcendit de equo, vt ſacris ſolitam reuerentiam ageret, & cum filiam conſpexiſſet nulla paterna pietate flexus: Vah, inquit, matrem ſociabis in morte. Iuraui nil agere eorum quæ petitura es. Filia vero quæ iuramentum nouerat, inſtructa quid diceret, Peto, inquit, domine mi Rex, vt Reginam tibi terreno Regi non parentem, ſed cæleſti Regi fidelem ſimul & Archiepiſcopum illico interficias. Tunc Rex obſtupuit, quinimo tam pia ſagacitate deuictus ad filiam ait: Liberaſti, ô filia, à morte matrem, ſed perpetuo maritali carebit conſortio. Nedum enim verba expleuit, & vidit vniuerſos Sarracenos vtriuſque ſexus ſibi obuiam facientes, qui mutato propoſito Regi ſupplicarunt, vt omnino Reginæ & Archiepiſcopo veniam daret, aſſerentes multis retro diebus per certum

vaticinium id ipsum nutu diuino futurum esse. Tũc Rex penitus placatus acquieuit precibus supplicantium, & lætus intrauit ciuitatem. Primo tamen ecclesiam ex Mezquita consecratam deuote visitans, in medio portæ Reginam sacco indutam, & Archiepiscopũ pontificalibus ornatum inuenit. Qui Regi aiunt, „Peccauimus in te, ô Rex, sed oramus cõ„sidera peccati causam, & finem respice. Rursus quia felix est culpa quæ tam insigne tem„plum meruit obtinere, felix paucorũ transgressio qua multorum peccata purgantur. Tũc Rex manus præsulis deosculans, Reginam amplectens, regale palatium petiit. Commendanda est industria filię Regis, qua perniciosum Regis iuramentum in matris beneficium vertit, imitata Anaximenem præceptorem Alexandri. Cum enim (teste Maximo Valerio) ipse præceptor occurrisset Alexandro festinanti ad excidium cuiusdam rebellis vrbis Græciæ, cum primum eum Alexander vidit, timens ne iræ suæ preces opponeret, iurauit non se facturum quod petiisset. Tunc Anaximenes, Obsecro, inquit, vt vrbem diruas. Qua solerti industria ciuitas liberata est. Postquam vero Rex Alfonsus Toletum & adiacentia loca fidei lucro dedisset, mansit aliquandiu apud eandem vrbẽ regiam cum magna nobilium & militum copia. Verum milites eius balneis & deliciis plus solito se dedere, quemadmodum in eadem vrbe Toletana Sarraceni agere soliti erant. Cum igitur quidam Barbari dicti Alarabes ex Africa transissent, vastassentque prouinciam Carthaginensem, exercitus Alfonsi eis occurrit, & peccatis Christiani populi ad Alcazar de Consuegra victi & prostrati sunt, ibique interfectus fuit Santius Infans filius Alfonsi. Occubuerunt etiam septem nobilissimi Comites, à quo tristi euentu locus ille vsque in hodiernum diem vocatus est Septem Comitum. Rex vero filii mortem æquanimiter tolerauit. Verumtamen cum inuestigasset Rex solertissime, curnam milites arma & bellicos labores non satis ferrent, à sapientibus respõsum est causam fore potissimam, quia plus solito milites luxuriæ & balneis vacabant. Iussit igitur Rex vt omnia balnea destruerentur, prohibens libidines ac delicias, quæ militum corpora simul & animos effœminant. Demum induxit hastiludia torneamenta & alia bellica exercitia, qua solertia pristinas vires milites recuperarunt. Imitatus est Rex Alfonsus Scipionem consulem in Hispania, qui (vt ait Valerius, & recitat Augustinus nono de ciuitate Dei) vt fortissimos Numantinorum spiritus contunderet, iussit vt omnia quæ voluptatis causa comparata erant, auferrentur. Quo effectum est, vt duobus millibus scortorum à castris expulsis, sic Romanorum exercitus à tali luxuriæ sentina vacuatus, recreata virtute animosam Numantiam deleuit.

Anaximenes præceptor Alexandri.

De Geloira & Vrraca filiabus Alfonsi, & de prole earum, & quomodo Alfonsus Rex Aragonum duxit vxorem Vrracam, & de eius impudicitia, & qualiter vterque coniunx propter irreuerentiam Ecclesiæ pessima morte obierunt, & quomodo Aragonenses quendam à se in regem electum regno priuarunt, & Ramirum monachum in Regem erexerunt.

Cap. XXX.

CÆTERVM Alfonsus cernens se filiis masculis orbatum, auiditate procreandi filios futuros regni successores quandam nobilem duxit concubinam dictam Ximenam Nunens, ex qua genuit Alfonsum Iordanis, sic appellatum, quia in flumine Iordanis fuit baptizatus. Nam ipsa cum Comite prædicto viro suo in Syriam transfretauit tempore illius maximi pasagii, in quo Raymundo Comite & Duce Ierusalem, Tripolis & Antiochia lucro fidei accreuerunt. Hic igitur Alfonsus de quo agimus, Hispaniarum decus & lumẽ fuit, dextera eius præsidium patriæ, vt Macedonum Alexander, vt Epirotarum Pyrrhus, vt Hebræorum Moyses, Iosua, & Gedeon, vt deniq; illius antiquæ Hispaniæ Viriatus, qui tot cladibus Romanos afflixit, & nouissime vt Rodericus Cidus Campiator, ac Fernandus tertius, de quo in suo loco dicetur. Plurimas denique alias virtutes Alfonsi narrat Rodericus Archiepiscopus in sua historia. Tempore huius Alfonsi Rodericus Cidus Valentiam acquisiuit, de cuius victoriis & clarissimis gestis diximus supra sub Fernando primo patre huius Alfonsi. Hic autem Alfonsus iam in senio constitutus cum filios nõ haberet masculos, filiam eius Vrracam viduam, quam ex Regina Constãtia genuerat, & quam Raymũdo Comiti Barcinonæ vxorem dederat, mortuo Comite qui filiũ Alfonsum reliquit, Alfonso Regi Aragonum matrimonio copulauit. Ex quo nullum filium suscepit, immo plurimũ cum ea discors fuit, pro eo quia (vt dicitur) inhonestam vitam ducebat. quam rem tarde intellexit Rex. Palam enim de eius impudicitia dịcebatur, ipse tamen ignora-

ignorabat, quia (teste Seneca) nouissimi incommoda domus nostræ didicimus. Nec aliter de Metella vxore Syllæ narrat Hieronymus, cuius tam nota erat impudicitia, vt Athenis cantaretur quod Sylla ignorabat. Quinimo secreta pudenda domus suæ non aliter quam hostium conuicio didicit. Nec aliter accidit Gneo Pompeio victori vrbis, qui impudicissimam vxorem sortitus est. Ferunt historiæ quosdam familiares Alfonsi ei suasisse, vt Vrracam vxorem tantopere impudicam repudiaret. Ad quos ille probe & facete ait illud Marci Antonini Cæsaris. Cum enim vxorem de adulterio suspectam haberet, suaderentque plurimi vt eam repudio daret, ille dixisse fertur: Si vxorem dimittimus, reddamus & dotem. Dos autem erat imperium. Alfonsus igitur post multa præclara opera ad Dei cultum & ad fidei defensionem gesta obiit morte communi, & apud monasterium sancti Facundi vna cum Zaida alias dicta Maria sepultus est. Fertur enim eum ante recepisse habitum monachalem, ficte tamen ob fratris sui Santii timorem. Hic magnus ædificator fuit ecclesiarum. Reparauit enim ecclesiam Toletanam, instituit Burgensem, vtramque mirifice dotauit. Post mortem vero Alfonsi sexti, prædicti Regis Castellæ Alfonsus Rex Aragonum in regnis Castellæ & Legionis tentauit regnare propter vxorem, & fuit nõ parua discordia, aliis fauentibus Regi Aragonum, aliis præsidia ferentibus Alfonso filio Vrracæ. Tandem post plurima dissidia & bella obtinuit Alfonsus filius Comitis & Vrracæ. Ferunt Hispanorum annalia hanc Vrracam irreuerentẽ fuisse ecclesiis & piis locis, sæpe sacra templa spoliando & ecclesiæ ministros vituperando & capiendo. Quare iustissime acerrimas suorum sacrilegiorum pœnas soluit. Cum enim bellum gereret contra Alfonsum Imperatorem filium suum, ingressa est monasterium sancti Isidori Legionensis, atq; à monachis importune petebat pecunias. Cum vero illi dicerent se non habere, iussit militibus vt ecclesiam spoliarent ornamentis & calicibus. Illi non sunt ausi. Quare ipsa indignata templum cunctis iocalibus spoliauit. Cum vero egrederetur limen ianuæ, media crepuit cunctis videntibus, & iudicia Dei laudatibus. Nec dissimili morte interiit Alfonsus Rex Aragonum, maritus Vrracæ. Fertur enim multa sacrilegia perpetrasse, ecclesias spoliasse, & ob eam rem creditur diuino iudicio punitum esse. Nam vltimo bello quod contra Sarracenos apud Fragã conseruit, occisus est, & (vt ait Rodericus Toletanus) nulla eius vestigia reperta sunt. Eodem Alfonso Rege Aragonum sic interfecto (vt ait Lucas Tudensis) nonnulli proceres & Barones regni Aragoniæ decreuerunt eligere quendam nobilem appellatum Petrum Tares, multorum iudicio probum. Qui vt se vidit in regio throno, se supra se extulit. Incepit enim despicere nobiles regni, & leges ac consuetudines patrias abrogare. Cum igitur pro more regni curiæ generales tenerentur, essentque Barones & nobiles vocati, plurimi Aragonenses & Nauarri qui primo venerant, non exierunt, vt est moris, Regi nouo obuiam, nisi solus vnus miles vocatus Petrus Tizon: cæteri vero petierunt Regis palatium, vt viderent an aliquod curialitatis signum Rex eis ageret. Ille vero indignatus iussit portas palatii sibi claudi. Barones vero & nobiles sequẽti die curias sine Rege celebrarunt, atq; inprimis Petrum Tares titulo & regno pellere decreuerunt, quia cum in honore esset, non intellexit. Sed verum est illud Aristotelis, quia magistratus virum ostendit. Non parum periculi est, priuatos homines in magnis magistratibus non expertos subito ad regale fastigium sublimare. Nam (teste philosopho) nuper ditati & exaltati nesciunt ferre magnas fortunas. Quinimo vt plurimum sunt despectiui. dedignantur enim amicos priores, notos ignorãt, histriones honorant, comites contemnũt, grandia loquuntur, sublimia meditantur, rationi subesse non patiuntur, præesse moliuntur, sunt denique subditis onerosi, omnibus infesti. Quare (vt inquit Seneca) talibus repente exaltatis facilius est potentiam amittere quam acquirere. Expulso igitur Petro Tares, regnicolæ Aragoniæ communi consensu reuocarunt à monasterio Ramirum monachum presbyterum, filium legitimum Santii Regis Aragonum & fratrem Alfonsi sine filiis præmortui, cui dederunt nobilem vxorem, videlicet filiam Raymundi Comitis Pictauiensis, obtentaque dispensatione apostolica genuit vnicam filiam. Sed non putamus alienum à proposito fore, breui differere quid interim Ramiro & nobilibus suis acciderit. Narrant enim Hispanorum annalia Ramirum fuisse probum virum, & penitus diuinæ contemplationi deditum, sed valde simplicem, agibilium inexpertum. Contigit autem vt necessarium bellum contra Sarracenos confereret. Ille vero armorum & equitandi vsu expers equum ascendit. Nobiles vero scutum in manu eius læua posuerunt, & lanceam in dextera. Rursus dixerunt ei, vt bridam siue frænum caperet. Ille vero, Ponite, inquit, in ore, quia vtraque manus occupata est: & ita actum est. Tandem Sarracenos viriliter aggreditur & eos strenue deuicit. Nihilominus nonnulli Barones de huiusmodi actu & cæteris simplicitatibus tam assiduo & irreuerenter

Nuper ditatorũ & exaltatorũ mores.

irridebant, vt Ramirus ferre æquo animo non posset. Quare deposita monachali simplicitate animum induit plus quam militarem. Nam vndecim nobiles ad se apud Oscam vocatos gladio ferire fecit, & ad superstites ait in vulgari Hispanico: *Non sabe la volpeia con quien trobeia*, quod est dicere, Nescit vulpecula cum quo ludit. Quo terribili exemplo cæteri perterriti nedum ab irrisione cessarunt, sed ei insidias parabāt. Ramirus vero se & regnum Alfonso VII. Regi Castellæ dicto Imperatori recommisit, quousq; filia eius fuit nubilis. Quam accepit vxorem Raymundus Comes Barcinonæ, qui postea fuit Rex Aragonum & Comes Barcinonæ. Deinde dictus Ramirus donauit eidem Regi Castellæ Soriā cum districtu, quæ ante ad regnum Aragoniæ pertinebat. Cunctis igitur pacatis Ramirus rediit ad monasterium, vbi cælibem vitam egit. Barones ergo ac nobiles Aragoniæ quo pacto non incusem Regem irridentes, non facile inuenio. Scio scriptum esse, Non irridebis homines in amaritudine animi sui. Vnde de Regibus videtur dictum illud Iesaiæ: Illudam illusores eorum. Et iterum: Abominatio domini omnis illusor. Et rursus Sapiens: Irridentes erunt deridentes sine honore. Denique scio, iuuenes irridentes Helisæum vrsi lacerarunt. Sed & viri Sadoch irriserunt principem Gedeonem, sed luerunt pœnas. Iezabel quoque irrisit Achab qui pessima morte obiit. Verumtamen quomodo Regem à tanta crudelitate excusem ignoro, præsertim in monachali innocentia nutritum, qui sæpe illud Senecæ legerat: Nōdum felix es, si te turba non deriserit: si vis beatus esse, cogita hoc primum contemnere contemni. Et iterum idem Seneca, Ad honesta vadenti contemnendus est ipse contemtus. Et Cicero, Nemo contemni timet, nisi qui se contemnendum arbitratur. Hoc tempore sedit Romæ Gregorius VII. & Victor III. & Vrbanus II. in sede vero imperii Henricus V. filius Friderici primi. Hic fuit coronatus à Celestino mortuus est in Sicilia. Quo mortuo orta est dissensio in imperio, quibusdam eligentibus Othonem filium ducis Saxoniæ, aliis vero Philippum fratrem quondam Henrici Imperatoris.

De Alfonso VII. *intitulato Imperatore, qui vigesimo nono loco post cladem regnauit, & quomodo regna iterum diuisit, & de clarissimis gestis suis.*

CAP. XXXI.

ALFONSVS VII. prædictus nepos Alfonsi ex filia, intitulatus Imperator Hispaniarum, vigesimus nonus Rex fuit à Pelagio primo Rege post Hispaniæ excidium, & LXXVI. post Athamaricum primum Regem Gotthorum. Incepit regnare anno Domini M.CVIII. regnauit annis LI. Hic diuisit iterum regna. Nam in regno Castellæ instituit primogenitum Santium in regno Legionis Fernandum secundo natum. Diuisio siue partitio regni etsi plerumque fiat ex voluntate Dei aut vindicantis, aut præsentia dissidia tollētis (vt inquit Augustinus) simpliciter tamen regnorum diuisio minime ad perpetuitatem regni cedere compertum est. Regnum quidem (teste philosopho) non nisi vnitate firmatur. Hinc pro benedictione singulari Deus in vno principatu vnicum principem cōstituit, dicente scriptura per prophetam: Adducam vos de medio nationum in gentem vnam, & Rex vnus erit omnibus imperans. Quemadmodum pro maledictione datum est, vt regnum diuidatur, quia (vt ait Sapiens) propter peccata populi multi principes eius. Sic propter scelera Salomonis & filii Ieroboam eius regnum diuisum est. Fatemur tamen, quia nonnūquam ad vitanda inter fratres intestina dissidia, expedit regna inter eos partiri, idq; plurimi imperatores fecere, vt supra diximus. Quæ siquidem regnorum partitio etsi discordiis protunc occurrentibus prouidere videatur, maiores tamen timentur inquietudines. Adde, quia facilius partes diuisæ ab hostibus inuaduntur, quam totum in vnitate roboratum. Hic igitur Alfonsus regna diuisit. In qua re dum filiis præsentibus prouidit, futura scandala non vitauit, quousque regna iterum vnita fuere, vt inferius tāgemus. Hic fuit vir bonus, strenuus, & mansuetus, multa castra & oppida à Mauris, signanter Calatrauam cum adiacentibus, suæ ditioni subiecit. Huius Alfonsi tempore, mortuo Alfonso Rege Aragonum, & substituto ei Ramiro monacho fratre suo, Alfonsus Rex Hispaniarum cœpit Aragoniam infestare & ciuitates ac castra citra Iberum occupauit. Tandem in concordiam redierunt, vt Rex Aragonum prædictam patriam in feudo teneret à Rege Hispaniarum, essetque ei pro dictis locis vassallus: quod fideliter obseruauit vsque ad obsidionem Conchæ, in qua fertur Alfonso regi Aragonum homagium remisisse. Hic se Imperatorem Hispaniarum appellauit. nan principatum tenebat à mari oceano vsque ad mare mediterraneum. Sortitus est Alfonsus duas vxores, Berengariam atque

Vrracam.

Vrracam. Ex Berengaria genuit Santium & Fernandum, Elisabet & Beatricem. Hæc itaq; Beatrix nupsit Ludouico Regi Franciæ. Fuit hic Rex Alfonsus gloriosus & virtuosus, magnas prouincias & vrbes fidei lucro adiecit, vsque adeo vt Sarraceni ei seruirent in tributo, & ad curias suas, vt subditi, venire cogerentur. Huius tempore Ludouicus septimus Rex Franciæ gener Alfonsi decreuit visitare limina sancti Iacobi, denique voluit Alfonsi soceri curiam accersiri. Fuerat enim eidem Ludouico falso suggestum, reginam Francorum vxorem suam filiam Alfonsi non esse legitimam. Alfonsus igitur sociatus regi Nauarrorum Ludouicum apud Burgensem ciuitatem solennissime recepit, quem sociauit vsque ad Compostellam, eumq; expleta peregrinatione Toletum conduxit, vbi Rex curias generales indixerat. Interfuit in eisdem curiis Raymūdus Comes Barcinonæ & plurimi alii principes, fideles pariter & infideles, fuitque tanta inibi adunata nobilitas, vt Rex Franciæ palam dixerit non fuisse in orbe similem regis curiam. Alfonsus vero plurima dona Ludouico & militibus suis contulit. Fuitque abunde certificatus vxorem suam legitimam fore filiam Alfonsi imperatoris. Quare plurimum delectatus rediit incolumis & hilaris in Franciam, quem Rex Nauarræ & Comes Raymundus vsque ad Baionam sociarunt. Hic Alfonsus iustitiæ zelantissimus fuit. Fertur enim patriam regni sui executores quos Alguaziles vocamus non indigem: ibique ministrabatur iustitia. Habent enim gesta huius regis, quendam rusticum Galecum apud Toletum querelas egisse contra vnum potentem militem bona sua inuadentem. Cui Rex Alfonsus breuem literā concessit, iniungens vt illico miles quæ abstulerat, rustico assignaret. Ille vero pro restitutione minas mortis laboratori intulit. Regem itaque rusticus iterum adit, qui commotus finxit se ægrotum, & interim secreto Galleciam petiit celeri gressu, domumque militis obsedit, quem tandem cepit, & prope eius domum suspendit. Quo singulari actu multi perterriti fuere, & ab inuasionibus & rapinis abstinuerunt. Hic Alfonsus Cordubam magno exercitu obsedit. Cui princeps Sarracenus qui eam regebat, de viribus suis diffidens exiuit obuiam, ciuitatis claues offerens. Alfonsus ergo accepta ciuitate eam commisit cuidam Mauro sibi fideli sub homagio. Tandem procedens per maritima Almeriam obtinuit, deinde Baezam, ibique relicto filio suo Santio obiit in via ex ægritudine sub quadam arbore, in monte qui dicitur del Muladar. Hoc tempore sedit in cathedra Petri Innocentius II. & post eius obitum Celestinus II. & Lucius III. quo tempore fuit magnum schisma: in imperio autem fuit Conradus II. & Fridericus primus. Hic Conradus nepos Henrici imperatoris ex sorore benedictionem non habuit.

De Santio III. Desiderato appellato, qui post irruptionem Hispaniæ trigesimo loco regnauit, & de virtutibus & gestis suis.

Cap. XXXII.

SANTIVS III. cognominatus Desideratus, primogenitus Imperatoris Alfonsi, XXX. Rex fuit à Pelagio primo rege post cladem Hispaniæ, & LXVII. post Athanaricum primum regē Gotthorū. Cœpit autē regnare anno Domini M.CLIX. regnauit anno vno. Hic cum intelligeret mortem patris, concito gressu corpus eius duxit Toletū, ibique honorifice sepeliuit. Hic vxorē duxit patre viuente Blancā filiā Garsiæ regis Nauarræ, qui fuit nepos ex filia nobilis Roderici Cidi, ex qua susceperat Alfonsum, qui post eū in cunabulis existēs regnauit in Castella. Hic Rex Santius multis virtutibus pollebat, & clypeus nobilium dicebatur (erat enim humanissimus) nulli fides eius, nulli victus, nulli auxiliū defuit. Imitatus est Simonē Atheniensium ducē, cuius tanta fuit ad suos caritas & beneficētia, vt nullus inopia rei familiaris mœstus esset, multos locupletauit, suoq; sumptu extulit, vt eo mortuo nō tam dux quam omnium pater extinctus videretur. Fernandus autē frater Sātii, cui pater regnū Legionis dimiserat, licet pius & benignus, tamen quorundam prauis consiliis abstulit feuda & castra quibusdam nobilibus, quæ pater eis concesserat. Illi vero regem Santiū Castellæ adierunt, qui congregato exercitu regnum Legionis ingreditur. Fernandus tamen bello captus est, qui tandem fratris arbitrio se commisit. Quem frater conspiciens nudū regalibus vestibus induit, imitatus Pompeiū regem Armeniæ, qui fratrem bello captiuatum genibus flexū iacere nō permisit, sed benignus fratrē recreauit, & diadema quod amiserat, capiti imponere iussit, vitamque simul & regnum contulit, æque pulchrum iudicans & regem vincere & facere. Nec aliter Santius, etsi regno fratris, imo suo potiri potuisset, fratrem sibi conciliauit, quem futurū hæredē in spiritu præsensit. Tādē rebus compositis vnusquisq; in patriā rediit. Rex vero Santius consummatus in breui

Santius Rex clypeus nobilium dictus.

compleuit tempora multa. placita enim erat Deo anima illius. Ideo festinauit eum Dominus adducere de medio iniquitatis. Obiit enim apud Toletum. vocatus est enim Desideratus, quia præmature tam dilectus de terra delectus est. Hoc tempore sedit Romę Lucius III. in imperio prædictus Fridericus primus. Hic dux fuit Sueuorum & nepos Conradi Imperatoris. Hic coronatus fuit ab Adriano Papa. Cum igitur transisset in orientales partes, & fatigatus magno æstu in quodam fluuio natasset, submersus est, vt dicitur in Chronica Sicardi.

De Fernando secundo, qui post cladem Hispaniæ trigesimo primo loco regnauit in Legione, & frater eius Santius in Castella.

Cap. XXXIII.

FERNANDVS II. frater Santii & filius Alphonsi Imperatoris, XXXI. Rex fuit à Pelagio primo Rege post cladem Hispaniæ, & LXIII. post Athanaricum primum Regem Götthorum. Cœpit autem regnare in regno Legionensi anno Domini M. CLIX. regnauit annis triginta vno. Eodem enim tempore Santius in Castella regnauit, & Fernandus in Legione, sed non æquali periodo in regnis perdurarunt. Santius enim vno anno, sed Fernandus triginta vno præfuit. Santius itaque cum recte, pie, & iuste regnauerit, licet paucis annis, longo tamen tempore vixisse censendus est. Nam ætas hominum bene distributa, longa est: si male, breuissima. Diu enim non viuit, qui diu impie viuit, dicente Salamone: Si quid impiorum longæ vitæ fuerit, in nihilum reputabitur. Vnde Seneca, Decipitur qui propter canos & rugas in fronte putat diu vixisse. Hic Fernandus, sicut præmissum est, præmature mortuo Santio Rege Castellæ eius fratre, qui Alphonsum filium anniculum reliquerat (vt quidam aiunt) ad regnum aspirabat, aut (vt alii volunt) nepotem sibi vassallum subiicere tentauit. Sed obstitit explorata ac æternis laudibus illustrata erga Alphonsum nobilium suorum fides, præsertim duorum fratrum Manrici & Nunii Comitum de Lara. Cum enim ipse Alfonsus mortuo Santio patre in cunabulis agens à nobilibus Castellæ iure in Regem electus atque receptus esset, Fernandus, de quo agimus, patruus eius, manu armata regnum Castellæ ingreditur, & magnam eius partẽ occupauit. Persequebatur enim miro odio Manricum & Nunium Comites prædictos, quibus Santius Rex filium commiserat. Ipsi igitur nobiles viri non valentes aliud efficere, homagio pro tunc ab eis præstito assenserunt Regis Fernandi voto, vt Alfonsum tanquam vasallũ sibi traderent alendum. Cum igitur Fernandus oppidum Soriæ peteret, vbi erat puer: & esset coram patruo adductus, cœpit plorare. Cui Fernandus ne ploraret, blandiri cœpit. Tunc Comes Manricus sciens quod scriptũ est, quia in tempore tribulationis fidelis agnoscitur, omni timore deposito ad regem ait: Puer (inquit) lactari cupit, non seruire, nutricis potius mamillis quam patrui oblectamẽtis indiget, longe magis puero opus esset lactantis solatio quam patrui palatio, magis optat lac quam sanguinem, longe magis ei expedit ablactatus vagire quã coactus seruire. Voluisti hodie, o Rex, efficere quod natura non patitur.. Cupis enim vt tibi præstet homagii formã, qui formare verba non didicit. Cupis rursus vt tibi seruire incipiat, qui vix viuere inchoauit. Optas vt tibi homagium dicat, qui quid sit quod petis ignorat. Et vt paucis, sed veris, tua pace agamus, vis vt tibi fiat vasallus, qui dominus iure fore deberet. Fac igitur quod tibi libet. Sed vide an liceat. nos cedemus tempori, non rationi, dum tu respicis pueri ætatem, non tui honestatem. Si igitur placet, puerum ad nutricem adducam quæ eum lactabit, postea iocunde videbit eum Rex. Interim vero quidam miles dictus Petrus Melendi iussu Comitum ascendit equum, & puerum sub mantello absconsum celeri gressu duxit ad oppidum sancti Stephani de Gormaz. Idque cum intimatum esset Regi Fernando qui Alfonsum auide expectabat, nimia ira indignatus est contra Comites. Illi vero quodam rubore perfusi, dixerunt se velle Regem quærere, & ad Fernandum adducere. Comes itaque de Lara paulum cæteros præcedens ad oppidum pergit sancti Stephani, puerumque ad arcem de Atienza attulit, nec putauit ire contra homagium, vt dominum suum aut à morte aut seruitute liberaret. Fernandus ergo rex Nunium diffidauit. Ille vero statim se regi præsentauit, quem Rex toruo oculo conspiciens proditorem appellauit. Sed Nunius patienter tulit, dicens id egisse vt dominum suum liberaret, nec credebat contra regni instituta egisse. Fernandus itaque rem deduxit ad consilium, & à cunctis proceribus iudicatum est, Comites minime contra homagium, quinimo strenue & fideliter egisse. Quo præclaro facinore Rex Santius aut à morte aut à seruitute liberatus est. Manricus igitur & Nunius æterna sunt laude cõmendandi, qui nedum vitam, sed honorem domini sui vitæ propriæ prætulerunt, imitati fi-

tati fideliſſimos illos Ioiadam & Iehoſeba, quos ſcriptura ſacra commemorat, qui abſcõderunt Ioas paruum filium in virtute ſua & in cubiculo ſuo, contra Athaliam & cæteros ſemen regis extinguere molientes. Sic puer Ptolemæus Rex Ægypti, quem pater eius Ptolemæus Romanorum fidei commiſerat, per eorundem Romanorum fidem & probitatem (vt ait Valerius) defenſus eſt contra patruos & Ægyptios regnum illius eripere molientes. Hic Fernandus deuicit in prælio Alfonſum qui primus fuit Rex Portugaliæ. Huius Fernandi temporibus ſedebat Romæ prædictus Lucius III. in imperio vero Fridericus primus, de quo paulo ante diximus. *Lucius III. Papa. Fridericus I. Imp.*

De Alfonſo VIII. *qui poſt cladem Hiſpaniæ trigeſimo ſecundo loco regnauit, & de clariſſima eius prole, & bellis & victoriis ſuo tempore occurrentibus.*

Cap. XXXIIII.

ALFONSVS VIII. cognomento Bonus, filius regis Santii, XXXII. Rex fuit à Pelagio primo Rege Hiſpaniæ poſt cladem, & LXIX. ab Athanarico primo Rege Gotthorum. Incepit autem regnare in regno Caſtellæ anno Domini M.CLX. & regnauit annis LIII. Hic Alfonſus (vt paulo ante prædiximus) patre Santio vita functo inter ipſos vagitus infantiæ regnare cœpit. Nec parum fuit miraculi eum in tanta euaſiſſe innocentia, cui tot pectora nocentia inſidiabantur. Sed nec carebat myſterio illum incolumem poſſe ſeruari, quem tanta ambitio, aut tanta inuidia inuaſerat. Quare futurum videbatur, vt quẽ maxima fides defenderat, maxime ipſe fidem defenderet, & inter multos clariſſimus euaderet, quem clariſſima auſpicia futurum clariſſimum demonſtrarũt. Hic igitur Alfonſus poſt annos ſuæ adoleſcentiæ non ſine conflictu, ſed cum victoria feliciter exactos, duxit vxorem Leonoram filiam Ricardi Regis Angliæ. Ex qua genuit tres filios, ſcilicet Santium, qui obiit in infantia, & Fernandum ſtrenuiſſimum atq; excellentiſſimum principem, qui cum eſſet XXV. annorum apud Maoritum communi morte obiit. Deniq; genuit Henricum qui poſtea regnauit. Genuit rurſus plures filias, videlicet dominam Blancam quæ nupſit regi Franciæ, ex qua genuit ſanctum Ludouicum etiam regem Franciæ. Nec mirum cum ex generoſo ſemine naſcatur in quauis ſpecie optima proles. Fuit igitur ſingularis felicitas huius Alfonſi, tam egregiam claramque obtinuiſſe prolem, quæ ipſum pene orbem excellentiſſimis principibus repleuit. Teſte enim Ariſtotele, multitudo & bonitas prolis magnam felicitatem parentibus affert. pro ſingulari enim munere conceſſit Deus Abrahæ & Iacob, vt viderent filios & filios filiorum ſuorũ, pacem ſuper Iſrael. Adde, quia probitas filiorum plerumque deriuatur à patre, & tranſit in filios, quia ſcriptum eſt: Iuſtitia illius in filios filiorum ſuorum. Et ſicut (teſte Sapiente) « filius inſipiens ignominia patris, ita virtus filiorum gloria & felicitas eſt patris. Nec enim « parua fuit gloria Pauli Q. Mutium & reliquos præclaros habuiſſe filios, qui in eodem genere laudis patrem ne dixerim imitari, ſed excellere viſi ſunt. Sic & Africanus in re militari paternis laudibus addidit. Id ipſum fecerunt Timotheus & tres eius fratres Cononis filii, qui in belli laude doctrinæque & ingenii præſtantia non inferiores patre fuerunt. Ii optimam hæreditatem à patribus receperunt, tales videlicet patres obtinuiſſe. Patres quoque præſtantiſſimum patrimoniũ filiis reliquerunt, cum tales filios genuiſſent. Rurſus quid felicius Metelli Romanorum principis felicitate, ſi prolẽ reſpicimus? quid præclarius filiis, ſi patrem non deſpicimus? Hic enim Metellus conſul, imperator, triumphator, ex vxore pudica quatuor inclytos genuit filios tribus conſulatibus & cenſuris & vna prætura. Gyges denique Lydorum rex adeo prole feliciſſimus fuit, vt Apollinis oraculũ conſulere ſit auſus, an quiſque ſe filiis felicior foret. Iterum Alfonſus genuit dominam Berengariam, quæ fuit vxor Alfonſi regis Legionenſis, ex qua genitus eſt glorioſiſſimus Fernandus rex, qui Hiſpalim, Cordubam, & totam fere Bæticam, & Vandaliam à Mauris obtinuit. Ex eadem rurſus Berengaria genitus eſt Alfonſus qui dictus eſt Infans Molinæ. Item dictus Alfonſus VIII. genuit Vrracam quæ fuit regina Portugaliæ, & Leonoram quæ fuit regina Aragoniæ. Hic Alfonſus à Mauris in prælio deuictus eſt apud locum de Alarcos. *Alfonſus à Mauris in prælio deuictus.* Fuit autem dux Maurorum Miramomelinus, qui proſequens victoriam multa caſtra acquiſiuit, obſeditque arcem de Alarcos, præſertim quia cognouerat nobilem virum Didacum de Haro dominum de Viſcaia poſt prælium in eadem arce receptum eſſe, ſciebatque obſeſſis victualia defeciſſe. Miramomelinus itaque iurauit ſuper Alcoranum, quod ſi Didacus de Haro illico ſibi non aſſignaret caſtrum, omnes gladio feriret. Verum cum apud eundem Miramomelinum exularet nobilis vir Petrus Fernandi de Caſtro, occaſione inimicitiarum cum Nunio & Aluaro Comitibus de Lara, generis eiuſdem Didaci, ſuſcepit idem Petrus Fernandi onus intimandi Didaco votum

regis Sarracenorum. Exposita igitur legatione Didacus necessitate famis compulsus, deliberauit arcem assignare, eo pacto vt omnes secum existentes saluarentur. Quod placuit regi exceptis Comitibus de Lara, qui debebant capti assignari Petro Fernandi inimico eorum. Pacto igitur inito, rogauit Didacus Petrum Fernandi, vt secum duos milites deferret, idemque Petrus iurauit, quod assignato castro Miramomelino, eadem hora omnes existentes in arce liberarentur præter Comites de Lara. Didacus vero mandauit suis, ne castrum redderent post quatuor horas recessus sui. Ille vero assumptis secum eisdem Nunio & Aluaro generis suis exiuit de castro, & infra paucas horas aliud castrum Christianorum securus petiit. Cum itaque Petrus Fernandi lætus admodum esset, putans se habere ad manus Comites de Lara, ac inuenisset eos abiisse cum Didaco, doluit se illusum. Nihilominus seruans quod iurauerat, cunctos qui in arce manserant, illæsos abire fecit, datis per Didacum duodecim obsidibus de assignando castrum, vt statim dicemus. Sic itaque auiditas vindictæ Petri Fernandi optima arte illusa est. Cæterum non aberrabimus ab incepto proposito, si breui inseruerimus quid huius inclyti Alfonsi temporibus eidem nobili Didaco de Haro acciderit. Fuit enim Didacus (vt ferunt Hispanorum annalia) Alfonso regi carus, plurimumque acceptus. nam erat vir strenuus, corporis atque animi viribus pollens. Verumtamen apud semetipsum cunctis fortior videbatur, quinimo bellandi arte, animositate, & fide plurimis se præstare arbitrabatur, vt alter Metellus, quem Salustius in Iugurtha commemorat, qui quamquam gloria & virtute clarissimus, tamen ei erat arrogans atque contemptor animus, quia arrogantia commune nobilitatis malum est. Ea igitur infelicissima die qua rex Alfonsus confligere debebat cum Miramomelino rege Maurorum prope Alarcos, Didacus ipse quatuor problemata publice & arroganter deuouit. Erat primum, nullo periculo dominum suum in bello dimittere: secundum, quod nulla necessitate castra aut arces domini sui hostibus traderet: tertium, quod si vnquam obsides assignaret, illos omnino redimeret: quartum, quod iam conserto prælio, si semel calcaribus equum percuteret contra Sarracenos, nullo discrimine respiceret retro. Sed altissimus Deus cuius est omnis fortitudo & potentia, fregit arro- » gantiam eius, quia scriptum est: Qui se iactat & dilatat, Deo displicet, & iurgia concitat. » Et in Ecclesiastico scribitur: Nec te extollas in cogitatione animæ tuæ, velut taurus, ne forte elidatur virtus tua per stultitiã, & folia tua comedat, & fructus tuos perdat, & relinquaris velut lignũ aridum in eremo. Hinc Augustinus in libro de conflictu vitiorum: De » sine grandia loqui. Frangit Deus omnem arrogantẽ, magniloqui cadunt, inflata crepant, » tumefacta premuntur. Itaq; tantam arrogantiã Didaci de Haro Deus nõ sustinuit, quippe ea die contra prædicta quatuor aut metu, aut infelicitate, vel necessitate agere coactus est. Nam victo exercitu Christianorum, ipse Didacus plurimos Christianos fugere conspiciens, ad arcem de Alarcos aufugit. At cum cerneret victualia deesse, exiens de castro suis militibus sociatus, impetũ in Arabes fecit, vt tãdem euadere posset. Verũ sui eum deseruerunt. Cum itaq; retro respiceret, neminem prope se videns, verecunde satis rediit ad arcem. Rursus eadem die duodecim milites Miramomelino regi Sarracenorum ex pacto obsides assignauit, ipseq; sequẽti die incolumis, sed infelix, euasit, & arcẽ infelicius hostib. cõsignauit. Sic itaq; eadẽ quatuor eadem die nescio an insolẽtius ac impudẽtius fregit ac violauit. Nec defuit qui ei palã iactantiam suam improperaret dicens, O Didace memor esto, quia in quo multa te acturum iactasti, in eo multos offendisti. Iactantia enim (vt inquit noster Quintilianus) audiẽtibus non modo fastidium, sed etiam odium generat. qui enim se iactant hoc facere, tanquam superiores aut fortiores sibi videntur. Quare supra modum cæteros premere & despicere credũtur. Hinc & noster Seneca ait, quia magnanimitas si se supra se extollat, facit virum minantem, inflatum, turgidum, inquietum, cũctis odiosum. Tu ergo, ô Didace, illud Scipionis vtinam animo cogitasses, qui militem tacitum esse debere ad exequendum, ad faciendum potius quam ad dicendum proniorẽ. Tu ergo qua die te verbis ostentasti, ea te operibus defraudasti, & qua die vouisti, ea votũ » fregisti, vt in te illud Sapientis impleatur: Superbia tua extulit te. Et iterum: Est qui hodie » extollitur, & cras decidet. Verba tua te polluerunt, sed hostes non terruerunt, quia (vt » poeta ait)

Militem quid deceat.

Non semper ferit quodcunq; minabitur arcus.

Heri verbis hostes vicisti, à quibus hodie victus euasisti, vt imiteris Damasippum quem Macrobius commemorat, qui cum polliceretur aprum solus interficere, Cicero quæsiuit an ipsum venabulo vel verbis interficere promittebat.

De gloriosa victoria Alphonsi VIII. contra Sarracenos in illo famoso bello de Nauibus Tolosæ, & quomodo crux Christi preciosa visibiliter opem tulit, & de innumera multitudine cæsorum. Inseruntur etiam copiæ interfectorum in antiquis bellis & cæterarum nationum.

Cap. XXXV.

LIBET igitur breui disserere gesta Alfonsi VIII. post infelicem cladem peccatis populi Christiani susceptam apud locum de Alarcos. Postquam idem Alfonsus à Miramomelino rege Sarracenorum sic infeliciter victus fuit, conspiciens peccatis suis id euenisse, compunctus corde multa pietatis opera fecit. fundauit enim atque dotauit monasterium de Holgis, & Hospitale regis apud Burgensem ciuitatem, & alia plurima monasteria monialium. Fernandus itaq; filius eius cum esset ingentis roboris animi, incessabiliter interpellat patrem Alfonsum, vt Miramomelinum regem Maurorum paulo ante victorem aggrederetur. Pater vero cum conspiceret Sarracenos instructos copiis multis, ac in locis saltuosis manere, ad filium ait: Aggrederer, ô fili, hostes libens, si plurimos tibi similes in castris meis conspicerē, & hostium vires expertus nō essem: imitatus Paulum Fuluiū, qui contra Macedones cōsul missus, cum essent hostes in locis inaccessibilibus, hortante eum Nasica optimæ indolis iuuene, vt hostes adorirentur: Facerē, inquit, istud, si tua mihi ætas fuisset, aut tibi mea experiētia. Verū pluries expertus sum non tutū esse, vt recenti infeliciq; clade prostratus aduersus instructam aciem dimicē. Tandē Alfonsus precib. filii atq; sui animi amplitudine roboratus, eundem regē Sarracenorū diffidauit. Interim Rodericum Archiepiscopum Toletanū Romam misit pro cruciata, quam confestim obtinuit. Aduenienti igitur die belli, cōgregato & instructo exercitu, Sarraceni in multitudine confidentes, vt moris habent, clamitabant magnis vocibus, & diuersis sonorum & tubarū strepitibus rigebant, vt nostris timorē, suis vero animū darent. Cum vero Alfonsus suos hostiū potentiam formidare conspiceret, ad eos ait quod Salustius in Catilinaria refert: Semper (inquit) in prælio illis est maximū periculum qui maxime timent. Nobis ergo, ô Christi milites, audacia pro muro, spes pro securitate, gloria pro victoria, iustitia pro certitudine vincendi habeatur. Et subdit: Nec vos conturbent hi hostium clamores. illis enim pauor est in animo, quibus effusa vox est in ore. Imitatus est Alfonsus Magnū Alexandrū, qui (vt Quintus Curtius refert) contra Darium pugnaturus in simili casu ad suos formidātes ait: Quid Barbarorū clamorib. turbamini, qui timoris habent testimonium, non confidentiæ probationē. Nam & canibus infelicioribus mos est, quanto plus defecerint vires, eo magis latratibus indulgere. Expletis igitur his verbis, omnes in domino confortati Sarracenos impetunt. Vtrinq; itaq; pugnatum est acerrime, & non sine varietate fortunæ, eo auxilium ferente, coram quo fortuna ipsa aut nihil est, aut nihil potest. Tandem Arabes mirabili strage fusi & cęsi sunt. Fuit hoc bellū famosum, dictum de Nauibus Tolosæ, ubi crux Christi visibiliter opem tulit. Meruit hic Alfonsus sua ad Christi crucem deuotione & reuerentia, crucis triumphantissimæ auxilio vincere, vt alter Constantinus Constantii filius, qui (vt inquit Cassiodorus) aduersus Maxentiū pugnaturus vidit per somniū signum crucis in cęlo flamineo more rutilare, & angelos assistentes atq; dicentes: In hoc signo vinces Cōstantine. Triumphauit autē Constantinus in signo crucis, vt nec solus vnus de suis in bello mortuus atq; captus fuerit. Quo effectū est, vt crux quę primo apud Romanos suppliciū fuerat, in numismatū figuris sit descripta literis asscribentibus: HOC EST INVINCIBILE SIGNVM DEI VIVI. Fuit itaq; tam gloriosum hoc bellum, sicut vnquam in Hispania accidisse legitur. *Crucis signum.* Cæsa enim fuere circiter cc. millia Arabum. Stupenda clades, inaudita lues, tot interfectorum hominū multitudo, quæ non miseranda, non deflenda, sed cum summis gaudiis referēda, atq; immortali Deo gratulanda est. Quis enim Barbarorum miserebitur, quos cum non lædimus, catholicam fidem euertere, nosq; & nostra diripere, suæq; perfidiæ subiicere conspicimus? *Barbari miseratione indigni.* Tantam itaq; cæsorum stragem, tantamq; occisorum multitudinem, vt eo bello Alfonsus intulit, nulla referunt annalia. Nam etsi clariora bella truculentioresque præliorum cædes recolimus, huic Alfonsi victoriæ non facile comparantur. Vt enim refert Orosius in primo congressu Alexandri cum Dario sexcentum millia Persarum bellantium fuere, quæ non minus arte Alexandri superata, quam virtute Macedonum. vbi magna cædes fuit Persarum. In exercitu vero Alexandri tantum centum viginti equites, & octo pedites defuere. Parum vero post, Darius cum quatuor centum millibus peditum & centum millibus equitum in aciem prodiit, pugnaque committitur, amboq; reges vulnerantur. Tandem Darius fugit, cæsaque sunt octoginta millia peditum, equi-

tum vero decem millia, capta autem quadraginta millia. Et rurſus: Darius ſpe pacis amiſſa, quatuor centum millia peditum & centum millia equitum congregauit, & Alexandro ab Ægypto reuertenti apud Tharſum bello opponit. raroque in vllo prælio, vt in hoc, tantum ſanguinis fuſum eſt, totuſque oriens in poteſtatem Alexandri venit. Quantus autem numerus militum Alexandri ceciderit, non tradunt ſcriptores. Veterum enim mos eſt, ex ea parte quæ vincit, occiſorum numerum non ponere, ne victoriam maculet damna victoris. Denique contra Pyrrhum apud Lucaniam Curius conſul bellum geſſit, vbi octoginta millia peditum, & ſeptuaginta millia equitum regem Pyrrhum habuiſſe ferunt. Ex his triginta ſex millia cæſa referuntur. Rurſus Regulus aduerſus duos Haſdrubales & Amilcarem acerrimum bellum geſſit, vbi triginta millia Romanorũ ceciderunt. Poſtea vero anno ab vrbe condita quingenteſimo ſextodecimo apud Aretium commiſſo prælio, Attilius conſul eſt occiſus, octoginta millibus Romanorum cæſis. Cæterum Sylla Mithridaticum bellum cepit, initoque prælio cum Archelao conflixit, vbi nonaginta millia interfecta referuntur. Parum vero poſt cũ Mithridates adiutoriũ Archelao miſiſſet, ſecũdo prælio quinquaginta millia ex ſuis interfecta ſunt. Itẽ Iulius Cæſar apud Rhodanum Gallos bis vicit, vbi quadraginta millia Gallorum ceciderũt. Sed & Tiberius priuignus Auguſti Germanos bello ſuperauit, vbi centum viginti quatuor millia cæſa & captiuata feruntur. Quod bellum maximũ & formidoloſum quinquaginta legionibus geſtum eſt, nec fere vllum maius bellum poſt Punicum fuit. Poſtremo (vt id Oroſius refert) anno vrbis conditæ octingenteſimo vigeſimo quinto, Veſpaſianus templum Hieroſolymis dirupit, muroſque vrbis ſolo æquat: & ibi ſexcenta millia Iudæorum interfecta Cornelius & Suetonius aſſerunt: Ioſephus vero vndecies centena millia Iudæorum gladio & fame periiſſe, nonaginta vero millia toto orbe diſperſa: de Romanis vero vix viginti quinque equites ceciderunt.

De his quæ acciderunt regi Alfonſo VIII. poſt famoſum bellum Nauium Toloſæ, & de ciuitatibus & locis quæ acquiſiuit, & de ſingulari facinore circa arcem de Zorita, & obitu eius.

Cap. XXXVI.

SVPEREST igitur vt ad Alfonſi præclariſſima facta & eius tempore geſta redeamus. Poſtquam itaque bellum prædictum de Nauibus Toloſæ toto orbe famoſum Alfonſus feliciter expleuit, creuit ad maiora animus. Vt enim inquit Valerius, felicitate obtentæ victoriæ roboratur nobilis animus atque nutritur, vt clariora ſemper aggrediatur, illaque cum laudum cumulo perficiat. Proſequitur igitur victoriã ſibi à Deo miſſam, & poſt multa laborioſa bellica certamina, plurima loca à Sarracenis euicit, lucroque fidei adiecit, præſertim Calatrauã, Alcaram, Concham cum diſtrictu Alarcon, caſtrũ Dominarũ, Vbedam, Baezam, & innumera alia caſtra & oppida quę tẽpore Alfonſi VI. fuerãt à Mauris occupata. Nec putamus alienum à propoſito noſtro, breui referre quoddam, non dixerim præclarum facinus, ſed & dolendum pariter & ridendum exẽplum, quod etſi Alfonſum non parum afflixerit, tamen ſua prudentia & induſtria in eius vtilitatem & gloriam verſum eſt. Rebellauerat contra Alfonſum miles quidam dictus Lupus de Arenis, ſeque in arcẽ famoſam de Zorita incluſit atq; intruſit, ex qua incõmoda plurima finitimis ingerebat. Cupiebat rex quam maxime caſtrum ſimul & militẽ ad manus habere. Idque cum quidam mimus ſiue bufo dictus Dominguellus, facetus, ſed prudens, qui apud Lupum erat, intellexiſſet, regem ipſum arceſſiuit, ſibiq; caſtrum & militem ſe daturum pollicetur. Percunctatus à rege quonam pacto id fieri poſſe cõfidebat, ille, vt erat aſtutus, rẽque diu animo digeſſerat, regi vtilem, ſed funeſtam malitiam aperuit, vt videlicet pateretur, ſe aliquem ex regis militibus in facie citra mortem percutere, ſtatimque ad caſtrum fugeret, vt Lupo Caſtellano nuntiaret quendam ab eo militẽ in regis præſentia pro eo interfectum, quia de eodem Lupo detraheret, proditoremque appellaſſet: qua occaſione grate eum reciperet, & tandem caſtrum ad regis manus deduceret. Annuit rex, ſed non reperiebatur qui ſe percuti à bufone permitteret. Affuit tandem quidam nobilis & grandæuus miles Petrus Didaci. Is vt rex caſtrum obtineret, paſſus eſt ſe à bufone in facie percuti. Expleto igitur concepto facinore, Dominguellus concito greſſu ad arcẽ fugit, Caſtellanoque retulit ob eius honorem in regis conſpectu militem occidiſſe. Quæ res pergrata Lupo fuit, illumque dilectum habuit, & cuſtodibus arcis præpoſuit. Cum igitur captata die Caſtellanus in camera raderetur, oblata opportunitate lancea bufo ſpatulas eius perfodit, & illico interemit, ac per locum ab eo deſtinatum ex arce exiens ad caſtra regis deuenit: cui, Expleui, inquit, quæ promiſi, Lupum proditorem interfeci. Eoque loquente

Lupus de Arenis rebellis.

Dominguelli facinus.

te nepos Castellani ad regem accessit, clauesque arcis donauit. Meruit certe Lupi proditio, vt alia proditione plecteretur, quia scriptum est: Delictum actores insequitur: & dignum fuit, vt ei qui fidem fregit, fides frangeretur ipsa. Sed dum proditio punitur, illius nobilis fidelitas ad cælum vsque extollitur, qui facie se perpetuo vulnere truncari permisit, vt domini statum incolumem redderet. Fuit hic Alfonsus miræ patientiæ & longanimitatis, qui sæpe à subditis conuitia impune ferebat. Aiunt enim annalia Hispaniæ iuuenem quendam non satis moribus ornatum, licet nobilem, præturam ciuitatis Toletanæ ab eo postulasse. Rex vero ætatem & mores illi impedimento fore dicebat. Ad quem iuuenis liberior quã modestior, Et tu, inquit, rex mihi ætatem improperas, qui in cunabulis regnare cœpisti. Demum plures agnosco, qui tecũ pridie pila & alea luserunt, à te præturis & honoribus exaltatos, sed vt puto ideo illos ad dignitates admisisti, quia simul cum eis lusisti: me vero ideo repellis, quia cum rege non lusi. Risit rex facetiam iuuenis, & libertatem in lacessendo, in regem præsertim, qui ludendo atque ridendo proscribere solet. Itaque nulla ira commotus armis & equo iuuenem donauit, imitatus Cæsarem Marcum Antoninum, qui cum quendam adolescentem nõ satis moratum, honorem petentem repelleret, moneretq; vt se bonis artibus muniret, quo postulato honore dignus haberetur, ille libera fronte ad Cæsarem ait: Multos agnoui, ô Cæsar, qui tecum in arena pugnarunt, tecumque gladiatorũ arte vsi sunt, quos prætores & tribunos euexisti. Quod Cæsar patientissime tulit. Post prædicta igitur clarissima Alfonsi gesta & amplissimas victorias ipse gloriosus Alfonsus à domino vocatus, in quodam rure oppidi de Areualo vocato Gutierre munnom grauiter infirmatur, vitamque finiuit & secum Hispaniæ gloriam sepeliuit. Hoc tempore sedit Romæ Vrbanus III. quo etiam tempore ciuitas sancta Ierusalem à Sarracenis occupata est. Hoc etiam tempore Constantinopolis à Frãcis & Venetis capta est. Eo etiam tempore floruit in Hispania sanctus Dominicus institutor ordinis Prædicatorum. Hoc tempore sedit in imperio Henricus VI. & Otho IIII. Hic Otho per industriam Innocentii papæ III. imperium obtinuit, Philippo interfecto. Hunc Othonem tandem Innocentius papa excommunicauit & deposuit, quia contra eius voluntatem ingressus est regnũ Apuliæ, quod conabatur auferre Frederico regi Siciliæ. Principes Alemaniæ Fredericum elegerunt, & Otho schismaticus moritur.

Alfonsi obitus.

Ierusalem à Sarracenis occupata.

De Alfonso IX. qui post destructionem Hispaniæ trigesimo tertio loco regnauit, & quomodo in isto Alfonso iterum regna fuerunt vnita.

Cap. XXXVII.

ALFONSVS IX. filius Fernandi regis Legionis XXXIII. rex fuit à Pelagio primo rege post cladem, & LXX. ab Athanarico primo rege Gotthorũ. Cœpit autẽ regnare anno domini millesimo ducentesimo, regnauit annis XXVIII. Hic ex domina Berengaria filia inclyti Alfonsi VIII. regis Castellæ genuit (vt diximus) excellentissimum regem Fernandum tertium fidei catholicæ propagatorem, qui Hispalim, & totam Vandaliam, & maiorem partem Bæticæ suæ ditioni & lucro fidei subdidit. In quo Fernando fuerunt regna Castellæ & Legionis iterũ vnita, vt apud Romanos mortuo Lepido & Marco Antonio, qui partiti inter se orbem fuerant. Fuit ergo hæc reintegratio regnorum Castellæ & Legionis ad maius firmiusq; principatus stabilimentum & quietudinem ingentem, vt sub eodem Fernando tertio dicemus, quia scriptum est in libris Regum: Vnum virũ quęras, & totus populus erit in pace. Rursus hic Alfonsus IX. genuit etiam Alfonsum dictũ Infantem Molinæ. Tandem Alfonsus rex fœdus iniuit & renouauit cũ nobilissimo Alfonso octauo rege Castellæ olim socero suo, & ab eo plurima castra dono accepit, & plurima dissidia inter vtrumque regnum sedata fuere. Tempore huius Alfonsi noni accidit cuiusdam fidelissimi militis præclarum facinus, non nisi sempiternis laudibus commemorandum, & à cunctis nobilibus arciũ custodibus non modo animo figendum, sed imitãdum. Hic enim Alfonsus ab Vrraca nouerca sua, sorore Didaci de Haro domini de Viscaia, non parum offensus, patre Fernando vita functo, eandem Vrracam etiam sibi nõ satis fidam, simul & Didacum fratrẽ suum à regno expulit, castrumq; famosum de Guiar septem continuis annis obsedit, plurimumq; affligit. Cui Didacus de Haro quendã fidelissimum Castellanum præfecit, videlicet nobilem virum Marcum Guterrii, cuius fides, cõstantia, & animi magnitudo nullis præconiis satis lustrari potest. Cũ enim & longa obsidione non modo homines, sed cũcta victualia deessent, Guterrius Castellanus solus, sed forti animo sociatus in castro permansit. Erantq; ei cibi animalium coria, herbæ demum,

Guterrii Castellani cibus.

ac mures, & cuiusuis generis bestia quam occupare poterat. His igitur cōsumptis, Marcus suspensis ad collum arcis clauibus, inedia fameque consumptus ad portam interiorem turris in medio cardinis fere exanimis prostratus decubit. Sic itaque mansit integra die. Effecit igitur Marcus spiritu & viribus deficiens, quod incolumis patrare solitus erat. Vnde moriens se se in media porta intrantibus obicem opposuit, vt nemo nisi supra eum intraret, cum nullus dum viueret, contra eum ingredi potuerit. Rex vero solitum impetum ad arcem dirigens, neminemque resistentem prospiciens, apponi iussit ad murum scalas. Ascendentes nobilem virum semiuiuum reperiunt, castrum, non se custodientem. Arbitrantes igitur qui ascenderant, Castellanum mortuū, ad regis præsentiam supra humeros detulerunt. Lacrymatus est igitur rex ob viri illius ingentem virtutem, curamque de eo gessit, remediisque adhibitis paululum conualuit. Cum itaque rex ob eius egregia gesta ac pertinacissimam fidem plurima obtulisset, Absit, inquit Marcus, vt à te, ô rex, aliquid capiam, qui gloriam, qui honorem arripuisti meū. Erat mihi sempiterna gloria in arce mori, quam tu vt viuerem abstulisti. ibo si permittis ad dominum meum libens, vt vitam adimat quam tu inuito donasti. Sed quid agam, fidem ei præstitisti quam non nisi morte persoluere poteram. Perpetuas igitur contra te, ô rex, agam querelas, qui ne fidem persoluerem, impedisti. Tandem Marcus à rege dimissus, Didacum eius dominum in Africa exulantem mœstus adiit, à quo gratissime receptus. Cumque rei seriem cognouisset, die vna percelebri cum à multis nobilibus Guterrii fides & constantia ad astra vsque tolleretur, ad eos ait Didacus, Verissimum atq; fidelissimum Guterrium extitisse Castellanum nemo ambigit, verumtamen castrum libenter reciperem meum Marco fiducialiter commissum. Quod insulsum atque sæuum & inhumanum verbum cum Marcus audisset, seque de fide incusatum, nec illam satis domino præstitisse putans, illico curiam regis Legionis petiit, vilissimisque vestibus indutus, prolixam barbam negligentesque deferens capillos, inter canes venatorios se in regis aula recepit, atque cū illis panem angustiæ in terra pluribus sumpsit diebus. Tandem à quibusdam nobilibus notus relatum est regi, Marcum Guterrii inter eius canes vitam agere. Admiratus rex cū eum efflagitasset, cur illud egisset, ille rem gestam apud Didacum dominum suum enarrauit, effusis lacrymis supplicans ne rex ipse pateretur, vt profugus & tanquam proditor per mundum discurreret, eique morem gereret, vt fidem ipse seruaret, castrumq; ei redderet. Cui rex prudentissimus, Libenter, inquit, te ab eo periculo liberabo. Effecit igitur illico castrum vt erat, armis & victualibus munitissimum ei redderetur, illudq; Marcus cum vellet, domino restitueret, ac fidem seruaret. Marcus itaque lætus arcem plene possidens ad Didacum scripsit, vt veniret castrum suum recepturus, petens vt fidem homagiumque remitteret. Cui Didacus fidem viri admirans rescripsit, vt arcem regi Legionis traderet, eumque nihilominus à fidelitate & homagio liberans. Consecranda certe & perpetuo illustranda est illius immortalis viri fides, quam non aliter arbitratus est se plene domino soluere potuisse, nisi vt castrum redderet, aut vitā, nec à fide se verbis, sed facto, non fame, sed morte liberatum credidit. Sed nec minus liberalissimi atq; magnificentissimi regis extollenda est liberalitas, quæ vt Marci constantissimi impetus fidē seruaret, optatissimum sibi & à se preciosum iocale, non modo precio numario, sed multorum sanguine comparatum Marco restituit. Hic nobilis Marcus imitatus est claros viros Casilinates, qui cum Hannibalis obsidionem paterentur, alimētorum facultate defecti, lora coriaque necessariis vsibus subducta, atque à scutis detractas pelles feruenti aqua resolutas ederunt, & tali cibo vti sustinuerūt, ne fidei constantiam Romanis pręstitam violarent. Nec aliter quidē Cretensium nobilis animus egit, qui in arce obsessus ad vltimam penuriam compulsus fuit, ac iumentorum vrina sitim correxit, quia dum vinci timuit, id passus est quod victor eos pati cogere non potuisset, vt ait Iulius Frōtinus. Sed de eximia fide & constantia antiquorum in custodiēdis arcibus latius tangimus in libris de Castellanis & bellorum ducibus, quem nuper edidimus. Hoc tempore sedit in cathedra Petri Innocentius III. in imperio præfatus Otho, de quo paulo ante diximus.

Vrina iumētorum bibita.

De Henrico primo, qui post destructionem Hispaniæ trigesimo quarto loco regnauit, & de intempestiua eius morte.

Cap. XXXVIII.

HENRICVS huius nominis primus, filius inclytissimi Alfonsi VIII. regis Castellæ & Leonoræ filiæ Ricardi regis Angliæ, XXIIII. rex fuit à Pelagio primo rege post cladem, & LXXI. ab Athanarico primo rege Gotthorum. Regnare itaque incepit anno domi-

domini millesimo ducētesimo decimo quarto, regnauit annis duobus. Hic cū esset puer XI. annorū, statim mortuo Alfonso VIII. patre suo, in regem assumitur. Matre eius defuncta, regni gubernationem suscepit nobilissima domina Berengaria soror sua. Parum tamen post Aluarus Comes filius Nunii Comitis specialem curam regis pueri suscepit. Hic tempore Alfonsi VIII. patris Fernandi potentia, diuitiis, & fauoribus existens plurimum creuerat. Insolens itaque effectus non parua dissidia seminauit, & contra dominam Berengariam guerram mouit, & tentauit puerum regem filiæ regis Portugaliæ nuptui tradere. Quinimmo Aluarus ipse oblitus fidelitatis, immemor beneficiorū, crudelis in patriam, vnitatis hostis, plurima discrimina regno attulit, & bellum contra regem & matrem Berengariam aperte gessit, quia scriptum est: Homo apostata omni tempore iurgia seminat. Et iterum: Semper iurgia quærit impius, & discordias prouocat. Et rursus Sapiens ait: Homines pestilentes dissipant ciuitatē. Sed verum est, quia (Aristotele teste in IIII. Politicorum) existentes in excessibus fortunæ, potentiæ, aut diuitiarum, subiici " nec volunt, nec sciunt. Quod videre libet in pueris infantili ætate gaudentibus, qui pro- " pter delicias etiam parentibus & doctoribus subiici nesciunt. Quare subdit idem philo- " sophus, quia non contingit bene principari, qui sub principe non fuit, aut bene subiici nō " consueuit. Tentauerat enim Aluarus (vt diximus) Henricum regem puerum filiæ regis Portugaliæ nuptui tradere, regina & magnatibus regni inuictis. Idque de facto obtinuit, & quia se contingebant consanguinitatis gradu, nec ad quietem regni expediebat, ab Innocentio papa III. celebratum est inter eos legitimum diuortium, super quo emanauit illa famosa decretalis: *Etsi necesse de donationibus inter virum & uxorem.* Sæpe vnita coniugia inter sanguinis vinculo coniunctos prauos exitus parturire conspicimus, idque Scriptura sacra nos docet. Ait enim Daniel in altera visionum suarum, se ferrum vidisse mixtum testæ fictili, quæ licet commiscebantur humano semine, non tamen adhærebant, quemadmodum ferrum testæ terreæ commisceri non potest. Quod verbum sacri interpretes de Romano regno exponere visi sunt. Illud enim diuidendum erat in orientale & in occidentale. Vt coniungeretur, facta sunt plurima connubia, vt de Marco Antonio & Cleopatra, sed plurimis aliis libet reperire, qui licet humano semine commiscebantur, non tamen amicitiæ vinculo sibi ipsis adhærebant. Quinimo eo grauiores surgunt inquietudines. Vt igitur ad Henricum redeamus, celebrato diuortio cum moram traheret apud Palentiam, casualiter obiit. Nam eo ludente cum cæteris pueris nobilibus, tegula cecidit, & cerebrum eius illisit. Siquidem minus prouide custoditus cum esset, quidam ex domicellis tegulam ludi gratia proiiciens, regem in capite vulnerauit: ex quo post duos dies spiritum exhalauit. Post cuius obitum plurima disturbia Aluarus Comes procurauit. Sed tandem inclytus Fernandus filius Berengariæ, vt iustum & debitum erat, in regem Castellæ feliciter est assumptus, quem tamen simul & Berengariam Comes Aluarus insequebatur. Postea tamen diuino iudicio idem Comes per milites Berengariæ & regis Fernandi filii sui captus est, & qui multos offenderat, & fidelitatem debitam seruauerat, in offensorum manibus iuste deuenit, carceribusque mancipatur: quos non euasit, nisi plurima castra quæ occupauerat, restituerat. Sic itaque impletum est in eo illud Sapientis: Qui in altum mittit lapidem, cadet super caput eius. Aluarus itaque lapidē scandali misit in altum, vt altum videlicet & eminens sceptrum regis deprimeret: digne igitur cecidit super caput eius. Deus enim in laqueo suo humiliauit eum, quia teste Sapiente, Qui parat alteri scandalum, offendetur in eo. Superbus Aman & dissipator vnitatis, « qui erat secundus à rege, incidit in scandalum quod reginæ & Mardochæo parauerat. Sic « & Camillo consule Faliscos proditionis supplicium luisse comperimus, quod aliis parauerant. Sedit tempore huius Henrici in cathedra Petri Innocentius III. in imperio vero Otho IIII. de quo paulo ante diximus.

De gloriosissimo rege Fernando, qui post cladem Hispaniæ trigesimo quinto loco regnauit in Castella & Legione, & quomodo vtrumque regnum fuit in eius persona vnitum, & de claris eius filiis, & quomodo Bæticam totam recuperauit, & de victoriis & clarissimis eius operibus.

CAP. XXXIX.

FERNANDVS excellentissimus huius nominis III. filius Alfonsi regis Legionis & dominæ Berengariæ, filiæ inclytissimi Alfonsi VIII. regis Castellæ, XXXV. rex fuit à Pelagio primo Hispaniæ post illius cladem, & LXXII. ab Athanarico primo rege Gotthorū. Regnauit annis XXXV. Hic mortuo casualiter (vt præmisimus) Henrico auunculo suo, cœ-

pit regnare in Caſtella anno Domini milleſimo ducenteſimo decimo ſexto, qui viuente Alfonſo rege Legionis patre ſuo regnare incepit in Caſtella. Poſtea vero xvi. anno regni ſui prædictus Alfonſus Fernandi pater deceſſit. cui Fernandus ipſe ſucceſſit in regno Legionis: in regno vero Caſtellæ ſucceſſit ex prædicta domina Berengaria filia primogenita inclytiſſimi VIII. regis Caſtellæ ſine liberis maſculis decedentis. Itaq; regnum Caſtellæ dictæ dominæ Berengariæ naturali optimoque iure debebatur. Sic igitur Fernandus ex patre in regno Legionis, ex matre in Caſtella regnauit, fueruntq; in eius perſonam regna vnita. Quæ vnio & reintegratio monarchiæ Hiſpaniæ facta eſt anno domini milleſimo ducenteſimo trigeſimo ſecundo. Duxit itaque duas vxores ſucceſſiue, Beatricem filiam ducis Brabantiæ electi in Imperatorē Alemaniæ, ex qua genuit Alfonſum x. qui poſt eum regnauit. Genuit deniq; Fredericum & Emanuelem, & Philippum, & Santium, & Henricum. Hic Henricus Fernādi filius longo tempore exulauit, tempore fratris ſui Alfonſi, vt ſub eo dicetur. Defuncta vero Beatrice contraxit cum Iohanna filia Comitis de Pontis, ex qua genuit Ludouicum & Leonorā. Hic Fernādus glorioſus rex fuit, qui proprie Auguſtus dici poteſt, quia plurimū regna auxit. Laudamus Camillum pro eo quod patriæ fines dilatauerit, ſed longe plus Fernādus perpetuis laudibus conſecrādus eſt, qui tantæ virtutis fuit, vt & bona patriæ auxerit, & mala in hoſtes tranſtulerit. Licet enim in eius perſonam regna vnita fuerint, poſtea tamen diuino aſſiſtente auxilio, longe maiora regna & dominia lucro fidei attulit. Vicit enim plurima bella cōtra perfidos Machometos, recuperauit denique Hiſpalim, Cordubam, & partes adiacentes, necnon vniuerſam Vandaliam & Bæticam. Fuit denique Fernandus religioſiſſimus. Nec enim tantum laudandus eſt, quod de nobiliſſima & antiqua regum proſapia originem traxerit, quantas & quot victorias ingentes conſecutus ſit, ſed de hoc inter cætera prædicandus eſt, quod inter fulgura palatii & honorum culmina Deum timuerit, eccleſiam coluerit, & inter regalis ſanguinis & diuitiarum affluentiam, materiam virtutum non deſeruerit, dicēte ſcriptura, Sic protegit ſapientia, quod non protegit pecunia. Hic princeps ſacrificiis & orationibus aſſiduus erat, Alexandrum ſuperans, de quo ait Q. Curtius, quia eo ſacrificāte omnis hominum turba deorū laudibus vacabat, nec ad bella pergebat, quin deos ſuis precibus cōciliaret, rediensq; de caſtris primo templa quam aulam petebat. Rurſus hic Fernandus armis excitatus fuit, laborum bellicorum patientiſſimus, toto fere vitæ ſuæ tempore bellorum contra infideles iuſtiſſimo exercitio vacabat. ſciebat enim quia (vt Cato Cenſorinus & Vegetius de re militari referunt) ars & exercitium ſolēt præſtare victoriā. non enim multitudo militum, non numerus annorum, non ſplendentia auroq; fulta arma triumphum vincendi comparant, ſed bellandi exercitatio & frequens vſus. nutrit enim audaciam cōferendi frequētia, quia eodem Catone teſte, nemo facile metuit quod ſe feciſſe ſæpe confidit. Quare Fernandus ipſe ſuos milites verbis ſapientiſſimis & congreſſibus frequentiſſimis ad armorum exercitium commonebat, inquiens illud ſapientis Vegetii: Quia in pugna amplius ſolet vſus prodeſſe, quam vires. nam ſi doctrina & vſus ceſſat armorum, nihil villanus differt à milite. Rurſus ſemper illud Auguſtini 3. de ciuitate Dei in ore gerebat, quia per annos ſeptingentos & vnum ab Hoſtilio Tullio vſque ad Auguſtum Cæſarem, vna tantum æſtate Romani viſcera ſanguinem non ſudauerunt. Denique fuit Fernandus in ordinandis aciebus prudentiſſimus, in cōgrediendo ſtrenuiſſimus, denique pius, manſuetus, Deo & hominibus carus, humilimus quoque fuit. Quare merito victorioſiſſimus fuit, quia ſcriptum eſt: Vir humilis loquetur victorias. Sæpe enim totius fere Africæ Mauri contra Fernandum transfretauerunt, Hiſpaniam valida manu vaſtantes, quos Fernandus mirabiliter fregit, & contra eos diuina potentia victor euaſit. Hic Fernandus, vt alter Alexander quem Iuſtinus commemorat, tam glorioſus in præliis fuit, vt cum nullo hoſte congreſſus eſt quem non vicerit, nullam vrbem obſedit quam non expugnarit, nullam gentem aggreditur quam non calcauerit. Fertur, in ore eius ille propheticus verſus ſemper reſonabat: Dominus mihi adiutor, & nō timebo, quid faciat mihi homo. Quia igitur in Deo confidit, fugerunt à facie eius inimici illius, & requiem dedit illi Altiſſimus, & liberauit eum à concuſſione & afflictione hoſtium ſuorum, & per eum contriuit dominus baculum impiorum, virgamque inique dominantium confregit, quicquid animo concepit ac agere cœpit, feliciter Deo adiuuante compleuit, dimiſitq; ampliſſimum principatum Alfonſo decimo filio ſuo à mari oceano vſq; ad mediterraneū, & quicquid in illa infeliciſsima clade tēpore regis Roderici vltimi regis Gotthorū Sarraceni occuparūt, Fernādus ipſe poſt multa annorū ſpatia feliciſsime recuperauit. Regē vero Granatę tributariū fecit. nam (vt ait Cuſentinus) omni die mille Morabetinos aureos ei perſoluebat, & ad illius curias venire tenebatur, & vocatus etiam

Triumphi cauſa.

etiam contra Mauros c c c. milites mittere astringebatur. Fuit deniq; hic gloriosus princeps tantæ moderationis & virtutis, vt nunquam nisi iustis ex causis cuiquam bellum indixerit, illud Augusti Octauii semper commemorans, videlicet iactantis esse animi & leuissimi ardore triumphandi & ob lauream, id est folia infructuosa, in discrimen per incertos euentus certaminum, securitatem fidelium ciuium præcipitare. Et iterum aliud Scipionis semper in ore gerebat: Malle se vnum ciuem seruare, quam mille hostes occidere. Hic catholicus Fernandus de tot & tam præclaris victoriis non intumescens, nec de tanta dominiorum amplitudine superbiēs, victorias ipsas Deo altissimo tribuebat, & incrementa fidei ac Christianæ religionis potius quam terrenæ dominationis mente gerebat, atque pro ea fide assiduis periculis se exponebat. De quo verius quam de Pyrrho dici potest, quia non satis erat illi pro salute pugnare, nisi salutem pro fide contemneret. Hic princeps interrogatus, cur longe plus regni fines auxisset, quam multi eius primogenitores, quippe qui recuperauit quæ illi perdiderunt: respondisse fertur verbum suo auctore dignum, & sempiterna commemoratione dignum. Patres (inquit) mei fortassis animo gerebāt principatum terrenum exaltare potius quam fidem plantare, augere sibi populum multum, sed non stabilire diuinum cultum: quare decepti sunt in adinuentionibus suis: itaque ad cælum oculos vertens, Tu Domine qui scis corda & renes hominum, nosti quia non meam, sed tuam gloriam quæro, non tam caducorum regnorum quā fidei tuæ Christianæque religionis augmentum desidero. Deniq; semper illud in ore gerebat, quia non propter eius merita, sed propter infidelitatē hostium omnia prospera ei successissent. Sciebat enim deuotissimus princeps, quia sic Moyses, sic Iosua, sic Dauid vicerūt regna, tunc enim prostrarunt hostes, cum pugnarunt animo tuendi & augendi religionem vnius veri Dei. Sic & Iosaphat rex Iuda dicebat militibus suis: Credite in domino pro quo pugnatis, & securi eritis. Et Nehemias, Deus, inquit, noster pro quo pugnamus, pugnabit pro nobis, & dabit victoriam, nos ipsi faciamus opus. Nihil profecto tantum ad victoriam confert quam recta bellandi intentio in vera iustitia stabilita. Scriptum est enim, Iustus iuuabitur in die periculi sua iustitia. Et iterum, Iustitia eleuat gentes. Hinc & apostolus bellare admonet per arma iustitiæ & loricam fidei. Nam (vt scriptura commemorat) sancti per fidē vicerunt regna. Iustitia autem belli ex ipsa recta bellantis intentione procedit, dicēte Augustino, illa bella iuste suscipi posse, in quibus non est nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, & libido dominandi. tali quippe intentione bellantibus victoria promittitur. Nam (vt inquit Gregorius) non deerit certantibus optata victoria, si desit in animo humana gloria. Hinc Bernardus, Ex cordis, inquit, affectu, non belli euentu pensatur vel periculum, vel victoria Christiani hominis, quia si bona fuerit causa pugnātis, pugnæ exitus malus esse nō potest. Rursus Ambrosius: O homo ideo non vicisti, quia de tuo præsumpsisti. Qui vero bella etiam contra infideles gerit, non augendæ aut tuendæ religionis gratia, sed amplioribus dominiis potiendi, aut quadam humana gloria, parum victoria fruitur. Sic Romani, qui (vt ait Augustinus) non diligebant gloriam propter iustitiam, sed iustitiā propter humanam & inanem gloriam, ingentes clades passi sunt: & quanquam pro puniendis orbis malis aliquando celeriter bella confecerunt, ipsam tamen victoriam celerius perdiderūt. Quod facile comperiet qui recolet quam diuturna bella à veteribus gesta fuere, quam varios euentus, quam luctuosas clades, & quam parum diuturnas victorias experti sunt.

De nonnullis incidentibus quæ huius Fernandi tempore in diuersis partibus occurrerunt, & de ortu pestiferæ partialitatis in Italia, videlicet Guelforum & Gebelinorum: & quomodo eo tempore per Iacobum regem Aragoniæ Maiorica & cæteræ insulæ Baleares lucro fidei accreuerunt: & de felici obitu huius Fernandi, & quomodo prohibuit sibi fieri statuam: & de diuisione in imperio, & qualiter in discordia electus fuit Alfonsus huius Fernandi filius.

CAP. XL.

FERNANDI igitur prædicti tempore varia in orbe occurrerunt digna relatu. Nam sęua est orta partialitas in Lombardia inter eos qui fauebant parti ecclesiæ Romanæ & fauentes imperio. Ex quo tempore incepit pestifera partialitas Gebelinorum & Guelforum, quæ fuerunt nomina duorum fratrum in Tuscia, qui in has duas partes se diuiserunt. Gebelinus enim sequebatur partes imperiales: Guelfus partes ecclesiæ, vt Consentinus ait. Rursus eiusdem Fernandi tempore Iacobus rex Aragonum cum Fernandi regis adiutorio summa strenuitate insulas Baleares, quæ Maiorica & Minorica dicuntur à Sarracenis, deuicit, & lucro fidei addidit, vt Consentinus refert. Postquam igitur

Fernandus omnia feliciter peregisset, tandem vt Deo placuit, licet cum grauissimo Christianitatis damno potius quam suo, beatum dedit Deo spiritum qui eum creauit. Quo die auditæ sunt voces in cælo: En moritur iustus, & nemo considerat. Cuncti fideles ob eius obitum incessabiliter flebant dicẽtes, Vtinam talis princeps aut non nasceretur, aut non moreretur. Quo nullus ante eum bellis felicior fuit, aut in pace moderatior, in cũctis liberalissimus, in amicos fidelissimus. Habent enim Hispanorum annalia, quia cum hic gloriosus princeps in agonia mortis esset constitutus, à quodam milite interrogatus est, quale sepulcrum aut statuam sibi iubebat apponi. Cui ille, Immaculata, inquit, vt potui, vita mea ac gesta sint mihi sepulcrum & statua, imitatus Catonem seniorem, ad quẽ cum amici dicerent plurimorum vbique principum erecta fore insignia sepulcra & statuas: ille, Malo, inquit, vt homines flagitent, cur Catonis statua posita non est, quam cur est posita. Rursus cum Fernandus paulo ante eius obitum non ignoraret precium ab infidelibus esse datum pro eius morte, dicebat ad suos, Me (inquit) non quærũt, sed patriam. putant enim Mauri facile Hispanias obtenturos, si Fernandus moreretur, sed & credũt Hispaniam ipsam vinci non posse, si Fernandus non vinceretur. Nec aliter (teste Polybio) Scipio iunior de se dicebat. Recte (inquit) qui patriam oppugnãt, me prius volunt de medio tollere. Non enim Romam casuram putant Scipione superstite, nec victum Scipionem si Roma ceciderit. Huius gloriosi Fernandi regis tempore (vt scribit Martinus Cusentinus) quoddam mirabile ad nostræ catholicæ fidei defensionem accidisse fertur. Nã cum apud Toletum quidam Iudæus gratia ampliandi vineam suam rupem comminuisset, in medio saxi concauitas reperta est, vbi liber erat folia lignea habens, descriptus tribus linguis, Hebręis, Gręcis, & Latinis: scriptura vero quasi vnius psalterii videbatur. Hic liber de triplici mũdo disserebat ab Adam vsque ad Antichristum. Principium vero tertii libri incipiebat à Christo sic exordiens: *In tertio (inquit) mundo filius Dei nascetur in mundo ex virgine Maria, patieturque pro salute hominum.* Quod cum Iudæus conspiceret, statim cum familia sua sacro fonte renatus est. In fine itaque libri dicebatur, quod tempore Fernandi regis inueniri debebat. Sed de huius gloriosissimi Fernandi regis deuotione, religione, pietate, strenuitate, cæterisque eius innumeris virtutibus & triumphantissimis victoriis parum à nobis in hoc epilogo dicetur. Exigerent enim præclara gesta eius integrũ volumen. Accedit, quia Rodericus Toletanus archipræsul in hoc Fernãdo III. ætatis suę contemporaneo historiam clausit, cuius vitam, gesta, atque præclara facinora in calce historiæ suæ diserte contexuit. Temporibus huius Fernandi sedit in cathedra Petri Innocentius III. qui ad petitionem baronũ & totius regni Portugaliæ deposuit, verius suspẽdit ab administratione regia regem Portugaliæ, dans illi coadiutorem Alfonsum, de quo habetur M.C. grandi de supplenda negl. præla. libro VI. Post obitum eiusdem pontificis sedit Honorius III. natione Romanus, post cuius obitũ sedit Gregorius IX. natione Campanus, & Celestinus IIII. natione Mediolanensis, Romanum vero imperiũ gerebat Fredericus II. Henrici quondam imperatoris nepos, qui Othone iam deposito ab Electoribus imperii consilio & præsidiis Philippi regis Franciæ Imperator est electus, anno millesimo ducentesimo decimo, vt refert Vincentius. Hic Fredericus coronatus fuit Romę ab Honorio III. de facto tamen imperauit, non iure. qui tandem depositus & obstinatus anathema Apuliam petit, quem ægrotantem Manfredus filius eius naturalis ad regnum Siciliæ ambiens, timens quia conualesceret, fecit suffocari. Quo mortuo Electores imperii in duos se diuidunt, quidam Alfonsum regem Castellæ filium huius Fernandi III. alii Ricardum Comitem Cortimbiæ, fratrẽ regis Angliæ. Quo schismate longo tempore durante, tandem Alfonsus rex Castellæ zelo (vt aiunt) Christianæ pacis succensus & Gregorii Papę precibus resignauit. Ricardo denique mortuo electus est Rodolfus comes Anecburgensis. Verum licet propositi nostri fuerit genealogiam & ortum regum & regnorum Hispaniæ, clarioraque eorum gesta & successus solum à tempore huius Fernandi III. vsque ad moderna tempora Henrici quarti nunc feliciter regnantis contexere, pro eo quia idem Rodericus archiepiscopus in sua Chronica præcedentium regum generationes, gesta, atque successus latiore sermone prosecutus est: nos tamen quædam præclara ab eo intacta addentes, voluimus summatim & sub quodam epilogo genealogiam & successiones omnium regum percurrere, qui ante Romanos & post eos in Hispania principatum obtinuerunt, eos etiam qui ex Vandalis, Hugnis, Gotthis regnarunt, incipientes ab Athanarico primo rege Gotthorum, & demum sequentium regum qui post miseram cladem Hispaniæ, & à tempore Pelagii vsque ad hunc Fernandum inclusiue regnarunt. Contexuimus etiam clariora eorum temporibus gesta, necnon exterorum principum & clarorum virorum accommodata exempla, breuius quam voluimus, vt tandem

cæteros reges qui post eundem Fernandum vsque ad hæc nostra tempora in eisdem regnis præfuerunt, successiones pariter & successus aptius continuemus.

PARTIS TERTIAE FINIS.

RODERICI SANTII EPISCOPI PALENTINI HISTORIÆ HISPANICÆ PARS QVARTA.

PRÆFATIO.



COGIT *scribendi ratio & rerũ magnitudo, vt in hac quarta & vltima parte post enarratas breui stylo genealogias, successiones simul & successus regũ Hispaniæ, præsertim Castellæ & Legionis, vsq; ad gloriosissimum Fernandum huius nominis III. qui Hispalim, Cordubam, & totam pene Vandaliam & Bæticam lucro fidei catholicæ adiecit, historiam ipsam continuemus, etiam genealogias, successiones, & clariora gesta sequentium regum post eundem Fernandum vsq; ad Henricum IV. nunc feliciter regnantem. Verum vt historiã ipsam pulchriorem elegantioremq; reddamus, solitum obseruabimus ordinem. Nam ad narrationes rerum Hispanarum aliqua insignia & præclara ac relatu digna gesta & dicta tam ex sacra scriptura, quam ex annalibus Romanorum priscorum & Græcorum similia exempla aptabimus, moraliaq; documenta & sapientum sententias addemus, vt qui hanc Hispaniæ historiam percurrerit, cæterarum etiam partium clariora facta legisse lætetur, & aliquid ad humanæ vitæ informationem attigisse videatur. Demum historiam ipsam rerum Hispanicarum altius repetemus, pro eo maxime, quia præfati Roderici Toletani historia regum sequentiũ tempora non attigerit, sed solum in eodem Fernando III. narrationem clausit. Itaq; agemus in hac quarta parte de XI. regib. qui post Fernandũ III. prædictum in Hispania, Castella videlicet & Legione, regnarunt, atq; in prouinciis eidem principatui subditis, & de eorundẽ regum genealogiis & successionib. ac claris gestis. Nec omnia particulatim tangemus, sed solum illustriora. Quilibet enim rex pro rerum occurrentium magnitudine & varietate vnum expeteret volumen, si cuncta contexeremus. Verum quia in occurrentib. aut recentibus rebus scribere non parum discriminis & difficultatis verti solet, pro eo quod iuxta scribentium varias passiones plerunq; varia aliquando ficta narrantur: nos veritatem rerum gestarum pro scuto sumentes, nec adulationibus, nec odiis vincemur, sed prout ex veridicis Hispaniæ annalibus carpere potuimus, & ab egregiis & omni exceptione dignis personis, ab illis præsertim qui nonnullis ex narrandis rebus interfuere, didicimus, rerum gestarum seriem describemus. Absit enim vt ipsa historiarum notitia quæ ad eruendam veritatem inuenta est, contra eandem veritatem militet. Nam (teste Isidoro) sapientes præterita hominum gesta ad institutionem præsentium historiis demandarunt, quæ etsi summis retro temporibus acciderunt, si tamen veritate nituntur, quam maxime nos dirigunt, atq; quodam certo testimonio admonent, quæ sequi, quæ rursus vitare debeamus. Quosdam enim longe magis priscorum gesta mouent quam visa recenter. Vt enim inquit Gregorius, Ex transacta priscorũ hominum vita didicimus, qualiter nos in subsequẽti conuersari debeamus. Et Cassiodorus, Instructus redditur animus ad futura, quando præteritorũ præclara gesta ad memoriã recolimus. Hinc Poeta ait:*

Præteriti ratio scire futura facit.

Ea de re Cicero cum de oratore agit, Historia, inquit, temporũ testis est ac lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ. Incipiemus igitur ab Alfonso X. filio gloriosi Fernandi III. de quo paulo ante egimus.

DE ALFONSO X. FILIO FERNANDI III. ET DE Violanta eius vxore, & quomodo tentauit aliam accipere vxorem, & de exitu eius rei, & de eius nobili prole, & de virtutibus illius, præsertim de solertia in legibus condendis.

CAP. I.

ALFONSVS huius nominis X. glorioso Fernando III. patri eius in regnis successit anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo. Hic LXXIII. rex fuit post Athanaricum primum regem Gotthorũ, & XXXVIII. à Pelagio primo rege post cladẽ Hispaniæ. Regnauit autẽ XXXII. annis, duxit vxorẽ Violantã, filiã Iacobi regis Ara-

goniæ, ex qua cum prolem non susciperet, arbitrans defectum generandi in ea fore, misit oratores ad regem Daciæ petens in vxorem speciosissimam eius filiam dictam Christianam. Ille vero ob celebritatem nominis Alfonsi regis filiam comitatam pluribus nobilibus suis ad eum transmisit, & tandē Hispalim applicuerunt. Interim vero domina regina Violanta ex Alfonso concepit, & peperit inclytam Beringuelā, postea dominā Guadalfaiaræ. Cum igitur Alfonsus intelligeret filiam regis Daciæ ab eo tantopere exoptatam aduentasse, ingenti rubore & verecundia confusus est, nec sciebat quonam modo tantæ leuitati consuleret: non tamen illius pudicitiam attentauit, sed summo studio remedia inquirebat. Quod Philippus frater eius conspiciens, qui erat Abbas Vallisoleti & de Caueis rubeis, ac electus ecclesiæ Hispalēsis, clericatu dimisso, obtulit se Christianam ducere in vxorē. Quę res gratissima admodū fuit regi Alfonso, deditq; in dotē Aluam & Valdecorneia & alia plurima castra & dominia. Sic itaque perniciosum huius facti initium accommodato fine reparatur. Alfonsus igitur Violantam plurimū dilexit, & genuit ex ea Fernandū primogenitum, qui postea contraxit matrimoniū cum domina Blanca filia sancti Ludouici regis Franciæ, vt inferius tangetur. obiit autē Fernandus ipse viuente patre. Genuit deniq; idem Alfonsus alios filios, Santium videlicet qui postea regnauit, ac Iohannem, & Iacobum, ac Petrum: Berengariam & Leonoram. Ex concubina vero genuit Beatricem quæ fuit vxor Alfonsi regis Portugaliæ, ex qua genuit Dionysium qui fuit rex Portugaliæ. Iohannes vero secundo natus eiusdem Alfonsi regis fuit valde strenuus & animosus in armis, duxit vxorem dominam Margaritam filiam magnifici Marchionis Montisferrati, ex qua duos filios genuit. Hic Iohannes præclara bella gessit contra Mauros, plurimaq; castra & oppida ab infideliū faucibus eripuit. Toto tempore huius Alfonsi exulauit Infans Henricus frater eius (vt ait Cusentinus) quia eundem Alfonsum fratrem non satis honorabat, nec vnquam manum regis, vt moris est, voluit osculari. Quare idem Henricus Romæ senator effectus est fauentibus sibi quibusdam nobilibus. Tandem fauens Corradino contra Carolum regem Siciliæ ab eo in regno victus est. Vt igitur ad Alfonsum redeamus, fuit hic princeps excelsi ac magni animi, & ad grandia mentem dedit. nam veluti (teste Isidoro) Moises leges Hebræis tradidit, Lycurgus Lacedæmoniis, Solon Atheniensibus, Romanis vero Numa Pompilius prout à numinib. acceperat: sic hic Alfonsus legibus condendis deditissimus fuit. Nam conspiciens per diuersa volumina plurimorum principum & populorum leges dispersas fore, eadē curiositate, quà olim Romani, vsus est. Illi enim (Augustino teste) post Romam conditam ab Athenienfibus leges Solonis receperunt, quas tamē postquam accepere, meliores ac commodiores facere conati sunt: idq; vt de legibus Lycurgi Lacedæmonii ferunt, quamuis Lycurgus ipse ex Apollinis auctoritate leges illas se instituisse finxerit, quod Romani credere noluerunt. Qua de re leges vt ab hominibus, non à diis latas admisere. Nec aliter Alfonsus effecit. leges enim Romanas in regnis suis legi fecit, licet minime eis subiicerentur. Demum ex omnibus summa moderatione & ratione ac æquitatis vibramine septem libros quos Partitas vocāt, instituit, & salubriter compilauit, in quibus sacratissimæ leges non solum ad causas hominum decidendas, sed ad diuinum cultum dirigendum augendumq; continentur. Deniq; idem Alfonsus rerum in orbe gestarum librum accommodatissimum per sapientes scribi fecit, quem Generalem historiam Hispani appellāt. Rursus hic Alfonsus ad arma strenuo se vertens, regnum Murtiæ à Carthagine noua vsq; ad Chinchilla à Sarracenis recuperauit, Murtiamq; Christianis populauit, quam ciuitatem plurimum dilexit, & illa fidelissima ei fuit in aduersitatibus suis, vt inferius tangemus.

Alfonsi proles.

Legislatores.

De liberalitate huius regis Alfonsi & mira ad calamitosos compassione, & quomodo grandi pecunia redemit Imperatorem Constantinopolitanum captiuatum à Soldano Babyloniæ, & de claris victoriis eius contra Mauros.

CAP. II.

PLVRIMIS quidem virtutibus Alfonsus præditus fuit, præsertim liberalissimus, munificus, atque magnificentissimus erat. Inter plurima igitur illius principis magnifica gesta breui aliqua differemus. Cum enim apud ciuitatem Burgensem, solennissimas nuptias celebraret Fernando de la Cerda primogenito filio suo cum domina Blanca filia S. Ludouici regis Francorum, interfuerunt inuitati ab eodem Alfonso multi principes de maioribus orbis, videlicet Philippus primogenitus eiusdem sancti regis Ludouici, qui postea regnauit in Francia, rursus Eduardus etiam primogenitus Angliæ, qui nepos erat filius sororis Alfonsi: item infans Petrus, primogenitus Iacobi regis Aragoniæ: item infans

fans Santius frater eius: item Fredericus, & Emanuel, & Philippus, Infantes, fratres Alfonſi: item Santius, ac Petrus, & Iohannes Infantes, filii eiuſdem regis Alfonſi: eratq; tanta inibi congregata nobilitas, quanta à multis ſæculis pacis tempore coadunata non reperitur. Quibus principibus tam excelſa, tamq; aſſidua parabat conuiuia, vt excedere videretur Caium Caligulam & Vitellium, qui (vt ait Suetonius) prandia & cœnas ſimul regibus pararũt, adeo vt in vna famoſiſſima cœna duo millia electiſſimorum magnorumq; piſcium, & ſeptem millia auium ſilueſtrium in edulium ꝑparaſſet. Hic Alfonſus Metellum exceſſit, qui (vt aiunt) famoſam, immo infamem fecit cœnam, cuius exceſſum difficilius eſt referre, quam intelligere. Itaq; non facile credi poſſet, quanta fuit Alfonſi induſtria in eiſdem feſtis atq; conuiuiis, quantus miniſtrorum ordo, quãta ſedulitas obſequii, quãta vrbanitas hoſpitis: vbi Alfonſi iuſſu victualibus in foris dimiſſis nullus erat cuſtos, vt quiſq; quibus vellet frueretur. numularii publice aderant, qui omnibus forenſib. quas petebant pecunias dabant, & erant alii deputati, vt ſi quem male veſtitum viderent, illico indumentis iam factis tegerent, ne differendo negare viderentur. Feſtis vero finitis, incredibilia dona eiſdem principibus contulit, nec fuit quiſquam ita minimus qui regis liberalitate fraudaretur. Vt igitur paucis agam, tanta fuit eius liberalitas, vt quemadmodũ de Rom. pop. Valerius ait, ſicut tantum accepiſſe vix inuidiam vitare potuit, ſic tantum tribuiſſe gloria carere non potuit. Cæterum eiſdem nuptialibus feſtis durantibus allata eſt opportunitas, vt alia Alfonſi regis excelſa magnificentia & ingens pietas toti orbi clareſceret. Cum enim Imperator Conſtantinopolitanus ob Chriſtiani populi demerita à perfido magno Soldano Babyloniæ bello victus & captus foret, & decem millibus marcarum argenti eius relaxatio eſſet compoſita: Imperatrix vxor eius Romanum Pontificẽ arceſſiuit, qui partem tertiam redemptioni donauit, rex deniq; Franciæ Chriſtianiſſimus certam quotam itidem perſoluit. Poſcebat igitur ipſa Imperatrix ab eodem Alfonſo, cuius liberalitatem & virtutes audierat, vt ſibi atq; tam pio operi ſubueniret. Alfonſus igitur honorifice Imperatricem ſuſcepit, & in regia aula vna cum regina conſorte locauit, cumq; conſpiceret redemptionem Imperatoris in longum protrahi, conſiderans illud Ambroſii: Quia illa vera eſt liberalitas, vt fratres ac proximos tuos non deſpicias, ſi eos in manibus hoſtium cecidiſſe cognoſcas, quoniam melius eſt vt ipſe ſubuenias, quibus pudor eſt ab aliis ſumptus depoſcere, aut alteri poſtulare ſubſidium: attendens deniq;, quia proprium eſt liberalis & magnifici libenter ac cito facere, quia (teſte Seneca) duplex eſt benignitas, cui accedit celeritas. Quare idem Alfonſus Imperatori ſimul & Imperatrici compatiens eam ad prandium cum regina fecit inuitari. Illa vero vouiſſe aſſeruit, nunquam ad menſam ſedere, niſi liberato Imperatore pariter & marito. Rex igitur Alfonſus audito tam inſigni facinore coniugalis fidei, ei ſimul & infortunio totis viſceribus compatiens ad Imperatricem verba fecit, exorans vt læta & conſolata pranderet, pollicẽs infra decem dies totam argenti ſummam liberaliter numeraturum. Addidit denique velle oratores ad Soldanum dimittere qui Imperatricem incolumem conducerent, & pro liberatione inſtarent. Igitur infra eundem terminum vniuerſam argenti ſummam perſoluit: voluit tamen, id quod ab Imperatrice ſummopere petiit, vt Romano pontifici atque regi Franciæ quicquid ab eis exegerat, illico reſtitueret: quod & nobilis Imperatrix effectualiter impleuit. Extollenda certe & perpetuis laudibus conſecranda eſt huius principis liberalitas. Quæ enim excelſior magnitudo animi eſſe poteſt, quam magnum principem à miſera magni principis ſeruitute abducere, & tantã pecuniam contemnere, vt tantum principem redimeret? Nec enim fratrem & proximum, licet per multa terrarũ ſpacia remotum atq; incognitum, neglexit, quia (vt inquit Gregorius) vera compaſſio diuidi locis non poteſt, etſi corpore longe diſiungitur, mente tamen quem diligit, habet. Hic Alfonſus quamdiu humilis fuit, victor extitit, quia ſcriptum eſt: Vir humilis loquetur victorias. Cum vero ſe ſupra ſe extulit & arrogantiam induit, infelices ſucceſſus expertus eſt. Huius enim regis temporibus rex Granatæ munitus auxilio Maurorum Africæ, rupta treuga quam cum rege Alfonſo pepigerat, plurima caſtra regni Murtiæ vi obtinuit, deinde obſedit ciuitatem de Xericio in Bætica, & occupata ciuitate arcem diuerſis machinis debellabat, quam nobilis vir Garſias Gomecii Carrillo cuſtodiebat. Diruptis igitur muris interfectiſque cuſtodibus, ſolus Caſtellanus manſit, qui vltra humanas vires, non dixerim ſe, ſed duo parua mœnia quæ intacta reſtabant, cuſtodiebat, fecitque grandem ſtragem in Arabes. Quod rex Granatæ conſpiciens, ne interficeretur, ſed viuum omnino caperent, diſtricte præcepit, quodque vt facilius explerent, curuatis ferris eum trahebant, qui carnes trahi vndique maluit quam viuus capi. Tandem amplius agere nõ valens captiuatus eſt. Quem rex Granatæ ob eius ingentem fidem libenter conſpexit,

eumq; de illatis vulneribus folicite curatum incolumem regi Alfonfo tranfmifit. Superauit profecto hic Gomecius duorũ Brutorum conftantiã in obfidione Mutinenfi. Rurfus nec illi par fuit L. Antonius Perufiæ & Q. Cicero, qui obfeffi in Gallia fortiffime obfidionem tulerunt. nec ipfi Cretenfes pares fuere Gomecio, qui in obfidione Metelli ad vltimam penuriam compulfi iumentorum vrina fitim fedauerũt. Sed Gomecius nofter Saguntinos noftros imitatus, rores noctis ob aquæ defectum lambebat. Numantinorum quoq; fidem æmulatus eft, qui à Scipione obfeffi ob victualium defectum humanis carnibus pafcebantur. Nec aliter egerunt Calaguritani, qui à Pompeio circumfepti vxores & filios deuorarunt. Sic & Aquilegiẽfes qui fub duce Menofilo obfeffi à Maximino, pro neruis funes ex capillis matronarum ad arcium & balliftarum vfum fecere, idq; tefte Liuio Romæ actum comperimus: quo euenit vt Veneri caluæ templum à Senatu conftitueretur.

Quomodo Alfonfus x. recuperauit oppida de Niebla & del Algarbe, & quomodo inconfulte liberauit regnum Portugaliæ ab eo tributo quo regibus Caftellæ tenebatur, & de fcandalis propterea fubortis.

Cap. III.

ALFONSVS itaque x. de quo fermo eft, in regni fui initiis oppidum de Niebla in Vandalia per Sarracenos diu occupatum menfibus decem obfedit, illudq; machinis continuo debellauit. Occurrit tamen in caftris fuis innumera quædam mufcarũ plaga, quæ manducare homines non finebant, quin & illas vna cum cibis commanducarẽt. Ex qua re omnes fere de caftris ventris fluxum quem dyfenteriam vocant, incurrerunt, plurimique moriebantur. Cum barones & milites regi fuaderent, vt ab obfidione difcederet, ille tamen perfeuerandum dixit in re incepta, vt alter Ioab in obfidione Rabba, qui (vt Scriptura facra teftatur) fuorum fuafionibus non acquieuit, donec ciuitas, licet cum fuorum incommodo, caperetur. Sciebat enim quia (vt Hieronymus ait) abfq; perfeuerãtia nec qui pugnat victoriam, nec victor palmam triumphi affequitur. Vix itaq; Alfonfus verba expleuerat, illico duo monachi ad regem accefferunt, monentes ad perfeuerantiã obfidionis, quoniam Mauri victualibus carebant, muri denique rupti erant. Plagam vero mufcarum pollicebantur ceffare, fi eorum confilio Rex annueret. Perfuaferunt enim Regi vt publica banna acclamarentur, vt quifquis certam mufcarum fummam ad quofdam puteos prope caftra afferret, duos Turonenfes argenteos pro falario obtineret. Qua induftria euenit vt infra biduum tribus profundis puteis mufcarũ fpurcitiis repletis, plaga mufcalis, fimul & dyfenteriæ morbus penitus ceffarent. Qua re à Sarracenis cognita nõ modo Regi oppidum dedere, fed & alia caftra & oppida ad Comitatum Algarbi fpectantia, præfertim Gibraleõ, Huelua, Mora caftro Marin, & quamplurima alia. Poft prædicta vero hic Alfonfus quandam filiam baftardam vxorem dedit Alfonfo Regi Portugaliæ, cui dotis gratia caftra & patriam de Algarbe, quam paulo ante à Mauris euicerat, liberaliter affignauit. Ex quo tempore Reges Portugaliȩ Algarbi Reges fefe intitularunt. Prædictus igitur Alfonfus Rex Portugaliæ ex eadem Alfonfi filia genuit Dionyfiũ. Hic factus adolefcens cum nobiliffimæ indolis valde prudens atque decorus foret. Regem Alfonfum auum fuũ apud Hifpalim vifitauit, cui enixe & pro fingulari munificentiæ dono poftulauit, quatenus regnum Portugaliæ dignaretur ab eo tributo liberare quo Regibus Caftellæ & Legionis tenebatur, videlicet vt ad eorum curias Reges vocati accederent, & demum trecentos milites contra Mauros requifiti mittere aftringerentur. Rex vero Alfonfus etfi rem difficilem confpiceret, paululum fubftitit: fequutus tamen cuiufdam militis confilium, vt alter Amon filii Dauid, qui cõfilio Ionadab rem fecit fibi & populo damnofam, vt erat magnificentiffimus, nepoti cum fuo nec minus totius regni difcrimine complacere decreuit. Res igitur ad confilium deducta eft. Cum itaque egregius & nobilis vir Nunius de Lara quid fibi videretur, dicere moneretur: Dignũ eft, inquit, ô rex, vt plurima huic clariffimo nepoti tuo beneficia conferas. id enim natura, id tuorum fuorumq; antiqua nobilitas expoftulat, & tibi innata profufa liberalitas. Verum vt regnum Portugaliæ ab hoc tributo, non tam perfonæ tuæ quam fubftantiæ regnorum tuorum debito, tam facile liberes, neq; decere, nec te id facere poffe video. Alfonfus igitur rex qui iam rem animo conceperat, contra Nunium verba nõ fatis decentia indignatus protulit, eumq; odio habuit, ficut Sedechias rex Ieremiam odiuit, pro eo quod rem ingratam, fed veram & vtilem ei dixerat. Alfonfus igitur cæteros afflagitat, illi vero quo regis voluntas tenderet, confpicientes, regem nepoti complacere debere confulebant: quod & rex fine mora expleuit. Nunius vero ea hora nec petita nec obtenta regis licentia difceffit.

discessit. fuit enim res ipsa maiorib. regni ingratissima, ne dixerim incõmodissima, quippe quæ vnam præcipuam causam futuris magnisque dissidiis attulit. nõ enim paulo post Philippus Infans frater Regis, & Nunius de Lara prædictus, ac Lupus Didaci de Haro, & Stephanus Fernandi de Gallicia, Fernandus itẽ Roderici de Castro, ac Ximenus Roderici dominus de los Cameros, & Aluarus Didaci de Asturias, ac Lupus de Mendoza, plurimique alii Barones vltra numerum trium millium se à naturalitate & fide, simul & obedientia Alfonsi regis expediuerunt, eamq; ei subtraxerunt. Ad quos placandos cum rex Alfonsus quosdam mitteret, causamque discessus quærerent, dixerunt illud Micheæ prophetæ, Volumus restaurare regnum & restituere, sicut erat ante. Ad regem itaque Granatæ accesserunt, bellumque contra Alfonsum regem acerbissimum gesserunt non sine maximis cladibus, quod non paruo tempore durauit. Nec abs re. nam Ieremias propheta pestilentes vocat eos principes qui minuũt ciuitatis & regni iura. Quare de eis ait: Luxit terra, & infirmata est pulchritudo populi, quia principes trãsgressi sunt leges patrũ, & ius mutauerunt: dissipauerunt pactum, propter hoc maledictio vorabit terram. Longe aliter dux & princeps Machabæorum effecit, de quo scriptura ait, quia dilectissimus & honoratissimus à populo fuit, quia dilatauit gloriam regni sui. Quare dilatatus est honor eius & fines gentis suæ.

Quomodo hic Alfonsus X. fuit electus Imperator Alemaniæ, & de infelici exitu eius rei, & de discordia inter sanctum Ludouicum Regem Franciæ & eundem Alfonsum super iure regni, & de pace secuta.

CAP. IIII.

QVAMQVAM igitur hic Alfonsus x. ob eius sagax ingeniũ & ingentem liberalitatẽ & ad omnes munificentiã per totum fere orbem cõmendatissimus esset, vitiis tamẽ non caruit. Fuit enim non tam magni quam superbi elatique animi, arrogans plurimum, & quadam sui sensus singularitate confisus. demum egregiorum operum æmulator erat. nec enim modo maxima quæq; aggredi conabatur, & illorum erat auidus, sed potius inuidus videbatur. quicquid enim pulchri, quicquid memoria dignũ à quovis gestum cernebat, acerrime dolebat ab eo gestum non fuisse, aut effici non potuisse, imitatus Iulium Cæsarem (vt Suetonius refert) qui cum orbem circumiens Gades Hispaniæ aduenisset, ibique Alexandri imaginem vidisset, ingemuit, suamque ignauiam detestans quod nihil à se memorabile esset actum ea ætate, qua Alexander orbem subiecerat. Et vt paucis agamus, tam cupidus gloriæ fuit Alfonsus, vt aliquando gloriæ suæ, vt ita dixerim, indignaretur, si alius quovis modo eius particeps erat. plerumque enim duces ac capitaneos suos victorias insignes obtinuisse dolebat, imitatus Alexandrum Magnum quem Quintus Curtius recolit, qui audiens Agim Regem Lacedæmoniorum rebellantem, cũ postea Antipater eius nomine illum vicisset, hostes quidẽ suos victos fore gauisus est, sed Antipatrum vicisse tacitus indignabatur, suæ gloriæ detractum arbitrans, quicquid accreuisset alienæ. Cæterum Alfonsus de se supra se plerumque præsumebat, & nonnulla non satis deliberate tentauit. Est enim (vt inquit Seneca) prudẽtis principis quanta sit res concupita discernere, & non cito facilia iudicare quæ optat, atq; in magnis dubiis rebus non definire, sed suspensam tenere sententiam. Nam Alfonsus ipse ab aliqua parte Electorum imperii Romanorum Imperator electus est, quamquam in discordia. Tandem cũ re indigesta nec magnitudine eius pensata ad imperium suscipiẽdum pergeret, cognita eius elatione, imperii, ne dixerim confirmatione, sed nec possessione potitus est: licet (vt quidam referunt) callide actum est, vt occasione vitãdi schismatis in imperio, Romani Pontificis iussu iuri imperii resignare visus esset, idq; egit apud Belicardum prope Auinionem. Sic nonnullos duces sub Aureliano per ambitionem imprudẽter ad imperium orbis aspirasse legimus, nec ad concupitam potestatem deuenere, sed pœnas ambitus luebãt. Fuit denique Alfonsus & in cæteris rebus infortunatissimus. Nam rediens in Hispaniam non paruas perpessus est persecutiones. reperit enim plurimas funestas nouitates. Primo inuenit fore mortuum Fernandum eius primogenitum filium. Reperiit etiam Reges Granatæ & Bellamarini dictum à Benyuzaf magnas intulisse clades in Vandalia & Bętica, vbi cęsi fuerũt Santius Infans Aragoniæ & Archiepiscopus Toletanus. Verum cũ cognouisset Santium filium eius secundo natum post Fernandi primogeniti mortem viriliter & strenue ac summa cum prudentia & dexteritate patriã ab infidelibus defendisse, illosque à Bętica expulisse, obtinuit quod omnes status regni Santium prædictum in primogenitum iuraret & reciperent, nõ obstante quod ante eius ad imperium discessum Fernandus primo-

Principis prudentis propriũ.

Alfonsus infœlix.

genitus fuerat iuratus, & post illum Alfonsus dela Cerda eius filius. Aiunt tamen nõnulli Santium præter omnem Alfonsi voluntatem ad primogenituram fuisse assumptum. Quinimmo asserunt eundem Santium Alfonsum eius patrem ex imperio venientem ad regni gubernationem non admisisse, vt inferius tangemus. Hic rursus Alfonsus licet strenuus in armis fuerit, non tamen felix, suo licet tempore aliqua pars regni Murtiæ regno Castellæ cessit. Sed quorundam est opinio, id à patre inclytissimo Fernando effectũ fuisse. Rursus hic Alfonsus non caruit vitio crudelitatis, sed & ingratitudinis. quosdam enim nobiles sibi fidissimos æmulorum sugillatione occidi iussit. Huius denique Alfonsi tempore non parua orta est discordia inter Sanctum Ludouicum Regem Frãciæ & eundem Alfonsum Regem Castellæ. Ludouicus enim filius erat (vt diximus) dominæ Blãcę primogenitæ Alfonsi VIII. Regis Castellæ, ex cuius successione regna sibi deberi prętendebat. Nam rex Fernandus III. pater eiusdem Alfonsi filius erat dominæ Beringuelæ filiæ secundo natæ Alfonsi VIII. prædicti. Sed ad sedandam tam pestiferam discordiam matrimonium contractũ fuerat inter Fernandum de la Cerda primogenitum huius Alfonsi X. & dominam Blancam filiam Sancti Regis Ludouici. Ex qua idem Fernãdus genuit Alfonsum & Fernandum de la Cerda, neuter tamen in regno successit. Sed Santius secundo natus eiusdem Alfonsi X. quem Alfonsus ipse in Regem sibique omnes de regno iurare obtinuit, cum tamen ad eum regna minime (vt aiunt) spectabant, sed ad prędictum Infantem Fernãdum dictum de la Cerda primogenitum Alfonsi etiam primogeniti huius Alfonsi X. nepotem Sancti Ludouici ex filia, vt diximus.

Discordia inter Ludouicũ Regẽ Frãciæ & Alfonsum.

Quare iste Alfonsus X. dictus est Astrologus, & quomodo arroganter opera Dei dixit melius fieri posse, & qualiter fuit diuinitus correptus, & de inforuniis & incommodis quæ ex ea causa passus est, & de cæteris incidentiis suo tempore.

CAP. V.

NEC solum hic Alfonsus X. nominis sui gloriam in legibus condendis, in effundendis diuitiis, cæterisque magnificis gestis ampliare contentus est, sed aut arroganter, aut quia natura ad id eũ impellebat, Astronomia delectabatur. Quare & Astrologus appellatus est. Cuius nomine, nescio an sapientia, tabulæ Alfonsinæ & aliæ Astrologicæ cõsiderationes compilatæ sunt, & sub eius regio nomine lustrantur. Rursus Alfonsus appetitor erat laudum, sed rebus ipsis magnifice gestis potius quã adulatoriis sermonibus lætabatur. Cum enim pro adipiscendo imperio (vt diximus) in Alemaniam pergeret, apud Narbonam quendam eloquentissimum oratorem, orationem de eius laudibus habere desiderantem, perorare prohibuit, dicens exornatas verbis laudes ad principes adulationis aut metus fuisse suspectas, addens talia laudum præconia non nisi mortuis qui illustria egerunt, deberi, cũ scriptum sit: Lauda post mortem, magnifica post consummationem: imitatus Pescennium Nigrum Imperatorem, qui (vt Ælius Spartianus in eius vita ait) cum quidam eximius orator qua die Pescennius Imperator creatus est, panegyricum laudum suarum recitare vellet, dixit, Scribe laudes Marii, vel Hannibalis, aut cuiuscunque ducis optimi vita functi, & dic quid ille egerit, vt illum nos imitemur. Nam viuentem laudare, irrisio est, maxime Imperatores à quibus beneficia sperantur. Rursus facile est eos ad cęlos vsque attollere, & diuina de eis scribere, qui proscribere aut necare possunt. Hic Alfonsus (vt tradunt Hispanorum annalia) diuina opera quæ perfectissima sunt, & cũ summa sapientia, pondere, numero, & mensura creata, iudicare quippe & emendare conatus est. ore enim blasphemo dicebat palam, Si à principio creationis humanæ Dei altissimi consilio interfuisset, nonnulla melius ordinatiusque condita fuisse. O vana, ô funesta, ô superba atque inutilia verba! Non sic Dauid sentiebat dicẽs, Mirabilia opera tua domine, & quis cognoscet nimis? Et iterum: Quam magnificata sunt opera tua domine, omnia in sapientia fecisti. Et Sapiens: Omnia opera Dei bona, nec est qui addat. Nã & redemptoris testimonio ipse Salomon cum tota sapientia sua, qui cuncta ab isopo vsque ad cedrum perscrutatus est, minimũ Dei opus nec intelligere, & longe minus iudicare est ausus, inquiẽs, Cũ me verterem ad cogitãdum opera Dei, vidi esse afflictionem spiritus & vanitatem, cũ non possit homo illa explicare sermone. Et iterũ idem Sapiẽs, Plurima inquit, sunt verba hominum, multãq; in disputando vanitatem habẽtia. Sed & alibi idem Sapiẽs, Stolidi, inquit, hominis est intelligere viã suam. Quãto ergo stolidior qui opera Dei non modo intelligere, sed emendare conatur. Hinc Apostolus, Superbiã, inquit, in tuo sensu nunquam dominari permittas. Hic igitur princeps de suo sensu cõfidens, hæc arrogãtissima, vana, atq; superba verba sępe repetebat: sed non caruerunt diuina vltione. Accidit enim quod

Alfonsi blasphemia.

quod miles quidam dictus Petrus Martini de Pampliega Deum timẽs, instructor & curam gerens infantis Manuelis, vidit in somniis visionem,quẽdam pulchrum aspectu hominem, angelum videlicet albis indutũ, ei dicentem latam esse in diuino cõsistorio contra regem Alfonsum sententiam,vt exhæredatus moriatur,sed & crudeli morte,nisi pœniteat. Miles vero de visione perterritus causam quæsiuit: cui, blasphemiam, inquit angelus, Alfonsi vanamque temeritatem diuina opera corrigere moliẽtis id meruisse. Monuit ergo eundem militem, vt ad Regem accederet, eumq; ad pœnitentiam hortaretur. Miles vero celeri gressu Regem apud Burgis commorantem adiit, cui cum tremore visionem retulit, atque ad retractandum quæ tam impie dixerat, pœnitendumq; summopere monuit. Rex vero qui iam præualuerat in vanitate sua,militem deridens à se expulit, & iterum verba illa sacrilega repetiit: Si tempore creationis humanæ interfuisset,plurima melius ordinari potuisse. Cumque post paucos dies Rex apud Segobiã moram traheret,quidam eremita vitæ sanctissimæ eandem reuelationem habuit. Regem igitur accessit, monetque vt de peccatis suis,præsertim tam damnatis sacrilegisque verbis, pœnitentiam agat,alias sentiret vltionem. Et quia scriptum est, In vanitate cordis sui comprehenditur peccator, Rex ipse Alfonsus, vt alter Senacherib, in blasphemia perstitit, &, vt alter Nabuchodonosor,confirmatus est ad superbiam. Quare testante scriptura,cecidit de solio suo, & gloria eius ablata est. Eremitam igitur Rex toruo iratoque vultu contempsit,& vt insipientem abire iussit,iterum verba illa nefanda repetens,Holofernem imitatus Achior increpantem, quia soli Deo potẽtiam attribuebat. Ea igitur nocte misit Deus tam horribiles & insolitas tempestates & spiritus procellarum, tot denique tonitrua, tot fulgura, tot coruscationes & fulmina, vt cælum cadere putaretur, sed & in cubiculo Regis sagitta fulminea vestes Regis atque Reginæ comburens.Rex vero attonitus vix loqui valens,cubicularios custodesque monet, vt illico eremitam illum ad se deferant. Verum tanta erat tempestas,vt nullus palatium exire valeret. vt citius tamen valuerũt,eremitam adducunt. Quem vt Rex vidit,procidens ad pedes eius,Ego,inquit,sum qui peccaui. Eremita vero illud Ecclesiastici imprimis ad eũ ait, Homo, accusaris fabula vana & audacia cordis tui. Et iterum: Quis posuit in visceribus tuis sapientiam?nunquid consiliarius altissimi tu es? ô vtinam Rex memor fuisses verborum Regis sapientissimi Salomonis: Vanitatem & verba mẽdacii aliena fac à me. His igitur verbis Rex ipse simul & metu instantis mortis cum magno animi mœrore eidem eremitæ confessus est,& publice verba nefanda retractauit. Cum itaque lacrymis plurimis pectus conterebat, incipiebat cessare tempestas: quinimmo quanto arctius dolebat, tãto tranquillior serenitas cernebatur: nec ipse à terra oculos leuauit, quousque plene procellosa rabies conquiesceret. Itaque meruit humilitate consequi,quod superba sui præsumptione demeruerat. Deinde vero vitam mutauit in melius: verum tamen (vt quidam asserunt) ex ea & aliis causis regno in vita exhæredatus est à filio, à quo veniens de infelici cõquesta imperii non est admissus: ciuitas tamen Murtiæ quã ille à Sarracenis euicerat, nunquam ab eius obuiam discessit. Ob quam causam Alfonsus cum apud Hispalim moreretur, cor suum euiscerari iussit, & ad Murtiam deferri, sepelirique in ecclesia sanctæ Mariæ per eum cõstructa, concedens ciuitati priuilegiũ, vt in signum singularis fidelitatis septem coronas in armis & insignibus deferret. Hic Alfonsus postquam dicta verba nefanda protulerat, infortunatissimus fuit,quippe qui pro eius arrogantia imperium (vt aiunt) ad quod electus fuerat,perdidit. Adde,quia cũ rediret, plurima infortunia passus est, vt prædiximus. Nam Sarraceni plurima bella vicerunt, atque interfecerunt Santium Infantem Aragoniæ,nec non Archiepiscopum Toletanũ,Nunium de Lara,& plurimos nobiles & barones regni. Deniq; obiit Fernandus de la Cerda filius eius primogenitus. Et licet (vt diximus) filiũ relinqueret,tamen Santius secundo natus regni sceptrum eodem Alfonso viuente (vt ferunt) occupauit,nec eum venientem admisit: sed apud Hispalim regno priuatus diem clausit extremum. Huius Alfonsi x. temporibus præfuit Romanæ sedi Alexander quartus,natione Campanus,de ordine fratrum minorum, qui in publico cõsistorio cõburi fecit quendam libellum inter cætera continentem religiosos pauperes de eleemosynis viuẽtes non fore in statu saluationis, condemnauitque dictum libellum & auctorem eius, videlicet fratrem Guilelmum de sancto amore.Rursus idem Pontifex alium libellum condemnauit, & comburi fecit, in quo asserebatur legem euãgelii neminem ad perfectum ducere, sed legem spiritus: asserebat deniq; legem euangelii sic se habere ad legem spiritus, sicut legem veterem ad legem gratiæ: addebat denique legem Christi finiendo anno domini M.CCLX. quo tempore lex spiritus subintrare debebat. Quæ siquidem pestifera hæresis ex verbis Io.Ioachim originẽ trahebat, & non paucos illis diebus habuit sectatores. Post

eundem Alexandrum præfuit successiue Vrbanus quartus natione Gallicus. Quo mortuo sedit Clemens natione Prouincialis, & rursus Gregorius decimus Lõbardus, & Innocentius quintus Burgundus, & Adrianus quintus Genuensis, & Iohannes XXI. natione Hispanus, & Nicolaus III. Romanus, & Martinus IIII. Italicus. In Romano vero imperio sedit prædictus Fredericus, quo defuncto circa partes Basileę, electus est prędictus Radulphus: quam electionem Gregorius Papa quartus in fauorem Passagii terræ sanctæ, ad quod plurimi anhelabant, approbauit. Ad cuius instantiam idem Radulphus crucem suscepit transmarinam. Imperauit autem annis XVIII. absque imperiali diademate.

De Santio IIII. filio Alfonsi XXXVII. Rege post Pelagium, & de virtutibus & victoriis eius, & quomodo recuperauit à Mauris Tarifam & alia loca, & qualiter Alfonsum patrem venientem de imperio non admisit ad regnum.

Cap. VI.

SANTIVS huius nominis quartus Alfonso huius nominis decimo patri suo in regnis successit anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo quarto. Regnauit autem LXXIIII. loco post Athanaricum primum Regem Gotthorum, & XXXVII. post Pelagium primum Regem post Hispaniæ cladem, regnauit annis XI. Obtinuit igitur regnum Santius, excluso, licet de facto, Alfonso de la Cerda nepote prædicti Alfonsi ex Fernando primogenito præmortuo, dum ad imperium pergeret. Qui siquidem Alfonsi nepos & filius primogeniti eidem Santio præferendus omnium iudicio videbatur, nihilominus aut fortuna sua, aut populorum consensu, vel (vt creditur) eodem Alfonso propter Santii virtutes & ingentia merita id volente & procurante, vt supra diximus, vel ita Deo disponente, qui regna transfert atque concedit pro sua ineffabili prouidentia, idem Santius regnorum suscepit sceptrum. regnauit autem XI. annis. Hic duxit vxorẽ dominam Mariam filiam Infantis Alfonsi dicti de Molina fratris gloriosissimi Fernãdi III. ex qua domina Maria genuit Fernandum IIII. post regnantem, Petrũ, & Philippum, & Henricum qui fuit mutus. Hic Santius strenuus & animosus fuit, præclaraq; bella contra Machometos confecit, eosque sæpe vicit, ac plurima castra & oppida suæ ditioni subiecit. Inter cætera cum magna perseuerantia & longa obsidione insigne oppidum Tarifam à Mauris feliciter recuperauit. Sed & vltra alias præclaras eius victorias, Regẽ de Fez, Machometum dictum à Benyuzaf singulari virtute prostrauit. ille enim maximam classem, vt trãsiret in Hispaniam, parauerat, contra quem Santius Rex transmisit nobilem virum Benedictum Zachariam Almirandum suum, qui vniuersam classem obtinuit, & cæteris nauigiis combustis tredecim galeas mixtas Sarracenis armis & equis ad nostra littora incolumis deduxit, fugato à Benyuzaf Rege Maurorũ, quem nobilis Almirandus insequutus vsque ad littora Africana dicta Tingitanica. Hic Santius patrẽ Alfonsum parum gloriæ ex imperio reportantem & inde redeuntem, ad regni sceptrũ non admisit. Quare vt putatur, non diu regnauit, vt in se experiretur id quod Ruben in patrẽ peccans passus est, cui Iacob pater ait, Effusus sis sicut aqua, nec crescas, quia maculasti statum patris tui. Et rursus Absolonem imitatus est, non tam in regni ambitione quam sceleris punitione, qui Dauid patrem è regno pellere tentauit, sed infelix fuit eius conatus, dum occubuit insolita morte. Nec Santius ipse primus in orbe fuit qui patrem regnãdi gratia à principatu pelleret, cum Darium interfectum legamus à filio Artabano vt citius regnaret. Sed & alius Darius cum à Xerxe patre indulgentissimo Rex esset factus, tamen duobus ei fratribus assistentibus in patrem conspirauit, vt regno priuaret, cuius sceleris pœnas luit. Rursus Tullia Tarquinii Superbi vxor patrem Seruiũ Tullium occidit, super cuius cadauer carpentum inferri iussit, vt sibi & marito Romanæ vrbis regnum accresceret. Denique si poetis credimus, Iupiter Saturnum patrem regno expulit.

Exẽpla eorum, qui parentes è regno pepulerũt.

De quibusdam crudelitatibus Santii, & de bellis, & de scandalis ex ea causa sequutis, & de singulari fidelitate cuiusdam nobilis obsessi in Tarifa, qui passus est filium interfici, ne arcem assignaret, & de eiusdem Santii obitu.

Cap. VII.

SANTIVS quartus, de quo sermo est, plurimis virtutibus polluit, quæ Reges non mediocriter ornant: pręcipue tamen in bellis disciplinę militaris fuit seuerissimus custoditor. sæpe enim pro parua inobedientia milites virgis cæsi, manus amputauit, inobedientesq; in mediis castris securi iussit percuti, nonnunquã propria manu cæcidit. Nam cũ contra

contra Sarracenos bellum gereret, orta semel seditione & tumultu in exercitu, cùm per alios sedari non posset, processit Rex Santius nudus sola indutus camisia, ac se in medio suorum inuicem pugnantium iniecit, dicens, O strenui milites, vbi est fides vestra? non in vestros commilitones, sed in me gladios figite, qui vos huc adduxi. At cū ab armis non cessassent, ille inermis vt erat, arrepta lancea duos percussit milites qui principales in tumultu videbantur, dicens, aut Sarracenos vestros hostes, aut me percutite qui vos percussi: nec hodie eisdem infidelibus tantam detis gloriam, & vobisipsis tam funestam ignominiam, vt gladiis vestris, non hostilibus pereatis. Tunc omnes aut metu aut pudore ab armis abstinuerunt. Nec parum regii animi magnitudo extollenda, sed admiranda est, quæ eo tempore exigebat obedientiam, vbi obedientia non est; & inter distātes gladios Rex ipse milites ferire ausus est, vbi milites Reges suos ferire audent: imitatus Auidium Cassium Imperatorem, de quo Vulcatius Gallicanus pulchre ait. Cum enim in eius exercitu grauis seditio orta esset, ille rustico sagulo tectus, processit dicens, Percutite me si audetis, dum tamen disciplinam militarem non deseratis. Quo viso cūctis ab armis quiescentibus meruit timeri, quia non timuit. quæ res tantum militaris obedientiæ Romanis addidit, tantumque hostibus timorem iniecit, vt pacem ab Imperatore peterent. Santius itaq; Rex difficile putabat principē vincere posse, nisi à suis militibus timeatur. Semper enim in ore gerebat illud de arci ducis Lacedæmoniorum, vt recolit Iulius Frōtinus, Imperatorem, aut ducem exercitus potius timendum esse, quàm hostem. Hinc Marcus Cato dicebat, seditionem in exercitu aut inobedientiam paucorum pœna grauiter puniendam fore. Sic Appius Claudius ac Fabius Rutilius, sic & Iulius Cæsar sæpe egerūt, qui orta seditione inter milites paucis percussis castra pacasse, & fidem militum reparasse referuntur. Sed ad Santium vt redeamus, à quibusdam vitiis non abstinuit. fuit enim iracundus pariter & sæuus. & vt cætera omittamus, apud Pacensem ciuitatem vna die quatuor millia ciuium inhumaniter & repentino impetu iussit occidi, pro eo quod ciues ipsi eiusdem Santii timore alios ciues eorum hostes ex ciuitate expulerunt, & quosdam trucidauerunt. Timentes igitur ne Rex in eos sæuiret, Alfonsum de la Cerda prædictum, eiusdem Santii ex fratre nepotem, vitæ saluandæ gratia in Regem erexerant. Rursus aliam non mediocrem addidit sæuitiam. Cum enim apud oppidū de Alfaro moram traheret, celeri iudicio, & irato ac turbato animo pariter & vultu, occidi iussit nobilem virum Lupum Comitem & dominum Vizcaiæ. Captiuauit denique Infantem Iohannem fratrem suum. Quibus ex causis maximæ clades sequutæ sunt. Nam Didacus filius eiusdem Lupi Comitis & plurimi nobiles & barones, ei & dicto Iohanni fauentes, ad Iacobum Regem Aragoniæ confugerunt, apud quem obtinuerunt, vt relaxaret Alfonsum de la Cerda filium Fernandi primogeniti Alfonsi decimi, quem in vinculis tenebat, de quo sub eodem Alfonso decimo egimus, quibus Rex Aragoniæ annuit. Alfonsus igitur de la Cerda assumpto titulo regio Castellæ regnum armata manu ingressus est, quibus Sātius occurrit, & bella grauissima sequuta sunt, durauitque diffidium tribus annis. Tādem matrimonio pacatum est. Nam idem Iacobus Rex Aragoniæ Elisabet filiam huius Santii, de quo agimus, duxit vxorem. Iohannes vero prædictus frater Santii Regis ab eo læsus, cum se à vinculis liberum cōspexit, ad vindictā infeliciter properabat. Nam Vlisbonam clam petiit, indeque nauigio transfretat in Africam, & Abeniacob Machometum Regem Bellamarini accersit, à quo honorifice receptus est: cui suasit Iohannes, vt si gentes & classem ei concederet, facile ei oppidum de Tarifa assignaret, quod paulo antè rex Santius eius frater euicerat. Concessit igitur ei Abenyuzaf quinq; millia equitum & magnam peditum copiam. Applicantes igitur ad littora nostra, oppidum prædictum Tarifam obsederunt, cuius custodiā gerebat nobilis Alfonsus Petri de Guzman. Quare decreuerunt oppidum expugnare, quod sex cōtinuis mēsibus, machinis & omni artificio debellabāt. Cum itaque Infans ipse Iohannes & alius Infans Sarracenus frater Abenyuzaf viderent Alfonsi Petri & obsessorum constantiam, nuncios misere ad eos offerentes pacem, si certam pecuniæ summam persoluerent è thesauro Alfonsi, quem inibi esse putabant. Auditis itaque legatis obsessi omnes quasi vir vnus & vno ore dixerunt: Dicite his qui vos miserunt, turpe admodum esse insignibus ducibus, paratam victoriam pecunia vēdere: nec minus turpe est fortibus viris, libertatem suam precio comparare. Quibus auditis verbis, Iohānes Infans ait ad Sarracenos, Nosco ego homines, nec prece, nec precio flectetur. Imitati sunt Alfonsus Petri & sui priscos illos Hispanos, non minoris fidei & virtutis viros, quos cū apud Ciminiū sic tūc appellatā ciuitatē Lusitaniȩ Brut⁹ cōsul Romanus lōga obsidione afflixisset, ipsiq; obsessi pertinaciter arma retineret, tētata redēptione per Bruti legatos, illi respōderūt ferrū sibi à maioribus relictū esse, quo vrbē suā tuerētur, non aurum

quo libertatem ab auaro imperatore emerent. Cum igitur nec sic Iohãnes Infans & Sarraceni obsidentes proficerent: Opus est, inquit Iohannes, sanguine, vt Alfonsum Petri vincamus. Manebat enim filius Alfonsi Castellani eo tempore in eiusdem Iohannis obsidentis seruitio. Missis igitur nunciis ad Alfonsum Petri, vt oppidum simul & arcem Iohanni assignaret, alias filium iugularet: Alfonsus ipse fidei & probitatis magis quam vitæ filii solicitus, imitatusque Aulum Fuluium Romanum præclarissimum virum, ad eosqui venerant verba faciens, Dicite, inquit, mittenti vos, quia non Iohanni aduersus patriam filium genui, sed patriæ aduersus Iohannem omnesque mortales. Dicite rursus, quia si filium Iohannes gladio cæcidit, mihi gloriam, filio veram vitam tribuet, eidem vero sæuienti sempiternam ignominiam & ad inferos damnationem. Si vero filius liberatur, vt fidem lædam, vita eius mors mea est & indelebilis macula, qua idem filius viuẽdo moriatur. malo enim orbatus filio quam fide viuere, malo denique gloriosam filii mortẽ quam turpem vtriusque vitam. filios plurimis ex causis inuiti sæpe perdimus, fidem vero & honorem nisi volens nemo perdit. Optat I hannes, immo hostis, vt similis sui fiam, qui parum æstimat fidem quam non habet. nullam infelix ipse putat iacturam honoris, quem diu ante perdidit. Iugulet igitur filium, vt furori atque perfidiæ suæ, honoriquem eo faciat satis, daboq; illi gladium quo id triste spectaculũ, mihi dulcissimum, expleat. Et dum verba finiret, gladium supra muros in castra Sarracenorũ demisit. Quo ab impio Iohanne suscepto, nunciisque auditis, illico vidente patre & gladio patris filiũ transfodit. Consultius profecto Iohannes ipse ob patris ingentem fidem filio de se bene merito pepercisset, imitatus M. Antonium, qui cum nullo pacto centurionẽ à Cęsaris fide retrahere potuisset, atq; ob eam rem filium eius occidere decreuisset, constanter centurio ad eum ait, nullo filiorum supplicio adduci posse, vt Cæsaris miles esse desineret, & Antonii esse inciperet. Qua perseuerantia (vt inquit Liuius) quo constantius vitam filiorum cõtempsit, eo facilius vitam ab Antonio impetrauit. Cum igitur Sarraceni cernerent omnem spem defuisse habendi castrum, infeliciter ab obsidione discesserunt. Cæterum ad Santium vt redeamus, pro sedandis dissidiis inter eũdem Santium & Iacobũ Regem Aragoniæ, quæ plene per ante dictum matrimoniũ non fuerant sopita, arbitri electi sunt: pax tamen non pro tunc sequuta est, sed treugua ad tempus indita. Interim Santius ab hac vita subtrahitur, & obiit morte communi. Filium suum primogenitum Fernandum reliquit regnorum successorem, quem ex inclyta domina Maria eius consorte genuerat, quam eidem filio dimisit tutricem, vt statim latius tangemus. Hic Santius ob repentinas & iniustas cędes quas perpetrauit, plures angustias & persecutiones passus est, velut alter Abimelech, qui vt securius regnaret, nedum fratres, sed plurimos alios gladio cęcidit: sed scriptura sacra testante, paruo tempore regnauit, & multa aduersa passus est. Huius Santii tempore sedit in Petri cathedra Honorius IIII. Romanus, & successiue Nicolaus IIII. Lombardus. In imperio sedit Rodulphus primus, Comes Nasouæ, qui pugnauit cõtra Albertum Ducem Austriæ filium Rodulphi Regis Romanorum, prædecessoris sui, in qua pugna Rodulphus occiditur anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo octauo, diademate non est potitus.

De Fernando quarto, Rege Castellæ & Legionis trigesimo octauo post cladem Hispaniæ, & de summa pudicitia ac virtutibus dominæ Mariæ matris & tutricis eius, & quomodo obtinuit contra omnes Reges Hispaniarum qui diffidarunt eundem Fernandum impuberem.

CAP. VIII.

FERNANDVS huius nominis quartus, filius Santii prædicti, in regnis Castellæ & Legionis successit, anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo quinto. Hic post Athanaricum primum Regem Gotthorum septuagesimus quintus Rex fuit, & post Pelagium primum Regem Hispaniæ post cladem, trigesimus octauus: regnauit autem annis quindecim. Hic Fernandus ætatis erat nouem annorum, cum regnare cœpisset, sed excellentissima domina Maria fideliter tutelam gessit. Hæc domina Maria vt paulo ante diximus, filia fuit Alfonsi Infantis de Molina & neptis clarissimæ dominæ Berenguelæ matris gloriosi Regis Fernandi tertii, qui Hispalim & totam Bæticam à Mauris recuperauit. Hæc igitur Regina Maria Santio marito vita functo cum à multis foret monita, vt secundas contraheret nuptias, cum ætas & forma ingens suffragarentur, illa, vt alia Iulia Romana quam Valerius commemorat, Nequaquam, inquit, hoc faciam. si enim maritũ bonũ sortita fuero, vt ante habui, nolo timere ne perdã: si scelestũ & dyscolũ, quid necesse est post bonũ, pessimũ sustinere? subdẽs, Felix & pudica matrona nunquã pręter semel nubit,

Pudica matronæ proprium.

nubit, quia vt Porcia Romana, teste Orosio dicebat, multorum connubiorum experientia cuiusdam intemperantiæ signum est. Imitata fuit hæc inclyta Regina Valeriam Mesalorum sororem quam idem Orosius recolit, quæ amisso viro suo cum renueret secundo nubere, & de causa interrogaretur: respondit sibi semper maritum suum viuere, addens eam non esse viduam quæ filium patris imaginem gestantem pro marito colebat: subdēs iterum, quia non prolis, sed potius cupiditate libidinis nubit, quæ superstitem filium habet. Itaq; ad suos reuersa qui vt nuberet monebant, ait non satis fidos fuisse regi talia commonentes. Nam desiderare eam ad secunda vota transire, nil aliud videbatur quam regi eorum domino insidias optare. Igitur illustris ipsa Regina fœminea benignitate deposita, animum plus quam virilem induit, & quamquā (vt Sapientes aiunt) cæteræ virtutes multum habent admirationis, sed pietas ad filios plurimum amoris, tam exuberans fuit in hac vna matre ad filium pietatis cura, vt non minus admirationis quam dilectionis habere videretur. Nam velut alia Regina Hester omni periculo se exposuit pro liberatione populi sibi commissi. Cum igitur prospiceret propter filii teneram ætatem omnes Hispaniarum reges & alios æmulos cōtra eam & filium surrexisse, siquidem vna eademq; die filius Fernandus prædictus à regibus Aragoniæ, Nauarræ, necnon Portugaliæ, ac Granatæ diffidatus foret: Alfonsus deniq; de la Cerda se pro rege Castellæ gerebat: rursus infans Iohānes titulum regni Legionis vsurpasset: qui omnes crudelem guerram diuersis in regni partibus mouissent, ac valida manu regna filii vastassent. Ipsa tamen Regina Maria iactans curam suam in domino, tanta prudentia tantaque dexteritate harum magnarum quidem tempestatum vitauit naufragium, vt paulo post omnes ipsi eius hostes inceptis rebus non præualerent. Nec modo armis iura filii tuebatur, sed orationibus, ieiuniis, assiduisq; eleemosynis, ac suæ regiæ personæ maceratione. Ferunt enim Hispanorum annalia hanc dominam tam strictam in se & filii sui cura parsimoniam & paupertatem seruasse, vt vasa argentea nō haberet, sed tantum fictilia & lignea. cuncta enim quæ habere poterat, aut pauperibus, aut ædificandis sacris templis, vel stipendiis militum pro regni defensione certantium profusa assiduaq; manu diffundebat. Sed nec procerum & magnatum regni fidelitas quieuit, ac probitas subditorum. videntes enim multitudinem inimicorum, ac regis sui pueriles annos intuentes, sua nobilitate & fide confortati, illustri Reginæ assistentes & præsidia ferentes, animos plus quam viriles assumpserūt. nam vltra illorum eximiā fidem, commiseratio infantilis ætatis regiæ & maternæ pietatis eis animos auxit. Quare contra omnes hostes præualuerunt, imitati Macedones quos Plutarchus commemorat qui puerulum regem suum tam fortibus animis tutati sunt, vt ostenderent suis hostibus, regem, non virtutem Macedonibus defuisse. Quare ob tantam subditorum fidem & matris pietatem ingentem, regem ipsum ab omnibus inimicis dominus liberauit, & præualuit aduersus eos qui tribulabant animam suam. Nam acriores hostes eidem Reginæ & nobilibus suis pacem optatam vltro obtulerunt, alii vero reges, immo hostes, breui tempore à regno pulsi sunt: Rex tamen Aragoniæ qui regnum Murtię occupauerat, post plurimas guerras & clades tandem oppida de Oriuela prope Murtiam, & Aliquante, Elche, & quædam alia castra regni Murtiæ ex arbitrali sententia vsq; in hodiernum diem obtinuit: residuum vero regni Murtię cesit regi Fernando. Tulit autem hoc arbitrium Dionysius rex Portugaliæ pro sedandis disidiis, quamquam oppida prædicta regi Aragoniæ adiudicata ad regnū Castellæ spectassent. cui arbitrio cesit Regina inclyta, ne filius sub teneris annis agens, tot simul aduersantium persecutionibus affligeretur. Hęc sancta Regina, vt alia Noemi, solicita & prudentissima fuit in agēdis suis, & velut alia Olda prophetissa quam Scriptura cōmemorat, tam prudēter Iosiam regem direxit, vt aduersa ventura sua sapientia in prospera conuerteret. Post plurima itaq; huius nobilis Reginæ pia opera cœnobium S. Francisci Vallisoleti & septem alia deuota monasteria propriis sumptib. construxit. Fernandus igitur factus adolescens duxit vxorem Constantiam filiam Dionysii regis Portugalię, ex qua genuit Alfonsum vndecimum, postea regem Castellę: item Leonoram quæ vxor data est Alfonso regi Aragonum. Cum igitur Deus vocasset Reginam ad illud infallibile regnum, vbi sine tædio & absq; fine regnatur, illa inter cætera recommisit filio barones & nobiles, qui in eius tenera ætate contra reges Aragonum, Nauarræ, Portugaliæ, & Granatæ, & cæteros hostes militauerant, & præsertim nobilem virum Iohannē Alfonsi de Haro, qui mira virtute vicerat Iohannem Nunii, quem captiuū eidem Reginæ & Fernando eius filio præsentauerat. Quæ vna res totalem victoriam hostium Fernādo attulit. Nam vt dictus Iohānes Nunii liberaretur, assignauit Fernādo regi oppida de Palenzuela quod tunc idem rex obsidebat, & castrum Xeriz, Duennas, Tariego, Lerma, Cannete, Moya, & Histar. Quæ omnia effecerunt, vt prædicti reges & cæteri

Cœnobium S. Francisci Vallisoleti & septē alia monasteria construūtur

hostes Fernandi animum perderent,& ad pacem properarent. Verumtamen non satis tam singulare seruitium prædicti Iohannis Alfonsi recognitum fuit per Alfonsum vndecimum huius Fernandi filium, vt statim latius dicetur.

De virtutibus & victoriis Fernandi quarti, & qualiter recuperauit à Sarracenis Gibraltar & alia castra, & quid faceti retulit quidam antiquus Sarracenus, & de subita eius morte, vt creditur, propter certas indeliberatas & festinas mortes nobilium.

CAP. IX.

FERNANDVS igitur sicut ætate, sic virtute crescebat. erat quidem iustus & rectus, curiasque generales pro subleuandis grauaminibus sæpe congregabat. Cumque apud Burgis ex omnibus suis regnis curiæ tenerentur, applicuit nobilis Maria Didaci de Haro filia Lupi Comitis & domini Vizcaiæ, quem (vt diximus) rex Santius quartus apud oppidum de Alfaro occidi iusserat, quæ siquidem Maria Didaci Infanti Iohanni nupserat, Cum igitur dictus Lupus eius genitor sine filio masculo decessisset, dominium Vizcaiæ ad illam optimo iure pertinere dicebat, petebatque sibi iustitiam ministrari, præsertim contra Didacum de Haro patruum suum, prædictæ prouinciæ vsurpatorem. Rex igitur Fernandus auditis hinc inde plene partibus, tulit sententiam qua Didaco de Haro ad eius duntaxat vitam vsumfructum Vizcaiæ iudicauit: post mortẽ vero eius prædicta Maria obtineret eandem Vizcaiam, Durango, & patriam dictam Incartationes: rursus Lupus de Haro filius prædicti Didaci de Haro obtineret Valmasedam, Ordunnam, & Villalua, & Losa. quam sententiam omnes partes emologarunt. Post prædicta Fernandus rex bella contra Machometos feliciter gessit, illisq; magnas clades intulit. Nam inter cætera famosum oppidum de Gibraltar & de Cannete post longam obsidionem suæ ditioni subiecit. In quorum recuperatione præcipue militauit Iohannes Nunii de Lara. Nec tamen putaui obmittendam facetiam, ridendam simul & notandam, cuiusdam Sarraceni, quam prædicto Fernando retulit. Cum enim oppidum prędictum de Gibraltar venisset in deditionem regis Fernandi, ex pacto Sarraceni vtriusq; sexus exeuntes de castro optabant transfretare in Africam. Inter quos accessit ad regem quidam Sarracenus venerandus centum fere annorum, qui ait ad regem: Nescio quid mihi & tibi sit domine rex, aut cur me tantopere persequeris. Eram ego quondam ciuis Hispalensis, & rex Fernandus proauus tuus cum illam ciuitatem obtinuit, me inde expulit: ego vero contuli me Xericium. Postea superuenit Alfonsus decimus auus tuus, & capta ciuitate me inde expulit nudum & percussum. Tandem applicui oppido de Tarifa vbi domum fabricaui, & dum me tutum putarem, venit Santius pater tuus, & castrũ vi & armis obtinuit, & simili modo pulsus fui de domo mea. Postea considerans quod in nullo loco eorum quæ Sarraceni in Hispania obtinent, tutius viuere poteram, quam in hoc famoso castro de Gibraltar, decreui in eo dies mœstos finire meos. Nunc vero tandem tu venisti, & castrum obtinuisti. Exoro igitur excellentiam tuam, digneris mihi & familiæ meæ scapham aut partuum aliquod nauigium concedere, vt in Africam transeam, finiamq; dies meos paucos & malos cum aliqua quiete, nec dietim videant oculi mei tot gentis nostræ clades. Rex vero Fernandus subirridens simul & compatiens, donauit eum muneribus, concessitq; nauigium pro se & illis miseris quos ipse delegit. quo humanitatis præclaro facinore à vicinis oppidis cognito, sese sine sanguinis effusione Fernãdo dedere. Nec alia arte Q. Mecellum Celtibericas Hispaniæ gẽtes expugnasse legimus, qui quosdam Celtiberos intercipiens humanitatem propinquæ victoriæ præferens, non solum eos incolumes remisit, sed ab obsidione discessit. quo tam clementi facto nõ vnius ciuitatis mœnia, sed omnium Celtiberorum vrbium animos cepit, effecitque vt ad eas redigendas in Romani populi deditionem multis obsidionibus opus non esset. Postremo hic Fernãdus etsi victoriosus fuit, & multis virtutib. polluit, quibusdam tamẽ vitiis nõ caruit. Fuit enim in credẽdo detractoribus prõptus, & ex quadã, vt putatur, rigiditate iustitiæ in puniendo celer. Ex qua re à Deo punitus creditur. Nam cũ apud oppidũ de Martos duo nobiles de Caruaial coram eo de proditione accusarentur, rex ipse præcipiti iudicio præcipitari eos de altissima rupe iussit. Illi tamen sese innocentes asserebant. Quare cum humanum deesset auxiliũ, ad diuinum recurrerunt, & propter iniustam mortẽ regem citarunt, vt infra triginta dies coram diuino compareret tribunali, rationem de tam iniqua morte redditurus. Adueniente igitur die citationis, cum esset rex apud ciuitatem Gienensem, post somnum meridianum repertus est mortuus. Alii ferunt morte communi expirasse. An autẽ hæc subita mors à casu, vel à fortuna, an ex prædicta obuenerit causa, iudicio diuino relinquendũ est,

Facetia ridicula.

eſt,cuius iudicia abyſſus multa. Abſtinere profecto debent principes à feſtino & præcipiti iudicio. Hinc rex & patriarcha Iob, Cauſam,inquit,quam neſciebam,diligentiſſime inueſtigabam. Vbi Gregorius: Ad ferendam mortis ſententiam præcipites eſſe non debemus,nec temere indiſcuſſa iudicare. maiora enim crimina credenda non ſunt mox, cum audiuntur: ſicut Scriptura commemorat de Phitifare qui leuibus verbis coniugis credulus,ſententiam tulit contra Ioſeph. Nec aliter egit tyrannus ille quem Seneca in libro De ira commemorat,qui irato & feſtino iudicio tres occidit innocentiſſimos milites: vnum quia rediit de via ſine ſocio,quem dicebat ab eo interfectum. Et cum duceretur ad ſupplicium,venit ſocius,quem cùm executor iuſtitię conſpexiſſet,viuum duxit ad principem. Ille vero feſtinus & iratus,ait ad primum,Te iubeo interfici, quia damnatus es. Secundo dixit,Te ſimili ſententia damno,quia cauſa damnationis ſocii fuiſti. Tertio, videlicet lictori,dixit,Te quoq; occidi iubeo, quia mihi imperanti non paruiſti. Huius Fernandi regis temporibus ſedit in cathedra Petri Celeſtinus V. & ſucceſſiue Bonifacius VIII. natione Campanus, & deinde Benedictus XI. Lombardus, & Clemens V. Burgundus. Vacauit ſedes duobus annis & totidem menſibus. In imperio vero præfuit Rodulphus II. de quo paulo ante egimus.

De Alfonſo XI. qui poſt cladem Hiſpaniæ trigeſimus nonus rex fuit, & de prole ſua, & de victoriis eius contra reges Bellamarini & Granatæ, & quomodo recuperauit Alcala la real & alia caſtra, & de eius repentinis cædibus quorundam magnatum, & de magna ingratitudine contra eos commiſſa.

Cap. X.

ALFONSVS huius nominis vndecimus,filius Fernãdi quarti,ſucceſſit in regnis Caſtellæ & Legionis, cœpit regnare anno Domini milleſimo trecenteſimo decimo, fuit autem ſeptuageſimus ſextus rex ab Athanarico primo rege Gotthorũ, & trigeſimus nonus à Pelagio qui primo regnauit poſt cladem Hiſpaniæ. Regnauit autem annis quadraginta. Hic duxit vxorem Mariam filiam regis Portugaliæ, ex qua genuit Petrum qui poſt eum regnauit. Sed ex nobili fœmina Leonora de Guzman genuit Henricum & Fredericum filios naturales. Primum fecit Comitem de Traſtamara, alterum magiſtrum S. Iacobi. genuit etiam Santium & Telium Comites, Petrũ & Didacum, quos vltimos paulo poſt Petrus eius filius occidit. Hic Princeps ſtrenuus & valde animoſus fuit, plurima præclara bella contra infideles geſſit. Deuicit enim Almohazen Machometum, & demum Yuzef reges Bellamarini & Granatæ. nam lucro fidei & ſuæ ditioni adiecit Alcala de beneay quam nunc Regalem appellamus, & plurima alia caſtra & oppida. Hic Alfonſus iuuenis ſatis regnare cœpit, & quorundam prauo conſilio aliquos magnos viros de ſe & regnis ſuis bene meritos inhumaniter gladio cædi iuſſit. Oblitus enim maximi & acceptiſſimi obſequii quod Iohannes Alfonſi de Haro dominus Delos cameros Fernãdo regi patri ſuo paulo ante in bello contra reges Aragonum & Nauarræ ſedulo & vtiliter præſtiterat, vt ſupra diximus, eundem Iohannem Alfonſi apud oppidum de Aguſeio interfici iuſſit, vt verificaretur quod vulgo dici ſolet, quia ſæpe magno & peculiari ſeruitio magna ſuccedit ingratitudo. Rurſus non minor fuit ſæuitia & ingratitudo quam in nobilem virum Gundiſſaluum, Martini magiſtrum de Calatraua iniuſte exercuit. qui cum principalis capitaneus eſſet, in confinibus regni contra Mauros Granatenſes bellũ campeſtre conſeruit cum Abomalich, vocato Infante Picazo, filio regis Almohazen, qui ex Africa cum magnis copiis ex condicto quorundã perditiſſimorũ Chriſtianorũ tranſierat, vt ciuitates Delas Algeziras, & Gibraltar obtineret, & nõnulla alia Chriſtianorũ oppida & caſtra inuaderet. In quo bello pugnatũ eſt acriter & nõ ſine varietate fortunę. Sed diuino aſſiſtente præſidio, prædictus Infans Picazo & plurimi Sarraceni occiſi ſunt, & non pauci capti. Et poſt tam inſignem victoriã Alfonſus rex ſuaſu & cõſilio Alfonſi Fernandi Coronel, eiuſdem Iohannis Alfonſi æmuli, Iohannem prædictum acerrime perſequutus eſt, obſeditq; in quodam caſtro ſuo, & tandem idem Iohãnes Alfonſi confiſus de ſua innocentia deq; ſuis ſeruitiis regi & regno præſtitis, inductus vexillis & cæteris Vanderis quas paulo ante in bello contra Infantem Picazo obtinuerat, regiæ pietati, immo morti ſe obtulit. Rex vero irato nec ſatis deliberato animo iniuſte & inhumaniter eũ occidi iuſſit. Profecto non mediocris fuit regis Alfonſi ingratitudo, nec diſſimilis ei quam Solon paſſus eſt ab Athenienſibus, quibus non ſolum leges dedit toti orbi conſecrandas, ſed ciuitatem dominam Græciæ fecerat: ab ea tamẽ patria quam defendit, profugatus in Cyprum exilio datus eſt, nec in ea humatus eſt quam luſtrauerat. Hæc igitur cædes &

ingratitudo Alfonſi plurimum honoris & gloriæ ei abſtulerunt, quas quidam potius ex iuuenili impetu æmulorumq; conſilio quam ſui animi prauitate putant accidiſſe. Verum non manſit inultum tam iniquum Alfonſi Fernandi Coronel cõſilium. nam pari forma, qua Alfonſus eius perſuaſione magiſtrum prædictum de Calatraua occidi iuſſerat, eadem ſeueritate Petrus huius Alfonſi vndecimi filius prędictum Alfonſum Fernandi Coronel occidi fecit apud oppidum de Aguilar de la Frontera, vt verum ſit quod Saluator in Euangelio dicit, quia qua menſura menſi fueritis, remetientur & vobis. Nec aliter euenit ſuperbo & inſolenti Aman, ſicut Scriptura teſtatur, qui præcepto regis Aſſueri eo ſupplicio occubuit, quod parauerat innocenti Mardochæo. Sed & Andronicus eodem genere pœnæ quo iniuſte occiderat Adoniam ſummum ſacerdotem, vita priuatus eſt. Contra ſimiles ait Ieremias ad prophetas Babyloniæ, Reddite iuxta opus ſuum, & iuxta ea quæ fecerunt, facite illis.

Quomodo Alfonſus emendatus de ſæuitia plurimum fuit humanus & magnificus, & ſublimauit quendam Aluarum Nunii de Oſorio, & de peſſimo eiuſdem militis fine.

CAP. XI.

VERVM licet hic rex Alfonſus vndecimus, aut iniquis conſiliis, aut prauorum hominum æmulatione, ſeu iuuenili calore aliqua iniuſta egerit, poſtea tamen plurimum pœnituit, & ſe errare cognouit: quinimmo depoſita crudelitate, humanitatem & benignitatem induit, idque in eo bello oſtendit quod contra Portugalenſes geſſit. nam offenſus à rege Portugaliæ, qui ciuitatem Pacenſem iniuſte obſederat, regnum Portugaliæ valida manu ingreſſus eſt: pietate tamen & humanitate motus militibus iuſſit, ne pauperes innocentes in aliquo læderent. Cumq; ſui commilitones, trecentos nobiles Portugalenſes bello captiuos cepiſſent, ipſe Alfonſus in propria eos ad caſtra Portugalenſium incolumes deduxit, ne à ſuis offenderentur. Quod cum vidiſſent maiores regni Portugaliæ, tanto beneficio magis quam armis victi ſuaſerunt regi, vt cum Alfonſo rege clementiſſimo concordaret. quod & actum eſt, pax inter eos ſequuta eſt. Nec aliter Camillum Romanorum conſulem egiſſe Valerius ait, qui cum quoſdam Faliſcos ex hoſtium exercitu interciperet, eos incolumes in patriam remiſit. Qua animi magnitudine & moderatione illorum animi ſunt capti, quorum mœnia non niſi magno ſanguine expugnari poterant. Deniq; dictus Alfonſus liberalis & munificus fuit, & plurimos exaltauit, inter quos quẽdam Aluarum Nunii de Oſorio plurimum & breui tempore ſublimauit. Nam inter cætera contulit ei plurima caſtra, oppida, & villas, creauitq; eum Comitem de Traſtamara, adeo vt ex humili ſtatu vnum de maioribus regni eum conſtitueret, quippe qui ſecũdus poſt regem erat. Verumtamen cum dictus Aluarus fortunam ſuam non ſatis agnoſceret, ſed & inſolens eſſet, tentauit ſuperbo & temerario animo ducere in vxorem dominam Leonoram regis Alfonſi ſororem. quod rex ipſe conſpiciens, cernenſq; non ſatis prouide Aluarum tam celeri motu ac præcipiti aſcenſu exaltaſſe, quippe quem iam contumacem in pluribus conſpiciebat, veluti qui impinguatus & dilatatus contra eum qui fecit illum, calcitrabat, commemorans deniq; quod eiuſdem Aluari conſilio occidi iuſſerat nobilẽ Iohannem dominum de Vizcaya conſanguineum ſuum, decreuit prudenter deprimere quẽ leuiter exaltauerat. petiit enim rex ipſe, vt Aluarus aſſignaret caſtra & fortalitia quæ ſibi contulerat. quod Aluarus pertinaciſſime renuit, quinimmo erectus in ſuperbiam regi reſiſtere tentauit, vt de eo Scriptura in lib. Eſter dicere videatur, Multi (inquit) bonitate & principum honore qui in eos collatus eſt, abuſi ſunt in ſuperbiam, nec contenti ſunt gratias non agere de beneficiis, ſed in dominũ proſiliunt. Alfonſus itaq; formato contra eum legitimo proceſſu, eum fuiſſe proditorẽ publice declarauit. Paulo poſt accidit eundem Aluarũ moram trahere in quodã oppido ſuo de Beluer, quod fuerat hæreditarium prædicti Iohannis domini de Vizcaya eiuſdem Aluari conſilio interfecti, cúmq; dictus Aluarus arcẽ vellet ingredi, cuſtos dictus Ramirus Flores permiſit eum intrare, & claua quã manu gerebat, caput Aluari concuſſit atq; eliſit, & ex muro demiſit cadauer in terra, veluti idẽ Aluarus fecerat dicto Iohãni domino Vizcayæ, quẽ ſuo conſilio apud Taurum rex interfici iuſſerat. Ramirus vero illico corpus nudũ ligatum aſino regi obtulit. Is plurimum lętatus corpus exanime cõburi fecit, bonis ſuis omnib. confiſcatis. Sic itaq; actum eſt, vt, ſicut Ieremias ait, vices ei redderẽtur iuxta opus ſuum, & id ſibi fieret quod aliis effecit, velut de Andronico legimus quem propter iniuſtam cædem Adoniæ ſacerdotis, eius conſilio admiſſam, Antiochus purpura exutum fecit vita priuari.

De præclaris victoriis Alfonsi vndecimi contra Reges Granatæ & Africæ, & de preciosis spoliis quæ in bello habuit & Romano Pontifici transmisit, & quomodo post longam & constantissimam obsidionem recuperauit ciuitates Algeziras, & quomodo quidam Sarracenus tentauit in tentorio Regis Alfonsi eum proditorie interficere, & de singulari clementia qua vsus est erga eum, & quomodo populauit prædictas ciuitates.

CAP. XII.

ALFONSVS itaque vitam suam recolens & delicta iuuentutis suæ ad pia & iusta opera conuertere cupiens, omnipotenti Deo per quē Reges regnant, solenniter vouit bellum contra infideles indesinenter gerere, primitiasque victoriarum ei offerre. Cum igitur Almohazen Machometus Rex Marrochitanus & Bellamarini sociatus Rege Granatæ cum magna Pœnorum copia obsedisset oppidum nostrum de Tarifa, & XXII. machinis muros perforasset, occurrit illi Rex Alfonsus comitatus Alfonso Portugaliæ Rege. Acerrimo itaque bello conserto pugnatum est ingenti contentione, cumque diu vtrinq; dubia sorte cæderentur, tandem vt diuinæ bonitati placuit, Reges ipsi Maurorum victi & cæsi fuere. In castris vero eorundem Arabum plurima preciosa spolia inuēta sunt, de quibus deuotus Rex Alfonsus recognouit ipsam victoriā obtinuisse nō viribus suis, sed Deo eā tribuente: imitatus Patriarcham Abraham, qui habita quinque Regum præclara victoria, obtulit summo sacerdoti Dei altissimi decimam spoliorū belli: & velut alter strenuissimus Gedeon, qui deuictis hostibus eorum spoliis in templo oblatis, benedixit dominū dicēs, “Abs te est domine victoria ista: & tanquam sancta Iudith, quæ post Olofernis necem atq; “victoriam obtulit in templo Dei preciosa spoliorum: Dauid quoque, qui gladium quo su-“perbum Goliam decollauit, sanctificauit domino in templo sancto suo. Horum itaque sa-“cra vestigia secutus Alfonsus summo Pontifici illius temporis donaria ex hostium spoliis deuotissime transmisit, centum videlicet Mauros in bello captiuos, & totidem equos, ita vt singuli Sarraceni singulos equos per capistra, & in altera manu paruū vexillum deportarent, quos præcedebat miles quidam Regis nūcius, vexillum Regis Sarraceni bello captum deferens. quæ siquidem præclara encænia Romanus Pontifex hilari vultu conspexit, & sequenti die processione solenniter facta gratias Altissimo de tanta victoria persoluit. quod vtique vexillum hodiernis temporibus in ecclesia sancti Petri huius almæ vrbis cernitur. Rursum sanctum eius propositum prosequens, postquam castrum de Alcala la real & alia plurima à Mauris recuperauit, forti & constanti animo obsedit ciuitates de las Algeziras, viginti duobus mensibus, & in ea obsidione gentes suæ innumeros labores perpessæ sunt. Nam inter cætera singulis diebus trium mensium pluit, & iterum cessante pluuia, ignis Maurorum calliditate in castris Regis Alfonsi proiectus adeo inualuit, vt magnā victualium & cæterarum rerum partem consumeret, famesque ob eam rem valida exercitum Regis affligebat. Verumtamen, vt potuit, suppleuit regia prouidentia, & per mare aliquanta victualium copia exercitus reparatus est. Admonebant tamen permulti Regem vt saltem verba bonæ spei militibus daret, quo facilius famem sufferre possent. Ille vero, vt erat promptus in dicendo atque perfacetus, Catonis senioris verbum retulit in simili casu. dicebat enim difficile esse ad ventrem vacuum orationem habere qui aures nō habet, quippe qui plus delectatur coquorum fumo quam oratorum elegantia. Exercitui tamen suo compatiens ea victualia quæ mensæ regiæ erant reseruata, militibus distribuit, hortās vt ea die paruo illo cibo potirentur, ipseque merito pro eis ieiunaret qui pro eo in tāta fame constituti erant. Cumq; sine intercessione ciuitates debellaret, Sarraceni inter quos erat Infans frater Almohazen videntes constantiam Alfonsi, veluti quem nec inundatio aquarum, nec flammarum incendia, nec impatientissima fames à proposito reuocabant, obtulerunt ei ciuitates eo pacto, vt ipsi libere vltra mare transfretare possent. Rex igitur Alfonsus easdem Algeziras muris & fossis reparauit, ex Mezquitis ecclesias fecit, aliasq; de nouo construxit atque dotauit, & vrbes ipsas Christianis populauit. Verum inter cætera huius Alfonsi egregia & præclara facinora prætermittendum nō putamus illud stupendum & pene admirabile moderationis & clementiæ signum quod in eadem obsidione de las Algeziras Alfonsus exercuit. Cum enim vidissent Sarraceni Regis constantiam, & se fame afflictos, & ea de re obsidionem ferre amplius non posse, vnus pertinacissimus Sarracenus ex obsessis ad cæteros loquens, Nunquam, inquit, periculū sine periculo vincitur. Ego igitur pro legis zelo & vestra salute meam vitam morti exponam. Exiens itaque de ciuitate gladioque ancipiti inter diploidem & tunicam absconso castra Regis Alfonsi petit, & cum in manus custodum incidisset, ait ad eos vt se ad Regem deferrent, cui

Victoria à Deo.

Alfonsus Papæ donaria mittit ex hostiū spoliis.

Clementia Alfonsi signum admirandum.

nonnulla, vt eadem die ciuitates acciperet, locuturus erat. Ante igitur quam ad Regem duceretur, vt primum illum vidit quidam grandæuus miles Hispalensis, expoliari eum & perquiri fecit, repertoque gladio ad Regem ductus est, à quo Rex discursum deliberatæ proditionis intellexit. Cum itaque grauibus suppliciis plecti cuncti clamarent, Alfonsus singulari humanitate fretus illum incolumem Regi Bellamarini in Africa constituto trãsmisit præmiandum, veluti qui salutem patriæ vitæ suę præposuit. Rex vero Sarracenorum qui (vt creditur) rei inscius erat, crudelissima cum morte affecit. Egregium certe facinus, si a catholico esset principe gestum. Imitatus est hic Sarracenorum Rex Magnum Alexãdrum, apud quem, vt Quintus Curtius ait, cum vnus ex Darii familiaribus qui eundem Darium prodiderat, quippe & interfecerat, duceretur, illum fratri Darii cruciandũ tradidit. dicebat enim Alexander falli eos qui proditionis ab eo præmium expectarent: immo violatæ fidei neminem acriorem fore vltorem quam se ipsum. Sed illius Sarraceni qui se vltro morti obtulit, nescio cur saltem mentem liberandæ patrię non magis commendem, quam Iuliani Christiani perfidissimi, qui tempore Roderici Regis vltimi Gotthorum patriam prodidit. Ille enim (vt ait ex Valerio Augustinus de ciuitate Dei) velut alter Paulus Decius cum videret Remp. Rom. pene prostratam, caput suum pro eius salute deuouit, & in medio hostium sibi mortem petens comparuit. Iulianus vero vt alter Sylla qui aduersus patriam ita gladium strinxit, vt tantum suorum sanguinem oculis viderit, quantũ nefas est audire. Sed certe vtrumque pulchre, sed impari laude, Cicero primo de Offic. tangere videtur. Omnem (inquit) caritatem superat ad patriam amor. pro qua quis bonus vir mortem non dubitat appetere, si patriæ mors sua est profutura? sicut nulla detestabilior inhumanitas quam eorum qui lacerauerunt cum scelere patriam, & in ea funditus delenda occupati sunt.

Qualiter Alfonsus vndecimus prædictus obsedit famosum oppidum & castrum de Gibraltar, & de peste superuenienti in eius castris, & de singulari perseuerantia in obsidione, in qua tandem obiit peste, relicto Petro filio regni successore, & de lamentabilibus, sed memorabilibus verbis Alfonsi ad suos tempore mortis prolatis, ac de aliis prudentissimis sententiis & futuris vaticiniis cuiusdam Græci sapientis ad Petrum cum summa libertate habitis.

Cap. XIII.

SED iam ad Alfonsum redire libet. Porro hic gloriosus princeps commemorans quod famosum oppidum de Gibraltar suo tempore in deditionem Sarracenorum deuenerat, quidem culpa, verius proditione sceleratissima cuiusdam Vasci Petri de Neyra eiusdẽ oppidi custodis, qui castrum prædictum Sarracenis assignauit, & in Africam ignominiose & infeliciter transierat: decreuit Rex ipse Alfonsus cum vniuersis copiis suis obsidionẽ ponere dicto oppido. Verũ post septem menses tam valida pestis in castris desæuiit, vt non dixerim die integra, sed vix peste percussus horam finiebat. adeo enim totus exercitus afflictus erat, vt aut ęgris compateretur, aut suspiraret mortuis: veluti de simili peste Orosius refert sub Fabio Maximo & Quinto Decio consulibus Romæ accidisse. Quare cuncti magnates & milites consulebant Regi, vt ab obsidione pro tunc discederet. Rex vero constantissime renuit, & velut alter fortissimus Machabæus ait, Si appropinquat tempus nostrum, moriamur in virtute propter nomẽ domini. melius est enim nos mori quam videre mala gentis nostræ & sanctorum. Subdebat rursus Alfonsus ipse, viros magnanimos timore mortis non debere ab obsidione cœptisque rebus discedere, præsertim victualib. Sarracenis deficientibus. non enim ęquo animo audiebat discessum ab obsidione, pro eo quod infortunio suo attribuebat, eius tempore castrum illud ad manus venisse Maurorum. Tandem in dies inualescente peste, ipse constantissimus Rex glandula pestifera percussus est. Ad eum igitur iam in agonia cõstitutum magnates ac sibi dilecti accesserunt, & vt fieri solet, lacrymosis oculis dicebant, Cui nos commendatos relinquis? quasi dicerent, si filio tuo Petro nos commẽdas, gladio nos committis. Ille vero sensum verborum intelligens, Deo, inquit, summo Regi vos committo. Rursus cum illi subiicerent, Cui denique committis Petrum filium tuum? Ille ingemiscens, Vobis, inquit, si bonus erit: sed id me pluris quam mors angit. Cum enim qualis futurus sit, non ignorem, doleo acerbissime talem vobis relinquere hæredem & dominum, qui meliorem vobis filium dimisisse optarem. Et tandem subdebat, Licet enim Adriani Cæsaris sententia fuerit, quia successorem nemo odit, ego fateor, Petrum vt filium diligo, vt successorem non amo, nec vt

Regem

Regem futurum lætor. Sed cum natura & sors ipsa tulit, qualiscumque futurus sit, necesse video Rex vester sit. Ea de re vos omnes ei committam, non quia bono, sed quia filio. Orate igitur Deum vt eius mores in melius commutet, & sæuitiam in mansuetudinem vertat, quia (teste Salomone) ipse est qui cor Regis dirigit, & quocunque voluerit vertat illud: ipse rursus Regis Assueri crudelitatem in clementiam conuertit. Verum cum nonnulli consolandi, verius assentandi gratia ei dicerent, Noli, ô Rex, contristari, quod hucusque Petrus dyscolus visus sit. Iuuentus quidem aliquid insolentiæ habere solet, sed speramus, prouectior ætas, sed & probitas tua à qua degenerare sibi pudori erit, ipsa denique regia dignitas mores mutabunt suos, nouumque & tibi similem eum reddent. Sed vtcunque sit, recordare, inquiunt, Philippi Alexandri patris sententiæ, quam Q. Curtius commendat. nam etsi male de filio sentiret, moriens tamen ait, minime se ægre mortem ferre, cum filium superstitem & Regem relinqueret. Quibus Alfonsus, Erratis, inquit. ille vt tyrānus & tyranni filius locutus est. tyrannidis enim illa (vt aiunt) misera conditio est, vt auidius eā ad posteros relinquant, quam ipsi iocundius exerceant aut deserere possint. Reges enim qui natura regnāt, filios non tam Reges quā bonos relinquere peroptant. quid enim gloriæ, quid honoris patribus accreuit ex Neronis, ex Caligulæ, ex Domitiani imperio, qui parentum memoriam & laudes suis ipsi sceleribus perpetuo macularunt? Scriptum est enim, Confusio & ignominia patris, impius filius. & iterum, Dolor patris indisciplinatus filius. Quibus dictis & ecclesiæ sacramentis deuote receptis se Deo committens, animam beatus efflauit. obiit autem die sancto Veneris quo Christus crucem ascendit, anno eiusdem Saluatoris millesimo trecentesimo quinquagesimo. Voluit enim Alfonsus, licet cum suo periculo, Reipub. Christianæ consulere, vt alter Codrus, de quo Valerius commemorat, contra quem cum Peloponnēses bellum gererent, Athenienses responsis acceperunt illos futuros victores quorum dux periret. quod Codrus audiens, sciēter se hostibus iniecit, vt occideretur, malens mori vt hostes vincerentur, quam viuere hostibus non superatis. Alfonso igitur vita functo, cuncti regnicolæ luxerunt eum planctu amarissimo, sed auxit mœrorem, quia dissimilem filium suscepturi, immo passuri erant. Habent enim illius temporis annalia, quendam sapientissimum Græcum eiusdem Alfonsi consiliarium, visa expertaque ab eo Alfonsi Regis & Petri filii morum disparitate, mortuo Alfonso publice sed lacrymabili voce super funus dixisse: Desle (inquit) ô misera Hesperia, tanto principe, immo patre patriæ orbata, gemitus incessanter emitte. Vno enim eodemque tempore agnoscere cogeris, qualem amiseris principem, & qualem habeas, aut qualem habere debueras. vtrumque ergo inconsolabiliter deplora, impari tamen dolore. Patrem inquā internis singultibus plange, quia talis est à te Princeps ereptus, sed filium vehemētius desle, quia talis est super te erectus. patris acerba merito tibi mors fuit, sed filii vita acerbior. pater tuæ fuit vtilitati donatus, filius vero tuæ punitioni prædestinatus. patris vita tibi fuit solatio, filii tędio erit atque supplicio. patris obitus tibi fuit dolori, filii vero vita tibi erit mœrori. Sed forte quia patrem piissimum nō satis coluisti, tam dyscolum atque sæuum filium pati meruisti. vt enim talem haberes patrem postulabat ordo suorum meritorum, sed vt talem filium patereris, exigebat culpa subditorum. Sæpe enim, vt sancti interpretes aiunt, pro meritis subiectorum deprauatur vita rectorum, quia scriptum est: Dabo eis Regem in furore meo. Sic & ecōtra pro meritis præsidentium bene disponitur vita seruientium. Sed est quo paululum consoleris, si consolatio dici potest. non enim tu sola es quæ has bonorum & iniquorum principum sustines vicissitudines. Sed nec est Petrus solus qui à pręclaris parentibus degenerat. Abraham siquidem Dei amicus plures pessimos filios habuit. Dauid quoque præter Salomonem iniquos filios genuit. Sed & ipse Salomon, cui dono Dei nemo in sapientia comparatur, flagitiosissimum Roboam filium genuit. Taceo de gentilibus, vt de filio Scipionis Maioris, qui adeo dissimilis fuit patri, vt eum non imitans, sed gloriam maculans, à militibus Antiochi Regis, contra quē pater pugnabat, se capi permisit. Sic & filius Fabii Maximi egit, qui tātæ fuit nequitiæ atque sæuitiæ, vt senatus ipsum bonis & honore paterno priuaret, existimantes indignū quod honores tam honorifice à patre quæsiti causam tantis vitiis in filiio præberent. Ea igitur verba cum Petrus cognouisset, iratus ad eundem sapientem, Incipiam, inquit, in te veritatem quam dixisti exsequi. Quare gladio eum feriri iussit. Exoratus tamen Petrus, ne in ipsum quasi in patris funus sæuiret, distulit dicens: Volo vt in tua vana sapientia mentiaris, & do tibi veniam, quā cuncti agnoscant, quia longe insolentior atque imprudentior est qui talia principi impune dicit, quam princeps ipse qui talia audit, & impunita relinquit. Ad quem Græcus sapiens intrepide ait, Optarem id ex virtute ageres, sed quia omnis crudelis timidus est, in me ideo iniuste non sæuis, ne iuste in te populus sæuiat. Vtinam mentitus essem in miseris subditis

Alfonsi obitus.

Fabii Max. filii nequitia.

tuis, vt mihi vera dicenti tuam exerceres nequitiam. Sed proh dolor non est illis mentita iniquitas tua, & qui videbunt, annuncient. Tandem iniquitas tua finem dabit, quia scriptum est, Qui seminat iniquitatem, metet eam. Et iterum, Iniquitates suæ capiūt impium. Quare in verticem tuum iniquitas tua descendet, atque in memoriam redibit malitia tua, quia propheticum illud experieris, Et ecce crudelitatis tuæ vltor erit fraternus gladius: & iterum, Tradam impium in manū proximi sui, quia de te alius propheta ait, Propter crudelitatem tuam visitabit Deus regnum tuum, & dabit illud proximo tuo meliori te. Quibus dictis euanuit à conspectu satellitum Regis, & transiuit in Africam, vbi plurima (vt aiunt) vaticinatus est de futuris. Sunt qui asserunt ex illa hora Petrum tetendisse insidias cunctis fratribus suis, quorum aliqui impias eius manus nō effugerunt. Qua vero arte Petrus Rex tentauerit Græcum prędictū ad se reducere, & qualia responderit, infra sequenti cap. habetur. Temporibus huius Alfonsi vndecimi, præfuit in sede Romana Iohannes vigesimus secundus, & successiue Benedictus duodecimus, & Clemens sextus Gallicus. Imperauit autē eo tempore Albertus Dux Austriæ, filius Rodulphi Regis Romanorum, qui apud oppidum Aquisgrani electus est. Hic misit solemnes oratores ad Bonifaciū pro obtinenda confirmatione, quam idem Pontifex multis rationibus concedere renuit pro ea vice, dicens eum reum læsæ maiestatis. Tandem in odium Regis Franciæ eum confirmauit, subiiciens sibi quantum potuit, regnum Franciæ. Hic Albertus regnauit decem annis, tamen sine corona. Tandē occisus fuit à nepote filio fratris, anno Domini millesimo trecentesimo octauo.

Iohānes XXII. Papa, Benedictus XII. & Clemens VI. Gallicus. Albertus Dux Austriæ Imp.

De Petro huius nominis primo, Rege Castellæ & Legionis XL. post irruptionem Hispaniæ, & de causis odiorum inter eum & Blancam Reginam eius consortem, & quomodo & per quem fuit maleficiatus, & de sinistris successibus huius rei, & an maleficio & arte magica odium vel amor induci posset.

CAP. XIV.

PETRVS primus huius nominis, Alfonsi vndecimi prædicti filius, immediate ei successit in regnis anno Christi redemptoris natiuitatis M.CCCL. Hic septuagesimus septimus Rex fuit ab Athanarico primo Rege post cladem Hispaniæ, & illius miserrimam irruptionem. Regnauit autem annis XIX. qui lōgissimi regnicolis visi sunt. Huius principis vitam, gesta, atque vtinam egregia facinora, descripsere nonnulli, non tam (vt opinor) extollendi quam lacessendi desiderio. Nos vero non libenter hanc assumimus prouinciam, verum cogit inceptus dicendi ordo, vt historiæ veritas respondeat, vt qualis quisq; fuerit, qualiaue egerit, talem & talia nudo, sed vero ac libero calamo describamus. Optaremus quidem eiusdem Regis gesta tam clara forent atque insignia, vt clariora nos atq; illustriora literis aut scriptis facere possemus: sed verum est, quia (vt aiunt) habēt hoc cuiusq; principis obscura gesta, vt etsi excusari forsan aliquādo possint, laudari tamē minime. Et quod non parum Regum ipsorum miseram conditionem ostendit illud est, quia quantalibet illorū sint clara facinora, perpauca tamen detestanda aut non felicia, peroptima ab eis gesta deturpent, vt verum sit, quia in paucis offendens factus sit omnium reus. Hic itaq; Petrus donis naturæ locuples satis fuit, statura procerus, vultu decorus, corporis viribus præpollens & robustus, plus quam regē decet. Sed & quibusdam animi dotibus non caruit, si illis recte vti voluisset. fuit enim ingenio velox, astutus, & affabilis, in persuadendo promptus & dulcis, armis deniq; strenuus, in congrediendo primus, rebus bellicis tritus, superbos atque inobedientes, raptores, viarumque insidiatores miro modo persequebatur. Sed ea virtutum dona præclara quidem eius generis sunt, vt ornatum non felicem principem reddant. Quibusdam enim capitalibus vitiis sorduit, non vtiq; à parentibus traductis, sed (vt aiunt) à sceleratis familiaribus inductis. In primis igitur Petrus imitari patrem non studuit, quinimmo nequiuit pater tantam gloriam acquirere, quantam filius fœdauit. Duxit igitur Petrus vxorem Blancam filiam ducis Borbonii, quam paulo post nuptias apud Vallemoleti dimisit, licet de facto, & de celeri gressu pergit in Montaluam, vbi degebat Maria de Padilla sibi admodum dilecta concubina. Verum quia apud multos non satis notæ sunt odiorum causæ inter Petrum Regem & Blancā eius consortem, quæ repudio occasionem dedisse videntur, & à diuersis diuersa narrantur, decreuimus rem ipsam breui cōtexere, sequentes historias nō modo à scriptoribus Hispanis editas, sed ab exteris famosis historiographis descriptas: inter quos insignis historicus Ptolemæus de Luca rem ipsam luculento, sed lacrymabili stylo describit. Petrus igitur eodem Ptolemæo teste, Blancam Regi-

Reginam à principio tenerrime dilexit, veluti quæ venustate corporis & morum integritate pollebat, sed (vt aiunt) inimico humani generis procurãte, implacabile odium Petrus contra Reginam innocentem cõceperat, maleficiatus (vt creditur) industria Marię de Padilla, quam prius concubinam dilexerat. nam illa videns per Regem contemptui habitam, machinata est per tritos in arte magica Regem ipsum in Reginæ odium deducere. Quam rem per certa maleficia dæmonum quidam Iudæus se facturum obtulit, qui etiam singulari odio contra eandem Reginam conspirauerat, pro eo quod deuotissima catholica Regina effecerat apud Regem, ne Iudæi in Regis curia fauores, officia, & honores obtinerent: quinimmo apud eundẽ Regem pene cõcluserat omnes Iudæos à regno pellendos, vt in Francia actum erat. Modus autem inducẽdi odia & maleficia (vt aiunt) talis fuit. Donauerat Regina Petro pulcherrimam zonam auream, multis gemmis & preciosis lapillis ornatam, quam Petrus Reginæ amore sæpe deferebat. Maria vero de Padilla Reginę æmula callide operata est, vt zona illa ad manus magici Iudæi aliquandiu perueniret. Quã tali maleficio affecit, vt dum quadam festiua die Rex illa præcingeretur, à cunctis intuentibus atque à se ipso non zona aurea, sed quodam horribili serpente præcinctus videretur. Rex vero merito perterritus cum quæreret quidnam res illa esset, à nonnullis Reginæ æmulis & forsan factioni assentientibus responsum est, zonam Reginæ talem pulchritudinem peperisse. Ex qua hora Petrus infestissimam Reginam habuit, nec amplius illam videre, nec cum ea conuersari voluit, vt de eo verum sit quod de Amon ad Tamar scriptura commemorat, quia maius erat odiũ quo eam oderat, amore quo ante eã dilexerat. Quinimmo adeo contra eam inflammatus Petrus extitit, vt processus in eam formare iuberet. Quæ res molestissima fuit plurimum & ingrata cunctis regni statibus, innocẽtem Reginam scientibus, præsertim Henrico & cæteris Petri fratribus, qui omnes conati sunt nedum Reginam defendere, sed efficere vt ad maritale consortium reduceretur: sed eo magis animus sui natura sæuus ad iram & ad vindictam prouocabatur. Quare nõ paucos prę latos & nobiles à regno fugauit, ac alios gladio percussit, totumque regnum nobilium sanguine cruẽtauit ac implacabili dissidio conturbauit. Ea igitur re ad Innocentii VI. notitiã deducta legatum destinauit, videlicet Guillermum sanctę Mariæ in Cosmedin diaconum Cardinalem, vt Regem ipsum cum Regina atque regni magnatibus conciliaret. Legatus vero Regem inflexibilem reperiens, parum profecit. Regina vero mœstissima, quæ innocentiam suam ostendebat, neque audiebatur, prę tristitia & mœrore, paucis post dieb. vita functa est. Sic igitur in nostra misera Hispania verificatum est illud Naum prophetæ vaticinium: Ecce corruet ciuitas propter fornicationem meretricis speciosæ & gratæ, habentis maleficia, quæ vendit ad gentes & familias in maleficiis suis. & sequitur, Propterea dicit Dominus exercituum, reuelabo pudẽda tua, & ostendam regnis nuditatem tuã. quod ad literam calamitosa Hispania experta quippe & passa est. Nec id nouum est. vt enim diuinæ legis interpretũ sententia est, peccatis hominum permittit Deus similia fieri. sæpe enim (vt ait Canon) per maleficos occulto, sed nunquam iusto iudicio, Deo permittẽte, & diabolo præparante, dæmones ipsos in humana corpora & illorum cogitationes potestatem exercere compertum est. Fit enim ipsa dæmonis potestate quædam in imaginatiua hominis fortis impressio, ex qua amor & concupiscentia viri ad vnam mulierem applicatur, & ab altera aufertur. Rursus dæmones operando extra nos & intra nos possunt facere, vt vna eademque res sub vna figura, & demum sub alia videatur. Extra nos enim facile agit dæmon in aere materiam specularem. Constat itaque ista specula sensibilia fieri posse talis dispositionis, vt res aliter refulgeant, & sub alia figura quam sint. Cum itaq; dæmones in aere possint eandẽ materiam speculare formare secundum similem dispositionem quæ est in speculis, ostendẽtibus rem non secundũ figuram quam habent: per consequẽs poterit efficere, vt refulgeat res in materia speculari non secundum figuram quam habet. Prohibendo ergo per positionem alicuius obstaculi mihi in sensibus, quod lineæ à re visibili non veniant ad oculum meum secundum rectum incessum, sed solum per reflexionem ab eadem natura speculari in aere facta, faciet vt res appareat mihi alterius figuræ quã sit. Hinc pulchre Augustinus libro decimo octauo de ciuitate Dei: « Nemini dubium est arte dæmonũ effici posse, vt videantur esse quæ non sunt, non quidem realiter cõmutando, sed phantasiam hominis alterando: quæ etiam cogitando per rerum innumerabilia signa variatur, & cum corpus nõ sit, tamen similes mira celeritate formas capit sopitis ac oppressis hominum sensibus: ad aliorum sensuum nescio quo ineffabili modo figuram corpoream posse produci. » Hæc Augustinus. Sed & intra nos idipsum dæmones agere possunt, quoniam per inordinatũ motum spirituum potest res apparere alterius formę quam sit. Constat itaque dæmones posse ipsos spiritus mouere inordinato motu & diuer-

so, quo fiet vt vna vice res appareat vnius figuræ, alia alterius. Zona igitur Petri eadem in substantia existẽte, dæmonis arte effici potuit, vt serpens videretur, quippe & moueretur. Verum quia (vt ait Sapiens) in insidiis suis capiuntur iniqui, referunt historiæ eundem Iudæum ac tanti sceleris cõplices paulo post iuste ab eodẽ Petro ob alias causas gladio fuisse cæsos. Itaq; inuenit aliquando Petrus iuste quos puniret iniustus. quid enim tam iustũ, quam vt odio habeantur qui odia seminant? vt recte de iis Propheta dicat: Consumentur ab idolis quibus sacrificarũt. & iterum, Inueniatur iniquitas eius ad odium. & in Ezechiele scribitur, qui oderit sanguinem innocentem, sanguis persequitur eum.

De prole Regis Petri, & de moribus & vitiis eius, & de plurimis sæuitiis quas in fratres, propinquos, & suos nobiles & regnicolas exercuit.

CAP. XV.

PETRVS ergo Rex de quo agimus, prudens satis & bellicosus admodum fuit, sed & in armis strenuus: & quod mirabile dictu est, in bellis ipsis plus quam expediebat, audebat, sed pacis tempore plus quam oportuit, timebat. quo effectum est, vt publicis & cãpestribus bellis magis quam ciuilibus eius potuit laudari fortuna, quam tandem deturpauit, posuitque maculam in gloria sua. Petrus ergo expulsa (vt diximus) Regina Blanca concubinæ adhærens, aut natura ipsa, vel astrorum constellatione quæ eum ad sæuitiam impellebat, aut (vt diximus) maleficio prædicto infectus, vel potius peccatis populi exigentibus, quæ plerumque agunt, vt diuina iustitia in prouincias peccatrices sequat, dicente scriptura per Prophetam, Tradam eos in manu dominorum crudelium: & rursus, Dabo eis Regem in furore meo: Et iterum: Erit eis Rex Assur virga furoris mei: postquam regno præfuit, agere insolentius cœpit. Incredibiles enim cædes & crudelitates in fratres, consanguineos, & regnicolas exercuit, adeo vt post Neronem aut Caium Caligulam omnes sæuitia & crudelitate vicerit. Plurimis denique aliis vitiis (vt aiunt) respersus fuit. Ferunt enim nonnulli sibi persuasum fuisse, gladio suorum debere occumbere. Quare Petrus ipse vt alter Herodes quem Titus Liuius commemorat, sic in vniuersos efferbuit, vt si aliquis superesset, suspectus sibi foret, nec putauit se tutum, nisi genus deficeret humanum: Domitianum pene imitatus, qui (teste Suetonio) sic gladii necem pertimescebat, vt nõ nisi occidendo tutus apud se putaretur, & quod erat omni timore timidius, speculum lapideum, illum quocunque ibat, procedebat, vt à tergo per imagines conspiceret quid retro in eum tentaretur. Verum quia (vt sapientum est sententia) nunquam per scelera tutum est iter, quo magis in cunctos Petrus sæuiebat, eo magis omnes timebat. Vt inquit Philosophus, cum timor quædam sit tristitia ex phantasia futuri mali, qui in alios sæuit, futurum est eos timeat quos lædit. Hinc noster Seneca, Necesse, inquit, est multos timeat, quem multi timent. Adde quia scriptura teste, ob scelera & flagitia mortales viribus corporis & mentis debilitantur, quia scriptum est: Peccauit Ierusalem, propterea instabilis facta est. Nec aliter Petrus Rex licet viribus corporis alias robustus, fortis ac strenuus extitisset, sceleribus tamen suis animo debilis, & sibi ipsi pauidus effectus est, quia teste scriptura, pauor iis qui operantur malum. Tandem igitur ab ipsa sua sæuitia victus est. Nam scriptura sacra testante, sicut clementia roboratur thronus Regis, sic crudelitate deprimitur. Hinc Seneca, Errat siquis existimat ibi tutum esse Regem, vbi nullus est tutus à Rege. Hic itaque primo cum regnare incepit, apud Burgensem ciuitatem quendam nobilem Baronem dictum Garsiam lasso de la Vega ac quosdam honorandos ciues vana quadam suspicione impie occidi iussit, deinde Hispalim adueniens, omni pietate nudatus, vt alter Nero, qui Britannicum fratrem interemit, & alter Bassianus cognomine Caracalla, qui fratrem Getam regno & vita priuauit. Sed verum est quod Sapiens ait, quia vir crudelis propinquos abiiciet. Denique Petrus impie imitatus est Pharaartem Regem Parthorum, qui præter patricidia in patrem simul & in filium admissa, triginta insuper proprios fratres trucidasse legitur, non veritus tanto ac tali sanguine regnum male partum stabilire. Sic Petrus Rex gladio feriri iussit Fredericum magistrum sancti Iacobi, & Iohannem, atque Didacum, eius fratres impuberes, nullius doli aut culpę conscios. Nec his contentus sæuitiis apud Bilbao oppidum Vizcayæ Infantem Iohannem de Aragonia fratrem eius consanguineum occidi iussit, ne illi dominiũ principatus Vizcayæ assignaret. eidẽ siquidem Iohanni principatus ipse optimo iure debebatur, veluti qui contraxerat cũ Iohanna de Lara, filia Iohannis Nunii de Lara domini Vizcayæ. Rursus iussit interfici Alfonsum Fernandi Coronel, eiusdem Regis timore in castro de Aguilar rebellantem, & nobiles

Petrus Rex Domitianum imitatus.

nobiles viros Martinum Ægidii, filium Iohannis Alfonsi de Alburquerque: & demũ Petrum Aluari de Osorio apud oppidum de Villanubla fecit iniuste interimi. Nec his sæuitiis placatus, inclytas Reginas Aragoniæ materteram suam, & dominam Blancam eiusdẽ Petri vxorem, quam in arce Xericii captiuam tenebat, denique Elisabet & Iohannam de Lara sorores eius consanguineas, ad quas prouincia Vizcayæ ex paterna successione spectabat, vita pariter & principatu priuauit, omnesque gladio iussit occumbere. Quo euenit, vt inclytam & nobilem familiam Comitum de Lara penitus extingueret. Quæ vtique domus antiqua fuit in Hispania, in qua claruerant Gundisaluus Gustius, & Mudarra Gũdisalui eius filius, & plurimi excellentes viri, & durauit vsq; ad tempus huius Regis Petri, qui has duas nobiles fœminas solum ex ea familia superstites iussit occidi. Cessauit itaq;, verius expirauit eadem domus Comitũ de Lara, saltem quoad dominiũ & titulum. Nam prædictæ nobiles mulieres fuerunt filiæ Iohannis Nunii de Lara domini Vizcayæ: licet nobilis domus moderna de Manriquez ex prædicta stirpe descendunt trahunt enim originem a nobili Comite Manrique de Lara domini de Molina: & ea de re Caldaria ferũt in armis & insignibus suis. Rursus vt ad Petri sæuitias redeamus, occidit apud oppidum de Alfaro nobilem Gutterrium Fernandi de Toleto, fugauitque dominum Vascum de Toleto archiepiscopum fratrem suum, cuius bona occupans tandem apud Portugaliam exulem mori fecit. Plurimos deniq; alios magnates nobiles & ciues perimi iniuste fecit, adeo vt omnibus Hispanis timori esset atque tremori. Nam Rex Granatæ ei tributarius erat atque vassallus, ad illiusque curias vocatus accedebat. Dum hæc agerentur, Rex Petrus qui nunquam iniuriæ obliuiscebatur, memor illorum verborum quæ Græcus sapiẽs tempore obitus Alfonsi patris ei libere dixerat, vt sub eodem Alfonso supra retulimus, per nuncios rogauit Regem Tunicii & Fez, quatenus eundem sapientem patris sui consiliarium sibique acceptum secure transmitteret, quem honorare pollicebatur. Idem etiam sapienti prædicto significauit. Ille vero maiore fretus libertate, illud Solonis sapientissimi respondisse fertur, qui, vt ait Laertius de vita Philosophorum, cum plurimum honoraretur à quodam tyranno, vt secum maneret, Solon vero migrare in aliam ciuitatem decreuisset: interrogatus à pluribus, cur cum Rege habitare nollet a quo tantum honoris sibi offerebatur, ille inquit, Sapientes ac virtute prædit apud tyrannos necesse est dediscant philosophiam, quæ vbique veritatem defendere iubet. Demum vero quantalibet sapientia vigeant qui tyranno obsequuntur, similes tamen sunt calculis computatorum, quorum vnusquisque quandoque plura, quandoque pauciora designat. Sic tyranni quãdoque magnum & clarum virum honorant, quandoque autem sublimant indignos honore, sed paulo post vtrumque sine distinctione meritorum in burra recludit, nonnunquam mittit ad ignem.

De detestanda cæde Regis Granatæ iussu Regis Petri facta, & de aliis homicidiis nobilium & ciuium apud Toletum factis, & de irreuerentia eius ad matrem.

Cap. XVI.

PETRO itaq; rege regnãte, cum intestina dissensio & implacabilis discordia esset in regno Granatæ quibusdã Sarracenis fauentibus regi dicto Mahomato, aliis opitulantib. Regi dicto Rubeo, vassallo & fœderato eiusdem Petri: hic Rex Rubeus ad Regem Petrũ Hispali commorantem cõfidenter accessit, primo quidem veniam de cõmissis, si aliquando offendisset, deinde contra hostem suum auxilia petiturus. Petrus vero sæuitiæ auaritiæ rapacitatem addens, putansq; eundem Regem Rubeũ magnos attulisse thesauros, de nece eius iniq; cogitat, sed iniquius necat, instituitq; eum turpiter capi, ac cuncta sua confiscari: & vt maiori opprobrio esset, illũ supra asinum per vrbem deportari fecit, præcone acclamante, eum proditionis causa occidi iussum. Vt igitur Rex ipse Petrus maiorem ei honorem afferret, decreuit eius esse lictorem cuius decuerat esse defensorem. Arrepta itaque lancea corpus Regis Rubei perforauit. Ille vero Arabica lingua, sed profusa altaque voce, Funestum, inquit, triumphum & turpem victoriam hac die explesti, ô Petre, dũ sanguinis & auri mei sitibundus, armatus inermem ad te confugientem occidis. Quæ vna turpis cædes vltra cętera Petri regis scelera funestissimam ei ignominiam attulit, dũ crudelitati auri cupidinem addidit, imitatus illum omniũ mortalium pecuniæ auidissimum Septimuleium, quem Maximus Valerius commemorat. Is cum Gracchi amicitiæ fœdere foret coniunctus, audiens Opimium sic dictum consulem spopondisse tantum se auri soluturum quantum Gracchi caput põderasset, si ei à corpore abscissum offerretur: Septi-

Crudelitas Petri cum auri cupidine coniuncta. Septimuleium imitatur Petrus Rex.

muleius lucrorum indagator, nouorum maleficiorum inuentor, caput Gracchi abscidit, liquatoque plumbo cauatam partem capitis, vt ponderosior esset, impleuit, atque per vrbem pilo fixum consuli Opimio obtulit. Quid igitur Petrus turpius aut cogitare aut agere poterat, quam eum occidere qui in eum tutissimum refugium posuerat, & se illi tutandum præbuit, ne ab aliis læderetur. Parum certe imitatus est Augustum Cæsarem. Ad quem cum Herodes rex ab eo victus supplex venisset, seque ei cum summa fiducia commisisset, atq; coram eo coronam deposuisset, dicens, Ad te venio, Auguste, spe salutis de tua virtute præsumens: ad eum Cæsar, Immo saluus esto, & nunc omni timore deposito regnato certius. volo enim tuum augere, non auferre regnum, cum tu nostram amicitiam tanti fecisti, vt etsi nos aliquando offendisti, de nobis & virtute nostra confideris. Sunt tamen qui aiunt, Regem Petrum pro sceleris sui defensione dicere solitum, Regem ipsum Rubeum fidem illi fefellisse, quia præsidia non misisset, cum Petrus bellum gereret contra regem Aragonum. Nec solum Petrus ipse regem Granatæ prædictum auaritiæ causa interemit, sed plurimos alios, præsertim dominam Blancam de Villena, quam vt in dominiis eius succederet, securi percussit. Rursus quendam ditissimum Iudæum appellatũ Samuelem Leui, sibi dilectũ Almoxarifum ac thesaurariũ, gladio feriri iussit, à quo (vt aiunt historiæ) sexcenta millia duplarum auri extorsit. Itaq; crudelitas quæ altera ex trib. causis hominibus inesse solet, odio videlicet, ira, aut cupiditate, in Petro omnes simul causæ occurrerunt, & odio, iræ, ac timori auaritiam superaddidit, quia (vt ait Ouidius) auaritia ferro & sanguine aurum quærit. Sed nec omittendum est aliud non inferius huius Petri facinus. Cum enim prædictus Henricus frater eius ante incepta inter eos intestina bella baronum, magnatum, ac omnium statuum regni consilio, apud Toletum eundem Petrum Regem moneret, vt dominam Blancam vxorem suam ad se reduceret, & Mariam de Padilla concubinam pelleret: idem Petrus falsa suspicione arbitrans quosdam honorabiles Toleti ciues seditionis in eum conscios, illos publice occidi impie iussit, pro eo quod amicitia coniuncti erant baronibus qui eundem Petrum, vt concubinam pelleret, monuerũt. Nec aliter scriptura sacra Saulem egisse commemorat, qui cum in Dauid sæuire optaret, falso suspicatus est Dauid & filium Ionathan in illius mortem conspirasse. Tandem inter eos quos Petrus ea die neci dedit, aurifabrum quendam probum & antiquum virum iugulandum decreuit, cuius filius pietate naturali motus Regi Petro supplicauit, ne patrem innocentem occideret, aut eundem filium loco patris morti substitueret. Petrus vero, vt erat totus sæuus iraque repletus, iussit patrem liberari, & filium insontem interfici. Quæ res non parum addidit sceleribus huius principis, à cunctisque funesta iudicata est, fecissetque longe cõsultius vtrumq; liberare quam ambos innocentes damnare. Longe certe aliter Senatus Romanus effecisse fertur, qui Gracchum & Claudium cõsocios ad se delatos absoluit, pro eo quod Gracchus licet absoluendus foret, eandem pœnam iurauit se subiturum quam Claudius. Tanta igitur fidelitate perspecta digne vterque liberatus est. Nec in hoc quieuit huius Petri Regis crudelitas. Nam cũ domina Maria eius mater metu illius in oppido de Tauro se recepisset, Petrus Rex eam obsedit. Tandem illa descendens de arce pietati filii se cõmisit. Nonnulli vero magnates qui cum ea erant, putantes se tutos fore, si matrem comitarentur, simul cum ea ad Regẽ venerunt. Petrus vero deposita omni ad matrem reuerentia, & in eius conspectu iussit occidi nobiles viros, videlicet Petrũ Stephani magistrum de Calatraua, & Rodericum Gundissalui de Castanneda, & Alfonsum Tellez Giron, & Martinum, & Alfonsum Tello. Regina tantam crudelitatem conspiciens attonita quasi mortua cecidit, & perterrita tristis & mœsta parum vixit.

Augusti clementia insignis.

Quomodo Henricus & alii fratres Regis Petri fugientes eius sæuitiam, Regem Aragonum petierunt, & de bellis inter eos habitis, & qualiter Henricus regium titulum assumpsit.

Cap. XVII.

CLAMABAT ad superos tanta hominis sæuitia, adeo vt sicut scriptura commemorat, ad cælos pertingeret tanta crudelitas: & quia scriptum est, Crudelis propinquos abiicit, suscitauit Deus contra eum propinquos ipsos. Nam & vota populi hoc petebant, vt ab ipsis propinquis & iis quos læserat, ipse abiiceretur, dicẽte Sapiente: Angelus mittitur cõtra eum. Henricus igitur & Telius ac Santius eius fratres, & Infans Fernandus Marchio de Tortosa frater consanguineus eiusdem Petri, conspicientes, quia (vt in libro Hester legitur) ferendus non est qui pietatem humanam sua crudelitate commaculat, decreuerunt vitæ eorum cõsulere, & tantæ sæuitiæ resistere. Illi ergo & nonnulli maiores regni ex propin-

propinquorum mortibus plurimum vlcerati, ad regem Aragonum confugerunt. Qua ex causa graue admodum bellum inter eundem Petrum Regem Castellæ & Petrum regem Aragonum subortum est, fueruntque acerrimæ clades vbique secutæ. Sed Petrus rex Castellæ grauiora damna regno Aragoniæ intulit. Nam prædictum regnum personaliter ingressus gladio & igne cuncta consumpsit, ciuitatem Valentiæ obsedit, vineis & arboribus deuastatis, ac viridariis & solatiosis vndique domibus diruptis. Eandem vrbem adeo arctauit, vt in suam deditionem perduxisset, nisi miraculose (vt aiunt) inopinatus succursus aduenisset, plurimique ex suis vt ab obsidione discederet, non suasissent. Tandem inde ad alia loca se conuertens, Tyrasonam cepit, quam Gundissaluo de Luzio commisit. Is vero non modo imprudenter, sed infideliter agens, vt cuiusdam domicellæ caducæ temporalique pulchritudine potiretur, perpetuam indelebilemque turpitudinem & ignominiam incurrit. Nam eandem Tyrasonensem ciuitatem & arcem Regi Aragonum tradidit, eo pacto vt illi daret vxorem eandem pulchram domicellam, filiam Ximeni de Vrrea, cum dote XL. millium florenorum. Cepit denique rex Petrus plura alia castra & oppida in Aragonia. Tandem Innocentius VI. Papa legatum misit ad Hispanias pro cōponenda inter eos pace, videlicet dominum Guillermum de Bononia Cardinalem. Is vero cum inter vtrumque regem de pace ageret, adiit Petrum Regem Castellæ, qui post multa dixit à bello velle cessare, si rex Aragoniæ iugularet quendam Frances Empellores, qui certas contumelias eidem Regi Petro dixerat. Petebat rursus vt ab Aragonia pelleret præfectos Marchionem de Tortosa, & Henricum, Telium, & Santium fratres eius, & cæteros eius vassallos qui ad eum confugerant, & restitueret oppidum de Oriuela & nonnulla alia castra ad regnum Castellæ spectantia. Quæ omnia legatus prædictus Regi Aragonum exposuit. Sed ille quibusdam annuit, videlicet quia expelleret solum à regno Comites fratres Petri regis Castellæ & cæteros eius vassallos, si debita eis stipendia persoluerentur. Quæ cum Petrus Castellæ intellexit, ira commotus celeri iudicio Comites fratres eius & cæteros nobiles in Aragonia degentes condemnauit, bona confiscauit. In qua re plurimum sibi nocuit, quia spem redeundi quam ante sententiam habuerant, post latum iudicium amiserunt, creuitque acerbius odium & acrius bellum. Rupto igitur omni tractatu pacis, Rex Aragonum, & Henricus, & Comites ac cæteri magnates partes eorum fouentes, inito consilio ex Galliis quasdam vagantes gentes, quas societates siue companias appellant, quantocius euocarunt. Quibus aliisque copiis aduentantibus regnum Castellæ forti manu ingrediuntur, & Calagurram occupantes, Henricum in regem sublimarunt. Cognito igitur per Petrum Castellæ regem, quod frater regium titulum assumpsisset, à ciuitate Burgensi in qua tunc moram trahebat, animo prostratus in Vandaliam, deinde in Galliciam se recepit. Et quia (vt Sapiens ait) viscera impiorum semper crudelia cogitant, cum esset apud Compostellam, venerandus pater Suerus Archiepiscopus Compostellanus Petro præsente, nec prohibente, impie occisus est.

Quomodo Rex Petrus & princeps de Gales cum copiis Anglicorum pugnauerunt cum Henrico, qui tunc victus ex Francia gentes colligens Petrum insequitur, & tandem eum occidit, & de aliis dignis rebus pro tunc occurrentibus.

Cap. XVIII.

Rebvs igitur sic fluctuantibus, rex Petrus ad Baionam vrbem in Vasconia, tunc dominio Angliæ subditam, se contulit, quæsiturus ab Anglicis auxilia. Illico igitur applicuit princeps de Gales primogenitus regis Angliæ, magnis copiis munitus, regi Petro præsidia allaturus, cuius potentiam non parum verebantur Barones Henrico fauentes. Sed fertur Henricum forti animo eos ad bellū confortasse, dixisseque verbum quod rex Agis ad Lacedæmonios retulisse Polybius asserit. Cum enim apud Mantineam cōtra plures hostes pugnaturus esset, ait eum qui multis vult dominari, opus esse vt cū multis quoque pugnaret. Itaque Henricus barones suos bono animo esse rogauit, asserens futurum esse vt plus laboris in illis spoliandis quam vincendis habituri erant. Nihilominus fefellit eum opinio sua. Nam contra hostes Henricus rex potenti & armata manu prosiliit, bellumq; acerrimum commissum est, & tandē Henricus Comitis Telii fratris sui culpa atq; ignauia pugnare nolentis victus est, plurimis captiuatis, præcipue Eneco Lupi de Horosco, quem in vinculis trusum, vt creditur, regis Petri iussu quidā miles Anglicus indigne, immo turpiter interemit. Sic igitur prostratus quippe & fugatus Henricus Franciam

petit. Collectis igitur pluribus gentibus sibi à Rege Franciæ concessis, regnum Castellæ potenter ingreditur, cui magna Hispanorum manus occurrit. Tandem non paruam Hispaniæ partem occupat, Toletumq; obsedit. Cumque Henricus intelligeret Regem Petrum in oppido de Montiel moram trahere, illum valida manu insequitur, & conserto prælio Petrus victus est, magna vtrinque strage secuta. Petrus itaque fugatus in arcē oppidi se recepit: Henricus vero castrum murari vndique fecit. Petrus tandem iniquam cōditionem sortitum intelligens, petiit colloquium cum Henrico fratre. Verum (vt quidam aiunt) obsides postulabat, quia longe pluribus nobilibus Henricus comitatus erat. Ad quem Henricus dici iussit: Dicite crudeli tyranno, quia ipse effecit, vt & ipse solus esset, & ego bene & fideliter sociatus: imitatus Titum Quintium consulem Romanum aduersus Philippum Macedoniæ regem missum. Nam cum idem Philippus consulem alloqui optasset, nec ausus esset, quia, vt dicebat, cum multis Romanis erat, Philippus vero solus erat Macedonibus: tunc respondit Quintius, Tu (inquit) solum te fecisti, quoniam fratres, cognatos, & amicos occidisti. Quare dignum est, vt solus maneas, quia solus in orbe esse voluisti. Cùm vero quadam intempesta nocte Petrus ad tentoria Beltrandi de clarequin Comestabilis Franciæ clam aduenisset, qui (vt aiunt) verbum de Petro liberando dederat, Henricus inscius eius securitatis, sed conscius Petrum ibi adesse, paucis comitatus sine mora tentoriū Beltrandi solus ingreditur, eundemq; Petrum regē aggreditur, & tandem pugione confodit. Alii tamen referunt vtrumq; Beltrandi calliditate & studio actum esse, qui & Petro fictam tribuit securitatem, & Henricum vt fratrem simul & hostem cæderet, euocauit. Nec desunt alii asserentes intra arcem Petrum ab Henrico eodem Beltrando conscio fuisse occisum, simul & quorundam suorū factione. Aiunt historici quendam sapientem Afrum apud eum gratia legationis manentem eo iam mortuo dixisse: Si Petrus Rex fidis ei hominibus, quibus se quasi fidentissimis & prudentissimis dederat, aut carere potuisset, aut probatis vti licuisset, indubie nedum immunis à periculo, sed victor euasisset. Vtcunque sit, libuit diuinæ iustitiæ, vt tali morte, sed & à propinquo occumberet, qui nec propinquis pepercit, nec alienis: decebatque vt tam multi de eius vnius nece lætarentur, quam plures de plurimorum propinquorum mortibus doluerunt, quia (vt Sapiens ait) qui seminat iniquitatem, metet mala, & virga iræ suæ consummabitur. Et Augustinus de vita Christiana, qui sanguinem innoxium effuderunt, ita Dei iudicium sensere, vt ipsi postmodum sanguinem fundere cogerentur suum, qui fundebant libenter alienum. Impleta est igitur in eo illa Domini sententia, quia qui gladio percutit, gladio peribit. Super quo verbo Cyprianus: Excusatio nulla est, si secundum tuam sententiam iudiceris, & quod feceris, ipse patiaris. Hinc noster Seneca: Mala exempla in caput semper perpetrantium redierunt, quia iustum est, vt quod quis alieno excogitauit supplicio sæpe excipiat suo. Et Ouidius: *---Nec est lex æquior vlla,*

Quam necis artifices arte perire sua.

A fratre igitur occiditur qui fratres occidit, velut in Thebano bello contigit, in quo frater fratrem per insidias interfecit. Quare regnum Macedoniæ & Persarum ob nimiam occidentis crudelitatem, illi simul cum vita ablatum est. Nec aliter egerunt Caius & Domitianus, Commodus & Heliogabalus imperatores Romani, qui propter cruentam sæuitiam ferro ipsi perierunt. Sic & Sylla dictator, qui in crudelitate felix appellari voluit, sed illico amissa imperandi potestate, celeri insuetoq; morbo decessit. Sed vtinam hic Petrus rex solus tam sæui fratricidii pœnam luisset. Sed non parum timendum est, ne velut in altero Caim fratrem Abel occidente, in septuplum puniatur, id est, vsque ad septimam generationem successorum punitio extendatur, Deo sic disponente, qui peccata prædecessorum punit in futuras generationes. Ait enim in Leuitico: Addam punitiones vestras in septuplum propter peccata vestra. Ferunt aliqui ad Petrum ipsum sic vulneribus confossum & in extremis laborantem accessisse quendam bufonem, aut histrionem, eidem Petro familiarissimum, qui non tam miserans quam vindicans, nec tam mœstus quam lætus, ait ad illum, ô Petre, velim memor sis verborum quæ tibi sæpe ioco dicebam, quoniā necesse est vt à lupis occidatur, qui lupos occidit. Nec hac derisione contentus, iterum ait, Crede Petre, qui sic vixit, vt tu, non potuit aliter mori quam vt tu, & qui sanguine tuo nō pepercisti, à sanguine tuo occubuisti, sæuior Domitiano, crudelior Nerone, irrecōciliabilis amicis, incredulus familiarib. cunctis iniquus, tibi iniquior. Sicut ergo fecisti, sic pateris. dignū enim est, vt qui omnes occidit, omnes eius morte lætentur, & qui in omnē sexū desęuit, vterq; sexus de eius cęde cōgaudeat. Cui Petrus quasi exanimis, Si aliis, inquit, fui sæuus, tibi tamen benignus, qui incestu simul & homicidio te liberaui. Sed verum ais, me iuste mori, qui te iniuste viuere feci. patior item, quia in eo te amaui, in quo nequissimus

ſimus es. veſtiui ſæpe precioſis indumentis nequitiam tuam. morior denique, quia non naturæ donaui, ſed tuæ arti nequiſſimæ. Nam fateor, ſi homo tantum eſſes, & hiſtrio adulatorius non fuiſſes, non tibi donaſſem. Morior rurſus, quia honoraui in te vitium, nō naturam. Vtinam hic princeps tam recta in vita egiſſet, quam vera in morte referebat. Sed mortis doloribus preſſus ſapienter loquitur, qui in vitæ gaudiis delectatus imprudēter operatus eſt. O infelix princeps ille! perpendebat ſatis quod tolerabat, intelligebat quod amiſerat, ſed ſera fuit eius cognitio. Vtinam memor dum viueret fuiſſet, quia miſericordia & veritas cuſtodiunt regem, & vt noſter Seneca ait, in quamcunq; domum ingreſſa fuerit clementia, eam tranquillam felicemq; præſtabit. Sed in regia domo quo rarior, eo ſecurior atque nobilior. Sed vt paucis agamus, illud poeticum ſemper verum fuit, quia *Clementia effecta.*

Inſtabile eſt regnum quo non clementia regnat.

Sic igitur ea Petri acerrima morte finitum eſt illud acerrimum bellum, & Henricus in regem à cunctis populis gratanter & cum omnium regnicolarum applauſu aſſumitur. A nonnullis aſſeritur Petrum perpendiſſe quendam ſibi familiariſſimum inſidias parare: quare multis audientibus dixiſſe fertur, Nihil eſt cur mori non debeam, ſi à me ipſo cauerí me oportet: vt alter Dion tyrannus, qui cum à Dionyſio ſibi fidiſſimo inſidias parari intellexiſſet, ait, mori longe præſtantius fore quam viuere, vbi non hoſtes ſolum, ſed etiam amicos atque coniunctos cauere oportet. Tempore huius Petri regis Caſtellæ ciuitas noſtra de Algezira ab Arabibus penitus deſtructa & deſolata eſt. Huius Petri primi temporibus præfuit Romæ Papa Vrbanus V. Lombardus. Imperabat autem primo Henricus Comes de Luzenburg, ſtrenuus & fortis, qui electus fuit ſtatim Alberto occiſo. Qui Henricus parum in imperio vixit. Nam rediens ab vrbe, vbi de ſpeciali commiſſione Clementis V. à tribus Cardinalibus coronam receperat, in Tuſcia apud bonum conuentum obiit, anno Domini M.CCCXIII. Eo igitur mortuo Electores in diſcordia duos eligunt. Nam aliqui eligunt Fredericum ducē Auſtrię, filium Alberti regis prædicti, alii vero Ludouicum ducem Bauariæ. Inter quos grauiſſima fuit contentio. Tandem in quodā bello Fredericus captus eſt, & Ludouicus ius imperii vſurpauit. Dum hæc agerentur, Papa Iohannes XXII. proceſſum format contra Ludouicum, quia confirmationem petere contempſit, declarans electionem nullam. Ipſe tamen Ludouicus quorundam potentum Italiæ fauore vrbem ingreditur, & à præfecto vrbis ſuſceptus eſt. Tandem peſſimo ductus conſilio, Iohanne Papa viuente, de facto eligi fecit quendam fratrem Petrum de Corbario in Papam. Poſt obitum vero Iohannis XXII. & Benedicti duodecimi Clemens ſextus eligitur, qui eundem Ludouicum iterum reprobauit & damnauit, præcepitque Electoribus, vt eligant, qui Carolum primogenitum regis Bohemiæ concorditer elegerunt, & Romæ coronatus eſt.

De Henrico II. Caſtellæ rege & Legionis XLI. poſt cladem Hiſpaniæ, & de calamitatibus, quas paſſus eſt poſt interfectionem fratris, & qualiter prædicta fratricidia Petri, & ſua in eis & eorum poſteritate punita creduntur.

CAP. XIX.

HENRICVS huius nominis II. interfecto ab eo rege Petro fratre ſuo, illico à maioribus & à toto fere Hiſpaniæ populo Rex cum ſummo gaudio eſt aſſumptus pariter & receptus. Fuit autem ab Athanarico primo Rege Gotthorum ſeptuageſimus octauus, & à Pelagio primo rege poſt cladem quadrageſimus primus. Cœpit autē regnare anno Domini M.CCCLXIX. & annis octo regnauit, non computatis duobus quibus cum fratre ſimul & diſcordia præfuit. Nobiles autem aliqui partiales regis Petri, qui eius mortis tempore aberant, propter fidem eidem Regi Petro præſtitam Henrico non obedierunt: quinimo Hiſpanias deſerentes, maluerunt (vt dicebant) non modo patriam, ſed vitam, quam fidē deſerere. Quoſdam tamen ex eis Henricus captiuauit, quibus plurima donaria conferebat, ſi ei obedirent. Illi tamen potius in carceribus mori, quam Henrico ſubeſſe prælegerunt. Barones & magnates ei obedientes magnis dominiis donauit, eoſque plurimum ſublimauit, & ex illo turbulento tempore nobiles & Barones Hiſpaniæ longe quam ante ditiores & potentiores effecti ſunt, non ſine regiæ coronæ diminutione. Fertur quoſdam Barones paulo ante Petro adhærentes, Henrico potius metu quam affectu obſequentes, ei ſæpe exprobraſſe, quod eum in regem recepiſſent. Ad quos ille ait, vtilius eis fore talem obtinere regem, quam ei tales habere ſubditos. Nec aliter Paulum Fuluium impari caſu reſpondiſſe legimus, qui cum à Romanis, aut temporis neceſſitate, aut ob eius ingentes virtutes, Conſul multis inuitis electus eſſet, ait Senatui ſe gratias non habere,

quoniam non ideo electus fuisset Imperator, vt ei imperio opus esset, quin potius illis tali imperatore. Obtinuit igitur Henricus pacifice omnia regna fratris. Hic Henricus duxit vxorem Iohannam filiam Infantis Iohannis Emanuel, quæ ex materna linea proneptis fuit Infantis Fernandi primogeniti Alfonsi decimi, qui viuente patre decesserat: ex qua genuit Iohannem primum qui post eum regnauit. Rursus etiam genuit dominam Leonoram, quæ fuit regina Nauarræ. Cætera gesta & clariora facinora huius regis Henrici tacta sunt sub Petro fratre eius, & aliquid dicetur sub Iohanne primo, filio huius Henrici. Obiit autem Henricus apud sanctum Dominicum dela Calzada Calagurritanæ diœcesis. Hic Henricus post interfectionem fratris, in se & filiis non paruas calamitates perpessus est, quas vtinam regia posteritas & totius regni communitas non sensissent. Nam vt cætera taceamus, non diu, nec pacifice regnauit, quinimo bella grauissima cum Portugalensibus, demum cum Anglicis surrexerunt, quæ Iohannem Henrici filium & regnum acerbissime afflixerunt, vt statim dicemus. Clamabat enim ad cælum tanta vtriusque fraterni sanguinis cruenta effusio. Sed vt Henrici vltimum fratricidium tangamus, quamquam ad vindicandas Petri fratris sæuitias, illiusque punienda flagitia, à Deo vltor Henricus datus esse credatur, ipseque Petrus iuste pœnas soluit: Henricus tamen (vt nonnulli sapientes aiunt) sola ambitione & regnandi gratia iniuste fratrem occidisse creditur, nec illius scelera istius fratricidium excusant. non enim Nabuchodonosor infidelis & tyrannus iustus fuit, quia desæuit Dei voluntate in populum Israhel, de quo Deus ait: Quid dabo seruo meo Nabuchodonosor regi, pro eo quod seruiuit mihi apud Tyrum? odio enim populi Israhel iusta fuit eius exterminatio, sed iniusta respectu sæuientis. Vnde Gregorius: Infelix populus Israhel, cuius comparatione rex infidelis, seruus Dei appellatus est. Petrus igitur rex meruit talem vltionem, sed Henricus regnandi cupiditate fratrẽ occidere non debuit quo ad præsentem iustitiam: diuina vero inscrutabilis est, quæ plerunque vindictam exigit delinquentium, per eos qui tueri, non occidere tenentur. Nihilominus (vt aiunt) vindicta in posteros, ne dixerim verẽda, sed infligenda erat. Hinc in libris Regum dixisse Deum ad prophetam legimus: Propter peccata Baasa regis Israhel demetam posteriora eius, sicut regis Ieroboam. Et iterum illud quod proposito simile videtur. Nam ad Achab regem dixit Deus, quia occidisti, & possedisti, demetam posteriora tua, vt regis Ieroboam, infligendo pro pœna regni diuisionem & alienationem. Qua de re nonnulli aiunt in eo Henricum punitum, in quo deliquit. agit enim plerunque diuina iustitia, vt qui propinquum regno priuat & vita, parum ipse regno fruatur & vita. Sic Athalia in tantam exarsit libidinem regnandi, vt omne semen regium occideret: illa tandem paruo regnauit tempore, vt alter filius Gedeonis qui interfecit septuaginta fratres suos, vt solus regnaret, sed non diu post regnauit, quinimo quædam mulier cerebrum eius ignominiose collisit, vt scriptura sacra commemorat. Sic & Ioram filius Iosaphat regnandi cupiditate occidit omnes fratres suos gladio, sed parum regno potitus est. Sic & Selum Princeps Israhel occidit Zachariam Regem sibi propinquum, vno tamen mense solum regno potitus est. Rursus in Henrico eius posteritas & regni vnitas mulctata creditur, quia in eo regni diminutio incepit, dum priuatis donationibus regni magnam partem inter nobiles partitus est, veluti ob Salomonis peccatum regnum Israhel diuisum & diminutum creditur. Fatemur, commendanda est liberalitas in principe erga benemeritos, sed fugienda prodigalitas, præsertim in principatus diminutionem. Hinc Seneca, Dabo, inquit, egenti, sed non vt ipse egeam: succurram perituro, sed vt ipse non peream. Et rursus: Ea regis debet esse munificentia, quæ dantis honorem non lædat, de quo aliquid tangemus sub Henrico quarto.

Munificentia vera Regis.

Quod pro reipublicæ quiete plerunque quædam potius toleranda quam vindicanda sunt, & de malis quæ sequuntur ex talibus vindictis, quod ostenditur plurimis auctoritatibus & exemplis.

CAP. XX.

PROPOSITI nostri non est Petri Regis, de quo egimus, sæua & cruenta excusare flagitia, sed illa pro reipublicæ quiete nonnunquam toleranda asserimus, non ambitione, non humana præsumptione, nec priuata auctoritate vindicanda, dicente Gregorio: Admonendi sunt subditi, ne dum præsidentium culpas considerant audaciores contra eos fiant. & subdit: Nam si qua enim valde regentium praua opera fuerint, ea apud semetipsos diiudicent, vt tandem diuino timore constricti ferre ab eis iugum subiectionis non recusent. facta enim præsidentium à subditis ferienda non sunt, etiamsi recte reprehendenda videantur.

deantur. Cur enim ferendus non fuit Regis Petri furor? cur non paululum crudelitas toleranda? non enim diu permanere potest quod violentum est. nam (vt quidam Sapiens ait) si bonum ciuem patria habeat, malum tamen principem diutius non habebit. quid enim si populus talē merebatur principem? Si enim scriptura teste, omnis potestas à Deo est, siue ad bonorum exercitium, vel ad iniquorum pœnas: illud consequens est, quia cū sæuum Regem populus patitur, diuino imperio, non humano paret. Fortasse patientia populi hunc principem mitescere fecisset. Quæ enim patria? quæ regio? quæ ciuitas sæuissimos nō est passa Reges? Quis enim dubitat Romanos multos pertulisse Caligulas ac Nerones, Domitianos, Galienos, Maximianos, Iulianos deniq;, & Decios, pietatis hostes? Syria Sardanapalum tolerauit, Persia Cyrum. Græcia atque Asia Alexandrum tulit, Sicilia Dionysios. Non est habendus fidelis subditus qui subiici nequit, etiam à principe læsus. Nam vt ait Seneca, cum Socrates per medias Athenas pergeret, & à quodam principis satellite alapa percussus foret, licet pro eius summa auctoritate ad vnā illius vocem lapidari princeps potuisset, substitit, ne sua vindicta populi quietudo turbaretur, neue causam aduersus principes rebellandi quovis modo dedisse videretur. Illud solum verbum dixisse fertur: Molestum ei fore, quod nescirent homines, quando cum galea, vel sine ea prodire deberent. Subdit denique idem Seneca, quia optimis ciuibus & fidelibus subditis expedit, non omnia regum facta & gesta ad iniuriam recipere. Sed tutum atque saluberrimum est, vt multæ nos iniuriæ transeant, ex quibus plerasque non accepit, qui necessitati parens tolerare animo duxit. qui enim vult esse quietus, non sit ad maiorum vindictam curiosus. Rursus idem Seneca ad Lucilium inquit: Sic viuendum est cum Rege, quemadmodum subditos nobiscum viuere optamus. Si enim in mentem veniat, quantum tibi in seruo liceat, cuius necis & vitæ tu dominus es, veniat in mentē tantum principi tuo in te licere. Refert enim Valerius, quod cum Syracusanus nobilis plurimas à Dionysio perpessus foret iniurias, eumque amici ad seditionem monerent, patienter id ferēdum dixit à principe, Forsan, inquit, quia nos simile egimus, cum in dignitate essemus. Sed verum est, quia subiici nolunt qui diuitiis abundant, dicente Aristotele in Politicis, quia qui sunt in excessibus bonorum fortunæ, potentiæ, & diuitiarum, subiici nec volunt, nec sciunt. quod pueris accidit, qui propter delicias nec doctoribus, nec patribus subiiciuntur. Exorandus itaque & placandus est Rex, non necandus. nullum enim tam ferocem, tam sæuum natura genuit, qui non assidua obedientia & obsequio leniatur, præsertim quia raro sæuit Rex absque ciuium culpa: quia scriptum est, Propter peccata populi dat Deus Regem hypocritam. & iterum, Dabo inquit, vobis Regem in furore meo. Saul enim Rex etsi malus, sæuus, & iniquus erat, tamen Dauid ad quem regnum Deo iubente spectabat, non est ausus eum tangere, licet ille vitæ eius insidiaretur, & iniuste & Deo reprobante regnasset: dicens, Absit vt tangam Christum domini. Vnde ait Augustinus, ꝙ Saul non habebat innocentiam, sed habebat sanctitatem, non vitæ sed officii & dignitatis. quare subdit, quod Dauid Saul Regem honorauit viuum, & vindicauit occisum. Rursus in veteri testamento legitur punitos esse qui occiderunt Ioas Regem Iuda, quamuis idololatram & iniquum. Sed coniurantes contra regem Amon, licet reprobū & idololatram, iusto tamen Dei iudicio percussi sunt, quia in Regem & dominum suum surrexerunt. Quod si immensa est sæuitia Regis, consulunt sacri interpretes recurrendum esse ad summum Regem, vt cor regis crudelis conuertat in mansuetudinem, sicut regis Assueri crudelitatem in mansuetudinem vertit, ipse enim ait: Liberabo gregem meum de ore eorum. Fatentur tamen nonnulli philosophi morales, quod si fit excessus aut sæuitia intolerabilis principis effecti tyranni, tunc ad fortium virorum fortitudinem pertinet talē tyrannum interimere, seque pro liberatione multitudinis periculo exponere. cuius rei exēplum in veteri Testamento facile reperitur. Nam Ehud regem Moab qui graui seruitute populum Dei premebat, sagitta infixa in eius femore interemit, & factus est populi iudex. Addunt denique quod nonnunquam expedit communitati bene ordinatæ principem corrigere, si delinquat & non principetur secundum leges, maxime si id agat per contēptum: cum (vt aiunt) ad communitatem multitudinis pertineat illud agere, cuius oppositum est communitatis destructio. Rursus asserunt huiusmodi sapientes, quemlibet de populo posse occidere eum quem scit & videt procurare desolationem totius communitatis, si non habet aut non potest principem adire qui id agat, quia (vt asserunt) illud non vt priuata persona, sed vt persona communis vel princeps agit. Ista fuit quorundam sententia in tertio Politicorum. Quibus veris existentibus nonnulli asseruerunt, Henricum licite occidere potuisse Petrū, in tā periculosam tyrannidē cōuersum, præsertim quia non vt priuata auctoritate, sed vt publica, veluti qui iā Rex electus & assumptus fuerat, illud e-

giſſe licite potuiſſe aſſerunt. Sed niſi fallimur, hoc Chriſtianæ manſuetudini non cõgruit, cum Apoſtolus Petrus nos moneat nõ ſolum principibus bonis, ſed dyſcolis ſubditos fore. Supradictam vero opinionem philoſophorũ moralium de principe per electionẽ aſſumpto, non vtique de eo qui per ſucceſſionem regnat, intelligendam fore, non incõgrue dici poſſet: ſed hunc ſcrupuloſum labyrinthum nõ ingredimur, nec aliquid temerè aſſeueramus, ſed rem geſtam & ſcribentium varias ſententias inſerimus. Quem articulũ latius diſcuſſimus in lib. monarchiæ nuper à nobis edito, vbi diffuſe agimus, quãdo, qualiter, & per quem Reges & principes puniri aut corrigi poſſint. Vt igitur ad inceptam hiſtoriam redeamus, illud non omittendum eſt, quia nec Regis Petri multiplicata homicidia, nec huius Henrici de quo agimus fratricidium, inulta manſere. Scriptum eſt enim, ſi vtique eſt Deus iuſtus, iudicabit eos in terra. Atque vt paulo ante diximus, vtinam ſolos auctores pœna teneret, nec ad poſteros tranſiſſet. Huius autem Henrici tempore, eo apud Burgenſem ciuitatem manente, in quodam tumultu populari Infans Sancius frater Henrici Regis ſagitta interfectus eſt. Rurſus regnante eodem Rege Henrico anno primo regni ſui, qui fuit M. CCCLXX. Iohannes Palæologus Imperator Conſtantinopolitanus plurimis nobilibus & ſapientibus viris ſociatus, Romam venit ad Vrbanum Papam quintum, à quo honorifice receptus eſt, paulo minus ac ſi Romanorũ Imperator fuiſſet: & poſt modeſtiſſimam diſcuſſionem quorundam articulorum in quibus deuiare videbantur ab eccleſia Romana, tandem deuotiſſime vnitatem eiuſdem Romanæ eccleſiæ acceptarunt, & in ſolenni proceſſione Græci ipſi ſymbolum decantarunt, Spiritum ſanctum à Patre & Filio procedentem aſſerentes, iuraruntque Romano Pontifici obedire & ſtatuta apoſtolica vſque ad vltimum apicem obſeruare. Super quo ipſe Imperator bullam auream aſſignauit, quæ in archiuis apoſtolicis reperitur. Eiuſdem Henrici II. tempore poſt eundem Vrbanum ſedit in cathedra Petri Gregorius XI. natione Gallicus. Poſt eius obitum ſchiſma in eccleſia grauiſſimum exortum eſt. Nam Cardinales qui erant cum Gregorio, poſt illius mortem elegerunt Bartholomæum archiepiſcopum Barenſem, quẽ Vrbanum ſextum appellarunt. Sed paulo poſt Cardinales cæteri apud Ananiam elegerunt Robertum Cardinalem Gebenenſem qui vocatus eſt Clemens ſeptimus, aſſerentes propter violentiam electionem primam fuiſſe nullam. Huic Clemẽti adhæſerunt Hiſpani. Exinde vero continuatum eſt deterrimum ſchiſma in Dei eccleſia, quod quadraginta annis durauit, vſque ad Conſtantienſe concilium, quod incepit anno Domini M. CCCCXVII. in qua generali ſynodo electus eſt Martinus V. Imperauit autem huius Henrici tempore Carolus prædictus filius Regis Bohemiæ.

De Iohanne primo Rege, Caſtellæ & Legionis XLII. rege poſt Pelagium, & de clariſſimis vxoribus & filiis eius, & de bello cum Portugalenſibus & de cauſis eius.

CAP. XXI.

IOHANNES primus ſucceſſit Henrico prædicto in regnis Caſtellæ & Legionis. Fuit autem octogeſimus Rex ab Athanarico primo Rege Gotthorum, & XLII. à Pelagio primo rege poſt cladem Hiſpaniæ. Incepit regnare anno Domini M. CCCLXXIX. regnauit annis vndecim. hic primo duxit vxorem dominam Leonoram, filiam Petri regis Aragonũ: deinde illa mortua, Beatricem vxorem ſortitus eſt, vnicam filiam Fernandi regis Portugaliæ. Quod matrimonium ſeminarium & incenſiuum fuit grauiſſimi belli poſtea exorti, de quo ſtatim dicetur. Licet matrimonii vinculum ad ſedanda hominum diſſidia augendamque caritatem inſtitutum ſit, vt illico dicemus, grauioribus tamẽ ſcandalis ſæpe cauſam tribuit, præſertim ſi non recto animo fit. Sic enim Saul filiam Michal deſponſauit Dauid dicens, Dabo eam illi, vt fiat ei in ſcandalum. Et (vt quidam ſapiens ait) ſæpe coniugii celebritatem infelix deturpat euentus, & cantus, & epulas, & choreas luctus ſequuntur, nec non lacrymæ, & tumultus, vt Ægiſthus in filiorum coniugiis expertus eſt. taceo quod quædam vxores ferro, aliæ veneno viros extinxerũt. Sed & genitoribus ſuis cauſam mortis dedere, indeq; inceperunt clades, vbi ceſſare debuerunt. quod facile eſt conſpicere, cũ inter coniunctos ſanguine connubia contrahuntur, vt latius ſub Henrico primo diximus. Rurſus Iohãnes ex Leonora filia regis Petri genuit duos clariſſimos viros, Henricum videlicet primogenitum, auum moderni Henrici regis, ac Fernandum ſecundo natum, qui poſtea rex Aragonum effectus eſt. Hi duo excellentiſſimi fratres Henricus & Fernandus, fuerunt duo orbis luminaria, & omnibus Hiſpaniis reges & reginas attulerunt, vt ſtatim ſubiiciemus. Ex Beatrice vero ſecunda vxore Iohannes nullum filium ſuſcepit. Tempore huius regis Iohannis duo grauiſſima bella ei & regnis ſuis ſucceſſerunt. Primum bellum

bellum fuit cum Portugalensibus. Nam Iohannes rex Castellæ regnum Portugaliæ ad se & vxorem suam Beatricem prædictam iure pertinere dicebat, quia aliquem legitimum filium Fernandus rex Portugaliæ non dimiserat. Portugalenses vero nonnulli Iohannem bastardum filium regis Portugaliæ, magistrum ordinis militaris Dauis, solenni voto professum in regem vocant: alii vero eiusdem regni nobiles regi Castellæ adhærent. Grauia inde dissidia sequuta sunt. Nam Iohannes rex Castellæ ius vxoris prosequens, Portugaliam manu potenti ingressus est, & Vlisbonam obsedit, sed obsistente peste obsidionē leuauit. Sequenti vero anno cum Iohannes bellum continuare decreuisset, superueniente ei diuturno morbo res belli infeliciter successerunt. Nam eo ægrotante aliqui magnates cum rege manserunt, nonnulli vero cum aliqua parte exercitus concito atque improuiso gressu Portugaliam sunt ingressi, qui non spectatis cæteris nobilibus Castellæ, rege denique ignorante, quadam temeraria audacia ac iuuenili impetu ad bellum properarunt, putantes in manu sua esse victoriam, quam dolebant venturis nobilibus attribui. Cum igitur forent fessi, veluti qui ea die longam viam fecerant, tandem pro parte profugati sunt, non paucis cæsis. Merito quidem suæ arrogantiæ pœnas soluerunt. licet enim à regio nuntio atque à prudentibus expertisque viris monerentur, ne ea die prælium conferent, illi tamen elati animo contempserunt, dicentes vt alter Pharao: Nescio dominum, & Israhel non dimittam. Quare confusi sunt in medio castrorum inimicorum suorum. Tam certos denique de hostibus se putabant, vt Portugalenses futuros captiuos vendere posse arbitrarentur: vt alter Nicanor de quo scriptura commemorat, quia tam securus de victoria contra Iudam sibi videbatur, vt Iudæos venderet, antequam eos in campo conspiceret. Sed tandem superbia eorū humiliata est, quia scriptū est, Deiecisti eos, dum eleuarentur. Sed verū est quod Valerius ait, quia qui hostes despiciunt, sua pericula despicere videntur. nam dum suis confidunt viribus, alienas iusta extimatione prosequi non valent: quare plerunq; sentiunt vltrices. Sic Olofernes egit, qui iurauit omnes de populo Israhel exterminare, sed ab eis victus & cæsus est. Sic & Benadab Assyriorum rex, vt habetur in libris regum, dixit ad filios Israhel: Hoc faciant mihi dii, & hoc addant, si suffecerit puluis Samariæ pugillis omnis populi qui sequitur me. Verumtamen pulchre responsum est illi: Ne glorietur accinctus æque vt discinctus. Itaque qui in potentia & viribus gloriabantur, experti sunt quod propheta ait: Humiliasti, sicut vulneratum, superbum. & iterum: Gemuerunt superbi gigantes, vt comprehendantur in superbia sua. & Ieremias ait: Arrogantia tua decepit te, & superbia cordis tui qui apprehendere niteris altitudinē. Fertur quod Portugalenses conspicientes bellum tunc potius inchoari quam finiri, non tam delectati præsenti victoria, quam futuram cladem timentes, legatos ad Iohannem regem Castellæ ęgrotantem mittunt pro fœdere & pace. Iohannes vero corpore debilis, sed animo fortis, victus victoribus dixit: Non habebitis (inquit) alias pacis conditiones, nisi aut regnum dimittatis, aut vitam. Quam verborum arrogantiam & vindicādi libidinem ingratam fuisse Deo putandum est, eamque non inultam dimisit, dum paulo post ad eandem vindictā suspirans improuisa interiit morte, quia scriptum est, qui vindicare volunt, à Deo inuenient vindictam, vt statim dicemus in sequenti capite.

Hostis non despiciendus.

De secundo bello inter Iohannem Regem Castellæ & ducem Alencastriæ, & de causis eiusdem belli, & de cladibus & malis ex eo secutis, & tandem de felici concordia per matrimonium, & de festina morte eiusdem Iohannis, & de illius virtutibus & accidentibus suo tempore in ecclesia Dei.

CAP. XXII.

SEDATO igitur hoc intestino & graui cum Portugalensibus bello, successit aliud cum Anglicis non minus acerbum. Nam dux Alencastriæ & Clocestriæ, filius regis Angliæ, regna Castellæ & Legionis ad se pertinere dicebat ex parte vxoris Constantiæ, filiæ regis Petri, quæ secundum consuetudinem Hispaniæ succedere debebat. Iohannes vero rex sese iure & facto defendebat. dicebat enim inter cætera, quia dato quod domina Constātia ducissa Clocestriæ fuerit maior filio regis Petri, constabat tamen nec Petrum ipsum, sed nec Alfonsum eius genitorem, nec Fernandum IIII. auum suum aliquo iure fuisse legitimos reges prædictorum regnorum, pro eo maxime quia Alfonsus X. qui fuit electus Imperator Alemaniæ pater Santii IIII. qui Tarifam recuperauit, antequam genuisset eūdem Santium, genuit Fernandum de la Cerda, qui contraxit matrimonium cum domina Blanca, filia legitima sancti Ludouici regis Franciæ: ex qua genuit duos filios, Alfonsum

de la Cerda, qui se intitulauit Regem, & Fernandum: & cum Alfonsus absque liberis decessisset, successit ei Fernandus frater, qui ex domina Iohanna filia Iohannis Numnez de Lara genuit quandam filiam, quæ contraxit cum Iohanne filio Infantis Emanuel, qui ex ea genuit dominam Iohannam vxorem legitimam Henrici II. patris prædicti Iohannis primi. Ex qua supputatione regna liquido pertinebant ad eundem Iohannem ex materna successione, nec quouismodo regna spectabant ad ducissam Clocestriæ prædictam, nec ad Regem Petrum per consequẽs, nec ad reges supradictos. Dux vero Alencastriæ & Anglici plurimorum Hispanorum ac Portugalensium turba sociati, in iure dictæ Constantiæ confisi, exclusa quauis alia via iuris, de facto Hispanias per partes Gallicię ingressi sunt. Quibus rex Iohannes strenue occurrit, & grauia bella secuta sunt, quæ longo tempore durarunt. Tandem inspirante altissimo pacis auctore, & per bonorum virorum mediationes concordia matrimoniali contentio feliciter fuit sopita. Sic enim Dauid reconciliatus est Isbosseth filio Saulis, quia Michal eius soror, Dauid vxor data est, licet à principio in scandalum sibi data sit, vt supra diximus. Sic denique inter Herodem Antipatrum & Hyrcanum dissidia pacata fuere, quia Mariannem Hyrcani filiam Herodes duxit vxorem. A proposito igitur incepto ne discedamus, pro his grauissimus sedandis calamitatibus Henricus III. filius primogenitus eiusdem Iohannis primi contraxit cum domina Catherina filia prædictorum ducis Clocestriæ & dominæ Constantiæ eius vxoris filiæ regis Petri. itaque quod Henricus prædictus appellaretur Princeps Asturiarum, & Catherina Principissa. Et sic omni iure regna Castellæ & Legionis fuerunt consolidata in personam Henrici III. filii eiusdem Iohannis primi. Post prædicta vero feliciter gesta Iohannes rex cum esset apud Alcala de Henares, quadam dominica die ante prandiũ equitauit equũ quendam non satis domitum, & cum extra oppidum cursum faceret, equus ipse tam fortiter cespitauit, vt supra regem caderet. Taliter eum inter sellam & terram oppressit, quod infra paucas horas mortuus est. Nec dubitandum est displicuisse immortali Deo, hũc Principem dominicæ festiuitati non satis honoris tribuisse. Nam scriptum est: Benedixit dominus diei septimo, & sanctificauit illum. Nec enim solum ab omni opere cessare prohibuit, sed & à venationibus & vanis ioculationibus. tãta enim censura septimam diem obseruari Deus præcepit, vt hominem deprehensum die sanctificata colligere ligna, licet domui suæ necessaria, lapidari iussit. Hinc Origenes: In die sanctificationis desine ab omnibus secularibus operibus, nihilque mundanum geras, sed spiritualibus operibus vaca. Adde quia non solum corporea exercitia in his diebus inhibuit, sed ipsas animi cogitationes, dicente Propheta: Reliquiæ cogitationum diem festum agent tibi. Igitur nonnunquã huius præcepti transgressores grauiter punit dicens: Quiescere faciam omnes dies festos à terra: quod fit temporales infligendo pœnas. ait enim per Prophetam: Cõuertam festiuitates in luctum vestrum. Et iterum apud Machabæos: Dies festi erunt vobis in luctum. Tradunt enim annalia Anglorum, quia rex quidam Angliæ die dominica ante missarum solennia venatum pergit, cumq; Sacerdos sacris indutus diu Regem expectasset, auditæ sunt angelorum voces summa cum harmoniæ suauitate missam officiantes. Tandem rediit rex, sed non incolumis. Nam post leporem currens equus cecidit, regique ceruicem simul & tibias fregit. Hic igitur Iohannes Castellæ rex deuotissimus & catholicus fuit, & omnibus Ecclesiis cathedralibus donaria & reditus perpetuos contulit. Rursus dolens vehementer de schismate in Ecclesia orto, licet Henricus pater suus decreuisset nulli contendentium adhærere: hic indignum iudicans catholicum Principem fore acephalum, attendẽs quia secundum sententiam sanctorum patrum schisma fouere dicitur, qui à communione sedis apostolicæ se suspendit, congregari fecit prælatos & viros in iure diuino & humano doctissimos, & cæteros regni status, & post longam concertationem declaratum est, vt Clementi VII. apud Ananiam electo obedientiam præstaret. Demum vero eo mortuo præfatum Castellæ regnum adhæsit Petro de Luna appellato Benedicto XIII. vsque ad concilium Constantiense. Imperauit autem eo tempore Carolus filius regis Bohemiæ, qui pergens in Italiam imperialem suscepit coronam ab Vrbano V. Fuit hic Imperator doctus satis & multarum literarum peritus.

Sabbati violati pœna in Iohanne Rege.

Carolus Regis Bohemiæ filius sat doctus.

De Henrico III. Iohannis filio, XLIII. Rege Castellæ & Legionis, & de clarissimis filiis eius, & de Infante Fernando eius fratre minore natu, postea Rege Aragonum, & de inclyta eius prole.

Cap. XXIII.

HENRICVS III. Iohannis prædicti primogenitus filius, regnorum Castellæ & Legionis gubernacula illico suscepit. Cœpit autẽ regnare anno Domini M.CCCXC. & computando

tando ab Athanarico primo rege Gotthorum, LXXXI. à Pelagio vero qui primo regnauit post cladem Hispaniæ, XLIII. regnauit autem annis XVI. In cæteris regibus regnandi tempus descripsimus: in hoc vero glorioso Henrico non tantum regnandi, quantum viuendi ordinem differemus, nec quam multum regnauerit, sed quam pie, quam bene, & iuste vixerit, afferemus. Qui etsi paruo tempore in mundo fuit, longissimo tamen tempore viuere & regnare censendus est. paucis enim diebus vitam mortalem sortitus est, qui magnis præmiorum cumulis floruit. quo fit vt quatenus ad dierum numerum attinet, breuis fuit eius vita, sed quo ad fructum & præmium, longissima. Ad quem sensum putamus Sapientem dixisse, quia iustus cito perit: impius autem multo viuit tempore in malitia sua. Vnde Cyprianus ait: Magis lætandū est, quod iustus breuem, sed fructuosam vitam transegerit, quam quod longam non viderit. Henricus igitur XII. annorum erat cum regnare cœpit, teneros tamen annos supplebat summa illius grauitas & prudentia. Cani enim illi sensus erant. Hic tempestiue duxit vxorem, videlicet dominam Catherinam filiam ducis Clocestriæ & Constantiæ filiæ regis Petri, per quod matrimonium pax auctore Deo sequuta est inter Hispanos & Anglicos, vt supra diximus. Hic Princeps pacificus fuit, quietus & mansuetus, consilio & maturitate ac omni virtute præclarus: vacabat tamen plurimum quietudini regnorum ex præteritis tumultuationibus non vsquequaque sedatis. Cum igitur nonnulli eum hortarentur, vt reformaret regnum, violentias coherceret, quia ibi iustitia non vigebat, & vnusquisque quod libebat, non quod decebat, ageret: Henricus quæsiuit quænam foret eius rei causa. Illi aiunt, quia in his tui regni initiis neminem punis flagitiosum, putans decori esse regibus à sanguine abstinere. Verūtamen vt sapientes volunt, pro salute corporis humani, cuius instar habet cuiusq; regni respublica, plerunq; modicus, sed violentus cruor extrahitur, ne totius compagis corporis sanguis effundatur. Ad quos Hēricus, Verum, inquit, attulistis, sed videte si à vobis ipsis incipiendum sit. Videte iterum an vos ipsi viueretis, si illico peccatorum vos censura plecteret. Nam vt noster Seneca ait, sæuissime aduersus peccantes erigimur, & ipsi eadē committimus. decet igitur vt putamus, lenitiuis remediis corpus depurgare, antequam igne & ferro vlcera cauterientur. Quare æquanimiter à regibus subditorum errata pro loco & tempore toleranda sunt, qui meminisse debent quod fortasse ipse, aut sibi propinqui & dilecti habeant, in quo tolerari desiderent. Quod pulchre Augustinus non negauit inquiens, quia contra omnia vitia humana, vel cauenda ne existant, vel sananda cum extiterint, nihil vtilius putandum, quam aliquando seueritati detrahere. Accedit quia vt sapientes volunt, pulchrū est principi eos plerunq; tolerare quos amat. Verum si, vt dicitis, plurimum inualuit hominum malitia, non parū discriminis & periculi est repente atq; districte punire. Imitatus est Henricus Antoninum Pium quem Iulius Capitolinus refert, qui cum in simili euentu à suis suaderetur de reformando reipublicæ statu: Video, inquit, hoc tempore parū de iusto, parum de honesto hominibus inesse, adeo vt nec vos ipsi insontes sitis. Verumtamen ad id agendum multis opus est gladiis, multis securibus, vt in antiquū statum publica forma redigatur, quippe plurimis carorum modorum lamentis atq; mortibus ad eum statū quem cupitis, perueniendum est: si tamen Deus vitam donauerit, cum tempore iniqua purgabimus tempora. Quibus sapientissimis verbis ad quos loquebatur, admonuit, & insontes ad reformationis spem vsq; perduxit. Hic igitur Henricus de quo sermo est, ex prædicta Catherina Anglica duas primo filias, videlicet Mariam & Catherinam genuit. de vlteriori enim progenie desperatus, quia valde infirmus, vxor vero pinguissima erat: tandem quodam modo miraculose, diuina sic disponente clementia, idem Henricus præter omnem suam & cunctorum de regno spem, genuit Iohannem II. patrem istius moderni Henrici regis. de qua re tota Hispania nimium exultauit. Fernandus vero Infans, frater Henrici minor natu, continuo cum eo erat, habens in regno Castellæ amplum patrimonium castrorum & villarum, quod Iohannes pater & idem Henricus frater ei concesserunt. Sortitus est igitur Fernandus infra regnum vxorem nobilissimam quidem & ditissimam dominam Comitissam de Alburqueque eius consanguineam, filiam Comitis Santii ex recta linea regia descendentem. Ex qua dum moram in Castella traheret, & longe ante quam regnum Aragoniæ obtineret, genuit amplam & gloriosam prolem, videlicet Alfonsum postea Aragonum & Siciliæ Regem: item Iohannem modernum Aragonum regem: tertio Infantem Henricū magistrum sancti Iacobi: quarto Infantem Petrum, qui apud Neapolim machina interfectus est: quinto Infantem Santium, qui magister de Alcantara postea effectus, & in iuuenili ętate obiit: sexto Mariam: septimo Iohannam, clarissimas filias quæ altera Castellę, altera Portugaliæ reginæ felicissimę fuerūt, & matres modernorum Regum Castellæ & Portugaliæ. Itaq; ex prædictis duobus fratribus, Henrico videlicet &

Iustus breuis æui.

Respub instar corporis habet humani.

Felicitatis comes periculum.

Fernando, progenies admodum gloriosa processit. Sed verum est, quia omni gloriæ atque felicitati proximum est periculum atque permixtum discrimen, vt inde mœror plerunque contingat, vnde procedit & gaudium. Euenit enim vt Hispania eodem fonte dissidia senticet, quo quietem, quo gloriam putauit suscepisse. Nam tantæ nobilitatis & virtutis prolem Hispaniæ capere non potuerunt. quo effectum est, vt ea ipsa tam excellens & magnifica proles Hispanias omnes plurimum tumultuantes redderet, vt patebit illico. Quæ res non modo in Hispaniis singularis sæpe conspicitur, sed vbique communis. Quocunque enim in regno plurimi cuiquam regi filii nascuntur, totidem regno futura parantur discrimina. Hinc in libris regum scribitur, Melior est vnus quam mille filii impii. Et Iob ait, Si multiplicati fuerint filii, erunt in gladio. Rursus scriptū est, Propter peccata terræ multi principes eius. Rursus vbi multi potentes, multi sunt & oppressi. Fertur quendam regem Francorum plures genuisse filios, & cum magnates regni in natiuitate cuiuslibet filii, vt moris est, publica festa agerent, primogenitus regis non satis ob eam rem lætus, interrogatus de causa mœstitiæ: Multos, inquit, vos ipsi festiuatis lætantes, quos aliquando patiemini deuorantes. Ego etiam doleo futura dissidia, quia ii omnes non tam fratres, quam mihi hostes nascuntur, eruntque multi bellantes aduersum me, vt non mentiatur propheta: Filius matris meæ pugnat contra me: subdens, vnus filius regis, vnitas est regno, plures vero plures discordias generant, quia scriptum est, Effusa est contētio inter principes. Hic Fernandus Infans obedientissimus fuit fratri Henrico regi, nec vnquam ei loquebatur nisi flexis genibus.

De præclaris virtutibus huius Henrici III. demum de filiabus eius & quibus nupserunt, & de inopinata & festina morte dicti Henrici, & de occurrentibus suo tempore.

Cap. XXIIII.

AD eundem igitur Henricum III. redeuntes paucula quædam ex multis eius virtutibus commemorare libet. Fuit siquidem hic princeps deuotissimus & Deum timens, orationi valde assiduus, ecclesiam & eius ministros venerans, mansuetus, humilis, iustus & rectus, paruis & magnis iustitiam ministrabat. Raro quempiam puniebat, non vtique vt delicta impunita relinqueret, sed vt de gente Bragmanorum Polycrates ait, tam iustus erat, vt opus punitione aut vindicta non esset, vbi nulla fiebat iniuria. Ob eius igitur ingētes virtutes non modo à subditis, sed ab extraneis & forensibus plurimum amabatur, adeo vt tantum auctoritatis, famæ, & nominis apud exteras gentes nemo habuit. nulla aut rara tributa siue tallias indixit, licet militibus & Baronibus integra stipendia persolueret, ac munifica beneficia conferret. tam liberalis fuit, vt quos non posset officiis & honoribus præponere, locupletes teneret. Salaria multa auxit benemeritis: sed & plura illis subtraxit, quos aut inhabiles, aut male versatos videbat accipere, dicēs vt alter Antoninus Pius, quē Iulius Capitolinus refert, nihil esse sordidius, imo damnosius quam quod respublica grauetur ab his qui nihil in ea suo ingenio aut virtute conferrent, quia iuxta Aristotelis in Politicis sententiam, improprie ciuis dicitur qui parum aut nihil ciuilitatis aut vtilitatis reipublicæ potest afferre. Cuiusmodi sunt sordidi, aut inutiles homines, quos philosophus ipse βαναύσους vocat. Plurimas denique Henricus expensas fudit, tam in ædificando, quam desolata castra reparando, præsertim in fronteria Sarracenorum & regnorum suorum limitibus. Nam fortalitium & arcem Murtiæ, palatium denique de Miraflores prope ciuitatem Burgensem, & latissimum campum siue parcum murari fecit, vbi postea Iohannes II. filius eius, deuotissimum cœnobium Cartusiēsium construi fecit, & ibi sepeliri voluit. Rursus hic Henricus munificus atque magnificus fuit, præsertim in recipiendis & honorandis oratoribus ad illum venientibus, quos liberalissime donabat, adeo vt nullus in largitione effusior esset, nec in cunctis hominum officiis moderatior. Se enim ipsum quo volebat, versabat. Nam cum tristibus seuere, cum remissis iocunde, cum senibus grauiter, cum iuuenibus exemplariter & comiter. Cæterum hic prudentissimus princeps viros doctos atq; consilio & experientia tritos plurimum dilexit atque euexit. Dicebat enim longe plus reipublicæ conferre sapientum cōsilia quam arma fortissima, maiora illustrioraq; intellectu quam gladio confici. Vnde Sapiens & rex Salomon id ipsum expertus ait: Melior est sapientia quam vires, & vir prudens magis quam fortis. Demum idem Henricus illud Ciceronis in Officiis semper in ore gerebat, quia Solonis erudita consilia nō minus Atheniensibus profuere, quam Themistoclis armata victoria. Nam ille triumphus semel ciuitati profuit, sed illa sapientia & consilium semper proderit. maioris enim virtutis

Consilia sapiētum plus Reip. conferunt quā arma.

tutis esse dicebat, consilio prouidere nequid aduersum ciuitati accidat, quam armis prohibere ne veniat. qui enim armis hostes superant, à fortunæ varietate ducuntur, quinimmo vt ait Seneca, similes sunt nauigantibus, qui fortunæ flatibus agitati non eunt, sed feruntur. Quare idem Cicero subdit, qui sapientia & consilio rempublicam dirigunt, plus agunt quam qui corpora iaculis hostium exponunt. Similes enim sunt gubernatibus nauem, qui longe plus agunt in puppi sedendo, quiescendo, sed dirigendo, quam laborando, remigando, aut bellãdo. Denique Henricus curiosus plurimum fuit scire cunctorum principum, etiam paganorum gesta, ad quos diuersos oratores mittebat. Nam ad Taborlanum Soldanum, Moratum, & cunctos vtriusque Asiæ, sed & Indiarum principes oratores & dona misit, & à quibusdam eorum recepit: in quibus rebus non paruas fecit impensas. Et quod non parum admirationi fuit, paruo tempore amplissimum aggregauit thesaurum, non sibi, sed bello contra Arabes diffundendum, quamquam ad fisci sui commoda non admodum esset affectus, dicens illud Constantini Imperatoris, Longe melius publicas opes à priuatis possideri, quam intra vnum claustrum reseruari: addens ditissimi regni regem, inopem esse non posse. Cum enim miles quidam ab Henrico iocandi gratia quæreret, quanam causa diues euasisset, respondit nulla re ærarium cuiusuis principis cumulatius augeri, quam si iustitiæ sit cupidus, non pecuniæ. Cuius rei Salomon testis erit, de quo Scriptura ait, quia pro eo quod in sapientia & iustitia populos gubernabat, præcessit omnes qui ante eum fuerunt reges, diuitiis & potentia, vsque adeo vt tanta in domo eius argenti abundantia fuerit, quanta & lapidum, nec aurum in precio erat. Deniq; Henricus tanta caritate subditorum facta gerebat, vt & omnia & omnes quasi sua essent, curaret. Sub eo omnes prouinciæ & ciuitates floruerunt. Bonos iudices & rectores nõ mutauit. dicebat enim duplicem irrogare iniuriam, si bonis viuentibus gubernatoribus alios substituisset: primam ciuitati, quam optimo & noto priuabat rectore: alteram iudici, qui nõ nisi ob eius probitatem remoueri videretur. Nihilominus sicut prouinciis bonos præsides & rectores præponebat, eadem animi virtute & seueritate in eos acerrime animaduertebat, quos in gerendis magistratibus & officiis, nedum delinquentes, sed ditatos cõspexit. dicebat enim eos iudices nõ indigere alio syndicatu, aut alia pessimi regiminis probatione, nisi quod pauperes magistratum accepissent, sed locupletes inde euasissent. Imitatus est Henricus Antoninum Pium Imperatorem, vt Capitolinus ait, qui quẽdam prætorem designans, paruo tempore in officio ditatum, ad Senatum ait, Audistis prætoris nostri filios indutos purpura, quem antequam prætor fieret, mendicum & pauperem nouimus, sed subito diuitem factum. & subdit: Vnde quæso nisi de visceribus reipublicæ & pauperum sanguine. Quare similes in officiis locupletatos, non iudices aut rectores, sed spoliatores dixerim, qui creditas sibi ciuitates arbitrantur, vt luxurientur, & diuites fiant, vt alios pauperes efficiant. Non sic de Valerio Valerius Maximus narrat, qui post tres cõsulatus Romano populo acceptissimos tam pauper mortuus est, vt patrimonium eius ad explendas exequias non sufficeret. Sic & de Marco Menenio, qui post plurima officia inmaculate gesta, ob paupertatem sepultura caruit, nisi ex collecta publica funus honorabile habuisset. Sic rursus & Scipio post res felicissime gestas in Hispania, in summa paupertate decessit, nec tanta pecunia ab eo relicta est, quæ maritandis filiabus suffecisset. Quales autem debeant esse iudices, rectores, & præsides, qui ad regendas prouincias & vrbes à quouis principe vel republ. deputantur, & de illorum laude si bene præsunt, aut vituperio si inique, latius egimus in eo libro quem nuper edidimus dictum Speculum vitæ humanæ, S.D. Paulo Papæ II. dedicatum. Cæterum de huius gloriosi Regis prole breui aliquid differendum est. De Iohanne igitur eius filio post eum regnante statim latior erit sermo: de filiabus tamen hoc loco aliquid dicere libet. Maria itaque prima Henrico fuit filia, quam sortitus est vxorem inclytus atque perexcellens Alfonsus Rex Aragonum, eiusdem Mariæ frater consanguineus, filius Fernandi huius Henrici fratris. Hęc domina Maria nõ tam patris effigiem quã virtutum paternarũ congeriem imitata est, & quoniam (vt volunt sapiẽtes) magistratus & potentia virum ostendunt, qualis hęc domina fuit, illius regimen & administratio patefecit. Cum enim Alfonsus vir eius assiduis guerris extra Hispanias occuparetur, presertim in Italia circa acquisitionem regni Siciliæ, dicta Maria cõstituta est gubernatrix regni Aragoniæ. In qua administratione tanta iustitia & moderatione vsa est, vt prouinciã sibi decretam in summa pace & iustitia teneret. Certis enim in hebdomada assignatis diebus, viduas solum, orphanos, pupillos, & oppressos audiebat, quibus iustitiam simul & alimoniam ministrabat. Tanta deniq; castitate, pudicitia, & honestate flagrauit, vt totius munditiæ speculum vocaretur. Fastus & ornatus, sed & conuictus nobilium simul & domicellarum suarum strictissima censura per eam castigatus est.

Cõstantini Imp. dictum elegans.

Maria Henrici filia munditiæ speculum dicta.

Et licet Alfonsus xxv, fere annis ab ea diuertisset, illa tamen patiēs & obsequens fuit. Hæc denique præclara regina pacem inter Iohannem fratrem suum & Iohannem tunc Nauarræ regem & fratres eius sæpecomposuit. Exigeret rursus ordo pollicitus, vt de altera filia huius Henrici, Catherina videlicet, sermo fieret, verum sub Iohanne secundo eius fratre statim de ea aliquid tangemus. Sed iam libet redire ad eundem Henricum. Cum igitur, vt diximus, bellum contra Sarracenos animo suo plurimum fixum esset, & iter versus Granatam ageret, inualescentibus infirmitatibus quibus, licet iuuenis, assiduo affligebatur, relicto filio Iohanne hærede & regnorum successore, cui simul & sororibus, vt diximus, tutores locupletissimos dederat, susceptis denique sacramentis ecclesiæ, apud Toletum obiit, ipse quidem feliciter: infelicissime tamē eo Hispani populi caruerunt. Raptus enim est ne subditorum malitia mutaret intellectum eius, aut æmulorum fictio deciperet animum eius. Cuius mors non minus damnosa Hispanis fuit, quam Thebanis regis Epaminundæ obitus, ex quo tanta gloriæ & honoris regno perditio sequuta est, vt non iam perdidisse Regem, sed ipsi periisse cum eo viderentur. Erat autem Henricus XXVII. annorum cum Deo beatum spiritum reddidit, die videlicet sanctissimæ natiuitatis redēptoris nostri, & in breui vitæ spatio tempora virtutum multa compleuit. Et vt cum Hieronymo loquar de alio principe agente, vtinam gloriosi huius iuuenis Regis præconia, cæterorum principum rugosa senectus imitaretur. Hic princeps parui corporis, sed magni animi fuit, Grandia cogitabat, si præmatura mors eū non rapuisset: adeo vt illud sibi conuenire videatur, quod quendam ex militibus Alexandro dixisse ferunt: Si dii (inquit) corpus tuum exiguum auiditati & desiderio animi tui fecissent par, orbis totus te capere non posset. Hic gloriosus Henricus nō tam filio quam patri prouidens, idoneos & omni exceptione maiores tutores reliquit, videlicet dominā Katherinam reginam consortē suam & Fernandum Infantem, vt statim latius dicemus. Eidem vero Iohanni filio suo nutritium & personæ suæ directorem deputauit nobilem & fidelem Baronem Iohannem Alfari de Osorio. Cum igitur ob pupillarem Iohannis ætatem non parum disturbii timeretur, fertur Henrico in extremis laborāti quosdam fidissimos Barones cum lacrymis commemorasse, non mediocre imminere periculum circa regni successionem, pro eo quod Henricus ipse Iohannem filium in cunabulis vagientem relinqueret. Fernandus vero Infans Henrici frater, maior natu erat eodem Iohanne: sed & ab omnibus regni statibus admodum amabatur. Non ergo abs re formidandum erat ne ad regnum aspiraret, veluti quem nimia proles, item regnicolarum fauor, sed & ipsa regnandi auiditas, quæ non imbecillia, sed fortissima pectora tentat, ad eam rem facile impellere poterāt. Addebant rursus illud » Aristophanis præclarum verbum, dicentis, aut potius fingentis Periclem principem A- » theniensium ab inferis remissum, & publice vaticinantem atque clamantem, non oportere in vrbe nutriri leonem, qui cum se filium leonis conspicit, sibi coronam à natura largitam. Ad quos Henricus moribundus, sed animo fortis, Sinite, inquit, timere. scio enim neminem esse regis filium, qui non se regem decies in nocte somniet: nec desunt qui id ipsum adaugeant dicētes, aut potius blandientes, quia si filius, ergo hæres, nihilq; (vt aiunt) Regis filio, vt rex fiat, deesse, nisi regnandi animum. Ea tamen aliena sunt à Fernandi integritate. Nosco enim illius innocentissimam naturam, cuius fidem ac ingentem probitatē expertam habeo. Sum quidem certo certior Fernandū fratrem degenerare minime posse à parentum nobilitate, sicut nec à se ipso. Quod vero dicitis eum à populo dilectum, id » ipsum liquido demonstrat, quantæ sit fidei & probitatis. nihil enim magis ad amicū tra- » hit quam explorata fidelitas, quia scriptum est, fideles in dilectione acquiescent ei. Difficile enim foret Fernandum ab omnibus diligi, nisi quædam naturalis sibi bonitas & innata fides adesset. Illa enim est cinctura renum eius. Quare non est in Fernando timēda imtaprobitas, sed admiranda atque imitanda fidelitas. Qua constanti fiducia Henricus omnē formidolosam cunctationem à suorum mentibus euulsit. Huius Henrici tertii tempore sedit in cathedra Petri schismate durante præfatus Clemens septimus, & Benedictus decimus tertius natione Hispanus: apud Romam vero præfuerunt prædicti Bonifacius nonus & Innocentius sextus. In imperio vero sederunt Carolus antedictus, & eo viuente Vladislaus præfati Regis Bohemiæ filius electus fuit, quem electores vt dilapidatorem deposuerunt, eligentes Robertum ducem Bauariæ Comitem Palatinum. Hic Vladislaus imperio priuatus, peruersam hæresin Hussitarum in regno Bohemiæ fouit atque defendit. Præfatus vero Robertus sic vt præmisimus electus, per Bonifacium nonum confirmatus & coronatus est. Fuit autem iustus & bonus, qui Italiam est ingressus contra Iohannem Galeatium ducem Mediolani, à cuius gentibus fugatus est, & inglorius in Alemaniam rediit.

Henrici obitus.

Corona à natura largita.

Clemens VII. & Benedictus XIII. Bonifacius IX. & Innocentius VI. Vladislaus deponitur ab Electoribus. Hussitarum hæresis.

De Iohanne II. Henrici filio, Rege Castellæ & Legionis XLIIII. post cladem Hispaniæ, & de Katherina matre & Fernando patruo tutoribus eius, & de præclaris victoriis Fernandi tempore infantiæ Iohannis, & qualiter recuperauit Antequeram, & de singulari fide & ingentibus virtutibus Fernandi.

CAP. XXV.

IOHANNES II. filius Henrici prædicti, incepit regnare anno Domini millesimo quadringentesimo septimo. hic ab Athanarico primo Rege Gotthorum octogesimo secūdus Rex fuit, à Pelagio vero primo Rege post cladem Hispaniæ quadragesimus quartus. hic princeps ex omni parte nobilissimus fuit, nec solum ex clarissimo Gotthorum genere originem traxit, sed ex illustri prosapia Imperatorū Romanorum & Græcorum ac nobilissima & sacra domo Franciæ. Inter cætera quidem matrimonia quæ inter has inclytas domus sæpe celebrata fuere, illud vnum non parum vtramque familiam lustrauit. Fernādus enim dictus de la Cerda Alfonsi decimi Regis Castellæ primogenitus vxorem duxit filiam Sancti Ludouici Regis Francorum, quem Bonifacius octauus canonizauit, ex qua genuit Alfonsum de la Cerda qui auus fuit Reginæ Iohannæ consortis Henrici secundi, quæ proauia fuit huius Iohannis secundi. quo fit vt Iohannes ipse per rectam stirpem descendens, septimo gradu distet à Sancto Ludouico. Rursus hic Iohannes trahit originem à Regibus Angliæ. Vt enim supra actum est, Iohannes ipse nepos est Iohānis Ducis Alencastriæ filii Eduardi, vltimi huius nominis Regis Anglorum. A cæteris vero Hispaniarum Regibus nedum descendit, sed ipsi ab eius stirpe descendunt. Ex dignitate itaque & excellentia progenitorum & eorum antiquitate (vt ait Aristoteles in Rhethoricorum libro) cognoscitur summa nobilitas cuiusuis principantis. Accepit autē regni sceptrum cum esset in cunabulis, nondū viginti menses expleuerat, & die natali Domini qua pater obiit, in regem eleuatus est. Regnauit autem annis quadraginta septem. ex dispositione paterna duos idoneos quidem ac solertissimos tutores sortitus est, Katherinam videlicet matrem, & Infantem Fernandum patruum suum, quo postea in Regem Aragoniæ assumpto, tutela ad Katherinam matrem in solidum rediit. In qua tutela Olympiadem Pyrrhi Regis Epirotarum filiam imitata est, quæ post mortem mariti Alexandri, filios Pyrrhum & Ptolemęum literarum studiis instrui fecit, quibus & regnum conseruauit. Sic & Zenobia Odenati vxor defuncto marito regnum Syriæ gubernauit, dum filii laudatis studiis & moribus vacarent, nec modo regnum seruauit, sed auxit. Nec solum Regina ipsa Katherina prudentissima, sedula in filio alendo atque erudiendo erat, sed in regni gubernatione vigilantissima. cuncta enim nobilium, Baronum regni, ac prælatorum consilio agebat, sed præsertim duorum fidelium clarissimorum virorum nedum fide, sed ætate, prudentia, & experientia probatissimorum, quos Henricus Rex eorum ingentibus virtutibus dilexit, videlicet Iohannem de Velasco & Didacum Lupi de Astuniga, quorum hodie nobilissima proles parentum nobilitatem imitatur. Quinimo qua fide, qua integritate, qua obseruantia patres & aui eorum, eadem & nepotes rempublicam tutati sunt. Nec aliter egerunt cæteri potentes & regni magnates. Tandem Katherina vt Deo placuit, paulo post vita functa est. Iohannes igitur XIIII. ætatis suæ anno constitutus, sine tutoribus agens, de assensu prælatorum & omnium statuum regni gubernacula suscepit. Duxit autem vxorē illustrissimam Mariam consanguineam suam, filiam Fernandi patrui prædicti, ex qua genuit duas filias in infantia defunctas, genuit rursus excellentissimum Hēricum quartum, nunc feliciter regnantem. Post obitum vero Mariæ duxit secundam vxorem Elisabeth filiam Iohannis Infantis filii Iohannis Regis Portugaliæ, ex qua genuit inclytos Alfonsum & Elisabeth, nunc superstites, quos Altissimus conseruare dignetur. Huius Iohannis tempore dum iocunda infantia gauderet, Fernandus patruus eius atque fidelissimus tutor & solertissimus militiæ dux, guerram contra Sarracenos à patre & fratre præmortuis inceptam feliciter continuauit, & in propria persona proficiscens multis Hispaniæ nobilibus sociatus, regnum Granatę potenter ingreditur, vbi fructuose admodum & cum summa eius laude pugnatū est, multasq; Sarracenis clades intulit. Cui etsi à Mauris magna auri pōdera oblata fuissent, ille respuit, dicens quia sanguinem illorū, non aurū sitiebat, & vt alter Scipio Æmilianus, non quantū auri pondus afferre potuisset cogitauit, sed quantū gloriæ & amplitudinis, si tantum aurū contempsisset. turpe enim dicebat si quid eorum fidei & virtuti debetur, pecunia ematur. quo euenit vt crudeliorē contra eos postea guerrā gereret. Tandem vrbē dictam Antequera de nobiliorib. regni Granatę per annū fere obsedit. Cumque ex Africa innumera Arabum multitudo transfretasset, vt vrbem ab obsidione

liberaret, persuadentibus militibus ne vitæ suæ atque illorum ea die finem imponeret, respondit se ideo venisse, non vt saluti suæ, sed vt Christianæ religioni longiores terminos faceret; nec modo illi cura erat de vita, dum ciuitas esset euicta: addens quia nec vrbis obsessæ altissima mœnia, nec terribilis classis copiæ eum terrebant, quippe qui vel vrbem ingredi, vel prope vrbem sepeliri spiritu firmo delegerat, honestam mortem extimans turpi meticulosæque vitæ præferendam. Illico igitur vrbem oppugnat, à qua cum Sarraceni non paruo numero egredientes castra impeterent, Fernandi tamen virtute & industria captiuantur. Suadebant igitur multi eos omnes occidendos, vt inclusorũ vires frangerentur. Fernandus vero vt alter Lucius Papirius quem Plinius cõmemorat, omnes dimittendos fore asseruit, vt ipsi beneficio, cæteri humanitate & exemplo obligarentur. Tandẽ armorum vi eandem adeptus est vrbem, multis Arabũ millibus in expugnatione cæsis, ipsamq; vrbẽ Iohannis nepotis sui regno adiecit, cui vniuersam victoriã fidelissime attribuit, velut alter Ioab princeps militiæ Dauid, qui (vt ait scriptura sacra) cum instaret captio ciuitatis Rabba, quam diu Ioab ipse obsederat, misit ad Dauid vt veniret capere vrbem, & regi, non sibi honor victoriæ deferretur. Eadem deniq; die Sarracenorum copias qui de Africa ad succursum vrbis venerant, gloriose deuicit, rediitq; felix ad Iohannem Regem, qui non paulo post tantæ fidei & probitati præmium contulit, præsertim in assecutione Regni Aragoniæ, vt statim tangemus. Iohannes igitur rex sicut ætate, sic virtutibus crescebat, Deum timuit, ecclesiam, & viros ecclesiasticos, & religiosos, & doctos plurimũ amauit & decorauit, diuina officia frequentabat, vt statim dicemus. Hic Iohannes natura mitis & clemens erat: veruntamen seditionibus & magnatum ambitionibus prouidens, Fredericum ducem Beneuenti in vinculis trudit, Alfonsum etiam eiusdem Frederici fratrem exulem fecit à regno. Postea vero inualescentibus seditionibus nonnullos Comites & Barones tumultuãtes trusit in carceribus, quos postea benigne liberauit. Verum quia huius Iohannis tempore vacatio regni Aragonum occurrit, dignum duxi contentiones super regno ipso occurrentes breui inserere.

De vacatione Regni Aragoniæ tempore dicti Iohannis Regis Castellæ, & de competitoribus in dicto regno, & qualiter Fernandus idem regnum obtinuit captiuato Comite Vrgellensi.

Cap. XXVI.

IOHANNE igitur prædicto regnante, sub tutoribus præfatis agente, vacauit regnum Aragoniæ per regis Martini obitum sine filiis decedẽtis. Super regno igitur magna admodum contentio & grauissima altercatio orta est, fueruntq; plures competitores, videlicet hic Iohannes secundus de quo agimus, & eius nomine Katherina eius mater & tutrix: itẽ Fernandus Infans patruus Iohannis: Dux etiam Andegauiæ: Comes denique Vrgelli. Hi omnes ad regnum prædictum Aragoniæ aspirabant, & vnusquisque successionis iure sibi regnum deberi asserebat: omnes tamen (vt aiunt) ex materna fœmineaque stirpe ius prætendebant, alius successiones antiquas, alius propinquiores adducebat. Quæ omnia in præsentiarum adducere, historię seriẽ de qua intendimus, rationem excederet. Ea tamen contentio quæ inter infantem Fernandum & Iohannem Regem Castellæ eius nepotem magis domestica videbatur, cum omni honestate summaque virtute & prudẽtia acta est & modestissime gesta, adeo vt nulla exterior disputatio aut contentiosa altercatio secuta est, & vt paucis agamus, facile fuit vincere volentes. Tanta enim erat virtus, tanta Fernãdi probitas & fides, & tam ingens ad illum erat caritas Reginæ matris Iohannis, exuberansq; cunctorum nobilium regni Castellæ ad eum amor, quod nedum Fernandus nullum in adipiscendo regnum impedimentum sensit, sed opimatissima atq; grauissima prę̃sidia adeptus est, quibus pacifice regnum adeptus est. Scriptum est enim: Mansueto & fideli da honorem iuxta meritum suum. Fatemur non parum rebus Fernandi adiumento fuisse, Iohãnem nepotẽ eius infantia gaudere. Si enim perfectę fuisset ætatis, forte res ipsa alios habuisset successus. Cõclusum est ergo per reginã & magnates regni Castellæ inclytum Fernandum futurũ debere & oportere esse Regem Aragonũ, quippe potentia, thesaurus, vires, omnia deniq; præsidia fuere sibi pollicita & publice proclamata, vt illud Artaxerxis Regis Persarũ quod apud Hester legimus, de Fernãdo dictum videatur, Cognoscãt (inquit) omnes, qui fideliter Regi obediũt, dignã pro fide recipere mercedis coronã. Fretus igitur idẽ Fernãdus his potentiis facile fuit regnũ Aragonię nãcisci, quia (vt aiunt) cedunt regna victricib. armis. Adde quia Fernandi ingentia merita longe plus quã arma
» pugnabãt. Teste.n. Seneca, certius virtutib. quã virib. victoria cõparatur. Resistebãt tamẽ
» Valentini plurimũ, & Aragonenses simul & Catalani, quorũ plurimi Comiti de Vrgellis fauebant,

fauebant, veluti intra regnum nato & dilecto. Tandem post multa prælia hinc inde commissa, quod necessario armis futurum erat, summa cum virtute per viam compromissi & iuris sopitũ est. Fuere igitur iudices, olim Papa Benedictus, sic in sua obedientia nominatus, ac frater Vincentius Ferrarii, postea per Calixtum II. canonizatus sanctus, & nonnulli alii. Ii vero summa cum sapientia & prudentia cuncta librantes, statum rerum, ac pericula prompta, iura deniq; Fernandi Castellæ Infantis prædicti considerantes, eiusq; potentiã, progeniem, virtutes deniq; innumeras, & humanitatẽ intuentes, eidem Fernando pro quodam necessario expedienti regnũ adiudicarunt. Qui regni sceptrũ nactus, Comitem Vrgellensem prædictũ intra regnum existentem, & magnas habentẽ sequelas vi cepit atq; incarcerauit. Hic Comes Vrgelli auus fuit ex filia Petri de Portugalia & fratris eius Iacobi Cardinalis, sancti Eustachii proxime defuncti. Hũc Comitẽ Vrgellensem Fernandus sub compedibus ligatũ misit in Castellam ad fortalitium de Huruenna prope Palentiam. Sic itaque pacifice & feliciter deinceps regnum Aragoniæ cum adiacentibus partibus obtinuit, & ad dictum regnũ se transtulit, vxorẽ, filiumq; Alfonsum primogenitum, & filias duntaxat secum ducens, cæteros vero filios, videlicet Iohannem, nunc modernum Aragoniæ Regem, & Henricum magistrum sancti Iacobi, ac Petrum intra regnum Castellæ nepoti suo regi Castellæ recommissos dimittens, suum & vxoris patrimonium eis diuisit.

De singulari religione Iohannis Regis Castellæ & Fernandi Regis Aragonum circa extirpationem schismatis in Dei ecclesia, & de congregatione concilii Constantiensis.

Cap. XXVII.

Regnante eodem Iohanne secundo in Castella & Legione inualuit plurimum schisma illud pestiferum & inueteratum, de quo hactenus diximus. Erãt enim in ecclesia tres Romani pontifices intitulati, Benedictus videlicet Aragonensis de domo Lunæ, & Iohannes, nec non Gregorius, sic in suis obedientiis nuncupati. Ad cuius schismatis extirpationem, præfati, Iohannes Castellæ, Fernandus Aragoniæ Reges, summa vigilantia & solertia studuerunt. Et licet prædictum Benedictum, olim Petrum de Luna vocatum, intra Hispaniã natum, & ibi manentem carissimum haberent, & rursus Benedictus ipse Galliæ & omnium Hispaniarum præter Portugaliam obedientia potiretur: vnionem tamen ipsam cunctis possibilibus remediis prosecuti sunt. Quinimo vnionem & pacem ecclesię affectibus suis præferentes cum prædicto diuo Sigismundo Cæsare tractatus iniere, & actum est vt prædictus Sigismundus Hispaniã bis peteret. Qui sese mutuo intelligentes, assistente deniq; Christianissimo rege Franciæ, nonnulla apud Narbonam concordata capitula conclusere, ex quibus congregatio concilii Constantiensis secuta est. Pro quo adunando Sigismundus in Alemaniam rediit: prædicti vero reges, Iohannes & Fernandus, iuxta eadẽ capitula, Benedictum summopere rogant, monent, atq; contestantur, vnitati ecclesiæ consuleret, & ad resignandum titulo Papatus animum daret, vel se Constantiam personaliter conferret. pollicebantur enim sibi omnimodã securitatẽ, quinimo Alfonsum filium eiusdem regis Fernandi primogenitum cum eo mittere promittebant. Sed Benedictus ipse piis eorumdem regum precibus durior effectus, vtramque viam renuit: sed resignandi præsertim verbum quam impatientissime audiebat. Huius duritiẽ etiam flectere omnes Hispaniæ prælati & clerus plurimum studuerunt, idq; per suos repetitos oratores postularunt, sed neque profuerunt. quinimo quanquam subtractionẽ obedientiæ eidem comminati essent, nullo pacto animus eius flecti potuit. Considerantes igitur præfati gloriosi principes, quia, teste Augustino, melius est vt pereat vnus, quam vt pereat vnitas. & iuxta Ambros. In corpore Christi nullã habet societatem, qui vniuersum corpus diuidere conatur, quippe nec ad ęternã potest peruenire requiem, qui se ab ecclesia separat per cõtentionem: deliberarunt ab vno acephalo disiungi, vt vniuerso iungerentur. Concordarunt igitur iidem deuotissimi Hispaniæ principes, eundem Benedictum potius deserere, quam vnitatem ecclesiæ impedire, quæ in promptu erat, ne per eorum adhærentiã quouis modo vnitas differretur. Quare decreuerunt ambo Reges publice eidem Benedicto obedientias subtrahere. Qui hæc præsentiens per mare furtim ex Perpiniano Peniscolam petiit, in regno Valentiæ, oppidũ intra mare situm, quod ordinis est sancti Iohannis, quod per quendam suum nepotem tenebatur, ibiq; paucis eum sequentibus nedum vitam, sed fidem simul & famam amisit. Interim vero congregatur Constãtiæ synodus œcumenica super eodem extirpando schismate, ad quod solemnes oratores prædicti Reges transmisere. Post quorũ accessum & adhæsionem, concilium plenũ robur & firmitatem obtinuit,

Synodus Constantiensis.

& factis rite & recte processibus eundem Benedictum sæpius monitum & citatum damnauit, aliis Antipapis libere cedentibus. Quo facto patres in eadem synodo congregati post plurimas saluberrimasque constitutiones, reformationem ecclesiæ vniuersalis in capite & membris concernentes, mature atque digeste editas, ad electionem Romani Pōtificis procedentes, dominum Martinum Papam quintum, Romanum de domo Columnæ, vnanimiter elegerunt. Sic igitur vnitas ecclesiæ Dei feliciter reddita est.

De inclyta Maria vxore prima Iohannis Regis Castellæ, & de grauibus dissidiis inter eum & Iohannem Regem Nauarræ & Infantem Henricum, & de causis eorum, & de Aluaro de Luna & miro affectu Iohannis ad eum.

CAP. XXVIII.

IOHANNES igitur rex Castellæ & Fernādus eius patruus vltra naturale & propinquissimum sanguinis vinculum quo erant copulati, per matrimonia, vt diximus, longe magis præfatam necessitudinem adauxerunt. Nam Iohannes ipse duxit vxorem Mariam filiam Fernandi. Rursus Alfonsus primogenitus Fernandi duxit vxorem Mariam Iohannis Regis Castellæ sororem, & sic erant omnes fratres consanguinei. His igitur compositis Fernandus Rex Aragonum prope Barcinonam in oppido Egualada morte communi obiit, relicto filio Alfonso in regno Aragoniæ successore, qui ex Maria vxore nullum filiū genuit, sed ex quadam domicella Valentina procreauit filium Fernandum nunc Regem Siciliæ. Iohannes vero Rex Castellæ ex Maria vxore, vt diximus, genuit Henricum quartum nunc regnantem. Restabat Iohanni Regi Castellæ maritanda alia soror Katherina, speciosissima quidem. Alfonso denique Regi Aragonum etiam restabant duo fratres, Iohannes & Henricus, & soror Iohanna. Iohannes igitur & Henricus fratres Alfonsi Regis residebant in Castella apud curiam Regis Iohannis. Cōtendebant igitur ad inuicem quis Katherinam vxorem sortiretur vtriusque consanguineam. Tādem obtinuit eam Henricus Infans, tamen, vt paulo post compertum est, præter mentem Iohannis Regis Castellæ, Katherinæ fratris. quæ res incentiuum fuit multorum malorum, vt infra patebit. Sæpe tamen graues seditiones in republica oriuntur ex causis similibus. Narrat itaque Aristoteles Politicorum quinto, quod duobus viris potentibus propter quandam speciosam & locupletem mulierem in quadam Græciæ ciuitate dissidentibus, dum quilibet illam obtinere conaretur, omnes ciues diuisi sunt, quibusdam vni, aliis alteri fauentibus. quo euenit vt politia ciuitatis mutaretur de aristocratia in oligarchiam. Simile narrat accidisse apud Delphos, & iterum apud Mitylenæos. Rursus non paruas seditiones pariunt contracta inuitis parentibus connubia, & longe maiora dissidia oriuntur, si inuitis patribus aut fratribus rapiuntur, quemadmodum accidit Regi Sichem filiam Iacob inuitis fratribus rapienti. Nam & apud Machabæos legitur de quibusdam, qui cum clandestinas nuptias celebrarent, præter mētem domini nuptię eorū versę sunt in luctū, & vox Musicorū in lamentum. Iohānes Infans frater Alfonsi prędictus sortitus est vxorē dominā Blancā Reginam Nauarrę, relictam Regis Martini, factusque est Iohannes Rex Nauarræ. coruscauit enim titulo regio ex Regina vxore sua, ex qua genuit vnum filium masculum, Carolum principem Nauarræ, & duas filias, Blancam videlicet, quæ data fuit nuptui Henrico Regi Castellæ moderno, & alteram quæ nupsit Comiti de Fuxo. Iohanna vero, soror vtriusq; Regis Aragonum & Nauarræ, data est vxor Eduardo Regi Portugaliæ, ex qua genuit Alfonsum Regem modernum. Iohannes vero prædictus Rex Castellæ ex Maria sorore dictorū Regum Aragonum & Nauarræ, postquam, vt diximus, genuit Henricum modernum Regem Castellæ, duas postea filias habuit, quæ in cunabulis obierunt. Hic itaque Iohannes secundus Rex Castellæ cum esset adolescens, carissimum habuit Aluarum de Luna secum connutritū, ex nobili genere & antiqua familia de Luna regni Aragoniæ, quōdam Papæ Benedicti, alias Petri de Luna nepotem, qui adeo fuit ei dilectus, gratus & acceptus vt longissimo tempore regem & regna libere gubernaret, vt latius statim dicemus. fecitq; primo eū Comitē S. Stephani, deinde plura dominia & terras illi donauit, & tādē procurauit, vt magister fieret S. Iacobi. Hic regni magnates & nobiles nō satis (vt aiūt) honorabat. Rursus, pręter paucos sibi aut cōiunctos, aut fidos nō permittebat apud regē alios familiariter commorari. Verū cum inter cęteros conspiceret nobiles viros Petrū de Acūna nunc Comitē de Buendia, ac Gomeciū Carillo, fratres domini Alfonsi Carillo Archiepiscopi Toletani, à Rege nō parum diligi, eos à regio conspectu simul & fauore honeste abegit, alios inferioris sed probæ fortunæ viros Regis obsequiis substituens. Et vt paucis agamus, idem

idem Aluarus prudens, sagax, & astutus plurimum fuit, quia vt Redemptor ait, Filii huius seculi prudentiores sunt filiis lucis. Fuit denique simulans ea velle quæ nollet. His vero quos oderat affabilis, & quasi beneuolus apparens, balbutiens, sed facetus eloquio erat, repentinis responsionibus aut consiliis melior quam meditatis, vt alter Tiberius. Verum fuit in bellis strenuus insuper & animosus. Nec defuerunt qui dicerent eum magis felicē quam strenuum aut fortem. Denique plurimas virtutes participabat, si eas cum magis expediebat, non deseruisset, aut illis recte vti voluisset. Fauit ei fortuna longo tempore, & tamdiu cuncta ei prospere obuenerunt, quamdiu regio honori & bono publico animum dedit. Quo tempore plurima tam bello quam pace præclara quidem eius consilio & animi magnitudine acta sunt. Demum vero cum status sui incrementa (vt aiunt) supra modū quæreret, & vt paucis agam, cuncta suo arbitrio vellet, virtutes pristinas sua dominandi cupidine obumbrauit. Nam iuxta Hieron. Philosophorū sententia est, moderatas esse virtutes, excessus vero vltra modum atq; mensuram inter vitia computari. Et teste Bernardo, cuiusque viri illa summa prudētia est, non supra se extolli, non euadere in longius, non extendi in latius, tenere medium, si non vult perdere finem. Huius Aluari causa multa tumultuosa & misera in dictis regnis acciderunt. Iohannes enim Rex Nauarræ & fratres illum à Rege Castellæ expellere conantur, illeq; id ipsum contra eos tentabat. Accedit quia animus Iohannis regis læsus erat, pro eo quod infans Henricus cum tumultu, & eo inscio Katherinam sororem suam in vxorem, vt prædictum est, acceperat. Quare creuit dissidium, veluti scriptura sacra testante, occasione Dinæ filiæ Iacob, quam contra mentē patris Sichem rapuit, facta est magna discordia in terra. Alfonsus vero rex Aragonum, & Iohannes rex Nauarræ, ac Henricus fratres prædicti, etiam implacabiliter stomachati erant, quod Aluarus eorum æmulus ita acceptus esset regi Castellæ, & eorum incommoda procuraret, conabanturque expulsionem Aluari à regis Iohannis curia & præsentia.

Aluarus alter Tiberius.

Prudentia viri summa.

De intestinis dissidiis inter Iohannem Regem Castellæ, & Alfonsum & Iohannem Reges Aragonum & Nauarræ, & fratres suos, & quomodo Infans Henricus fuit bis captiuatus, & de concordia inter eos facta per medium legati Apostolici & inclytarum Reginarum Castellæ & Aragoniæ.

Cap. XXIX.

VERVM quia sanguis naturaliter, sicut cum turbatur leuiter, transit facile in contrariam speciem cruoris, ita inter sanguine iunctos cum parum læditur ipsa teneritudo amoris, facile transit in graue odium rancoris. Vt enim quidam Sapiens ait, sicut nullus amor ęquior fraterno, sic nullum vbi cœperit, iniquius odium, nulla acrior inuidia, nullum denique periculosius bellum. Nam teste Valerio Maximo, propter priuatas dissensiones cuiuslibet reip. status ruinæ exponitur. Frustra enim bellum foris quæritur, cum domi & intra mœnia geritur. Quare idem Valerius subdit, quia vbi pertinax inter coniunctos intercidit odium, plus alter alteri, quam vterque contrariis castris certior hostis efficitur. Ex his itaque quas supra enarrauimus, & aliis non leuibus dissidii causis, animus Iohannis regis Castellæ non mediocriter vlceratus erat, quippe de quibusdam infantis Henrici simultatibus commotus, illum diris carceribus captiuari iussit. Creuerunt itaq; dissidia nedum ciuilia & intestina quæ inter ciues esse solent, sed plus quam ciuilia quę inter sanguine deuinctos exoriuntur. Tale quippe bellum raro sopitur, nisi altera occumbente parte, vt Romæ accidit in Gracchiana seditione, & demum in Cæsaris ac Pompeii dissidio. In quibus funestis bellis sæpe parentes in filios sæuiunt, filii in patres, & fratres in sibi vterinos & germanos. Sed inter hos principes eo magis se alebat contentio, quo Henricus Infans strictius carceris vinculis tenebatur, & quo Aluarus à Iohanne Rege arctius amabatur. Quare Alphonsus & Iohannes reges Aragonum & Nauarræ instant, monentque Iohannem regem Castellæ pro liberatione Henrici fratris & expulsione Aluari, hortantes vt Iohannem regem Nauarræ & Henricum consanguineos suos secum ferre vellet, eosque tractaret vt iura sanguinis poscebant. Iohannes vero rex Castellæ eundem Henricū liberauit, & consanguineos prædictos complexus est, eos exhortans vt à tumultibus cessarent, nec Aluarum persequerentur. Henricus igitur liberatus à vinculis eo fortius Aluarum persequebatur, & gentium copias aggregauit. Tam implacabile quidem inter Henricum & Aluarum erat odium, vt alter eorum illud Ciceronis in Catilinam diceret. Cum enim à quibusdam ciuibus Ciceroni dictum foret, à Catilina incendium sibi paratum fore, ait, Si aqua non potero, ruina vrbis extinguam. Execrabile certe verbū, quo priuata eo-

tum odia reipublicæ grauia peperisse excidia liquido annalia Romana ostendunt. Longè aliter duos Athenienſium duces de imperio altercantes egiſſe Orosius narrat, qui dum ob illorum domeſticam diſcordiam regni periculum imminere conſpicerent, communi vtriuſq; voto ad Senatum populi rem transferunt, depoſitis priuatis odiis. Iohannes rex animo proſpiciens Henricum nullo pacto auerti poſſe, quin Aluarum inſequeretur, etiam cum ſuo & regni diſcrimine eum iterum captiuare iubet. Sed iteratis precib. & monitionibus Alfonſi & Iohannis rurſus liberatur. Fertur Henricū ſic relaxatum adductū fuiſſe ad Iohannis regis Caſtellæ præſentiam, quem vt vidit, oblitus iniuriarum ſic alloquitur: Precor te conſanguinee cariſſime, non ſit inter nos ciuilis diſcordia quos natura coniungit. noli rurſus iniuſte perſequi eum qui te iuſte plectere poſſet. veniam iterum tibi optimam dono: tu autē mihi bonam exhibe mentem, ama indulgentem tibi, non intumeſcas crebra venia mea, quam aſſidua tua inſolentia in vltionē ducere poſſes. non te (inquit) cōturbet quod Aluarum de Luna diligam. amor enim non odiendo, ſed obſequendo quæritur, nec à perſequente, ſed obediente inuenitur. nemo inuitus amat, raro quis laceſſitus diligitur, ſed & vt Q. Curtius ait, nullus fideliter diligit quem ſæpe faſtidit. Aluarus non propinquus amat, tu coniunctus odis. Fac oro, vt te amem: ego vero agā, ne me odias. longe plus te quam Aluarū diligam, ſi plus tu quam Aluarus diliges. Verba certe optimo principe digna. In qua re Iohannes imitatus eſt Alcæum poetā qui (vt ait Laertius in vita Philoſophorū) cum multas iniurias Pittaco philoſopho intuliſſet, Pittacus adeptus principatum, ad Alcæum tremebundum ait: Mihi pro vindicta, tibi vero pro pœna illud ſolum ſufficiat, quod tibi auxilii vel fugæ præſidio deficienti veniam do, cum tamen iniuriarū, quas mihi ſæpe intuliſti, præmia poſſes reportare. Me igitur parcentem perſequi deſine, quem iuſte pati poſſes habere vltorē. Quibus verbis finitis Henricus ſupplex gratias agit de clementi venia, omnem obedientiam pollicetur. Nihilominus paulo poſt Iohannes rex Nauarræ & Henricus ægre ferentes quod Aluarus indies magis ac magis exaltaretur, & Iohannes rex Caſtellæ in eorum cōtumeliam & deſpectū illum totis viribus defendere conabatur, intra regnum gentes coadunabant, & populos commouebant contra Aluarum. Quæ res fieri nō poterat, quin ſcandalū generaretur in regno. Commotus rex Iohannes, maxime quia aliquas gentes de regno Aragoniæ in ſuum auxiliū ducebant, ea de re cuncta loca, caſtra, & dominia prędictorum Iohannis & Henrici ad manus ſuſcepit. Igitur Iohannes & Henricus ad fratrem Alfonſum regem Aragonū recurrerunt. Qui adiunctis ſecum populis Aragonenſibus & paucis Caſtellæ magnatibus cum magno exercitu & potentatu Caſtellam ingredi deliberat, obtenturus patrimonia fratrum, & expulſurus Aluarum prædictū. Confidebat enim in nonnullis regni Caſtellæ nobilibus, qui tandem ei minime auxilia præſtiterunt, imo regem ſuum Caſtellæ ſecuti ſunt. Iohannes vero Rex Caſtellæ cum dicto Alfaro & tota Caſtellæ potentia occurrit eidem Alfonſo regi. Quod intuens Alfonſus aliqualiter retroceſſit, & quia Alfonſus regnum Caſtellæ manu potenti ingreſſus fuerat, Rex Iohannes eum inſequens regnum Aragoniæ ingreditur. Nam apud oppidum Hariza vterque inſedit exercitus, magnus valde, qualis à centum annis non fuit in Hiſpaniis congregatus. Reginæ itaque Caſtellæ & Aragoniæ vxores & ſorores permixtim vtriuſque Regis dolebant interno dolore, quia vtroque euentu non niſi miſerū exitū timebant. neceſſe enim erat vnamquamque de victoria dolere, cum aut maritum, aut fratrem vinci oportebat, & vt de Sabinis fœminis Auguſtinus commemorat, quarum patres & fratres ſimul cum maritis bellabant, ſic calamitoſæ. Sed inclytæ Reginæ ordinatis aciebus triſte ſpectaculum mœſtiſſimamque palæſtram cernere verebantur, nec aliud ſupereſſe videbatur, quam vel ſanguine fratrum dotarentur, vel maritorum cæde viduarentur, & qui vinceret, miſerabiles à ſororibus amplexus extorqueret. Timebant quoque miſeræ ipſæ Reginæ, ne auderent flere fratres deuictos, ne offenderent maritos victores. Quare pro ſedandis tam funeſtis diſſidiis ſummopere laborant, antiquos illos Romanos imitatæ, qui teſte Valerio Maximo cōuentum inſtituebant, & Chariſtia appellarunt, vt ſi aliqua inter cognatos & affines querela eſſet orta, adhibitis pacis fautoribus tolleretur. Ad pacandum igitur diſſidentes maritos ſimul & fratres præclariſſimæ Reginæ omnem adhibent conatum, Iuliam Cæſaris filiam & G. Pompeii vxorem imitatæ, cuius ſumma virtute & prudentia patris ac mariti inteſtina diſſidia, quamdiu illa vixit, quieuerunt. Ea vero mortua, orbis & vrbis tranquillitas perturbata eſt. Aſiſtebat tandem eiſdem nobilibus Reginis dominus Cardinalis de Fuxo, legatus à bonæ memoriæ domino Martino V. ſuper hac re ad Hiſpanias miſſus. Poſt multa igitur placuit pacis auctori, quod inter eos treugæ poſitæ ſunt, & deputati fuerunt ſex iudices ex vtraque parte, qui eas omnes differentias ſua ſententia complanarēt. inter quos pro parte Alfonſi Regis Aragonum alter ex deputatis fuit

beatæ

beatæ memoriæ ſanctiſſimus dominus Papa Calliſtus ſecundus, tunc Epiſcopus Valentinus, qui per quinq; continuos annos in vna diæta apud Agredam cum aliis manſit deputatis. Tandem auctore Deo concluſa atq; firmata eſt pax perpetua inter eos, & Iohannes rex Nauarræ & Henricus redierunt in Caſtellam. Demum vero eo tempore Eduardus rex Portugaliæ moritur, relicto paruulo filio Alphonſo & tribus filiabus. Alfonſus regnũ obtinet, ſed ſuper tutela oritur diſcordia inter reginam & Infantem Petrũ, fratrẽ Eduardi regis. Poſt multa vero Infans Petrus licet de facto, puerum ad ſe recepit, atq; vt tutor gubernat. Regina recedit à Portugalia in Caſtellam, & reginam ſororem & fratres adiit. Interim creſcit Alfonſus, & (vt aiunt) de conſilio aliorum patruorum, qui Petro fratri inuidebant, iniuriam matris vendicans, in xv. ætatis ſuæ anno Petrum tutorẽ à ſe expellit. Qui cum reſiſtere conaretur, per regem & patruos in bello campeſtri occiditur, expulſis filiis à regno, inter quos fuit nobilis dominus Iacobus, poſtea Cardinalis Portugalenſis.

De clariſſima victoria Iohannis Regis Caſtellæ contra Sarracenos Granatæ, & de iterata diſcordia inter Iohannem regem Caſtellæ & Iohannem Regem Nauarræ & Infantem Henricum, & de iis quæ acciderunt in oppido de Medina, & de fuga Aluari de Luna.

Cap. XXX.

Facta itaque hac felici pace inter Iohannem regem Caſtellæ & Alfonſum regem Aragonum & fratres ſuos, Alfonſus rex Aragonum Italiam petit & in conqueſta regni Siciliæ: cuius progreſſum infortunia, deinde proſpera geſta tam promiſcua ſecundarum ac aduerſarum rerum viciſſitudine fortuna tentauit, vt quemadmodum de Cæſare Auguſto Valerius ait, non ſit facile diſcernere calamitoſior, an beatior fuerit. Verum quia Alfonſus aduerſa infatigabili labore ſuſtinuit, quinimo fortunã ipſam ſæpe in eum ſæuientem cum pudore ſuperatam in ſui auxilium ſumma prudentia & perſeuerantia conuertit, merito vt putamus, inter feliciſſimos computandus eſt. Cuius latius geſta enarrare modo propoſiti non eſt, qui ſolum de Hiſpanicis rebus agere decreui, eo maxime quia apud Italos tam recens, tam clara, tamque illuſtris eſt eius memoria, vt non ſecus de diuo Alfonſo, quam de quodam huius ſeculi ſydereo ſplendore loquantur. Iohannes vero rex Caſtellæ cum accepiſſet, perfidos Sarracenos non parua intuliſſe damna terris ſuis, vt erat catholicus & deuotus, in propria ſacrum templum beatæ Mariæ de Guadalupe viſitauit, vbi oblatis Deo muneribus ac diuo auxilio confortatus patriam Sarracenorum valida manu ingreditur, imitatus Samuelem, qui dum offerret holocauſta, Philiſtæi caſtrametati ſunt ciuitates Iſrahel. Sed veniente Samuele ad bellum, illico intonuit Dominus fragore magno ſuper Philiſtim, & exterruit eos, & cæſi ſunt à filiis Iſrahel. Nec aliter Iohannes eoſdẽ Sarracenos magna clade percutit, & plurima caſtra & oppida ab eis vi & armis obtinuit: inter cætera Hueſtam, Ximenam, & Vellem, & plurima alia. Deinde vrbem Granatam populatiſſimam obſedit, licet non facile obſidionem patitur. Sarraceni vero in grandi & incredibili numero ſeſe diuidentes, alii intra muros vrbis, alii extra inter hortos difficiles aditus habentes ſeſe receperunt. Cumq; exercitus catholici ad mœnia vrbis Granatæ accederent, Sarracenoſq; impeterent, illi freti commoditate loci in multitudine confidentes, diuerſis partibus prælium cum noſtris conſeruerunt, duriſſimum quidem. Tandem diuino præſidio opem ferente occubuerunt ex Sarracenis fere decem millia: cæteri vero terga noſtris oſtendentes intra vrbem ſeſe muniunt. Quia igitur tempus hyemale appropinquabat, variiſq; aliis cauſis Iohannes rex Caſtellæ exercitum ſuum diſſoluit, & in Caſtellam cum felici & glorioſa victoria rediit. Poſt hæc quia inuidia hoſtis humani generis (teſte Auguſtino) ſemper optima & ſancta opere intercipere conatur, veluti qui de fidei incrementis dolet, inuidens vnitati fidelium in terris, quam ipſe vulnerauit in cœlis, nouas inteſtinaſq; iterum inter Iohannem regem Caſtellæ & Iohannem regem Nauarræ & Infantem Henricum compliceſq; ſuos diſcordias ſeminat. Illi enim, vt prius, conabantur Aluarum expellere, & regni gubernationi intendere, quibus etiam præſidio erat inclytiſſima nobilis Maria regina Caſtellæ, & filius eius excellentiſſimus Henricus primogenitus, tunc Princeps Caſtellæ, cum nonnullis eiuſdem regni nobilibus. Congregarunt igitur exercitum prope Medinam. Rex vero Caſtellæ intra oppidum prædictum cum Aluaro & paucis ſe recepit. Illi ergo non niſi libertatem regis proſequi acclamabant, quam miro modo oppreſſam Aluari artibus & potentia aſſerebant. Tandem ad nonnulla capitula concordiæ deuenitur, ſignanter circa expulſionem Aluari non modo perſonam, ſed regis animum, vt diximus, opprimentis. Dum itaq; tractatus ipſe penderet, quadam intempeſta nocte, neſcitur quo pacto, datus eſt aditus oppidũ obſidentibus. Regina igitur Ca-

stellæ,& Princeps filius suus,ac Iohannes rex Nauarræ,& Infans Henricus, & cæteri magnates,Rege & Aluaro ignorantibus manu armata, sed animis mitissimis absque alicuius offensione oppidum ingressi, regem humiliter adeunt. Quem cum magna salutantes reuerentia, & coram eo genua flectentes, supplicant, moleste ne ferret quod Aluarus qui tot dissidiis non modo causam dabat,sed eius regiam personam oppressam tenebat,caperetur.Iohannes vero rex tumultum præsentiens,paulo ante Aluarum auisat, vt illico solus vitam seruet.Qui fratre suo Archiepiscopo Toletano comitatus,equorũ velocitate fretus euasit,& pro aliquo tẽpore Maria regina ac rex prædictus Nauarrę &Infans Henricus regem comitati sunt, eumq; vt libere gubernet cum summa moderatione effecere. quo effectum vt inter ipsos tumultus dissidium cessaret, & vt in simili Augustinus de Gracchorum tumultu refert, eo ipso loco vbi Princeps aut victus aut captus putabatur, ibi victor liberiorque euaderet, & qua die rex atrocius potuit irritari, eadem mansuetior feliciorque quo vellet pergeret.

De reditu Aluari ad Regem,& de bello apud oppidum de Olmedo,in quo Iohannes Rex Nauarræ & Henricus & sibi adhærentes fusi fuerunt,& tandem de concordia sequuta,& de felici exitu illorum qui contra Regem arma mouent.

CAP. XXXI.

SED nec quieuerũt penitus dissidia. Paulo enim post inclyta domina Blancã,regina Nauarræ, vita functa est. Quare Iohannes rex Nauarræ vxorem duxit nobilẽ ac plurimis virtutibus præditam Iohannam,filiam domini Friderici Admirandi Castelli ex regio genere descendentis, cunctorum Hispaniarum Regum consanguinei, ex qua genuit Fernandum ac Iohannam nunc superstites, & alios qui in tenera ætate vita functi sunt. Fernandus itaque per obitum Caroli eius fratris primogenitus, Aragoniæ princeps effectus est. Verum idem Iohannes longe ante genuit plures filios, naturales tantum, inter quos Alphonsum,deinde Iohannem nunc Cæsaraugustanum Archiepiscopũ procreauit.Interim vero Iohannes rex Castellæ angebatur absentia Aluari. anima enim eiusdem Regis colligata erat Aluaro, fiebantq; multi tractatus secreti inter regem Castellæ & Aluarũ & alios Barones regni, vt Aluarus rediret:qui tandem assentientibus regina & fratribus suis ad regem venit.Rex itaq; Nauarræ & Henricus & complices hoc ferre non valentes,nouis denique succrescentibus dissidii causis, iterum exercitum congregant, idq; & Iohannes rex Castellæ agit. Adunati sunt igitur vtrinque exercitus prope oppidũ de Olmedo. Rex vero Nauarræ, Henricus Infans, & complices prædicti, non contra Castellæ regem, sed contra Aluarum pugnare velle dicebant. Tandem præter spem bellandi nonnulli iuuenes nobiles vtrinque se impetere leui bello incipiunt,quod moderni Scaramuzam vocant,paulatimque sese aluit prælium, Henrico id ipsum desiderante,in quo rex Nauarræ, Infans Henricus,& sibi adhærentes fracti & victi sunt,& aliqui ceciderunt.inter quos Infans ipse Henricus nobilissimus lætaliter percussus est,ex quo post paucos dies obiit,in regno Aragoniæ vno superstite filio legitimo ex nobili filia Ludouici Pimentel Comitis Beneuenti. Nec potuit Henricus aduersa fata fugere, & qui ad bellandũ ardentior omnium fuit,primus omniũ occubuit.Fertur Iohannẽ Nauarræ plurimosq; Barones infanti Henrico suasisse, ne ea die confligerent. Ad quos spiritu forti illud Epaminundæ Græciæ Imperatoris dixisse aiunt, Si principari vultis,his ludis vobis vtendum est,non palæstricis armis,non minantibus verbis: quodque si hodie non pugnatis, vt hosti seruiatis necesse video:longe deniq; melius fore asserens animas in acie viriliter effundere, quam in cathenis satis ab eo expertis turpiter consumere. Eo igitur expleto congressu, rex Nauarræ ac nonnulli Comites & Barones Castellæ ei adhærentes Aragoniam satis celeri gressu petierunt. Non legimus prosperos illorum exitus qui contra Principem cui fidem dederunt, seditiones aut bella mouent. Scriptum est enim:Noli stare contra faciem regis,& non coneris contra itum fluuii.Et iterum,Ne dicas,quid faciet nobis rex? Sicut & rugitus leonis, sic & terror regis.Iusta est enim regis indignatio in eos qui regem inquietant.quanquam enim Ieroboam filius Ioas,rex Israhel,prauus & idololatra foret, displicuit tamen Deo rebellio contra eum facta,quinimo acriter punita est.Rursus teste Iosepho, cum alter ex regibus Ægypti , postquam Senatui fidem præstasset, arma contra Gneum Pompeium sumeret,prælio interceptus,arma non contra Senatum sumpsisse asserebat,nec vt aliena caperet,sed sua tueretur.Cui à Pompeio responsum est,nihil sua interesse, an rex Ægypti iuste,vel iniuste periret,dummodo periret, nec satis fidẽ seruasset, qui bellare tentasset. Sed de fide & obedientia Baronum & militum ad Principes suos latius tangimus in lib. Speculi

culi vitæ humanæ in prima parte, vbi etiam agimus, quales erga nobiles Principes ipsi esse debeant: scripsimus deniq; in commento super bulla depositionis regis Bohemiæ. Igitur post prædictam victoriam Iohannes patrimoniis omnium prædictorũ qui victi & fugati fuerant, confiscatis, nonnulla Aluaro prædicto cæterisq; regni magnatibus donat, aliqua sibi retinens. Tandem per obitum Henrici Magistratus sancti Iacobi vacans Aluaro confertur. Iohannes vero rex Nauarræ ex eo tempore Castellam non est deinceps ingressus, sed in Aragonia mansit, fratris Alfonsi nomine regnum Aragoniæ gubernans. Postea vero per bonorum virorum mediationes facta est concordia inter Iohannem regẽ Castellæ & regem Nauarræ prædictum, vt dimisso patrimonio in regno Castellę, certam annuam florenorum pensionem à rege Castellæ perciperet. Eo tempore nobilissima Maria regina Castellæ felicem Deo spiritum reddidit. De cuius sanctimonia, honestate, & humilitate, & immensis virtutibus ac sempiternis laudibus plurima à me dici possent, quippe & deberent, nisi pro eo suspectus iudicarer, quia eiusdem dominæ & Henrici filii obsequentissimus extiti familiaris, quippe qui matris sumptibus literarum rudimenta, filii quoque fauoribus & præsidiis honorum vltra condignum incrementa suscepi.

De ingenti affectu Iohannis Regis Castellæ ad Aluarum de Luna, & quomodo ob Aluari insolentiam amor in odium mutatus est, & de mobilitate regalis animi, & de præclaris exemplis ad eam rem.

Cap. XXXII.

AVGEBATVR indies Iohannis regis ad Aluarum de Luna ingens dilectio & incredibilis caritas, nec est facile dictu quam tener pariter & tenax ad eum fuerit regis amor. Nam iuxta Sapientum sententiam, necessitas amorem indicat, & ingens periculum caritatis ardorem ostendit. Iohannes vero rex vt Aluarum protegeret atq; efferret, nullũ personæ regiæ periculum, nullũ amittendi regnum discrimen pertimuit, quippe quem nulla necessitas, nulla quoq; vxoris, filii, & coniunctorum instantia, ab illius dilectione retrahere potuerunt: vt de eo Sapiens dicere visus sit, quia qui diligit, omni tempore diligit. Vsq; adeo eum carissimum habuit, vt ipsum mentis eius arbitrium quod liberum Deus vocat, quia liberum hominibus, nullius videlicet mortalis voluntati subiectum cõcessit, Iohannes ipse in Aluari voluntate reponeret. Ex qua vna re cuncti plurimum mirabantur, quid sibi vellet, aut vnde procederet tam ingens ad hominẽ caritas, coniectabantq; non tam fore virtutis dilectionem quam maleficam fascinationem: quia (vt Sapientes aiunt) eadẽ odisse, eadem cupere, eadẽ metuere, incertum est an amicitia sit, vel factio. Arbitrati sunt itaq; non abs re animum regis fascinatum, aut prauis artibus ab Aluaro diu fuisse oppressum. Noui ego viros quidem religiosissimos atq; doctissimos, qui non sine mortis metu sepe suaserant Iohanni regi, vt suo honori consuleret, addentes quia cum Aluarus ipse pristinos mores & modum mutasset non obsequendo, ipse rex mutaret animum saltem moderate diligendo, præsertim quia (vt dicebant) nonnulla illius scelera manifesta videbantur. Quare Augustino teste, si talibus hominibus amicitia iungeretur, necesse foret eorũ culpis ligaretur. Ad quos Iohannes ipse, vt erat doctus, dicebat Sapientum fore sentẽtias, si eos quos diligimus, in vitia ruere conspicimus, non confestim dissoluendam fore amicitiam, quippe & si incorrigibiles reddant, non esse rumpenda amoris fœdera, sed paulatim dissuenda, ne (vt pulchre inquit Tullius) non solum amor depositus, sed odium susceptum videatur. Quare secundum Ciceronem ipsum vtilius esse dicebat sensim dissuere quam repente præscindere. Quam sententiam summa prudentia rex ipse secutus est. spectabat enim vt Aluarus ad se rediret, cerneretq; animo quam certis, quamq; assiduis periculis sint proximi qui regibus assistunt. Quis enim regi Dauid acceptior? quis pro meritis amatior Ioab principe militiæ suæ? quem tamen testimonio cædi iussit, dicens ad Salomonem filium suum: Nosti quid fecerit mihi Ioab, & quid fecerit duobus ducibus, scilicet Abner & Amasan, quorum sanguinem fudit in pace: quare non deduces canities eius pacifice ad inferos. Sed vt sacra linquamus exempla, quis acceptior apud Alexandrũ quam Lysimachus? quis apud Tiberium quam Serranus? vtriusq; tamen amplitudo nota est & ruina. quis Neroni Cæsari carior fuit Seneca nostro ac nepote Lucano? mox tamen ab eo mori coacti sunt. *Seneca Neroni dilectus.* Gallus Augusto admodũ gratus acceptusq; fuit, cui paulo post capitali odio extitit. Pisonem quoq; iussit occidi Otho quo cum antea mira familiaritate coniunctus erat. Bellisarius deniq;, vt Cæsarum annalia tradunt, tam carus Iustiniano merito fuit, vt qui Romam simul & Italiam à Vandalis & Gotthis occupatam Iustiniano cum ingenti gloria restituit, Africam sibi subegit, eum deniq; Cæsarem mille periculis & sedi-

tionibus liberauit: quare Cæsar ipse Bellisarium ad Constantinopolim accedentem singulari triumpho lustrauit. Tandem non secus eum quam perfidissimum hostē insecutus est. Sed quid hæc recolimus? Annalia plena sunt his periculis, quibus versantur regum amicitiis confidentes. Nec sapientum sententia fallit, quæ ait, quia multis periculosior fuit regis amicitia quam odium. Illam tamen homines summopere quærunt. quo fit, teste Petrarcha, vt periculum ematur periculo. Non enim credunt mortales, cum amantur odiri posse. Sed vtinā illud Aristotelis animo gererent, quia facilius amor dissoluitur quam nascatur. nec enim amor nisi virtutibus nobis vtiq; raris comparatur, sed vitiis quæ facile sequimur, dissoluitur, quo vtiq; longe promptiores mortales sunt ad concipiēda odia quam figendas amicitias. Adde quia teste Sapiente, corda mortalium licet inscrutabilia sint, regum tamen plus quam cæterorū hominum occultis nobis diuinis iudiciis variabilia atq; vertibilia sunt, dicente Scriptura sacra: Sicut diuisiones aquarū, sic cor Regis. Hinc vnus ex sapientibus ait, quia vt fortuna, sic voluntas regum varia & inconstans, ac semper incerta, veluti quæ semper à multis concutitur, sed tandem à Deo dirigitur. Nec enim mysterio vacat, quia scriptura sacra testante, cor regis in manu Dei est. Licet enim iuxta Sapientem, corda omnium mortalium intueatur Deus, ipseq; visitet & dirigat cogitationes hominū, peculiarius tamen diuina prouidentia iuxta eius beneplacita corda Regum dirigit, & singularius quo vult vertit illa, nonnunquam vt per regum ministerium bonorum hic merces augeatur, aliquando vt hominum scelera per eos in hoc seculo vindicentur: quemadmodum conuertit cor regis Nabuchodonosor in iram contra Iudæos, vt illos propter eorum scelera perderet. Sed hæc paucula de iis qui regum fauoribus & amicitiis confidunt, dicta sufficiunt: de qua re latius agimus in eodem libro quem nuper edidimus, dicto Speculum vitæ humanæ.

Deus καρδιογνώστης.

Qualiter Aluarus de Luna prædixit ruinam suam, quem tandem Iohannes Rex Castellæ apud ciuitatem Burgensem incarcerauit & decollari publice iussit.

Cap. XXXIII.

VT igitur ad Aluarum redeamus, in se ille expertus est quod fertur sæpe aliis dixisse. Cum enim felicem cuncti eum prędicarent, quod regem pariter & regnum regeret: Improuide, inquit, iudicatis, cum ædificium ante finem operis laudatis. Nostis quia maledictus qui confidit in principibus. Sic itaque quodam præsagio infelicem futurum eius euentum prædixit, quem venturum non credebat. Quod etsi ioco dixerit, serio in se expletum est, vt de numero illorum esset de quibus in Euangelio dicitur, videntes non videant, & intelligentes non intelligant. Paulo enim post iusto iudicio diuina iustitia animum regis Aluaro deditissimum conuertit in iram. iustum enim videbatur vt qui fauore & gratia principis abutitur, eandem gratiam idem princeps vertat in odium, veluti in libro Ester scripturæ sacræ interpretes de Assuero & Artaxerxe & Aman quasi pro hoc casu scribere visi sunt, quorum summa ad Aman dilectio versa est in summum odium. ait enim Scriptura in hæc verba: Multi bonitate principum & honore qui in eos collatus est, abusi sunt in superbiam, & non solum subiectos regibus nituntur opprimere, sed datam sibi gloriam non ferentes, in ipsos qui dederunt, moliuntur insidias: nec contenti sunt gratias non agere de beneficiis & humanitate in se collata, sed Dei cuncta cernētis arbitrantur se euadere posse sententiam, in tantā vesaniam prorumpentes, vt eos qui credita sibi officia diligenter obseruant, & ita cuncta agunt vt omni laude digni sint: falsis suggestionibus conentur subuertere, dum aures Principum callida fraude decipiunt, vt eorū prauis consiliis regum studia deprauentur. Et sequitur: Vnde prouidendū est paci omnium prouinciarum regni. quod de Aman dictum intelligatis, qui pietatem nostram sua ambitione commaculans, peregrinus à nobis susceptus est, & tantam expertus est humanitatē, vt pater noster vocaretur, & adoraretur ab omnibus post regem secundus. Quare recepit non à nobis, sed Deo reddente quod meruit. Hæc sunt ad literam verba sacræ scripturæ. Quæ omnia Iohannes rex quasi pro se & Aluaro scripta reputauit. Conspiciens deniq; Iohannes rex simul & dolens quod Aluarus ipse nullum sibi moderationis frænum poneret, sed cuncta suo arbitrio regeret, subditos opprimeret (quippe qui in ipsis sacris Christi passionis diebus quibus homines culpas donare, non exigere, nec punire solent, Alfonsum Petri de Biuero regis maiorem computorum officialem & dilectū consiliarium insolito mortis genere, videlicet præcipitio mori iusserat) & (vt aiunt) Regi à quo sublimatus est, debitam & consuetam præeminentiam & reuerentiam non seruaret, regisq; fami-

lia &

lia & honor decresceret, & suæ domus fastus augeretur: frementibusq; atque instigantibus plurimis regni nobilibus & clamantibus etiam populis, decreuit post maturam deliberationem bonum regnorum suorum vni homini & quidem insolenti fore præferendum. Quare assistentibus quorundam magnatum & potentum secretis consiliis & præsidiis, præcipue nobilis viri Petri de Astuniga Comitis Placentini & Aluari de Astuniga eius primogeniti, arcem Burgensis ciuitatis obtinentium, præfatum Aluarum eius rei inscium sagaciter & sine aliquo tumultu apud eandem ciuitatem Burgensem incarcerauit, & tandem facto legitimo processu in oppido Vallisoleti publice iugulatur, caputq; eius in foro per triduum mansit. Nouimus nos virum vita & sapientia integerrimum, qui Aluarum in foro ad supplicium adductum consolabatur, inter cætera dicens ea lege humanā prosperitatem atque vitam ipsam quam illico dimissurus esset, suscepisset, vt aliquando ab eo auferri deberet: quia nostro Seneca teste, nihil fortuna eripit, nisi quod dedit, immo vt Iulius Celsus ait, quos fortuna beneficiis lustrat, ad duriorē casum reseruat. Cui Aluarus, Recolo, inquit, quod mihi alias dixeris, quia hæc terrena & humana prospera velocius atque celerius amittuntur, quam acquiruntur. Quare ego etsi aduersitatem post tantam felicitatem aliquando timuerim, non tamen omnimodam ruinam, etsi secundarum rerum iacturam, non simul & vitæ exterminium. Quæ vna res inconsolabiliter me angit atque conturbat, adeo vt non putem aliquem mortalem vnquam fuisse aut esse posse miseriorem, & tam repente similem casum perpessum. Ad quem vir ille religiosissimus, Falleris, inquit, Aluare. ideo ita credis, quia omnia tibi in hanc vsque diem ad votum venere, nihil aduersi vnquam passus es, adeo vt nunquam liceret teipsum experiri. Sed verum est quod sapientes sapienter aiunt. nam eum omnium miserrimum vocāt, qui vitam transegit sine aduersario, pro eo quia nimia felicitate torpescit. Tu ergo felicitatem quam sine morsu in prospera ac longa vita tua habere non potuisti, hac breui vita, horula quæ tibi restat, facile cōparabis, si peccata tua memineris, & corde contrito te Deum offendisse dolueris, & mens tua ad æterna suspiret, quam tantopere fallacia terrena deceperūt. Rursus volo cogites plurimos dignitate, gradu, atq; potentia teipso fortunatiores, longe maiora fortunæ iacula repēte fuisse perpessos. Duos inter innumeros tibi adducam. Nam quidam Samiorum potentissimus rex, vt Polycrates ait, adeo fortunatus extitit, vt aliquid aduersi aliquando experiri optaret. die enim quodam anulum preciosum sibi admodum carum voluntarie in mare proiecit, vt qui inuitus nihil aduersi pati poterat, quid tamen foret aduersitas, libens agnosceret. Sed illico anulū ipsum capto pisce qui illum deglutiuerat, recuperauit, & (vt alii aiunt) piscis ipse in mari existens eundē anulum in ore gestans, regiq; arridens ostendit. Ipse tamen rex non multum post miserabiliter ab Oronte præfecto Darii in captiuitatem ac miseram seruitutē redigitur, liberis coram eo occisis, ipseque in altissimo monte cruci affigitur auibus & feris deuorandus. Huic addamus Alexandrū, virum supra omnē humanam naturā magnanimo animo præditū, ac vltra cunctos mortales fauente fortuna felicissimū. Cui tantum eadē fortuna cōcessit, vt nullius hostis arma etiam ipse inermis timeret, cum nullo hoste congressus est quem nō vinceret, nullam vrbem obsedit quam non expugnaret, nullam gentē adiit quam nō calcaret. In dimidio tamen dierum suorū, ipsa flante prosperitate, ad extremū victus, non virtute hostili, sed insidiis suorum & tumultu ciuili, vt refert Quintus Curtius. Quibus verbis auditis, Aluarus in Domino confortatus ac puro corde compunctus, oreq; deuotissime confessus, ceruicem plus quam virili animo lictoribus parat, seq; impauidus ac omniū iudicio libēs morti offert, quam cuncti formidāt mortales, nec vultu mutatus, nec verbo: apud quem viluit prioris vitæ prosperitas, vt preciosa illi foret imminentis mortis aduersitas. Astantes itaq; vt pro eo preces ad Deum funderent, enixe precatus est, monens deniq; ne fallacibus fortunę fauoribus credant, sed nec regum mortalium amicitiis confidant, sed regi superno se dedant, apud quem non est transmutatio, nec in illo aliquis fallitur, nisi seipsum fallat. Sic igitur spiritū exhalauit securam ac beatam mortē adeptus, qui dubiam periculosamq; vitam sectatus fuerat. quo euenit vt cum eo longe clementius ageret diuina bonitas, quam si summo fauoris & maiestatis fastigio obiisset. Namq; a pœna & misera sorte huius seculi liberatus est, quem mundus punisse credidit: quinimo felix migrauit ad cælū, quem calamitosum infelicemq; vulgus appellabat. Quantæ igitur prudentię Aluarus fuerit dum viueret, ex eo cōsiderare libet, quia tam sapienter mori sciuit. Vt enim beatus inquit Augustinus quemadmodū viuere nō nouit qui bene mori ignorauit, sic prudēter vixisse cēsendus est quē mori in Domino certū est. Nec putandū est illū dum viueret, quibusdā meritis caruisse, qui tam beate mori meruit. Dimisit igitur nobilē prolem, videlicet Iohan. de Luna Comitē S. Stephani, & filiā speciosam, quā duxit vxorē nobilis vir Enecus de Men-

Mors cunctis mortalib. formidabilis.

Aluari proles.

doza Comes de Saldanna, filius clarissimi viri Didaci Furtado de Mendoza, Marchionis sanctæ Iulianæ. Aluaro igitur vita functo rex Iohannes prædictus partem dominiorū suorum filiis prædictis reliquit, partem vero sibi retinuit: thesauri vero & iocalium tres sibi partes retinens, quartam vxori Aluari filiæ Comitis Beneuentani & filiis liberaliter & clementer concessit. Cæterum cum Aluarus viueret, capellam & sepulchrum insigne in sanctissimo templo Toletano mirifice construi fecerat, quod ab Infante Henrico Petri diruptum fuerat: Iohannes tamen rex humanitate & pietate fretus restaurari permisit, licet plurimi id maxime dissuadebant, ne tam superba statua in eo emineret templo, in quo Hispaniarum reges humiliter tumulantur: addentes indignū videri, ne capite truncatus inter regio diademate coronatos tam elato sepulchro fungeretur, eo præsertim, quia sepulchri intitulatio rerum maximarum iactantiam præ se ferebat. Ad quos Iohannes, Vera, inquit, aut falsa sint quæ de se Aluarus scribere iussit, intacta maneant, quia dignum putamus vt morientes cum aliud non possint, quæq; volunt, de se scribant. Adde, quia volo vt eius non deleatur memoria, qui tam facile à me dilectus est, cunctiq; agnoscant sagacem atq; potentem Aluarum à me cædi potuisse. Sit denique posteris exemplū insigne, hominem tam maxime regi acceptum ab illo ob eius insolentias vita fuisse interceptū. Imitatus est Iohannes Seuerum Imperatorem, de quo Ælius Spartianus ait, quia cum iussu Pescennii dicti Antonini Nigri epigramma Gręcum in eius sepulchro Romę apud campum Ionis descriptum esset, potentiam præclarasq; illius res complectens, Seuerus eius successor eradi prohibuit, quanquam præfecti & officiorum magistri id suaderent, addens, Si talis Pescennius fuit, sciant omnes qualem sæpe deuicerimus: si talis non fuit, putent omnes nos talem vicisse, effecisseque ne mansuetissimo præsideret imperio, qui arrogantissima de se qui humilis est descripsit.

Seueri Imp dilemma elegans.

De virtutibus Regis Iohannis & de eius felici obitu, & de erectione Henrici IV. filii eius in Regem, & de obitu Alfonsi Regis Aragonum apud Neapolim.

Cap. XXXIV.

POSTREMO Iohannes rex Castellæ prædictus cum omnia prospere egisset, vt Deo placuit, postquam regnauit fere quinquaginta annis, diem suum clausit: parum tamen bonis regnauit: qui certe nunquam tamdiu regni sceptro potitus esset, aut tam carus suis regnicolis fuisset, nisi magnis naturæ & virtutis donis abundasset, & Deo placita foret vita & conuersatio illius. Reliquitq; hæredem & dominum regnorum suorū serenissimum atque excellentissimum Principem Henricum IV. primogenitum suum quem Iohannes ipse antequam moreretur, in Regem assumi & leuari præcepit, & ei thesauros proprios & quos ab Aluaro habuerat, ad manus dedit. Fuit hic Iohannes II. religiosissimus Princeps, catholicus, ac officiis diuinis & contemplationi plurimum deditus, orationi assiduus, prędicationis verbi Dei auidus, gaudebat plurimum sacris ecclesiæ cerimoniis. Demum diuinis literis & moralibus disciplinis operam dabat, cum doctis viris sæpe conferebat, disputationibus lætabatur, quibus me sæpe sua benignitate interuenire iussit. Verum inter disputantes alteri opinioni quæ magis sibi placebat, tenaciter adhęrebat. quo fiebat vt docti viri sæpe contra opinionem propriam cum rege adulando sentirent, quemadmodum de Fauorino Grammatico Ælius Spartianus recolit in vita Hadriani. Nam cum Hadrianus Imperator acriter reprehendisset quoddam Grammaticæ documentū, illiq; Fauorinus cessisset, arguentibus amicis Fauorinum non recte Cæsaris opinioni fauisse, contra Grammaticæ auctores: ille risum iocundissimum mouens ait, Non recte vos amici suadetis, qui non patimini me Hadrianum doctiorem omnibus credere, qui omnibus plus potest, vultisq; vt eum errare dicam, qui habet triginta paratas legiones fama celebres. Demum Iohannes historiis instructus fuit, callens ingenio, scripturis sacris delectabiliter vacabat, adeo vt plerumq; nocumento foret, quod plus quam regi expediret, lectioni operā daret. Doctos viros dilexit atq; promouit. nam & simplicia ingenia commendabat: eruditа vero mirabatur, execrabatur cum legebat superbiam dominantiū: regiam tamen maiestatē nedū seruauit, sed auxit, quietis ac pacis amator fuit, cui tanto vigilātius inhęrebat, quanto maioris est laudis pacatā tenere suam rempub. Modestius regnum rexit, quam felicius ampliauerit, sed nec parū est parta tueri. Cessabat in eo rapacitas, procul erat auaritia. illa opes vastat, hæc gloriā. dicebat semper, Malo subiectos abundare quam fiscū, quia potentissimi regni Princeps pauper esse nō poterat. Raro irascebatur, tarde sæuiebat. Demum pauperibus & miseris pius fuit & compatiens, nec facile coram eo cuiusquā Principis vel maior legitur liberalitas, vel pietas iustior. Plurimis denique virtutibus fulsit: quibusdam

busdam tamen vitiis non caruit. Credulus enim nimium fuit & suspectissimus, obtrectatores non tam alto animo despiciebat quam auide audiret. Nec desunt qui gloriæ eius vulnera inferũt, dicentes minus diligentem fore, quam principem expedit, aut tantę reipublicæ decuit. Quæ res illum non latuit. Dicebat tamen in tanta tempestate nescire se quid sit diligentia, cum scriptum sit: Qui nimis emungit, elicit sanguinem. Postremo prodigalitatem non penitus cohercuit. immensis enim donationibus regnum afflixit, tantoq; sibi, imo regno damnosior, quanto quibusdam præter condignum effusior. In qua vna re tanto magis detraxit regiæ maiestati, quanto minus prouidit subditorum egestati. Rursus paulo post mortem eiusdem regis Iohannis, Alfonsus rex Aragonum & Siciliæ, consobrinus eius, ætatis suæ anno LVIII. apud Neapolim vitam finiuit, non gloriam, relicto regno Aragoniæ & partium adiacentium fratri suo inclytissimo Iohanni prædicto moderno, tunc Nauarræ regi: in regno vero Siciliæ instituto hærede successore Fernando eius filio naturali, sed legitimato, nunc feliciter regnante.

De schismate in ecclesia Dei extirpato apud Constantiam tempore huius regis Iohannis, & de infelici exitu congregationis Basiliensis, & cæteris occurrentibus suo tempore.

CAP. XXXV.

CIRCA huius Iohannis II. tempora, & præsertim ab initio regiminis sui, fuerunt in cathedra Petri diuersi & aduersi intitulati Romani Pontifices, videlicet prædictus Benedictus XIII. schismate durante, & in Italia sedebant prædicti, Innocentius VI. Gregorius X. & Alexander V. & Iohannes XXIII. tandem in Constantiensi concilio electus est dominus Martinus V. natione Romanus, vt statim dicemus. Fuit autem electus anno Domini M.CCCCXVII. præfuit Romanæ ecclesiæ annis XIII. quo diem suum claudente, electus est in summa cõcordia dominus Eugenius IIII. natione Venetus, vir iustus & religiosissimus, qui passus est in Papatu plurimas persecutiones. Nam tempore suo congregatum est concilium apud Basileam in Germania, principalius pro extirpatione hæreseon Hussitarum, & reformatione morum, & pace in populo Christiano componenda. Ad eandem igitur synodum Iohannes rex prædictus, vt deuotissimus Princeps misit solennes oratores suos, videlicet Aluarum Conchensem Episcopum, Alfonsum Burgensem spectabilem virum, Iohannẽ de Silua, postea Comitem de Cifuentes, & quosdam alios insignes & doctos viros, qui pro ecclesiæ vnitate indefesse laborarunt. Tandem præter eorũ & omnium Principum assensum, nonnulli nomine concilii de facto deposuerunt eundem dominum Eugenium Papam IIII. & elegerunt Amadeum ducẽ Sabaudiæ Felicem appellantes. Quam electionem catholici reges & Principes non receperunt, præsertim idem Iohannes Rex Castellæ, qui pro veritate, & honore, & auctoritate Romanæ ecclesiæ, & eiusdem Eugenii iustitia & innocentia, misit me Rodericum Episcopum Palentinum, tunc in minorib. agentem, oratorem suum ad Imperatorẽ Fridericum & plurimos Reges & Principes, vbi magnæ disputationes & altercationes interuenerunt. Et ibidem manens librum edidi, videlicet dialogum de auctoritate Ro. Pontificis, & iterum alium librum intitulatum de remedio schismatis: de quibus materiis latius tango in libro defensorii ecclesiæ nuper à nobis edito iussu sanctissimi domini Pauli II. Pontificis maximi. Præfuit autẽ idem Eugenius annis XVI. quo mortuo fuit assumptus Nicolaus V. natione Ianuensis, qui annis VIII. præfuit. obiit autem eo anno, quo dictus Iohannes rex Castellæ. In imperio autẽ tunc sedit Sigismundus filius memorati Caroli de Lucenburgo, rex Vngariæ, & frater ducis Vladislai, alias Venceslai. Quo superstite, suasu & instantia Papæ Iohannis XXIII. post obitũ fratris Roberti Imperator est electus, & per eundem Iohannẽ Papam postea cõfirmatus. Hic Sigismundus, vt prædiximus, præcipuus fuit in congregando conciliũ Constantiense. Nam triplicẽ funiculum contendentiũ de Papatu, diuino auxilio & summa subtilitate dissoluit, mediante eodẽ concilio. Nã colligationes impietatis quibus tanquã funibus peccatorum circũplexi fuerant, elisit, & cum propter durũ & inueteratũ schisma, cætera ecclesiæ mẽbra ægritudine laborarẽt, hic deuotissimus Imp. sua singulari deuotione & vehementi religione nullis infortuniis siue periculis, nullis laboribus peregrinationibusq; pepercit, sed propriis cõmoditatibus Christianæ religionis bonũ præponens, vt in vnam animorũ sententiam, in vnum votũ tota vniuersalis Ecclesia deueniret, efficaciter laborauit, assistentibus & eandem vnionẽ promouentibus Carolo Christianissimo rege Franciæ, & prædictis Iohanne rege Castellæ & Alfonso Aragoniæ. Defuncto autem eodem Sigismundo, tempore huius Iohannis regis Castellæ electus est rex Romanorũ Albertus dux Austriæ, gener Sigismundi, qui mira felicitate subito eleuatus, intra sex menses Vngariæ & Bo-

Eugenius quã diu regnauit.

Sigismundus Caroli de Lucenburgo filius Imp.

hemiæ regna, & deinde imperium consecutus est, fugauitque ex Vngaria Turcos, & in regno Bohemiæ Hussitas cohercuit, Polonosque inde abegit. Sed qua celeritate creuit, eadem defecit. peponibus enim in Vngaria delectatus, dysenteriam incidit, ex qua secundo imperii anno mortuus est, relicta vxore prægnante, ex qua Ladislaus rex Vngariæ & Bohemiæ genitus est, qui his proximis diebus non sine suspicione veneni interiit. Tempore rursus huius Iohannis II. Regis Castellæ defuncto prædicto Alberto rege Romanorum electus est Fredericus dux Austriæ, nepos Alberti, qui à Nicolao v. Romæ est coronatus, de quo statim dicemus.

De Henrico IIII. filio Iohannis, XLV. Rege post cladem Hispaniæ, & quomodo in initio regni sui quietauit omnes differentias cum Iohanne Rege Nauarræ, & demum quomodo post præstitam reuerentiam Callisto Papæ II. suo tempore assumpto regnum Granatæ ingreditur.

Cap. XXXVI.

HENRICVS huius nominis IIII. successit Iohanni secundo patri suo in regnis Castellæ & Legionis. Hic ab Athanarico primo rege Gotthorum LXXXIII. Rex est, & à Pelagio primo rege post cladem Hispaniæ XLV. incepit autē regnare de mense Iulii M. CCCCLIIII. quem pater viuens erigi & sublimari in regem fecit, qui regnat de præsenti, cui altissimus diu & feliciter regnare permittat. Erat autem ætatis XXXI. annorum cum regnare incepit. Hic ante acceptum regnum Princeps erat Asturiarū, & plurimas ciuitates, castra & oppida à patre obtinebat, quæ omnia cum summa subditorum beneuolentia gubernauit. Deinde in principio regiminis vertens animo illud sapientum Atheniensium, qui malis præteritis satis docti dixerunt, summopere elaborandū esse, ne tenerum principatum domestica dissidia inuoluant, quæ si se alant, difficile sedantur: decreuit paci & regni sui quieti vacare, imitatus Dauid regē, qui in initio regni sui fecit amicitiam cum Abner, & ex eo tempore tranquillum tenuit regnum. Sic & rex Alexander in principio regni pepigit fœdus cum Ionatha pro stabilimēto regni sui. Igitur Henricus rex nō sine singulari quadā prudentia & moderatione quietauit maximas dissidii causas & differentias, quæ hactenus inceperant inter Iohanē patrem & Iohannē regē Nauarræ auunculū suū, præsertim super patrimonio & bonis eiusdem Iohannis regis Nauarræ, quæ hactenus in regno Castellæ obtinuerat. Inter cætera enim fuit concordatum, vt eidem Iohanni regi Nauarræ certa assignaretur pecuniarum summa, in regis Castellæ reditibus. Quosdam deniq; nobiles & Barones qui Iohannis regis Nauarræ partes sequuti fuerunt, & extra regnum vagabantur, sibi humanissime reconciliauit, eisq; bona restituit, inter quos fuerunt nobiles viri Almirandus ac Gomecius de Sandoual, Comes de castro & eius filii. Verum quia interim vinculis tenebatur nobilis vir Fernandus Aluari de Toleto Comes de Alua, pro eius relaxatione nobilis Garsias eius filius primogenitus plus quam humanis conatibus insudabat, plurima quidem vt patrem liberaret, nedum sagacitate, sed virib. & armis mirabili audacia aggressus est, atq; parua militū manu confecit. Fateor publicarū legum rigiditate damnata, sed summa caritate & paterna pietate lustrata. Tandē quia facile fuit superare volentem, Henricus rex innata ei humanitate fretus, & Garsiæ strenuitate placatus, patrē liberauit, patriamq; restituit. In ea igitur magnatū & nobilium recōciliatione & liberatione plurimū profuit prudentia & sagacitas domini Iohan. Pacheco Marchionis Villenæ, qui pro eisdem cōponendis rebus se ad oppidum de Agreda personaliter cōtulit, vbi & Iohannes rex Nauarræ conuenit. Henricus igitur his rebus pacatis cum bellū contra Sarracenos institueret, sequutus Sapientis consilium, qui in Ecclesiastico ait, Ante iudiciū para iustitiam: decreuit ante bellū ipsum quod videtur esse quoddam iudiciū dubii euentus, parare iustitiā, videlicet Deo & sanctæ matri ecclesiæ debitam. Vnde Nicolao v. Ro. Pontifice vita functo, & illico felicissimæ recordationis Callisto II. ad Pontificatū electo, decreuit S. Romanæ ecclesiæ debitā impendere reuerentiam, & me Rodericum Episcopū Palentinum eius consiliariū, tunc decanū Hispalensem, suum oratorē Romā misit, eidē summo Pontifici Christi vicario obedientiā exhibiturū: imitatus Samuelem, qui primo obtulit Deo sacrificium oblationis & obediētiæ victimas, & securus perrexit ad bellū contra Philisteos. Sic & rex Arad primo vota sua Deo obtulit, misitq; thura subiectionis & reuerentiæ summo Dei sacerdoti, deinde castra hostiū deleuit. Machabæus quoq; oblatis Deo victimis obedientiæ hostes deuicit. Imitatus deniq; Metellum & Posthumiū illos præclarissimos viros, quos Liuius cōmemorat, qui contra hostes exercitū egredi nō sunt

passi, nisi primo religioni morem gererent dicentes, quia ita maiores sui orbis regimem se habituros existimarunt, si diuinæ potentiæ bene atque constanter fuissent famulati. Quare nō satis tute bellicoso certamini se cōmisisse videbantur cerimoniis dei Martis desertis. Henricus igitur auidus cōtra infideles belli gerendi, exercitū parat contra Sarracenos, & in propria persona regnum Maurorum ingreditur, plurimis Baronibus & regni nobilib. comitatus, fruges, messes, ac olіueta, necnon vineas Granatæ & Malicæ & locorum adiacentium deuastauit. Demum aliqua castra suæ ditioni subiecit. Cuncta denique strenue & magnifice egit, quę deuotissimum & religiosissimum Principem in augendo fidem decet. Qua igitur fide, qua deuotione & industria catholici Principes bellum gerere debeāt contra infideles, & an ad id teneantur & compelli possint per Rom. Pontificem, tāgimus in libro commenti super bulla cruciatæ indictę per sanctissimum dominum Pium Papam II. Post prædicta Henricus Hispalim rediit, duxitque vxorem dominam Iohannam, filiā Eduardi Regis Portugaliæ: facto tamen primo diuortio apostolica auctoritate à domina Blanca filia Iohannis Regis Aragonum consanguinea sua, quam prius duxerat vxorē. Expleuit autem solennia nuptialia Dominus Archiepiscopus Turonensis orator missus per dominum Carolum VI. Regem Franciæ ad eundem Regem Henricum. Deinde Henricus ex eadem Iohanna regina genuit inclytam filiam Elisabeth, quam cuncti regni status in primogenitam iurarunt simul & receperunt. Rursus Henricus cui animo fixū erat bellum contra Mauros, iterum maioribus copiis regnum Granatæ magna nobilium Comitū & Baronum copia munitus potenter aggreditur: inter quos fuerunt nobiles & inclyti viri Iohannes de Guzman dux Metinæ, Iohannes Pacheco Marchio de Villena, Petrus Giron eius frater magister Calatraug, Fredericus Admirandus, Enecus Lupi de Mendoza Marchio & Comes strenuis filiis suis sociatus, Aluarus de Stunniga Comes Placentinus, Iohannes Pimentel Comes Beneuenti, Fernādus Aluari de Toleto Comes de Alua, Iohannes Manrique Comes de Castanenda, Rodericus Manrique Comes de Paredes, Gabriel Manrique Comes de Osorno. Nec defuerunt nobiles viri Petrus de Velasco primogenitus Comitis de Haro, necnon Fernādus de Velasco, & Alfonsus etiam de Velasco, fratres germani eiusdem Comitis de Haro, scientia & moribus clari, & plurimi alii Comites & Barones, quos nominare operosum esset. Manserunt interim regis & regni ordinatione gubernatores dominus Alfonsus Carrillo Archiepiscopus Toletanus, & Petrus Fernandi de Velasco Comes de Faro, viri nobilitate, sapientia, & omni virtutum genere præstātes, qui singulari prudentia & moderatione creditum gubernationis officium cum summa laude & commendatione expleuerunt. Henricus igitur tanta nobilium societate munitus per totum regnum Granatę libere transiit. Sarraceni sese intra muros vrbium receperunt. Multasq; clades & vastationes eis intulit, ac nonnulla castra & loca sibi subiecit.

De dissidio inter Iohannem Regem Nauarræ & Carolum filium suum cui Henricus fauebat, & quomodo Henricus regnum Nauarræ potenter ingreditur & multa loca expugnauit. Deinde qualiter principatum Cataloniæ Iohanni Regi Aragonum rebellantem Henricus Rex Castellæ non acceptauit, & de causis huius rei, & quomodo Rex Franciæ & idem Rex Henricus mutuo se viderunt, & de inutili effectu illius dietæ.

CAP. XXXVII.

CÆTERVM exigentibus populi Christiani culpis, ac instigante humani generis hoste, interceptum est bellum contra Mauros & quædam simultates domesticæ & bellorum nouæ opiniones insurrexerunt. Suborta siquidem fuit quædam intestina dissensio inter eos quos natura ipsa vnam personā reputat, videlicet inter Iohannē regem Aragonū & Carolum filium suum Principē Nauarræ, patre dicente dum viueret, Nauarræ Regem intitulari ac libere gubernare debere: filio Carolo asserente, ex dispositione matris, pactis etiā super ea re initis, proprietatē & dominium regni, eiusq; administrationē post pubertatis annos ad eum spectare. Henricus vero Rex Castellæ Carolo fauebat. Tandem post plurima & varia quæ in ea re interuenerunt, Carolus apud Barcinonam vita functus est: sed & paulo post soror eius domina Blanca eandem viām vniuersæ carnis ingressa est. Ex quo tempore adaucta est super regno Nauarræ discordia. Rex enim Henricus ex certis causis ius ad illud prætendebat: Iohannes vero Rex idipsum ex filiorum successione asserebat. Comes etiam de Fuxo, Iohannis Regis Nauarræ gener filii sui nomine

regnum tuebatur. Henricus tandem valida manu Nauarram in propria aggressus, expugnauit non paruam Nauarræ partem, videlicet Vianam los Archos, sanctũ Vincentium, Laguardia, Lerin, & plura alia castra, quorum aliqua nunc suæ ditioni subduntur. Dum hæc agerentur, Catalani rebellant contra Iohannem Regem Aragonum, elegeruntque in Regem & dominum eundem Henricum Regem Castellæ, cuius vexilla apud Barcinonam erexerunt, monetamque suo nomine cuderunt, eundem Henricum exorantes vt eos in subditos acceptaret, gentesque armatas ad debellandum Iohannem Regem cõcederet. Ad quos Henricum dixisse fertur illud Alexandri ad Darium, aduersus magnas vires & magnos hostes, non aduersus calamitosos velle pugnare. Ad eos rursus verba agens, Bonum, inquit, Principem habetis auunculum meum. Quo sermone, vt alter Spartanus quem Valerius commemorat, principandi repulsam summo honori adæquauit, & propinquam sanguinis necessitudinem regnandi cupidini prætulit. Verum Henricus ipse conspiciens Catalanos sibi deditos plurimum affligi à Iohanne Rege Aragonum & gentibus Ludouici Regis Franciæ, qui eidem Iohanni colligatus & fœderatus erat, eorundem Barcinonensium & plurimorum Baronum regni Castellæ assiduis precibus instigatus, nonnullas gentes armorum ad tuitionem eorum in Cataloniam transmisit. Pugnabatur itaque per totam Cataloniam, fiebantque miseræ cædes, deprædationes, & calamitosæ clades. Tandem actum est vt pro his componendis rebus præfati illustrissimi Reges Franciæ & Castellæ se simul viderent, & mutuo loquerentur. Venit ergo rex Franciæ ad suam Baponensem ciuitatẽ. Henricus vero cum maximo apparatu & fastu plurimis Baronibus & Prælatis sociatus apud oppidum suum Fontis rabidi se contulit. In finibus itaq; vtriusq; regni ambo potteissimi Principes cõuenerunt (vtinam sic animis, sicut corporibus) & aliquando inuicem sunt locuti. Fuit autem prima eorum confabulatio circa dimidiũ Aprilis huius præsentis anni Domini M.CCCCLXIII. Verum quia facile fuit suadere volenti, acquieuit Henricus, vt Rex Franciæ arbitraretur in factis Cataloniæ, cuius arbitrium Henricus acceptauit. Ferunt tamen nonnulli dietam illam nõ paucas dissidii occasiones inter eosdem Reges parturisse, vt rerum exitus comprobauit, adeo vt qui pro vnitate conuenerant, diuisi discederent, & qui licet inuisi & incogniti vnanimes accesserunt, cogniti, vlceratis tamen animis, disiuncti sunt, & qui aliis pacem componere venerant, inter se dissidia seminarunt, & dum alienas lites extinxerunt, suas suscitarunt. Et quanquam verũ sit (vt ait Cicero) quia amicorum præsentia, conuictus, & consilia amorem augent, plerumque tamen ex ipsa magnorum Principum mutua contractione & confabulatione odia nascuntur, præsertim cum erga ea & propter illa adunantur quæ adipisci vterque non potest. Vt enim pulchre Scipio dicebat, cum de honore & gloria agitur, infida est Regum
» amicitia, quippe inimicitias maximas inter amicissimos extitisse sæpe comperimus. Sed
» & vt idem Cicero subdit, raro atque perdifficile amicitia in illis conseruatur, qui in ma-
» ximis honoribus & principatibus tumescunt. Hinc Plautus nocitura asserit sæpe inter po-
» tentes & gloriæ auidos similia colloquia. ait enim conuentus, debacchationes, & conui-
» ctus non quæro, vt amorem patiant, vtinam nihil odiorum darent. Subdit igitur, quia te-
» ner ac mollis est Principum animus, & ad querelas procliuior. Et velut rosa vel lilium, si
» negligentius tangantur, diutius perdurant, si vero tenacius manibus contrectantur, cito liquescunt atque marcescunt: sic est de Principum amicitia. Verumtamẽ eorundem Regum summa virtute paulo post omnis dissidii causa sopita est, & pristina vtriusque regni fraternitas renouata. Sed iam redeamus ad Regem Henricum & eius ingentem moderationem. Quanquam enim (vt diximus) Catalani & nonnulli Aragonenses ei subiici vellent, nihilominus vertens animo excelsa merita quondam Fernandi Regis Aragonum patris Iohannis, sed & attendens quia magni animi est magna contemnere, eam ipsam repugnandi facultatem à cunctis mortalibus tantopere exoptatam ille summa & plus quã humana virtute non admisit: quippe collatam ipsam dulcissimam regnandi cupidinem singulari temperantia & incredibili moderatione correxit, non vtique virtuti & potentiæ suæ diffidens, sed quia præclarum, magnificum, & magni animi indicium dicebat, regnãdi auiditati modũ adhibere. Nam teste vno ex sapientibus, ea tuta est potentia quæ viribus suis frenum imponit, asserens illam laudatissimam fore potentiam, ipsam potentiam nonnunquam temperare. Addebat quia vltra humanitatis & virtutis præmia, illa maxima est potentia, nolle regnare cum posset: sæpe illud nostri Senecæ recensens, quia nulla in Principe præclarior splendet virtus quam ipsa moderatio, quæ nil aliud est quam cum summa prudentia secundas res nõ statim, nec effuso gaudio apprehẽdere. Vertebat enim animo modestissimus Princeps, quam inuidiosa, ne dixerim periculosa, sit regnorum cumulatio, dicente redemptore per Prophetam: Væ vobis qui aggregatis agrum ad agrum, domum

Catalani rebelles.

Amicitia Principum qualis.

domum ad domum, vsque ad terminos terræ. nunquid soli vos estis in terra? Abimelech enim filius Gedeonis, vt sacræ scripturæ testatur historia, cum ad accumulanda regna aspirasset, & per agnatos ex matre eum attinentes id iure posse impelleretur, tamen ea regnandi ambitio infelicem ei exitum præbuit. De quo Sapiens dicere visus est, Eleuatus ad modicum, & non subsistet. Quare Henricus oblatam regnandi promptitudinem cohercuit, imitatus Publicolam Valerium sempiterna laude & commendatione dignũ, qui cum cerneret imperii insignia populi voce ad se translata, inuidiosum tanti principatus fastigium ingenti moderatione despexit: imitatus rursus Cæsarem Tiberium qui plurimos sibi delatos summos honores recusauit, coronamq; deposuit: imitatus deniq; Diuũ Vespasianum, qui cum apud Ierosolymam obsidiones seruaret, ad imperium post Galbã & Neronem occisos eleuatus est, qui adeo restitit, quousque gladiis vibrantibus atq; minantibus compulsus est id inuitus assequi quod libens respuerat. In qua re (vt aiunt) magis periculo cessit, quam voluntarius accessit. Recolebat quidem Hẽricus oportere eum offendere quem natura impellebat defendere. fratrem siquidem matris à regno expellendum cogitabat, quo nil scelestius, nihilque inhumanius putabat, imitatus Africanum Scipionem qui oblatum ei à Senatu regnum, supplex rogauit ne ea prouinciæ sors fratri suo eriperetur, vt ad eam transiret. Laudamus superiorem Africanum quod tantum laboris habuerit in honoribus & principatibus recusandis, quantum egerat in merendis. Illi tamẽ Henricum anteponamus, qui recusauit regna oblata, cum mereretur accepta. quo effectum est vt quanto in ea re fuerit moderatior, tanto euasit gloria superior. Verum de regũ & Principum moderatione & temperantia, ac reprimẽda libidine, diximus latius in prædicto libro Speculi vitæ humanæ, & in libro de remediis afflictæ ecclesiæ militantis, & in tractatu de confutatione sectæ & superstitionis, & illius erroribus.

Qualiter tempore huius Henrici quarti famosa oppida de Gibraltar & Archidona, & plura alia loca recuperata sunt Mauris expulsis, & de virtutibus huius Henrici & piis eius operibus, præsertim qualiter fuit magnificus & liberalis. Demum agitur, qualis liberalitas est laudanda, & qualis improbanda in principibus.

Capvt XXXVIII.

TEMPORE huius Henrici quarti sua vigilantia & prope singulari prouidentia, inter cętera castra & oppida quæ à Sarracenis euicerat, & suæ ditioni subiecit, famosum oppidum de Gibraltar cum arce inexpugnabili lucro fidei catholicæ cessit, Maurisq; expulsis, Christianis populauit, quos plurimis beneficiis & priuilegiis donauit. In cuius obsidione & felici recuperatione inclytus Iohannes de Guzman dux Metinæ strenue atque pręcipue militauit, tantoque auidius, quanto tenacius animo gerebat genitorem suum in eiusdem oppidi obsidione vita fuisse priuatum. Rursus eiusdem Henrici temporibus castrum de Estipona prope Malicam non sine graui discrimine & periculo clarissimi viri Iohannis Pacheco Marchionis de Villena & suorum è manibus Arabum ereptum est. Deinde oppidum de Archidona post longam obsidionem, plurimis Arabibus cæsis, strenue cum præcipua laude obtinuit nobilis Petrus Giron Magister de Calatraua. Hic Henricus maximos thesauros congregauit, licet longe minores, quam patris tempore tallias & tributa subditis imponeret. Sed quid hæc? huius Principis laudes tacere cogor, ne familiaritas, necnon ingens ad eundem Principem deuotio, fides, & obsequendi desiderium, suspicionem ingerat. Adde quia sapientis est consilium, Ante mortem ne laudes quenquã: sed laudandus est quis post labores, magnificandus post consummationem. Nam scriptũ est: Septies in die cadit iustus, & resurget. & rursus: Nescit homo an odio vel gratia dignus sit. Quæ res agit vt non sine timore ac tremore laudetur, qui tot ruinis proximus est, vt latius tetigimus in capite quinto huius quartæ partis. Verum quia (vt ait Plato) in Republica bene instituta Priucipes alendi sunt laudibus, & iuxta Poetam crescit laudata virtus, sed & Salomon in prouerbiis ait, Vir fidelis multum laudabitur: & iterum, Qui graditur sapienter, ipse laudabitur: non indigne, vt putamus, Princeps virtute præditus laudandus est, vt sese virtutibus alat & sustentet, vt si à via veritatis & virtutis corruat, sciat tam tute ob gesta obscura posse deturpari, quam ob clara laudari, ibique molestus accedet vituperator, vbi gratus accessit laudator. Ne tamen penitus tacendo veritatem offendam, paucula ex multis breui differam. In primis hic excellentissimus Rex, vt optimum decet Principem, literis instructus est, diurnisque officiis plurimum delectatur, ecclesiasticum statum ac reli-

gioſorum ordines diligit, veneratur, & colit, eccleſias, monaſteria, & pia loca conſtruit & abundanter dotat. Inter cætera monaſterium de Miraflores prope ciuitatem Burgenſem Cartuſienſium ordinis, in quo Iohannes pater ſepulturam elegit, mirifice conſtruxit & abundanter dotauit. Taceo miram ſtructuram à primo lapide deuotiſſimorum cœnobiorum del Partal, & reliquum ſancti Antonii prope Segobiam, & aliud ſancti Hieronymi prope Maioritum. Plurimis denique aliis monaſteriis & piis locis regnorum ſuorum non paruos reditus perpetuos contulit. Denique magnus eſt ædificator regalium ædium, caſtrorum, & arcium in diuerſis regni partibus, in quibus noua conſtruxit ædificia, vel vetera reſtaurat, nec puduit in eis magnum fudiſſe theſaurum. liberalis denique admodum eſt, multos publice priuatimque ditans & honoribus augens, quos vel mediocri familiaritate cognouit. Teſtes ſunt non pauci quos plurimum exaltauit. Semper illud ore gerit à ſapientibus dictum, nullam maiorem Principis eſſe felicitatem, quam multos feciſſe felices. Quæ vna res etſi multorum inuidiam habere potuit, gloria tamen carere non potuit. Fatemur tamen non fore commendandum Principem qui patrimonium regni incõſulte largitur, præſertim vbi nulla impellit neceſſitas, nec Reipub. ſuadet vtilitas. Nam (vt inquit Cicero) quid enim leuius quam id agere quod diutius agere non poſſis? Vnde ſubdit, non eſt commendanda effuſa largitas, ſi quod alteri largiris, alteri extorqueas: illi dare, iſti nocere. Adde quia iuxta ſapientum ſententiam, qui vltra modum fundit quæ ſunt Reipublicæ, cito veniet ad littora paupertatis: quinimo ei aſſimilatur qui hoſtibus contra ſe dat victoriam. Vt enim pulchre Philippus dicebat ad Alexandrum, & Cicero refert, Quid tibi iſta profuſa largitas confert, per quam Macedones, non te Regem ſuum, ſed miniſtrũ & præbitorem putent? quod ſordidum eſſe Regi non ambigis. & ſubdit: Largitiones immoderatas rapinæ extorſioneſque ſequuntur. Cum enim in dando egere cœperis, alienis bonis manus cogeris inferre. non ergo putes laudabile, nec magnificum, vt beneuolentiæ comparandæ gratia prodigus exiſtas. Non enim tantum amoris aſſequeris eorum quibus dederis, quantum illorum odia quibus ademeris. Ea de re Principibus non eſt ita claudẽda res familiaris, vt eam benignitas aperire non poſſit. Tunc enim laudata eſt liberalitas, cum pro dignitate & virtute cuique tribuitur, quod eſt fundamentum iuſtitiæ: quia, teſte Cicerone, nihil eſt liberale, ſi non ſit iuſtum. Donent ergo Principes ratione & honeſtate præuia, atque inprimis ita largiantur, vt nec aliis, nec ſibi noceant. nec enim liberales aut magnifici ſunt, qui cupiditate gloriæ aliis eripiunt quod aliis largiuntur, nedum quoſdam, immo multos lædunt, vt in paucos profuſi exiſtant. Tanta ergo ſit in Principe liberalitas, quæ teſte Didymo ad Alexandrũ, in largientis incõmoda nõ redundet. Sed & tanta exiſtat, vt neſcia ſit pati diſpendium, ne paulo poſt idem ſit egens, qui fuit largiens, rideatque qui accepit, lugeat qui donauit: ſed ea moderatione penſentur beneficia, vt quod transfunditur, non minuat, ſed augeat donantis maieſtatem, vt in face, ex qua quanto plura ſuccendis, tanto magis facultatem recipit plus lucendi.

Principis felicitas.

Prodigalitatis mala.

Liberalitas in Principe qualis eſſe debeat.

De ſtrenuitate huius Henrici quarti, & de eius humanitate, pietate, & manſuetudine, & de cæteris illius virtutibus, præſertim de temperantia & ſobrietate, & quomodo fugiebat ornatum regium & quæuis mollia delicamenta. Deinde quomodo plurimos nobiles exaltauit. Rurſus qualiter delectabatur venationibus, & de incommodis huius exercitii, ſi nimium frequentatur.

Cap. XXXIX.

HENRICVS igitur nequaquam his virtutibus contentus, animoſus eſt atque ſtrenuus, in bellicis denique exercitiis plurimum tritus & fortunatus, in congreſſibus ac bellicis periculis primus: imitatus alterum ex Cæſaribus, de quo annalia ferunt nunquam militibus dixiſſe, Ite, ſed, Venite. Rurſus bellicorum laborum patientiſſimus eſt, & longiſſimas vias ſæpe incredibili celeritate confecit, armorum & equitandi peritiſſimus, ſæpe inclinantem aciem ſolus reſtituit, obſiſtẽs fugientibus, ſingulos nedum retinens, ſed in hoſtes conuertens. Deinde humanus, manſuetus, ac humilis, longe plus quam temporis malitia exigit. Denique clementiſſimus ac ſæuitiæ deteſtator. Errori facile veniam dat. Pius quoque & plurimum miſeris compatiens. nam vt alter Adrianus Imperator, ſeruitores etiam paruæ conditionis infirmos ſæpe viſitabat, atque de ſua menſa cibos miniſtrabat, medicos prouidebat. omnia denique pietatis officia ad cuiuſq; optimi priuati hominis officium pertinentia agit, oblitus regii faſtigii. Imitatus deniq; Antoninum Pium Imperatorem, de quo ait Iulius Capitolinus, qui cum militem ſecum educatum ęgrotum ſæpe viſitaſſet,

tasset, atque vilia obsequia, sed pia præstasset, & propterea multis displicuisset, quasi Regem hoc non decuisset: ille ridens ait, quia nec dignitas nec imperium tollit affectus, nec pietatis opera dignitatis fastigio derogant. Sed & vltra pietatis opera tantæ est mansuetudinis, atq; tam placidæ est lenitatis, vt quos maiestatis quoque contra se reos conspexerit, non facile punit, & aduersus se insurgentes diuino quodam animo dimittit in eadem familiaritate quam ante habuerit. Et vt paucis agamus, cunctis benignus & communis est, adeo vt quemadmodum de Traiano legitur, non pauci, nec paruæ auctoritatis viri eum, quia communis plurimum foret, sæpe inculpabant dicentes illud Valerii Maximi, Reges suis subditis familiarissimos ac communes esse non oportere, quia quicquid in excelso fastigio positum est, vt sit venerabilius, humili & familiari consuetudine vacuum esse conuenit. Ad quæ Henricus respondit, talem debere esse Principem priuatis, quales esse sibi Principes priuatus optasset. Nec putabat humanitate ipsam quoq; regiam dignitatẽ perdi, sed augeri, illis non assentiens qui credunt auctoritatem Principis emolliri, si familiarem se suis reddit, cum per eam modestam quidem subditis carior fit. Cæterum cum sæpe à multis lepide argueretur, quod non regio, sed communi vteretur habitu: respondit quia regalis dignitatis alius debet esse testis quam purpurea aut preciosa vestis, addens quia satis turpe videbatur Principi non rerum aut virtutis excellentia, sed solo habitu velle à priuatis differre. Rursus Henricus omnibus æquus, ad iram tardus, ad misericordiam pronus, vanæ gloriæ contemptor, rarus in sermone, & loquendo patiens auditor. nullius imprudentiam despicit, prudentiam in quouis homine, etiam humilis conditionis plurimũ commendat. Hic Henricus suos secumque connutritos vehementer dilexit, sed inter cæteros dum puerilibus & teneris annis ageret, duos secum nutriuit nobiles iuuenes de antiqua & clara familia ortos, videlicet Iohannem Pacheco & Petrum Giron, quos suis virtutibus carissimos habuit. naturaliter enim (vt inquit Aristoteles) nobiscum connutritos & conuersatos diligimus nostra eis communicantes. Illos itaq; plurimum sublimauit. Nã alteri Marchionatum de Villena, deinde Magistratum sancti Iacobi de Spata: alteri Magistratum de Calatraua conferri obtinuit, ac plura alia dominia contulit. Nec prædictis regia liberalitas & munificentia contenta est, sed & plurimos alios nobiles vt virtuti deditos viros exaltauit, inter quos plurimum dilexit Michaelem Lucas & Beltrandum de la Cueua. Hunc Ducem de Alburquerque, alterum Comestabilem creauit, imitatus Magnum Alexandrum, qui (vt ait Iosephus, & apud Machabæos legimus) licet vxorem prægnantem & cognatos relinqueret, eos tamen nobiles qui secum nutriti fuerant in iuuentute sua, in tantum dilexit, vt eos adhuc viuens plurimum exaltauerit, quibus & regna diuisit. Sed & Augustum imitatus, de quo aiunt annalia quia suos tantum dilexit, vt eos tam magnificis euexerit honoribus, vt pene suo æquaret fastigio. Denique hic Henricus elegit sibi consiliarios excellentes viros in vtroque statu: inter ecclesiasticos dilexit plurimũ etiam antequam esset assumptus, dominum Alfonsum de Fonseca, primo Episcopum Abulensem, demum Archiepiscopum Hispalensem, dominum Ludouicum de Acunna Episcopum Burgensem, & successiue regnum adeptus acceptum habuit dominum Petrum Gundisalui de Mendoza Episcopum Calagurritanẽsem, postea Saguntinensem, viros eximiæ nobilitatis, doctrinæ & prudentiæ, & plurimos alios nobiles præstantes viros. Rursus vt cæteras Henrici virtutes omittamus, temperans admodum & sobrius est, blandimentorum & balneorum inscius, eos plurimum deridens qui capillorum tantam curam gerunt, vt pigmentis & assiduis lotionibus, licet nõ sine capitis discrimine, tam crebro terguntur, quousque flauos crines, aut calamistratos conficiant, & quos natura nigros effecit, arte aureos reddere conantur: damnans Aurelii Commodi Imperatoris clementiam, qui (vt ait Iulius Capitolinus) tam diligens, vt capillos coloris aurei faceret, fuisse fertur, vt capiti aurum respergeret, quo magis coma illuminata flauesceret. Sed nec minus vituperat Commodum Antoninum etiam Imperatorem qui eodem Iulio teste, septies & octies caput in die lauabat, atque in ipsis balneis edebat. Quibus delicamentis nihil corporibus humanis funestius atque crudelius esse potest, veluti quæ corpus debilitant, animosq; effœminant, atque ad res bellicas imbecilles & fragiles homines reddunt. Nam vt pulchrè Seneca ait, qui blandimentis balneorum cæterisque corporis delicamentis permademus cuncta dura & difficilia iudicamus. agunt enim vt quod non diu possumus, breui frui desinamus. Demum in sobrietate ciborum & potus Henricus tanta parsimonia vtitur, vt imitetur Augustum Cæsarem, qui vulgarem panem & caseum bubalinum manu pressum & cætera lacticinia appetebat. Vini potum Henricus abhorret memor quia Dei voce vini vsus Regibus prohibetur eo dicente, O Samuel noli vinum dare regibus, ne forte obliuiscantur iudiciorum Dei. Idque agit non repugnante natura, sed suadente virtute. Inter-

Reges cur suis subditis familiares esse non oporteat.

Henrici encomium.

Commodi Imp. clementia taxata.

Vini vsus Regib. prohibitus.

rogatus sæpe cur vino non vteretur, cum posset, ait nihil pulchrius suauiusque in homine quam illud sumere quod delectat: imitatus Romulum vini parcissimum, qui cum in conuiuio parum biberet, & amici dicerent, ô Romule, Si omnes sic biberent, vilius esset vinum: immo, inquit, carius, si quantum & quale quis vellet biberet. Aiunt denique eundem Henricum facetum, sed æterna commendatione dignum dixisse verbum. Cum enim in valle Granatæ, vbi intensi sunt calores, in eius exercitu vinum deficeret, querela ad eum delata, Satis, inquit, à nobis prouisum est de optimis aquis, ne homines sitiant. Simile Augustum dixisse legimus. Rursus Henricus post bellica exercitia harmoniis ac cōcentibus musicalibus admodum delectatur, venationi plurimum deditus. Cuius exercitio & pro eius incolumitate ac suæ Reipublicæ vtilitate vtinam parcius insudaret. Nam, vt ait Ethicus, id vnumquemque decet maxime, quod est cuiusque maxime. non enim ad syluas aut parturiendas, aut incolendas, sed ad vrbes visendas atque regendas Princeps assumitur, quia vt de Esau Polycrates ait, ad res politicas vix conuersabilis esse potest actu, qui syluestris est incolatu. Fateor non semper venatio in culpa est. Plerumque enim otii inertiam fugiunt qui laboribus membra assuescunt. quare ipsa venatio ex persona, loco, & tempore pensanda est. Illa profecto in rege laudanda atque lustranda est venatio, non quæ aprum Calydonium vt Meleager, aut Apin taurum vt Cambyses, aut ceruas vt Euripides venabulo percutit, sed quæ vt alter Augustus, vastatores & hominum oppressores venatur atque insequitur. Refert enim Polybius Traianum Augustum dicere solitum, illam congruam principantibus venationem, non bestiis aut feris certamē, sed hominibus ,, terrorem indicere, nec cum innocuis animantibus dimicare, sed cum nocentibus & sce- ,, lestis hominibus confligere. illa enim syluas ornant, hi regna & vrbes depopulant: illa fru- ,, ges vastant, hi vitam moresque hominum dissoluunt. Præclare igitur Themistoclem dixisse Polycrates ait, à frequentibus venationibus & leuioribus ludis Principes fore arcendos, ne Respublica ludere videatur, detrimentumq; relicta grauitate patiatur.

Traiani Augusti sententia elegantiss.

De iis quæ acciderunt in ecclesia tempore huius Henrici, & de Romanis Pontificibus qui eo regnante præfuerunt, præsertim de Calixto, Pio, ac Paulo secundo, & de eorum laudibus præclarisque gestis, & de opusculis auctoris hanc historiam compilantis sub eisdem Pontificibus & eorum iussu editis. Tandem agitur de Frederico tertio Imperatore, & de duplici eius aduentu ad vrbem Romanam.

CAP. XL.

POSTREMO adducenda sunt breui stylo quæ huius Henrici quarti regis Castellæ & Legionis temporibus in ecclesia Dei & in imperio acciderunt, & de Romanis Pontificibus qui tunc ecclesiæ Romanæ præfuerunt. Eiusdem igitur Henrici tempore obiit Nicolaus Papa quintus, & successit Calixtus tertius natione Hispanus de regno Valētiæ. Hic Pontifex genere nobilis de domo dicta de Boria, doctissimus Iurista fuit, feruidus admodum in expeditione contra Turcum, & plurima compleuisset, si dies non defecissent. Sedit autem quatuor fere annis. Eo itaq; in bona senectute vita functo, assumptus est Pius secundus, die trigesimo mensis Augusti anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo octauo. hic Pontifex natione Senensis, natus in oppido Consignano, quod paulo post idem Pontifex ciuitatis titulo lustrauit, & Pientiam à Pio nomine suo appellari iussit, vbi Ecclesiam cathedralem erexit, construxit atque dotauit, palatiumque insigne atque superbum ædificauit. Fuit hic Pontifex orator disertissimus, & in aula Alberti, demum Frederici tertii Imperatoris moderni nutritus eique acceptus, tandem Cardinalis effectus est, & parum post ad summum Pontificatum assumptus. Huic Pontifici, Henrici Castellæ regis prædicti iussu & regnorum suorum nomine, ego ipse, tunc Episcopus Ouetensis, puram, debitam, ac solitam reuerentiam & obedientiam præstiti. Hic Pontifex dum esset in Papatu, inter ingentem negotiorum molem studio aliqua horula vacabat, historiamq; refertissimam, & aliqua opuscula præclare ingentique elegantia descripsit, eaque mihi suo referendario antequam edita forent, communicare dignatus est. Rursus fuit Pontifex ipse zelantissimus belli & expeditionis contra perfidos Turcos, & aduersus eorundem impietatem generalem & famosam indixit cruciatam & passagium, cui se debilem viribus, sed animo fortem personaliter exhibuit. Verum peccatis Christiani populi, sed & ignauia atque diffidia infeliciter res actæ sunt. Nam cum apud Anconam vrbem maritimam transfretandi animo moram traheret, expectans aduētum quorundam principum & magnatum, qui personaliter venire, aut præsidia ferre polliciti erant,

Pius secundus orator disertiss.

erant, conspiciens nullam superesse spem de illorum aduentu atque succursu, consternatus animo & aggrauato morbo corporali, ex huiusmodi mœstis animi accidentibus, tandem vt Deo placuit, spiritum exhalauit, me tunc in eadē ciuitate manente, & ad transfretandum cum eodem Pontifice parato. Obiit autem decimo quarto die Augusti anno Christi incarnationis millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio, præfuit annis sex. Illico itaque domini Cardinales cum tota curia Romam se conferunt super electione futuri Pontificis. Qui conclaue ingredientes, sic disponente diuina clementia, vnanimiter & concorditer per viam Spiritus sancti elegerunt sanctissimum D. dominum Paulum secundum natione Venetum, qui nunc feliciter Deo auctore præsidet. Hic Pontifex genere nobilis atque patritius, sed vita & moribus illustrior, nepos quidem fuit beatæ memoriæ Eugenii Papæ quarti, & ita ex vna nobili gloriosaque domo duplex Pōtificatus egressa est dignitas, & dum in illo mœror vniuersos tenuit quod raptus sit, in isto gaudium successit quod assumptus est. quo fit vt vtriusque Pontificis laudum gloria, vniuersa populorum ora compleat. Est igitur huic Pontifici virtus animi ingens, sed & forma corporis venustissima. illa præstat, vt eum oporteret Pontificem maximum fieri: hæc, vt deceret. In principio Pontificatus sui Romanam curiam omni Simoniæ & extorsionis labe seuerissime purgauit, cunctosque officiales ac curiales reformauit, domumque habuit mundissimis atque honestissimis viris refertam. Cæterum contra perfidos Turcos Vngariæ regi ac plurib. Principibus & communitatibus assidua nec parua præsidia elargitur. In ecclesiæ vero gubernatione nedum fortunatissimus est, sed summa experientia, prudentia, & virtute præstantissimus, denique clementissimus & omnium indulgentissimus, ad pacem denique pronus. Nam Italiam dissidiis plurimis incensam summa cum industria bis pacauit. Demum quibusdam tyrannis à terris ecclesiæ expulsis, non paucas nec paruas vrbes & terras ditioni ecclesiæ Romanæ adiecit. Hic felicissimus Pontifex qua die apicem summi Pontificatus assumpsit, de sacri collegii assensu non sine singulari confidētia me indignum, sed fidum, præfectum Castellanum castri sancti angeli de vrbe instituit, quippe qui iocalia & ecclesiæ Romanæ thesauros fidei meæ commisit, deinde pro sua animi nobilitate & munificentissima liberalitate meipsum indignum primo ad Zamorensem ecclesiam, deinde ad Calagurritanā, tandem ad Palentinā transtulit. Verū cum iussu suæ sanctitatis pluribus annis Castri præfati sancti angeli curā & administrationē gererē, vbi satis otii supererat, de eiusdē suæ Beatissimæ mandato, ad gloriam omnipotentis Dei, & Ecclesiæ Dei exaltationem & decorem, ac veritatis dilucidationē, nonnulla opuscula inculto rudiq; eloquio edidi. Primo librum magni voluminis dictū defensoriū status ecclesiastici contra querulos, æmulos, & detractores Prælatorū & clericorum, diuisum in decem tractatus. Item librum de paupertate Christi & Apostolorum, & an Christus & Apostoli mendicarunt, & quo sensu dici potest eos mendicasse. Ibi denique deducitur Prælatos & clericos modernos non deuiare à vita Apostolica, licet obtineant propria, possessiones, & prębendas distinctas: & quanquā segregatim in domib. propriis habitent, nihilominus eos vitam communē à sanctis patrib. institutā ducere cēsendos fore. Rursus iussu eiusdem Pontificis edidi librum, vbi agitur an sine peccato fideles licite fugiāt à locis vbi sæuit pestis. Itē librū de monarchia orbis, in quo ostenditur apud Romanū Pontificē residere veram orbis monarchiā. Demum in eodem libro in secunda parte deducitur, reges Hispaniæ & Franciæ non fore Imperatori subditos. Agitur etiam per quē, quādo & quomodo reges delinquētes puniri possunt. Itē librum defensoriū istius libri monarchiæ cōtra quosdā detractores super eisdem & aliis vtilib. materiis. Itē librū apparatus siue cōmēti super bulla cruciatæ indictæ per Papā Piū cōtra perfidos Turcos. Itē librū super cōmento bullæ depositionis regis Bohemiæ per sanctissimū D. Paulū secundū publicatæ. Itē librū de remediis afflictæ ecclesiæ militātis, in quo adhibētur remedia cōtra oēs persecutiones quas ecclesia ab exteris & domesticis patitur. Itē librū dictū speculū vitę humanę, de prosperis & aduersis, dulcib. & amaris omniū statuū vitæ mortalis, tā in statu spirituali, quam tēporali. Item librū de regno diuidendo, & quando primogenitura sit licita. Item librū de pace & bello, & de necessitate & vtilitate bellorū. Itē librū de eruditione puerorū. Item librū confutatoriū sectæ & superstitionis Machometi, & quorundā errorū cōtentorum in quibusdā epistolis per quendā eloquentē oratorē missis perfido Turco. Itē librū dialogi de auctoritate Romani Pōtificis & generaliū cōciliorū, & de pœna subtrahentiū obediētiā à sede apostolica, & de remediis schismatū. Itē plurimos alios tractatus & epistolas, quę siquidem opuscula eidem sanctissimo Pōtifici pro maiore parte dedicata sunt, & sub illius glorioso & æterno nomine potius, quā studio & ingenio meo conquiescunt. Nec me solū sed vt alter Esdras, vel rex Ptolemæus, plures doctissimos & studiosos viros ad scribendū

Paulus 2. Papa eligitur.

Opuscula auctoris.

inuitat, quippe allicit atq; remunerat. Sed de huius Pontificis gloriosis gestis, laudibus, & præconiis alibi dicimus. Huius itaque Pontificis ac regis Henrici præfati tempore sedit in imperio Fredericus III. Austriæ dux. Hic ante susceptum imperium Ierosolymam deuote visitauit Alberto fratre & Comitibus Ciliæ sociatus. Adeptus autẽ imperium cum Germanos quadam neutralitate quæ potius subtractio obedientiæ videbatur, frui conspiceret, & diuisam ecclesiam reperisset, conuenticulũ apud Basileam congregatum abire iussit: vnde secuta est totaliter desiderata vnio ecclesiæ. Cum Vngaris aliquo tempore bellauit, & aliqua castella obtinuit, sed & non parua ab eis damna consequutus est. Vxorẽ duxit sororem regis Portugaliæ, nomine Leonoram, sanguine & moribus inclytam. Hic vt diximus, Romam venit & diadema à Nicolao V. suscepit. Deinde visitauit Alfonsum regẽ Aragonum & Siciliæ vxoris auunculum, à quo honorifice apud Neapolim receptus tandem Alemaniam feliciter rediit. Demũ anno Domini M.CCCCLXIX. deuotionis & peregrinationis gratia Romã & Apostolorũ sacra limina visitauit, qui ab eodem sanctiss. Paulo II. summo Pontifice solennissime receptus est, illumq; in suo Apostolico palatio humanissime & curialissime locauit, & quandiu Romæ fuit, sibi & gentibus suis lautissime expensas ministrauit, & in recessu spiritualib. & temporalibus muneribus, eum magnifice donauit. Agimus iam huius historiæ finem sub eodẽ Henrico IIII. Verum quia septies in die cadit homo, exorandus est Altissimus per quem reges regnant, vt hunc Henricum IV. custodiat, protegat, & defendat, vt quæ feliciter incepit, felicius expleat, illiq; intellectũ, vires, & conatum tribuat, quatenus se & subditos in viam pacis & salutis æternæ dirigat, eo præstante qui est benedictus in sæcula, Amen.

RODERICI SANTII HIST. HISPANICAE FINIS.

DN. ALFONSI A CARTHAGENA EPISCOPI, BVRGENSIS RERVM HISPANORVM, ROMANORVM IMPERATORVM, summorum Pontificum, necnon Regum Francorum anacephalæosis.

PRÆFATIO.



COGITANTI *mihi, fratres dilectißimi, & frequenter in animo reuoluenti, quantum sit humanis animis sciendi infixa cupido, vt nullo præcipiente, nemine suadente, omnis homo à natura scire desideret, quatenus hominẽ exuere videatur, cuius animus ad sciendam nullo desiderio teneatur, & illius repulsionis dignus haberi merito debeat: Tu scientiam repulisti, & ego te repellam: dulcedo quædam mentis aduenit. Considero enim prompto humano animo iucunditatem adesse, si sciendi desiderium operi applicare aliqualiter voluerit. Sed cum infinita pene scientiarum & artium sit multitudo, quarum aliquæ de necessariis naturæ, quorum directio humano iudicio non subest, aliæ vero in contingentibus occupantur, quæ aliter & aliter interdũ eueniunt, & ad quæ dirigenda cogitationes humanæ accurate declinant: multorum animos ad diuersas sciendi species inclinari videmus. Alii enim ad scientifica, & naturalia, & supra naturam: alii vero ad aliquas alias disciplinas vehementius inclinantur, prout ingeniorum suorum acumen vel hebetudo videtur exposcere. Sed hoc vnum inter cætera, quod nec ingenii altitudinem poscit, nec etiam capacitatem, licet mediocrem aut paruam transcendit, contemnendum non est. Historiarum quippe notitia, audiendi quid in sua, quidve in alia regione antiquis in sæculis & prope nostra tempora actum sit, & qui principes has terras quas incolimus, per diuersa sæcula gubernarũt, rationi congruũ desiderium est. Nec enim, cum homines simus, aliena prorsus putare debemus, quæ inter homines transierunt, illi vulgato etiam trito Terentiano verbo adhærentes: Homo sum, nihil humanum alienum puto. At licet hoc continue in memoria habere necessarium non erat, vtile tamen pariter ac delectabile censeo, libellum aliquem tenere qui hæc sub breui compendio contineat, vt cum sermo de huiuscemodi rebus occurrerit, aliqualem cognitionem apprehendere valeamus. Hac itaq; intentione motus conscribere feceram*

ceram arborem quandam genealogiæ Regum Hispaniæ, eorum gesta aliquantulum miscens, vt, nec historiæ prolixitatem, nec arboris breuitatem haberet, sed quodam mediocri modo historiali latitudini & arboreæ breuitati responderet: illique excellentissimo ac indelebilis memoriæ Regi, honestorum studiorum auidissimo, qui nuper ab humanis oculis ad superos euocatus est, dedicaueram. At cum particula prima suæ Regiæ maiestati tradita, trãsitus eius interuenisset, quieuit opusculum illud, aliis temporibus per me, vel alium altioris & abundantioris ingenii, forte, si placuerit diuinæ mansuetudini, prosequendum. Interim autem ascendit in mentem, ne ex toto calamus refrigesceret, ex illis quæ tunc scripseram, quantum ad tempora quæ attigerunt, & aliis scriptis quæ sequentium temporum actiones enarrant, breuiorem arborem transplantare, quæ nec historiam lato sermone contineat, nec ex toto illam sub silentio dimittat, sed reges omnes qui in Hispania regnarunt, ab illo tempore quo hæc politia in regum nostrorum genealogia ac eorum regia familia continuata est, seriose describat. Aliorum enim sæculorũ, quæ ante præcesserant, profundissima abyssus inuestigabilis facta, nobiscũ nullam iam proportionem habere videtur. Reduxi ergo ad modũ arboris omnes qui in hac Hispania nostra Regis diademate sunt potiti, ab Athanarico incipiens, in quo stipitẽ genealogiæ huius rationabiliter, vt puto, construxi, vsque ad insignem ac potentissimum Enricum quartum hodie regnantem, cuius regnum Regum Rex fœliciter dirigat & exaltet. At quia imagines rerum fortius memoriam coadiuuant, quam nuda scriptura, Reges ipsos congruo arboris loco depingi feci in recta linea Regibus solis depictis: in marginibus vero aliquibus aliis quorum strenuitas non ab re iuxta Reges collocari petebat, per sola capita figuratis. Et quia aliorum insignium etiam extraneorum Principum nosse tempora, concurrentiamque quam cum nostris principibus habuerunt, nedum delectat, quinimo etiam ad cognoscendum aliqua, quæ interdum inuestigamus, non modicum confert, congruere mihi visum est, illorum adiicere tempora, quorum celsitudo imperiique magnitudo abscondendæ non sunt, sed perpetuis temporibus propalandæ. Posui itaque summos Pontifices, qui non alieni Principes iudicandi sunt, quia tam nostri, quam aliorum hominum omnium superiores existunt & in vniuerso orbe plenissimam habent potestatem. Deniq; Romanorum Imperatores, quibus licet non subsimus, cum Hispani Romanũ Imperium supra se non recognoscant (eruerunt enim Deo adiuuante de faucibus infidelium regnum. solum enim Reges suos, vt supremos principes in temporalibus habent) sunt tamen merito memorandi Imperatores Romani, qui inter omnes Reges primam sedem, & quasi quandam primogenituram non incongrue habent. Ideo in illis cõcurrentiis adiunxisse, & Reges Francorum qui in altitudine solii magno splendore clarescunt, amicitiaque & sanguinis necessitudine ab antiquis temporibus nostris extiterunt Principibus sociati, indignum fuisset à concurrentia hac segregare. Ideo hac concurrentia his tribus principatibus, supremo siquidem pontificatu qui omnes principatus excedit, Romanoque, & Gallicano temporalibus, regum quæ insignissima sunt inuenire decreui. Sed & illud non æqualitate præsidentiæ motus, cum non æquari, sed pontificatui Romano subiici, & regna temporalia cum debita humilitate revereri dignissimum est, qualitate tamen personarum tam scribentis, quam quibus scribitur, attente pensata, non indignum arbitratus sum, vt in calce concurrentiæ adiicerem Pontifices, qui in ecclesia Burgensi sederunt, ab illo incipiens tempore, quo sedes ipsa cathedralis effecta est, & vsque ad tempora nostra producens. Nam etsi principatus alii supremi tam eminentia, quam magnitudine, & aliis numerosis dotibus longe altius præstent, quo ad nos tamen, nosse præsules qui & quo tempore in hac insigni ecclesia præfuerunt, delectabile pariter ac vtile est. Consonumque rationi putaui hanc arborem charitati ac fraternitati vestræ dirigere, cum ecclesia hæc caput diœcesum Castellæ capitis nomine tam à nobis, quam ab omnibus populis vulgariter insignitur. Cum ergo capita sint ecclesia ecclesiarum, & ciuitas ciuitatum Castellæ, nescio cui congruentius adaptari queat, memoriam omnium Regum tenere, quam illis qui capita dicuntur, & sunt illarum terrarum quarum Monarchia describi, & in perpetuam recordationem redigi breui stylo tentatur. caput enim principalis pars corporis est, quinimo & totum corpus repræsentare videtur, eiusque mausoleum locum religiosum facere solet, ac si totum corpus cum capite ibi esset. Sit ergo Principum ibi seriosa memoria, vbi principalis pars regnorum in quibus principatum gesserunt, consistit. Accipiat ergo fraterno corde fraternitas vestra munusculum hoc, quod fraterna manu donatur, illudque multitudini librorum quibus insignis bibliotheca vestra abundanter munita est, adiicere curet, vt qui annalia antiqua hac ex parte sciendi cupidus fuerit, illud legendi aliqualis notitiæ adeptione congaudeat. Sed iam his præludiis finem imponens, quod dicere gestio, diuino auxilio humilimis precibus inuocato, vt sequitur, prosequar.

ALFONSI A CARTHAGENA EPISCOPI BVRGENSIS REGVM HISPANIÆ ANACEPHALÆOSIS.

CAPVT I.

Orbis totius tres partes.



LLVD autem præmittendum est, Hispaniã de cuius Regibus loqui intendimus, partem quandam honorabilẽ orbis esse. De qua vt sciamus, quanta sit, & in quot prouincias diuidatur, menti adducendum est, orbem à rotunditate circuli dictum, quia rota quędam est, cum Oceanus vndique circumfluens fines eius circulo ambiat. Hunc in tres partes antiqui diuidendum dixerunt, quarum vna Asia vocatur, altera Europa, tertia Africa, quæ etiã Libya aliquibus in libris nuncupari solet. Hæ autem partes æquales non sunt. Nam Asia à Meridie per Orientem vsque ad Septentrionem peruenit, Europa vero à Septentrione vsque ad Occidentem, & inde Africa vsque ad Meridiem: & sic dimidium orbis tenent Europa & Africa, aliud vero dimidium sola Asia occupat. Quod ideo sic à sapientibus descriptum esse putandum est, quia mare Tyrrhenum quod Mediterraneum vocatur, ab Occidenti inter Septam & Gibeltarium seu Tarifam ingrediens, & versus Orientem fluens, has duas partes Meridianam & Aquilonem intersecat, & cum vna esse deberẽt, aquarum inundatione diuidit. Sic ergo si in duas partes Orientis & Occidentis diuidatur orbis, Asia Orientalẽ, Europa vero & Africa Occidentalem partem tenebunt. At cum Hispania in Europa sit, congruens est, vt Asiam & Africam dimittentes de Europa modicum quid dicamus. *Europa partes.* Europa siquidem à flumine Tanai descendens ad Occasum per Septentrionalem Oceanum vsque ad fines Hispanię venit. Cuius pars Orientalis & Meridiana à Ponto confugiens tota mari magno coniungitur, & in insula Gadibus finitur. Prima Europæ regio Scythia inferior est, quæ à Mæotidis paludibus incipiens inter Danubium & Oceanum, vsq; ad Septentrionalem Germaniam porrigitur. Quæ terra generaliter propter Barbaras gentes quibus inhabitatur, Barbarica dicitur. Huius pars prima Alemania est, quæ ad Mæotidas paludes pertingit. Post hanc Dacia, vbi & Gothia, & post illas multæ aliæ prouinciæ sequuntur, donec ad Hispaniam perueniatur, quas describere operosius esset intentu, quia non descriptionem orbis seu mappam mundi conficere propositum est: sed Hispaniæ de cuius Regibus dicturus sum, situm ad mentem adducere. Qui autem de aliis Europæ prouinciis informari desiderat, Isidorum, & alios qui orbis partes sermone lato curauerunt distinguere, diligenter inquirat. Ego enim hanc solam primam Europæ partem breuiter in memoriam adduxi, quia intra eam Dacia continetur & Gothia, vnde & Gothi exisse feruntur, qui in Hispania, vt infra dicetur, regnarunt. Aliis ergo Europæ prouinciis omissis Hispaniam calamo nostro Daciæ & Gothiæ, à quibus primi Reges nostri ortum habuerunt, coniungamus.

CAPVT II.

Hispania prius Iberia dicta, vera est Hesperia, & vbi sita.

FVIT autem Hispania prius ab Ibero amne, seu flumine, Iberia nuncupata, postea ab Hispano Hispania cognominata est. Ipsa est enim vera Hesperia ab Hespero stella Occidentali dicta. Sita autem est inter Africam & Galliam, à Septentrione Pyrenæis montibus clausa, à reliquis partibus vndique mari conclusa, salubritate cæli æqualis, omnium frugum generibus fœcunda, gemmarum metallorumq; copiis ditissima. interfluunt eam flumina magna, Bætis (quod modo Guadalquiuirum vocatur) Minius, Iberus, Tagus in aliquibus aluei sui partibus aurũ trahens. Habet prouincias sex Tarraconensem, Carthaginensem, Lusitaniam, Galleciam, Bæticam, & trans fretum in regione Aphricæ Tingitaniam. Duæ sunt autem Hispaniæ, citerior, quæ in Septentrionali plaga a Pyrenæo vsque ad Carthaginem porrigitur: vlterior, quæ in Meridiem à Celtiberis vsque ad Gaditanum fretum extenditur: citerior & vlterior dicta, quasi citra terras, & vltra, quod vltima, vel quod non sit post hanc vlla. *Hispania 6. in se habet prouincias.* Est autem Hispania de latioribus prouinciis quæ sub Europa includuntur, habens in se sex prouincias, vt prædixi, quæ iam aliis nominibus nominantur. Neque enim dicimus Tarraconensem, quia hic loquimur de prouincia eccle-

siastice

siastice sumpto vocabulo, pro vt metropolim & ecclesias suffraganeas designat: sed quandam particulam seu contractũ terrarum. Illam igitur quæ Tarraconensis dicebatur, Cataloniam vocamus. Carthaginensis vero est illa particula terræ in qua regna Valentiæ & Murciæ consistunt. Lusitania continet partem Portugalliæ quæ intra Tagum & Guadianam, necnon etiam particulam illam quæ citra Tagum & vltra Dorium est, aliasque huius regni terras quas Extrematurã dicimus. Gallecia vero in suo nomine durat. Sed sub Gallecię nomine etiam pars Portugalliæ intelligenda est, quæ intra Dorium & Minium cõsistit. Bætica vero Vandalia est, quam Andaluziam dicimus, dicta à Bæti flumine, quod Guadalquiuirum vocatur, ab Arabibus sumpto vocabulo. Etenim apud Arabes Guadalqueuir flumen magnum significat. Hæc intra se Granatæ partem continet. Tingitania autem est in Aphricæ parte, quam dicimus Benamarim, a Tingi ciuitate quam Taniar vocamus nomen assumens. Alias vero terras quas in Hispania hodie diuersis nominibus nominamus, sub illis quas diximus, tunc contineri putarem, vt Castella & Nauarra cum Carthaginensi, Legionensis pars cum Gallecia, Toletana & Conchensis cum Lusitania, quæ simul cum Bætica quam Andaluziam & Granatam dicimus, Hispaniam vlteriorem faciebant, quam citeriorem post respectum ad nos possumus appellare, cum vltra & citra respectiue ad locum in quo loquentes existunt, dicitur. Nos igitur cum citra Iberum sumus, has partes Hispaniæ citeriorem Hispaniam vocamus, Italici & alii Orientales vlteriorem vocant, cum per respectum ad eos vltra Iberum commoremur. Quæ sic grosse tetigi, vt aliquam cognitionem horum nominum habeamus, & aliqualiter correspondere denominationibus quas hodie partes Hispaniæ habent ex ipsa propinquitate vocabulorum, sentiamus, non quod sigillatim his finibus distinguantur. Difficillimum enim esset nunc limites illarum diuisionum certitudine plena tenere. Hoc tamen ex his diuisionibus constat, Tingitaniam quæ vltra mare Mediterraneum est, licet in Asia sita sit, intra Hispaniæ partes contineri. quod licet peregrinum ab aliquo importuno videatur, intentius tamen intuentibus aliquid forte non parum importare valeret, vt memor sum alibi ad propositum aliud dixisse. *An. Dom.*

Capvt III.

Nvnc vero intentum nostrum prosequens, hoc de regno Hispaniæ, prout terram in qua regnatur, designat, sufficiat dixisse, tamen pro vt Reges & potentiam demõstrat, aliqua dicamus. Nescio enim quare apud nos vnico verbo hæc duo diuersa coniungimus, vt regnum ipsam terram vocemus, & hoc eodem verbo regnandi vim & potentiam exprimamus. Dicimus namque regnum Hispaniæ vel Franciæ, cum de terris illis loquimur, similiter quoque cum de aliquibus Regibus earum sermo fit, regnum eorum tot annis durasse scribimus, vel dictamus exercitium ac potestatem regnandi, quæ temporalia sunt, & regnum vocantes, vt Salomon edixit: nam terra in æternum stat: non sicut apud Italicos qui terram in qua regnant non regnum, sed reamum vocant. Cum ergo de Hispania, pro vt reamum est, modicum diximus, de regno eius, pro vt regnantium tempora significat, paulum quoque dicamus. Nemo autem dicere posset, qui fuerũt hi qui ab initio sæculi ante diluuium in Hispania regnarunt, quia impossibile esset hoc scire, cum omnes Chronicę post diluuium principium narrationis assumant, nec aliqua auctentica historia reperiri potest, quæ ante aquas diluuii gesta hominum narret, excepto canone sacro, qui ab initio creationis mundi sermonem assumens, tam ante Noæ, quam etiam postea, multa historice prophetica reuelatione descripsit. Quicunq; tamen illi fuissent, si aliqui fuerũt qui Hispaniam gubernassent, sub inundatione aquarum constat perisse. Sed & post ipsum diluuium expleta infantia sæculi & in quandam adolescentiam mundo quodam modo ascendente, hoc distinctum sciri non posset: licet aliqui sub globo diuisionem gentiũ post discessum à Babel descripsitarunt. Sed nos illud non quærimus specifice & particulariter scire, grosse tamen, pro vt attentæ antiquitatis abyssus inuestigari aliqualiter potest, coniicere cõniuentib. oculis vtcunq; vellemus, qui fuerũt illi qui Hispaniã antiquis in sęculis inuaserunt. Ferũt autẽ, quod Europa recepit populos à generatione Iaphet, qui septẽ filios dicitur habuisse. Quorum primus fuit vocatus Gomer, secũdus Magoth, tertius Madãs, quartus Inanus, quintus Tubal, sextus Moretus, septimus Tirasus. A Gomero primo filio dicũt populatã Gallecíã. A Tubalo quinto filio alii descenderũt Hispani. A Magotho secũdo filio Scythæ, Gothi, Vandali, Sueui, & Alani, & ab aliis vero filiis alię profluxere nationes. Inter istos, deniq; adinuicẽ magna bella & grãdes dissensiones processerũt. Alii enim alios è terris expellentibus, & aliis resistentibus, oportebat vt bellici labores insurgerent.

Regni verbum duo diuersa coniungit.

An. Dom.

Nam inter offendentes & defendentes tunc & nunc consequens est, vt gladius hostilis insurgat. Nam alii inuasionem potentia incitante desiderant, alii defensionem necessitate cogente procurant. Et nec hoc, nec illud ad rationis persuasionem quiete cõfici potest, ad arma oportet recurrere. Transierunt ergo multa tunc tempora, & in eis armorum plurimi actus, quos referre calamus non valeret. Sed hoc vnum dicitur, quia à confusione linguarum in Babel, vsq; ad tempora Gedeonis iudicis Israel, fluxerunt anni mille, & ducenti, & triginta, & tres. Et huius Gedeonis tempore natus est Hercules magnus, qui ingentia facinora & armorum miranda exercitia per diuersas orbis partes, præsertim in Hispania egit. Hic enim (vt ferunt) vna cum Iasone obtinuit vellus aureum insulæ Colchos, & destruxit Troiam prima irruptione occidens Laomedontem Troiæ Regem, necnon vicit Diomedem Thraciæ, ac Centauros, & Lacedæmonios. Superauit quoque filios Leui, qui erant nepotes Regis Saturni, necnon Busirim Ægypti, & Antæum Aphricę Reges, fœminas quoque Amazonas, quæ tunc erant multarum gentium victrices, pro vt hæc omnia aliquæ historiæ ferunt & fabulæ poetarum. Boetius quoque in metris suis horum aliqua narrat, dicens,

Herculis labores, de quibus Virgil.

Herculem duri celebrant labores,
Ille Centauros domuit superbos,
Abstulit sæuo spolia leoni.

Reliqua quæ illic in metro sequuntur, quæ hic succincte tetigi, veritatem eorum Deo qui omnia cognoscit, relinquens, vt scripta reperi, huic scripturæ inserere, nõ asserere curam cepi. Cum autem hæc omnia Hercules aliis in orbis partibus expleuisset, ab Aphrica in Hispanias transiit. Audierat enim Geryonem Hispaniæ principem potentiæ suæ robori plus debito nitentem, erga Hispanos tyrannice se habere. Aduentum vero eius audientes Hispani nimium lætati sunt, sperantes manu Herculis à Geryonis tyrannide liberari, quod & factum est. Nam Hercules Geroynem defidans, duellum cum eo aggressus est, victumque strangulauit, & super caput eius turrim dicitur fundasse prope Curuniam, quod oppidũ in Gallecia finibus ipse fundauerat. Demum occidit Cacum illum ferum hominẽ, qui tanta feritate vigebat, vt potius fabulæ quam historiæ narratio feritatis eius ab aliquibus scribenda putetur. Ab hoc Caco montem Caci, quem vulgariter Moncaio dicimus, prope Tirasonam & Agredam situatum, nomen assumpsisse ferunt. Hercules itaque occisis Geryone & Caco, & multis magnificis operibus in Hispania factis, ad Gręciam est reuersus, dimittensque nepotem quendam suum qui Hispanus vocabatur, vt in Hispania regnaret, à cuius nomine Hispaniam vocatam putant. Nam primo Iberia ab Ibero flumine, seu Hesperia ab Hespero Planeta qui prope occidentem aduesperante die lucet, vocabatur. Hic Hispanus est primus quem in Hispania regium titulum assumpsisse historiæ narrant. Qui magno tempore in pace regnans, multa magnifica opera dicitur construxisse. Inter quæ ille singularis aquæ ductus habetur qui apud Segouiam in sua firmitate huc vsque perdurans, ciuitati aquarum copiam ministrat, pulchritudinem nimiam in ipsa operis fortitudine ostendens. Nam cum quædam particula supereminens per quam cloaca dirigitur, sæpe reficiatur, & refecta faciliter corruat, ipse tamen pons & aquæ ductus tanta firmitate ædificatus fuit, vt ab illo sæculo vsque in præsentem diem quasi quadam incorruptione fulgens maneat. Tantaque differentia diuturnitatis inter moderna opera & vetustissima est, quod quidquid ibi nostris diebus reficitur, raro per decennium durat, tanto ponte qui Hispani temporibus factus est, per tot sæcula immutabiliter perdurante.

Capvt IIII.

Hic Hispanus filiam suam nomine Liberiam in matrimonium tradidit insigni Principi Gręcię vocato Pyrrho, qui ex iure vxoris suæ post mortem Hispani soceri sui in Hispania regnauit. Hoc tempore dicunt tantam ariditatem per totam Hispaniam fuisse quod viginti septem annis pluuia visa non est descendisse: quo factum est, vt omnia flumina prorsus arescerent, præter modicum aquarum quæ in Guadalqueuiro & Ibero profluebant, & vt aliqui dicunt, in Guadiana. Cuius causa Hispani ad diuersas terras vitam saluaturi abierunt, ariditate autem cessante habitatores ad Hispaniam reuersi sunt. Pyrrho denique defuncto Græci post eum aliquo tempore regnauerunt, quorum nomina expresse non legi. Post hæc gentes quædam extraneæ quæ Almonizi vocabantur, Hispaniam intrantes Gręcos expulerunt, & regnarunt in ea quadraginta annis. Demum exercitus multi ab Alemania & insulis adiacentibus Hispaniam inundantes, Almonizis expulsis apud Hispanos magnis temporib. regnauerunt, donec Pœni ab Aphrica transeun-

An. Do.

transeuntes magnam partem Hispaniæ subiecerunt. Etenim Hamilcar primo Saguntum obsidens occisus fuit. Deinde Hannibal immanissimus fortissimusque obsidionem repetens, Saguntum oppidum expugnauit. Quod vtique non ciuitatem Saguntiam nostrã, sed castrum illud iuxta Valentiam Monuiedrum vulgariter nuncupatum fuisse autumãt. Sagunto autem occupato, & aliis multis partibus Hispaniæ suæ ditioni subiectis, Hannibal nomine & gloria excellere incipiebat, quod Romanus populus qui tunc quasi adolescens erat, & aliis gentibus imperare non mediocriter præsumebat, moleste tulit, maxime cum iam Saguntum Romani in amicitiam recepissent. Cuius occasione bellum contra Hannibalem & Pœnos implacabile indixerunt. Quo factum est, vt Hannibal qui potentia magna & animo bellicoso vigebat, in Italiam proficisceretur, dimissis Hasdrubale & Magone fratribus eius, vt ea tuerentur quæ apud Hispanos acquisierat. Romani vero miserunt contra eos nobiles quosdam de familia Scipionum, qui pugnantes contra Hasdrubalem victi & occisi sunt. Post quorum mortem alium de Scipionibus, qui P. Cornelius Scipio Minor dictus est, ad Hispanos miserunt. multi namque fuerunt Scipiones. Scipionis enim verbum cognomentum familiæ, non nomen particulare hominis est. Hic Scipio dimicauit contra Magonem acerrimo prælio, vt hinc inde occisi plurimum caderent, & Magonem victum & captum cum aliis captiuis misit ad vrbem. Magone vero sic victo Hasdrubal frater eius occurrit obuiam Scipioni, præliumque intrans victus euasit, & profectus est in Italiam ad Hannibalem fratrem suum. Scipio vero victor existens, expugnatis Hasdrubale & Magone fratribus Hannibalis, rediit Romam, Hispania manente sub regimine Romanorum. Aliquibus autem temporibus sic elapsis, cum Romani gubernantes insolenter, ceu fieri solet, haberent (raro enim euenit, vt peregrina potentia si diu continuatur, ad grauamina non prosiliat subditorum. vnde & Bonifacius Papa dicebat, non modica dispendia Romæ attulisse peregrina regimina. hinc est quod successione principantium naturalitas acquisita, Regum ad subditos, & subditorum ad Reges nimium conciliat animos, & regnantis iugum benignum & tolerabile reddit) Hispani ergo proteruiam Romanorum non ferentes, rebellare cœperunt. Contra quos Romani miserunt ducem nomine Tiberium Sempronium, qui vi armorum plusquam centum & viginti ciuitates, oppida, & castra occupans, Hispanos sub ditionem Romanorum reduxit. Demum exacto aliquo tempore, sexcentesimo fere anno postquam Roma condita fuerat, iterum rebellarunt Hispani, & taliter se inuenerunt contra Romanos, quod nullus ex ducibus Romanis reperiebatur, qui acceptare auderet se mitti aduersus eos. Et tunc miserunt quendam nomine Sergium Galbam consulem, qui multis præliis cum Hispanis confectis, postremo ab eis fuit deuictus. Quo sic deuicto miserunt Romani alium ducem, qui obsedit Numantiam quæ nunc Zamora vocatur, in cuius obsidione magnam stragem, damna, & pericula Romani habuerunt, ciuitate in sua rebellione contra eos manente. Sed post istud missus est P. Scipio, qui post Africanus inferior vocatus est, nepos alterius Scipionis quem Aphricanum superiorem appellant. Hic Numantiam tam strictissima obsidione afflixit, quod expugnatam ex toto destruxit. Et sic mansit Hispania sub ditione Romanorum aliquo tempore. Sed post consueta animositate rebellantibus Hispanis venit Pompeius, qui subiiciens eam dimisit in illa filios suos ac duces Petreium & Afranium, & in Italiam rediit. At cum inter Romanos tunc illud intestinum & famosum bellum surrexisset, & Pompeio cum Iulio Cæsare genero suo implacabiliter desidẽte, Iulius Cæsar in Hispaniam venit, & contra Petreium & Afranium apud Ilerdam dimicauit, vbi exercitum Petreii & Afranii immensa siti afflictum in deditionem reduxit. Mãsit itaque tunc, Cæsare subiiciente, sub potestate Romanorum Hispania vsque ad tempora Honorii Imperatoris. Cuius tempore Vandali & Alani ad Hispaniam venerunt, & eam magna ex parte occupauerunt, ac Sueui Galleciam. Sed paulo post Vandali in Aphricam transierunt, & quidam alii Barbari quorum nomina non habentur, Hispaniam intrarunt. Et sic huiuscemodi inundationibus diuersarum gentium & rituum, magnis temporibus Hispania afflicta fuit, partim Romanis, partim Vandalis, Alanis, Hugnis, & Sueuis illam sibi iuxta potentiam suam tyrannice occupantibus, donec exercitus nobilis militiæ Gothorum illis expulsis ad illam habiturus deuenit. Quorum Reges ex ipsa habitatione & incolatu Hispani effecti in ea regnarunt, & regnant, non iam Gothorum, sed Hispanorum sub diuersis titulis Reges vocati.

Tiberius Sempronius Hispanos sub ditionem Rom. reduxit.

Sergius Galba moritur

Numantia obsessio.

Hispania sub ditione Rom.

CAPVT V.

ET quia de his sub arboris figura particulariter dicendum assumpsimus, aliqua ex illis quæ intra Hispaniã gesserunt, suis cõgruis locis dicturi, de origine eorũ, & his quę ante

An. Dom.

Origo Gothorū unde.

Amazones fœmina pugnacissima.

Inter aues rapaces fœmina audaciores.

Amazona.

Hispaniæ ingressum aliis in locis per eos gesta sunt, breuissime, vt aliena, non vt nostra, ad clariorem intellectum dicendorum breuissimo cursu transeamus. Origo autem Gotthorum, vt ex aliquibus historiis colligitur, ex insula Scanthia, seu Scythia fuit. Illam namque primo sunt adepti, cuius possessione non contenti, inde exeuntes propinquas Scythiæ insulas & terras peragrantes, vicinas gentes bellis lacessebant, quod antiquissimum est. Nā ante Herculem qui tempore Gedeonis iudicis Israhel fuisse dicitur, Gothi Reges habuisse dicuntur, quos nominant Beric, & Gadaric, & Philimer, & Zamolxem, & Tanausum, qui successiue in eis regnauerunt. Et post tempora Herculis & Telephi filii eius multos Reges Gothi habuisse feruntur, ac plurima bella tam versus Aquilonem, quam etiam Orientalem mūdi plagam gessisse. Tamq; in illis animositas bellandique desiderium erat, quod etiam fortitudinem & militare exercitium ex eorum origine ad fœminas dicitur pertransisse. Nam illæ pugnacissimę fœminę quas Amazonas vocarunt, ex genere eorum profluxisse narrantur, vt in hominibus qui animalia rationabilia sunt, illud quod in auib. rapacibus natura operante fieri videmus, in illis fæculis factum audiamus. Et sicut inter aues rapaces, seu de rapina viuentes, fœmellæ soleant esse audaciores: sic apud illos qui aliena rapere, & populos ex suis sedibus expellere continue insistebant, Amazonæ fœmellæ impetum etiam audaciorem habeant, licet ipsi Gothi masculi audacissimi fuerunt. Etenim Tomyris Amazona Regina Getarum, immo Gottharum, Cyrum Regem Persarū & Medorum, qui tantæ potentiæ fuit, vt regnum Chaldæorum Balthasare Rege occiso, & Babylone destructa extinxerit, & in regnum Persarum mutauerit, bellū gerens, illum deuicit, ac occisum capite mutilauit, quod in vtero pleno sanguine cōsanguineorū & nobilium de exercitu suo misit, dicens: Satia te sanguine quem sitisti: vt qui sanguinem aliorum crudeli cæde sæpissime fuderat, sanguine suo & suorum infœlix operiretur, vt illud euāgelicum verbum etiam illo tempore compleretur: Qui gladio occidit, gladio peribit. Sic & Samuel Propheta cum Galaath Regem gladio scinderet, dixit, Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic etiam erit sine liberis inter mulieres mater tua. Sæpe enim impii & crudeles crudeliter opprimuntur, & potentes, vt Sapiens ait, potenter tormenta patiuntur. Nam iuxta prouerbium vulgare, canis lupos occidens, plerunque à lupis occiditur. Tomyris vero adepta victoriam & maximam prædam, in partem Mysiæ quæ ab Amazonis Amazona dicitur, victrix abscessit, & mutato nomine minorem Scythiam appellauit, & ciuitatem Tamera suo nomine ædificauit. Et adhuc hodie successores earum fœminæ agentes militiam, strenuæ habentur in opere militari, & terra earum (vt Roderici historia refert) vulgariter Fœminea vocatur. Ego tamen licet, vt legi, describo, non tamen memini me vidisse aliquem qui militarem exercitum fœminarum segregatū vidisset, licet vna, vel alia militari exercitio dedita aliquando videatur, sicuti apud Francos pridie Poncella militabat.

CAPVT VI.

SED exercitum fœminarum dimittētes, ad viriles Gothorum cuneos redeamus. Post mortem autem Beric qui primus inter Gothos Rex nominatur, successit Gadaricus, qui fuit magnificus triumphator, & multos in Scythia quæ nunc Dacia dicitur, populos subiugauit. Post hunc filius eius Philimerus videns Philimerigorum terram vbertatis penuria laborare, dedit consilium, vt ab illis sedibus transmigraret, & cum diu altissimas sedes & congrua loca perquirerent, ad vlteriores Scythiæ terras venit, vbi regionum vbertatem & votiua gaudia admiratus, decreuit ibi, vt in propriis residere. Et cum terram explorans deambulasset, & pontem in vasto flumine reperisset, regionemq; vltra flumen illud placidam prospexisset, voluit regionis vltima peragrare, & parte exercitus iam transmissa, pontis structura corruit transeuntium pedibus conquassata: & sic nec transmissis licuit remeare, nec aliis transuadere. Is enim locus (vt fertur) paludibus tremulis cōcluditur, & ex vtraq; parte confusione imperuius inuenitur, & forsan pons ille ligneus erat, & pondere multitudinis ruit, ac citra remanentibus quia difficilis reparatio videbatur, reparare noluerunt, vel forte cum nullam aliam causam itineris continuandi haberent, nisi quia terras ad inhabitandum quærebant, circa flumen remanentes consederunt, grandi parte exercitus sui vltra prodeunte, satis sibi habitationis videbatur in terris citra flumen situatis mansisse. Pars vero Gothorum quæ cum Philimero citra remanserat optatū potita solum, ad gentem Spalorum aduenit, vbi conserto prælio victoriam sunt adepti. Exinde vt victores ad extremam partem Scythiæ quæ adiacet Ponto mari, cum triumpho venerunt, & Scythiam suis victoriis subiecerunt. Et quia ibi diutius resederunt, & regimen tenuerunt

tenuerunt, Scythæ, vt indigenæ, sunt vocati. Et licet Gothi ad gentes alias sæpius se vertissent, rectores tamen suos in Schytia dimittebant, penes quos gentis regimen consistebat. Hinc euenit, quod Iosephus Scythas, Isidorus Getas appellat. Vnde & illud in laudem eorum per quendam poetam dictum est: *An. Dom.*

Contemnunt mortem laudato vulnere Getæ.

Acsi diceret, tanta animositas Gothorum militiæ est, quod pro honore adipiscendo mortem contemptui habent, laudantes vulnera quæ pro Reipublicæ tuitione ac exaltatione in præliis viriliter recipiuntur. Nam mutata prima litera e in o, & vltima e in i, qui Getæ appellabantur, Gothi dicuntur. Hi septentrionalia iuga tentantes, Scythica regna montibus ardua possederunt, & pars illa adhuc Gothia appellatur. interpretatio autem nominis eorum in lingua nostra est fortitudo, & re vera nullius gentis strenuitas ita regnis & imperiis se obiecit, sicuti huius. In primo enim egressu à Scanthia gentem stolidam Vlmerrigorum & Vandalorum à suis sedibus eiecerunt, iuga Scythica subiecerunt, Vexorem Regem Ægypti prælio fugauerunt, Asiam subiugarunt, & eorum aliqui inibi remanserũt, ex quibus Parthi (vt dicitur) processerunt & partem Asiæ subiecerunt, Armeniam, Syriã, Ciliciam, Galatiam, Pisidiam, Ioniam, & Æoliam expugnauerunt. Telephus Rex Gothorum vicit Danaos, interemit Thersandrum, insecutus fuit Vlyssem. Darius Hystaspis filius, & Xerxes ab Anciro Rege Gothorum inferiores in prælio sunt inuenti. Hos Alexander vitandos docuit, Pyrrhus pertimuit, Cæsar exhorruit. At cum Pompeius pro arripiẽdo Reipublicæ principatu contra Iulium Cæsarem arma moueret, isti cæteris fortius dimicarunt, in Franciam irruerunt, Italiam vastauerunt, Romam ceperunt, Veronam ædificauerunt, nomen imponentes Verona, quasi ve Roma, in odium Romanorum. Gallias sunt aggressi, Hispanias sunt adepti, ibique apud Toletum sedem vitæ & imperii locauerunt, in habitaculis & tentoriis habitarunt. Terras vberes seminabant, nusquam munitiones vel domicilia fabricabant. Et licet terras, & ciuitates, & oppida subiugarent, semper bellis & vastationibus insistebant, non contenti dominio populorum, sed præliis omnia infestantes. Et licet in sui principio ferocitati dediti, vix humanæ rationis debitum attendebant, tamen postquam mores aliarum gentium viderunt & vrbes, humaniores effecti benignitatem & mansuetudinem induerunt, adeo quod & philosophis, ad quorum sapientiam humili studio peruenerunt, diu propriis ducibus se rexerunt, & postea regale fastigium adsciuerũt, quod & sacerdotio ornauerũt. Hos omnes Europæ populi tremuerunt, Alpium obices his cesserunt. Post exterminium Scythæ gens Vandaliæ, à Pannonia non tantum eorum præsentia fuit exterrita, quam opinione fugata, eorum impetu Alani sunt extincti, Sueui inter angustos Hispaniarum angulos eorum arma proprio periculo sunt experti, & regno quod seditiose tenuerant, turpiori dispendio caruerunt. Libertatẽ Gothi potius bello, quam pace seruauerunt, in bellandi necessitate vires precibus prætulerunt, & in armis spectabiles hastis & iaculis, arcubus & sagittis, ensibus ac clauis, tam equestri, quam pedestri prælio confligebant, & in armorum experientia solo naualis belli exercitio caruerunt, vsque ad tempora Sisebuti. Sub quo ad tantã gloriam peruenerunt, vt victoriarum insignia non solum in terris, sed in ipso mari publicarent. Fuerũt autem naturaliter magnanimi & audaces, ingenio faciles & subtiles, in proposito prouidi & constantes, gestu & habitu approbãdi, viribus præpollentes, statu ardui & proceri, duri vulneris, & manu prompti, corporis validi, membris apti, dispositione compositi. *Gothorum mores.*

CAPVT VII.

SED sic confuse generaliter scripsi, prout scriptum inueni, vt aliqualem notitiam Gothicæ gentis sub genere habeamus. Nam illorum temporum seriosa & specialis narratio certitudinaliter non habetur, quia Salomon inquit: Tempus cuncta obliuione operit: " nec ad gesta principaliter attinet, quid Gothi in remotis regionibus seculis antiquis gesserunt. Sed hoc addendum est, quod Gothi, qui cum Philimero Rege citra pontis fretum manserunt, multa strenuissima opera armorum agentes, sub multis Regibus ac ducibus suis per discursum temporis succedentibus contra plurimos Reges, gentes, & nationes dimicarunt, pluries victores, licet aliquando tamen raro fuissent deuicti. At cum ad hanc partem Europæ, quæ Italia, Alemania, & Gallia, & Hispania est, venissent, se iterum subdiuiserunt: & illi qui apud Italiam & circumadiacentes terras remanserunt, Ostrogothi vocati sunt, illi vero qui ad Hispanos accesserunt, Vesogothi sunt vocati, Ostrogothos, id est Orientales Gothos, Vesogothos, id est Occidentales, vocantes ex vulgari suo idiomate, vt arbitror, interpretatione recepta. Et quia Gothi qui in Italia remanserunt, Ostrogothi appellabantur, ideo Theodoricus de quo mentio fiet, Ostrogothorum Rex

An. Dom. appellatus est. Gothi vero qui Pyrenæos montes transeuntes, Vesogothi dicti sunt, procedente tempore Gothicum titulum exuentes, Hispanorum nomen induerunt, vt in dicendis exprimetur. At licet differentia nominũ esset, large tamẽ assumpto vocabulo omnes dicebantur Gothi, cum ab eadem origine descendissent. Origo autem, vt proxime dixi, ab Aquilonari parte fuit. Et si accurate attendere volumus, terram illam quam hodie Reges Daciæ tenent cum aliquibus adiacentibus, fuisse illam vnde Gothi principaliter exierunt, existimandum est. Sunt enim quatuor regna, Daciæ, Sueciæ, Noruegiæ, ac Gothiæ, siue Gothorum. A quibus terris, necnon aliquibus aliis quæ vltra illas intra illum sinum Aquilonis in magna latitudine sitæ à Barbaris hodie incoluntur, putandum est illam multitudinem armatæ militiæ copioso numero exiuisse. Nam Gothiam solam quæ parua terra est, incredibile esset, tot populos genuisse. Nec huic rei obstat, quod omnes nomẽ Gothicum assumpserunt, quia tam antiquis, quam modernis temporibus hoc fieri consueuit, à parua terrarum gleba gentes multas interdum nomen accipere, cum generaliter nominantur, licet in particulari suas nominum subdiuisiones accipiant, sicuti omnes quotquot sub amplitudine horum regnorũ morantur, Castellanos vocamus, licet Castella vna prouincia sit, & multæ aliæ propria nomina & designationes habentes sub hac monarchia spaciosis finibus sitæ consistant. Sic itaque fieri potuit, vt à terra Gothiæ licet non magna, omnes finitimæ gentes, quæ ad occupandas terras aliorum animositate vigenti exierunt, nomen acceperunt. At quia inter regna regis Daciæ, Gothia computatur, illa arma regia regibus qui in arbore sequenti depicti sunt, quandiu titulum Gothorum habuerunt, apponi feci, quæ reges Daciæ pro omnibus quatuor regnis adducunt. Titulo vero mutato, & Castellæ, & Legionis separatim, vel coniunctim assumpto, arma quæ procedente tempore assumpserunt, prope illos ponuntur. Nec tamen volo, vt quisquam putet eos qui in illis regionibus frigidissimis remanserunt, Hispanis præstare, quia ab illis descendũt, cum hoc in vetustis, & in recentibus sæculis crebro vsitatum sit, quod cum ex aliquibus terris insigniores & animosiores viri exeuntes, alias regiones virili animo expugnant, easq; perpetua habitatione incolunt, licet à terris vnde exierunt, denominationem & arma retineant, longe tamen eminentiores sunt illis qui in originis suæ terra quieti manserunt. Nam Alexander Magnus à Macedonia prouincia Græciæ exiens, nomen Macedonis retinuit. Sed quis non dicat illum totius esse dominum factum, ac illos qui post eum in regnis expugnatis regnarunt, illustriores fuisse illis qui intra Macedoniæ latebras resederunt? Sic & Pharamundus à Pannonia Vngariæ prouincia exiuit, sed eo in Francia manente, reges Francorum qui ab eo descenderunt, quis dubitat clariores Vngarorum Principibus esse? licet illi clari & excellentes existant. Sic & Hispaniæ reges, licet ab illis Getarum Principibus in suis protoparentibus descenderunt, tamen sceptra altiora & clariora acquirentes, manentibus intra illarum terrarum confinia eorumque successoribus nimium præstare, non incongruum est. Sic & apud nos in aliisque regionibus fit, vt nobiles & Barones ex montaneis domibus exeuntes, ac in aliis partibus terrarum dominia acquirentes, Duces, Comites, & Barones effecti, longe præstantiores habeantur illis qui in domibus quas solaria vocant, morantur: licet etiam ipsi cognomentum illarum domorum retineant. Quæ similia memor sum respondisse cuidam Prælato oratori regis Daciæ, qui audiens aliqua quæ in disputatione sedium cum Anglicis, de antiqua claritate & clara antiquitate Gothorum ad regis nostri eminentiam demonstrandam in medium adducebantur, se interserere voluit, & Regi Daciæ, qui Gothorum rex nuncupatur, sedem eminentem quærere. Nam etsi magnum & insignem illum Regem faterer, tamen maiores & insigniores illos fuisse qui à Gothia & circumuicinis regionibus exeuntes Italiam, & Galliam, ac etiam Hispaniam occuparunt, quis negare valeret? Et ex illis profluit is qui hodie Hispaniæ sceptra gubernat: licet à Gothia quasi quodam solario cognomentum magnis temporibus seruauerunt, & etiam hodie realiter tenent, licet titulorum nomina ex præliis & aliis insignibus gestis, quæ postea venerunt, sunt mutata. Hæc ad intelligentiam dicendorum præmisisse sufficiat, & iam quod mente concepimus, exequamur, & ex deuotis præcordiis omnipotentis Dei iterata deprecatione suffragio implorato, reges ipsos, prout temporum suorum ordo deposcit, huic arbori inseramus.

CAPVT VIII.

ATHANARICVS iuxta propositum huius arboris ponitur primus, qui gentis Gothorũ regium solium suscepit anno à natiuitate Domini trecẽtesimo quadragesimo tertio,
343. & regnauit annis tredecim. Nam licet dubitandum non est, quin Gothi ante istum plurimos

mos alios reges & Principes habuiſſent, tamen poſtquam fines terrarum ſuarum exeuntes, terras & regna aliorum tam per Italiam, quàm per Græciam & Hiſpaniam occupare decreuerunt, hic Athanaricus primus rex habetur. Ideo merito vt radix arboris proponitur. ab hoc enim tempore cum Gothis Hiſpani quandam communionem habemus, vt intra Hiſpaniæ hiſtoriam illos includere debeamus. Primo namque intra fines ſuos morantes, vel partes Orientales infeſtantes, ad annalia noſtra non pertinent, ſed tanquã exteri, vt cæteræ nationes ſunt reputandi. Huius Athanarici tempore Gothi ſub gentilitatis erroribus tenebantur, licet aliqui eorum catholicam fidem ſuſceperunt. Ideo Athanaricus gentili errori fauens, perſecutione crudeliſſima aduerſus fidem mota, contra Gothos qui in gente ſua cenſebantur, cædes incepit exercere, ex quibus plurimos qui nolebant idolis immolare, martyres fecit. Tunc Gudilla Epiſcopus legẽ eos docuit Chriſtianam, & in linguam eorum ſcripturas noui & veteris Teſtamenti tranſtulit. Gothi itaque qui hactenus idololatriæ ſuperſtitioni dediti, gentilibus ſacrificiis ſe vouebant, iam fide ſuſcepta eccleſias conſtruxerunt, & ſacerdotes Euangelicos, ſpeciales literas quas eis vna cum lege Gudilla eorum Epiſcopus tradiderat, habuerunt, quæ in antiquis Hiſpaniarum & Galliarum libris adhuc hodie apparent, quam literam aliqui Toletanam vocant, ſed communiter Gothicam dicimus. Legitur cum difficultate propter diſſuetudinem, quia ille modus ſcribendi deſiit, & alia forma literæ vtimur. In Italia tamen à paucis citra temporibus, vetuſtiſſimum modum ſcribendi cum diphthongis qui iam ab vſu omnium receſſerant, oratores in eloquentiæ libris, & etiam in epiſtolis familiaribus ſequi cœperunt, & quaſi à ſepulchro vetuſtæ antiquitatis ſepultam literam, vt alium Lazarum, ſuſcitare voluerunt. Hic autem Athanaricus a Theodoſio Imperatore inuitatus ad Conſtantinopolim acceſſit, vrbiſque illius ſitum, ſtationemque nauium, populoſque diuerſarum gentium quas in vno fonte ex diuerſis mundi partibus ſcaturire videns, Nunc denique, inquit, cerno quod incredulus audiebam: paucíſque menſibus interiectis obiit. Quem Imperator ſicut viuẽtẽ honorauerat, ſic mortuũ honorans dignæ tradidit ſepulturæ. Depingitur Athanaricus ſub cultu armorũ, quia fuit bellicoſus, ſtrenuus, & in armis exercitatus. Habet autẽ in ſcuto ſuo arma regia Gothorum, quæ continuantur vſq; ad Pelagii tempora. Depingitur etiam hic Gudilla Epiſcopus, quia Gothos legem Chriſtianam docuit. Concurrentia. Concurrerunt cum Athanarico & prope tempora eius, in ſede Apoſtolica Liberius primus natione Romanus annis quinque, & Felix ſecundus natione Romanus anno vno, & Damaſus primus natione Hiſpanus annis decem & octo: in ſolio vero Imperii Romani Valentinianus, qui imperauit cum fratre ſuo Valenti annis vndecim, & Valens cum Gratiano imperauit annis quatuor. Hoc tempore Sanctus Ambroſius Mediolanenſis Archiepiſcopus claruit.

CAPVT IX.

ALARICVS huius nominis primus poſt Athanaricum regni Gothorum culmen aſcẽdit, non tamẽ confeſtim, nec pacifice, ſed tempore intermedio, & etiam diſſenſione ciuili interuenientibus. defuncto nanque Athanarico anno Domini trecenteſimo quinquageſimo ſexto, attendentes Gothi Theodoſii Imperatoris Romani benignitatem Romano Imperio ſe dederunt, & fuerunt ſine rege viginti octo annis, quibus expletis cœpit regnare Alaricus anno Domini trecenteſimo octogeſimo quarto, regni Hiſpaniæ anno quadrageſimo primo, & regnauit annis viginti & ſeptem. Hic Romam expugnauit, ſed ad eccleſias confugientibus nullam offenſam intulit. Huius expugnationis cauſa Auguſtinus librum de ciuitate Dei compoſuit, vt in prologo eius patet. Obiit autem Alaricus apud Conſentiam quam ipſe deſtruxerat, morte ſubita, quem ſui nimia dilectione lugẽtes, flumine quodam à ſuo alueo in aliam partem deriuato, in medio aluei collecto captiuorum agmine locum effodiunt ſepulturæ. In cuius fontis gremio Alaricus cum multis copiis ſepelitur, & loco confeſtim obtecto rurſus flumen proprio curſui reddiderunt, & vt neſciretur locus ſepulturæ eius ab aliquo, omnes foſſores captiuos qui interfuerãt, extinxerũt. Tanta ſuperbia elati, vt quod Deus immortalis in ſepultura Moyſi ſerui ſui propter cauſas ſuæ infinitæ ſapientiæ notas obſeruare decreuit, ſecretam illam ſine alicuius periculo eſſe volens, iſti timidi & inflati in ſui temporalis regis tumulo cum cæde innocentum ſeruorũ imitari quomodo voluerunt. Depingitur autem Alaricus cum vexillo alto, enſeque nudo in manu eleuata contra cuiuſdam imaginem vrbis, propter euerſionem quam fecit in vrbem Romanam, quæ præcipua inter omnes vrbes mundi fuit & eſt. Concurrentia. Concurrerunt tempore illo quo Gothi ſine rege erant, quod durauit viginti octo annis, & poſt

Margin notes (right margin, at the line each stands beside):
- An. Dom. — beside the first line of the page ("mos alios reges … exeun-")
- 356 — beside "ciuili interuenientibus. defuncto nanque Athanarico anno Domini trecenteſimo quin-"
- 384 — beside "regnare Alaricus anno Domini trecenteſimo octogeſimo quarto, regni Hiſpaniæ anno"
- Effigies Alarici. — beside "imitari quomodo voluerunt. Depingitur autem Alaricus cum vexillo alto, enſeque nudo"

cum Alarico, & prope tempora eius, in ſede Apoſtolica Quiricus primus natione Romanus annis vndecim, Anaſtaſius natione Romanus annis tribus, & Innocentius primus natione Albanenſis annis quindecim: in ſolio vero Imperii Romani Gratianus cum fratre ſuo Valentiniano, & Theodoſio patre annis ſex. Per idem tempus Chriſtianorum templa iubente Theodoſio deſtructa reficiuntur. Et hic Theodoſius poſtquam cum Gratiano imperauerat annis ſex, imperauit cum Valentiniano aliis vndecim. Hic deſtruxit templa Deorum. Et Arcadius in Oriente, & Honorius in Occidente imperauerunt annis tredecim.

CAPVT X.

411. ATHAVLPHVS conſanguineus Alarici, & ei forma, menteq; conſimilis poſt Alaricum in regni faſtigio ſublimatur anno Domini quadringenteſimo vndecimo, regni vero Hiſpaniæ anno ſexageſimo octauo, & regnauit annis ſex, & apud Barcinonam fuit inter familiares fabulas iugulatus, & depingitur ſub armato cultu, quia armis ſe dederat, in terrã tamen proſtratus & mortuus, quia fuit occiſus. Concurrentia. Concurrerunt cum Athaulpho, & prope tempora eius, in ſede Apoſtolica Sozimus natione Græcus annis duobus, & Bonifacius natione Romanus annis tribus: in ſolio vero Imperii Romani Honorius cum Theodoſio iuniore Arcadii fratris ſui filio imperauit annis quindecim.

CAPVT. XI.

417. SIGERICVS Athaulpho defuncto rex à Gothis præficitur, anno Domini quadringẽteſimo decimo ſeptimo, regni vero Hiſpaniæ anno ſeptuageſimo quarto, & regnauit anno vno. Depingitur in veſte pacifica abſq; cultu armorum, quia bella non geſſit. Fuit autem tanta breuitas temporis regni eius, vt concurrentiam Pontificum Romanorum & Imperatorum non capiat.

CAPVT. XII.

418. VALIA ſucceſſit in regno poſt Sigericum anno Domini quadringenteſimo decimo octauo, regni Hiſpaniæ anno ſeptuageſimo quinto, & regnauit tribus annis. Hic ad Hiſpanias per Conſtantium Patritium euocatus Romani nominis cauſa Barbaris intulit magnas cædes, Vandalos Silinguos in Bætica bello proſtrauit, deuictiſque Vandalis Vndericus rex Vandalorum, qui in Gallecia reſederat, in Africam transfretauit. Poſt hæc apud Toloſam Valia longa valetudine reprimente rebus exceſſit humanis. Depingitur ſub cultu armorum, quia bella plurima geſſit. Concurrentia. Concurrerunt cum Valia, & prope tempora eius, in ſede Apoſtolica Celeſtinus primus natione Romanus annis octo: in ſolio vero Imperii Romani imperabat præfatus Honorius. Anno vero ſecundo huius Valiæ primus omnium ex Francis rex aſſumptus eſt in regem gentis Francorum, coronamq; regni ſibi impoſuit Pharamundus Marcomiri Ducis filius, cœpitq; regnare Imperii Honorii anno nono, à natiuitate vero Domini quadringenteſimo decimo nono, vel viceſimo. Regnauit autem in Germania ſuper Francos annis vndecim.

CAPVT XIII.

421. THEVDOREDVS poſt Valiæ obitum ſucceſſit in regno anno Domini quadringenteſimo viceſimo primo, regni Hiſpanorum ſexageſimo octauo, & regnauit annis tribus. Hic cum Athila rege Hugnorum in campis Cathalanicis magnum præliũ habuit, in quo Theudoredus eſt interfectus, & Athila rex victus. Hoc autem prælium fuit de famoſioribus præliis mundi. Depingitur Theudoredus ſub cultu armorũ in campo mortuus, quia in prælio fuit occiſus. Concurrentia. Concurrerunt cum Theudoredo rege, & prope tẽpora eius, in ſede Apoſtolica Sixtus tertius natione Romanus annis octo, & Leo primus natione Tuſcus annis viginti quatuor: in ſolio vero Imperii Romani Theodoſius iunior cum Valentiniano conſobrino ſuo, imperauit annis viginti ſeptem. Anno autem decimo regni Theudoredi obiit Pharamundus primus rex Francorum, & ſucceſſit ei Clodius filius eius, & regnauit annis viginti. iſte fuit ſecundus rex Francorum, ſed triceſimo anno regni Theudoredi obiit hic Clodius rex Francorum, & ſucceſſit ei Meroueus filius eius, qui regnauit annis duodecim. iſte fuit tertius rex Francorum.

CAPVT XIIII.

THVRISMVNDVS filius Theudoredi patre mortuo in campis Cathalanicis, vbi pugnauerat, & victor extiterat, ad maieſtatem regiam ſubleuatur, anno Domini quadrin-
452. gen-

An. Dom.

gentesimo quinquagesimo secundo, regni Hispaniæ nonagesimo primo, regnauit anno vno, & à suo cliente fratrum consilio interfectus est. Sed ante mortem vna manu paruo ganipulo quem tenebat, sui sanguinis vltor fuit, & de insidiantibus aliquos interfecit. Depingitur Thurismundus in veste pacifica vulneratus, quia licet bellicosus extiterat, in domo tamen pacifice sedens à proditore fuit occisus, cuius regni temporis breuitas concurrentiam Pontificum Romanorum & Imperatorum non capit.

Imago Thurismundi.

Capvt XV.

THeodoricvs huius nominis primus, Thurismundi germanus, post mortem fratrũ regni solium ascendit, anno Domini quadringentesimo quinquagesimo quarto, Hispaniæ vero regni nonagesimo secundo, & regnauit annis tredecim. 454. Hic in principio sui regni iniuit prælium contra Rheciarium regem Sueuorum qui in Gallecia regnabat, in quo Rheciarius rex interfectus est. Paululum vero postea cum ad Gallias redisset, à fratre suo Enrico occisus est. Ideo depingitur Theodoricus occisus, quia fraterno occubuit gladio. Concurrentia. Concurrerunt cum Theodorico, & prope tempora eius, in sede Apostolica Hilarius natione Sardus annis sex: in solio vero Imperii Romani Martianus & Valentinianus imperauerunt annis septem. Sub istis martyrizatur vndecim millia virginum. Anno octauo præfati Theodorici obiit Meroueus rex Francorum, & successit ei Childericus filius eius, & regnauit annis viginti duobus, & iste fuit quartus rex Francorum.

Capvt XVI.

ENricvs post necem fratris successit in regno anno Domini quadringentesimo sexagesimo septimo, 467. regni Hispaniæ anno centesimo quinto, & regnauit annis decem & septem. Hic Enricus apud Arelatum conuocatis magnatibus & proceribus, attento quod Gothi leges in scripto non habebant, sed moribus absq; scriptura quasi per quoddam arbitrium regebantur, sicut apud Græcos Lacedæmonii legibus sine scripto regebantur: ideo leges ad scripturam reduxit, vnde & hic inter cæteros legislatores merito computari potest. Et vbi Isidorus in quinto Etymologiarum narrat Phoroneum primo Græcis leges tradidisse, Mercurium Trimegistum Ægyptiis, Solonem Atheniensibus, Lycurgum Lacedæmoniis, Numam Pompilium Romanis, congrue hic Enricus potest computari, qui primus leges tradidit Gothis, vt inter illos, qui leges humanas primi in scriptis tradiderũt, hic noster interferatur: vt de lege diuina taceamus, quæ excellentior absq; aliqua proportione superior omnibus est. Obiit autem Enricus Arelati, & morte naturali vitam finiuit. Depingitur in veste pacifica, quia in pace & quiete mortuus est. Concurrentia. Concurrerunt cum Enrico, & prope tempora eius, in sede Apostolica Simplicius natione Tiburtinus annis quindecim: in solio vero Imperii Romani Leo primus imperauit annis decem & septem.

Enricus primus Gothorum Legislator obiit. Effigies eiusdẽ.

Capvt XVII.

ALaricvs huius nominis secundus, Enrici filius, patre defuncto ad Gothorum regimen apud Tolosam sublimatur, anno Domini quadringentesimo octogesimo quinto, 485. regni Hispaniæ centesimo vicesimo secundo, & regnauit annis viginti tribus, aduersus quem Fludiguinus Francorum Princeps Galliæ Gothicæ regnum affectans Burgundionibus sibi auxiliantibus bellum mouit, fusisq; Gothorum copiis ipsum postremo regem apud Pictauium prælio interfecit. Ideo depingitur armatus, & occisus, quia in prælio vulneratus occubuit. Concurrentia. Concurrerunt cum Alarico, & prope tempora eius, in sede Apostolica Felix tertius natione Romanus annis octo, & Gelasius natione Africus annis tribus, & Anastasius natione Romanus annis tribus, & Symmachus natione Sardus annis quindecim: in solio vero Imperii Romani Zeno imperauit annis decem & septem. Anno vndecimo huius regni Alarici obiit Childericus rex Francorum, & successit illi Clodoueus eius filius, qui regnauit annis triginta, sed tamen quindecim annis Paganus fuit, aliis quindecim Christianus. Iste fuit quintus rex Francorum, & primus ex regibus Franciæ fidem catholicam suscepit.

Felix III. Gelasius, Anastasius Symmachus Papæ. Zeno Imp. Clodoueus primus ex Franciæ regib. fidem suscepit catholicam.

Capvt XVIII.

GIselaricvs filius Enrici regis ex concubina, Alarico fratre defuncto qui filium Amalaricum nomine, quem ex Amalasenta vxore sua filia Theodorici regis Ostrogothorum in Italia regnantis genuerat, & infantem quinque annorũ reliquerat, ad regnum

An. Dom. Gothorum tyrannide aſſumptus eſt, anno Domini quingenteſimo octauo, regni Hiſpa-
508. niæ centeſimo quadrageſimo quinto, & regnauit annis quatuor, & à quodam duce Regis Theodorici Oſtrogothorum in prælio campeſtri apud Barcinonam victus fugit, & Africam transfretauit: & nunquam rediit, & extunc in antea Rex reputatus non eſt. Depingitur Giſelaricus in veſte pacifica, enſe extra manum erepto, quia armis depoſitis fugitiuus euaſit. Concurrentia. Concurrerunt cum Geſalarico, & prope tempora eius, in ſede Apoſtolica, Hormiſda natione Campanus annis nouem: in ſolio vero Imperii Romani Anaſtaſius imperauit annis viginti & ſex.

Effigies Giſelarici.

Capvt XIX.

512. Rex Oſtrogothorum Theudoricus huius nominis ſecūdus, annis maternis Amalarici Gothorum regnum aſſumpſit, anno Domini quingenteſimo duodecimo, regni Hiſpanię centeſimo quadrageſimo nono, & regnauit annis duodecim, menſibus ſeptem. Hic cum audiſſet Giſelaricum ſua timiditate ac cordis puſillanimitate fugatum, & per diuerſas orbis prouincias vanum incedere, & regimen Gothorum ad Amalaricum nepotem ſuum pertinere, maturo conſilio habito potentem exercitum congregauit, & in Hiſpaniam veniens cum eſſet nobiliſſimus, magnificus, & virtuoſus, libenter ab omnibus in Regem aſſumptus eſt, quamdiu Alarici nepotis ſui pueritia duraret. Ea namque mēte regnum aſſumpſit, vt nepoti cum vir ætatis perfectæ factus eſſet, confeſtim regnum dimitteret, quod & fecit. Ei namq; adoleſcenti facto regnum dimiſit, & ab Hiſpania in Italiam ſe reduxit, vbi obiit morte ſubita. Depingitur ſenex in veſte longa, quia in pace obiit grādæuus ætate, & magnæ auctoritatis quo ad alia, licet in fide erroneus fuit, ſequens hęreſin Arianam, & catholicos perſequens. Et quia nedum in Hiſpania, ſed etiam in Italia regnabat, habet in quarta parte ſcuti aquilam, ad denotandum quod regni Italiæ aliquam partē habuit. Concurrentia. Concurrerunt cum Theodorico, & prope tempora eius, in ſede Apoſtolica Ioannes primus natione Tuſcus annis duobus: in ſolio vero Imperii Romani Iuſtinus primus imperauit annis ſeptem. Anno tertio huius regni Theodorici obiit Clodoueus Rex Francorum, & ſucceſſit ei Clotarius filius eius, qui regnauit annis quinquaginta. Iſte fuit ſextus Rex Francorum.

Capvt XX.

524. Amalaricvs Alarici filius, & nepos Theodorici ex filia, poſt Theodoricum in regni ſolio collocatur, anno Domini quingenteſimo viceſimo quarto, regni Hiſpaniæ cēteſimo ſexageſimo primo, & regnauit annis quinque, menſibus octo, & à Chiliberto Rege Francorum in quodam prælio occiſus eſt. Depingitur autem armatus occiſus, quia in prælio interfectus. Concurrentia. Concurrerunt cum Amalarico, & prope tempora eius, in ſede Apoſtolica Felix quartus natione Sabinus annis quatuor, & Bonifacius ſecundus natione Romanus annis quatuor, Agapitus natione Romanus annis vndecim: in ſolio vero Imperii Romani Iuſtinianus primus imperauit annis triginta & octo.

Capvt XXI.

532. Post mortem Amalarici Theudius in regno aſſumitur anno Domini quingenteſimo triceſimo ſecundo, regni Hiſpaniæ anno centeſimo ſexageſimo ſeptimo, & regnauit annis decem & ſeptem, menſibus quinque. Aſſumptio autem eius ſic fuiſſe dicitur, Amalaſenta mater Amalarici timens ſextus fragilitatem, cū ſperneretur à Gothis, hunc Theudium conſobrinum ſuum, olim filii ſui tutorem ob conſanguinitatis gratiam à Tuſcia acceſſiuit, vbi priuate degebat, & tunc in Regem cum fauore Principum eleuauit. Qui licet eſſet hæreticus, pacem tamen conceſſit, vt licentiam catholicis Epiſcopis daret, in vnum apud Toletum, quæ tunc vrbs Regia habebatur, conuenire, & quæcunque ad diſciplinā eccleſiæ pertinēt, libere ordinare. Hic Theudius immemor beneficii ab Amalaſenta Regina recepti, poſt aliquos dies eam fecit in balneo ſtrāgulari: & quia ipſa ſe & filium Iuſtiniano catholico Orientis Principi commendatat, qui cum audiſſet facinus, condoluit interfectæ, & miſit Beliſarium ducem & patritium, vt in Theudium vindicaret. Sed ipſo intercepto negotiis Romanorum, ante aduentum eius fuit Theudius interfectus in hunc modum. Cum quadam die in palatio cum ſuis proceribus loqueretur, quidam hiſtrio quem vulgari nomine Aluardanum vocamus, fingēs ſe inſanum, vulnerauit eum, ex quo vulnere Rex proſtratus vi gladii indignantem animam exhalauit. Fertur autem in emiſſione ſanguinis coniuraſſe, ne quiſquam interficeret percuſſorem, dicens ſe congruam meriti viciſſitudinem recepiſſe, quia ipſe priuatus occiderat Amalaſentam Reginam dominam

minam suam. Depingitur Theudius occisus,& quasi percussus claua, quia ab histrione seu Albardano percussus interiit. Concurrentia. Concurrerunt cum Theudio,& prope tempora eius, in sede Apostolica Ioannes secundus annis duobus, & Siluerius natione Campanus ex patre Ormizeda Episcopo Romano anno vno, & Vigilius natione Romanus annis decem & octo: in solio vero Imperii Romani imperabat prædictus Iustinianus primus. Huius Iustiniani tempore Respublica Romana multum est prosperata tam in Oriente, quam in Occidente. His temporibus apud montem Casinum post solitariam, & arctam vitam in cœnobio monastico sanctus Benedictus degebat. *An. Dom.*

CAPVT XXII.

THEVDISELVS dux exercitus, interempto Theudio, à Gothis in Regem præficitur, anno Domini quingentesimo quadragesimo, regni Hispaniæ anno centesimo sexagesimo octauo, & regnauit anno vno, mensibus tribus. qui dum plurimorum potentium connubia prostitutione publica macularet,& necem pluribus procuraret, magnates Gothorum attendentes grandem maculam, ac plurima opprobria ex hoc posse venire Gothicæ nobilitati, necnon ingentia pericula (nam si sub tam scelerato & turpi principe prælia intrassent, vinci & perire timebant, quia nonnunquam propter peccata ducum exercitus militares sunt cum magna strage prostrati) deliberauerunt eum capere & occidere, quod opere compleuerūt. Nam cum quadam die apud Hispalim in prandio esset, ingressi sunt omnes qui illius coniurationis & tractatus fuerant participes, & ceperunt eum: aliqui vero ex illis quorum vxores adulterio maculauerat,& consanguineos occiderat, tam lethaliter vulnerauerunt eum, quod mortuus est. Depingitur cum in mensa prandet, occisus. Cuius breuitas temporis tanta fuit, quod concurrentiam Pontificum & Imperatorum non capit. 540.

CAPVT XXIII.

AGILA, extincto Theudiselo, in regnum subleuatur, anno Domini quingentesimo quadragesimo primo, regni Hispaniæ anno centesimo sexagesimo nono,& regnauit annis quinque. Iste aduersus Cordubam mouit bellum, & in contemptum religionis catholicæ sepulturam beatissimi Acisceli & Victoriæ martyrum hostium & iumentorum præsentia profanauit, & inito certamine contra ciues, pœnas dignas sanctis inferentibus, prout meruit, est expertus. Nam & in illo conflictu filius eius interfectus est,& thesaurum suum & partem exercitus amisit, & post aliquod tempus apud Emeritam à suis occisus est. Depingitur autem Agila pugione in corpore fixo, quia sic occisus est. Concurrentia. Concurrerunt cum Agila,& prope tempora eius, in sede Apostolica Pelagius primus natione Romanus annis quatuor: in solio vero Imperii Romani imperabat idem Iustinianus primus. Hoc tempore Armeni fidem Christianam receperunt. 541. *Armeni Christianā fidē suscipiunt.*

CAPVT XXIIII.

ATHANAGILDVS post mortem Agilę per tyrannidem efficitur successor in regno, anno Domini quingentesimo quinquagesimo quinto, regni Hispaniæ centesimo septuagesimo quarto,& regnauit annis quatuordecim. Hic cum iamdudum Agilam regno priuare conaretur, auxilia militum ab Imperatore Iustiniano poposcit, sed submouere Agilā à regno non potuit, donec à suis fuit apud Emeritam interfectus. Decessit autē Athanagildus Toleti morte propria, & vacauit regnum mensibus quinque. His diebus Theodomirus Rex Sueuorum, & Sueui qui in Gallecia morabantur, ab hæresi Ariana qua infecti erant, ad fidem catholicam sunt conuersi, prædicante quodam sanctæ vitæ Episcopo, nomine Martino, per cuius saluberrimam doctrinam & honestā vitam ecclesiæ Galleciæ magnum decorem & honorem receperunt. Sanctus quoque Æmilianus Abbas hoc tempore in Hispania claruit. Depingitur Athanagildus in veste pacifica, quia bella non dicitur gessisse,& ex propria ægritudine obiit. Depinguntur etiam in latere capita illius Martini Episcopi qui in Gallecia prædicabat,& sancti Æmiliani. Concurrentia. Cōcurrerunt cum Athanagildo, & prope tempora eius, in sede Apostolica Iohannes tertius natione Romanus annis septem: in solio vero Imperii Romani Iustinus secundus imperauit annis vndecim. Anno decimo huius Athanagildi, obiit Clotarius Rex Francorum, & successit Chilpericus filius eius, qui regnauit annis viginti tribus. Iste fuit septimus Rex Francorum. 555. *Athanagildus Toleti obiit.*

Capvt XXV.

An. Dom. 569. Lviba primus, Gothus, in regno præficitur anno Domini quingentesimo sexagesimo nono, regni Hispaniæ centesimo octogesimo octauo, regnauit annis tribus, qui secundo anno postquam adeptus est principatum, Leouigildum fratrem suum non solum successorem, sed & participem regni fecit, & Hispaniæ prouisorem, ipse vero Galliæ regno fuit contentus. obiit autem Luiba Narbonæ morte communi. Depingitur in veste pacifica quia non fuit bellicosus. Concurrentia. Concurrerunt cum Luiba, & prope tempora eius, in sede Apostolica Benedictus quintus natione Romanus annis quatuor: in folio vero Imperii Romani Tiberius secundus imperauit annis septem.

Luiba non bellicosus.

Capvt XXVI.

572. Leovigildvs, defuncto Luiba fratre eius, Hispaniæ & Galliæ adeptus est principatum, anno Domini quingentesimo septuagesimo secundo, regni Hispaniæ centesimo octogesimo nono, quia vnus annus solum Luibæ computatur, & regnauit annis decem & octo. Hic Leouigildus habuit vxorem Theodosiam filiam Seueriani, qui erat Dux prouinciæ Carthaginensis, filius Regis Theodorici, qui Seuerianus ex vxore nomine Theodora quæ ex genere Regum descendebat, genuit inclytos filios & filias: inter hos quidem Leandrum, Isidorum, qui fuerunt Archiepiscopi Hispalenses, vnus post alium, & Fulgentium Astygitanum Episcopum, & duas filias Florentiam virginem Abbatissam, & Theodosiam Reginam, quam diximus vxorem Leouigildi, ex qua Leouigildus genuit duos filios, Hemergildum qui fuit martyr, & Recaredum qui fuit Rex, vt statim dicetur. Hic Leouigildus bellis regnum desiderans ampliare, opes instituit congregare, & studio eius exercitum concordante fauore victoriarũ, & animositate præclarus multos populos subiugauit. Cãtabriam namq; iste obtinuit, & destruxit Baregiam, iste cepit Sabandriam, & cesserunt ei plurimi rebelles Hispaniæ ciuitates, fudit quoque diuerso prælio militẽ aduersantem, & quædam castra quæ occupauerant, eis abstulit dimicando. Hemergildum deinde filium obsessum Hispali dolo cepit, & quia nefandis ritibus Arianę perfidiæ noluit consentire, tormentis variis cruciauit. Demum securi percussum parricida ipsius dignum Deo martyrem consecrauit. Postremo bellum Sueuis intulit, regnumque eorum in ius Gothorum bello celeri commutauit, & magna ex parte Hispaniam ampliauit. Nam antea gens Gothorum angustis finibus arctabatur, non tantum totam Hispaniam, sed aliquas partes eius tenebat. Hoc tempore regnum Sueuorum destructum est. Nam Leouigildus in Gallecia pugnans contra Andecam Regem Sueuorum, illum deuicit, & extunc in antea regnum Sueuorum, quod centum & septuaginta & septem annis durauerat, extinctũ est, & Gothorum regno applicatum, vt deinceps sub Gothico nomine censeretur, & Sueuicum nomen cessaret. Hic Romanos milites apud Legionem bello extinxit, vrbemque cepit, & ex suo nomine Legionem vocauit. Obiit autem Leouigildus morte propria Toleti, & depingitur in veste pacifica ac longa, quia leges cõdidit, quarum promulgatio, auctoritatem & maturitatem desiderat, sed habet ensem nudum sub manu, quia bellicosus fuerat. Depingitur etiam in margine prope eũ Seuerianus Dux Carthaginẽsis, & Theodora vxor eius, & Leander & Isidorus Hispalenses Archiepiscopi, ac Fulgentius Episcopus Tingitanus, illius siquidem ciuitatis quam hodie Tanger vocant. Hi fuerunt probissimi pontifices, filii Seueriani & Theodoræ. Nec non depingitur Florentia Abbatissa, & Theodosia Regina vxor Leouigildi, filiæ præfatorum Seueriani & Theodoræ, ac post eos Recaredus filius Leouigildi, qui postea fuit Rex, & ibi integre est depictus, & Hemergildus habens securim in capite fixam, quia à patre Leouigildo securi percussus martyrium consummauit. Concurrentia. Concurrerunt cum Leouigildo prope tempora eius, in sede Apostolica Pelagius secundus annis decem, & Gregorius primus natione Romanus, insignis sanctus & doctor ecclesiæ, annis quatuordecim: in solio vero Imperii Romani Mauricius imperauit annis viginti. Anno quintodecimo regni Leouigildi obiit Chilpericus Rex Francorum, & successit ei Clotarius filius eius, qui regnauit annis quadraginta tribus. iste fuit octauus Rex Francorum.

Regnũ Sueuorum destructũ.

Capvt XXVII.

590. Recaredvs post mortem Leouigildi patris eius successit in regno anno Domini quingentesimo nonagesimo, regni Hispaniæ ducentesimo sexto, & regnauit annis quindecim. Hic fuit cultu prędítus religionis, & paternis morib. longe dissimilis. Nam ille religiosus & bello promptus: hic fide pius & pace præclarus. Ille armorum exercitio gentis

gentis imperium dilatauit: hic glorioſus eandem gentem trophæo fidei ſublimauit. In ipſis regni enim ſui exordiis per Leandrum & Fulgētium auunculos ſuos: (erāt enim fratres Theodoſiæ reginæ ſuæ matris) in fide catholica inſtitutus, totius Gothicę gētis populos, Ariani erroris labe deterſa, ad cultum rectæ fidei reuocauit. Synodum deinde Epiſcoporum ſexaginta quatuor ad condemnationem Arianæ hæreſis de diuerſis Hiſpaniæ & Gallię prouinciis, in vrbe regia Toleto cogregauit, & eidem concilio religioſiſſimus princeps deuotus aduenit, geſtaque concilio ſubſcriptione firmauit, Pontificibus & palatii primorib. clero & militia approbantibus, abdicās cum populo vniuerſo perfidiam quam hucuſque Gothorum populus didicerat ex dogmate Ariano, & prædicans trium perſonarum vnitatem, vnum Deum, Filium à Patre conſubſtantialiter genitum, Spiritum ſanctum inſeparabiliter à Patre & Filio procedentem, & eſſe amborum vnum Spiritum, vnde & vnū ſunt. Egit etiam glorioſe bellū aduerſus infeſtas gentes fidei auxilio ſubleuatus. Francos enim cum quadraginta fere millibus armatorum in Galliam Gothicam irruentes, miſſo aduerſus eos Claudio duce, glorioſo triumpho repulit & proſtrauit. Nulla vnquam in Hiſpaniis Gothorum victoria maior, vel ſimilis inuenitur. proſtratis enim & captis plurimis millibus hoſtium, reſidua pars exercitus Gothis ſequentibus vſque ad limina regni ſui cæſa fuit. Sæpe etiam contra inſolentiam Romanorū, & irruptiones Vaſconū plurima bella geſſit. Toleti fine pacifica migrauit ad Chriſtum. Depingitur Recaredus ſedens in veſte pacifica, magnæ autoritatis propter excellentiam ſuam, quia fuit vnus de melioribus Regibus Hiſpaniæ, & habet crucem in manu propter expulſionem hęreſis Arianæ, quam fecit. ab eius tempore vſque in præſens nulla alia apud Hiſpanos publice hæreſis reperta eſt. Habet etiam enſem nudum in alia manu, quia bella fœliciter tam per ſe, quam per ſuos duces & exercitus egit. ſic enim decet Principes catholicos, fidem nedum monitis, ſed etiam enſe tueri. Concurrentia. Concurrerunt enim cum Recaredo, & prope tempora eius, in ſede Apoſtolica Sauinianus natione Tuſcus anno vno, & Bonifacius tertius natione Romanus menſibus ſeptem, & Bonifacius quartus de ciuitate Valentiæ annis ſex: in ſolio vero Imperii Romani Phocas imperauit annis octo. Hic conceſſit beato Bonifacio quarto Pontifici Romano templum quod Pantheon dicebatur, vt cōſecraretur in honorem beatæ Mariæ & omnium ſanctorum, vt latius continetur in legenda illius feſti, quod celebratur Calendis Nouembris.

An. Dom. — *Bonifacius IV. Papa.* — *Phocas Imp.*

Capvt XXVIII.

Lviba huius nominis ſecundus, Recaredi filius, nomen aſſumpſit, anno Domini ſexcēteſimo quinto, regni Hiſpaniæ ducēteſimo viceſimo primo, & regnauit annis duobus, menſibus quinque, de ignobili quidem matre progenitus, ſed virtute indolis inſignitus, quem in primo flore adoleſcentiæ Vitericus ſumpta tyrannide innocuū deiecit, præciſaque dextera occidit anno ætatis ſuæ ſexto decimo. Depingitur Luiba in ætate adoleſcentiæ gladio in pectore fixo, quia adoleſcens interfectus eſt, cuius breuitas temporis tāta fuit, quod concurrentiam Romanorum Pontificum & Imperatorum non capit. Hoc tempore prælia grandiſſima aduerſus Regem Perſarum exorta ſunt, quibus Romani fortiter debellarunt plurimas prouincias, & Hieroſolymam dimiſerunt. 605.

Capvt XXIX.

Vitericvs extincto Luiba per tyrannidem regnum aſſumpſit anno Domini ſexcenteſimo ſeptimo, regni Hiſpaniæ ducenteſimo viceſimo tertio, & regnauit annis ſeptem, ſtrenuus quippe in armis & tamen victorię expers. Nam cum aduerſus Romanos bellum tentaſſet, ſemper inglorius eſt inuentus, niſi quod quoſdam milites captos duxit Saguntiam. Hic in vita ſua multa illicita fecit, in morte gladio periit, quia gladio innocentem Luibam occiderat, vt illius innocentis ſanguis non maneret inultus, & vt iuxta veritatis verbum, gladio occidens gladio periret. inter epulas enim prandii, cōiuratione quorundam qui Luibæ conſanguinei eſſe dicuntur excita, interfectus eſt. Corpus autem viliter exportatum, vilius eſt humatum. Depingitur Vitericus cum enſe in capite percuſſus, & occiſus, quia gladio interiit. Concurrentia. Concurrerunt cum Viterico, & prope tempora eius, in ſede Apoſtolica Deuſdedit natione Romanus annis tribus: in ſolio vero Imperii Romani Heraclius cum Conſtantio filio ſuo imperauit annis triginta vno. Hoc tempore Machometus nefandus pſeudopropheta Agarenorum nequitiam ſectæ ſuæ ſtultis populis prædicauit. Tertio anno Imperii huius Heraclii Choſroës Perſarum Rex multam partem Reipublicæ Romanæ cepit, deuaſtauitque Hieroſolymam, & venerabilia loca incendit, populorum captiuans copias vna cum Patriarcha Zacharia, & 607.

Deuſdedit Papa. — *Heraclius cum Conſtātio filio Imp.* — *Machometus.*

An.Dom. preciosum lignum sanctæ Crucis in Persidem duxit. His temporibus floruit sanctus Galius in Alemania sancti Columbani discipulus.

CAPVT XXX.

614 GVNDAMIRVS post interitum Viterici cœpit regnare anno Domini sexcentesimo quartodecimo, regni Hispaniæ ducentesimo tricesimo, & regnauit annis duob. Hic Vascones vna expeditione vastauit, alia militem Romanum obsedit. Hic statuit, vt nullus ad ecclesiam confugiens inde inuitus extraheretur. quod non quasi quid nouum accipiendum est, sed corroboratiuum priuilegiorum quę Romani Pontifices & Imperatores alii Principes ecclesiæ Dei concesserunt. Propria morte Toleti decessit. Depingitur in veste pacifica cum ense in manu propter bella quæ gessit. Concurrentia. Concurrerunt cum Gundamiro, & prope tempora eius, in sede Apostolica Honorius primus natione Campanus annis duodecim: in solio vero Imperii Romani imperabat idem Heraclius. Hoc tempore Chostroes Persarum Rex interemptus est per Heraclium, & tunc populus à captiuitate liberatus, & cum sancta Cruce reuocatus. Hic Heraclius deuicta Perside cum gloria rediẽs, Patriarcham Zachariam & omnem populum Christianum captiuum Hierosolymam reduxit, & sanctam Crucem quam à Chosroë receperat, portans, ornatus regio schemate dum per portam, per quam Christus baiulans Crucem ad passionem exiuit, vellet intrare, porta diuinitus clauditur, & humiliato illo ad intrandum aperitur, & Cruce reportata celebritatem exaltationis ipsius instituit fieri annuatim: & fit hoc festũ quartadecima die Septembris.

Festum exaltationis Crucis institutum.

CAPVT XXXI.

616 SISEBVTVS post Gundamirum ad regale fastigium reuocatur, anno Domini sexcentesimo decimo sexto, regni Hispanię ducentesimo tricesimo secundo, & regnauit annis nouẽ, mensib. sex. Hic Christianissimus per historiatores vocatur. Zelo autem fidei accensus in initio regni sui Iudæos ad fidem Christianam permouens, æmulationẽ quidẽ habuit, sed non secundum scientiam. potestate enim compulit, quos prouocari oportuit fidei ratione. Attendens tamen, quod sicut Paulus dicit, siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuncietur, in hoc gaudeo, & gaudebo, fecit baptizari omnes Iudæos in regno suo. Hic Sissebutus per Hispaniam vrbes Romanas sibi subiecit. Hoc tempore venerabilem Helladium Toletanum sedis metropolitanæ, sanctitatis præconio præfulgentem, ecclesia veneratur. Isidorum quoque Hispalensem metropolitanum tunc temporis Hispania celebrabat, vt sanctissimum doctorem, egregium, & præclarum, qui anno septimo præfati principis Sisebuti contra Acephalorum hæresin apud Hispalim in sacrario sanctæ Hierusalem concilium celebrauit. Hic Sisebutus de Romanis personaliter bis fœliciter triumphauit, & quasdam eorum vrbes pugnando subiecit, & classe nauigans aliquas gentes iuxta fretum morantes bello constrauit, quas gens Gothorum post in suam redegit facile ditionem. Tantæ clementiæ extitit erga victos, quos hostilis potentia mancipauerat seruituti, vt dato precio restitueret libertati, eiusque thesaurus redemptio existeret captiuorum. Hunc alii proprio morbo, alii immoderato medicaminis haustu, alii veneno asserunt decessisse, cuius exitus nõ solum religiosis, sed etiam optimis laicis extitit luctuosus. Depingitur Sisebutus armatus, & cum ense nudo, & brachio eleuato propter bella quæ gessit, scuto vero rubeo, & cruce alba propter zelũ fidei quem habuit. sic enim depinguntur Reges ac milites Hispanorum, qui inuocantes sanctum Iacobum infideles expugnant. Concurrentia. Concurrerunt cum Sisebuto, & prope tempora eius, in sede Apostolica Seuerinus natione Romanus anno vno, & Iohannes tertius natione Dalmatius anno vno: in solio vero Imperii Romani imperabat idẽ Heraclius. Hoc tempore Machometus Princeps Sarracenorum moritur, post quem Obier principatur.

Pictura vel effigies Regum ac militũ Hispanorum.

Machometus moritur.

CAPVT XXXII.

625 RECAREDVS huius nominis secundus, Sisebuti filius, post patris obitum Rex effectus anno Domini sexcẽtesimo vigesimo quinto, regni Hispaniæ ducẽtesimo trigesimo tertio, septem mensibus duntaxat regnauit, cuius vitæ breuitas nihil habuit memoria dignum. Depingitur autem puer, & in veste puerili, quia puer obiit.

CAPVT XXXIII.

626 SVINTILA huius nominis primus, filius Recaredi primi Regis gloriosissimi, Rex efficitur anno Domini sexcẽtesimo vigesimo sexto, Regni Hispanię ducẽtesimo trigesimo

ſimo quarto, & regnauit annis decem. iſte ſub Rege Siſebuto ducis nactus officium, caſtra domuit Romanorum, Rucones etiam ſuperauit. Poſtquam vero regni apicẽ eſt adeptus, vrbes reſiduas quas in Hiſpaniis manus occupauerat Romanorum, confecto prælio obtinuit, & ſubiecit, tantaque triumphi gloria præ cæteris Regibus claruit, vt fœlicitatem mirabiliter reportare videretur. Totius autem Hiſpaniæ monarchiam intra fretum Oceani, quod nulli retro principum eſt collatum excluſis Romanis, primus obtinuit inter Gothos. Auxit eo prælio virtutis ſuæ titulum duorum patriciorum obtentus, quorum alterum prudentia ſuum fecit, alterum virtute prælii ſubiugauit. Toleti propria morte deceſſit. Huius filius Rachimirus in conſortio regni aſſumptus pari cum patre ſolio corregnauit, in cuius infantia ita ſacræ indolis ſplendor enituit, vt in eo & vultus & mentis paternarũ virtutũ effigies appareret. Iſto fere cum patre mortuo ſuperſtites remanſerũt alii duo filii, Suintila & Siſenãdus, quos ſuſceperat ex Theodora filia Principis Siſebuti. Hoc tempore beatus Iſidorus Gothorum hiſtoriæ deſcriptor, egregiuſque doctor, Hiſpalenſis Archiepiſcopus migrauit ad Chriſtum anno quarto prædicti Principis, ſecundo nonas Aprilis. Depingitur Suintila armatus, quia bella plurima fœliciter geſſit, & habet prope ſe adoleſcentem filium Rachimirum, quia illum ſe viuẽte corregnare fecit. Concurrentia. Concurrerunt cum Suintila, & prope tempora eius in ſede Apoſtolica Theodorus primus natione Græcus annis ſex: in ſolio vero imperii Romani Conſtantinus tertius cum Adriano fratre ſuo imperauit annis viginti ſex. Anno octauo regni Suintilæ obiit Clotarius Rex Frãcorum, & ſucceſſit ei Dagibertus filius eius, qui regnauit annis decem & ſex. iſte fuit nonus Rex Francorum.

An. Dom.

Iſidorus Hiſtoriographus moritur.

Capvt XXXIIII.

Sisenandvs Suintilæ filius cœpit regnare anno Domini ſexcenteſimo trigeſimo quinto, regni Hiſpaniæ ducenteſimo quadrageſimo ſecundo, & regnauit annis quinque, menſibus vndecim. Iſte per tyrannidem in regni Gothorum ſolio collocatur, cum Suintilæ fratri ſuo primogenito deberetur. Propria morte Toleti obiit. Depingitur Siſenandus in veſte pacifica, quia nõ legitur bella geſſiſſe, ſed leges condidit, quæ in foro illo, quem librum Iudicum vocant, continentur. Concurrentia. Concurrerũt cum Siſenãdo, & prope tempora eius, in ſede Apoſtolica Martinus primus natus de ciuitate Tiburtina annis ſex: in ſolio vero Imperii Romani imperabat idẽ Conſtantinus tertius. Sub hoc magna pars Romanæ reipublicæ à Sarracenis deſtructa eſt. 635.

Capvt XXXV.

Svintila huius nominis ſecundus Gothis præficitur anno Domini ſexcenteſimo quadrageſimo, regni Hiſpaniæ ducenteſimo quadrageſimo nono, & regnauit annis quatuor. Hoc tempore duo concilia apud Toletum fuerunt celebrata ſub Beato Eugenio vrbis regiæ metropolitanæ primate, ſubſcribentibus Salua Narbonenſi, & Honorato Hiſpalenſi, & Protaſio Tarraconenſi, & eorum ſuffraganeis, & vicariis abſentium Epiſcoporum. Depingitur autem Suintila in veſte pacifica, quia pacem habuit, & in margine caput ſancti Eugenii Archiepiſcopi Toletani, quia famoſus Pontifex fuit, & ſub eo cõcilia aliqua celebrata fuerunt. Concurrentia. Concurrerunt cum Suintila, & prope tempora eius, in ſede Apoſtolica Eugenius primus natione Romanus annis duobus: in ſolio vero Imperii Romani imperabat idem Conſtantinus tertius. 640.

Eugenius I. Papa. Conſtãtinus III. Imp.

Capvt XXXVI.

Tvlgas bonæ indolis ex radice regia Gothorum, regnum aſſumpſit anno Domini ſexcenteſimo quadrageſimo quinto, regni Hiſpaniæ CCLIII. & regnauit annis duob. Iſte blandus & catholicus eſt inuentus, regna ſibi ſubdita pacifice dilatauit, in iudicio rectus iudex, claruit largitate, præfuit lenitate, ſynodos à ſuis prædeceſſoribus confirmatas autoritate ſimili confirmauit. doluit autem gens Gothorum tam cito tam bonæ indolis iuuenẽ amiſiſſe, cunctis flentibus, quia flos tantæ indolis in fructum non adoleuit. Toleti propria morte deceſſit. Etenim nonnunquam accidit, vt optimi Reges tollantur de medio propter demerita ſubditorum. Depingitur iuuenis, & in veſte pacifica, quia iuuenis obiit, & bella non geſſit. Concurrentia. Concurrerunt cum Tulga, & prope tempora eius, in ſede Apoſtolica Vitilianus natione Campanus annis quatuordecim: in ſolio vero Imperii Romani imperabat idem Conſtantinus tertius. 645.

Tulgæ elogium.

Vitilianus Papa. Conſtãtinus III. Imp.

An. Dom.

CAPVT XXXVII.

CINDASVINDVS post Tulgam regno Gothorum per tyrannidem inuaso cœpit regnare
647. anno Domini sexcentesimo quadragesimo septimo, regni Hispaniæ ducentesimo quinquagesimo quinto, & regnauit annis decem. Huius tempore in Toletana vrbe duo concilia sunt celebrata. Obiit propria morte Toleti. Depingitur in veste pacifica, quia bella gessisse nõ legitur. Concurrentia. Concurrerunt cum Cindasuindo, & prope tempora eius, in sede Apostolica Deodatus natione Romanus annis quatuor: in solio vero Imperii Romani Constantinus quartus imperauit annis decem & octo. Huius tempore Sarraceni Siciliam inuadunt, & cum spoliis multis recedunt. Istius tempore sexta synodus celebratur Constantinopoli contra Græcorum Patriarcham, cui interfuerunt ducenti & octo Episcopi. Anno secũdo huius regni Cindasuindi obiit Dagibertus Rex Frãcorum & successit ei Clodoueus secũdus filius eius, qui regnauit annis decem & septem. iste fuit decimus Rex Francorum.

CAPVT XXXVIII.

RECENSVINDVS filius Cindasuindi post mortem patris successit in regno anno Do-
657. mini sexcentesimo quinquagesimo septimo, regni Hispaniæ ducentesimo sexagesimo quinto, & regnauit annis decẽ & octo, mensibus vndecim. Hic tria concilia clarente Eugenio vrbis regiæ metropolitano Toleti instituit celebrari. Huius Recensuindi Principis anno nono suscepit sanctus Illefonsus Pontificatum ecclesiæ Toletanæ. Fuit autem beatus Illefonsus de genere nobili, discipulus Sancti Isidori, monachus professione, vir per omnia laudabilis, & præcipuus sanctitate, demum Pontifex Toletanus. Et cum hoc tempore Heluidius & Pelagius à Gallis venientes plærasque partes Hispaniæ errore infecissent, virginitatem beatæ virginis infamantes: beatus Illefonsus illis occurrens sacrarũ literarum testimoniis, & lingua melliflua, & gratia in labiis suis diffusa eorũ dogmata confutauit, & ab Hispaniis confusos abegit. vnde etiam in festo gloriosæ virginis quod in Hispaniis quintodecimo Kalẽdas Ianuarii celebratur, cum ipse ad matutinale officiũ comitatus clero, & populo, & multis luminaribus ad ecclesiam conuenisset, apparuit ei beata virgo choris Apostolorum, martyrum, ac virginum comitata, & sic ait: Quia fide certa & conscientia pura lumbos tuos virginitatis cingulo accinxisti, & gratia in labiis tuis diffusa virginitatis meæ gloriam in cordibus fidelium depinxisti, accipe vestem de thesauris filii mei, vt iam in hac vita vestimento gloriæ adorneris, & ea in meis & filii mei solẽnitatibus vestiaris. Et his dictis cum glorioso cœtu quo apparuerat, ad gloriam filii remeauit. Beatus autem Illefonsus de promissis securus suscepto munere lætus remansit. Hac autem veste nullus post eum vti præsumpsit, nisi Desibertus Archiepiscopus, qui culpa sua ab illa sede propulsus fuit exilio relegatus. Sedit autem nouem annis & duobus mẽsibus in cathedra Toletana, & expleto decimo octauo anno Recensuindi principis, decimo Kalendas Februarii vitã finiuit Toleti, & in eccesia beatæ Leocadiæ ad pedes beati Eugenii prædecessoris ac auunculi sui cum magna reuerentia est sepultus. Obiit autem Recensuindus
Recensuindus obiit. morte propria Toleti relicto filio Theudofredo, quem Vitiza postea excęcauit. Et depingitur in veste pacifica, quia pacem habuit. Depinguntur etiam in margine sanctus Illefonsus, quia illo tempore claruit, & Theudofredus filius Recensuindi, qui excæcatus fuit, & duo filii Theudofredi, Costa & Rodericus nepotes Recensuindi, vt genealogia clarius cognoscatur, de quibus suis locis congruentibus dicetur. Concurrentia. Concurrerunt cum Recensuindo, & prope tempora eius, in sede Apostolica Donus natione Romanus annis tribus. in solio vero Imperii Romani imperabat idem Constantinus quartus. Anno nono regni Recensuindi obiit Clodoueus Rex Francorum, & successit ei Theodoricus filius eius, qui regnauit annis decem & nouem. Iste fuit vndecimus Rex Francorum.

CAPVT XXXIX.

VIR nobilis Bamba de Gothorum genere procreatus, strenuus, pacificus, mansuetus, qui ante regni fastigium multorũ celebrationibus celebris habebatur, defuncto Recensuindo ad regni solium vnanimiter subleuatur anno Domini sexcentesimo septua-
676. gesimo sexto, regni Hispaniæ ducẽtesimo octogesimo quarto, & regnauit annis nouem, mense vno. In principio regni eius Paulus Græcus vnus de magnatibus eius contra eum rebellauit, quem Bamba cum magno exercitu apud Nemausum obsedit, & per vim obtinuit ciuitatem, atq; muros eius destruxit, & captum Paulum vinculis ad Toletum reduxit vbi triũphaliter Bamba est receptus præcedentibus Paulo & complicibus suis decaluatis capitibus,

capitibus,& barbis rasis,pedibusque nudatis. Ibant autem induti saccis, & camelis impo- *An. Dom.*
siti,Paulus vero corona picea coronatus, vbi carceribus mancipati manserunt. Rex vero
ciuitatem miris operibus insigniuit.Quarto autem regni sui anno concilium Toleti cele-
brauit sub Quirico primate, cuius tempore ducentæ & septuaginta naues Arabum ad lit- *Concilium Toletanum sub Quirico primate.*
tus Hispaniæ peruenerunt, sed misso per regem exercitu concremantur. Ac cum huma-
na prosperitas aduersantibus carere non soleat, & extrema gaudii luctus occupet, Rex
Bamba qui cum insigni triumpho coronatus extiterat, postremo per Fringidium conso-
brinum Cindasuindi regis veneno potui mixto inficitur, qua potione memoria regis tur-
batur. Quod Quiricus pontifex Toletanus & optimates palatii cernentes, & causam pe-
nitus ignorantes, ne rex catholicus sacramentis fidei fraudaretur, statim confessionis &
pœnitentiæ antidotum obtulerunt: quod religiosus rex deuote suscipiens, religionis ha-
bitum postulauit, & ad monasterium conuolans quod in villa quæ Pampliga dicitur, in
districtu Burgensi, in quadã ecclesia extra muros subdita monasterio Sancti Petri de Ar-
lanca tunc situm erat, finiuit vitam. Vixit autem in regno annis nouem, & in monasterio
annis septẽ. Depingitur Bamba armatus, sed coopertus cucullo monachali, quia gloriose
bellum contra Paulum & fautores regnans gessit, sed in fine monachus effectus ab hac
luce subtractus est. Concurrentia. Concurrerunt cum Bamba, & prope tempora eius,
in sede Apostolica Agatho natione Siculus annis duobus, & Leo secundus natione Syrus
mensibus decem: in solio vero Imperii Romani imperabat idem Constantinus quartus.

CAPVT XL.

HERMIGIVS eo quod esset Recensuindi sobrinus, successit in regno tyrannice, & non
de iure. reliquerat enim Recensuindus filium paruulum Theodofredum, cui succes-
sio regni debebatur. Cœpit autem regnare Hermigius anno Domini sexcentesimo octo- *685.*
gesimo quinto, regni Hispaniæ ducentesimo nonagesimo tertio, & regnauit annis septẽ.
Hic Cisilonem filiam suam magno viro Egicæ, Bambæ Principis consobrino dedit vxo-
rem, propter Recensuindi filium Theufredum, ne regni eius primordia impediret. Huius
tempore fames valida Hispaniam pro parte depopulauit. Hoc tempore tria concilia in *Tria concilia.*
Toletana vrbe sunt celebrata sub Iuliano primate. Hic Iulianus Archiepiscopus dictus
Pomerius, ex genere Iudæorum, vt flores rosarum inter vepres spinarũ productus, omni-
bus mundi partibus in doctrina Christi manet præclarus. Non enim perfidia maiorum
suorum, qui fidem catholicam pertinaciter recipere noluerunt, sed fidelis Abrahæ qui
credidit Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, vestigia secutus, rebellium & incredulo-
rum Iudæorum pertinaciam abhorrens, vt verus Israelita in quo dolus non est, Christia-
næ veritatis cultor & prædicator fuit, & inter multos claros Pontifices, qui Toleti fuerũt, *Encomiũ Hermigii.*
vnus hic de clarioribus fulsit. Depingitur Hermigius in veste pacifica, quia bella non le-
gitur gessisse, sed plura concilia celebrari fecisse. Depingitur quoque in margine Iulianus
Pomerius Archipontifex, quia famosus vita & scientia fuit: non tamen ponitur ei Aureo-
la, quia non legimus eum in catalogo sanctorum collocatum, licet sanctus communiter
reputatur. Concurrentia. Concurrunt cum Hermigio, & prope tempora eius, in sede
Apostolica Benedictus secundus natione Romanus mensibus decem: in solio vero impe-
rii Romani Iustinianus secundus imperauit annis decem.

CAPVT XLI.

EGICA gener & successor Hermigii post mortem eius ad regni Gotthorum assumitur
principatum anno Domini sexcentesimo nonagesimo secundo, regni Hispaniæ tre- *692.*
centesimo, regnauit annis decem, & cum filio annis tribus: sed isti tres anni patri, non fi-
lio computantur, & ita in vniuerso regnauit annis tredecim, & confestim vt habuit re-
gnum, filiam Hermigii quam in vxorem acceperat, ob crimen Hermigii patris sui, quod
in venenatione Bambæ regis commiserat, à se abiecit. communi morte dicitur obiisse.
Depingitur Egica in pacifica veste, quia bella non gessit. Concurrentia. Concurrerunt *Sergius I. Leo III. Pap.*
cum Egica, & prope tempora eius, in sede Apostolica Sergius primus natione Syrus annis *Leo II. & Tiberius III. Impp.*
tredecim, & Leo tertius annis duobus: in solio vero Imperii Romani Leo secundus annis
tribus, & Tiberius tertius annis septem. Anno sexto Egicæ obiit Theodoricus rex *Theod. Francorum regi vita functo succedit Childebertus II.*
Francorum, & successit Childebertus secundus, filius eius, qui
regnauit annis duodecim. iste fuit duodecimus
rex Francorum.

An. Dom.

CAPVT XLII.

702. VITIZA filius Egicæ post patris mortem successit in regno anno Domini septingentesimo secundo, regni Hispaniæ trecentesimo decimo, & regnauit annis nouem. Iste luxuriose vixit, & aliis luxuriandi causam dedit. In initio regni sui Theudofredum filium Recinsuindi regis apud Cordubam exilio relegauit, & oculos eius effodit. Qui Theodofredus rex ex vxore sua nomine Retilene de Regum genere procreata genuit Costam & Rodericum. Hic Vitiza voluit occidere Pelagium, cuius patrem apud Tudam fuste peremerat, sed ad Cantabriam fugiens euasit furiam persequentis, quia volebat Dominus liberationis asylum in Hispaniis conseruare. Vitiza autem sacrorum canonum inimicus, Oppæ fratri suo Archiepiscopo Hispalensi tradidit ecclesiam Toletanam, eiusdem vrbis viuente pontifice Sinderedo, vt sicut ipse carnali, ita & frater spirituali adulterio fœdaretur, & vt iniquitatem iniquitati adiiceret, violatis priuilegiis ecclesiarum reuocauit Iudæos, & maioris immunitatis priuilegiis, quam ecclesias, honorauit. Sed quia iusto iudicio Dei agitur, vt actores scelerum pœnas subeant vltionis, de manu Domini duplicia suscepit qui pro simplicibus satisfacere noluit. Igitur Rodericus filius Theudofredi, quem Vitiza, vt patrem, priuare oculis nisus fuit, fauore Romani senatus qui eum ob Recinsuindi gratiam diligebat, contra Vitizam decreuit publice rebellare, qui viribus præminens cepit eum, & quod patri suo fecerat, fecit ei, & regno expulso sibi regnum electione Gothorum & senatus auxilio vindicauit. Vitiza itaq; plenus abominationibus, vacuus regno, orbus oculis, propria morte Cordubæ, quo Theodofredum relegauerat, exul & rex vitam finiuit. Cumq; duos filios reliquisset Sisibertum & Ebam, nullus successit in regno, eo quod essent propter patris insolentias omnibus odiosi. Depingitur Vitiza absque oculis, & cum compedibus ferreis, quia cæcus & incarceratus vitam exuit. Concurrentia. Concurrerunt cum Vitiza, & prope tempora eius, in sede Apostolica Iohannes sextus natione Græcus anno vno, & Iohannes septimus similiter natione Græcus annis tribus: in solio vero Imperii Romani Iustinus secundus qui primo imperauerat, & expulsus fuerat, recuperauit imperium annis sex.

CAPVT XLIII.

711. COSTA Theodofredi filius regnum Gothorum assumpsit anno Domini septingentesimo vndecimo, regni Hispaniæ trecetesimo decimo nono, & dicitur regnasse quinque annis, & septem mensibus, quod tamen temporum computatio non recepit: quia secundum tempora, quibus alii reges regnarunt, tot anni ei attribui non possunt. Sed licet quanto tempore regnauit, certitudinaliter nesciatur, hoc tamen testantur historiæ vulgari sermone conscriptæ, quod Vitiza ex abundantia malitiæ suæ voluit eum excæcare, sicut Theodofredum patrem suum excæcauerat. Sed Costa viriliter existens, fretus auxilio Senatus & populi Romani, qui intuitu amicitiæ quam cum Recinsuindo rege auo suo habuerant, fauorem ei præstiterunt & auxilium, rebellauit patenter contra Vitizam, & indixit ei bellum, & venerunt ad prælium campestre, in quo Vitiza fuit victus & captus, cui Costa præcepit effodi oculos, sicut ipse fecerat Theodofredo patri suo, & sic vita & regno priuatum ac cæcum misit Cordubam in exilium, vbi infœliciter vitam finiuit. „Sæpe namque iustitiæ diuinæ ineffabilis statera in hoc sæculo male meritos digne punit, vt prauitatis suæ exuberantia petente exuberantes pœnas recipiant, & in hac vita temporalibus suppliciis afflicti ad æterna supplicia in futuro sæculo transeant puniendi. Merebantur enim Vitizæ exsecranda flagitia, vt hic & ibi acriter puniretur. Hic Costa relictis duobus filiis paruulis morte propria obiit. De regno huius historicus Rodericus mentionem non facit, sed post Vitizam immediate inseruit Rodericum, posui tamen illum, vt vtrique historiæ satisfacerem. Depingitur Costa in veste pacifica, quia in pace obiisse dicitur.

CAPVT XLIV.

RODERICVS vltimus rex Gothorum, qui etiam viuente Vitiza corregnare cœperat, hortante & adiuuante Senatu rex Gothorum efficitur. Cœpit autem regnare anno secundo regni Vitizæ, qui fuit annus Domini septingentesimus nonus, & regnauit annis
711. duobus cum Vitiza, & vno per se. Ideo dicendus est cœpisse regnare anno Domini septingentesimo vndecimo, regni Hispaniæ tricentesimo decimo nono, & regnasse per vnum annum, vt alii duo anni Vitizæ computentur, quod vtique intelligendum est secundum illos qui nullam mentionem faciunt de Costa rege. Nam iuxta opinionem illorum qui dicunt Costam regnasse immediate post Vitizam, hoc non obtineret, quia quinque anni addi

ni addi deberet. Sed nos licet interseruimus Costam, vt satisfaceremus vni opinioni, prosequamur tamen secundum aliam quam historiator pontifex Rodericus sequitur, vt iuxta Rodericum historiatorem Roderici regis gesta narrentur. Erat autem Rodericus durus in bellis, & ad negotia expeditus, sed in moribus dissimilis Vitizæ. Nam & circa initiũ regni sui Vitizæ filios Sisibertum & Ebam opprobriis & iniuriis lacessitos à patria propulsauit, qui relicta patria ad Riciliam Comitem Tingitaniæ ob patris amicitiam transfretarunt. Hic Rodericus filiam Iuliani Comitis quæ in regali curia morabatur, violenter oppressit, Iuliano per eum legationis causa in Aphricam misso. Quo redeunte, stuprum filiæ intensissime doluit, & nauigio Septam veniens ibi vxorem cum rebus domesticis collocauit, & habita coniuratione secreta cum Arabibus in Hispaniam est reuersus, & ægrotantis matris dissidium simulans à rege filiam impetrauit iussione matris solatio destinandam, quam receptam restituit matri suæ, & extunc in antea cœpit ad destructionem Hispaniæ totis viribus properare, & se Arabibus qui Machometistæ erant, copulare. Et quia Arabes timebant in Hispaniam transire, voluerunt primo paulatim experiri. Et quidam Princeps nomine Muza præses Aphricæ constitutus ab Vlic Miramabolino, misit cum Comite Iuliano quendam Principem nomine Tarif cum aliquibus militibus & peditibus Aphricanis, qui transeuntes strictum maris venerunt Tarifam, & post hæc fecerunt insultum suum in Algeziram & alia loca maritima, & multis hominibus occisis, magnaq; præda habita redierũt in Aphricam, & cum eis Iulianus Comes. Qui referentes hoc Muzæ magnam confidentiam tribuerunt iterum in Hispaniam audacius transeundi. Muza vero vocatus ab Vlic Miramabolino iuit in Aphricam relicto in patriæ principatu Tarif, cui iniunxit, vt Iuliano Comiti auxilia largiretur, qui ei dedit duodecim millia bellatorũ, quos Iulianus separatim in Hispaniam duxit in nauibus mercatorum, ne causa transitus perciperetur, qui omnes conuenerunt in monte qui Atarif Gebel dicitur (Gebel enim Arabice, idem est quod mons) hodie autem corrupto vocabulo dicitur Gibraltar. Quod cum ad Roderici regis notitiam peruenisset, misit cõtra eos nepotem suum nomine Sancium, qui cum eis sæpius dimicans, sæpius fuit victus, & vltimo interfectus. Vnde & Arabes sumptis animis audaciam sumpserunt, Iuliano Comite eos per Bæticam, quæ hodie dicitur Andaluzia, & Lusitaniam quam vocamus Strematuram, deducente, cœperunt diruptiones & excidia exercere. Rex autem Rodericus audita strage suorum, & prouinciæ vastatione, Gothis omnibus congregatis ad aduentum Arabum se obiecit, & ad occursum strenue properauit. Cumque venissent ad flumen quod Guadaleth vocatur, prope Assidonam, quę nunc Xericium dicitur, ex alia parte sedit exercitus Aphricanus. Rex autem Rodericus cum corona aurea, & vestibus deauratis, à duobus mulis in lecto eburneo ferebatur, vt Gothorum regum dignitas exigebat, & per octo dies continuos à Dominica in Dominicam dimicarunt, ita quod de Tarif exercitu fere decem & sex millia ceciderunt. Sed Iuliano Comite & Gothis qui secum aderant, dure instantibus, franguntur acies Christianorũ, qui longa pace & abundãtia desides, imbelles, & ignaui certaminis sunt inuenti, & obicibus terga dantes die Dominica anno Domini septingentesimo quarto decimo, à Machometi vero errore principis anno nonagesimo secundo, rex Rodericus & Christianus exercitus deuincuntur, & fuga indocili perierunt. Duo autem filii Vitizæ, qui cum Iuliano Comite conspirauerunt, regi Roderico in hoc prælio astiterunt, & alter à dextris, & alter à sinistris, collaterales acies gubernabant, & dicuntur in præcedenti nocte cum Tarif consilium habuisse, vt ipsis à bello cessantibus Gothorum exercitus de facili vinceretur, & rex Rodericus cum esset magnanimus, antequam fugeret, permitteret se occidi, vt eo mortuo posset eis regnum peruenire (non enim credebant, quod possent, vel vellent Arabes patriam retinere) vnde in conflictu armis depositis quantocius effugerũt: & hoc ipsum Tarif promiserat, quod restitueret eis omnia quæ fuerãt patris sui, quod postea non impleuit. Alii tamen putant hos fuisse filios Costæ fratris Roderici, qui prætendebant ad se regnum pertinere. Sed siue Vitizæ, siue Costæ fuissent, constat eos infideliter se habuisse. Prælio itaq; infœliciter acto, quid regi Roderico aduenerit, ex certo nescitur, nisi quod corona, vestes, & insignia, & calciamenta auro & lapidibus adornata, & equus qui Orelia dicebatur, in loco tremulo iuxta flumen sine corpore sunt inuenta: quid autem de corpore fuerit factum, penitus ignoratur, nisi quod post multa tempora apud Viseum ciuitatem Portugaliæ inscriptus tumulus fuit inuentus: HIC IACET RODERICVS VLTIMVS REX GOTHORVM. Depingitur autem Rodericus sub luctuosa veste, vt qui superbe cum pomposis insignibus ad prælium processit, infœliciter victus sub nigra veste miserabiliter depingitur. Habuit enim magnam lamentandi causam: & cum eius tempore Hispani regni monarchia humiliata est, Gothorum nomen

An. Dom.

An. Dom.

Hispani Reges titulum Gothicũ relinquunt. Imaginum finis ac vsus.

apud Hispanos prorsus cessauit. Nam licet Hispaniæ reges à rege illo descenderant, titulum tamen Gothicum dimiserunt, aliis regiis titulis sunt insigniti. Depinguntur etiam in margine iuxta eum sceleratissimi proditores, Iulianus Comes, & Oppa Archiepiscopus: decet enim, vt sicut proborum virorum depinguntur imagines, vt ad memoriam nostram veniant laudandi, sic & sceleratorum, vt veniant exsecrandi, sicut & Iudas in cœna Domini solet depingi. Tarif quoque infidelis Machometista depingitur, qui cum eis venit in exercitum Hispanorum, vt à memoria nostra non cadat ab istis Machometistis terras nostras occupatas fuisse, vt cum eos debellamus, non existimemus, quod à terris suis illos expellimus, sed quod nostras, quas violenter occuparunt, recuperamus. Concurrentia. Concurrerunt cum Roderico, & prope tempora eius, in sede Apostolica Sosimus natione Romanus diebus viginti, & Constantinus natione Syrus annis septem, cum isto Constantino fuerunt in sede Apostolica nonaginta & duo Pontifices. In solio vero Imperii Romani Philippus secundus imperauit anno vno, mensibus sex.

CAPVT XLV.

PELAGIVS post cladem cœpit rebellare Agarenis, & principatum Hispaniæ inter Christianos obtinere. Sed quia hoc paulatim effectum est, clare non apparet in Chronicis, quo tempore regni titulum assumpsit, licet aliqui post biennium à clade in regem assumptum dicant. Ne tamen interruptione ponamus, congruenter dici potest, quod ex eo die quo Rodericus infœliciter regnum amisit, Pelagium nutu diuino in regno fœliciter subrogatum putemus, & illi illud biennium, licet in illo forsan regnum vacasset, attribuamus. Sic ergo regni eius tempora computando regnare illum cœpisse existimandum est, anno
712. Domini septingentesimo duodecimo, regni Hispaniæ trecentesimo vicesimo, & regnauit annis viginti. Hic de regio Gothorum genere descendens plurimas Agarenorum ciuitates cepit, & multa prælia contra Agarenos deuicit. De cætero autem alii reges nuncupati non fuerunt reges Gothorum, sed reges Legionis, vel Asturiarum. Hic Pelagius genuit duos filios, scilicet Fafilam, qui post mortem eius regnauit, & Ormiseldam reginam vxorem Alphonsi regis Catholici. Et quia in isto cœpit regnum Hispaniæ reparari, ideo ab eo incipit tertia computatio annorum, videlicet à reparatione regni. Obiit autem Pelagius morte communi, & depingitur armatus, in manu ensem nudum habens, quia multa prælia & vrbium obsidiones gloriose peregit. Habet in scuto leonem depictum rubeũ in campo albo, quæ sunt arma regum Legionis, quia ab eius tempore cessauit in Hispania intitulatio Gothorum & arma eorum, & successit intitulatio à regno Legionis, quod forte fuit, quia prima ciuitas quam ab Arabibus occupau[i]t, fuit Legio, & ex tunc in antea regia ciuitas reputata est. Continuantur autem hæc arma in regibus Legionis qui separatim in Legione regnauerunt: cõiunguntur vero per catella scuti cum armis Castellæ, quando regna mutata fuerunt. Depingitur etiã in margine regina vxor eius. Concurrentia. Concurrerunt cum Pelagio, & prope tempora eius, in sede Apostolica Gregorius secundus natione Syrus annis decem & sex: in solio vero Imperii Romani Anastasius secundus imperauit annis tribus. Hic Philippum Imperatorem captum oculis priuauit. Iste in omnibus malus fuit. Huius exercitus Theodosium elegit Imperatorem, qui Anastasio deuicto ordinauit ipsum in presbyterum. Post quem Theodosius imperauit anno vno. Secundo vero anno huius regni Pelagii obiit Childebertus rex Francorum, & successit ei Dagibertus secundus filius eius, qui regnauit annis quinque. Iste fuit tertiusdecimus rex Francorum. Post quem successit Theodoricus filius eius, qui regnauit annis quindecim, & iste fuit quartus decimus rex Francorum.

CAPVT XLVI.

732. FAFILA Pelagii filius cœpit regnare anno Domini septingentesimo tricesimo secundo, regni Hispaniæ trecentesimo tricesimo primo, & ab eius reparatione vicesimo, & regnauit annis duobus. Hic à quodam vrso cum venationi insisteret miserabiliter est interfectus. Ideo depingitur cum vrso pugnans, quia vrsi dentibus & brachiis depressus obiit. Concurrentia. Concurrerunt cum Fafila, & prope tempora eius, in sede Apostolica Gregorius tertius natione Romanus annis decem: in solio vero Imperii Romani Leo tertius imperauit annis viginti quinque. Huius tempore Sarraceni Constantinopolim venerunt, & tribus annis ciuitatem obsidentes abscesserunt, & inde multa bona abstulerunt.

Capvt XLVII.

An. Dom.

ALphonsvs huius nominis primus, cognominatus Catholicus, gener Pelagii, post mortem Fafilæ cœpit regnare anno Domini septingentesimo tricesimo quarto, re- 734.
gni Hispaniæ trecentesimo tricesimo tertio, & ab eius reparatione anno vicesimo secundo, & regnauit decem & nouem annis. Hic vir catholicus, & bellator, & magnanimus est inuentus. Ex vxore sua Ormiselda Pelagii genuit hos filios, Froilam & Aurelium, qui regnauerunt post eum gradatim, vt sequitur, & Egimadam quæ fuit vxor Silonis, qui propter eam regnauit, & Ilmaraum patrem Veremundi regis in arbore sua descripti, & Mauracatum ex concubina, qui etiam regnauit: sicque habuit duos filios legitimos, & vnum bastardum, & vnum generum, & duos nepotes Veremundum & Alphonsum Castum, vnum post alium in gradibus suis. Depingitur autem Alphonsus armatus, ensem nudum manu tenens, quia multa bella fœliciter peregit. Obiit autem Alphonsus morte communi. Depingitur autē in margine Ormiselda vxor eius, & Aurelius qui regnauit post Froilam primogenitum, & Ilmaraus qui non fuit rex, sed fuit pater Veremundi regis, & Egimada vxor Silonis, qui propter eam regnum habuit, & Veremundus, & Mauracatus, qui regnauerunt, & infra in rectitudine arboris integre sunt depicti. Concurrentia. Concurrerunt cum Alphonso, & prope tempora eius, in sede Apostolica Zacharias natione Græcus annis decem: in solio vero Imperii Romani Constantinus quintus imperauit annis quindecim. Anno octauo regni Alphonsi obiit Theodoricus rex Francorum, & successit ei Childericus frater eius, qui regnauit annis nouem.

Capvt XLVIII.

FRoila huius nominis primus post mortem patris cœpit regnare anno Domini se- 753.
ptingentesimo quinquagesimo tertio, regni Hispaniæ trecentesimo quinquagesimo secundo, & ab eius reparatione anno quadragesimo primo, & regnauit annis tredecim. Iste populauit Ouetum, & construxit ecclesiam cathedralem. Hoc tempore Homa Dux Cordubæ fines Galleciæ infestabat, & occurrens ei rex Froila prælium contra Agarenos habuit, & deuicit. In quo prælio quinquaginta quatuor millia Arabum ceciderunt. Postea vero apud Tangas oppidum Asturiarum à fratre suo Aurelio fuit interfectus, relinquens filium paruulum Alphonsum, qui fuit cognominatus Castus. Depingitur Froila cum ense in manu, quia Agarenos deuicit, & pugione in pectore, quia ab Aurelio fratre suo occisus est. Depingitur & in margine regina vxor eius, & Alphonsus Castus filius eius, qui postea loco suo integre depictus est. Concurrentia. Concurrerunt cum Froila, & prope tempora eius, in sede Apostolica Stephanus secundus natione Romanus annis sex: in solio vero Imperii Romani Constantinus sextus cum filio suo Leone imperauit annis quindecim. Anno secundo huius regni Froilæ Childericus rex Francorum depulsus est à regno Franciæ per Pipinum filium Caroli Martelli, qui in regem Francorum est assumptus autoritate Zachariæ Papæ, vt habetur libro Decretorum, & regnauit annis quindecim.

Capvt XLIX.

AVrelivs Alphonsi Catholici filius post interitum fratris cœpit regnare anno Do- 766.
mini septingentesimo sexagesimo sexto, regni Hispaniæ trecentesimo sexagesimo quinto, & ab eius reparatione quinquagesimo quarto, & regnauit annis sex, & morte propria vitam finiuit. Depingitur Aurelius versa facie, quia fratrem suum iniuste occidit, & quasi ex verecundia de tanto flagitio faciem non monstrans, vt alter Cain verecundans ob Abel occisum. Concurrentia. Concurrerunt cum Aurelio, & prope tempora eius, in sede Apostolica Paulus natione Romanus annis decem; in solio vero Imperii Romani Leo quartus imperauit annis sex.

Capvt L.

SIlo gener Catholici regis Alphonsi, post mortem Aurelii ex iure Egimadæ vxoris suæ regis Alphonsi filiæ, cœpit regnare anno Domini septingētesimo septuagesimo secundo, regni Hispaniæ trecentesimo septuagesimo primo, & ab eius reparatione sexagesimo, 772.
& regnauit annis octo. Cum Arabibus pacem firmauit, & Galleciam rebellantē in monte Ciperio superauit, & suo imperio subiugauit. Obiit autem Silo morte communi, & depingitur in veste pacifica, & ense in manu prope montes, quia suos rebellantes in montibus subiecit, licet cum hostibus bellum non habuerit. Depingitur etiam in margine regina vxor eius, quia propter eam habuit regnum. Concurrentia. Concurrerunt cum Si-

An. Dom. lone, & prope tempora eius, in sede Apostolica Constantinus secundus natione Romanus anno vno, & Stephanus tertius natione Syrus annis quatuor: in solio vero imperii Romani Constantinus imperauit annis decem.

CAPVT LI.

MAVRACATVS commemorati Alphonsi Catholici ex concubina filius, Silone de-
780. functo, per tyrannidem rex efficitur anno Domini septingentesimo octogesimo, regni Hispaniæ trecentesimo septuagesimo nono, & ab eius reparatione sexagesimo octauo, & regnauit annis tribus. Hic Mauracatus vt fauorem Arabum acquireret, contra Dei legem multa commisit. Puellas namque virgines tam nobiles, quam plebeias, sub certo numero quolibet anno Arabibus dabat. Iniquus & malus in omnibus est inuentus. Obiit morte communi. Depingitur Mauracatus in veste longa, & coopertus chlamyde iuxta morem Arabum, quia cum Arabibus turpem amicitiam fecit. Concurrentia. Concurrerunt cum Mauracato, & prope tempora eius, in sede Apostolica Adrianus primus annis quatuordecim: in solio vero Imperii Romani Nicephorus imperauit annis nouem.

CAPVT LII.

VEREMVNDVS huius nominis primus, filius Bilmarai, filii Alphonsi cognomento Ca-
783. tholici, Mauracato mortuo in regem eligitur anno Domini septingentesimo octogesimo tertio, regni Hispaniæ trecentesimo octogesimo primo, & ab eius reparatione septuagesimo primo, & regnauit annis duobus. Hic fuit magnanimus, & regnum sponte dimisit, recolens se olim ordinem diaconi suscepisse, & consobrinum suum Alphonsum, qui ad Nauarros confugerat, reuocauit, & in regno substituit successorem, & cum eo aliis quatuor annis & sex mensibus dulcissimam duxit vitam, & communi morte vitam finiuit cum vxore sua Imelone, quam à se propter conscientiam ordinis separauit, relictis ex ea duobus filiis paruulis, Ranimiro qui fuit rex, & Garsia. Depingitur Veremundus in veste longa & pacifica, quia bella non gessit. Depingitur etiam in margine regina vxor eius, & duo filii eorum, Ranimirus qui fuit rex, & Garsias qui cum Ranimiro fratre corregnauit. Concurrentia. Concurrerunt cum Veremundo, & prope tempora eius, in sede Apostolica Leo tertius natione Romanus annis viginti tribus: in solio vero Imperii Romani Michael imperauit annis duobus.

CAPVT LIII.

ALPHONSVS secundus cognominatus Castus, filius regis Froilæ, cœpit regnare anno
785. Domini septingentesimo octogesimo quinto, regni Hispaniæ octogesimo tertio, &
Alphonsi laudes egregiæ. ab eius reparatione septuagesimo tertio, & regnauit annis quadraginta vno. Hic fuit optimus rex, & ædificator ecclesiarum, & reædificauit Ecclesiam Ouetensem. Et quia desiderabat in ea ponere aliquam preciosissimam crucem, Deus voluit, vt miraculose per Angelum crux insignis fieret, quæ hodie ibi inter reliquias in magna veneratione habetur. Hic dicitur deuicisse Carolum Magnum regem Francorum, & Rolandum, & alios famosissimos milites vocatos Pares, in Nauarra apud Ronces valles, vbi Carolo ad Hispaniam venienti obuiam occurrebat. Hic Castus vocatus sine liberis decessit. Depingitur hic Alphonsus senex in veste longa & honesta, angelis sibi dantibus crucem quam fabricauerant. Concurrentia. Concurrerunt cum Alphonso, & prope tempora eius, in sede Apostolica Stephanus quartus natione Romanus sedit mensibus septem, & Paschasius natione Romanus annis septem, & Eugenius secundus natione Romanus annis tribus: in solio vero Imperii Romani Carolus Magnus rex Francorum electus fuit in Imperatorem Romanorum anno vno, regni huius Alfonsi vicesimo tertio. Et ex tunc cœperunt esse simul reges Francorum & Imperatores, quod durauit aliquo tempore.

CAPVT LIV.

RANIMIRVS huius nominis primus, filius regis Veremundi, cœpit regnare anno Do-
823. mini octingentesimo vicesimo tertio, regni Hispaniæ quadringentesimo vicesimo quarto, & ab eius reparatione centesimo decimo quarto, & regnauit annis sex, mensibus nouem. Hic cum Arabibus decertauit in illo celeberrimo prælio campestri quod apud Calagurram habitum est, in quo sanctus Iacobus apparuit, & deuicta immensa copia Arabū, vota emissa fuerunt de dando perpetuis temporibus ex quolibet iugere boum, seu iumentorum ferentium, certam mensuram grani ecclesiæ sancti Iacobi, quæ hodie in multis

multis huius regni prouinciis exoluitur. Ex illo autem prælio in antea consueuerunt Hispani, cum præliis campestribus pugnant, eleuatis dextris clamando inuocare sanctum Iacobum. Obiit morte communi relicto Ordonio filio. Depingitur hic Ranimirus dormiens in castris armatus, eo quod sic dormienti apparuit ei S. Iacobus. Depingitur etiam in margine vxor eius, & Garsias frater, qui licet non fuit rex, corregnauit tamen cum eo, & Ordonius filius eius, qui post eum regnauit, qui infra depingitur integre in rectitudine arboris. Concurrentia. Concurrerunt cum Ranimiro, & prope tempora eius, in sede Apostolica Valentinus natione Romanus diebus quadraginta, & Gregorius quartus natione Romanus annis decem & sex: in solio vero Imperii Romani Ludouicus rex Francorum imperauit annis decem & octo. *An. Dom.*

Capvt LV.

ORDONIVS huius nominis primus, filius Ranimiri, cœpit regnare anno Domini octingentesimo vicesimo septimo, regni Hispaniæ quadringentesimo vicesimo, & ab eius reparatione centesimo vicesimo, & regnauit annis decem. Hic deuicit in prælio Muzam regem Cordubæ, in quo prælio dicuntur occisi duodecim millia militum Arabum, & alii plurimi pedites. Obiit autem rex ægritudine podagrica, relicto filio Alfonso, qui fuit rex, & aliis filiis, videlicet Veremundo, & Nunio, & Ordonio, & Froila. Depingitur armatus sub cappa longa. Depinguntur etiam in margine regina vxor eius, & præfati filii Veremundus & Nunnius, Ordonius & Froila. Concurrentia. Concurrerunt cum Ordonio, & prope tempora eius, in sede Apostolica Sergius natione Romanus annis tribus: in solio vero Imperii Romani Lotarius imperauit annis decem. Huius tempore Sarraceni funditus ecclesias beatorum Apostolorum Petri & Pauli cum omnibus Romanorum finibus dilapidarunt. 827.

Capvt LVI.

ALPHONSVS huius nominis tertius, cognominatus Magnus, filius regis Ordonii, cœpit regnare anno Domini octingentesimo tricesimo tertio, regni Hispaniæ quadringentesimo, & ab eius reparatione centesimo tricesimo, & regnauit annis quadraginta. Hic genuit duos filios, videlicet Garsiam, Ordonium, & Froilam, qui omnes fuerunt reges, vnus post alium: & vnum alium vocatum Gundisaluum, qui fuit Archidiaconus Ouetensis. Iste erigi fecit ecclesiam Compostellanam in cathedralem, & postea fuit erecta in metropolitanam. Huic rebellauit Bernardus de Carpio famosus Baro. Obiit autem Alphonsus apud Zamoram morte communi. Depingitur sub cultu armorum, quia bella gloriose gessit. Depingitur etiam in margine Ximena regina vxor eius, & quatuor filii, tres reges, & vnus Archidiaconus. Concurrentia. Concurrerunt cum Alphonso, & prope tempora eius, in sede Apostolica Leo quartus natione Romanus annis octo. post obitum Leonis Ioannes Anglicus natione Maguntinus sedit annis duobus, & mortuus est. fertur per aliquos, quod erat fœmina. Et Benedictus tertius annis duobus. in solio vero Imperii Romani Ludouicus secundus imperauit annis viginti. 833.

Capvt LVII.

GARSIAS primogenitus Alphonsi cœpit regnare anno Domini octingentesimo octogesimo tertio, regni Hispaniæ quadringentesimo octogesimo sexto, & ab eius reparatione centesimo septuagesimo sexto, & regnauit annis tribus. Obiit apud Zamoram iuuenis absque liberis morte communi. Ideo depingitur iuuenis, & in veste pacifica, quia non legitur bella gessisse. Concurrentia. Concurrerunt cum Garsia, & prope tempora eius, in sede Apostolica Adrianus secundus natione Romanus annis quinque: in solio vero Imperii Romani Carolus secundus cognominatus Caluus rex Francorum, regnauit in Francia annis vndecim, & in Imperio anno vno, mensibus nouem. 883.

Capvt LVIII.

ORDONIVS secundus, frater Garsiæ, cœpit regnare anno Domini octingentesimo octogesimo septimo, regni Hispaniæ quadringentesimo nono, & ab eius reparatione centesimo septuagesimo nono, & regnauit annis octo, mensibus sex. Hic multa prælia cōtra Arabes vicit, semel tamen ab eis fuit deuictus, in prælio apud vallem Iunquerem, quo plurimi ex catholicis ciciderunt, & aliqui captiui fuere. Inter quos duo Episcopi, Legionēsis & Asturiensis capti sunt, & pro Episcopo Legionēsi Pelagius nepos eius obses datus, apud Cordubam pro fide catholica martyrium suscepit. Hic Ordonius Comites Castellę, 887.

An. Dom. qui regi Legionis tunc obediebant, ad palatium regium venientes ſub ſecuritate eius occidi fecit. Quam ob rem Caſtellani regibus Legionis ex tunc in antea rebellarunt, & ſibi duos iudices conſtituerunt ex nobilibus & prudentioribus regni, videlicet Nunium Raſuram, auum celeberrimi & bellicoſiſſimi Principis Fernandi Gundiſalui Comitis, & Lainum Caluum, proauum proaui inſignis bellatoris Roderici de Biuar, qui Cidus cognominatus eſt, quod in lingua Arabica Dominum ſonat. Ex vtroque autem horum iudicum reges Caſtellæ deſcendunt per aliqua latera, vt infra ſuo loco in duobus ramis arboris demonſtrabitur, quorum vnus ramus, in quo Fernandus Comes ad dextram: alius in quo Cidus ad ſiniſtram per reſpectum ad arborem depinguntur. Obiit autem Ordonius apud Zamoram abſque liberis morte communi. Depingitur armatus, quia plurima bella geſſit. Depinguntur etiam in latere regina vxor eius, & Pelagius martyr, qui fuit tempore eius. Concurrentia. Concurrerunt cum Ordonio, & prope tempora eius, in ſede Apoſtolica Ioannes octauus decem annis: in ſolio vero Imperii Romani Carolus ſecundus rex Francorum, qui tunc imperabat, obiit anno tertio eiuſdem Ordonii, & ſucceſſit ei in imperio Carolus tertius filius eius, qui imperauit annis duodecim, & in regno Franciæ Ludouicus ſecundus, filius eiuſdem Imperatoris & regis Caroli, & regnauit annis duobus. Iſte fuit decimuſnonus rex Francorum. Anno quinto eiuſdem regis Ordonii obiit Ludouicus rex Francorum, & ſucceſſit ei Carolus tertius, frater eius, qui regnauit annis ſex. Iſte fuit viceſimus rex Francorum.

CAPVT LIX.

FROILA huius nominis ſecundus, frater Ordonii, & filius Alphonſi tertii, cœpit regnare anno Domini octingenteſimo nonageſimo quarto, regni vero Hiſpaniæ quadrin-
894. genteſimo nonageſimo ſeptimo, & ab eius reparatione centeſimo octogeſimo ſeptimo, & regnauit anno vno, menſibus duobus. Hic genuit quatuor filios, Alphonſum quartum, & Ranimirum ſecundum, qui ambo reges fuerunt, & alios duos, Ordonium & Froilam, qui non fuerunt reges. Hic occidit abſque culpa filios Dimundi magnatis, & fratrem eius Freminum Epiſcopum relegauit, & ob hæc crimina, vt creditur, lepra percuſſus vitam finiuit. Depingitur Froila in veſte pacifica, quia bella nõ geſſit. Depingitur etiam in margine regina vxor eius, & duo filii qui non fuerunt reges, videlicet Ordonius & Froila. Concurrentia. Concurrerunt cum Froila, & prope tempora eius, in ſede Apoſtolica Martinus ſecundus anno vno: in ſolio vero Imperii Romani Arnulphus imperauit annis duodecim.

Froila lepra percuſſus vitam finit.

CAPVT LX.

ALPHONSVS huius nominis quartus, filius Froilæ regis, cœpit regnare anno Domini octingenteſimo nonageſimo quinto, regni vero Hiſpaniæ quadringenteſimo nona-
895. geſimo octauo, & regnauit annis quinque, menſibus ſeptem. Hic ex Ximena vxore genuit Ordonium vocatum Malum, & monachus effectus regnum Ranimiro fratri dimiſit. Sed leuitate ductus pœnituit, & cum regnum recuperare vellet, à Ranimiro fratre ſuo iam rege facto apud Legionẽ obſeſſus, captus & excæcatus in vinculis vitam finiuit. Depingitur Alphonſus cæcus in veſte longa, quia bella non geſſit, & cæcus mortuus eſt. Depingitur etiam in margine regina vxor eius, & Ordonius filius eius cognomento Malus, qui poſtea regnum aſſumpſit. Concurrentia. Concurrerunt cum Alphonſo, & prope tempora eius, in ſede Apoſtolica Stephanus quintus annis ſex, & Formoſus anno vno, & Bonifacius tertius quindecim, & Stephanus ſextus anno vno: in ſolio vero Imperii Romani Ludouicus ſecundus imperauit annis ſex. Anno ſecundo huius regni Alphonſi obiit Carolus rex Francorum, & ſucceſſit ei Ludouicus tertius, qui regnauit annis duobus. Iſte fuit viceſimus primus rex Francorum.

CAPVT LXI.

RANIMIRVS huius nominis ſecundus, frater Alphonſi, & filius Froilæ, cœpit regnare
901. anno Domini nongenteſimo primo, regni Hiſpaniæ quingenteſimo tertio, & ab eius reparatione centeſimo nonageſimo tertio, & regnauit annis decem & nouem, duobus menſibus. Hic genuit duos filios, qui ambo reges fuerunt, Ordonium & Sancium, & multis bellis proſpere actis obiit morte communi. Depingitur enſem in manu habens, quia bella geſſit. Depingitur etiam in margine vxor eius, & Sancius cognomento Groſſus, qui poſtea fuit rex. Concurrentia. Concurrerunt cum Ranimiro, & prope tempora eius, in ſede Apoſtolica Romanus diebus quindecim, & Theodorus natione Romanus diebus

diebus quindecim, & Ioannes nonus annis duobus, & Benedictus quartus annis tribus, & Leo quintus diebus quadraginta, & Christophorus mēsibus sex. Hic de Papatu eiectus est, & factus est monachus. In solio vero Imperii Romani Verengarius primus imperauit annis quatuor, & Corradus imperauit annis septem, qui fuit Alemanus. Anno primo huius regis Ranimiri obiit Ludouicus rex Francorum, & successit ei Carolus quartus cognominatus Simplex, qui regnauit annis vigintiquinque, qui fuit vicesimus secundus rex Francorum. *An. Dom.*

CAPVT LXII.

ORDONIVS huius nominis tertius, filius Ranimiri, cœpit regnare anno Domini nongentesimo vicesimo, regni Hispaniæ quingentesimo vicesimo secundo, & ab eius reparatione ducentesimo duodecimo, & regnauit annis quinque. Hic genuit Veremundum, qui fuit rex. Obiit autem apud Zamoram morte communi. Depingitur in veste pacifica, quia bella non gessit. Depingitur etiā in margine regina vxor eius, & Veremundus filius, qui postea fuit rex. Concurrentia. Concurrerunt cum Ordonio, & prope tempora eius, in sede Apostolica Sergius natione Romanus annis septem, & Anastasius natione Romanus annis duobus: in solio vero Imperii Romani Verengarius secundus imperauit in Italia annis septem. Anno secundo huius regis Ordonii obiit Carolus rex Francorum, & successit ei Ludouicus quartus filius eius, qui regnauit annis decem & septem. iste fuit vicesimus tertius rex Francorum. 920.

CAPVT LXIII.

ORDONIVS quartus cognominatus Malus, filius Alphonsi regis excæcati, vsurpare conatus est regnum. Habuit autem filiam Comitis Fernandi Gundisalui in vxorem: sed propter malitiam eius abstulit eam ab eo Comes. ipse vero fugatus à regno per Sancium regem, apud Cordubam occisus est. Ideo depingitur cum gladio in pectore fixo. Nec cōputantur ei anni regnandi, nec concurrentia, quia hæc omnia attribuuntur Sancio.

CAPVT LXIV.

SANCIVS huius nominis primus, cognominatus Grossus, filius Ranimiri, & frater Ordonii tertii, cœpit regnare anno Domini nongentesimo vicesimo sexto, regni vero Hispanię quingentesimo vicesimo sexto, & ab eius reparatione ducētesimo decimo sexto, & regnauit annis duodecim. Contra hunc rebellauit Ordonius Malus filius Alphonsi regis excæcati, & se regem vocauit: sed fugatus à regno, prope Cordubam, vt præmisimus, occisus est. Huius Sancii tempore Fernandus Gundisalui Comes bellum contra Arabes continue gerens multa prælia gloriose gessit. Cum hoc rege Sancio (vt fertur) idem Fernandus illum cōtractum qui vulgariter narratur super equo & accipitre, iniuit, cuius occasione Castella à subiectione regum Legionis ex toto liberata est. Obiit autem Sancius (vt aiunt) ex veneno in pomo sumpto, relicto Ranimiro filio qui fuit rex. Depingitur Sancius in veste pacifica, & grossus corpore, quia magna pinguedine occupatus erat. Depingitur etiam in margine regina vxor eius, & Ranimirus filius qui etiam fuit rex. Concurrentia. Concurrerunt cum Sancio, & prope tempora eius, in sede Apostolica Anastasius tertius natione Romanus annis duobus, & Laudo natione Romanus mensibus sex, & Ioannes decimus sedit annis tredecim: in solio vero Imperii Romani Enricus primus imperauit annis decem & octo. 926.

CAPVT LXV.

RANIMIRVS huius nominis tertius, filius Sancii, cœpit regnare anno Domini nongentesimo tricesimo septimo, regni Hispaniæ quingentesimo tricesimo nono, & ab eius reparatione ducentesimo vicesimo nono, & regnauit annis vigintiquinque, obiit absque liberis apud Legionem morte communi. Huius Ranimiri tempore illi famosi nobiles vocati Infantes de Salas, filii nobilis viri Gundisalui Gustios ab Arabibus occisi sunt dolo & coniuratione Enrici de Lara auunculi sui. Depingitur Ranimirus in veste pacifica, quia bella non gessit. Concurrentia. Concurrerunt cum Ranimiro, & prope tempora eius, in sede Apostolica Leo sextus natione Romanus mensib. sex, & Stephanus natione Romanus mense vno, & Ioannes vndecimus natione Italicus mensibus decem, & Stephanus octauus mensibus quatuor: in solio vero Imperii Romani Hugo imperauit annis sex, & Verengarius tertius imperauit annis septem. His temporibus maximum schi- 937.

An. Dom. ſma fuit in Italia. Anno decimo nono huius regni Ranimiri obiit Ludouicus, & ſucceſſit ei Lotarius primus, qui regnauit annis triginta tribus, iſte fuit viceſimus quartus rex Francorum.

Capvt LXVI.

Veremvndvs huius nominis ſecundus, filius regis Ordonii tertii, mortuo Sancio patruo ſuo, & Ranimiro conſobrino, regnum quod ad eum reuolutum erat, ſuſcepit anno Domini nongenteſimo ſexageſimo ſecundo, regni Hiſpaniæ quingenteſimo qua-
962. drageſimo quarto, & ab eius reparatione ducẽteſimo triceſimo quarto, & regnauit annis decem & ſeptẽ. Hic duxit duas vxores, ex quarũ prima genuit Alphonſum, qui poſt eum regnauit. Huius tempore Almanſor Dux Arabum multa mala Chriſtianis intulit, & vſq; ad Compoſtellam fertur acceſſiſſe. Sed hic Veremundus rex & Garſias Fernandi Comes Caſtellæ ſimul contra eum procedentes, apud Calatannazor in famoſiſſimo prælio illum deuicerunt, qui ex huius victoriæ dolore, cum vincere aſſuetus eſſet, intra paucos dies dicitur deceſſiſſe. Hic Veremundus falſa ſeductione ductus, Athaulpho Epiſcopo Compoſtellano taurum ferocem iniici iuſſit: Epiſcopus vero benigne ſpectans ſuſcepit, & taurus manſuete accedens cornua in manibus eius dimiſit. Quo miraculo viſo rex ſtupefactus de commiſſo pœnituit. Iſte idem rex Athaulphum Epiſcopum, Ouetenſem incarcerauit, quo in carcere exiſtente ſiccitas magna venit in terra, donec rex pœnituit, illumque liberauit, & illo liberato pluuia de cœlo deſcendit. Obiit autem Veremundus ex podagræ ægritudine, & depingitur cum malis pedibus, & baculo in manu, quia propter podagram incedere libere non valebat. Depingitur etiam in margine Archiepiſcopus Compoſtellanus cum tauro, & Epiſcopus Ouetenſis in turri vbi erat in carceribus, & duæ reginæ vxores eius, & Alphonſus filius eius qui fuit rex, & Eluira filia quæ fuit monialis. Concurrentia. Concurrerunt cum Veremundo, & prope tempora eius, in ſede Apoſtolica Martinus tertius natione Romanus annis tribus, & Agapitus ſecundus natione Romanus annis octo, & Iohannes duodecimus annis ſeptem: in ſolio vero Imperii Romani Iohannes ſecundus imperauit annis duobus, & Verengarius quartus annis duodecim.

Capvt LXVII.

Alphonsvs huius nominis quintus, filius Veremundi, cœpit regnare anno Domini nongenteſimo ſeptuageſimo nono, regni Hiſpaniæ quingenteſimo ſexageſimo pri-
979. mo, & ab eius reparatione ducenteſimo quinquageſimo primo, & regnauit annis viginti ſeptem. Hic genuit Veremundum qui ſucceſſit in regno, & Sanciam quæ nupſit Fernando filio regis Nauarræ, qui fuit rex Caſtellæ, & poſtea propter eam fuit rex Legionis, vt infra dicetur. Hic Alphonſus cum teneret obſeſſam Viſeum ciuitatem Portugaliæ, quæ tunc erat Arabum, & quadam die ambularet in circuitu eius inſpiciendo muros, ſagitta è muro emiſſa letaliter eſt percuſſus, ex quo vulnere vitam finiuit. Huius tempore Sancius Comes Caſtellæ deuicit Arabes in vno magno prælio apud Cordubam. Ierat enim in auxilium cuiuſdam Arabis contra alium Arabem regem. Depingitur Alphonſus armatus ſagitta in corpore fixa, quia ſagitta periit. Depingitur etiam in margine regina vxor eius & Santia filia eius, quæ poſtea fuit regina Caſtellæ & Legionis. Concurrentia. Cõcurrerunt cum Alphonſo, & prope tẽpora eius, in ſede Apoſtolica Benedictus quintus menſibus ſex, & Leo octauus anno vno, & Ioannes tertius decimus annis octo, & Benedictus ſextus anno vno, & Bonus anno vno, & Bonifacius ſeptimus annis octo: in ſolio vero Imperii Romani Otho primus imperauit annis duodecim, & Otho ſecundus annis viginti. Anno nono huius regis Alphonſi obiit Lotarius rex Francorum, & ſucceſſit ei Ludouicus quintus, filius eius, qui regnauit in Francia annis duobus. iſte Ludouicus fuit vltimus rex Francorum ex regali proſapia Pipini & Caroli Magni. In ipſo ſiquidem defecit regalis progenies Caroli Magni, quæ regnauerat annis ducentis & triginta octo, translato regno ad progeniem Comitum Pariſienſium. Anno vndecimo huius regis Alphonſi poſt mortem Ludouici regis Francorum regnauit in Francia Robertus Piiſſimus, filius Hugonis Pariſienſis Comitis, qui regnauit cum patre ſuo annis nouem, & poſt mortem patris annis triginta tribus. Iſte fuit viceſimus quintus rex Francorum.

Capvt LXVIII.

Veremvndvs huius nominis tertius, filius Alphonſi quinti, cœpit regnare anno Domini milleſimo ſexto, regni Hiſpaniæ quingenteſimo octogeſimo octauo, & ab eius
1006. reparatione ducenteſimo ſeptuageſimo octauo, & regnauit annis decem. Hic Veremundus de

dus desponsauit Santiam sororem suam cum Infante Garsia filio Santii Comitis & Domini Castellæ, qui Garsias fuit proditorie interfectus apud Legionem, & post mortem eius hæc Santia fuit desponsata Fernãdo filio Santii vocati Maioris regis Nauarre, qui postea fuit primus rex Castellæ propter vxorem suam, quæ erat filia Comitis Santii. Et cum inter hos Fernandum & Veremundum dissensio exorta fuisset, in prælium venerunt, illisque apud Carrionem ad inuicẽ pugnantibus Veremundus victus & mortuus est, & absque liberis obiit, & regnum Legionis translatum est ad Fernandum regem Castellæ propter Santiam vxorem suam, & sic fuerunt tunc vnita regna Castellæ & Legionis. Depingitur Veremundus armatus lancea fixa in corpore, quia in prælio occisus est. Concurrentia. Concurrerunt cum Veremundo, & prope tempora eius, in sede Apostolica Benedictus septimus annis octo, & Iohannes quartus decimus mensibus septem, & Iohannes quintus decimus quatuor, & Iohannes decimus sextus natione Romanus mensibus decem, & Gregorius quintus natione Saxo annis duobus, & Ioannes decimus septimus natione Græcus mensibus decem, & Siluester secundus natione Gallicus annis quatuor: in solio vero Imperii Romani Otho tertius imperauit annis decem.

CAPVT LXIX.

HVCVSQVE in hac arbore textura facta est regum Legionis. Nam licet in Castella Comites gubernarent absque recognitione superioris, non tamen titulum regium assumpserunt. Sic ergo prima gubernatio Hispaniæ, ab Athanarico quem primum in arbore posuimus, vsque ad Rodericum inclusiue, fuit sub titulo regio Gothorum. Ideo illis depinximus arma Gothica, quibus hodie vtuntur Reges Daciæ, qui etiam intitulantur reges Gothorum. Demum post ingressum Arabum magna ex parte Hispania occupata, & regno ad angustos fines reducto, regnauit Pelagius, qui de regio genere Gothico erat, sed non est intitulatus rex Gothorum. assumpsit enim titulum à Legione, vel Asturiis, & vocatus est interdum rex Legionis, aliquando Asturiarum. Ideo depinximus ei & successoribus suis arma Legionis sola, Leonem videlicet rubeum in campo albo. Durauit autem hæc intitulatio absque eo quod in Castella aliquis rex esset, vsque ad Santium inclusiue, qui cum rex Nauarræ esset, propter vxorem quæ filia Santii Comitis Castellæ erat, Castellam habuit, & extunc in Castella regius titulus fulsit, vt in arboris discursu patebit. Et vt clarius radix istius arboris ex omni parte clarescat, non incongruum puto ad memoriam reducere, quod nobilis quidam de partibus Bigorciæ ad Nauarram veniens, Arabibus expulsis regni titulum in ea assumpsit. Hic autem vocabatur Enecus Arista, & fuit primus rex Nauarrorum, & post eum filius Garsias cognomento Eneci, quia filius Eneci erat (illis enim temporibus etiam reges à patribus cognomina accipiebant) ac post eum Santius filius eius, quem ferunt à matre prægnante, & ab Arabibus lancea percussa, per aperturam vulneris extractum fuisse. Hic Santius Abarca cognominatus est euentu, ex eo quod montes tempore niuium ad bellandum cõtra Arabes transiens, quia pedibus transire oportebat, abarcis iuxta rusticorum morem vsus est, totusque exercitus suus abarcarum ministerio niues pertransit, propter quam animositatem, animique ad pugnandum feruorem Abarca cognomen assumpsit. Post hunc regnauit Garsias filius eius, huius nominis secundus, qui Tremulentus cognominatus est, quia licet strenuus in armis esset, tamen cum prælium illud ingredi oportebat, membra tremebant. Hic fuit quartus rex Nauarrorum, & post hunc regnauit Santius filius eius, qui cognominatus est Maior. Hic Castellæ regnum propter vxorem assumpsit, & ponuntur infra in rectitudine arboris hi quatuor reges Nauarræ, videlicet Enecus, Garsias, Santius, & alius Garsias, licet in Castella non regnarunt, vt sciatur tamen à qua radice descenderit Santius qui propter vxorem in Castella primus regnauit, eos hic nominauimus.

CAPVT LXX.

NOMINATIS supra proximis regibus Nauarræ, & in recta linea arboris positis, à quibus per lineam masculinam Santius Maior, demum Fernandus filius eius, reges Castellæ descendunt: deinde in margine descriptis Nunio Rasura, vno de iudicibus Castellæ, ac Comite Ferdinando, cæterisq; Comitibus, de quorum genere Ferdinandus rex ex latere materno propagatus est: congruens est, vt non omittamus illos, per quorum texturam reges Castellæ à Laino Caluo vna cum Nunio Rasura Castellæ iudice per lineam maternam processerunt, licet non in præfatum Fernandum, sed in Alphonsum octauum, vnum ex descendentibus eius qui prælium Vbetæ deuicit, & monasterium de Huelgas

An.Dom.

ædificauit.Illa linea deriuata est in modum qui sequitur. Lainus Caluus vna cum Nunio Rasura iudicauit Castellam. Hic genuit Fernandum, à quo genitus est Lainus Fernandi, qui genuit Nunium Laini, à quo genitus Lainus Nunii, qui genuit Didacum Laini, qui ex vxore sua Theresia Nunii, quæ neptis fertur fuisse ex concubina Regis Legionis, genuit illum strenuum bellatorem Rodericum cognomento Cidi, qui fuit pater Eluiræ reginæ Nauarræ, à qua natus est Garsias rex Nauarræ pater Blanchæ, quæ fuit regina Castellæ, vxor Santii regis cognomento Desiderati, ex quorum matrimonio præfatus rex Alphonsus octauus procreatus est. Fuit autem hic Alfonsus vndecimus à Laino Caluo, & quintus à Cido,& duodecimus à Nunio Rasura,& decimus à Comite Fernando Gundisalui. Depinguntur autem descendentes per lineam Laini Calui in margine omnes per capita excepto Cido, qui propter strenuitatem operum depingitur integre, & supra equum, sicuti Fernandus Comes. hi enim duo inter cæteros strenuos Hispaniæ bellatores famosi nimium fuerunt,illorumque celebris fama nostris temporibus durat.

CAPVT LXXI

SICVTI Reges Nauarrorum præmisimus,vt clarius sciretur à qua radice Santius Maior descendebat,sic non incongruum est, vt nominemus Castellæ gubernatores, à quorũ sanguine Fernandus rex Santii regis filius ex latere materno descendit. Ad mentem ergo reducendum est,quod antiquis temporibus regnum Castellæ aliqualiter reges Legionis in superiores cognoscebat, sed cum Ordonius huius nominis secundus, qui in Legione regnabat,ad se euocasset,illique secure ad præsentiam regiam irent,ille,nescio quo spiritu ductus, illos occidi fecit. Quo sceleratissimo facinore Castellani nimium, & non immerito moti,ab obedientia Regum Legionis perpetuo recesserunt, & ne absque gubernatore vagarẽtur,ex nobilibus regni duos sibi iudices elegerunt, quorum vnus Nunius Rasura,alius Lainus Caluus vocabatur,& ex vtroque eorum reges moderni descenderũt. Sed quia prius stirps Nunii Rasuræ stirpi regiæ coniuncta est,illam primo describamus: deinde stirpem Laini Calui,quæ tardius regio generi vnita fuit,enarremus. Fuit namque Nunius Rasura iudex Castellæ, & post illum iudicauit Gundisaluus Nunii filius eius, quia, vt diximus, mos antiquorum erat filio cognomen patris apponere. Hic fuit pater Ferdinandi Gundisalui,qui iam non solum iudicis,sed Comitis nomen assumpsit, cuius corpus apud monasterium de Arlanza quiescit. Post hunc gubernauit Castellæ Garsias Ferdinandi Comes filius eius, qui in monasterio de Cardenia tumulatus est. Cui successit Santius Comes filius eius,qui monasterium de Onia ædificauit, & in eo sepultus quiescit. Post hunc incepit gubernare Castellam Infans Garsias filius eius,qui adolescẽs apud Legionem occisus,absque liberis obiit, deuolutumque est regnum ad Eluiram sororẽ suam, vxorem Santii regis Nauarræ,ex quibus ortus est Fernandus rex, sextus à Nunio Rasura primo iudice Castellæ, & quartus à Comite Fernando Gundisaluo. Depinguntur autem hi progenitores sui in margine vno per capita,solo Comite Fernando integre,armatoque supra equum depicto,quia strenuitas & singularitas operum eius, vt singularius depingeretur,merito poscunt.

CAPVT LXXII.

SANTIVS rex Nauarræ dictus Maior, filius Garsiæ Tremulenti regis Nauarræ,genuit ex Eluira filia Santii Comitis Castellæ vxore sua duos filios, Garsiam & Fernandum, & ex concubina alium qui dictus est Ramirus. Et quia Infans Garsias, filius Santii Comitis Castellæ,apud Legionem per proditionem filiorum Comitis Velæ occisus est,priusquam Santiam filiam regis Legionis sponsam suam in matrimonium duceret, dominium Castellæ deuolutum est ad Eluiram reginam Nauarræ, & eius causa ad Santium virum eius, qui potest dici primus rex Castellæ. Sed quia paruo tempore se intitulauit regem Castellæ,non computantur illi tempora regnandi. Diuisit autem dominia sua,& Nauarram dedit Garsiæ primogenito, Castellam Fernando secundogenito, Aragoniam Ramiro bastardo,qui primus in Aragonia rex vocatus est. Et Fernandus fuit primus, qui segregatim in Castella regium titulum assumpsit. Ideo in eo computantur tempora regnandi. Sed quia Santius pater eius habuit dominium Castellæ vna cum dominio Nauarræ & Aragoniæ, depinguntur iuxta eum duo scuta, vnum cum armis Castellæ ad dexteram, & aliud cum armis Nauarræ & Aragoniæ ad sinistram, ipse vero depingitur in veste longa, tanquam vir magnæ autoritatis. Depingitur etiam in margine Eluira vxor eius, & tres filii, Fernandus Castellæ,Garsias Nauarræ,Ramirus Aragoniæ reges.Non additur enim concurrentia,quia infra addetur Fernando.

CAPVT LXXIII.

An. Dom.

FERNANDVS huius nominis primus, filius Sancii dicti Maioris Regis Nauarræ, cœpit regnare in Castella anno Domini millesimo decimo septimo, regni Hispaniæ quingẽtesimo nonagesimo octauo, & ab eius reparatione ducentesimo octogesimo octauo, & regnauit annis quadraginta. Hic duxit vxorem Sanciam filiam Alphonsi regis Legionis, sororem Veremundi regis. Et cum hic Veremundus absque liberis in prælio cecidisset, Fernandus propter Sanciam vxorem suam regnum Legionis obtinuit. Et sic fuit primus qui rex Castellæ & Legionis intitulatus est. Hic genuit ex vxore sua Sancium & Alphonsum, qui ei, vnus post alium, in regno successerunt, & Garsiam qui rex Galleciæ vocatus est, sed captus in vinculis ferreis decessit, & Vrracam dominam Zamoræ, & Eluiram dominam Tauri sororem eius. Ex concubina vero genuit Fernandum qui fuit Cardinalis. Hic rex optimus & bellicosissimus Coimbriam diuturna obsidione expugnatam sancto Iacobo visibiliter apparente obtinuit, & magnam partem Portugaliæ cum ea. In huius regia camera insignis Rodericus de Biuar, qui strenuitate operum Cidi cognomentum accepit, quod in lingua Arabica dominum sonat, adolescens nutritus est, & sub eo arma exercere cœpit. Obiit Fernandus morte communi apud Cabezonem prope Vallem oleti. Depingitur in equo armatus sancto Iacobo claues ciuitatis Colimbriæ tradente, quia cũ diuino auxilio ad preces sancti Iacobi ciuitatem habuit. Depingitur etiam in margine Sãcia Regina vxor eius, & Sancius & Alphonsus filii eius, qui in Castella post eum regnarũt, & Garsias qui rex Galleciæ intitulatus est, licet in vinculis decessit, & filiæ eius Vrraca domina Zamoræ, & Eluira domina Tauri, necnon Fernandus filius eius ex concubina, qui fuit Cardinalis. Depingitur etiam sanctus Dominicus de Sillos, qui eius tempore claruit. Depinguntur in suo scuto arma Castellæ & Legionis quæ hodie durant, quia iste fuit primus regum qui in Castella & Legione simul regnauit. Concurrentia. Concurrerunt cum Fernando, & prope tempora eius, in sede Apostolica Ioannes decimus octauus mensibus quinque, & Sergius quartus annis duobus, & Ioannes decimus nonus annis quinque natione Romanus, & Benedictus octauus natione Tusculanus annis vndecim. Hic fuit eiectus de papatu, & factus est quidam alius Papa, vnde maximum schisma fuit. Et Ioannes vicesimus natione Romanus annis nouem, & Benedictus nonus natione Tusculanus annis quatuordecim. Iste fuit eiectus de papatu, & factus est Papa Sabinensis Episcopus, qui vocatus est Siluester tertius, qui sedit diebus quadraginta quinque, & Gregorius sextus, annis duobus, & Clemens secundus mensibus decem & nouem. Hic fuit inuasor ecclesię & per vim habuit papatum. Et Damasus secundus sedit diebus viginti tribus. Hic fuit inuasor sedis Apostolicæ & subito defunctus est. Et Leo nonus natione Alemanus sedit annis quinq;. In solio vero Imperii Romani Enricus secundus imperauit annis duodecim, & Conradus secundus annis viginti, & Enricus tertius annis decẽ & sex. Anno tertio decimo huius regis Fernandi obiit Robertus rex Francorum, & regnauit Enricus primus filius eius in Francia viginti quinque annis: & anno tricesimo nono obiit Enricus rex Francorum, & successit Philippus primus filius eius, qui regnauit in Francia annis quadraginta nouem.

1017.

CAPVT LXXIIII.

SANCIVS huius nominis secundus, primogenitus Fernandi, cœpit regnare anno Domini M. LVII. regni Hispaniæ CCCCCCXXXVIII. & ab eius reparatione XXXVIII. & regnauit annis sex. Hic cum Alphonso fratre suo contendens, regnum Legionis quod ei pater dimiserat, obtinuit, & cum Vrracam sororem suam apud Zamoram obsessam teneret, à Vellido proditore proditionaliter occisus est. Ideo depingitur in terra prostratus proditore in illo lanceam mittente. sepultus enim est in monasterio Oniensi. Concurrentia. Concurrerunt cum Sancio, & prope tempora eius, in sede Apostolica Victor secũdus genere Alemanus annis duobus (hic timore imperiali factus est Papa) & Stephanus nonus natione Tuscus mensibus nouem, & Benedictus decimus mensibus nouem, per violentiam est Papa factus, postea cessit, & Nicolaus secundus annis duobus, & Alexander secundus natione Mediolanensis annis duodecim: in solio vero Imperii Romani imperabat idem Enricus quartus.

1057.

CAPVT LXXV.

ALPHONSVS huius nominis sextus, filius Fernandi, ac frater Sancii, cœpit regnare anno Domini millesimo sexagesimo tertio, regni Hispaniæ sexcentesimo quadragesi- 1063.

An.Dom. mo quarto,& ab eius reparatione tricesimo quarto,& regnauit annis quadraginta tribus Hic habuit sex vxores,ex quarum prima genuit Vrracam,ex aliis alias filias, & ex vna earum quæ fuit Sarracena,filia regis Seuilliæ, quæ vocabatur Zaida, & ad fidem conuersa nominata est Maria,genuit filium masculum qui dictus est Infans Sancius, qui puer existens occisus est in prælio cum Arabibus octo prope Alcazarium de Consuegra.Ex nobili vero quadam concubina genuit Therasiam filiam,quæ nupsit Enrico Comiti Lotoringiæ consanguineo Imperatoris,& dedit illis partem Galleciæ quæ nunc Portugallia vocatur.Ex istis autem descendunt Portugalliæ reges.ille enim Enricus fuit pater Alphonsi primi regis Portugalliæ.Hic Alphonsus Castellę insignissimam vrbem Toletum variis & crebris vastationibus fatigatam,& diuina obsidione afflictam obtinuit,& in ea metropolitanam sedem antiquissimam ac honorabilissimam reparauit, multaque oppida in vicinia Toleti ab Arabibus erepta Christiano nomini adiecit.Hic rex inter alia insignia opera sedem Burgensem instituit,illiq; magnam dotem,& multa priuilegia contulit:& sic ab vno eodemq; rege,& eodem tempore,& sub eodem Romano Pontifice,videlicet Vrbano II.Toletana metropolis reparata,& Burgensis sedes instituta est.Obiit autem Alphonsus morte communi,& apud monasterium S.Facūdi vna cum Zaida iam Maria sepultus est: Receperat enim ibi primo habitum monachalem ficte ob timorem Sancii fratris sui.Depingitur autem Alphonsus armatus in equo,quia gloria multa bellicosa peregit. Depinguntur in margine ex vtroq; latere sex vxores sic nominatæ,Agnes, Constantia, Beatrix, Elisabet,Therasia,& Zaida vocata Maria.Depingitur etiam nobilis Ximena concubina, quam ferunt de domo Guzmanica fuisse,ex qua reges Portugalliæ processerunt. Depinguntur quoque in linea inferiori præfatus Sancius Infans, & Vrraca regina, quæ fuit filia Constantiæ Reginæ,& duæ Infantissæ Eluira & Sancia,filiæ Elisabet reginæ. Depinguntur etiam Enricus Comes & Therasia vxor eius,filia Alphonsi ex Ximena. Depinguntur etiam reges Portugalliæ qui ab eis processerunt,vt venerunt: Alphonsus qui fuit primus rex,Sancius, Alphonsus secundus,Sancius secundus cognomento Capello, cuius corpus Toleti tumulatum est,Alphōsus tertius,Dionysius,Alphonsus quartus,Petrus,Fernādus, Ioannes,Eduardus,Alphonsus quintus,qui nunc in Portugallia regnat.Fuerunt autem omnes numero duodecim. Concurrentia. Concurrerūt cum Alphonso,& prope tempora eius, in sede Apostolica Gregorius septimus natione Tuscus annis septem, & Victor tertius anno vno, qui veneno misso in calice dicitur obiisse, & Vrbanus II.annis nouem, & Paschalis natione Tuscus annis decem & octo,& Gelasius secundus natione Campanus anno vno,& Calixtus secundus natione Burgundus Comitis filius sedit annis quinque. Hic ecclesiam Compostellanam in metropolitanam erexit,& illi prouinciam Emeritensem subiecit.Huius tempore Burdinus qui olim Archidiaconus Toletanus fuerat, deinde Bracarensis Archiepiscopus,qui per Enricum Imperatorem in papatum fuerat intrusus,in carcere obiit.Et Honorius secundus natione Bononiensis sedit annis duobus. In solio vero Imperii Romani Enricus quintus imperauit annis quindecim, & Lotarius tertius annis vndecim.At licet hucusq; solum illorum principatuum concurrentiam adiecimus quorum excellentia omnibus notissima est(summorum enim Pontificum superioritas,ac potestatis plenitudo ab omni catholico humiliter recognoscitur, & merito tēpora in sede Romana sedentium in omnibus annalibus ac historiis annotanda sunt.Imperatorum quoq; Romanorum etsi aliqualiter potentia debilitata sit,eminentiam tamen dignitatis ac quandam prioritatem inter cæteros mundi principes nullus illis vnquam negauit, vt quasi primogenitus regum,& primus eorum in generalibus Christianorum conuētionibus Imperator Romanus sedeat & loquatur. Non ergo ab re de nominibus ac temporibus illorum in Chronicis aliorum regnorum mentio communiter interfieri solet.Regum autem Francorum celebritas non ignota omnibus est,& etiam illorum memoria nō immerito haberi debet,præsertim in Hispanorum annalibus,qui cum eis antiquam & modestam communionem habemus.Etenim hæ duæ domus gloriosæ Hispaniæ & Franciæ, vt alibi nonnunquam dixisse & scripsisse sum memor,sanguinis coniunctionem,arctamque & strictam confidentiam tam antiquis,quam modernis temporibus habuerunt)nūc tamen vltra has,&alia quarta concurrentia occurrit. Quæ licet tantæ reputationis non sit,vt his concurrentiis tribus adæquari debeat: scribentis tamen,& loci in quo hæc scribuntur,& personarū quibus præsens dirigitur arbor,qualitas non ab re annectendā proclamat.Hæc autem est Burgensis sedis ortus & cōtinuatio,quæ ab huius regis diebus vsq; ad moderna tempora continuatis pontificibus durat. Non incongruum ergo cuiquam videri debet,si aliarum concurrentiarum calcibus Burgenses Pontifices annectamus,vt breui compendio sciatur qui fuerint Præsules,& quorum regum temporibus ab institutione

tione

tione ipsa sedis in cathedra Burgensi sederunt. Fuit autem ecclesia Burgensis cathedralis, An. Dom.
& Aucensis sedes quæ dirupta per Arabes ab antiquis temporibus erat, cum sua diœcesi ad eam translata per hunc Alphonsum VI. dotantem, Vrbano Papa secundo erectionem hanc confirmante, illamque Apostolicæ sedi immediate subiiciente, anno Domini millesimo nonagesimo septimo, huius regni anno. Sedit autem in ea primus Simeon, qui prius Aucensis Episcopus erat, viginti tribus annis. Ac post illū successit Gometius in sede Burgensi, qui decem annis. Et post Gometium Garsias huius nominis primus, cognomento Aragonensis, nepos Simeonis, sedit in ea decem & octo annis, qui tres Episcopi successiuè sedem Burgensem rexerunt huius sexti Alphonsi temporibus.

Capvt LXXVI.

Post obitum huius Alphōsi Vrraca filia eius cœpit regnare. nam, vt præmisimus, Alphonsus rex habuit multas filias, & quia filium masculum non reliquerat, succedere debuerat Vrraca quæ primogenita erat earum. Hæc in vita patris nupsit Raimundo Comiti, ex quo genuit Alphonsum, qui intitulatus est Imperator Hispaniarum. Mortuo vero hoc Raimundo in vita Alphonsi regis, secundo nupsit Alphonso regi Aragonū, ex quo nullum genuit filium, neque etiam matrimonialem vitam duxerunt. Nam etsi non diuertissent in forma ecclesiæ, semper tamen vix erant adinuicem separati, illam nimis honestā vitam ducente. Post mortem vero Alphonsi regis Castellæ patris sui, Alphonsus rex Aragoniæ voluisset regnum habere propter vxorem. illa vero renuebat, multi etiam de magnatibus nobilibus Castellæ adhæserunt Alphonso puerulo, filio Vrracæ & Raimūdi Comitis. Et huius occasione fuerunt multa discidia in Castella, aliis pro Alphonso rege Aragonum, & aliis pro Vrraca, aliis pro Alphonso infantulo decertantibus, sed finaliter regnū mansit Infanti Alphonso. Vrraca vero obiit apud Legionem morte subita: & quia modico tempore durauit, & etiam illo non recte, nec libere cœpit, non computantur tempora regni, sed scribuntur Alphonso Imperatori filio eius. Hoc tempore claruit sanctus Ioannes de Vrteca, & ad euitationem præliorum cum aliis prælatis & religiosis nimium laborauit. Depingitur autem Vrraca in rectitudine arboris, quia ad regnum pertinebat, & in margine depinguntur duo viri quos habuit, Raimundus Comes, & Alphonsus rex Aragonum. Depingitur etiam Alphonsus Imperator filius eius, in recta linea iterum integre depingēdus, & sanctus Ioannes de Vrteca.

Capvt LXXVII.

Alphonsvs huius nominis septimus, intitulatus Imperator Hispaniæ, cœpit regnare anno Domini millesimo centesimo octauo, regni Hispaniæ sexcentesimo octogesimo sexto, & ab eius reparatione trecentesimo septuagesimo octauo, & regnauit annis quinquaginta vno. Hic Alphonsus fuit, vt diximus, nepos ex filia Alphonsi sexti, qui decesserat absq; filio masculo, relictis filiabus, quarum primogenita vocabatur Vrraca, quæ primo nupsit insigni Comiti Raimundo, ex qua genuit hunc Alphonsum septimum. Hic Alphonsus construxit Hospitale quod Imperatoris vocabatur, in suburbio Burgensis, & obtinuit Almeriam, à qua rediens obiit in via ex ægritudine sub quadam arbore, in portu qui dicitur del Muradar, diuisis regnis suis. Dedit enim regnum Castellæ Sancio primogenito, & regnum Legionis Fernando secundogenito, quæ diuisio nimium displicuit regnicolis. Depingitur Alphonsus cum diademate imperiali, & sedens propter eminentiam dignitatis, quia Imperator vocatus est. Nullus autem aliorum regum sedens depingitur prę ter istum, propter singularitatem tituli imperialis. Depingitur in margine Imperatrix vxor eius, & Beatrix filia eorum, quæ nupsit regi Francię, & sanctus Adelelmus qui tempore illo florebat, cuius corpus reconditum est in ecclesia ab eius nomine intitulata, quæ vocatur sanctus Adelelmus, prope extra muros Burgensis. Concurrentia. Concurrerunt autem cum Alphonso Imperatore, & prope tempora eius, in sede Apostolica Innocentius II. natione Romanus annis tredecim, & Celestinus II. natione Tuscus mēsibus quinq;, & Lucius II. natione Bononiensis mensibus decem, & Eugenius III. natione Pisanus annis octo, & Anastasius quartus natione Romanus anno vno, & Hadrianus tertius natione Anglicus annis quatuor, & Alexāder III. natione Tuscus annis viginti vno. Hic vicit quatuor schismaticos. Fuit autem illud magnū schisma. In solio vero Imperii Romani Conradus secundus imperauit annis quindecim, & Fredericus primus imperauit annis triginta septem. Anno tertio huius regni Imperatoris obiit Philippus rex Francorum, & successit ei Ludouicus VI. filius eius cognominatus Grossus, qui regnauit in Francia annis tri-

ginta. Iste fuit vicesimus octauus rex Francorum. Anno trigesimo secundo huius regni Alphonsi obiit Ludouicus sextus rex Francorum, & successit ei filius eius Ludouicus septimus, qui regnauit in Francia annis quadraginta tribus, qui fuit Christianissimus Rex Francorum. Iste Ludouicus duxit in vxorem Beatricem filiam huius Alphonsi Imperatoris. Venit autem ad sanctum Iacobum, & cum magna honorificentia ab Alphonso Imperatore socero suo receptus & tractatus est. Sederunt autem in sede Burgensi tempore huius Alphonsi regis Imperatoris tres Episcopi, videlicet Paschasius annis quatuor, & Simeon huius nominis secundus annis viginti, & Petrus huius nominis primus annis octo.

Capvt LXXVIII.

Sancivs huius nominis tertius, cognominatus Desideratus, primogenitus Alphonsi Imperatoris, cœpit regnare segregatim in Castella, vt pater disposuerat, anno Domini
1159. millesimo centesimo quinquagesimo nono, regni Hispaniæ septingentesimo tricesimo sexto, & ab eius reparatione quadringentesimo vicesimo nono, & regnauit anno vno. Hic duxit vxorem Blancham, filiam Garsiæ regis Nauarræ, qui fuit nepos ex filia insignis bellatoris Roderici Cidi. Genuit autem hic Sancius ex ea Alphonsum octauum, qui post eum regnauit in Castella. Obiit Sancius iuuenis morte communi, Alphonso filio suo infantulo remanente. Depingitur in veste longa & pacifica, quia propter breuitatem temporis bella non gessit, & in latere depingitur regina vxor eius, & Alphonsus eorum filius qui post eum regnauit. Concurrentia. Concurrerunt cum Sancio, & prope tempora eius, in sede Apostolica Lucius tertius natione Tuscus annis quatuor: in solio vero Imperii Romani imperabat idem Federicus primus. Tempore huius Sancii Victor Episcopus sedebat in sede Burgensi decem annis, computatis illis quibus sederat viuente Imperatore.

Capvt LXXIX.

Fernandvs secundus, frater Sancii, & filius Imperatoris, cœpit regnare segregatim in Legione anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo nono, regni Hispaniæ
1159. septingentesimo tricesimo sexto, & ab eius reparatione quadringentesimo vicesimo nono. Etenim vno eodemque tempore cœperunt regnare, Sancius in Castella, & Fernandus in Legione iuxta dispositionem paternã, sed duratio regnandi fuit diuersa. Nam Sancius regnauit anno vno, vt proxime scriptum est, Fernandus vero regnauit annis triginta vno. Hic deuicit in prælio Alphonsum qui primus fuit rex Portugaliæ. Obiit autem Fernandus morte communi, relicto Alphonso filio qui post eum regnauit in Legione. Depingitur hic Fernandus in parte sinistra, depictis etiam prope in latere regina vxore eius, & Alphonso filio qui post eum regnauit in Legione. Non assignatur ei, nec Alphonso filio eius concurrentia, quia attrribuitur regibus Castellæ, & victorũ regnũ vnum, & idẽ est tẽpus.

Capvt LXXX.

1160. Alphonsvs viii. filius regis Sancii, cum esset ætatis tantum trium annorũ, successit in regno Castellæ anno Domini millesimo centesimo sexagesimo, regni Hispaniæ septingentesimo tricesimo octauo, & ab eius reparatione quadringentesimo tricesimo, & regnauit annis quinquaginta tribus. Hic duxit vxorem Eleonorem filiam Rechardi regis Angliæ, qua genuit Sancium qui decessit in ætate infantili, & Fernandum qui decessit in adolescentia, & Enricum qui post eum regnauit: filias vero, Blancham quę nupsit Regi Franciæ, ex qua genitus est sanctus Ludouicus rex Francorum, & Berengariam quæ fuit vxor Alphonsi regis Legionis, ex qua genitus est Fernandus rex qui Seuilliam expugnauit, & Alphonsus qui dictus est Infans Molinæ, & Vrracam quæ fuit regina Portugaliæ, & Leonorem quæ fuit regina Aragonum, & Constantiam quæ fuit monialis & Abbatissa de Huelgas. Hic Alphonsus fuit deuictus ab Arabibus in prælio de Alarcos, & post illam aduersitatem reuertens ad cor, fundauit insigne monasterium de Huelgas prope Burgis cum solenni Hospitali, quod Hospitale regis vocatur, & alia monasteria monialium in diuersis locis subdita monasterio de Huelgas, quę eius filiæ vocantur, & post multa pia opera profectus iterum ad bellum contra Arabes, deuicit eos in prælio quod dicitur de Nauis Tolosæ. Et quia ibi ter venisse dicitur miraculum Crucis, celebratur festum quod dicitur
Festum S. Crucis. triumphum sanctæ Crucis, decima sexta die Iulii aliquibus ecclesiis, præsertim Toletana & Burgensi cathedralibus, & in monasterio de Huelgas quod ipse ædificauerat, & in quo corpus suum tumulatum quiescit. Obiit autem morte communi. Depingitur armatus in equo, propter illud insignissimum & vltimum prælium quod apud Nauas deuicit, & depingitur in latere Eleonor regina vxor eius, & filii eius, videlicet Sancius qui decessit in

ætate infantili,& Fernandus qui deceſſit in adoleſcentia, & Blancha quæ fuit vxor regis An.Dom.
Franciæ,ex qua genitus eſt Sanctus Ludouicus rex Francorum,qui etiam depingitur hic infra matrem ſuam,& Vrraca quæ fuit regina Portugalliæ,& Leonor quæ fuit regina Aragonum,& infra iſtas depingitur Conſtantia Abbatiſſa de Huelgas. Depingitur etiã hic ſanctus Dominicus pater prædicatorum,qni claruit tempore illo. Enricus autem filius eius non depingitur hic in latere,quia eſt depictus integre infra in recta linea arboris. Berengaria quoque filia ſua depingitur ſupra prope Alphonſum regem Legionis virũ ſuum. Concurrentia. Concurrerunt cum Alphonſo,& prope tempora eius,in ſede Apoſtolica Vrbanus tertius natione Lombardus anno vno,menſibus decem(hoc tempore erepta eſt Hieroſolyma à Sarracenis,qui cum à tranſmarinis partibus rem tam flebilem audiſſet,pręnimio dolore obiit)& Gregorius octauus natione Romanus menſe vno,& Clemens tertius natione Romanus diebus decem & ſex,& Celeſtinus tertius natione Romanus annis ſeptem,& Innocẽtius III. natione Campanus annis decẽ & octo, menſibus quatuor,diebus viginti tribus. Huius tempore à Francis & à Venetis capta eſt Conſtantinopolis. Tẽpore huius Innocentii Papæ tertii inceperunt duo ordines ſolennes, videlicet ordo Fratrum prædicatorum,& ordo Minorum. ordinis prædicator fuit inuentus ſanctus Dominicus natione Hiſpanus.incepit autem in partibus Toloſanis,vbi contra hæreticos verbo & exemplo prædicabat anno Domini milleſimo ducenteſimo tertio,Pontificatus domini Papæ Innocentii anno ſexto.Ordinis vero Minorum fuit pater ſanctus Franciſcus. incepit vero prope ciuitatem Aſiſiam apud ſanctam Mariam de Portiuncula anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexto.In ſolio vero Imperii Romani Enricus ſextus imperauit annis octo,& Otho quartus imperauit annis duobus.Anno nono regni huius Alphonſi obiit Ludouicus ſeptimus rex Francorum, & ſucceſſit Philippus ſecundus filius eius, qui regnauit in Francia annis quadraginta tribus.Iſte fuit triceſimus rex Francorum,& ſucceſſit ei Ludouicus octauus filius eius, qui regnauit in Francia annis tribus, qui fuit triceſimus primus rex Francorum.Hic Blancham filiam huius Alphonſi regis Caſtellæ habuit vxorem,ex qua natus eſt filius ei nomine Ludouicus nonus,qui fuit canonizatus per Bonifacium Papam octauum,& regnauit in Francia annis quadraginta quatuor.Iſte fuit triceſimus primus rex Francorum.Sederunt autem in cathedra Burgenſi tẽpore huius Alphonſi quatuor Epiſcopi,videlicet Petrus ſecundus viginti ſex annis, & Martinus decem & octo,& Matthæus annis tribus,& Fernandus primus duobus annis. Hic dicitur fuiſſe nepos regis. Huic fuit data Villaſur de Ferreros.

CAPVT LXXXI.

ALPHONSVS huius nominis nonus,filius Fernandi regis Legionis,cœpit regnare anno Domini milleſimo ducenteſimo,regni Hiſpaniæ ſeptingenteſimo ſexageſimo octauo, & ab eius reparatione quadringenteſimo ſexageſimo, & regnauit annis viginti octo, 1200.
qui fuit annus triceſimus regni Alphonſi regis Caſtellæ. Duxit in vxorem Berengariam, filiam Alphonſi regis Caſtellæ,ex qua genuit,vt proxime dictum eſt,Fernandum, in quo vnita ſunt regna,& Alphonſum Infantem Molinæ.Obiit autem morte communi.Depingitur in veſte pacifica in latere arboris,& prope eum Berengaria regina vxor eius,& infra eos duo filii,videlicet Fernandus qui poſtea regnauit in Caſtella & Legione, & Alphonſus Infans Molinæ.

CAPVT LXXXII.

ENRICVS huius nominis primus,filius Alphonſi regis Caſtellæ, cœpit regnare in Caſtella anno Domini milleſimo ducenteſimo decimo quarto, regni vero Hiſpaniæ ſeptingẽteſimo nonageſimo primo, & ab eius reparatione quadringenteſimo octogeſimo tertio,& regnauit annis duobus. Obiit puer in ætate tenera ex vulnere ſibi illato à tegula ex caſu cadente,cum luderet cum pueris nobilibus domicellis ſuis Pallentiæ ad tegulum, vt interdum facere ſolent. Depingitur puer,quia in ætate puerili deceſſit, & manu poſita in capite ad oſtendendum dolorem illati vulneris, & prope eum filia regis Portugaliæ, quæ in vxorem delata eſt,licet poſtea diuerterunt.Concurrentia.Concurrerunt cum Enrico,& prope tempora eius,in ſede Apoſtolica Innocentius quartus:in ſolio vero Imperii Romani imperabat idem Otho quartus.Sedebat autem tempore huius regis in Burgenſi ſede Garſias huius nominis ſecundus,cognomento de Contreras, qui ſedit annis ſex, & ſic tetigit tempus duorum Regum. 1214.

An.Dom.

Capvt LXXXIII.

Fernandvs huius nominis tertius(nam computamus in nominatione reges Legionis) fuit filius regis Legionis Alphonsi ex regina Berengaria filia Alphonsi regis Castellę,&
1216. mortuo Enrico auunculo suo cœpit regnare in Castella anno Domini millesimo ducentesimo decimo sexto,regni Hispaniæ septingentesimo nonagesimo tertio,& ab eius reparatione quadringentesimo octogesimo quinto,& regnauit annis triginta quinque. Mortuo enim Enrico deferebatur regnum Castellæ ad Berengariam sororem eius. Sed illa,vt nobilissima Domina, cessit regnum Fernando filio suo, qui veniens à Legione vbi cum patre morabatur,in regem Castellæ receptus est viuente Alphonso patre suo, & regnauit in Castella. Postea vero decimo sexto anno regni sui decessit Alphonsus rex Legionis,& successit Fernandus in Legione, & ex tunc fuerunt iterum vnita regna, quæ vnio hodie durat,durabitque Deo dirigente in perpetuum. Et quia in hac vnione renouata est quodam modo monarchia,& arma regia mixta sunt ex Castellis & Leonibus,ideo incipimus ex ea quartam computationem annorum, vt legens sciat, quo tempore incepit hæc vnio, anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo secundo, qui fuit annus regni Fernandi in Castella decimus sextus.Hic Fernandus duxit duas vxores,quarum prima vocata Beatrix,fuit filia Philippi Ducis Bauariæ,qui electus in Imperatorem Romanorum obiit antea quam coronam assumeret,& post obitum eius fuit Imperator Federicus frater eius,apud quē erat hæc Beatrix Domicella,ex qua rex Fernandus genuit Alphonsum qui post regnauit,& Federicum,& Manuelem,& Philippum,& Sancium,& Enricum.Et post obitum huius Beatricis reginæ duxit secundam vxorem,Ioannam filiam Comitis de Pontis, ex qua genuit Ludouicum,& Eleonorem.Hic gloriosus rex obtinuit Seuilliam, Cordubam,Gienum,& totam fere Vandaluziam,& etiam regnum Murciæ per Alphonsum primogenitum suum.Et post insignissima opera obiit deuotissime apud Seuilliam, quam de manibus infidelium eripuerat,morte communi,præsentibus filiis & magna copia Prælatorum.Depingitur Fernandus armatus in equo prope ciuitatem Seuilliam,quodam Arabe dante illi claues,quia ciuitas illa per longam & obstrictam obsidionem ab eo afflicta in deditionem eius deuenit.Depinguntur in latere duæ reginæ vxores,& infra eas quinque filii masculi quos genuit ex prima regina,videlicet Federicus,Emmanuel, Enricus, Philippus,& Sancius.Alphonsus autem primogenitus infra in recta linea, vt rex depingitur. Depinguntur etiam duo filii ex secunda vxore, videlicet Ludouicus, & Eleonor. Concurrentia.Concurrerunt cum Fernando,& prope tempora eius,in sede Apostolica Honorius tertius natione Romanus annis decem, & Gregorius nonus natione Campanus annis nouem,& Celestinus quartus natione Mediolanensis diebus viginti: in solio vero Imperii Romani Federicus secundus imperauit annis triginta tribus. Sederunt autem in sede Burgensi huius regis tempore tres Episcopi,videlicet Ioānes huius nominis primus, qui fuit electus,sed munus consecrationis non recepit,vixit anno vno, & Mauricius Famosus Episcopus,quem ferunt Anglicum fuisse,vixit viginti sex annis. Hic insignis Pontifex ædificauit ecclesiam Burgensem quæ hodie est. Primo enim(vt aiunt)sedes erat in ecclesia sancti Laurentii,apud quam palatium Pontificale constructum hodie durat.Fuit autem primus lapis positus in Ecclesia Burgensi vicesima die mensis Iulii anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo secundo.Et,vt creditur,fuit totum corpus ecclesiæ ędificatum temporibus huius Mauricii,claustrum tamen & insignis capella sanctæ Catharinæ fuerunt post eum aliis temporibus ædificata,necnon turres duæ principales quæ sunt in porta quam vocant regiam,non fuerūt tunc ex toto finitæ,sed post anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo secundo,ducentesimo vigesimo postquam incepta fuerat ædificari ecclesia.In eadem fere die cœpit continuare ædificium illarum turrium Alphonsus Episcopus huius nominis secundus,qui hodie per diuinam misericordiā sedet,& cum diuino auxilio opus hoc facit continuari.Illo vero tempore quo Mauricius cœpit ædificare ecclesiam Burgensem,Rodericus pontifex Toletanus cœpit ædificium ecclesiæ Toletanæ.Post Mauricium sedit in ecclesia Burgensi Ioannes huius nominis secundus duodecim annis.

Capvt LXXXIIII.

1252. Alphonsvs decimus,filius Fernandi,cœpit regnare anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo,regni Hispaniæ octingētesimo vicesimo octauo,& ab eius reparatione quingētesimo vicesimo,& regnauit annis triginta duobus.Hic duxit vxorem Violantam filiam Iacobi regis Aragonum, ex qua genuit Fernandū primogenitum, qui ex Blancha vxore sua, filia sancti Ludouici regis Francorum, genuit Alphonsum

sum & Fernandũ, qui vocati sunt de la Cerda. Obiit autẽ Fernandus primogenitus viuente Alphonso patre suo apud Villam regiam. Genuit autem idem Alphonsus Rex alios filios, videlicet Sancium qui post eum regnauit, & Ioannem, & Iacobum, ac Petrum, & Berengariam, & Eleonorem: & ex concubina genuit Beatricem quę fuit vxor Alphonsi Regis Portugalliæ, ex qua genitus est Dionysius qui fuit Rex Portugalliæ. Hic Alphonsus fuit electus in Imperatorem Romanorum in discordia Electorum. Ex eo enim quod erat de domo Bauariæ, voluissent aliqui, vt imperaret in Alemania. Habuit autem hic Alphõsus vigentem discordiam cum Philippo fratre suo, & cum multis magnatibus, demũ cum Sancio filio suo, & plurimis laboribus fatigatus se retraxit ad Seuillam, vbi obiit morte communi. Hic fecit componi Partitas, quarum legibus regnum regitur. Huic attribuuntur illæ tabulæ Astrologiæ quæ vocantur Alphonsianæ, & etiam illa copiosissima historia quæ Generalis dicitur. Depingitur Alphonsus sedens indutus veste longa, vt mos est peritorum, habens librum in manu, quia scientificus fuit, & communiter vocatus Astrologus. Et in latere depingitur Regina vxor eius, & infra eam duo filii, videlicet Sancius secundo genitus cum corona, quia fuit Rex, & Fernandus primogenitus sine corona, quia decedens in vita paterna regnum non habuit. Et infra hos duos depinguntur alii quinque, tres filii, & duæ filiæ, videlicet Ioannes, Iacobus, Petrus, & Berengaria & Eleonor. Hic obtinuit Regnum Murciæ, necnon Xericium, & alia oppida illius cõtractæ. Cõcurrentia. Concurrerunt cum Alphonso, & prope tempora eius, in sede Apostolica Alexander quartus natione Campanus annis septem, & Vrbanus Gallicus quartus annis tribus, & Clemens quartus natione Prouincialis annis tribus, & Gregorius decimus natione Lombardus annis quatuor, & Innocentius quintus natione Burgundus mensibus quinq;, & Adrianus quintus natione Gebenensis mense vno, & Ioannes vicesimus primus natione Hispanus mensibus octo, & Nicolaus tertius natione Romanus annis duobus, & Martinus quartus natione Italicus annis quatuor. In solio vero Imperii Romani obiit Federicus secundus Imperator, & post mortem eius Electores se in duo diuidentes, quidam eorum hunc Alphonsum Regem Castellæ, quidam vero Ricardum Comitem Coimbriæ fratrem Regis Angliæ ad Imperium elegerunt, quod schisma multo tempore durauit, neque aliquis eorum benedictionem Imperialem obtinuit. Anno decimo quarto huius regni Alphonsi obiit sanctus Ludouicus Rex Francorum, & successit ei Philippus quartus, filius eius, qui regnauit in Francia annis viginti quinque. Iste fuit tricesimus Rex Francorum. Sederunt autem tempore huius Alphonsi in ecclesia Burgensi quinque Episcopi, videlicet Aparitius vndecim annis, & Matthæus huius nominis secundus duobus annis, & Martinus cognomẽto de Contreras annis octo, & Ioannes cognomento de Villahaoz duobus annis, & post istum vacauit ecclesia Burgensis septem annis. Quibus expletis Gundisaluus Conchensis Episcopus fuit translatus ad ecclesiam Burgẽsem, & rexit eam sex annis. Demum ab ea translatus est ad ecclesiam Toletanam.

CAPVT LXXXV.

SANCIVS quartus filius Alphonsi decimi, cœpit regnare anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo quarto, regni Hispaniæ octingentesimo sexagesimo, & ab eius 1284
reparatione quadringentesimo secundo, & ab vltima vnione regnorum quinquagesimo quinto, & regnauit annis vndecim. Duxit vxorem Mariam filiam Alphonsi vocati Infantis de Molina, qui fuit frater Regis Fernandi qui Seuilliam obtinuit, & genuit ex ea Fernandum qui post eum regnauit, & Petrum, & Philippum, & Enricum qui fuit mutus, & Elisabeth quæ fuit vxor Regis Britaniæ. Hic Sancius obtinuit Tarifam, quæ fuit vnum de primis oppidis quod occupaue runt Arabes temporibus Roderici Regis. Obiit autẽ Sancius morte communi. Depingitur in veste longa, & ense nudo in manu, quia licet multa bella nõ gessit, obtinuit tamẽ Tarifam. Depinguntur etiam in margine Maria vxor eius, & quatuor filii, videlicet Fernãdus qui fuit Rex, & Petrus, & Enricus, qui fuit mutus, & Philippus, & Elisabeth quæ fuit vxor Ducis Britanniæ. Concurrentia. Concurrrerunt cum Sancio, & prope tempora eius, in sede Apostolica Honorius quartus natione Romanus annis duobus, & Nicolaus quartus natione Lombardus annis quatuor: in solio vero Imperii Romani Radulphus primus imperauit annis decem & octo. Anno secundo huius regis Sancii obiit Philippus quartus Rex Francorũ, & decessit apud Gironam Cataloniæ, quam tunc obsessam tenebat, & successit ei Philippus quintus, filius eius, qui regnauit in Francia viginti nouem annis. Iste fuit tricesimus quartus Rex Francorum. Sedit in sede Burgensi tempore huius Regis Sancii frater Fernandus de Cueuas ruuias vndecim annis.

An. Dom.

CAPVT LXXXVI.

1295. SANCII filius Fernandus quartus cœpit regnare anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quinto, regni Hispaniæ octingentesimo septuagesimo primo, & ab eius reparatione quadringentesimo sexagesimo tertio, & ab vltima vnione regnorum sexagesimo secundo, & regnauit annis quindecim. Duxit vxorē Constantiam filiā Dionysii Regis Portugaliæ, ex qua genuit Alphonsum qui post eum regnauit, & Eleonorē quæ fuit vxor Alphonsi Regis Aragonum. Hic Fernādus obtinuit Gibraltarum, & prima oppida ad quæ applicauerunt & occupauerunt Arabes cum Tarifo duce eorum, & Comite proditore, & ab illo nomen receperunt. Nam à Tarifo dicitur Tarifa, & ab eodem nominatum est Gebeltarif, id est mons Tarif (Gebel enim Arabice idem est quod mons) licet post corrupto vocabulo dicatur Gibraltar. Obiit autem Fernandus apud Gienum morte communi. Aliqui dicunt citatum fuisse à duobus militibus, quos tanquam homicidas occidi præcepit per formam iustitiæ apud Marthos, vt compareret corā Deo redditurus rationem tricesima die. Ille vero ægritudine præcedente obiisse dicitur vltima die termini. Quæ casus singularitas aliquos putasse fecit, propter hanc causam Deum sic illum vocare voluisse. Sed an hoc euenit à casu, an ex illa causa, iudicio diuino relinquendum est. Depingitur in ætate adolescentiæ, quia adolescens decessit. Depinguntur etiam in margine Constantia Regina vxor eius, & duo filii Alphonsus Rex, & Eleonor Regina Aragonum. Concurrentia. Concurrerunt cum Fernando, & prope tempora eius, in sede Apostolica Celestinus quintus mēsibus sex, & Bonifacius octauus natione Campanus annis nouem & Benedictus vndecimus natione Lombardus mensibus octo, & Clemēs quintus natione Burgundus annis octo, & post mortem eius vacauit sedes annis duobus, mensibus tribus, diebus decem & septem. in solio vero Imperii Romani Radulphus secundus imperauit annis sex. Sedit autem in sede Burgēsi tempore huius Regis Petrus huius nominis tertius cognomento Quixada. Huius autem Petri Episcopi & sequentium Episcoporum nō reperi certum numerum temporis vitę eorum, sed solum nomina, quæ collegi ex temporibus Regum qui eis aliqua priuilegia indulserūt, & in quorum priuilegiis rotatis Episcoporum Burgensium confirmantium nomina, vt moris est, describuntur. Sufficit ergo scire nomina eorum, & quorum Regum diebus sedebant, licet nesciamus designare vnicuique Regum numerum temporis quo sedit, præter illorū tempora qui in ætate nostra, vel iuxta eam in hac sede sederunt, quæ magis ex memoria, quam per scriptū recognoscimus.

CAPVT LXXXVII.

1310. ALPHONSVS vndecimus filius Fernandi, cœpit regnare anno Domini millesimo trecentesimo decimo, regni Hispaniæ octingentesimo octogesimo sexto, & ab eius reparatione quadringētesimo septuagesimo octauo, & ab vltima vnione regnorum septuagesimo septimo, & regnauit annis quadraginta. Duxit vxorem Mariam filiam Regis Alphonsi Portugaliæ, ex qua genuit Fernandum qui in pueritia decessit, & Petrum qui fuit rex. Et ex nobili Eleonore de Guzman genuit Enricū qui post Petrum regnauit, & Federicum qui fuit Magister sancti Iacobi, & Sancium & Tellium Comites, & Petrum & Didacum, quos duos pueros existentes occidit Petrus. Hic vicit Reges Benamarim & Granatæ in magno & famoso prælio apud flumen Salatum, cui interfuit Alphonsus Rex Portugaliæ socer eius. Hic etiam obtinuit Algeziram diuturna obsidione præcedente. obsederat enim eam viginti & tres menses. Obtinuit etiam Alcalam quam Regalem vocāt. Et cum teneret obsessam Gibraltarū quam pater eius obtinuerat, & tempore huius Alphonsi per culpam vel dolum tenentis quem Alchaidum vocamus, perdita fuerat, & in castris pestis epidemia vigeret, & à suis crebris exhortationibus vrgeretur, vt propter pestem ab obsidione discederet, ex animositate cordis non acquieuit, & ex glandula pestifera infirmatus obiit feria sexta in Parasceue, Romano iubileo currente. Erat enim annus Domini millesimus trecentesimus quinquagesimus. Et sepultus est apud Cordubam in ecclesia cathedrali cum Fernando Rege patre suo. Depingitur Alphonsus in equo armatus, quia bellicosissimus fuit. Depingūtur in margine Maria Regina vxor eius, & Eleonor de Guzman concubina, & infra Mariam Reginam duo filii eius, Fernandus qui decessit puer, & Petrus qui fuit Rex, & infra Eleonorē septem filii eius, videlicet Enricus qui post Petrum regnauit, & Federicus qui fuit Magister sancti Iacobi, & Sācius, & Telius Comites, & Petrus, & Didacus, & Fernandus, qui in pueritia decesserunt. Concurrentia. Concurrerunt cum Alphonso, & prope tempora eius, in sede Apostolica Ioannes vicesimus secundus annis decem & nouem, & Benedictus duodecimus annis septem, & Clemens sextus

natione

natione Gallicus annis decem: in solio vero Imperii Romani Albertus primus imperauit annis decem, & Enricus secundus imperauit annis quinque. Anno quarto huius regni Alphonsi obiit Philippus quintus Rex Francorum,& successit ei Ludouicus decimus qui regnauit in Francia anno vno,& iste fuit tricesimus quintus Rex Francorum. Anno sexto huius regni Alphonsi obiit Ludouicus Rex Francorum, & successit ei Philippus frater eius,qui regnauit in Francia annis decem & nouem.Iste fuit tricesimus sextus Rex Francorum.Et anno decimo nono huius regni Alphonsi obiit Philippus Rex Frãcorum, & successit ei Philippus septimus, qui regnauit in Francia annis viginti duobus. Iste fuit tricesimus septimus Rex Francorum. Sederunt in sede Burgẽsi tempore huius Regis tres Episcopi,videlicet Gundisaluus secundus cognomento de Finoiosa,& Garsias tertius cognomento de Torres,& Ioannnes quartus.

An. Dom.

CAPVT LXXXVIII.

PETRVS filius Alphonsi cœpit regnare anno Domini millesimo trecẽtesimo quinquagesimo,regni Hispaniæ nongentesimo vicesimo octauo,& ab eius reparatione sexcẽtesimo vicesimo, & ab vltima vnione regnorum centesimo vicesimo, & regnauit annis decem & nouem. 1350. Ex nobili Maria de Padilla quam primo in concubinam habuerat, & post obitum Blanchæ filiæ Ducis Bauariæ duxit in vxorem,genuit Alphonsum, qui obiit in ætate infantili, & Costanzam, quæ nupsit Ioanni Duci Alancaustriæ, ex qua genuit Catharinam Reginam Castellæ. Hic Petrus Rex occidit Fredericũ Magistrum sancti Iacobi, & Petrum, & Didacum fratres suos, & Ioannem Infantem Aragoniæ, & alios non paucos magnates & nobiles. Voluisset autem occidere Enricum fratrem suum, sed contrario res euenit. Nam Enricus prudens & magnanimus primo aufugit ab eo,deinde collecta potenti manu Gallicorum regnum ingressus est, & recollectis ad eum multis potẽtibus & nobilibus de Castella,abhorrentibus à Petro,Rex intitulatus est, & Petrum insecutus apud Montiel obsedit,cum effugere putasset,auisatus de fuga eius Enricus ad illum accessit,& cum ambo Reges & fratres, sed capitalissimi adinuicem inimici, in duelli colluctatione pugnarent,Petrus ab Enrico occisus est.In cuius obitu cessauit intestinũ bellũ quod propter hanc fraternam discordiam in Castella erat, & omnes vnanimiter receperunt.Huius autem disturbii tempore Algezira quę nostra erat,ab Arabibus occupata,destructa fuit.Depingitur Petrus cum Enrico pugnans,&in terram cadens ab eo occisus,& in cacumine montis castellum positũ per quod Montiel figuratur. Depinguntur in margine Blancha Regina, & infra eam Maria de Padilla primum concubina, demum Regina vocata,& infra eam Costanza filia eius,& Ioannes Dux Alancaustriæ vir suus, & infra eos Catharina filia eorum,& Enricus vir eius, qui regnauerunt, & infra in arbore descripti sunt. Concurrentia. Concurrerunt cum Petro & prope tempora eius, in sede Apostolica Innocentius VI. annis decẽ,& Vrbanus V. natione Lombardus annis octo. In solio vero Imperii Romani post mortem Enrici Imperatoris electores se in duo diuidentes quendam Federicum Ducem Austriæ, & quendam Bauariæ ad Imperium discorditer elegerunt, cuius dissensionis causa magnum schisma fuit in imperio. Anno primo huius regni Petri obiit Philippus septimus Rex Francorum, & successit ei Ioannes filius eius,qui regnauit in Francia annis quatuordecim. Hic fuit victus & captus ab Anglicis in prælio de Piteos, & iste fuit tricesimus octauus Rex Francorum. Sederunt in sede Burgensi tempore huius Petri regis duo Episcopi, Lupus cognomento de Fontetha,& Fernandus III.

CAPVT. LXXXIX.

ENRICVS secundus, filius Alphonsi, cœpit regnare anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo nono, regni Hispaniæ nongentesimo quadragesimo septimo, & 1369 ab eius reparatione sexcentesimo quadragesimo,& ab vltima vnione regnorum centesimo tricesimo nono, & regnauit annis decem. Nam licet duobus annis regnauerit in discordia cum Petro, honestius tamen videtur, vt illos annos regni ei attribuamus, quibus post obitum Petri regnauit,duos vero præcedentes Petro scribamus. Hic duxit vxorem Ioannam filiam Ioannis cognomento Emmanuel, & per maternam lineam proneptem Infantis Fernandi primogeniti Regis Alphonsi decimi,(qui viuente patre decesserat, ex qua genuit Ioannem qui post eum regnauit,& Eleonorem quæ fuit Regina Nauarræ. Obiit autem Enricus ex podagræ infirmitate apud sanctum Dominicum de la Calciata. Depingitur Enricus in veste pacifica,quia licet bellicosus fuit nõ tamẽ cũ Arabib. pugnauit. Depingũtur in margine Ioãna Regina vxor eius,& infra eam duo filii,Ioãnes,& Eleo-

An. Dom. nor Regina Nauarræ. Concurrentia. Concurrerunt cum Enrico,& prope tempora eius, in sede Apostolica Gregorius vndecimus natione Gallicanus. Post obitum eius Cardinales, qui tunc in curia Romana erant, decima die obitus eius elegerunt Bartholomæum Archiepiscopum Barensem, qui sibi Vrbani sexti nomē constituit. Sed non longe ab hoc Cardinales Romani exierunt, & apud Anagniam se transferentes elegerunt Robertum Cardinalem Gabenensem in Papam, qui vocatus est Clemens septimus, asserentes primã electionem esse nullam, eo quod violentia fuit facta. Nam Romani tantum incusserunt Cardinalibus timorem, quod ad euadendum periculum mortis Bartholomæum in Papã elegerant. Maximum schisma fuit hoc, quod durauit per quadraginta annos, quousque in concilio Constantiensi, quod fuit celebratum tempore Ioannis Regis secundi, extinctum est. Adhæsit autem Clementi Hispania, præter Portugalliam & Galliam. In solio vero Imperii Romani Carolus quartus Ioannis Regis Bohemiæ filius imperauit annis triginta quatuor. Anno quinto huius Regis Enrici obiit Ioannes Rex Francorum,& successit ei Carolus quintus, qui regnauit in Francia annis decem & sex. Iste fuit tricesimus nonus Rex Francorum. Sedit in sede Burgensi tempore huius Enrici Dominicus Episcopus. Iste fuit oriundus de Arruielo villagio Oniensis monasterii.

CAPVT. XC.

1379. IOANNES huius nominis primus, filius Enrici, cœpit regnare anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo nono, regni Hispaniæ nongentesimo quinquagesimo septimo,& ab eius reparatione sexcentesimo quadragesimo nono, & ab vltima vnione regnorum centesimo quadragesimo nono,& regnauit annis vndecim. Hic duxit vxorem Eleonorem filiam Petri Regis Aragonum, ex qua genuit Enricum qui post eum regnauit,& Fernandum qui fuit Rex Aragonum. Qui Fernandus genuit Alphonsum qui hodie in Aragonia regnat,& Ioannem qui regnat in Nauarra,& Enricum qui fuit Magister sancti Iacobi, & Sancium qui fuit Magister Alcantaræ, & Petrum qui exitu bombardæ apud Neapolim obiit, & Mariam Reginam Castellæ, ex qua genitus est Enricus quartus Rex, ac dominus noster hodie regnans, & Eleonorem quæ nupsit Eduardo Regi Portugalliæ, ex qua genitus est Alphonsus qui in Portugallia regnat. Ioannes Rex hic post obitum Eleonoris vxoris suę duxit secundam vxorem Beatricem, filiam Fernandi Regis Portugalliæ, ex qua nullum filium genuit. Sed propter eam graue bellum inter Castellam & Portugalliam exortum est. Nam Fernando Portugalliæ Rege sine liberis decedente,& regno ad Beatricem filiam suam Reginam Castellæ delato, Ioannes ius vxoris prosequens, Portugalliam manu potenti ingressus est, ac Vlysbonam obsedit, sed peste grauissima vigente abscessit. Et anno reuoluto regrediens apud Algibam rotam campestre prælium ex animositate excessiua præmature, & non spectatis multis de exercitu suo qui veniebant, ac fessis militibus suis, qui in die illa feruente æstu Aleria oppido satis distanti venerunt, sicut minus prudenter tentauit, sic & infœliciter res gesta est. Nam multi ex magnatibus & nobilibus nostris, licet viriliter decertantes obierunt. Hic Ioannes, cum Enricus pater suus schismate orto nulli contendentium adhæsisset, congregauit prælatos & proceres regni, & magno tractatu & deliberatione habitis, declarauit pro Clemente septimo. cui, & Benedicto tertio decimo vocato post eum adhæsit Castella vsque ad conciliū Constantiense. Hic Ioannes apud Alcalam de Henares cum quadam Dominica die post missarum solemnia ante prandium spaciatum forti equo insidens iret, & calcaribus, vt fieri solet causa solatii, eum ad currendum infestasset, equus velociter & fortiter currens, in fine cursus in valle quadam offendens cecidit, & Regem sub se & sella recipiens, lignis sellæ stomacho letaliter vulnerato, tam grauiter oppressit, quod illico Rex animam exhalauit. Depingitur itaque sub equo cadens, quia sic casualiter vitam finiuit. Depingūtur in margine duę Reginæ vxores eius,& Eleonor prima, & Beatrix secunda, & infra Eleonorem duo filii, Enricus Castellæ & Fernandus Aragoniæ Reges,& infra Fernandum sex filii, videlicet Alphonsus Aragoniæ, & Ioãnes Nauarræ Reges, & Maria Castellæ & Eleonor Portugalliæ Reginæ, ac Enricus & Petrus Infantes. Filii autem Enrici Regis Castellæ infra depingūtur,& prope eum in loco suo. Concurrentia. Concurrerunt cum Ioãne,& prope tempora eius, in sede Apostolica Clemens septimus in Auinione,& apud Romam prętensus Vrbanus sextus. In solio vero Imperii Romani imperabat idem Carolus quartus. Anno secūdo huius regni Ioannis obiit Carolus quintus Rex Francorum,& successit ei Carolus sextus, qui regnauit in Francia annis quadraginta duob. Iste fuit quadragesimus Rex Francorū. iste Carolus ex potione sibi data, vt aliqui putãt, vel ex aduersa valetudine amēs factus est, cuius amentia ingentia damna Franciæ attulit. Sederunt in sede Burgensi tempore huius

Ioannis Regis Ioannes quintus cognomento Manrique duobus annis, qui Seguntinensis, deinde ad Burgensem ecclesiam, & post ex Burgensi ad Compostellanam translatus est, cui successit Gundisaluus tertius cognomento de Vargas, qui similiter ex Calagurritana ecclesia ad Burgensem, in qua sedit quinque annis, & Burgensi ad ecclesiam Hispalensem translatus est. *An. Dom.*

CAPVT XCI.

ENRICVS tertius, filius Ioannis, cœpit regnare anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo, regni Hispaniæ nongentesimo sexagesimo nono, & ab eius reparatione sexcentesimo sexagesimo primo, & ab vltima vnione regnorum centesimo sexagesimo, & regnauit annis decem & sex. Duxit vxorem Catharinam filiam Ioannis Ducis Alancaustriæ, & Costanzæ filiæ Petri Regis, ex qua genuit Ioannem qui post eum regnauit, & Mariam Reginam Aragoniæ, quæ hodie cum Alphonso Rege Aragonum viro suo in Aragonia regnat, & Catharinam quæ fuit vxor Infantis Enrici Magistri S. Iacobi. Hic Enricus Rex iustitiæ magnus zelator fuit, & in pace regna sua gubernauit: erat tamen pro maiore temporis parte infirmus corpore. Gessit bellū aliquandiu contra Regē Portugalliç, in quo aliquæ obsidiones & particularia prælia nobilium & gentium adinuicem processerunt, non tamen euenit aliquod prælium campestre generale. Tenuit captum in vinculis Federicum Ducem Beneuenti patruum suum, filium Enrici Regis aui sui ex concubina Leonore Ponce. Nec non obsedit Alphonsum filium eiusdem Regis ex concubina apud Giionē oppidū Asturiarū. obsessus autē Comes Alphonsus aufugit, & semper in exilio fuit: & occupauit terras eorū, donās aliis magnatib. Illi vero, alter in vinculis, alter in exilio, post obitum huius Enrici obierūt. Hic Enricus cum bellum contra Arabes indixisset, & Andaluziam procederet, quatenus, licet propter infirmitatem corpoream bellicos labores subire non posset, salem in conuicinia regni Granatæ moraretur, vt exercitibus suis Arabum regnum intrantibus aptius & velocius fauorem & auxilium daret: apud Toletum ægritudine quæ eum continue premebat, vehementius inualescente, in die natalis Domini albescente cœlo diem vitæ suæ clausit extremum. Depingitur Enricus in apparatu honestissimo regali sedens in cathedra, & ensem habēs in manu propter grauitatem morum, & iustitiæ zelum quem habuit, sicuti alter Recharedus, & iuuenis facie, quia in iuuentute decessit incipiente vicesimo octauo anno regni ætatis suæ. Et depinguntur in margine Catharina Regina vxor eius, & infra eam filii eius, Ioannes qui post eum regnauit, & Maria quæ in Aragonia regnat, & Catharina Infantissa. Concurrentia. Concurrerūnt cum Enrico, & prope tempora eius, in sede Apostolica idē Clemens septimus, & Benedictus tertius decimus natione Hispanus, sed in schismate: apud Romam vero sederunt prætensi Bonifacius nonus, & Innocentius sextus. In solio vero Imperii Romani sederunt idem Carolus quartus, & post eum Vladislaus Rex Boemiæ filius eius. Sed iste non recepit coronam imperialem, nec habuit pacificum imperium, sed in discordia cum Roberto Duce Bauariç. In sede Burgensi Ioannes huius nominis sextus cognomēto de Villa creces primo Episcopus Calagurritanus, & sedit vndecim annis, & post obitum eius vacauit ecclesia tribus annis.

1390. *Imago Enrici.* *Ecclesia tribus vacat annis.*

CAPVT XCII.

IOANNES secundus filius Enrici tertii, cœpit regnare anno Domini millesimo quingētesimo septimo (in die enim natalis Domini, in quo pater obierat, ipse Ioannes Rex acclamatus est) regni vero Hispaniæ anno nongentesimo octogesimo quinto, & ab eius reparatione anno sexcentesimo septuagesimo septimo, & ab vltima vnione regnorū centesimo septuagesimo sexto, & regnauit annis XLVI. Erat ętatis xx. mensiū cum regnare cœpisset, & habuit tutores Catharinam Reginam genitricē suam, & Infantem Fernandum fratrem patris sui, quos pater in testamento suo nominauerat. Demum Infante Fernando Rege iam Aragonum facto abeunte, cum adhuc Ioannes impubes existeret, ad Reginam matrem suam tutela integre deuoluta est. Et paulo post Regina decedente, Ioannes in quarto decimo anno ætatis constitutus absq; tutoribus mansit, & in principio quinti decimi anni congregatis prælatis, ac proceribus, & procuratoribus ciuitatum, apud Maioritum cum consensu omnium gubernationem accepit. Duxit autem vxorem Mariam filiam Fernandi Regis Aragonum patrui sui, ex qua genuit Enricum qui post eum regnauit, & regnat, regnabitq; diuturnis temporib. vt in clementia diuina speramus, & Catharinam, & Eleonorem, quæ in Francia obierunt. Et post obitum Mariæ Reginę duxit secundam vxorem Elisabet, filiam Ioannis Infantis Portugalliæ, qui fuit filius Ioānis Portugalliæ Regis, ex qua genuit Alphonsum, & Elisabet, quos infantulos & in tenerrima ætate 1507.

An.Dom. reliquit,quorum vitam & ſtatum Deus proſperare dignetur.Huius Regis tempore,cum adhuc in infantia eſſet, exercitus ſui ſub Infante Fernando tutore ſuo bellum quod Enricus pater ſuus Arabibus indixerat,continuantes,Antequeram magna obſidione afflictā occuparunt,& Zaharam, & aliqua alia caſtella de Granatæ regno. Deinde illo iam in virili ætate exiſtente,aliqui ex capitaneis ſuis obtinuerunt Ximenam,Hueſcam,Huelmam, & Benamarueldum, & multa alia Arabum fortalitia, ex quibus nonnulla per Arabes recuperata fuerunt. Ipſe vero perſonaliter ad ciuitatem tendens, prælium campeſtre cum Arabibus iniuit:in quo Arabes deuicti multis eorum cæſis intra vrbē ſe reduxerunt. Huius tempore Federicus Dux Beneuenti in vinculis, & Alphōſus frater ſuus in exilio obierunt. Hic alium Federicum Ducem Arionæ, nec non & alium Federicum Comitem de Luna,filiū Regis Siciliæ ex concubina,in vinculis poni præcepit,qui in cuſtodia deceſſerunt. Nec non alios Comites & magnates regni Caſtellę, videlicet Fernandum Aluari de Toledo Comitem de Alba, & Alphonſum Pigmentel Comitem de Beneuento,ac nobiles viros dominum Enricum filium Almiranti, &Petrum Sueri, ac Suerū de Quinnones fratrem ſuum capi fecit,& in cuſtodia retineri.Qui omnes diuerſis modis & temporibus liberati ſunt.Hic etiam captum tenuit Infantem Enricum Magiſtrum ſancti Iacobi,conſanguineum ſuum,per triennium, & poſtea liberauit. Deinde increſcente diſcordia tam eum, quam Ioannem Regem Nauarræ fratrem ſuum, qui in Caſtella multa oppida & caſtra tenebant,à regno expulit,cuius occaſione bellum inter Caſtellam,& Aragoniam pariter,& Nauarram aliquandiu duraret. Et cum hi duo fratres,nonnulliſque ex magnatib. Caſtellæ concomitantibus,regnum manu armata intrarent, & prope Olmetum prælium campeſtre iniuiſſent, Rex noſter Ioannes, & Enricus primogenitus eius victoriæ gloriam habuerunt:illi vero victi abſcedentes in Aragoniam ſe reduxerunt. Hic Rex à pueritia ſua nobilem virum Aluarum de Luna acceptiſſimū habuit,cuius conſilio præ omnibus adhærebat,illumque nimium exaltauit,primo Comitem,deinde Comeſtabilem,demum Magiſtrum ſancti Iacobi faciendo,quas dignitates in vnius perſona cōcurriſſe, nūquam auditum eſt: tantaque affectione ad eum inclinabatur , vt omnia ad voluntatem eius facere crederetur. Et cum huius amoris exuberantia triginta quinque annis fere duraſſet, prope finem tamen iuxta fortunæ morē res aliter ſucceſſerunt. Nam voluntate ex incredibili amore ad incredibile odium mutata, apud Burgos capi illum fecit, & ad caſtrum Portillo ductū in arcta cuſtodia detineri,& paulo poſt ſuper criminibus cōtra eum per procuratorem fiſcalem propoſitis, inquiſitione facta de collari mādauit. Decollatus autem eſt apud Vallem oleti in forma iuſtitiæ, clamore præconis præcedente, in medio plateæ,ſuper altum & magnum ambonem, ex ligno ad hoc aptum ædificarunt,tapetibus ornatum,& caput eius à corpore abſciſſum fixum eſt clauo in vno lignorum. Fuit autem ſepultus in quadam eccleſia extra muros,& poſt ex illa ad eccleſiam Minorum tranſlatus. in quo ſingulariſſimo ſpectaculo ſatis cognoſcere potuerunt, qui viderunt, & etiam non videntes, qui audierunt, quanti valoris mundana proſperitas ſit, cum ex ſumma proſperitate ad ſummam aduerſitatem fortunæ rota frequenter ac velociter humanos ſucceſſus reuoluat.Et vt cognoſcamus quam periculoſiſſima ſit nimia familiaritas Regum, quā nonnulli,vt ſummum bonum,deſiderāt,nullo alio exemplo opus eſt. multa enim alia exempla quæ nos hoc doceant,ante noſtra tempora præceſſerunt. Sed hoc inter cętera ſingulariſſimum,& ad inſtruendum nos,& etiam alios qui poſt nos magnis temporibus ſubſequentur,efficaciſſimum eſt.Obiit autem Ioannes apud Vallem oleti in quinquageſimo anno ætatis ſuæ ex febre quartana,quam habuerat aliis exortis accidentibus , & in domo prædicatorum corpus eius repoſitum fuit,& anno fere reuoluto ad monaſterium de Miraflores prope Burgis quod ipſe ædificari mandauerat, & pro ſepultura ſua elegerat, ſolenniter translatus eſt. Etenim Alphonſus Burgenſis Epiſcopus cum honorabili copia obuiam illi vſque ad Pallentiolam exiens, illumque aſſocians vna cum nobilibus Baronibus, Roderico Didaci de Mendoza,& Ioanne de Padilla, qui cum eo à Valle oleti veniebant , multitudine clericorum ex circumuicinis caſtris & oppidis ad viam proceſſionaliter exeuntibus,ac eccleſiaſticorum & nobilium ciuium Burgenſis multitudine concomitante, ad inſigne monaſterium de Huelgas adductus eſt, ibique officio defunctorū quod Vigilias vocamus, tam per moniales, quam per Capitulū cathedralis eccleſiæ eodē Epiſcopo celebrante,ſolenniter ac deuote expleto,ad monaſterium prædicatorum quod ſancti Pauli vocatur, humeris nobilium deportatur, ibique religioſis vigiliis deuote dicentibus,nocte tota quieuit : ac ſequenti die quæ ſancti Ioānis Baptiſtæ erat,ſimiliter humeris nobilium ad Miraflores adductus eſt, ibique ſub pannis & pulcro ornatu,quia domus illa adhuc ædificata non erat, quæ tantum populum capere poſſet, capella conſtituta,

uta,eodem Episcopo missarum solennia celebrante ac sermonem faciente officium fi- *An. Dom.*
nitum fuit,illoq; finito nobilissimum & regium corpus in sepulchro suo reconditum est,
cuius anima in domino requiescit. Depingitur Ioannes rex armatus in equo,quia diuer-
is bellis fere toto tempore occupatus fuit,tam super ciuilibus dissensionibus, quam etiã
aliquando contra reges Aragonum & Nauarræ,interdum contra Arabes. quod quidem
Arabicum bellum ipse mente gerebat, licet aliis bellicis actibus impeditus continuare
nequibat. Depinguntur etiam in margine ex vno latere Maria Regina vxor eius prima,
& infra eam Enricus primogenitus qui hodie regnat, cuius vitam,statum, & regnum o-
mnipotentia diuina fœliciter dirigere,conseruare, & exaltare dignetur, & duæ filiæ, Ca-
tharina & Eleonor Infantissæ,quæ in infantia decesserunt,& ex alio latere Elisabeth vxor
eius secunda,& infra eam Alphonsus Infans,& Elisabeth Infantissa, filii eorum in infan-
tia constituti,quos misericors Deus custodire velit.Depingitur etiam magister Vincen-
tius ordinis prędicatorum,qui huius tempore claruit.Cuius vita & doctrina taliter splen-
duerunt,vt congrue mereatur canonizari,& catalogo sanctorum apponi. Concurrentia.
Concurrerunt cum Ioanne,& prope tempora eius, in sede Apostolica idem Benedictus
tertius decimus apud nos durante schismate,& apud Romanos sederunt prætensi Inno-
centius sextus,& Gregorius decimus,& Alexander quintus, & Iohannes vicesimus ter-
tius. Schismate autem per concilium Constantiense sublato sedit Martinus quintus na-
tione Romanus in vnitate obedientiæ annis tredecim, & Eugenius quartus natione Ve-
netus annis decem & sex,& Nicolaus quintus natione Ianuensis de Cerezana annis de-
cem & sex,vsque ad obitum eiusdem Ioannis. In solio vero Imperii Romani imperauit
Sisemundus viginti & tribus annis, & coronam Imperii recepit, & post eum Albertus
Dux Austriæ gener eius quatuor annis, sed diadema imperiale non habuit. Ac illo de-
functo imperauit Federicus Dux Austriæ, nepos Alberti, qui hodie imperat, & per Ni-
colaum Papam coronatus est Romæ. Tempore autem huius regis Ioannis decessit Ca-
rolus sextus rex Francorum, qui compos mentis non erat, & successit ei Carolus septi-
mus,filius eius,qui hodie regnat. Hoc tempore propter peccata Christianorum quæ in-
terdum Deus visibilibus flagellis castigare decreuit,capta est Constantinopolis à Turcis, *Constãtinopolis à Turcis capta.*
occiso Imperatore Gręcorum & aliis plurimis. Sed Romanus Pontifex & nonnulli Prin-
cipes ad eius recuperationem cum Dei auxilio operam dare intendunt, speramusque in
diuina misericordia quod recuperabitur, sicuti aliis temporibus perdita & recuperata
fuit. In ecclesia autem Burgensi tempore huius regis sederunt quatuor Episcopi, videli-
cet Ioannes septimus cognomine Cabeza de vaca sex annis. Hic fuit primo Episcopus
Conchiensis. Et Alphonsus de Illescas anno vno & dimidio. Hic fuit primo Episcopus
Zamorensis,& vacauit ecclesia Burgensis anno vno. Et Paulus annis viginti. hic fuit pri-
mo Episcopus Carthaginensis, & ædificauit ecclesiam beati Pauli cum sacristia, & capi-
tulo prope muros Burgensis,composuitque additiones ad Postillam Nicolai de Lyra su-
per Biblia,& librum qui dicitur Scrutinius scripturarum. Et Alphonsus huius nominis
secundus cognomento de Carthagena,qui nunc sedet,sedebitq; quandiu diuinæ proui-
dentiæ placuerit.

CAPVT XCIII.

ENRICVS huius nominis quartus,filius Ioannis secũdi,cœpit regnare vicesima quar-
ta die mensis Iulii, anno domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo quar- 1454
to,regni Hispaniæ millesimo vicesimo septimo,& ab eius reparatione septingẽtesimo vi-
cesimo quarto,& ab vltima vnione regnorũ ducẽtesimo octauo,ætatis vero suæ anno tri-
cesimo,& regnat hodie, speramusque in Dei misericordia, quod regnabit fœliciter diu-
turnis temporibus.Hic in principio regni sui cõuocatis prælatis ac proceribus regnorum
suorum, necnon procuratoribus ciuitatum, recepit ab eis homagium fidelitatis iuxta le-
ges peritorum,ac morẽ ab antiquis temporibus seruatum. Postea vero intra breue tem-
pus pacauit differentiam quæ cum Ioanne auunculo suo Rege Nauarræ erat : quia se
prætendebat grauatum in confiscatione bonorum suorum quæ in Castella habet, facta
per Ioannem patrem suum, & assignata ei certa quantitate in redditibus regiis cessit o-
mni iuri quod prætendebat. Reconciliauitque & recepit ad gratiam suã Federicum Al-
mirantum qui extra regnum vagabatur, liberauitque à custodia Comitem de Alba, qua
per sex annos & vltra detentus fuerat, restituens vtrique istorum bona sua quæ eis ablata
fuerant per Ioannem Regem. Pacatisque suis, & aliis patentibus differentiis quæ in re-
gno erant,disposuit bellare contra Mauros, & mira celeritate se posuit cum exercitu suo
in conspectu ciuitatis Granatæ. Etenim discedens in secunda feria post Dominicam in

An. Dom. paſſione à Segouia ciuitate ſibi gratiſſima, quam præ cæteris ciuitatibus pro habitatione & recreatione ſua ſolet eligere, in quarta feria intra octauas Paſchæ apparet cum quinq; millibus equitum prope muros Granatæ. Quæ itinerandi velocitas etiam vni equiti expedito, hoſtium incurſum non timenti, ſed per tutas vias equitanti, ac tanta diſtantia viarum ſatis congrua fuiſſet. Inſpectoque diſtrictu diligenter per quatuor dies, regreſſus eſt ad Eciiam, & paucis diebus interpoſitis, dum ſegetes creſcebant, ingreſſus eſt territorium Malacæ, ibique moram trahens per quindecim dies vaſtauit diſtrictum eius. Demũ venit Cordubam, vbi celebrauit nuptias cum Ioanna Regina vxore ſua, filia Eduardi Regis Portugaliæ. diuerterat enim iã ex aliquibus cauſis autoritate Nicolai Papæ quinti à Blancha filia Iohannis Regis Nauarræ, quam primo habuerat. Expleuit autem benedictionem nuptialem Archiepiſcopus Turonẽſis, qui in regia curia tũc erat Orator Caroli ſeptimi Regis Francorum. Celebratis vero nuptiis confeſtim intrauit iterum diſtrictum Granatæ maiore cohorte magnatum & militum aſſociatus. Ibãt enim iam cum eo Ioannes de Guzman Dux Metinæ, Federicus Almirantus, Petrus Giron Magiſter Calatrauæ, Enecus Lupi de Mendoza Marchio ſanctæ Iulianæ, Ioãnes Pathéco Marchio Villenæ, Aluarus de Aſtuinniga Comes Placentinus, Alphonſus Pigmentel Comes Beneuentanus, Fernandus Aluari de Toleto Comes de Alua, Ioannes Manrique Comes de Caſtanneda, Ioãnes Ponze de Leon Comes de Arcos, Rodericus Manrique Comes de Paredes, & Ioannes de Luna Comes de ſancto Stephano, & Gabriel Manrique Comes de Oſorno, & aliqui alii magnates, & multi alii nobiles. Dimiſerat autẽ Alphonſum Carrillo Archiepiſcopum Toletanum & Petrum Fernãdi de Velaſco Comitem de Haro in gubernatione harum regionum quæ citra montes ſunt, qui apud Vallem oleti exiſtentes terras ſibi commiſſas ſolerter ac prudenter in abſentia regis rexerunt. Rex vero cum exercitu ſuo prope Granatam moram trahens per viginti dies vaſtauit Vegam, & circumuicinam regionem. Quibus vaſtatis rediit ad Eciiam, & licentiauit Marchionem ſanctæ Iulianæ, & Comites Placentinum, & Beneuentanum, & de Alua, alioſque magnates, qui verſi ſunt ad domos ſuas. Ipſe vero rex manens apud Andaluziam cum gentibus terræ, & aliis magnatibus, & nobilibus citra montaneis qui cum eo remanſerant, aliquos alios ingreſſus fecit in terris Maurorum. Adueniente vero hyeme rediit citra mõtes ad Abulam & Segouiam. Nunc vero incipiente anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſexto profectus eſt ad Andaluziam ea intentione, vt bellum contra Mauros toto conatu *Votũ auctoris.* continuet. Deus omnipotens qui eſt dux omnipotẽs, qui eſt dux exercituum catholicorum, proſpere dignetur dirigere greſſus eius, & ſub manu ſua fidei Catholicæ terminos ampliare, proteruiamq; hoſtium ſanctæ Crucis potenter humiliare. Depingitur Enricus in equo armatus, quia ſuſcepto ſceptro regio confeſtim bellum Mauris indixit, & ad modum Ginetari qui hac ſpecie equitandi libentius & frequẽtius vtitur. Obiit tempore huius Enrici Nicolaus Papa quintus, & ſucceſſit in Apoſtolica ſede Calixtus tertius natione Hiſpanus de regno Valentiæ. In ſolio vero Imperii Romani idem Federicus quartus, & in regno Franciæ idem Carolus regnauit, in ſede Burgenſi idem Alphonſus ſecundus.

CAPVT XCIIII.

HÆc fraternitati veſtræ, fratres chariſſimi, vt audiſtis, deſcripſi, breuitati nimium deferens, vt compendioſæ arboris deſcriptionem decebat, produxique vſque ad vltimum Februarii diem anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſexto: quæ autem in futurum euenient, futuri ſcriptores depromant. Nos vero Reges hos quos deſcripſimus, præſertim illos qui fide ac virtutibus lucidius claruerũt, in orationibus noſtris ad memoriam reducamus, nunquam obliuioni tradi ſinentes Alphonſum ſextum qui hanc honorabilem ſedem ab Vrbano ſecundo erigi, ac ſedi Apoſtolicæ immediate ſubiici precibus deuotis obtinuit, illamque tam in capite, quã in membris plurimis dotauit: necnon & alios inſignes Reges ab eius femore deſcendẽtes, à quibus diuerſa beneficia prædeceſſores noſtri, ac nos temporibus diuerſis recepimus. Romanoſque Pontifices quorum Burgenſes præſules ſpeciales ſuffraganei ſunt, Pontifici futurorum bonorum Chriſto Ieſu Domino noſtro ſpecialiter commendemus. Illos etiam dignum eſt, vt orationum noſtrarum memoria recipiat, qui hanc eccleſiam regentes in cathedra Burgenſi ſederunt, quos ſuis locis in concurrentiæ fine nominatos videtis, omnipotentis Dei clementiam implorantes, vt eorum ex illis qui iam in patria cœleſti recepti ſunt, deprecationes nos foueant: illos vero qui adhuc in purgatorio forſan manent, noſque cum illis, quando ab hac vita euocati à carcere huius corporis diſceſſerimus, intra illam cœleſtem Ieru-

Ierusalem quæ à miseriis huius vitæ temporalis exuta diuina gaudet fruitione, misericorditer dignetur admittere qui in trinitate perfecta viuit, & regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Regum Hispaniæ Anacephalæosis finis.

LVCII MARINEI SICVLI, REGII HISTORIOGRAPHI, DE REBVS HISPANIÆ MEMORABILIBVS OPVS, libris XXII. comprehensum.

LVCII MARINEI SICVLI PROLOGVS AD IMPERATOREM CAROLVM ET ISABELLAM IMPERATRICEM, CATHOlicos Hispaniæ Reges.



OFFERVNT *alii suis Principibus, excellentes & Catholici Reges, aurum, argentum, cæteraq; metalla: alii margaritas gemmasq; preciosas: alii suaues odores, thus scilicet & myrrhã: nonnulli pantheras, tigres, elephantos: alii camelos, monocerotes, leones, aliaq; animalia siluestria: alii equos & canes ad venandum: alii varii generis accipitres: alii psittacos, & luscinias, aliasq; canẽtes auiculas: alii pauones: alii phasianos & attagines: alii varia pulchraque musices instrumẽta: tabulas alii pulchris imaginibus pictas: alii speciosa domus ornamenta, peristromata scilicet, & aulæa variis hominum & aliorum animalium figuris & antiquis historiis contexta: alii denique maris & fluuiorum res meliores, terræq; fructus & arborum: quæ quidem vel aspectu, vel odore, vel cantu, vel sono, vel gustu Principis aures, oculos, animumq; delectant. Ego vero paupertatis alumnus & vestræ laudis admodum studiosus, quoniam rebus aliis carebam, Maiestati vestræ librum quem in Hispaniæ laudem vestrorumq; progenitorum memoriam scripseram, non pauperis fortasse, sed prædiuitis munus offero. Quem quidem si legeritis, Hispaniam vestram fere totam, & omnia quæ sunt in ea memorabilia, non sine delectatione cognoscere facile poteritis. Annos namque prope quinquaginta quibus in Hispania sum commoratus, nulla mihi res fuit optatior, nulla maior cura, nulla frequentior acto, nullus deniq; labor iucundior, quam diligenter inquirere, ac cernere propriis oculis res Hispaniæ memorabiles, de quibus magno studio conquisitis, & bene perspectis, aliquid quam verissime scribere m. Quod quidem feci, vt & honestissimo meo desiderio satisfacerem, & Catholicorum Principum, ac totius Hispaniæ gentis, quæ patriæ suæ laudibus & honori maxime student, gratiam demererer. Quapropter vt mihi rerum quas eram scripturus, ratio probabilis certaque cognitio constaret, primum multos antiquorum libros euoluere fuit necesse, vt ea quæ scripsissem, autoritate doctissimorum virorum comprobata, vera esse crederentur. Hispaniam deinde pene totam peragraui, res omnes diligenter inspiciens, & ea quæ mihi memoratu digna visa fuere, memoriæ mandaui. De quibus hoc opus quod vobis offero, Deo iuuante confeci. Quod etsi neque scriptoris oratione, neque stilo, multarum tamen rerum cognitione ac varietate, quæ lectores inuitare solent, iuuare poterit. Quandoquidem non ea solum quæ tellus Hispaniæ suapte natura producit, scripsimus, sed à primis etiam Hispaniæ cultoribus vsque ad tempora nostra Regum seriem & res gestas, de viris illustribus vtriusque ordinis, de sanctis & martyribus Hispaniæ, de vrbibus & oppidis, de cunctis denique rebus memoratu dignis. Quapropter operi nostro de rebus Hispaniæ memorabilibus nomen indidimus. Accipite igitur, excellentissimi Principes, Siculi vestri chartarum munus. Quod quidem cum legeritis, non aspernati, vt opinor, aliorum donis, quamuis preciosis, anteponetis. Sunt enim cætera omnia fortunæ bona & mutabilia, quæ nimirum paucis annis ad alios atque alios transferuntur: munera vero quæ litterarum monumentis offeruntur, immortalia sunt, & accipientium simul & dedicantium memoriam in perpetuum conseruant.*

EIVSDEM SICVLI PROLOGVS SECVNDVS DE HISTORIÆ LAVDIBVS AD EOSDEM PRINCIPES.



AGNA res eſt & inæſtimabilis heroicæ virtutis & rerum bene geſtarum memoria, quæ tenaciſsimo literarum complexu, perpetuo conſeruatur, eminentiſsimi Principes. Earũ enim rerum quas olim viri fortiſsimi magnifice geſſerunt, & ſcriptores clariſsimi literis tradiderunt, perutilis ac neceſſaria cognitio, & pergrata iucundaq; narratio mortalibus prodeſſe plurimũ ſolet. Siquidem cum in veterum ſcriptorum libris illuſtrium virorum res inclyte geſtas factaq; præclara non ingrata lectione cognoſcimus, illorum nimirũ virtutes & laudes inſignes admirãtes, non ſolum legimus libenter, verum etiam ſummis efferimus laudibus, & pro noſtris viribus imitari quam maxime contendimus. Quod ſi magnorum virorum gloriam cõſequi non poſſumus, ex noſtro tamen labore non paruum capimus fructum, ſi quos in magnis rebus æquare non valemus, eorum ſaltem virtutibus nitimur inhærere. Quare meo quidem iudicio plurimum debemus antiquis hominibus, & qui res præclaras egerunt, & qui rationem poſteritatis habentes, vel ſuas vel aliorum res memorabiles nobis ſcriptas reliquerunt, à quibus nimirum maximas hæreditates accepimus, & ampliſsimum patrimonium. Nullus enim nobis eſſet vitæ cultus, nullus ordo rerum, nulla denique præteritorum temporum cognitio, niſi multis veterum virorum monumentis & præclaris inſtrueremur exemplis. His enim quid honeſtum, quid magnificum, quid laudabile ſit in vita, cognoſcimus, & aliorum nobis perſpectis honoribus ad virtutem, ad labores, ad aliquid agẽdum præclare laudabili ſemper æmulatione, & quaſi agitat, ſtimulis excitamur. Precioſa res eſt igitur ac potius incomparabilis præteritarum rerum, Latino præſertim exculta ſermone, narratio, quã hiſtoriam vocamus, excellentiſsimi Principes. Quæ cum ſit, vt prædicatur à multis hominum, vitæ magiſtra, temporum teſtis, cuſtos memoriæ, nuncia veritatis, nimirum magnis Principibus & cunctis ſtudioſis hominibus & oblectationis & vtilitatis honeſtæ plurimum confert. Cuius quidem pergratis atq; iucundis lectionibus ac pene diuinis, nec in proſperis vnquam rebus, nec in aduerſis ab officio digredimur, ſed omnes potius vtriuſq; fortunæ caſus pariter ferimus, animi ſemper atq; vultus æquabilitate ſeruata. Magnis itaq; laudibus humanæ vitæ perlucidum ſpeculũ celebrari debet hiſtoria. De cuius perſpicuo fonte, velut ex omnium bonorum venerabili ſacrario, ſummi Reges & optimi Principes humanitatem, clemẽtiam, iuſtitiam, prudentiam, conſilia, cæteraſq; virtutes imitantur: magni Duces & ſtrenui milites rei militaris vſum & fortitudinem induunt: prouinciarũ præſides perutiles colligunt ad gubernandum ſanctiones: vrbium magiſtratus & Reipublicæ gubernatores exempla virtutis & humanitatis excerpunt: magnarũ demum rerũ negotiatores inuiolatam fidem ſeruare, & aliorũ ſocietatẽ & amicitiã colere docentur. Enimuero nihil eſt vtilius hiſtoria, nihil hominibus neceſſarium magis, illis præſertim qui ſunt in excelſo rerum faſtigio collocati. Nullum eſt enim virtutis exemplum, nullum memorabile factum ab orbe condito ad noſtram vſque tempeſtatem, quod nobis hiſtoria non velut omnis antiquitatis pulcherrima facies ante oculos oſtendat. Inſtituunt, non inficior, hominum vitam pulchre commodeq; ſatis Philoſophiæ ſanctiſsima præcepta, ſed multo pulchrius multoq; commodius hiſtoriæ lectiones. Monet illa quidem recte ſancteq; præcipiens, ſed fronte admodum ſeuera ſummi boni ſpeciẽ quandam & anguſtum callem viamq; difficilem præ ſe ferens, à ſe plærumq; nonnullos magnitugine laboris auertit. Exempla vero rerum quæ celebrantur hiſtoria, ſiue quod illorum virtutes & laudes qui talia geſſerunt, in ſublimi & illuſtri loco ſitæ cernũtur: ſiue quod à ſcriptoribus qui & ipſi quoq; magnos honores adepti ſunt, efficacius explicantur, multo facilius atq; libentius amplectimur, animiſq; noſtris tenacius inhærentia firmius retinemus. Sine quibus hominum vita in multis rerum varietatibus profecto non tutior eſſe poſſet, quam nauis amiſſo clauo fractiſq; velis in pelago fluctuanti. Siquidem nemo poteſt præſentia recte diſponere, nemo poteſt prouidere futura, niſi qui de præteritis multa cognouerit. Nunquam igitur ſatis digne laudari poterit hiſtoria, de cuius ampliſsimo ſinu cunctæ virtutes, ſicut è mari magno fontes omnes oriuntur. Ex quibus, ſi verum fateri volumus, nimirum tanta ſtudioſis hominibus commoda, tantæq; proueniunt vtilitates, quãtas ego vix poſſum longo ſermone complecti. Nunc itaq; multis quæ mihi ad hiſtoriæ laudem iure ſpectare videbantur omiſsis, illud vnum dumtaxat repetam quod ſupra memoraui, hiſtoriam rem eſſe præclaram atq; diuinam, & hominibus maxime neceſſariam. Hac enim ad omnes vitæ partes, ad omnes tam publicas quam priuatas actiones frequenter vtimur, hac bona cuncta malaque cognoſcimus, hac illuſtres homines illuſtriores fiunt, hac omnis ætatis geſta referuntur, hac abſentes adſunt, hac demum, quod omnium maximũ eſt, mortui viuunt. Siquidem viuunt homines, ſemperque viuent, quorum literis prodita celebrataq; virtus eſt.

est. Qui historiam condidit, multo quidem maiori laude dignus videri debet quam Pharius Gyges, qui à nonnullis primam pingendi artem commentus perhibetur. Fuit alioquin peracuta picturis & satis nobilis inuentio: scriptoris vero diues & perutilis. Variis ille coloribus & penicillo tenuissimas lineas perducens, illustrium virorum partes exteriores & formam corporis refert: hic autem atramento, calamoque, & perpetuis chartis virtutes & animi bona cuncta testatur. Latent illius opera, vel tabulis, vel parietibus impressa: huius vero perpetuis commissa literarum monumentis, per vniuersum orbem ad omnes gentes deferuntur. Consumit illa vetustas & temporis longitudo, sicut & alia multa: hæc immortalia sunt & perpetuo remanent. Haud enim Alexander Macedonum Rex nobis cognitus esset, quamvis ab Apelle celeberrimo sui temporis pictore diligenter pingi se curauerit, nisi res ab eo fortissime gestas, vel Græce Clitarchus aliiq; Græcorum plures, vel Curtius & Arrianus Latine conscripsissent. Viuit igitur Alexander, viuit Cæsar, viuit Hannibal, viuunt & alii quàplurimi Principes & fortissimi viri qui sua virtute rebusq; gestis vita digni fuere. Verumtamen non pictura viuunt, quæ est inanis & vacua, non titulis & imagunculis vel argento vel auro percussis, sed sola viuunt historia, quæ quidem eos à mortalitatis iniuria vendicauit. Legite igitur historiam quam vobis offerimus, altissimi Principes, vt qui fuerint vestri maiores, & quæ fecerint, & res Hispaniæ memorabiles quæ multæ sunt & cognitione scituq; dignissimæ, non ignoretis.

Siculus ad Lectorem.

OPVS *quod de rebus Hispaniæ memorabilibus multos annos elucubraueram, prolaturus in lucem, Candidissime Lector, te prius admonere obsecrareq; volui, vt si te vel meus honor, vel Hispaniæ tangit, quod in eo opere desideraueris addas, & quod non probaueris vel deleas vel amice corrigas, meq; familiariter admoneas. Sum enim & fui semper rationi proximus & veritatis amicus. Fac igitur obsecro, quod abs te quã iustissime peto, diligenter, vt si monumentum quod in Hispaniæ laudem condidi, rursus excudendum fuerit, tuo recognitum iudicio & censura castigatum emendatius exeat & copiosius. Vale.*

LVCII MARINEI SICVLI DE REBVS HISPANIÆ MEMORABILIBVS LIBER PRIMVS.

De Hispaniæ nominibus.

HISPANIA, sicuti Plinius aliique scriptores tradiderunt, regio prima in solis occasu Europæ terminos claudit, quam ab Hispali vrbe eius insigni dictam fuisse, plures affirmant: alii vero ab Hispano Herculis nepote nominatam volunt. Eandem Græci Latinique ab Ibero amne dixerunt Iberiam. Sunt & qui nõ Iberiam, sed Iberam vocauerunt: vnde Ibericum mare dictum fuisse contendunt. Cæterum scripserunt nonnulli ab Ibero, quem secũdum Hispaniæ regem post Tubalem fuisse dicunt, Iberum amnem, & Iberiam prouinciam fuisse nominatam. Quorũ sententiam, cui nec repugnamus, nec assentimus, aliorum iudicio relinquimus, & de Ibero rege, ac de aliis tribus & viginti quos ab initio Hispaniam condidisse ferunt, in alio loco dicemus. Hesperia quoque ab Hespero stella occidentali dicitur, vel(vt alii volunt, & scribit Hyginius) ab Hespero Atlantis fratre, à quo etiam, fratris arma fugiente, Italia Hesperiæ nomen accepit. Quapropter quum Hesperiam tantum dicimus, Italiam intelligimus: quum autem addimus vltimam, significamus Hispaniam. Ideoq; scripsit Horatius: *Hispania vnde dicta.* *Hesperia vltima Hispan. dicitur.*

Hesperia victor ab vltima.

Diodorus autem Siculus, Hesperiam non ab Hespero, sed ab Hesperia scribit eius filia dictam fuisse. Celtiberia insuper appellatur à Celtis Galliæ populis, qui quondam de suis finibus egressi, quum ad Iberum amnẽ coscendissent, de suo & fluminis nomine Celtiberiæ prouinciæ & Celtiberis populis nomen dedere. Quapropter dixit Lucanus:

--- Profugiq; à sede vetusta
Gallorum Celtæ miscentes nomen Iberis.

De Hispaniæ situ & forma.

HISPANIA cuius formam Iustinus quadratam depinxit, & exteſo alii corio ſimilem demonſtrarunt, inter Africam & Galliam poſita, Oceani freto Pyrenæiſque montibus clauſa, etſi minor eſt ambabus, vtraque tamen, vt multi ſcripſerunt, eſt multo fertilior. Quæ quidem neque ſicut Africa ardenti ſole torretur, neq; vt Gallia ventis aſſiduis fatigatur: ſed inter vtramque media, hyeme & æſtate temperato ſole perfruitur. Quo fit vt fœlicibus & tempeſtiuis imbribus omni genere frugum fœcundiſſima ſit, ac non incolis tantum ſuis, ſed aliis etiam prouinciis, & Italię ipſi cunctarum rerum copia ſufficiat. Eſt autem Hiſpania terræ ſitu magna, populis frequens, & Oceano vndique Mediterraneoque freto concluſa, præter eam partem quæ montibus Pyrenæis & Aquitaniæ Gallię prouinciæ coniungitur. Cuius ſpacium eſt iter fere quinque dierum, id eſt millium centum quinquaginta. Totius autem prouinciæ longitudo, vt ſcribit Appianus, à Gadibus & Herculis columnis ad Pyrenęos montes ad millia ſtadiorum fere decem protenditur: latitudo vero ab auſtrali ad ſeptentrionale littus, hoc eſt, à Carthagine noua ad Lauretanum portum aliquanto eſt anguſtior. Vniuerſæ autem prouinciæ quæ, vt dictum eſt, ab vtroque mari montibuſque Pyrenæis clauditur, ambitus millia ſtadiorum circiter quadraginta complectitur. Continet autem ſtadium paſſus centum viginti quinque. Cæterum multi qui de terrarum ſitu ſcripſerunt, Hiſpaniam caput orbis eſſe voluere. Siquidem Plinius in Europæ deſcriptione, in ea, inquit, Hiſpania prima terrarum eſt vlterior appellata, eadem Bætica. Idem alibi: Terrarum orbis vniuerſus in tres diuiditur partes, Europam, Aſiam, & Africam, origo ab occaſu ſolis & Gaditano freto. Verum enimuero ſiue principium ſit Hiſpania, ſiue finis terræ, nihil refert. Hac igitur quæſtione ſepoſita, cum de rebus Hiſpaniæ quas terra ſuapte natura producit, quædam primum dixerimus, deinde de prouinciis eius, de vrbibus & oppidis, de primis incolis, de Regibus & Imperatoribus & eorum rebus geſtis, de ſanctis & martyribus, de viris illuſtribus in rebus bellicis & aliis virtutibus, de viris denique diſciplinis excellentibus, more noſtro ſummatim vereque referemus.

De breui ſumma rerum quibus abundat Hiſpania.

NIMIRVM cum poſita ſit Hiſpania ſub claro fœlicique cœli tractu, quod clima Græci vocant, prouinciarum multas antecedit pulchritudine regionis, aeris ſalubritate, ventorum flatibus, aquarum fontibus, amœnitate nemorum, montium iugis, fertilitate ſoli, vbertate pabuli, arborum fructibus, armentis, gregibus, equis, portuoſis maris littoribus, campis, pratis, iucundiſſimis fluminũ ripis, venationibus, aucupiis, piſcibus, item vino, oleo, melle, ſaccaro, vellere, lino, cannabo, ſparto, iunco, rubia, minio, argento viuo, alumine, ſapone, vitro, lapide ſpeculari, lapide ſubſidiano, iaſpide nuper inuenta, rore marino, croco, cera, pice, reſina, cocco, ſerico, bombyce, marmore, alabaſtro, creta, ferro, ære, plumbo, ſcoria, ſtagno, argento, auro, cæteriſq; metallis, & rebus ad hominum vitam neceſſariis abundantiſſima ſemper eſt. Sed ad maiora tranſeamus. Siquidem ſemper Hiſpania floruit, & nunc maxime floret optimis principibus, fortiſſimis ducibus, animoſiſſimis equitibus, bellicoſiſſimis militibus, vigilantiſſimis pontificibus, obſeruãtiſſimis ſacerdotibus, clariſſimis virorum & mulierum ingeniis, magnaque fortitudine, liberalibus ſtudiis, mechanicis artibus, & diligentiſſimis fideliſſimiſq; ſeruitiis. Quid præterea dicam de multis & præclariſſimis vrbibus? quid de multis, magnis, & opulẽtiſſimis oppidis referam? quid de ſexaginta & ſex pontificatibus Hiſpaniæ? quos alio loco nominatim recenſebimus, vnius cuiuſque reditus computantes, & eodem modo magnatum domus & cenſus referemus. Vidimus enim & numerauimus in Hiſpania principatus cẽtum ſexaginta inter equites & pontifices. Quid de conſpicuis regum palatiis, de multorum magnatum & equitum magnificis & pulcherrimis ædibus? quid de aliis innumeris, & publicis & priuatis ædificiis commemorem? Talibus itaque rebus Hiſpania fœlix eſt, & à multis ſcriptoribus non immerito celebratur. Cuius res memorabiles non ſolum legimus apud multos autores, ſed etiam non ſine admiratione perſpeximus.

Hiſpania encomium.

De Hiſpaniæ metallis, & aliis rebus.

DE rebus Hiſpaniæ Plinius multa magnaque loquutus hoc addidit: Metallis plumbi, ferri, æris, argenti, auri tota ferme Hiſpania ſcatet, citerior & ſpecularibus lapidibus Eſt autem lapis ſpecularis perlucidus, qui finditur in tenuiſſimas cruſtas, & ſpeculi ſimilitudinem habet, qui inſpicientis imaginem refert & varios colores. Hunc olim ſola citerio

vor Hiſpania Romam mittebat, poſtea vero Sicilia, Cyprus, & Africa miſerunt. Sunt & marmorum lapicidinæ vniuerſæ Hiſpaniæ. Hæc Plinius. Solinus etiã inquit: Reuerſum ad continentem res Hiſpanienſes me vocant. Terrarum comparanda optimis eſt Hiſpania, nullique poſthabenda frugum copia, ſiue ſoli vberes ſiue vinearum prouentus reſpicere, ſiue arborarios velis. omni materia affluit, quæcunque aut precio ambitioſa eſt, aut vſu neceſſaria. Argentum vel aurum ſi requiras, habet. Ferrariis nunquam deficit, non cedit vitibus, vincit olea, nihil in ea ocioſum, nihil ſterile. Quicquid cuiuſcunque modi negat meſſem, viget pabulis, etiam quæ arida ſunt ac ſterilia, rudentum materiam nauticis ſubminiſtrant. Non coquuntur ibi ſales, ſed effodiuntur. Depurgant in minium nitelas pulueris, hoc eſt, auri micas inter arenas repertas. Fucant vellera, vt ad ruborem merũ deputent, cocci veneno, id eſt cocci ſucco, colorant & tingunt. Strabo ſcribit Bæticam fuiſſe gentis admodum diuitis, quæ à Carthaginenſibus olim fuerit inuenta præſepibus vtens argenteis. Cœlius etiam Rhodiginus de rebus Hiſpaniæ ſcribens ait: Hiſpaniæ vero fœlicitatem inſigniter admiratum Poſidonium, oratoria quadam eloquẽtiæ vi ſeſe latius expandentem tradidiſſe ferunt, Hiſpaniæ ſubterranea non infernum, ſed Pluton ipſum, id eſt, opulentiæ Deum, inhabitare. tanta eſt in eo terrarum tractu metallorum fœcunditas. Appianus præterea refert: Hiſpaniæ terra quoque ferax frumẽti, vini, olei, auri, argenti, gemmarum, ac metallorum omnium: homines inſuper bellicoſiſſimos gignit, equoſque velociſſimos. Varro quoque refert in Hiſpania nonnullas equas vento concipere, quas à Zephyro vento qui flare ſolet ab occidẽte, Zebras Hiſpani vocant: quæ quidem ſilueſtres, campeſtresq; ſunt, & indomitæ. Ego vero Varronem hoc ſcripſiſſe arbitror propter equorum Hiſpaniæ velocitatem, qui non ſine cauſa ex vento concepti vidẽtur, cum ſint velociſſimi: cum præſertim ſcribat Iuſtinus, hanc fabulam ex equorum fœcunditate, & gregum multitudine, nimiaque pernicitate ortam fuiſſe. Non ſunt praeterea quæ Strabo de rebus Hiſpaniæ ſcripſit omittenda, cuius verba ſunt hæc: At Turdetania agerque coniunctus nullam in hoc genere virtutis rationem commendare volentibus abeſſe ſinit. Nam aurum, argentum, æs, ferrum, nullibi terrarum, nec tantum, nec tam probatum generari hactenus compertum eſt. Aurum enim non ſolum ex metallis effoditur, verum etiam fluit. Flumina namque, torrenteſque auream deferunt arenam. Tot igitur tantiſque naturæ donis, ſolique bonitate fœlix, & orbis terrarum optima æſtimari poteſt Hiſpania. De cuius magnis diuitiis, vt ea quæ Titus Liuius aliique complures autores tradiderunt, omittam, ea tamen quæ de metallis Hiſpaniæ Diodorus Siculus cõmemorauit, ſilentio nõ præteribo, qui de Hiſpani ſoli fœlicitate, & rerum omnium copia, de inſtitutis moribus, & hominum cultu multa loquutus, hæc addidit: Sequitur vt de argento quod plurimum apud Iberos optimumque effoditur, quodque multum vtilitatis incolis affert, ſcribamus. Dictum eſt à nobis in Herculis geſtis, Iberiæ mõtes qui Pyrenæi vocantur, & altitudine & magnitudine lõge alios excellere. Nam à mari quod ad meridiem iacet, vſq; ad Oceanum ferme ad Arctos ſitum Galliam ab Iberia diuidũt, per Celtiberiam quoq; protenduntur ſtadiis tribus millibus. In quibus cum ſint ſiluæ frequentes, ferunt, priſcis temporibus igne à paſtoribus iniecto mõtanas omnes regiones fuiſſe combuſtas. Qua ex re aiunt montes cognominatos Pyrenæos. Ardente nanq; cõtinuis diebus igne plures ex mõtibus argenti puri riuuli flãmarum vi effluxere. Quod incolis ignotum, Phœnices mercatores vili rerum permutatione emptum in Græciam, Aſiamq;, ac nationes cæteras deferentes, magnas ex eo cõmercio opes contraxerunt. Adeo autẽ mercatores quæſtus excitauit cupiditas, vt cum onuſtis nauibus ſuperaret argẽtum, amoto ab anchoris plumbo, argentum eius loco ſubderent. Hoc lucro Phœnices admodum opulenti facti plures colonias tum in Siciliam propinquaſq; inſulas, tum in Libyam, Sardiniamq;, atque Iberiam deſtinarunt. Multis autem poſt ſæculis cognito argento, Iberi quoque metallis quærendis operam dedere, magnaq; optimi argenti copia reperta, ingens ex ea vectigal prodiit. Cum æs, aurum, argentumq; ſint metalla præcipua, qui in reperiendo ære dant operam, quartam eius quod effodiunt portionem capiunt: eorũ vero qui in argento effodiendo occupantur, quidam tribus diebus Euboicum percipiunt talentum. Terra enim omnis argento referta eſt, vt mirabilis ſit & eius patriæ natura, & operariorum continuus labor. Nam qui primum his metallis reperiendis incũbebant, magnas contrahebãt diuitias. In promptu enim eſt argentũ terra abunde illud præſtante. Poſtea vero cum Romani Iberiam ſubegiſſent, Italici qui lucri cupiditate id ſibi opus ſumpſere, maxime ex eo ditati ſunt. Emptam enim ſeruorum copiam ad effodienda metalla deputant, qui variis locis metallorum venas ſcrutati, ac alte lateque terra effoſſa, plurimum auri argentique eruunt, variis multorum ſtadiorum cuniculis ſub terram actis. Multo facilior

Pyrenæi mõtes vnde dicti.

quęstuosiorq; hæc cura, quam metallorum quæ apud Atticos reperiũtur. Ibi enim multas in fodiendo impensas subeunt sæpius opinione frustrati, quũ aut nõ inueniant quod quęrant, aut inuentum ita parui sit, vt superetur à sumptu: apud Hispaniam vero qui metallis incumbunt reperiendis, ampliora spe percipiunt. Bonitate quippe soli glebas semper auro argentoque fertiles inueniunt, vtpote omni terra metallis plena. In cuius etiam terræ laudem Iustinus hoc modo scripsit: Non frumenti tantum copia magna est, verum etiam vini, mellis, oleique: neque ferri solum materia præcipua, sed & equorum pernices greges: nec summa tantum terræ laudanda bona, verum & abstrusorum metallorum fœlices diuitiæ. Sed de Hispaniæ metallis hactenus. Cæterum res Hispaniæ quas hactenus memorauimus, nõ solum legimus apud autores, sed etiam vidimus omnes præter aurum & argentum. Quæ quidem duo metalla præcipua, nũc Hispaniæ principes latere sub terra permittunt, & ab Indiis maximis impensis & laboribus atque periculis afferri iubent.

De Hispaniæ frugibus & vino.

QVANTVM autem frugibus cæterisque rebus abundet Hispania, ex prænominatis autoribus facile colligitur, ideoque in harum rerum narratione ero breuior. Habet itaq; Hispania tota maximos ac fertilissimos campos, & planicies amplissimas. Quæ cum sereno cœlo subiaceat, & Fauonio vento saluberrimo leniter vẽtiletur, in ea quidem non solis æstus ardens, nõ frigus horridũ, sed omni tempore viget summa temperies. vbi, teste Iustino, magna cœli salubritas per omnẽ Hispaniã, æqualisq; aeris spiritus nulla paludum graui nebula inficitur. Huc accedũt & auræ maris & assidui ventorũ flatus, quibus omnẽ prouinciam penetrantibus euentilato terrestri spiritu præcipua omnibus sanitas redditur.
» Homerus omnium scientiarum parens, & Hispaniæ fertilitatis atque salubritatis non ignarus, in ea vitam hominibus diuturnam, victum facilem, & campos Elysios esse multis
» carminibus cecinit, quorum pauca hæc exponere placuit:

Nulla est Hispana tellus fœlicior, in qua
Vita viris facilis longissima tempora durat.
Non hyemis vis multa, niuis non ingruit imber,
Stridula sed semper Zephyrorum flamina mittit
Ingens Oceanus, lenimina grata virorum.
Semper vbi irrumpunt splendentia lumina solis
Almæ telluri, noctem qui ducit opacam.
Inde recens radiis cum sol percusserit arua,
Oceani lentas alti præfugerit vndas:
Incidit Oceano lux fulgentissima solis,
Nigrantem noctem, & madidantia sydera ducens.

Hinc itaque per Hispaniam totam prouenit omnium rerum magna fertilitas, & omnis ager vsque eo liberalis est, vt ex vno tritici modio sæpe triginta colonis restituat, & nõnunquam quadraginta, in Bætica præsertim, quæ quidem frugibus & cũctis rebus est admodum fœlix. Cui si tempore suo pluuia contingat Australis, est multo fertilior. Omnis denique Hispaniæ tellus à Gadibus vsque ad amnis Iberi fontem, qui vltra Burgensem vrbem apud oppidulum quod incolæ Fontibile nominant, oritur, non solum lętissimas fruges, sed omnium quoque rerum copiam producit immensam. Hanc ego regionem cuius longitudo ad mille & quingenta circiter millia passuum, & latitudo fere totidem protenditur, magnamque Hispaniæ partem continet, fertiliorem esse arbitror, quam reliquas, & ratione cœlestis tractus, quem (vt supra diximus) Græci clima vocant, & Fauonii venti salubritate quem Græci Zephyrõ nominant, qui quidem satis & arboribus vitam præstat. Huius enim venti flatu prægnans Hispaniæ tellus non solum fruges luxuriãtes, sed omne quoque leguminum genus, & optima vina fœcundissime præbet. Cæterum etsi vino tota satis abundat Hispania, pauca tamen quæ præcipua sunt, & ab odore, colore, & gustu maxime probantur, à locis vbi largissime leguntur, nominabo. Legitur itaque vini albi optimique maxima copia apud oppidum nomine Sancti Martini vallis ecclesiæ, & in oppido Matrigali, item in Guadalcana oppido Bęticæ prouincię, in quo etiam rubeum legitur quam optimum. Vinum præterea Tarraconense ab antiquis scriptoribus fuit maxime commendatum. In Ribadauia apud Callecos, & in oppido Caparico Portugalliæ, in Ocania quoque & Yepes, bona leguntur. In quibus & Lucanum in Bætica, si non primum, secundum tamen obtinet locum. Sed inter candida vina quod in oppido Oliuari legitur, non est silentio dignum, sed memorabile. Rubeum vero quod in Hispa-

in Hiſpania plurimum legitur, quod in oppido quod Arenas appellant, funditur, cæteris multo melius habetur. Poſt hoc autem in regione Toletana fere tota, maxima eſt vini copia, & præcipue in Scalona, Mantua Carpentana, quod oppidum Madrid appellant, in Xetapho, Pinto, Valdemoro, Caſaruuio, Turrilacona, ſed hoc copia magis quam bonitate laudabile. Quibus præterea vinum oppidi quod vulgo Santorquatium dicitur, minime cedit. Sunt & in aliis ciuitatibus & oppidis, in Tauro ſcilicet, Cantalpino, & Cantalapetra, vina quæ magno habentur in precio. Salmanticenſe quoque vinum eſt ſuauiſſimum, apud puteum præſertim quem Amarillum vocant.

De arboribus & fructibus.

ARBORIBVS Hiſpania fructus ferentibus & aliis plena eſt, & omnis generis fructibus abundans, quorum arbores non ſolum labor hominum & induſtria cõſeuit, ſed ipſius etiam terræ bonitate natura producit. Nemus enim vidimus vnum, præter alia multa, apud oppidum nomine Mõtis maioris, in quo quercus, caſtaneas, ilices, nuces, corylos, ceraſos, prunos, pyros, ficus, labruſcas, & omne genus arborum fructificans ſola natura plantauit, arbores altitudinis ingentis & amplitudinis. Nam iuxta oppidum Beieranum, vbi nemus eſt amœniſſimũ, caſtaneæ arboris ambitum mẽſi ſumus pedum circiter quadraginta. Fructus autem arborũ numero plures, & forma grandiores habet Hiſpania. Pyrorum multa ſunt genera, ſed quatuor præcipue, aliis omiſſis, quæ ſunt odore guſtuq; ſuauiſſima, nominabo: Apianum quod muſcatum vocant, & eſt omnium pyrorum minimum, Vinoſum, Pintum, & aliud quod ſine regula dicitur in Hiſpania. Malorum quoq; genera duo ſunt cæteris longe meliora, quorum alterum Camuſium, & alterum Regium vocat Hiſpania. Sed inter meliores Hiſpaniæ fructus meo iudicio, pulchrius eſt & excellentius illud quod Hiſpani Melocotonium, vocant, propterea quod fit ex malo Perſico & Cydonio, hoc eſt ex duracino & cotoneo, quod Hiſpani membrillumvocant. Quid præterea dicam de multis oliuis Hiſpaniæ, Hiſpalẽſibus præſertim quæ magnitudine iuglandes excedunt? quid de Cordubæ ficubus & oliuis etiam referam? Eſt Hiſpania quoque, vt ſupra diximus, nemoribus, vinetis, oliuetis, moretis, pinetis, ilicetis, & palmetis admodum diues. Cæterum palmas, citros, & citrios, quas narangios Hiſpani vocant, non multas vidimus in Hiſpania, niſi Cordubæ, Hiſpali, Valẽtiæ, Barcinonæ, & apud Placentiam citros duntaxat & citrios. Sunt & in aliis locis Cantabriæ maritimis, Calleciæ, & Portugalliæ. Vidimus etiam Toleti citrios fructum ferentes. Eſt inſuper in Hiſpania frequens & altiſſima cupreſſus, cuius materia ſuauiſſime redolet. Sed iam de fructibus & arboribus Hiſpaniæ finem faciam, cum pauca Strabonis verba retulero, qui de rebus Hiſpaniæ multa loquutus, Quanta, inquit, ex Hiſpania, ex Turdetania præſertim, exportandarum rerum copia ſit, maxime declarat nauigiorum magnitudo & numerus. Ingentes enim onerariæ naues iſthinc Puteolos nauigant, & Oſtiam Romanorum nauale permeant, quibus oleum non vbertate modo, ſed etiam bonitate præcipuum, itidem vinum, magna vis tritici, cera, pix, mel, grana, purpuræ, & minii plurimum euehitur, ac piſcium ſalſamenta.

De pecoribus Hiſpaniæ.

EST Hiſpania præterea & decoris omnis generis diues, gregibus & armentis plena, adeo vt mugitu balatuque nemora, ſiluæ, montes, prata, campi, ſaltus vbiq; reſonant. Oues inprimis innumeras habet Hiſpania. Siquidem multos in Hiſpania paſtores nouimus, quorum vnuſquiſque ouium triginta millia poſſidebat. Quapropter lanas molliſſimas nõ Hiſpaniæ ſolum populis, ſed externis etiam gentibus oues abundantiſſime ſuggerunt. Equos quam optimos alit Hiſpania, ſed Bætica plures, Luſitania velociores, Aſturia fortiores, quos veteres Aſturcones appellabant. Leones autem, camelos, & elephantos nõ nouit Hiſpania niſi cicures & aduectos aliunde.

De venationibus & aucupiis.

VENATIONES Hiſpaniæ neq; quadrupedum animalium, neq; volatilium deſunt. Siquidem montes & ſiluæ, damas, ceruos, apros, vrſos, & planicies campique lepores vbique gignunt. Cuniculorum vero qui & lepuſculi vocantur, albi nigrique & maculoſi reperiuntur, multitudo ingens, adeo vt magnam nonnunquam vaſtitatem ſatis & plantis afferant. Aucupantur præterea in Hiſpania præter alias aues, grues, anſeres,

anates syluestres & fluuiales, perdices & palumbas quas torquatas appellant, innumeras: sed attagines pauciores & è Sicilia nuper allatos. Aquilæ quoque, ciconiæ, ardeæ, accipitres maiores atque minores, cæteræque aues plurimæ in Hispania nidificant.

De piscibus Hispaniæ.

NVNC autem quoniam satis in Hispania venati sumus, in eadem quoq; piscari voluimus, primumque rete iaciemus in mare, & deinde in amnes & riuulos, in quibus amœnissime copiosissimeq; sine dubio piscabimur. Sunt enim in Hispania non solum maria, sed etiam riui fluminaque admodum pisculenta. Nam cum sit Turdetaniæ, vt Strabo refert, copia mediterranea, æqualem quoq; maritimam ex pelagi bonis inuenies. Ostrea namque & conchylia omnia, tum multitudine, tum amplitudine, omni ex parte exterius mare superat, præcipue cum fluxus ac refluxus hic augeantur, qui causa (vt par est) magnitudinis ac multitudinis propter inundationes existunt. Eundem se habet in modum circa Cetaria genera & balænas, quibus reflãtibus nebulosæ cuiusdã columnæ visio longe cernentibus offertur. Quid congri, quid murænæ, quanto nostris maiores capiuntur? quid alia complura huius generis edulia? in Carteia vero vidimus cerycas, id est murices & purpuras, librarum decem: in exterioribus autem locis murænam & congrum minarum supra octoginta, polypum talenti põdo, duorum autem sepias cubitorum, & similia. Frequens autem thynnus, magnus, & pinguis horsum impellitur. Hæc & his plura de maritimis Hispaniæ piscibus Strabo. Magna copia suis temporibus in Hispania est piscium quos Saualos Hispania vocat, item Salmonum & mustelarum quæ à petris quas lambunt, Lampetræ vocantur. Legimus in Hispania polypum olim captum fuisse tantæ magnitudinis, vt eius caput ostensum Lucullo 15. amphorarum capax fuerit, crines quidvis vtroque brachio comprehenderint, caliculi instar peluium vrnam æquauerint, reliquiæ eius miraculo afferuatæ, septingenta pondo pependerint. Cæterum in Hispania pisces, qui in mari septentrionali & occiduo, multo meliores habentur, quam qui mediterraneo & australi capiuntur. Cuius rei causam esse arbitror mare frigidius, in quo pisces multiplicãtur & maxime pinguescunt. Quapropter qui pisces apud Cantabros, Astures, Callecos, & Portugalenses ad Gades vsque capiuntur, sapore cæteros longe præstant. Sunt præterea in Hispania pisces maiores, qui non oua, sed animalia pariunt. Valentiæ siquidem piscem vidimus, quem piscatores è mari captum portauerant, & torculari magno locauerant aquæ pleno, crassitudine & longitudine magnę mulę, cuius caput, os, nares, oculi bouis esse videbantur, præter cornua quibus carebat: mammas habebat muliebres, & manus mamillis appositas, vuluam quoque mulieris. Quam postero die vidimus parientem pisciculum sibi persimilem, longitudine trium pedum, & crassitudine colli canis Gallici, quẽ die quarto post partũ mater fame, vt opinor, coacta deuorauit. Quam rem ne quis commentitiã putet, vidit etiã mecum vna Rex catholicus Ferdinandus, viderunt & alii complures equites. Abundat Hispania duobus anni mensibus optimis piscibus qui Bisuzi nominantur. Sunt & alii in Hispania pisces excellentes, Meri scilicet, Solli, & quos Aguias Paladares appellant. Multa nobis de marinis Hispaniæ piscibus occurrebant, quæ cum scombris qui multitudine mare complent Hispanum, vt pauca de fluuialibus dicamus, prætermittimus. Sunt enim per Hispaniam fere totam flumina multa valdeq; piscosa. Capitur itaq; in multis Hispaniæ amnibus piscis aureis maculis insignitus, qui etsi notissimus est vbiq;, quo tamen nomine vocetur ambigitur. Ego vero eum esse arbitror quem turturem Iuuenalis appellat, quo caritũrũ dicebat Vrsidium: quandoquidem nomen hoc turturis multarum gentium vulgari sermoni maxime conuenit. Nam & Hispani Trucham, & Itali Siculique Troctam vocant. Piscis est autem non modo iucundissimi saporis, sed optimi quoq; nutrimenti, quem medici senibus & etiam ægrotis libentissime cõcedunt: cuius in Hispania magna est multitudo & magnitudo ingens. His namque prælarga captura non diuites modo, sed etiam pauperes vescũtur vilius emptis. Qui etsi in multis Hispanię fluminibus capiuntur, illi tamen qui apud Legionẽ fluminis Orbigonis, Benauentum, Burgos, Molinam, Nelam, Mansiliam, Barchum Abulæ, & in amne, quamvis paruo, cui nomen est Corpus hominis, multo meliores habentur quam cæteri. Turturem captũ vidimus in ripa Thormis apud Salmanticam librarum viginti. Pariũt etiam plures amnes Hispanię mulos marinis assimiles, qui à gemina barba quã in labro habent inferiori, barbones appellantur.

Turtur piscis.

De Hispaniæ salinis.

DE salinis Hispaniæ scripturus, de salis ipsius prius admirabili virtute pauca dicam, quibus apud homines non minoris fortasse æstimationis, quam panis habebitur.

Panis

Panis enim, carnes, pisces, & quodcunque ciborum genus præter arborũ fructus & herbas absque sale comesum, non solum non concoquitur in stomacho, sed etiam putrescũt & homines necat, qui profecto sine sale diutius viuere nequaquã possent. Est igitur sal res humanæ vitæ maxime necessaria: quare non immerito primus mensis apponitur, qui & comedendi appetitus excitat, sine quo gustui gratũ nihil esset, & cibus omnibus discumbentibus fastidiret. Nõ igitur sine causa veteres bonos mores & voluptates honestas dulcesq; sermones sales appellauerunt. Cæterum in quanto honore sal fuerit, multa quidem antiquorum monumenta declarant, qui salem non cibis & mensis tantum, sed etiam sacris adhibebant. Vnde ait Ouidius: *Salis elogium.*

Ante deos homini quod conciliare valeret,
Far erat & puri lucida mica salis.

Et Vergilius: *Sparge molam sale.*

Sal etiam præter vsum mensæ, multis quoque medicamentis adhibetur, & languẽtia hominum corpora mirifice iuuat: quin etiam non viuas modo, sed mortuas etiã carnes cõseruat. Quem præterea si quis mane singulis diebus sub lingua dum liquescat tenuerit, teste Plinio, sine dubio dentes à putredine & omni corruptione seruabit intactos. Ex quo vsitatum est vulgare prouerbium: Nihil sale & sole humanis corporibus vtilius. Non igitur ratione caret, quod ferunt Ancum Martium regem populo Romano congiarii loco salem distribuere consueuisse, cum Marcus etiam Varro sale veteres pro secundo cibo & pulmentariis vsos affirmet. Apud nos autem sal est multo maioris excellentiæ, quoniam nos per lauacrũ baptismatis à morte perpetua liberat, nostroque redemptori Christo coniungit, & infusa sapientia mentibus nostris eodem nomine copulat. Salem itaque prouida natura, hoc est Deus Opt. Max. magnum donum maximeq; necessarium mortalibus dedit, & per omnes fere prouincias totius orbis terrarũ, & in multis Hispaniæ locis largissime distribuit. Sunt enim in Hispania multa salinarum genera. Nam sicuti scribit Solinus, in Hispania sal non modo coquitur, verum etiam plurimus effoditur, hoc est, & fit & gignitur. Fit enim in multis Hispaniæ locis ex aquis haustis è puteis, vt apud Seguntiam. Ex quo regibus magnum vectigal exigitur. Gignitur autem in extremis maris littoribus cæteris candidior. Sunt & montes Hispaniæ natiui salis, vt apud Ribagorciam, in quibus lapicidinarum modo sal cæditur, & arborum modo postea pullulat ac renascitur. Apud oppidum Antiqueram vallis est amœnissima, cuius longitudo est passuum mille & quingentorum, & ex omni parte clausa montium iugis, quæ vallis hyeme pluuialibus aquis impletur, & in formã magni lacus efficitur, cuius aquæ calore solis in salẽ candidum conuertuntur. In Atencæ valle salinæ sunt aquarum. Sunt & in oppido Salinarum salinæ memorabiles, & aliæ in oppido quod Salinas de Oro dicitur, & apud Nouanos Nauarræ populos.

De balneis & thermis.

INVENIES in Hispania balnea thermasque admodum salutiferas. Quæ quoniã multa sũt, de quibusdam breui sermone referemus, primumque de balneo quod experiri nobis contigit. Est itaque balneum in ripa Thormis amnis quod ad hunc modũ se habet. A Salmantica ciuitate passuum millia circiter octo mons est, ex quo latitans aqua per sulphureas venas deorsum fluit, & prope flumen erumpit, quæ tanti caloris est, quantum manus & nuda corpora ferre possunt. Cuius aquæ virtutem cum Maurus, vt ferunt, nomine Cepha expertus esset, eam clausit ædificio, tectoque lapideo cooperuit, quo & melius vim suam conseruaret, & infirmi curari commodius possent. Ædificiũ autem quod aquam sistit, piscinæ formam efficit. Ad quod aqua perueniens vbi profluere nequit, inferius crescit ac surgit in altum, & aucta gurgitem præbet, in quo homines ad pectus vsq; merguntur, & velut in pelago natant. Qui vbi languescere incipiunt aquæ calore ad viscera vitalia penetrante, statim egrediuntur, seque linteis inuoluũt, & palliis laneis coperti sudando dormiendoque purgantur omni morbo, & præcipue scabie. Huic autem balneo Ledesma oppidum cui propinquum est, nomen dedit. Ad hunc etiam modum balneum vidimus apud oppidum Beiaram, nisi quod huius aqua de gelido ac ferme semper niuoso monte per subterraneos meatus ad planiciem descendit, vbi vicus est longus qui ab ipsis balneis nomen accepit. Verum hic vim duplicẽ natura demõstrat. Sunt enim balnea duo diuersarum aquarum, quæ non multum inter se distant, quorum alterum calidioris, & alterum frigidioris est aquæ: quarum altera bibentes, altera vero lauantes homines mirifice iuuat. Hinc præterea non longe abest lacus non vtilis minus quam admirabilis, qui & turtures, pisces subnigros & excellentes gignit, & futurã pluuiã turbinemq; *Lacus admirabilis.*

magno aeris sonitu prænunciat, adeo vt eius murmur quasi tauri mugitus sæpenumero ad duo de viginti millia passuum fuerit auditũ. Apud Callecos prope Minii fluminis ripã & Orensem ciuitatem balnea multimoda, & fons oritur nomine Burga in altum scaturiens, feruentior aqua sub igne, adeo vt in eo & oua coquantur, & sues immersi facile depilentur. Sunt præterea balnea valde salutifera, in multis Hispaniæ locis, vt Hispali, Corpubæ, Granatæ, Valentiæ, Alhamæ, cuius virtute Gallicus etiam morbus (vt aiunt) pellitur. Toleti fuerũt olim balnea quatuor infra muros ciuitatis valde salutifera, quæ nuper deserta sunt & neglecta, propterea quod homines in eis lauari non audebant, neque ingredi, quoniam lauabantur in illis pustulis & Gallico morbo laborantes. Cæterum legi ego in quadam historia, regem quendam Castellæ Toleti balnea prohibuisse diruique iussisse, propterea quod multorum malorum causa erant. Qua de re scripsimus alio loco. Sunt & alterius Alhamæ balnea apud Vobercam.

De Hispaniæ fictilibus.

CONFICIVNTVR in Hispania quoque fictilia varii generis, & vasa lutea vitreaque pulcherrima. Quæ quidem etsi pluribus in Hispaniæ locis conspicua finguntur, ea tamen quæ Valentiæ, Murciæ, Sagunti, Elboræ, quæ nunc Talauera dicitur, & à me Talabrica vocata est in alio loco, item Malachæ, Toleti, Montesæ, Taurolii fiunt, pręcipua sunt & cæteris pulchriora. Vitrea vero Barcinonæ, Cataphalsi, Caspæ preciosa sũt & perlucida fiũt, & in aliis multis Hispaniæ locis satis pulchra, quæ causa breuitatis omittimus.

De Hispaniæ fontibus.

HISPANIÆ fontes qui ferme sunt innumerabiles, silentio pręteribimus, sed perpaucos quos vidimus memorabiles, breui narratione referemus. Omnes enim ciuitates, oppida, pagi, rura, siluæ, montes, valles, domus denique quam plurimæ fontibus abũdant. Siquidem apud Granatam vrbem, vt in bello Granatensi scripsimus, in quinque & viginti millibus passuum, sex & triginta fontes oriuntur, & in agro Xericii in regione Pacis Augustæ fontes scaturiunt quingenti supra mille. Quibus cum aliis omnibus omissis, de cuiusdam in Lusitania prouincia mirabili natura mentionem faciemus. In paruo itaque Lusitaniæ oppido quod vulgo Villam nouam vocant, distatque à Caura ciuitate passuum millia circiter vndecim, fons oritur ab aliorum fontium natura longe diuersus. Siquidem non solum oritur, sed etiam occidit. Oritur autem Kalendis Maiis, & ad Kalendas vsque Nouembres aquas Villænouanis abunde diffundit: postea vero occultatur latetque hyeme tota, & ad statutum tempus, hoc est ad Kalendas Maias, renascitur & accolas reuisit: quod quidem singulis annis fieri compertum est. Sunt & in multis Hispanię locis, in Callecia præsertim, fontes æstate frigidissimi. Sunt & in aliis partibus fontes memorabiles, quorum paucos qui mihi nunc in mentem veniunt, recensebo. Supra itaque Burgensem ciuitatem ad passuum millia circiter viginti versus Orientem, pagus est nomine Boetius, sub altissima rupe positus, ex qua fonticulus effluens in planiciem apud pagum pręnominatum descendit, & duos in lacus ingreditur, quibus tantam vim salubritatis & virtutis infundit, vt omnes fluxum sanguinis patientes, cum hac aqua lauantur, statim liberentur. In iugo autem montis vnde fonticulus oritur, ædes est sacra, Sanctæ Casildæ dicata, de qua Sancta alio loco scribemus. Non minoris virtutis est fons egregius in Bætica prouincia iuxta oppidum Antiqueram. Nam si lotis fons Boetius sanguinis profluuium sistit, potis Antiquarius calculos dissoluit, ideoq; à petra quã extrahit per vrinã, cognominatus est. Apud oppidum autem quod Cazares vulgo dicitur, fontem vidimus vberrimum valdeq; conspicuum, & alium huic similimũ prope arcem quam vulgus Salsas appellat. In Xatiua quoq; oppido nobili quod est inter Oriolam & Valentiam, fontes conspiciuntur Viterbii fontibus assimiles. Gaudet & oppidum Pastrana fonte suo pulcherrimo. Hæc de fontibus hactenus.

De Hispaniæ fluminibus.

AMNES in Hispania, præter alios, centũ quinquaginta numerauimus, de quibus non nisi quosdam præcipuos & insignes nominabimus. Et in primis Iberus nobis occurrit. Hic enim & fama celebris est, & vt Solinus, Strabo, & Plinius scribũt, nauigabili commercio diues, & Hispanię, vt supra demonstrauimus, nomẽ dedit. Oritur autẽ apud Cantabros iuxta paruum oppidum quod supra Fontibile nominauimus, & per multos Cãtabriæ, Nauarræ, Aragoniæ, & Laletaniæ populos ad Dertosam vsq; ciuitatem, quadringẽta

ta ſexaginta millia paſſuum fluẽs, multis auctus fluminibus in Mediterraneum littus tam violenter ingreditur, vt quinquaginta paſſus in mare profuſus dulcis hauriatur: qui præter alios multos amnes è Cantabria defluentes, Baiam, Cadoram, Tironem, Naierillam, Fruegam, Letiam, Melerum, Egam, Argam, Aragones quoq; duos qui Aragoniæ prouinciæ (vt alio loco diximus) nomen dedere: & apud Cæſarauguſtam, Gallicum, Torium: & ab altera ripa Salonem, Congedum, Veronem, & vlterius lapſus Cingam, Sicorim, atque alios ad ſe recipit. Cuius aqua vel ad bibendum, vel ad lauandum perutilis, in cadis ad regiones alias transfertur. Ea ſiquidem manus albiores & facies molliores fiunt, & pota corpora ſaniora. Sed redeo ad Sicorim, vnde Sicanos & Sicaniam dici quidam voluere. Scribunt enim olim in Hiſpania citeriori populos qui iuxta Sicorim erãt, ortis inter ſe diſſenſionibus, victos patriam deſerentes in Italiam migraſſe, & inde in Siciliam profectos. Quam cum homines iam defeſſi & quietem quærentes totam pene vacuam inueniſſent, animaduerſa terræ fertilitate, ibi conſediſſe. Eſt igitur Sicoris nobis iure memorandus, quem Lucanus nõ immerito inter primos Hiſpaniæ amnes commemorauit. Nam & aureas defert arenas, & potus eſt valde ſalubris. Barcinona quoque ex altera parte flumen habet Rubricatum à rubeis areni nominatum: ex altera vero aliud quod incolæ Beſon vocant: ego vero Bætulonem dicerem. Cinga quoque etſi per plumbeas arenas defluit, maioribus tamen amnibus annumeratur. Apud Vaſcones autem Chalybs oritur, cuius aqua ad ferri temperamentum plurimum valet, adeo vt Hiſpani non alia arma, niſi quæ temperata huius amnis aqua fuerint, approbent. A quo flumine (vt Iuſtinus ait) populi quoque Chalybes appellantur. Per Calleciæ populos Minius labitur, amnis quidem nõ famæ minoris, qui ex Oluca ciuitate profluẽs, oppidum Portum marinum cognominatum duas in partes diuidens, Pontem belſarium, & Orenſem ciuitatem, multaq; Calleciç oppida perlabitur. Cui nõ cedit alius amnis propinquus, quem Scylũ Calleci vocant, memorabilis. In eadem regione naſcitur Aſtura amnis non parui nominis, à quo Aſtures populi denominantur. Limia præterea flumen eſt nõ paruum, & Calleciæ propinquum. Quod cum Durio miſcetur, nomen amittit. Eodem modo Piſorga, Relanza, Relanzonius, Carrion, & Duratonius amnes memorabiles. Quibus & aliis Durius auctus inter Hiſpaniæ primarios amnes & celebriores connumeratur. Qui oritur, vt Plinius & Strabo ſcribunt, apud Cantabros iuxta Numantiam, & Aſturiam à Vectonibus, & Luſitaniam à Gallecis diſterminans, & in occidentem profluens Oceanũ, Zamoræ ciuitatis mœnia radens longo tractu ad mare diſcurrit, & apud vrbem Portugaliæ, quæ Portus appellatur, ingreditur. Huic ſe Thormis immiſcet fluuius aquæ valde ſalubris, qua vtitur Salmantica, & à quo cognominatur Alua. Amnis quoque iuxta Valentiam fluit qui Turia dicebatur, & à Ptolemæo Turulius fuit appellatus. De quo ſic Claudianus meminit:

Floribus & roſeis formoſus Turia ripis.

Cæterum Tagus, vt ait Plinius, ob aquas admodum ſalubres & arenas auriferas multis Hiſpaniæ fluminibus antefertur, per quem materia multa vehitur, qui à ſcriptoribus & poetis maxime celebratur. Vnde ait Iuuenalis:

--- Tanti tibi non ſit opaci
Omnis arena Tagi ---

Cuius ortus eſt in altiſſimis Aragoniæ prouinciæ iugis apud vrbẽ Albarracinum, vel (vt alii volunt) oppidum Securiũ, quod etiam Frias appellant. Hic amnis multis in locis nauigio traiicitur, & vbi Toleti mœnia pene tota circuit, & oppidum Elboram, quod nunc Talabricam vocant, Alcantaram & alia pertranſiens, longiori lapſu Lagonio nomen auferens apud vrbem Vlixbonam in occiduum cadit Oceanum. Lagonius vero priuſquã ſoluat Tago tributum, Cauræ ciuitati cæteriſque multis oppidis aquam propinat & campos irrigat. Oritur & in Laminitano agro Anas, vt ſcribit Plinius. Qui etſi piſces, præter anguillas quæ ſunt optimæ, inutiles gignit, fama tamen & natura eſt memorabilis: quippe qui modo ſe fundit in ſtagna, modo in anguſtias reſorbet, ac totus in cuniculis latet, & quaſi naſci ſæpius gaudet. Hic etiam, vt Strabo meminit, non longe oritur ab ortu Tagi. Vnde in occaſum fluit, & apud Emeritam Auguſtam longiſſimo ponte lapideo trãſitur. Inde ſeſe flectit in auſtrum. In eiſdem fere locis oritur etiam Bætis eodẽ Strabone dicente, qui etiam Sciren dicitur. Qui inter Anam & Tagum magnitudinis eſt eiuſdem, & à ſui primordio, ſicut Anas in occaſum vergẽs, inde in auſtrũ declinans per Cordubam & Hiſpalim Bæticæ prouinciæ vrbes inſignes, in idem littus excurrit. Verum enim vero Bætis amnis nobiliſſimus eſt magnæque vtilitatis: quapropter à ſcriptoribus maxime celebratur. Quod quidem declarat in eo ſemper nauigiorum multitudo tanta, quanta vix

in vllo portu maris inuenitur, apud Hiſpalim præſertim. Quæ quidem res cauſa eſt, & magni commercii, & multarum diuitiarum. Cuius etiam aqua ad inficiendas lanas plurimum valet, quam Martialis hoc modo commendauit:

Bætis oliuifera crinem redimite corona,
Aurea qui nitidis vellera tingit aquis.

A quo etiam, vt Strabo & Plinius aſſerunt, Bætica prouincia nomen accepit, & Seneca quoque refert:

Nomenque terris qui dedit Bætis ſuis.

Ingreditur autem Bætis mare plærunque magno impetu. Sũt præterea iuxta Cordubam amnes duo non ignobiles, quorum alter, autore Bocatio, Bacchus, alter Falſus nomẽ habet. Inferius autem, & in extremum Occidentem labitur Oceanus. Amnes in Hiſpania, vt ſupra dictum eſt, centum quinquaginta vidimus, in quibus pontes vltra ſeptingentos numerauimus. Ex quibus duos inſignes ſuſpeximus & memorabiles, Segouienſem ſcilicet, qui potius arcus & aquæ ductus dici poteſt, per quem aqua profluens ciuitatem ingreditur, & per omnes fere domos diuiditur, & in puteis æſtiuo tẽpore frigidiſſima conſeruatur: alter eſt Alcantaræ. Qui quidem ſunt, & altitudine, & opere, & artificio mirabiles. Atqui cum Hiſpaniæ fluuios omnes complecti & enumerare cum cauſis difficile ſit, his veluti præcipuis ac notioribus traditis, Auocedalum, Aredam, Clerum, Eſicium, Eueninium, Floxium, Iſam, quem Herculi gratum fuiſſe ferunt, Florium, Lerium, Menobam, Milam, Nebim, Saliam, Sucrinem, Tagarẽ ſiue Tadarem, Ticrã, Larnũ, Suaronẽ, Arenam, Lozoiam, Xaramam, Lethem, Beouium qui Galliam diuidit ab Hiſpania, Thicim, Rubricam, Taraxon, Sorabim, Tamarim, Henarem, Corpus hominis, Taiuniam, & complures alios ſilentio tranſeo, ne nominandis fluminibus faſtidio lectores afficiam. Et quoniam Darrum, Xenilem, & alios Granatæ regni fluuios memorabiles in hiſtoria quã de bello Granatenſi ſcripſimus, nominauimus, de fluminibus hactenus.

De Hiſpaniæ montibus.

NVNC de montibus Hiſpaniæ ſcripturus, à Pyrenæo principium ſumam. Hic enim & altitudine, & longitudine longe alios excellit. nam vt ante Diodori Siculi teſtimonio demonſtrauimus, à mari quod ad meridiem iacet, vſque ad Oceanum ferme ad Arctos ſitum Galliam diuidens ab Iberia, per Celtiberiam quoque ſtadiis tribus millibus protenditur: qui (vt Pomponius ſcribit) in Britannicum procurrit Oceanũ. Quantum autem ſit metallis diues, & arborum fructibus cæteriſque rebus fertilis, ſatis in principio diximus. Vnde autem Pyrenæus nomen acceperit, Diodori Siculi autoritate plane demonſtrauimus. In Tarraconenſi autem prouincia iuxta Barcinonem ad maris Balearici littus mons eſt altior, quem nonnulli, & vere fortaſſe, montem Iouis eſſe opinantur. Ego vero Iudæorum potius appellarem, propterea quod illic olim Iudæi ſepeliebantur, quorum plures adhuc ex magno lapide tumuli ſignaque cernuntur: cum præſertim Barcinonenſes hunc montem Moniui, & Iudæos Iuios appellauerint. In vertice autem montis ſummoque iugo turris eſt, vnde ſpeculator die linteo velo, quaſi vexillo, & noctu facibus nauigiorum aduentum Barcinonæ ciuibus oſtendit. Mons autem conſitus eſt vineis, & arboribus, & omni genere fructus abundantiſſimus. Deorſum apud Tarraconẽ promontorium eſt teſte Pomponio, quod Ferraria dicitur. A noua autem Carthagine millia paſſuum circiter quinquaginta Calpe mons eſt eminentiſſimus, qui quamuis ambitu paruus eſt, altitudine tamen aereus. Ad vnius radices oppidum eſt eiuſdem nominis. In Barcinonis quoque regione montes alii conſpiciuntur, ex quibus vnus qui mons Orius dicitur, & proprio ſitu, & ædificio cuiuſdam caſtelli videtur inexpugnabilis: item alius celeberrimus qui Serratus appellatur, etſi aſcenſu lapidoſus & aſper, Mariæ tamen virginis venerabili templo, de quo ſuo loco dicemus, à Chriſtianis continue frequentatus. Pomponius etiam ſcribit tria in Luſitania promontoria, vnum iuxta Anam flumen, quod quia lata ſede procurrens paulatim ſe ſuaque latera faſtigiat & tollit in altum, Cuneus ager appellatur: alterum Sacrum: Magnum vero alterũ, quod plurimũ maris occupet. Verũ id Plinius & Strabo Artabrum vocauere, quod magno cacumine in mare protenditur, & Hiſpaniam ad occiduum finiens, maria, terras, cœlumque diſterminare videtur. Quod Oliſiponenſe quoque dicitur à maritima & opulenta ciuitate. Prope oppidum nomine Sancti Ioannis Pedis portus, mons eſt altiſſimus vndique fontibus vberrimus, & ferro quod in eo plurimum optimumque effoditur, valde diues: cuius aſcenſus eſt paſſuum millia circiter vndecim. Refert Bocatius in vlteriori Hiſpania montem ex-

celſum eſſe nomine Canatum, in cuius vertice lacum ſummæ & inextricabilis profunditatis, colore nigrum, de quo incolæ miranda commemorant. Dicunt enim ſi quis in eum lapidem vel durum aliquid iecerit, magnã protinus oriri tempeſtatem. In Oceanum Cęliticum promontorium procurrit excelſum, quod ab altitudine Cæliticum dictum credunt. Erminius eminet in Luſitania. Gris vero citerioris Hiſpaniæ mons aſſidue fere maris vnda verberatur. Maſtoria Medulusque montes à Bocatio produntur. Et in Gallecia mons celebris, qui Sacer appellatur, de quo paulo poſt dicemus. Inter Luſitaniam, Bæticam, & Tarraconem ſurgit Solorius, Sulurius inſuper, qui, vt Bocatius eſt autor, à ſingularitate nomen ſortitus eſt, quoniam ſolus omnibus altior videatur, aut ſolis radius in eo appareat, antequam alibi oriatur. Ab vrbe Tiriaſſona mons nõ longe diſtat, à Caco latrone Vulcani filio, quem ab Hercule interemptum fuiſſe fabulãtur, nominatus eſt & fama notiſſimus. Apud Callecos mons eſt Sacer appellatus, vt ait Iuſtinus, quem ferro violari nefas erat: ſed ſi quando fulgure terra proſciſſa eſſet, detectum aurum velut Dei munus colligebatus. In Luſitania præterea mons celeberrimus à Salmantica quadraginta fere millia paſſuum diſtat, quem Rupem Gallicam vocitãt, qui ob ſacram & inſignem ædem Dei genetricis, magnumq; religionis cultum à plurimis aſſidue populis frequentatur, & ab his maxime qui Salmanticæ literis incumbunt. Ii enim quotannis cum dies immunes & à lectionibus vacui, huc proficiſcuntur. Cæterum de hoc templo atque aliis Hiſpaniæ locis religioſis latius poſtea ſcribemus. In mediterranea autem regione duo montes inſignes apparent, è quibus alter Idubeda à Cantabris originem ducens ad mediterraneum littus protẽditur: alter Oroſpeda medio ex agro modo in Occaſum, modo flectens in Auſtrum, ſiluam prope Carthaginem & Malachæ regionem attingit, ibiq; finitur. In medio autem citerioris & vlterioris Hiſpaniæ ſaltus eſt Caſtulonenſis altitudine longitudineq; memorabilis, qui nunc vulgo Serra Morena dicitur, & Mariani mõtes Latine vocantur. Apud Granatam Baſtani ſunt altiſſimi montes, de quibus in hiſtoria belli Granatẽſis ſcripſimus. Sunt præterea & alii permulti Hiſpaniæ montes & in maris littoribus, & in media regione atq; lateribus, præſertim apud Aſtures & Callecos populos, qui etſi ſunt memorabiles, eos tamen quia nominibus caret, quæ (vt arbitror) longiſſimo æuo & ſcriptorum incuria à memoria receſſerunt, relinquimus. Item nemora ingentia, lucos frequentes, ſiluas amœnas, lacus magnos & piſculentos, ſtagna immenſa atque paludes cauſa breuitatis omittimus. Ne quis tamen montuoſam aut aſperam putet Hiſpaniam. Nam maiores quidem planicies habet. Siquidem longiſſimas per Hiſpaniam vias confecimus, in quibus ne lapillum quidem inuenimus. Reſtabat nobis dicẽdum de ſparti, iunci, cannabi, & lini copia. Nam ſpartarios, iuncarios, linarios, & cannabinos habet Hiſpania campos. Hinc enim ſpartum in Italiam Romamque mittebant Hiſpani, ex quo Romani ſportulas faciebant, vt inquit Iuſtinus. Et Strabo teſtis eſt propter ſparti copiam in Hiſpania Spartarium campum fuiſſe nominatum, & à iunco plurimo Iuncarium. Linum vero plurimum optimumque in Hiſpania legitur, ex quo tenuiſſimæ candidiſſimæque telæ conficiuntur: in quibus texendis omni arte linificii mirabilis Hiſpanarum mulierum induſtria ſolertiaque perſpicitur. Cæterum linificii palma Luſitaniæ, & lanificii Carthaginenſis prouincię mulieribus tribuitur. Sed de rebus quæ in Hiſpania vi terræ & hominum induſtria procreantur hactenus. Nunc autem, vt polliciti ſumus, primum de Hiſpaniæ regionibus, de ciuitatibus & oppidis, deinde de primis Hiſpaniæ cultoribus, poſtremo de regibus, de viris illuſtribus in officio rei militaris & ſcientiæ, atque de rebus aliis memorabilibus conſcribemus. Cæterum cum & longo æuo, & Barbaricæ gentis aduentu Hiſpaniæ ciuitatum & oppidorum nomina mutata ſint & corrupta, ſi qua non ſatis Latine nominauerimus, impetrata à lectoribus venia, quoad poterimus, diligenter operam dabimus, vt à nominibus, quibus nunc oppida vulgariter appellantur, non longe diſcedamus. Multa ſiquidem ad aurium iudiciũ formabimus, & quibuſdam fortaſſe ſuum nomen antiquum reſtituemus, vt non omnia barbare, ſed aliquid quoque Latine ſcripſiſſe videamur. Cęterum lectores obſecro, vt ſi quid in hoc opere deſiderauerint, mihi clemẽter ignoſcant: qui quidem minari non debebunt, ſi homo non Hiſpanus res omnes Hiſpaniæ memorabiles quæ ſunt pene infinitæ, non comprehenderit.

LVCII MARINEI SICVLI DE REBVS HISPANIÆ LIBER II.

De Hiſpaniæ diuiſione, ciuitatibus, & oppidis.

POMPONIVS Mela vir Hiſpanus & ſcriptor excellens, Hiſpaniam omnem diuiſit in partes tres: Tarraconenſem, Bæticam, & Luſitaniã. Alii vero quorum ego ordinem ſequar, Calleciam addiderũt & Carthaginenſem, quam nonnulli Carpentariam dixerunt. Appianus Alexandrinus Tingitanam, quæ in Africa eſt, Hiſpaniæ prouinciam eſſe voluit, propterea quod olim à Bætica iura petere conſueuit. Ego vero hac ſepoſita, de quinque reliquis, & à Bætica primum ſcribere incipiam. Illud vero hoc loco non omittendum putaui, vt quoniam duæ ſunt Hiſpaniæ, citerior ſcilicet, & vlterior: ſciat lector inter vtramque terminum eſſe Saltum Caſtulonenſem, quem Marianum montem Latine, & Serram Morenam vulgo vocari ſupra diximus.

De Bæticæ prouinciæ deſcriptione.

BÆTICA prouincia, vt ſupra dictum eſt, à Bæti flumine eam mediam ſecante (teſte Plinio) nomen accepit. A Turdulis etiam ſiue Turdis populis Turdetania dicitur, & à Vandalis (vt quidam volunt) Vandalia ſeu Vandaluſia nuncupatur. Incipiens autem Bætica à Gadibus & Herculis columnis ad Saltum Caſtulonenſem, & à meridie maris littora longiſſimo tractu circumiens pene ad Carthaginem nouam protenditur, ex alia vero parte flumine Ana à Luſitania diuiditur. Cuius longitudinem quadringentorum ſexaginta quinque, latitudinemque ducentorum quinquaginta & ſeptem millia paſſuũ Marcus Agrippa prodidit. Nunc autem quoniam de Hiſpalis & Cordubæ rebus in hiſtoria quam de regibus Catholicis ſcripſimus, debitã mentionem fecimus, & quia in belli Granatæ deſcriptione centum regni Granatenſis oppida, quæ Bæticæ prouinciæ fere ſunt omnia, nominauimus, reliqua nunc eiuſdem prouinciæ oppida breuiter proſequemur. Initium itaque eſt Bæticæ prouinciæ Gaditana ciuitas, quæ Calix nunc appellatur, portu maris & Herculis columnis temploque memorata, vbi quondam (vt Plinius & Marcus Tullius ſcripſerunt) Argantonius annos octoginta regnauit, & centum vixit & viginti. Sunt & alia ante Gades oppida maritima, in quibus oppidum eſt nomine Palus, Capiciũ, Nebriſſa, Chipion, Xericium, quod ego Mundam eſſe opinor. Item Sanlucar, Barrametum connumerantur, & Rota, Chyclana, Conil, Barbatum, Algecira, Zibaltar in maris littoribus apparent. Poſt autem Zibaltar Carteia eſt Tarteſſos à Græcis appellata, Plinio Straboneque dicentibus: item Belon, quod nunc Taripha dicitur. hic eſt & promontorium Iunonis. Sunt & alia multa oppida quorum nomina me latent, præter Calpe quod vidimus ſub alto monte ſitum, & Abilæ quod in Africa eſt, oppoſitum. Nebriſſa vero Venerea cognominatur, quam ego à Libero patre dictã fuiſſe arbitror: quod nomen ipſum videtur oſtendere. Nebris enim hinnuli, hoc eſt ceruini pulli, ſignificat pellem, qua Bacchi ſacerdotes induti ſacrificare ſolebant. In agro autem Turditanorum & in ripa Bætis Hiſpalis eſt vrbs admodũ celebris, de qua, vt ſupra diximus, plenius alibi ſcripſimus. Vbi quondam Calpophorus presbyter & Abundius ſub Maximiano crudeliſſimo tyranno martyrium paſſi fuerunt. Hiſpalis ex aduerſo, vt ſcribit Plinius, Oſſet oppidum habet olim Iulia Conſtantia cognominatum, & nunc vetus Hiſpalis appellatur. Inferius autem Horta eſt optimo vino memorata. Sunt & in hac regione oppida multa & memorabilia: Guadalcanalium, Conſtantina, Alaniz, Cazallia, Manzanilia, Aſnalcazar, Veas, Luque, Vbeda, quæ quidem oppida ſunt omnia magnis rebus & multis, ac præcipue frugibus & optimo vino memorata: ex alia vero parte, Carmona, Vtrera, Molares, Coronil, Alcala, Guadaira, Spera, Arcus, & Methymna Sidonia cognominata, rebus omnibus ad hominum vitam neceſſariis abundantiſſima. Ornant & hanc prouinciam plures etiam ciuitates & inſignes populi diuites & campis frugiferis memorabiles, & præcipue Aſtigi, quam ego eam eſſe reor quam incolæ nunc Eciiam vocant, vbi fuit olim, teſte Plinio, cõuentus iuridicus: & oppidum Ategua, quod nunc Marchenam vocant: item Mairena. In Bætis autem ripa Corduba eſt vrbs inſignis & antiquiſſima Marcelli opus, teſte Strabone, & colonia patricia, dicẽte Plinio, de cuius rebus memorabilib. alio loco ſcripſimus.

Sunt &

Sunt & huius regionis multæ magnæque vrbes oppidaque nobilissima, ex quibus nobis occurrunt Vahenẽses, quorum patria Iulia regia dici potest ex antiqua inscriptione in eo loco reperta: item Caprenses, qui Gabienses dicebantur, Montillani, Aquilarẽses, Rabulenses, Mons maior, Castrum amnis, Porenenses, Arquitani, Andugiarenses, Vbedenses, sed Vbedam eam esse opinor, quæ in Cæsaris commentariis Vlla dicitur. Hic est & Baecia ciuitas nobilis, Alcalenses, qui regii cognominantur. Item sunt Antiquarii in alto loco positi, & fonte aquæ salutiferæ quæ calculos, vt alio loco diximus, dissoluit, nominati. Sũt & Archidonenses, Cannetenses, & Oliuarenses, Osunates, Stepenses, Fons Oueionensis, Acceani, Lorani, & oppidum Palma non solum nomine clarum, sed etiam pulcherrimis mulieribus nobilissimum. Sunt & Feriani, Benalcazarenses. In fine autem Bæticæ prouinciæ Castulo est, quæ fuit olim magna ciuitas, vnde, teste Liuio, fuit vxor Hãnibalis nomine Helce. Cæterum Castulonis hodie quota pars superest, quæ vulgo Caslona dicitur. In Lusitaniæ cõfinibus & apud Anæ fluminis ripam Pacensis ciuitas colitur, quæ Pax augusta dicitur, à qua Xericium alterum oppidum cognominatur, in cuius agro fontiũ maximus numerus, vt alio loco scripsimus, oritur. Cæterum mihi nunc in mentem venit ciuitas non obliuione quidem, sed memoratu digna, & inter Bæticas vrbes primarias merito reponẽda, quæ Mentesa dicitur, & ab incolis nũc Iaen appellatur, de qua Maurus quidam mihi consultus, & non indoctus, Iaenem gazam & rerum copiam significare respondit. Cuius sententia mihi probabilis videtur & vera. Est enim ciuitas nobilissima & Christi sudario, quam Veronicam vocant, celebertima. Sita est sub alto colle cincto muris & propugnaculis, quæ fontes habet amœnos, & fertilissimos campos hortis & fructibus abundantissimos.

De Lusitania prouincia.

LVSITANIA quam Plinius à lusu Liberi patris & Lysa Paneq; præfectis eius nomen accepisse scribit, ab occidẽtali freto Orientem versus apud Iberum amnem & Hispaniæ fere medio Tarraconensi prouinciæ coniungitur. Alii vero Lusitaniam dictam volũt à Luso, qui fuit vnus de primis Hispaniæ regibus, vt postea demonstrabimus. Est autem Lusitania ea pars Hispaniæ quæ tribus fluminibus, Tago, Durio, & Ana continetur, in cuius fere medio sita est Toletana ciuitas in vmbilico totius Hispaniæ. Magna quippe est Lusitaniæ prouincia, quæ à Bætica flumine Ana, & à Callecia Durio diuisa, in longitudinem ad passuum millia circiter quingenta, & latitudinem trecenta & quinquaginta protenditur. In qua multi sunt & nobilissimi populi, de quibus aliquos insignes & nobiliores Hispano sermone magis quam Latino, quoniam fieri aliter non potest, nominabimus. Et quoniam Lusitaniæ prouinciæ Portugaliæ regnum caput est, inde scribere incipiemus. Vbi ciuitas est insignis & memorabilis, quam quidam regiam nominauerunt, & ab aliis Vlixbona dicitur, quam etiam Strabo vocauit Vlysseam. Quæ quidem vna cum Mineruę templo Vlyssis indicabat errores, & illuc exercitum delatum. Est autem Vlixbona ciuitas maxima & opulentissima, atque vna ex vrbibus totius Hispanię primariis, & portu maris & Tagi fluminis ostio diues. Sita est in edito loco, & tres habet colles. Quę, teste Plinio, Salacia quoque fuit appellata & Iulia fœlicitas Romanorumque colonia. In ostio autem Durii qui (vt supra diximus) inter Lusitaniam fluit & Galleciam, ciuitas est celebris nomine Portus, quę, si non fallor, à Gallis in Hispaniam nauigantibus hoc nomen assumpsit, & Gallorum portus appellatur. Sunt & Ebora, & Cohimbrica ciuitates, quę nomen antiquũ retinent. Sunt & alię duę ciuitates, Braga scilicet & Lamegus. In maris autem littoribus sunt Matusinenses, Valentia cognomine Minia, Villa Comitis, Auerones, Cezimbrani. A quibus remoti sunt Pons Lunę, Guimaranẽses, Lamarãtini, Trancosones, Chauenses, oppidum magnum nomine Sanctarena, Braganciani, Villa regalis, Valdixani, Frexo cognomine Spadacincta, Tomarenses, Eboramontani, Telbenses, Almedani, Monfortenses, Pinnelenses, Muxagatani, Penedones, Teutugalenses, Turris vetus, Abrantenses, Cetubalenses, Tauilenses, oppidum Pharum, Castrum marinum, Ossonoba quę nunc Siluensis dicitur (quam non longe abesse arbitror à Sacro promontorio quod nunc Sanctum Vincentium vocant) oppidum Visoncium, quod nunc Viseum dicitur. Siluensis diœcesis populus est nobilis nomine Portus marinus, in quo Ioãnes summus Pontifex consensu Portugaliæ regis, ordinem nouum equitibus qui Christo militarent, instituit aduersus Mauros per vlteriorem Hispaniam discurrentes: cuius militię prę fectus maior est Abbas Alcohasiani monasterii Cisterciensis ordinis Vlixbonensis diœcesis, qui & conscribendi & exautorandi militem facultatem habet. Sunt præterea Por-

tugaliæ regni populi memorabiles Arroiolenſes, Portillini, oppidum Stremucium, Borba, Villa Delicioſa, Mons Arius, & Iuris mœnia, quod oppidum vulgus hodie Geromenna vocat, Campus maior, oppidum nomine Mons Fortis & Oretondum. Sunt & alia oppida Portugaliæ regni quorum nomina mihi non occurrunt, ideoque tranſimus ad alia. Relicto itaque Portugaliæ regno quod (vt ſupra diximus) eſt prouinciæ Luſitaniæ principium, Alcantara eſt in ripa Tagi oppidum ponte conſpicuo nominatum. Ad dexteram eſt Emerita Auguſta vetuſtiſſima ac nobiliſſima quōdam in margine Anæ, quæ fuit, vt alio loco diximus, Romanorum colonia, & præter alios honores & res in ea memorabiles arcu lapideo & ponte longiſſimo celebris & antiquis ædificiis memorabilis. Hinc ad millia paſſuum fere triginta diſtat oppidum nobile Tagum verſus, quod hactenus Caſtrum Cæſaris appellandum cenſui, vulgarem ſequutus opinionem: nunc autem Caſam Cereris dicendum arbitror, propterea quod in eo Cereris imago nuper inuenta eſt ſpicarum manipulum manu tenens. Eſt autem oppidum magnum & cuiuſdam fontis de quo ante ſcripſimus, vbertate conſpicuum. A quo non longe diſtat aliud oppidum quod Troſilum vocant, & ego Turrem Iuliam dicerem. In hac regione Montangi Caſtellum cernitur excelſum, quod oppidum magnum fuit olim, & magna Calabria dicebatur, Metellinum aliaque multa habuit municipia. Paulo autem ſuperius oppidum eſt nomine Guadalupus, quod luporum flumen à nonnullis interpretatur, in quo eſt venerabile templum Dei genetrici dicatum, & multis magniſque miraculis nominatum, de quibus alio loco dicemus. Eſt & oppidum nomine Deletoſum, cum Bilbitanis & Almarenſibus. Inter Tagi vero accolas quos ſupra memorauim⁹, ſunt Boracēſes, Arroiotani, qui Porcitani cognominantur. Sunt & Labrocenſes albo vino diuites. Inferius Valentini ſunt de Alcantara vulgo cognominati, quibus propinqui ſunt Alburquerquitani & pons ab Archiepiſcopo cognominatus, item Oropeſani, Talabrici, qui Elborenſes quoque dicuntur, & oppidum Sancta Olalia, Maquetani, Scalonenſes atque alii populi plures Orientem verſus, de quibus poſtea ſcribemus. Nunc enim ad alias huius prouinciæ vrbes & oppida memorabilia quæ ſunt inter Tagum & Anam, veniemus. Eſt itaque in Lagonii fluminis ripa Caura ciuitas, quæ ex vno latere Ciuitatenſes, & ex altero Galiſtenſes habet, quibus Placētia pulcherrima ciuitas, magno eſt ornamento: cuius citria cæterique arborum fructus, paniſq; candidiſſimus ſemper abundat. Habet autē Placentia oppida amœniſſima, in quibus eſt Xarahicium nemoribus & arborum fructibus placidiſſimum, item Paſaronē in conuallе iacens velut altare in teſtudine templi, ficubus, citriis, & aliis arborum fructibus abundantiſſimum. Eſt & oppidum Capera Romanorum ædificium, & balneis, de quibus ſupra ſcripſimus, valde notum. A quo non multū diſtat Mons maior, in ripa fluminis quod Corpus hominis appellatur, de cuius fructib. & aliis rebus alio loco ſcripſimus. Huic propinquum eſt oppidum Beiara, quod olim Culmenarium dicebatur. eſt autem multarum rerum fertilitate fœliciſſimum. Sunt & in hac repione populi multi non ignobiles, in quibus pons Conguſtus, Ceſpetoſani, quibus proximi ſunt Bonillenſes, qui Serrani cognominantur, item oppidum Petrafićta, & vici duo nobiles, quorum alter Villa Liberalis, & alter Villa Torus appellatur. A quibus intercapedine prope paſſuum viginti millium diſtat Abila ciuitas memorabilis, turribus & propugnaculis tuta, diuique Vincentii martyrio fœlix, & multarum rerum copia ſemper abūdans. Thormis habet oppoſitos Barcenſes, Saluaterranos, Aluanos Thorminitanos cognominatos, quorum caput eſt & domina Salmantica clariſſima ciuitas, omnium virtutum diſciplinarumque genitrix, equitibus & literatis alumnis illuſtris, in qua eſt omnium rerum ſumma fertilitas. Hinc omnes fere Hiſpaniæ vrbes & populi tanquam à domina leges, inſtitutiones, & iura petunt. Hinc ad curiam regiam conſiliarii, iureconſulti, theologi, medici, & cuiuſcunque ſcientiæ doctores & magiſtri proficiſcūtur, ex collegio pręſertim quod Iacobus Agnaius Hiſpalenſis archiepiſcopus condidit & cenſu magno dotauit. Et non minus poſthac ciuitas hæc illuſtrabitur alio collegio quod nunc Alphonſus Fonſecus archiepiſcopus Toletanns ædificat, pro quo excolendo magna & cura & diligentia quæri iubet homines in omni genere literarū doctiſſimos. Ad hoc præterea litterarum gymnaſium & omnium virtutum emporium quamplurimi nō Hiſpani ſolum, ſed aliarum quoq; nationum literis operam daturi conueniunt, qui ciuitatem per ſe nobilem atque diuitem, multo clariorem & opulentiorem faciunt. In qua quidem noſtris temporibus eorum qui literis operam dabant, millia ſeptę recenſita fuere. Multa præterea de rebus huius nobiliſſimæ ciuitatis mihi ſeſe offerebant, quę prætermitto, quoniam ſunt à me in alio opere memorata. Cui finitimi ſunt Ledeſmani balneis noti, & Villoriani campis fertilibus & aquis abundantes. Poſthæc ſunt Areualenſes, Olimetani raphanis & aliis rebus hortenſibus nominati, Fons Tiberii, & Matrigalen-

galenſes albo vino diuites,aliique populi non ignobiles,in quibus eſt Methymna cognomento Campus. Hæc etſi ſæpius incendium paſſa eſt, ſoli tamen vbertate, nundinis, & mercatorum cōmerciis ditiſſima ſemper eſt, & honorificis priuilegiis à tributis & vectigalibus immunis,in qua neq; rex habet officium,neq; pontifex ſacerdotium. Quæ quidē res mali potius quam boni cauſa eſt,propterea quod in conferendis ſacerdotiis & magiſtratibus incolæ plærunque crudeliſſime digladiantur. Quare meo quidem iudicio Methymnæ cultores ſapientiſſime ſanctiſſimeque ſibi ſuiſque poſteris conſulerent, ſi ſuis regibus officiorum conferendorum, & Romanis Pontificibus beneficiorum ſuum ius & facultatem renunciarent hac conditione, vt officia & beneficia ſuæ patriæ non niſi propriis Methymnæ naturalibus & magis idoneis ac promerentibus conferri poſſent. Sic enim & equites militiæ munus libentius atque diligentius exercerent laboreſque tolerarent, & ſacerdotes honeſtius viuentes vigilantius literis & diuinis officiis incumberent, atque etiam vtrique Deo optimo maximo ſuiſque principibus ſeruientes multorum malorum cauſas euitarent. Quod quidem ſi vel noſtro,vel ſuo proprio conſilio fecerint,eos profecto non pœnitebit. Immunitates autem Methymnæ & honores quos in expugnatione Rondę promeruit,in eius honorificentiſſimis priuilegiis continentur. Cuius panis & vinum inter meliora totius Hiſpaniæ elementa nō immerito commendatur. Hinc Orientem verſus ſunt Collarenſes pinetis & fontibus abundātes. Sunt & Pontidonia,Tutela Durio cincta pene tota. Supra ſunt Oliuarenſes albo vino & lapide ſpeculari crocoque diuites, ab amne Durio paſſibus circiter mille remoti. Quibus proximi ſunt Portillani, & oppidum Traſpinetum. Supra quos oppidum eſt nomine Penna fidelis arce alta pulchraque conſpicuum,item Curellani ſuo quoque caſtello defenſi. Sunt apud amnē Durium Aranditani ab eodem Durio cognominati Roani nō ignobiles,& oppidum nomine Sancti Stephani cognomento Gormaziū in alto loco poſitum,& inferius Oſomenſis ciuitas cum ſuo Burgo,quam Plinius,ni fallor,Vxamam vocat, & vir quidam doctiſſimus, vt à diſcipulis eius accepimus, Os ouium nominauit. A Durio quoque non longe diſtant Soriani,quos quidam Numantinos eſſe opinantur: quæ magnos habet ac fertiliſſimos campos,vbi multas eſſe ſacras ædes accepimus. In hac quoque regione Sepulueda ſita eſt fide nobilis, à Catholicis principibus honorifico priuilegio & immunitate donata. Sita eſt autem in excelſo loco,rupibus aſperis & fluminibus circundata. Hic eſt & pagus maximus nomine Spinarius, omniū pagorum totius Hiſpaniæ nobiliſſimus, & cū eo alii duo velut eius ſuburbani, quorū alter Villa Caſtina, & alter Reacia nomen habet. Ab alio autem latere Petracia eſt, quæ Serrana cognominatur, & (vt quidā volūt) Traiani Cæſaris patria. Hinc ad paſſuum millia ſeptem ſitum eſt Toroganū,Camera Segouienſis epiſcopi,cum arce munitum,& nemore multæ venationis amœnum. Quod oppidum fuit olim multo maius. habet enim prope ſe ædificia multa diruta & ſolo æquata: quapropter exiſtimatur expugnatum fuiſſe. Verſus autem Orientem ſunt Aguillonenſes fertilitate diuites, & Tenſæ populus in edito loco poſitus, non minus abundans, & caſtello fortiſſimo defenſus. Horum autem & aliorum populorum Segouia mater eſt nobiliſſima ciuitas,Hiſpanorum regum ſimulachris illuſtris, & ædificiis ponteq; ſumma arte cōſtructo memorabilis. In qua quidem ciuitate plures ſunt equites,nobiles,mercatores,diuites, & venerabiles ſacerdotes. Eſt præterea ciuitas lanificio diues. Sūt in ea multæ ſanctorū ædes,& deuotiſſima monaſteria. Sita eſt ciuitas in alto loco,& vndiq; turrib. & validiſſimis ædificiis munita. Abundat multis rebus ad vſum vitæ neceſſariis, quæ de multis partibus in eam deferuntur. Neque minus abundat aquis per pontem & aquæ ductus aduectis, & in quamlibet domū profuſis. In cuius regione oppidum eſt nomine Sancta Maria niuis, item Iſcar & Cocca populi diuites, & optimo pane cæteriſque rebus notiſſimi. Iiſdem bonis abundat oppidum quod vulgo Martin Munnoz hoſpitiorum dicitur,& Moiatū. Hic eſt & oppidum Guadarrama ſub monte poſitum,quod Tabulatā vocant, quæ caſeis paruulis abundat. Nunc autem deſcendere oportet ad oppida quæ ſunt in regione Toletana memoratu digniſſima. Quæ ſunt hæc ſcilicet,vt ab inferiorib. incipiamus: Ciuitas Regalis vbertate ſoli fœlix, Almagrum quod magnæ vrbis ſimilitudinē refert, Malagonium, Hieuanes, Orgacium, Aiofrinum raphanis & herbis hortēſibus abundans, Cueruini napis memorati. A quibus parum diſtant Galuini, Illeſcani, & Caſtellū Aquilæ in altiſſimo loco poſitum,cretaceo agro ditiſſimum: qui populi cum aliis quamplurimis Toletanę ciuitati parent,& res omnes neceſſarias ſubminiſtrant,quibus ampliſſima ciuitas opulētiſſima eſt. De qua nunc ſcripturi ſumus longiori narratione. Sunt enim in hac ciuitate multa memorabilia. Quapropter,vt alio loco diximus,ſita eſt Toletana ciuitas in mediō Luſitaniæ prouincię,& in vmbilico fere totius Hiſpanię,in alto atq; aſpero loco ambulatuq;

difficili propter aſcenſus atque deſcenſus, cuius maiorem partem Tagus amnis circuit, & belli tempore ab incurſionibus hoſtium defendit. Reliqua vero pars quæ ad arcticum polum ſpectat, muris validiſſimis & centum quinquaginta turribus tuta eſt valdeque munita. Cæterum quoniam de rebus Toletanæ ciuitatis memorabilibus multi multa ſcripſerunt, ego pauca breuiter attingam. Eſt itaque Toletum multorum iudicio, huius prouinciæ quæ cæteras Hiſpaniæ regiones vbertate ſoli cœlique ſerenitate præſtat, caput, & reliquis Hiſpaniæ vrbibus primariis decori & ornamento maximo. In ea ſiquidem magnus eſt equitum numerus, & illuſtrium virorum ſplendor maximus, ciuiumque frequens & maxima multitudo. Eſt ciuitas hæc non equitibus modo nobilis & viris primariis illuſtris, verum etiam ſacerdotibus venerabilis, & diſciplinis liberalibus exculta, artibuſque mechanicis & officiis adornata, mercatorumque commerciis admodum diues, & præſertim lanificio & ſerico. Quibus duobus officiis, lanæ ſcilicet & ſerici, viuunt in hac vrbe hominum millia fere decem. Eſt præterea Toletana ciuitas admodum diues multis & magnis mercatorum commerciis, quę hinc ad omnes fere populos Hiſpanię deferuntur. Quæ res cauſa eſt vt hæc ciuitas rebus omnibus abundet, quas afferũt multi qui veniunt, vt res alias venales ad alios populos deferant. Hac itaque rerum commutatione cõtinuoque commercio res Toleti ſæpe vilius venduntur, quam in locis vnde vehuntur. Eſt autẽ ciuitas diuiſa in regiones tres & viginti, quas nobilitat & illuſtrat ampliſſimũ & pulcherrimum templum, quod meo iudicio ſacras omnes ædes & forma conſpicua, & magnificis ædificiis, ſacerdotumque miniſteriis, & ditiſſimis ornamentis antecedit. In quo templo feneſtræ ſpeculares complures, & imagines pulcherrimæ variis coloribus admirabiles & antiquas hiſtorias referentes conſpiciuntur: vbi perlucida ſpecula ſeptingẽta quinquaginta numerauimus. Eſt præterea templum non ſolum magnum, pulchrum, ſplendidum, ſed etiam opulentum. In cuius ſacellis quæ capellæ vocantur, & ſunt numero plures, altaria ſunt ornatiſſima. Eſt operæ precium & res admirabilis, videre ſingulis diebus, & præcipue feſtis huius eccleſiæ, ſacerdotes ſupplicantes, nũc aureis, nunc argenteis, modo ſericis, aliquando purpureis, & nonnunquam gemmatis ornamentis & precioſiſſimis indutos, rem diuinam celebrantes, & horas canonicas concinentes. Huius eccleſiæ antiſtes in Hiſpania ſecundus eſt à rege, non dignitate ſolum & autoritate, verum etiam populis, vectigalibus, & potentia, ſub cuius imperio, præter alios minores populos, oppida nobiliſſima ac memorabilia ſeptemdecim gubernãtur, quæ nominatim recenſuimus, ex quibus magnus eccleſiæ Toletanæ reditus exigitur. Cuius ſumma eſt, vt accepimus, anno quolibet ducẽtorum millium ducatorum. Sunt in hoc ſanctiſſimo templo portæ numero ſex, tres ad occidentem, duæ ad meridiẽ, & vna ad ſeptentrionem, quæ ſunt omnes grãdes & pulchræ laminis æreis adornatæ, multiſque ſanctorum ſimulachris & imaginibus, & antiquis hiſtoriis conſpicuæ. Sunt & pulpita duo pulcherrima atque ditiſſima. Eſt & altare, in quo diuus Illephonſus celebrauit, acceptis ornamentis ad ſacrificandum neceſſariis à virgine Dei genitrice. Sed quid præterea dicam de ſacrificio, & de magnis diuitiis, & ſanctorum reliquiis quæ in eo ſunt admirabiles? quid de ſacellis & altaribus huius templi, quæ capellæ vocãtur, adornatiſſimis, de ea præſertim quam Cabildum vocãt, aureo tecto & omnium pontificum qui hactenus huius eccleſiæ fuerunt, imaginibus ornatiſſima? Diſtribuuntur in hac eccleſia multæ pauperibus eleemoſynæ ſingulis diebus, & octo minæ cocti panis hominibus probis & inopia laborantibus qui mendicare erubeſcunt. Antiſtes præterea triginta pauperibus quotidie largitur elementa, qui magnas etiam cõfert eleemoſynas viduatis pauperibus, & orphanis virginibus maritandis, cæteriſque multis hominibus neceſſitate coactis. Sunt in hac ciuitate monaſteria multa monachorum, monialium, & beatarum, intra muros & extra, omnia ordinis obſeruantia. Numerauimus in hac vrbe fora venalia ſeptemdecim, in quibus omnium rerum copia ſemper abundat. Sunt & hoſpitalia duo, quorum alterum reditus habet ducatorum millia quinque, quibus infirmi curantur, & infantes expoſiti aluntur, quorum quidem ſemper magnus eſt numerus: alterum vero cuius reditus eſt prope duo millia ducatorum, in quo curantur homines qui puſtulis & Gallico morbo laborant. Eſt & aliud memorabile, vbi degunt & aluntur homines ſenſu carentes: in quo præterea duodecim ſenes & vita probi, qui labores ferre & victum quærere nequeunt, aluntur. Atque alia quæ cauſa breuitatis omittimus. Vicos autem propter domorum frequentiam denſitatemque plures habet anguſtos, qui propter aſcenſum ac deſcenſum ſunt ambulatu difficiles. Cæterum domus magnæ ſunt & intus pulchriores ac commodiores, quam foris & extra videntur, quarum millia fere quatuor quadratis impluuiis vtuntur, & plæræque puteis. Sed venio nunc ad alia quæ ſunt extra vrbem & memoratu digna.

Toletum.

Reditus eccleſiæ Toletanæ.

Facit

Facit enim Toletum fœlix & opulentum Tagus amnis diues & amœnus, qui Toletanis pisces optimos propinat, hortos irrigat, materiam multam è nemoribus lōge distantibus euehit, cuius aqua quæ per aureas arenas defertur, est valde salubris, & Toletanos hortos irrigans causa est, vt fructibus & herbis hortensibus tota ciuitas abundet. Vtraque siquidem ripa fluminis Orientem versus hortis & arboribus ad passuum millia fere quinque fertilissima est, & ad Occidentem tantundem: ad Meridiem vero & Septentrionem prę ter vineas multas, sunt etiam amygdalorum & aliarum arborum quasi nemora iucundissima. Seruiunt Toletanæ ciuitati tanquam dominæ multis & variis rebus oppida multa, pagorumque maximus numerus, qui quidem ciuitatem diuitem faciunt & rebus omnibus abundantem. Alia præterea multa de rebus Toletanæ ciuitatis memoratu digna mihi veniebant in mentem, quæ causa breuitatis omitto. Cæterum de conditore Toleti affirmare certi nihil possum, tametsi non desunt qui ac Hercule conditum fuisse fabulatur. Quorum sententia, quoniam sine teste loquuntur, mihi certe non satisfacit, cum præsertim librum legerim antiquissimum, sed sine principio & sine nomine eius qui scripserat, in quo mihi multa vera esse videbantur, vbi Toletū à Ptolemæo & Bruto conditū fuisse scriptum erat. Sed à quo Ptolemæo & à quo Bruto non declarauit. Est autem Toletum ędificium antiquum, de quo Plinius & alii scriptores meminerūt. Vbi fuit olim magnum theatrum extra muros ad partem septentrionalem, quod etiam nūc etsi dirutum & quasi complanatum est, eius tamen vestigia formaque cernuntur. Quod opus Romani magis quam aliæ gentes vllæ facere consueuerunt. Post Toletum autem Orientem versus oppida sunt & populi memorabiles, Hiepes albo vino diues, Ocania chirothecis memorata. Sunt & Lilienses, Laurētii, Balbi ingenio & eruditione memorabiles. Inter Illescanos & Complutenses duos nobilissimos populos, velut in triangulo positum est oppidum magnum & relatione dignum, quod alii Madritum, alii Maioritum, alii Mantuam Carpentanam vocant, & Madrid vulgus appellat. Est autem in optimo loco & sub claro cœlo situm, & non modo populosum & cultoribus plenum, sed etiam multis equitibus nobile, Regumque domicilium frequens: propterea quod multis & magnis rebus abundat, & ædibus magnę familię capacibus. Hic est & saluberrimus aer, vbi Carolus Imperator diebus paucis commoratus, morbo quartanæ quo diutius laborauerat, liberatus est. Habet hoc oppidum terminos amplissimos, & fertilissimos campos, quos Matricios lumbos appellant, qui quidem sunt frugibus & vino cæterisque rebus abundantissimi. Sunt & silicū lapicidinæ, qui veluti ingentia saxa cernuntur in ædificiis. Quapropter hoc oppidum Hispanus poeta Ioannes Mena, vir doctus & ingeniosus, igne cinctum esse suis elegantissimis carminibus cecinit. Quod etsi ciuitas non est, ciuitatis tamen instar habet. In quo sacræ sunt ædes numero viginti, præter alias quæ sunt extra muros. In cuius circuitu turres numerauimus octo & viginti supra centum. Est præterea fœlicissimū sancti Damasi summi Pontificis meritis, qui Maioritanus fuisse perhibetur à multis. Habet etiam nunc alumnum virum sanctissimum nomine Isidorū, qui fuit agricola, vir sanctissimus, pro cuius meritis & operibus Deus multa miracula in vita eius, & post mortem bonis hominibus ostendit, quæ nos in magno volumine legimus. In huius oppidi confinibus vndiq; populi sunt optimi vini & aliarum rerum copia ditissimi. Sunt enim Morani gladiis & forcipibus nominati, qui nuper incēdium miserabile passi fuerunt, in quo duo millia fere hominum in ecclesia, quo confugerant, combusti fuere. A quibus Oreia non multum distat ædificium vetustissimum, Almonazilium, Mascaracenses, Boroxenses copia salis abundantes, Valdemorani, Pintum, Xetafum, item oppidum nomine Sancti Martini cognomēto Vega, & Turrigium cognomento Velascum, quod ego Turrem Iuliam vocare soleo. Vidimus hic & Pugno Rostrum arce tutum, Chinchonenses, Baraienses, & Sanctorquatium, quæ quidem oppida sunt vini copia & suauitate fœlicia, sed Sanctorquatium meo gustu reliquis vino rubeo multo fœlicius. A Maiorito autem ad passuum millia circiter viginti, Complutum est in loco plano positum apud amnem quē Henarem vocant, oppidum rerum omnium quibus humanus vsus indiget, copia fertilissimum, quod nuper Franciscus Ximenius Hispaniæ Cardinalis magnis operib. & literarū gymnasiis nobilitauit, & nunc à disciplinarum professoribus doctissimis studiosæq; iuuētutis ingeniis & cōcionibus indies magis excolitur: ideoque in huius oppidi laudatione sum breuior. Illud tamen vnum non omittam, quod multi referunt, & ipse cognoui, quod hic populus adeo suis prouentibus & omnibus rebus abundat, vt nullis aliunde bonis indigeat. Est autē supra Cōplutum Guadalaiara ciuitas, cuius nomen multi lapidum flumen significare dicunt. Quę ciuitas multis rebus abundat, & est ducum magnificis ædibus illustris, & Mendoziæ domus frequentissima sedes. Habet autem Complutum à latere septentrionali Thalamancam, quæ

mensæ formam refert,& est muris vndiq; cincta,crebrisque turribus. A qua non longe distat Turris Lacuna,inter plures vineas & fertiles campos exposita. Cui propinquum est Vzeda,& paulo superius oppidum Buitragũ,syluis & densis nemoribus,in quibus Hispaniæ principes venari solent, memoratum. Sunt etiam in regione Complutensi oppida multa non ignobilia,in quibus Pastrana colitur insigni fonte nominata, Enzina pyris regiis & grandioribus diues,item Briuega in alto loco posita, castello fortis, aquis abundãs & omnibus rebus amœnissima: oppidum Ficta iisdem bonis & commodis gaudens, & Zuritanum castellum quod Tagus abluit,& à canibus pro quibus magnum vectigal exigitur,cognominatur. Hic est Almoguera nobilium domus, quæ non agricolas admittit, neq; pastores. Oppidum Bermingi malis cydoniis abundans. Sunt & Tindillani, Mondegique propinqui è nundinis & feriis diuites. Item Plicenses,& alia multa oppida,quę longa nomenclatura defatigatus prætermitto. Lusitania namq; prouincia,vt supra diximus, magna est,& Orientem versus vsq; ad Tagi, Durii,& Anæ fontes protenditur. In qua est Seguntia nobilissima ciuitas,venerabili templo, castello, & duobus collegiis memorabilis,& multis rebus abundans,quam nonnulli Saguntum esse falso putauerunt. Nam quæ sit Saguntus postea docebimus. Hinc apparet Methymna Cœli in loco,vnde nomen accepit,eminentissimo sita. Tres in hac regione populi mihi nunc in mentem venere, qui prætermittendi non sunt, Almacianus in ripa Durii fluminis positus, Mons Acutus campis fertilibus abundans,& Cocullutus insigni domo memorabilis. Sunt & Moronenses, Gomarani, Sironenses, Agreditani, Aquilarenses, & Cerueria balneis salutiferis memorata,quo causa valetudinis ex Cornago, Alpharo, Prexano, Iangua non longe distantibus pon[illegible] homines complures lauatum sæpe proficiscuntur. His autem Lusitaniæ prouincia pop[illegible] commemoratis,ad Calleciam transibimus, vbi multas ciuitates & oppida & res memorabiles visuri sumus atq; scripturi,quanta breuitate poterimus,in cuius prouinciæ descriptione nonnihil erit,quod,vt opinor,lectores iuuare poterit.

LVCII MARINEI SICVLI, DE REBVS HISPANIÆ LIBER TERTIVS.

De Callecia prouincia, & eius vrbibus & oppidis.



CALLECIA, quam alii Galleciam, & alii Gallaciam vocant,prouincia est ingens, & à Græcis,si Iustino credimus,fuit habitata: propterea quod post Troiani belli finem Teucrũ morte Aiacis fratris inuisum patri Telamonio, cum non reciperetur in regnum, Cyprum concessisse, atque ibi vrbem nomine antiquæ patriæ Salaminã condidisse,inde vero accepta opinione paternæ mortis, patriam repetisse: sed cum ab Eurysaco Aiacis filio accessu prohiberetur, Hispaniæ littoribus appulsum, loca vbi nunc est Carthago noua, occupasse, atq; inde in Calleciam transisse,positisque gentibus & prouinciæ nomen dedisse, ibique duas vrbes condidisse ferunt: quarum alteram eam esse arbitror, quam nunc Calleci Noiam vocant, & antiquissimam esse dicunt: alteram vero Noelam, de quibus vrbibus Plinius etiam meminit. Sed redeo ad prouinciæ descriptionem, quæ habet à Meridie Lusitaniam, cui contermina est. A qua,vt ante demonstrauimus,Durio flumine diuiditur, & ab Occidẽte ad Septẽtrionem & Oceanum pertinet,ad oriẽtem quoq; solem per Astures, Cantabros,& Vascones Gallię Aquitanicę cõiungitur. Est autem prouincia cum æris & plũbi copia diues, tũ vero minio, quod etiã vicino flumini nomen dedit, auroq; ditissima, adeo vt aratro frequenter glebas aureas exscindant. Cæterum quoniam prouincia hæc præter alias regiones,multos etiam Legionis & Castellæ regni populos cõtinet,de singulis harum regionũ partibus sigillatim conscribemus. Et primum regionis ipsius quã nunc Galleciam dicimus,ciuitates & oppida nominatim recensebimus. Incipit itaq; prouincia quę Callecia dicitur,ab occidentali freto & Durii fluminis ostio,& iuxta Nerium promõtorium Iria flauia est,quæ nunc Sãcta Maria finis terræ dicitur. Sunt & in maris littoribus Corunia portu celebris, Patronium peregrinantibus notissimũ, Ferrolani, Betancium, Muxia, Ares, Corcouionium, Villanoua darocia,itẽ Cambados, Redondela, Bigones, Ribadeani, Nauiani, Luarchani, Pons vetus, Ceani,à quib. Murani remoti sunt, Noiani, Riaiones, Ocarri-

Ocarricenſes, Ogouenſes, Caniani, Baionenſes. Sunt & ciuitates quarum metropolis eſt Compoſtella, quæ nunc à Sancto Iacobo nominatur, eiuſdem Sancti myſteriis & omniũ Chriſtianorum votis frequentata, ad quam ſe conferunt magni principes atq; reges totius Chriſtianitatis magna munera ferentes. Sed de huius Sancti miraculis & rebus ciuitatis memorabilibus alio loco ſcribemus. Huius prouinciæ eſt Orenſis ciuitas nobilis, & nota balneis ſalutiferis: & Oluca vetus cognominata ciuitas antiquiſſima, quæ fuit olim maxima, & murorum amplitudine memorabilis: item Villamaior, & Tuitana ciuitas, & altera Mondannetana nomine, nobilis vtraq; & memorabilis. Sunt & Ribadauienſes optimo vino albo diuites, Cherogani, Mons fortis à Lemo cognominati, Chantadani, Pōs Belſarius, quo tranſitur Minius, Caldelani, Mons regius in alto loco poſitus, Villanoua quæ dicitur Infantium, Allaricenſes, Sarriani, Portus Marinus quem Minius duas in partes diuidit, Millitum, Arzuani, Oterones regii, Caſtrum regium, Caſtrum viride, Caſtellum altæmiræ, Villa franca campis frugiferis & aquis amœna, Cacauelones, Ponferratani, Mons Sacer, in quo caſtellum eſt altiſſimum, & iuxta Minii ortum pagus eſt magnus quem Calleci Fominnanam vocant. Continet autem Callecia prouincia, vt ſupra diximus, alias regiones, Aſturias ſcilicet, & alias quas encartaciones vocant, item Vizcaiam & Guipuzcuam. Quæ quidem etſi ſub vno fere nomine Vaſconum continentur, tamen ſeparatim de ſingulis & vna quaq; conſcribemus. Aſturiarum itaq; primum ciuitates & oppida quæ memoratu digna ſunt, nominabimus. Atqui ſcire neceſſe eſt Aſturias eſſe duas, quarum altera dicitur Ouetenſis, & ad Callecos pertinet, altera vero ad Cantabros & Sanctillanenſes, à quibus nomen accepit. Verum enim vero de populis harum regionũ deſcribendis ero breuior. Vereor enim in his explicandis abundare nominibus, ne propter nominum inconſonantiam iniucunda vel potius moleſta reddatur ipſa deſcriptio. Apud Aſtures itaq; Brigentium beca eſt nobiliſſima ciuitas, quæ nunc Ouetenſis appellatur, in qua Mauris olim per Hiſpaniam diſcurrentibus multa Chriſtianorũ bona templorumq; ornamenta & ſacrę res adſeruatæ fuere, quibus & cruce, de qua ſcripſimus alio loco, merito gloriatur. Sed de rebus huius ciuitatis memorabilib. & religionis miraculis ſcribemus alias. Huius autem regionis populos, Plinius, Strabo, Polybius, aliiq; ſcriptores alios Vaccæos, alios Carpetanos, alios Vectones, alios aliis nominib. appellarunt, in quib. ſunt Auilenſes, Ripaſillani, Gigionenſes, Villa delicioſa, Planēſes, Tangedani, Rupes Europæ, Prauiani, Gradetani, aliaq; multa memoratu haud facilia. Ideoq; tranſimus ad alia quæ ſunt Vaſconiæ regionis, quam nunc Vizcaiam vocant, in quibus ſunt Bilbaonenſes portu maris illuſtres. Sunt & alia oppida maritima Bermeum, Portugaletũ, Lequetium, Durangum, Vrdunia ciuitas nobilis ſub altiſſimo monte poſita, Helorriũ, Arratia, Zondaroa. Supra eſt prouincia maior, Aquitaniæ Galliæ prouinciæ cōtermina, quam Lepuzcuāvocant, in qua ſunt Vergarenſes, apud quos Ondarcia domus eſt primaria, Mondragones, Ognates, oppidum Segura, Villa franca, Toloſani, Hernanium: in maris littoribus S. Sebaſtiani, Guetarienſes, Cumaiani, Motricones, Deuani, Paſagēſes, Fons Rabia, Gallis obſtaculum & pernicies, Sanctanderiani, Lauretani, qui populi ſunt omnes bellicoſiſſimæ gentis, & omnium rerum copia, præcipueq; piſcib. abundantes. A maris autem littoribus remota eſt Victoria ciuitas nobilis, & totius Alabæ prouinciæ caput, apud quam ſunt oppidula multa, quorum eſt vnum Landa, patria Ochoæ catholicorum regum theſaurarii. vbi item Ondarriani, Elgoiuarenſes, Platea Vergaria, Delgueta Vergaria, Azcotiani, Azpetiani, Heiuarenſes, Salinæ Legnicis, Villa regia, Ceſtonates, Zarauzani, Villa bona. Reuertemur nunc ad alios Calleciæ prouinciæ populos, qui etſi ſunt eiuſdem prouinciæ, non tamen Calleci, ſed Caſtellani dicũtur. Incolunt itaq; Durium amnem præter alios populos, qui ſunt ad occiduũ Portugaliā verſus, Siſapona ciuitas nobilis & antiquiſſima, quæ nunc Zamorēſis appellatur, quæ frugiferis campis & amne Durio fertiliſſima eſt, & ſanctorum reliquiis fœlix. In eadē ripa Durii Taurus eſt ciuitas in alto loco planoq; ſita, quam nonnulli à Gothis conditā fuiſſe fabulātur, & Campum Gothorũ vocāt. Quos ego, quoniam ſine teſte loquuntur, nō ſecus falli puto, quam eos qui Zamoram Numantiam eſſe dixerunt. Nam quæ fuerit & vbi Numantia, paulo poſt oſtendemus. Eſt autem Taurus ciuitas, vt ad eam redeamus, rubeo vino nominata, frugib. & arborum fructibus abundās, cuius mulieres ſtaturā corporum Romanarũ mulierum vultumq; referunt. Habet præter alios Durius appoſitos Tordeſyllanos, quorũ patriā quæ memorabilis eſt, ego Turrem Syllanā nominarē. Sunt autē Tordeſyllani campis frugiferis diuites, & regia domo magnifica. Villalarenſes, qui finitimis ſoli fertilitatem non inuident. A quibus non multum diſtant Septimancini, fortes in armis & fide nobiles, alboq; vino cæteriſq; rebus neceſſariis abundātes. Quibus propinquum eſt oppidum, omnium quæ ſunt in Hiſpania

maximum ac nobilissimum, quod Hispani Valladolid appellant, & multi viri non indocti Pinciam nominãt. Huic oppido quas vrbes & ciuitates anteponam nõ inuenio. Est enim in optimo loco situm, in Pisuergæ fluminis amœnissima ripa, liberalibus disciplinis & mechanicis artib. excultũ, ædificiis, sacris ædibus, cœnobiis, & duobus collegiis ornatissimum, mercatorum commerciis & omnium rerum copia ditissimũ, vicis, plateis, muris, portis illustre, campis, fluminibus, hortis, fontib. amœnissimum. In quo prẹter alias res memorabiles, forum est venale amplissimum & pulcherrimum, in cuius ambitu qui passus septingentos amplectitur, tricẽtas & triginta ianuas, & fenestrarum tria millia numerauimus, & omnia vidimus officia. Huic foro coniunctus est vicus conspicuus, qui ab argentariis opificibus Argentarius dicitur. Quapropter etsi ciuitas non est hoc oppidum, multis tamen ciuitatib. etiam primariis nõ immerito præfertur, à regibus Hispaniæ præsertim, qui hoc oppidum quasi domicilium placidissimum frequentãt, in quo omnes fere Hispaniæ magnates ædificãt & libentissime commorãtur. Hinc Orientem versus Cabezoniana sublimis arx aspicitur supra fluminis eiusdem ripam. Vnde nõ longe distat oppidum Donia, soli fertilitate diues, & Catholicorum regum cõiugio memorata. Item Palentia nobilissima ciuitas in amnis Carrionis margine sita, vbi quondam literarũ gymnasium fuisse memorãt, quod postea Salmanticam translatum fuit. Sunt autem in Palentina diœcesi sacerdotia gentilitia quæ Iurispatronatus appellant, quadringẽta. Hanc ego ciuitatem eam esse coniecto, quam Plinius, Pomponius, & Strabo Pallantiam vocant, & à rege Palatuo conditam fuisse plures opinãtur. Est autem ciuitas campis frugiferis & omniũ rerum copia fertilissima. In eadem regione Turris Cremata colitur & Palenciola, Turris Mormogia, Turris altera cognomento Lobatonia, quæ quidem omnes frugibus cæterisque rebus abundant. Sunt in eadem regione Villalonenses feriis diuites, & Conca, Villalpandum, Maioricani, Valderenses, Sagaunii, Bezerrilenses, Mansillani, Barcialenses, & oppidum nobilissimum Benauentum, omnium rerum copia ditissimum, aquis abundãs, & pulcherrimis ædibus quas Rhodoricus Pimentellus Comes magnanimus ædificauit, illustre. Sunt & Castrum Mucii, Frumestani, & Carrionenses, qui Comites cognominantur, Amuscani, Villa viridis, & Asturica ciuitas nobilis, quæ nunc Astorga dicitur. Sunt Herrerienses, Aquilarenses, quibus cognomento est Campus, Melgarenses, qui Ferramentales denominantur, Balmasedani, Paretani Nauensis dicti, Aquilarẽses alii, Methymna Roseca cognominata, quæ omnium rerum copia semper vberrima, nundinarumq; commerciis & feriis admodum diues. Cui propinqui sunt Valdenebritani, quorum patria fuit olim multo maior, & omnium rerum copia fœlix. A quibus non multum distant Villabraxima, Turris fumi, & Petracia cognomẽti campus, Petri à Platea viri docti meiq; discipuli patria fœlicissima: item Villa Garciæ Vronia olim diutius à Mauris obsessa & acriter oppugnata, non expugnata tamen, sed inuicta permansit. Est & oppidũ Villa Iacobi nominatum. Quibus quidem magno est ornamento Legio Germanica eius prouinciæ regni caput, quæ nunc Legionensis ciuitas appellatur. Est autem nobilissima ciuitas, & templo pulcherrimo memorabilis, & multis vrbibus ecclesiæ suæ mirabili ædificio merito præferenda. Nam etsi templum quod ætate nostra ciuitas Hispalensis ædificat, alia omnia magnitudine præstat, si Toletanum cunctis aliis diuitiis, ornamẽtis, & specularibus fenestris est illustrius, si deniq; Compostellanum fortioribus ædificiis, & S. Iacobi miraculis, & rebus aliis memorabilius est: Legionense tamen artificio mirabili, meo quidem iudicio, omnibus est anteponendum, in cuius claustro sacellum est, in quo iacent Reges septem & triginta, & vnus Hispaniæ Imperator. Est præterea Legionensis ciuitas cum aliis rebus quib. abundat, tum vero multorum sanctorum reliquiis & meritis admodũ fœlix. Quantum autẽ bellicosi fuerint Legionẽses & fidei catholicæ cultores, in ea narratur historia quæ festum continet de XII. virginibus B. Mariæ virgini singulis annis offerẽdis. Cuius rei memoria die Augusti XV. solenniter in Legione celebratur. Eiusdem prouinciæ sunt Castrenses à Cæsare cognominati, & Villasandini, atq; alia oppida quorum nomina me latent. In quibus ciuitas est insignis & antiquissima quam Burgensem nunc vocant, & Masburgi dictam fuisse quondam legimus, quæ dicebatur & Auca. quod nomẽ mihi vero similius esse videtur, propterea quod etiã mõtes apud eandem vrbem nunc Ocani dicuntur, & Aucani melius dicerẽtur: tametsi Plinius nõ Aucam, sed Caucã nominauit. Est autẽ Burgẽsis ciuitas, vt diximus, antiquissima, multisq; rebus insignis, & inter primarias vrbes totius Hispaniæ merito referenda, cuius incolæ non ociosi, nõ circumforanei sunt, sed omnes non modo viri, sed etiam fœminæ labore manuum suarum victum quærunt, & honestissime viuunt, & alii mechanicas artes, alii disciplinas liberales exercent. Mercatores qui ciuitatem opulentam faciũt, fideles sunt & liberales: sacerdotes diuini cultus & re-

Templum Legionense omniũ præstantissimũ.

& rerum sacrarum studiosi, diuinis officiis & literarum studiis diligẽter incumbunt: magistratus & reip. gubernatores communibus cõmodis rectissime prudentissimeq; prospiciunt. Sic itaq; cunctis ciuitatis ordinibus officium suum libere recteq; facientibus tota ciuitas indies augetur, indies magis illustratur. Equites qui plures in ea sunt & potentes, immunitates, leges, & priuilegia quibus ciuitas gaudet, conseruare ac tueri diligentissime studẽt. Est præterea ciuitas magnis, & pulchris, nec minus commodis ædificiis adornata, foris venalibus, plateis, vicis, pontibus, templis, cœnobiis, amnibus exculta. Cuius ecclesia maior intus & extra opere est & ædificio mirabilis, in qua res diuina sæpenumero celebratur cantoribus & organis in quinq; sacellis inter se distantibus, nec aliis alios perturbantibus. Ex sacellis vero & sacrariis quæ multa sunt, illud vnum Castellæ Comestabilis conspicuum atque ditissimũ, non ecclesiæ solum Burgensi, sed etiam cunctis ciuibus magno est ornamento. Sunt & extra vrbem domus hospitales, quæ regiæ dicuntur, insignes, & memorabiles, & maximi census, quarum institutiones & ordines viuendi, qui sancti sunt & maxime laudabiles, causa breuitatis omitto. Dicam tamen breuiter de monasterio monialiũ & sanctissima domo, quoniã res est insignis & memorabilis, quam domũ Huelgas vocant Hispani. Cuius maxima sacerdos sub imperio suo diligentiq; custodia centum quinquaginta monialibus imperat & sanctissime consulit: quæ quidem moniales sunt omnes equitum nobiliumq; principum filiæ & familiæ generosæ. Præest etiam hæc sacerdos quam Abadesam vocant, aliis septendecim monasteriis, & oppidis quatuordecim nõ ignobilibus, atque aliis minoribus quinquaginta. Confert præterea sacerdotia multa sacerdotibus, & census commendatarios viris duodecim contribuit & alia beneficia & officia, & suis populis magistratus & gubernatores eligit. Est autẽ nunc sacerdos maior huius domus generosa mulier Elionora Sarmento, Iacobi Sarmenti Salinarum Comitis filia: quæ quidem, excepta regina, cæteras omnes Hispaniæ fœminas primarias antecedit. Hæc sacerdos primam suscepit alumnam Mariam Oliuanam, Ioannis Garciæ Secretarii Cæsaris filiam. Ædificauit autem hanc domum & opus ingens rex Sancius, qui propter opera quæ fecit mirabilia, cognomen Amati promeruit. Est itaq; multis magnisque rebus memorabilis. Cuius homines sunt humanissimi, & aduenas maxime diligunt, sunt & fidelissimi suis principibus, & hospites patientissime tolerãt & honorificentissime tractant. Post autem Burgense m vrbem populi multi sunt, & nonnullæ ciuitates memorabiles. Vidimus enim Beloratenses in amœnissima conualle iacentes, & oppidum Frias, oppidum Ezcarai, Cauienses, Ceresanos, Briuescanos, quos Bridascanos Ptolemæus appellat, & Plinius Virdastanos. Est autem oppidũ forma quadratum, quod quatuor clauditur portis. Ad cuius similitudinẽ Catholici principes apud Granatam oppidũ nomine Sanctam fidem condiderunt. Habet ciuitas Burgensis ad meridiem oppidũ Lerma, & aliud quod Sancta Maria campi dicitur, vterq; populus frugibus & vinetis admodũ diues. Et in Sancta Maria campi templum vidimus magnũ & venerabile, quod quidẽ quamcunq; ciuitatem quantumlibet nobilẽ decoraret. Habet præterea Burgensis ciuitas ad Orientem & Septentrionẽ populos memorabiles, scilicet Onnatenses & Quintanillenses campis frugiferis diuites. Item Pancoruini, Sagiani, Methymna Pomaria, & Frias aliud, Villa maior Sarmentorũ domus, & Mendocia apud Cantabros nobilissima domus, ex qua plures Hispaniæ magnates cognominantur. Ad Orientem vero & apud amnem Iberum ciuitas est nomine S. Dominici Calciatensis, gallo & gallina candidis, de quibus alio loco scripturi sumus, memorabilis. Sunt & Naiarẽses, oppidũ Pharum, Brionenses, Nauarretani, & Logronium oppidũ magnum & memorabile, omniumq; rerum fertilitate plenũ, cuius homines fide bellicaq; virtute nobiles, immunitate nuper & honorifico priuilegio ab Imperatore Carolo donati fuere. Est autẽ Logronium campis frugiferis, vinetis, arborum fructibus, venationibusq; fertilissimũ. Quibus propinqui sunt Calagurritani, quorum virtutes & fidem Cæsar Augustus expertus eorum salutis suæ causa custodiam elegit. Est autẽ Calagurriũ antiqua ciuitas, vnde (vt quidam volunt) Quintilianus originem duxit. Nunc autem etsi magna Nauarræ pars prouinciæ Tarraconensis est, hic tamen eius populos, qui proximi sunt Cantabris, exponemus. Cæterum quoniam Nauarræ fertilitas & omnium rerum copia nota est, & de vnaquaq; re scribere longum esset, eorũ populorum nomina, qui nobis relatu digniores videbuntur, memorabimus. Est itaq; regni Nauarræ caput & primaria ciuitas Pompelon, à Pompeio Magno condita, teste Strabone, quæ nunc Pampilona dicitur, & Pompeiopolis pulchrius appellaretur. Est autem ciuitas magna, nobilis, & opulenta. Stella quoq; nobilis est, & titulo ciuitatis decorata: item Tutela apud Iberum amnẽ, terræ fertilitate diues. Sunt Bicastillonenses, Lerinates, Pons Reginæ, Mendigorriani, Raguenses, Barnolenses, Artaxona, Niranditani, Falcenses, oppidum Peralta, Via-

nenſes, Mendauiani, Arcus, Seſmani, Andoſillani, Sanctadrianenſes, Azagrani, Marſellani, Villa Franca, Cadreitani, Balterrani, Arguetani, Corelani, Cintrueningones, Caſcantini, Cortenſes, Phatallani, Olitani, Caparoſum, Sanctacarenſes, Mellidani, Carcaſtillones, Caſedani, oppidum Gallipenſium, Ayuarenſes, oppidum Sangueſa, & Lumberritani, quæ duo nomina retinent antiqua: Aoyzones, Vrozones, Iſauenſes, Ochangauiani, Ronceſualles iuxta montem Pyrenæum, vbi Roldanus pugnans ſiti extinctus perhibetur. Eſt & Sancta Maria Roncilionis, religione D. Auguſtini celebris, in cuius templo multa ſunt memorabilia de duodecim Gallorum Paribus, quæ cauſa breuitatis omittimus. Eſt & oppidum nomine S. Ioannis, Pedis portus cognominatum, in altiſſimis montis iugis poſitũ, cuius montis aſcenſus eſt paſſuum millium circiter duodecim, & vndiq; fontibus vberrimus, & multis rebus fertiliſſimus, in quo ferrũ plurimũ effoditur. In iugo præterea montis planicies eſt, & campus amœnus & omni tempore viridis. eſt & templum venerabile cognomine Caieta: item oppidũ nomine S. Pelagii cum duobus palatiis ingentibus & conſpicuis, quorũ alterum Olgramonium, & alterum Luſa nomen habet. Sunt & Garenſes, Licondones, Laſacani Nauarræ populi non ignobiles, & alius nomine S. Stephani.

De prouincia Tarraconenſi.

TARRACONENSIS prouincia, cui Tarraco ciuitas clariſſima nomẽ dedit, regiones duas ampliſſimas continet: Celtiberiam ſcilicet, quæ nunc à duobus amnibus per eã fluentibus qui nominantur Aragones, Aragonia dicitur, & Laletaniã quam vulgares Cataloniam dicunt, de quibus ſeparatim ſigillatimq; conſcribemus. Et primum ciuitates Aragoniæ, quæ ſunt numero decem, & oppida complura nominabimus, & in primis Auguſtam Cæſaream, quæ metropolis eſt & Aragoniæ regni caput. Cuius conditorẽ fuiſſe legimus Iubam, à quo Saldyba fuit appellata, hoc eſt Iubæ domus. Poſtea vero tempore Cæſaris Auguſti, qui ſua virtute & munificentia (vt Suetonius ſcribit) omnium regum & ciuitatũ gratiam promeruit, Saldyba repudiato priori nomine, Cæſaris Auguſti nomen aſſumpſit. Sita eſt autem Cæſarauguſta in ripa fluminis Iberi in loco plano, ex quo Iberus amnis inſigni ponte lapideo longo latoq; traiicitur. Vrbis autem ſitus ſoleæ calcei formam refert. Portas habet quatuor ad totidem partes mundi ſpectantes. Eſt & validiſſimis muris cincta, crebriſq; turribus tuta. Cæterum ciuitas nunc multo maioris eſt incolatus. Sunt enim extra muros priores quam plurimæ domus, & quaſi altera ciuitas, quas Cæſarauguſtani populationes appellãt. Sunt præterea & fora venalia, templa intra muros vrbis & extra conſpicua. Tota ciuitas eſt ædificiis, plateis, vicis adornata, rerum omniũ copia fertilis, equitibus nobilis, bonarũ artium diſciplinis exculta, mercatorũ cõmerciis diues, mechanicis officiis decorata, campis, hortis, & arborũ fructibus abundantiſſima, magno ſanctorũ martyrumq; numero, de quib. alio loco ſcribemus, fœliciſſima, quæ deniq; noſtris tẽporibus, vt in ſacris literis legimus, inter nobiliſſimas totius Hiſpaniæ vrbes notiſſima, tanto inter cæteras Chriſtiana religione præfulget, quanto præ cæteris celebrior habetur ex nomine. Sunt in hac vrbe res duæ memoratu digniſſimæ, domus ſcilicet hoſpitalis inter alias Chriſtianitatis inſignes merito reponẽda, & altera prope vrbem in campo amœniſſimo ſatis grandis & inſignis, quæ dicitur Aliapharia, de qua ſcripſimus alio loco. Hinc Orientem verſus Iſca ciuitas eſt, quæ nunc Oſca dicitur, literarum gymnaſio & diſciplinis nobiliſſima. Tyriaſſona ciuitas apud montẽ Caci, quam à Tyriis & Auſoniis conditam fuiſſe nonnulli opinantur. Eſt autem ciuitas antiquiſſima, & campis vberrimis diues, & rebus omnibus abundans. Item Iacca quæ iacet in conuallibus, vnde nomen accepit. Inferius autem ciuitas eſt Calataiutana celebris, & vbertate ſoli frugiferiſq; campis & omnibus rebus fertiliſſima, quam nonnulli Bilbilim eſſe dicunt, Martialis poetæ celeberrimi patriam. Quod ego nec affirmo nec reprobo. Eſt & Teruela ciuitas nobilis, & Daroca ſacris corporalibus memoratiſſima. Item Boria ciuitas non ignobilis, & ciuitas alia nomine S. Maria Albarrazinenſis, multis & magnis reb. abundans. Eſt & ciuitas Barbaſtrenſis, arcubus ferreis quos baleſtas appellant, nobilis, & aliis rebus abundans. Ex oppidis autem quę multa ſunt, Erganicium quod nunc Alcanicium vocant, primum nobis occurrit, oppidũ quidem pluribus rebus amœniſſimũ, & Ioannis Sobrarii Ludouiciq; Iuuerii præclaris ingeniis optime celebratũ. Poſt hoc Exea ab equitibus cognominata, item Ixar, & Monſonium rerũ fertilitate ditiſſimum, & Aragoniæ regum conuentibus maxime celebratũ. Sunt & alii populi, qui pagorum cõmunitates appellantur, quorũ capita ſunt Calataiutana ciuitas, Turuela, Daroca, & Albaracina, quas ſupra memorauimus. Hic eſt oppidum Fraga ſupra Cingam flumẽ poſitũ in aſpero loco & ambulatu difficili, ſed Cingæ fluminis ripis & hortis amœniſſimum. Sunt & Aiuſani, Saranieuani, & Tamaritani populi

non

non ignobiles: item Alagonii, Sadauanenſes, Magallonenſes, Alquecarenſes, & oppidum Soſium, Ferdinandi regis natale ſolum, de quo plura ſcripſimus alio loco, oppidū nomine S. Stephani Littera cognominatum. Sunt & Almudeuarenſes, Moſquexulani, Boleani, item oppidū nomine Campi Franqui, Loharrenſes, & aliud oppidum Vnumcaſtellū nominatum. Sunt præterea eiuſdē prouinciæ populi non ignobiles. Qui etſi non magni ſunt incolatus, ſunt tamen memorabiles: ideoq; nonnullos qui nobis occurrūt, nominabimus. Eſt itaq; inter Caſtellæ & Aragoniæ regnum oppidum nomine Arcus. A quo non multū diſtat Mons regalis, primus Aragoniæ populus, hortis & campis amœnus. A quo nō longe abeſt oppidū Haricia, & Citina, vterq; populus rebus neceſſariis abundantes, & amœnitate locorum delectabiles & hilares. Apud amnem autem Solonē poſita eſt Alhama ſub altis rupibus, & balneis feruentibus memorata. Eſt in eadem ripa Voberca latens in conuallibus, amœniſſimis hortis, fructibus, & amne Solone diues, & venatione varii generis animalium. Hinc Cæſarauguſtam verſus Atecani ſunt, & Terrerēſes in itinere viatoribus liberaliſſime ſeruientes. Poſt autem Calataiutum Freſinum eſt, Ferdinandi regis conceptu memoratum, de quo ſcripſimus alio loco. Poſt Freſinum Cæſarauguſtam nobis euntibus Almunia, populus aliquanto maior cæteris prænominatis occurrit, & Mola minor optimo melle nominata. In aliis quoq; partibus huius regionis alii ſunt populi, quorū notiores qui nobis occurrunt, memorabimus. Ab Oſca ciuitate diſtat oppidum Aierue paſſuum millibus quindecim, in loco fertili poſitum cum arce munitum. Sunt & alii populi minores eiuſdem ditionis, quorum nomina cauſa breuitatis omittimus. In alia vero regione ſunt etiam populi memorabiles, Xarquitani, à quibus Aranda cognominatur, Meſonenſes arce tuti, Epulani in ripa Solonis, Neguellani, Arandicani, Morodani, & Pinates in amnis Iberi ripa, & Riglani. In alia regione ſunt Gueſani, Munieſanenſes, Segurani, Alacones.

De populis Laletaniæ prouinciæ.

HVIVS prouinciæ quam Principatum vocant & Comitatum, ciuitates ſunt numero decem, quarum Tarraco caput eſt, propterea quod cæteras dignitate præcedit, & prouinciæ nomen dedit. Fuit hæc ciuitas à Scipionibus condita, & vt alio loco diximus, Romanorum colonia. Vbi præter alias antiquitates, multa nunc etiam Romanorū principum numiſmata reperiuntur in agris & vineis. Vnde coniicimus olim fuiſſe Tarraconem multo maiorem. Celebratur à ſcriptoribus multis rebus, & præcipue vino quod optimum illic legebatur, & hodie legitur. Cuius eccleſia conſpicua eſt ædificiis & ſacerdotibus exculta, & titulo archiepiſcopatus illuſtris. Sita eſt hæc ciuitas in littore maris mediterranei, & campos habet amœnos valdeq; fructiferos. Poſt autem Tarraconem Barcino eſt ſuperius in eodem littore, omnium quas vidimus vrbium pulcherrima. De cuius nomine & conditore, quoniam multæ variæq; ſunt opiniones, & nulla certitudo, mihi diſſerendum non eſt: de laudibus autem eius & rebus memorabilibus alio loco ſcripſimus. Tertium locum dignitatis Ilerda ſibi vendicat, de cuius etiam rebus & honoribus alibi ſcripſimus. Dertoſam quoq; deſcripſimus & eius res memorabiles, & Gerundæ fertiliſſimos campos, cuius templum memorabile, & altare totum gemmatū vidimus & opulentiſſimum. Sunt autem prænominatæ vrbes, vt alio loco ſcripſimus, Romanorum coloniæ. In medio autem regionis Ilergetum ciuitas eſt Campeſtris quę Vrgellenſis dicitur, in fructifero ſolo ſita. Eſt & ciuitas quæ nunc Viche dicitur, & olim vicus Aquarius vocabatur: item Elna, Minoreſſa ciuitates nobiles, & Belaguaria. Quibus ciuitatibus prægrandis oppidorum numerus ſeruit, præter pagos innumerabiles, quorum conuentus certis diebus vrbes complent, & opulentas faciunt. Legimus enim huius prouinciæ populos, præter pagos, fuiſſe numero quadringētos, quorum paucos & notiores referemus. Apud Galliā itaq; Narbonenſem, Ruſcinonēſis prouincia eſt, ſoli fertilitate diues, cuius caput eſt oppidum Perpinianum, purpura & lanificio nobile: & apud montem Pyrenæum Confluentani, metallis, auro, argento, quondam cum effodiebantur, ditiſſimi. A Perpiniano autem Galliam verſus eſt oppidum nomine Salſas cum arce munitiſſima, Gallis à quibus ſæpe fuit acriter oppugnata, obſtaculo magno, adeo vt inde hoſtes oppugnatione defeſſi diſceſſerint. Sunt & Empuriani fama celebres, Paliarenſes, & inferius Albi montani fide nobiles, Pratenſes, Ceruarienſes, Tarracenſes, & Cardonates candido ſale diuites, item Caprarienſes, & Stereliquitani in alto loco poſiti arceq; muniti. A quibus non multū diſtant Blanenſes maritimi. Apud Barcinonem oppidum nomine Molendinus regius, paruum quidem, ſed palmetis, hortis, & aliis rebus amœniſſimum, in quo etiam domus eſt conſpicua. Hinc non multum diſtant Martorellani, & inferius ad meridiem VillaFranca cognomento Panades, in agro fertiliſſimo, qui Sueſanus à magnis ſuibus appellatur. Sunt in ea-

dem regione Tuirenſis, Puicerdani, Caldenſes Mombiqueni cognominati, Granullenſes, Villa maior, Colibrenſes maritimi, Villa Franca, Confluentina, Cubellenſes, qui Luſtrunates quoque dicuntur. Item Arbuziani, & oppidum Cabra, Corrialenſes, Pratenſes cognomine regii, & oppidũ Veria, atq; aliud nomine S. Petri Oretani. Sunt & Campredones, Torrelani Moncrini cognominati, Beſalonenſes, Figuerani, Talaronenſes. In confinibus Aragoniæ Nauarræq; ſunt Arguetani, Balterrani, Villa liberalis, Marcilia, Funenſes, Andoſillani, & Sanctadriani. Inde remota diuerſis in locis alia ſunt oppida, quorũ nomina occurrunt memoranda: Dematum ſcilicet, Miralcampum, Caſtellum aſium. Sunt & Rubinates, Monticatini, Calaphitani, Cerialenſes, Morellani, Bisbalenſes, Poblitani, Redonates, Granolenſes, & oppidum Equalatum, de quo ſcripſimus alio loco, item Aldiconates, & Ampoſtani in amnis Iberi ripa, quos & alibi memorauimus.

De ciuitatibus & oppidis prouinciæ Carthaginenſis.

CARTHAGINENSIS prouincia quæ à Carthagine noua, quam Pœni, teſte Plinio, condidere, nomen accepit, regio eſt ingens, & nobilium populorum multarumq; rerum copia fœlix, quæ quidem à Granatæ regni confinibus Orientem verſus ad Dertoſanos vſque protenditur. Ipſa vero Carthago ciuitas à multis autoribus celebratur. Cuius portus qualis ſit, ex ea Vergilii deſcriptione colligitur, in qua, *Eſt*, inquit, *in ſeceſſu longo locus, inſula portum Efficit*, & reliqua. Duo ſiquidem Hiſpaniæ portus fama feruntur inſignes, alter nouæ Carthaginis, & apud Callecos alter in oppido Coronenſi. Sunt etiam in huius maris littoribus Helchitani, Alicantina ciuitas nobilis, cuius etiam portus naues tutas continet. Eſt & oppidum nobile nomine Dianium, cuius, vt vrbis præclaræ, ſcriptores meminerũt, quam ego eam eſſe arbitror quæ Denia nunc appellatur. Sunt & Oliuenſes, & oppidum Gandia. Quorum omnium Valentia caput eſt nobiliſſima ciuitas, quæ (vt Plinius & Strabo tradunt) à mari remota eſt paſſuum tribus millibus. Quæ quidem non immerito inter primarias Hiſpaniæ vrbes annumeratur. Hæc enim ciuitas ſanctum bene viuendi ordinẽ ſibi conſtituit, hæc ſuis & honeſtiſſimis moribus & ſanctiſſimis moribus & ſanctiſſimis inſtitutis inter ciues pacem concordiamq; tuetur, hæc lites & iurgia ſemper odit. Equitũ præterea ſplendore nobilis, mercatorum commerciis diues, mechanicis officiis adornata, vbi lanificium fit maximum, & panni cæteris totius Hiſpaniæ meliores, liberalibus diſciplinis exculta, præclaris hominum ingeniis illuſtris, campis & hortis amœna. Operæprecium eſt videre Valentinos corporis Chriſti feſtum celebrantes, & aliorum cœlitum ſacra myſteria recolentes, luſtrationeſq; facientes, qui die feſto S. Matthiæ ſumma humanitate ſupplicantes ad locum proficiſcuntur, in quo cadauera iacent eorum quibus crimina mortis cauſa fuere. Quæ ſiue ſuſpenſa ſint, ſiue iaceant, ſuſcipiunt, & feretris impoſita ad ſacrum locũ deuehunt, ibiq; ſacrificiis & orationibus honorifice ſepeliunt. Multa denique fiunt à Valentiæ ciuibus memoratu digna, de quibus volumen magnum confici poſſet. Quare multis prætermiſſis quæ ad Valentiæ laudem pertinebant, illud dumtaxat referam, quam ſit Valentina ciuitas fœlix duobus ſanctis, Laurentio ſcilicet fortiſſimo martyre, & confeſſore Vincentio conſtantiſſimo: quam ſit & illuſtris duobus etiam pontificibus, Calixto ſcilicet tertio, cuius auſpicio Turcarum magnus exercitus fuit ab Vngaria profligatus, & feſtum transfigurationis inſtitutum, & eius nepote Alexandro ſexto pontifice maximo. Illud præterea non omittam, quod Marcus Tullius in Valentiæ laudẽ protulit, qui in actione vltima contra Verrem, Valentinorum, inquit, honeſtiſſimorũ hominum teſtimonio. Poſt autem Valentiam Saguntus memoranda nobis occurrit & ſummis quidem laudibus efferenda. Fuit enim populo Romano fideliſſima. Nam cum ſenatui populoque Romano pareret, & ab Hannibale Carthaginenſium duce & eius exercitu validiſſimo nouem menſibus acriter oppugnaretur, deleri penitus maluit, quam à Romanis deficere. Cæterum qui Saguntinorum admirabilem virtutem ſummamque fidem cognoſcere velint, Titum Liuium legant, vbi dicit: Et iam omnia trans Iberum præter Saguntinos Carthaginenſium erant. Fuit autem Saguntus, vt alio loco ſcripſimus, Romanorum colonia, vbi fuit olim theatrum cuius adhuc forma veſtigiaque cernuntur. Hanc vrbem à Sagis Ibericis ædificatam fuiſſe quidam ſcripſerunt, & inde nomẽ accepiſſe. Diſtat autem Saguntus à mari, teſte Plinio & Strabone, mille paſſibus, quam nunc Moruetrum vocant, muros veteres ſignificare volentes. Cuius regionis ſunt Murciani fictilibus & aliis rebus diuites, & Oriola ciuitas nobilis, & alia ciuitas nomine Xatiua, fontibus, arborum fructibus, & præcipue malis Punicis memorabilis. Hinc remoti ſunt Bondiani, Creuillenſes, Villenates, Coſentanienſes, Segobricenſes, oppidum nomine Sancti Matthæi, Lucenates, Lirienſes, Alpontani, Lucentini, Aſpenſes, Torrentini, Paternionenſes,

Allani

Alcocerenses, Algezira, Culleretenses, Alponates, Hontenientes, Alcoini, Pennaguillani, Bratenses, Capdetani, Xaxonates, Villaregalis, Castellum Fabitanum, Ademuzini, Castellum planitiei, Morellani, Xericenses, Castillonenses, Villa formosa, Almenarenses, Buniolenses. In medio autem prouinciæ Carthaginensis oppida memorabilia cōspiciuntur, in quibus est Concha ciuitas, in vno de tribus iugis exposita. Illic enim tres colles binas valles efficiunt, per quas amnes gemini dilabuntur, quorum alter Succharius, & alter Occharius appellatur. Qui vbi magnam ciuitatis partem circuit, in Succharium influit. In horum itaque scopulorum altero, qui medius est inter duos. Concha sita est, quæ in altiori loco, id est in altis rupibus, turrim habet altissimam, vbi olim castellum fuit munitissimum. Ciuitas autem magnis ædificiis, & loci natura, amnibusq; quos memorauimus, & aliis rebus memorabilis est: quippe quæ pecoribus & lanis tenuissimis est admodum diues. Habet autem ciuitas hæc populos Orientem versus & à lateribus Almodouarenses, Compilonenses, Railones, Cardinetanos, Carborenses, Moianos, Landetanos, Requenates, Villorenses, Cardinetanos alios. Ad meridiem vero sunt Villascusani, Ignestenses, Belmontani, Chinchilani, Rodani, oppidum nomine S. Clementis, Villanouani, Motenses, Alcaracenses. Eiusdem regionis est Vtana ciuitas nobilis, & Vcles equitum ordinis S. Iacobi conuentibus illustris. Sunt & Taranconenses. Occurrit mihi nunc Ostolgarense castellū fortissimum, ad quod bellorum tempore plures eius prouinciæ populi suæ salutis causa confugiunt. In ea vero regione quæ Aragoniæ Manchia dicitur, & alio nomine Spartaria vocabatur à copia sparti, populi sunt memorabiles, & pecoribus ac tritici copia diuites. Quorum tellus etsi fluminibus caret & fontibus, frumento tamen, vino, cæterisque necessariis rebus abundat. In hac itaq; regione quamuis arida, populi tamen sunt non ignobiles, Alcazar scilicet cognomento Consuegra, campus Tritana, Socuellamus, Villa Robleta, Prouencia, Villa noua cognomine Cardetæ, Villa noua Infantium, Villa noua cognomento Xara, Alarconenses, Castellum Garciæ Munnoci, Albacetenses, Hellini, Touarrenses, Xorquerani, Alcala cognomento Riuus, Iumillani, Checlani, Almansani, in quibus populis, vt accepimus, neq; sunt amnes, neq; fontes, sed putei duntaxat & salsi. Eiusdem regionis oppidum est antiquissimum & memorabile, quod Molina dicitur, cuius tellus quatuor in partes quas Sesmas Molinates appellant, diuiditur, quarum vna Campestris nominatur, quæ viginti continet pagos, altera nomine Serrana septendecim, alia Pedrigalensis decem & octo, quarta Sauinaria viginti: quarū domus duorū millium & quingentorum numerū conficiunt, quæ quidem sunt omnes pecoribus & lanis admodū diuites. vbi mollissimæ lanæ numerantur ouium millia quadringenta. Sunt & alia oppida memorabilia castellis & aliis rebus, Coueta scilicet, Zafra, Castilnouum, Sanctiiustū, Enbid, Fontesaxum, Estables, Mochales, Villed, cuius dominus cudendi monetam facultatē habet, dandiq; campū certaturis. Sed redeo ad Molinam, cuius castellū est memorabile & turris separata, quæ dicitur Aragoniæ. Multa præterea nobis occurrunt de Molinæ rebus memorabilia, quæ causa breuitatis omittimus. Nam de piscibus eius qui turtures vocantur, & sunt optimi, diximus alio loco. Quare Molinates omnium rerum copia diuites nullis aliunde rebus indigent, sed suas potius aliis suggerunt, lanas præsertim cæteris omnibus totius Hispaniæ meliores, quas mercatores ad exteras nationes deferunt, quarū commercio ditissimi fiunt. Abundant etiam Molinates agninis carnibus & arietinis, quibus magna pars vtitur Hispaniæ.

LVCII MARINEI SICVLI
DE REBVS HISPANIÆ
LIBER IV.

De Romanorum coloniis in Hispania.



QVONIAM de ciuitatibus Hispaniæ loquuti sumus, de Romanorum coloniis & aliis rebus quæ necessaria nobis videntur, & lectoribus, vt arbitramur, doctis præsertim, non ingrata neque superflua videbuntur, aliqua summatim dicemus. Illud in primis paucis verbis repetemus, quod supra dictum est, scripsisse nonnullos Hispaniam ab Hispano Herculis nepote seu successore, quem Iustinus Hispalum vocat, dictam fuisse, & vere fortasse. Quod ego nec affirmo, nec reprobo. Plures enim sunt qui fabulosa quæ de Hercule narrantur, existimant, à quorum sententia

non discedimus: tametsi Herculem in Hispaniam venisse non imus inficias, quandoquidem columnas apud Gades, Herculis laborum metas & terminos, plures affirmant. Cæterum Hercules Hispaniam quam gregibus & armentis exhausit, meo iudicio non ædificiis quidem, nec aliis rebus vilis excoluit. Quapropter Hispaniæ pontes insignes & res alias memorabiles nos profecto non Herculis, sed Romanorum potius, & præcipue Iulii Cæsaris opera esse coniectamus. De cuius magnanimitate mirabiliq; munificentia Suetonius Tranquillus hoc modo scripsit: Nec minore studio reges atque prouincias per terrarum orbem alliciebat, aliis captiuorum millia dono offerens, aliis citra senatus populiq; autoritatem, quo vellent & quoties vellent, auxilia summittens: similiterque Italiæ Galliarumq; & Hispaniarum, Asiæ quoque & Græciæ potentissimas vrbes præcipuis operibus exornans. In Alcantaræ praeterea ponte carmen hoc legimus: *Pons in rupe Tagi diuis & Cæsare plenus.* Verum enimuero hunc pontem non Iulii, sed Traiani Cæsaris esse plures autumant. Sed siue Traiani sit, siue Iulii, nihil refert, quando Romanis vterque præfuit. Iter præterea longum per Hispaniam stratum lapidibus pro tempore brumæ, breuesque per interualla columnas erectas, quæ viatoribus iter hyeme tectū niuibus ostendunt, & quicquid in Hispania memorabile vidimus, Romanorum esse minime dubitamus: propterea quod potentissimi liberalissimiq; fuerūt, in Hispania præsertim quamplurimos annos cōmorantes. Quapropter si dixerimus à Romanis nonnullos Hispaniæ nobiles originē habuisse, fortasse non mentiemur. Sunt enim in Hispania multæ Romanorum coloniæ patriciorum. Siquidem scribit Plinius in vlteriori Hispania quatuor iuridicos fuisse cōuentus, Gaditanum, Cordubensem, Astigitanum, & Hispalensem, oppidaq; numero centum septuaginta quinq;, in quibus erant coloniæ octo, municipia totidē, Latio antiquitus donata nouem & viginti. Et paulo post idem Plinius ait: Et à dextera Corduba colonia Patricia cognominata, & à læua Hispalis colonia cognomine Romulensis. In descriptione autem citerioris Hispaniæ, accedunt, inquit Plinius, insulæ, quarum mentione seposita, præter ciuitates aliis distributas, prouincia ipsa ducenta nonaginta tria continet oppida, in quibus erant coloniæ tredecim, oppida ciuium Romanorum tredecim, Latinorum veterum decem & octo, fœderatorū vnum, stipendiaria centum triginta tria. Et subinde scribit: Carthago noua colonia, & Valentia colonia tria millia passuum à mari remota, tantundem à mari Saguntus ciuium Romanorum fide nobilis. Tarraco Scipionum opus, sicut Carthago Pœnorum. Colonia Barcino cognomine Fauentia, quam eam esse arbitror quæ nunc Barcinona dicitur, & oppida Romanorum ciuium multa. Quibus subiungit populos quadraginta quatuor. Quorum celeberrimi sunt, inquit, Romanorū ciuium Dertosani, Gerundenses, Cæsaraugusta colonia, ciuitas immunis, amne Ibero affusa, vbi oppidum antea Saldyba vocabatur, de quo alibi scripsimus. Inferius etiam scribit, Romanorum ciuium Ilerdenses in ripa Sicoris, & Oscenses, Tiriassonenses: Latinorum veterū Cascantenses in fine regni Nauarræ, & Erganicenses Aragoniæ: Fœderatorum Tarragēses. Aliis præterea rationibus & argumentis nostra hæc confirmatur opinio, quibus absq; dubio constabit multas Hispaniæ domus primarias à nobilibus Romanis habuisse principium: propterea quod cum Romanorum duces & exercitus in Hispaniam venissent, captis arcibus & castellis equites nobiles præfecerunt, à quibus magna pars Hispaniæ castella, multique populi Castellani nostris etiam temporibus dicuntur, propterea quod Latini custodes arcium Castellanos appellant. Et quoniam tunc Hispania multis rebus ad vitæ vsum necessariis indigebat, attulerunt in eam Romani leges, bonos mores, disciplinas, & linguam Latinam. nam tunc Hispani barbare loquebantur, & ea lingua qua nunc Vascones vtuntur & Cantabri, quod in alio loco clarius patebit. Cæterum dicam nunc breuiter de quibusdam nominibus & claris in Hispania familiis, quas vt supra dictum est, à Romanis originem duxisse non dubito: quæ quidem adhuc antiquos Romanorum mores, nobilitatem, & nomina retinent. nomina dico non de plebeiis & communibus, sed de senatoribus, patriciis, & cōsulibus, atque aliis Romanis viris illustribus, qui magnis rebus gestis in Romana repub. floruerunt. Fuit itaque olim Romæ Pimentariorum domus illustris, quæ nunc in Hispania Pimentelorum intelligi potest. Nam qui Latini non sunt, & barbare loquuntur, nomina corrumpunt, & literas pro literis proferunt & commutant. Fuit etiam Romæ Castroniorū generosa domus, ex qua, nisi fallor, in Hispania qui Castri cognominantur, originē ducunt. Imperantibus Romæ Cæsaribus qui duodecim fuerūt, prosapiam generosam fuisse legimus quæ Fonteia dicebatur, vnde Fonsecorum genus in Hispaniam venisse coniectamus. Fuit præterea Romæ Siluia gens illustris, quæ nunc in Hispania maxime floret, Toleti præsertim, vbi magni sunt nominis & autoritatis. Verum domus hæc à Portugalliæ regno in Castellam venisse à nonnullis prædicatur, quibus alii non

non assentiuntur. Sed nos ita esse nec affirmare possumus, nec reprobare, itaq; aliorũ iudicio relinquimus, propterea quod Portugalliæ Siluia domus & Castellæ contendere videtur, vtra earum sit antiquior, & vtraq; se putat antiquiorẽ. Ego vero, cum vtraq; sit nobilis & antiqua, in antiquitate & generis nobilitate pares esse iudico. Sed in Portugallia quędam nunc reperitur antiquitas ex Romanorũ temporibus. Siquidem illic in antiquissimo monumento quod nuper repertum est, epitaphiũ legitur hac sententia: HIC IACET LVCIVS SILVIVS IVLII CÆSARIS CENTVRIO. Præterea non dubitabunt qui Romanas historias legerint, Romæ Plancorũ familiam fuisse nobilissimam, & ab ea Polancos in Hispania esse oriundos, cum præsertim vnius literæ mutatione differant, quod æuo tam longo contigisse non mirũ est. Fuerunt etiam temporibus Cæsaris in Italia magni duces qui Petilii dicebantur, à quibus in Hispania, nec fortasse fallor, originem ducunt qui Padillæ cognominantur. Hoc tamen ego minime dubito, genus hoc ab Italia in Hispaniam venisse, quod eorũ demonstrant insignia, quæ sartaginis quam Itali patellam vocant, similitudinẽ habent. Et hoc nemo mirari debet, quandoquidem Romani veteres qui fuerunt illustres & fama celebres, nõ propter sui generis antiquitatẽ, sed propter suas virtutes & res magnifice gestas à scriptoribus celebrati fuere, qui quidẽ ab initio tenues ignobilesq; fuerunt, vt Lentuli, Cicerones, Fabii, qui cognominati fuerunt à leguminibus, & suis virtutibus rebusq; gestis se fecerunt illustres & immortales. Eodẽ modo Cincinnati, Planci quos ante diximus, & alii multi dicti fuere, quos recensere longũ esset. Quapropter alia prætermittimus, quoniam quæ diximus hactenus, opinionẽ nostram satis confirmant, ideoque transimus ad alia. Sunt qui credunt & minime dubitant in Hispania nobiles equites, qui Meruli dicuntur, à Merulorum Romana familia oriundos. Ego vero aliorum sequor opinionẽ, qui dicunt Merulos non à Merulis, sed à Milonibus Romanis illustribus originem ducere. Quod ego hac ratione confirmo, quod huius generis equites quos in Hispania cognosco, vulgus indoctũ Merulos appellat: illi vero se non Merulos, sed Melos cognominant. sic enim in eorum literis & chirographis legimus. Hoc autem nomen corruptum est propter i literæ in e mutationẽ. Scribant igitur posthac non Melos, sed Milos. Sunt in Hispania cæteri nobiles ex antiquis, quamuis pauci, quorum cognomina sunt Coroneles, quos bene sentientes non dubitabunt à Corneliorũ præclarissima Romanorum prosapia cognomen hoc & genus accepisse. Quod illi sine dubio iudicabunt, qui facta præclara Lucii Cornelii Scipionis, aliorumq; huius cognominis legerint. Huius nominis Romæ fuit mulier illustris in omnibus corporis & animi virtutibus. Cuius non dissimilis visa est mulier illa immortalitate & cœlo digna Maria Coronel, ciuis Hispalensis, quæ quidẽ Cornelia melius diceretur, propterea quod vt pudicitiam suam seruaret intactam, & sine labe vitam ageret, illud memorabile facinus ausa est, quod Ioannes Mena non immerito suis carminibus celebrauit. Noui ego Romæ virum nobilitate generis & eruditione præclarum, cui nomen erat Paulus Cortesius, de cuius familia esse qui nunc in Hispania Cortesii dicuntur, coniectari licet, ingenio præsertim rebusq; gestis Ferdinandi Cortesii Valensis Marchionis, qui profecto militari virtute cæterisq; corporis & animi dotib. omnes duces qui fuerunt ab orbe condito vsq; ad tẽpora nostra, sine dubio longe superauit. Indagator enim rerũ nouarũ vniuersum orbẽ circuiuit, & apud antipodas nouã inuenit Hispaniam, qui sua virtute, fortitudine, & industria admirabili effecit, vt Christi nomen vbique terrarũ resonaret, & magnitudo Cæsaris, & sua virtus cognosceretur. Quare si Iulius Cæsar qui ab Ægypto in Britanniam nauigauit, magnũ nomen adeptus est & magnos honores, quibus honoribus, quo nomine Ferdinandũ Cortesium qui totum mare mensus & vtrumq; peragrauit hemisphæriũ, dignũ iudicabimus? Sed de hoc viro nunquã satis laudato, & de Christiana religione benemerito, multa scribemus alias. Fuit olim Romæ domus equitũ nobilissima quibus Aquila cognomen erat. Ex hac vnus qui Pontius Aquila dicebatur, tribunus plebis imperante Iulio Cęsare plurimũ potentia & autoritate valebat, adeo vt in negotiis, & priuatis & publicis, quibus Cæsar abutebatur, non paruo fuerit obstaculo. Huius etiã cognominis in Hispania sunt equites, quos nouimus, nobilissimi, qui, si Latinam pronunciationẽ consideremus, ab Aquila cognominantur, quos ab illa nobilissima Romanorũ progenie venisse non dubitamus. Legimus præterea Romæ Deciorũ familiam vnã fuisse de primariis, ex qua fuerunt duo viri fortissimi duces, pater & filius, qui fortissime pugnantes cum magnã hostium stragẽ fecissent, occubuerũt. A quibus, vt opinor, in Hispania ducunt originẽ viri nobiles qui de Deza cognominantur. Et eodẽ modo de Taueriis iudico, qui Romæ fuerunt olim & nunc in Hispania viri nobiles. Fuit quoque Romæ Nepotum domus illustris, & sunt in Hispania cognominis huius viri nobiles, quos & Salmanticæ & aliis in locis cognouimus. Nouimus etiam Cæsaraugustæ Cosconios nõ

ignobiles, quos ab illis Romanis in Hiſpaniam veniſſe non dubitamus, ad quos Marci Tullii Ciceronis epiſtolas legimus. Legimus etiam fuiſſe Romæ Valerios & Cottas, quorum ſucceſſores in Hiſpania nouimus mediocri conditione & honeſta. Noti Romæ fuerunt equites illuſtr s qui Caſſii cognominabantur, & in Hiſpania eiuſdem cognominis virum nobilem nouimus in domo Almirantis, qui Fernãdus Caſſius dicebatur. Non deſunt in Hiſpania qui Galli cognominantur ab antiqua Romanorum familia. Noui namq; in Caura ciuitate Canonicum virum generoſum, qui Martinus Gallus vocabatur: cuius etiam cognominis in Callecia ſunt plures. Fuit in Italia quondam vir potens & prædiues, cui nomen erat Oleanus, qui Mediolanum condidit. Et nunc apud Vaſcones domus eſt Olanorum, de qua mihi diſcipulus fuit Ioannes Olanus, qui nunc eſt Iureconſultus. Fuerunt etiam Romæ Calui cognominati, cuius cognominis in Hiſpania non deſunt. Sed de nobilibus Hiſpanis qui aliunde nomen & originem ducunt, hactenus. Volumus enim breuiter aliquid de reliquis & indigenis dicere, quos Hiſpani naturales appellant. Qui duobus modis cognominantur, hoc eſt, vel à patria, ſicut à Toleto, à Corduba, & ab Auila: vel à rebus quas ſtrenue geſſerunt, vt Varguæ, Ramirez, Machuquæ, Spinoſæ, Macæ, Latrones, Vaccæ, Quixatæ, cuius familiæ nunc viuit Gutterius Quixata nobiliſſimus eques, & omni munere naturæ præſtantiſſimus: aliæq; domus eiuſmodi, quæ ab operibus ſuis atque virtutibus cognominati fuere. Sunt & alii qui cognominantur ab antiquis domibus, ædificia quorum nunc extant, veluti qui Velaſqui, Mendozæ, Gueuarę, cæterique ſimiles, qui permanent in Alaua prouincia. Illi vero qui aliunde venerunt & gentibus externis, cum indigenis nullam neq; loci, neq; nominis, neque patriæ ſimilitudinem habẽt. Nam Manrici qui ſunt Alemani, nomen eorum, cuius nationis ſint, manifeſte declarat, quandoquidem notum eſt quod apud Germanos Man ſignificat ſocium, & Enrique fortem. Guzmani autem qui fere ſunt eiuſdem nationis, à Gothis ſe venire contendunt, vel à Scythis, confirmantes quod ego dicebam, quod Guzman eorum lingua ſocium ſignificat, vel hominem Gothum magnum. Quapropter eos nonnulli Gothomanos appellant. Henricorum autem cognomen ab Heluetiis Galliæ populis originẽ duxiſſe arbitor, propterea quod in Gallia viros primarios huius terminationis cognominatos fuiſſe legimus, ſicuti fuerunt Orgentorix, Dumnorix inter Heluetios magni principes, cæteriq; non diſſimiles. Sed alii, quos à Romanis originem duxiſſe diximus, cum Hiſpanis indigenis, vt ſupra demonſtrauimus, neque patriæ, neq; domus, neq; vernaculæ linguæ ſimilitudinẽ habent, quæ cum patriciorum nominibus antiquis conueniat. Cuius rei contrarium probare nemo poterit. Nec Hiſpanorum quamuis nobiliſſimum quenquam fore arbitror, qui ſeſe non fœliciſſimum putet, qui à Romanis originem duxerit, cum præſertim olim gens Romana cæteras omnes omni genere virtutis anteceſſerit. Quod ſi quis à me ſcire voluerit, quæ cauſa ſit quare Romanorum quidam ex his quos retulimus, in Hiſpania nomen obſcurius famamque minorem nunc habent, quàm alii aduentitii & indigenæ qui nunc plurimum valent, vt ſunt Guzmani, Manrici, qui de Gothis remanent, & Velaſci, Mendocii, Gueuarii, qui ſunt indigenæ, me ſibi reſpondiſſe putet, quandoquidẽ hoc mea confirmatur opinio: propterea quod antiquitas alios obliuioni tradidit, & alios fortuna recẽs & fauorabilis & inconſtans, vt ſolet, altius extulit. Sic enim rebus omnibus, & hominibus qui ſunt in alto rerum faſtigio collocati, ſæpe ſolet accidere. Quapropter mihi non mirũ videtur, ſi Roma quæ quondam totius orbis principatũ tenuit & imperium, noſtris temporibus à multis opprimitur quibus imperare conſueuit, quam tamen imperante Carolo Cæſare noſtro videmus in priſtinum ſtatum reſtitutam & legitime triumphantẽ. Sed, vt ad propoſitum redeamus, hunc Deus rebus terminũ poſuit, vt aliæ deprimantur & finẽ habeant, & aliæ naſcantur & altius inſurgant, & denique nulla terminum ſibi ſtatutum prætereat, homo præſertim, qui cum eius vita ſit fragilior atque breuior, & multis expoſita periculis quàm cæterorum animalium, ſua vel inſatiabili cupiditate, vel alienæ fœlicitatis inuidia, aliorum fœlicitatem famamque præclaram totis viribus & enixiſſime perdere ſtudet, exiſtimans falſoque putans ſe malis alienis altius aſcenſurum.

De Pontificibus & magnatibus Hiſpaniæ & officiis in curia Regum.

REM non ingratam facturus videor, ſi magnates atque pontifices Hiſpaniæ, pręcipuoſque magiſtratus & ordines breui narratione retulero, cum præſertim hoc à me multi ſæpe requirant & efflagitent, non Hiſpani ſolum ſed etiam gentes externæ & aliarum nationũ, quæ res Hiſpanię ſcire deſiderant. Dicam igitur de Hiſpaniæ Ducibus, Marchionibus, Comitibus, & Pontificibus, aliiſq; dignitatibus quibus Hiſpania maxime floret: ſed imprimis concilia, magiſtratus, & officia memorabilia referam. Eſt itaq; in Hiſpania do-

moque

moque Regia concilium secretorum, cuius præsidentes sunt reges. Est & aliud concilium iustitiæ quod regale vocant, cuius præses omne ius & facultatē iustitiæ liberam habet. Est & aliud concilium belli gerendi, cui rex præsidet. Concilium ordinum, hoc est equitum militiæ Sancti Iacobi, Alcantaræ, & Calatrauæ, quorum præsidentes à Regibus eliguntur. Concilium regii census & omnium bonorum, cuius præsidentem reges eligunt. Concilium inquisitionis in prauos hæreticos, cuius præses eodem modo eligitur. Concilium de rebus Indicis. Concilium de rebus Aragoniæ, in quo est Procancellarius, & auditores qui regentes vocantur. Sunt in Hispania cōuentus iuridici quatuor, vnus in oppido Pincia, quod Valladolid appellant, alius in vrbe Granatæ, tertius apud Callecos, & alius in Nauarra. Cæterum Pincianus conuentus & Granatensis sunt maioris autoritatis, & negotiantibus frequentiores. Continet autem Pincianus conuentus suæ iurisdictionis populos, qui sunt à ripa Tagi Castellam versus, & Granatensis ab eadem ripa Bæticam fere totam. Sunt autem in vtroque conuentu præsidentes & auditores duodecim, & tres iustitiæ præfecti quos Alcaldes appellant, qui de criminibus iudicant. In curia autem regia iustitiæ præfecti sunt quatuor, quos item vocant Alcaldes, qui de criminibus cognoscunt, & facultatem habent in toto regno cognoscendi in secunda & prima instantia de criminalibus causis & ciuilibus in curia regia, & in populis, & aliis locis distantibus à curia interuallo passuum viginti millium, quod spacium illi quinque leguas appellant: quorum superior est præsidens, & iudices quos auditores appellant. Quorum præfectorum duo quolibet die sabbato cum vno de consiliariis carcerem visunt, vbi reorum causas delictaque cognoscunt & iudicant. Præsidens autem & auditores carcerem quoque visitant ter quolibet anno, id est tribus paschalibus vigiliis, nec alios quatuor illi præfecti superiores cognoscunt. Cæterum si quis eorum deliquerit, à præsidente punitur. Est autem præsidentis autoritas maxima, in rebus præsertim iustitiæ, in quibus liberam habet potestatem, quæ totius regni gubernatores, magistratus, & iudices instituit. Curiæ præses insuper potestatem habet comprehendendi quemcunq; omnium magnatum sine vllo regis imperio, si causa iusta fuerit & iustitiæ necessitas. Est enim dignitas hęc in officio iustitiæ & præminentiæ summæ autoritatis à rege secunda, quæ non tenetur visere quenquam magnatum, quamuis primarium, neque exire obuiam legatis & oratorib. nec vllo proficisci, nisi duntaxat cum rege, aut regio iussu. In sententiis autem ferendis suffragium non habet, sed sui iuris est & voluntatis, vt lites finiantur & causæ quas voluerit. Est autem hoc concilium regale supremum, ad quod tanquam caput recurrunt & appellant litigantes, qui se non iuste condemnatos fuisse conqueruntur. Sunt in hoc concilio regali satellites quos Alguaziles Hispani vocant, ordinarii duodecim, stipendiarii, & alii sine stipendio. Sunt & rationatores seu computatores quos contadores maiores appellant, qui regum census exigunt, & de causis regii patrimonii cognoscunt, & cognoscendi & iudicandi potestatem liberam habēt, & vterque substitutum & suum locum tenentem, & alios necessarios officiales & ministros eligunt: qui præterea curam gerunt soluendi stipendia regis alumnis & domesticis. In Hispania siquidem nemo regibus seruit sine stipendio, & aliis emolumentis quæ reges benemerentibus vltro largiuntur. Sunt & alii duo ratiocinatores maiores, quibus omnes qui regia negocia gesserunt, omnium rerum & expensarum rationem referunt. Sunt præterea in regia domo officiorum genera multa atque diuersa, & in vnoquoque qui cæteris præsidet, & maior appellatur, vt maior domus, maior cubicularius, maior venator, maior mulio, maior aquarius, maior vexillifer, maior iustitia, maior pincerna, maior dispensator, maior hospitiorum præfectus. Ex quibus officiis aliqua possident Hispaniæ nonnulli magnates hæreditario iure, pro quibus exercendis à regibus stipendia capiunt. Et sunt capitanei duo regiæ personæ custodes. Sunt & equites ducenti regiæ personæ custodes, quorum vnusquisque magno stipendio meret. Sunt & alii qui Continui dicuntur, & stipendium capiunt octoginta ducatorum.

De Pontificibus Castellæ.

INTER Hispaniæ pontifices, qui sunt numero quinque & quinquaginta, Toletanus antistes cæteros honoribus, reditibus, & dignitate præcedit. Est enim Castellæ maximus Cancellarius, qui nunc Hispaniarum primatum tenet ratione dignitatis, cuius reditus est octoginta millia ducatorum. Archiepiscopus Hispalensis ducatorum millia quatuor & viginti. Archiepiscopus Compostellanus millia viginti. Granatensis archiepiscopus, cuius reditus est decem millia ducatorum. Episcopus Burgensis, cuius census est ducatorum millia viginti. Episcopus Siguntinus ducatorum millia viginti. Conchensis Episcopus ducatorum sedecim millium. Placentinus quindecim millium. Palentinus

antiſtes & Perniç Comes tredecim millium. Menteſanus decem millium ducatorum. Segouienſis Epiſcopus millia quatuordecim. Auilenſis reditus eſt octo millium ducatorum. Zamorenſis duodecim millium. Cordubenſis, cuius reditus eſt duodecim millium ducatorum. Oſomenſis decem millium. Legionenſis octo millium. Calagurritanus reditus habet ducatorum duodecim millium. Salmanticenſis decem millium. Pacenſis ſex millium. Ouetenſis ſex millium. Carthaginenſis reditus eſt quinque millium ducatorum. Aſtoricenſis quatuor millium. Caurenſis octo millium. Ciuitatenſis quatuor millium. Malachenſis ducatorum decem millium. Gaditanus octo millium & quingentorum. Guadixenſis millia duo. Abderetanus mille & quingentorum. Mondonienſis mille & quingentorum. Tuidenſis duorum millium. Olucenſis mille & quingentorum. Orenſis trium millium. Canariæ præſulis reditus eſt octo millium ducatorum.

De Aragoniæ, Valentiæ, Laletaniæ, Nauarræ Pontificatibus.

Cæſarauguſtanus Archiepiſcopus habet reditus viginti millia ducatorum. Archiepiſcopus Valentinus tredecim millium. Archiepiſcopus Tarraconenſis octo millium. Tiriaſſonénſis Epiſcopus quinq; millium. Epiſcopus Oſcenſis trium millium. Segobricenſis & Albarrazinenſis trium millium. Barcinonenſis quinq; millium. Ilerdenſis quinque millium. Dertoſanus octo millium. Gerundenſis quatuor millium. Vrgellenſis ſeptem millium. Vicenſis duorum millium & quingentorũ. Eunenſis mille & quingentorum. Pompilonenſis Epiſcopus ſex millium.

De Portugalliæ Pontificatibus.

In Portugallia prima pontificalis dignitas eſt Archiepiſcopatus Vlixbonẽſis, cuius reditus eſt ducatorum millium ſedecim. Archiepiſcopus Bragenſis duodecim millium. Epiſcopus Eborenſis ducatorum millium viginti. Epiſcopus Viſei octo millium. Epiſcopus Guardianus quinque millium. Epiſcopus Cohimbrenſis ducatorum duodecim millium. Epiſcopus Portus quatuor millium ducatorum. Epiſcopus Lamegenſis ſex millium.

De aliis Caſtellæ dignitatibus.

Fuerunt hactenus in regno Caſtellæ tres ordines militiæ, Sancti Iacobi ſcilicet, cuius cenſus eſt ſexaginta millium ducatorum, Alcantaræ quadraginta quinque, & Calatrauæ quadraginta, quorum principes equitum magiſtri vocabantur. Cæterum has dignitates Catholici principes ad ſe tranſtulerunt, ſibique ſubſtituerunt alios, qui præfecti maiores appellantur, & Hiſpano ſermone Commendadores maiores. Eſt itaque nunc præfectus maior Caſtellæ, præfectus maior Legionis, præfectus maior Alcantaræ, præfectus maior Calatrauæ, ſub quibus præfectis ſunt equites multi commendatarii magni cenſus. Sunt & Clauigeri duo, alter Alcantaræ, & alter Calatrauæ. Eſt & præfectus militiæ ordinis Sancti Ioannis, cuius cenſus eſt ducatorum millia quadraginta. Apud Aragones autẽ, Valentinos, & Laletanos, præfectus eſt & magiſter equitum militiæ ordinis Monteſani.

Ordines Portugalliæ.

Magiſter equitum de Chriſtus cognominatus. Magiſter equitum ordinis Sancti Iacobi. Magiſter equitum cognomento Dauis. Præfectus maior ordinis de Chriſtus cognominatus. Præfectus maior ordinis Dauis. Præfectus maior ordinis Sancti Iacobi. Præfectus ordinis Sancti Ioannis.

De titulis & officiis Caſtellæ magnatum.

NOVIMVS in Hiſpania Caſtellæ Comeſtabilem, regis cubicularium maiorem, de familia Velaſcorum. Eſt enim Comeſtabilis magnus princeps, qui regem comitatur, & in bello præſertim gerendo. Nouimus & Almirantem Caſtellæ, qui maris Hiſpani ius habet in nauigantes & imperium: ideoq; dux maris & dominus intelligitur. Quæ dignitas eſt Henricorum domus. Nouimus & Caſtellæ pręfectum maiorem de domo Manricorum. Eſt præterea præfectus Legionis de Pimentelorum familia. Et præfectus Andaluſiæ de gente Henrica. Item præfectus Galliciæ Mendocius. Pręfectus Granatæ de domo Cardina. Præfectus Cazorlæ, quem creat Archiepiſcopus Toletanus. Præfectus Murciæ cognomine Faiardus. Verum enimuero quos præfectos nos appellamus, Adelantatos Hiſpani vocant. Sunt præterea Caſtellæ regni magiſtratus & officiales ſex quos Mariſcales appellant.

De ma-

De magnatibus Castellæ, Legionis, Andalusiæ, & Calleciæ.

Restat nunc dicendum nobis de magnatibus Hispaniæ & vniuscuiusque censu. Qui etsi non facile colligi potest, nostro tamen & aliorum iudicio à numero certo & scopo non longe discedemus.

Ex magnatibus itaque Castellæ primus est Comestabilis de Velascorum familia, qui Castellæ Comestabilis dicitur, & Dux de Frias, & Phari Comes, qui regis est cubicularius maior, cuius census est ducatorum millia sexaginta.

Almirantus Castellæ & Granatæ, Comes Modicanus, dominus Methymnæ Rosecæ & Palentiolæ, habet quolibet anno quinquaginta millia ducatorum.

Dux Aluanus, Marchio Caurensis, & Comes Saluaterranus, à Toleto cognominatus, millia quinquaginta.

Dux Infantatus, Marchio Sanctillanæ, Comes Realis de Manzanares & Saldannæ, à Mēdoza & à Vega nuncupatus, millia quinquaginta.

Dux Methymnæ Sidoniæ, Comes Nebulæ, domus Gothomanæ, quinquaginta quinque millia.

Dux Beiaranus de Stugnica familia, Marchio Bannaris, Comes Gibraleonis, & dominus Burgillos & Capillæ, Castellæque iustitia maior, millia quadraginta.

Dux Naiarensis, Comes Triuigni, & dominus Hamusci de stirpe Manricorum & Laræ, triginta millia.

Dux Methymnæ Cœli, Comes Portuensis cognomento Cerda, regiæ stirpis & antiquissimæ, millia triginta.

Dux Alburquerquitanus, Ledesmæ Comes, Cueua cognominatus, millia viginti quinque.

Dux Arcus, Marchenæ dominus, à Leone cognominatus, millia viginti quinque.

Dux Maquetanus, Granatæ præfectus de domo Cardina, millia triginta.

Dux Scalonæ, Marchio Villænæ & Moiæ, Comes Sancti Stephani de Pachiecorum antiquissima familia, millia sexaginta.

Dux Sessæ & Terræ Nouæ, Comesque Caprensis cognomento Corduba, millia sexaginta.

De Marchionibus.

Marchio Astoricensis de Osoria gente, Trastamaræ Comes & Sanctarum Martarū, millia quinque & viginti.

Marchio Aquilaris, Comes Castannedæ de genere Manrico, millia duodecim.

Marchio Zenetanus de Mendocia familia, millia triginta.

Marchio Villæ Francæ, cui cognomento est Toletum, millia decem.

Marchio Plicensis domus Aquilaris & Figueroæ, & Comes Ferianus, millia quadraginta.

Marchio Aiamontanus, & Comes Benalcazaris Stunicæ domus & Sotomaioris, millia triginta.

Marchio Tariphæ Bæticæque prouinciæ præfectus generis Henrici, triginta.

Marchio Mondeiaris, Comes Tendillanus, & Castellanus Capitaneusq; generalis Granatę Mendociæ familiæ, quindecim millia.

Marchio Comarensis Donzelorum custos à Corduba cognominatus, millia duodecim.

Marchio Veliensium, Murciæ præfectus Faiardorum domus, millia triginta.

Marchio Berlanguæ Touaricæ familiæ, millia sedecim.

Marchio Villæ Nouæ domus Portu Carreriæ, millia viginti.

Marchio Vallensis de domo Cortesia, millia sexaginta.

De Comitibus Castellæ.

Magnus est in Castella Comitum numerus & census, quos in hoc loco summatim referemus.

Est itaq; in Castella Comes Beneuentanus, qui per antonomasiam Comes intelligitur. Est præterea Villalonensium dominus, & Portillonensium, cui cognomen est Pimentelus. Habet autem censum quolibet anno ducatorum millia sexaginta.

Comes Vreniæ, dominus Pennæ fidelis, cui cognomen est Gironius, ducatorum millia viginti.

Comes Osornus & Dominus Galistei de familia Manricorum, millia duodecim.
Eiusdem familiæ Comes Paretanus, millia duodecim.
Comes Miranditanus & princeps domus Auellanetæ, genere Stunicus, ducatorum millia viginti.
Comes Castrensis & Astudilli de stirpe Mendozia, duodecim millia.
Comes Montis Acuti Mendocius, quindecim millia.
Comes Corunnæ generis eiusdem, decem millia.
Comes Plicensis Mendocius, octo millia.
Comes Alua Listensis & Garrouillensis Henricus, millia viginti.
Comes Alcaudetanus à Corduba & Velasco cognominatus, decem millia.
Comes Orgacii & dominus Sanctæ Olaliæ de familia Gothomana, millia decem.
Comes Cifontanus & regis primipilus, quem Alferez maiorem vocant, de domo Siluia, millia decem.
Comes Fonsalitanus ab Aiala cognominatus, millia quinque.
Comes Salinarum cognomine Sarmentus, millia decem.
Comes Ribadei de familia Villandrandi, qui nunc litigat, millia sex.
Comes Montis Rei Azeuedus & Stugnicus cognominatus, millia decem.
Comes Lunæ familiæ Quinnonensis, millia quinque.
Comes Lemianus Osorius & Castrus cognominatus, millia duodecim.
Comes Chinchonensis domus Bobadillæ, octo millia.
Comes Ribadauiæ & Galleciæ præfectus cognomine Mendocius, octo millia.
Comes Aquilaris Arellanus, millia decem.
Comes Siruelæ dominus Roæ Velascus, millia sex.
Comes Nieuæ Velascus, millia sex.
Comes Oropesanus à Toleto cognominatus, sedecim millia.
Comes qui dicitur Saluaterranus & dominus Hempudiæ cognomento Aiala millia quinque.
Comes Ognatensis de domo Gueuara, millia quatuor.
Comes Bondianus cognomine Acunna, millia quindecim.
Comes Valentiæ Portugal cognominatus, millia duodecim.
Comes Metellini de domo Villæ fortis, millia sedecim.
Comes Gueluensis à Portugallia cognominatus, millia decem.
Comes Punni Rostri Arias ab Auila cognominatus, octo millia.
Comes Sancti Stephani Portus cognomento Benauides, tria millia ducatorum.
Comes Palmæ Portucarrerius, octo millia.
Vicecomes Balduernæ cognomine Bazanus, octo millia.
Vicecomes Altæ miræ cognomine Biuerus, quatuor millia.

De magnatibus Aragoniæ Valentiæ, Laletaniæ, & Nauarræ.

COmestabilis Nauarræ & Comes Lerinensis Viamontanæ familiæ, octo millia.
Dux Lunæ domus Aragoniæ, ducatorum millia viginti.
Dux Cardonæ familiæ Remonfolchensis, & Comes Galladensis, millia triginta.
Dux Segobricensis & Comes Ampuriarum domus Aragoniæ, millia septendecim.
Dux Gandianus familiæ Borgensis, millia duodecim.

De Marchionibus.

Marchio Deniensis cognomento Roias & Sandoualus, millia quatuordecim.
Marchio Elchensis cognomine Cardinas, millia decem.
Marchio Falcensis de familia Peralta, octo millia.

De Comitibus.

Comes Ribagorciæ domus Aragoniæ, ducatorum millia septem.
Comes Aranditanus de familia Durrea, millia septem.
Comes Fontanus domus Herediæ, millia quatuor.
Comes Sastagensis, millia quatuor.
Comes Belchitanus Ixar cognominatus, millia quatuor.
Comes Oliuensis cognomento Centellas, millia quinque.
Comes Concentainæ de domo Corella, millia quatuor.
Comes Albaidensis cognomento Milan, millia quatuor.
Comes Almenarensis, quatuor millia.

De Vicecomitibus.

Vicecomes Ebolensis Aragoniæ domus, tria millia.

Viceco-

Vicecomes Peraltæ,duo millia quingenta.
Vicecomes de Bas cognomento Cabrera,duo millia & quingenta.

De Portugalliæ magnatibus.

Portugalliæ rex ditissimus.

Sunt in Portugallia præterea multi magnates illustres & magni census, ex quibus est
Dux Berganciæ regia stirpe progenitus, cuius census est quadraginta millium ducatorũ.
Dux Barcelorum,filius ducis Berganciæ.
Dux Cohimbræ & Marchio Turrium Nouarum, quorum census & cognomina me latent.
Marchio Villæ Regalis,& Comes Alcoutini,cuius census est quindecim millium ducatorum.

De Comitibus.

Comes Marialuæ genere Coutinorum,millia duodecim.
Comes Penilensis de familia Vasconcelorum, millia quatuor.
Comes Portalegrenus Siluerię domus & regis œconomus maior,millia quinq;.
Comes Vemiosanus de Sosa familia,regii patrimonii procurator,millia quinq;.
Comes Monsantinus de genere Coutinorum,millia quinq;.
Comes Pratensis genere Sosanus,tria millia.
Comes Teutugalensis regia stirpe genitus,octo millia.
Comes Bratensis Dalmeida cognominatus,tria millia.
Comes Feirensis Pereiræ domus,tria millia.
Comes Linares Portugalliæ regi coniunctissimus,tria millia.
Comes Rondonensis familiæ Coutinorum,millia quinque.

Sunt in Hispania præterea multæ domus nobiles & magni census, quos enumerare lõgum esset. Cæterum totius Hispaniæ census, meo iudicio, in tris diuiditur partes fere æquales,quarum vna est regum,altera Magnatum,tertia Pontificum & sacerdotum.

De Hispanorum moribus,ingeniis,& habitu.

HISPANORVM hominum ingenia,mores,& habitus alios fuisse quondam legimus, alios nunc esse cognoscimus. Diuersitas enim gentium quæ de multis & remotis regionibus in Hispaniam venere,non solum mores,ingenia,cultus,& linguam mutauit,sed etiam multarum vrbium,oppidorum,fluminum, & aliarum rerum nomina deformauit: quandoquidem consuetudines & commercia mores faciunt. Atqui bona sæpe mutantur in peius,raro autem mala vertuntur in bonum. De præteritis igitur,vt ad rem redeamus, Hispanorum moribus & ingeniis ea quæ legimus apud antiquos autores,& de præsentib. quod sentimus & longa consuetudine cognouimus,non ingrata narratione dicemus. Et primum de veterum Hispanorum virtute bellica magnaq; fortitudine, de qua Græci Latinique scriptores meminerunt,aliquid referemus. Fuit itaque gens Hispana bellicosa semper,& prona militaribus officiis,equis & armis vtens,bello magis gaudens quam pace,laboris & famis patiens. De cuius militari virtute Lucius Florus hoc scriptum reliquit: In vltionem igitur patris ac patrui missus cum exercitu Scipio,cui tam grande de Aphrica nomen fata decreuerant, bellatricem illam viris armisque nobilem Hispaniam, illam seminariam hostilis exercitus,illam Hannibalis eruditricem,incredibile dictu,totam à Pyrenæis montibus in Herculis columnas & Oceanum recuperauit. Iustinus,Hispanorum, inquit,hominum corpora ad inediam laboremque,animi ad mortem parati. Dura omnibus & stricta parsimonia,bellum quam ocium malunt. Si extraneus deest,domi hostem quærunt. Sæpe tormentis,pro silentio rerum creditarum, immortui: adeo illis fortior taciturnitatis cura est quam vitæ. Celebratur eodem etiam bello Punico famuli illius patiẽtia,qui vltus dominum inter tormenta risu exultauit,serenaque lætitia crudelitatem torquentium vicit. Velocitas genti pernix,inquies animus,plurimis militares equi,& arma sanguine ipsorum chariora. Nullus Hispanis nisi festis diebus epularum apparatus. Nullus in multis sæculis dux magnus præter Viriatum fuit,de quo scripsimus alio loco. Repetenda memoria nobis est & virtus ingens in prælio duorum fratrum, Mendonii scilicet & Indibilis,qui vt Titus Liuius meminit,Scipionem illum magnum Romanorum ducem mirum in modum fatigarunt, & pro patriæ suæ libertate fortissime pugnantes occubuere. Quid præterea de Numantinorum fortibus & inuictis animis commemorem? de quibus Lucius Florus admiratus hæc scripsit: Numantia quantum Carthaginis, Capuæ, Corinthi,opib. inferior,ita virtutis nomine & honore par omnibus, summumque si viros æsti-

mes, Hispaniæ decus: quippe quæ sine muro, sine turribus, modice edito in tumulo apud flumen situata, quatuor Celtiberorum millib. exercitum quadraginta millium per annos quatuordecim sola sustinuit: nec sustinuit modo, sed aliquanto sæuius perculit, & pudendis funerib. affecit. Nouissime cum inuictam esse constaret, opus quoque eo fuit qui Carthaginem deleuerat. De quib. cum Scipio veram vellet & sine exceptione victoriam, eo necessitatum compulsi, primum, vt destinata morte in prælium ruerent, cum sese prius epulis, quasi inferiis, impleuissent carnis semicrudæ & celiæ. sic vocant indigenæ ex frumento potionem. Intellectum fuit ab Imperatore consilium. Itaque non est permissa pugna morituris. Cum fossa atque lorica quatuorque castris circundatos fames premeret, ab duce prælium orantes, vt tanquam viros occideret: vbi non impetrabant, placuit eruptio. Sic itaque in vltimam rabiem furoremque conuersi castra hostium inuasere. Quo prælio, vt scribit Liuius, à Numantinorum quatuor millibus Romanorum millia triginta cæsa fuere. Siquidem Liuius sic refert: Cum Celtiberis bellum gestum est à Romanis per viginti annos, quod Cantabricum appellatur, à Cantabris populis, in quo bello Numantia suas ostentauit vires. Nam duces quosdam superauit, & triginta millia Romanorum illic cæsa sunt à quatuor millibus hostium. Cæterum quod Diodorus Siculus de bellica Hispanorum virtute scripsit, omittẽdum non est. Iberi quondam, inquit, Celtæque pro agris bello certantes, pace demum constituta communicataque inuicem patria, cum mutua connubia permisissent, dicuntur harum rerum communione id nomen sortiti. Duæ igitur robustæ nationes in patria fertili coniunctæ effecere, vt magnum esset Celtiberorum nomen. Non enim equites modo, sed & pedites aptos bello, robore, malorumque tolerãtia cæteris excellentiores habent. Breui vtuntur veste ac nigra, lanam habente similem caprarum pilis. Armantur Celtiberorum quidam scutis leuibus, alii rotundis vmbonibus magnitudine clypei. Cruribus ocreas ex pilis factas aduoluunt. Galeas ferunt æreas cristatas palmis. Gladios insuper ex ferro puro ad palmi mensuram, quibus in conferta vtũtur pugna. Ferrum suo more ad conficienda arma præparant. Nam ferreas laminas in terram abscondentes ibi tam diu esse sinunt, quoad debiliori parte ferrugine absumpta, validior supersit. ex eo tum enses fortissimos, tum cætera ad belli vsum arma necessaria cõponunt. Hoc pacto fabricata cædunt omnia, vt nec scutum, nec galea, neç quid aliud eis obsistat. Duobus gladiis fulti cum equestri certamine superiores euaserint, ex equis desiliunt, & pedestrem adiuuant pugnam. Mirabilis apud eos viget consuetudo. Nam cum munditia semper elegantes existant, vna in re videntur immundi & spurcitiæ pleni. Vniuersum siquidem corpus lauant vrina, dentesque fricant, hanc optimam corporis curam existimantes (quod etsi vituperat Diodorus, ego tamen laudo. Magna siquidem vis inest vrinæ, quæ multis morbis medetur, vt philosophi dicunt & medici) Erga nefarios homines atque hostes, crudeles sunt: cum aduenis autem humani atque hospitales. Aduenientes externos benigne hospitio recipiunt, adeo vt æmulatione quadam inuicem pro illorũ honore certent. Quos aduenæ sequuntur, hos laudant, amicosque deorum esse putant. Nutriuntur affluenter variis carnibus, potum ex melle conficiunt, eius copiam præbente affatim patria. Vinum emptum bibunt mercatorum opera aduectum. Ex propinquis gẽtib. gratior est eis Vaccæorum natio. Hi enim annis singulis sortitos inter se agros colunt, fructusque cum cæteris communicant, cuique sua portione præbita. Quod si quis agricolæ quid abstulerit, euestigio mulctatur morte. Celtiberorum fortissimi habentur qui appellantur Lusitani, peltas in bello paruas ex neruis confectas, quibus tegatur corpus, habent. His in bello ea agilitate vtuntur, vt & ictus & sagittas euitent. Iaculis ferreis hamatisque vtuntur, quæ longe iaciunt & summa arte. In acie diutius perseuerant mobili corpore leuique, vt facile & fugiant hostem & insequantur. In perferendis periculis superãtur à Celtiberis. In pace autem choreas leui saltu exercent quadam crurum agilitate. Bella ad numerum aggrediuntur. Iberi Lusitanique ætate integra præsertim inopia oppressi, qui robore præstant & audacia, in montib. asperis diuersisque per Iberiam locis latronum more leui armatura agiliq; corpore veloces discurrunt, populatisque agris ad montes veluti tutam patriam, cum locorum asperitate nullus eo exercitus adire possit, confugiunt. Aduersus eos profecti cum exercitu sæpe Romani eorum audaciã represserunt, prædam autem & latrocinia nequaquam tollere potuere. Titus etiam Liuius Hispanos hoc modo commendauit, scribens: prima luce (inquit) sub iugo montis prælium fuit, quo interclusam à suis leuem armaturam (facile etenim numero aliquantum præstabant) Romani superassent, nisi Hispanorum cohors ad id ipsum remissa ab Hannibale peruenisset. Ea mõtibus assuetior, & ad concursandum inter saxa rupesque aptior ac leuior, cum velocitate corporum, tum armorum habitu campestrem hostem grauem armis statariumq; pugnæ genere

genere facile elusit. Ita haudquaquam pari certamine digressi Hispani fere omnes incolumes, Romani aliquot suis amissis in castra contenderunt. Idem Liuius in oppugnatione Capuæ scripsit: Hannibal locum difficiliorem Hispanis assignauit. Idem scribit: Hispania non quam Italia modo, sed quam vlla pars terrarũ bello reparando aptior est locorum hominumq; ingeniis. Itaque ergo prima Romanis inita prouinciarum quæ quidem continentis sint, postrema omnium nostra demum ætate ductu auspicioque Augusti Cæsaris perdomita est. Strabo quoque de Gallorum & Hispanorum pugnandi virtute scribens, sic primum de Gallis refert: Quamobrem eorum facilius desolationes euenire contingit, cum gregatim inferantur, & totus simul exercitus ex vniuersis excitetur habitaculis, cum ab aliis validioribus eiiciantur. Hos Romani minori negocio, quam Hispanos subiugarũt. His enim antea bellum inferre incipientes, nouissime finierunt: illos autem medio in tempore cunctos debellauerunt penitus, qui intra Rhenum Pyrenæosque montes iacent. Nã qui gregatim totis copiis irruebant, gregatim simul debellabantur. Hispani vero prælia partiti, vires, vti depositum, seruabant, alii alio tempore aliisque in partibus latrocinandi more belligerantes. Hispanorum porro fuit olim hostem punctim magis adoriri quã cæsim, ideoque gladiis breuibus vtebantur. Quibus, vt scribit Philarchus, micrologia propria fuit, qui res vel minimas plurimi faciebant, & auaritiæ studio semel tantũ die cibum capiunt. Sunt, inquit, & hydropotæ, & in tam auido ingenio vestibus tamen amiciuntur vel preciosissimis. Artemidorus autor est, mulieribus Hispanis monilia ferrea gestare cõsuetum, è quibus in verticem surrectos coruos itidem ferreos decumbere in frontem lõgius, vt propendens inde velum vmbellæ vicem præstet defendendo soli. Mundus hic summe illis preciosus. Apicem aliæ pedali mensu protollunt, comamque apte circumnectunt, galeарico atri coloris superiecto. Hæc nos apud Astures & Cãtabros sæpe vidimus, risum vix comprimentes. Cum autem gererentur in Cantabrica res, filios ne fierent hostilis præda & ludibrium, matres contrucidarunt. Quin & puer cum parentes compediti asseruarentur & germani, confodit omnes. Mulieribus & illud proprium, opere rustico sumptum suum exercere. Puerperæ viris ipsarum vice decumbentibus administrant. Infantem editum in fluminum abluunt ripis. Cantabros ferunt iuris hostium factos ac patibulo affixos, in tanta supplicii diritate nihilominus perinde ac gestientes Pæana concinere. Inspectis humanis extis futura coniectant. Dextras captiuorum præcisas numinibus obtulisse pium illis præcipue. Hydropotæ imprimis, id est aquæ potores, qui montana incolunt, fronte mitris culta pugnam ineunt. Ægrotos producũt, vt à prętereuntibus, quos eiusmodi quippiam infestarit, aliquid salutaris opis afferatur. Huiusmodi moribus quondam vixisse ferunt, Callecos, Astures, & Cantabros, & cæteros vsq; ad Pyrenæa iuga morantes. Lusitanos, inquit Strabo, scrutatores, veloces, agiles, versatiles esse fama est. Scutũ duûm pedum ad latitudinem gestant curuum, ad anteriora prospectans, loris dependens, cui neque fibula, neque ansa vlla est. Gladiolus autem pugio lateri adhæret. Plurimi lineos thoraces habent, perpauci loricis vtuntur, aut cristatis cassidibus, nõnulli neruatis galeis. Peditibus ocreæ adsunt, vnusquisque plura fert iacula. Quidam vtuntur & hastilibus, quibus cuspides sunt æreę. Vnicus illis est cibus, mundus quidem ac simplex, montes pręsertim incolentib. Aquarum potores & humi cubitores, longas, vt fœminæ, inferius diffundunt comas. Hirco maxime vescuntur, quem & Marti immolant, sicut & captiuos & equos. Gymnica etiam conficiunt certamina, armis exercent ludos, & equis, & cestibus, & cursibus, & tumultuaria pugna, & instructo per cohortes prælio. Montani homines duabus anni partibus querna vescuntur glande. Quam cum siccauerint, frangunt, molunt, panes conficiunt, & ad tempus reponunt. Hordaceo vtuntur vino. Pro oleo butyrum vsurpant. Sedentes cœnitant, inter potandum ducto ad tibiam vel tubam choro saltant inflexis exultantes pollicibus.

De veterum Hispanorum constantia & fidelitate.

DE bellica Hispanorum virtute, moribus, & ingeniis loquuti, de fide atque constantiã pauca referemus. Quæ quidem duæ virtutes cum in aliis multis Hispanis, tum vero in Saguntinorum animis admirabiles fuere. Qui quidem, vt fidem seruarent, crudelissimã subire mortẽ maluerunt, quàm à Romanis deficere. De quibus Lucius Florus hoc modo gemendo conscripsit: In causa belli Carthaginensibus contra Romanos Saguntus delata est, Hispaniæ ciuitas & opulenta & fidei erga Romanos magnum quidem, sed triste monumentum, quam Hannibal, causas nouorum motuum quęrens, & suis & ipsorum manibus euertit, vt Italiam sibi rupto fœdere aperiret. Summa fœderum Romanis religio est. Itaque ad auditum sociæ ciuitatis obsidium, memores icti cum Pœnis quoque fœderis,

non statim ad arma procurrunt, dum prius more legitimo queri malunt, interim nouem iam mensibus fessi Saguntini fame, machinis, ferro, & igne, versa denique in rabiem fide, immanem in foro excitant rogum, tum desuper se suosque cum opibus suis ferro & igne corrumpunt. Quod & Valerius Maximus hoc modo meminit: Post duorum in Hispania Scipionum, totidemque Romani sanguinis exercituum miserabilem stragem, Saguntini victric bus Hannibalis armis intra mœnia vrbis suæ compulsi, cum vim Punicam vlterius nequirent arcere, collatis in forum quæ vnicuiq; erant charissima, atque vndique circundatis accensisque ignis nutrimentis, ne à societate nostra deficerent, publico & communi rogo semetipsi superiecere. Silius etiam Italicus Sagũtinorum nobilissimas animas commendans hoc modo cecinit:

At vos sydereæ, quas nulla æquauerit ætas,
Ite decus terrarum, animæ, venerabile vulgus,
Elysium & castas sedes decorate piorum.
Quis vero non æqua dedit victoria nomen
Audite ô gentes, neu rumpite fœdera pacis,
Nec regnis postferte fidem.

Cæterum qui Saguntinorum erga Romanos fidem cognoscere velit, Liuium legat ex eo loco, vbi sic incipit: Et iam omnia trans Iberum præter Saguntinos Carthaginensiũ erant. Probatur Hispanorum fides & Iulii Cęsaris iudicio, qui cum totum terrarum orbem subegisset, Romam reuersus suæ salutis causa Hispanorum custodes elegit. Quos cum dimisisset fide Romanorum fretus, paulo post occisus est. Qua de re Suetonius meminit. Augustus etiam Cæsar in sui custodiam Calagurritanos elegit, quod idem Suetonius in Octauiani vita commemorat.

De veterum Hispanorum lingua.

PRIMIS totius Hispaniæ cultoribus & indigenis vsque ad aduentum Carthaginensium & Romanorum, qui tunc omnes Latine loquebantur, eam linguam fuisse quidam autumant qua nunc Vascones vtuntur & Cantabri, qui tot sæculis & temporum varietatibus, neque linguam, neque mores, neque corporis cultus vnquam mutauere. Cæterum genus illud sermonis Hispani initium habuisse credendum est, non ab Iberis, non à Sagis, nec à Phœnicibus, quos in Hispaniam quondam venisse quidam scripserunt, sed à primis illis Hispanię cultoribus quos linguarum diuersitas à patriæ sedibus exulare coegit. Quisquis igitur ille fuerit qui in Hispanum orbem è turre Babylonica se primum contulit, isdẽ profecto vnum secum attulit è septuaginta duobus idioma, quæ in illius nouæ ciuitatis erectione Deus Optimus Maximus turrim construentibus impartiuit. Quod cum in reliquis Hispaniæ partibus ob aduentitias gentes immutatum fuerit, aut corruptum, apud Vascones tamen & Cantabros eandem illius idiomatis formam absq; mutatione vlla perseuerasse, indicio est regionum illarum veluti solitudo, ac nulla cum exteris nationib. vel consuetudo, vel commercium: quæ duo maxime solent, vt supra diximus, linguam simul cum moribus immutare. Quatuor siquidem sunt hominum species in Hispania, duntaxat indigenarum, nulliusq; gentis externæ participantium, Galleci scilicet, Cantabri, Vascones, & Asturiarum montani populi, quibuscum neque Græci, neque Iudæi, neque Carthaginenses, aut Romani, aliæue gẽtes externæ commercium habuere. Cuius rei causam inde, ni fallor, augurari licebit, quod harum regionum incolæ sic semper fuerunt bellacissimi, atque hoc tempore, vel quod Imperatores de hisce regionibus victoriam reportantes (si qui tamen fuerunt) apud easdem ob locorũ asperitatem, gentisque mores indomitę, diutius commorari noluerunt. Quod si nostra hæc de origine Hispani sermonis opinio quibusdam lectoribus obscura videbitur & minus probabilis, vna tamen similima in re fiet quam verissima. Videmus enim Granatæ regni populos barbaricæ gentis à Catholicis principibus deuictos, Christianorum consuetudine atque conuictu linguam nostram, quam vulgo Castellanam vocamus, iam omnes didicisse, sibique propriam, vernaculam & natiuam oblitos penitus: qui vero montes asperos & inaccessibiles, quos Alpuxarras appellant, incolunt, suis moribus & lingua vti. Idem igitur & Cantabris & Vasconibus accidisse, qui in Hispaniæ præliis ac tumultibus ad regiones asperitate locorũ haud summe cognitas recesserunt, minime mirum fuerit. Vnum interim fatebor ingenue, antiquũm illud Hispanorum idioma quod integrum vsque ad hæc fere tempora mansit & incoruptũ, ætate nostra plurimum esse etiam apud Cantabros deformatum, ob communem iam illorum cum exteris nationibus consuetudinem. Est itaque, vt vel summis, quod aiunt, labiis, antiquæ illius Hispanæ linguæ gustatiunculam attingamus, eiusdem idiomatis proprium

prium in compluribus dictionibus ſingularem numerum in a literam, pluralem vero in ac deſinere, vt Lurra ſingulari pro terra, & Lurrac numero plurali pro terris: tametſi genus hoc loquendi nonnulli opinantur non aliunde aduectum fuiſſe, ſed indigenarũ, hoc eſt, non à gentibus aduentitiis Hiſpanos doctos fuiſſe, ſed à natura. Cuius ſermonis exempla quædam ponere placuit. Vocant itaque Vaſcones cœlum, cerúa: terram, lurra: ſolem, egúzquia: lunam, irarguia: ſtellam, izarra: nubem, odéya: panem, oguía: vinum, ardáoa: carnem, araguía: maritum, ſenarra: flumen, ibáya: bibo, edatendòt: lego, iracúrtendot: domum, echea: villam, vria: lectum, oeea: interulam, alcandórea: ſenem, zarra: album, zuría: nigrum, belza: rubrum, gorría: piſcem, arraya: amare, oneréxtea: dormio, lonazà: video, bacũſt: hominẽ, guizona: mulierem emaztéa: filium, ſeméa: filiam, alauéa: patrem, aytéa: matrem, améa: fratrem, anagéa: ſororem, arreuéa: corpus, gorpuzà: ignẽ, ſuà: formoſum, ederrà: comedere, ian: curro, laſter eguitendòt. Habent etiam numerandi modum dicentes, vnum, bat: duo, bi: tria, irù: quatuor, laù: quinque, boſt: ſex, ſey: ſeptem, zazpì: octo, zortzì: nouem, vedrazì: decem, amarr: viginti, oguèy: triginta, oguéytamar: quadraginta, berroguèy: quinquaginta, berroguéytamar: ſexaginta, yruroguèy: ſeptuaginta, iruroguéytamar: octoginta, lauroguèy: nonaginta, lauroguéytamar: centum, eun.

Lingua Hiſpanorum propriũ.

Numerandi modus Hiſpan.

LVCII MARINEI SICVLI
DE REBVS HISPANIÆ
LIBER V.

De laudibus quas Hiſpani noſtri temporis in officio militari meruerunt.

SCRIPSIMVS hactenus de veterum Hiſpanorum moribus & ratione viuendi: reliquum eſt igitur vt aliquid de præſentibus breuiter attingamus. Nam ſi res in bello geſtas ab Hiſpanis noſtri temporis, aliaque præclara facinora ſtilo proſequi vellemus, nimirum maiora volumina conficerem, quam Liuius atque alii multi, vel Latini, vel Græci ſcriptores de Romanorum rebus geſtis conſcripſere. Siquidem neq; Criſpus alter, neque Valerius Maximus, aut Suetonius, qui paucis verbis multa magnaque perſtrinxerunt, Hiſpanorum noſtri ſæculi virtutes egregias & res memorabiles, non dico modicis, ſed ne maximis quidem voluminibus comprehenderẽt. Quos enim ſcriptores non defatigarent, quos poetas non deterrerent, cuius ingeniũ fœlix quamlibet & facundum non ſuperarent numerus & magnitudo rerum quas Hiſpani viri admodum fortes ætate noſtra domi foriſque geſſerunt admirabiles? Aut quis Hiſpaniæ duces magnanimos, quis inuictiſſimos equites & fortiſſimos milites quos in bello Granatenſi contra Mauros acerrimos hoſtes animoſiſſime pugnantes vidimus, enumerauerit, aut meritis laudibus proſequetur? Qui profecto debellatis ferociſſimis hoſtibus magnos triumphos, & ingentes laudes, famamque glorioſam meruerunt. Quas deinde victorias in Italia magnaque Gręcia de pugnaciſſimis Gallis habuere? Sunt enim ſemperque fuerunt Hiſpani natura bellaces, qui vel à teneris annis armis libentius & equis ſtudent, quam cæteris artibus & officiis. Quapropter cum Franciſcus rex Gallorum per Hiſpaniam proficiſceretur, & adoleſcentulos impubes enſibus præcinctos aſpexiſſet: O fœlix, inquit, Hiſpania, quæ viros parit & nutrit armatos. Expertus enim fuerat Hiſpanorum vires & inuictiſſimos animos, quos armorum ſplendor vſuſque delectat, & tubarum ſonitus acuit & vehementer accendit. Quare meo quidem & aliorum iudicio mortales omnes Hiſpani bellica virtute præcedunt: quippe qui non modo viribus corporis & agilitate plurimum valent, ſed etiam animi fortitudine, laborum famiſque tolerantia, atque prudentiſſimis conſiliis quibus optimi duces vti ſolent, maxime pollent.

De Hiſpanorum ingeniis ad literas capeſſendas.

SVNT Hiſpani præterea ad literas aliaſque res & mechanicas artes capeſſendas idonei promptiq;, qui facile mechanicas artes & liberales addiſcunt, & magnas ingenii dotes & altas animi virtutes exercent: quorum tamen plæriq; vix quotam partem rerũ quas ad

imitandum sibi proposuerunt, consequuti, falsam sibi scientiæ persuasionem induunt, & lucri cupiditate capti, alii sibi populi regumque gratiam conciliant, & mortuorum fiunt hæredes: alii calumniose stultorum lites controuersiasque differentes magnam pecuniarum summam venantur: alii hominum vitæ necisque sese dominos constituunt, & fiunt non solum bonorum sed etiam animarum negociatores. Qui quoniam non, vt scientiam adipiscantur, dant operam literis, sed vtilitatis amore flagrantes, etsi pecuniarum diuites fiunt, pauperrimi tamen moriuntur. Siquidem statim veniunt in obliuionem, & eorũ nomina cum vita simul extinguuntur: tametsi cupiditas hæc humanarũ rerum, & amor cęcus habendi vbique terrarum communis est. Sed ad Hispanos redeo quorum qui sese literarum studiis applicant, & non quæstus, sed scientiæ causa quam cœperunt irę viã pergunt, in dies altius euolantes, cœlum scandunt, & morientes se vixisse laborum suorum monumentis quæ sunt immortalia, testimonium relinquunt. Nos autem talium virorum quosdam non solum pręteritorum, sed etiam nunc viuentium, quos vel consuetudine vel suis operibus famaq; cognouimus, in alio loco nominatim recensebimus.

De Hispanorum vrbanitate & diligentia in educandis liberis.

PROBANTVR Hispanorum mores & vrbanitas, & in liberis educandis probitas & diligentia, quæ quidem maxima est virtus. Siquidem liberis priusquam nascantur, nutrices prospiciunt, & pædagogos moribus & vrbanitate probatos. quod non tam bene fit apud alias gentes. Quapropter Hispanorum mores & virtutes egregias, optimamque consuetudinem Gallorum Rex expertus, ex Hispania discedens, vbi filios obsides relinquebat, eos tristes & quasi flentes hoc modo consolabatur: Ego filii charissimi vos in Hispaniam venisse non moleste fero, sed magnas Deo gratias ago. Siquidem vos non vt obsides apud hostes barbaros relinquo, sed cum Hispanię principibus cõsanguineis nostris, & nobilissimis equitibus, vt eorum mores addiscatis & vrbanitatem. Quibus quidem Hispani sine dubio reliquos omnes longe præstant. Nouimus in multis Hispaniæ viris, & nonnullis etiam mulieribus, meritoque laudauimus admirabilem patientiæ virtutem, simulationem quandam ac dissimulationẽ. Quę quidã suo loco & tempore summa est prudentia, præsertim si vel necessitatis causa fiat, vel honoris.

De lingua qua nunc vtuntur Hispani.

SERMO vero quo nunc vtuntur Hispani, Latinus est, quem à Romanis acceperunt, ideoque Romancium vocant, qui propter aduentum Barbarorum aliquantulum degenerauit à lingua Latina. Quod si neque Gothi neque Mauri, Barbaræ gentes, in Hispaniam venissent, tam Latinus esset nunc Hispanorum sermo, quam fuit Romanorum tempore Marci Tullii. Cæterum lingua hęc quæ nunc etiam Castellana vocatur, in Bætica prouincia totaque Lusitania, id est, à Gadibus vsque ad ciuitatem Burgensem & Cæsaraugustam, multo est elegantior, multoque copiosior. Cuius rei causam esse arbitror, vel quod in hac regione quæ fertiliorem Hispaniæ partem mediumque fere cõtinet plures Romanorum coloniæ fuerunt, quam in aliis Hispaniæ partibus: vel quod in ciuitatibus & populis huius regionis, Hispaniæ principes, multique nobiles, qui magis ornate loquuntur quam cæteri, frequentius cõmorantur quam in aliis: vel ratione climatis, quo pars illa tegitur Hispaniæ quam diximus, sub cuius sydere terra fertilior est & clariora nascuntur ingenia. Hispanorum autem linguam quam Romanam esse diximus, Græcæ quoque participem fuisse quibusdam vocabulis quibus adhuc vtuntur Hispani, facile probabimus. Siquidem loquacem hominem quem Græci pampharron vocant, Hispani fampharronem dicunt, & ctoma Græci dicunt, & Hispani, pro accipe vel posside. Paso Græci dicunt, & Hispani paso, pro siste vel mane. Item cara quod Græce caput significat. Camis Græce dicitur, quam Hispani camam vocant. Tios Græce & Hispani tio. Reo Græce, & Hispane rio. Artos Græce dicitur quod significat panem, & inde Artesam dicunt Hispani, in qua panis conficitur. Camaram dicunt Hispani Græcique, quæ significat fornicem. Vtuntur Hispani præterea, en, præpositione Græca pro, in, Latina. Fungus etiam dicitur à Græcis & Latinis, quo vocabulo vtuntur Hispani, & tumorem significat. Multa præterea nobis occurrunt huiusmodi vocabula, quæ, ne fastidio sint lectoribus, prætermittimus. Verum enim vero vocabula hæc Græca quibus nunc vtuntur Hispani, non à Græcis, vt opinor, sed à Romanis acceperunt, qui Græcorum consuetudine linguam quoque Græcam callebant. Qui venientes in Hispaniam & in ea commorantes, Hispanos vtramque linguam docuere, Latinam præsertim, quam postea, vt supra diximus, gentes Barbaræ deprauarunt: quæ tamen non adeo deformari potuit, vt

tuit, vt non sit magis Latina & Romano sermoni propinquior quam cæteræ linguæ quæ sunt à Latina corruptæ, & elegantior ac facundior omnibus, exceptis Græca & Latina. Legimus enim nõnullas epistolas Hispano sermone scriptas esse Latinas, in quibus nomina & verba Latina sunt omnia. Ideoque Romanũ sermonem, qui male pronunciant, Romancium vocant.

De Hispanorum sobrietate & aliis virtutibus.

ADMIRABILIS est Hispanorum fere hominum virtus magnaque laude digna sobrietas, quibus cum quinquaginta fere annos commorati, ne vnum quidem vidimus hominem temulentum, sed viros complures hydropotas & plærasq; fœminas abstemias cognouimus. Ex quo nostra illa fulcitur opinio, Hispanos à Romanis originem habuisse, quibus olim lege sancitum erat, ne mulieres vinum sub pœna capitis degustarent. Illud verò prætermittendum non est, quod animaduertimus, Hispanorum scilicet plærosque circa corporis cultum nimis esse studiosos, quippe qui vestes aliaque corporis ornamẽta liberalius ac profusius emunt, quam victũ vel res alias quamlibet necessarias. Quã quidẽ rem etsi Stoicidæ nonnulli vituperant, nos tamẽ laudamus, in diuitibus præsertim, si non ambitionis, sed honoris & liberalitatis causa faciunt. Placent igitur nobis Hispanorũ mores, satis faciunt ingenia, & probantur habitus. Quapropter Hispanorum consuetudinem quærimus & viuendi ordinem sequimur, qui non minori studio rebus diuinis incumbunt, & animarum suarum saluti prospiciunt, quam diuitiis & voluptatibus oblectãtur. Enimuero magna nunc est Hispanorum religio, magnus dei timor & cultus, magna sacerdotibus animarum cura, qui non solum rem diuinam omniaque sacrorum mysteria solenniter celebrant, sed etiam populos sibi commissos concionibus & exemplis diligẽter instruunt. Homines præterea non modo nobiles & literati, verum etiam plebeii & indocti præceptis ecclesiæ Christiq; mandatis obedientissime seruiunt: quorum quidẽ alii saltem semel in anno, alii bis, nonnulli ter, multi quater, & plæriq; non modo senes, sed etiam iuuenes adolescentesq; decies, singulisq; mensibus sese vel suis parochis, vel aliis sacerdotibus detegunt. Quare meo quidem iudicio in orbe toto terrarum nulla gẽs est hodie Hispana, vt ita dicam, Christianior. Cuius quidẽ rei Ferdinãdus & Helisabella catholici principes causa fuere, qui præteritorum regum negligẽtia plærosque Hispaniæ populos in luxuriam & omne maleficiorum genus lapsos, suæ virtutis exemplo iustitiam cæterasq; virtutes exercentes ad suum timorem, ad reuerẽtiam legum, ad dei cognitionem vsumq; bene viuendi reduxerunt. Quos etiam maleficiis assuetes, raptores, superbos, crudeles, sacrilegos, & prophanos, non solum iustitiæ iugum subire & rationi parere compulerunt, sed etiam probos, continentes, modestos, humiles, & religiosos effecerunt. Tantũ quippe valet bonorũ principum virtus. Tales enim populi fieri solent, qualis est princeps sub cuius imperio reguntur. Eius namq; mores siue bonos, siue malos, imitatur. A Catholicis itaq; principib. Hispaniæ populi sanctis legibus instituti, bonisq; moribus informati, Christianissime viuunt: quippe qui iustitiam metuunt, ecclesię præceptis obediunt, diuinis officiis adsunt, conciones audiunt, sacerdotes venerantur, maioribus cedũt, proximos diligunt, amicos colunt, nocent nemini, consolantur afflictos, inopes adiuuant, viam demonstrant errantibus, peccantes admonent, pœnitentibus ignoscunt, fidem seruant, studiosos amant, improbos odio habent. Quapropter apud Hispanos ego vitam agere malo, quam apud alios. Tenet enim me secum maximeq; delectat Hispanorũ mos egregius, vrbanitas singularis, & nobilissima consuetudo, nõ solum equitum, sacerdotum, & ciuium, sed etiam paganorum & agricolarum.

De sanctis & martyribus Hispaniæ.

INVITABVNT lectores religiosos præsertim deuotosque Christianos qui contemplatiuam vitam agunt, sanctorum martyrumque virtutes, sanctissimi mores, exemplaq; proficua, & opus nostrum gratius facient & illustrius. Legant igitur Hispaniæ sanctos & martyres diligentissime sacerdotes, & eorum exempla imitentur & vitam. Doceant etiã præceptores suos discipulos sanctissimas lectiones. Studeant & concionatores sanctorũ per utilibus exemplis, & in suis pulpitis auditores instruant.

De sancto Vincentio martyre.

FVIT & Vincentius alter Hispanus, vir sanctissimus, inuictissimus, & constantissimus martyr, Sixti Papæ discipulus, & diui Laurentii martyris scientia & virtute præstantissimus, qui (vt quidam volunt) apud Abilam ciuitatem Lusitanæ prouinciæ martyriũ ptulit

acerbissimum. Alii autem apud Valentiam patriam simul cum Valerio ipsius vrbis Episcopo à Deciano prouinciæ præside martyrium passum diuum Vincentium ferũt. Sunt etiam qui patria non Valentinum, sed Osca fuisse velint. Cuius denique martyriũ omniũ fere martyrum pœnas & cruciatus superauit. Summa enim pœna carceris, famis inopia, catenarum stridore, manibus, collo, ceruicib. ferri pondera sustinens, per omnes corporis artus mortalia supplicia pateretur. Quod diuus Augustinus summo cum stupore miratus his verbis ostendit: Magnũ & admirandum spectaculũ noster animus cepit, nec immanissimã & perniciosissimã, sicut solent in theatris quarumcunq; nugarum, sed plane vtilissimam & fructuosissimã voluptatẽ oculis interioribus hausimus, cum beati Vincentii passio legeretur. Terret, inquit, videre inuictã martyris animã cõtra insidias antiqui hostis contra sæuitiã imperii Deciani, contra dolores mortis, carnis acerrima cõflictatione certantem, & in exilio diu cuncta superantem. Nam Decianus ipse sanctissimum hominẽ in eculeo primum leuatum, toto corpore distendi iussit, distentumque diuersis vulnerib. cruciari, cruciatum etiam pectinibus lacerari, & carnifices ad crudelius sæuiendum verberibus fecit vrgeri. Eiusdem deinde corpus in craticula positum cum vncinis ferreis aperiri, & ardentes laminas infigi ac sale ignito aspergi, laceratum in teterrimo carcere fecit includi, ibique testas acutissimas congeri, in lignoque pedes eius affigi, & sine humano solatio derelinqui. Eaque supplicia multoque maiora diuum Vincentium præstantissime fortissimeq; vincentem diuus Augustinus admiratus alibi sic dicebat: Beatus Vincẽtius vere Vincentius fuit, quia fortissime omnia mortis pericula vicit. Vicit, inquam, in verbis, vicit in pœnis, vicit in confessione, vicit in tribulatione, vicit exustus, vicit summersus, vicit viuus, vicit & mortuus. Quia eo mortuo, vt eius sacra habet historia, angelos ei dixisse ferunt: Agnosce ò Vincenti, quia pro cuius nomine viriliter decertasti: ipse tibi coronam præparatam seruat in cœlis, qui te victorem fecit in pœnis. Eiusque passionem nobilemque triumphum Petrus Ransanus Panormita & vates, luculẽtissimis versibus quos Romæ Panormiq; legimus, expressit. Diuus Augustinus præterea huius sanctissimi martyris præconium quanto sit honore excipiendum, multis sermonibus demonstrauit. Eius autem celebre festum meritissime celebramus, cuius nomen cum apud omnes Christianos, tum vero apud Hispanos præcipue colitur.

Vincentii encomium.

De diuo Laurentio martyre.

SVBNECTENDVS est Vincentio Laurentius. Hunc enim cum illo si compares, vter eorũ plus laudis & gloriæ meruerit, facile iudicare non possis. Pari nanque scientia, doctrina, patientia, fortitudine, martyrio, fide, morte denique floruere. Laurentius enim Sixti Pontificis archidiaconus & adoptionis filius, Romę via Tiburtina, præsidẽte Decio post multa virtutum insignia, & plurima tormentorũ genera, id est, carceris, verberum, & laminarum ardentium exustionem, ad vltimũ quarto Idus Augusti in craticula ferrea crudelissime assatus, martyrium constantissime compleuit. Hunc nonnulli cuiusdam Hispaniæ ducis filium fuisse ferunt, quem dæmõ infantulum è cunis in nemus asportauerat, sed beatus Sixtus Pontifex cum in eadem prouincia prędicaret, sub quadam arbore lauro diuinitus inueniens eum, Laurentium vocauit, & diligenti cura nutriri ac edoceri iussit, quem adultum secum vna cum Vincentio Romam perduxit. Vbi postea factus Pontifex constituit eum suum archidiaconum. Laurentius itaque simul & Vincentius Christi fortissimi duces pro Christiana fide strenuissime militantes & Hispaniæ laudis plurimũ tribuerunt, & in cœlis parem sibi gloriam sunt adepti. Fuit autem Laurentius ab Hypolito Romano patricio clarissimo sepultus, qui & ipse à Deciano comprehẽsus quod Christianus esset, diu atque acriter cæditur, & cum idolis sacrificare nollet, iterum tam diu fustibus cæsus est ad defatigationẽ cædentium. Sed cum iterum non acquiesceret, Decianus iracundia percitus atque plenus Valeriano Præfecto præcepit, vt exquisita omni eius facultate eum crudeli examinatione interficeret. Qui iussa complens Imperatoris, primo omnem ipsius familiam in cõspectu eius morte capitis affecit, deinde ipsum ligatis pedib. ad caudam indomitorũ equorum per carduos ac tribulos crudeliter distrahi tamdiu iussit, donec spiritum emisit. quo defuncto nocte illa Iustinus sacerdos frusta eius corporis collecta simul cum seruorum suorum corporibus sepeliuit extra portę Tiburtinæ muros idibus Augusti, quo die eorum natale colitur.

De diuo Illefonso.

ETSI permultæ Hispaniæ vrbes merito sanctis suis illustrantur, Toletana tamẽ clarissima ciuitas Illefonsi gloriosissimi meritis innumeris maiorẽ in modum gloriari potest.

Huius namque ſancti parentes Toletani ciues, & generis nobilitate, & morum vitæque ſanctitate maxime floruere. Pater enim nomine Stephanus aſſidue munera pauperibus erogauit, mater vero Lucia nomine, dies continuos ac noctes orationibus ad diuam Mariam virginem Dei genitricem ſemper impendit, orauitq; vt ſibi tandē proles naſceretur. Cui quieſcenti Maria virgo viſibiliter apparuit, dixitque: Lucia tibi filium prænuncio naſciturum, qui magnam Hiſpanis omnibus lucem afferet. Quæ cum hæc dixiſſet, ſummo ſplendore refulgens ab illius oculis euanuit. Concepit itaque deinde Lucia ſanctiſſima mulier, & filium peperit Illefonſum, cuius vitam, quam ſanctiſſime ſemper egit, enarrare longum eſſet. Eam itaque & omnia quæ de huius ſancti mirabilibus dici poſſent, prætermitto, cum pręſertim à multis aliis plene ſcripta fuerint. Cęterum cum adoleſcentiam diſciplinis & rebus ſacris impendiſſet, poſtea Eugenio in Toleti Archiepiſcopatu ſuccedēs in eo vitam ſanctiſſime finiuit, qui propter ſuam erga virginem Dei genitricem contemplationem, dicitur & ſine dubio creditur, ab ea veſtem candidam rem diuinam celebraturus accepiſſe in eccleſia Toletana, vbi nunc extat altare in quo celebrauit.

De ſancta Leocadia Toletana.

LEOCADIA quoque virgo celeberrima Toleti orta fuiſſe perhibetur, quæ propter ſanctiſſimos eius mores & Chriſti cultum, cui feruentiſſime ſeruiebat, à Deciano Hiſpaniæ præfecto tanquam Chriſtiana capitur, & apud vrbem Toletanam carceri mancipatur. Vbi cum grauiſſimos beatæ Eulaliæ & reliquorum martyrum cruciatus audiſſet, poſitis in oratione genibus quinto idus Decembris impollutum deo reddidit ſpiritum. Sunt qui dicunt Leocadiam à crudeliſſimis Deciani ſatellitibus ab altis vrbis Toletanæ mœnibus fuiſſe præcipitatam, vſque ad locum vbi nunc eius eccleſia colitur extra vrbem. De cuius vita & morte plures etiam ſcripſerunt.

De ſancto Martiele & ſancta Nona.

SANCTVS Martiel & ſancta Nona ciues Legionis fuerunt, & genere nobiles, qui filios habuerunt numero duodecim. Chriſtianæ religionis cultores ſanctiſſimos, quorum vndecim cum patre Martiele vno die martyrium paſſi fuerunt acerbiſſimum. Quos cum ſancta Nona vidiſſet extinctos, vnicum filium paruulum brachiis complexa, flexis genibus, & multis perfuſa lachrymis, Deum orauit, vt eam cum filio à vitæ periculis eriperet. Et cum hoc dixiſſet, repente lacus exortus eſt, qui ſtatim matrem cum filio diuinitus abſorbuit, cuius aquam bibentes infirmi ſanantur. Vbi Legionēſis ciuitas circa lacū templū ædificauit, quod ſanctæ Nonæ dicitur. De ſanctis autem martyribus, Martielis & Nonę filiis, alibi ſcripſimus.

De Eulalia virgine & martyre.

EVLALIA virgo ac martyr ſanctiſſima, natione Barcinonenſis, in Emerita Auguſta ciuitate olim florentiſſima, pro Chriſti fide & confeſſione Deciani prouinciæ præſidis iuſſu primo eculeo ſuſpenſa & exungulata, demum cum ardentes ad vtrumque latus laminæ admotæ fuiſſent, igne hauſto quarto idus Decembris Deo ſpiritum reddidit.

De ſancta Florentina.

ADIICIAM his diuam Florentinam, Iſidori, Fulgentii, & Leandri, aliorumque ſanctorum florentiſſimam beatiſſimamque ſororem, quæ non minus Hiſpaniam atq; parentes ipſa, quam omnes ſanctiſſimi fratres decorarunt. Seuerianum autem Torturamq; Carthaginis nouæ duces, iſtorum ſanctorum parentes, qui tales progenuere liberos, ſi quis quoque ſanctos appellauerit, nunquam quidem mihi non bene dixiſſe iudicabitur. Huiuſmodi enim fructus non niſi ex huiuſmodi arbore naſci potuiſſe quis dubitet? Sed, vt ad rem redeam, hęc ſanctiſſima virgo cum vitam ageret ſanctiſſimam, monaſteriis quadraginta præficitur, in quibus mille virgines vitam agebant deuotiſſime Deo famulantes. Demum Iuſtiniani temporibus à vita diſcedens, ſanctorum numero relata eſt.

De ſancto Turibio Aſtoricæ epiſcopo

DIVVS autem Turibius innumeris claruit miraculis, & Chriſtianam religionem ac fidem Catholicam quam maxime iuuit. Nam quū adoleſcēs in Hieruſalem profectus eſſet, ibi annos fere quinque vitam egit ſanctiſſimam. Mox autem ab angelo monitus,

in Hiſpaniam multis cum reliquiis ſanctorum atque Dei Optimi Maximi reuerſus,compluresob perſecutionem ſæuiſſimam titubantes ad Chriſti fidem hortatus eſt, cuius honor maximus Palentiæ celebratur.

De ſancta Chriſteta & ſancta Sabina.

LEGIMVS Chriſtetam & Sabinam Chriſti martyres & Auilenſes fuiſſe,& (vt nonnulli volunt) Sancti Vincentii ſorores,quæ vt Chriſti nomen ſequerentur, acerbiſſimum martyrium paſſæ fuere, quarum memoriam & feſtum Auilenſes ciues diligentiſſime cōcelebrant.

De diuo Petro cognomine Barcho.

DIVVS autem Petrus cognomento Barchus,cum poſt multa eius miracula vita functus inueniretur, inter Barchitanos & Auilenſes orta contentione, an Barchitanus eſſet, an Auilenſis, eum effoſſis oculis equæ impoſuere. Quæ luminibus extinctis onus vehens ſanctiſſimum, Auilam diui Petri natale ſolum diuinitus peruenit, vbi eius ſancti memoria celebratur.

De ſancto Victore martyre.

DIVI quoque Victoris martyrio mirum in modum gaudet Hiſpania. Hic enim in Cereſano natus oppido, adoleſcentiam literis & ſacris diuiniſque rebus impendit. In antro primo vitā egit aſperrimam,quod ipſe ſuis manibus effodit. Deinde vero Mauros patriam ſuam oppugnare angelo nunciante, & Chriſtianos amouere & abducere à Chriſti cultu,protinus occurrit,& Chriſtianos omnes catholica retinuit in fide,& in hoſtes vehementer hortatus eſt. Quod cum Mauri animaduertiſſent,eum pœnis acerbiſſimis ſuſtulerunt.Itaque martyrii corona donatus, à Chriſto in cœleſtium numero aggregatus,ſempiterno gaudio perfruitur.

De Engratia virgine & martyre.

ENGRATIA virgo & martyr ſanctiſſima pro Chriſti religione & amore ardentiſſimo ſæuiſſimis pœnis & tormentis affecta Chriſto animam reddidit,de cuius operibus & miraculis magna narratur hiſtoria,& Cæſarauguſtæ ſolenniter celebratur.

De decem & octo martyribus.

EODEM autem tempore quo Engratia martyrium paſſa eſt, duo etiam de viginti iuuenes nobiliſſimos martyrio coronatos fuiſſe legimus,qui ſimul omnes libentiſſime pro Chriſti amore mortem oppetere voluerunt. Decem autem & octo fuerūt,Hiſitius, Apodemius,Linxius,Succeſſus,Fauſtus,Martianus,Vrbanus,Publius,Matutinus, Caſſianus Fœlix,Ianuarius,Primitiuus,Quintilianus,Enotus,Cæcilianus,Frontonius,& Optatus.

De ſancto Lauriano archiepiſcopo Hiſpalenſi.

LAVRIANVS Hiſpalenſis Archiepiſcopus, vir ſanctiſſimus, cum Hiſpali diuino cultui diligentiſſime ſeruiret,& Chriſtianos ad augendam fidem catholicam animaret,Rex Hiſpaniæ temporis illius,nomine Totila,exitium ei parabat.Quam obrem Laurianus per quietem angelum ita ſibi dicentem audiuit: Surge Lauriane, & ab hac vrbe ſtatim diſcedas.nam ciuitas hæc propter hoſtium Chriſtianæ religionis tyrannidem ſęuiſſima longiſſimaque peſte vexabitur, & Hiſpania tota ſeptem annos nullis irrigabitur pluuiis, & flumina fere omnia deficient. Quo audito Laurianus ſurgens Romam ſtatim profectus eſt, vbi ſanctiſſimus vir innumeris miraculis cognoſcitur. Mox autem ab eodem angelo monitus vt in Hiſpaniam rediret,quia pro fide Chriſti martyriū pati eum oporteret, reuertēs in itinere à Totilæ Regis ſatellitibus capite obtruncatur, quod quidem caput abſciſſum manibus ſuis accepit. Quod cum ſatellites vidiſſent, metu perterriti ad Chriſti fidem conuerſi, & baptiſmatis oleo peruncti caput Lauriani flentes Hiſpalim detulerunt, & cū regi omnia quæ viderant retuliſſent,Rex quoque Chriſti nomen aſſumpſit,& huius ſancti & aliorum templa ædificare præcepit.

De ſancto Braulio Epiſcopo Cæſarauguſtano.

REVERTOR nunc ad ſanctorum familiam celeberrimam. Nam Seuerianus & Tortura coniuges & nouæ Carthaginis duces ſex filios duaſque filias progenuere, qui,vt alibi diximus,Hiſpaniam totam & Chriſtianam religionem ſummis laudibus extulerunt.

Nam

Nam præter eos quos in Floretinæ sororis vita memorauimus, tres alii fratres fuere, Hermegildus scilicet matyr, Recaredus cuius opera plures homines ad fidem catholicā conuersi fuere, & Braulius Cæsaraugustanus Episcopus, quos tamen alii Leuigildi & Theodosiæ filios fuisse tradiderunt. Sunt etiam qui hos tres tribus aliis fratres patrueles fuisse opinantur. Braulius autem, vt ad rem redeam, Episcopus Cæsaraugustæ ciuitatis electus est diuinitus. Nam cum ex multis quem eligerent, in plurimorum sapientum cōcilio hærerent, subito flamma super Braulii caput omnibus visa est, quę innoxia cœli conuexa petens, Braulium episcopatus dignitate decorandum cæterisq; præferendum significat. Episcopus igitur electus, religioni Christianæ multum profuit.

De sancto Fulgentio Episcopo Astigitano.

FVLGENTIVS primo Astigitano episcopatui, deinde Carthaginensi præfuit, qui quantū in vtroque fructus fecerit, plures testantur. Cæterum cum Ariana hæresis Christianos à Dei cultu conaretur abducere, conuocato multorum Episcoporum & Hispanorū principum concilio apud Toletum, Fulgentius concionibus suis & miris operibus Arianos omnes fortiter oppressit, & Christianos qui à fide Christi nonnihil erant alienati, summa prudentia & exemplis ad pristinum Dei cultum reduxit. Fuit autem vir eruditissimus, quippe qui linguam Hebræam, Græcam, Latinam, & Arabicam callebat. Demum cum annum ageret sextum & sexagesimum, conuocatis Leandro fratre Hispalensi Episcopo, & Laureano amicissimo Episcopo Gaditano, quem non secus ac fratrem diligebat, summa cum gloria Kalendis Ianuariis è vita migrauit, cuius funus & à plurimis Episcopis & à Recaredo Rege honorificētissime celebratum est: corpus autem eius ex Carthagine noua Hispalim translatum est, & simul cum sancti Isidori sui fratris corpore sepultum.

De diuo Rege Ferdinando.

DIVVS quidem Ferdinandus Hispaniæ Rex non immerito inter sanctos annumerandus est. Summa enim sanctitate, miraculis innumeris, & moribus integerrimis admodum claruit, quippe qui Dei effigiem quam semper habebat apud se, deuotissime adorabat, summaq; veneratione celebrabat. Ab ea itaque quicquid & necessario & honeste petebat, facile semper assequebatur. Hoc igitur dei numine adiuuante, Hispali aliisq; pluribus oppidis, fugatis Mauris, potitus est. Sic itaque de religione Christiana benemeritus, sanctissime moriens Hispali sepultus est, vbi semper & maxima & plurima miracula visa fuere, quæ si quis forte scire volet plene, eius historiam perlegat.

De sancto Valeriano Episcopo Cæsaraugustæ.

DIVVS etiam Valerianus Cæsaraugustanus Episcopus Diocletiani iussu simul cū diuo Vincentio martyrium passus est acerbissimum, & cœlesti corona donatus à Christo. De quo etiam longa legitur historia.

De sancto Froylano Episcopo Legionensi.

LEGIMVS Froylanum Legionensem Pontificem virum fuisse sanctissimum, & Attilanum eius collegam dignissimum, qui Zamoræ ciuitatis episcopatum promeruit. Cæterum de Froylano multa narrat historia memoratu dignissima. Fuit autem tempore cuiusdam regis Alphonsi, qui cum esset in Ouetana vrbe apud Astures, & Froylani fama sanctitatis totam peragrasset Hispaniam, Froylanum ad se vocauit, cui facultatem dedit ædificandi monasteria & cœnobia, & eligendi monachos vita probos qui ea colerent, & Christianæ religioni militarent. Multa pręterea de Froylani sanctitate leguntur, quę causa breuitatis omittimus.

De Claudio, Lupertio, & Victorico pueris, martyribus fortissimis.

APVD Legionem Hispaniæ vrbem tres pueri martyrium constantissime pertulerunt, tres Babyloniæ viros imitantes. Quos cum Romanus præses ad se vocasset, dixit eis: Quid cum multa millia Romanorum præceptis obediunt, vos summa audacia, vt nobis nunciatur, vultis resistere? Pueri autem responderunt: Habetur in lege nostra, videntes non videant, & audientes non audiant, & ideo tot millia Romanorum vidisti, sed horum omnium mirabiliorem multitudinem videre non potuisti, à quibus te modo superatum probabis. Dic quid nobis hodie, aut quid tibi per nos putas esse præstandū? Præses dixit: Præstandum mihi à vobis nihil quæro, sed solum scire volo cui consentire vos

dicitis,aut quam habetis cõfidentiam.Responderũt pueri:Nobis in quo sit confidentia si vis scire,possumus te instruere. Habemus confidentiam in Patrem & Filium & Spiritum sanctum,qui in trinitate vnũ sunt,& in hoc confidentes,Imperatores vestros & vos qui ab eis ordinati estis, in agone constitui vincimus. Dixerunt etiam,cum ex patre diabolo sis, fac quicquid tibi persuadet pater tuus. Tunc præfectus iussit eos interfici, qui laudantes Deum, tradiderunt spiritum. Sed qui pro trinitate pati cupierunt,tres in vno tumulo sepulti sunt in ciuitate Legionensi, vbi nunc eorum corpora maximo cum honore venerantur.

De Emetherio & Cheledonio & aliis martyribus.

EMETHERIVM & Cheledonium citerioris Hispaniæ fuisse legimus Equites nobiles, qui cum primum in castris sæcularibus strenue militassent, deinde repentino sancti Spiritus ardore succensi,positis mundi armis ad fœlicis palmę pręliũ cucurrerunt,& fuerunt in vtroque victores,& in vtroque gloriosi. Nam vt à principio Dominũ sequuti sunt, sic à Deo qui præmia merentibus elargitur,electi fuere. De quibus Diuus Gregorius hoc modo loquitur: Pone hinc procellam persecutionis,inde naufragia tumescentia,ad desiderium florentis palmæ perlati sunt. Inter primas itaque dignitates regnorum cœlestium ponendi sunt,qui ad passionem venerunt non quæsiti. Excellentis voti est inter tormenta prosilire,vbi non est criminis latuisse. Credo,inquit idem Gregorius,eos prælium subituros hoc modo inuicem fuisse locutos: Diu est fratres charissimi, quod in his vanis sæculi militamus, vbi amissio tanti ocii breuissimo caduci temporis fine conclusa est, sequamur veri Regis signa victricia. Ecce imminet bellum fidei. est occasio nobis augere ordinem militandi. veteranus miles mundi tyrocinium cœleste suscipiat. reiectis mortalibus telis sumamus arma diuina,quæ in conflictibus non pauescant,ne infirmis mucronibus infracta dissoluantur. Fortius continuo sentiemus nos esse munitos, cum signiferi nominis elata vexilla in hostem qui nobis vicendus est,inferentur. Firmet pectus intrepidum contexta fidei opera virtutum lorica. Operiant vulnerum loca,opposita spei scuti impenetrabilis protectione fiducia. Attollant galeæ adhærentes inuicem charitatis erecta fastigia. Feriat vbique hostem missilibus suis vibrata confessio. Hæc sunt munimina sempiterna. Sic itaque pro Christo fortissime militantes apud vrbem Legionensem martyrium passi fuere, vbi nunc à Legionensibus non immerito solemniter eorum festum celebratur,& multo longior historia legitur.

De Nunilone & Alodia martyribus.

ANNO Christianæ salutis octingentesimo quinquagesimo primo,cum Sarracenorũ gentes Hispaniam fere totam occupassent, præceperunt vt qui Christianus esset,aut Christum Dei filium denegaret,aut gladio sectus occumberet. Quod impium edictum, & ferale præceptum per Hispaniam totam diuulgatum, magnum timorem Christianis omnibus incussit. Quapropter Hispanorum complures Christianę religioni sibique prudentissime consulentes, & nefandam Mahometi sectam fugientes,patriamque suam deserentes, vt alibi latius scripsimus,ad Pyrenæos montes & Cantabriæ Gallecíæque montana loca sese contulerunt, quorum successores post multos annos Hispaniæ fuerunt recuperationis autores. De quibus in libro de Aragoniæ Regibus historiam scripsimus pleniorem. Quare nunc ad Nunilonem & Alodiam martyres redeo. Erant itaque sub idem tempus in Osca citerioris Hispaniæ ciuitate duæ sorores ætatis admodum paruulæ,quarũ altera natu maior Nunilo, & altera dicebatur Alodia,quas pater iniquus dereliquerat , & mater quæ Christiana erat ab infantia nutriuerat, & in Christi fide diligenter edocuerat. Illæ autem matre defuncta cum ad intellectus ætatẽ peruenissent,cœperunt in fide Christi proficere,ieiuniis,orationibus,& vigiliis incumbere. Quibus & gratia sancti Spiritus adiutæ,martyrium fortissime pertulerunt acerbissimum. O beatissimæ virgines atq; fortissimæ,quæ amore Christianæ religionis accensæ,mundi fallacias,tyrãnos & mortis tormenta vicerunt,vt in cœlum victrices & triumphantes ascenderent.

De diuo Petro præsule Osomensi.

INTER miracula atq; virtutes quas Deus ad laudem & honorem vitæ viri venerabilis Osomensis Episcopi operari dignatus est,insignia quędam & inauditæ nouitatis spectaculum

culum contigiſſe narratur. Cum enim vir honeſtus apud villam quæ Freſuelo dicebatur, in territorio videlicet Oſomenſi eſſet, & poſt eccleſiæ conſecrationem eiuſdem loci, domorum cogente penuria, ſub arbore quæ ilex vocatur, iuxta poſita, cum ſuo comitatu ad reficiendum reſideret, cumque manuum ablutioni aquam non haberet, quod multis incredibile fortaſſe videbitur, aqua deſuper veniens ex prædicta arbore ſcaturiens contra naturam deſcendit, quæ cum magna admiratione omnium qui aderant, & manibus abluendis & ſiti petentium ſeſe obtulit. Quæ res admiranda & eorum oculos non latuit, & circumiacentes regiones fama volanter impleuit. Idem Pontifex cum negotiis emergentibus, multorum precibus adductus, Palentiam veniſſet, reprehenſibile ducens ſæcularibus rebus & neceſſitatibus ſe continua ſolicitudine implicari, inter mundanas varietates manentis deſiderio ciuitatis accenſus, propoſuit in eccleſia beati Antonini in vigiliis & orationibus pernoctare, & propoſitum executus eſt ad effectum. Quapropter ego & Dei magna opera referens, & huius beatiſſimi viri ſanctitatem, ob cuius memoriam hæc atq; alia diuina clementia dignabatur oſtendere, quod prædixi miraculum deſcribens, non ſolum præſentium, ſed etiam futuræ poſteritatis memoriæ commendare decreui.

De ſancto Zoylo martyre Cordubenſi.

BEATISSIMVS martyr Zoylus parentibus clariſſimis Cordubenſibus progenitus, ab infantia Chriſtianus, cum eſſet adoleſcens, & publice Chriſtum profiteretur, ſubito à Paganis arreptus ad prætorium cuiuſdam iudicis præſentatus eſt, atque ab ipſo, vt ad culturam dęmonum rediret, diu eſt exhortatus. Qui cum multa dierum ſpacia, tam ſermonibus, quam muneribus admonitus eſſet, in cœmiterio præfatæ ciuitatis cum peregrinorũ corporibus eſt ſepultus, ne aliquando à Chriſtianis cognoſceretur, & digna veneratione coleretur. Sed cum Chriſto donante pax eccleſiæ dedita eſſet temporibus Regis Siſebuti, quidam vir nobilis de Gothorum propagine clarus, Agapitus nomine, ex laico vitam appetens monachi, ſic ad ſummum ſacerdotium electus eſt. Et quoniam pro amore Chriſti ſæculum dimiſerat, non diſtulit illum fraudare bonis ſuis. Cum corpus ſuum ieiuniis maceratum in ſtramine reclinaret, per quietem noctis oſtenſum eſt ei, quo loco corpus prædicti martyris iaceret, & quo nomine vocaretur, & pro cuius amore capite plexus eſſet. Qui mane facto congregatis fratribus & vulgi multitudine, quæ viderat indicauit, atque cum omnibus Chriſtianis ad oſtenſum ſibi locum ſine mora perrexit. Ad quem perueniens, raſtrum manu arripiens effodere cœpit, quouſque ad corpus beatiſſimi martyris, ſicut à paganis fuerat abſconditum, Deo iuuante peruenit. Quo quidem inuento, gaudio magno repleti ſunt omnes. Præfatus denique epiſcopus præ amoris magnitudine, cum corpus Sancti Zoyli oſculis demulceret, atque indignum ſe iudicans vt manibus ſuis tanti viri tangeret reliquias, ſubito oſculando crebrius caruit primorum dentium adiutorio. Quos ab oris officio vt minutos eſſe conſpexit, in ſarcophago, vbi viri corpus humatum fuerat, proiecit. Peracto inuentionis obſequio, ſequenti nocte per viſum ſanctus Zoylus ita affatus eſt ei: Cur me ſæpius oſculando verberaſti? iã pro eis q̃ à me popoſceras intercedens, à Domino Ieſu Chriſto impetraſti, & nũc certus eſto, quia dimiſſa tibi ſunt peccata.

De ſancta Iulita & Cirico eius filio martyribus.

TEMPORE quo Alexander Imperator aduerſus Chriſtianos perſecutiones exercebat, & innumeros variis cruciatibus & excogitatis pœnarum mortibus afficiebat, Iulitam matronam nobilem in lege Domini diu noctuq; meditantem, & fama boni operis celebrem, miſſis officialibus ſuis iuſſit præſentari tribunalibus. Erat autem Iulita Deo ſeruiens in timore, caſteque filium paruulum nutriebat, cui cum lacte carnis diſciplinam tradidit diuinæ legis. Inter charos denique complexus & maternæ pietatis oſcula, vt verum patrẽ agnoſceret, coleret, atque diligeret, dum lacte dulci ex eius aleretur vberibus, ab ipſius ore pro tempore fidei imbuebatur dogmatibus. Inſurgentibus igitur aduerſum ſe perſecutionibus, pro ſua paruulique ſalute cõfeſſionis preces ad Dominum voce clamauit, & ipſe cuius eſt ſalus, benedictionem ei dedit ſuæ gratiæ. Ante conſpectum denique præſentata Præſidis, & ab eo requiſita, cuius eſſet prouinciæ vel ciuitatis, & quæ ei proprii cognitio nominis, ita reſpondit: De Hiſpania quidem prouincia, & de primoribus ciuitatis Iconiorum progenita, ad Siciliæ, tuas deuitans perſecutiones, loca demigraui, Tharſique ſum commorata, & cum ſim vere Chriſtiana, mihi nomen eſt Iulita. Cui Præſes, Hortor, inquit, te, tu tibi conſule, & Imperatoris iuſſa perfice, atque debita diis noſtris libamina redde. Cui beata Iulita reſpondit: Ego immundis non ſacrifico dæmoniis, quæ vnius viui &

veri Dei vera ſum cultrix. Ait Præſes: Sacrifica diis antequam ad tormenta perducaris. Et illa: Nec diis tuis vanis ſacrifico, nec torměta paueſco. Interim dum inter eos hi ſermones conferuntur, alma genitrix Cirici filii non modico anxiabatur mœrore animi, quod ipſa poſita in procinctu belli pro confeſſione fidei, ſui deſtituta videretur ſolatio paruuli: martyrium cum filio paſſa cœlum aſcendit, anno Domini ducenteſimo trigeſimo.

De ſancto Fœlici, & Anaſtaſio, & ſancta Digna, martyribus.

BEATVS Fœlix monachus ex oppido Complutenſi progenitus, natione Getulius, ex quadam occaſione in Aſturias deuolutus eſt, vbi & fidem catholicam & religionem monaſticam didicit, ſub profeſſione veræ fidei gladio deciſus eſt. Eadem die quoque ſanctus Anaſtaſius, qui ab ineunte ætate apud baſilicam ſancti Aciſcli Cordubenſis diſciplinis & literis eruditus vſque ad plenam iuuentutem ibidem in diaconatus officio degit, & poſt monaſticam vitam quam dudum expleto miniſterio oblectatus in cœnobiis egerat, demum ſacerdotio eſt applicatus: deinde concitato greſſu palatium petens aſtat conſulibus, hoſtemque iudicis aſſertionum ſtimulis feriens, gladio confeſtim abſciſſus affligitur. Quædam præterea virgo adoleſcentula eodem die merito & nomine Digna, Deo reuelante & confortante, proceſſit. Paulo ſiquidem ante martyrium ſuum, aſſiſtere ſibi per ſomnium vidit puellam ſpecie & habitu ornatam angelico, roſas & lilia manu geſtantem. Quam cum nomen cauſamq; ſui percunctaretur aduentus, Ego ſum, inquit Agatha, olim propter Chriſtum diris attrita ſuppliciis, & nunc veni partem tibi purpurei muneris huius conferre. Accipe itaque roſam donarium, & age viriliter in Domino. Nam reliquas roſarum & liliorum quas in manibus geſto, datura ſum Sancto Fœlici & Anaſtaſio tecũ hinc martyribus migraturis. Tali denique virgo ſacratiſſima viſu ac munere illuſtrata cum dextera colloquentis roſam ſuſpiceret, beata Agatha admiſſa cœleſtibus auris ab oculis intuentis eleuatur. Hæc autem puella cum pro ſumma humilitate atque obedientia inter conuirgines vltimam ſe indicaret, eſſetque incomparabili habitu obfœcundata, nũquam tamen ſe Dignam patiebatur appellari, dicebatque, nec ſine lachrymis, Nolite me Dignã vocare, ſed magis indignam, pro cuius merito ſiue etiam nomine debeo inſigniri. Quæ paulo poſt vna cum aliis crudeliſſime tormentis affecta, ſpiritum Deo reddidit.

De ſancto Ioanne presbytero & confeſſore Chriſti.

SANCTAM nunc vitam laudeſque Ioannis cui cognomen fuit Ortega, referemus, qui Domini confeſſor fuit & amiciſſimus, natione Hiſpanus de regione Burgenſi in rure campeſtri Quintana forti nomine, parentibus infimis ortus. Qui cum adhuc teneræ eſſet ætatis, in vtilia declinans exercitia humanæ mortalitatis, & quaſi ſe Deo offerens, literarũ ſtudiis adhæſit, vt dicere poſſet, hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Dei noſtri gloriabimur. Inde eſt quod implens Dominus petitiones eius, tranſeunte temporis ſpacio, ſancto inſtans propoſito, iam iuuenis ad ſacros ordines promotus eſt. Quibus aſcriptus intenſior ſolito, corde, voce, opere, diuino obtemperauit obſequio. In cuius tempore, magna orta diſcordia, accidit vt in bellum tota fere conuerteretur Hiſpania. Siquidem poſt mortem Caſtellæ regis Alphonſi qui ſine hærede virilis ſexus obierat, rex Aragonum qui Caſtellæ regis filiam vxorem duxerat, Hiſpaniam totam ſibi ſubmittere volebat, cum non eſſet qui ei reſiſtere poſſet in bello. Quod cum animaduertiſſet beatus Ioannes pacis amator, propter afflictionem patriæ vehementer indoluit: & cum diſperſionem & exterminium gentis agricolæ, ſuperante malitia, conſideraret, ſciens in tumultu bellorum bona ſua perditum iri, exiſtimans ea quantulacunque multo melius in operibus miſericordiæ diſtribuere, ſic ſecum dicebat: Væ mihi, quare peruerſitas ſuperbiæ metas offendit innocentiæ? Verum illud, inquit, eſt poetæ dictum:

Quicquid delirant Reges, plectuntur Achiui.

Sic itaque pietatis viſceribus affluens bonorum ſuorum partẽ pauperibus erogauit, quorum poſſeſſiones hoſtilis furor ſurripuerat: partem autem ſibi retinuit, non ad auaritiam, ſed potius ad gratiam Omnipotentis impetrandam. Quoniam cum videret nullo modo ſe poſſe manere in patria natiuitatis ſuæ, ſumpto conſilio diuinæ contemplationis, proficiſci ſtatuit Hieruſalem. Sumptis itaque rebus quas ſibi ſeruauerat, & obnoxias temporali perditioni cernebat, eas in itinere ſanctæ peregrinationis expendens, in ſcientiæ theſauris, vbi nec rubigo neq; tinea demolitur, collocauit. Sic itaque vir Dei inſiſtẽs fidei, pacem quærens, bellum fugiens, locum pacis Hieruſalem viſitauit, vt iuxta Pſalmiſtam adoraret vbi ſteterunt pedes Domini.

De Fausto, Ianuario, & Martiale martyribus.

OLIM cum Præses Eugenius Cordubam venisset, ei Faustus, Ianuarius, & Martialis occurrerunt dicentes: Quid tibi vis Eugeni, qui Dei seruis mauis inuidere quam credere? Tunc Eugenius ira percitus dixit, O infœlices homines, quid vos esse vultis? Faustus respondit, Nos Christiani Christum fatentes, qui Dominus vnus est, per quem omnia, & nos per ipsum facti sumus. Eugenius dixit: Vnde vobis hæc est tam desperata societas? Faustus respondit: Desperatio in nobis non est, nisi in te solo qui nos Deum negare frustra compellis. Hoc cum dixisset Faustus, magis iratus Præses, Imponite, dixit, Faustum in eculeo, qui tam irreuerenter mihi respondit. Tunc Ianuarius Fausto dixit: O charissime tu pro nobis hoc pateris, qui meritis peccatorum nostrorũ te socium esse voluisti. Cui Faustus respondens dixit: Societas nostra Ianuari mansit in terra semper, & imperpetuũ manebit in cœlo. Hoc cum audisset Eugenius, admiratus dixit: Quæ est ista nunc allocutio vestra, quod tam impie voluistis ambo respondere mihi? Ianuarius dixit: Nobis confessio Christi & nulla est impietas. Tunc Eugenius ad Martialem conuersus dixit: Vides istorũ animi dementiam, qua te in societatem suam contraxerunt? Noli maleficis istis & impiis te credere. Cui Martialis dixit: Solus Deus immortalis est, qui cœlum fecit & terram, ipse pro tuis malis operibus te puniet. Quod audiens Eugenius, Et hic, inquit, ponatur in eculeo. Quod cum fieri vidisset Martialis, O beata, dixit, immortalitas gloriæ Christi, qua nos tibi frater Fauste sociasti. Tum dixit Eugenius satellitibus suis, Torquete eos donec adorent Deos nostros. Faustus autem dum torqueretur, Difficile est, inquit, tibi & patri tuo qui diabolus est, nos à paternis legibus ad mortalitatem tuam conuertere. Propter quod Eugenius dixit, Abscindantur ei nares & auriculæ, supercilia radantur, dentesque mandibulæ superioris euellantur. Quod cum factum esset, Faustus Deo gratias agens magis hilaris factus est. Eugenius Ianuario dicebat: Vides ne Ianuari quanta tormenta passus fuerit Faustus, dum deceptus opinione sua pertinaciter imperio meo parere recusat? Ianuarius autem dixit: Impietas ista & pertinacia Fausti in me maneat, & eius vinculum charitatis. Ad cuius verba dixit Eugenius: Auferantur & huic quæ illi præcepimus. Dumque torqueretur Ianuarius, Eugenius Martialem sic alloquitur: Vides Martialis sociorum tuorum dementiam, & quæ illis mala venerunt? Tu igitur consule tibi, teq; disiunge ab illorũ mala consuetudine prauaque voluntate. Martialis autem dixit: Consolatio mea Deus est, quem ipsi gaudentes magna voce testantur, ideoque confitendus & laudandus est Deus Pater & Filius & Spiritus sanctus. Tunc Eugenius maiori furore succensus, iussit eos igne comburi. Cumque perducti fuissent ad locum suæ passionis, sic vno spiritu plebem Christi alloqui cœperunt dicentes: Vos charissimi mei & Christi fideles nolite credere huic diabolo inimico, sed agnoscite vos ad Dei similitudinem & imaginem esse factos. Illum igitur adorate, & illum benedicite qui autor est omnium: non, vt isti dicunt, adoretis opera manuum ipsorum, quoniam ligna & petra, aurum & argentum sunt opera manuũ hominum. Vos itaque contemnentes huius iniuriam, & cõfidentes in Iesu Christo, soli Deo sine cessatione quotidie referte laudes. Et cum ducerent eos lictores per quorum manus fuerant cruciati, cœperunt eos igni compellere, simulque traditi flammis, exultantes tradiderunt Deo spiritum.

De Sperato martyre & sociis eius.

APVD nouam Carthaginem adductos Speratum, Natalium, Cirinum, Donatam, Secundam, Bessiam, & alios horum socios, Saturninus Romanorum Proconsul talibus verbis alloquitur: Potestis ab Imperatoribus veniam promereri, si deorum nostrorum cerimonias obseruaueritis. Cui sanctus Speratus hoc modo respondit: "Nunquam male gessisse conscii sumus, iniquitati opem & assensum non præbuimus, nulli vnquam male dixisse recolimus, sed male tractati ac lacessiti Deo gratias semper egimus, orãtes etiam pro malefactoribus, & ista norma ab Imperatore nostro tradita nobis est." Hæc cum dixisset Speratus, sanctus Cirinus dixit: "Non te aliud à nobis oportet audire Proconsul, nisi ea quę socius noster Speratus confessus est." Cuius verbis sancta Donata suæ quoque mentis conceptum adiecit: "Honorem Cæsari, quia Deus præcepit, reddimus, timorem autem & cultum Christo præstamus." Sancta quoq; Bessia sic est locuta: "Hoc meditabitur cor meũ semper, & labia mea pronunciabunt, quia Christiana sum." Sancta Secunda subinde dixit: "Ego quoque Christiana sum, & à professione sociorum meorum nunquam recedã." Tunc Saturninus videns eos tam constantes & fortes, sententiam dedit dicens: Speratum, Natalium, Cirinum, Donatam, Secundam, Bessiam, & omnes qui Christi ritũ professi sunt, gladio placet interire. Tunc Speratus dixit, Deo gratias: Natalius dixit, hodie in cœlo martyres sumus, Deo gratias. Proconsul vero iussit sanctos decollari, sanctum Spera-

tum, Natalium, Cirinum, Beturium, Felicem, Aquilinum, Letarium, Ianuarium, Generoſam, Baſſiam, Donatam, & Secundam. Qui lætantes ad locum martyrii venientes, beatas animas Deo tradiderunt.

De ſancto Florentio martyre.

SANCTVS Florentius martyr Hiſpanus & genere nobilis, ſub Deciano præſide paſſus, martyrio coronatus eſt. Hoc legitur in catalogo ſanctorum Romano. Cuius reliquiæ ſanctæ noſtris temporibus in eccleſia Hiſpalenſi apud ſacrarium cum aliis ſanctorum reliquiis in magno precio ac veneratione fidelium Chriſtianorum in capſula viſuntur, quæ talibus verſiculis in vrna ſimul incluſis deſignantur: *Requieſcit in pace Florentius vir ſanctus, die ſeptimo Kalendas Martias. Vixit annis quinquaginta tres, & depoſitus eſt die tertia Idus Martias, Era quinquageſima tertia, anno Domini quadringenteſimo octogeſimo quinto.*

De ſancto Eugenio Toletanæ ſedis Archiepiſcopo & martyre.

RAYMVNDVS olim Toletanæ ſedis antiſtes ad concilium apud Remos Galliæ populus celebrandum temporibus Eugenii ſummi pontificis cum aliis multis Epiſcopis in Galliam profectus eſt. Qui cum in vrbe Pariſiorum ad eccleſiam ſancti Dionyſii orandi gratia diuertiſſet, in eadem Eccleſia quoddã ſepulchrum inuenit, quod apud eos magnæ venerationis habebatur, in quo ex eius ſuperſcriptione beati Eugenii Toletani Archiepiſcopi corpus humatum eſſe cognouit. De quo diligentius inquirens quis fuerit, vel qua ratione a propria ſede quieuerit, tum ex relatu hominum, tum ex eius vita quam ibi deſcriptam inuenit, deprehendit. Scriptura ſiquidem continebat, hunc Eugenium à beato Dionyſio in Galliam proficiſcente ab vrbe Arelatenſi in Hiſpaniam directum Toletanæ ſedi præfuiſſe. Qui poſtquam viſitauit magiſtrum Dionyſium, cum iter eſſet ingreſſus, à gentilibus deprehenſus & ex fidei confeſſione quis eſſet cognitus, gladio aperiente viam qua magiſter ſuus illuc iam præceſſerat, cœlum coronatus ingreditur. Cuius corpus poſt multum temporis diuina reuelatione repertum in eccleſia Beati Dionyſii magna fidelium lætitia & exultatione conditur, vbi propter meritum ſanctitatis & gloriã miraculorum quæ ibi fiebant, ab omnibus quam deuotiſſime venerabatur.

B. Eugenii Toletani Archiepiſcopi Pariſiis corpus humatum.

De ſancto Attilano.

OPERÆ precium eſt ſanctorum virtutes & geſta cognoſcere, vel propter eorum memoriam quæ ſemper eluceat, vel maxime propter exempla quæ ſunt nobis ſalutifera documenta. Quare Beatus Attilanus annum agens quintum & vigeſimũ, audiens in Morerola monaſterio quod à Zamora non longe diſtabat, homines ſanctiſſime vixiſſe, illuc ſtatim ſe contulit. Vbi decennium ſub Floriani Abbatis diſciplina militauit. Cuius honeſtatem ſanctitatemque cognoſcens Florianus eum in monaſterii Priorem conſtituit. Quorum temporibus Zamorenſis atque Legionenſis Pontifices à mortali vita diſceſſerunt. Attilanus in Epiſcopatu Zamorenſi, & Florianus in Legionenſi ſucceſſerunt, propterea quod per omnem regionem clariſſima eorum fama virtutum peruolabat, qui die ſancti Spiritus illo myſterio fuere roborati. Quapropter Attilanus templa, loca, omneſque populos ſumma cura gubernabat, & annos fere decem magnos & aſſiduos labores tolerauit. Qui memor exactæ vitæ criminumque ſuorum quæ antea commiſerat, peregre proficiſci ſtatuit. Epiſcopatus itaque reditus pauperibus mandat communes fieri, quod multis rationibus ſuos hortatur, quoniam neceſſitate coactus ſe per aliquod tempus receſſurum dicebat. Quod ſi ſecus mandatum feciſſent, Deus iratus maledictione condemnaret. Hoc audientes qui vitã eius nouerant, clamant omnes, Te ſequemur quocunque vadis, ô mortalium omnium clementiſſime. quare nos in tanta calamitate relinquis? per Deum vnicum quicquid rogas, nos facturos teſtamur. Ille autem verbis illorum fidem adhibens, cum eos benedixiſſet, ſtatim diſceſſit. Cumque veniſſet ad pontem prope templũ ſancti Laurentii, anulũ quem digito geſtabat, de ponte proiecit in flumen, ſic dicens: Quando anulum hunc reuiſero, tunc ab omnipotenti Deo delictorum meorum veniam promerebor. Inde autem diſcedens cum vno comite quem plurimũ diligebat, adeo feſtinauit, vt eum defatigatũ reliquerit in itinere. Solus itaq; ſe pannis induit quam viliſſimis, adeo vt à nemine cognoſci poſſet, & duos annos eleemoſynis vixit. Quẽ tandẽ vox in ſomnis audita diuinitus ſic admonuit: Attilane iamiam tuum ad pontificatũ perge, tuæ enim exauditæ ſunt preces. Ipſeque, præcepto audito, ſe itineri accinxit. Venit itaque noctu ad eremum quæ ſancti Vincentii de Cornu vocabatur, & conuicina ſancto ſepul-

Sanctorum legenda cur cognoſcenda.

ſepulchro, vbi quædam muliercula cum marito ſuo illum in parua domo receperunt, eique cœnam non lautam quidem dederunt. Mane autem maritus & vxor pro piſcibus ad Epiſcopi domum vadunt, vt antea cõſueuerant, & Attilanum rogant, vt interim domum cuſtodiat. Quibus dantur piſces, immemores vnius quem domi reliquerant, reuerſi pro eo dederunt piſcem maioris ponderis. Quos piſces Attilanum rogant vt præparet, donec ipſa pro aqua & maritus pro igne vadunt: quibus Attilanus reſpondit obſequenter. Cumque maiorem piſcem accepiſſet, dum eius viſcera volueret, anulum quem à ponte deiecerat, inuenit. Tunc repente pronus & genibus flexis Deo gratias egit, & continuo ſponte campanæ ſonitũ dederunt, & magna totius ciuitatis admiratio orta eſt. Quapropter per omnes domos & hoſpitia atque hoſpitales perquirunt, nihilque comperiebant. Cum eſſent itaque omnes ſoliciti, tandem vir quidam procurator rei familiaris Epiſcopi, meminit de viro quodam quem muliercula ſibi dixerat hoſpitatum apud ſe, neſcius cuius dignitatis eſſet. Omnes illuc concurrunt ſacerdotes & tota ciuitas. Attilanus autem veſte non precioſa neque noua, ſed vili atque detrita inuentus eſt, Deo gratias agẽs. Quapropter omnes ei gratulantes, & Deo gratias agentes, cum magno gaudio reduxerunt in ciuitatem, qui poſtea vixit annos circiter octo, ſanctis ſemper operibus incumbens. Quem vita functum nomine ciuitatis Vrbanus Pontifex maximus in ſanctorum numerum canonizatum aggregauit, anno milleſimo ſecundo, quo regnabat in Hiſpania Rex Henricus.

Campanarum ſonitus ſpontaneus.

De ſancto Torquato & ſociis eius.

PROVT ſcribit Calixtus Romanus Pontifex in libro quem de vita ſancti Iacobi & miraculis edidit, in Hiſpania Diuus Iacobus è Gallecia prouincia nouem diſcipulos elegit, quorum ſeptem, duobus aliis in Gallecia prædicandi cauſa remanentibus, cum eo Hieroſolymas perrexerunt, qui corpus eius poſt paſſionem per mare in Galleciam deportarunt. Ex quibus, vt idem Calixtus & beatus Hieronymus ſcripſerunt, nonnulli cum beati Iacobi corpus in Gallecia ſepeliſſent, & Romam ſe contulerunt, & ab Apoſtolis Petro & Paulo coronis epiſcopalibus ornati, ad prædicandum Dei verbum in Hiſpaniam adhuc errore gentilitatis implicatam miſſi fuere, qui ſua prædicatione innumerabilẽ Hiſpanorum multitudinem ad Chriſti cultum conuerterunt. Torquatus apud Gaditanos, quos tunc Accios vocabant: Cteſiphon ad Abderenſes, quos tunc Vergos, & nunc eorum patriam Almeriam dicunt: Secundus ad Abulenſes, quorum ciuitas adhuc antiquũ retinet nomen: Indaletius ad Vrſios, quorum ciuitas Vnga vel Verga vocabatur: Cæcilius ad Iliberos, id eſt Granatenſes: Heſichius ad Cartheſos, id eſt Ventoſanos: Eufraſius ad Illiturgitanos. Qui omnes idibus Maiis in pace quieuerunt. In quorum quidem memoriam ad hoc vſque tempus miraculum cernitur, & eorum glorioſiſſimæ mortis probatiſſimum teſtimonium. Siquidem in eorum vigilia ſingulis annis ad ſepulchrum ſancti Torquati retro eccleſiam, diuinitus arbor oliuæ florens, maturis fructibus onuſtatur, de quibus oleum ſtatim conficitur, vnde lampades ante eius altare venerandum accenduntur: quod apud Acitanam vrbem fieri quidam ſcripſerunt. Ego vero quæ ſit vrbs Acitana, non bene compertum habeo. Alii vero duo ſancti Iacobi diſcipuli, ſcilicet Athanaſius & Theodorus, vt in beati Leonis epiſtola legitur, iuxta Apoſtolicum corpus, vnus ad dexteram, & alius ad læuam ſepultus eſt.

De magna Cæſaraugustanorum martyrum multitudine.

AB hinc anno milleſimo cẽteſimo trigeſimo ſeptimo martyres innumerabiles Cæſarauguſtæ paſſi fuere. Tunc enim in Hiſpania indies Chriſtianorum creſcente numere, Diocletianus & Maximianus Imperatores metuentes ne Romano & totius orbis priuarentur imperio, Dacianum præſidem ad perſequendum Chriſtianos in Hiſpaniam miſerunt. Qui Cæſarauguſtam ingreſſus cum Chriſtianorum mentes à ſancto propoſito reuocare non potuiſſet, aduocatis vrbis ſatellitibus, iuſſit vt ex vrbe Chriſtianorum multitudo pelleretur, quam milites eius armati ex locis occultis ſubito proſilientes occiderẽt. Ipſe autẽ Decianus interea ciuitatis portas clauſerat, vt ſi quis aciem mucronis fugiens ad vrbem rediret, nequaquam ingrederetur cruento gladio periturus. Satellites itaque percurrunt, prçconũ voces reſonant per vrbem, portæq; reſerantur. Cæterum gaudens piorum Chriſtianorũ vtriuſque ſexus ingens multitudo progreditur, Gloria, cantans, in excelſis Deo. Quibus digreſſis ex officio impietatis obſerantur portæ ciuitatis, & ex occultis repente locis proſiliunt armatorum cunei, poſternũtur non reſiſtentiũ corpora catholicorum innumerabilium. Præſes autem non ſatiatus crudelitate ſua prçcepit multitudini

paganorum; vt per omnes ciuitatis plateas iacentia corpora congesta ignibus traderent. Qui vt nihil crudelitatis intentatum relinqueret, omnes diuersorum criminum reos, qui in ergastulis carcerum tenebantur, amputatis capitibus sociari iussit sanctorum corporibus, & simul ignibus comburi. Congesta sunt igitur sanctorum corpora corporibus damnatorum & coniuncta. Quæ etsi simul concremata fuere, virtute tamen cœlesti sunt ab illis separata. Quæ quidem fuerunt omnia facta veluti frumenti candida massa. O fœlix & nimium beata ciuitas Cæsaraugustana beatorum sanguine circumfusa, quæ tot millium martyrum oblationes domino consecrasti.

De sancto Lamberto, & sancto Gregorio.

CVM in Hispania citeriori apud Iberum amnem locustarum multitudo ingens per multos annos fructus omnes deuastaret, eamque nec precibus, nec votis, nec sacrificiis illius regionis incolæ abigere potuissent, tandem multorum consilio, vel potius diuino monitu, per nuncios Romanum consuluere Pontificem, quomodo suis & aliorũ precibus & consiliis tanto possent obuiare malo. Quorum lachrymosas preces Pontifex audiens, triduanum populo ieiunium indixit, orans vt Deus, cuius dispositioni cuncta subiacent, reuelare dignaretur, quo ordine pestis illa sedari posset. Post autem triduum angelus Romano Pontifici & cuidam Cardinali visibiliter apparens nunciauit, vt Gregorium qui propter operum suorum sanctitatem ad Hostiensem Pontificatum promotus fuerat, mitteret. Quod Romanus Pontifex adimplens, beatum Gregorium statim misit in Hispaniã. Qui cum venisset, primum oppidum Calagorritanum, vbi locustarum densissima nubes campos obumbrabat, visitauit. Cuius præsentiam pestis illa sustinere non valens, sicut fumus à vento repulsa est. Pergens deinde Lucronium cæterasque visitans circumadiacentes regiones, & fructus à locustis, & corpora à languoribus, & animas à vitiis virtute diuina suaque prædicatione liberauit: qui etiam quendam opilionem nomine Dominicum, monitione diuina ad eum venientem, sacerdotem ordinauit, & indiuiduum comitẽ semper habuit, qui nunc sanctus Dominicus vulgo de la Calzada dicitur. Beatus vero Gregorius plenus virtutibus, prophetico spiritu pollens, & maximis coruscans miraculis, fœlix migrauit ad Dominum. Cum autem Dacianus præses in Hispaniam aduenies multa sanctorum corpora laniaret, & innumerabilium martyrum Cæsaraugustanorum sanguinem sæuissime profudisset, cupiens Christianitatis nomen funditus delere, sub præconis voce tale promulgauit edictũ, vt si quis latẽter Christianũ liberũ aut in ruribus seruum teneret, sub talionis pœna statim proderet, aut negare cogeret fidem. Cumq; beatus Lambertus sub cuiusdam infidelis dominio in rure laborando degeret, Dominus eum alloquẽs duorum optionem dedit, aut fidem negare, aut gladio succumbere. Quod audiens Lambertus intrepida voce respondit, ante mori se velle quam Domini fidem negare. Quapropter iratus Dominus, euaginato gladio, vno ictu caput eius abscidit. Martyr vero Domini proprium caput propriis manibus accipiens vsque ad eum locum, bobus præeuntibus, peruenit, vbi innumerabilium martyrum preciosa corpora iacebant: qui cantans, Exultabũt » sancti in gloria, cæterisque nutu diuino respondentibus, Lætabuntur in cubilibus suis, ge- » nibus flexis tanquam in cubili amœno inter reliquos martyres se collocauit.

S. Dominicus.

De AEmiliano Christi confessore.

SANCTVS Æmilianus in Aragoniæ prouincia iuxta montẽ Cachum pastor ouium fuit, pastor hominum futurus, qui oues ducebat ad vireta montium, & vt pastorum mos est, citharam secum ferebat, ne ad gregis custodiam torpor impediret ociosam mentem nullaque exercitatione suspensam. Cum autem ad dispositum locum peruenisset, eum diuinitus sopor inuasit, qui citharæ materiam vertit in literarum instrumenta, animamque opilionis in actum contemplationis. Expergefactus cœlestem meditatur vitam. Relinquẽs subinde curam ouium, statim Fœlicem eremitam adiit, qui erat in Castro Libyo, post cuius salutarem doctrinam in eremo habitans annis fere quadragenis, angelorũ solummodo collegio fungebatur. Quem Tiriassonensis Episcopus Vrgellensis ecclesiæ, vbi nunc eius corpus habetur, gloriosum presbyterum ordinauit. Qui presbyter ordinatus dæmonium oratione fugauit, Armentarium monachum à tumore ventris sanauit, Barbarã fœminam à paralysi morbo, aliamque claudam curauit, & ancillæ cuiusdam Senatoris cæcæ visus restituit. Ante annum autem suæ migrationis & vitæ fere centesimum, cum ei reuelatum esset humanos se finiturum labores, & omnipotentis percepturum promissiones, ad vitam se conuertit asperiorem, & qui se vigiliis ieiuniisque iam desiccauerat, denuo veteranus miles militiam aggreditur nouam, vt finis esset præstantior. Eodem igitur anno quadra-

quadraginta diebus ante reuelatur ei excidium Cantabriæ: vnde nuncio misso iubet ad diem festum Paschæ senatum præsto esse. Qui cum ad statutum diem conuenissent, narrat illis quod viderat. Secreta eorum, cædes, furta, incesta, violentias, cæteraque vitia increpat, pœnitentiam vt agant pro his omnibus prædicat. Appropinquante autem mortis tempore accersiuit Assellum presbyterum sanctissimum cõtubernalem, in cuius præsentia fœlicissima eius anima à corpore soluta, cœlo est reddita.

De Eurosia virgine & martyre.

RHODORICI regis temporibus Mauris per insidias Iuliani Comitis Hispaniam deuastantibus, Eurosia Bohemiæ regis filia Aragoniæ regi per nuncios desponsata, veniens in Hispaniam, cum Maurorum rabiem sæuientem contra Christianos audisset, ad montes Pyrenæos fugiens, in spelunca apud oppidum quod Verna vocabatur, latuit cum multis Hispaniæ & Bohemiæ nobilibus qui cum ea venerant. Ad quam speluncam cum Mauri peruenissent, equites Eurosiæ fortissime contra Mauros pugnantes, omnes demum Maurorum multitudine circunuenti oppressique ceciderunt, & Eurosia ab hostibus capta. Quæ cum regis filia agnosceretur, & esset forma pulcherrima, admonita à Maurorum principe vt Christianam legem desereret, & ei coniugio copularetur, nolens illius fraudulentis suasionibus acquiescere, ipsa cum paucis suorum qui prælio remanserant, iugulatur. Quæ cum ferientis gladium patienter expectaret, hæc angelica vox audita est: Veni electa mea, sponsa Christi, accipe coronam quam tibi Dominus præparauit, & donum, vt quotiescunque pro pluuia vel contra quamcunque tempestatem fueris à Christi fidelibus inuocata, erit eorum oratio exaudita. Cum hoc audisset, brachiis detruncatis & pedibus spirauit. In loco autem vbi concidit, miracula multa postea visa fuere. Corpus vero post aliquot annos cuidam pastori diuinitus demonstratum est, & inuentum solenniter & maximo gaudio Christianorum ad Iacam ciuitatem delatum est, vbi in arca reconditum in ecclesia cathedrali suauissime redolet.

De Fructuoso, Eulogio, & Augurio martyribus.

FRVCTVOSVS Tarraconensis Episcopus cum Augurio & Eulogio diaconis suis ab Æmiliani satellitibus in carcerem coniecti fuere, vbi postero die Fructuosus Rogatianũ baptizauit. Post diem autem quintum ad Æmilianum præsidem perducti fuerũt, & Fructuoso dixit Æmilianus: Audisti quid Imperatores iusserũt? Fructuosus dixit: Nescio quid Imperatores vestri iusserunt, ego vero Christianus sum. Æmilianus dixit: Præceperunt deos coli. Fructuosus respondit: Ego vnum Deum colo, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt. Æmilianus dixit: Scis esse Deos? Fructuosus dixit: Nescio. Æmilianus dixit: Scies postea. Fructuosus autem orare cœpit intra se. Æmilianus Augurio dixit: Noli verba Fructuosi auscultare. Cui respondit Augurius: Ego Deum colo omnipotentẽ. Æmilianus Eulogio: Nunquid & tu Fructuosum colis? Eulogius dixit: Ego ipsum colo, quem & Fructuosus. Æmilianus Fructuoso dixit: Episcopus es? Fructuosus respondit: Sum. Æmilianus dixit: Fuisti. Et statim iussit eos viuos comburi. Qui cum ducerentur ad incendium, populus Fructuoso condolere cœpit, quoniam eum diligebant etiam gentiles. Educti de carcere & flammis iniecti, manibus instar crucis expansis orantes, vt vincula quibus astringebantur, vrerentur, apertum est cœlum super eos, videntibus etiam Præsidis Æmiliani domesticis. Qui Æmiliani filiæ cui seruiebant, ostenderunt, Fructuosum cum diaconis suis cœlum ascendere coronatos, adhuc stipitibus quibus alligati fuerant, permanentibus. Æmilianus autem ad videndum vocatus, quia non dignus erat, videre tantam gloriam non meruit. O beati martyres igne probati sicut aurum, vestiti lorica fidei, & galea salutis! qui coronati sunt corona cœlesti & immarcescibili.

De sancto Elesmo.

AT Elesmus etsi fuit natione Gallus, & ex claris parentibus ortus, & vir sanctissimus, à Regina tamen Hispaniæ & Alphonso rege per literas & nuncios rogatus, in Hispaniã venit. Vbi commoratus, perspectis eius moribus & vitæ sanctitate Hispaniæ principes eum apud se habere volentes, ei sacellum quod sancti Ioannis Euangelistæ nomine iuxta portam ciuitatis Burgensis in peregrinorum sepulturam condiderant, destinarunt. In quod Elesmus vir diuinis consecratus officiis magnis fundis & reditibus à rege donatus se recepit, vbi super humum nudam dormiturus iacebat. Qui ieiunabat assidue & indefessus orabat, quotidieque sacris operabatur. Erat sedulus eleemosynarum largitor,

ægrotantium & peregrinorum in re & verbo diligens consolator, cuius multa magnaque miracula, quę Deus per illius virtutes ostendit, quoniã sunt ab aliis scripta latius, prætermitto. Eius autem venerabile corpus in sacello præmemorato funeratum est, & simulachrum eius lapideum ante ianuam templi vidimus.

De sancta Centolla & Helena martyribus.

CENTOLLA virgo Hispana cum multis virtutibus esset insignis, Christianamque religionem accuratissime seruaret, ad Regem qui tunc in Hispania rerum summam tenebat, ducta est. Qui videns eam in Christo prædicando constantissimam, cruciari crudelissime iussit, & postea Seditio præfecto sæuioribus, si non mutaret animum, afficiendã tormentis tradidit. In qua Seditius omnia tormentorum genera exercuit, ad quæ videnda frequens mulierum turba dolentium intromissa est, quæ Centollam solando rogabãt, vt sententiam mutaret. Quibus illa sereno vultu se maiora pati paratissimam esse respondit, omniaque sæuissima tormenta ad mortem vsque sustinuit. Ad quam veniens Helena mulier nobilis hortata est, vt non deficeret in tormentis. Cui Centolla respondit, Tu vide soror mea ne deficias, quæ simul mecum pro Christo trucidanda es. Et paulo post pręses vtramq; decollari iussit, quarum corpora in Burgensi ecclesia translata fuerunt.

De sancto Iuliano doctore Archiepiscopo Toletano.

IVLIANVS cognomento Pomerius, ecclesiæ Toletanæ fuit Archiepiscopus tertius post diuum Illefonsum. Fuit in omni gene literarum doctissimus, & præcipue in sacris, quem Magister sententiarum citat in libro quarto, scribens de igne purgatorii & inferni, & autoritate viri huius doctissimi atq; sanctissimi confirmat opinionem suam. Scripsit hic libros complures, qui temporum iniquitate & hominum negligentia non apparent. Obiit vir hic sanctissimus octauo die Martii, quo in ecclesia Toletana festum eius celebratur.

De sancta Casilla.

FVIT olim Toleti Rex Mauritanicæ gentis nomine Canon, homo viribus potens, & armis strenuus, qui multis annis aduersus Christianos bellum gessit, multaque damna catholicæ fidei cultoribus intulit, atque quamplurimos Christianos captiuos lõgo tempore tenuit. Cæterum huic Christianæ religionis hosti validissimo crudelissimoque, dispensatione diuina, filia fuit vnica nomine Casilla, vel (vt alii volunt) Casilda, vt tam sæua progenies & stirps tam nequam, florem & fructum miri candoris afferret, super quem spiritus Domini cõquiesceret. Virgo siquidem regii generis ita semper ab infantia in vir„ tutum creuerat fastigium, vt cor eius & pietas, quæ secundum Apostolum ad omnia plu„ rimum valet, miro modo repleuerat, & ipsius præcordia veluti gladius bis acutus penetrauerat, vt Dei totam famulam in suum videretur dominium vendicasse. Stupẽdo namque modo & admirabili virginem illam spiritus ille deificus per deuotionis incendium sursum semper agebat in Deum, per com passionis mollitiem trãsformabat in Christum, per pietatem descensionis inclinabat ad proximum. Feruido siquidem & teneris annis tenebatur affectu, ita vt afflictis Christianis, licet Sarracenica nata esset progenie, intentissimæ compassionis teneritudine condescenderet, atque siquid penuriæ aut defectus in aliquo cerneret, pii cordis dulcedine regebat in lachrymis. Habebat enim clementiam ingenitam, quam superinfusa Dei pietas duplicabat. Ipsius itaque liquescebat animus ad captiuos pauperes, vt quibus manum non poterat, exhibebat affectum. Consuetudinis siquidem eius erat singulis diebus ineffabiliter, nisi aliquid esset impediens pietatis, per viscera Christi almi Iesu propter reuerentiam, captiuos Christicolas inopes sua quam gratissima præsentia visitare, ipsisque per largitatis impensionem porrigere manus adiutrices, pectoris gerens in scrutinio aureis literis conscriptam Dauidicam sententiam qua in„ tonuit: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. Mira res & insolita, à naturali in„ cisa oleastro, contra naturam sui generis in bonam transibat oliuam, vt fructum bonum „ posset afferre. Vnde arbor infructuosa ramum producere valuit vberrimum. Hæc au„ tem sancta Casilda (ne lectores eius laudes & virtutes ignorent) cum fluxum sanguinis pateretur, vna cum captiuis Christianis, quos è vinculis, absente patre, liberauit, ad Boetium fontem, de quo alio loco scripsimus, se contulit. vbi lota statim conualuit, ibiq; permansit, & non sine multis miraculis quæ Deus propter illius sanctitatẽ multis Christianis ostẽdit, vitã finiuit. Quapropter Christiani subinde in cacumine mõtis, vnde fonticulus oritur

oritur, ædem sacram condiderunt, quæ nunc à Christianis excolitur nomine & appellatione sanctæ Casildæ.

De sancto Fructo.

FRVCTI autem serui Dei sanctissimam & asperrimam vitam Segouiensis quotannis exultans cantat ecclesia. Qui cum diues esset, omnia quæ habebat vendidit, & precium rerum quas produxerat, totum pauperibus erogauit, & pene nudus in eremum se contulit, ibique in spelunca inter montanas feras & sine humano contubernio vitam egit solitariam & inopem. Qui spiritu Dei plenus, diuinis assuetus præceptis, perfectionis Euangelicæ fuit sedulus æmulator. Venditis omnibus, & precio distributo egenis, ad eremi squalorem, factus solitarius, abiit, & nudus sequutus est infatigabiliter Christum nudum. De cuius eximiis virtutibus & magnis laudibus pręter hymnos deuotissimos, etiam lectiones in eius historia leguntur, ex quibus vnam solenniter cantat ecclesia, quam hic exponere placuit. Cum patris nostri Fructi gloriosi merita singularia & opera mirabilia nobis in mentem veniunt, nostram nimirum vitam iure reprehendimus. Quæ quidem, si cum Fructi sanctitate comparetur, admodum vilis est & non sine maxima culpa.

De Seruando & Germano martyribus.

LEGIMVS etiam Seruandi & Germani martyrium, qui cum viri nobiles essent, dæmones expellebant, & per impositionem manuum multos languores curabant in Emerita vrbe Lusitaniæ prouinciæ. Quod cum præses audisset, eos ad se vinctos cathenis adduci iussit, & in Mauritaniam prouinciam profecturus secum ducere decreuit. Illi autem labores itineris, cathenas, & famē, gaudentes, animi virtute tolerabant. Tandem cū ventum esset in locum qui dicebatur Vrianus, apud Gades, iussit præses vt colla eorum carnifices amputarent. Ducti igitur ad collem flexis genibus orantes Deum, gladium sacris ceruicibus exceperunt, quorum Seruandus Hispali cum Iusta & Rufina, Germanus vero in Augusta Emerita sepultus est.

De facundo & Primitiuo martyribus.

IN Hispania præses Decianus super ripam fluminis quod Seya dicebatur, secus stratam, vbi erat idolum ad immolandum ei, multitudinem gentium congregauit. Erant autem non longe ab eodem loco duo fratres, Facundus & Primitiuus Christianissimi, qui noluerunt idolo immolare, & propterea accusati apud iudicem ducti sunt apud eum. Quos cum multis minis exhortatus fuisset, vt idolis immolarent, responderunt: Nos quotidie immolamus domino Iesu Christo, & nobis optabile est pro eo pati: & sic vsque ad mortem perseuerarunt.

De sancto Leandro Episcopo Hispalensi.

INTER cæteros autem Hispanos homines doctrinis excellentes, Leander Hispalensis Episcopus sanctitate, doctrina, atque eloquētia maxime floruit, cuius concionibus & exemplis tota Vesegothorum gens per Recaredum eorum regem ab Ariana impietate conuersa est: quippe qui multa ad catholicæ fidei confirmationem & ipsius Arianæ hæresis confutationem composuit. Nam eandem pestem Vandali plures in Hispaniam ex Africa detulerant. Huic autē Leandro viro insigni diuus Gregorius Pontifex adhuc monachus morarium suorum librum scripsit.

De sancto Isidoro Hispalensi Episcopo.

LEANDRO viro docto sanctoque frater Isidorus doctissimus ac sanctissimus in Hispalensis episcopatus dignitate successit, qui vnus inter omnes Hispaniæ tum sanctitate, tum literis clarus, non secus ac sol inter omnia sydera fulsit. Natus enim ex stirpe regia, verus nobilis, verus doctus, verus sanctis, & cunctis virtutibus excellens plurimum, & patriam Hispaniam & Christianam religionem illustrauit. Fuit autem diui Gregorii Papæ discipulus, à quo & doctrinam & sanctitatem doctus, ob doctrinam singularem maximasque virtutes miraculaque permulta in magnam apud omnes admirationem deuenit. Qui cum eruditissimus esset, plurima ad Christianam fidem pertinentia ac de aliis rebus librorum volumina confecit, quorum hæc præcipua fuerunt: Etymologiarum libri viginti, De summo bono tres, Allegoriarum tres, Astronomiæ liber vnus, Officiorum libri duo, ad Florā sororem libri duo, Differentiarum liber vnus. Scripsit & de viris illustribus & Grammaticæ vocabulis. Item historiam ab Adam vsq; ad sua

tempora,& Longobardorum gesta mandauit literis, multorumque sanctorum vitas. Librum insuper de Cosmographia & rerum naturis, multaque alia ac pene innumerabilia opera composuit. Ex cuius libris hæc salutaria præcepta consiliaque sapientiæ plena collegimus,quæ sequuntur. Patienter ab vno ferendum est, quod multis accidit. Difficile est prauam vincere consuetudinem. assidua namque consuetudo in naturam conuertitur.Conor à lapsu resurgere,& non valeo vsui repugnare. Trahor amore boni, retrahor malæ consuetudinis lege. Quamuis cum dolore vsui malo resiste. Corrumpi non potest corpus,nisi prius corruptus fuerit animus. Castitas hominem cœlo coniungit,& angelorum comitem facit. Saturi libido semper est accensa,ieiunio vero deprimitur. Venis vino plenis in membris luxuria pullulat. Pocula sunt enim luxuriç instrumenta,& igni adiecto fomite magis incendium crescit. Si vis à formicatione esse tutus,esto corpore & visione, muliere discretus. Circa serpentem enim positus diu illæsus non eris. Eiusdem sancti sententiæ memoratu digne de patientia & humilitate. Quantum humilitate cor inclinatur ad infima,tantum proficit in excelso. Primus humilitatis gradus est libenter audire veritatem,memoriter retinere,voluntarie proficere. Veritas mentem fugit,quam humilem non inuenit. Descende vt ascendas, humiliare vt ex alteris,ne exaltatus humilieris. Esto paruus in oculis tuis, vt sis magnus in oculis Dei. Tanto enim eris apud Deam preciosior, quanto fueris ante oculos tuos despectior. Humilitas casum nescit. Æqualis esto in omnibus, mentem neque gaudio commutes,neque mœrore. Nullus te casus imparatum inueniat. Nullus sit casus quem non præmeditatio tua præuiderit. Propone tibi nihil esse quod non possit accidere. nam præcogitatio molestias futuras attenuat, improuisa autem mala grauiter feriunt. Quod tibi in alio displicet, in te ipso displiceat. Para tibi contra verbum asperum tolerantiæ clypeum, contra linguæ gladium patientiæ scutum. Conuitium non retorqueas, contumeliam ne repetas, tene silentii patientiam, tacendo facilius vinces. Aperi tranquillo corde dolorem iniuriæ.vulnus quamuis graue sit,apertum euaporat, valde autem comedit animum vulnus inclusum. Inuidia sibimet primum nocet, primum actorem suum mordet, est enim animæ tinea, quæ sensum comedit, pectus vrit, mentem afficit, cor quasi pestis depascit. Eiusdem sancti præcepta de bona & honesta conuersatione. Professionem tuam habitu & incessu demonstra, sit in gestu grauitas, in incessu honestas, nihil lasciuiæ, nihil dedecoris, nihil petulantiæ, nihil insolentiæ,nihil in incessu tuo leuitatis appareat. Mores hominis lingua pandit.qualis enim sermo, talis & animus existimatur. Alienam vitam non laceres, de malo alieno os tuum non inquines. Non detrahas peccanti, sed condole. Quod in aliis detrahas, in te potius pertimescas. Detrahentes quoque non audias. pari enim reatu detrahentes & audientes tenentur. Inter fideles non computantur, qui quod vouerunt non adimplent, quia fidem promissionis non soluunt. In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum.impia est promissio quæ scelere impletur. Nulla pœna grauior est, quam mala conscientia. mens enim malæ conscientiæ propriis stimulis agitatur. Prauas cogitationes tuas manifesta.vitium enim proditum cito curatur. In bonis dilatio nocet. Sæpe natura moribus immutatur, consuetudine superatur. Quod cum difficultate cœperis,per vsum cum voluntate perficies. Non solum factor,sed etiam conscius peccati tenetur obnoxius.Hæc itaque præcepta salutifera de sancti gloriosissimi codicibus hausimus. Cuius dies festuss, cum sanctus fuerit egregius, cum apud Christianos omnes, tum vero apud Hispanos deuotissime celebratur.

De diuo Antonio sacrarum literarum Arca cognominato.

DIvvs autem Antonius Hispanus & ex Vlixbona ciuitate oriundus, atque ordinis Minorum sacerdos, admodum quidem & vita sanctus, & multis virtutibus adornatus fuit, qui apud Patauium innumeris clarus miraculis summa cum gloria Deo animam restituit. Quas ob res à Gregorio summo Pontifice sanctorum confessorum consortio relatus est. Cæterum cum religiosos omnes non solum sui temporis & ætatis, verumetiã priorum sæculorum longe literis omnibus præstaret, sacrarum literarum Arca cognominari meruit. Et cum Tolosæ,Bononiæque,atque Pataui theologiam diutius egregie docuisse, hac de re non paucos edidisse libros perhibetur.

De diuo Vincentio Theologo celeberrimo.

DIvvs etiam Vincentius,patria (vt quidem volunt) Valentinus, quantum Hispaniam, patriam, religionem Christianam illustrauerit,narrare quis posset? Hic enim prædicatorum

catorum ordini seruiens, declamator ac theologus celeberrimus, non doctrina modo celebri, sed insignis sanctitate singulari, plurimum quidem Christianæ religioni cunctisque mortalibus prodesse maxime studuit: quippe qui cum concionandi munere facundissimus & vehementissimus esset, quoad vixit, religionem Christianam & fidem catholicam prædicando, docendo, & monendo, non verbis modo, sed exemplis augere ac iuuare non destitit. Qui cum & in morte & post mortem plurimis miraculis claruisset, Calixtus tertius summus pontifex eiusdem patriæ, de quo postea scribemus, anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto eas ob res in sanctorum numero eum aggregauit, & eius festum Nonis Aprilis celebrari iussit. Qui dies etsi in Hispania tota diligenter & honorifice colitur, multo tamen magis apud Valentiam, vbi natale solum patria diuo Vincentio sui nominis gaudet alumno. De cuius admodum proficuis concionibus & aliis rebus alibi plene scripsimus.

De sancto Dominico Calagurritano.

ETSI statueram de Hispaniæ sanctis & martyribus separatim scribere, quoniam tamen hi omnes fere literis floruerunt, & in his diuum Isidorum atque alios sanctissimos annumerauimus, eorum quidem locum sibi quisque, vt mihi venerit in mentem, sortietur, præsertim cum id Sanctum nullum moleste laturum certo sciam. Hunc itaque locum diuus Dominicus sibi vendicat. Qui mirabili sanctitate & doctrina singulari decoratus, & religionis Christianæ quasi matutinum sydus effulgens, in Calagurra Hispaniæ ciuitate natus, vt accepimus, ex regulari canonico vocatus à Deo cum sociis fratribus duodecim, prædicatorum ordinem incredibili feruore religionis instituit. Quo instituto diuinitus à gloriosissima Dei genetrice Maria etiam ipsius habitum religionis assumpsit. Cuius religionis cum esset cultor maximus, procurante Innocentio tertio pontifice maximo, hæresin apud Tolosam nuper obortam mira celeritate atque virtute compescuit. Deinde autem ab Honorio sequenti pontifice ipsius ordinis confirmationem meruit obtinere. Quo quidem confirmato innumerabilia ferme monasteria condidit, ac plurimis signis miraculisque clarissimus vniuersam pene Europam docendo prædicandoque perlustrauit. De cuius multis miraculis vnum hic duntaxat exponam, quod in Sicilia contigit. In Augusta itaq; Siciliæ ciuitate deuotæ cuiusdā matronæ filia vitio lapidis longo tempore laborauit. Nullo autē medicinæ consilio suffragante, solū sibi supererat incisuræ remediū. Cum igitur dies esset statuta, qua puellam oportebat incidi, mater filiæ periculum timens, præcedenti die ad ecclesiam beati Dominici se contulit, & orationi se dedit, suamque filiam Deo & sancto Dominico voto quo potuit commendauit. Sequenti ergo nocte dormienti puellæ beatus Dominicus astitit, & in manu eius lapidem quo torquebatur, posuit, & abscessit. Quem puella euigilans & se liberatam inueniens matri dedit, & visionem per ordinem explicauit. Mater vero cum ingenti lætitia lapidem ad fratres attulit, rem quoque gestam coram multis exposuit. Quem fratres in ecclesia ante imaginem beati Dominici, & in futuram memoriam tam stupendi miraculi suspenderunt. Tandem anno nostræ salutis millesimo ducentesimo vigesimo tertio apud Bononiam Italiæ vrbem Nonis Augusti migraui ad Dominum, quem postea Gregorius eius auditis miraculis & vitæ sanctimonia, in sanctorum numerum retulit.

De sacris ædibus & locis in Hispania religiosis & miraculis celebratis.

HABET Hispania præter sanctos & martyres quos supra memorauimus, alios etiam complures, & sacras ædes & domos insignes miraculis celebratas, quas non Hispaniæ solum populi, sed externæ quoque gentes & principes religionis Christianæ cultores frequentare solent, sua vota promissaque soluentes. Veniunt enim de remotissimis regionibus, & ex Europa fere tota Christiani Reges magnique principes, peregrinantes in Hispaniam, Compostellamque Calleciæ prouinciæ ciuitatem, sancti Iacobi miraculis inuitati, sua dona magnaque ferētes: qui summi pontificis autoritate gratiaque sancti Spiritus omni culpa pœnaque soluti, lætantes domum suam reuertuntur. Operæprecium est anno remissionis pecatorum, quod iubileum vocant, videre præter Hispanos quamplurimos, innumeros etiam peregrinos ad hoc sanctissimum templum confluentes. Cæterum de huius apostoli miraculis & vita sanctissima multi scripserunt, & magna circūfertur historia, quam qui videre voluerint, legant apud alios, & præsertim apud Gregorium pōtificem maximum, qui de sancti Iacobi miraculis & meritis plenissime scripsit.

In oppido prouinciæ Lusitaniæ quod Guadalupum vocant,&(vt alio loco scripsimus)luporum flumen interpretatur, domus est ordinis sancti Hieronymi virgini deiparæ consecrata,fama celebris & miraculorum monumentis illustris,cui quicunque se commendant votaque promittunt, ab omni periculo liberantur. In qua quidem domo plurima miraculorum signa, multa magnaque cernuntur,quæ numerare longum esset: ideoque prætermittimus,quoniam leguntur apud alios.In Ouetana vrbe prẹter crucem quam diuinitus angeli fecerunt,alia quam plurima memoratu digna leguntur. De quibus pauca referre libet,vt ea qui legerint,videre cupiant. Illic enim colitur arca ab Apostolis ex incorruptibili materia fabricata, Deiq; magnis operibus plena, quam Deus omnium rerũ maximus opifex mirabiliter ab vrbe Hierosolymitana in Aphricam, ex Aphrica in Carthaginem nouam,ex Carthagine Hispalim, ab Hispali Toletum, & ex Toleto in Asturias ad ecclesiam sancti Saluatoris,& in locum qui dicebatur Ouetum,transtulit.Quam cum sacerdotes aperuissent,in ea multas arculas inuenerunt, alias aureas,alias argẽteas,& alias eburneas.Quibus magno cum Dei timore reclusis,scripta quædam viderũt affixa,in quibus arcana multa continebantur,quę nunc in Ouetana custodiuntur ecclesia,& peregrinis illac transeuntibus demonstrantur. Quorum multa prætermittentes,pauca quæ sunt in ecclesia Ouetana monumenta salutifera,breuiter enarrabimus.Continentur itaque in hoc sanctissimo templo res quæ sequuntur admirabiles: de ligno crucis domini, de spinis eius coronæ,de sepulchro,de sindone & tunica,de pannis in quibus Christus nascens inuolutus iacuit in præsepio,de pane cœnæ Domini, item de pane quo Dominus hominũ millia quinque satiauit, de mana quod Deus pluit filiis Israel, de terra montis Olіueti in qua Dominus tenuit pedes ascensurus in cœlum,& in qua pedes tenuit quando Lazarum suscitauit,& de sepulchro Lazari,de lacte virginis Dei genitricis, de capillis & vestimentis eius,vnus de triginta denariis quibus Iudas Dominũ vendidit, item palliũ & ornamẽtum quod Regina cœli dedit Illephonso Archiepiscopo Toletano,& de alio pallio Heliæ prophetæ, vestimentũ beati Tirsi martyris,manus S.Stephani protomartyris calceũ dextri pedis Apostoli S.Petri,frons D.Ioan.Baptistæ & de eiusdẽ capillis, de ossibus sanctorũ innocentũ,de articulis digitorũ,de ossibus trium puerorũ, Ananię,Azariæ,& Misaelis,de capillis cum quibus beata Maria Magdalena tersit pedes Domini,de lapide quo signatũ fuit Domini sepulchrũ, de oliua quã Dominus tenuit in festo Ramis palmarũ, de petra montis Sinai supra quam Moyses ieiunauit, de virga qua Moyses mare rubrum diuisit filiis Israel.Ibi sunt & sportæ Petri & Andreæ Apostolorum,& partes piscis assati,& fauum mellis: & præterea multa corpora sanctorum martyrum, & ossa prophetarum, confessorum,ac virginum. Diuersa ibi sunt pignora recondita, quorum numerum Dei solius est comprehendere.Hæc itaque & alia multa in arca prædicta continentur.Sed sunt præterea in ecclesia Ouetana sanctorum martyrum corpora, Eulogii scilicet, Lucretii, & Eualalię virginis,sancti Pelagii martyris,& Vincentii martyris & Abbatis,& sancti Iuliani põtificis, & corpus Regis Casti qui Ouetanam fundauit ecclesiam. Crux ibi quoque conspicitur ab angelis condita, atque vna de sex hydriis in quibus Dominus aquam conuertit in vinum.Cæsaraugusta felicissima ciuitas Mariæ virginis, quæ Pilaria cognominatur, multis decorata miraculis insignis est,& quotidie sanctissime colitur,cuius ecclesiam diuus Iacobus inchoauit, & populus Cæsaraugustanus absoluit,magnisque reditibus instituit, quæ nunc assidue multis sacrificiis & orationibus deuotissimis frequentatur.De cuius miraculis & altissimo mysterio multa scripta fuerunt,quæ nunc in eo templo diligentissime seruantur. In monte quem Serratum vocant, apud Barcinonem, Beatæ Mariæ virginis assidue miracula multa diuinaque mysteria summa cum veneratione celeberrima cantat ecclesia. Domus est in altissimo monte sita,& in amœnissima conualle, & altissimis rupibus adhærens, & à multis non solum Hispaniæ populis,sed etiam ab externis gentibus & peregrinis frequentata,quæ supra se & in altioribus locis montisque iugis domunculas & ædiculas habet, in quibus viri religiosissimi Deo seruientes solitariam vitam agunt,qui se adeuntibus sermocinantur,& sanctissime consulunt. Hæc præterea domus quamuis parua, cubicula tamen habet & hospitia in quibus Reges, Duces, Marchiones, Comites,& equites separatim recipiuntur. Huius autem sanctissimæ religionis & deuotissime domus ordinem diuinaque mysteria multaque miracula, quæ magno indigent volumine, causa breuitatis omittimus, quoniam sunt ab aliis autoribus commemorata. Daroca fœlicissima ciuitas non immerito suis corporalibus gaudet, in quibus hostiam quam sacerdos inter sacrificandum consecrauerat, & superuenientibus hostibus inuolutam panniculo candido sub lapide reposuerat, inuenit in carnem conuersam,& panniculo adhærentem, cum victrix à prælio reuertisset. Quæ quidem res admirabilis & pro magno

In templo Ouetano res admirabiles quæ cõtineantur.

magno celebrata miraculo, fecit vrbem Darocam fœlicem & memorabilem. Mentesa quoque quam Iaenem vocant, vna de primariis Bæticæ prouinciæ ciuitatibus, Christi sudario, quam dicimus alio nomine Veronicam, non immerito gloriatur. Hoc enim sanctissimo munere donata ciuitas illa est admodum fœlix, est admodũ diues, & visitatur à multis, & maxime colitur. Cæterum sudarium hoc qui diligenter intuentur, cuius sit coloris discernere minime possunt, tanta inest ei diuinitas & colorum varietas. Apud Aucam vrbem quam Burgensem nunc appellant, templum est ordinis sancti Augustini venerabile, magnæ deuotionis, in quo Christi Saluatoris imaginem crucifixam adorauimus, quæ à Nicodemo facta perhibetur. Hanc imaginem inuenisse mercatorem quendam commemorant in arca maris fluctibus agitata. Cuius imaginis inuocato numine multos infirmos conualuisse nobis affirmarunt plures homines fide digni. In oppido nomine Baluaneda domus est ordinis sancti Benedicti, vbi vir sanctus Athanasius habitum religionis accepit. In qua quidem domo, sicut & in Compostella, Iubileum celebratur quolibet septennio, quo Christianis confessis & pœnitentibus omnia peccata dimittuntur. In iugo montis altissimi, quam rupem Gallicam vocant, ædes est sacra Dei genitrici dicata, quæ propter magna Dei opera summa veneratione colitur, & à multis Hispaniæ populis & peregrinãtibus frequentatur, & à pluribus etiam Salmanticæ studentibus. In antiquissima ciuitate quam sancti Dominici Calciatensis vulgus appellat, gallum vidimus & gallinam, qui dum vixerunt, cuius coloris fuissent, ignoramus: postea vero cum iugulati fuissent & assi, candidissimi reuixerunt, magnam Dei potentiam summumque miraculum referentes. Cuius rei veritas & ratio sic se habet. Vir quidam probus & amicus Dei, & vxor eius optima mulier cum filio adolescentulo magnæ probitatis, ad sanctum Iacobum Compostellam proficiscentes, in hanc vrbem itineris labore defessi ingrediuntur, & quiescendi gratia restiterunt in domo cuiusdam qui adultam filiam habebat. Quæ cum adolescẽtem pulchra facie vidisset, eius amore capta est. Et cum iuuenis ab ea requisitus atque vexatus, eius voto repugnasset, amorem conuertit in odium, & ei nocere cupiens, tempore quo discedere volebant, eius cucullo crateram sui patris clam reposuit. Cumque peregrini mane discessissent, exclamauit puella coram parentibus crateram sibi fuisse subreptam. Quod audiens Prætor satellites confestim misit, vt peregrinos reducerent. Qui cum venissent, puella conscia sui sceleris accessit ad iuuenem, & crateram eruit è cucullo. Quapropter comperto delicto, iuuenis in campum productus iniqua sententia & sine culpa laqueo suspensus est, miserique parentes cum filium deplorassent, postea discedẽtes Compostellam peruenerunt. Vbi solutis votis & Deo gratias agentes, subinde redeuntes ad locum peruenerunt, vbi filius erat suspensus, & mater multis perfusa lachrymis ad filium accessit, multum desuadente marito. Cumque filium suspiceret dixit ei filius, Mater mea noli flere super me, ego enim viuus suum, quoniam virgo Dei genitrix & sanctus Iacobus me sustinent & seruant incolumem. Vade charissima mater ad iudicem qui me falso condemnauit, & dic ei me viuere propter innocentiam meam, vt me liberari iubeat, tibique restituat. Properat solicita mater, & præ nimio gaudio flens vberius, prætorem conuenit in mensa sedentem, qui gallum & gallinam assos scindere volebat, Prætor, inquit, filius meus viuit, iube solui obsecro. Quod cum audisset prætor, existimans eam quod dicebat propter amorem maternum somniasse, respondit subridens, Quid hoc est bona mulier? Ne fallaris. sic enim viuit filius tuus, vt viuunt hæ aues. Et vix hoc dixerat, cum gallus & gallina saltauerunt in mensa, statimque gallus cantauit. Quod cum prætor vidisset, attonitus continuo egreditur, vocat sacerdotes, & ciues proficiscuntur ad iuuenem suspensum, & inuenerunt incolumem valdeq; lætantem, & parentibus restituunt, domumque reuersi gallum capiunt & gallinam, & in ecclesiam transferunt magna solennitate. Quæ ibi clausæ, res admirabiles & Dei potentiam testificantes obseruantur, vbi septennio viuunt. hũc enim terminus Deus illis instituit, & in fine septennii antequam moriantur, pullum relinquunt & pullam sui coloris & magnitudinis, & hoc fit in ea ecclesia quolibet septennio. Magnæ quoque admirationis est, quod omnes per hanc vrbem transeũtes peregrini, qui sunt innumerabiles, galli huius & gallinæ plumam capiunt, & nunquam illis plumæ deficiunt. Hoc ego testor, propterea quod vidi & interfui, plumamque mecum fero. Apud oppidum Olianam quod est in ripa Sicoris, & distat ab Ilerda passuum millia circiter quadraginta, domus est Mariæ virginis Castiluedrensis in alto loco posita, ad quam domum singulis annis in Martio mense, diebus Veneris, ex insula fluminis tria lumina cærulei coloris ascendunt, & ecclesiam per fenestras ingressa, lampades accendunt, & subinde descendunt ad eundem locum vnde venerant, ibique ab inspicientium oculis euanescunt. Quæ res admirabilis à populis illius regionis & viris fide dignis affirmatur. Sunt in Hispa-

nia præterea Cartuſianorũ domus magnæ venerationis, numero tredecim, quarum antiquiſſima eſt Scaladei apud Tarraconem, Porta cœli Valentinæ diœceſis, Paularia diœceſis Toletanæ, Beata Maria de Couis apud Hiſpalim, Mons hilaris Barcinonenſis diœceſis, Vallis Chriſti Segobricenſis, Miraflores apud vrbē Burgenſem, domus Aniaga Palentinæ diœceſis, domus Xericia diœceſis Gaditanæ, domus beatæ Mariæ de Fontibus Oſcenſis diœceſis, domus apud vrbem Granatam, quæ noſtris temporibus inſtituta fuit à Principibus catholicis, & domus Nazareni diœceſis Maioricenſis. Hæc itaque ſunt deuotiſſimi Chriſtiani, quæ vidimus in Hiſpania loca religionis memorabilia & domus inſignes propter diuina myſteria & opera ſanctiſſima, multaq; miracula quæ Deus in illis oſtendit, quarum principia, cauſas, & hiſtorias, cæteraſq; res prætermittimus propter multitudinē magnitudinemq;. Quiſquis igitur omnia plene ſcire voluerit, quærat à ſacerdotibus qui domos quas memorauimus, diligentiſſime colunt, & omnia myſteria callent.

LVCII MARINEI SICVLI DE REBVS HISPANIÆ LIBER VI.

De primis Hiſpaniæ & aliarum regionum cultoribus.

Auctoris admonitio.



NVNC autem de primis Hiſpaniæ & aliarum prouinciarum cultoribus ſcripturus, lectores admoneo, vt ea quę dixero non ex meo capite deprompta fuiſſe putent, ſed ab aliis & non indoctis ſcriptoribus, apud quos latius diffuſa ſunt, accepta. Scribunt itaque Ioſephus & Beroſus, quibus diuus Hieronymus & Euſebius aſſentiuntur, Tubalē quintogenitum Iapheti filii Noæ, primum Hiſpaniæ regem fuiſſe. Idem Beroſus aſſerit Noam cognomento Ianum, ex Phœnicia in Hiſpaniā traieciſſe, qui Tubali nepoti ſuo ex Iapheto filio colonias duas reliquit de ſuo nomine dictas Noelas & Noeglas, quas Plinius Noegas & Noelas appellauit. Tubal itaque primus Hiſpaniæ rex fuiſſe perhibetur. Quod vt clarius fiat, quædam nobis altius repetenda ſunt, quibus non Hiſpaniæ ſolum, ſed aliarum quoque terrarum primus cultus demonſtrabitur. Iaphet igitur Noe filius, vt docet Geneſis, cui pater Noe benedicens ait, Dilatet Dominus Deus domum filiorum tuorum: in Europam profectus filios ſeptem progenuit, quorum è duobus ſeptem quoque nepotes habuit. Filii autem Gomer, Magog, Meder, Iauan, Tubal, Moſochoc, & Thyras fuere, qui regionem quæ à Tauro & Amano montibus incipit, & per Aſiam vſque Tanaim flumen protenditur, coluere. Ex quibus Gomer primus Iani filius in Europa Gomoritas inſtituit, quos deinde Græci Galatas appellarũt. Magog autem in Scythiam veniens de ſe Magogas formauit, quos Græci dixere Scythas, à quibus & Gothia & Scythia regiones dictæ fuere. Meder vero ſeu Medeus Medorũ gentes inſtituit, è quibus Media regio nomen accepit, quæ inter Perſiam & Aſſyriam ſita eſt, quæ tamen à quibuſdam Medo Meduſæ filio nuncupata exiſtimatur. Iauan inſuper Ionibus, id eſt Græcis, nomen dedit, vnde Ionium mare dicitur, & Ionia Græcorũ tellus, quam tamen Vitruuius ab Ionio nomen accepiſſe refert Athenienſium duce. Tubal autem condidit Hiſpanos, vt ſupra dictum eſt. Ante cuius aduentum in Hiſpaniam neminem veniſſe præter eius auum Noam, multi pro certo habent. Cæterum quoniam de primis Hiſpaniæ cultoribus loquimur, aliarum quoque prouinciarum cultus initia referre non ab opere noſtro alienum ducimus. Moſochoc itaque Cappadoces inſtituit, qui Cappadociā regionem vocarunt, quam poſtea Cæſaream dixere Romani. Denique Thyras vltimus Iani filius Tyreſes condidit, à quibus Thracia nomen accepit. Nunc aũt quoniā diximus quas regiones & gentes ſeptē Iani filii coluerunt, quas ēt nepotes inſtituerũt, breuiter explicabimus. Aſcanes enim Gomeris filius & Iani nepos inſtituit Sarmatas, qui nunc in Scythia Mæotidos paludis profundũ incolũt. Quæ quidem regio, teſte Lucio Floro, tenuis eſt & inutilis, ac infœlicibus arboribus & barbariæ plena, adeo vt pene pacē & humanitatis cultum non intelligāt, noſtris præſertim tēporibus Lutherianā hæreſin ſectāq; nefandiſſimā colētes. Hanc enim prouinciā plures mecũ Bohemiā eſſe opinātur. Raphas aũt ſecundus Gomeris filius Riphæos, qui Paphlagones appellātur, & Troianos cōdidit: vnde regio Paphlago-

Tubal primus Hiſpan. Rex.

phlagonia dicitur. Hi autem, vt Cornelius inquit, olim in Italiam transierunt, à quibus Enei, id est, Veneti dicti fuere, & prouincia Venetia nomen accepit. Tergoma quoq;, siue Tigram, Gomeris filius tertius, vt Iosephus narrat, informauit Tygramæos, quos Græci Phryges vocarunt, qui deinde à Dardano Iouis & Electræ filio Dardani dicti fuere: postea vero Troiani à Troe Dardani filio. Fuit præterea & Elisas Iauæ filius, qui Eliseis imperauit, qui nūc Æolii à Græcis denominantur, & à quibus etiam insula in freto Siculo Æolia dicitur. Fuit & secundus Iauæ filius nomine Tarsis, qui Tarsos populos in Asia condidit, qui quondam Cilices dicti fuerunt, vnde regio Cilicia nominatur. Multa pręterea cōmemorare possemus, quæ causa breuitatis omittimus, vt ad inceptum redeamus. Ab his autem & eorum successoribus, Augustino referente, linguæ & gentes fere omnes institutæ fuere. Nam à Cethi Iauæ filio Cypri cognominati sunt, & à Rhadami eiusdem filio Rhodii. Vocauit etiam Assur Assyrios, & Heber Hebræos, & Mersa Mersæos, qui deinde dicti sunt Ægyptii ab Ægypto fratre Danai, vt testis est Eusebius. Sed ad Tubalem redeo, cui filius successit Iberus, de cuius nomine amnis Iberus, vt quidam volunt, nomen accepit, & Iberia dicitur Hispania. Post Iberum autem Iubalda Rex tertius Hispaniæ suscepit imperium, à quo Iubalda mons nomen accepit, teste Beroso, quem Ptolemæus vel eius scriptores pro Iubalda Iubedam scripserunt, & Mauri Barbaræ linguæ Zibaltar appellant. Iubaldæ vero Brygum successisse narrat Berosus, quem Aramei Castellanum significare dicunt, & Brygola castellum in alto loco positum. Quapropter Brygum regem nōnulli dictum putant, vel quod in vexillo castellum gerebat, vt Berosus asserit, vel quod in Hispania castella multa fundauerit, quibus suum nomen indidit, quod etiā Ptolemæus comprobare videtur. Hinc itaque sunt in Hispania nomina quædam, quæ terminantur in bryga, vt Lacobryga, Mirobryga, & alia plura, de quibus alio loco scripsimus. Quintū Hispaniæ Regem Tagum fuisse memoriæ Berosus prodidit, à quo Tagus amnis in Hispania dictus, vt idem Berosus ait, pisculētus & aureis arenis diues, vt alio loco diximus. Post autem Tagum Bætus Hispanis imperauit, vt quidam scribunt, à quo Bætis fluuius & Bætica prouincia, hoc est patria fœlix & beata, vt quidam scripserunt. Quam magnus etiam Homerus Elysios campos, vt alio loco scripsimus, appellauit, teste Strabone. Hebręi vero Bętum à Behin dictum putāt, quod interpretatur à Hieronymo locus vitæ meæ, id est, optatæ fœlicitatis, quæ cuiq; vitæ locus est & campus Elysius. Cæterum Bæto Geryon in Hispaniæ principatu successisse fertur, qui tyrannidem, vt Berosus scripsit, exercuit. Fuit autem Geryon Aphri generis, cuius nomen aduenam significare dicunt. Hic teste Beroso ex Mauritania traiecit in Hispaniam quam sibi parere coegit, cui Græco cognomento fuit Chryseus, & Latino Aureus: propterea quod (vt scribit Berosus & Diodorus Siculus) à magnis diuitiis nomen assumpsit. A quo, ni fallor, Geryone domus in Hispania antiquissima cognomen accepit, quæ nunc Gironia dicitur. Moriens autem Geryon tres reliquit filios quos trigeminos Geryones appellarunt, propterea quod (vt alio loco scripsimus) vnanimes fuerunt, summaq; concordia vixerunt, quos, vt aiunt, Hercules Libyus Osiridis filius contra se veniētes campestri certamine sustulit. Hercules autem victoria potitus ex Hispania discedens, Hispalum Hispaniæ regno pręfecit, de cuius nomine Hispalim & Hispaniam dictā fuisse quidā volunt. Quibus assentitur Toletanus antistes Rhodoricus insignis historicus. Hunc autē Hispalū Herculis filium fuisse memorant. Siquidē Hispanus & Iliberia eius filia, nepotes Herculis à scriptoribus Hispanis referuntur. Hispalo autem mortuo regnum suscepit Hispaniæ nepos Herculis, cui nomen erat Hispanus, à quo Hispalim vrbem & Hispaniam nominatam fuisse nonnulli volunt. Hercules autem cum in Italia res memorabiles gessisset, & magnis laboribus functus esset, vt Berosus est autor, in Hispaniam rediit, vbi nepos eius Hispanus imperabat. Quo mortuo Hercules ipse, quamuis admodum senex, Hispanię regnum suscepit, ibiq; paulo post è vita discessit apud Gades: vbi Gaditani templum in eius memoriam condiderunt. Quod Pomponius Mela, Suetonius Tranquillus & Berosus affirmāt. Rhodoricus Archiepiscopus Toletanus Herculem scribit in Hispaniam Atlantem secum duxisse, quem Berosus non Maurum, sed Italum fuisse narrat, cui frater erat Hesperus, vt scribit Iginius, quem Libyus Hercules sibi successorem reliquit, quem postea Atlas eius frater ab Hispania pellens, in Italiam fugere compulit, vt scribit Iginius. Quapropter Hispaniam & Italiam Hesperias ab Hespero Rege dictas affirmant. Atlas itaque Hespero fratre pulso regnare cœpit in Hispania, quē Berosus Atlantem Italum Kytim nominauit. Qui cum Sicorum filium Hispaniæ Regem instituisset, in Siciliam primum, deinde in Italiam traiecit, vt Hetrusca refert historia. Itaq; successit Atlanti filius nomine Sicorus, vt Berosus asserit, à quo Sicorim flumen dictum fuisse opinantur. Sicoro vero Sicanus filius successit, vt ait Berosus, à quo Siculis & Italis

nomen inditum est clarissimum, quod à poetis & scriptoribus maxime celebratur. Successit autem Sicano Siceleus, qui Siculis, vt Dionysius Halicarnaseus meminit, nomẽ dedit. Defuncto autem Siceleo Lusus eius filius in Hispania regnauit, à quo Lusitaniam dictam esse nonnulli contendunt, & multas etiam colonias in Hispaniam traductas. Reliquit autem Lusus Hispaniæ regem Siculum. Cæterum sciendum est Hispanos olim non reges proprios, sed duces habuisse, vt Trogus scribit: ideoque Sicorus, Sicanus, Siceleus & Siculus, non reges, sed Duces dicebantur. Habuit autem Siculus successorem Testã, qui, vt quidam scribunt, ex Libya fuit oriundus in Tritonide patria Mineruæ, & vrbẽ Testam condidit in littore maris apud Valentiam, de cuius nomine Ptolemæus populos propinquos Contestanos appellauit. Post Testam vero Romus Hispanis, vt quidam volunt, imperauit, qui Valentiam vrbem clarissimam condidit, & de nomine suo Romam vocauit, quam postea, sicut alio loco diximus, Romani nominis significatione seruata, Valentiam dixerunt. Regnauit in Hispania post Romum Palatous, qui Valentiæ domicilium habuisse fertur. Quam quidem rem populi Valentiæ propinqui qui Palatoi nominantur, vero similem faciunt, & etiam domus equitum Valentinorum qui Palatoi dicebantur, & nunc Mompalai dicuntur. Palatoum Cacus Celtiber, vt quidam scribunt, ab Hispania propulit, qui victoriam consequutus, vt aiunt, Caco monti nomen dedit: quem tamen montem Martialis non Cacum, sed Canum vocat. Quidam vero dicunt Palatoum victum à Caco fuisse, propterea quod adolescens nondum militarem disciplinam perceperat. Cæterum Cacus Vulcani filius existimabatur, quoniam primus in Hispania ferrum inuenit, & arma conficere docuit, quem victum ab Hercule fuisse poetæ fabulantur. Sunt etiam qui dicũt Cacum à Palatoo qui ætate firmiori arma resumpserat, profligatum in Italiã fugisse: quo pulso Palatous Hispaniæ regnum recuperauit. Caco autem sublato successit Erythrus in Hispania, qui nouum ab Erythreis coloniis nomen accepit, qui, teste Plinio, à mari rubro venientes in Hispaniam Erythram insulam coluerunt. Denique post Erythrum in Hispaniæ regno successisse fertur Mellicola, qui proprio suo nomine Gargoris dicebatur, & Mellicola cognomen accepit, vt quidam scribunt, quoniam primus Hispanos vsum mellis edocuit. Hic nepotem ex filia habuit nomine Habidem, de cuius aduersa fortuna cæterisque rebus quas gessit, Iustinus meminit. Hi sunt itaque quos memorauimus antiquos Hispaniæ reges, de quibus autores multi plenius conscripserunt. Cæterum post prænominatos reges vsque ad tempora Carthaginensium & Romanorum, qui successerint, alios in Hispania principes non reperio. Verum enimuero Carthaginenses & Romani pro Hispaniæ dominio magna bella gesserunt, in quibus tandem victis & expulsis Carthaginensibus Hispaniam Romani sibi prouinciam fecerunt, eamque tenuerunt vsque ad Gothorum aduentum, de quibus nobis hoc loco scribendum est.

De Gothorum aduentu in Hispaniam.

HACTENVS Hispaniæ gentis originem breuiter explicauimus, nunc autem vt Gothorum aduentum in Hispaniam referamus, pauca prius repetere necesse est, quibus historia multo facilius intelligetur. Cum itaque Carthaginenses Gaditanis consanguineis suis cum Hispanis bellum gerentibus auxilio venissent, victis hostibus Hispaniæ partem tenuere quam postea per Amilcarem & eius generum Asdrubalem, ac postremo per Hãnibalem pene totam occuparunt. Deinde vero Carthaginensibus bello Romanorum occupatis, Romani missis in Hispaniam Scipionibus, primo Pœnos prouincia expulerũt, & postea cum ipsis Hispanis grauissima bella gesserunt per ducentos annos, hoc est à primis Scipionibus vsque ad Augustum Cæsarem: tametsi non continue, vt scribit Florus, sed vt causæ lacessiuerant, nec initio cum Hispanis, sed cum Pœnis in Hispania. Primi autem Scipiones, vt idem Florus meminit, per Pyrenæum iugum Hannonem, Asdrubalemque fratrem Hannibalis cæcidere, captaque eo impetu fuisset Hispania, nisi illi occubuissent. Quibus Africanus successit, qui statim capta Carthagine Hispaniam stipendiariam Romanis fecit, omnemque vltra citraque Iberum amnem imperio subiecit, primusque Romanorum victor ad Gades & Oceani orã peruenit. Celtiberos primus prælio fregit Marcus Cato Censorinus, deinde Gracchus pater Gracchorum eos vrbium euersione mulctauit. Denique sæpe deficientibus, Numantia ciuitas eorum bellum annos quatuordecim sustinuit: victoque per Megaram fortissimum ducem Romanorum exercitu, Pompeium aggressi fœdus maluere, cum debellare potuisset. Hostilium deinde Mancinũ fregere. cum hoc quoque fœdus maluere contenti armorum manubiis, cum ad internecionem sæuire potuisset, sed fœderis ignominia deditus Hostilius fuit. Postremo Scipio minor vrbem euertit, cum sese suaq; omnia, Saguntinorum more, igni tradidissent. Sed de

Numantia ſcribemus alio loco. Bæticam Fabius Maximus conſul oppreſſerat, ſed à ſucceſſore Pompilio violata victoria eſt, qui conficiendæ rei cupidus fractum ducē per fraudem & inſidias & domeſticos percuſſores aggreſſus eſt. Turdulos Metellus Macedonicus vicit, Vaccæos Lucullus. De quibus Scipio poſterior ſingulari certamine prouocatus, opima retulit ſpolia. Luſitanos vero & omnis Calleciæ populos Decius Brutus latius domuit, ſimul formidatum militibus Obliuionis fluuium tranſmiſit vſque ad vltimum Occidentem. Eos autem Viriatus erexit, qui annos quatuordecim cum Populo Romano varia victoria pugnauit. Cuius ea virtus & abſtinētia fuit, vt conſulares exercitus cum ſæpe viciſſet, tantis rebus geſtis, non armorum, non veſtis cultum, non denique victum mutauerit, ſed, vt ſcribit Florus in eo habitu, quo primum bellum cœperat, perſeuerauerit, vt quiuis gregarius miles ipſo imperatore opulentior videretur. Tumultuātes etiam Hiſpanos Marcus Iunius Siluius pacauit. Denique omnes occaſione belli Sertoriani per Luciū Metellum & Pompeium Magnum in deditionem accepti fuere. Poſtea autem prorogato Pompeio in quinquennium imperio attriti ſunt, & ab Auguſto tandem Cantaber omniū vltimus ſubiugatus eſt vna cum reliqua Hiſpania in prouinciæ formam reducta, eoque modo per prætores adminiſtrata, vſque ad Honorii principis tempora. Quibus temporibus primum Vandali & Alani, mox Gothi, poſtremo Mauri diuerſis cladibus Hiſpaniam diripuerunt. Vandali ſiquidem Bæticæ partem occupauere, quæ adhuc ab Hiſpanis Vandalia, corruptoque vocabulo Vandaluſia dicitur. Cæterum Vandali paucis annis in Hiſpania commorati, poſt à Gothis expulſi in Aphricam traiecerunt. Gothi autem & Alani qui hodie Cathalani dicuntur, in Hiſpania conſederunt, de quibus, & eorum rebus geſtis, ac de patria vnde venerint, ſummatim dicemus. Gothorum varia genera traduntur. Cornelius Tacitus in hiſtoria Germanica Gothinos Gothos appellat, & inter Germanos ponit. Cui aſſentire videtur Ablauius Gothus, qui ſuum genus ex inſula maris Germanici prodire commemorat. Extat & Hollandiæ nomen inſulæ. Spartianus autem in vita Cæſarum Getas eos eſſe dicit, quorum trecenta millia Claudius ſecundus princeps apud Martinopolim in Mœſia prælio deleuit. Procopius vero Græcus autor, qui ſub Iuſtiniano ſcripſit hiſtoriam, dicit Gothos & Viſigothos, Vandalos & Alanos vno Sarmatarum nomine appellari, eandemque eſſe nationem, tantum ducibus quorum nomina accepere diſcretos, homines albos eſſe, coma flaua, magnis oculis, eiſdemque penitus legibus, ſecta Ariana, & lingua Gothica. Idem ſcribit famam eſſe, primum Gothos ex Cimmeriis qui ad Tanaim habitabant, veniſſe, iuuenes quoſdam venando ceruamque inſequendo fluuiū traieciſſe, qui reuerſi deinde ſuis agrum optimum ſe vidiſſe renunciarunt. Illi autem armis freti cum exercitu ad Iſtrum vſque vincendo peruenerunt, qui poſtea cum Romano Imperatore fœdus inierunt, demum in Italiam primum, & deinde in Hiſpaniam penetrarūt. In hanc ille ſententiam ſcripſit. Raphael vero Volaterranus homo noſtri ſæculi doctiſſimus Gothos eſſe Cimbros exiſtimauit, qui olim à Mario victi fuere, & ex Germanico mari prodeuntes, Viſigothoſque dictos, id eſt, Occidentales: Oſtrogothos autem Orientales eos eſſe, quos Florus dicit ex reliquiis Marianæ victoriæ ad Mæotidem conſediſſe. Ex quo nomen & gens Gothorum inter Tartaros in eadem hodie parte conſpicitur. Hi ſunt qui duce Theodorico poſtremo venerunt. Recte autem vtrique Sarmatæ dicuntur, à Græcis autē Sauromatæ, quod ita barbaras eas omnis Germanis vicinas nationes vocet antiquitas. Inter quos Cimonerios Homerus ponit, à nobis Cimbros appellatos. His itaque de cauſis Gothos Getas eſſe qui longe in Ponto habitant, veriſimile non fuerit. Sed res quas Gothi geſſerint in Italia, non minus vere quam ornate ſcriptas à Raphaele Volaterrano, breuiter exponemus. Gothi itaque tempore Valentis principis ad Danubii ripam iuxta Mœſiam ea conditione conſedere, vt non vltra procederent, & vna omnes Chriſtiani fierent. Valens itaque miſſis ad eos Arianis quorum ſectæ ſe addixerant, totam gentem eo dogmate pollutam reddidit. Poſt aliquot vero annos, cum gens barbara non poſſet à maleficio contineri, coactus Valens aduerſus eos proficiſci, ſuperatus eſt & interfectus. Qua victoria illi elati Conſtantinopolim cum exercitu confeſtim petiere, & cum Dominica quæ Valentis fuerat coniux, muliere ſapientiſſima, pecunia tranſegerunt, ac domum pacati ſe receperunt. Quos Gratianus qui tunc Orientis imperio ſucceſſerat, reprimere cupiens, nec eſſet bello ſatis idoneus, Theodoſium ex Hiſpania accerſiuit, q. pluribus poſtea præliis cū eis cōmiſſis, poſtremo pacē fecit. Qua fretus Atanaricus rex eorū, Conſtātinopolim vrbis viſendæ ſtudio profectus, honorificeq; à Theodoſio exceptus, ibidem paucis poſt diebus morbo extinctus eſt. Quapropter Gothi rege carētes Theodoſio tunc militare cœperūt: ſed fraude Stiliconis, vt dicitur, eos Italiā inuadere cupiētis exautorati, rege Alarico creato è Balthorū nobili familia, Pānonias & Illyricū occupātes incōmodis omnibus

affecerunt anno salutis quadringētesimo septimo, coniunctiq; cum Radagaso altero Gothorum Rege, de inuadenda Italia cogitarunt. Radagasus itaq; primum ingressus ad Apenninum circa Fesulas consedit, vbi locorum angustiis ac montium asperitate fameq; oppressus, à Stilicone cū toto exercitu superatur & capitur. Alaricus Rex alter subsequutus in agro Rauennate occurrentem cū copiis Stiliconem habuit. Qui cum triennio bellum cum eis duceret potius quam gereret, iussu Honorii pacē fecit hac conditione, vt in Galliæ parte considere possent. Post aliquot deinde annos Stilico contra fœdus Gothos in Gallia per Saulem Hebræum in die Paschæ incautos, & ex religione resistere non audentes, adoritur. Postero vero die Alaricus Saulem cum toto exercitu insectatus sustulit. Deinde Stiliconi ab Honorio auxilium petēti missus est successor, qui eum ob temeritatē quam gesserat, obtruncauit. Alaricus rebus fœliciter successis, in Italiā hostiliter ingressus omnia ferro igniq; vastans, vrbem nemine defensam facile occupat, anno quadringentesimo duodecimo, vrbis autem conditæ millesimo cētesimo quarto. Iussitq; primum confugiētes ad sacras ædes esse saluos, inde magna ciuium facta strage, post diem tertium discessit, ac per Campaniam iter faciens populabundus, apud Cosentiam ciuitatem morbo correptus interiit. Cui successit Ataulphus, qui & ipse vrbem ingressus, si quid erat reliqui diripuit, rapta insuper Placidia Honorii sorore, cuius nuptias discedens apud forum Cornelii celebrauit. Cuius consortio dicitur barbari pectus delinitum, vt non ea patraret quæ sęuiter in Romanos cogitauerat. In animum enim suum induxerat Romam Gothiā vocare. Itaq; Italia relicta in Galliam se recepit. Quem postea Theodosius iunior bello petens compulit, vt relicta Narbone & omni Gallia in Hispaniam confugeret. Vbi breui deinde tempore à suis interfectus est, propterea quod vrbi Romæ pepercisset. Cui Segericus succedens, & ipse quoque, quod pacem cum Imperatore fecisset, à suis necatur. Vallias post hunc regnum suscipiens, fœdus cum eodem iniuit, vt ei sedes apud Tolosam in Gallia darentur, Placidiamq; viduatam remisit, aduersus insuper & alios Barbaros qui Hispaniam occupauerant, opes & auxilium pollicitus. His itaq; fretus Honorius Constantinum ducem aduersus Alanos & Vandalos misit, qui totam Hispaniam præter Cātabros vastauerant, & quanquam fusi fugatiq; apud Emeritam fuissent, paulo post vires redintegrabant. Itaq; vno tempore Gothi, Alani, Vandali Hispaniam possidebāt. Valliæ extincto Rhodoricus successit, qui inito cum Aetio fœdere Valentiniani principis duce in cāpis Catalaunicis in Gallia contra Attilam Hunnorum Regem è Pannonia Italiam petētem in prælio occubuit. Cui Turismundus filius successit, qui ab Aetio in Hispaniam ad regnum paternum remissus, paulo post à Theodorico fratre interficitur. Re postremo Romam ad Augustum deducta, Gothi rursus excitati cum tertiam agri partem in Italia peterent, Orestes Augustuli pater minime consentiens, eis ad Ticinū occurrens in prælio occubuit. Odoacer eius miles vir Italicus Gothorum simul & Herulorum auxiliis, vt ait Procopius, fugato Augustulo & omni nobilitate, Romam inuadit, tenuitq; annos quatuordecim, donec Theodoricus Rex à Gothis appellatus, amicitia Zenonis Principis fretus, à quo etiam statua honoratus fuerat, petiit vrbis Romæ imperium, si Odoacrem expelli ab eo contingeret. Quo impetrato in Italiam cum maxima manu ingressus, eūdem ad Aquileiam occurrentē prælio superauit. Ille Romā reuertens ac clausas portas offendens Rauēnam petiit, quam breui tēpore per Theodorici obsidionē relinquere coactus est. Specie deinde concordiæ inuitatus ab eodem ad cœnā, contra iusiurandum interficitur. Theodoricus post hæc tota potitus Italia Romā pacificus adiit, templisq; ac rebus aliis cum omniū gratia restitutis, Rauennā reuertitur, quam sibi regiam delegerat, eaque animi magnitudine simul & mansuetudine fuit, vt nemini Barbarus videretur, quippe qui Germanū præsulem Ticinensem virum sanctissimū in Burgundiam cum pecunia ad redimendos captiuos miserat, aliaq; opera pietatis obiuerat. Quo vita functo eius filia Amalasunta cum paruo filio Atalarico regnū administrauit, adhibito Theodoro propinquo, cuius opera mox interfecta est, ipseq; solus regno potitur. Missus interim Bellisarius à Iustiniano in Italiam cum exercitu ad vlciscendam Amalasuntam cum filio, ac Romā tyrannide Gothorum liberādam, Theodorum interfectū offendēs vrbem capit. Gothi itaq; tanto priuati imperio, qui ad eam diem annos quadraginta octo regnauerāt, in Italia triginta octo sub Theodorico, octo sub Amalasunta & filio, duosq; sub Theodoro, Vectigem Regē suffecerunt, nō regio sane genere, sed ꝓbata militia, qui Amalasuntæ filiā Theodorici neptem in matrimonium duxerat. Hic ad vrbis obsidionē cum duobus millibus proficiscitur, ac primū molis Hadrianæ ambitū cingit, mox Portuense castrū, vnde commeatus prohibebat, aquæductus quatuordecim rupit. Quare Bellisarius intus pistrina in Tiberi constituit, qui mos adhuc durat. Liberiū Pont. quod Gothis fauere videbatur, in exiliū misit suffecto Vigilio. Cūq;

diu resi-

diu resisteret ac multis Vectigem præliis peteret,profligatũ ad extremum cum toto exercitu cepit, ac Constantinopolim in triumphũ duxit. Creatis post eum Ildebaldo,deinde Alarico Regibus, ad postremũ Totila regnũ accepit, cuius pater Tauriscis regnabat. qui cum Bellisario variis præliis congrediens,victor tãdẽ vrbem cepit, ac e uestigio Pelagiũ Pontificem ad Iustinianũ Constantinopolim oratorẽ de pace mittit. Qui rediens retulit Imperatorẽ nihil aliud respondisse,quam se Italię res semel Bellisario delegasse,cũ eo trãsigeret. Et Totila furiatus tertiam murorũ partẽ vrbis disiecit,Capitoliũ incendit,omniaque diripuit,ex quo Dei flagellũ cognominatus est. Hũc Totilam Procopius magnis extollit laudibus,vt liberalitate aliisq; animi virtutibus præditũ, cum tamen alii crudelẽ ac singulari arrogantia virũ taxauerint. Duces plures sub se habuit,inter quos Barbatia princeps nominatur. Postquam Bellisarius ab vrbe discessit,eam recepit,mœnibus ædificiisq; refecit, portas restituit earum clauibus Imperatori missis,Totilam vrbẽ repetentem ac vi magna obsidentem repulit. Verum cum apud portum postea in valetudinem incideret, resq; paulatim rursus amitteretur, omni studio per Antoninã vxorem reditũ à Iustiniano impetrauit,atq; item quinq; post annos quam venerat reuersus, Diogenẽ cum tribus millibus Romæ præsidio dimisit, qui Totilæ furorem non expectans Centumcellas aufugit. Ille rursus vrbẽ ingressus mitius se gessit, multaq; à se prius vastata restituit, quod fama est diui Benedicti contigisse beneficio, qui incognitum Totilam iuxta cœnobium eius prætereuntem placauerit. Iuuit etiam Pelagii Pontificis occurrentis cum sago & lachrymis aspectus venerabilis. Ea tempestate plures Iustiniani duces per Italiam diuisi magnis viribus resistebant, vt scribit Procopius, Ioannes circa vrbem tutandam, Iustinus Florẽtiam, Constantinus Rauennam, Cyprianus Perusiam, Bessas Spoletum, Mũdus Illyricum tuebatur, vbi post Salonas receptas multasq; de Gothis victorias ad extremum periit. Germanus postremo Iustiniani patruelis in Italiã missus & ipse breuiter interficitur. Deinde Conon qui Anconæ præfuit, item Vitalianus Bellisarii fratris filius post annos nouem quam Totila vrbem secundo ingressus est, cum Narsete, iuuantibusq; Lõgobardis apud Brixellum prælio congressus interficitur. Narses interea qui Bellisario successerat, vrbem iterũ recuperarat: deinde Teiam post Totilam regnantẽ in Apuliam consectatus prælio interfecit. Atq; ita demũ post annos octodecim Gothorũ bello finis impositus, qui ab initio regni Theodorici Italiam annos septuaginta duos tenuerunt, anno salutis quingentesimo sexagesimo secundo. Pax deinde Gothis data, ac volentes permissi circa Padum remanere, qui tamen non contenti sæpe Francorum auxilia quæsiuere, vt Agathias qui post Procopium scripsit, testatur, ac omnem eorum postquam regno Italiæ sunt eiecti, prosequitur historiam. Ego vero Raphaelem Volaterranum sequutus cum tantum quid in Hispania Gothi gesserint, ab initio scribere proposuerim, mihi necesse fuit hęc altiùs explicare, vt eorum in ea res gestæ melius apparerent. Nam Theodoricus quem supra diximus in prælio Hunnorum cecidisse, tris reliquit filios, Thurismundum, Theodoricum, & Henricum. Thurismundus vlciscendi patris Hunnosq; bello persequendi cupidus, Aetio prohibente destitit, & in Hispaniam ad regnum paternum rediit, qui post annos tris à Theodorico fratre interficitur. Henricus vero alius frater regno Hispaniæ succedens ad annos octodecim tenuit, leges primus scriptas Gothis tradidit, sedente Simplicio & imperante Leone primo, filiumq; hæredem reliquit Alaricum secundum, qui ex concessione & hæreditate patrui Theodorici Tolosæ in Gallia regnum obtinuit, vbi sedem cõstituit. Inde postea expulsus à Clodoueo Francorum Rege prælio ingenti, amissis omnibus quæ in Gallia possidebat, in Hispaniam se recepit, vbi regnauit annos sedecim, interfectus demum à Childeberto Francorum Rege, quod Clotildem coniugẽ eius sororem Arianę sectæ repugnantem male tractaret. Post hunc Tenda annos septendecim. Quo à suis trucidato Theodegosilus annos sedecim, qui ob libidinẽ in matronas interficitur. Agla annos nouem. Hic aduersus Cordubam bellum sumpsit, in quo eius filius fuit interfectus, nec multo post ipsemet à suis apud Emeritã. Atanagildus annos viginti duos, & ipse apud Toletum interfectus. Lenogildus cũ Luiba fratre, & postea solus annos quadraginta sex regni fines dilatauit. Cantabria deuicta & Andecam Regem Sueuorũ è Callecia expulit, cuius maiores annos centũ septuaginta septem in ea parte regnauerant, & filium Hermogildum quod à secta parẽtum abhorreret, ac Childeberti Francorum Regis orthodoxi filiã duxisset in matrimonium, bello persequutus, & in potestatem redactũ supplicio affecit, quem pro martyre colunt, anno salutis quingentesimo septuagesimo secũdo circiter fere tẽpora Gregorii primi. Recaredus alter filius fratri similis vir Christianiss. conciliũ Toleti celebrauit, vbi Arianã sectam improbauit à Leandro & Fulgẽtio pręsulib. rite ab incuna-

bulis in fide institutus, cum Francis bellum gessit, ex eisque quadraginta millia in campis Catalaunicis interfecit. Post hunc Luiba à successore Veterico interficitur. Gundamidus deinde regnauit annos viginti octo, Vascones domuit, Romanorum exercitum fugauit, decessit Toleti. Sisebatus orthodoxus fuisse dicitur, præterea Iudæos omnes expulisse, aduersus Romanos & Africam feliciter dimicasse. Quo fautore permotus Isidorus præsul Hispalensis concilium habuit contra Acephalorum sectam. Recaredus secundus huic successit, deinde Suitilla in bello exercitatus, quo duce vsus est olim Sisebatus Rex in propulsando Romanorum exercitu, primusq; (vt ait Lucas Tudēsis) Hispaniæ monarchiam est assecutus. Deinde successit Sisenandus, Suitilla secundus, Tulgas, Bidesuindus: & Recensuindus imperauit Rex optimus annos viginti tres, cuius tempora D. Illefonsus præsul Toletanus illustrauit. Bamba Rex omni bonitate præditus ab Heringio successore propinatus memoriam amisit, regnique deinde administratione prohibitus, se cœnobio addixit, in quo vixit annos septem, cum prius octo regnasset: dum tamē sensus viguit, res præclaras ac indignas tali calamitate gessit, primum Vascones, deinde Nemausenses rebelles, pręterea Narbonenses perdomuit, ducem quoq; Bitterensem in Gallia res Gothorum infestantem superauit, Sarracenorum naues ducentas sexaginta Hispaniæ littus primū applicantes magna vi animi, classe ingenti obuiam missa, partim cepit, partim depressit, postremo Toleti concilium celebrauit. Heringius annos tredecim. Egicam generum successorem reliquit, qui annos quatuordecim regnauit, Fafillam ducem Tudensem, vt eius vxore potiretur, interfecit, Vitizam filium ei ciuitati præfecit, qui postea regno successit vir admodum facinorosus. Nam Theodebertum Recensuindi Regis filium, paruū olim relictum, cui regnum debebatur, oculis priuauit. At ille diuina benignitate ac prouidentia, ducta nihilominus vxore, Rhodoricū genuit, qui postea regno successit, auxilioq; Pelagii patrui Vitizam vna cum filiis captum Cordubæ relegauit.

LVCII MARINEI SICVLI DE REBVS HISPANIÆ LIBER VII.

De aduentu Maurorum in Hispaniam.



PATRIA Gothieę gētis & origine rebusq; gestis breuiter enarratis, Maurorum aduentum in Hispaniam summatim quoque referemus. Rhodoricus itaque, vt supra dictum est, Theodeberto successit, quicū triēnio totius Hispaniæ principatum tenuisset, eius subinde perniciosa libido Gothorum non tam generi, quam nomini regnoque pacifico finem attulit. Nam cum virginem cuiusdam Iuliani filiam, qui tūc temporis Tingitanæ prouinciæ prępsset, vitiasset, dolor ingens & opportunitas loci puellæ patrem ad vltionem stimularunt. Qui propter filiæ suæ dedecus & iniuriam sibi illatam, Rhodoricum Regem perdere cupiens, ex Africa numerosos euocauit exercitus. Qui anno salutis septingentesimo decimo quarto, vel (vt alii scripserunt) sexcentesimo decimo septimo, duce Muza misso à Miramamolino tunc eorū rege per Calpes angustias ingressi, triginta mensium spacio Hispaniam pene totam occuparunt, præter quosdam Asturiæ populos, Vascones, & Cantabros locorum natura munitos, & nonnullos Aragoniæ nobiles, & Cæsaraugustæ ciuitatis equites, qui suæ salutis causa, & Christiani nominis atque cōseruandæ catholicæ fidei gratia res sacras, & sanctorum reliquias deferentes ad Pyrenæos montes confugerunt. De quibus & Aragoniæ Regibus alio loco scripturi sumus. In præliis autem quæ biennio per Hispaniā gesta fuerunt, ad septingenta hominū millia vtrinq; cæsa fuisse dicuntur. Rex autē Rhodoricus, cū Sanctius eius fratris filius quem cū parte copiarū hostib. obuiam præmiserat, occubuisset, ipse quoq; cum reliquis copiis ad oppidū Xericium hostibus occurrens extinctus est, & eius exercitus profligatus ac pene deletus. Mauri autē tanto breuiter imperio potiti, cum late ferro igniq; omnia vastassent, Hispanię regna inter se plura sedesq; sibi cōstituere. Primū enim Cordubę, ꝙ Abenaliberti regnū dixerunt, alterū apud Hispalim, tertiū apud Carthaginem nouam, quę vsq; ad Ferdinādi tertii Regis tēpora tenuerūt. Hic enim anno millesimo ducētesimo

tesimo decimo sexto, Toleto, Corduba, multisque aliis recuperatis locis, Mauros regnis ex magna parte deiectos expulit, qui Granatã ac Malacham ciuitates quæ prius sub Cordubæ regno fuerant, sese receperunt, & vsq; ad ætatem nostram tenuere: vnde tandẽ Dei benignitate ac Ferdinandi Regis & Hisabellæ Reginæ virtute nuper expulsi fuere. Sed de hoc Granatensi bello alias. Nunc ad Regum successores redeo. Pelagius itaq; Rhodorico fratris filio successit. Is ab initio vbi Theodebertum patrem oculis multatum vidit, furorem Vitizæ fugiens in Cantabriam se contulit, ibique latuit, vbi magno fuit adiumẽto rebus collapsis. Nam post cladem illam Hispanis à Mauris illatam, cum his qui supererant exercitus profligati, in Asturiam se recepit. Astures enim, & Vaccæi, & Calleci montibus & natura loci muniti, tantum incolumes, vt supra diximus, remanserant, Legioneq; imprimis capta annos ibi triginta quibus regnauit, bellum gerens, & indies oppida plura recuperans, paulatim effecit vt afflicta gens aliquantulum respirare videretur. Hanc sedẽ posteri Castellam veterem vocauere ad differentiam nouæ quæ circa Toletum fuerat, & Lusitaniæ prouinciæ. Sic enim Hispani regiam & munitum locum appellant. Dictique deinde non Gothorum, sed Hispaniæ siue Castellæ Reges, qui magna virtute res patrias quotidie recuperare studebant. Phauila Pelagio patri succedens cum annis duobus imperasset, inter venandum morsus ab vrso periit. Hic quoniam virili prole carebat, Alfonsum Petri Cantabriæ Ducis filium Regem instituit de genere Gothorum, qui Pelagii filiam in matrimonium duxerat. Qui non immerito Catholici cognomẽ accepit, propterea quod Ariana secta relicta qua Gothi omnes infecti erant, celebrato concilio, catholicam fidem Christianamque religionem sequebatur, & oppida multa templaq; Christianis restituerat & magnis donis ornauerat. Regnauit autem annos vndeuiginti, Froilamq; filium reliquit, qui Mauris aduersus Callecos bellum gerentibus occurrit, & eorum millia quinquaginta cæcidit, & Vascones tumultuantes in officio continuit. Hic cum annos duodecim regno præfuisset, ab Aurelio fratre occisus est. Aurelius autem post necẽ fratris regnum sibi occupauit, qui nõ vltra sextum annum superuixit, à quo nihil memoratu dignum gestum fuisse legimus, præter seruorum in dominos cõspirationem repressam. Aurelio deinde mortuo, Silo gener Alfonsi Catholici regnum suscepit, quod annos octo gubernauit, pacemque cum Mauris ignominiosam fecit, quibus tamen fœdus rumpẽtibus bello fortissime restitit, Callecosque rebellantes compescuit. Post autem Silonis obitum Magaretus Alphonsi Catholici filius nothus, quem alii Mauregatum vocãt, auxilio Maurorum regnum vsurpat. Quapropter degenerans, Mauris ex fœdere magnum virginum numerum quotannis pro tributo mittebat. Hic demum vitam agens haud satis honestã, paucis annis apud Astures moritur. Cui Veremundus Alphonsi Catholici nepos ex Bilmarao filio successit, cum diaconus & sacris initiatus esset. Qui facti postea pœnitẽs, vxore quam duxerat, religionem ingressa, ipse quoq; se religioni destinauit, & regnũ Alphõso consobrino gubernandũ reliquit, superstitib. Ramiro & Garsia filiis admodũ paruulis. Alphonsus autẽ cognomẽto Castus, Alphonsi Catholici ex Froila filio nepos, cognominis causam est assecutus, propterea quod vir fuerit religiosissimus, & vxorẽ quã duxit, nũquam attigerit. Fuit etiã Rex multis victoriis gloriosissimus, & Ouetensis Asturicensisque ciuitatum basilicas construxit, & simul donis locupletauit. Cæterum cum à Carolo Magno per legatos auxilia peteret, Hispanorum procerũ indignationẽ excitauit, qui passim dicebant Hispanos mori melius esse, quam Gallis subiici, aut per eos incolumes esse. Itaq; coactus est rem frustra per eosdem legatos detrectare, quandoquidem ille cum Rolando cæterisq; ducibus & magnis copiis Pyrenæum montem iam superasset. Ex quo magnas in Hispania strages hostiũ magnaq; facinora fecit, vt in Gallorũ historia & Caroli vita cõtinetur. Verũ enimuero Rhodoricus Toletanus Antistes negat hæc omnino vera esse, sed duntaxat Gallos in primam Vasconũ regionẽ ingressos, & inde in Galliam confestim redire coactos. Hoc Alphonso regnãte in Ouetẽsi templo fama est crucẽ aureã sine humano artifice factã, repente cõparuisse, quam rex, qui eam primus aspexit, sacerdotib. ostẽdit, & religiosissime seruari iussit. Quo ẽ vita migrante, regnũ Ramiro Veremũdi filio natu maiori restitutũ est, quod ille pari potestate cum Garsia fratre quem ipse vltro ob eius virtutes illustres ad regnum vocauerat summa concordia administrauit. Cui aduersus Mauros bellum gerenti diuus Iacobus non dubitanter apparuit. Illo enim prælio & multa hostiũ millia perierunt, & plures Ramirus suo regno ciuitates addixit. Normandorum præterea classem ingentẽ Calleciæ littoribus appulsam, nauibus septuaginta succẽsis, repulit. Mauros insuper apud Calagurriũ vicit oppido ipso in suam potestatem redacto. In quo prælio apparuisse ei dicitur sanctum Iacobum in albo equo pugnantem. Moriens autem filium Ordonium Regem instituit, qui Vascones iterum tumultuãtes compescuit. Vnde reuer-

tens in Luſitaniam prouinciam, Mauros late cuncta vaſtantes offendit, quos prælio commiſſo cum Muza eorum duce confregit, & Muzæ filium apud Toletum in deditionem cum oppido recepit. Regnauit annos decem, qui moriens quinque filios reliquit: Alphõſum, Veremundum, Nunnium, Ordonium, & Froilam. Ex quibus Alphonſus tertius cognomento Magnus patri ſucceſſit anno octingenteſimo octogeſimo tertio, qui de Mauris ſæpe glorioſe triumphauit, & Cohimbriam Viſeumq; Luſitaniæ prouinciæ ciuitates recuperauit. Vaſcones præterea Nauarroſq; qui tunc à Mauris acriter oppugnabantur, ab obſidione liberauit. Hunc etiam Alphonſum (vt ſcribit Archiepiſcopus Toletanus) templum ſancti Iacobi primum excitaſſe legimus, & Ouetenſe metropoliticum conſtituiſſe, ad quem Ioannes octauus Pontifex ſcripſiſſe dicitur hoc modo: *Ioannes ſeruus ſeruorũ Dei Alphonſo Hiſpaniæ Regi Chriſtianiſſimo ſalutem & benedictionem.* Ex cuius ſcripti autoritate Hiſpaniæ Regem in primis orthodoxum exiſtimant. Sub hoc autem Rege militaſſe dicitur Bernardus cognomento Carpius. Huic Alphonſo ſucceſſit Garſias, qui patrias virtutes imitatus aduerſus Mauros ſæpenumero ſtrenuiſſime pugnauit. De quibus inclytã victoriam conſequutus, Ayolam Maurorum Regem captum reduxit, cuius ſpolia Ouetenſis eccleſiæ tholo ſuſpendit, vbi nunc & ipſe iacet ſepultus. Huic frater ſucceſſit Ordonius ſecundus, quem pater Alphonſus antea Calleciæ prouinciæ præfecerat. Hic etiam ſapiẽti conſilio & multa rei militaris ſcientia maxime pollens à Bætica & Luſitania prouincia Mauros omnes fugauit, qui etiam templum Legionis magnis ędificiis ac multis donis ornauit: tametſi poſtremo cõtra Mauros infœliciter dimicauit, captis in prẹlio multis Chriſtianis & nonnullis Epiſcopis, inter quos Aſturicenſis etiã martyrium paſſus eſt iuſſu Abderæ Maurorum Regis. Quapropter poſthæc Ordonius quatuor Caſtellæ Comites qui bellum illud detrectauerant, iuſſos ad ſe venire & incolumes fore pollicitus, necari iuſſit. Quam ob rem atq; perfidiam Caſtellani qui tunc erant in Legione tumultuantes, conſtitutis inter ſe magiſtratibus ac iudicibus, rem ſuam ipſi adminiſtrabãt. Regnauit hic annos ſeptem. Cui Froila ſecũdus, alter Ordonii frater & Alphonſi Magni filius vltimus ſucceſſit. Qui cum multos Hiſpaniæ nobiles ſuſtuliſſet, nota crudelitatis eſt accuſatus, de quo nihil aliud memorabile ſcriptum fuiſſe legimus. Qui leprę correptus morbo, mortẽ obiit acerbam. Reliquit autem filios quatuor, Alphonſum, Ramirum, Ordonium, & Froilã, ex quibus ei ſucceſſit Alphõſus quartus. Qui religionem ingrediens Ramiro fratri regnum demandauit: poſtea vero facti pœnitens & religionem aſpernatus, cum regnum à Ramiro fratre repeteret, & ſibi habere conaretur ab ipſo fratre Ramiro luminibus extinctus eſt. Quam ille ſubinde crudelitatem cuius eum pœnitebat, pietate conſtructi à ſe templi penſauit, vbi eum honorifice tumulauit. Poſtea autem aduerſus Areffam Maurorum Regem quo cum Fernandus Hyuarienſis & Iacobus Nunnius Comites conſpirauerant, fortiſſime dimicauit. quo expugnato, Comites cepit, quos amicis petentibus condonauit. Succeſſit Ramiro Sanctius cognomento Craſſus, qui portẽtoſa obeſitate fuiſſe dicitur, & valetudini cõtraria. Quapropter pace facta cum Abderamo Maurorũ Rege medicinę periculo, vt ab eo curaretur, Cordubam profectus eſt. Interea vero domi per eius abſentiã, Ordonius cognomento Malus, filius illius Alphonſi cui lumina adempta fuiſſe diximus, auxilio procerum regnum inuadit, quod Sanctius iam amiſſum auxilio Abderami Maurorum Regis recuperauit. Qui præterea Fernandum Caſtellæ Comitem eiuſq; ſucceſſores à iuriſdictione Regis Legionenſis imperpetuum immunes eſſe voluit. Deceſſit autem anno ſalutis circiter 1122. vel (vt alii ſcripſere) 928. & regni ſui vndecimo. Cui ſucceſſit Ramirus admodum puer. Quo tempore Normãdi ad littus Callecum cum claſſe valida applicuere, quibus Comes Fernandus Gonſalus fortiſſime reſtitit. Mauri quoq; rupta pace quam cum Ramiro puero fecerant, omnia populabantur. Quapropter Calleci cõtempta Regis ętate, Veremundum Regis Ordonii filium apud Compoſtellam Regem ſibi declararunt. Contra quem Ramirus progreſſus, prælio commiſſo vtrinq; ſine victoria diſceſſerunt. Almanzor etiam Maurorum Rex cum exercitu numeroſo aduerſus Hiſpanos acriter pugnans, à Fernando Gonſalo Comite magna virtute repulſus eſt. Veremundus ſecundus Ordonii filius auxilio Garſiæ Fernandi Caſtellæ Comitis, aduerſus Almanzorẽ proficiſcitur, prælioq; primo victor diſceſſit. Mox autem Maurus redintegratis viribus & magna collecta manu, Veremundum ad Aſturum montes cum ſanctorum reliquiis effugere compulit. Qui deinde Legionem oppugnauit, & murorum partem diruit, & cũ expugnare non potuiſſet, in Luſitaniam diſceſſit, vbi multa loca vaſtauit. Vnde profectus in Galleciam prouinciam, Compoſtellanã baſilicam euertit: tametſi D. Iacobi ſacellum attingere non eſt auſus, territus, vt ferunt, quodam fulgore diuinitus apparente. Cui bello dyſenteriæ morbo correptus finem dedit. Poſt hæc autem Veremundus & Garſias coniunctis

Fernãdus dyſenteriæ morbo decedit.

iunctis copiis magnam Almanzori cladem intulere. Quapropter ille animi dolore consternatus paulo post è vita decessit. Veremundus autē hac victoria elatus cum domū reuerteretur, superbè nimis ac crudeliter erga omnes se habuit, & Compostellanū Ouetēsemq; præsules in carcerē coniecit. Cæterū Ouetensem paulo post, viso portento quodā admonitus, liberauit, facinusq; suū detestatus aliis compensauit officiis, quippe qui S. Iacobi loca sacra quæ ab hostibus diruta fuerant, restituit. Quo mortuo Alphonsus quintus eius filius adolescens regno successit, tenuitq; annos triginta septem, qui sororem Tiresiā Abdalæ Mauro Toleti Regi collocauit, vt ei contra Cordubæ Regē prẹstaret auxiliū. Verum enimuero Tiresia virgo sancta, infidelis viri nuptias congressumq; detrectauit. Quæ quanquā sępe precibus, sępe minis vexata fuisset, mox tamē eo extincto liberata, sese Deo in cœnobio perpetuo dicauit. Alphonsus autē interea dum Viseū Lusitaniæ oppidū quod Maurorū tunc erat, obsidet, sagitta percussus interiit. Veremundus tertius Alphonsi filius deinde sine liberis anno regni quarto decessit, ideoq; ad Fernādum eius sororiū regnum deductū est. Is Sanctii Maioris Castellæ Comitis filius fuit, qui Sanctiā filiā Alphonsi Legionis, sororem Veremundi supra dicti in matrimoniū duxerat. Ex quo Legionis regnum iure vxoris hæreditario assecutus, primus omniū vtrūq; tenuit regnum, qui Rex Castellæ fuit appellatus anno millesimo decimo septimo. Nam vsq; ad hūc diem Castella per Comites regebatur. Mortuo autē Garsia qui contra Mauros fortiter pugnans occubuit, Veremundus Nauarræ regnum & Lusitaniæ prouinciæ partē recuperauit. Regnauit annos quadraginta. Cuius tempore Rhodoricus Viuarius cognomēto Cidus, dux exercitus inuictissimus, in Hispania maxime claruit, cuius res inclyte gestæ maxime celebrantur, de quibus magna circūfertur historia, & nos alio loco scripsimus. Qui, sicut & Mēdosię domus equites, à Castellæ Comitib. genus & originē duxit. Fernandus igitur, vt ad rē redeamus, cū quadraginta annos regnasset, à vita discedens Sanctiū & Alphōsum filios reliquit. Alphonsus autē à fratre Sanctio pulsus, Toletū ad Regem Maurorū se recepit, vbi tā diu permansit, donec eo mortuo à populis ad regni successionē reuocatus est. Qui non prius à Mauro dimissus est, quam iureiurando affirmauerit se perpetuo in eius amicitia permāsurum. Quod ille minime seruauit, sed inito regno, statim Toletū Mauro Rege fugato, recepit, Mezclita (sic enim Mauri templū vocant) ei tantūconcessa, quam postea Bernardus episcopus & regina adeuntes ea loca ingressi, Mauris expulsis, diuę genitrici consecrarūt. Quamobrē Mauri legatos questū iniurias ad Alphonsum Regē miserunt. Qui vehementer iratus iurauit se sine vlla venia in suos animaduersurū, nec precibus vllius assensurum. Illi vero prẹsentientes, astu pœnam vitauere, filia Regis obuiam missa quam Rex plurimū diligebat, vt ea deprecatrice veniam impetrarent: tametsi eos à morte non tam sua quam puellæ prudentia liberauit. Quæ à Rege qui iurauerat se non facturum quod à filia supplicaretur, non vitam quidem Reginæ & aliorum, sed mortem à patre petiuit. Rex itaq; delusus à filia & iureiurando solutus, omnibus pepercit. Hoc autem tempore Mauri cum magnis copiis è Carthagine per Hispaniam discurrētes, omnia vastabāt. Quibus obuiam missus Infans cum septem Comitibus, apud oppidum quod Alcazar de Consuegra vulgo dicitur, omnes ad vnum interfecti fuere: à quibus occisis adhuc locus ille septem Comitum nuncupatur. Quam ob causam Rex hoc animis mollitie nimia corruptis accidisse cognoscens, Toleti balnea & omnes illecebras quas Mauri voluptatis causa constituerant, sustulit, & populos ad pristinam virtutem seueritatemque reducere conatus est: qui præterea post hæc Toletanam Burgensemque basilicam multis donis ornauit, & Vrracā filiam Raimundo Barcinonēsi Comiti collocauit, ex qua ille Alphonsum septimum progenuit, qui ei successit in regnum, cuius mater post Raimundi mortem nupsit Alphonso Aragoniæ regi. Qui quoniam vir fuit sacrilegus & iniustus, in ærumnis, & sine liberis obiit mortē. Alphonsus autem de quo nunc loquimur, cū regnasset annos quadraginta tres sine virili prole decessit. Huic autem successit Alphonsus septimus, è filia nepos, qui iterū regna diuisit, Castellam Sanctio & Legionē Fernando filiis tribuens, Beatricemq; filiam Ludouico septimo Francorum Regi collocauit. Qui D. Iacobi templum salutatū veniēs, à socero magnificentissime apud Burgensem ciuitatem fuit exceptus, Toletiq; eius gratia conuētus est habitus, vbi legitimū genus Beatricis vxoris quæ prius notha putabatur, declaratum est. Hic autem Alphonsus potentissimus omniū Regum qui ante se fuerant, habitus est. Quapropter Imperator Hispaniarū fuit appellatus, qui Cordubam, Abderam, quæ nunc Almeria dicitur, & Baionā recepit. Quæ loca cum adiret, in itinere sub arbore quadam subito excessit. Cui successit Sanctius tertius eius filius, cognomento Desideratus, propterea quod intempesta nocte & immatura morte decedens, propter eius egregios mores & in omnes iustitiam desideratus à populis omnibus fuerit, qui Ferdinādum

Rhodoricus Viuarius cognomento Cidus.

Fernandi soboles.

fratrem Regem Legionis ab eo diſſidentem ceperat, atque rurſus in regnum reſtituerat. Vxorem duxerat Blancam Garſiæ Nauarræ regis filiam, ex qua Alphonſum octauum genuit. Fernandus autem ſecundus apud Legionem regnauit, qui Alphonſum ſui fratris filium puerulum ſuo iuri regnoque ſubiicere ſacramento fidei conatus eſt. Quod animaduertens Nunius vnus è tutoribus, infantulum in arce præſidioque collocatum ab iniuria & iniuſtitia patrui defendit. Fernandus vero cum regnaſſet annos triginta vnum, è vita migrauit. Alphonſus autem cognomento Bonus, ex Helionora Ricardi Regis Angliæ filia prolem magnam progenuit, Henricum ſcilicet qui poſt eum regnauit, Blancam quæ Gallorum Regi nupſit, ex qua diuus Ludouicus fuit genitus, Berengariam quæ Alphõſo Regi Legionis, ex qua Fernandus tertius, Hieracam quæ Portugalliæ, & Helionorã quæ Aragoniæ Reginæ fuere. Alphonſus autem cum ſemel aduerſo Marte contra Mauros pugnaſſet, ſubinde tamen inſtaurato prælio iterum congreſſus, hoſtes magnis cladibus affecit, cæſis fere ducentis millibus, vbi crux ei è cœlo apparuiſſe dicitur. Quo tempore Rhodoricum præſulem Toletanũ Romam miſit ad impetrandas in expeditionem cõtra Mauros collationes. regnauit hic princeps annos quadraginta quatuor, qui deceſſit anno milleſimo centeſimo ſexageſimo. Cui ſuceſsit Alphonſus nonus, Fernandi Regis Legionis filius, qui regnum gubernauit annos viginti octo. Succeſſit huic Henricus Alphonſi octaui Regis Caſtellæ filius admodum puer, qui impulſore Aluaro Comite tutore ſuo conſobrinam eius Portugalliç Regis filiam ſine conſenſu Pontificis in matrimoniũ duxit, quod ab Innocentio tertio poſtea diſſolutum eſt. Cui propter eius ætatem admodum puerilem regnum Berengaria ſoror adminiſtrabat. Ipſe autem puer cum in vrbe Palantia inter ludendum cum pueris tegulæ ictum capite excepiſſet, extinctus eſt anno ſecundo quã regnare cœperat. Cui ſucceſſit Ferdinandus tertius Berengariæ ſororis filius, omniũ Hiſpaniç Regum fœliciſſimus atque potẽtiſſimus, quippe qui poſt multas clades Mauris illatas, Hiſpaniam fere totam reſtituit, Hiſpali, Corduba, Vandalia. & Bætica ex magna parte recuperatis: qui & Mauros omnes qui ſupererant, in angulũ quendam Bæticæ prouinciæ quem Granatæ regnum nunc appellant, concluſit. De cuius rebus fortiſſime geſtis multi copioſe ſcripſerunt, & Rhodoricus Archiepiſcopus Toletanus magnam cõfecit hiſtoriam. Huius etiam Regis auxilio, vt Conſentinus refert, Iacobus Rex Aragoniæ Baleares inſulas fugatis hoſtibus, recepit. Fuerunt huic ex Beatrice Germanorum Imperatoris, vel (vt alii dicunt) Brabantiæ ducis filia, filii numero ſex, ſcilicet Alphonſus, Federicus, Emanuelus, Philippus, Sanctius, & Henricus. Ex Ioanna præterea vxore ſecunda Ludouicum & Helionoram progenuit. Ferdinando autem anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo ſecundo ſucceſſit Alphõſus decimus, vel (vt alii ſcripſerunt) nonus, qui Violantam Iacobi Aragoniæ Regis filiam duxit vxorem. Qua propter ſterilitatem dimiſſa, liberorum deſiderio per legatos Daciæ Regis filiam nomine Chriſtianam formaq; pręſtantem in matrimonium petiit. Quod Daciæ Rex cum Regis Alphonſi legatos audiſſet, conditionem nõ renuit, ſed filiam ſuam Chriſtianam Alphonſo Hiſpaniæ Regi deſtinauit, quam, mediantibus legatis, celebrato coniugio multis comitatã viris illuſtribus in Hiſpaniam ad Alphõſum miſit. Quę cum veniſſet, interim Violanta ex Alphonſo Rege pepererat. Quę res Alphonſo Regi fuit maximo pudori. Quod cum Philippus eius frater animaduertiſſet, qui tunc erat Abbas Valliſoleti, & de caueis rubeis, ſimul & Archiepiſcopus Hiſpalenſis, relicto ſacerdotio Chriſtianam Daciæ Regis filiam duxit vxorem: quibus Alphonſus Rex immenſa munera tribuit: tametſi rem hanc alii aliter ſcripſerint. Et Violantam quæ filium pepererat, habuit multo chariorem, quæ poſtea multos alios peperit filios: Fernandũ qui Blancham diui Lodouici filiam duxit vxorẽ cuiq; pater fuit ſuperſtes Sanctiũ, qui poſtea regnauit, Ioannem, Iacobum, Petrum, Berengariũ, & Helionoram: & ex concubina Beatricem, quæ nupſit Alphonſo Portugalliæ Regi & Dionyſium peperit. Ex his autem filiis Ioannes multa contra Mauros bella fortiſſime geſſit, qui Margaritam Marchionis Mõtis Ferrati filiam duxit vxorem. Sed ad Alphonſum redeo, cuius domi foriſq; multa præclare geſta memorantur, qui leges à maioribus in Hiſpania conditas, immenſum opus, in ſeptem digeſſit volumina, quæ Partitas appellant: edidit, aliorum tamen ingenio hiſtoriam orbis quam generalem Hiſpani vocant, Canones item in Aſtrologia, quos tabulas nominant Alphonſinas, vnde Aſtrologi magni cognomen eſt adeptus. Prædicatur præter hæc liberalitas publicaq; eius munificentia, quippe qui in Fernandi & Blanchæ nuptiis congiarium populo dedit, pauperes omnes veſtibus viritim donauit, Imperatorem præterea Conſtantinopolitanum à Soldano captum ingenti ære collato redemit: tametſi foris non æqua fœlicitate res geſſit. Siquidem Maurus Granatæ Rex rupto cum eo fœdere, Murcię loca quædam, & Xericium oppidum poſt longam obſidionẽ cepit. In quo bello pulcher-

rimum facinus Garsiæ Gometii Carilli qui arci præerat, memoratur. Hic enim extremam expectans ruinam, ac solus interfectis ceteris resistens, in hostes ruit, stragemq; circa se fecit, aliquandiu irruptionem impetumq; moratus. Tandem viuus captus, ob fortitudinem venia donatus est, & ad Alphonsum remissus incolumis. O facinus memorabile & magnis laudibus excolendum! quod quidem meminisse debẽt omnes & imitari qui officium rei militaris exercent, quandoquidem viri qui sunt in prælio fortes, ab hostibus etiam diliguntur. Habuit præterea rex Alphonsus regni sui proceres rebellantes, ac cum Granatæ rege conspirantes. Cuius discordiæ causa fuit diminuta regni iurisdictio, propterea quod Dionysium ex filia nepotẽ Portugalliæ regem, qui antea Castellæ regi suberat, à tributo & vectigali immunẽ fecerat, illis in consilio reclamantibus. Dum autem de Federici secundi abrogatione ageretur, delectus ipse Imperator à magna Electorum parte, in Germaniã profectus est. Verum spe frustratus, paulo post rediit nihilo meliora domi offendens, morte filii Ferdinandi de la Cerda comperta. Reges quoq; Granatæ per ipsius absentiæ occasionem magna Bæticæ prouinciæ incommoda intulere, qui Santium Aragoniæ Infantẽ, præsulem Toletanum, Nuniumq; de Lara interfecerant. Sanctius etiam eius filius, secundo loco genitus, occupato regno patrem venientem exclusit. Quapropter Hispali subsistens ex animi dolore decessit. Sanctius itaque quartus Alphonsi filius regnauit annos vndecim, qui contra Mauros fœliciter dimicauit, quibus Tarifam, quondam Carteiam vocatam, ademit. Regem de Phez Machometum appellatum, ac Benerizaph ex Africa contra Hispaniam maxima classe soluentes, per Benedictum Zachariæ Hispaniæ maris præfectum bello nauali superauit. Sæuus natura fuisse traditur, in disciplina præsertim militari minima de causa milites plectebat, qui apud Pacem Iuliam quatuor hominum millia trucidari iussit, propterea quod in tumultu quodam exorto, Alfonsum fratris filium regẽ appellauissent. Fernandus quartus, Sanctii filius, anno millesimo ducentesimo nonagesimo quinto, extincto patre puer in genitricis tutela remansit, cuius prudentia multa euasit pericula. Nam cum Alfonso de la Cerda qui se Castellæ regem dictitabat, ac regibus Nauarræ, Portugalliæ, & Aragoniæ grauia bella per legatos gessit. Sed & huius mulieris non minor religio narratur. Quæ quidem, diuendita lautiore supellectile, vt egentibus subueniret, ipsa fictilibus frugique victu & abstinentia singulari semper vtebatur. Cœnobia septem egregia construxit. Fernandus igitur dum per ætatem licuit, ex Constantia Portugalliæ regis filia Alfonsum genuit vndecimum, qui Castellæ regno successit, & Helionoram quam Alfonso Aragoniæ regi locauit. Zeliam oppidum ex Mauris recepit. Delatoribus aures faciles præbuisse dicitur. Quare duos nobiles viros è familia Carutial, vel (vt ego arbitror) Caruaial, necari sola suspicione iussit. Regnauit annos quindecim. Cuius filius Alfonsus anno millesimo trecentesimo decimo aduersus Mauros, Almohacem, Machometum, & Hynzeph, reges Bellamarini & Granatæ fœliciter dimicauit, recuperatis oppidis Alcala de Bencayre, quam nunc regalem appellant. Gonsaluum Martinum Calatrauæ magistrum, virum maximum & de Hispania benemeritum, leuibus de causis interfici iussit. Ipse vero cum oppida Sarant & Zibatar obsidere cœpisset, pestilentia castra passim inuadente excessit, superstite filio Petro. In ea obsidione res mira, & Scæuolæ Romani exempli æmula contigisse narratur. Siquidem Maurus quidam patriam cæde regis liberaturus, ex oppido egressus, gladio clam sub veste abdito, per inimicorum castra ad Hispaniæ regem contendit. Quem captum, vbi res detecta & gladius manifestatus, rex hominis virtutem & audaciam admiratus remisit incolumem. Qui vt domum peruenit, sui regis iram vitare non potuit, quoniam clam eo rem fuit aggressus, ideoq; statim necatus est. Regnauit Alfonsus hic annos quadraginta, cum res multas præclare gessisset. Potitus enim aduersus Mauros victoria triumphali, omnia Maurorum templa & maleficiorum domos religioni Christianæ consecrauit. Quo mortuo filius eius Petrus regno successit, qui nota crudelitatis accusatur à multis. Cuius res gestas, & quæcunq; fecerit dum regno prefuit, si quis legere cupiat, quærat ab aliis, à quibus latius scripta sunt, quandoquidem de eius vita & moribus magna circunfertur historia. Eum tandem frater eius Henricus occidit, ad quem post Petri necem plures Hispaniæ viri nobiles quibus Petrus magno timori fuerat, congratulatum conuenerunt, eumque regem salutauere. Quos Henricus iam rex appellatus humanitate ac liberalitate singulari sibi deuinxit. Qui ex Ioanna coniuge Ioannem filium progenuit, & Helionoram filiam quæ fuit Nauarræ regina. Cæterum cum regnasset Henricus annos octo, diem suum clausit vltimum, qui iacet sepultus in oppido S. Dominici Calciatensis. Cui successit Ioannes filius, qui ex Helionora Petri Aragoniæ regis filia suscepit Henricum tertium regni sui successorem, & Ferdinandum qui postea fuit rex Aragoniæ. Henricus autem etsi minus prospera corporis valetudine

fuit,animi tamen sapientia cæterisq; virtutibus satis pollens & illustris fuisse memoratur, qui Catherinam Anglam Clocestriensis Ducis filiam vxorem duxit,ex qua post Mariam & Catherinam filias,illi tandem natus est Ioannes cognomento secundus. De cuius reb. gestis & vita satis longa circumfertur historia,& nos quoque breui narratione, quæ necessaria erant,alio loco scripsimus.Hic rex Mariam patrui sui filiam in matrimonium duxit.Quæ cum ex eo filias duas quæ teneris annis è vita migrarunt, & Henricum peperisset,aliquanto post è vita discessit.Hac itaq; defuncta,Ioannes vxorem duxit Helisabellam Ioannis Portugalliæ Regis ex Ioãne filio neptem.Ex hac autem vxore secunda progenuit Alfonsum qui adolescens obiit, de cuius morte alibi scripsimus, & Hisabellam Reginam catholicam. De cuius rebus gestis cum Ferdinando simul Rege catholico magnum volumen impleuimus.Ioãnes denique cum Castellæ regno annos prope quinquaginta præfuisset, moriens Henricum filium Regem instituit, de cuius vita rebusque gestis historia legitur, & nos alio loco mentionẽ fecimus. Quo tandem sine liberis moriente, Castellæ regnum ad Hisabellam sororem eius iure deuenit, quæ nupsit Ferdinando Siciliæ Regi & Aragoniæ principi,qui paulo post in Aragoniæ regno patri successit.Qui diuina prouidentia matrimonio coniuncti, res gesserunt admirabiles & opera sanctissima, de quibus historiam magnam confecimus. Cuius breuem summam huic operi adiiciemus,vbi de Regibus Portugalliæ, Aragoniæ, & Nauarræ, res quæ nobis memoratu dignæ videntur, more nostro perstrinxerimus. Cæterum Reges Nauarræ cum Regibus Aragoniæ comprehenduntur, quoniam sub vnius Regis imperio fuerunt, & postea diuisi. Quomodo autem disiuncti fuere,scribemus alio loco.

De Regibus Portugalliæ.

PORTVGALLIÆ regnum circiter annum millesimum centesimum decimũ hoc modo cœpit. Henricus quidam Lotoringiæ Comes, vir in bello fortissimus,è Gallia veniẽs, magnas aduersus Mauros res gessit,pro quibus Alphonsus sextus Castellæ Rex permotus filiam suam notham nomine Tiresiam ei matrimonio collocauit,& Calleciæ partem quæ in regno Portugalliæ cõtinetur,nomine dotis assignauit. Ex eo postea matrimonio natus est Alphõsus,qui primus Portugalliæ Rex fuit appellatus, primus qui Vlixbonam à Mauris recepit:quorum quinque simul Regibus vno prælio superatis,quinque scutorum insigne,facti monumẽtum,posteris reliquit: tametsi decus hoc in matrem crudelitate fœdauit,quam propterea quod post viri mortem nupserat,in vincula coniecit,nec vt eã dimitteret,per legatum à Põtifice missum compelli vllo modo nec interdicto potuit. Quapropter materna in eum maledictio atq; imprecatio, causa fuit vt ab hostibus caperetur. De quo nihil vltra legimus,neque quis fuerit finis eius compertum habemus.Huic continẽter ex ordine successores vsque ad ætatem nostram fuerunt,qui sequuntur. Siquidẽ post Alphonsum Sanctius, Alphonsus secundus,Sanctius secundus cognomento Capella,Alphõsus tertius, Dionysius qui fuit è filia nepos Alphonsi decimi Regis Castellæ,à quo impetrauit ab omni vectigali immunitatem,quoniam prius Portugallię Reges Castellæ Regibus subiiciebantur, Alphonsus quartus, Petrus Fernandus, Ioannes Nothus ex ordine ac religione militari vocatus ad regnum, vir magnanimus, ciuitatem Septensem Mauris in prælio victis recepit.Fœlix prętere a pulchra prole sex filiorũ,inter quos Eduardus,Fernandus,Ioannes,Petrus,Henricus,& Eduardus alter fuere. Fernandum vitæ abstinentia pariter & religione inter beatos retulerunt, quippe qui à Mauris in prælio captus ea patientia in custodia mansit apud eos,vt molæ, ea enim viuere cogebatur, cũ famulo quoq; per se sufficiente,suas partes obiret.Ioanni filiæ duę tantum fuere,quarum altera Alphonso, altera Fernando ex fratre Eduardo filiis locatæ fuerunt. Petrus alterum Petrum Aragonum Regem progenuit, qui sine successore decessit, & Ioannem Regem item Cypri, tertium vero Iacobum, qui sanctis moribus famaq; virtutum conspicua tempore Pii secundi Pontificis Florentiæ decessit,vbi sepultus iacet. Henricus Infans in Atlantico mari primus nouas reperit insulas.Eduardus autem Rex natu maior Fernandum genuit,& Alphonsum quintum,qui post patrem regnauit,qui Zeliam,Tingem,& Alcazar Africæ ciuitates armis expugnatas Portugalliæ regno adiecit. Ex sororibus autem alteram Ioanni Castellæ Regi, & alteram Helionoram Federico tertio Imperatori collocauit. Qui post confectas nuptias in Germania, subinde Romã venerunt, vbi à Nicolao summo Pontifice magnis honoribus excepti,& imperii corona donati fuere Hinc quoq; Neapolim diuertẽtes,ab Alphõso Rege magnanimo, quẽ Helionora arctissimo cõsanguinitatis gradu contingebat,summis honorib.magnis ludis,variisq; spectaculis celebrati fuerũt.Similiter & à Venetis excepti fuere. Ex Helionora autem Maximilianus Cæsar genitus est, Im-

Maledictionis atque imprecationis vis.

perator

perator foris domiq; prçclarus, literis & omni genere virtutis excellens, & ingeniorũ fautor & cultor maximus. Ioannes Alphonso patri successit, cuius filius Alphonsus, qui Hisabellam Castellæ regum Catholicorum filiam vxorem duxerat, lapsu currentis equi infœliciter extinctus est. Quapropter Ioannes pater eius sine liberis decessit. Cui successit Emanuel ex prole regia genitus, & eidem regi Ioanni cognationis arctissimo vinculo coniunctus, qui vxorem duxit Hisabellam regum Catholicorum filiam viduatam. Quæ cum Cæsaraugustæ Michaelem filium peperisset, subinde magno dolore partus obiit mortem. Cuius item filius Michael obiit Granatæ, cum nondum annos duos compleuisset. Cæterum Catholici Principes ad retinendum Emanuelis Portugalliæ regis affinitatem, ei Mariam filiam missis legatis in matrimonium dederunt, quæ Ioannem peperit, qui nunc est Portugalliæ rex. Peperit & Ludouicum, Ferdinandum, Alphonsum qui nunc est Portugalliæ Cardinalis, Henricum, Eduardum. Peperit & Hisabellam quæ Carolo nupsit Imperatori & Hispaniæ regi, ex qua Carolo mox filius natus est nomine Philippus in oppido Pincia, quod Vallisoletum vocant, anno millesimo quingentesimo vigesimo sexto, die Martis, decimo Kalendas Iunias, cum ingenti lætitia totius Hispaniæ. Eo siquidem nato non Pinciæ solum vbi natus est, sed etiam in omnibus Hispaniæ populis, magni ludi variaque spectacula celebrata fuere. Peperit etiam filiam nomine Beatricem, quam dux Sabo-ianus duxit vxorem. Sed reuertor ad Emanuelem, qui post obitum Mariæ Helionoram duxit vxorem Philippi regis filiam, quæ filiam peperit, & post Emanuelis obitum Fráci-sco nupsit Gallorum regi. Ioannes autem rex Portugalliç Catherinã Philippi regis filiam duxit vxorem.

Hisabella dolore partus extincta.

Vallisoletum.

LVCII MARINEI SICVLI
DE REBVS HISPANIÆ
LIBER VIII.

De Regibus Aragoniæ.

RAMIRVS ex Gothica stirpe genitus, vt quidam scripserunt, primus Aragoniæ regni titulis insignitus perhibetur. De quo priusquam scribam, quædam summatim dicere mihi necessarium videtur, quæ lectoribus, vt arbitror, neque superflua, neque ingrata videbuntur. Anno itaque Christianæ salutis, vt alio loco scripsimus, septingentesimo decimo quarto, Mauris Hispaniam vastantibus, cum nonnulli Regni Castellæ nobiles ad Asturiæ & Cantabriæ montes se contulissent, Aragoniæ quoque plures equites ad Pyrenæos montes aufugerunt. Vbi vir probus nomine Ioannes in quadam spelunca coniuncta rupi quæ Penna dicebatur, ædiculam sibi velut eremum construxerat, & sancto Ioanni Baptistæ dedicauerat, ibique solus vixit, & vitam finiuit. Ad hanc autem ædiculam in montibus abditam Cæsaraugustanus eques vita probus, cui Votus erat nomen, quum venationibus operam daret, ceruumque insequeretur, deuenit, in quã sentibus & arbustis ense præcisis ingressus est, vbi corpus Eremitæ, quod insepultum apud altare iacebat, aspexit. Quo viso vehementer admiratus diu cogitabundus propius accessit, & literas in altari ferreo stilo sculptas legit in hanc sententiam: *Ego Ioannes huius ædiculæ conditor & primus habitator, velut in eremo Deo seruire cupiens, hanc ecclesiolam paruumque sacellum erexi, sanctoque Ioanni Baptistæ consecraui, in qua vixi diutius, & nũc mortuus in Domino requiesco.* Hæc itaque cum legisset Votus vir Christianissimus multis perfusus lachrymis sæpe Deo gratias agens, Eremitæ corpus humo cooperuit, & Cæsaraugustã reuersus bona sua vendidit omnia, quorum precium Christianis pauperibus erogauit. Quod cum frater eius qui Felix dicebatur, animaduertisset, idem fecit, & vterque lætantes ad ædiculam sese contulerunt, vbi continue Deo seruientes sanctissime vixerũt. Quorum sapientissimis consiliis Christiani qui ad eos propter famam sanctitatis conueniebãt, animati, anno Christianæ salutis septingentesimo trigesimo Garsiam Ximenium de genere Gothorum virum strenuum sibi ducem & capitaneum generalem contra Mauros elegerunt. Cuius res gestas perbreui narratione referemus.

Ramirus primus Aragoniæ Rex.

De Garsia Ximenio Duce primo Christianorum contra Mauros.

GARSIAS igitur Ximenius Christianorum Dux electus licet paucorum viribus (erant enim numero circiter sexcenti) Christianæ tamen religionis amore vehementer accensus, Mauros à montis Pyrenæi confinibus, & aliis locis propinquis armis expulit, & loca multa breui tempore recuperauit, qui deinde multis ad eum propter victoriæ famam conuenientibus, magnam quoque Nauarræ prouinciæ partem, fugatis Mauris, Christianis restituit. Postremo vero mortuis Voto & Felice fratribus viris admodum sanctis & solenniter consepultis, in honorem sancti Ioannis ecclesiam paruulam quam supra demonstrauimus, ampliauit: ibiq; vita functus anno Domini septingentesimo septuagesimo octauo sepelitur, filio Garsia Ennico superstite. Gerebat autem Garsias Ximenius in vexillis & armis arborem viridem, & super eam crucem rubram in croceo campo.

Garsiæ Ximenii insignia.

De Garsia Ennico Duce secundo.

GARSIAS Ennicus post mortem patris non minus Christianæ religionis cultor, quam acer & strenuus in armis, Mauros Christiani nominis hostes infestissimos persequẽs, Pompilonem primariam Nauarræ ciuitatem, multaque oppida breui spacio temporis ab hostium sæuitia liberauit, & ad Christi cultum reduxit. Sub idem tempus vir quidam res mirabiles expertus, & in armorum certaminibus fortis, cui Asnar erat nomen, cum Christianis quibusdam viris præclaris, & tuendæ Christianæ fidei percupidis, Aragonium flumen traiiciens, castella & oppida multa, Iaccamq; ciuitatem, quæ à loci situ nomen accepit, propterea quod in montium conuallibus iacet, ad Christianam fidem reuocauit. His rebus gestis, quoniam primus Aragonium flumen transierat, Aragoniæ prouinciæ Comes appellatus est. Cuius titulis insignitus diebus paucis è vita discessit. Reliquit autem filium nomine Galindum. Item deinde mortuus est Garsias Ennicus superstite filio Fortunio.

De Fortunio Garsiæ filio Duce tertio.

FORTVNIVS autem mortuo patre, Galindi Comitis Aragoniæ filiam duxit vxorem, & ratione coniugii Comitatus Aragoniæ titulos accepit, & ex vxore filium Sanctium Garsiam progenuit, quem successorem & hęredem sibi reliquit moriens, anno octingentesimo decimo quinto.

De Sanctio Garsia Duce quarto.

SANCTIVS Garsias Fortunio patri defuncto succedens, exercitu comparato Mauros acriter inuadit, quos à Suprarbrii & Ribagorciæ (sic enim loca quædam vocantur Hispane) regionibus depulit, & sibi totam fere Nauarrę prouinciam subiecit. Vbi cum Mauris prælium committens hostium multitudine circunuentus, alioquin fortissimè pugnãs, occiditur. Quo mortuo sine prole, Mauri Nauarram rursus occuparunt, eamque tenuerunt vsque ad Caroli Magni Imperatoris aduentum, qui fuit anno à Christi natali nongentesimo. Nam Carolus Imperator cum duodecim Ducibus, quos Pares appellant, in Hispaniam per montes Pyrenæos ingressus, aduersus Mauros bella gessit asperrima, quos à Nauarra & Aragonia fere tota profligauit. Quibus rebus gestis Carolus Hispaniã quasi tutam relinquens, in Galliam reuersus est, & Aragones Ennicum, cui Arista cognomen erat, ex Gothica gente, vel (vt alii volunt) ex Comitatu Bigorræ, sibi ducem delegerunt.

De Ennico cognomento Arista Duce quinto.

ANNO igitur nongentesimo duodecimo, Carolo in Galliam reuerso, Ennicus Arista Dux electus, vir & manu promptus, & in armorũ certaminibus ardẽs (vnde cognomen accepit, quippe qui non aliter visis hostib. ardebat, quam in igne vritur arista) ex mõtibus Pyrenęis cum exercitu descendẽs Maurorũ magnas copias deleuit, & victor in Nauarram peruenit, vbi princeps à Nauarris & Aragonibus eligitur, propositis tamen nonnullis conditionibus, vt in eos æquis legibus vteretur, à quibus etiam iudex qui medius inter eos esset, petebatur, & Aragoniæ Iustitia vocaretur. His concessis conditionibus, cogitãs quibus signis & armis vteretur, ei diuinitus reuelatum est, vt vbi in aere crucem videret, illic consisteret. Quod vbique diligenter obseruans, cum esset in planicie quadam quæ iacet inter Suprarbros & Pyrenæos, in aere crucem candidam suspexit, cuius figura signoque in vexillis & signibus vti perseuerauit. Tandem moriens Garsiam Ennicum filium reliquit.

Aragoniæ Iustitia.

De Gar-

De Garsia Ennico Duce sexto.

ENNICO Arista vita defuncto successit Garsias Ennicus, vir non minus armis strenuus, quam vita & moribus integer, qui vxorem duxit Vrracã fœminam virtutibus & genere nobilissimam. Cum qua grauida & partui iam vicina per Nauarræ montes & aspera loca parum cautus exercitum ducens, hostibus occurrit, & commisso prælio quod vitare non potuit, occisus est, & cum eo simul vxor in vtero lancea grauiter vulnerata inter fugiendum quasi mortua concidit, in valle montis cuiusdam qui dicitur Aiuar. Ad quem locum, Mauris abeũtibus & iam longe digressis, homo quidam nobilis cui Guiuara cognomen erat, peruenit, & Vrracam cognoscens quæ tunc egerat animam, dum eam perfusis lachrymis intueretur, infans manum per vulnus extulit. Proh quantum natura potest! conabatur enim infantulus ex vtero matris morientis exire. Quod cum animaduertisset Guiuara, statim cæso ventre mulieris eduxit infantem, & pannis inuolutum domũ suam propere detulit, quem patrinis & testibus adhibitis, vt probare posset in posterum, baptismatis lauacro more Christianæ religionis Sanctium Garcesium nominauit, & vxori suæ tradidit, vt clam & diligenter aleret. Qui iam puer factus & adultus, ne forte cognosceretur, alumni prudentia crassioribus pannis indutus, etiam peronibus pro calceis vtebatur, quod calciamenti genus ex corio crudo auarcas Hispani vocant. Cæterum post aliquot annos cum Aragones ad eligendum principem Iaccam conuenissent, illuc adolescens annos natus circiter quindecim, cum equite qui eum clam nutriuerat, veluti pastoris filius vilissimis tectus indumentis, & peronatus adducitur. Qui probationibus & argumentis euidentibus admissis, recognitus est, & princeps electus, & a peronibus, quos, vt supra diximus, Hispani auarcas appellant, Auarca cognomen accepit. Eques autem à quo clam fuerat educatus, Latro cognominatus est, quod nomen & hominum genus in Hispania nostris quoq; temporibus extat non ignobile.

De Sanctio Garcesio cognomento Auarca, Duce septimo.

CÆTERVM Sanctius Garcesius Auarca, titulo principatus accepto, vxorem duxit pręstantissimam nomine Todam, ex qua filium suscepit Garsiam Sanctium, qui etiam Tremulus dicebatur, de quo dicemus inferius. Progenuit præterea filias quatuor: Vrracam quæ nupsit Alphonso regi Legionis, Sanctiam quæ Ramiro Castellæ, Mariam quæ Ordonio Legionis, Blasquitam quæ Nugno Comiti Cantabriæ. Res autem gessit armatus admirabiles, siquidem Mauris victis ac depulsis à Cantabris, & Pyrenæorum montium finibus ad Naiaram vsque peruenit. Permultis itaque rebus præclare sancteque gestis, moriens filium Garsiam Sanctium reliquit hæredem. Vixit autem annis sex & quinquaginta. Cuius corpus iacet in ecclesia sancti Ioannis à Pegna cognominata.

De Garsia Sanctio Duce octauo, qui Tremulus cognominatus est.

GARSIAS autem Sanctius Tremulus cognomen habuit, propterea quod cum bella futura sentiebat, tremore quodam afficiebatur, tametsi in prælio fortis erat & intrepidus. Ille siquidem tremor, & prudentiæ signum erat, & fortitudinis. Ideoque cum esset & fortis & cautus, hostes sæpius debellauit. Annos enim octo & viginti (tot namque tenuit principatum) magnam sibi deuictis Mauris gloriam comparauit, qui nunc iacet sepultus in ecclesia prædicta. Cui successit filius nomine Sanctius Maior, Hispaniæ totius Imperator.

De Sanctio cognomento Maiore, qui fuit totius Hispaniæ Imperator.

HIc Sanctius Maior non immerito fuit Imperator Hispaniæ totius appellatus. Nam totam fere deuictis hostibus Hispaniam Christiano nomini restituit. Siquidem Mauros omnes à Nauarræ, Aragoniæ, Castellæ, Legionis, Portugalliæ, Cantabriæ, & Vasconũ finibus exterminauit. Fuit præterea non minus iustitia clarus, quam bello fortis. Vxorem duxit Eluiram fœminam nobilissimam, cuius erat castrum Aiuaris. Ex qua filium progenuit nomine Ramirum, qui (vt ante diximus, & paulo post clarius declarabimus) fuit rex Aragoniæ primus. Cæterum Eluira defuncta Sanctius aliam duxit vxorem, Castellæ Comitis filiam, quæ Maior dicebatur, de qua tres illi filii nati fuere, Garsias, Ferdinandus, & Sanctius. E quibus Garsias maior natu matrem apud Imperatorem adulterii crimine falso detulit, propterea quod cum illi mater ex Imperatoris monitu & equorũ præfecti consilio equum quendam Imperatori charissimum accommodare noluisset, vt est hominum improbitas, confinxit iniquus filius insontem matrem cum eo qui equorum curam gerebat, se coniunxisse. Nec destitit iræ facibus accensus, ob equi sibi vsum denegatum, matrem suam in summum discrimen adducere. Nam cum hoc Imperator audisset, vehe-

menter dolens vxorem statim captam diligenter custodiri iussit, & omnium nobilium atque doctorum conuocato concilio, in eam statuit, vt igni cremaretur, nisi quis eam aduersus accusatores filios vel armis vel legibus defenderet. Cæterum cum neque legibus quisquam, neq; armorum certamine contendere contra filios Imperatoris auderet, solus tandem Ramirus Imperatricis priuignus vltro duellum fratribus obtulit. Verum enimuero dum parantur arma, dum causæ disputantur, vir quidam Christi sacerdos & moribus admodum sanctus, Garsiam & fratres eius Imperatoris filios adiuit, eosq; sanctissime commonuit, vt summum periculum quod eis imminebat, euitarent. Siquidem neq; fœliciter, neq; diutius filios victuros esse dicebat, qui matris innocentiam tanta immanitate perdere summoque dedecore nomen Imperatricis deformare studuissent: qui præterea patri, pro cuius vita sanguinem profundere debebant, tantum doloris attulissent: qui demum totius Hispaniæ principatum qui vix nuper expulsis hostibus quieuerat, rursus perturbassent. His rationibus, & multis exemplis filiorum qui parentibus inobedientes ante diem miserandam vitam finiuerant, adductis, eos adeo commouit, vt confestim se falso matrem criminis accusasse dixerint, nec ob aliam causam, nisi quod eis mater equum denegauerat. Pœnitentia igitur ducti tanti sceleris, errorem deflentes, ad Imperatorem venerunt veniam deprecantes: quibus Imperator ignoscere noluit, nisi prius à matre remissionem impetrarent, atq; si mater suum ius exequi vellet, sese idem supplicium de filiis sumpturũ esse respondit, quod vxori iubente lege statuerat. Mater autẽ cum multorum nobilium virorũ supplicationibus, tum vero precibus illius religiosi qui principes monuerat, & ad pœnitentiam adduxerat, & amore materno iam cõmota, suis filiis pene matricidis hac conditione veniam & vitam concessit, vt ei Ramirus priuignus cuius admirabilem virtutem perspexerat, in Aragoniæ regno succederet. Quem præterea cunctis assentientibus, & etiam filiis, cum sæpe benedixisset, sibi filium & hæredẽ legitimum adoptauit. Tum demum omnium consensu ab Imperatore cum vxore statutum est, vt Garsias in Nauarræ, Ferdinandus Castellæ, Sanctius quem nonnulli Gonsalum nominarunt, in Vasconiæ, & Ramirus in Aragoniæ regno succederet. His rebus ita gestis & institutis, Imperator paucis annis à vita discessit, anno millesimo decimo octauo, qui fuit Hispaniæ fere totius Imperator annos quinquaginta quatuor, cuius corpus sepultum iacet apud Astures in ecclesia sancti Saluatoris Ouetanæ ciuitatis. Imperatrix item paulo post diem suum clausit, & in ecclesia sancti Ioannis à Pegna eius extat sepulchrum.

De Ramiro Aragoniæ Rege primo.

HISPANIÆ regnorum partitionem supra domonstrauimus, quemadmodum scilicet Garsiæ Nauarra, Ferdinando Castella, Sanctio Vasconia quam Suprarbrum alii vocant, & Ramiro Aragonia contigit, à quibus ad hoc vsque tempus cuiusq; prouinciæ reges ordine descendunt. Cæterum nunc Castellæ & aliarum Hispaniæ prouinciarum successiones quas alio loco scripsimus, relinquentes, Aragonũ duntaxat regum seriem prosequemur. Ramirus igitur mortuo patre, regis Aragoniæ nomen quod eo viuente recusauerat, accepit, vxoremq; duxit Hermissandam, quæ alio nomine Gilbiga dicebatur, Armeniacis & Bigorræ Comitis filiam. De qua filios duos habuit, Sanctium & Gonsaluum. Habuit & filias totidem, quarum altera nomine Tiresia nupsit Comiti Prouinciæ, altera cui Sanctia nomen erat, Comiti Tolosano. Cæterum Ramiri tempore Sanctius frater eius Suprarbrorum rex occisus est à quodam Vascone nomine Tomanerio: quo mortuo sine liberis, omnis populi Suprarbrorum principatus Ramiro regi sese dederunt, qui bellorum inter fratres causa fuerunt, in quibus Ramirus à Ferdinando Sanctii sui fratris filio qui mortuo patre in Castellæ regno successerat, occisus est. Qui reliquit hæredem filium Sanctium. Nam Gonsaluus alius eius filius minor natu Iaccensis erat Episcopus. Reliquit præterea filium spurium nomine Sanctium, cui Aiuarium & alia oppida cum suis confinibus, & Comitis titulum dederat. Vixit autem rex Ramirus post assumptum Aragoniæ regnum annos quadraginta sex, obiit anno millesimo sexagesimo tertio, qui iacet cum vxore sua in ecclesia prædicta sancti Ioannis.

De Sanctio Aragoniæ Rege secundo.

SVCCESSIT autem Ramiro mortuo Sanctius filius admodum adolescens (erat enim annorum octodecim) qui Fœliciam duxit vxorem, ex qua tres filios progenuit, Petrũ, Alphonsum, & Ramirum, qui fuit à patre religioni sancti Petri quæ Tomaris cognominatur, destinatus. Sanctius autem regno suscepto, multis magnisque corporis & animi virtutibus feruens, armis accinctus aduersus Mauros magna prælia gessit. De quibus

multas consequutus victorias, oppida multa recuperauit, multaque condidit, Stellam scilicet, Lunam, Ayeruem, & alia permulta. Fugatis etiam Mauritanis hostibus ex Almeria, sancti Indaletii corpus ad ecclesiam sancti Ioannis à Pegna transtulit. Qui sanctus Indaletius diui Iacobi discipulus fuerat, & vnus de primis quos in Hispania sanctus Iacobus ad Christi cultum & fidem cōuerterat : fuerat etiam Episcopus dictæ ciuitatis Almeriæ. Mauros præterea cum aliis in locis, tum vero apud Cæsaraugustam & Tutelam magnis affecit cladibus. Profligauit in prælio etiam semel Rhodoricum Viuarium Cidum, qui Cid Ruidiez vulgo dicebatur, virum alioqui sui temporis fortissimum omnium ducum. Quem rex Sanctius acriter armis persequebatur, propterea quod cum Ferdinando Castellæ rege contra Ramirum patrem suum bellum gesserat, quo bello Ramirus occubuit. Cuius demum virtus admirabilis apparuit, cum Alphonso fratri patrueli Castellæ regi, cuius antea patrem Ferdinandum prælio vicerat, obsesso Toleti à Mauris, ob amorem quem maximum erga fidem Christianam habebat, iniuriā de morte patris oblitus, subuenire non distulit. Deinde bellū quoque gessit cum Garsia patruo rege Nauarræ, quem vicit & occidit, & à Nauarræ totius populis rex appellatus est, iuratusque Oscam ciuitatem quam Mauri tributum quotannis pendentes possidebant, obsidione cinxit. In cuius oppugnatione sagitta percussus, paucis diebus occidit. Obiit anno sui principatus quadragesimo quinto. cuius corpus primum iacuit in ecclesia Castrimontis Aragonum, & deinde in monasterium sancti Ioannis à Pegna translatum fuit. *Sanctij obitus.*

De Petro Sanctii filio, Aragoniæ Rege tertio.

PETRVS Sanctii filius patre adhuc viuente Ribagortiæ & Montisoniæ regis nomen acceperat, mortuo vero patre rex Aragonum confestim fuit appellatus, qui post mortē patris ducibus cum exercitu præmissis, Oscam ciuitatem proficiscitur, & prope ciuitatis muros castra posuit. Ad quem venit ex montibus Pyrenæis Fortunius Lizana, qui fuerat à Sanctio rege foris hostis iudicatus, mortique destinatus. Hic Fortunius Petri regis gratiam demereri cupiens, quem sciebat bellum Mauris Oscitanis illaturum, secum trecentos pedites Vasconiæ gentis clauis ferreis armatos adduxit. A quibus acerrime pugnantibus Mauri armorum nouitate, & virorum aspectu deterriti, victi statim ceciderunt. Quorum multis interfectis, Petrus rex victor ciuitatem ingressus, Fortunium Vasconum Ducem à clauis quibus armatos Vascones adduxerat, quæ vulgo mazæ dicūtur, à Maza cognominauit. nam antea, vt supra dictum est, Fortunius Lizana dicebatur. Quidam vero scripserunt hoc prælium acre diuque anceps fuisse, & victoria in neutram partem declinante, magnum quendam ac mirabilem equitem apparuisse repente, protectum candidis armis, & in medio pectore flammeam crucem gerentem. Quo viso strenueque pro Christianis pugnante, Mauri victi terga verterunt. Quorum multis occisis, & reliquis fugientibus, dum Christiani prædas & spolia colligunt, Maurorum quatuor abscissa capita, multis & preciosis ornata gemmis & præcipuis armis inuenerūt exculta. Quapropter victor Petrus Christianorum rex, Mauros illos aut primarios viros, aut reges fuisse ratus, insignibus & armis suis adiunxit rubram & flammeam crucem in albo clypeo cum Maurorum capitibus quatuor, & in memoriam visi equitis, & in signum victoriæ suæ. Cæterum Osca ciuitate à Christianis capta, Maurorum rex Almozaben ex Cæsaraugusta cum maximis copiis veniens, in loco Oscæ ciuitatis propinquo qui Alcarraz vulgo dicitur, castra posuit. Quod rex Petrus prospiciens, suas copias in aciem adduxit, & instructis ordinibus, Mauris, si confligere vellent, signum dedit. Mauri autem nihil signo responderunt, & paulo post Christianis ad eos accedentibus, relictis castris, se fugæ mandarunt. Ex quibus fugientibus Christiani multos occiderunt, multosq; captos adduxere. Captus etiam fuit Garsias frater regis Castellæ, cum multis aliis Christianis qui contra regem Petrum Mauris auxilio venerant: quorum multis interfectis, Garsiam seruauit incolumem, & captum secum perduxit. Habuit autem Petrus vxorem Agnetem, quæ Petrum peperit vnicum filium, & alteram filiam nomine Hisabellam, quæ simul cum fratre teneris annis, & ante patris mortem vitam finiuit. Nam Petrus rex post obitum liberorum vixit annos octo, qui discessit à vita tertio Kal. Octobris anno Domini millesimo centesimo octauo, & ætatis suæ trigesimo quinto. Hic rex impetrauit ab Vrbano secundo Romano summo Pontifice primitias, decimas, & omnia beneficia Iuris patronatus, quæ quidē sacerdotia gentilitia Latine vocantur, omnium ecclesiarum & ciuitatum à quibus infideles hostes eiecerat, vt ipse ac sui successores in perpetuum sacerdotia, quibus vellent, conferre possent, exceptis episcopatibus. Pro quibus beneficiis Vrbanus Pontifex illi sequentem bullam concessit.

Bulla Vrbani Pontificis.

VRBANVS Episcopus seruus seruorum Dei, Petro charissimo in Christo filio, Hispaniarum regi excellentissimo, eiusque successoribus rite substituendis in perpetuum. Tuæ dilectissime fili deuotionis affectu per venerabilem fratrem nostrum Aymericum Pinatensis monasterii abbatem acceptis literis circa sacrosanctam Romanam ecclesiam agnito, lætitia haud modica meus exhilaratus est animus, sed vt verum fatear, eisdem perlectis iræ pertubationisq; nimiæ commotione inuitatus, nec immerito. Ex earum namq; initio dilectionis & reuerentiæ quam erga sanctam Romanam ecclesiam semper habuisti & habes, magnitudinem cognoui, quantumq; in ea confidas, quam deuote & fideliter animæ tuæ saluationem eius orationibus committas, aduerti: Ex fine vero earundem tantam rerum conieci abusionem, quæ menti meæ longe à statu suo dimotæ maiorem quam credi possit, immitteret stuporem, te scilicet pro bonorum numerositate, malorum multiplicitatem perferre, & perturbata prosperitate tribulationum in innocentiam tuam cateruas, vnde auxilia & consilia præcipue procedere deberent, irruere: Siquidem cum inter modernos regnorum rectores, quorum plærosq; animarum suarum negligentes, vel penitus oblitos, vtpote ab omni æquitatis itinere deuios plana via ad mortem inducentis si qui ingemiscimus, te fere solum diuino afflatum spiritu angustias ad vitam ducentis elegisse videamus, cum iustitiæ rigore constanter insistere ecclesiarum tranquillitati, & paci studiose inuigilare, pupillorum & orphanorum defensioni ingentem operam dare, paganæ gētis depressioni & coarctationi, Christianæ vero exaltationi & amplificationi cum summa incessanter strenuitate insudare, & (vt breuiter concludam) cum totius mali propulsioni, totiusque boni exercitiis efficaciter incumbere gaudeamus: ipsi tamen qui ex tam preciosorum fructuum gustu vicinam agnoscentes arborem, officiosius venerari ac excolere deberēt, tui scilicet regni antistites, quibus pro assidua experientia tantorū meritorum tuæ specialius venerationi, tuisq; obsequiis esset insistendum, in te, vt prætaxatarum literarum pandet series, insurgunt, & quia humili Christo conformatum patientiæ clypeum velle abiicere videntur, tanquam erectis contra te calcaneis tuam deprimere & contundere mansuetudinem non erubescunt. Veruntamen, &c.

De Alphonso qui Petro fratri successit, Aragoniæ Rege quarto.

QVONIAM Petrus, vt supra demonstrauimus, nullos reliquit filios, ei successit frater eius Alphonsus, cui nupsit Vrraca Alphonsi Castellæ regis filia, cuius nuptiis & coniugio Castellæ quoque regnum tenuit, & principatibus regnisque coniunctis Imperatoris nomen accepit. Qui copiis auctis & magnis exercitibus comparatis, Mauros à Cæsaraugusta, à Tutela, à Daroca, à Bilbili quam nunc Calataiud Hispani vocant, à Tiriassona, à Boria, & multis aliis oppidis & ciuitatibus eiecit. Ædificauit etiam plura, & imprimis Burgum Pompilonis, Soriam quam deuictis Numantinis Scipio deleuerat, nomenque mutauit. nam prius Numantia dicebatur. Condidit & Almazanum, Berlangam, & Bilforatū. Erat enim rex magnanimus & bellicosus: tametsi fuit in rebus diuinis & cultu Christianæ religionis negligentior, vtpote qui sæpius equos in sacris locis & ecclesiis velut in stabulis habebat. Ideoq; quum Fragam oppugnaret, vt multorum fertur opinio, Dei iudicio repente concidit, vbi, sicut asserunt quidam, neque mortuus, neque viuus apparuit: tametsi non desunt, qui dicant eum repertum, & in monasterio Montis Aragonum sepultum fuisse. Qui tunc Castellæ regnum Comiti Tolosano suo priuigno restituerat. Vrraca siquidem Tolosæ Comiti antea nupserat, de quo filium habebat, cum Alphonso regi se coniunxit. Periit autem sine liberis anno millesimo centesimo vigesimo sexto.

De Ramiro monacho Aragoniæ Rege quinto.

OMNES Aragoniæ Nauarræque nobiles, Petro rege sine liberis & propriis hæredibus mortuo, de creando rege conuocato concilio, singuli sententias dicere cœperunt, & cum alii alia, prout erat animi cuiusque desiderium, protulissent, in hanc demum sententiam venerunt, vt Petrum quendam cui Ateres cognomen erat, dominum Boriæ ciuitatis, regem haberent, ad quem magis Aragoniæ regnum spectare videbatur. Ad hunc autē legati missi nomine totius tam Nauarræ quam Aragoniæ regni cum venissent, eius mores & arrogantiam admirati, qui venientibus legatis quibus obuiam exire de more debuisset, domus ianuas clauserat, magis indignantes ad concilium reuersi, verba hæc dixerunt: Non expedit nobis proceres eum habere regem, qui cum rex non esset, inflatus ambitione nos temere contempsit, & qui non modo nobis obuius non occurrit, sed ne nos admisit quidem, propterea quod esset magnis occupatus negociis, vt ianitores eius aiebant, qui nos ædes iam ingressos, ac si hostes essemus, immanissime repulerunt. Quidātamen di-

men dicunt eum legatis accedentibus non negociis occupatum, ſed cum tonſore fuiſſe. Hac igitur iniuria proceres & illius ſuperbia commoti, Ramirum regis Petri fratrem regem deligere ſtatuerunt, qui iam diu in Gallia religioni ſancti Benedicti ſeruiebat in monaſterio quod dicitur ſancti Pontii de Tomeriis. Impetrata igitur à ſummo Pontifice facultate, Ramiro quem ex Gallia nuper adduxerant, Aragoniæ regnum detulerunt. Qui vbi regni curam ſuſcepit, Pompilonem profectus, à Garſia Ramiro regnũ Nauarræ quod iniuſte poſſidebat, repetiuit. Nec illo reſtituente, contra Nauarros, Aragones bello contendere cœperunt. Erat autem Garſias Ramirus filius Garſiæ regis Nauarræ, quem Ferdinandus rex Caſtellæ frater eius occiderat. Qui poſt necem patris, metuens ne & ipſe occideretur à patruo Ferdinando, Valentiam ſe receperat, vbi tutius eſſe poſſet. Quem Nauarræ nobiles hinc per legatos accitum regem elegerunt, propterea quod Aragones ſine Nauarrorum conſilio & autoritate ſibi Ramirum monachum delegerant. Cæterum bellis acrius accenſis inter Nauarros & Aragones, cum Mauris belligerandi contra Chriſtianos optata daretur occaſio, Nauarræ nobiles & Aragoniæ, quo malis maioribus occurrerent, egerunt cum vtroq; rege, vt eorum controuerſia totaq; cauſa regni Nauarræ ſex optimis viris & prudentiſſimis committeretur. Fuerunt itaq; iudices electi ex Aragonibus, Petrus Caxalis, Ferrerius Hoſcetanus, & Petrus Ateres: pro Nauarris vero quidam nomine Latronius, Guillermus Aſnar Oretanus, & Ximenius Aſnar cognomento Cortes, vel (vt alii dicunt) Torres. Qui ſimul rem & cauſam tanti ponderis diu penſitantes, huiuſmodi tandem ſententiam protulerunt: vt Ramirus rex Aragonum Nauarræ populis omnib. imperaret, & Garſias magiſter equitũ diceretur, & ius in nobiles haberet. Cui Ramirus eorundẽ ſex virorum precibus adductus, quorundam oppidorũ vſum dominiumque conceſſit: quæ tamen oppida poſt Garſiæ mortem Ramiro regi vel eius ſucceſſoribus reſtituerentur. Quæ vero fuerint ea oppida, poſtea declarabimus. Erat autem Ramirus moribus & vita ſanctiſſimus. Qui poſteaquam religionem fuerat ingreſſus, ſibi plures epiſcopatus & ampliſſimas dignitates oblatas recuſauerat. Neq; regni quidẽ curam ſponte ſuſcepit, ſed efflagitantibus populis, & hortatione ſummi Pontificis, ne ſi ipſe regnum negligeret, ſuper eius poſſeſſionem noua & inteſtina bella conſurgerent. Quapropter Ramirus & regnum ſuſcepit, & Comitis Peitei filiam duxit vxorem, ex qua filiam progenuit nomine Petronillam, quam Raimundo Berengario Barcinonenſi Comiti matrimonio coniunxit, & Aragoniæ regnum dotauit. Cuius rei hoc extat inſtrumentum, de quo nihil mutans ad verbum ponere ſatius duxi.

EGo Ramirus Sanctii regis filius, rex Aragonenſium, dono tibi Raimũdo Comiti Barcinonenſi cum filia mea meum regnum Aragonis ab integro totũ, ſicut diuiſit ipſum Sanctius rex maior, auus patris mei, & ſicut diuiſi ego cum rege Nauarrorum Garſia Ramirez in Pampilona. Excepto illas tenencias, quas dedit Sanctius ſupradictus regi Ramiro auo meo in Nauarra. Ex parte de Caſtella, dono tibi de Hariza vſq; Ferrera, de Ferrera vſque Tarrazona, de Tarrazona vſq; Tutelam villas & caſtella. Tutelam vero acquiſiuit & cepit frater meus rex Alphonſus, & dedit eam Comiti de Perges: pro honore ipſe autẽ dedit eam Garſiæ Ramirez cum filia ſua. De hoc ſicut melius poteris facere, facias, vel cum eo conuenias. Cæſarauguſtam vero dedi Imperatori de Caſtella cum ſuis appendiciis in vita ſua tantum, & fecit mihi homenage de ea vt reddatur mihi vel ſucceſſori meo poſt obitũ ſuum. Quicquid enim mihi debebat facere, volo & mando vt tibi faciat. Hec ex parte de Caſtella. Ex parte vero de Nauarra dono tibi de ſancta Gratia de Portu, quam pater meus Sanctius bonæ memoriæ dedit ſancto Saluatori ſuo monaſterio, vſque Brozal, cum toto Ronchali, qui eſt honor de Roſca de Brozal, ſicut vadit aqua de Saraſazo, & cadit in Ida, inde vero ad pontẽ ſancti Martini. Et de ponte ſancti Martini ſicut currit Ida, & diuidit Nauarram & Aragoniam vſque cadit in fluuium Aragonis, & inde per medium pontem ad vadum longum. Et de vado longo ad Gallipienzo, ſicut currit aqua. De Gallipienzo autem, ſicut currit fluuius Aragonis, & iungit ſe cum Arga, & cadit in Ibero flumine magno. Inde vero ſicut currit Iber vſque iam dictam Tutelam. De Ronchali namq; & Alaſues, & Quadreyta & Valterra, ſic dico tibi, quia dedi eas regi Nauarrorum Garſiæ Ramirez tantum in vita ſua, & fecit mihi homenage quod poſt obitum ſuum reddatur mihi vel ſucceſſori meo. Quicquid enim mihi debebat facere, volo & mando, vt tibi faciat. Hoc dono tibi & concedo filiis filiorum tuorum, qui fuerint de generatione de mea filia in ſæcula ſæculorum. Tu vero conuenis mihi in verbo veritatis, & mittis manus tuas inter manus meas, vt non alienes, neque facias alienare regnum iſtud, quod ego dono tibi à generatione filiorum filiæ noſtræ. Nec poſt obitum regis Garſiæ Ramirez dimittas filio ſuo Ronchal, & Alaſues, & Quadreyta, & Valterra. Et

Inſtrumentum matrimoniale.

vt in tota vita mea teneas me sicut patrem & dominum. Tamen retineo mihi regale dominium super omnes ecclesias regni mei. Super monasterium scilicet sancti Saluatoris Ligerensis, cui dono illam meam medietatem de illo oliuare de Arascuas, propter ensem quem ibi acceperam qui fuit de Lopis Ioan. Et super monasterium sancti Ioannis de Pinna. Et super monasterium sancti Victoriani. Et super omnes ecclesias parochiales & proprie proprium super sanctum Petrum de Ceresa cum suis appendiciis seu pertinentiis, & Pertusa, & sancti Vrbiz, & sancta Cæcilia. Licet regnum tibi tradam, tamen dignitatem meam non amitto, & cæt.

Ramiri Virtutes.

Cæterum cum esset Ramirus, vt supra diximus, vita sanctus & religioni maxime deditus, continue sancti Benedicti ordinis habitum sub tunicis gerebat, ecclesias frequentabat, monasteria & sanctorum ædes multas ædificabat. Quam ob rem à cunctis fere nobilibus tanquam non idoneus ad regni gubernationem negligebatur. Quod cum animaduertisset, & diutius ferre non posset, virum quendam cui plurimum confidebat, ad abbatem sancti Pontii de Tomeriis clam misit, vt illius abbatis consilio qui satis prudens & sanctus erat, Aragoniæ regni nobilibus, à quibus contemnebatur, timori esse posset. Abbas autem regis perlectis literis, eius nuncium in hortum qui aderat, adduxit, & cum eo simul ingressus gladiolum gerens, Tarquinii regis imitatus exemplum, altiores hortuli flores & herbarum caules gladio decutiebat, & minoribus adæquabat. Hoc cum fecisset, nunciũ dimisit. Qui ad regem reuersus, ea quæ fecerat abbas in horto, retulit. Rex autem callidũ prudentis abbatis consilium intelligens, in Oscam ciuitatem se contulit, hic tintinnabulum magnum se facturum diuulgauit, quod ex omnibus totius regni sui locis audiretur. Ad quam rem faciendam omnes Aragoniæ proceres conuocauit, qui regis ineptias & deliramenta deridentes, & tam magni tintinnabuli formam videndi percupidi, libentissime conuenerunt. Quos rex in partem domus interiorem ab hominum frequentia semotam singulos admittens, quasi deprehensos confestim iugulauit, ac occisos patres filiis accitis ostendit, quibus idem se prorsus facturum dixit, si mores parentũ suorum qui suo regi minus obsecuti fuerant, imitarentur. Necauit autem viros ex potentioribus numero quindecim, quorum nomina sunt hæc quæ sequuntur: Lupum Ferrerium Lunam, Petrum Bergam, Rhodoricum Ximenium Lunam, Egidium Atrosilum, Petrum Corneliũ, Ferdinandum Gometium Lunam, Garsiam Bidauram, Gonsalum Pegnam, Raimundũ Fozium, Petrum Martinum Lunam, Petrum Luæsiam, Michaelem Dassorem, Sanctium Fontanam, & Ferritium Lizanam. Hac re gesta tintinnabulum non modo per totum Aragoniæ regnum, sed etiam per vniuersum orbem terrarum fuit auditum. Ex quo tempore Ramirus rex omnibus Aragoniæ nobilibus fuit maximo timori, regnumq; tranquillissime gubernauit vsque ad diem vitæ suæ vltimum, & in Osca ciuitate magnam ædificauit ecclesiam, quæ sancti Petri veteris dicitur, vbi monachos S. Benedicti ordinis cum reditibus instituit: in qua nunc ecclesia sepultus iacet. Qui migrauit à vita anno millesimo centesimo trigesimo octauo: regnauit autem annos decem & nouem. Quem dicunt quidam tempore quo fuit à religione reuocatus ad Aragoniæ regnum, sacris ordinibus initiatum, sed non ad rem diuinam celebrandam promotum fuisse: alii vero aliter asserunt, propterea quod sacerdotia & ecclesiæ reditus habebat, & multarum dignitatum titulos, quibus, qui sacerdotẽ fuisse negant, dispensatione summi Pontificis vsum fuisse volunt, & dignitates per suos vicarios & onera sustinuisse. Vbi vero regnum Petronillæ filiæ generoque Raimundo Barcinonæ Comiti renunciauit, in ecclesia quam supra diximus, continue permansit.

LVCII MARINEI SICVLI
DE REBVS HISPANIÆ
LIBER IX.

De Barcinonæ Comitibus, & eorum origine.



RAIMVNDVS Berengarius, Comes Barcinonensis, quemadmodum supra scripsimus, ratione matrimonii, propterea quod Petronillam Ramiri regis Aragonum filiam duxit vxorẽ, Ramiro regi suo socero in Aragoniæ regno successit: verumtamen non regis ipse, sed Principis Aragonię nomen assumpsit. Sic enim Ramirus eius socer instituerat, vt Raimundus ipse Berengarius Aragoniæ

ragoniæ Princeps,& Barcinonæ Comes appellaretur: ſucceſſores vero, reges Aragonum, & Barcinonæ Comites dicerentur. Cuius inſtitutum ſemper fuit obſeruatum, & noſtris quoque temporibus rex Ferdinandus Catholicus princeps, & eius nepos Carolus Imperator & legitimus ſucceſſor, qui proauos imitatur, in ſuis omnibus priuilegiis & diplomatibus diligenter obſeruant. Atqui me locus hic monet, & ordo rerum poſtulat, vt qui Raimundus hic Berengarius, de quo loquor, & qua ratione Barcinonæ Comes fuerit, exponam. Quæ quidem res etſi mihi longius repetenda eſt, eam tamẽ multo paucioribus verbis ac dilucidius oſtendam, quam fuerit à multis aliis enarrata. Anno Chriſtianæ ſalutis ſeptingenteſimo decimo quarto Mauris Hiſpaniam miſere vaſtantibus, homo quidam natione Germanicus, genere nobilis, & animo fortis, cui nomen erat Otogerius Golantes, quem Pipinus Galliæ rex Guianæ prouinciæ ſuæ præfecerat, vbi à caſtro nomine Cathalo quod frequentare ſolebat, cognomen accepit, nouem viros Germanicæ gentis ad ſe vocat ſanguine claros & virtute probatos, quibus erant nomina hæc: Napifer Moncata, Guillermus Ceruera, Calcerandus Pinus, Guillermus Raimundus Ceruello, Hugo Mataplana, Petrus Alemanus, Raimundus Angleſola, Giſpertus Ribelles, Berengarius Rogerius Ærillus. Qui cum audiſſent Hiſpaniam Mauris crudeliter oppreſſam, & Chriſtianum nomen iam deficere cœpiſſe, Chriſtianæ religionis amore flagrantes, & laudis auidi, conuocatis aliis equitibus, cum exercitu paruo, ſed tamen forti, celeriter in Hiſpaniam venerunt. Ad quos per ſaltus Pyrenæos venientes Chriſtiani omnes qui ſupererant & in fide permanſerant, ſtatim ſeſe contulerunt. His ad ſocietatem admiſſis Otogerius Dux electus ab omnibus, exercitibus inſtructis contra Mauros proficiſcens, breui tempore magnam Tarraconenſis prouinciæ partem pulſis & occiſis hoſtibus adeptus eſt, & captis multis oppidis, Ampuriarum ciuitatem quam Mauri poſſidebant, obſidione premens, aduerſa valetudine correptus è vita diſceſſit: qui tamen cum primum morbo decubuit, conuocatis nouem commilitonibus, quos ſecum duxerat, inſtituit vt ſibi Napifer Montecatinus, vnus ex nouem quos ante nominauimus, in ducis locum ſuccederet. Quod cunctis aſſentientibus factum eſt. Cæterum Napifer Otogerio mortuo, de Maurorum aduentu qui copias innumerabiles ducebant, cõmonitus, ex Ampuriarum obſidione diſcedens, cum ſuis copiis exiguis ad Ceritaniæ loca tuta & Pyrenæos montes ſe recepit, vbi pueros, vxores, & impedimenta reliquerat. Hic pro temporis conditione ſuas copias diutius continuit. Interim vero Carolus Magnus Imperator, & ſummus Romanæ ſedis antiſtes, cum maxima hominum multitudine Narbonam ciuitatem quam Mauri longa oppugnatione ceperant, venerunt. Ex qua vt facilius hoſtes eiicerent, in Hiſpaniam contra Mauros magnos miſerunt exercitus, in quibus erant equitũ millia viginti, quibus Duces præfecerat Roldanũ, Oliuerium, Gabuinũ, Otogerium Pelũ, Otogerium Normandinũ, Gaſtoniũ, Angelem, Arnaldum Montaluanum, & Gerardum Roſellium. His præcepit Carolus Imperator, vt quacunque facerent iter, omnia igne ferroq; vaſtarent, & Mauros omnes delerent. Hi duces cum validiſſimis equitibus Pyrenæos montes ingreſſi, Napiferi copiis occurrunt. Quibus recognitis vltro citroque duces & equites omnes valde gauiſi fuere, & copiis coniunctis è montibus deſcendentes, acriter hoſtes inuadunt. Quorum plurimis interfectis, & aliis profligatis, ad Vrgelli campos magna potiti victoria peruenerunt. Vbi commiſſo prælio campeſtri tres Maurorum reges occiderunt, Faregam Toleti, Superim Fragæ, & Alfach Segobricenſem. Quo prælio periit ex Chriſtianis ducibus Otogerius Normandinus. Hinc cæteri victores ad Carolum Roſillionem reuerſi, magnis fuerunt honoribus excepti. Tunc Carolus Imperator & ſummus Pontifex intellecta cauſa de nouem viris quos ante nominauimus, & cognita virtute mirabili, magna lætitia gauiſi fuerunt, adeo vt in montibus vbi tunc erant, eccleſiam ſtatim ædificauerunt ſub honore nominis ſancti Andreæ, & in ea corpus Otogerii Normandini, quem ſupra campeſtri prælio ſublatum fuiſſe diximus, celebratis ſolenniter exequiis, honorifice ſepelierunt. Hanc eccleſiam Carolus, ne quandoque poſſet ab hoſtibus expugnari, maximis operibus vndique muniuit. Qua re perfecta Narbonam cum exercitu rediit, quam deuictis & expugnatis hoſtibus, & Magtano Narbonæ rege ſimul & Almanzore Cordubæ potentiſſimo fugientibus, recuperauit, & ab hoſtibus liberatam cuidam viro nobili qui dicebatur Henricus, cum Vicecomitis titulo tradidit. Cuius Romanus pontifex ſibi ius eccleſiæ vendicauit, quod hactenus Narbonenſis habet Archiepiſcopus. Hinc rurſus in Hiſpaniam reuerſus à primo duce nouem virorum qui Otogerius Cathalo dicebatur, & vt quidam volunt, prouinciam Tarraconenſem Cathaloniam nominauit, tametſi huius nominis ratio nobis eſt aliter alio loco notata, egitque cum ſummo Pontifice, vt à numero nouem virorum qui primum venerant

Raimundus Berengarius quis fuerit.

Otogerius Normandinus periit.

in Hiſpaniam, eamque contra Mauros tueri cœperant, in honorem nouem ordinum angelorũ, in hac prouincia Tarraconenſi nouem cathedrales eccleſias inſtitueret. Cui ſummus Pontifex iuſta petenti liberaliter omnia conceſſit, & ſequentes ordinauit eccleſias.

De prouinciæ Tarraconenſis eccleſiis cathedralibus, vna metropolitana, & ſuffraganeis octo.

Archiepiſcopus ciuitatis Tarraconis.
Epiſcopus ciuitatis Barcinonenſis.
Epiſcopus ciuitatis Vicenſis.
Epiſcopus Gerundæ ciuitatis.
Epiſcopus ciuitatis Vrgelli.
Epiſcopus Dertoſanæ ciuitatis.
Epiſcopus ciuitatis Elnenſis.
Epiſcopus ciuitatis Rothenſis, qui translatus fuit in Ilerdam.
Epiſcopus ciuitatis Minoreſſæ.

Verum enimuero nõ cõtentus inſtitutis eccleſiis Imperator Carolus, qui vt Magnus nominè dicebatur, ſic erat & animo ſplendidus, potens, & liberalis, inſtituit etiam à nouẽ viris in eadem prouincia nouem Comites, qui Poteſtates vocarentur, & Vicecomites totidem, nouem nobiles, quibus adiunxit alios nouem, qui vulgò Valuaſſores appellantur, quorum tituli nominaque ponuntur inferius.

Comes Barcinonæ.
Vicecomes Cardonæ.
Nobilis de Monclus.
Valuaſſor de Boxadors.

Comes Pallarienſis.
Vicecomes Villamuri.
Nobilis de Bellera.
Valuaſſor de Toralla.

Comes Cerdaniæ.
Vicecomes de Querforadat.
Nobilis Durz.
Valuaſſor Danueig.

Comes Vrgelli.
Vicecomes Agerenſis.
Nobilis de terminis.
Valuaſſor de Guimerano.

Comes de Oſſana.
Vicecomes Capraria.
Nobilis de Scintillis.
Valuaſſor de Vilademay.

Comes Roſilionis.
Vicecomes de Caſtellon.
Nobilis de Caneto.
Valuaſſor de Munſcot, qui dicitur nunc Dolms.

Comes Empuriarum.
Vicecomes de Rupeberti-(no.
Nobilis de Ceruiano.
Valuaſſor de Fuxano.

Comes Biſulduni.
Vicecomes de Bas.
Nobilis de porqueras, qui dicitur de (S.pau.
Valuaſſ. de Beſora.

Comes Tarraconæ.
Vicecomes de Scornalbou.
Nobilis de Caſtellet.
Valuaſſor de Mediona.

Illis præterea nouem viris qui primum cum Otogerio venerant in Hiſpaniam, ſingulis dominia ſingula diſtribuit, qui nunc ii ſunt quos vulgo Varones appellamus, & dominia Varonias. Quos etiam viros Principes appellari iuſſit, ſicut & Comites Poteſtates. Quibus peractis rebus, Imperator Carolus, quemadmodum ſupra demonſtrauimus, Mauris à Nauarra & Aragonia fere tota depulſis, in Galliam reuerſus in humanis eſſe deſiit: qui tamen priuſquam diſceſſiſſet à vita, Ludouico filio qui ei ſucceſſurus erat in regnis, teſtamento verboque præcepit, vt quoad fieri poſſet, Chriſtianæ religionis fidei non deeſſet, & omnia quæ ſtatuerat de nouem virorum dominiis, & reliquis dignitatibus in prouincia Tarraconenſi cœptis conficeret, & in perpetuum confirmaret. Quam rem Ludouicus Galliæ rex patre mortuo velut & patri filius obſequens, & Chriſtianæ religionis admodum ſtudioſus, & libenter ſuſcepit, & plenius adimpleuit. Nam cum poſt Imperatoris Caroli Magni diſceſſum, Mauri qui victi in Bæticam prouinciam & vlteriorem Hiſpaniam ſe receperant, indignantes propter amiſſam citeriorem Hiſpaniam quam armis ceperant, ad noua bella contra Chriſtianos inſurrexiſſent, totamque fere prouinciam Tarraconenſem quadriennio rurſus occupaſſent, Ludouicus paterni conſilii memor cum magnis copiis & equitibus electis in Hiſpaniam venit anno nongenteſimo decimo ſeptimo, & ingreſſus per montes Pyrenæos, Chriſtianos quos Maurorum reges ſibi tributarios fecerant, commonuit ſe cum magnis exercitibus adeſſe, eos vt à iugo ſeruitutis & immanitate Maurorum liberaret, in Hiſpaniam veniſſe dicens, quos hortabatur vt ſimul in Mauros Chriſtianæ religionis hoſtes armis acceptis conſurgerent. Cuius conſilio Chriſtiani qui Maurorum ſæuitiam nouerant, magno impetu impediti obſequi non potuere. Ludouicus nihilominus ſuis equitibus & diuino fretus auxilio, cohortibus inſtructis, à montibus Pyrenæis ad planiciem deſcendit. Maurorum autem reges interim Ludouici regis aduentus non ignari magnos exercitus coegerant, & Chriſtianis obuiam veniebãt, qui loco, vbi Ludouicus caſtra poſuerat, propius accedentes prælio contendere cœperũt. Acriter vtrinque & æquo Marte pugnatum eſt, diuque pugna fuit anceps, plures tamen Maurorum quam Chriſtianorum cadebant Erat Maurorum peditum maxima multitudo, &

do,& quę numero Christianos pedites excedebat,Christianorum vero maior,erat equitatus. Quare Maurorum primum profligatis equitibus,eorũ etiam pedites deficere cœperunt. Demum iam victi Mauri terga verterunt,quorum fugientium magnus numerus concidit. Nam cum ad siluas & aspera loca cõfugissent, in Christianos qui in auxiliũ Ludouici Regis veniebant, inciderunt, & eorum præter occisos plures quoque capti fuere. Ludouicus,hoc prælio gesto,in quo præcipuos Mauros occidit, & aliorum vires perfregit,magna potitus victoria,breui spacio temporis ex tota prouincia Tarraconẽsi Mauros expulit,& patris omnia iussa perfecit. Christianis autem qui moniti vt aduersus hostes insurgerent & propter metum obsequi noluerunt, idem stipendii nomen imposuit, quod Maurorum principibus antea pendere consueuerant.quod tributum hoc etiam tempore quisque suo domino quotãnis persoluit. Qui populi vectigalibus obnoxii sunt,quos modo vulgus Remensanos appellat. Cęterum Rex Ludouicus Comitatibus,dominiis,& reliquis dignitatibus & titulis, vt pater ei præceperat,institutis,Barcinonæ sibi Comitatum retinuit,atque se vnum fecit ex nouẽ Comitibus qui cæteris in honore & principatu pręesset, & Barcinonæ Comitatui suo nomine virum quendam præfecit genere nobilem,& in re militari præclarum,nomine Griffeum,vel (vt alii volunt) Goffredum,qui natus fuerat in castro cognomento Arria, prouinciæ confluentis Ceritaniæ coniunctæ. Cui præcepit, & etiam cæteris qui Barcinonæ gubernationi præfuturi essent, vt armis & insignibus Otogerii Golantis vterentur,quæ sunt in aureo campo purpurei baculi quatuor,medius & extremi crocei vel aurei.

De Griffeo Barcinonensis Comitatus præfecto nomine Ludouici Galliæ Regis.

POST Ludouici Regis discessum,Griffeus Barcinonæ principatum nõ minori iustitia quam fide gubernauit. Verum enimuero virtus eius & honor quo maior erat, eo minus inuidia caruit. Nam vir quidam nomine Salamon, vnus ex Galliæ magnatibus gubernationem Barcinonæ principatus affectans, eum falsis delationibus & insidiis in Ludouici Regis odium adauxit. Ad quem Ludouicus Rex Salamonis indignis sermonibus persuasus, legatos misit,quibus eum ad se venire iubebat in Galliam. Legatis autem præcepit,vt Narbonam cum venissent,suas ad eum literas mitterent. Nam Rex ad eum scribebat,vt suis literis acceptis ad legatos Narbonã statim veniret. Quapropter legati Narbonam profecti Regis literas & nuncios ad eum miserunt. Quas vbi Griffeus accepit, & Regis voluntatem cognouit, ad legatos Narbonam se contulit, quo etiam secum filium quem habebat pulcherrimum,sed admodum paruulum, duxit. Hic vbi cũ legatis multa contulit,eques quidam ex his qui cum legatis venerat, orta verborum contentione,sicut fieri solet,Griffei barbam manibus inuasit,quem stricto pugione statim Griffeus occidit. Quapropter legati Griffeum captum cum filio simul ad Regem ducere statuerunt. Qui per Galliam proficiscentes, cum Podio vbi tunc erat rex Ludouicus, appropinquassent, legatorum comites de Griffeo colloquentes primum certare verbis, & deinde manibus & armis cœperunt. Quo certamine siue ficto,siue vero,solus fuit Griffeus occisus. Quem cum sepelissent,legati cum filio eius capto ad Regem venerunt, cui rem ordine narrauerunt. Rex autẽ Griffei mortẽ molestissime tulit, & eius filium dedi alendũ Comiti Flandriarum,cui diligenter & honorifice commendauit. Qui Comes,quod Griffei fuerat amicissimus,puerum quidem & libenter suscepit, & diligenter educauit. De quo puero dicemus inferius.

Virtuti Comes inuidia.

De Griffeo cognomento Pilo,cui rex Ludouicus Barcinonæ principatus liberam possessionem & omnia proprietatis iura renunciauit, Comite primo.

NVNC, vt paulo superius pollicitus sum,de Griffeo dicam,quem Flandriarũ Comes, vt antea dictum est, Ludouici Regis commendatione nutriendum susceperat. Hic in ædib. Comitis educatus & adultus, eius filiæ mutuo captus amore, cũ diutius,ne principes à quibus tanquam filius nutritus fuerat, offenderet, vrgenti & placito amori repugnasset,puella tandem Veneris consaucia telis,concubuit. Quæ res omnes diu latuit,donec mater puellam grauidam esse cognouit. Cui filia cũ crimen iam manifestum negare non potuisset, occultos amores patefecit, quibus virtutis causa ne parentes doloribus afficeret, diu restiterat, se demum amori magno conuictã succubuisse : nec Griffeum magis in culpa esse dicebat,qui multo fortius amori repugnauerat. His verbis commota mater filiæ pepercit,& accitum Griffeum pie monet & rogat, ne Flandriarum Comiti causa doloris esse velit,hortatur vt ab eo defloratam puellam & grauidam,vxorem ducat. Griffeus vero placitam & optatam puellam, pulchram & generosam non recusat,sed conti-

Griffeus Flandriarũ Comitis filiam ducit vxorem.

nuo dat fidem vxorem ſibi fore puellam Flandriarum Comitis filiam. Hac re ſic acta, deinde Flandriarum Comitis vxor Griffei iam ſocrus, magnæ prudentiæ mulier, Griffeum mendici peregrinantis habitu induit, & cum eo duas mulierculas admodum vetulas, & ſimul in Hiſpaniam & Barcinonã ciuitatem miſit, vbi Griffei mater & cognati cõplures erant. Griffeus itaque cum vetulis in Hiſpaniam profectus, Barcinonam peruenit. Quo tum, neſcio quo fato, Salamon ex Ceritania, vbi fuerat diutius commoratus, venerat. Ingreſſus ciuitatem Griffeus clam noctu matrem adiit. Quæ vbi filium recognouit, affecta magno gaudio cognatos omnes ad ſe vocauit, quibus filium oſtendit, & quid facturus venerit, filius declarauit. Qui conſilium probantes Griffeum magis hortantur, vt mortem patris vlciſcatur. Poſtero die per vrbem Salamon equitabat incautus. De quo Griffeus admonitus aſcendit equum, & occulto gladio ſuccinctus ei obuius exit. Quem conſpectum perſtricto gladio grauiter percutiens, ex equo deiecit & occidit. Qui cum ſe Griffei Barcinonæ principatus præfecti filium eſſe dixiſſet, ab omnibus collaudatus eſt, & Barcinonæ princeps appellatus, ac ſummis honoribus affectus. Qui ſponſæ & datæ fidei non immemor, ad Flandriarum comitem & eius vxorẽ legatos miſit, vt ei filiam mitterent, quam parentes non inuitam & multis comitatam nobilibus miſerunt, & Griffeus honorificentiſſime recepit, cum qua primum Chriſtianorum more ſolenniter nuptias confecit, & deinde magnos ludos & ſpectacula varii generis celebrauit. Flandriarum vero Comes interea Griffei ſocer vbi de filiæ ſuæ magnis honoribus intellexit, ad Ludouicum Regem ſe contulit, cui de filiæ matrimonio cum Griffeo, & quæcunque Griffeus egerat, omnia narrrauit, eumq; deprecatur, vt ſi Griffeus Comitem Salamonem occiderat, non magnopere miraretur, propterea quod Salamon patrem eius occiderat. Rex autem Ludouicus Griffei virtute perſpecta, & Salamonis necis cognita cauſa, Griffeo, ſupplicante ſocero, non modo pepercit, ſed etiam Barcinonæ principatus gubernationem detulit, & ad vitam confirmauit. Hac de re Griffeus certior factus à ſocero, ad Ludouicum regem venit in Galliam ei gratias acturus. Cuius aduentus animuſq; regi certe gratiſſimus fuit. Cæterum Griffeo diutius apud Regem in Gallia commorante, Mauri rurſus ad occupandum Tarraconenſem prouinciam conſurgunt. Quod vbi Griffeus intellexit, à Rege Ludouico iuſtum petiuit auxilium, quo aduerſus Mauros prouinciam tueri poſſet. Cui Ludouicus reſpondit, ſibi moleſtiſſimum eſſe, quod Mauri quos à principatu ſuo procul fugauerat, iterum bella mouerent, propterea quod ei tunc ſubuenire & opem ferre minus poſſet, atque Griffeum vehemẽter hortatus eſt, vt in Hiſpaniam rediret, & quoad poſſet prouinciam defenderet. Griffeus autem cũ Regem Ludouicum Barcinonæ principatum iam parui facere cognouiſſet, ſoceri ſequutus conſilium, regi ſupplicauit, vt quoniam ſolus & propriis viribus aduerſus Mauros prouinciã defenſurus eſſet, & onus ſupra vires ſuſciperet, ei Barcinonę principatus poſſeſſionẽ, proprietatis & omnia iura renunciaret. Cui rex liberaliter omnia conceſſit, & quicquid ipſe rex in Barcinonæ, Ruſſinonis quam Roſſilionem prouinciam nunc appellant, & Ceritaniæ principatu iuris habebat, Griffeo totum & integrum dedit & liberaliſſima donatione renunciauit, & priuilegio patentiſſimo confirmauit, anno nongenteſimo ſeptúageſimo quinto. Griffeus hic igitur primus hac donatione Comes Barcinonæ principatus, anno prædicto cum ſuis & eius ſoceri copiis & equitibus ex Gallia Barcinonam venit. Hic omnibus totius principatus conuocatis vndique nobilibus, cum magnis exercitibus Mauris occurrit. Quos cum ſæpe prælio viciſſet, omnes demũ paucis annis ab omnibus ſuæ prouinciæ finibus expulit, atque victor inſignis & legitime triumphans Barcinonem reuerſus, in honorem virginis Dei genitricis, & ſuæ victoriæ memoriám, Rumpulli monaſterium cũ magnis reditibus ædificauit, in quo ſibi ſepulturam fecit. Qui ex vxore Flandriarum Comitis filia, de qua ſupra ſcripſimus, filios habuit quatuor, Rolfeũ quem mater ante nuptias in domo parentum peperit. Sed hic Rumpulli monaſterii religionẽ ingreſſus, ibi vitã peregit. Poſt hunc Griffeum genuit, qui non ſine veneni ſuſpicione peremptus eſt, & fuit in prædicto monaſterio ſepult⁹. Tertio loco Mirõ natus eſt, qui in Barcinonæ, Ruſſinonis, & Ceritaniæ principatibus legitimis hæredibus vacuis, Griffeo patri ſucceſſit. Poſtremo natus eſt Sunerius, qui fuit Vrgelli Comes. Nam Hermengando Comite mortuo ſine filiis, Vrgelli principatus ad Griffeum iure deuenerat. Obiit autem Griffeus anno nongenteſimo nonageſimo ſecundo, & in monaſterio Rumpulli iacet, in ſepulchro quod (vt ſupra dictum eſt) ipſe ſibi præfecerat.

Griffeo Barcinonæ principatus delatus à Ludouico rege.

Griffei obitus.

De Mirone Griffei filio, Comite ſecundo.

GRIFFEO Miron filius ſucceſſit, qui ceſſantibus bellis, annos decem & nouẽ principatum tranquillum quietũq; continua pace gubernauit. Qui filios tres ſuſcepit, Xiffreum

freum quem ſibi ſucceſſorem reliquit, Oliuanum qui fuit Comes Biſulduni & Ceritaniæ, tertium reliquit filium Mironem, qui fuit Gerundæ ciuitatis Comes & Epiſcopus. Cæterum Miron hic moriẽs quatenus filios admodum paruulos relinquebat, eorum tutorem Sunerium fratrem & principatus gubernatorem inſtituit.

De Xiffreo Mironis filio, Comite tertio.

XIFFREVS igitur poſt Mironis patris obitum ſub patruo Sunerio tutore permanſit annos circiter viginti. Sic enim pater eius Miron teſtamẽto ſcriptum reliquerat. Annos vero pupillares egreſſus à Sunerio patruo reſtitutam principatus adminiſtrationem ſuſcepit, in qua vixit annos decem & nouem. Moriens autem ſine liberis principatum reliquit hæreditario iure Borello Sunerii filio, ſuo fratri patrueli, propterea quod Oliuanus frater eius ad gubernandum minus erat idoneus, linguæ balbutientis impedimento. non enim vocem poterat emittere, niſi prius terram manibus effodiſſet: vnde Capella fuit appellatus, quod hoc capræ facere ſolent. Habuit autem Sunerius filios duos, Borellũ maiorem natu qui patri ſucceſſit in Vrgelli Comitatu, & Hermengandũ qui fuit Vrgelli præſul, vbi ſemper adeo ſancte & religioſe vixit, vt non immerito in ſanctorum numerum relatus fuerit.

De Borello qui Xiffreo fratri patrueli ſucceſſit, Comite quarto.

HVIVS Borelli temporibus vndiq; Mauri magnis exercitibus comparatis, Barcinonæ principatus Chriſtianos populos acriter inuaſerunt, quibus cum paruis copiis ex tẽpore coactis Borellus occurrit, & in cãpo qui eſt apud caſtellum Monticatinum, & Mactabouem vulgo dicitur, prælio victus, & equitibus quingentis amiſſis, fugiens Barcinonem reuerſus eſt: quam, Mauri Borellum Comitem ſubſequuti, acriter oppugnare cœperunt, & omnia equitum capita quos in prælio trucidauerãt, balliſtis impoſita proiecerunt in vrbem, vt magis eos qui muros ciuitatis & portas defendebant, deterrerent. Quæ quidem capita pie collecta, Comes Borellus honorifice ſepeliuit in cœmeterio martyrum, quod eſt in eccleſia ſancti Iuſti. Cæterum Mauris acrius oppugnantibus, Borellus cũ ſe defendere non potuiſſet, ciuitate relicta diſcedere coactus eſt, & cum paucis equitibus in montes apud Minoreſſam ciuitatem ſe recepit. Huc Comites, Vicecomites, nobiles & equites omnes accitos, quid agendum foret amiſſa ciuitate, conſuluit. Hi primum legatos ad regem Gallorum & ad ſummum Pontificem ſtatim mittendos eſſe dixerunt, imploraturos auxilium: deinde legatis iam Romam & in Galliam miſſis, vt Borellus Comes publicis præconiis denunciaret ac polliceretur militarem dignitatem & ordinis equeſtris titulos & honores omnibus qui cum armis & equis ad eum venirent, aduerſus Mauros Chriſtiani nominis hoſtes, Barcinonæ principatum defenſuri. Quod confeſtim Comes effecit, & quod præconio pollicebatur, cuique cum armis & equo ad ſe venienti priuilegium militaris & dignitatis & omnes immunitates conceſſit. Hoc præconio diuulgato, perpaucis diebus, præter nobiles & equites qui iam militaribus priuilegiis & honoribus gaudebant, alii quoque numero circiter mille conuenerunt, equis & armis præferoces. Quos Borellus honorifice ſuſcepit, & quoniam paratos ſe ad bellum gerendum contra Mauros veniſſe dixerunt, promiſſis honoribus inſigniuit & Paratos cognominauit. Quorum genus adhuc & domus de Parata, quæ nunc Peralta dicitur, nomen habet. Cum his igitur Borellus Comes & aliis equitibus Mauros omnes à Barcinona totaque prouincia Tarraconenſi breui tempore ſubmouit, vbi reliquum vitæ ſuæ tempus tranquilliſſime vixit, & finem Maurorum bellis impoſuit. Ex vxore filios duos progenuit, Raimundũ Borellum quem ſibi ſucceſſorem reliquit, & Hermengandum Vrgelli Comitem.

De Raimundo Borello, Comite quinto.

RAIMVNDVS Borellus principatus imperio ſuſcepto, vocatus ab Alphonſo Caſtellæ Rege contra Mauros in vlteriorem Hiſpaniam, quam, vt alibi demõſtrauimus, à Romanis olim caſtellorũ præfectis Caſtellam vocant, libenter profectus eſt, vtpote qui Maurorum vires frangere nomenque delere vehementer optabat. Quem Caſtellam verſus ad Alphonſum Regem cum exercitu proficiſcentem, præter omnes fere Tarraconenſis prouinciæ proceres & equites, Hermengandus etiam Comes Vrgelli & frater eius Hugo Comes Ampuriarũ, Gaſtonius Mõticatinus, Dalmatius Vicecomes Rocabertinus, Bernardus Comes Biſulduni, Higuetus Vicecomes Baſenſis, & præſules Auſoniæ, Vicenſis, Gerundæ, & Barcinonẽſis cum magnis copiis comitati fuere, qui iuxta Cordubam cum Alphonſo Rege qui magnos etiam ductabat exercitus, ſeſe cõiunxerunt. Vbi cũ Mauris

prælio commisso strenue pugnauerunt, & victis hostibus post aliquot dies Comes Raimundus Barcinonem rediit cum omnibus equitibus suis, præter Hermengādum Comitem Vrgelli, qui prælium primus ingressus, à Mauris multis confossus vulneribus cecidit. Quo mortuo successores eius à Corduba cognominati fuere, propterea quod periit prælio quod gestum fuit apud Cordubam. Raimundus vero victor Maurorum Barcinonem reuersus, vixit annos septemdecim, qui discessit à vita anno millesimo septimo, superstite successore filio Berengario.

De Berengario Comite sexto.

BERENGARIVS Raimundi filius, post mortem patris Barcinonæ principatus administratione suscepta, militarem dignitatem cæterasque virtutes quæ principibus sunt maxime necessariæ, minus exercuit. Siquidem corporis seruitiis & ignauiæ deditus, animi munera bonaque contempsit. Ideoque Maurorum vires & insidias temere despiciēs, & in gubernatione sui principatus incautus, partem magnam prouinciæ Tarraconēsis amisit. Hanc tamen, vt paulo post demonstrabimus, eius filius Raimūdus Berengarius cognomento Vetus per arma recuperauit. Habuit autem præter Raimundum Vetum filios duos, Guillermum Berengarium Minoressæ Comitem, & Sāctium qui etiam fuit Minoressæ Comes post obitum fratris, & Prior monasterii sancti Benedicti Bagensis.

De Raimundo Berengario cognomento Vetus, Comite septimo.

MVLTA cœlo sunt & syderibus adscribēda, multa quoq; moribus educantium pueros. Nam si bonus pater filium gignit improbum, vel si patre improbo bonus oritur filius, id quidem mihi videtur, vel fatis nonnunquam, vel nutricibus imputandum. Hoc mihi nūc in mentem venit ex Berēgario, de quo supra locutus sum, qui natus optimo patre degenerauit, & idem Raimundum Berengarium filium genuit excellentem, qui, vt supra memoraui, militari virtute præclarus non solum partem Barcinonæ principatus à Mauris propter ignauiam patris occupatam recuperauit, sed etiā Maurorum Reges duodecim campestri prælio victos sibi tributarios fecit: qui demū multas & magnas de Mauris victorias consequutus, multis equitibus quorum viribus & auxiliis vsus fuerat, magna munera multaque oppida, dum viuerent, assignauit. Vxores habuit duas, ex altera genuit duos filios, Petrum Raimundum, & Berengarium Raimundum, ex altera Raimundum Berengarium: quorum Petrus Raimundus natu maior veneno periit, vt aiunt, à nouerca dato, Raimundus vero Berengarius eius fuit hæres. Obiit Barcinonæ, vbi iacet in sede ciuitatis, cuius quidem sedis & ecclesiæ cathedralis author ipse fuerat, & sibi sepulchrum condidit prope ianuam sacrarii.

Berengarius degener pater Raimundum Berengarium filium genuit.

Eiusdem proles, & obitus.

De Raimundo Berengario Barcinonæ Comite octauo, qui Caput stupæ fuit appellatus.

FVIT hic Raimundus Berengarius multis & corporis & animi muneribus excellens, & in primis in militaribus rebus belloq; gerendo fortitudine strenuus, moribus & humanitate cunctis benignus, in Dei cultu & Christiana religione feruens & pius, liberalitate largaque munificentia magnanimus, vita in omni genere probus & consuetudine facilis: statura præterea corporis magnus, facie pulcher, aspectu iocundus, cui erat flaua densaque cæsaries, vnde Caput stupæ nomen habuit. Cuius magnis & innumeris virtutibus inuidēs frater eius Berengarius, & principatus cupiditate commotus, occultas molitus insidias, eum Gerundam versus ex Barcinona incaute proficiscentem crudeliter occidit. Cuius mortem totius principatus populi maxime lugentes & nobiles omnes vlcisci cupientes, in fratricidam qui principatum occupare conabatur, arma ceperunt. Quod animaduertens Berengarius fraterno sanguine pollutus, magno metu perterritus mutus est ilico factus, ac solus fugiens & tanti criminis pertæsus errorem, & iam pœnitentia ductus, in pœnam peccati sponte Hierosolymam profectus est, vnde corpore animoque defesso reuertens in itinere defecit. Cæterum Raimundus Comes antequam occideretur, assumpto principatu duxerat vxorem Roberti Guiscardi Messanæ & Apuliæ ducis filiam, ex qua filium progenuerat Raimundum Berengarium, qui post necem patris in Comitatu Barcinonæ successit anno millesimo octogesimo secundo. Cuius mater orbata marito monasteria duo condidit, alterum ordinis sancti Bernardi in valle Mariæ, qui locus est in Caprariæ vicecomitatu, & alterum ordinis sancti Benedicti iuxta ciuitatem Gerundam, quod sancti Danielis appellatur, in quo diutius persancte vixit vitamque finiuit. Huius comitis tempore fuit Vrgelli Comes Hermengandus vulgo Gerbus cognominatus, homo strenuus in armis, qui res præclaras gessit,

Raimundi Berengarii virtutes.

Berengarius fratricida.

ſit, & Belagurium multaque oppida deuictis Mauris recuperauit.

De Raimundo Berengario nono Barcinonæ Comite.

RAIMVNDVS vero Berengarius patri non in principatu regnoq; ſolum, verumetiam in magnis & multis virtutibus legitime ſucceſſit. Fuit enim virtutum omnium ſplendore præclarus, & præcipuè in armorum certaminibus, quippe qui monitus de Imperatricis Alemaniæ periculo, quam à duobus Alemaniæ viris potentiſſimis atque fortiſſimis adulterii accuſatam Imperator morti deſtinauerat, niſi quis eam intra annum duello liberaret, vno viro ſui principatus nomine Rochabuma Domicello comitatus, ad Imperatoris curiam clam profectus eſt. Hic omnibus ignotus, ſancti Franciſci habitu indutus, ad Imperatricem à multis in quadam turri diligenter cuſtoditam, quaſi patrinus & confeſſionē eius auditurus acceſſit. Cuius confeſſione prudenter audita, cum eam ſine crimine falſoque accuſatam fuiſſe cognouiſſet, illi quis eſſet aperuit, & quo conſilio veniſſet oſtendit, vt eam ſcilicet indigne delatam apud Imperatorem, Deo iuuante, liberaret. A qua prius impetrauit, vt eum per triduum poſt certamen & duellum cōfectum nemini detegeret: quod Imperatrix illi libenter promiſit, & iureiurando confirmauit, & ingentes gratias egit. Cæterum Comes Raimundus die certaminis Rochabumam Domicellum ſocium quem ſecum duxerat, cum altero de duobus Imperatricis accuſatoribus certaturum, non inuenit. Ideoque campum ad pugnam conſtitutum ſolus ingreſſus Imperatori ſupplicauit, vt cum altero primum confligeret, & deinde ſi victor eſſet, cum altero congrederetur. Hac re impetrata ab Imperatore, certamen ingreſſus cum altero qui fortior habebatur, eum multis ictibus percuſſum fortiter occidit. Alter autem cum hoc vidiſſet, metu deterritus experiri cum victore fortunæ caſus in armis non audens, ſine pugna iam victus manus dedit. Tum lætitia plenus Imperator Raimundum Comitem iam victorem è campo deduxit, & ad hoſpitium eius quod erat in ingreſſu ciuitatis, comitatus, & ampliſſimis collaudatum verbis honorificè reliquit. Comes autem qui cognoſci nolebat, prima nocte diſcedens, magnis & continuis itineribus Barcinonam paucis diebus reuerſus eſt. Imperator vero poſtero die victorem Comitem cognoſcere cupiens, & plenius cōmendatum magnis muneribus proſequi, regalibus paratis conuiuiis eum ſimul & Imperatricem ad ſe vocari honorifice iuſſit, multis miſſis nobilibus. Qui cum ad hoſpitium Comitis veniſſent, & eum diſceſſiſſe nunciatum eſſet, ad Imperatorem redeuntes, ab hoſpitio noctis hora fere ſecūda diſceſſiſſe victorem, retulerunt. Imperatrix autem cum veniſſet, ab Imperatore, quiſnam fuiſſet eius defenſor, & vbi reperiri poſſet, interrogata: vbi eſſet ſeſe neſcire reſpondit, verum qui fuiſſet cognouiſſe, ſed niſi poſt biduum propter fidem & iuſiurandum quod illi præſtiterat, non poſſe dicere. Biduo igitur aſſumpto, ſuæ ſalutis & honoris Imperatrix autorem coram multis magnatibus Imperatori declarauit. Quod cum Imperator audiſſet, ingentem hominis virtutem vehementer admiratus, eum per totam ciuitatem, perque omnes vias & exitus miſſis quamplurimis equitibus perquiri iuſſit. Quo perueſtigato diligenter & nuſquam reperto, magis Imperator eum videndi deſiderio commotus, Imperatrix, inquit, vxor chariſſima, nulla nos vnquam menſa, nullus nos vnquam thorus coniunget, niſi prius Raimundum Berengarium Barcinonæ Comitem videro. Tuum eſt igitur eum diligenter quærere & ad nos inuentum adducere, qui te non ſine magnis laboribus & vitæ periculis aduenit, & ab ignominioſa morte liberauit. Non enim quieſcere potero, niſi talem virum cognoſcam, & quoad potero eius virtuti quæ mirabilis eſt, ſatisfaciam.

De aduentu Imperatricis in Hiſpaniam.

QVAPROPTER Imperatrix huic Imperatoris voluntati quæ ratione virtuteque mouebatur, obſequi cupiens, quatuor Cardinalibus cum ſuis omnibus Epiſcopis & familiaribus & trecentis equitibus comitata, Raimundum Berengarium Barcinonæ Comitem quærere ſtatuit, rebuſque neceſſariis ad profectionem comparatis ab Imperatore diſcedens, quadraginta diebus in Hiſpaniam peruenit. Quæ cum ſaltus Pyrenæos pertranſiſſet, & eius aduentus Barcinonæ Comiti Raimundo nunciaretur, ſtatim nobiles omnes totius principatus Comes Raimundus conuocauit, ac cibariis & rebus ad præſentem vſum neceſſariis omnium generum conquiſitis & comportatis, ex Barcinonæ ciuitatis portis vſque ad Moncatæ caſtellum, quo ventura erat Imperatrix cum maxima hominum multitudine, mēſas inſtruxit, & variis rebus impleuit per paſſuum millia circiter duodecim. Menſis cōpoſitis & omnibus epularū generibus refertis & oneratis, Comes cū præcipuis totius principatus mulieribus & equitibus trecentis Imperatrici apud Ge-

rundam ciuitatem peroptatus occurrit. Cui iam appropinquanti duos Cardinales Imperatrix honoris & beneuolentiæ gratia multosque nobiles obuiam misit. Comes autem Raimundus ad Imperatricem cum peruenisset medius inter duos Cardinales, & ex equo descendere conaretur, à multis equitibus & à Cardinalibus ipsis quos Imperatrix præmonuerat, in equo retentus est. Equitantem igitur Imperatrix excepit, & multis verbis honorifice collaudatum summis honoribus affecit. Quo cum itinere toto colloquendo, Cardinalibus & reliquis equitibus mensas, & variorum cibariorum copias, & aliarum rerum apparatus admirantibus, Barcinonam peruenit. Hic per dies quindecim ludi magnifici, variaque spectacula, & armorum ficta certamina in laudes Imperatricis & honores magnis sumptibus & apparatu mirabili celebrata fuerunt. Quibus spectaculis & ludis confectis rebusq; necessariis comparatis, ad Imperatorem Raimundus Barcinonæ Comes cum Imperatrice simul profectus est. Cui munificentissimus Imperator & summis honoribus excepto multas & ingentes gratias egit, & præter plurima munera donaque preciosissima, Prouinciæ quoque Comitatum cum omnibus emolumentis, commodis, iuribus, & titulis largitus est.

De Comitis Raimundi expeditione contra Mauros in insulam Balearem.

CVIVS Comitatus accepta possessione, Raimundus Comes permultis & magnis muneribus ornatus Barcinonam reuersus, omnibus Tarraconensis prouinciæ conuocatis equitibus, magnos exercitus Ianuensium & Pisanorum nauibus impositos in maiorem Balearium insulam quam Maioricam vocant, traiecit. Hanc enim tunc insulam Mauri possidebant, quibus deuictis & expulsis, insulanos omnes ad Christi cultum fidemque reduxit. Verum enimuero dum hic Comes diutius commoratus est, interea Mauri Barcinonam magnis copiis oppugnare cœperunt. Hinc igitur in Hispaniam reuersus Barcinonensibus auxilium implorantibus, insulam & ciuitatem Balearium quam ceperat, Pisanis & Ianuensibus commendauit, quos ad securitatem certo fœdere & iureiurando sibi socios adiunxit, & armorum suorum parte decorauit, vt scilicet sancti Georgii signis & armis quæ Barcinonæ Comitatus erant, vterentur. Ianuenses autem post Comitis discessum cæca pecuniæ cupiditate conuicti, Mauris auri magnum pōdus offerentibus ciuitatem & insulam restituerūt. Quod indignum facinus vbi Comes Raimundus intellexit, vehementer indignatus omnibus sui principatus populis & equitibus præcepit, vt ne cum Ianuensibus vnquam pacem haberent, sed odia semper & inimicitias perpetuas exercerent. Barcinonam tamen cum venisset, contractis auxiliis Mauros ab obsidione fugauit, quorum fugientium plurimos occidit, & induciarum fœdus quod cum Regibus Ilerdæ, Dertosæ, & Valentiæ sibi tributariis iniuerat, dissoluit, eosque bello victos à ciuitatibus & principatu deiecit. Multa præterea gessit memoratu dignissima, quibus & fortissimi viri nomen & Christianissimi gloriam sibi comparauit.

Raimundi Comitis Barcinonæ laus.

De eius vxore & liberis.

VXOREM duxit Dulciam Gilberti prouinciæ Mediolanique Comitis filiam, quæ duos peperit filios, Raimundum Berengarium qui mortuo patri successit, & Berengarium qui fuit Prouinciæ Comes: filiam vero genuit vnicam quæ nupsit Alphonso Regi Castellæ. Cæterum Raimundus Barcinonæ Comes post multas & magnas res magnifice sancteque gestas, Barcinonæ iam senio retardatus, diu, velut à laboribus emeritus, conquieuit. Vbi ætate postrema moriens anno millesimo centesimo tricesimo primo, Hospitalis Hierosolymitani ordinis in domo pauperum sibi habitus induit, quibus eius corpus inuolutum iacet in monasterio Rupulli.

Sepulchrum eiusdem.

LVCII MARINEI SICVLI DE REBVS HISPANIÆ

LIBER X.

De Raimundo Berengario Barcinonæ Comite decimo, qui cum Petronilla Ramiri Regis filia fuit Aragoniæ princeps, & vtriusque principatus vnione.



AD Raimundum iam nunc Berengarium redeo, de quo cum supra scribere cœpissem, me maiores & antecessores eius ab incepto diuertere fecerunt. De quibus quoniam quæ necessaria erant, omnia dixisse videor, reuertor vnde digressus sum. Raimundus itaque Berengarius, vt ante diximus, Petronillam Ramiri monachi Regis Aragonum filiam duxit vxorem, ex qua filios

filios duos procreauit, Alphonsum cui regnum Aragonum & Barcinonæ Comitatum reliquit, & Sanctium qui fuit Russinonis & Ceritaniæ Comes. Filias habuit totidem, Dulciam quæ nupsit Regi Portugalliæ, & alteram quæ fuit vxor Hermengandi Comitis Vrgelli. Fuit hic Raimundus Barcinonæ Comes & Aragoniæ princeps multis & magnis virtutibus excellentissimus. Siquidem prudentia singulari, fortitudine, munificentia, modestia, humanitate, iustitia, cæterisque præstantissimis animi virtutibus, omnes sui temporis principes excelluit. Fuit etiam corporis dotibus admodum fœlix, forma pulcherrimus, & omnium membrorũ singulari præstantia iuuante natura mirifice compositus. In bello vero gerendo fortis, & cautus, & laboris patientissimus. Nam ad Alphonsum Castellæ Regem sororium suum contra Mauros cum exercitu profectus, post multa prælia quæ fortissime gessit, & hostes acriter oppressit, demum Almeriam ciuitatem obsedit, & continuis oppugnationibus captam prudenter euertit, propterea quod Mauris ex Africa in Hispaniam traiicientibus hospitium præbebat.

Raimundi progenies.

De reditu eius ad Barcinonam.

HINC cum exercitu victore Barcinonam reuersus anno millesimo centesimo quadragesimo octauo, non diutius conquieuit. Siquidem anno sequenti nobilibus Barcinonæ principatus adiuuantibus, Dertosam ciuitatem quam Mauri rursus occupauerant, obsedit, & paucis diebus expugnatam cepit, multis hostibus occisis & aliis captis. Hac victoria valde lætatus, Barcinonæ ciuibus aurei torquis vsum & alia corporis ornamenta concessit, & Guillermo Raimundo Monticatino, Petroque cognomento Samenato, qui duo primi contra Maurorum propugnationem acerrimam castellum ciuitatis quod erat armis & aliis rebus præmunitum, ingressi fuere, duas capti castelli partes diuisit, tertiamq; partem sibi retinuit. Post autem captam Dertosam cum victricibus copiis Ilerdam profectus est, in cuius obsidione Guillermum Raimundum Monticatinum & alios legatos à rege Ramiro de Petronillæ matrimonio missos, comiter ac lætanter excepit. Nam quanquam viso Guillermo Raimundo Monticatino qui Tarraconis Archiepiscopum nuper occiderat, & à principatus Barcinonæ finibus exulabat, magna animi perturbatione repente commotus est, vbi tamen eius aduentus causam cognouit, eum libenter audiuit. Cui non solum de morte præsulis impunitatem facile concessit, sed etiam à Romano Pontifice veniam & absolutionem procurauit, & mox Mequinetiam & alia dedit oppida cum iure proprietatis & in perpetuum. Et Ilerda ciuitate capta cum legatis expetitum matrimonium confecit. Quod quidam non apud Ilerdam, sed Barcinonæ confectum fuisse scripsere, sed hoc nihil refert. Hanc igitur Barcinonæ principatus & Aragoniæ regni cõiunctionem factam, nostris temporibus aliis auctam regnis additis, Dei benignitate & virtute Ferdinandi regis & Caroli nepotis eius, ampliorem fœlicioremque fore speramus.

De conditionibus ab eo cum legatis Regis Ramiri constitutis, & insignibus armorum.

VBI vero conuentum de coniugio fuit, legati conditiones quas à Ramiro rege præmoniti fuerant, petiuere: primum vt Raimundus, quemadmodum supra visum est, non rex Aragoniæ, sed princeps diceretur: deinde vt Aragoniæ nomen Barcinonæ nomini præponeretur, hoc modo & ordine sequenti, *Raimundus Dei gratia Princeps Aragoniæ & Comes Barcinonæ*: tertia conditio fuit, vt in præliis gerendis eius vexillifer & primipilus ex Aragonibus esset. Quæ omnia Comes Raimundus facile concessit, & iureiurando ac instrumento confirmauit, & à successoribus vsque ad hoc tempus obseruatur. Item statuerunt, vt in prælio semper diui Georgii nomen inuocaretur, & quibus armorum signis ipsi Raimundo & successoribus esset vtendum declararunt, vt scilicet galea & arma capitis essent Aragoniæ, quæ sunt, vt ante diximus, liuidi coloris cum cruce candida, cruci sancti Ioannis Hierosolymitani persimili: vestis vero, clypeus, & equi phaleræ rubri coloris & crocei, quæ sunt arma Barcinonæ Comitatus. Mox etiam sua signa Raimundus Aragoniæ magnatibus & populis petẽtibus dedit, & arma sancti Georgii quę Barcinonæ principatus erant, & Maurorum Regum capita quatuor, & crucem rubrã in medio positam, cuius virtute Mauros vicerat, & eorum Reges occiderat. Vbi enim Petronillam duxit vxorem, Dertosam, Fragam, Mequinentiam, & Mirabetum cepit, eorum Regibus occisis, quorum capita cum signo crucis in suis armis gestare consueuit, vt & crucis gloriam virtutemque, & Maurorum confusionem denotaret.

De Mauris ab eo victis & pulsis, & multis ædificatis ecclesiis.

CÆTERVM Raimundus confectis nuptiis cum Petronilla Ramiri Regis filia, regnisque coniunctis maiores vires & potentiam nactus, Mauros Barcinonæ principatus & Aragoniæ regni finibus exterminauit, & trecentas ædificauit ecclesias. Fuit enim princeps Christianissimus, & in rebus quę diuinum cultum fidemque catholicam videbantur augere, tam liberalis, quam feruens & pius. Ecclesias siquidem non ædificauit solum, sed etiam magnis reditibus excoluit, & sacerdotibus moribus & vita probatis commisit. Cæsaraugustanæ vero ecclesiæ, præter alios reditus, Albalatum quoq; oppidum celebre donauit.

De vltione mortis fratris eius, & tempore atque loco suæ mortis.

DEINDE cum Berengarium fratrem suum Prouinciæ Comitem crudeliter à suis populis occisum cognouisset, in Prouinciam cum exercitu profectus, in necis eius vltionem Arletum ciuitatem & alia complura oppida castellaque deleuit. Hinc in Hispaniam reuersus, Aragoniæ regnum & Barcinonæ Comitatū non minori prudentia quam fortitudine gubernauit. Obiit, vt quidam scripserunt, apud ciuitatem Ianuam, in Burgo qui dicitur Sandanna, Idibus Augusti, anno millesimo centesimo sexagesimo secundo, cuius corpus in monasterium Rupulli delatum, fuit honorifice sepultum.

De Alphonso rege Aragonum sexto & Barcinonæ Comite.

ALPHONSVS hic vnitis Aragoniæ & Barcinonæ principatibus primus Aragonū Rex & Barcinonæ Comes fuit appellatus. Edidit opera multa præclara non solum viri fortis, sed etiam liberalis & Christi cultus amantissimi. Condidit ciuitatem Turolium & Russinonis, quam nunc, vt suprà diximus, Russilionem vocant, & Pallaris Comitatus vniuit. Cum Rege Castellæ diuturna bella magnaque gessit, in quibus victoriam consequutus ad suos reuersus principatus, Populeti monasterium ædificauit, in quo sibi sepulturam elegit, & ecclesiæ magnos reditus instituit in perpetuum. Ædificauit & alias sanctorum ædes & monasteria multa, & aliis in locis, & etiam Barcinonæ.

Populeti monasterium Alfonsus ædificat & ecclesias dotat.

De eius vxore & liberis.

Progenies Alphonsi.

VXOREM habuit Sanctiam Alphonsi Castellæ Imperatoris filiā, ex qua illi filii tres nati fuerunt, & filiæ quoque tres: quorum primus nomine Petrus in Aragonum regnum & Barcinonæ Comitatum mortuo patri successit: secundus Alphonsus qui fuit Prouinciæ Comes: tertius vero Ferdinandus primum Populeti monachus, deinde fuit abbas Montis Aragonum. Filiarum prima nomine Cōstantia, fuit vxor Regis Vngariæ, quo mortuo Federico nupsit Romanorum Imperatori: secunda Leonora fuit vxor Comitis Tolosani: tertia vero nomine Sanctia nupsit filio Comitis Tolosæ. Mortuus est Alphonsus Rex Aragonum in oppido Perpiniano, anno millesimo centesimo nonagesimo sexto, septimo Kalendas Maias, qui fuit sepultus in monasterio Populeti.

De Petro Alphonsi filio, Aragonum Rege septimo & Barcinonæ Comite.

ANNVM agens Petrus Alphonsi filius Rex Aragonum vigesimum, regni gubernatione suscepta, Mariam Guillelmi Mōtis Pessulani filiam, & Imperatoris Constantinopolitani neptem duxit vxorem, de qua Iacobi filii factus est pater. Fuit autem Rex in bello gerendo fortissimus. Qui cum Regi Castellanorum contra Mauros auxilium tulisset, in vlteriorem Hispaniam & in Bæticam prouinciam apud Idubedam ciuitatem, quæ nunc Vbeda dicitur, deuictis Mauris quorum maximus erat exercitus, insignem victoriam reportauit.

De eius profectione Romam ad summum Pontificem, & eiusdem coronatione.

Petrus Alfonsi filius ab Innocentio III. corona panis azymi coronatus.

Diploma Pontificis in monasterio S. Ioannis à Pegna custoditum.

HINC Romam profectus ab Innocentio tertio summo Pontifice coronatus est corona panis azymi, hoc est sine fermento, in ecclesia sancti Pancratii: quin etiam impetrauit à Pontifice, vt quamuis ipse Romæ coronatus fuerit, eius tamē successores in perpetuum Cæsaraugustæ coronarentur à Tarraconis antistite, quemadmodum priuilegio & diplomate quod Innocentius illi concessit, continetur. Cuius exemplum in monasterio sancti Ioannis à Pegna custoditur, hoc exordio: Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei charissimo in Christo filio illustri Petro Regi Aragonum, &c.

De aliis

De aliis rebus eius quas Romæ geßit.

ROMÆ dum commoratus eſt, cùm vxore diuortium facere conatus eſt, ſed Innocentio ſummo Pontifice non conſentiente, cum ea vixit: quæ tamen Romæ poſt finitam litem Regis conſequuta coniugium, paucis diebus à vita diſceſſit, quæ ſepulta iacet in eccleſia ſancti Petri in ſacello ſanctæ Petronillæ. Renunciauit Romæ Rex etiam iura patronatus, quæ ſacerdotia & beneficia, vt ante diximus, gẽtilitia Latine dicuntur, omnium eccleſiarum ſui principatus. Cuius rei cauſa ſummus Pontifex Innocentius ei conceſſit, vt ipſe & ſucceſſores eius in pontificatu vexillum eccleſiæ ferrent cum armis Aragoniæ, quæ ſunt crocei rubrique coloris. Conceſſit etiam vt omnes bullæ quæ à Romana curia mitterentur, eſſent munitæ chordula prædictorum colorum. Verum enimuero nobiles Aragonum Barcinonæque principatus omnes de renunciatione iuris patronatus, quod eis & omnibus populis principatus nocitura videbatur, vno ore reclamarunt, ſeq; voluntati & renunciationi Regis de iure patronatus non aſſentiri publicis inſtructionibus teſtati fuere. *Prærogatiua Papæ Petro Alfonſi filio data.*

De eius expeditione contra Simonem Comitem Montisfortis, & morte eiuſdem.

SVB idem tempus cum Toloſanus Comes cum Simone Montisfortis bellum gereret, Rex Petrus Roma diſcedens cum exercitu contra Simonem venit, quem prelio vicit, & Gallos omnes Simonis exercitus in fugam vertit. Cæterum fugientes Gallos inſecutus, & à ſuis qui eius curſum adæquare non poterant, remotus longeq; digreſſus, à fugientibus hoſtibus qui eum inter ſe quaſi ſolum viderunt, conuerſis circumuentus occiſus eſt. Quo mortuo Simon filium quoque eius Iacobum quem commendatione patris educauerat, ſecum retinuit, quem ſæpe repetitum ab Aragoniæ populis & magnatibus liberare noluit, propterea quod Iacobus ipſe Simoni Montisfortis mortem ſui patris impune remittere iureiurando nolebat. Quapropter Aragoniæ Barcinonæq; principatus nobiles & omnes equites ex communi conſilio legatos Eximium Cornelium, Guillelmum Ceruarium, Petrum Haonium, & templi magiſtrum Romam ad ſummum Pontificem miſerunt, ſupplicantes vt eorum honori & Regis Iacobi capti ſaluti Pontifex maximus conſuleret. Quo iubente Simon Aragoniæ & Barcinonæ principatus populis Regem ſuum quem indigne poſt necem patris captum tenebat, liberaret, ſuiſq; reſtitueret. Quod ſi forte Simon à Pontifice iuſſus facere nollet, vnus ex Aragonum legatis apud Pontificem Simoni tanquam proditori & pontificalis læſæ ſanctitatis reo perduellionis diem diceret. Simon autem commonitus à duobus Cardinalibus quos ad eum Romanus antiſtes miſerat, ſe nullo modo liberaturum reſpondit Iacobum Aragonum principem, niſi prius Iacobus ei mortem ſui patris iureiurando remitteret. Hoc cum legatis nunciatum eſſet, vnus eorum nomine Petrus Haonius ad Simonem literas miſit, quibus eum proditorem appellans ad duellum prouocabat. His literis acceptis Simon, & à Cardinalibus commonitus, Iacobum iam liberũ & incolumem Cardinalibus reſtituit, quem illi Romam ad Pontificem & Aragoniæ legatos adduxerunt. Ille autẽ cum ſummo Pontifici gratias egiſſet, Romæ paucos dies commoratus cum legatis Barcinonam ſe contulit. Habuit præter hunc Iacobum Rex Petrus filiam quandam ſpuriam, nomine Cõſtantiam, quæ nupſit Guillelmo Raimundo Monticatino, cui dedit nomine dotis Aitonam & alia oppida, anno milleſimo ducenteſimo duodecimo.

De Iacobo Petri filio, Aragonum Rege octauo & Comite Barcinonæ.

IACOBVS autem Petri Regis filius ob res magnifice ſancteq; geſtas Iacobus Rex Fortunatus & fœlicis memoriæ fuit appellatus, qui (vt nonnulli volunt) genitus fuit quaſi diuinitus. Nam cum pater eius multarum mulierum captus amore teneretur, à Reginæ Mariæ ſuæ coniugis quam minus adamabat, lecto concubituq; pertinacius abſtinebat. Maria vero Regina quæ fuit moribus & vita præſtantiſſima fœmina, prolis admodum cupida, ne moriens principatus & regna ſine ſucceſſoribus & legitimis hæredibus relinqueret, egit cum Regis cubiculario, vt clam pro puella quam Rex concupiuerat, ad eum adduceretur velut puella honeſta ſatis & verecunda, quam Rex nec agnoſceret, nec alloqueretur. Cum ea igitur hac conditione ſuppoſita Rex vna nocte concubuit, quã iam grauidam factam cum mane Rex & ante diem, ne forte cognoſceretur, dimitteret: Non à te, inquit illa, diſcedam chariſſime coniux, niſi nos prius in lecto coniunctos aliqui viderint, quibus in poſterum ſi, quod vehementer opto, pepererim, tecum ſimul in lecto cubuiſſe probare poſſim. Tum Rex quamuis deluſus, lætus tamen, Reginæ ſuæ coniugis *Mariæ Reginæ laudes.* *Eius induſtria marito probatur.*

Eius industria marito probatur.

industriam plurimum commendauit, & duobus accitis nobilibus actus illius noctis publice notari seruarique iussit.

De loco & tempore natiuitatis eius, & qua ratione nominatus fuit Iacobus.

CONCEPIT igitur Regina illa nocte, quæ post nonum mensem Iacobum peperit, in Montepessulano, Kalendis Februariis, anno millesimo cētesimo nonagesimo sexto. Quæ paritura cum primum dolores sensit, & se commisit obstetrici, multis orantibus religiosis & equitibus pro salute parturientis, filium edidit. Quo nato summa lætitia Regis & omnium nobiliū, per omnes Aragoniæ & Barcinonæ principatus populos, supplicationes & vbique res diuinæ celebratæ fuerunt. Infantem natum Regina statim ad ecclesiam misit, ad imaginem Mariæ virginis. Cum puero multis ecclesiam ingredientibus, sacerdotes qui matutinas horas recitabāt de infantis aduētu ignari, tunc psalmum canere cœperunt, Te Deum laudamus. Hinc ad aliā ecclesiam cum infante venerūt iidem qui eum deferebant, vbi sacerdotes etiam ipsis ingressis canere cœperunt, Benedictus dominus Deus Israel. Tum vero in aulam reuersi cum infante, Reginæ rem narrauerunt, quæ summa lætitia affecta, cum Rex Infanti nomen eligeret, duodecim cereos albos eiusdem longitudinis, pōderis, & crassitudinis accēdi iussit apud altare sacelli, in laudem & honorem Mariæ virginis & duodecim Apostolorum, quorum singula nomina singulis cereis scripserat, voueratque vt illius Apostoli nomen imponeret, cuius cereus reliquis extinctis & cōsumptis solus diutius perdurasset. Hac igitur ratione natus infans Iacobus fuit appellatus, propterea quod cereus in quo diui Iacobi nomen scriptum fuerat, reliquos virtute superauit.

De educatione, & discriminibus & periculis in ea.

HOc igitur modo nominatus Infans cum in ędibus paternis educaretur, magnum discrimen euasit. Eum quidem cognati qui regnum eius affectabant, de medio tollere conati sunt. Puero nanq; in cunis dormienti supra cubiculum eius foramen instruxerunt, in quo lapidem grandiorem posuerunt, mox in caput eius casurum. Sed cadentē lapidem Deus innocētium custos, & puerorum tutor à cunis Infantis auertit. Hac re cōperta Rex & Regina de educando custodiendoque filio diligentiorem curam adhibuerunt, quem post multas electiones demum Simoni Comiti Montisfortis cui plurimum confidebant, alendum tradiderunt.

De expeditione eius in insulas Baleares & gestis in ea.

QVI post necem patris, de qua supra late scripsimus, à Simone Comite Montisfortis Aragoniæ legatis iussu summi Pontificis restitutus Barcinonam venit, vbi diu commoratus post susceptum regnum cū multa præclare gessisset, demum cum magna classe magnoque numero nobilium totius Aragoniæ regni Barcinonæque principatus in insulas Baleares traiecit. Vbi multis præliis fortissime gestis, Maioricarum tandem ciuitatem, defessis Mauris qui propugnabant, & penitus deuictis continuis oppugnationibus, murisque perfractis ingressus est pridie Kalendas Februarias, anno millesimo ducentesimo vigesimo nono. Capta autem ciuitate ex tota insula Mauris expulsis, eorum bona mobilia militibus impartitus, cum exercitu victore in Hispaniam rediit, & Valentiā breui tempore cepit fugatis Mauris. Hinc adeptus est & Murciæ prouinciam vsque ad Carthaginē nouam. Quæ bella confecit anno millesimo ducentesimo quadragesimo primo.

De eius vxoribus & liberis.

ADOLESCENS adhuc puellam quandam adamauit nomine Tiresiam, Ioannis Bidauræ filiam, quam cum neque blanditiis vllis, neque muneribus allicere potuisset, nocte quadam in domum patris ipsius puellæ se contulit, ibique latuit. Post autē mediam noctem cunctis iam dormientibus puellæ cubiculum ingressus, ad eam tādem peruenit. Quæ eum in sui amorem flagrantem cognoscens dixit, se nullo modo cum illo rem habituram, nisi fide & iureiurando coniugium promitteret. Ille autem cum primum de coniugio recusasset, & puellæ cuncta præter nuptias pollicitus esset, eamque flectere non potuisset, amoris iā stimulis agitatus, viro quodam adhibito qui eum obseruabat, Tiresiam puellam Ioannis Bidauræ filiam sibi vxorem fore iuratus est. Optatis igitur potitus amoribus, ex Tiresia duos filios progenuit, Petrum cui dedit castrū Ayerbæ, & Iacobum quē fecit dominum castri Xericæ & multorum locorum iuxta Valentiam, à quibus locis cognominati fuerunt, & regia sumpserunt insignia quæ maternis armis circumdederunt:

derunt: quos etiam Rex in testamento legitimos filios nominauit, in clausula quadam legati eius testamenti quæ sic incipit: Item filios meos Iacobũ & Petrũ, quos legitime suscepimus ex domina Tiresia Ægidii de Bidaura, instituim⁹ nostros hæredes in castris & villis, quæ & quas dedimus eisdem cum charta, prout in ipsis plenius continetur. Cæterum Tiresia post hæc à Rege, vt nuptiæ & matrimonium solenniter celebrarentur, efflagitante, de Regis ipsius matrimonio cum Leonora Alphonsi Castellæ Regis filia, legatis vltro citroque missis, agi cœptum est. Et à multis Rex Iacobus persuasus, vt Alphonsi Castellæ Regis filiam potius habere vellet vxorem, quã Tiresiam Ioannis Bidauræ, legatos in Castellam misit ad matrimonium conficiendum. Quod cũ intellexisset Tiresia, statim procuratores in Castellam misit, qui die quo sponsalia fierent, matrimoniũ quod Rex Iacobus Tiresiæ fide, iureiurando, testibusque confirmauerat, publice denunciarent. Quam rem cum procuratores ex condicto iussuque Tiresiæ diligentissime fecissent, Rex Iacobus indignatus Tiresiam capere conatus est, eam, vt nonnulli opinantur, vt occideret. Illa vero sibi periculum metuens à Rege, paruo suorum consanguineorum comitatu clam fugiens Romam se contulit. Hinc Regi literas citatorias misit, quibus eũ prouocabat ad causam pacti patrimonii coram summo Pontifice disputandam. Pontifex autẽ partibus auditis, cum Tiresia sine testibus (nam miles vnus qui iuriiurando Regis interfuerat, à vita discesserat) matrimonium sola probare non potuisset, Iacobo Regi permisit, vt cũ Leonora Castellæ Regis filia matrimonium contrahere posset. Quam Rex autoritate Pontificis vxorem duxit, ex qua filium progenuit Alphonsum.

Tiresiæ periculũ imminet carcere.

De eius accusatione apud summum Pontificem.

CÆTERVM Rex Iacobus & eius vxor Leonora post confectas nuptias, & Alphonso filio iam adulto, apud Pontificem Romæ nec opinantes delati fuere, propterea quod consanguinitatis gradu coniunctissimi matrimonium contrahere sine consensu summi Pontificis non poterant. Quam ob rem legatos Rex ad Pontificem misit oratum, vt consummatum iam connubium confirmaret. Gregorius autem summus Pontifex, quoniam Rex Iacobus & Tiresiam primam coniugem deceperat, & Leonorã sibi cognatione valde proximam dolis subreptitiis vxorem duxerat, illorum matrimonium non solum confirmare noluit, sed etiam dissoluit, & in perpetuum diuortium nunciauit, Alphõso tamen filio legitimo remanente, literasque concessit quibus eum legitimum fecit. Quæ quidem literæ sunt in forma propria sigillo plumbeo Gregorii summi Pontificis munitæ. Quas si quis legere voluerit, inueniet in archiuario regni in domo deputationis.

Literæ legitimationis à Gregorio summo Põtifice confirmata.

De discordia eius cum Alphonso filio.

VERVM enimuero facto diuortio cum Leonora coniuge iussu Pontificis, Alphonsus eius filius matris iniuriam & separationem moleste ferens, Iacobo patri qui eam sibi consanguinitate coniunctam vxorem duxerat, bellum intulit, totamque fatigauit Hispaniam, donec res inter patrem & filium, quæstioque mirabilis arbitrio regni cõmissa prudenterque discussa finem bellis imposuit.

De vltima eius vxore & liberis.

DEINDE Rex Iacobus Alphonso filio vita defuncto, quoniã iuuenis adhuc erat, vxorem duxit Hiolesiam, quæ alio nomine dicebatur Ardeura, filiã Regis Vngariæ, quæ primum filium peperit nomine Petrum, qui patri fuit hæres in Aragoniæ regno & Valẽtiæ Barcinonæque principatu. Post Petrum genuit Iacobũ, qui successit in regno Balearium, id est Maioricarum, & Comitatu Russinonis & Ceritaniæ, ac in monte Pessulano. Tertio partu edidit Sanctium, qui fuit Toletanus Antistes, & prælium contra Mauros ingressus occubuit. Peperit etiam filias quinque, Hisabellam quæ nupsit Regi Gallorum, Violantam quæ fuit Regina Castellæ, Cõstantiam quæ fuit vxor Emanuelis fratris Regis Castellæ, Mariam quæ teneris annis obiit in Daroca ciuitate, & sepulta iacet Cæsaraugustæ in templo sancti Saluatoris. Vltimam genuit Leonoram, quæ item paruula discessit à vita, iacetque in monasterio Bonæuallis in principatu Barcinonensi. Suscepit præterea Rex Iacobus ex aliis fœminis filios duos, Petrum Ferdinandum scilicet, & Ferdinandum Sanctium. Et Petro quidem dedit Ixar oppidum, à quo oppido Petrus titulũ & cognomen accepit, & Regis Nauarræ filiam duxit vxorem. Cuius filii & reliqui successores armis & insignibus Aragonum, & Nauarræ cathenis & baculis vsi sunt. Ferdinando vero Sanctio dedit oppidum nomine Castrum. Huius etiam successores à Castro cognominantur, & armis vtuntur, etiam baculis cum duabus stellis.

Iacobi Regis proles.

De eius expeditione contra Mauros Granatenses.

NON obmittam quod nunc mihi venit in mentem, Regis Iacobi magnum facinus & memorabile: quippe qui requisitus à Rege Castellæ genero suo, vt simul cum eo bellum Mauris Granatensibus inferret, velut inuitatus ad nuptias, expeditionem libentissime suscepit. Et bipartitis exercitibus Castellæ rex cum terrestribus copiis Granatã profectus, eam multis tormentis & telis oppugnare cœpit. Iacobus vero rex Aragonum post aliquot dies cum magno pugnatorum numero ex littore Barcinonæ classem soluens, Almeriæ quam Mauri reædificauerant, applicuit, & equitibus expositis in littore, primum campos omnes & hortos igne ferroq; vastari iussit, deinde ciuitatẽ machinis & telis terra marique acriter oppugnat. Tormentis offensi Mauri propugnantes muros ciuitatis deserunt, Christiani summotis hostibus propius accedunt. Paucis diebus muri machinis concussi lapsum ruinamque iam significare videbantur. Quod animaduertẽtes Mauri cum se tueri non possent, impetratis induciis ad colloquium venerunt, Regique Christianorum si discedere vellet ab obsidione, magnum vectigal soluendum quotannis obtulerũt. Quibus rex Iacobus respondit, Hispanorum moris esse à ciuitate iam expugnata & victis hostibus primum ciuitatis portas, & deinde vectigal accipere. Itaque si prius ei portas ciuitatis attulerint, postea tributum quod offerant vltro, libenter accipiet. His verbis regis hostes magis perterriti, illi ciuitatis omnes portas à valuis conuulsas attulerunt. Portis igitur allatis de tributo conuenerũt. Cæterum cum Castellæ regis equites hoc audiuissent, inuidia commoti, propterea quod rex Iacobus quindecim dierum spacio, nec amplius, tam magnum facinus egerat, & rex Castellæ quatuor iam mensibus nihil oppugnando fecisset, suo regi persuaserunt, victoriam & honorem regis Aragonum Castellanis omnibus & eorum regi magno dedecori futurum. Quorum vocibus indignis prauisque consiliis Castellæ rex impulsus pacem cum Mauris Granatensibus & amicitiam confirmauit, & ab obsidione ciuitatis cum exercitu discessit. Quibus abeuntibus Mauri Granatẽses obsidione soluti, magnum Almeriæ subsidium confestim miserunt. Quo superueniẽte rex Iacobus inde discedere coactus est, ne Maurorum ingenti multitudine circunuentus opprimeretur. Verum enimuero sui generi causa de pace & amicitia quam cum Mauris confirmauerat intellecta, vehementer indignatus, Carthaginensem prouinciam quæ Castellæ regis erat, cum exercitu percurrẽs pene totam vastauit, & Castellæ regnum hostiliter ingressurus generoque bellum acrius quam Mauris illaturus erat, nisi cum liberis ad eum filia eius Castellæ Regina venisset, quæ patrem filiis ad pedes eius flentibus expositis mitigare vix potuit. Siquidem Rex multis filiæ precibus & nepotum lachrymis aut nihil aut parum cõmotus, Dionysii Portugalliæ Regis filii supplicationibus, & Petri Cæsaraugustani præsulis & aliorum nobilium consiliis persuasus, iræ quam maximam conceperat, tandem cessit, conditionibus propositis, vt idem præsul & Dionysius cæterique nobiles tanquam iudices vtriusque Regis causam cognoscerent, & totam litem componerent, pacemque confirmarent. Quorum virorum sententia fuit hæc, vt Rex Aragonum de Murtiæ regno quod armis victis Mauris acquisiuerat, ab oppido quod Castrum Gualdalcanar appellatur, possideret vsque ad Oriolam ciuitatem : partem vero reliquã Rex Castellæ, qui tamen Aragonum Regi socero suo pecunias quas in acquisitione illius prouinciæ consumpserat, persoluere teneretur. Huiusmodi sententia in aula Valẽtiæ ciuitatis reperitur in registris eius ad verbum perscripta.

De Iaccensi moneta ab eo confirmata, & insigni laude ciuitatis Ilerdæ.

MVLTIS Aragoniæ nobilib. atq; populis supplicantib. Iaccẽsem monetã, id est in Iacca ciuitate percussam, iureiurando confirmauit, vt neque aliis signis imprimi posset. Quæ quidem moneta Iaccæ percussa fuit anno millesimo ducentesimo trigesimo sexto. Pro cuius monetæ confirmatione & stabilitate ipsi Regi datus est aureus nummus, quolibet septennio soluendus ab his quorum res familiaris valeret nummos aureos decem : propterea quod illis temporibus septem solidos nummus aureus valebat. Quod hac ratione factum est, quia antequam huiusmodi monetæ confirmatio fieret, Reges omnes monetam facere consueuerant, quorum vnusquisque suo signo monetã percutiebat. Quapropter moneta nunc illa Iaccensis diuersis tẽporibus excusa, multiplex & formata variis impressionibus inuenitur. Ideoque rex Iacobus in Aragonia, Barcinona, & Valentia monetas excudi iussit figuris & titulis differentes, quas in aureis, argenteis, & æreis nummis cernere licet. Cæterum Valentia suæ monetæ signum tanquam munus accepit ab Ilerda ciuitate. Nam cum rex Iacobus Valentiam Mauris plenam propugnato-

Aureus nummus quantum valuerit.

pugnatoribus obſideret, cōuocatis ducibus & cuiuſq; ciuitatis præfectis, conſtituit cunctis aſſentientibus, vt quæ ciuitas primum Valentiæ muros oppugnando prorumperet, & ciuitatem ingrederetur, ea in ſuæ virtutis & honoris memoriam Valētiæ colonias mitteret, & pondera, menſuras, & monetæ ſignum conferret. Cum igitur Ilerdæ ciues acriter oppugnantes primum Valentiæ muros diruiſſent, expugnatam ciuitatem Mauris fugatis & occiſis ingreſſi ſumma lætitia, geſtientes ei, prout Rex imperauerat, cultores adoleſcētes numero mille totidemque puellas virgines tradiderunt, & cum menſuris & ponderibus florem lilii vnum quo monetam inſignirent. Nam prius Ilerda quatuor in ſuis armis & inſignibus lilii floribus vtebatur, nunc verò tribus duntaxat. Quãobrem Valentia gratiſſima ciuitas in literis quas ad Ilerdam ſcribit, eam matrem ſemper appellat, & in magnis rebus non ſecus ac parentem chariſſimum conſulit, & Ilerda Valentiam filiam vocat, cuius commodis & honoribus diligenter incumbit. *Ilerdæ inſignia.*

De liberalitate eius erga milites.

ANIMI magnitudine, munificentiæ ſplendore cunctos ſui temporis principes ſuperauit: quippe qui Maioricarum ciuitate capta, Maurorum bona & prędas omnes militibus diuiſit. Inde in Hiſpaniam reuerſus cum Valentiam ciuitatem & eius prouinciam armis cepiſſet, præter prędas & magna dona quæ pręcipuis equitibus diſtribuit, trecentis etiam militibus cenſus equeſtres & magnos fundos dedit in perpetuum, & Regi Caſtellę genero ſuo magnam Carthaginenſis prouinciæ partem, à qua Mauros fugauerat, ſponte reliquit.

De loco & tempore mortis eius.

CVM eſſet Rex Iacobus Xatiuæ multis defatigatus laboribus, & ſenio iam confectus, profluuio ventris & febre vexatus in lecto decubuit. Sed ægrotãs in Algeziram è Xatiua lectica delatus eſt, vt hinc ad Petrum filium quem apud Xatiuam cum exercitu reliquerat, cibaria & res alias ad belli vſum neceſſarias mitteret. Cæterum hic vehementiori febre morboque grauatus, ſe moriturum pene cognouit. Ideoque vir Chriſtianiſſimus, omnibus negociis & humanis rebus omiſſis, animæ ſtatim prudentiſſime conſuluit. Accito enim patrino ſacerdoti magna contritione cōfeſſus omnia, eccleſiæ ſacramenta deuotiſſime recepit. Poſtero autem die non minori diligentia teſtamentum cōdidit, in quo Petrum filium natu maiorem in regno Aragonum, Valentiæ, & Comitatu Barcinonæ reliquit hæredem, & Iacobum filium minorē inſtituit in regno Maioricarum, Ruſſinonis, Ceritaniæ, & Mōtis Peſſulani. Hoc modo teſtamēto celebrato, Petrū filiū ab exercitu vocari & ad ſe venire iuſſit, cui corã multis nobilibus cum ea quæ teſtamēto ſcripta fuerant, recitaſſet, primum Dei cultum & res omnes diuinas, & deinde fratrem Iacobum, & omnes equites, domeſticos familiares, & populos diligentiſſime commendauit. Petrus autem genibus flexis patris manus & pedes oſculatus, eius omnia iuſſa libentiſſime ſe facturum reſpondit. His rebus confectis, Rex, vt qui rebus humanis omnino renũciat, ſibi Ciſtercienſis ordinis habitum induit, & de Rege ſe monachum & religioſum fecit, atque Deo ſeruire maxime cupiens, Populetum proficiſci ſtatuit, ibique permanere. Cæterum cum ex Algezira Valentiam delatus eſſet, ibi grauius ægrotans vitam finiuit, anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſexto, octauo Idus Auguſti, & ætatis ſuæ anno ſeptuageſimo ſecundo: qui nunc iacet in monaſterio Populeti. *Teſtamentum regis Iacobi.* *Eius obitus & ſepultura.*

LVCII MARINEI SICVLI DE REBVS HISPANIÆ

LIBER XI.

De Petro Iacobi filio, Aragonum Rege nono & Barcinonæ Comite, qui poſt Manfredum ſocerum Siciliæ regno ſucceſſit.

PETRVS Iacobi Regis filius, adhuc viuente, nec nō inuito patre, Conſtantiam Manfredi Regis vtriuſq; Siciliæ filiam duxit vxorem. Quem quidem Manfredum Carolus regis Gallorum frater, Siciliæ regni ꝙ in feudum à ſummo Pontifice obtinuerat, cupiditate captus, de medio tollere cum ſæpius cogitaſſet, eum tandem occultas molitus inſidias aggredi ſtatuit. Nam cum primū regni Neapolis omnes fere nobiles magnis muneribus & multis largitionibus maioraq; dona polli-

citus, vt à Rege suo Manfredo deficerent, subornasset, deinde cum magnis copiis in Italiam venit Neapolim versus profecturus. Cui Manfredus equitum suorum proditionis ignarus, obuiam ire non dubitauit. Comitatus igitur hostibus domesticis & familiaribus aduersus Carolum proficiscitur. Sed erat ei præterea aliud non minus incõmodum, propterea quod vbique per Italiam fere totam timebatur, & præcipue Romanis & Florentinis formidolosus erat, quibus magna damna & multas iniurias intulerat. Nam cum Carolus magnis copiis Romam peruenisset, Florentini, vt in historia Florentiæ scribit Leonardus Aretinus, & alii plures scriptores meminerunt, hæc ab initio prospicientes per aduersas factiones domo eiecti, magnam in spem venerant in sua redeundi. Itaque studio & diligentia præueniendum rati, per legatos ad Clementem quartum summum Romanæ sedis Antistitem missos & operam suam contra Manfredũ polliciti sunt, & vt eos nouo Regi commendatos faceret, postulauerunt. Percunctãti Clementi de eorum viribus & statu, hæc ferme referuntur: Viros esse militares, grandi numero, armis, equis affatim structos, hos clientum magnam item sequi manum. Seniorum præterea ac eorum qui in bello gerendo minus apti viderentur, magnum numerum superesse. Hanc totam multitudinem vrbibus Etruriæ à Manfredo suisq;, quod aduersa sectaretur, expulsam, in exilio ipso nomen & gloriam sibi per arma virtutemq; peperisse. Iam vero in Gallia horum opera nõ stetisse solum Romanæ sedis fautores, verumetiã depulsis aduersariis superiores esse. Pontifex excellentiam virorum admiratus, magnumq; eius belli momentum in eorum fiducia reponens, oblationem grato se recipere animo, & sibi cõmendationem curæ fore respondit. Cohortatus deinde ad persecutionem virtutis, vt eos sibi partibusque suis magis coniungeret, insigne suæ gentis proprium illis ferendum perpetuo donauit. Ea est imago rubentis aquilæ cæruleum draconem vnguibus prementis. Id tunc insigne de Pontifice susceptum exules habuerunt. Tunc igitur & sua ipsi sponte, & Pontificis hortatu egregie se præparantes, Guidonem cui cognomento Guerra fuit, virum consilio manuque præstantem, sibi ducem præfecerunt. At vbi primum Regis copias appropinquare cognitum est, obuiam illi in agro Mantuano profecti, Gallos in admirationem sui decoris conuerterunt. Ornati siquidem armis, equisq;, & cæteris quibus militares insigniuntur viri, etiam inter Gallos valde conspicui erant. Suscepti ergo benigne à præfectis regiis, & vna iter facere rogati, quod Etruria validis aduersariorum præsidiis tenebatur, & simul quod in ea implicari bello haudquaquam Galli volebant, per Flamminiam atq; Vmbriam Romam petiere. Gratissimus fuit Carolo Etruscorum aduentus, vtpote qui primi ex Italicis sese illi coniunxerant, & accedebat Pontificis commendatio grauis, & ducum qui cum illis iter fecerant, fidei simul virtutisque testimonium. Itaque benigne eos allocutus Rex amplissimis verbis gratias egit, quod suos per ignota loca & impacatas regiones iter facientes egregia virtute industriaque adiuuarint. Enimuero magna à se præmia expectare eos debere, modo si fœlicitas adsit, quam pietas & iustitia & profecto suæ vires & amicorũ certissimam pollicentur: seque domo animatum venisse, vt nomine duntaxat regio contentus esse velit, cæterum ac victoriæ præmia his qui secum militauerint, partiturum. His itaque huiusmodi verbis cum tandem finem Rex fecisset, Guido quem sibi præfecisse Etruscos diximus, in hunc modum locutus est.

Oratio Guidonis ad Carolum pro Florentinis.

ETSI nostrum erat, ô rex inclyte, tibi potius gratias agere quam te nobis, tuam tamen & humanitatem libenter agnouimus, & eam cum fortitudine cæterarumq; virtutum tuarum cumulo adiunctam esse magnopere gaudemus. Nos quidẽ sæuitia Manfredi patriis pulsi sedibus, non quantus ardor est exhibere modum possumus, & hæc ipsa quæ restant corpora & lacertos præstare magis cum tempus poscet, quàm nunc intempestiue ostentare iuuabit. Tibi autem gratias agere & habere nos cõuenit, quod vagis errantibusque tanquam salutare sydus cœlitus nobis effulgens, viã ac spem remeandi domum, quã primo non cernebamus, apparuisti. Tua enim summa virtus stragem hostium, ac per eorum ruinam reditum nobis in patriam certissimum pollicetur. Pro te igitur ne dum quod paucorum dierum iter duces tuos prosecuti qualescunque operas inpendimus, sed ne cũ in vulnera quidem ac ferrum ruerimus, satisfecisse tibi ac tuis in nos meritis existimabimus. Atqui duæ, vti nos putamus, res ad fidem belli plurimum valent, cõmune hostis odium, & expetita victoriæ præmia vtrinque accommoda. Hæc duo Florentinis cæterisq; Tuscis qui tua signa in hoc bello secuturi sunt, cõuenire videmus. Nec enim fuit, nec esse debuit aduersus vllũ vnquam maius & ardentius odium, quam nobis est in Manfredum, quippe qui non solũ has recentes quas nuper ab eo perpessi sumus clades, sed damnatam

inuiſamq; ſtirpem & patris & aui & proaui iniurias in filio proſequemur. Hæc enim ſceleſta nefandaque familia ab extrema Germanorum barbarie exurgens, fortunatos tranquilloſq; per idem tempus Etruriæ populos ad vulnera ac ſanguinem & vrbium vaſtitatem perpulit, nec vllas iam multos annos calamitates vidimus quarum hic non fuerit ſemen & cauſa. Verum hæc communia mala & ab vtraq; factione, ſi modo penitus non deſipiant, pariter deploranda. Illud proprium noſtrarum partium, quod nunquam Pontifices Romanos hæc familia perſecuta eſt, quin nobis quoq; qui eadem ſectabamur, fuerint ab eiſdem perſecutoribus clades inflictę. Federicus huius proauus, qui Sueuorum nomen Romani principis falſo indutus eſt, quam nefaria molitus ſit, non ignorare te credimus. Senſit Italia nō Romanum Imperatorem, quem ille falſo ſe mentiebatur, ſed nouum Hannibalem aduentaſſe, qui cū Mediolanum vrbem inclytam, ac maximum Romani imperii ornamentum hoſtis & barbarus euertiſſet, ſparſit per Etruriam venenata malorum ſemina, cum ciuili diſſidio per ſingulas vrbes facto malos foueret, bonos perſequeretur. Secutus eſt huius acerbitatem Henricus filius eius, qui ad ſcelus paternum ſummam ipſe ingratitudinem addidit, poſt regni munus liberaliſſimum perſecutor acerrimus factus. Succeſſit in hæreditatem ſcelerum alter Federicus huius Manfredi pater. Is quid aduerſus Pontifices molitus ſit, memorare quid attinet? Narrant enim & narrabunt quandiu memoria hominum fuerit, concilia aduerſus illius veſaniam Lugduni celebrata, cum Pontifex Italia profugus vix vltra flumen Rhodani tutum ad damnādum huius perfidiam locum inuenerit. Hæc tibi nota ſunt Rex, & cum tuæ domus laude coniuncta. Sed quid aduerſus noſtrarum partium homines putas illam ſæuitiā per hæc ipſa tempora edidiſſe? cū quanto magis irritaretur, tanto aduerſus Pontificis fautores illi rabies atrocius inſaniret. Pulſi tunc vrbibus noſtri exularunt, caſtellis & arcibus quibus ſe receperant, obſeſſi ſunt. Qui vel fortuna aliqua belli, vel longa obſidione in eius manum peruenerunt, barbaram illius crudelitatē experti, per varia & inaudita ſupplicia vitam amiſere. Sunt multi in hoc cœtu quem vides, quorum ille parentes aut fratres aut agnatos necarit, qui nunc arma tecum ferentes eadem illa ſupplicia in filio depoſcunt. Affulſerat tandem poſt huius mortē parumper fortuna, nobis reſtitutis patriam Manfredus iterum diſſipauit. Itaque illud ſatis certum exploratumq; eſt, nos nunquam quietem habituros, niſi hæc familia funditus deleatur. Quare & veteri odio & præſentis ſpe quietis ita nos ardere in Manfredum puta, vt omnis acceleratio ad eius perniciem ſegnis ac tarda nobis videatur. Solet vero nonnunquam mentes hominum ſolicitas reddere pręmiorum ſuſpicio, quoties is qui plus poteſt, ſine graui iactura exoluere promiſſa non valet. Abſunt hæc à deſiderio præmiorum noſtrorum. Nos enim ea ſequimur præmia, quæ nihil commoditati, nihil potentiæ tuæ detractura ſunt, ſed vim ac robur allatura. Non enim agri, neq; vrbes hoſtium bello captæ, ſed reditus in patriam nobis pręmium ſit. Sic autem ſtatuimus, & tua in regno potētia nos in Etruria ſeruabit, & ipſe velut murum habebis ad vim, ſi qua vnquam regno tuo immineat, ab ea parte propulſandā. Summa igitur erga te fide hos fore homines perſuade, quos & commune hoſtis odium, & communis vtilitas tibi coniungit. Illud vero tāquam ſummum addidiſſe volumus, vt tanti finito bello nos feceris, quantum in ipſo bello promereri conſpexeris: deuotos certe & addictos tibi vtrumque habebis.

De prælio geſto inter Carolum & Manfredum apud Beneuentum.

HAC oratione magis Florentinorum voluntate perſpecta, Carolus multo maiori fiducia cum Gallicis & Etruſcorum copiis Neapolim verſus cōtendit. At Māfredus contractis vndique copiis, apud Samnium ſtatuit hoſtibus occurrere. Quod vbi Carolus intellexit, ipſe quoque Samnium petit, ac demum iuxta Beneuētum vterque conſtitit. Hic primus inſtructas copias in aciem Carolus eduxit: nec detrectauit pugnam Manfredus. Sed eductis in aciem copiis fortunæ ſe offerēs ſignum prælio tuba dari iuſſit. Concurſum eſt acriter vtrinque, pugnaque diu fuit anceps, Germanis pro Manfredo, Gallis & Tuſcis pro Carolo enixe dimicantibus. Nec milites ſolum, ſed & Reges ipſi cominus pugnantes plurima ea die diſcrimina pro victoria ſubiere. Poſt longum certamen Caroli fortuna fœlicior. Siquidem profligatis Germanis Māfredus acerrime pugnans occiditur. Quo pręlio præter magnam vtriuſque factionis cædem, multi quoque nobiles & ignobiles capti in manus victoris deuenerunt.

De Conradini Imperatoris aduentu in Italiam contra Carolum.

ANNO vero ſequenti cum Carolus in Etruria ciuitates quæ Federicū & Manfredum ſecutæ fuerant, præter Senenſes & Piſanos, ad ſe traduxiſſet & domitare conaretur,

Conradinus in Italiam Tridentumque iam perueniſſe nunciatur, & in vrbe Roma ac Sicilia magni motus afferuntur. Quarum rerum cauſa fuit hæc. Hiſpani viri duo regii generis erant, Henricus & Federicus. Hi aduerſus fratrem regnum in Hiſpania gubernantem infenſi, tandem patria extorres exularunt, collectaque virorum manu, quando ſe contra fratrem nil proficere poſſe exiſtimabant, in Africam tranſgreſſi, Tuneti apud Regem lõgo tempore meruerunt. Ibi præda ſimul & ſtipendiis ditati, cum de communibus tãdem fortunis conſultarent, placuit vt Henricus qui maior natu erat, cum omni pecunia & cætera gaza Italiam traiiceret, Sardiniæ regnum à Pontifice maximo petiturus. Delatus igitur è Carthaginis portu, cum ex conſilio Italiam Pontificemq; adiiſſet, fautore vtitur Carolo qui nuper victo Manfredo magna apud Pontificem gratia præualebat. Et erant ſane 1 Henricus & fratres eius arctiſſimo conſanguinitatis gradu materna ſtirpe Carolo cõiuncti. Quamobrem & neceſſitudinis iure, & procurationis beneficio inductus, petenti Carolo magnam pecuniæ vim Henricus mutuat. Sed dum Pontifex de regno deliberat, & Caroli gratia concedere parat, ortis in vrbe Roma ſeditionibus, ciuibuſque ad arma ruẽtibus, ad ſedandas eas tempeſtates à Romanis Henricus expoſcitur, ac ex Viterbio vbi tunc Pontifex erat, Romam vocatur, Senatuſq; poteſtas volente populo illi tribuitur. Pacata itaque vrbe, cum veluti dominatum iure partum nullo Pontificis reſpectu exerceret, ac maiora quædam moliri videretur, Pontifici ſimul & Carolo in ſuſpicionem venit. Ob id intermiſſum Sardinię negocium eſt à Pontifice, & Carolus repetenti mox pecunias, ne maiores ad nocendum facultates illi adeſſent, bono cõſilio haudquaquam reddebat. Cœperat 2 Henricus iam inde ab initio contrariam Pontifici Caroloque factionem magis fouere, vtramque tamen intra vrbem æquitatis ſimulatione continebat. Vt vero ſuſpicionem Pontificis aduertit, alienus ſubito factus, Piſanos ac Senenſes cæteroſq; huius factionis homines occulte ſolicitare cœpit, ad Cõradinum item mittere, fauorem ſuum fratriſque, ac Romanam vrbem, ſi aduenerit, polliceri. Itaque ad Federicum Conradus Capitius Neapolitanus tunc exul regni cum vna Piſanorum naui miſſus eſt, literas ferens ab Hẽrico fratre, vt cunctis poſthabitis, ex Africa in Siciliã ad res innouandas traiiceret. A Conradino etiam frequentes ad Siciliæ populos & paternos amicos literas regio nomine ſcriptas detulit. Maturata igitur re Federicus & Capitius in Siciliam tranſeunt, ducentos milites Hiſpani generis, totidem Germanos, Tuſcos vero quadringentos ſecum traduxere. Vbi ſpargendis Conradini literis, & maioribus quam attulerant profitendis, breui admodum tempore Siciliam fere totam, præter Syracuſas, Meſſanam, & Panormum, ad defectionem compulerunt. Et ſimul Romæ dum de Siciliæ motu auditum eſt, Henricus non vltra cunctandum ratus, viros ampliſſimos principes ciuitatis qui Guelfarum partiũ erant, ad ſe in Capitolium euocatos armatorum corona circundat. Ex his Nepolionem & Matthæum Vrſinos homines gratia ſummaq; nobilitate confeſtim, ne quis motus in vrbe ſuſcitetur, extra vrbem captiuos delegat: Ioannem vero & Lucam Sabellos in Capitolii carcere aſſeruat: diuerſæ autem factionis hominibus veniam impunitatemque promittit. Ita repente mutatis rebus, eodem pene tempore de Conradini aduentu, ac de Romanæ vrbis motu, Siciliæque defectu Carolus certior factus, ancipitique perculſus malo, Senẽſium Piſanorumque curam omittere, ac velut ad domeſticum extinguendum incẽdium properare coactus eſt. Relicta igitur parte equitatus in Etruria, ne Conradino veniẽte ciuitates quæ in fide eius erant, præſidio vacuæ forent, reliquæ omnes copiæ à Carolo contrahuntur, & per Brutios & Lucanos itemq; per Siciliam ad inhibendas defectiones præſidia ſummittuntur. Per idem fere tempus Piſani quatuor & viginti naues longas ad populandam maritimam oram ſolicitandaſque ciuitates aduerſus Carolum dimiſere: edictumque erat, vt cum littus Italiæ ſatis luſtraſſent, exuleſque (magna illorum vis ea in claſſe vehebatur) ſuis locis expoſuiſſent, in Siciliam ad Federicum & Capitium peruaderent, auxilio partium, ſi quid expediret, futuræ. Conradinum in Italiam venientem ſupra decẽ Germanorum millia vſque Tridentum proſecuta ſunt. Inde ſeu pecuniarum inopia, ſeu quod ſatis virium ſibi afferre in Italiam propter ſtudia partium exiſtimabat, ad tria millia delectorum equitum retẽtis, cæteram multitudinem domum remiſit. Ipſe Tridento profectus ſecus Atheſim fluuium Veronam peruenit. Inde ad dexteram flectens in Ligures duxit. Nam recto quidem itinere haudquaquam petere Etruriam tam exiguis copiis auſus eſt, Bononienſibus, Rheginis, Mutinenſibus, & aliis quibuſdam ciuitatibus cum Põtifice Caroloque ſentientibus, populiſque Etrurię Apennini iuga obſidere paratis & trãſitu Germanos arcere. Quare Ligures petens cum ad littus inferi maris deſcendiſſet, ipſe quidem cum paucis mari delatus, copiæ vero per Lunenſem agrum pedeſtri itinere Piſas venere. Paucis hic diebus ad quietem aſſumptis, cum Piſanis ac cæteris ſuæ factionis qui

ad eum

ad eum ex omni Etruria, quantum ad neminem vnquam gratulabundi gratia conuenerant, Lucensium ingreditur fines. Erant Lucæ Caroli equites, quos in Etruria ob hoc ipsum supra ostendimus à Carolo dimissos, & præterea Florentinorum cæterarumque ciuitatum ingentes equitum peditumque copiæ.

De prælio gesto ab equitibus Conradini aduersus exercitus Caroli.

HI omnes obuiam hostibus egressi ad duo fere passuum millia, quasi pugnaturi cōstiterunt. At Germani & cęteri qui cum Conradino erant, aduersam aciem intuentes, se ad pugnam compararunt. Flumen è proxima fluens palude acies dirimebat. Hæc dum vtrique vt alteri prius transeant expectant, spacio diei frustra consumpto, cum nihil aliud quam sese inuicem conspexissent, irrita mora demum abscessere. Conradinus haud multo post Pisis mouens per Florentinum agrum Bonicium peruenit, paucisque diebus circa ea loca moratus, cum omnibus copiis Senas contendit. At equitibus Caroli quos præsidii causa relictos in Etruria diximus, hoc propositum erat, vt æquis fere itineribus cum hoste per amica vadētes oppida suis facerent animos, & hostes à populationibus cohiberent. Itaque vt Senas peruenisse Conradinum intellexere, ex Florentino agro Aretium (nam ea tunc ciuitas in Caroli partibus fidissima erat) transire pergunt. Cumque Varicū peruenissent, Florentinorum equitatu comitante, præfectus Caroli quasi in se satis viriū esset, dimissis Florentinis equitibus & offerentium vltra prosequi repudiata opera, cum suis Aretium versus ire perrexit. At hostes id futurum suspicati, ducibus Florentinis exulibus decem fere passuum millibus ab Aretio insidias locant. Iter est perangustum inter sinistros montes & Arni ripas, varioque connexu vallium, aptissima insidiis loca. Eo cum Caroli equites neque explorato, neque satis composito agmine descendissent, Conradini equites repente signo dato à fronte & à tergo simul inuadunt. Occupatur pons à Germanis, & quod facile erat, transitu arcentur, alii simul terga premunt, alii desuper tela cōuoluunt. Ita in medio circunuenti cum nusquam prorumpere valerent, nec vllus ad ostentandum virtutē locus adesset, breui opprimuntur. Toto ex equitatu Caroli parua admodum pars quæ ante detectas insidias pontem transierat, euasit: reliqui omnes aut in eo loco cæsi sunt, aut captiui Senas adducti. Hanc victoriam Conradinus magnificentius extollendo cum id late fama literisq; vulgasset, multos mortales quasi quodam futuri euentus præsagio à Caroli fauore ad se deflexit. Cæterum neque imminens Conradini terror, nec oppressio copiarum Caroli, aliquas Etruriæ ciuitates à fide eius auertit, quando etiam Aretini ipsi quorum in oculis pene facta est cædes & profligatio, in partibus Caroli constātissime perseuerarunt. Inter hæc Pisanorum naues quatuor & viginti quas dimissas supra demonstrauimus, omnia circa Caietam & aliquam maritimam oram populatæ, cum multis in locis exules, vt commodum erat, exposuissent, multaque ad rebellionem concitassent, tandem in Siciliam nauigarunt.

De Conradini Imperatoris aduentu in vrbem.

PAVCOS dies Conradinus Senis commoratus, inde mouēs exercitum per Viterbiensem agrum vbi tunc erat Pontifex, Romam peruenit. Ad quem præmiserat Pontifex, eum monens graui censura, ne Siciliæ regnum quod ad Romanam spectaret sedem, neue Carolum ab eadem sede Regem appellatum impeteret. Satis superque esse, quod Romani Pontifices pro sua beneficentia nuper à maioribus eius ingratissime perpessi essent. In ipsum tandem Pontificis mandata spernentem latæ erant censuræ, quas adolescens sublimi animo vsque adeo contempsit, vt ante Pontificis oculos exercitum ducere, & hostilia cuncta ostentare non dubitarit. Et cum multi trepidarent tenētium partem ecclesiæ propter magnam multitudinem eum sequentium, ipse Pontifex vir sanctus orationibus & ieiuniis deditus, constans & intrepidus ait: Non oportet timere, quia omnis conatus eius vt fumus euanescet. Romę appropinquantem populus Romanus armatus obuiam progressus, omnium ordinum gratulatione, imperatoria transuectum pompa in Capitolium perduxit. Ibi cum non modo principes, verum etiam omnes cuiusque generis studiis partiū incensi ex Etruria, Vmbria, & reliqua Italia conuenissent, paratis omnibus quæ ad bellum necessaria erant, quod per Cassinum aditus in regnum Caroli præsidio teneri nunciabatur, per Tiburtinum Albanumq; agrum regni fines ingressus est. Quo cum veniebat Hēricus Hispanus cum haud contemnenda manu, magnoq; militum numero mercede conductorum. Carolus vero & apud Messanam quæ per id tempus mari terraque oppugnabatur, & per maritimam regni oram multis locis copias necessario disperserat, in Etruriaque partem miserat equitatus: magna tamen animi fiducia his quas habebat copiis ad ho-

ſtem ductus, non procul ab eo caſtrametatus eſt. Ibi cum multitudinem ac robur hoſtium vireſque examinaret ſuas, artis & ingenii opus fore ſtatuit. Nam aperto quidem certamine non ſuperare, ſed nec hoſti quidem ſe reſiſtere poſſe confidebat. Conſilio ad eam rem vſus dicitur Nardi cuiuſdā ſenis, cuius hortatu Carolus ex omni ſuorum exercitu octingentos equites delectos, inſciis hoſtibus, proximo ſub colle cōtinuit, reliquam vero multitudinem in planitiem dimiſit, præfecto quodam ex ſuis regio ornatu, ſic vt Rex ille crederetur: ipſe non longe ab his quos poſt collem reſeruauerat, paulo ſuperiori de loco pugnam ſpectaturus conſtitit. Conradini duces cum acies inſtruerētur, Ligures, Tuſcos, & Hiſpanos in fronte collocarunt, Germanos circa ſigna in ſubſidiis poſuerunt. Vt ergo pugnari cœptū eſt, Tuſci, Hiſpani, & Ligures ingenti ardore Caroli turmas aggreſſi magnam ſtragem ediderunt. Nec longo tempore impetus eorū ſuſtineri potuit. Sed poſtquam anteſignanis reiectis ventum eſt ad intima Caroli agmina, & præfectus Regis ornatus inſignibus ad terram proſtratus eſt, clamātibus cunctis Carolum eſſe captum, Germani quoque & hi qui in ſubſidio erant, ne expertes victoriæ forent, ſeſe pugnæ admiſcuerunt. Ita profligatis hoſtibus, victor quoque inſequendo propellendoque diſſipatur. Nullum iam in campis agmen, nullum in ſubſidiis robur manſerat. Vagus miles & prædæ intētus, quaſi victor certiſſimus, exultabat. Maxima pars fugientes inſecuta ſeſe longe à conſpectu abſtulerat. Tunc repente Carolus circumducta delectorū acie in campum deſcendit. Stricto ipſe ac dēſo agmine ſparſos inuadit, multis ſubita vi oppreſſis, aut in fugam verſis, in ipſa ſigna Conradini fertur, ac vno momēto diſſipat. Conradinus ceu miraculo attonitus, cum è victore victus inopinato factus eſſet, cū paucis inde comitib. fugit. Carolus ſuos ab inſequendo continuit, ſed denſum conglobatumque tenens agmen, redeūtes ab inſectatione ſuorum hoſtes integer feſſos, & incompoſitos ſtructus excipiebat. Per hunc modū oppreſſis hoſtibus victoria potitus eſt Carolus.

De Conradini fuga & eiuſdem cæde.

CONRADINVS Romam peruenit, & à Guidone Feretrano quē proficiſcens ad bellum Romæ in præſidio reliquerat, exceptus eſt. Populus quoque Romanus eum recepit non inuitus inſcia adhuc plebe cladium receptarum. Sed mox aduentātibus Romanis ciuibus qui ab Henrico nuper pulſi cum Carolo in pugna fuerant, ducibus Vrſinis & Sabellis ciuibus, confeſtim fuit in armis. Quam ob rem metuens Conradinus vrbe relicta Hauſtauram incognitus petiit, vt inde Piſas nauigaret. Sed circum ea captus loca Carolo deditur. Nec multo poſt Neapolim ductus, ſecuri percuſſus eſt. Quo etiam genere mortis ſimul cum eo perierūt Dux Aſcuriæ, & Gerardus Piſanus. Henricus vero Hiſpanus in agro Reatino quo fugerat, captus & Carolo traditus, iure quodam conſanguinitatis & pactione eius qui tradiderat, vitam redemit, perpetua tamē captiuitate damnatam. Poſt hæc in Sicilia cæteriſque regni locis omnia in Caroli poteſtatem rediere.

De Siculorum defectione aduerſus Gallos, & aliis rebus.

SVB cuius imperio duriſſimo Sicilię populi multa mala damnaque ſuſtulerunt, ſed breui tempore. Nam poſt Manfredi & Conradini cædem, vt ſcribit Leonardus Aretinus, cum Siciliæ ciuitates quæ rebellauerant, in Caroli poteſtatem rediiſſent, præfecti ad eas gubernandas viri Gallici, feroceſque natura ac ſuperbi, innumeras Siculis clades inferebant: tantaque erat gubernatorum petulantia, tanta barbaricæ gentis immanitas, vt non iam liberorum hominum, ſed mancipiorum loco Siculi omnes haberentur. Pro leuiſſimis rebus ac ſæpe pro verbo liberius emiſſo, ſupplicia aderant crudeliſſima. Delatorū plenæ erant vrbes, laquei & ſecures in leuiſſimis habebantur pœnis. Ad hæc rapacitas & auaritia Gallorū inexhauſta, & auri cupido inſatiabilis, nocentes pariter & innocētes perſuadebant, nec vllus rapinarū erat modus. Diuitię pro crimine læſæ maieſtatis habebātur, vt quiſquis ampliſſimo erat patrimonio, ita in periculum acerrime vocabatur. Id hominū genus rebellionis autor fuiſſe, id maledixiſſe Regi, id Manfredi vel Conradini imaginem domi habuiſſe accuſabatur. Fortunarum iacturæ iam in conſuetudinem venerant, optabiles quidē, modo ſupplicia & excarnificationes ceſſarent. His accedebant libidines non maiorum modo, verum etiam miniſtrorum in vxores & filias Siculorum ſine vllo reſpectu & verecundia, vt cuiq; placitum fuerat. Hanc duriſſimam ſeruitutem & immanitat aliquot annos perpeſſæ ciuitates, tandem ſuperante patientiam magnitudine iniuriarū in furorem vertūtur. Initium autem rerum nouarum à Panormitanis eſt factum. Hi enin extra vrbem feſtum agentes, ad locum propinquum qui Mons regalis dicitur, & à Panor mo diſta

mo distat passuum millia fere tria, in festis Paschalibus resurrectionis ibant plurimi vtriusque sexus & cuiuscunque conditionis, tam Panormi ciues, quam Galli qui ciuitatis gubernationem & magistratus exercebant. Cum ergo à Gallis eo profectis arma explorarentur Siculorum, & eo prætextu mulierum sinus & mamillas obtrectarent, concitata ob eam feritatem seditione, Gallos lapidibus primo, mox armis persecuti omnes interfecerunt. Qui in vrbem reuersi in reliquos Gallos impetu magno irruentes ad vnum occiderunt. Rumor deinde Panormo in alias ciuitates delatus, eodem exemplo ad arma & cædes populos excitauit. Ita per totam Siciliam trucidati, cum ardor eorum petulantiæ proprio sanguine extinctus esset, non solum diuitias male coaceruatas, sed corpora insuper Siculis reliquere.

De Caroli profectione in Siciliam & aliis rebus.

HOc tempore Carolus erat in Etruria, qui Siculorum audita defectione, cum Florentinos & alias ciuitates rogasset, vt ei auxilia submitterent, suis comitatus copiis in regnum magnis itineribus contendit, Rhegiumq; profectus, qua perbreuis est in Siciliam traiectus, constitit. Hic dum copiæ quas expectabat, conuenirent, quæ necessaria erant ad transitum parat. Atqui perdifficilis erat in Siciliam transitus, propterea quod omnes fere naues eius in Siciliæ portubus & naualibus asseruabantur, quæ tunc Siculi cuncta tenebant. Itaq; contractis prius ex omni Italiæ ora maritima nauibus, Messanam quæ proxima erat, traductis copiis obsidere cœpit. Vehemens huius vrbis oppugnatio fuit, nec remissior sane eorum qui obsidebantur in resistendo audacia. Nam & Carolus in hac vna vrbe quam primo circumsteterat, iudicium de se fieri apud alios Siciliæ populos haud falso existimabat, vt res in ea successisset, ita ab aliis quoq; aut formidari se aut contemni. Mamertini autem contra victoris iram pertimescebant. Gallorum enim superbia crudelitasque ante oculos versabatur. Cui fœditati honestam profecto mortem censebant præferendam. Carolo circa Messanam habente castra, bellicumque terrorem Siculis ostentante, ciuitates crebris legationibus ad Petrum Aragonum regem missis, sibi vt subueniret precabantur, quoniam vxor eius Constantia Manfredi quondam Siciliæ regis filia esset, ad quam, consumpta virili prole, haud dubie pertineret successio regni: possessionem vero ciuitatis vnanimiter & cupientissime offerre. Iam vero Manfredi mortem vlcisci, ad quem magis quam ad generum nepotesque spectaret, præsertim cum idem sit interfector, idem occupator regni, idem ciuitatum vexator. quę pati vt ludibrio habeantur, contra decus sit regii nominis.

De Petri Regis Aragonum in Siciliam profectione & gestis in ea.

HIs oratorum verbis Petrus Aragonum rex permotus, & omnium iam Siculorum desiderio & voluntate perspecta, regni tam fœlicis occasionem negligenter omittendã non putauit. Cum igitur Siciliam capessere statuisset, legatis gratias agens, omnium Siculorum salutem & honorem sibi magnæ curæ fore respondit, ac se rebus ad profectionem necessariis comparatis, in Siciliam nauigaturum, non tam regni cupiditate commotum, quam Manfredi soceri sui mortem vindicaturum. Expeditione igitur suscepta, & legatis honorifice dimissis, ac admonitis quid interim facere Siculos oporteat, in Siciliam transitum properauit. Adiuuabat eius celeritatem, quod ipse paulo ante magna parata classe in Africam traiecerat, afflictisque magna strage Barbaris, & oppido in littore expugnato, non longe à Sicilia victorem exercitum & classem habebat. Ex littoribus igitur Africæ quadraginta triremes & alias naues onerarias soluens, prospera vsus nauigatione, perpaucis diebus in Siciliam delatus Panormi littoribus applicuit. Hic elatis Aragoniæ signis, vt à Siculis ex composito cum legatis agnosceretur, portum subiit, & cum multis equitibus expositus, à quamplurimis qui aderant Siciliæ nobilibus ciuibusque Panormitanis Rex appellatus, apparatu regali pompaque mirabili fœlicem vrbem & ingenti lætitia plenam, exultanti plebe puerisque salientibus, ingressus, per omnes vrbis vicos & parietes aulæis purpureis, sericis & aureis pannis excultos ac stratos, in regias ædes vnde ciues paulo ante Gallos deiecerant, maxima Siculorum & Hispanorum nobilium multitudine comitante, perductus est. Hinc multis nauibus instructis, Messanam quam Carolus, vt supra diximus, oppugnabat, ire contendit. Quod vbi Carolus intellexit, eum expectare periculosum fore ratus, aduersante tota Sicilia in ea includi & penuria commeatus vrgeri, dissoluendam obsidionem & in Italiam remeandum statuit. Hoc Caroli consilium vbi per castra delatum fuit, tantus repente concursus ad mare factus est, properantibus cunctis ne in postremis traiicerent, vt non multum à fuga & de-

ſperatione res illa differri videretur, tentoriaque, machinas, & apparatum omnem in caſtris reliquerunt. Vix dum traducto exercitu, Siculorum & Hiſpanorum claſſis aduenit. Carolus autem in Apuliam tranſgreſſus, quia non decertandum tunc exiſtimabat, copias diſſoluit, & amicorum auxilia domum remiſit. Ex hoc itaque tempore Sicilia fuit Aragoniæ domui coniuncta, tempore quo Martinus quartus erat Pontifex. Cuius Pontificatus cœpit anno Domini milleſimo ducenteſimo octogeſimo primo, & durauit annos quatuor & duos menſes.

De rebus à Petro Rege in Sicilia ſtatutis.

PETRVS autem Rex Aragonum, Carolo de Meſſanæ littoribus expulſo, & Siciliæ populis tandem quieſcentibus, & regni totius rebus compoſitis, ciuitatibus & oppidis cunctiſque nobilibus regni magnos honores, libertates, & omne genus immunitatis cum diplomatibus & ampliſſimis priuilegiis contulit. Quibus rebus iam peractis, Conſtantia Regina eius vxor ab eo acceſita, cum filiis & multis comitata nobilibus ad eum in Siciliam venit.

De Caroli aduentu in Hiſpaniam, & duello cum Petro Rege.

CAROLVS autem de Siciliæ regno iam deſperans, & multas perpeſſus iniurias & incommoda, filio eius Salerni principe à Petro Rege Aragonum capto, ad Pontificem Romam ſe contulit. Ad quem valde queſtus, illum ad duellum prouocauit, quod ex vtriuſque conſenſu atque Pontificis ad certam diem conſtitutum eſt, vt apud Angliæ regem in ciuitate Bordegali ageretur. Quo cum Petrus Aragonum rex maturius & ante diem perueniſſet, de inſidiis quæ ſibi parabantur à Gallis, vt eum de medio tollerent, admonitus, die pugnæ conſtituta armatus circiter meridiem campũ ingreſſus, eos qui campum obſeruabant, vtrum Carolus adeſſet, interrogauit. His vero non adeſſe Carolum reſpondẽtibus, ter campum percurrit armatus. In cuius rei probationem teſtibus & inſtrumentis acceptis propere diſceſſit. Cum vero Carolus deinde ſole iam inclinante ad certamen veniſſet, de regis Aragonum re geſta ac diſceſſu perdoctus ingemuit, magnaq; percitus ira Romam reuerſus, à Pontifice contra Petrum regem Aragonum excommunicationem & grauiſſimam cenſuram obtinuit, ac vt rex Petrus non modo Siciliæ, ſed etiam Aragoniæ regno priuaretur. Hac impetrata re cum maximis copiis Hiſpaniam ingreſſus, ad Gerundam vſque ciuitatem peruenit. Quam obſeſſam cum multis machinis & tormentis oppugnare cœpiſſet, eius exercitus grauiſſima peſtis inuaſit. Qua multis extinctis, ex cadauerum putore corruptus aer ſæuiorem morbum faciebat. Erat præterea in ciuitate Gerunda templum diui Philippi, in quo ſancti Narciſſi corpus multis celebratum miraculis obſeruabatur. Hinc ob neglectam religionem, propterea quod equos in altaribus velut in præſepibus alebant, grandium muſcarum variique coloris agmen Gallos impetens aculeis non ſecus ac gladiis occidebat. Qui multis malis oppreſſi, de victoria deſperantes à ciuitate iam capta diſceſſerunt, & in itinere paſſim cateruatimq; concidebant. In quibus & ipſe Carolus languore confectus, lectica delatus apud Ampurias defecit.

De loco & tempore mortis eius, & liberis.

OBIIT in villa Franca tertio Idus Nouembris, anno milleſimo ducenteſimo octogeſimo ſexto, & ætatis ſuæ quinquageſimo quinto. Reliquit autem filios quatuor, & duas filias, Alphonſum qui ei ſucceſſit in regno Aragonum, & Iacobum qui primo fuit Siciliæ rex, & mox mortuo Alphonſo rex fuit Aragonum. Poſt hunc Federicum genuit, qui fuit etiam rex Siciliæ. Poſtremo natus eſt Petrus, qui ſine vllo principatu cum fratribus vitam degit. Maior vero eius filia nomine Hiſabella, fuit regina Portugalliæ, & altera Conſtantia nomine, vel (vt alii volunt) Violanta, nupſit Roberto regi Neapolis. Iacet autem rex Petrus in ſanctarum crucum monaſterio. Cuius mors cum ab omnibus Hiſpaniæ populis, tum vero à Siculis fuit multis & veris lachrymis deplorata.

De Alphonſo Petri filio, Rege Aragonum decimo & Comite Barcinonæ.

EX Petri regis filiis Alphonſus natu maior, vt ſupra diximus, in Aragoniæ regno ſucceſſit, homo plurimis maximiſq; virtutibus & animi & corporis excellentiſſimus, & precipue fortitudine & liberalitate præſtantiſſimus, ſtatura corporis & forma pulcherrimus, quibus naturæ dotibus omnium hominum in ſe animos oculoſq; conuertit. Qui tempore quo pater eius à vita diſceſſit, erat in ciuitate Maioricarum, vbi de patris morte nuncios accipiens, magno luctu totius ciuitatis & ſuæ curiæ, funus eius celebrauit. Hic paucis diebus

diebus commoratus, dum prouinciæ Balearis statum gubernationemq; composuit, multis comitatus nobilibus in Hispaniam traiiciens, Cæsaraugustam peruenit. Hic à ciuibus & multis aliis regni totius equitibus honorifice receptus, & obseruãdi priuilegiorum formas & regni constitutiones iuratus, solenni more rituq; regni seruato coronatus est, quã plurimis & regni nobilibus & Cæsaraugustæ ciuitatis assistentibus. Fuit autem, vt paulo ante diximus, Rex cum cæteris animi dotibus, tum vero liberalitatis & munificentiæ virtute præstantissimus. Tunc enim præcipue gaudebat, tunc ingentem lætitiam vultu præ se ferebat, cum preciosa munera, cum dona insignia largiebatur, adeo vt nõ immerito fuerit à naturæ suæ munificentia & immensa liberalitate Rex Alphõsus Largus cognominatus. Qui cum olim ad colloquium cum Angliæ Rege conuenisset, illius intercessione Carolum Salerni principem quem Rex Petrus longo tempore captum tenuerat, à carcere & custodia liberauit, duobus tamen eius filiis obsidibus acceptis, & septem nobilibus regni Neapolis.

De eius studio & amore erga bonos & odio contra malos; & aliis rebus gestis.

CÆTERVM vt viros bonos & fideles honore, sic & improbos odio persequebatur: quippe qui multos quorum virtutem fidemq; perspexerat, mirifice dilexit, & honorifice commodeq; tractauit, in prauos autem & seditiosos fuit castigator acerrimus, & Iacobum patruum qui Gallorum partibus adhęserat aduersus patrem Petrum Regem Aragonum Maioricarum regno priuauit. Quo regno potitus expulso Iacobo, alteram Balearium insulã quæ minor appellatur, deuictis Mauris suæ ditioni subegit. Fuit præterea Rex Alphonsus vita cœlibe(nullam enim duxit vxorem)ideoque Castus fuit cognominatus. Qui cum grauiter ægrotaret, sancti Frãcisci habitum accepit, quo indutus obiit Barcinonæ, anno millesimo ducentesimo nonagesimo secundo, & ætatis suæ vigesimo septimo, iacetque Barcinonæ sepultus in ecclesia fratrum Minorum in tumulo matris. Atqui moriens hæredem instituerat Iacobum fratrem Siciliæ Regem. Sic enim pater eius in testamento statutum reliquerat, vt & Iacobus etiam cum Rex esset Aragoniæ, Siciliæ regnum Federico fratri minori renunciaret.

De Iacobo Alphonsi fratre, Siciliæ Rege, qui post fratris obitum, relicto Siciliæ regno Federico fratri minori, fuit Rex Aragonum vndecimus, & Barcinonæ Comes.

ARAGONIÆ regni Barcinonæque principatus, & Valentiæ nobiles, Alphonso Rege mortuo sine liberis, Ampuriarum Comitem cum testamenti Alphonsi Regis exemplo ad Iacobum Siciliæ Regem legatum in Siciliam miserũt, vt ad Aragoniæ, Barcinonæ, & Valentiæ principatus capiendam possessionem statim veniret. Qui cum primum legationem accepit de morte Regis Alphõsi, peractis exequiis, & Siciliæ regno, prout pater in testamento statuerat, Federico fratri qui tunc erat in Sicilia, renunciato libereque relicto, multis Siciliæ nobilibus comitatus cũ triremibus octo Cæsaraugustam in Hispaniam venit, vbi, vt mos & consuetudo est Aragonum, sanctiones & priuilegia ciuitatis regnique iuratus, honorifice regni coronam accepit.

De eius vxoribus & liberis.

VXOREM duxit Mariam Castellæ Regis filiam, sororem suam patruelem, cum qua nondum deflorata diuortium fecit iussu Romani Pontificis, propter consanguinitatis gradum coniunctissimum. Hac igitur dimissa, Blãcham duxit vxorem, Caroli Neapolitanorum regis filiam. Cuius peracto matrimonio, Ludouicum & Robertum fratres vxoris, quos, vt supra demonstrauimus, obsides pro Caroli liberatione diutius tenuerat, à custodia liberauit. Qui custodia soluti & liberationem nacti, ad Carolum patrem Neapolim statim se contulerunt, & Ludouicus qui maior erat, ad quem Neapolis regni successio spectabat, viso patre, regnique successione renunciata, sancti Francisci ordinis religionem ingressus est, qui postea propter integerrimos mores & vitę sanctitatem ad Tolosæ pontificatum fuit assumptus, ac post mortem in sanctorum numerum relatus. Huius frater Robertus in Neapolis regno, Carolo mortuo successit, & Violantam sororem Regis Iacobi duxit vxorem: qua vita defuncta Sanctiam duxit Maioricarum Regis sororem, quæ Neapoli condidit ecclesiam sanctæ Claræ, & sanctæ Crucis, ordinis Minorum sancti Francisci obseruationis, in quo nunc sepulta iacet. Duxit præterea Rex Iacobus post Blanchæ mortem Elisendam Monticatinam, quæ monasterium condidit iuxta Barcinonam, quod Petras Albas appellant, ibique iacet.

De priuilegiorum totius regni confirmatione eius & aliis rebus.

POSTVLANTIBVS multis Aragoniæ populis suorum priuilegiorum confirmationem, omnibus assensus est & liberaliter omnia compleuit. Qui ex vxore Blācha Caroli Neapolitanorum Regis filia filios quinque procreauit, Iacobum, qui cum Leonoram Castellæ Regis filiam duxisset vxorem, sine tactu pudoris illius, sancti Ioannis Hierosolymitani ordinis religionem fuit ingressus, & inde Montesani ordinis Magister electus. Post autem Iacobum natus est Alfonsus, cui nupsit Tiresia neptis Comitis Vrgelli. Quo matrimonio hæreditario iure Comitatum nactus Vrgelli, Sardos qui rebellauerant, ad officium & obsequiũ redire coegit. Petrus tertio loco natus est, qui primo fuit Comes Montium Pratensium, & deinde Comes Ampuriarum. Quartus numero genitus est Raimundus Berengarius, Pratarum Comes & Ribagorciæ. Postremo Ioannes fuit editus, qui fuit Archiepiscopus Toletanus, & postea Tarraconensis & Alexandriæ Patriarcha. Filias progenuit totidem, Constantiam quæ fuit vxor Emanuelis filii Regis Castellæ, Mariam etiã Petri Infantis Castellæ, Blancham quæ monialibus Xixenæ monasterii præfuit, Violantam quæ nupsit principi Tarentino, & Hisabellam quæ fuit vxor Ducis Austriæ. Habuit præterea filium quendam nothum, & alteram filiam quæ puella obiit. Filius autem nomine Iacobus Ioannam Lupi Lunæ filiam duxit in matrimonium, cum qua Comitatus Lunæ titulos accepit.

De pace inita inter Iacobum Regem Aragonum & Carolum socerum eius.

INITO cum Blancha Caroli filia matrimonio, Romanus Pōtifex Bonifacius egit cum eo, vt Carolo socero Siciliæ regnum restitueret, eique summus Pontifex & antecessoribus eius omnes iniurias quas ecclesiæ multas & graues intulerant, remitteret. Ad hanc rem cum Iacobo Rege conficiendam quidam Cardinalis è Roma missus, in Hispaniam cum venisset, nondum perfecta re discessit à vita. De cuius morte Pontifex à Carolo Rege certior factus, duos Archiepiscopos quibus eandem causam delegauit, in Hispaniam misit, qui pacem inter ipsos Reges confirmarent & publicis præconiis denunciarent, & Iacobum regem Aragonum & omnes eius principatus populos & antecessores eius ab omnibus interdictis, censuris, & excommunicationib. absoluerent, & ecclesiæ reconciliarent. Quæ res fuit solenniter celebrata publicis præconiis, Gallis qui aderant exultãtibus.

De Oratorum Siciliæ querelis apud Iacobum Regem.

CVM autem Rex Iacobus Siculorum legatos qui nuper ad eum venerant, accitos monuisset, vt ecclesiæ Caroloque parerent, & iam flentes consolari conaretur, illi diu lachrymabundi respondere vix poterant. Tandem post magnos fletus, eorum quidam vir non indoctus, Iacobe Rex, inquit, permultos populos à suis principibus defecisse multis in locis legimus, & oculi nostri sæpe viderunt, sed à suo Rege populos fuisse desertos nec vidimus quidem vnquam, nec audiuimus. Quapropter erit quidem nostra magis quam aliorum miseranda conditio, magisque deploranda calamitas. Tua siquidem spe patrocinioq; destituti, quid omnes Siciliæ populi facere debeant, te non ignorare credimus. Qui quodcunq; mortis genus & omnes cruciatus perferrent potius, quam Gallis seruire queant, & cuiuscunq; vel barbari quidem principis imperium libētius patientur, quam insolētissimos Gallorum mores & indignissimum iugum seruitutis vno die tolerare velint. O decus Aragoniæ domus, & magnum pietatis exēplum, cur pateris inclytam tuam & maiorum tuorum famam hoc vno duntaxat dedecore deformari? Cum præsertim qua nos tibi lege sumus astricti, eadem tu quoque nobis honeste deesse non possis. Quod si regia tua maiestate tuoque fauore Siculos qui volentes Aragoniæ domui se subiecerunt, indignos esse iudicas, & Siciliæ regnum quod plurimi maximi principes concupiscunt, aspernaris, nobis saltem consilium nō deneges, sed quem debeamus optare Regem nobis cōsulas. Tum Rex his legatorum verbis & aliorum fletu commotus, ac dolore cōfectus, ingemens & obortis lachrymis, Ite, inquit, boni viri ad domus vestras, vbi Federicus frater meus vobis & Siculis omnibus liberius quàm ego consulere poterit. Hoc responso accepto legati purpureas & sericas vestes, quibus exculti erant, à pectore scindentes à Rege discesserunt, & in signum magni doloris malique futuri nigras sibi vestes & perlongas induerunt, atque triremium malos, antennas, & vela, quæ candida erant, in atrum colorem verterunt omnia. Cum his mœstitiæ signis in Siciliam delati, totius regni conuocatis nobilibus, Federico, quæ frater eius Rex Aragonum de Siciliæ regno cũ Carolo pactus fuerat, retulerunt.

De prælio nauali quod gessit aduersus Federicum fratrem Regem Siciliæ.

FEDERICVS autē legatis auditis, proceres qui aderant, & omnes equites oculis circū-spectans, Magna, inquit, liberalitate Rex Aragonum frater meus vsus est proceres, & summo quidem principe digna, sed inani tamen & prorsus inutili. Nam qui rem promittit alienam, aut certe delirat, aut iocatur & dandi voluntatem nō habet. Is vero qui huiusmodi promissa munera se sperat habiturum, stultus & fatuus haberi debet. Iam scitis equites vestræ Siciliæ & patriæ regnum nobis ab Alphonso patre testamento fuisse relictum, sicut & illud Aragonum fratri meo Iacobo. Non dedit ergo Rex Aragonum Carolo Siciliæ regnum, quod dare non poterat. Ille igitur si munificus esse velit, Aragonum regnum cuium cui velit renunciet: nos vero nostrum tuemur. Hæc cum dixisset, Siculos hortatus ad regni defensionem, cunctis exultantibus ab Episcopo Cephalēsi statim coronatus, viros cogere, & arma parare cœpit, ac imprimis maritimas omnes ciuitates & totius insulæ portus munitionibus, tormentis, & aliis rebus ad belli vsum necessariis prudentissime cōmuniuit, & in Messanæ portu sexaginta triremes & alias naues armis & electis militibus onerauit. Iacobus vero interea Rex Aragonum ex Hispania simul cum Carolo socero & vxore sua Romam venerat. Vbi rogatus à Bonifacio Pontifice, vt Carolum in Siciliæ regni possessionem, sicut promiserat, collocaret, cum ingēti classe & idem Carolus cum eo cæterisq; duces ex portu Neapolis in Siciliam soluerunt. Quibus appropinquantibus Federicus in mari quod est Siciliam versus, Nonis Quintilibus occurrens, prælium commisit. Vtrinque diutius & acerrime pugnatum est, plurimis hinc inde cadentibus, & paucis sine vulneribus, Rege etiam Aragonum grauiter in pede sagitta percusso. Demum post longum certamen Siculi magnitudine nauium hostilium ac multitudine profligati, Messanā rediere, nonnullis triremibus amissis, & magno militum numero desiderato. Rex autem Aragonum cum triginta triremibus suis in Hispaniam remigrauit. Carolus vero cum reliquis ducibus primum Neapolim, & deinde Romam se contulit. Et Federicus Gallis gementibus & inuitis Siciliam retinuit.

De loco & tempore mortis eius.

POST naualem pugnam in Hispaniam reuersus, vt supra demonstrauimus, cum Valētiæ & Aragoniæ conuentus egisset, Barcinonam demum se recepit. Vbi aliquandiu commoratus, à vita discessit pridie Kalendas Nouembris, anno millesimo tricētesimo vicesimo septimo, ętatis vero suę anno sexagesimo sexto, qui fuit sepultus in sanctarum crucum monasterio. Hæredem autem & successorem sibi filium reliquit Alphonsum, abdicato Iacobo maiore natu & primogenito, qui contra Sardos rebellantes & ad Pisanos deficientes in Sardiniam missus à patre, expeditionem Sardiniæque simul & regnorum successionem recusauit.

De Alphonso Iacobi filio cognomento Benigno, Aragonum Rege duodecimo & Barcinonæ Comite.

ALPHONSVS igitur magno cum exercitu Aragonum, multisque Cathalanis & Valentinis in Sardiniam profectus, breui tempore Sardos omnes patris imperio subegit: multis tamen habitis præliis, in quibus animi fortitudinem mirabilem, & rei militaris industriam, & officium magni ducis ostentauit, & præcipue in Callaris ciuitatis expugnatione, quam nō minori constantia patientiaq; laboris, quam viribus cepit post multas oppugnationes, ciuibus & Pisanorū multis equitibus qui pertinaciter propugnabant, occisis. Itaque magna cum victoria totius insulæ imperio, Sardis perdomitis & Pisanorum magnis copiis prælio fusis, potitus, ad patrem triumphāti persimilis in Hispaniam remeauit, quem pater ingenti lætitia plenus summis honoribus excepit. Et Iacobus frater eius honoribus inuidens, Leonora sponsa relicta quam (vt in vita patris Iacobi memorauimus) non vitiauerat, sancti Ioannis Hierosolymitani ordinis religioni se dicauit. Alphonsus igitur hæreditario iure paternoq; testamento, mortuo patre, Cæsaraugustæ regni coronam accepit, anno millesimo tricentesimo vigesimo septimo.

De vxoribus eius & liberis, & tempore mortis.

VXOREM, vt supra scripsimus, adhuc adolescens Tiresiam Dantensam duxit, Guillelmi Dantēsii filiam, & Vrgelli Comitis neptem, cuius cōiugio fuit Comes Vrgelli,

& Vicecomes Agerensis. De qua quidem vxore filios duos progenuit, Petrum qui ei successit in regno. Nam propter expeditionem patris contra Sardos, auo patreque viuentibus, hæres vt primogenitus fuit institutus. Progenuit etiā Iacobum, cui dedit Vrgelli Comitatum. Item Federicum & Alphonsum, & duos alios, ac vnicam filiam Tiresia peperit, qui primis ætatis annis à vita migrarunt, & omnes Cæsaraugustæ iacent in ecclesia sancti Francisci ordinis Minorum, apud altare maius iuxta tumulum matris. Obiit autem Tiresia quinto Kalend. Nouembr. anno millesimo tricētesimo vicesimo septimo. Qua mortua nupsit Alphonso Regi Leonora Castellæ Regis filia quæ prius Iacobo desponsata fuerat, quæ peperit Ferdinandum Dertosæ Marchionem. Qui, vt nonnulli volunt, iussu Petri Regis fratris eius fuit occisus in oppido Castellione apud Valentiam. Peperit etiam Ioannem qui apud auum in Castella obiit, & filiam Constantiam quæ fuit vxor Iacobi Maioricarum Regis vltimi. Rex autem Alphonsus obiit Barcinonæ, anno millesimo tricentesimo tricesimo sexto, qui iacet Ilerdæ in monasterio sancti Francisci ordinis Minoritarum: sic enim viuens testamento mandauerat. Sub idem tempus mortuus est etiam Federicus Rex Siciliæ, tribus superstitibus filiis, Petro qui successit in Sicilię regno, Ioanne qui fuit Dux Athenarum, & alio qui iuuenis obiit sine titulo dignitatis.

De Petro cognomento Cerimonioso, Rege Aragonum decimo tertio & Comite Barcinonæ.

PETRVS Alphonsi Regis filius, adolescens & annos natus fere septendecim, Leonoræ nouercę veritus insidias, quæ priuignum, vt quidam scripserunt, de medio tollere studebat, vt Ferdinandus eius filius post Alphonsi Regis obitum in regno succederet, à patris domo curiaq; recedens, ad montes Pyrenęos se contulit, vbi magnis honoribus à Ceritaniæ & Russinonis populis receptus cautè vixit multos annos, vsque ad tempus mortis patris Alphonsi. Mortuo autem patre regni gubernationem suscepit, & Ferdinandū fratrem qui multos Aragoniæ populos ad rebellionem concitauerat, occidit, ac nonnullos Aragoniæ nobiles qui Ferdinandi factionem secuti fuerant, Cæsaraugustæ capite puniuit, ibiq; priuilegium vnionis de regni volūtate coram plurimis nobilibus gladio suo tanta percitus ira celeritateque prosecuit, vt sibi læuam manum percusserit.

De bello quod gessit contra Petrum Castellanorum Regem.

QVI cum Henrico Trastamaræ Comiti, Castellæ Regis fratri, inuito Castellæ Rege faueret, commotus Petrus Castellanorum Rex pacis fœdus quod antea cōfirmauerat, dissoluit, & cum magnis copiis Aragonię fines ingressus multa damna populis intulit, atque Boriam, Bilbilim quam Calataiutum vocant, Darocam, & Turolium expugnauit, Valentiæq; prouinciam ingressus Saguntum cepit, quam Valentini Murum veterem dicunt, & Valentiam obsidione cinctam, multis tormentis oppugnare cœperat. Ad quem Petrus Rex Aragonum cum magno equitum peditumq; numero profectus, ab obsidione fugauit, regnique sui finibus expulit, & Castellam ingressus Henricum iuuare non destitit. Cuius auxilio Henricus Petrum fratrem Castellę Regem occidit qui fratre perempto Rex ab omnibus Castellanorum populis appellatus est. Cæterum Petrus Rex Aragonum Henrici virtute perspecta, filiam suā Leonoram Ioanni eius filio qui patri in Castellę regno successurus erat, in matrimonium dedit.

De profectione eius in Sardiniam & aliis rebus ab eo gestis.

REBVS Aragoniæ regni iam compositis, in Sardiniam transiit rebellantem. Cuius prouinciæ populis post multa prælia ad obsequium adductis, Ianuēses ad quos Sardi defecerant, multis cladibus affecit. Hinc in Hispaniam reuersus, Darocam, Turolium, Bilbilim, quæ prius oppida fuerant, ciuitatis titulis & insignibus ornauit. Iacobum autem Balearium Regem suæ sororis maritum, propterea quod ei denegauit obsequium, Maioricarum, Russinonis, & Ceritaniæ principatibus quos nomine suo tenebat in feudo, spoliauit, quas prouincias Aragoniæ regno coniunxit. Iacobus autem Balearium Rex dum Maioricarum regnum armis defendere conaretur, à Ducibus Petri Regis occiditur. Cuius corpus iidem Duces Valentiam detulerunt, vbi iacet in ecclesia maiori.

De vxoribus eius & liberis.

VXORES plures accepit, Mariam Nauarræ Regis filiam, quæ filiam peperit Ioannam quæ fuit vxor Ampuriarum Comitis, & duas alias, quarum altera nupsit Federico Siculorū Regi Petri filio, & altera quæ paruula migrauit à vita. Peperit & filium Petrum, qui

natus paucis diebus obiit. Ioanna autem defuncta, Leonoram duxit Portugalliæ regis filiam, quæ post confectas nuptias perbreui spacio temporis obiit. Qua mortua, Leonoram duxit filiam regis Siculorum, ex qua suscepit Ioannem & Martinum filios, quorum alter ei successit in regnis, & alter fuit Dux Montis albi. Genuit & filiam Leonoram, quæ, vt supra narrauimus, nupsit Ioanni Castellæ regis filio. Leonora quoque defuncta rex iam senio confectus, amore cuiusdam mulieris viduæ deperditus, hominis admodum pauperis filiæ, quæ Sibilia Forciana vocabatur, propterea quod in oppido nomine Forcia in Ampuriarum prouincia nata fuerat, eam demum duxit vxorem, quæ filiam peperit vnicā nomine Hisabellam, quæ fuit vxor Iacobi Comitis Vrgelli & Vicecomitis Agerensis.

De eius indulgentia & obsequio erga Sibiliam Reginam.

CÆTERVM Petrus Aragonum rex hac vxore suadēte, cui omnibus in rebus nimis obsequebatur, & omnia indulgebat, à se multos ob res male gestas alienauit, multaq; fecit grauia & censura digna populari. Siquidem, vt Sibiliæ reginæ morem gereret, Ioannē filium primogenitum abdicare conatus est. Quod quidē & sine vlla causa fecisset omnino nisi regni nobiles populique reclamassent. Et Ampuriarum Comitem generum suum, quem oderat regina, indignissime tractauit, multisq; bonis & honoribus priuauit: ac Ioānam filiam pro Comite marito suo intercedentem Barcinonæ coram plurimis nobilibus aperta manu percussit in facie. Quæ nimia verecundia summoque dolore percussa cum domum suam se contulisset, paucis diebus obiit.

De morositate eius & aliis rebus.

IN domus autem suæ familiæque componendis ordinibus & viuendi nouis peruestigatis exemplis & domesticis officiis fuit adeo diligens ac morosus, vt non immerito Ceremoniosus & superstitiosus fuerit appellatus. Qui tempore belli quod aduersus regem Castellanorum gessit, Barcinonam vasis omnibus aureis & argenteis aliisque preciosis rebus euacuauit, & argentea quidem vasa cuncta conflauit in regales argenteos signo ciuitatis impressos: ex aureis vero florenos percussit cum signo lilii floris & imagine S. Ioannis, vt sunt aurei Florentinorum. Quod monetæ genus primum Barcinonæ cœptum, postea Valentiæ, Maioricis, & Perpignani fieri iussit. Valentiæ præterea sua arma concessit, quæ sunt in clypeo baculi crocei rubriq;, & corona desuper imposita.

De tempore mortis eius & ætate.

PRÆFVIT autem regnis annos vnum & quinquaginta, qui discessit à vita Barcinonæ, anno millesimo tricentesimo octogesimo septimo, natus annos septuaginta duos, & primum iacuit Barcinonæ in ecclesia maiori quam Sedem Barcinonenses vocant, & deinde fuit delatus in monasterium Populeti.

De Ioanne Petri filio & successore, Aragonum Rege decimo quarto & Comite Barcinonæ.

IOANNES in regnis mortuo patri succedens, vxorem duxit Matthæam filiam Comitis Armeniacensis, ex qua filiam genuit nomine Ioannam, quę nupsit Matthæo Foxæ Comiti. Cæterum Matthæa cum hanc filiam peperisset, breui tempore mortem obiit. Et Ioānes rex duxit vxorem Violantam, filiam Ducis Ebaris, quæ peperit filium qui Cæsaraugustæ paruulus obiit, & Gerundæ Delfinus dicebatur. Peperit etiam Violantam filiā, quæ nupsit Ludouico regi Neapolis & Andegauensium Duci.

De morum eius varietate & indulgentia erga secundam vxorem.

FVIT autem rex Ioannes Matthæa prima eius vxore viuente munificus, benignus, multisque virtutibus excellens, & omnibus regnorum suorum populis & nobilibus admodum charus, pacis studiosus, & Musicæ cultor insignis. Vbi vero Violantam duxit, eius voluntati nimis obsecutus & omnia indulgens, à se cunctorum fere nobiliū & multorum populorum mentes & cultus auertit. Quod cum animaduertisset vxor Violanta, vt Aragoniæ nobiles & Barcinonæ principatus equites opprimeret, omniaque sola disponeret, & ad arbitrium suum administraret, Armeniacensem Comitem multosque Galliæ proceres cum magna hominum multitudine, rege consentiente, ad se, vt conuenirent, in Hispaniam vocauit. Quibus appropinquantibus, & iam vltra Gerundam ciuitatem trāsgressis, Martinus Ioannis regis frater cum multis equitibus Aragonum, Cathalanis, & Valentinis occurrit, ac illorum multis occisis, reliquos ab Hispaniæ finibus expulit. Quo prælio

Valentinorum multi qui ſuam illic virtutem militarem & inuictos erga regiam dignitatem animos viriliter oſtentarunt, à rege nobilitatis titulos & equeſtris ordinis dignitates acceperunt, ex quibus fuerunt inter alios quorum nomina mihi minus nota ſunt, equites qui nunc à Villa noua cognominantur, & Scribarum domus, Corellarum genus, & familia Montagnus.

De rebus quæ tempore eius in ſuis principatibus acciderunt.

HOc Ioanne regnante, & in Auguſta cæſarea commorante, nonis Auguſti, anno milleſimo tricenteſimo nonageſimo primo, populi Barcinonæ principatus, Aragones, Baleares, Valentini tumultuantes aduerſus Iudæos inſurrexerunt omnes, exceptis Cæſarauguſtæ ciuibus quos regis præſentia cõpeſcuit. Qua perſecutione in Iudęorum perniciem violenter exacta, rex nonnullos qui præcipua motus & ſeditionis cauſa fuerant, capite puniuit, & alios magna parte bonorum mulctauit. His exactis pœnis, ad Baleares cum regina profectus, Maioricarum ciues, vt ducenta millia florenorum perſoluerent, coegit.

De reditu eius in Hiſpaniam & morte repentina.

HInc in Tarraconenſem prouinciam remeans, cum ventis reluctantibus Barcinonæ littus tenere non potuiſſet, in loco qui dicitur Caput Crucis apud Ampurias expoſitus, in oppidum Caſtellonem ſe recepit. Vbi per aliquot dies commoratus, in ſaltus & mõtes propinquos cum multis equitibus venatum profectus cum lupum venatores occidiſſent, dum, ſi lupus an lupa eſſet, à venatoribus quæreret, repente mortuus è mula qua vehebatur, decidit. Cuius corpus Barcinonæ ſepultum iacuit in eccleſia cathedrali, quod deinde iuſſu Martini fratris Populetum delatum fuit. Obiit autem quartodecimo Kalendas Iunias, anno milleſimo tricenteſimo nonageſimo ſexto.

De duobus Martinis Regibus, patre & filio, altero Aragoniæ quintodecimo & Barcinonæ Comite, & altero Siciliæ.

IMPERANTE in Aragonia rege Ioanne, de quo proxime locuti ſumus, Martinus eius frater dux Montis albi Mariam Lunæ Comitis filiam vxorem duxerat, ad quã mortuo patre ſine filio ſucceſſore Lunæ Comitatus iure deuenerat. Ex hac vxore filium ſuſcepit nomine Martinum, qui Federici Siciliæ regis filiam duxit vxorem, & Federico ſocero ſine virili prole defuncto ratione matrimonii Siciliæ regni titulos & coronam accepit. Cuius pater Martinus cum de Ioannis Aragoniæ regis ſui fratris erga ſe voluntate dubitaret, quoniam eum a quibuſdam de ſua & Martini filii morte paranda ſolicitari nonnullis coniecturis animaduerterat, cum filio & nuru paruiſque copiis Cathalanorum, Aragonum, & Valentinorum in Siciliam traiecit, oblata vel honeſta tunc occaſione, propterea quod in Sicilia principibus, vt fieri ſolet, abſentibus, magni tumultus & multæ ſeditiones erant. Vbi ſeditionibus compoſitis, ſedatiſque tumultibus, nurus & filii nomine Siciliæ regno tantiſper præfuit, donec legatos Aragonum de regis Ioannis morte nuncios accepit. Ad quem mortuo rege Ioanne ſuo fratre ſine filio (ſic enim Petrus eorum pater in teſtamento reliquerat) Aragoniæ regni ſucceſſio ſpectabat.

De aduentu eius in Hiſpaniam & aliis rebus.

CELEBRATIS igitur in Sicilia tota Ioannis regis exequiis, cum ſeptem triremibus & aliis nauibus, multis Hiſpanis & Siculis comitatus equitibus, ad Marſiliæ portum delatus eſt. Hic dies quinq; commoratus, Auinionem petiit, vbi tunc erat ſedes Benedicti Lunæ ſummi Pontificis, a quo fuit exceptus honorificentiſſime. Hinc autem profectus in Hiſpaniam, primum Barcinonã, & deinde Cæſarauguſtã peruenit, vbi rex ſalutatus ab omnibus, cum magna ciuiũ lætitia coronatus eſt in eccleſia ſancti Saluatoris, Idibus Maiis anno milleſimo tricenteſimo nonageſimo octauo.

De morte Mariæ vxoris eius, & coniugio Margaritæ.

A Coronatione eius anno fere nono Maria regina multis corporis fatigata laboribus & animi curis confecta migrauit ab humanis in Villa regali regni Valẽtiæ. Qua mortua Martinus rex habendorum liberorum cupidus, vxorem duxit Margaritam Pratarum Comitis filiam, Benedicto Luna ſummo Pontifice diſpenſante, propterea quod ei valde proximus cum illa cognationis gradus intercedebat. Cæterum natura minus eius deſiderio ſatisfecit. Ex ea enim prolem nullam prorſus habuit.

De mor

De morte eius & Martini filii Siciliæ Regis.

SVB idem tempus obiit etiam Martinus rex Siciliæ filius eius in ciuitate Callari, Sardis qui rebellauerant subactis,& in obsequium Martini patris eius adductis. Discessit autē à vita quinto Kalendas Sextilis, anno millesimo quadringentesimo nono, & iacet in ecclesia ciuitatis Callaris apud aram maiorem. Post mortem vero Martini Siciliæ regis superuixit Martinus pater eius rex Aragonum menses ferme decem,qui discessit ab humanis prope Barcinonam in monasterio monialium ordinis Cisterciensis, cui Vallis dōzellæ nomen est,pridie Kalendas Iunias,anno millesimo quadringentesimo decimo. Hinc autem Barcinonam delatus, in ecclesia Pontificali quam Sedem Barcinonenses vocant, sepultus honorifice iacuit ad latus aræ maioris vsque ad tempus regis Alfonsi Ferdinandi sui successoris filii, à quo simul cum Violanta regina fuit in Populeti monasterium collatus,vbi iacet cum reliquis Aragoniæ regibus. Regnauit autem Martinus rex Aragonum annos quatuordecim, qui moriens sine liberis Aragoniæ regnum ad patriæ & bonorum regnicolarum iudicium reliquit, vt scilicet propinquiorem ac meliorem virum,& cui iustius regnum deberi videretur,ac tutius committi posset,eligerent.

De Ferdinando Ioannis Castellæ regis filio,qui post Martini mortem Aragoniæ successit, rege sextodecimo & Barcinonæ Comite.

CÆTERVM vt Ferdinandi ad Aragoniæ regnum successio referatur, pauca repetēda sunt prius,quibus non Ferdinandi solum successio,sed filiorum quoque eius paternū ac maternum genus agnoscetur. Ab Ioanne itaque Castellæ rege,qui fuit Hisabellæ reginæ nostri temporis Ferdinandi regis vxoris paternus proauus,dicere in animo est. Ioannes Castellæ rex,vt paulo ante mentionem fecimus,Leonoram Petri Aragonum regis filiam in matrimonium duxit,quæ duos peperit filios, Henricum qui ob infirmam corporis valetudinem Valetudinarius fuit appellatus, & Ferdinandum de quo loquimur. Ex quibus Ioannes pater Henricum maiorem natu regem instituit, & Ferdinando quē propter eximiam eius corporis animique præstantiam plurimum diligebat, moriēs magnam bonorum mobilium partem testamento reliquit. Henricus autem mortuo patre, quamuis minus prospera corporis valetudine, singulari tamen animi sapientia cæterisque virtutibus quæ ad bonum principem spectant,regnum sanctissime gubernauit,& Ferdinandum fratrem cuius erga se fidem cæterasque virtutes egregias in multis & magnis rebus perspexerat,summo semper amore dilexit. Cui præter multam pecuniam magnaque munera,multorum quoque oppidorum possessionem & cum omnibus iuribus proprietatē donauit, propterea quod eius animi gratitudinem prius in exiguo munere cognouerat. Quare non immemor fraternæ beneuolentiæ regiæque liberalitatis Ferdinandus, cum post fratris Henrici regis mortem omnes fere Castellæ magnates Toletum Castellæ primariam ciuitatem conueniissent, vt quem essent habituri regem cognoscerent,ipsumque Ferdinandum sese vehementer optare significarent, nulla quidem cunctatione nullaque dominandi cupiditate captus,Ioannem statim fratris Henrici filium admodū paruulum suo humero impositum cunctis astantibus ostendens,rex,inquit,proceres hic est,Ioannes fratris mei filius,nobis omnibus legitime colendus.Ego autem tantisper eius nomine Castellæ regni gubernandi curam suscipiam,donec meus hic Ioannes ex fratre nepos adolescat.Huic igitur,vt nos ratio regnique iura monent,obsequium præstemus, solenniqúe sacramento rituque nostro seruato,nos regem hunc habituros astringamus.O vocem diuinam & summis laudibus extollendam! quæ quidem naturam superauit humanam, quę prorsus imbecilla est ad potentiam contemnendam. Hic igitur Ferdinandus cum maximis plurimisque virtutibus magnopere polleret,ab omnibus quidem totius Hispanię populis mirum in modum colebatur. Quapropter Martino Aragonum rege auunculo suo mortuo,cum hæreditario iure(erat enim Leonoræ Martini sororis filius)tum eximio suarum virtutum splendore,ab Aragoniæ magnatibus ac populis ab Antiquera,quod est Bęticæ prouinciæ oppidum,per legatos accitus est,vt Aragoniæ regis titulum,possessionem, & coronam acciperet:commonitis tamen & citatis prius omnibus eius competitoribus, scilicet Federico Comite Lunæ Siciliæ rege Martini regis Aragonum nepote, Ludouico rege Neapolis & Andegauensium Duce, Matthæo Comite Foxano, Alphonso Gandiæ Duce & Ribagorciæ Comite,& Iacobo cognomento Pratensi. Quorum partim venerunt,partim procuratores miserunt. Cæterum cum super hoc dissensiones inter Aragones,Valentinos,& Cathalanos orirentur, in quibus præter alios etiam Garsias Cæsaraugustanus Archiepiscopus cum Antonio Luna liberius contendens occisus est, quoniam alii Ferdinandum, alii Iacobum Aragonum Vrgelli Comitem, alii Ludouicum Gandiæ

Fernandi competitores.

Ducem regem optabant. Vt igitur maioribus malis occurrerent,& populorum accensos animos extinguerent,& furores compescerent, nouem viris virtute vitaque probatissimis commissa res est, quorum iudicio ac sententia rex Aragonum futurus eligeretur. Fuerūt itaq; huius rei iudices electi ex Aragonibus, Dominicus Oscetanus Episcopus, qui postea fuit Cardinalis, Berengarius Bardaxinus iureconsultus egregius, & Franciscus Arancitanus eques. Valentinorum nomine fuerunt, Vincentius Ferrariensis ordinis prædicatorum, qui post mortem non sine multis magnisque miraculis sanctorum catalogo fuit ascriptus, Ludouicus Cartuxanus prædicti Vincentii frater, & Petrus Beltranus successor Generii Rabaci, qui eo tempore in insaniam incidit, quam (vt nonnulli volunt) ne sententiam suam diceret, simulauit: tametsi mente captum fuisse certissimum constat. Pro Cathalanis vero Sagariga Tarraconensis Archiepiscopus, Guillelmus Valseca, & Bernardus Gualbes sententiam laturi erant. Qui simul omnes hanc ob causam in Caspam Aragoniæ prouinciæ oppidum omnium consensu sese contulerunt, vbi complures dies commorātes, & vt veri prudentes omnia quæ in posterum potuissent accidere cogitantes, tandem seruatis competitorum iuribus, & eorum perspectis moribus & rebus gestis, Ferdinādum cæteris prætulerunt. Quem quidem non immerito coronandum iure declararunt. Quorum iudicium, quoniam eorum sapientiam & vitæ sanctitatem satis perspexerant, omnes quidem partes dissentiente nullo tanquam Dei oraculum acceperunt, & cum ingenti omnium lætitia Ferdinandum confestim regem appellauerunt. Qui cum in Castellæ regno, vt supra dictum est, magnum oppidorum numerum magnumque patrimonium ab Henrico fratre relictum habuisset, Vrracam quæ mox Leonora nomen accepit, Alburquerqui Comitem admodum diuitem vxorem duxerat, cuius erant oppida quinque, & Castellæ principatus qui Hispane dicitur Infantatus. Ex qua Ferdinando fœlicissima proles orta est. Quinque enim filii nati sunt omni naturæ munere præstantes, Alphonsus qui patri omnibus successit in regnis, suaque virtute proprioque labore Neapolitanorum regnum adeptus est: Rex quidem vnus maximum sui temporis omnium virtutum ac præcipue liberalitatis exemplum. Fuit enim munificentissimus princeps. Quo factum est, vt omnium hominum gratiam facile promeruerit. Sed de hoc alias. Secundo autem loco natus est Ioannes, qui cum ex dote Blanchæ reginæ Nauarræ, regis Nauarræ nomen & coronam assumpsisset, deinde Alphonso fratre sine legitimis liberis & successoribus moriēte Siculis & Aragonib. imperauit: de quo iam plenam confecimus historiam. Post Ioannem natus est Henricus, qui sancti Iacobi ordinis magister equitum fuit: deinde Sanctius qui Alcantaræ & Calatrauæ ordinis militiæ præfecturam gessit: postremo vero natus est Petrus qui Neapolitano bello periit. Filiæ quoque duæ, Maria quæ nupsit Ioanni regi Castellanorum, & Leonora quæ fuit vxor regis Portugalliæ. Sed ad Ferdinandum redeo.

Ferdinandi proles fœlicissima.

De eius aduentu in Aragoniam & coronatione.

IN Caspæ igitur oppido publice lata pro Ferdinando sententia coram Benedicto Luna summo Pontifice, regni proceres oratores ad eum statim miserunt. Quibus accitus ad accipiendam Aragoniæ regni successionem, cum liberis & vxore multis Castellæ nobilibus comitatus, Cæsaraugustam venit, vbi in maximo populorum & equitum totius regni conuentu celebratis conditionibus & statutis, ac obseruandorum priuilegiorū facta confirmatione, fuit honorifice coronatus in ecclesia sancti Saluatoris, tertio Nonas Septembris, anno millesimo quadringentesimo duodecimo. Qui priusquam vocatus esset ad Aragoniæ regnum, acre bellum Mauris Granatensibus intulerat, quos Antiquaria & aliis expugnatis oppidis, magnis cladibus affecerat.

De rebus eius gestis post acceptum Aragoniæ regnum.

VBI vero Aragoniæ suscepit imperium, noui principatus rebus iam compositis, multa præclare gessit, & Iacobum Comitem Vrgelli qui contra eum rebellauerat, captū & bonis omnibus mulctatum, custodibus adhibitis in Castellam misit. Vnde mox in Xatiuæ castellum detrusit perpetuo carcere damnatum. In quo Comes angustiæ carceris impatiens breui tempore vitam finiuit.

De aduentu Sigismundi Imperatoris ad eum in Hispaniam.

Schisma lethiferum Romæ.

ERAT hoc tempore Romæ lethiferum schisma, & ecclesię multorum annorum perniciosa diuisio. Tres enim Pontifices erant, quorum vnus Benedictus Hispani generis qui ante pontificatum Petrus Luna dicebatur, diuersarum factionum veritus insidias in Hispa

in Hiſpaniam venerat,qui,vt ſupra ſcripſimus, coronationi Ferdinandi regis præfuerat. Cuius cauſa rex Ferdinandus & Chriſtianæ religionis amore commotus, legatos ad Imperatorem Sigiſmundum miſit rogatum vt Niſam, quæ ciuitas eſt Galliæ maritima non longe ab Hiſpaniæ finibus,conuenirent,vt ſchiſma iam diuturnum tollerent,& vniuerſæ Chriſtianitati & Dei eccleſiæ conſulerent. Sigiſmundus autem Chriſtianiſſimus Imperator,accepta legatione ſanctoque Ferdinandi regis cognito deſiderio,ſimul cum legatis eius iter ingreſſus Niſam venit.Interim vero Ferdinandus etſi Valentiæ,vnde legatos ad Imperatorem miſerat,grauiſſimo morbo decubuerat,triremem tamen ingreſſus è Valētia ad Colibritanum portum magno dolore fatigatus peruenit.Hinc lectica Ruſſinonem oppidum quod Perpignanum vocat,delatus,indies creſcente morbo vltra progredi non valuit.Quapropter de valetudine eius certior factus Imperator, ad eum Ruſſinonem venit.Cui Ferdinandus in Hiſpaniam iam ingreſſo Alphonſum cum reliquis filiis magnoq; numero nobilium obuiam miſit,& interea ſanctiFranciſci monaſterium,propterea quod erat capaciſſima domus,hoſpitium parare iuſſerat.Ille autem cum veniſſet, vbi paululum conquieuit,regem in lecto iacentem adiit, & honorificentiſſime receptus eſt, longoque ſermone vltro citroque habito, demum familiaribus amotis,duo ſoli multa contulerunt. Hinc digreſſus Imperator ad Pontificem Benedictum in oppidi arcem ſe contulit. A quo magnis honoribus exceptus,& eius pedes oſculatus, Ferdinandi regis & omnium Chriſtianorum principum ſuoque nomine multa verba fecit,cui ſuam & aliorum voluntatem apertiſſime declarauit(Nam cæteri reges ad Imperatorem ſua vota detulerant)& prudētiſſime ſupplicauit,vt quemadmodum Pontifices alii pro communi Chriſtianorum ſalute & Dei cultu & honore facere parati erant, ipſe quoque pontificatus onus & dignitatē deponeret. Benedictus autem quo magis ab Imperatore rogabatur, eo pertinacius in ſua contumacia permanebat,affirmans vnum ſe dumtaxat atque verum eſſe Pontificē.Tunc Imperator ad Ferdinandum regem reuerſus,ei Benedicti propoſitum retulit. Rex igitur & Imperator illi obſequium denegarunt, & ne quis eum Pontificem diceret, iuſſerunt. Quod vbi Benedictus intellexit, metuens ne vel captus pontificatum dimittere cogeretur,vel aliquod periculum ſubiret, noctu clam egreſſus ex oppido Colibrim ſe contulit, ac prima luce triremem quam ibi paratam cum aliis habebat,aſcendit. De cuius diſceſſu rex Ferdinandus certior factus, equites ad eum ſtatim miſit ſupplicatum, ne diſcedere vellet,propterea quod apud ſe tutius eſſe poſſet,quam apud alium quenquam.Cui Benedictus per equites ad ſe miſſos hoc modo reſpondit: Mene qui te feci in deſertum miſiſti? Alluſit enim ad regis coronationem,cui Benedictus Pontifex,vt ſupra diximus, præfuerat,perinde ac ſi dixiſſet,ego te regem feci,& tu vis me priuare Pontificatu? Hoc reſponſo dato remos impellens in Peninſulam,hoc eſt in inſulam paruulam quæ Paniſcula dicitur,apud Valentiam ſe recepit. Et Sigiſmundus Imperator ex Hiſpania diſcedens ad imperium reuerſus eſt.Rex vero Ferdinandus adhuc infirmus aduerſa valetudine Barcinonam venit. Hinc in Aragoniam proficiſcens itineris labore defeſſus,in Equalato oppido recidit in grauiorem valetudinem. Qua victus deceſſit quarto Nonas Aprilis,anno milleſimo quadringenteſimo decimo ſexto,ætatis vero ſuæ quadrageſimo tertio. Aragoniæ autem regno præfuit annos quatuor & menſes nouem. Qui ſepultus eſt in monaſterio Populeti. Cuius vxor regina Leonora peractis exequiis in Caſtellam rediit, quæ in oppido Methymna cognomento Campo,ſororum quæ Sanctimoniales dicuntur, monaſterium condidit nomine Sancti Ioannis Dominarum.Ibi perſancte vixit annos nouendecim, & diem ſuum clauſit Nonis Ianuariis,anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimo quinto.

Ferdinandi obitus.

De Alphonſo rege Ferdinandi filio cognomento Magnanimo,qui fuit rex Aragonum decimus ſeptimus,& vtriuſq; Siciliæ,& Comes Barcinonæ.

AD magnam Ferdinandi regis fœlicitatem & inclytam Aragoniæ Siciliæque regni gloriam filius eius Alphonſus,ingens omnium virtutum cumulus, acceſſit. Cuius res magnifice ſtrenueque geſtas, quæ plurimæ ſunt & immortalitate digniſſimæ, ego cōſulto tranſeo.Eas enim Laurentius Vallenſis,& Bartholomæus Faccius,duo præſtantiſſimi viri fideque digniſſimi,chartis nunquam perituris facundiſſime ſcriptas reliquerunt. Si quis igitur Alphonſi regis virtutes & res fortiſſime geſtas ſummis laudibus excultas cognoſcere velit,& Laurentium legat & Faccium,qui de rebus geſtis & virtutibus eius magnam & veram confecerunt hiſtoriam. Cæterum Laurentianum de regis Alphonſi rebus geſtis opus,quod à multis aſſeritur ab eo editum fuiſſe,ego nondum vidi. Bartholomæi vero Faccii magnum volumen,& in decem libros diuiſum,Neapoli perlegi nuper apud quendam Antonium ſiue Bernardinū,cui cognomento eſt Bononia, qui eos Vene-

torum legatis ad Ferdinandum Regem transcribendos commodauerat. Quibus certe libris & recenti fama commotus, Alphonsi Regis multas & ingentes virtutes admiratus, illam demum Stoicorum comprobaui sententiam, quæ mihi perdifficilis hactenus videbatur, vt omnes illi virtutes inesse crederemus, in quo saltem earum vna esse videretur. Atque adeo quidem Stoicorum nunc à me vetus confirmatur opinio, vt nullam prorsus litem deinceps illis intendam. Fuerunt enim in Alphonso Rege virtutes tam cumulatæ & perfectæ, quam multæ. Quæ non modo magnis historiis ac fama circumferuntur, verumetiam multis adhuc viuentibus, & Hispanis equitibus & Siculis, qui rebus ab eo gestis interfuere, memorantur. Ipse quoque memini post captam Neapolim quod Siculos maximis honoribus illustrauit, quibus amplissima munera tribuit, quorum domus & genus præclaris nobilitatis titulis ornauit, quos equestris ordinis dignitate censuque donauit.

De eius eloquentia & eruditione.

CVIVS ego virtutes & res gestas mecum cogitans, illud vnum quod rarissime contigit, nostris præsertim temporibus, persæpe mirari soleo, quod summus Princeps, & quinquagenarius, & maximis plurimisque curis districtus, ad Latinas literas respexit, earumque desiderio commotus & amore iamcaptus, à primis Grammaticę rudimentis veluti puer omni cura solutus discere cœpit. In quibus Laurentio Valla & Antonio Panormita præceptoribus vsus, breui quidem tempore plurimum profecit. Hinc poetas & oratores omnes totius Italiæ atque Siciliæ, quorum consuetudine mirum in modum delectabatur, mirifice iuuit & quam maxime coluit. Qui vbi scientiæ fructum gustare cœpit, amplissimam & pulcherrimam sibi suisque literatis hominibus bibliothecam comparauit, libris quamplurimis conquisitis & emptis immenso precio. Quos autem venales inuenire non poterat, à publicis & priuatis bibliothecis cõmodato, dum transcriberentur, accepit, atq; multa Græcorum volumina cuiuscunque scientiæ per viros eruditos & eloquentes in Latinum sermonem traducere diligentissime curauit. Cuius auspiciis & amplissima liberalitate nimirum, Latinæ literæ quę iam pridem miserandam iacturam fecerant & penitus ad interitum peruenerant, fuerunt ad pristinum statum & meliorem cultum restitutæ, in magnoq; precio ac veneratione habitæ. Floruerunt sub tanto principe quidem non solum bellorum duces & in re militari fortissimi equites, sed etiam vates & rhetores omnes, in omni genere literarum indulgentia summi Regis excitati. Qui quãta & ipse claruit eloquentia, scripta quidẽ eius & orationes quædam facile declarant, quarum, quoniam de rebus eius gestis mentionem nullam sum facturus, aliquid hic apponere placuit, vt cæteri principes aut inuidia palleant, aut idem facere studeant diligenter.

De eius sermone consolatorio ad Gabrielem Surrentinum familiarem.

VT vales mi Gabriel? Medici quidem te extra mortis periculũ esse affirmant, si modo illos obedienter audias. Quod vt facias, te hortor atq; etiam rogo, ne secus faciendo ipse tuæ mortis causa fuisse infameris. Et in medicis quidem haud paruum præsidium vitæ est, verum in Deo multo maius ac certius. Is enim non vitæ modo, sed mortis etiam sanitas & salus est. Illum ergo inprimis ante oculos habeas, illi tota cogitatione adhæreas, qui te fecit, qui te à morte moriens redemit, qui te iudicaturus est. Illum si quando offendisti, nunc contritione, oratione, confessione, & sacris mysteriis tibi places ac propitium reddas. Hæc cum feceris, & facies scio, & quidem deuotissime, si bene pietatem ac constantiam tuam noui, hæc (inquam) cum feceris, illius postea voluntati ac misericordiæ læto & forti animo te permittas. Solus enim, quid nobis profuturum, quid contra nociturũ sit, prænoscit. Nec te timor aut potius opinio mortis offendat. Mors quippe bene pureq; *Mors piis lucrũ* morientibus vita est. Hinc & dissolui cupiunt qui bene vixerunt, & esse cum Christo, vt bene actæ vitę præmium consequantur, lumen ęternum. Et profecto mors vitæ principiũ est, atq; eius vitæ quæ neq; doloribus, neq; metui, neq; inuidiæ, neq; ærumnis vllis subiecta est, neq; ipsi quoq; morti quicquam obnoxia. Et si altius aliquãto repetamus, inueniemus, mortem nihil aliud esse quam peccandi finem. Nam cum Adam contra mandatum Dei in flagitium lapsus esset, ne viuendo culpa reuiuisceret, & in peccato perlisteret, eius corpus è terra factum, terræ Deus reddidit, non vt creaturæ quam fecerat, sed vt peccato quod creatura ipsa cõmiserat, finem imponeret. Deus igitur & principium & finis, cum is vult, nascimur, cum vult, etiã morimur. Et sunt hæc prorsus quidem diuinitatis suæ, nihil ad nos pertinentia: illud vero tantummodo nostro reliquit arbitrio, vt bene recteque viuẽdo bonum nanciscceremur finem. Hoc itaq; quod vnũ nostrum est, id est vt in Christo domi-

sto domino moriamur,summa ope adniti debemus.Quod qui faciunt,nō plane moriuntur,sed transeunt à corruptione ad incorruptionem,à mortalitate ad immortalitatē,à perturbationibus ad tranquillitatem. Non absurde fortassis quidam existimarunt mortē non modo malū non esse, sed bonorum omnium maximum. Verum enimuero quoniā euocationis diem neq; horam nobis scire datum est, perquam salubre fuerit nos præparatos esse cum Deo sentientes & mandatis eius obsequentes,nec diē differre tutū esse,sed insipienter factum potius existimandum. Plærosq; enim vidimus summa corporis incolumitate repente interceptos: contra nonnullos vsq; ad medicorum desperationem redactos conualuisse. Ego quidē in præsentia,vt vides,sanus,integer,& validus sum,adde & tot tantorūq; rex regnorū,opibus,potētia,existimatione fortassis non in postremis: sed nunquid profutura hæc mihi quicquam intelligam ad horam mortis dignoscendam? aut si intelligam,putem me vel temporis momento illi resistere, aut repugnare posse? Minime. Cum hæc igitur omnia in Dei tantū potestate sint, nihil nobis reliquum videtur, nisi cum Deo bene sentiētes,eius præceptis(vt diximus)cum in omni vita,tum in vitæ termino maxime obediamus. Sed quoniam te verbis meis alacriorem aliquāto factum intueor, pergam te monere,& iis quidem monitis,quibus hæc breuis hora non modo sine metu,sed cū gaudio quoq; transigenda videatur. Credimus firme omnes, quod Deus hominē fecerit ad imaginem & similitudinem sui: nec cum fecerit,credimus corpus fecisse sui simile,sed inflasse illi spiritū,id est animam,ad similitudinem sui. Id cum ita sit,quid nobis fœlicius potest accidere,quam dimittere luteum corpus,vitiorū sarcinam,& ad eum euolantes redire,qui nos non dedignatus est ad similitudinē sui facere, quo spiritus noster diuino ipsius spiritu repletus, diuinitatis particeps, & fœlicitatis eius agat æuū, perpetuo inter angelos sanctorū choros? Et quoniam nos similes sui natura creauit,& simile appetat simile,oportebit nos legi naturę parere,hoc est,ipsi Deo,vt nemo vnquam sapiens repugnauit. Natura ergo rapimur ad fruitionē Dei, ad quā ne id refugias, nisi morte migrandū est nemini. O ineffabilē Dei benignitatē! Dedit iis qui credūt in nomine eius vel Dei filios fieri posse,& adhuc veremur mori,atq; id statim facere,quod,velimus nolimus,quandoq; facturi sumus. Sane nisi Deus id expresse vetuisset,nō expectanda,sed consciscenda nobis mors esset, quo citius anima nostra perueniret ad patrē rerū omnium & factorem & Dominū, quo simplicitatē,puritatem,æternitatem,atq;(vt ita dixerim) Deitatem recognosceret,& recuperaret suam in cōtemplatione rerū cœlestium & consortione sanctorum. Quid nos ita,non dicam amplius mors, sed agitatio mortis deterreat,à qua momento temporis absoluimur, & in qua,aut nullus est sensus, aut certe breuis quidā efflatus, & is quidē æquanimitate lenior ac facilior? Adeo ne molles aut insolentes erimus, vt quod omnib. prorsus subeundū est iter, nobis vnis haud esse subeundum arbitremur? Adeo ne stulti atque dementes,vt nobis naturam,non naturæ nos parere debere cogitemus? Atqui viridiore è vita exeo in flore ætatis. Quid refert,obsecro, quam cito quis exeat, si semel exeundum? Nunquam ne animaduertisti,quod quo mauis crescimus,eo magis decrescit vita? Quanquam per immortalem Deum quid in hac vita potest esse diu,cum ipsa etiam hominum longissima vita perbreuis sit,& puncti instar iudicanda,si cum ęternitate eam conferas? vt non temere fortassis credendū videatur, non ex interuallo aliquo, sed vna eademq; hora homines mori & nasci omnes. Cæterum is mihi demum viuere videtur,& in ętate adhuc imperfecta vitam perfectam dúcere,qui vsque ad sapientiam, id est,vsq; ad cognitionem Dei vixit, qui conscientia sua fretus mortis fiduciā præ se ferēs læto atq; hilari animo obeat aut abeat potius. Et si vis etiam, dinumerentur animi & seruetur ordo, vt libet, quid tibi paucorum annorum accessio boni potuisset afferre? aut quid non mali potius? Tibi summa nunc tui principis gratia, tibi fratres & parentes incolumes,tibi patriæ ipsius tuæ & haud paruus propterea dominatus, tibi facultates & copiæ nō mediocres, sed horum pleraq; fortunæ temeritate reguntur. Quæ certe nobis pro gratia inuidiā & maleuolentiā subegerit, pro sanitate morbos & ægritudines, pro dominatu seruitutem & exilium, pro fluentia & diuitiis paupertatē & inopiā, pro bona ætate tædiū atq; odiū. Hi nimirum, hi fructus sunt quos præsens vita acerbissimos exornare consueuit, quos euitare & morte pręcidere sapiens vir, si liceat,debet,& tunc secum bene fœliciterq; actum esse existimare,si cum hæc fucata & fallacia bona sibi arriserint,ea deserat. Nec vero te vlla de parentibus aut fratrib. quos relicturus fortassis es,subeat solicitudo. Eos quidē mihi cordi iam iamq; esse & fore scias,nō minus sane, ne quid ardentius dicā,quam te ipsum,in cuius recordationē Martinum fratrem & ipsum præclaræ spei adolescentulū in tuos honores,in tuas fortunas,& fortunarū spē protinus assumo. Tu vale æternū,& si mandatis meis impigre semper obtēperasti,nunc si à Deo Opt. Max. ac regū Rege tibi vitæ exitus denunciari

Mors p. orum.

Benignitatis diuinæ præconium.

In vita nihil diuturnum.

videatur, lætus agensq; gratias pare & obtempera. Hac oratione confirmatus & erectus adolescēs, paulo post hilariter & cum Dei mira cognitione migrauit. Rex illi inferias magnifice persoluit, & sepulcro huiusmodi distichon exculpi mandauit.

Qui fuit Alphonsi quondam pars maxima Regis:
Gabriel, hac modica nunc tumulatur humo.

Oratio eius ad Ferdinandum filium contra Florentinos proficiscentem.

COMPVLSVS tandem Florentinorum iniuriis quas nobis ac Venetis sociis & amicis nostris quotidie inferre pergunt, constitui animo te quo nihil habeo in vita charius, aduersus eos cum hoc exercitu mittere, sperans Dei ope qui iustitiæ fauet, & tua atq; horum militum virtute fore, vt acceptas iniurias vlciscamur, simul vt cognoscant iniuste se fecisse, qui cum hostibus nostris fœdus atque amicitiam iunxerint, seq; in eo errasse, neq; satis recte eorum reipubl. consuluisse. Et quo id alacriore animo suscipias agasque, hosce veteranos commilitones meos mihi charissimos, quos tibi magnę gloriæ, si iis vti scieris, futuros reor, trado tuæq; fidei mando, quorum virtus ac fides multis meis magnis laboribus ac periculis superioribus bellis mihi nota & spectata est, quorum opera omneis ad hunc diem victorias & Neapolitanum hoc regnum triumphumque adeptus sum, quibus denique adiutoribus ac bellicis magnam Italiæ partem maiorum nostrorum imperio & gloriæ adiecimus. Hos velim in primis ames charosque habeas, putesque nihil ne vitam quidem ipsam à me tibi commendari posse diligētius. Quod cum feceris, meam à te gloriam amari expetique tunc denique existimabo. Hos vide ne temere in discrimen mittas. Nec vero multum à te cohortandi aut oratione incitandi erunt, si quid periculi subeundum fuerit, magis à te reprimendus moderandusque, quam verbis accendendus eorum animus erit. Tales tibi viros ad necessarios casus reserues facito, in quibus scilicet de dignitate tua agatur aut fama. Nec vero apud me dubium relinquitur, quin eos ita habiturus sis, vt Imperatorem eundem habere se sentiant. Id autem te ante omnia monitum velim, ne tantum tuæ aut horum militum fortitudini fidas, vt arbitreris absque diuina ope à te hostes superandos. Victoria enim non ex hominum consiliis, sed ex summi Dei voluntate ac potestate proficiscitur. Tum deniq; tibi militares artes profututas scito, cū Deum tibi pietate ac iustis factis propitium reddideris. Eum igitur, si vincere expetis, pura mente colito, spemque omnem victoriæ in eo reponito. Et si quando, quod solet in bello contingere, tibi quidquam aduersi acciderit, quo existimare possis ipsum Deum tibi subiratum esse, vide ne ab eo per impatientiam aut animi perturbationem discedas, sed potius satisfaciendo ei reconciliari stude. Solet enim Deus quos diligit, interdum malis afficere, & quos constantes in aduersis videt rursus in meliorem fortunam restituere. Existimationis diligentissima tibi ratio habenda erit, putandumq; nihil ea in re humanis rebus pluris esse aut fieri debere: quippe cum victoria nonnunquam magis existimatione & fama, quā militum robore ac virtute comparetur. Et victoria quidem sæpe cladibus mutatur, at fama si cum probitate & fide cōiuncta fuerit, & permanet & cum omni æuo perdurat. Honestati itaq; à te incumbendum erit, qua detracta, nec principi illi Deo placere, neq; apud mortales autoritatem vllam stabilem aut gloriam consequi possumus. Venetorum vero amicorum ac sociorum nostrorum rempublicam nostram esse existimato, eamque non minore studio ac diligentia quam statum nostrum defendito. Pro qua quidē conseruanda & amplificāda, nec sumptui nec militum labori parcas iubeo. Cum iis eo animo societatem iunxi, vt quandiu nobis vita contigerit, omnia eorum prospera & aduersa mihi cōmunia habiturus sim. Nec te ab hoc proposito deterreat, aut pecuniæ, aut alius cuiuspiā rei indigentia. Namque omnia quæ bello vsui fuerint, tibi à nobis abunde suppeditabuntur, & (vt vno verbo agam) non magis tibi quam mihi ipse defuturus sum, vt scias si modo tibi ipse non defueris, nihil tibi per nos defore. Illud postremo obseruato ac mandato memoriæ, in quo tua laus & gloria elucescet, si qui ex hostibus antequam oppugnentur in deditionem veniant, eos benigne in fidem tuam recipias: ac si qui fortasse obstinatioribus animis diuturnam obsidionem pertulerint, cum in potestatem tuam venerint, clementiam potius quam illorum pertinaciam respicias, magisq; quid te ac gēte nostra, quæ semper crudelitatem odio habuit, quam quid illis dignum fuerit cogites. Quę si obseruaueris & nobis lætitiam & tibi gloriam paries.

Ars militaris quando prosit.

Morem quem seruet Deus in electis.

Oratio Dominici Firmani Cardinalis ad eum pro Italiæ pace concilianda.

REM sane facilem & tibi vltro expetendam (vt pro omnibus his legatis verba faciam) à te Rex oratum venimus, pacem scilicet ac societatem tuam, quorum vtrumque & dare

& dare & accipere tuæ bonitatis eſt, præſertim hoc miſerrimo tempore, quo vniuerſo Chriſtiano generi ac religioni noſtræ ſanctiſſimę periculũ ab exteris nationib. impendet. Quæ cauſa in primis hoſce populos ac principes mouit, vti armis poſitis communi quieti cõſulerent. Nec vero putes ab hiſce in agenda pace cõtemptui eſſe aut neglectui habitũ, quod eã te incõſulto fecerint. ita enim fieri neceſſe fuit, quo facilius cõficeretur, quæ fortaſſe aliquãto plus difficultatis alioquin fuiſſet habitura. In ea enim haud prætérita eſt honeſta de tua dignitate mẽtio. Sed & tibi relictus & cõceſſus eius ineundæ locus. Nec tu id in ſtatus tui detrimentũ aut dedecus vllum factum arbitrere. Quod ſi te nõ alia ratio moueret, quam Italicæ quietis, quæ prouincia diutiſſime exagitata atque inteſtinis bellis vexata eſt, ita vt qui vicit, ſimilior victo videatur, eſſe tamen & æquitatis & humanitatis tuæ communem hanc pacem & ſocietatem amplecti, vt tandem aliquando, quantum in te eſſet, quieſceret, atque vt hanc ex ea pacata laudem gloriamque tuarum laudũ cumulo adiiceres. At cum in præſentiarum non de ea pacanda, ſed potius de tutanda & conſeruanda agatur, multo magis debes communi huic fœderi & conſentiẽti cæterorum populorũ ac principum voluntati acquieſcere. Imminet enim nobis bellũ & graue & periculoſum, quale multis iam ſæculis in Italia non auditum. Agitur ſalus Italię, agitur ſalus totius Chriſtianæ Reipublicæ, agitur ſalus ſanctiſſimæ religionis noſtræ. Mahometus atrociſſimus Chriſtiani nominis hoſtis non contentus capta Conſtantinopoli, quæ vrbs à Conſtantino potiſſimum aduerſus Teucrorum impetus condita eſt, in cuius expugnatione, quas cædes, quæ incendia, quas rapinas, quos inceſtus, quas templorum violationes, quas ſacrorum corporum prophanationes, quæ Chriſti Dei noſtri, quæ virginis ſanctiſſimæ ludibria commiſerint, non es neſcius: non contentus (inquam) Græcia oppreſſa, quæ aut iã omnis paret, aut metu eius contremiſcit: non contentus denique finitimarum gentiũ obſequio, emergere iam è Græciæ clauſtris, atque in Italiam erumpere, Romamq; caput ac ſedem ſacroſanctæ religionis noſtræ petere velle minitatur. Nec ſolum nullam accepit pro tantis ſceleribus ſuis pœnam, ſed tertium iam annum Thraciæ Græciæq; dominatur, omni interim poſt captam Conſtantinopolim tempore ad comparandos exercitus contrahendaſque vires ex quibuſcunq; gentibus collato. Perſuaſit ſibi hoſtis callidiſſimus, ſi diſſentientem Italiam inuenerit, ea ſe facile potiri poſſe: hac autem ſubacta cęteros Chriſtianos populos ac principes imperata facturos. Properat hoſtis acerbiſſimus, quo nos bello contendentes improuiſo opprimat, nullum tempus peſtiferis conſiliis eius exequẽdis aptius exiſtimans. Nec fallent eum profecto cogitationes ſuę, ſi ocioſi illius conatus expectabimus, ſi non occurrerimus eius furori. Tanta eſt eius potentia, tanta auri atq; argenti vis, tanta claſſium moliendarum opportunitas, tanta denique eius hominum in bellum multitudo. Clauſum eſt iam mare Ægæum nauibus noſtris, nec amplius niſi plures ſimul onerariæ, eęque magnæ, Ægæi maris inſulas & orientales oras, quibus in locis Chriſtianis negociatoribus vberrimus quæſtus ſolebat eſſe, adire iam nõ poſſunt. Clauſum eſt nobis mare Ponticum, & ipſum generi noſtro fructuoſum, caſtellis tranſitum impedientibus in ipſo Boſporo Thracio ab vtroq; littore excitatis. Habet præterea in bellum conſentiẽtes Scythas genus hominum & multitudine & corporum robore, & bellandi artibus formidabile, qui Chriſtianorũ oppida quæ in Ponto ſunt, aut breui opprimẽt, aut certe quieta eſſe non ſinent. Diuiſit iam in omnes partes Barbarorum & infidelium nationum oratores, ad eos maxime quos mari viciniores expeditioni ſuæ prodeſſe poſſe intelligat, vt illorũ auxiliis atq; opibus ſuffultus incorruptiſſimam fidem noſtrã funditus euertere, ac ſacrilegi illius Mahometi (quod Deus auertat) nefandis legibus ſubiiciat. Nec dubium eſt quin & Syros, & Afros, & Mauros reges, & cæteros etiã à mari remotiores aduerſus Chriſtianos in belli ſocietatẽ trahat. Mira eſt enim vis religionis, quæ etiamſi mala ac deteſtabilis ſit, tamen animis ſemel inſita ac penitus impreſſa, inflãmare homines & concitare ad ſui timorẽ ſolet. Omnes enim quam ipſi colunt religionem, potiorem ac ſanctiorẽ aliena putant. Hæc mala Italię atq; pericula ſola pax atque conſenſus vel tollere, vel ſubleuare poteſt. Tantũ enim eſt Italiæ in armis nomen, vt vel ſolo rumore confectæ pacis ac publici fœderis poſſit inſolentiſſimũ hoſtem à pernicioſis conatibus ſuis abſterrere. Sed nec hoc quoq; ſatis eſt. Duce enim & autore opus eſt, præſertim bello maritimo, in quo maxime victoria repoſita videatur. Qui enim plus claſſe potuerit, facilem profecto terreſtris belli victoriam cæteris reliquerit. Nam quandiu mare illi tutum ac liberum fuerit, nec cõmeatu nec milite propter vicinitatem terræ Aſiæ ac paterni regni prohiberi poterit: quo cõmercio atq; opportunitate ſublata aut fame aut ferro vincatur neceſſe eſt. Te aũt vno neminẽ aptiorẽ ad tantũ imperiũ gerendũ arbitãtur, oẽs ad te ſummo conſenſu hanc præfecturam deferunt, vident in te omnia abunde eſſe quibus eiuſmodi Imperatorem præditũ

esse oportet,summam scilicet belli scientiam,egregiam virtutem,amplissimam autoritatem,maximam fœlicitatem. Quarum omnium reru mirifica exempla iis quæ gessisti bellis demonstrasti,Neapolitano,Marsiliensi, Hispaniensi,Africano. Vident etiam id quod maxime in huismodi bello requiritur, te maritimis copiis ac nauibus plurimũ posse, tantumq; Maiestati tuæ tribui, vt nulla Italiæ ciuitas,nulla classis futura sit,quæ tua signa non libens sequatur, quæq; mandatis tuis parendum non existimet. Quæ res maxime in hac expeditione necessaria existimatur. cæteris enim æqualitas ipsa inuidiam excitat, nec alios aliis præesse patitur,tibi omnes promptissime absq; inuidia obtemperaturi sunt. Nec vero etsi antehac magna & præclara facinora gessisti, superiora bella tua cum hoc bello gloria comparanda sunt. Illa enim superiora habent fortasse aliquid quod nõ omnes probent, quoniam non sine Christianorum sanguine confecta sint. Hoc autem veram & solidam & constantem omnium opinione gloriam in se habet, quod contra Barbaras gentes contra religionis persecutores atrocissimos suscipitur ac geritur, in quo qui interficit, magnum pietatis locum sibi apud Deum immortalem vendicat. Hoc tuum factũ omnes vno ore laudabunt, & consentienti fauore prosequẽter, nec erit vllus tam iniquus rerum æstimator, qui non illud omnibus rebus hac ætate nostra ab omnibus Regibus gestis merito anteponendum iudicet. Hanc igitur prouinciam quo possis suscipere, communem hanc Italiæ pacem ac fœdus ineas oportet. Nam absq; hoc,nec Italiæ vires componi,nec magnum aliquid mari geri potest,præsertim contra hostem potentissimum. Qui postquã Constantinopoli potitus est,nihil omnino prætermisit temporis ad ædificãdas classes,cuius rei magnam ei commoditatem præbet,& loci situs & materię copia,quæ in ea regione permagna est. Hoc vt agas,à te petit vehemẽter Nicolaus Pont. max. à quo ego legatus ad te venio,qui imminentibus periculis fidei ac reip. Christianæ obuiam iri quamprimũ expetit. Hoc te orant hi legati clarissimi viri,hoc te omnis Italia, hoc te vniuersum Christianũ genus,vt te duce maritimi belli in cõmunibus periculis vti queat. Noli obsecro Italiæ deesse,Remp. Christianã,sanctissimam religionẽ nostram,quantũ in te est,tuere ac serua, noli pati fidem nostram ruere in qua animarum nostrarum salus consistit, occurre impendenti malo,noli expectare dum immanissimæ gẽtes Christiano nomini inimicissimæ ad tantum bellum coeant,quod sustinere tota Europa non valeat. Nam quota pars orbis terrarum Europa est,cuius etiam magnam partem Scythæ tenent. Tantos possunt hæ gẽtes exercitus conficere,vt illorum tantummodo aspectum Christiani ferre vix possint. At si maturabimus,omnia nobis secunda erunt. Recepta enim maris possessione,cũ in Græciam,Thraciam exercitus nostri transmiserint, Mahometi furor cohibebitur, & cæteræ gentes rei euentum tacite expectabunt. Caue Rex prætermittas hanc sempiternæ ac verę gloriæ occasionem,quæ tibi à Deo immortali permissa & parata est. Cogita quanta sit eorum principum gloria,qui pro Christiano nomine vel amplificando vel conseruando aduersus hostes religionis nostræ bella gesserunt. Carolus ille Francorum Rex qui Aquitaniam,& Galliam Togatam,& Thraciam,& alias quasdam gẽtes è manu barbarorum ereptas ad fidem nostram redegit,& Magni appellationem meruit, & quandiu orbis terrarũ stabit,ab omnibus mortalibus pleno ore laudabitur. Gotfredi nomen qui Hierosolymas & Christi Dei nostri sacratissimum monumentũ eiectis Syris aliquando recepit,qui postea locus rursum in eorum potestatem nostra negligentia recidit, in omnibus gentib. perquam illustre est. Sigismundi Imperatoris gloriam qui contra hosce Teucros sæpius prospere pugnauit, nulla vnquam ætas conticescet. Ioannis Vaiuodæ qui toties sua virtute atque consilio huius Mahometi patrem prælio fudit ac vicit,multis Teucrorum millibus cæsis,quanta sit fama apud omnes vides. Sed nil te magis commouere debet, quam religionis nostræ sanctissimæ discrimen, in qua animarum nostrarum fœlicitas sempiterna continetur. Pro hac decertandum,pro hac fundendæ vires,pro hac denique vita ipsa exponenda est. Si tu pacem hanc & fœdus Italicum aspernabere,reliqua Italia obtorpescet, aut de bello intestino solicita erit. Qua cessante aut de maritimis apparatibus nihil cogitante,cęteri Christiani principes ac populi qui sibi remotiores ab hoc incendio videntur, & ipsi quoque omissis belli curis domi se continebunt. Quapropter amplectere obsecro hanc communem pacem ac societatem, quæ communis non solum Italiæ salutis, sed & totius Christiani generis atque ordinis causa instituta est, teque ad bene merendum de toto genere Christiano, de Italia præsertim quæ te tanquam Ducem & Imperatorem suum respicit,natum esse ostendet. Pro qua quidem re componenda, in iis quæ æqua & honesta postulaueris, hosce legatos & eorũ ciuitates ac principes eam ob rem ad te profectos,faciles reperies.

Responsio

Responsio eius ad legatos.

NVNQVAM mihi adeo secundæ res aut domi aut belli fuere, quin si cum bello pacem commutare licuerit, bello pacem prætulerim. Nec vero nisi aut lacessitus, aut pro sociis ad hunc diem arma suscepi ac gessi. Nec me tam ratio vlla mouit imperii aut regni augendi, quod Dei munere satis esse amplum atque opulentum scio, quam meæ ac popularium meorum quietis ac tranquillitatis. Isque semper finis consiliorum meorum fuit, vt absq; iniuria in pace viuerē. In bello pacē, non in pace bellū quærere soleo, & si quando à nobis hostis pacē petiit, nunquam eum aspernatus sum, nunquā reieci, sed honestis conditionibus petitis pacem dedi, proque amico postea habitum passus regnorum meorum commercio perfrui. Hoc posterius bellum Florentinum, iam neminem nescire arbitror, Venetorum sociorum & amicorum causa, non vlla cupiditate mea à me susceptum esse. Quoscunque vrgeri premique ab hostibus cernerem, non fuit æquitatis meæ in tāto status discrimine destituere. Ita si à me esset petita pax, vt à Venetis, non fuissem profecto durior in ea concedenda, quam ipsi Veneti, quorum gratia bellum susceperam. Nec debuit certe, vt Venetorum pace loquar, res tanta præsertim quæ mea tantopere referret, me inscio atque inconsulto agi. Sed quæ acta sunt redargui magis, quam emendari queunt. Ego per me stare nolim, quin hæc pax atque societas communis fiat. Nolo consentienti Italiæ deesse, potissimum cum hanc ipsam societatem ac pacem, quemadmodum ipsi disseruistis, ad totius Christiani generis salutem & conseruationem pertinere agnoscam. Video enim quorsum tendāt Mahometi huius insolentissimi conatus, video quid struat ac moliatur tantarum classium atq; exercituum apparatibus, video quo spectet illius audacia, quove sit pertinacia & cupiditas eius euasura. Si fuissem bello vacuus, omnes profecto iā vires in eius perniciem cōuertissem, nec essem passus quantum in me fuisset, eius furorem euagari latius. Sed bellum consilia mea conturbauit. Quo nunc liberatus, Deo volente, propositum meum prosequi potero. Ego enim labenti reipublicæ Christianæ deesse, nec volo, nec possum, & vel dux vel comes huius gloriosissimæ expeditionis ire non recuso, tantumque abest vt eam deserere in animo habeam, vt omnes copias ac facultates meas in eam rem collaturus sim, ne vitæ quidem parsurus. Statui enim pro illius religione defendenda vitam exponere, qui pro humano genere conseruando vitam exponere nō dubitauit. Sic maiores mei, sic ego ab adolescentia institutus sum, vt diuinam religionem omnibus rebus anteponam. Sed si honesta concedentur atque postulabuntur, nec Pontificis maximi, cuius autoritatem plurimi facio, nec horum populorum ac principū voluntati refragabor atque huic necessariæ expeditioni seruiam.

Eius oratio ad Cardinales & Italiæ principes in expeditione contra Teucros.

SCIO plærosque vestrum demirari, patres venerabiles & inclyti proceres, quod cum toties de expeditione in Teucros verba fecerimus, eamque miro consensu omnes capessendam censuerimus, cur illa hactenus à me dilata ac pene derelicta videatur. Quod equidem nolim arbitremini, aut negligentia mea, aut pusillanimitate fortassis accidisse, Nam & bellum hoc nobis necessarium visum est, & vtcunque tandem omnino suscipiēdum. Verum dum alios Europæ principes respicio, ad quos huiuscemodi belli cura, vel autoritate, vel potentia, aut rerum peritia magis pertinere videbatur, in hunc vsque diem rem distulimus, certe ne insolentiæ aut arrogantiæ argui possemus. In presentia vero cum illorum neminem ad hanc rem animum intendere animaduertam, ac propterea hostium animos indies magis crescere atque insolescere, statuo si id quoq; vobis visum fuerit, bellum in Christi domini ac Christianorum hostes vlterius non differre, non quod ad tantā belli molem per me ipse satis omnino esse confidam, sed quod in Christo, cuius res maxime agitur, quamplurimum sperem. Hic enim & vires nobis, & opes, & industriam, & denique victoriam suggeret. Nam si nunquam sperantes in seipsum dereliquit, cur nos qui non in nostra potentia quæ nulla est, sed in eius brachio & benignitate confidimus, destituat, præsertim eius ipsius iniurias vlciscentes? Bellum quidem contra eos suscepturi sumus qui Christi summi & singularis Dei templum fœdauerūt, Mariæ matris effigiem sagitta per ludibrium transfixerunt, sanctorum martyrum reliquias partim igni, partim canibus edendas abiecerunt. Quo quidem in bello si vicerimus, orbis terrarum præmium erit: si victi fuerimus, cœlum. Vtcumque igitur res cedat, magna nobis & immortalis gloria paratur. Verum ego beneficia omnipotentis Dei nonnunquam mecum reputans, tria illa vel præcipue commēdare ac præferre soleo: primum, quod me nō beluam, sed hominem, hoc est animal ratione preditum, fecerit: alterum, quod Christianum: tertium, quod tot tantorumque regnorum Regem & dominum. Sileo præter hæc plura. Sed his tribus

tantum Deo optimo ac benignissimo me obligatum & obnoxium sentio, quibus mihi nisi mortalium ingratissimus esse & haberi velim, haud amplius oscitandum aut torpescendum sit, neque expectandum an quid alii moliantur aut parẽt, sed rumpenda potius mora classique habenæ immittendæ. Nam per immortalem Iesum, quid est quod verear, quo minus bellum hoc honestissimum ac piissimum amplectar? an ne corpusculum hoc, an ne regna & reliqua bona, an ne deniq; animam ipsam amittam? Verum hæc omnia vt à Deo mihi concessa, ita ipsi Deo tandẽ restituenda sunt, vt plane profitear, quicquid huic bello destinandum sit, meum nõ esse, atque ei cuius id est, iure ac merito reddi debere. Bellum itaque nobis proponitur, in quo nihil quod nostrum sit perdere possumus, sed in quo etiã perdendo vincamus perpetuamque fœlicitatem adipiscamur. Sat mundo seruiuimus, sat voluptatibus concessimus, reliquum ætatis Deo dandum & cõsecrandum est. Victoriam olim de sęculari regno dimicantes consecuti sumus, quid speramus fore si de Christo ac pro Christo pugnam omnium pulcherrimam subierimus? Perpudeat iam Christianos & Christianorum principes tot populorum à Mahometanis debellatorum, tot Regum procerumque interemptorum, tot hominum in seruitutem adductorum aut in Mahometanam perditissimam hæresin redactorum, virginum stupratarum, Dei veri ac sanctorum imaginum subuersarum, atque huiuscemodi prope innumerabilium contumeliarum. Etiam cogitemus capta Constantinopoli, hoc est claustris Asiæ diffractis, nisi hostium conatibus statim obstiterimus, de nobis deq; Christiana religione protinus actũ esse. His atque aliis rationibus adducor, si vos item annueritis, bellum pro fide catholica contra Teucrum, quod nobis atque omni Christianæ reipubl. faustum, fœlix ac fortunatum sit, confestim suscipere. Auetote.

De eius vxore & liberis, & loco & tempore mortis.

VXOREM duxit Alphonsus Mariam Henrici Castellæ Regis patrui sui filiam, ex qua prolem nullam suscepit: ex aliis tamen mulieribus Ferdinandum genuit filium, quẽ primum Calabriæ Ducem, & deinde moriens Regem Neapolis instituit. Habuit præterea filias duas, Mariam quæ fuit vxor Marchionis Ferrariæ, & Leonoram quæ nupsit filio Ducis Suessani, cui dedit Rossani principatum: Aragonum vero & Siciliæ regnum cæterosque principatus reliquit Ioanni fratri Regi Nauarræ. sic enim Ferdinandus pater eius testamento mandauerat. Decessit autem Rex Alphonsus in Castro nouo ciuitatis Neapolis, quarto Kal. Iulii, anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo octauo, & ætatis suæ sexagesimo quinto.

LVCII MARINEI SICVLI DE REBVS HISPANIÆ
LIBER XII.

De Ioanne Aragoniæ Rege decimo octauo.

IOANNES secundus Ferdinandi regis filius, Alphonso fratri qui sine legitima prole decessit, in Aragoniæ & Siciliæ regno successit. De cuius vita rebusq; gestis, quæ multæ magnæque fuerunt, quæ præcipua sunt, vt nobis moris est, breui volumine perstringemus.

De loco & tempore natiuitatis eius.

FVIT itaque Ioannes Aragoniæ & Siciliæ Rex natus Methymnæ, quæ campus cognominatur, in ædibus paternis venali foro coniunctis, tertio Kalendas Iulias insigni die, quo Petri & Pauli Apostolorum Christi laudes & merita celebrantur, anno vero à partu virginis millesimo trecentesimo nonagesimo septimo. Est autem Methymna oppidum nobile Lusitaniæ prouinciæ & quinque Principum natale solum fœlix, & à scriptoribus memoratum. De quo nos etiam scripsimus alio loco. Vbi Ioannes Rex, de quo loquimur, non solum natus est, sed etiam cum reliquis fratribus, Alphonso scilicet, Henrico, Sanctio, & Petro diligẽter educatus, & ab eisdem morum & literarum magistris institutus. Quam quidem patriam charissimam semper habuit, & eius habitatores suosque conterraneos mirifice dilexit.

De vxoribus eius & liberis

ANNVM agens fere vigesimum Blancham Nauarræ reginam Caroli regis filiam duxit vxorem, ex qua filium progenuit Carolum, qui fuit Vianæ princeps appellatus, de quo alio loco latius referemus. Progenuit & filias duas, quarum altera Henrico Castellæ regi nupsit, cum quo diuortium fecit, propter eius (vt ferunt) impotentiam defectumque naturæ: altera nupsit Gastonio Foxano Comiti, quæ filios peperit, de quibus alio loco scribemus. Cæterum Blancha regina defuncta, Ioannam duxit vxorem Federici Almirantis Castellæ filiam, quæ peperit Ferdinandum regem Catholicum, & Ioannam quæ fuit vxor Ferdinandi Neapolitanorum regis. Peperit & aliam filiam nomine Mariam, quæ teneris annis obiit.

De statura & forma corporis eius.

STATVRA fuit mediocri, & omnibus membris à capite vsque ad pedes totus æqualis & congruens, forma conspicua, aspectu graui, ore pulchro, colore candido, capillo plano & subflauo, superciliis disiunctis, oculis subnigris, dentibus raris, exiguis, & candidis, mento venerabili, voce virili plenaque, sed aliquanto retenta pressaque propter nares angustas: cui præterea formosissimæ mulieres candidissimas manus inuidebant.

De valetudine & cultu corporis eius.

PER omnem vitam valetudine prospera vsus fuisse perhibetur, sed extremo tempore & iam octogenarius podagræ morbo laborauit, & oculorum luminibus per temporis interualla caruisse fertur. Eius autem per tot annos prosperæ valetudinis adiuuante natura causæ tres præcipue fuere, mundities scilicet, cuius studiosissimus erat, & abstinētia potus & cibi, à quorum satietate semper abhorruit, & laboris cuius patientissimus erat, vsus assiduus. Moderata siquidem corporis exercitatio valetudini plurimum confert. *Exercitationis corporis vtilitas.* Arborum fructibus libentius vescebatur, quam carnibus & aliis ciborum generibus. Ficus virides & recentes appetebat, & eas maxime quas Aragones Buriasotas appellant, & Latini Duricorias. In corporis autem cultu non minoris munditiæ fuit, & modo sericis, interdum aureis, nonnunquam purpureis vestibus induebatur. Collo plerumque torquem duntaxat ex auro, nonnunquam margaritis & aliis gemmis preciosissimis contextum gestare consueuit. Cultus denique corporis adeo fuit studiosus, vt omnes etiam domesticos vtriusque sexus & cuiuscunque ætatis non secus ac seipsum sæpius induerit.

De ludis & venationibus eius.

FATIGATVM multis negociis animum magnisque laboribus, interdum spectaculis & voluptatibus honestis reficiebat: quippe fictis armorum certaminibus & equitum ludis, paribus hastis hinc inde concurrentium, quod certamen cannarum ludum vocant Hispani, delectabatur. Virorū præterea mulierumq; choreis libenter interfuit. Erat quoque venationibus deditus, & ferarum magis quam volatilium.

De dilectione eius erga suos, & eorum fide & obseruantia in eum.

EQVITES militesque suos tantopere dilexit, vt nulla in re alia sæuitia notatus vnquam fuerit, nisi suorum vlciscēdis iniuriis. Necem duorum Ducum quos Galliæ rex in auxilium eius cum exercitu contra Gothalanos miserat, plurimorum iugulo qui cædis illorum autores fuerant, vltus est. Et in oppidulo nomine Momalone, quod est apud Barcinonam, ob vnum interfectum equitem à Momaloniis qui venienti sibi portas clauserant, septendecim Momalonensium viros prope se strangulari iussit, spectauitque morientes. Plurimis delinquentibus vltimoque supplicio destinatis, quoniam eorum ope in defendenda sua dignitate vsus fuerat, facile pepercit. Quosdam etiam Baleares duarum factionum qui regiæ maiestatis læsæ crimen commiserant, eorum virtutis bellicæ memor, qui multos annos eum bellum gerentem secuti fuerant, admonitos vt sibi cauerent in posterum, neve iterum delinquerent, impune dimisit. Multos denique in bello peremptos, magno coactus dolore, collachrymatus est. Hac humanitate cunctos quidem sibi fideles ac deuotos faciebat. Ab eo enim Gothalanis deficientibus, præter omnes Aragones, Siculos, & Valentinos equites, multi quoque Gothalanorum nobiles ad eum cum exercitibus & pecunia cæterisque rebus quæ ad bellum gerendum vsui erant, sponte venerunt, nec domum, nisi confectis bellis, redierunt.

De virtute bellica per eum culta & eiusdem militari eloquentia.

VIRTVTIS bellicæ studiosissimus & amantissimus fuit. Milites enim quos in prælio fortes animosósque cognouerat, à pugna statim redeuntes amplissimis & honorificentissimis verbis collaudatos, equestris ordinis titulis & honoribus ornabat, ac plærumque secum discumbentes, modo socios, modo fratres appellabat. In eloquentia militari magis formæ suæ dignitate verborumque grauitate, quam dicendi arte cultuq; sermonis milites ad sua vota perduxit. Apud Ampostam oppidū de quo alio loco dicemus, omnes fere milites, equites, ducesq; nonnullos longo labore defessos & hyeme sæuiente à castris omnino discedere volentes, magna vi orationis retinuit: & apud Rubinatum longiori sermone milites hortatus, cum paruis copiis ingentem hostium multitudinem deleuit.

De eius clementia & humanitate.

NATVRA lenissimus fuit, magnumque clementiæ nomen exhibuit. Permultos enim contra eum insurgentes, in prælio victos & manu captos, ac de vita desperantes, humanitate misericordiaque commotus, seruauit incolumes. Ceruariæ ciuibus qui sola fame coacti sese dediderunt, quicquid cibariorum tunc habebat in castris, impartiuit. Ilerdensium quoque legatis, nomine ciuitatis veniam & impunitatem petentibus, inuito ac vociferanti exercitu qui prædam & spolium ciuitatis affectabat, omnia concessit. Barcinonæ præterea ciuibus duntaxat pro vita supplicantibus, non vitam solum & libertatem donauit, sed etiam bonorum omnium possessiones quas amiserant, restituit.

De liberalitate eius & audientia.

CVPIDITATIS & auaritiæ per omnem vitam non modo nullum experimentum, sed ne coniecturam quidem vnquam præbuit. Immo si liberalitas eius ex animi potius magnitudine, quam ex fortunis & opibus existimetur, non immerito quidem inter munificentissimos principes annumerabitur. In multos enim viros qui liberaliter ei seruierant, ingentia munera & amplissima beneficia contulit. De quibus multis omissis, perpauca quasi necessaria eius munificentiæ testimonia, referam. Rhodorico siquidem Rebolleto cuius militarem virtutem & erga se fidem cognouerat, die nuptiarum eius, aureorum quos florenos Aragones vocant, millia sexaginta tribuit. Ioanni Villamarino classis eius præfecto, qui terra marique multos annos ei magnósque labores impenderat, Bosam in Sardinia ciuitatem liberaliter in perpetuum dedit. Bellum gerens cum pecuniarum nihil penitus haberet, cuidam equiti pro vxore & liberis quos fames vrgebat, pecuniam petenti, sex argenti vasa quæ sibi sola ad mensæ vsum relicta erant, impartiuit. Vestem præterea nullam vnquam sibi induit, quam non eodem die petenti sub hac conditione concesserit, cum deposuero, cubicularioque iubebat, vt ei, quum aliam indueret, traderet. Denique nemo vnquam ab eo pecuniam petiuit, cui si plures non haberet, saltem centū nummos argenteos non dederit: qui denique si pares animo facultates habuisset, omnes principes munificentia superasset. Supplicantes autem & eum in omni genere negotiationis adeuntes benigne semper & patienter audiuit.

De beneuolentia & cultu eius erga vxores & liberos.

VTRAMQVE coniugem non solum mirifice dilexit, sed quoque studiosissime coluit, quibus & se facilem semper præbuit, & omnibus in rebus morem gessit, & inuitis nihil vnquam fecit. Erat enim cum vxoribus cæterísque fœminis natura benignus, ingenio facilis, consuetudine dulcis & placidus, atque moribus elegans. Eodem modo liberos etiam semper amauit, tametsi Carolum Principem Vianæ, posteaquam nonnullorum prauis consiliis deceptus paternam gratiam contempsit, non amore solito diligere videbatur, odisse tamen non poterat. Erga domesticos insuper & familiares omnes lenis ac beneuolus semper extitit.

De cultu eius circa parentes, & amore erga fratres quandiu vixerunt.

PARENTES quandiu vixerunt summa veneratione coluit, quorum animos non dicam re, sed ne leui quidem verbo vnquam offendisse perhibetur: & fratres quibus ipse charissimus erat, pariter omnes amabat, ac non modo Alphonso, qui eum præcedebat ætate, sed reliquis quoque minoribus, operam, labores, & quod signum maioris humanitatis erat, obsequium præstabat. Cunctos denique, tam parentes, quam fratres atque sorores, & viuos summo cultu semper amauit, & vita functos magnis honoribus, sacrificiis, & orationibus prosequutus est. Ipse nanque defunctis omnibus superuixit.

De morte parentum, fratrum, & sororum eius.

SIQVIDEM post vtriusque parentis & duarum sororum obitum, primum Sanctium fratrem, & Petrum qui in obsidione Neapolis ictu bombardæ percussus interiit: deinde Henricum, qui & ipse quoque apud Olimetum Castellæ oppidum de quo postea dicemus, ab hoste peracuto gladio in sinistra manu vulneratus infra paucos dies nimio dolore periit: postremo & Alphonsum regem qui Neapoli vitam cum morte commutauit, amisit.

De eius in pulchras mulieres inclinatione.

IN Venerem natura pronum, & pulchrarum mulierum amatorem fuisse, quibusdam argumentis & rationibus constat. Nam & præter liberos quos (vt supra diximus) ex vxoribus habuit, alios etiam plures ex concubinis alioquin nobilissimis fœminis progenuit. Habuit enim Ioannem Archiepiscopum Cæsaraugustanum, & Alphonsum ducem Villæ formosæ: quorum matres Castellanæ & generosæ fuerunt. In Nauarra quoque ex fœmina genere nobilissima, de Ansarum familia, suscepit Ferdinandum & Mariam, qui puerilibus annis è vita migrarunt, & Leonoram Lirini Comitem. Et Barcinonæ tempore iam extremo & annorum fere octoginta puellam forma præstantem, nomine Francinam Rosam, adamauit. Verum cum hac, osculis duntaxat contentus, amoris opus nō perfecit. Nam postea quum puella nupsisset sponso, à quo die nuptiarum virginitatis munera poscebat, se quidem non violatam esse multarum mulierum testimonio probauit.

De habitationibus eius.

AETATE prima, sicut supra diximus, Methymnæ natali solo mirum in modum delectatus est. Hinc digressus in Aragoniam, Cæsaraugustam & Barcinonam libenter incoluit, & nonnunquam Valentiam. Quarum etiam desiderio deinde ex Neapoli, Alphonso fratre relicto, cum Henrico altero fratre reuersus est in Hispaniam.

De clementia & seueritate eius erga reos.

REORVM pro criminis qualitate alios condemnabat, alios absoluebat. Erat enim in iudicando & administranda iustitia non minus clemens & facilis, quam seuerus & grauis: quippe qui Carolum filium qui ei patri bellum sæpius intulit, ter in prælio vicit, & ter etiam captum liberauit. Gothalanorum præterea qui ab eo defecerant, multos ad eum reuertentes & veniam supplices deprecantes, impune quidem benigneque recepit. Iacobum autem Aragoneum & Ioannem Monticatinum, nec non & complures alios in defectione pertinaces belloque victos, vltimo supplicio, sed lata prius sententia tamen, affecit. Plærisque reis etiam capitis, accusatione tamen cessante, non solum vitam concessit, sed etiam mulctam pœnamque fiscalem remisit.

De fortitudine eius contra hostes.

ADVERSVS hostes animum fortem & inuictum, & in omnibus periculis admirabilem fortitudinem semper exhibuit. In expeditione enim Neapolitana fratrem Alphonsum secutus, quum in Ligustico mari fratres eius & reliqui totius classis duces ab hostibus ob eorum nauium magnitudinem multitudinemque caperentur, solus ipse hostes acerrime præliantes, à suæ nauis ingressu, milites suos hortatus & fortissime pugnans, prohibuit: nec eius nauim capere hostes, nisi ei & suis omnibus oblata libertate, potuerūt. Cæsaraugustæ quum & Henrici Castellæ regis legati ei bellum indixissent, si Stellam & alia Nauarræ oppida, quorum census rex Henricus pro pecuniis quas Carolo Vianæ Principi mutuauerat, sibi deberi dicebat, restituere nollet, se nihil Henrico debere legatis eius respondit. Eodem tempore Ludouici quoque regis Gallorum legati venientes, ab eo similia & eadem conditione petiuerunt, quibus & ipse eodem modo respondit. Quum autē eius equites ei, qua fiducia duos potentissimos principes cōtra se venturos expectaret, dixissent, Multo minus, inquit, equites, hostes præsentes quam absentes timendi sunt.

De cultu Christianæ religionis & celebratione festorum & solennium dierum.

CHRISTIANÆ religionis & catholicæ fidei festorumque dierum cultor semper diligentissimus extitit. Quotidie namque rebus diuinis & sacris officiis interfuit, omniū sanctorum dies festos, quum pridie deuote casteq; ieiunasset, summa veneratione celebrauit. Die vero quo Christi natalis recolitur, humanæ salutis gratia, magnaque lætitia affectus, quotannis post nocturnas cerimonias & solennes celebrationes, omnes domesti-

cos & complures etiam familiares conuiuari consueuit. Sed virginis Dei genitricis, cui deuotissimus erat, omnia festa præcipue vigilantiusq; colebat. Denique quadragesimas omniumque sanctorum vigilias, ab adolescentia & vigesimo suæ ætatis anno vsque ad septuagesimum, ieiunio & abstinentia carnis obseruauit.

De studio & diligentia eius circa cultum diuinum.

CIRCA cultum diuinum diligentiorem & Christiani nominis studiosiorem fuisse permultis constat argumentis. Quippe qui multorum sanctorum festa quæ negligentius colebantur, venerari multo solennius, diligentius & obseruari, indictis præconio pœnis contrarium facientibus, iussit. Mauros qui suæ ditionis erant, Mahometanum nomen inuocare vetuit, indignissimum facinus & maximum dedecus existimans, in terris Christianorum à perditissimis Mauris Mahometæ hominis improbissimi nomen tanquam Dei numen inuocari. Hac igitur inuocatione dimissa, statuit, vt quum Mauri conuocandi essent, vel tuba, vel tympano, vel buccina vocarentur. Item statuit vt die corporis Christi dum corpus Domini, per vicos, vt fieri solet, deferretur, si quis vel Iudæus vel Maurus cõspiceretur qui non statim detecto capite genua in terram deflecteret, in carcerem coniectus ab ecclesiastico censore mulctaretur. Festum quoq; de Mariæ virginis cõceptione, sicut & alia eius festa, celebrari summa cum veneratione præcepit, & ne quis virginem in peccato originali fuisse conceptam neq; publice neq; priuatim dicere auderet. Instituit etiam vt sancti Georgii festum vigilanter magnaq; veneratione coleretur, eiusq; dies non secus ac Dominicus obseruaretur.

De cura & ordinatione eius in litibus abbreuiandis.

REBVS diuinis & humanis quoque negociis consulere cupiens, ne litigantibus, vt plærumque fieri solet, vires & res temporis interuallis & iudicum negligentia deficerēt, totum anni tempus in agendis causis & expediendis negociis omnibus liberum esse statuit. Conuocatis enim consiliariis & iureconsultis quibus iura populis administranda cõmiserat, Omnes, inquit, principes qui populorum suorum commodis & honoribus consulunt, cunctisque iustitiam sine dispendio temporis administrant, magnum quidē Deo Optimo Maximo sacrificiũ offerunt. Statuimus igitur, vt quocunque tēpore causas agere, litigãtes audire, ius dicere, & sentētiam ferre nostrorum regnorũ iudices possint, exceptis tamē diebus quos in honorem Dei & virginis eius genitricis omniumque sanctorum reuerēter coli sacrosancta præcepit ecclesia. Hos enim nos & venerari diligenter volumus, & omnis operis & forensis actionis vacuos esse iubemus, & eadem præterea solennitate vt sancti Thomæ, Iuliani, Martini, Laurentii, Sebastiani, Christophori, Braulii, Antonii, Blasii, itē sanctæ Annæ, Catherinæ, Luciæ, Apolloniæ, Engratiæ, & Sanctæ Crucis, & cuiuscumq; nostræ ciuitatis & oppidi conceptiua festa sacraq; quotannis celebrentur.

De legibus & institutis per eum editis.

LEGES & sanctiones vel quum gubernator esset Aragoniæ, vel quum postea rex, multas & quidem perutiles edidit. Cæterum hæc etsi lectoribus valde profutura cognosco, quoniam tamen in Aragonum libris quos Aragones suos Foros appellant, plene omnia descripta sunt, à me tanquam non necessaria huic operi nostro præmittenda putauimus. Ad eorum tamen lectionem omnes homines hortamur, eos præsertim qui principatus & regnorum curam gerunt. Inuenient enim multa quæ vel ad rectam sanctamque gubernationem, vel ad bene beateque viuendum poterunt imitari. Bonus quippe rex & humanarum diuinarumque rerum studiosus non solum bona cuncta & honesta præcepit, verumetiam mala omnia & illicita prohibuit. Homines enim Christianos qui cum aliquo fœnore pecuniam mutuassent, & omnes lenocinium facientes, amissis bonis infames esse iussit, & tanquam latrones & nefarios homicidas exterminauit. Illud etiam non honestum minus quam vtile constituit, vt ne quis lugubres vestes à tergo longiores per terram traheret, sed æquales & ad talos vsq; duntaxat: qui vero longiores indueret, & vestes amitteret, & solidos sexaginta pauperibus erogandos persolueret: totidemq; sartores, qui contra statutum vestes longiores fecissent, damnauit.

Vsurarii infames, sicut & lenones.

De militia eius & bellis per eum gestis.

REX Nauarræ tyrunculus adhuc & admodum iuuenis, militiæ munus cum Alfonso fratre in expeditione Neapolis exercere cœpit, in cuius vrbis oppugnatione longaque ob-

que obsidione terra marique fortissimi ducis experimentum præbuit, & laborum tolerantiam admirabilem. Ad quam expeditionem cum ingenti classe magnoque hominum numero electorum non Hispaniæ solum, sed etiam Siciliæ & Italiæ, ex littore Barcinonis anno à natali Christiano millesimo quadringentesimo trigesimo, Kalendis Augusti profecti fuere. Cæterum de hoc bello quod in obsidione Neapolitana per annos viginti gestum est Alphonsi Regis imperio, mihi scribendum non est. Nam etsi belli huius gloria magnæque victoriæ laudes non minus ad Ioannem Regem Nauarræ & reliquos fratres qui fortissime dimicarunt, quam ad Alphonsum pertinere non ignoramus, quia tamen Alfonsus dux & autor huius expeditionis fuit, scriptores totius belli victoriam gloriamq; tribuerunt. De rebus enim gestis Alfonsi regis, de dictis & factis memorabilibus Laurentius Vallensis & Bartholomæus Faccius eleganti stilo copioseque scripserunt. Hoc igitur bellum non nostri operis esse existimantes, transimus ad alia quæ Rex Ioãnes per se gessit.

De reditu eius in Hispaniam, & de rebus gestis in ea.

QVI post expugnatam captamque Neapolim cum Henrico fratre reuersus est in Hispaniam, vbi & Nauarræ suo regno, & Aragoniæ rogatu Regis Alfonsi præfuit. Hinc autem multis equitibus Aragoniæ comitatus & Henrico fratre, in Castellam ad Ioannẽ fratrem suum patruelem Castellæ Regem, eum visendi & salutandi gratia profectus est. Cuius aduentus cum Aluaro Lunæ molestus esset, Aluarus idem causa fuit, vt inter vtrũque Regem graues inimicitiæ, magnæ discordiæ, mortale odium, & intestina bella orirẽtur, quibus vtrinque non solum damna malaque, sed etiam cædes & mortes crudelissimæ consequutæ fuere. Sed hæc quoniam scripta fuerunt ab aliis magnis voluminibus, ego sicut alia consueui, breuiter attingam. Aluarus itaque qui Ioãni Castellæ Regi charissimus erat, & omnium rerum regiæque domus curam gerebat, timens ne sibi Rex Castellæ fratres suos patrueles Aragoniæ principes anteponeret, homo pollens ingenio & oratione facundus, omnibus modis & artibus nitebatur, ne fauore sui Regis & autoritate qua plurimum valebat, priuaretur, vtrumque Regem commisit. Sic est enim humana conditio, sic sunt hominum mores vt nõ modo superiores, sed ne pares quidem ferre possint. Quapropter Aluarus Luna suis cõsiliis Aragones in Castellæ Regis inuidiam adduxit, & persuasionibus effecit, vt rex Castellæ Regem Nauarræ & reliquos Aragones apud se cõmorari nullo modo pateretur: propterea quod honori suo regiæq; dignitati non solũ non honestum, sed etiam periculosissimum esse dicebat. A quo Rex iam multis persuasus argumentis & rationibus, etsi eos sine causa dimittere non audebat, se tamen adeuntes vultu minus familiari, quam consueuerat, excipiebat. Quod quum Ioannes Rex Nauarræ, eiusque frater Henricus, & Almiratus Castellæ Federicus qui tunc honore & bellica virtute omnes Hispaniæ primates anteibat, animaduertissent, nulloque modo tolerandum existimantes, sibi præter suos affines & propinquos qui plurimum poterant, alios etiam complures Castellæ magnates quibus Aluarus inuisus erat, adiunxerunt. Qui cum omnes vnum in locum conuenissent, statuerunt, vt Aluarum Lunam vel Regis Castellæ consuetudine colloquioque priuarent, vel si id facere non possent, quocunque modo de medio tollerent. Itaque Regem Castellę simul adeuntes, vt eum dimitteret, à suaque regia summoueret, efflagitarunt. Quod si faceret, mirum in modum omnium tam Castellanorum, quam Aragonum nobilium quibus ille detrahebat, animos ad quæcumque vellet excitaret, semperque paratissimos haberet: sin autem facere nollet, & illum apud se tot nobilib. inuitis habere vellet, se quidem honorem & dignitatem suam non neglecturos esse dixerunt. Quibus Rex Castellæ qui Aluarum plurimum diligebat, ad hunc modum respõdit: Bonorum principum mor s esse, vt familiares & amicos qui bene fideliterque seruiuissent, non inhoneste dimitterent, sed honorifice retinerent, non officiis & dignitate priuarent, sed commodis & honoribus augerent: idque omnes Castellæ Reges facere consueuisse. Quod igitur iniuste petebant, dixit se minime facturum, propterea quod Aluarum Lunam qui ei liberaliter & studiose plurium annorum labores impenderat, honeste & sine causa turpiter eiicere non posset. Se præterea non ad aliorum præscriptum, sed ad suam voluntatem dixit esse victurum, ac si quid in Aluarum Lunam moliretur, illius quidem salutem & honorem sibi magnæ curæ fore significauit. Quibus verbis illorum indignantes animos à se multo quidem magis alienauit, & præcipue Ioannis Nauarræ Regis & eius fratris Henrici, qui quum Regis Castellæ fratres patrueles essent, Aluarum prępositum sibi ferre nullo modo poterant. Tunc itaq; Rex Nauarræ iam discessurus, indignatione dissimul..ta, ac pene subridens ad fratrem Henricum & alios qui cum eo venerant

conuersus, Optime, inquit, equites, Rex Castellæ frater meus patruelis locutus est. Nam quod ipse pro nostra dignitate non fecerit, nos quidē ipsi qui nobis deesse non possumus, multo melius faciemus. Cum suo igitur Aluaro permaneat, eiusque volūtati, vt solet, morem gerat. Hæc cum dixisset, statim discessit. Quem frater Henricus & socer Federicus cæterique proceres qui cum eo venerant, Castellanorum Rege pene solo relicto, consecuti fuere. Cæterum post hoc colloquium quo Regis vtriusque volūtas patefacta est, Aluarus Luna sibi valde timere cœpit & diligenter cauere, qui nusquam, nisi vel simul cum Castellæ Rege, vel armatorum manu septus vsquam progrediebatur, singulisque noctib. apud se custodes & vigiles armatos habebat. Quæ quidem res multo magis animos Aragonum irritauit, multorumque malorum initium fuit. Nam etsi Aluarus tuendi se potius quam alios offendendi causa secum milites ducebat armatos, eum tamen plures inimicis quos metuebat, minari existimabant. Hinc igitur inter Castellanos & Aragones & vtriusque Regis equites & familiares contentiones cœptæ fuerunt, hinc (vt supra diximus) magni totius Hispaniæ tumultus, & inter Hispanos Reges intestina bella orta sunt. Nam qui primum certare verbis & aduersarios lacessere cœperant, quum deinde ab illis in se dici quod nolebant audiuissent, irascentes ad manus & arma deuenerunt. Hi quum sui Regis causam & honorem defenderent, ipsos etiam Reges ad bellum gerendū concitarunt, qui perturbatis animis & iā fraterni nominis & propinquitatis obliti, diutius hostiliter dimicarunt. Commemorare possem quot & quibus in locis sæuissima prælia gessere, quæ quidē eo crudeliora fuerunt, quod inter duos Reges fratres patrueles & inter equites affines, cognatos & propinquos gesta sunt, & in quibus apud Methymnam Ioannes Castellanorum Rex, Aluaro Luna fugiente, à Rege Nauarræ captus est. Aliis deinde præliis multorū nobilium Regis vtriusque non solum captiuitates, verum etiam crudelissimæ cædes & indignissimæ mortes consecutæ fuere. Cuius belli permultos variosque casus, & omnia quę vtrique Regi grauiter acciderunt, ego consulto transeo, tanquam minime necessaria praeterea quod ab aliis scriptoribus qui Ioannis Regis Castellæ vitam memoriæ prodiderūt, longa quidem historiarū serie iam pridem edita perlegi. Multis igitur omissis certaminib. quibus Ioannes Castellanorum Rex mirum in modum fuit oppressus, vltimo demū magnoque prælio quod apud Olimetum oppidum gestum est, Aragones à Castellanorum multitudine profligati fuere. Quo pręlio præter alios Aragones vulneratos & interfectos, etiam Henricus Nauarræ Regis frater, vt superius diximus, in læua manu lethale vulnus accepit: qui etsi nimio dolore vulneris conficiebatur, militibus tamē qui superati diffugerant, ad sua signa reuocatis, prælium redintegrare volebat, nisi eum Rex eius frater qui numerosam hostium multitudinem conspexerat, retinuisset, & in tutiorem locum cum omnibus copiis adduxisset. Postero autē die quum vix Henricus dolori vulneris resisteret, & vitæ suæ anceps esset, Regem fratrem suum deprecatus est, vt in Aragoniam cum exercitu proficiscerentur: quoniam si sibi moriendū esset, multo quidem maiorem dolorem spiritus eius sentiret, si fratrem quem vehementer amabat, apud hostes & in alieno regno relinqueret. Cuius desiderio Rex morem gerere cupiens, Aragoniam versus eodē die cum omnibus instructis copiis discessit, & paucis diebus in oppidum Bilbilim quod Calataiutum vocant Aragones, peruenerunt, vbi Henricus vulneris dolore confectus à vita discessit. Cuius obitus & Regis & omnium Aragonū mentes mirum in modum consternauit. Fuerat enim Henricus multis magnisque cum corporis, tum etiam animi virtutibus insignis, nec humanitate clementia minus, quam generositate & excellentia clarus, in militaribus officiis æque consilio ac fortitudine pollens, moribus elegans, consuetudine facilis, ingenio perspicax, liberalitate splendidus, pietate benignus, diuinarum rerum & Christianæ religionis diligentissimus cultor: & in quo denique vno magno & spectato viro nimirum paternas omnes virtutes agnoscere facile poteras. Pudet igitur me tantum virum tanta virtute præditum, tantoque naturæ munere præstantem tam breui sermone referre. De cuius profecto virtutibus eximiis & rebus præclare magnificeque gestis non parua confici posset historia. Nam si quæ vel in Hispania, vel in Italia fortissime gessit, & quam laudem vel gloriam bello gerendo fuerit assecutus, delibare velim, longe quidem ab instituto meo digressus videri potero. Quapropter quæ de rebus eius gestis & meritis laudibus dicenda iure fuerant, silentio transibo, si prius eum dixero fere cunctis tam Hispanis quam Italis quam charissimum fuisse. Ideoque funus eius ab omnibus Aragoniæ & Siciliæ populis, atque Castellanorum plurimis, summo mœrore multisque lachrymis celebratum est, sed ab illis præcipue nobilibus, à quibus non minori fletu quam pompa funerabatur. Ioannes vero Rex multis qui eum diligenter consolari conabantur, flendum esse respondit, se nanque non fratrem, sed vitæ suæ lumen, ac se

ac se ipsum potius perdidisse dicebat. Ille autem etsi dolore vulneris intolerabili torquebatur, patientia tamen admirabili summaq; constantia gemitum supprimebat, ne regem qui prope eum lachrymabundus recumbebat, grauius afficeret. Defuncti corpus peractis exequiis in Populeti templum delatum est. *Eius patientia admirabilis.*

LVCII MARINEI SICVLI DE REBVS HISPANIÆ LIBER XIII.

De bello quod cum Carolo filio gessit, & cum populis Barcinonæ principatus.

REVERSVS in Aragoniam, vt supra demonstrauimus, & Henrici celebratis exequiis, cum in ciuitate Calataiuti conuentus ageret, populisque iura petentibus redderet, accepit, quod sibi præter opinionem accidit, in Nauarra magnos tumultus & factiones esse duas: alteram scilicet Agramontanorum, qui Ioannam reginam: & Lusetanorum alteram, qui Carolum Vianæ principem sequebantur. Carolus enim cum reginam quæ Nauarræ regno voluntate regis præerat, quod regnum materno iure hæreditarium sibi deberi consultus & persuasus à multis crediderat, non æquis oculis intueretur (nam sibi magnum certamen parat, quisquis inducit filio nouercam) & more cupiditatis humanæ regni Nauarræ imperio captus, omnium Lusetanorum quibus charissimus erat, coniurationem fecit, vt expulsa Regina Regem quoque à Nauarræ finibus inhiberent. Cæterum de hoc bello quod ego iussu Ferdinandi Regis scripturus sum, prius Hispano sermone scripserant equites duo: Gonsalus scilicet ab Auila cognominatus, & Ioannes Rochabertinus qui Castellanus Ampostæ dicebatur, qui Regis castra sequebantur, & omnibus præliis cæterisque rebus interfuere. Quorum scripta vulgaria quasi commentaria mihi tradi iussit Rex Ferdinandus, quæ partim ad verbum, partim ad sensum Latinitate donabo. Huius vero belli præcipuam causam primumque motum alii aliter ortum fuisse referunt. Ego autem quod cęteri senserint, aliorum iudicio relinquens, tantorum malorum causam fuisse arbitror in constantiam varietatem quæ fortunæ. Quæ cum Barcinonæ ciuibus & cunctis eius prouinciæ populis maximos honores & opes amplissimas inuidisset, primum quosdam Nauarræ populos, & deinde Barcinonæ principatus fere omnes in suum armauit exitium, filiumque contra patrem stimulauit. Quod, vt vnde digressus sum reuertar, cum Agramontani qui Regem vel absentem maxime colebant, sensissent, subito sese contra Lusetanos armarunt, & Reginam quæ tum Stellæ commorabatur, enixissime defenderunt, Regemque per literas & nuncios hac de re certiorem statim fecere. Qui commonitus de Reginæ periculo, confestim qui aderant conuocatis equitibus, illo profectus est, multosque Nauarrę populos inuenit in armis esse. Cæterum monere nos hic locus & ratio videtur, vt qui Lusetani sint, & Agramōtani, propter absentes dicamus. Omnes igitur fere Nauarræ nobiles diuisi sunt in partes duas, quarum alii Lusam, alii Agramontem oppidum possidet. Hi propter & oppidorum propinquitatem (spacio enim trium millium inter se distant, & quę inter alia oppida duo sita sunt, alterū nomine sancti Ioannis Pedis portus, & alterum S. Pelagii) & propter vetus odium maiorum suorum, inter se fere semper armis & bellis præliisque contendunt. Ab Agramonte itaque Agramontani, & à Lusa Lusetani dicuntur. Hæc autem & ad rem cognoscendam, & ad tollendam ambiguitatem scribenda pernecessarium fuisse duximus, ne quis hoc loco Lusetanos à Lusitania prouincia dictos forte putaret. Rex autem, vt ad inceptum redeamus, in Nauarram ingressus, Agramontanis apud Stellam (quæ distat à Pompilone ciuitate Nauarræ primaria viginti millia passuum) se coniunxit, & ad Carolum legatos misit qui eum monerent, vt ab incepto tam turpi falsoque desisteret, neque stultis Lusetanorum consiliis suam salutem & honorem crederet, quibus commotus tam vile nefas, tam execrabile scelus commisisset. Nam monstri quidem persimile ducitur, si filius patrem, non dicam offenderit, sed offendere cogitauerit. Quod facinus indignissimum à se principe Christianissimo commissum eo fœdius omnibus grauiusque videretur, quod ne Barbaris quidem vnquam & infidelibus accidisset. Quare ne cōmitteret, vt tam impium tamq; immane sibi nomen obiici iure possit,

ne Gallorum atque Aragonum regum Chriſtianiſſimorum genus huiuſmodi turpitudi- ne tantoque dedecore pollueret. Patrem ad filium legatos miſiſſe, non quidem quod ab eo aliquod ſibi periculum metueret, ſed vt filius magnam infamiam fugeret. Quod ſi ſuum pertæſus errorem faceret, ſtatim paternam gratiam & amorem in perpetuum faci- le recuperaret: ſin autem in eo quod cœpiſſet perſeueraret, & inimicorum potius quam paterna conſilia ſequeretur, ſatis certo ſciret ſe vel patri, vel Deo graues pœnas eſſe datu- rum. Quod ſi ſibi ſua culpa prauiſque conſiliis acciderit, multo quidem grauius laturus eſſet: quod etiam effugere facile poterat, ſi patri, ſi rationi parere voluiſſet, propterea quod ſibi vt conſuleret, à patre pie ſancteq; monitus fuerit atq; rogatus. Ne igitur & ſibi & patri cauſa doloris eſſe velit. Ei namque ſi mali quid accideret, maiorem regi propter amorem paternum dolorem fore, quam ſibi dixerunt. Hæc cum audiſſet Carolus, etſi ratione & o- ratione commotus errorem ſuum cognouit, eumque conatus & cœpti ſtatim pœnituit, à Luſetanis tamen quibuſcum coniurauerat, qua coniuratione ſibi periculum à rege me- tuebant, ne deſiſteret ab incepto iam perſuaſus, ſe patris gratiam & auctoritatem plurimi facere reſpondit, eiuſque voluntati morem gerere paratiſſimum eſſe, iuſſaq; & imperata omnia libentiſſime facturum, ſi tamen ab eo Nauarræ regni quod poſt ſuæ matris obitum ad ſe iure pertinebat, ſibi poſſeſſio relinquatur. Non decere patrem, filium quem amat, ſuo iure priuare: neque filium patri à quo ſuo regno ſpolietur, obſequium præſtare: neque vel indignum vel iniquum cuiquam videri debere, ſi quis ſua regna vel alia bona defen- dat, vel ab iniuſte poſſidentibus repoſcat, quem æquius eſt credere Deum homineſq; iu- uare. Quod ſi filium quod ſuum eſt à patre petere turpe videtur, patrem quidem rem filii contra ius faſque poſſidere neque honeſtum neq; laudabile eſſe. Si autem patri filii ſui re- bus vti licet, & filius patrem ſuarum rerum vſu priuare non debet, vtatur regni noſtri Na- uarræ populis pater ſi velit, ſed tanquam meis, non autem pro ſuis. Quod ſi me populiſq; meis inuitis alienum regnum poſſidere & vſurpare voluerit, ei referre & affirmare pote- ritis, nos regnum noſtrũ vel armis habituros, vel cum eo vitam ſimul amiſſuros. His cum reſponſis legatis ad regem reuertẽtibus, Carolus omnes Nauarræ populos & equites no- biliores, quorum erga ſe fidem & beneuolentiam multis in rebus cognouerat, ad ſe ſtatim vndique conuocauit, & in armis eſſe iuſſit. His de rebus atq; diſcordiis Henricus Caſtel- læ rex certior factus, & iniuriarum quas ab Aragonum rege ſuperioribus diebus accepe- rat non oblitus, in auxilium Caroli cum equitũ ſeptem millibus venit, quibus rex priuſ- quam ſe cum Caroli copiis coniungerent, cum multis Aragonum equitibus occurrit. Quibus cum apud Vianam, quod eſt vltimum Nauarræ oppidum Caſtellam verſus, præ- lio committens, omnes in fugam conuertit: quo tamen prælio plures vtriuſque partis e- quites periere. Rex autem, Caſtellanorũ copiis fuſis & profligatis, Vianæ, ſi forte redirent hoſtes, firmiſſimum præſidium relinquens (hac enim iter eſt in Nauarram) reuerſus ad Carolum, multa poſt prælia quæ apud Stellam, Pompilonem, Olitum, & Ilumberrum ge- ſta fuere, eum tandem apud Ayuarum montem, qui locus diſtat à Stella decem & octo millia paſſuum, prælio vicit, & manu captum & incolumem in Monroi caſtello cuſtodiẽ- dum reliquit: quem tamen paucos poſt dies amore paterno & clementia cõmotus à car- ceris cuſtodia liberauit. Cæterum ne contra eum filius aliquid in poſterum auderet, Lu- douicum Beamontium eiuſque quinque filios in ſeptennium obſides accepit. Erat autem Ludouicus Luſetanæ factionis fere princeps, & Nauarræ Comeſtabilis, atque Carolo ex genere materno ſanguine coniunctus. A Regibus enim Gallorum genus & originem du- cebat, habuitque filios omni virtutũ genere præclaros, Carolum, Tiuautum, Henricum, Philippum, & Ioannem qui nunc Nauarræ Comeſtabilis eſt, & Leonoram Ioannis regis Aragonum filiam habet vxorem, noſtraque tempeſtate cum liberalitate cæteriſq; mul- tis virtutibus, tum vero animi fortitudine & militari excellentia prælioque gerẽdo quam maxime pollet, & à Ferdinando rege noſtro Chriſtianiſſimo & propter affinitatem (eius enim ſororem Ioannis Aragonum regis filiam, vt paulo ſuperius oſtendimus, in matri- monium accepit) & etiam propter ſuas excellentes multaſque virtutes maxime diligitur. Hi autem quamuis pro Caroli liberatione manerẽt apud regem, Carolus tamen cuius a- nimus regnandi cupiditate ſemel incenſus quieſcere non poterat, nulla eorũ ratione ha- bita patri rurſus bellum intulit, ac poſt multas pugnas demum apud Stellam ſuorum aliis occiſis, pluribus captis, pene ſolus aufugit, ac plane deterritus & patris iram non iniuſtam & animaduerſionem timens, Neapolim ad Alphonſum patruum Neapolitanorum re- gem diſceſſit. Quem rex Alphonſus etſi magnifice primum ac honorifice ſuſcepit, mox tamen ſui aduentus cognita cauſa, grauiter incuſauit, quod patre viuente regnũ affe- ctaſſet, quod ei à quo genitus fuerat, inferre bellum auſus fuiſſet. Cumque eum patri re- conci-

conciliare, paceque coniungere conaretur, nondum perfecta re, nec sine multorum iactura omniumque Christianorum lachrymis à vita discessit. Quo mortuo Carolus Neapolis regnum ab omnibus fere populis oblatum sibi non sine magno virtutis exemplo recusauit, pauloque post propter ingentes Italiæ tumultus multasq; seditiones quæ post Alphonsi regis obitum mouebantur, in Siciliam traiecit, vbi summa veneratione & ingenti omnium Siculorum lætitia atq; apparatu pene regali receptus est. Pro cuius aduentu patrisq; regnorum acceptione, ad quem Alphonso fratre mortuo Aragoniæ Siciliæq; regnũ iure deuenerat, per omnes fere Siciliæ populos multis diebus ludi magnifici & spectacula varii generis edita & celebrata fuere. Deinde autem Carolus aliquandiu commoratus in Sicilia, se quidem Siculis omnibus indies multo chariorem faciebat. Tanta enim erat huius principis modestia, tanta morum elegantia & vitæ integritas, tanta liberalitas, tanta denique humanitas, vt nihil quidem quod ad recte sancteque viuendum & ad verum perfectumq; principem pertineret, in eo desiderari potuerit: adeo vt non modo summæ probitatis & omnis virtutis nomen sibi vendicauerit, sed magnæ quoq; sanctitatis exemplum haberetur. Quam ob rem non immerito quidem à Siculis omnibus & Italiæ populis, Neapolitanis præsertim apud quos fuerat aliquot dies, non vt princeps solum, sed etiã tanquam numen ingenti veneratione colebatur. *Carolus à Siculis tanquam numen colitur.* Qui legatis è Sicilia missis ad regem, vt ei reconciliaretur, tandem cum per eos se in gratiam patris rediisse cognouit, multis Siciliæ magnatibus comitatus in Hispaniam reuersus est, & regis manus & pedes osculatus, Ausetanos omnesque Nauarræ populos qui ad eum defecerant, in patris obsequium redire coegit. Quare non parua lætitia rex affectus ob reditum filii quem plurimum diligebat, Barcinonæ vbi tunc erant, magnos ac diuersos ludos ingenti pompa & apparatu magnisque sumptibus edidit, vrbe iam plena tum ciuibus & his qui regem sequebantur, tum etiam totius prouinciæ maxima hominum multitudine, qui vel principis aduentu, vel fama quoque ludorum vndique conuenerant. Verum enimuero fortuna semper inconstans, cuius officium est gaudiis humanis & felicitatibus inuidere, & alta deprimere, & regis ocio & honoribus & Barcinonæ opulentissimæ ciuitatis opibus inuidens, sicut olim Romanorum potentiam immensam dominamq; terrarum per socerum ac generum ciuilibus bellis atque intestinis & armis illicitis attriuit, sic etiam, vt Barcinonæ vires & opes ingentes frangeret, filium contra patrem sæpius incitauit. Carolus namque peractis iam & celebratis spectaculis cum & omnium ciuium atque aliorum populorum animos erga se pronos sibique maxime deditos cognouisset, & superiorem pati durum & indignum secum existimauisset, paterni amoris & honoris penitus oblitus (tantum enim dominandi cupiditas potest) tertio iam contra eum experiri fortunam decreuit. Clam igitur omnes quibus plurimum confidebat, cum se adirent, sui consilii indigniq; perpetrandi facinoris participes fecit. Nonnulli etiam quibus bellum pace gratius erat, gladioque magis quam honesto labore gaudebant victumq; quærebant, eum magis quotidie solicitare. Ad eum præterea accedebant omnes qui scelerum suorum conscientia vexabantur. Plures denique eo animo principem cum rege armis contendere cupiebant, vti extincto rege principem quoque de medio tollerent, omnique dominatu liberi essent. Laborabat enim fortuna, Barcinonæ omnino delere fœlicitatem, superbiamq; deprimere, cuius opes & res admodum secundæ per orbem terrarum mirabiles atque inuidiosæ nimium ferebantur. Erat enim ciuitas illustrissima principibus, equitibus nobilissima, omnibus rebus quæ ad viuendi vsum pertinẽt, ditissima, omnium fere ciuitatum terra mariq; potentissima, multis magnisq; rebus domi forisque gestis clarissima, adeo vt eius nomen atque potentia non immerito Hispaniæ, Galliæ, Africæ, cæterarumque nationum principibus timori vel maximo fuerit. Florebat enim non solum maximis opibus ac diuitiis, sed etiam plurimorum virorum prudentia singulari, optimis moribus & institutis. Ciues omnes in administranda republica atq; adaugenda quasi veterum Romanorum ordinem moremque sequebantur, qui nihil vnquam nimis, sed omnia tam publica quam priuata pro modo rationeq; faciebant. Non igitur illorum diuitias resque familiares vllæ discordiæ, non lites, non iudicia, non iurgia, non seditiones, vt in plerisq; fit, minuebant: quippe qui ratione potius naturaque quam legibus viuere malebant. Nobiles armis & equis officiisque militaribus studebant, hisq; sese exercebant, & aduersus hostes feroces erant. Mercatores honestissime commercia tractabant, in quibus exercendis non tam quæstus auidi, quam veri, fideles, ac liberales erant. Sacerdotes & omnes qui rerum sacrarum curam gerebãt, pie, sancteque semper viuebant, summaque veneratione atque timore diuino cultui sacrisque rebus incumbere. Reliqui ciues cuiusque ætatis aut liberalibus, aut mechanicis artibus, quibus erat cultissima ciuitas, operam dare. In qua nemo circumforaneus, id est,

desidiosus & inanis erat, sed honesta alii alia negocia exercere. Itaque nemo malus, ne-
moque pauper, sed optimus quisque erat atque ditissimus. Hac fama ciuitatis non ex Hi-
spania tota solum, sed ex aliis quoque multis nationibus homines huc vndique quotidie
conueniebant, ciuitatemq; libenter incolentes indies maiorem ditioremque faciebant.
Hinc præterea multæ ciuitates ordinem moremq; viuendi sanctissimum, hinc exempla
Reip. gubernandæ pulcherrima, hinc cæteras bonas artes imitabantur. De conditore ta-
men eius affirmare nihil ausim, siquidem omnium qui de ea scripserunt, de autore incer-
ta opinio est. Nam quod nonnulli de Barca nona pueriliter fabulantur, ego quidem non
minus falsum, quam ridiculũ existimo. Cæterũ fuit olim situ ciuitas admodum parua & à
littore maris vno fere stadio remota: pulchra tamen ædificiis, & altis tota mœnibus clau-
sa. fuerunt & ciuitatis portæ numero quatuor, in totidem mundi partes vergentes, æquo
fere omnes inter se spacio distantes, quæ adhuc extant, & in ipsius pene ciuitatis vmbilico
visuntur. Postea vero crescente hominum multitudine bis vndique magnificis ædibus &
conspicuis sanctorum templis aucta, bis etiam præualidis muris superbisq; turribus cincta
est. Quæ quidem etsi magnitudine nonnullis vrbibus cedit, ædificiorum tamen elegan-
tia, littoris amœnitate, viarum munditie, vicorum rectitudine, æqualitate domorũ, amœ-
nissimis hortis quos variis arboribus & nonnullis palmis quæq; domus cultissimos habet,
forma denique rerum omnium & excellenti pulchritudine, meo quidem iudicio, cui ab-
sit inuidia, cunctis profecto ciuitatibus est anteponenda. Plura præterea de hac ciuitate
memoratu digna narrare possemus, quæ ne longius ab incepto discedamus, omittimus.
Redeo igitur ad Carolum, qui Barcinonensium consiliis & opibus fretus, tertio, sicuti su-
pra demonstrauimus, aduersus regem cui charissimus erat, fortunam voluit experiri. Cu-
ius consilii rex penitus ignarus, & à filio sibi cauendũ nihil existimans, ex Barcinona Ara-
goniam versus decedere statuit. Hinc itaque proficiscens ad delectus habendos, Arago-
nes apud Fragam, quod oppidum est Aragoniæ primum, situm apud Cingam fluuium, &
Gothalanos Ilerdam, quæ ciuitas est in ripa Sicoris amnis, ad diem certum conuenire ius-
sit, & Ilerdam die tertio peruenit. Postero die quoque in ciuitatem Carolus non bonis au-
spiciis ingressus est. Nam dum hic rex commoratur, donec, vt imperauerat, Gothalano-
rum equites & omnes nobiles ad delectum conuenirent, quidam de eo suspiciones, qui-
dam prauas cogitationes, nonnulli conatus etiam impios ad regem detulere. Quæ cum
rex ab aliis diligenter quærens, vera esse repetisset, non sine magno dolore & animi mo-
tu filium in semotam ædium partem accersitum huiusmodi verbis alloquitur. Inter o-
mnes patres, immo omnes mortales, neminem infœliciorem vnquam fuisse credo, filio-
rum causa, Carole fili mi, quàm ego sum: propterea quod te talem filium genui, quem me
genuisse pœniteat, & de quo vel inuitus vltimum sumere supplicium non humano so-
lum, sed diuino quoque iure compellar. Tua enim superbia, tua crudelitate, nostra cle-
mentia, nostra pietas, nostra patientia victa est: sola iustitia nobis vtendũ. Nam dum mea
lenitas, dum amor paternus tuis peccatis & erroribus veniam tribuit, & indigno tibi vi-
tam concessit, cùm tam impie sæpius deliquisses, me quidem iniustitiæ nomen subire
coegit, tibique ad peccandum multo maiorem præbuit audaciam. Et dum timui vulgi
sermones, dum odium multitudinis vitare conatus sum, si de te supplicium vel iustissime
sumpsissem, te longe deteriorẽ ego feci. Ideoq; dum tuæ salutis rationem habere volui, tu
me tãquam inimicum acerrimũ omnibus modis perdere tentasti. Quam ob rem quid me
nunc in te statuere oporteat, quã pœna tua crimina plecti debeant, quod te subire suppli-
cium pro tuis ausis æquum sit, diuina quidem & humana nos exempla cõmouent. Scimus
enim angelum qui superbia tumescens, in Aquilone sibi statuere sedem, & suo creatori si-
milem se facere cogitauerat, Dei iustitia de cœlo fuisse deiectũ. Multos præterea morta-
les fuisse legimus viros etiam sanctissimos, qui iubente lege de propriis filiis cum deliquis-
sent, vltimum sumpsere supplicium. Quod si Deus Omnipotens, in quem passio cadere
nulla potest, vt iustitiæ suæq; voluntatis nobis præberet exemplum, ingratitudinis & su-
perbiæ crimen impunitum esse noluit, superbosq; de sede deposuit: si multi quoq; paren-
tes humanę virtutis amore iustitiaq; commoti, pro causis alienis in filios suos animaduer-
terũt, quod ego te dignum supplicium inueniam, si me qui in te educando & boni patris,
piæ quoque matris officio functus sum, tua immanitate nõ modo de regno meo expelle-
re, verum etiam vita spoliare sæpe conatus es? Tantum ne apud te regnandi cupido, tan-
tum inimicorum nostrorum sceleratissima consilia potuere, vt patris animam gladio per-
dere nullo Dei timore, nullo hominum iudicio, nulla impeditus verecundia tantopere
laborauetis? O infœlicem illum semper & infaustum diem quo te genui! Alii enim prin-
cipes aliique patres omnes ad suam custodiam, ad suæ vitæ securitatem, ad suam gloriam
filios

filios progenuere, quorum virtute, quorum laudibus, quorum rebus honeste magnificeque gestis magnopere perpetuoque gauderent: me vero solum in orbe terrarum, nescio quo fato, filius meus insidiis, odio, coniurationibus, armis præliisque continuo persequitur. Quod si vel ego tuis oculis tam inuisus fui, si te dominandi cupiditas tantopere vexabat, nonne tempus vel breuissimum expectare potuisti? nonne patris ætas iam præcipitata qui annum quintum & sexagesimum agebat, monere te debebat, ne paucorum annorum impatientia tantum nefas, tantum scelus, tantum dedecus admitteres? Ego nanque quæcunque mihi Deus nostrique maiores habenda & gubernanda tradiderunt, eodem Deo & natura iubente cum vita ipsa relicturus sum. Moriens enim mecum ferre non possum. Nec quenquam habebam præter te, ad quem nostra bona omnia hæreditario iure pertinerent. Tu autem siue tuis siue aliorum consiliis deceptus, non solum regna paterna & maiorum nostrorum principatus, sed nostram quoque gratiam in perpetuum amisisti, teque omni supplicio, iudicio omnium, dignum fecisti. Quapropter si quid in te grauius à nobis statutum fuerit, nemo quidem sine iustissima causa, nemo sine ratione factũ cognoscet. Hæc locutus rex, qui Carolum custodirent, & illius domus vbi tunc erat, exitu prohiberent, vocauit, adhibitisque custodibus eum respondere volentem reliquit, ac inde paulo digressus lachrymas & gemitus continere non potuit, tantum paterna pietate mouebatur. Carolus autem patris sententiam & indignationẽ timens, quæ sibi mortem minabatur, multis profusus lachrymis & oppressus, maxima verecũdia oculos attollens & sursum aspiciens, quasi Dei clementiam imploraturus, Væ, inquit, mihi misero, si neque clementiæ neq; misericordiæ spes vlla relicta est. Quæ res vbi innotescere cœpit, non paruo quidem dolore atq; tristitia omnes affecit. Omnes enim tum regiæ domus equites, tum ciues tota nocte non sine gemitu casus huiusmodi magnũ malum summumq; dolorem allaturos querebantur. Præterea magnus erat in tota ciuitate tumultus. Omnes enim Ilerdæ ciues desiderabant Carolum è carceris custodia liberari. Captus fuit etiam cum eo Iohannes Beamontius, Ludouici quem supra memorauimus, frater. Hunc enim Carolus propter propinquitatem & assiduam fere consuetudinem plurimum diligebat, & eius consilium & autoritatem omnibus in rebus præcipue sequebatur. Hinc rex cum Carolum Mirauetum sub custodibus mittere statuisset, multorum nobilium Aragoniæ precibus commotus, ad Iaffariam, quæ domus est apud Cæsaraugustam ciuitatem, missum custodire diligentissime iussit. Qua de re Gothalani certiores facti, qui res nouas & prauas belligerandi cogitationes animo conceperant, quo sibi libertatem vendicarent, ex totius prouinciæ nobilioribus legatos ad regem quindecim, qui scirent quam ob causam captus Carolus & in carcerem coniectus fuisset, statim miserunt. Hi cum Ilerdam ad regem venissent, eorum quidam Petrus Vrreus Tarraconensis Archiepiscopus, qui vel eloquentia, vel dignitate cæteros antecedebat, apud regem orationem hanc habuisse fertur. Si leges & iustitia te cogunt, inuictissime Princeps, vt in Carolum filium tuum, ac potius in te ipsum grauius animaduertas, cum tu illum progenueris semperque plurimum dilexeris, nos tibi pro illius salute & incolumitate supplicare non necessarium ducimus. Nam etsi misericordia, pietate, & humanitate quam maxime mouemur, nos tamen ipsa ratio tuaque voluntas multo quidem magis conuincit. Præterea quis est tantum à ratione alienus, vt putet patrem pro filii vita qua nihil illi charius esse potest, aliorum precibus indigere? Quod tamen cum ita sit, summo quidem compulsi dolore causam scire desideramus, quæ res te de proprio tuo sanguine supplicium sumere coegit. Omnes enim non tui solum populi, verum etiam aliæ gentes quæ tuam clementiam & humanitatem non ignorant, non sine magno stupore admirantur, si nunc aliquid grauius in filium tuum statuendum censeas, cum cæteris delinquentibus ac inimicis, si nemo queratur, facilime parcere consueueris. Ea namque homines præcipue in magnam admirationem adducunt, quæ valde præter naturam fieri existimantur. Huc accedit, excellentissime Rex, quod sicuti quenquam sibi ipsi nocere difficile est, ita & post admissam culpam facile est suis erroribus ignoscere. Nos quem finem res hæc sit habitura, non possumus non magnopere timere. Mentes enim nostræ non nisi magnum dolorem allaturum nobis prædicant. Nec hactenus, quæ res nos maxime cruciat, scire nobis licet, quæ nostræ huius infœlicitatis causa sit. Vna siquidem omnium voce clamatur, Carolum Vianæ principem ab omni culpa liberum esse. Præteritos enim errores omnes sciunt te filio tuo iam sponte remisisse. Quæ igitur nunc te causa mouerit, intelligere non possumus. Ad te itaque oratum venimus, clementissime rex, vt & eius rei nos participes fieri velis, vt populis qui nos ad tuam Maiestatem miserunt, respondere & rationem reddere possimus, & Carolum ex te fuisse genitũ memineris, & principatus tuos quos tibi maio-

Moriens nihil aufert.

res tui in pace tranquillissima reliquerunt, concordia prudentiaq; conserues. Hæc cum
dixisset Præsul, orationi suæ finem fecit. Cæterique legati flentes idem regem deprecati
silentium fecere. Quibus rex pauca hæc verba respondit. Nulla ira, nulla rerum præteri-
tarum recordatione mouemur. Sed nuper quod in honorem nostrum atque salutem Ca-
rolus vester conatus est, nisi iusta animaduersione plectendum censeatur, me profecto
non pium neque clementem, sed stultum potius ac dementẽ iudicare omnes merito de-
berent. Illum enim scimus rebus nouis studuisse, in patris perniciem plurimum vigilasse,
falsa & iniqua regnandi dominandique cupiditate commotum, nostros me viuente prin-
cipatus affectasse, nihil magis quam vitam patris odisse, cui nuper indignas tendebat insi-
dias. Nulla enim re maiori dolore concutitur, quam propter patris fœlicitatem. Me nam-
que vt opprimere deque medio tollere posset, ab Henrico Castellæ rege exercitus & au-
xilia petisse quis ignorat? Nihil denique non ausus est, nullo sceleris genere deterritus, vt
nostram perderet senectutem. Ex quo & cogitare & intelligere possumus, aut illum diem
fœlicem non fuisse quo ex me conceptus est, aut bonum eius ingenium præter naturæ
suæ bonitatem prauis aliorum consiliis fuisse conuictum. Quæ res multo quidem maio-
rem mihi affert quam cuiquam mortalium dolorem. Cogor enim iustas de filio vel inui-
tus exigere pœnas: cuius quidem supplicium nostram magis animam percutiet. Quod si
pietas & amor paternus ignoscere filio velit, mihi tamen non licet. Illis enim veniam dari

Venia quibus danda.

æquum est qui & imprudenter, & semel, & in re non magna deliquere, non autem eis qui
scientes, qui pluries impia maximaque crimina committunt. Nam si quis, quod ei non li-
ceat, semel commiserit inscitia, si quis etiam bis, excusari imprudentia potest: si quis vero
tertio rediit ad crimen, aut demens est, aut obstinatus. Huic igitur si venia daretur, & im-
pune peccare liceret, quæcunque mala committeret in posterum, non illi quidem, sed eis
ascribenda viderentur qui eum vel punire vel prohibere poterant. Carolus itaq; ea anim-
aduersione pœnaque plectetur, vt cuiquam deinceps nocere non possit. Qua in re me iu-
stissime statuisse viros bonos existimaturos non dubito. Huic sententiæ legatis responde-
re non audentibus, rex Fragam versus discessit, pauloque hic moratus Ilerdam reuersus
est. Barcinonenses autem interim qui nouis rebus studentes magnos exercitus coege-
rant, & suæ ciuitatis imperio se potiri posse sibi falso persuaserant, sexaginta legatos cum a-
liis quindecim quos paulo ante memorauimus, ex potentissimis ciuitatis electos ad regẽ
miserunt. Ex quibus quendam virum Abbatem Ageræ hoc modo regem allocutum fe-
runt. Illi principes, diuino & humano consensu, principatu populorumque suorum cultu
& obsequio digni sunt, excellentissime rex, qui & communes vtilitates priuatis antepo-
nunt, & in eo semper manent quod cum sui principatus populis fide & iureiurando sta-
tuere: ille autem qui omnia ad sua commoda, ad suam voluntatem metitur, & iusiurandũ
fidemq; violat, hic quidem & diuinam & humanam legem contemnens, sese & principa-
tu & suorum obedientia manifeste facit indignum. Quod si ita est, quid nos facere debe-
mus, si ius nostræ libertatis iustitiam clamat, si Vianæ principatus & omnes tuorum re-
gnorum populi non immerito Caroli nostri principis liberationem desiderant? Eadem
fides & obseruantia quam tibi debemus, nos etiam illum defendere compellit. Quod vt
faciamus, & ratio & fortuna ipsa nos vehementer hortantur, quæ non pedibus nos, sed a-
lis perpetuo fouet, maximisque viribus excitat. Ideoque populorum motus & excitatos
animos compescere etsi vellemus, nobis tamen nullo modo liceret. Omnium mentes ha-
rum rerum infœlices euentus præsagire videntur. Quid enim boni ex tanto malo sperare
licet? Fidem enim & obseruantiam quam tibi hactenus seruauimus & in perpetuum ser-
uare iureiurando statuimus, si tua culpa semel amiseris, non facile quidem ad tuum reuo-
cabis obsequium. Populi nanque qui iustam ob causam à suis principibus deficiunt, aut
sero quidem ad eos, aut nunquam redire solent. In bellis opulentus & numero magnus
exercitus, de paucis & omnium rerũ penuria laborantibus facile victoriam consequitur.
Duces nobis ac milites præter nostros auxiliares & stipendiarii non deerunt. Pecuniis e-
nim quas bellorũ neruos appellãt, cæterisq; rebus ad bellum gerendũ necessariis abunda-
mus. Vires iam & animos nostros, atque in re militari scientias, cum alii multi, tum vero
Gallorum principes populiq; qui ferocissimi bellicosissimiq; semper fuere, sunt experti.
Qui olim cum magnos in Hispaniam duxissent exercitus, & Gerundam vsque peruenis-
sent, quæ ciuitas prope centum & quinquaginta passuum millia à Galliæ finibus distat,
amisso rege cum exercitu, perpauci quidem domum fugientes redierunt. Præterea nullæ
gentes externæ, ne Hispanicæ quidem, nobis absque sua pernicie bellum intulere. Terra
marique nostra plurimum valet ac timetur autoritas. Scimus enim nomen nostrum o-
mnes formidare piratas. Ob rerum gestarum memoriam multasque nostras & insignes
victorias

victorias Africæ quidem, & Europæ,atq; Aſiæ non paruo timori ſumus. Hac etiam cauſa totius Hiſpaniæ principes gratiam & amicitiam noſtram appetunt, colunt, & plurimi faciunt. Noſtri maiores qui fortiſſimi iuſtiſſimique fuere, non tam militum numero ac multitudine,quam virtute atque labore poſteris imperium & rempublicam auctam reliquere. Omnes homines natura ad res magnas & ampliſſimos principatus aſpirant,attamen illi tantum ſua vota conſequuntur,& diutius parta tueri & conſeruare ſolent, quos non temeritas,non praua regnandi cupiditas,non odioſa crudelitas,ſed ratio, ſed iuris ac virtutis amor,ſed ipſa deniq; ſemper amabilis humanitas comitatur. Quod ſi ita eſt,quęnam tibi tuorum regnorum ſpes habenda eſt? Quam ob rem noſter erga te amor, fides, pietas & obſeruantia,quæ tibi iure debentur à nobis,huiuſmodi tempore nos Maieſtatem tuam deprecatum propere venire coegerunt, vt & ſaluti filii tui, & noſtræ tuæque quieti atque honori mature conſulas.Tum rex conuerſus ad proximos venerabili ac vere regia grauitate ſic reſpondit.Quod ratio & iuſtitia monent,hoç facere ſtatuimus.Nunquam enim,ſiue in noſtris,ſiue in aliorum cauſis ac periculis ſententiam laturi ſimus,ab officio& ratione diſcedemus. Principes autem qui iuſtitiam exercent,& ſuppliciis improbos afficiunt: & de bonis optime merentur, & hominum ſocietatem conſeruant, & Deum ſibi tanquam maximis ſacrificiis conciliant in perpetuum,propitiumque faciunt. Gloria autem & quicquid cum ea turpiter acquiritur,durabile non eſt.Nos autē quod bonis clientibus ac populis in officio permanentibus præſtare debemus,hoc quidem ſperamus à nobis neminem vnquam iuſte deſideraturum: quod niſi de ſontibus etiam pœnas debitas exigerem, facere non poſſem. Præterea non eſt Ducis famam & victoriam quærentis, priuſquam videantur pericula,timere,& illorum motus & defectionem ſine cauſa ſperare qui ſibi ſemper fideliſſimi fuerunt: qui tamen ſi temere tentare aliquid auderent, ſibi pro ſua dementia pœnas eſſe daturos. Hæc dum agebantur in aula, rege veteri Gothalanorum fidei & amori plurimum confidente,illorum & magiſtratus & duces clam populis perſuaſerant,vt rege capto,eius omnes conſiliarios interficerent. Quod conſilium & tam numeroſæ multitudinis conſpirationem,qui vel præmii ſpe,vel metu pœnæ ad regem referret,nemo repertus eſt. Tantum enim rerum nouarum ſtudium & belligerandi cupiditas omnium mentes inuaſerat, tantuſque furor ſenſus oppreſſerat,vt non à rege ſolum, quem ardentiſſimo ſemper amore,& tanquam numen aliquod ſumma veneratione proſecuti fuerant,verumetiam à ſeipſis alieni fuiſſe videri potuiſſent. Cæterum illis arma iam capientibus,rex per indicia rem cognoſcens,ſuos clam in conſilium conuocatos monuit, vt quid agendum foret, ex tempore conſulerent. Tum itaque Petrus Durreus hæc ſtatim reſpondit. Vetus Gothalanorum fides, & virtus, atque amor erga ſuos principes (inquit) magnanime rex,ſalutis & incolumitatis tuæ nobis ſpem certiſſimam pollicentur.Nos autem pro noſtra pugnantes omne periculum propellemus. Ideoque fortunæ cedendum non arbitror,ne forte hoſtibus mali futuri maiorem & optatam præbeamus occaſionem. Hæc domus opportuna ſatis, & inexpugnabilis loci natura & ædificiorum munitione, certam noſtræ ſalutis oſtendit ſecuritatem. Milites & multos & fortes habemus. Arma nobis non deſunt. Bonorum omnium ſubſidia aduentura in auxilium noſtrum dubitandum non eſt. Quicquid ergo hoſtes, ſi iam repugnare velint, facere decreuerint,expectandum cenſeo. Diſcedentes enim belli iam cœpti manifeſta ſigna daremus. Abitio præterea noſtra fugæ perſimilis omnibus videretur.Quæ res & regiam tuam autoritatem famamque minuere,& inimicorum audacem plurimum augere poſſet inſaniam.Illi denique viri de ſuis hoſtibus victoriam conſequuntur,qui ſe laboribus & periculis exponunt. Huic ſententiæ cunctis aſſentientibus,rex ſolus non acquieuit, qui diuino ſpiritu commonitus, Honorem, inquit, & ſalutem veſtram, viri fortiſſimi, ego non ſecus ac vitam meam charam habeo.Ex duobus periculis quod magis obeſſe poteſt, hoc præcauere & effugere diligenter debemus.Scimus iam Gothalanos in armis eſſe.Qui ſi contra me belligerantes violata iam fide ſemel nos aggredi prælio cœperint, niſi penitus omni ratione careant,vitæ ſuæ ſpem omnem in noſtra morte poſitam eſſe putabunt.Hoc igitur euitare periculum prudentis ego,non autem timentis exiſtimo. Facilius eſt enim apud populos honori conſulere, quam fidem illorum per ſcelus amiſſam & voluntatem reconciliare. Quod ſi huiuſmodi belli caſus ineuitabilis eſt,malo quidem hoſtibus in liberis occurrere campis, in quibus fortiſſimus quiſque non ſine ſpe ſuæ ſalutis pugnare & ſuis vti viribus poſſit,quam parietibus anguſtis incluſus cum paucis inermibus impetum armatæ multitudinis expectare,vbi nobis captiuorum more vel agnorum potius in cohorte clauſorum pereundum eſſet,aliis aliorum mortem ſpectantibus. Hæc cum dixiſſet,de ſecunda vigi-

lia equum aſcendens, Bernardum Roccabertum cui plurimum confidebat, cum paucis armatis clam ciuitatis cuſtodibus præmiſſum ad portam quæ prædicatorum dicitur, paruo comitatu ſubſecutus egreſſus eſt, ac nulla parte noctis itinere intermiſſo, poſtero die Fragam, quæ diſtat ab Ilerda paſſuum fere millia viginti, peruenit. Nonnulli tamen eum cuniculis ſub mœnibus actis egreſſum ferunt. De tertia autem vigilia & noctem paulo poſt mediam Franciſcus Eſpla, Ioannes Agullon, & Graus Ceruellon præcipui coniurationis autores, & qui manus impias in regio fœdare ſanguine deſtinauerant, in regis aulam venerunt. Vbi cum regem non inueniſſent, ſumma triſtitia & dolore affecti domum ſuam reuerſi nouitate & magnitudine ſceleris agitati, noctem totam inſomnes tranſiere, magno tota ciuitate tumultu fluctuante. Quæ res ſummo dolore metuque legatos afficiebat. Perſpiciebant enim viri prudentes nefarium hoc tanti ſceleris initium, non niſi perniciosum & infœlicem finem habiturum, timebantque ne quod inſolentes homines auſi fuerant, rex illorum conſilio factum forte putaret. Die ſequenti cum omnes coniurati magno cum exercitu Fragam proficiſci ſtatuiſſent, quorundam vſi conſiliis hoc iter diſtulere: omnes tamen totius principatus populos in armis eſſe iuſſerunt, qui paucos poſt dies cum magnis copiis Ilerdam conuenere. Hic cum regem Cæſarauguſtam profectum accepiſſent, Fragam magnis itineribus contendunt, eamque ciuibus & magiſtratu conſentientibus ingrediuntur. Sub idem tempus regi nunciatum eſt, Caſtellæ regem Henricum, pacis & amicitiæ fœdere neglecto, in Aragonum fines cum magnis exercitibus aduentaſſe, magnumque equitum & peditum numerum ad oppugnandum Boriam miſiſſe, quod oppidum diſtat à Cæſarauguſta paſſuum millia circiter triginta. Eodem tempore Valentini quoque Gothalanorum tumultu permoti, alii ſecreto, alii publice arma, equos, atque alia omnia quæ ad bellum gerendum neceſſaria videbantur, parare. Siculi præterea, Sardi, Baleares, & aliarum inſularum populi omnes ancipites, & in neutram partem declinantes, quid cæteri facerent, expectabant. Interim etiam Ludouicus Requiſentius qui regi fideliſſimus erat, Barcinonæ captus eſt, propterea quod Gothalanis quibus præerat, contra regem conſpirantibus aſſentiri noluerat. Et Luſetanis in Nauarra iterum bellum Agramontanis inferentibus, Hiſpania fere tota maximis perturbationibus vexabatur. Hic autem rex prudentia ſingulari, vt & fortunæ conatibus occurreret, & populorum furores extingueret, Carolum ſtatim è carcere liberauit. Quem regina Barcinonam proficiſcens vſque ad Villam Francam ſecum adduxit. Vbi Barcinonæ legati reginam ab itinere prohibuere, leges quaſdam & conditiones petentes, quas non tam neceſſarias, neque tam iuſtas, quam ad culpam ſuam protegendam & excuſandum errorem quem non leuem commiſerant, excogitaſſe videbantur. Regina autem re non conceſſa (erat enim iniqua) Barcinonæ itinere dimiſſo Cæſarauguſtam ad regem reuerſa eſt. Carolus autem Barcinonam profectus à ciuibus cæteriſque prouinciæ populis, vt patri bellum inferret, aſſidue incitabatur. Quod cum audiſſet quidam Carolus Artheca cognominatus, Ilumberrum oppidum cui regio iuſſu diutius præfuerat, pro Carolo principe gubernare ac defendere cœpit. Ad quem oppugnandum Alphonſus Aragoneus cum exercitu profectus, prope muros oppidi caſtra poſuit. Cui rex vt pro tempore opportunum mittere ſubſidium poſſet, cum Aragonum copiis Sangoſam venit, quod oppidum abeſt ab eo paſſuum millibus octo. Cæterum cum hic Alphonſus Aragoneus propter eius in re militari præſtantem & excellentem fortitudinem & rerum geſtarum gloriam ſit ſæpius memorandus, qui fuerit, hoc loco dicere perneceſſarium ducimus. Alioquin non dubito, omnes qui eius virtutes in rebus bellicis & præliis ab illo fortiſſime geſtis legerint, illius genus & anteceſſores qui fuerunt ſcire deſideraturos. Fuit itaque regis Ioannis de quo ſcribimus, filius, non tamen ex legitimo matrimonio, & Villæ Formoſæ Dux, qui paternam & omnium maiorum ſuorũ in re militari prælioq; gerendo virtutem non ſolum eſt imitatus & æquauit, ſed longe quidem ſuperauit. Quod & rex ipſe & Duces non Hiſpani ſolum, ſed Galli quoque omnes vno ore prædicabant. Ego autem præter ea quæ ab eo geſta his commentariis ſcripturus ſum, multa quoque alia commemorare poſſem, & quibus locis cum paucis equitibus magnas hoſtium copias fuderit, quot & quantas victorias præter omnium opinionem cõſecutus fuerit. A pueritia enim & teneris annis tanquam natus ad Martis opus ſe ſemper in armis exercuit. Nam & bellis quæ pater aduerſus reges Caſtellæ, & contra Gallos & Nauarræ populos atque Gothalanos reluctantes fortiſſime geſſit, omnibus non interfuit ſolum, ſed præfuit & ſummam ſibi laudem & gloriam comparauit: verum etiam deinde Ferdinandum regem fratrem ſecutus aduerſus Alphonſum Portugalliæ regem & Mauros Granatenſes, famã Ducis & gloriam immortalẽ adeptus eſt. Vir fuit corpore magnus, ſed animo multo

multo maior, qui post multas & insignes victorias, deniq; in oppido Castellæ quod Linares appellant, vitam finiuit, reliquitque filium Alphonsum qui sibi in Ducatum VillęFormosæ successit. Reliquit & alios nothos multis virtutibus præclaros. Hoc igitur Alphonso filio & Ioanne Cæsaraugustæ Archiepiscopo altero filio, se non minus fœlicem rex existimabat, quam reliquis quos ex legitimis nuptiis suscepit. Nam Ioannes quamuis religione magis quam re militari semper fuit occupatus, non paruam tamen laudem sibi gerendo prælio comparauit. Sed de his hæc pauca sufficiant. Nunc ad rem redeo. Carolus itaq; Artheca cum se oppidum diutius defendere non posse animaduertisset, ad regem Castellæ legatum misit rogatum auxilium: quod nisi mature sibi succurrerit, se cum oppido in regis Aragonum potestatem venturum dicebat. Ad quem Henricus, Aragonum regi nocere desiderans, equites numero mille subsidio misit, quos Gonsaluum Saiauetram Alcantaræ ordinis militiæ præfectum cum aliis copiis & Rhodoricum Marchenam subsequi iussit. Quod rex cum animaduertisset, Duces & consiliarios omnes ad concilium conuocatos, quid agere deberet, statim consuluit. Tum Rhodoricus Rebolletus primus sententiam suam dixit. Etsi tuus exercitus virtute magnus est, fortissime rex, numero tamen satis exiguus, adeo vt nisi diuino iuuetur auxilio, tantę hostium multitudinis impetum sustinere nullo modo possit. Quare tuam salutem in tantum conferre discrimen, ego non fortitudinis esse, sed extremæ dementię iudicarem. Scimus enim rex Castellæ quot armatorũ millia conficere possit, Aragonum plures à te alienatos esse non ignoramus, Gothalanos in te refractarios ad tuam perniciem Principem Carolum incitasse nobis certissime constat. Hi si cum Castellanorum & aliorum copiis se forte coniunxerint, nobis quidem neq; victoriæ, neque salutis nostræ vlla spes est. Nam quid paucis, quamuis fortibus, contra tot hostium millia sperare licet? Quod si viris fortibus & magnanimis pro virtute atque iustitia tuenda, pro honore vitam profundere gloriosum videtur, nos tamen non nostra quidem, sed reginæ, sed Ferdinandi filii tui causa, tuæ salutis habere rationẽ debemus. Nam si tibi, quod Deus auertat, grauius aliquid accideret, nobis iam victis, nõ dubium est quin venirent in hostium potestatem. Quare nec infœlicius euenire nobis quidquam posset, nec contumeliosius. Hoc igitur tantum malum summumque dedecus ne nobis contingat, summo studio atque diligentia prospiciendum cauendumque est. Mea igitur sententia est, vt nos prælium committere & cum hostibus congredi & experiri fortunam permittas, teque tuto in loco contineas. Omnis enim & reginæ & Ferdinandi filii tui, omniumque tuorum salus in tua ipsius salute posita est. Tu itaque dum fueris incolumis, vbicunque fueris, etsi nos peiores fortunæ casus sequantur, nunquam tamen de nostra salute desperabimus. Huius opinioni Martinus Lanucius non assentiens, hoc modo locutus est. Ego regis gloriam ducibus attribuendam non censeo, cum pręsertim sæpenumero regis vel nomen vel aspectus in prælio causa victoriæ fuerint, cuius fama sua regna tutatur, augetque, atque conseruat. Te igitur in agmine viso, fortissime rex, tuosque inter pugnandum hortante, & hostium frangentur animi, & tuorum alii virtute, alii pudore coacti mortis omnia pericula contemnentes, acrius certe pugnabũt, quod in tua præsentia pugnantes tuos equites milites que sæpe fecisse, vocem tuam audientes experti sumus. Ideoque paruo cum exercitu plærunque ingentes hostium copias profligasti, de quibus præter tuam atque aliorum opinionem insperatam victoriam habuisti. Te igitur, inuictissime rex, præliis imminentibus interesse oportere arbitror, tuosque milites hortari & voce manuque iuuare, non autem quid alii fecerint expectare, vt si quid acceperint detrimenti, non absentiam tuam, sed vel fortunam, vel suam ipsorum culpã accusare iure possint. His consiliis nemine respondente, rex quoque cunctatus parumper ac si vtriusq; iudicium perpenderet, tandem quasi Lanucii sententiam comprobasset: Hactenus, inquit, non meminisse vos arbitror, proceres, Castellæ regem vnquã cum maioribus copiis aduersum me sine magna sua calamitate pugnasse. De quibus multas & insignes victorias me consecutum fuisse vobis commemorarem, nisi scirem vos & earum rerum memores esse, & participes honorifice fuisse. Quas res ego non fortunæ, nõ nostris viribus, vt multi faciunt, attribuo, sed Deo optimo maximo, qui semper pro iustitia virtuteque pugnantibus aspirat. Quare dum rectum sequar, & iustam causam habuero, neque præliis vnquã abstinebo, neque de salute ac victoria desperabo. Hoc modo locutus, & concilio dimisso quieti se parumper dedit. Erat enim tempus noctem iam post mediam. De quarta autem vigilia conuocatos vndique milites armari, & pontem transire, & in vlteriorem fluminis ripam conuenire iussit. Prima luce subsecutus cohortes, Alphonsum Aragoneum cuius supra mentionem fecimus, ab Ilumberri obsidione reuocatũ cum exercitu secum coniũxit: & cum omnibus copiis Montem regalem versus, qui locus abest à Sangosa passuum

millia circiter viginti, ſignis militaribus erectis, & ingenti tubarum & tympanorum concentu proficiſcitur. Huc cum exercitu bene inſtructo contendens, in itinere locum caſtris elegit montis natura ſitis commodum, & vbi perpauci contra multos pugnare tuto poterant. Hoc ideo fecit ne eius exercitus qui numero erat inferior, ab hoſtibus in loco facili circumueniri poſſet. Erat autem hæc loci natura, vt perpauci regii milites in ſummo iugo montis, hoſtes a tergo venientes propellere facile poſſent. Nam a latere nullus hoſtibus aditus patebat: tanta enim loci ex vtraque parte difficultas & aſperitas erat. Vbi vero caſtra poſita erant, hic locus & ad planiciem quæ prope aderat, deſcenſum, & ad caſtra regreſſum facilem præbebat. Hic itaque rex & loci opportunitate & militū virtute nimium fretus, hoſtes expectare conſtituit, quibus Ilumberrum ituris hac commodius iter & expeditius erat. Cæterum cum hoc regis conſilium Caſtellanorum duces intellexiſſent, periculum metuentes, recto itinere omiſſo, per aliud obliquum Ilumberrum cum exercitu peruenerunt. Qua re cognita rex Sangoſam propere rediit. Hic aliquandiu commoratus cum hoſtes committere prælium recuſaſſent, ſeque in oppido continerent, Pompiloniis, Lerinatibus, cæteriſque Nauarræ populis Ioannē & Alphonſum Aragoneos Duces cum exercitu præſidio relinquens, Bilbilim (quod eſt oppidum Aragoniæ nobile magnumq; & Calataiutum vulgo appellatur) vt delectus haberet, profectus eſt. Hinc regina ad Villam Francam reuerſa, partem legum & conditionum quas petierant, Gothalanis conceſſit, vt in eos iura omnia & imperium Carolus haberet: rex vero toto eorum principatu interdictus, regis tantum nomen retineret. Hac impetrata & confecta re, Ludouicus Requiſentius & Ioannes Beamontius, quos deprehenſos fuiſſe demonſtrauimus, è cuſtodia ſtatim liberati fuere. Cæterum paulo poſt Barcinonēſes cum aliis prouinciȩ populis, omnia quȩ concupiuerant adepti, cum iam à regis imperio ac iure liberi viderentur, pro ſua libidine omnia facere, iuſtum atque iniuſtum ſibi velle, ac pro virtute & æquo ſcelus & arrogantiam exercere, nemini ne principi quidem ſuo Carolo propter eius manſuetudinem & facilitatem parere. Quin etiam Carolus quotidie ſolicitabatur ab illis, vt armis patrem perſequeretur, vt concubinam legitimis ſibi nuptiis vxorem confirmaret, quo filius in regno paterno ſibi ſuccedere poſſet. Illorum igitur Carolus inſolentiam & immanitatem indignanter grauiterq; ferens, ex nimio dolore in grauiſſimam febrem incidit. Pro cuius ſalute Barcinonenſes aſſidue pecunias ingentes profundere, vota multa concipere, bona omnia promittere, Deo reliquiſque cœlitibus ſacrificia præſtare. Ille autē, vt erat princeps Chriſtianiſſimus, vbi ſuæ animæ more noſtræ Chriſtianæ religionis conſuluit, patris clementiam ſtatim & miſericordiam inuocauit, inimicis omnibus pepercit, ſuos ad bene viuendum & pro ſe orandum hortatus, paucis diebus Barcinonȩ diſceſſit à vita: cuius funus non ſine maximo mœrore & acerbiſſimo luctu ab Hiſpaniæ populis, & à Siculis omnibus celebratum eſt. Erat enim omnium virtutum ſplēdore præclarus, moribus integerrimus, & iuſtitia, modeſtia, liberalitate, clementia, humanitate, cæteriſq; rebus quæ (vt ante diximus) ad optimum perfectumq; principem pertinent, omnes quidem principes anteceſſit.

LVCII MARINEI SICVLI
DE REBVS HISPANIÆ
LIBER XIIII.

De bello contra Gothalanos.



VB idem tempus Vianæ ciues ad Caſtellæ regem defecerant: & Alphonſus Aragoneus, quem rex (vt ſupra diximus) Pompiloniis & aliis Nauarræ populis præſidio reliquerat, cum Caſtellanorum Ducibus & copiis ad Barzuciam oppidum quod à Viana non longe diſtat, prȩlium cōmiſerat, eoſq; profligauerat. Quo prælio ex Caſtellanis prȩter occiſos ac vulneratos equites, etiā quadringenti cum equis & armis capti fuere. Tum itaq; ne maiora ſequerentur incōmoda, Alphonſus Carillus Toletanæ ſedis antiſtes, & Henricus Hiſpaniæ maris præſes, quem Almirantem vocant Hiſpani, inter vtrumque regem pacis autores fuere. Ad cuius pacis & amicitiæ ſecuritatem & cōfirmationem, alter Nauarræ oppida quatuor, quæ Raga, Gardia, Arcus, & aliud nomine ſancti Vincentii, vocantur: alter vero duo, Lorca, quod oppidum eſt prouinciæ

uinciæ Carthaginensis, & Cornagum Cantabriæ prope Numantiam, obsidum nomine tradiderunt. Cæterum Gothalani post Caroli obitum ad regem cateruatim veniunt, Ferdinandumque regis ex Ioanna vxore secunda filium, qui tum annum fere decimum agebat, in principem à rege petiuere: quem suum esse ac fore principem iureiurando, ritu, moreq; patrio confirmarunt, & simul cum regina Barcinonam proficiscentem comitantur. Verum enimuero cum hic Barcinonenses reginam Principemque cernerent, & regis aduentum maxime timerent, omnes qui antea deliquissent, coniurationisque conscii & participes fuissent, suorum errorum memoria & scelerum conscientia vexabatur. Timebant enim ne quandoq; à rege suppliciis quibus se dignos putabant, afficerentur. Ideoque priusquam rex aduenisset, tumultus ingentes inter eos nouæq; seditiones ortæ fuere. Simularunt enim (tantum metus improbos coegit) animam Caroli Principis defuncti de patre deque nouerca noctu per vicos ciuitatis miserabiliter questam, multaque miracula fecisse: perinde ac si non morbo naturalique morte Carolus, sed aliqua re interceptus & sublatus fuisset. Sic itaq; cum se animaduersione dignos agnoscerent, & pœnæ metu quiescere non possent, huius fictionis velamento rursus omnes in regem conspirant, & quæ finxerant Caroli diuulgatis miraculis, totius prouinciæ populos in fanaticos impulere furores. Hac igitur coniuratione ac tumultu omnia quæ post longos magnosque labores quiescere vix cœperant, statim atque præter omnium bonorum opinionem vehementer perturbarunt, & in maximam solicitudinem adduxerunt. Omnes enim Remensæ, Russinonis, & Ampurdaniæ prouinciæ populi (sic enim vulgo nominantur) feroces homines, & qui montana loca incolunt (quos Pagesses vulgus pro Paganis appellat) summa dementia furentes ad Pallariensium Comitem conuenerant, eumque ducem & totius exercitus principem eligunt. Qui cum obstinatum rusticorum furorem compescere debuisset, dominandi cupiditate commotus & spe falsa deceptus, in maiorem potius insaniam compulit. Dum autem tam malæ mentis homines & rationis expertes vndique conueniunt, cõiurant, arma parant, homines & exercitus cogunt, & Gerundam versus ire contendunt: regina ex Barcinone cum Ferdinando filio discedens, paucis comitantibus Gerundam venit Gerundensium precibus adducta, qui eius contra resistentes auxilium implorauerant. Cuius discessus Barcinonæ ciuibus molestissimus fuit. Nam quum iam penitus nulli regio imperio parere statuissent, quo sibi facilius assererent libertatem, reginam cum filio de medio tollere cogitauerant. Ea itaque digressa, vt quæ mente praua conceperant, liberius citiusque perficere possent, è magistratibus alios in carcerem coniecerũt, alios expulerunt à ciuitate, in exiliumque miserunt, plures etiam occiderunt. tantum enim apud eos non libertatis amor, sed supplicii pœnæque metus inualuit. Regina autem paucis Gerundæ commorata diebus, quo Gerundensium precibus adducta venerat, vt supra scripsimus, qui ad eam, vti sibi contra Remensanorum aliorumque repugnantium impetũ ferret auxilium, legatos miserant, eos indiciis percepit etiam ad tumultuantes secreto defecisse. Cum igitur Comitem Pallariensem cum magnis hostium copiis Gerundam oppugnatum venire animaduertisset, ad ciuitatis magistratus qui tum in concilium conuenerant, filium Ferdinandum admodum puerum sua manu ducens, pedibus suis venit. Quibus primum labores quos tolerauerat, dum illos regi reconciliasset, & concordia paceque coniunxisset, commemorauit. Deinde quantum libertatis, quantum gratiæ impetrassent à rege ea deprecatrice, Carolum principem bis è carcere liberatum fuisse, seq; ad eos venisse eorum precibus adductam, vt illis contra Remensanos aliosq; perfidos inimicos auxilio esset, in memoriam adduxit. Nullo etiam modo se credere potuisse dicebat, eos crudelitatis autores futuros quibus opem ferens tanto vel studio vel amore venire curasset. Item ostendebat quam iustum & honestum viris claris & fortibus esset, in huiusmodi fortuna gloriosam potius oppetere mortem, quam vitam viuere non honestam: quod semper omnes Hispani non solum pro suis regibus patriæque suæ principibus, sed etiam pro externis quos nunquam vidissent, facere consueuerant. Quam laudem & maiorum gloriam, qui regibus fidelissimi semper fuerunt, imitari conseruareq; deberent, ne si quis ab officio discederet, nunc Hispania primum nouum dedecus & insignem ignominiam subiret. Postremo retulit quam fortes, quam fideles, quam boni viri iudicarentur, quãtamq; de se vel famam vel gloriam sibi facturi essent: item quæ munera, quam gratiam sperarẽt à rege, si absente eo principem vnicum filium ab extremis periculis liberarent, & incolumẽ patri restituerent. Illis denique piissimis precibus, nec sine lachrymis, de manu Ferdinãdum filium Principem tradidit, Vestri Principis, dicens, optimi viri, non meam vobis commendo salutem & vestræ fidei committo. Qui si virtute fideque vestra summũ quod imminet ei periculum, euaserit, non dubitare debetis, quin parentes eius dignum vobis

veſtra virtute præmium perſoluant,quibus etiam Deus omnipotens multo quidem maiora melioraque dona retribuet, qui malis pœnas graues & æternas, bonis autem perpetuam largitur fœlicitatem. Hæc oratio prudentiſſima mirum in modum omnium animos commouit,adeo vt non illi ſolum qui rectum virtutemque ſequebantur, ſed alii quoque qui contra regiam Maieſtatem coniurauerant & clam ad hoſtes defecerant,ſeſe aut reginam & Principē defenſuros, aut mortē pro eorum ſalute ſubituros, iureiurando confirmauerint. Reginamque obſecrare ſtatim cœperunt, vt & lachrymis parceret, & rogandi hortandique finem faceret, ac ſuæ ipſius & Principis ſalutis ſpem vel certiſſimam haberet. Hæc cum omnes vna voce dixiſſent,confeſtim,quoniam Comitis aduentus cum magnis inimicorum copiis appropinquare ferebatur,homines cogere, arma quærere, ciuitatem munire,omniaque ad propugnandum neceſſaria parare cœperunt. Dum hæc in ciuitate parabantur,hoſtes cum exercitu ingenti propius acceſſiſſe nunciatum eſt. A quibus confeſtim ciues occurrentes portarum ingreſſus male viris & armis præmunitos defendere vix potuere. Hoſtes tandem repulſi prope ciuitatem caſtra poſuere,tormentiſque muros oppugnare cœperunt. Regina autem interim non ſine maximo labore atque periculo in arcem templi,quod ibi fortiſſimum atq; munitiſſimum erat,ſe recepit. Vbi tametſi ſubita magnaq; ciuitatis trepidatione,ſuorum equitum non occulto timore,matronarũ virginumq; miſerandis fletibus,anxia Principis cura,& ſalutis deſperatione ſatis angebatur: maximum tamen & vere regium animum,ſupraq; fœminei ſexus naturam fortiſſimũ oſtendit. Non enim ceſſit timori,non eius virtus in tanto periculo defecit, non virorum ſuffulta cohortationibus ſtetit,ſed ipſa omnes equites militeſque,qui etſi fortes erant,ſuis tamen ſingulos nominibus appellans hortanſque,multo quidem fortiores effecit. Apud quos in vnum conuocatos hæc verba dixiſſe fertur. Illi viri perpetuo viuunt, fortiſſimi ac fideliſſimi proceres,& cœleſti gloria perfruuntur,qui propter virtutem magnos adire labores ſeque periculis exponere, & quamuis charam profundere vitã non recuſarunt: qui vero contra rationem cauſam aliquam turpem ſequentes,ſpretis noſtrę religionis legibus indignum facinus ac ſcelus admittunt, illi quidem & ſuum poſteris nomen inuidioſum relinquunt,& perpetuos mœrores & horrendas inferorum tenebras patiuntur.. Quam ob rem etſi de fide fortitudineque veſtra minime dubitabam,vos tamen hoc tempore liberius admonere hortarique perneceſſariũ eſſe duxi,ne plus apud vos timor valeat,quam veſtra ſolita virtus, neve mortalem & breuem infamemque vitam cœleſti ac perpetuæ fœlicitati præponendam putetis. Quam varia,quam mutabilis,quam inconſtans,& in illis qui minimum poſſunt,& in his etiam qui rerum potiuntur, fortuna ſit, his quidē caſibus qui nobis nuper acciderunt,perſpicere facilime poſſumus. Hoc enim à nobis non alienis,ſed noſtris exemplis probari poteſt. Quod cum grauiſſimum ſit, ſine ſummo quidem dolore, propter memoriam præteritæ fœlicitatis, cognoſcere & ſentire non poſſumus, Deo tamen immortales gratias agimus,propterea quod vos viros fortes atque fideles in tantis periculis & laboribus mihi ſocios habere contigit,quorum fortitudine freta, etſi rex abeſt,de victoria tamen contra refragantes deſperare non debeo. Capeſſite igitur arma viri fortiſſimi,& Ferdinandum Principem veſtrum,liberos,& vxores veſtras à perfidis,inimicis,ſæuiſque latronibus enixiſſime defendite. Quorum furor ac dementia,vt ſubitus eſt,& ſine cauſa & ratione ſuſceptus,ita breuis eſſe & extingui facile ſolet. Ignobiles enim multitudinis & popularium motus riuulis comparantur, qui cum pluuiæ confluentibus aquis maxime tumeſcunt,tum eorum impetus ceſſante pluuia ſtatim deficiũt. Omnipotentis igitur auxilium inuocate,& qui ſitis ſemperque fueritis,hodie ſceleratiſſimis hominibus oſtendite. Ego autem interea precibus & lachrymis apud virginem Dei genitricem pro victoria veſtra omniumque noſtrorum ſalute vigilabo. Hæc oratio fortes omnes multo fortiores & animoſos animoſiores fecit, adeo vt perpauci cum ingentibus hoſtium copiis pugnare non modo non recuſauerint,ſed etiam congredi vehementer optauerint. Incenderant enim mirum in modum cum ſermo reginæ,tum principis amor, fidelium ac nobilium animos, & equitum veteranorum fortiſſima pectora contra reſiſtẽtes ignobiles,qui cæci magno furore & inſania commoti aduerſum regem ſuum arma temere aſſumpſerant. Omnes itaque ex communi conſilio & autoritate,conſenſuque reginæ, Puiccium qui tum Monteſæ ordinis equitũ magiſter erat,& rei militaris peritiſſimus, ducem delegerunt. Hic tamen dux electus cum propter hoſtium incurſionem & repentinum aduentum reginam pluribus verbis alloqui non potuiſſet,eius tamen dexteram oſculatus,arcem ſtatim communiri,quo regina ſe receperat,& armari milites & omnes equites imperauit. Quos & armatos,& in hoſtes qui iam per portarum ingreſſus cum ciuibus acriter pugnabant,exire cupientes,tunc in arce retinuit. Proſpexerat enim vir prudens

dens Comitem hostium ducem qui iam ciuitatem irruperat, arcem oppugnatum statim venturum, & reginam & Principem Ferdinandum aut caperent, aut occiderent. Quem nec sua quidem opinio fefellit: hostes enim reginam in arcem se contulisse rati, propterea quod ibi tutior esse poterat, eo subito cum magnis copiis contenderunt. Aliis autem permultis apud diui Dominici ædem quam Prædicatorum vocāt, relictis, & per omnes portarum exitus, ne effugere Regina posset, dispositis custodibus, prope arcem impiorū dux & in edito loco atque eminenti ligneam turrim erigi iussit, arcem templi, vbi regina erat, æquantem. Hac ædificata, machinis & omnibus tormentorum generibus ædes reginæ oppugnare hostes cœperunt. Regii milites interea cōtra hostium machinas & oppugnationes munimenta multa nouasque defensiones ac propugnacula parauerant, quibus oppugnationibus hostium facile resistebant. Hostes primum protecti vineis in arcē, si muros ascendere possent, contenderunt. Qui cum scalis appositis ascendere cœpissent, & propugnantium saxa magni ponderis sustinere non potuissent, scalis relictis in munitionem suam sese receperunt. Deinde multis continuisque diebus arcem machinis & tormentis, quæ bombardæ vulgo dicuntur, aliisque variis armorum generibus oppugnare non destiterunt. Et vt quidam ex his qui arcem defenderunt, nobis retulerunt, orbicularium lapidum millia quinque vno die hostium tormentis excussa, in area domus reginæ collecta fuere. Cæterum post multas & magnas oppugnationes cum hostes regiæ domus turres expugnare non potuissent, nouum & occultum ingrediendi iter excogitarūt. Cuniculis enim sub terram actis, in eam ædium partem plures hostium penetrarūt, à qua regina cum omnibus matronis & puellis suis non procul aberat. Quæ propterea hostiū manus effugerunt, quoniam hostes ingressi temperare & continere se non potuere, sed magnis vocibus exultantes, veluti iam victores, Comitis Pallariensis & Barcinonæ nomen extollere statim cœperunt Nam ad eorum exauditos clamores à reginæ militibus multis ex partibus subito concursum est. Qui bipartiti, alii ingredientes armis & ignibus regredi per cuniculos coegerunt, alii cum ingressis acerrime pugnantes eorum plures occiderūt, & nonnullos captos vinculis & cathenis astrinxere. Multi tamen è regiis militibus, ita vti eis à Puiccio duce præceptum fuerat, turres & loca sibi commissa non deseruere, sed oppugnantibus resistebant. Verum enimuero dum ita pugnabatur, regina & horrendis pugnantium vocibus & flentium ac plangentium mulierum virginumque miserandis fletibus exterrita, de filii salute iam desperans quasi exanimis in terram concidit, à matronisq; suscepta filium perquirens, atque huc illuc errans, omnia pericula negligebat. Principe tandem ad templi ostium reperto, & re bene gesta, victis iam hostibus equites eam consolati confirmauere: quippe qui hostes iam victos esse dicebant, propterea quod eorum qui magis audaces & fortiores fuerant, partim occiderant, & partim captos habebant, seque minime dubitare, quin hac accepta clade Comes Pallariensis cum reliquis copiis ab obsidione discederet. Idem ciues quoque dixerunt, qui aduersantium qui ciuitatem fuerant ingressi, multis occisis & captis, à ciuitate reliquos expulerant. Tum regina cum honorificis verbis gratias omnibus egisset, templum ingressa deo sacrificia multa votaque concepta persoluit. Hinc domum reuersa hostes occisos humari, & captos custodire iussit. Cæterum hanc victoriam Ioannes Pollas, Petrus Zapatta, & alius Petrus cui Sena cognomen erat, tres & armis & aliis virtutibus nobiles equites, minorem fecere, qui per ciuitatis mœnia contra oppugnantes acerrime propugnantes, multis hostium tormentis percussi ceciderunt. Quorum interitus summo quidem mœrore non Reginæ solum, sed omnium equitum mentes affecit Ex repugnantibus quoque, præter interfectos & alios captos, etiam Sarrierenses in reginæ potestatem venerunt. Qui cum eam & eius filium Ferdinandum, quibus possent insidiis & proditionibus perdere conarentur, à ciuitatis magistratibus qui, vt eos caperent, ex consilio reginæ se hostes esse simulauerant, decepti fuerunt. Ab his enim in ciuitatem clam noctuque recepti, in sancti Philippi templum sese receperunt, vbi à regiis equitibus qui armati in templi sacrario se occultauerant, statim deprehensi fuere. Quibus captis & in carcerem ductis regina custodes certos adhibuit. Quę res etsi nocturno tempore magnoque silentio peracta fuerat & paucis nota, prima tamen luce palam per omnes ciuitatis vicos, insidiatores insidiis & proditores proditionibus elusos fuisse, sermones ferebantur. Horum & Pallariensis Comitis cum aliis aduersariorum ducibus consilium fuerat, vt ciuitatis magistratus omnesque Gerundæ ciues contra regem multis commodis conditionibusque propositis concitarent, & captam Reginam, eius pudicitia multis postrata, vel seruili more custodirent, vel cum Ferdinando filio simul occiderent, sibique libertatem vendicarent. Cæterum malorum vindex & bonorum Deus protector prauum in auctores consilium vertit. Nam eodem die rumore de

captis & compeditis Sararienſibus in hoſtium caſtra perlato, magna quidem triſtitia ſubituſque metus & Pallarienſis Comitis & omnium reſiſtentium animos mirum in modum perturbauit. Quibus præterea timorem auxit intra paucos dies inopinatus nuncius de aduentu Gallorum exercitus in Hiſpaniam, quos à Ludouico Galliæ Rege propter Gothalanorum defectionem in auxilium Regis Aragonum miſſos, iam Pyrenæos montes tranſiſſe conſtabat. Cuius exercitus erant equites nobiliores & electi numero ſeptingenti, quorũ vnuſquiſq; ſecum tres alios equites habebat, & armigerũ puerũ qui domini haſtam gerit, & è duobus equis alterum ducit. hic eſt enim mos equitum Gallorum. Horum omnium Gaſtonius Foxanus Comes, Regis Aragonum gener, præfectus erat. Qui ſimul ac ingreſſus eſt in Hiſpaniam cum exercitu, certior ilico factus eſt Ioannam Reginam Regis Aragonum coniugem cum Ferdinando filio Gerundæ à Gothalanis recalcitrãtibus iam diu & acriter oppugnari, & ob Regis abſentiam magno in periculo eſſe. Hoc nuncio Foxanus Comes vehementer commotus, vt maturius Reginæ ſubueniret, nihil commoratus ordinibus inſtructis, & propter hoſtilium inſidiarum ſuſpicionem præmiſſis exploratoribus, Gerundam verſus proficiſcitur. Cuius aduentum Gothalani perfidi quos metus iam ceperat, formidantes, nocte motis caſtris & obſidione relicta, magno ſilentio diſceſſerunt, & continuis itineribus in Ampurdanorum prouinciam, quem locum tutum fore putabant, ſeſe receperunt. Regina autem poſt illorum diſceſſum triduo Gerundæ commorata, dum quæ prouidenda erant confecit, die quarto cum ſuis copiis & multis Gerundæ ciuibus egreſſa, cum exercitu Gallorum qui ſuperuenerant, prope ciuitatem ſe coniunxit. Et cum primum Gaſtonio illorum duci, deinde reliquis equitibus magnas gratias egiſſet, ſimul omnes magno cum exercitu Barcinonam verſus proficiſcuntur, atque in itinere multa oppida quæ defecerant, ad officium & Regis obſequium redire compulerunt. Tandem Moncatam oppidum quod à Barcinona circiter octo millia paſſuum remotum eſt, peruenerunt. Hic autem quid facturi eſſent, conſilium Regis expectare Regina decreuit. Rex autem cum eſſet in Celtiberia, de aduerſariorum coniurationibus & Reginæ laboribus ac periculis tandem certior factus, confeſtim Alphonſum Aragoneũ cum exercitu Laletaniã verſus, hoc eſt in prouinciam quam vulgus Cataloniam vocat, præmiſit, quem ipſe non multo poſt ſubſequitur, & Thamaritum ingreſſus, quod eſt oppidum extremum Aragonum, hinc Bellagueram petens, quæ ciuitas in ripa Sicoris poſita, diſtat ab Ilerda paſſuum millia circiter duodecim, ciuitatis magiſtratus obuiam ſibi venientes audit. Hos cum Rege hoc modo locutos accepimus. Tui ciues Bellaguerenſes excellentiſſime Rex, nobis tuo nomine iubentibus, vt apparatu regali ſolitòque more maieſtati tuæ obuiam prodirent, parere noluerunt, immo tuum aduentum tanquam hoſtis admirantes, non ſine magno tumultu nobis inhibentibus arma temere ſumpſerunt. Quapropter cum nihil tua dignitate, nihil tua ſalute charius habeamus, tuæ maieſtati ſupplicatum venimus, vt ingreſſum tuum in ciuitatem hanc paulum differri velis. Nos enim in ciuitatem reuerſi, rationibus (vt ſperamus) indignantium popularium motus compeſcemus, & ſedato populi furore compreſſoq; tumultu ad te quãprimum reuertemur. Prudens atque fidele conſilium Rex libenter ſecutus, Thamaritum rediit. Poſtero die legati ciuitatis & magiſtratus reuertentes ei recluſas ciuitatis portas eſſe, ſed nondum animos ciuium mitigari potuiſſe dixerũt. Tum ſecreto conſultis a Rege ducibus & conſiliariis quid facto opus eſſet, & aliis alia ſentientibus, Bernardus quidam cognomine Roccabertus, huiuſmodi ſententiam protulit. In Gothalanos imperium ſi tibi retinere tuiſque poſteris conſeruare velis, inuictiſſime Rex, hoc quod modo nobis fortuna periculum obiicit, ſi cum aliis infortuniis quæ pertulimus, quæq; nobis ſubeunda ſuperſunt, compares, neque magnum quidem, neque graue nimis tibi videri debet: præſertim ſi hoſtes priuſquam ſibi ſocios alios aſciſcant & vires maiores colligant, inuaſerimus. Illis enim mora ſubſidii, nobis vero multum detrimenti afferet. Quam ob rem huius fortunæ caſus ego quamprimum experiendos eſſe puto, tametſi fieri ſine periculo non poſſe proſpicio. Stultus eſt enim, non ſolum imprudens, quiſquis cum hoſte prælio contendit, ſi velut exploratam ſibi victoriam pollicetur. Nam dum ſe fore victorem falſo putat, & negligentius ſibi conſulit, & ab hoſte deceptus multo facilius opprimitur. Nos tamen non tam certa victoriæ ſpes, non hoſtibus cedere, quam honoris & dignitatis noſtræ ratio monere ac vehementer hortari deberet, & te ipſum pręſertim rex inuictiſſime, qui & munere naturæ & ingenii præſtantia reliquos omnes principes antecedis, & cuius nomen fortitudinis & rerum geſtarum fama mirabilis omnibus prædicatur in terris. Huic conſilio cunctis aſſentientibus, Rex quoque multo libentius acquieuit, idemque ſenſiſſe Roccabertum reſpondit, quod ipſe ſecum facere decreuerat.

Omnibus igitur monitis,& in ordinem instructis equitibus, & magno tubarum & tympanorum sonitu Bellagueram proficiscuntur. Quibus appropinquantibus quidam nomine Toralla Regi fidelissimus, ciuitatis portas quæ clausæ fuerant,subito patefecit. Omnium primus Rex ingreditur. Cuius aspectum grauitatemque ciues intuentes,alii metu, alii fide & obsequio conuicti statim arma deposuere. Rex autem in arcem profectus inimicorum dolos & insidias non defuturas prudenter cogitans, vbique custodes & armatorum vigilias disposuit. Die autem sequenti compresso iam & extincto populi tumultu, ex Tarraca legati clam ad Regem venerunt, qui in fide & obsequio quo semper fuerant,se permanere dixerunt,atque si Rex proficisci Tarracam velit, se illum regio solitoque apparatu suscepturos,& quæcunque imperaret facturos esse polliciti fuere. Rex autem nunquam se de illorum fide vel amore dubitasse,& pergratum esse sibi quod pollicebantur,& se Tarracam iturum propediem respondit. Dimissis itaque legatis,& Ioāne Aragoneo cum paucis equitibus Bellaguerę relicto,Tarracam profectus est,hic,vt dignitas regia postulabat, honorificentissime susceptus. Eodem die populi motus secretosque sermones qui sibi summum periculum portendebant,intellexit. Tantus enim Tarracenses omnes perdendi Regem furor inuaserat, vt dissimulare quæ facere constituerant, nullo modo putuerint: sed alii verbis, alii vultu, alii incessu, quod in animo scelus haberent,significare. Noctem igitur quæ secuta est, Rex militibus armatis & circumpositis custodibus fere totam egit insomnem, atque prima luce antequam subsidia aliique tumultuantes quos Tarracenses expectabant,conuenissent, cum suis ex oppido diligenter egressus, Bellagueram reuersus est. Sed eo iam digresso inimici indignantes animo disrumpebantur, quod neque ingredientem Regem adorti fuissent, neque ad statutum tēpus,quod facturi erant,celare poterant. Dum ita fremunt & alii alios increpant,magnus tum finitimorum,tum aliorum,quos ad scelus peragendum non sine magno stipendio sibi socios asciuerant, superuenit exercitus. Hi erant numero fere mille,quos Ioannes Agullon cum multis equitibus peditibusque subsequebatur. Tum vero Tarracenses cum omnibus fere finitimis populis sese contra Regem extulisse manifesta signa dedere. Sub idem tempus Barcinonenses quoque maius quidem crimen atque scelus admisere. Summa enim insolentia & immanitate furentes Regem publicis præconum vocibus hostem iudicauere. *Barcinonensiū scelus.* Quod cum Pratensis Comes & Tarraconensis Archiepiscopus audiuissent, ad regē statim cum suis omnibus copiis & facultatibus venerunt. Matthæus quoq; & Petrus Monticatini, Guillelmus Arnaus Cerbellon, Antonius Cardona, & alii complures nobiles quos virtus,fides,& amor erga Regem solicitabat,idem fecere. Hi omnes summa veneratione flexisque genibus Regis dexteram osculati, verba hæc pauca dixere. Etsi quæ immanes atque intractabiles Gothalani in te facere ausi sunt, excellentissime Princeps, nobis dolorem vel maximum attulerunt, nos tamen in summa molestia consolari quidem multa videntur: primum quod in huiusmodi temporibus & rebus quæ tibi indignissime acciderunt, nostram & bonorum omnium erga te fidem & amorem experiri facilime poteris: deinde quod speramus fore, vt improbi populi qui dementia & insania furentes ab officio & obsequio discesserunt, tua prudentia & fortitudine singulari, atque tuorum equitum viribus,quos tibi non defuturos certo scimus, oppressi, debitas tibi suorum scelerum pœnas persoluant. Nos præterea pro salute tua vel honore contra hostes impios & immanes iuste legitimeque pugnantes, si forte ceciderimus, tam honesta quidem morte pro Rege nostro periisse iuuabit. Hoc enim ad te animo venimus, vt non faciamus solum fortia,sed etiam si necesse fuerit,patiamur. Tibi itaque præter bona nostra omnia, id est oppida, castella,pecunias, ipsam quoque animam pollicemur. Eorum voluntati ac virtuti Rex se satisfacturum respondens, in Gothalanos, quoniam iam ratione contineri & ad sanitatem redire non posse videbat, milites cogere, arma parare, & bellum meditari quamprimum cœpit, auxiliisque contractis & rebus quæ ad bellum gerendum necessariæ erant,comparatis, itineribus duobus & exercitu bipartito ad Ilerdam contendit. Hinc ex vtraque parte depopulatis agris, & Ilerdæ ciuibus multis occisis, multisque captis,magnam prædam milites asportarunt. Hac re audita totius fere prouinciæ populi,nec tamen sine maximo timore magis in Regem sęuire cœperunt,atq; omnes quibus Regis salutem charam esse existimabant,inimiciter persequebantur. Itaque dum multis locis præliis certabant,præter damna multa malaque,plurimæ quoque mortes secutæ fuere. Rex iterum cum Tarracenses Ilerdę subsidium missuros accepisset,vt eos impediret,priusquam venissent, & se cum aliis immorigeris coniungerent, Ioānem Aragoneum cum exercitu Tarracam statim misit, vt Tarracenses non modo ab itinere prohiberet,sed etiam oppugnaret,& eorum agros igni ferroq; vastaret. Is igitur illuc profectus,

prope oppidum castra posuit, & Ignicum Berberanã cum multis equitibus omnes agros possessionesque Tarracensium depopulari iussit. Dum vastantur agri, interim equites ex oppido trecenti & quinquaginta totidemque pedites egrediuntur. Cum his Ioannes Aragoneus suis equitibus ab agrorum vastatione reuocatis, & tuba signo dato prælium commisit. Quo prælio ex hostibus cẽtum capti, occisi septuaginta fuere, reliquis saluti fuit imber magnus subito exortus. Hoc prælio gesto & depopulatis agris, cum captiuis Ioannes Aragoneus ad Regem triumphanti similis rediit. Rex interea rursus ad Ilerdam venerat, apud eamque locum castris elegerat, & suos ad vastandum agros & quidquid in illis esset, miserat. Tum magnus equitum numerus cum peditibus plurimis è ciuitate proflues cum pontem transisset, constitit. Hi vt vlterius progrederentur, regii milites expectabant, quo facilius liberiori loco atque commodiori cum eis pugnare possent. Verum enimuero cũ Rex eos iam non prodire longius audere cognouisset, suis vt in eos impetum facerent, tuba signum dari iussit. Quod cum audissent, equites leuis armaturæ celeriter concurrẽtes illorum magnam partem occiderunt, multosque captos adduxerunt, nonnulli per hortos & sibi notiora loca fugientes euasere. Eodem temporis spacio tota fere Gothalanorum prouincia castellorum & oppidorum oppugnationibus, rapinis, prædis, direptionibus, incendiis, atque cædibus quam maxime laborabat, adeo vt plures qui sua innocentia trãquillaque vita læti sibi vixisse videbantur, eorum qui ad huiusmodi tempora non peruenissent, perbeatam vitam mortemque gloriosam fuisse dicerent: suam vero qui hanc sæuitiam vidissent, infœlicem esse gementes querebantur. Cæterum dum hæc apud Ilerdã gerebantur, ex Barcinona hominum millia fere decem, quibus præerat quidam nomine Marimon, Ilerdam versus magnis itineribus contendebant, vt Regem vbicunque esset, obsiderent. Rex vero illorum aduentum paruifaciens ab Ilerdę obsidione minime discessit: sed potius cum audisset Ioannem Agullonem cum alio exercitu aduentare, & inimicis auxilio venire, ciuitati propius accessit, & quasi prope mœnia castra posuit, locaque omnia atque itinera recta transuersaq; occupari & suos omnes in armis esse iussit. Hic paulo post certior factus Hugonem Cardonam villam quam vulgo Miralcampũ vocant, obsedisse, statim castra mouens eo cum subsidio proficiscens, accepit in itinere Hugonem solis æstus impatientem ab obsidione discessisse. Dimisso igitur hoc itinere, in Alphandarellam oppidum quod prope aderat, ingressus est. Ioannes autem Agullon interea cũ magno hostium numero in oppidum quod castellum asinorum dicunt, se receperat: quẽ Alphonsus Aragoneus cum paucis equitibus obsidione cinctum detinebat, & veniente subsidio quod ab Rege missum expectabat, oppugnare quamprimum decreuerat. Hoc dum meditatur, Rex insperato aduenit, conuocatosq; duces & omnes equites huiusmodi verbis alloquitur. Perutile nobis esse cogitaui, idemq; vobis rectũ videri non dubito, proceres, si quamprimum hostes oppugnare cœperimus. Illis enim spatium vires, nobis vero labores augeret. Ne sinamus igitur vt alios quos expectant, recipiant, neue propugnaculis atque aliis munitionibus quas assidue parant, se defendere tutarique queant: sed eos dum sunt imparati dumque trepidant, aggrediamur. Facile enim erit vobis vna cum Rege vestro pro libertate, pro iustitia, pro virtute, pro fide denique (nam qui contra Regem pugnant, Deum etiam abnegant) sceleratos & immanes vincere aduersarios. Qui cũ mali sint & degeneres, bonorum ac nobilium viribus resistere vultumque ferre nullo modo poterunt. Illos siquidem sui sceleris conscientia atque perfidiæ recordatio timidos, vos autem virtutis & fidelitatis memoria multo faciet fortiores. Virtutis igitur hodie vestrę & honoris mementote, & ne vxores liberique vestri in prophanorum & immanium hostiũ potestatem deueniant, fortissime diligentissimeque cauebitis. Quod perfacile vobis fore certo scio, si vos nobiles, vos fortes, vos armorum pugnandique peritos, contra rusticos, contra ignauos & rei militaris expertes, si vos denique fideles contra renitentes pugnare memineritis. Illud præterea vos hortari magnopere debebit, quod si rem hodie bene fortiterque gesseritis, laboribus omnino vestris optatum finem reperietis. Nam si, vt spero, de peruersis istis supplicium sumpserimus, non dubium est quin cæteri omnes cõfœderati istorum exemplo perterriti quamprimum in deditionem veniant. Ego autem si res nobis ex sententia successerit, quod ita fore confido, & hostibus nefarii sceleris sui meritas pœnas, & vobis egregiæ vestræ virtutis ac fidelitatis præmia debita persoluam. Hac oratione habita omnes regiam voluntatem, prudentissimum consilium, atque fortitudinem comprobantes, summa alacritate cupiditateque pugnandi sese confestim armis & oppugnationibus accingunt, pugnamque deposcunt. Tum Rex suos omnes ad pugnandum contra sceleratos, paratissimos esse videns, nihil moratus, positis & communitis ante oppidũ castris, equisq; dimissis, acies instruxit, & Alphonso Aragoneo primas op-

[pugna-

pugnationis partes assignauit. Hunc Comitem Foxanum generum subsequi, & Bernardum Rocabertum cum suis copiis monticulum qui oppido impendebat, ascendere iussit vt multis partibus vno tempore signo dato, celeriter concurrerent, Ipse autē Rex subsidia fessis, quocunque loco & tempore opus esset, summitteret. Omnes itaque ordinatim dispositi, sicut à Rege præceptum erat, summa pugnandi cupiditate signum dari sibi cupiebant. Hostes ad propugnandum muros ascenderant, paratique telis & saxis expectabant. Tum rex primum ex tormentis iaci lapides plurimos in muros portasque iussit. Deinde nudatis ac desertis à defensoribus mœnibus, & confractis saxorum ictibus portis, suis vt celeriter concurrerent, signum dedit. Qui nihil ad celeritatem relinquentes, repente oppidum ingressi, & per vicos cum hostibus acriter pugnantes, eorum multos occiderunt, pluresq; captos adduxerunt in castra, quorum, prolata sententia, alii gladio, alii laqueo extincti fuerunt. Ioannes Agullon in arcem confugit, quem quidem secuti regii milites oppugnare strenue cœperunt, sed eos Rex ab ea oppugnatione reuocauit in castra, & amplissimis verbis collaudatos quiescere, quiq; vulnera accepissent curari quam diligentissime iussit. Deinde prope solis occasum per totum fere oppidū flammas & ignes coniecerunt. Hostium magna pars in arcem se recepit, quam ægerrime ea nocte ab incendiis & incursionibus militum regiorum tutari potuere. De quarta autem vigilia post Luciferi ortum ad Regem de deditione legatos misere, si Ioanni Agulloni cæterisque inimicorum ducibus parceret. Rex vero ne huiusmodi conditione gloriam & autoritatem suam offēderet, & quia iustitiæ clementiæque suæ præbere volebat exemplum, hanc sibi non placere, neque iustam videri conditionem respondit. Cum hoc responso legatis reuertentib. omnes hostes qui erant in arce, & cum his etiam Ioannes Agullon, cum nullam penitus spem suæ salutis haberent, omnibus deditionis omissis conditionibus, in Regis potestatē venere. Tum castello Ioanni Londonio, viro nobili atque strenuo, Regiq; admodum fideli commisso, & hostibus in catenas coniectis custodibus adhibitis, Ioannes Agullon magna stipatus multitudine Regem adiit, eiusque pedes humiliter osculatus, huiuscemodi orationem habuit. Non quia me vel clementia vel vita dignum putauerim, ad te venio, fortissime Rex. tanta est enim mei criminis magnitudo, vt mortem quidem multo iustius, quam vitam precari queam. Sed quia pœnitentia ductus, venerandam Maiestatem tuam quam summa semper pietate antea coluissem, videre prius quam à vita discederem, vehementer optabam, ad te veni. Quod illis accidere solet, qui cū hoste antiquo suadente Deū abnegassent, deinde legibus & iudiciis morti iam destinati, tum demum summo animi dolore suos errores intelligunt, atq; Deū quem contempserant, recognoscunt, & lachrymis perfusi & amare flentes eū complexi moriuntur, ipsamq; mortem qua se dignos cognoscunt, minime recusantes. Ego itaq; si suppliciis omnib. si quouis genere mortis me dignum cognosco, non veniam quidem, sed pœnam finemq; vitæ deposco. Ea nāq; me cōmisisse confiteor, excellentissime Rex, ob quæ nulla mihi viuendi spes habenda sit, adductus enim regni cupiditate non te solum inclyte Rex, qui de me quā optime meritus semper fuisti, sed Deū quoq; qui me de nihilo fecerat, imprudenter offendi. Quapropter nullam esse causam video, quæ possit tuā in me iustitiam & animaduersionem retardare, nisi forte tua singulari prudētia videas me solum laboribus tuis atq; periculis quibus es vndique circumuentus, finem daturū. Plures enim principes qui se suaq; prudentia & ratione conseruare voluerunt, illis causa suæ salutis plærumq; vitam concedunt, & magnas offensiones iniuriasque remittunt, quos leges & iura morti iam destinauerant. Qua in re non illorum quidem, sed suæ vitæ rationem habuere. Potes tu igitur, prudentissime Rex, aliquandiu mortem nostram differre, & vitam protrahere, si viuus ego tibi magis prodesse, quam mortuus satisfacere possum. Cupio itaque, quod me tibi præstare facile posse confido, te in tranquillum statum restituere. Coniuratorū enim mihi secreta omnia notissima sunt, qui vt me autore contra Maiestatē tuam insurrexissent, sic etiam per me ab inceptis omnes facile desisterent. Oro te igitur magnanime Princeps, vt non meæ, sed tuæ saluti, ocio, quieti, vitæ, qua dignissimus es, tua sapientia consulas. Plura dicere conantem aliosque hostes qui cum eo venerant, Rex amoueri iussit, motisque castris Bellagueram profectus est. Hic legibus inspectis, & pro iure sententia publice prolata, nonnulli hostium duces, ac præcipue coniurationis autores necati fuere: aliorum autem qui sub illis aduersum regiam Maiestatem stipendio meruerant, etsi mortis pœna plectendi veniebant, Rex tamen, paucis coniectis in carcerem, aliis omnibus, & clementia & iustitia vsus, armis traditis, vitam libertatemque concessit. Dum hæc gerebantur, interea Ioannes Sarabius regis legatus cum paucis equitibus Ceruariæ oppidi, quod ab Ilerda distat spacio fere viginti millium, depopulatus agros, inde magna

cum præda & pecorum numero Rubinatum oppidum quod non longius aberat,ſe recepit. Hic cum poſtero die hoſtium millia quatuor,quibus Hugo Cardona, & Gofredus à Caſtro cognominatus, & Rogerius Arillus præerant,ad ſe oppugnandum venire intellexiſſet, ad Regem confeſtim nuncium cum literis miſit, quibus oſtendebat quanto in periculo eſſet, quod niſi ſubſidium ad tempus ſubmitteretur,effugere non poſſet. Dimiſſo nuncio & appropinquantibus hoſtibus, cum omnibus militibus quos ſecum habebat,in caſtellum quod ibi loci natura munitiſſimum eſt,ſe recepit. Hic etſi propter hoſtium numeroſam multitudinem non paruo mortis metu premebatur, natura tamen arcis,& ædificio validiſſimo,atq; ſpe certa ſubſidii,ſe ſuoſque confirmare,totaque nocte propugnandi rationem & ſe tuendi modum cogitare,quæque ad propugnandum vſui erant præparare, arcemque totam propugnaculis & armis munire. Die ſequenti cũ per turres defenſiones & ſaxa diſponerent quibus hoſtibus aſcenſum prohiberent,horam poſt meridiem fere tertiam longius hoſtium agmen & magnum equitum numerum atque peditum aduentare proſpiciunt.Horum qui primi aduenerant,nouiſſimos expectabant.Nam cũ primum ad oppidum agmen appropinquaſſet,vltimum quatuor millium ſpacio longius aberat. Cum autem omnes conueniſſent,dum caſtra ponunt,dumque oppugnationis formam conſiderant,ſol occidit.Nocte locis opportunis & electis,machinas & tormenta diſponunt,quæq; ad oppugnandum neceſſaria erant comparant. Prima luce caſtellũ multis tormentis oppugnant.Quibus vbi nihil obeſſe vident,& ex his qui arce continebãtur, neminem conſpiciunt, tormentis omiſſis caſtello propius accedunt, & parietibus multis partibus appoſitis ſcalis,protecti vineis ac ſcutis aſcendere conantur. Tum vero regii milites in eos aſcendentes ex turribus repente tela ſaxaq; magni ponderis deiiciunt.Quibus cum hoſtes reſiſtere non poſſent,in caſtra ſtatim reuerſi tormenta rurſus exercere cœperũt. Cæterum cum nullam caſtelli partem promoueri,ac ſe fruſtra niti animaduertiſſent, vineas plures turreſque quibus tutius muros aſcenderent, facere cœperunt. Quæ priuſquam conficerentur,poſtero die Rex cũ ſubſidio celerique curſu veniens impediuit. Hoſtes nanque Regem cum exercitu appropinquare cernentes, pugnandi conſilium & rationem mutauere,& arcis oppugnatione dimiſſa, tametſi magno propter Regis aduentũ timore premebantur,prælium tamen & pugnam expectare ſtatuere, eorum ducibus copiarum numero qui maximus erat, confiſis, & aliis omnibus certam victoriam pollicentibus. Quingentis igitur hominibus relictis atq; locis certis diſpoſitis, ne regii milites qui caſtello clauſi tenebantur egredi poſſent,alii omnes iuga montis qui ſatis aſper & aſcenſu difficilis aderat,occuparunt, locaque omnia quæ adeundi ſumma erat difficultas, complerunt.Hic poſitis caſtris,alii tormenta diſponunt,alii ea loca quæ facilem præbere aditum hoſtibus videbantur,ſaxis, lignis,& quaſi muris impediebant. Denique munitionibus peractis & inſtructis ordinibus,pugnã expectantes huiuſmodi verbis alii alios cohortabantur.Hic eſt,hic dies nobis ſemper optatus,fortiſſimi viri, hic dies quotannis à nobis poſteriſque noſtris tanquam fœliciſſimus & noſtrum omnium dies natalis celebrabitur. Hoc enim die renaſcemur omnes,hoc die noſtra erit redẽpta libertas, hodie noſtri principatus populi omnes noſtra virtute atque fortitudine liberi dominatu tandem peroptato ocio & tranquillitate fruentur.In noſtris nanq; manibus eſt victoria, quin etiam pauci qui Regem ſuum ſequuntur, metu perterriti cum copiis noſtris prælio contendere nõ audebunt. At ſi vel dementia vel aliquo ſcelere cæci congredi voluerint, cum perpauci ſint, & contra libertatem ſeruitutem ſequantur ac defendant, non dubitare quidem debemus,eos ad vnum perituros.Illis itaq; vel metu & cum ignominia fugientibus,vel prælio victis & occiſis, nos oppido potiemur, & obſeſſi qui arce clauſi tenẽtur, omnes in noſtram venient poteſtatem.Tum quibus honoribus, quibus digni præmiis, quantaq; cum gloria noſtra ad vxores & amicos reuertemur? Nos hodie ſeruitute,nos tyrãnide patriam noſtram liberabimus. Nos denique tam iniquis & iniuſtis bellis, nos tributis & indignis exactionibus quibus vexamur aſſidue, finem reperiemus. Abſit igitur à nobis omnis timor,& animo forti magnoque pugnam,ac potius victoriam expectemus. Non minus enim fortes qui expectant prælium,quam qui committunt, eſſe debent. Honeſtius quidẽ eſt atq; laudabilius viris fortibus pro libertate mortem ſubire,quam vitam viuere nõ honeſtam. Nos ratione,nos cauſa iuſtiſſima mouemur. nihil enim præter libertatem poſtulamus, pro qua fortiſſimus & optimus quiſque mori maluit,quã priuari. Hanc igitur hodie pro qua pericula omnia negligenda ſunt,aut nobis vendicemus,aut pro ea glorioſe omnes moriamur.In victoria vitæ noſtræ omnis ſpes eſt.Nam victis neq; clementiam neq; miſericordiam quidem nobis ſperare licet. Cum autem animaduertiſſet Rex loci naturã vbi hoſtes conſtiterant,qui (vt ſupra demonſtrauimus) altus erat & aſper, ac ſi qua minus diffici-

difficilis aditus hostibus patere videbatur, huc ne possent equites Regis pertransire, lapides plurimos magnasque trabes coniecerant: ab illorum castris circiter mille & quingentos passus castra locauit. Hic primum pueros, omnesque sarcinas & impedimenta vnum in locum, vbi tuti esse possent, adduci & conferri singulari prudentia vsus imperauit. Hūc locū etiam milites qui defenderent, si opus esset, cum præsidio disposuit. Deinde instructas acies biduo continuit, atque metum simulans fugæ signa plærumq; dedit. Quod hac ratione faciebat, vt hostes id conspicati, forte spe & opinione falsa decepti, prælium quod expectabant, ipsi committerent, & à loco vbi vinci non facile poterant, paruas Regis copias contemnentes, ad planitiem quæ proxima erat, descenderēt. Quod si fecissent, multo facilius superari potuissent. Cæterum diem post tertium hostes ex loco tuto suisque castris excedere non audentes, Rex suis obsessis subuenire & opem ferre percupiens, tandē vel in alieno ac difficili loco aggredi prælio statuit, cōuocatosq; suos omnes talibus verbis hortatus est. Virtus fidesque vestra, fortissimi viri, quas ego multis periculis & rebus difficilimis sæpe sum expertus, me quidem magna spe atque fiducia vehementer hortantur, vt sine vlla dubitatione hostes armis aggrediamur, de quibus certam nobis victoriā pollicentur. Nam si quos in Hispania, quos in Italia, quos in aliis terris principes magnosque duces atque exercitus à vobis in prælio pugnando fuisse superatos memoria repetere volueritis, nemo profecto vestrū dubitare debebit, quin de hostibus ac rusticis hominibus victoriam facilem consequamur. Nos enim nō fortitudo solum & rei militaris vsus scientiaque iuuabit, sed causa quoque quam iustissimam & honestissimam sequimur. Nos ratio quæ iuste pugnantibus animos & vires auget, sed nos ipse denique bonorum protector Deus, qui iustos & innocentes in necessitatibus & periculis respicit, impiorum hostium manibus perire non sinet: qui non Regis modo sui nomen, sed Christi quoque cultum maiestatemque contemnere ac violare ausi, per scelus, velut olim Gigantes aduersū Iouem (vt aiunt) insania summa furētes ad regnum aspirant. Cuius incensi cupiditate Reginam & Principem vestrum Ferdinandum armis & insidiis stultissime perdere conati sunt, vitamque iam indignissime spoliassent, nisi eorum innocentiam Deus respexisset omnipotens, & bonorum fideliumq; maxima virtus nobis absentibus defendisset. Hostiū autē omnium qui sit finis futurus, ex hoc quidē nobis præcognoscere licet, quod temere sine causa, sine ratione contra nos arma sumpserunt: quod insano falsoque consilio decepti, nostros principatus, bonos ac fideles omnes, suamq; patriam cuius quietem quærere debebant, laboribus continuis, maximis incommodis, & cladibus indignissimis afficiūt: quod nos quibus amorem & obsequium præstare iustius potuere, quiescere non sinunt. Quos ego non vt subditos princeps malus vnquam tractaui, sed vt filios bonus pater summo semper amore dilexi: quos non illicitis vnquam tributis, non exactis iniuste vectigalibus vexaui, non vllis iniuriis affeci, sed bonis meis impartiui, muneribus & honorib. auxi. Nos eos liberalitate, beneficiis, amore: illi vero nos insidiis, proditionibus, odiis, armis denique persequuntur. Quapropter hostes qui se crudelitati, superbiæ, ingratitudini, coniurationibus atque aliis permultis criminibus obnoxios fecerunt, quis dubitat & humanæ & diuinæ iustitiæ pœnas esse daturos? Non enim me solum Regem, vti supra memoraui, sed Deum quoque summa dementia furentes abnegarunt. Non pro nostro igitur honore solum, sed pro Christi quoque cultu ac fide contra perfidos hostes bellum gerimus: quos eo timidiores in prælio fore certo scio, quo sine causa leuissime stultissimeque defecerūt. Semper enim mali trepidant, nihilque boni facere queunt qui suorum conscientia scelerum vexantur. Regem enim vel Imperatorem cuius vel autoritate vel ductu excitentur, quem denique sequantur, non habent. Omni denique gratia & auxilio diuino destituti sunt, à quo se iam alienos impie fecerunt, quum Regi, quum suæ patrię bellum inferre statuerunt. Non ergo diutius hanc pugnam differre decreuimus. Vos itaque moneo milites hortorque, vt quisque suę virtutis & rerum gestarum hodie meminerit. Hic enim dies victis hostibus & oppressis, laboribus nostris finem faciet. In nostris siquidem manibus victoria est, quæ sumpto quidem de inimicis supplicio, pacem nobis & ocium præstabit. Ego autem & regis & militis officio fungar. Semper enim & animo & corpore vobis adero, quippe qui regnum conseruare statumque desidero, quo pro meritis & laboribus vestris, & vobis ipsis, & liberis vestris satisfacere possim. Orationi finem faciens omniūq; animos ad pugnandū paratissimos esse vidēs, statim multos è militibus ad equestrem ordinem vocauit, quos titulis & honoribus ornauit, & multis muneribus auxit. Mox cum acies instruere cœpisset, à Ioanne Luna cui seruiebat oppidum nomine Fœlix, viro clarissimo & rei militaris peritissimo remoratus est. Hic enim hoc Regi consilium dedit, vt in crastinum diem præliū differret. ita fore, vt hostes vinci multo facilius possent, si eos pri-

mo die à parte solis inuaderent. Non spreuit consilium rex: nouit enim fuisse prudentis. Pugna igitur in sequentem lucem commissa, tota fere nocte, quo ordine acies ad hostes accessuræ erant prælium q; committere deberent, considerauit ordinatim q; disposuit, vt à fronte cum parte equitatus Alphonsus Aragoneus primus hostes inuaderet, & Comes Pratensis à latere dextro, Bernardus Rocabertus à sinistro iam pugnantes aggrederetur. His laborantibus Henricus regis ex fratre nepos, qui etiam Infans fortuna dicitur, & Ioannes Aragoneus ad tempus cum equitibus leuis armaturæ succurrerent: quos ipse quoque rex statim recenti subsidio subsequeretur. Quem Carcoxana regiæ cohortis primipilus, Petrus Vrrea, Matthæus & Petrus Monticaniti, Ioannes Luna, quẽ supra memorauimus, Philippus Castrensis, Gomecius Suares Ficeroa, Ioannes Dembus, Andreas Pinera, aliiq; nobiles plures sequerentur atq; protegerent. Omnibus itaque commonitis, vt statutum ordinem seruarent, rex de quarta vigilia magno silentio cum omnibus copiis versus hostes pedetentim proficiscitur, & ante lucem propius accessit, ac priusquam eius aduentus hostibus cognitus esset, duces longiori circuitu iuga montis supra hostes ascendere iussit. Prima luce nondum exorto sole & quasi matutino crepusculo hostes copias regis prope sua castra cernentes, clamorem magnum tollere cœperunt, metumque dissimulantes & armis intenti pugnam deposcebant. Regii milites autem omnes eo ordine quo rex imperauerat dispositi, cupidique pugnandi, signum quod tuba dandum erat, expectabant. Quod cum exorto iam sole rex dari iussisset, celeriter omnes in hostes impetum vno tempore maximum fecerunt, quem fortissime hostes exceperunt. Diu acriter vtrinque pugnatum est, & æquo fere Marte. Horam autem diei circiter tertiam cum hostes solis radios & intuitum ac contrariorum armorum fulgorem oculis ferre non potuissent, cumque rege superueniente cum magno subsidio magis premerentur, iam vulneribus defessi pedem referre tergaque vertere cœperunt. Quos fugientes regis equites insecuti die toto, magnum eorum numerum occiderunt. Centum enim & triginta supra mille interfecti, totidemq; capti fuere. Reliquis etsi locorum asperitas profuit, nemo tamen eorum euadere potuisset, si quibusdam victoribus regiis non præda magis, quam honor cordi fuisset. Hi enim dum legendis spoliis seruandisque prædis commorantur, fugientibus victis spacium dabant. De regiis autem militibus multi vulneribus affecti, desiderati vero pauci fuere. Iacturam tamen equorum magnam fecerunt, quorum præter multos vulneratos, mortui quoque plures ceciderunt. Hostium enim nonnulli diffugientibus aliis siue pudore siue victoriæ spe, siue quod eis fuisset erepta fugiendi facultas, ad suam internecionem in prælio pertinaces fuere. Hi cum viros armatos telis sagittisq; offendere non possent, omne telorum genus in equos coniicere nitebantur. Illi autem qui castello fuerant oppositi, cum sociorum alios interfectos, alios captos, alios profligatos animaduertissent, ad regem in deditionẽ venere. Idem & oppidani fecerunt. Sub vesperum rex suos omnes in castra reduxit, omnibus etiam qui fugientes insecuti longius discesserant, reuocatis, ad sepelienda suorum cadauera sanandaq; vulnera diligentem curam adhibuit.

LVCII MARINEI SICVLI DE REBVS HISPANIÆ

LIBER XV.

De eodem bello.



DIE sequenti cum in nonnullos captiuorum coniuratos animaduertisset, Tarracam versus, quæ villa inter Ilerdam & Ceruariam posita est, vbi Tarraconensis Archiepiscopus ab hostibus & Ilerdæ ciuibus obsidione premebatur, celeriter contendit. De cuius aduentu moniti hostes, alii Ceruariam, quod oppidum distat à Tarraca passuum millia quinque, alii Ilerdam statim obsidione relicta se receperunt, omnesque Tarracam destituere. Quæ timens ne sibi idem quod Rubinatibus accideret, supplex ad regis obsequium propere rediit. Interim Alphonsus Aragoneus Villæ quæ Sancta Coloma dicitur, depopulatus agros, cum Ludouico quodam Gothalanorum duce qui Villæ subsidium ferens repente superuenerat, & cum oppidanis prælium committens, illorum centum interfecit, totidemque captos ad Regem misit. Cumque

Cumque Ioannes Aragoneus cum ducentis equitibus veniens, ſeque cum Alphonſo fratre coniunxiſſet, & oppidum rurſus oppugnare ſtatuiſſent, hoſtibus pacem & regis clementiam implorantibus facile pepercerunt: eorum tamen ad regem magiſtratus miſerunt. Hinc cum oppidum nomine Cereale quod prope erat, multis partibus acriter oppugnare cœpiſſent, omnes oppidanos ad deditionem venire breui coegerunt. Hac fama magno cum timore populi plures commoti ad regem ſponte venere, eiuſque dexteram non ſine lachrymis oſculati, veniam vitamque deprecabantur. Hic rex ad ſecuritatem poſteri temporis ſingulis oppidis ſingulos præfectos quibus plurimum confidebat, cum parte copiarum ſuarum relinquens, ad reginam atque Principem filium Ferdinandum, quorum maximo deſiderio tenebatur, cum paucis equitibus Moncatam verſus, quod oppidum diſtat à Barcinona paſſuum millia circiter octo, magnis itineribus contendit. Id oppidum, rex cum veniſſet, regina cum equitibus Galliæ ſeptingentis quos Gallorum rex ad eam Gerundam ſubſidio miſerat, armis iam expugnauerat. Gallis autem equitibus Foxanus Comes præerat, qui, vti ſuperiori libro ſcripſimus, apud Gerundam cum exercitu reginæ ſe coniunxerat, & vterque coniunctus exercitus multos coniuratos oppreſſerant, multoſque populos aut armis ſubegerant, aut ad regis obſequium adduxerant. Victiſque Monticatinis de oppugnanda Barcinona etiam conſultum habebant. Quod conſilium rex etſi minime ſequendum eſſe iam ſecum cogitauerat (nam prius membra hoſtium quam caput, hoc eſt, oppida principatus quam ciuitates frangier oportere cenſebat) ne tamē reginæ & Foxani Comitis Gallorum equitum ducis conſiliis repugnare aut contradicere videretur, eorum voluntatibus de oppugnandis Barcinonenſibus aſſenſus eſt. Verum enimuero nihil magis huic expeditioni quam tempus eſſe contrarium videbatur. Hyems enim maxime ſæuiens impediebat. Hæc enim Nonis Decembribus profectio contra Barcinonam decreta eſt. Cæterum rex, vt ſupra diximus, reginæ potius conſiliis & Gallorū ſtudiis aſſentiri maluit, quam vel ſeruire tempori, vel ſuum quamuis multo melius, conſilium ſequi. Eo igitur aſſentiente confeſtim duo Gallorum duces cum multis equitibus, ad portam vſque ciuitatis quæ noua dicitur, acceſſerunt. Item alia ex parte Foxanus Comes per Iuncheræ iter ad ædem S. Mariæ nomine Ieſu cum ducibus aliis & magno equitum numero peruenit. Ciuitas autem portis præcluſis, & armatorum millibus quinque per muros diſpoſitis, magno clamore Caſtellæ regis vexilla ſimul & nomen extulere. Erat autem in ciuitate pugnatorum maxima multitudo, regis vero vix erant hominum millia decem, & nihilominus intra mœnia ciues ſe continebant. Ciuitas autem & loci natura & ædificiorum arte valde munitur. A meridie namque pelagus admittit, & ab occidente monte Iouis ſeu (vt alii volunt) Iudæorum propinquo plurimum iuuatur. Per reliquas vero partes etſi campos habet patentes murorum tamen ædificiis, crebriſque turribus, & circumductis foſſis & aggeribus fere ſe inexpugnabilem præbet. Propter huiuſmodi munitiones & defenſorum ingentem multitudinem rex oppugnationem minime profuturam eſſe videns, inſtructa acie & communitis caſtris, hoſtes, ſi foras exirent, expectabat: lapidibus tamen interdum tormentis excuſſis muri feriebantur. Ciues autem muros non excedere, tormentis vti, quibus periit Iacobus Gothomanus, cuius mors magno quidem dolore regem & omnes equites affecit. Erat enim nobilitate generis, ingenio, moribus, & militari virtute præclarus. Dum vtrinq; machinis & tormentis contendunt, tandem poſt aliquot dies ex vrbe magnus equitum numerus egreſſus à porta quæ mari propinqua eſt, cum paucis regis equitibus qui propinquiores erant, prælium committunt. Quorum impetum equites regii etſi numero valde pauciores erant, dum tamen Gallorum ſubſidium veniſſet, fortiſſime ſuſtinuere. Ciues tamen, venientibus Gallis, terga vertentes, in ciuitatem ſe recipere cœperunt: multi tamen ingredientes vulnerati fuere, nonnulliq; ceciderunt. Alphonſus Aragoneus interea cum magna parte equitatus multiſque peditibus omnes agros & hortos ad Iuncheram vſque vaſtauerat, montemq; ciuitati propinquum quem ſupra memorauimus, depopulatus, magnam inde prædam reportauit in caſtra. Eſt enim hic locus multis rebus admodum diues, & hortis amœniſſimis fœlix, quem Barcinonenſes vocabulo corrupto & deprauata nominis dictione Moniuy nominant. Huic monti capto præſidium reliquit. His rebus geſtis Vilagius quidam qui regiæ claſſi præerat, cum octo triremibus in regis auxilium veniens, ciuitati propius acceſſit. Sed ventis aduerſantibus & natura littoris, vbi nulla vnquam tuta nauigia fuere, atque ſuperueniente Franciſco Pyno qui numeroſæ Gothalanorum claſſis præfectus erat, diſcedere quidem coactus eſt. Hic rex viginti fere dierum ſpacio commoratus, cum & expugnandæ vrbis difficultatem, & magnos imbres infeſtaſque pluuias exercitus ferre nullo modo poſſe vidiſſet, cum regina Comiteque Foxienſi Gallorum duce de re-

linquenda ciuitatis obsidione communicato iam consilio, statim castra mouit: ac ne forte inimicis aliquod spacium daret, cum omnibus copiis magna celeritate proficiscēs, oppidum, cui Villa Franca nomen est, & abest ab vrbe passuum millia prope viginti, de improuiso ingressus est. Hic rex oppido iam capto quadringentos oppidanos interfici iussit, quoniam ducem quendam Gallorum equitum virum nobilissimum occiderant. Hac re gesta, & aliis finitimis oppidis ob timorem in regis potestatem redactis, Tarraconē proficiscuntur. Quæ ciuitas in littore maris inter Dertosam & Barcinonam posita est. Ciuitas est nobilis à scriptoribus celebrata, & à Romanis Scipione duce condita. Quam rex, ciuibus egredi non audentibus, ex duabus partibus machinis & tormentis bipartitis, aliis apud ædem sancti Francisci, aliis iuxta templum diuini Dominici dispositis, oppugnare statuit. Apud eos autem qui tormentis præerant, in altera parte Comitem Foxanum & Pontium Riberam, in altera duos Gallorum duces cum firmissimis præsidiis reliquit. Ipse cum ducibus reliquis & magno equitum numero loca omnia mari contermina, quibus hostibus facilis patebat egressus, occupauit. Alphonsus Aragoneus interim vineas & agros omnes igni ferroque vastabat. Dies quinque mœnia tormentis concussa iam casum & ruinam minati videbantur, nec propugnatores aderant. Tum itaq; cessantibus iam tormentis in muros omnes concurrunt, & scalis appositis & protecti scutis ascendebāt. Tum repente magna ciuium multitudo è turribus altis saxa magni ponderis & tela conicientes, eos statim repulerunt. Rex autem suos frustra nitentes reuocauit in castra, & rursus exercere tormenta violentius & incessanter imperauit. Tum quidem omnium & præsertim Gallorum irritatis animis, intensius multo machinis & tormentis omnes iucumbere. Ciues idem fecere. Sed hi noctu cessare, regii vero nunquam. Dum hoc genere belli biduo contendunt, die tertio magna Gothalanorum classis subsidio ciuibus aduenit. Quæ cum propter regiam classem portum ingredi non potuisset, apud ædem Sanctæ Claræ littoribus appulit, ibique magnus hominum numerus expositus est. Hos ciues secum coniungere & in vrbem recipere volentes ciuitatis portas aperiunt, magnoque equitatu celeriter ad eos contendunt. Rex autem instructis ordinibus & exercitu bipartito priusquā hostes iungerentur, in vtrosque magnum impetum fieri iussir. Primo prælio profligatos inimicos, alios in naues, alios in vrbem reuerti compulerunt, pluresque & in maris & in ciuitatis ingressu præter vulneratos occiderunt. In quo quidem prælio regis duces & plures equites magnū nomen fortitudinis & claram famam consecuti fuerunt, & præcipue Ioannes Cabrerius regis alumnus & eques generosus, qui pene solus ab hostibus vndiq; circumuentus, fortissime strenueque pugnans & hostes feriens illæsus euasit. Hoc prælio magistratus & omnes ciues perterriti, cum etiā tormētis quati muros & laborare iam turres vidissent, timentes, ne victi & armis expugnati, maiores perferrent cruciatus, clementiam regis implorantes & veniam deprecati, sese regiæ virtuti tradiderunt. Hac deditione facta, finitimi fere omnes ad regem pacē petentes venerūt. His impune receptis, & Rhodorico Rebolleto ciuitatis gubernatore relicto, rex & Foxanus Comes cum aliquo equitum numero Bellagueram proficiscuntur: Gallorum autem reliquos duces cum aliis copiis & exercitu Morellam versus ire iussit, quod oppidum distat à Valentia nobilissima ciuitate spacio millium quadraginta. Dum rex Bellagueræ commoratur, Comes Pallariensis & dominus Cruyllæ cum magnis hostium copiis Gerundam oppugnabant. Sed Petrus Roccabertus qui Gerundæ præfectus erat, cum aliis ducibus & exercitu ciuitatis, eos primum ab obsidione discedere coegit, deinde campestri prælio vicit, & fugientes præter captos multos etiam interfecit, atque ducem quendam aduersariorum, nomine Derlondem, cum multis aliis seditiosis, in turri ad quam salutem quærentes cōfugerant, igne cremauit. Alii autem duces quos (vt paulo ante diximus) rex cum exercitu Gallorum in Vrgelli fines Morellam miserat, oppida multa castellaque armis expugnauerant, multosque populos in regis obedientiam venire compulerant. Eodem temporis spacio multa bella diuersis locis gerebantur. Et præterea rex Castellæ rursus pacis fœdere quod cum Aragonum rege iureiurando confirmauerat neglecto, magnum in Aragoniæ fines exercitum in Gothalanorum auxilium misit. His dum rex cum Gallorum equitibus occurrit, multi Gothalanorum populi qui vel armis victi, vel timore perterriti, depositis armis iam quiescere cœperant, iterum defecerunt. Quæ res magnum quidem regi laborem attulit. Cæterum cum rex aggredi prælio Castellanos statuisset apud Ixaram, quod est oppidum Aragoniæ, Gallorum duces aduersus Castellanorum regem pugnare recusantes, regem Aragonū deprecati sunt, vt prælium quod aduersum Castellanos parauerat, differret. Nolebant enim fœdus amicitiæ violare, quod inter Gallorum & Castellæ principes statutū longo tempore seruauerant. Dicebant itaque se contra Gothalanos omnia libenter peri-

cula subituros, & aduersus eos à rege Gallorum missos fuisse, à quo etiam mandatum habebant, vt si quid inter Aragonum & Castellæ principes accideret discordiæ, eos reconciliare & pace coniungere diligentissime studerent, neque armis contendere paterentur. Ideoque petiuerunt à rege, vt si Ludouici Gallorum regis vel amicitia vel honor sibi charus esset, non Gallos equites aduersum Castellæ regem bellum gerere iuberet. Se Castellæ regem adituros dixere, rogaturosque vt Castellanorum copias ab Aragoniæ finibus statim discedere iuberet. Ita fore vt & sibi Gallorum animos tanquam magnis officiis in perpetuum faceret obnoxios, & Gothalanos multo facilius opprimeret. Quod si Castellanorum rex honorifice rogatus eorum precibus abnueret, & Gallorum regis amicitiam negligeret, sese multo libentius in eum quam in fœdifragos pugnaturos esse dixerunt. Rex autem etsi Castellanos armis & præliis vincere mallebat quam precibus, cognita tamen Gallorum voluntate, qui tum quasi iusta petere videbantur, illorum studiis assentiendum existimauit. Annuens igitur eos vehementer hortatus est, vt quidquid essent facturi, quamprimum expedirent, quoniam sibi moram plurimum detrimenti allaturam videbat. Duo igitur Gallorum duces Castellanorum regem statim adierunt, qui omnia quæ cum Aragonum rege nuper egissent, ei retulere. Rogant vt quid in animo habeat, quidq; facturus esset, sine mora responderet. Hæc cum audisset Castellanorũ rex, se quod petissent libẽter factururũ respondit, constituitq; cum legatis, vt interpositis induciis cum Aragonum rege, vnum in locum ipse cum rege Gallorũ ad colloquium cõuenirent, vbi suas & Gothalanorũ res cum Aragonũ rege pace cõponerent, quod autore rege Gallorũ fieri facilime posset, atq; tota diu iam armis & bellis vexata nimis pacaretur Hispania. Hoc responso accepto legati ad regem Aragonum reuersi cum ei omnia retulissent, eum supplices deprecati sunt, vt eam conditionẽ pacis & componendarũ rerũ rationem quam Henricus Castellanorum rex constituerat, non renueret. Rex autẽ etsi Gothalanos ac Castellanos hostes armis potius opprimere quam pace sibi reconciliare volebat, quia tamen id sine Gallorum auxilio facere non poterat, quos sibi defuturos minime dubitabat, si Castellanos bello persequi vellet, quo plura mala maioraq; discrimina vitaret, cum Castellanis & obstinatis pactus inducias, cum Gallorũ ducibus de colloquio cum Ludouico Galliæ rege cõstituit, vt & ipse illorũ colloquio interesset. Mox Castellanis in Castellam, & Gallis in Nauarram proficiscentibus, Cæsaraugustam se contulit. Hic paucis commoratus diebus dum & equites quos expectabat conuenirent, & Galliam versus, vt cum Ludouico Rege colloqueretur, profectionem pararet, Castellanorum Rex & Gallici maris princeps qui Almirãtes vulgo dicitur, secretos cõferebant sermones, & remotis vtriusque familiaribus, quasi res magnas nouasque molirentur, clam soli nonnunquã colloquebantur. Quorum occulta consilia multis male cogitandi causam dedere, qui sermones illorum clam omnibus nouo insolitoque more collatos, neque ad commodũ, neque ad honorem Gallorum & Aragonum Regum pertinere suspicabantur. Hanc suspicionem crebri rumores affirmabant, qui eos in vtriusque Regis dedecus, neque sine fraude locutos fuisse vulgo ferebantur. Quæ res multorum quidem malorum materiam præbuit. Nam & ab vtroque Rege de colloquio consilium destitutum est, & bella quæ tunc interpositis induciis iam quiescere cœperant, redintegrata, multo magis accensa fuere. Siquidem violatis fœderis & induciarum iuribus, Montesani conuentus equites quorum Ascorna Regis Aragonum legatus præfectus erat, Dertosæ agros vndique vastare cœperũt, & cum Dertosanis equitibus è ciuitate progressis prælium committentes, illorum multis occisis, alios omnes fere vulneribus confectos intra muros ciuitatis compulerunt. Hinc magna cum præda & nonnullis captiuis reuertentes, oppidũ Smertum, quod Castellani paucis ante diebus vi ceperant, magnoq; præsidio tenebant, oppugnatũ venerunt. In cuius expugnatione Dux Ascorna multis hostium telis grauiter vulneratus occidit: reliqui vero, Castellanis expulsis, oppidanos in fide regis, vt ante fuerant, retinuere. Eodem tempore multis in locis totius principatus bella gerebantur. Nam quidã vir in armis insignis & valde strenuus, Cardonæ Comitis filius, cui & genus & nomen erat Spurius, cum oppidũ cui nomen erat Gratia, quod à rege defecerat, obsideret: Dertosanos quos ciuitas cũ Castellanis quibusdam subsidio Gratianis mittebat, equestri prælio deuicit, omnesq; populos Pratarum prouinciæ qui iam nutare ac deficere cœperant, diligẽter in amore regis & obsequio continuit. Tum etiam Fernandus Angulus, & Ioannes à Toleto, qui iussu regis Belagueræ præerant, Beltranũ Almendarem cum exercitu sibi apud oppidũ Lignolã occurrentẽ diuq; pugnantem magno certamine profligarunt. Quo prælio plures equites peditesque vtriusque partis conciderunt. Biures quoque ordinis sancti Ioannis militiæ præfectus, cum exercitu paruum oppidũ Azeniam quod defecerat, obsidione premebat.

Sed Azeniensibus à Dersotanis qui non longius aberant, auxilium petentibus, à ciuitate subsidio missus exercitus regios equites oppidum oppugnantes acriter inuaserunt. Hic diutius vtrinq; strenue & æquo Marte pugnatum est. Cæterum plurimis equitibus è ciuitate in auxilium hostium superuenientibus, Regis equites opprimebantur. E quibus acri longoque prælio iam defessis, præter vulneratos interfecti ducenti totidemque capti fuere, reliqui fuga magnoque labore, castris tamen amissis, euaserunt. Item Comes Treuignii, Bursaonenses & Tyrosonios Alcalam Aragoniæ oppidum oppugnantes, cum magnis copiis aggressus à tergo, eorum quadringẽtos occidit: & Ferrãdus cui Camara cognomen erat, Cypranam & Caspen oppida, nonnullis interfectis oppidanis, expugnauit. Aluarus Mendosius Castellæ Regis legatus Borridæ castellum, deceptis fraude custodibus, cepit, multaque damna populis propinquioribus intulit. Multa præterea tum prælia quæ comprehendi nequeunt, & aliis in locis principatus gesta fuere. Tota namque prouincia Tarraconẽsis oppugnationibus, præliis, & sæuis populationib. arsit. Tantus quippe furor Gothalanos omnes inuaserat, tanta demẽtia vexabat, tanta mẽtis caligine ducebantur, vt nullis admonitionibus, nullis minis, nullis deniq; cladibus ad pristinã sanitatẽ vnquã redire potuerint. Sed eorũ viribus exhaustis, opibus quas multis annis magnisq; laboribus terra marique parauerant, omnibus amissis, & propriæ salutis & honoris obliti vsq; ad mortem pertinaces erant. His igitur omissis, quoniam quæ nullo ordine gesta fuerunt, in ordinem redigere literisq; mandare non facile est, ad Aragonum Regem reuertor, qui cum multis Aragoniæ nobilibus Cæsaraugusta proficiscens, in principatum perueniens, apud Ilerdam ciuitatẽ cum Pratarum Comite quem illic cum exercitu reliquerat, se coniunxit, & omnes equites qui diuersis locis aduersus hostes renitentes bella gerebant, ad se vndique conuocauit. Interim Tarraconensis Antistes multique magnates ad eum cum sua quisque familia sponte venerunt. Idem fecerũt & multi Siciliæ nobiles, qui Regi suppetias tulerunt cum pecuniis & equis. Itaque coniunctis omnibus copiis in hostes omnia signa conferri iubet, submotisque Castellanis & Aragoniæ prouinciæ finibus expulsis, Gothalanos seditiosos magnis cladibus affecit, breui tempore multa oppida, depopulatis agris, expugnauit, multos populos metu perterritos ad obsequium redegit. Et collectis omnibus copiis, Kalendis Maiis Ilerdam quæ iterum defecerat, profectus, in hortis ciuitatis citra flumen Sicorim castra posuit, instructaque acie milites omnes in armis esse iussit. Erat enim in ciuitate magnus militum numerus quos Petrus Decius ciuitatis præfectus de Regis aduentu non ignarus, ex multis partibus euocauerat, qui Regis appropinquantibus copiis, equites & ciues omnes arma capere, & locis ciuitatis opportunis tormenta quibus in oppugnantes vterentur, disponere iussit. Est autem Ilerda Hispaniæ ciuitas nobilis, inter Barcinonam & Cæsaraugustam, quę ab vtraq; pari ferme distat interuallo, memorata Romanorum bellis ciuilibus. Hic enim Iulius Cæsar Magni Pompeii copias quibus Marcus Varro, Lucius Afranius, & Marcus Petreius præerant, superauit. In ripa Sicoris posita ciuitas in altiorem collem consurgit, templis & aliis ædificiis, fructifero solo, & antiquissimo literarum gymnasio celebris: amnis præterea qui saxeo ponte trãsitur, & aquis & aureis arenis insignis. Ciuitatis etiam fines Vrgelli fertilissimos agros attingunt. Vna re tantum minus fœlix minusque salubris, quod hyeme nubiloso plærumque tegitur cœlo. Sed hactenus de ciuitate. Postero die Gothalanorum duces cum magno equitum peditumque numero flumen traiecerunt, & cum Regis exercitu qui ad pugnam paratus erat, prælium commiserunt. Acriter vtrinque primo congressu & viribus æquis pugnatum est. Deinde vero durante pugna, hostes qui minus labores & arma ferre consueuerant, longo iam defessi certamine pedes referentes in ciuitatem sese receperunt. Ex quibus interfecti pauci fuere: de Regis autẽ equitibus numero plures ceciderunt. Nam qui fugientes hostes ad muros vsque ciuitatis persecuti fuerant, eorum multos ad sua castra redeuntes tormenta quæ ciues Ilerdæ iaciebant, interemerunt. Cum quibus & Ioannes Luna vir nobilis, & forma corporis & animi magnitudine præstantissimus, occubuit, cuius mortem magnus quidem Regis & totius exercitus mœror secutus est. Hoc tamen prælio regii milites, & profligatis hostibus in ciuitatemque compulsis, & capto diui Augustini templo, victores fuere. Multos dies deinde ac prope duos menses, modo equestri prælio, modo pedestri certamine, nec sine vtriusq; partis cæde fusoq; sanguine pugnatũ est. Cæterũ post multa variaq; prælia longo iam labore defessi hostes, suburbiũ ciuitatis & omnes domos atq; sanctorũ ædes quæ extra muros ciuitatis erãt, amiserunt. Est autẽ suburbiũ iuxta pontẽ quo trãsitur ad ciuitatẽ. Hoc suburbio capto, regiis militib. magna quidẽ spes expugnandæ ciuitatis accessit, & Ilerdenses non paruus timor inuasit. Itaq; rex nocte quæ secuta est, in suburbium castra transferri ac fossa valloq; muniri, & tormenta locis

cis ad oppugnãdum tutis & opportunis locari iussit. Interea ciues eo loco qui medius inter pontẽ & muros ciuitatis erat, multo robore magnisque confixis trabibus prævalidam sibi munitionem cõfecerant, & ab altera parte quæ ad pontem & Regis castra spectabat, vsque ad vtramque ripam fluminis aggeres fossamque perduxerant. Hoc materiæ munimentum & lignorum molem Rex prima luce multis tormẽtis oppugnare iubet. Vbi complures iacti lapides propugnantes hostes summouere, regii milites, capto ponte, certatim & fossam lapidibus terraque complere, & confixas sudes trabiumque munimen euellere nitebantur. Huc Ilerdæ ciues periculum sibi pertimentes vndique repente concurrunt, & in eos qui lignorum machinam eruere conabantur, tela coniicientes acerrime pugnabant. Regis autem equites etsi numero pauciores erãt, propter angustiam loci qui plures capere non poterat, hostium tamen numerosam multitudinem propellebant. Quorum Siculus quidam cui Ioannes Cilestrus erat nomen, saxo magni ponderis cõcussus, armatus in fossam quam transierat, in caput decidit, diuque capite solo affixo stetit & pedibus erectis, donec à sociis qui aderant, adiutus, ad pugnam rediit. Tum & Ferdinandus Rebolletus qui primus hostium phalanges perfregerat, cum missilibus telis, armis quibus indutus erat perforatis, vulneratus in pectore concidisset, à suis armigeris è solo statim sublatus, & commonitus vt in castra se reciperet, vulnusq; medico curãdum præberet: Prius, inquit, vulnus vlciscamur, postea curabimus. Hæc locutus in hostes conuersus violentius dimicauit. Acriter hic ab omnibus diuque pugnatum est. Nam defessis regiis militibus alii recentiores succedebant. Denique cõpulsis intra muros ciuitatis hostibus, omnes Regis equites in sua castra victores redierunt. Quorum etsi multi vulnerati, nulli tamen desiderati fuere. Ex aliis vero præter vulneratos complures, nonnulli quoque ceciderunt. Cæterum dum hæc apud Ilerdam prælia gerebantur, Regina & Ferdinãdus filius ex Cæsaraugusta cum duabus quingentariis cohortibus in auxilium Regis venientes apud diui Francisci templum castra posuere. Nam vt in hunc locum copias adducerent, in itinere literis Regis & nunciis præmoniti fuerant, vt media ciuitas inter duos exercitus aut facilius expugnaretur, aut citius in deditionem veniret. Quod quidem cõsilium Regem minime fefellit. Ciues enim & longa fame languentes, qui iam diu ex lini semine panem cõederant, multiq; inedia perierant, & omni subsidii spe destituti, post multa prælia quibus magnum vulnus acceperant, & quia præter vastatos agros omniaq; bona consumpta seipsos perditum iri cernebant, ne sua pertinacia interirent, ab Rege colloquium petierunt. Quorum legati cum supplices ad Regem venissent, nihil ab eo præter vitam deprecabantur. Quibus rex non vitam solum & libertatem, sed omnia quoque bona concessit, idque fecit nonnullis equitibus suis quos iam prædæ cupiditas ceperat, inuitis. Demum clauibus acceptis, præcauens ne subsidiũ quod Barcinonæ parabatur, veniret, præmissis cum legatis multis armatis equitibus, ciuitatem maturius ingressus est, & cum eo Regina simul & Ferdinandus filius. Qui cum ciuitatis magistratibus quos à iureiurando quod pro conseruanda republica præstant, Iuratos appellant, & cum aliis ciuitatis equitibus per vicos equitantes, miserabiles esurientium puerorum fletus & querulas voces hauriebant. Quorum matres passis crinibus misereque flentes ad Regem & Reginam cum venissent, dum eorum pedes osculabantur, multis etiam lachrymis irrigabant: quarum præterea nonnullæ longo ieiunio deficientes in terram nimio languore cadebant. Virorum autem cõplures & promissa barba terribiles, & exãgui macie pallentes, vt qui iam vultus humanos exuerant, vel montanas trucesque feras, vel mortuorum hominum effigies referebãt. Quos miserata Regina, & præcipue pueros, ad sua castra confestim misit, & qui omnibus cibaria distribueret, imperauit. Hic dies octo Rex commoratus, dum & ciuitati quæ necessaria erant prouidit, & milites qui ex acceptis vulneribus ægrotauerant, conualescerent: tãdem Nonis Quintilibus Alphonsum & Ioannem Aragoneos, Comitem Pratensem, & alios duces cum septem cohortibus Ceruariam versus præmisit, quos ipse ciuitatis arce Ioanni Lescano commissa, postero die cum reliquis copiis subsecutus est. Quod quum Barcinonẽses animaduertissent, auxilio Castellanorum omniq; spe iam destituti, ad Petrum Portugalliæ Comitis Vrgelli nepotem legatos miserunt, quibus omnem facultatem dederunt, vt ei nomine Gothalanorum omnium Barcinonam ciuitatem totumque principatum offerrent. Quod ille munus regnandi cupiditate captus minime recusauit, sed sua vndique conuocata familia multis equitibus comitatus, simul cum legatis Barcinonam profectus, apparatu pene regali magnoq; gaudio totius ciuitatis excipitur, & vltro citroq; iuratis ex compacto conditionibus & priuilegiis, ingenti ciuium clamore Rex appellatus est. Hunc deinceps non Petrum Portugalliæ, neque Regem, sed dumtaxat Lusitanum denominabimus, à Lusitania vlterioris Hispaniæ prouincia, vnde à Barcinonensium le-

gatis accitus venerat. Est autē Lusitania inter Gallaciam & Bæticam, quæ tribus vberrimis fluminibus, Durio, Tago & Ana continetur, cuius prouinciæ pars vltima quæ vergit in solis occasum, ab incolis & recentioribus historicis Portugallia nuncupatur. Huius autem nominis etsi certam reddere rationem non possumus, nobis tamen opinari licet ex Gallia olim homines in huius regionis maritimam ciuitatem quæ Portus appellatur, ingressos, suæque patriæ nomen Gallia ciuitatis nomini, quod nonnunquam fieri solet, addidisse. Sicut & Celtiberia, quę ab Ibero amne citerioris Hispaniæ & Celtis Gallorum populis nomen accepit. Sed ad Lusitanum redeo, qui etsi Rex electus in titulos illustres & magnos principatus honores assumptus fuerat, eius tamen animus non minorem quidem curam & solicitudinem quam lætitiam sentiebat propterea quod & alienum regnū ingressus erat, & Gothalanorum neque mores neque linguam satis intelligebat, & Aragonum Rex qui tum Ilerdam ciuitatē armis ceperat, cum exercitu victore propinquus erat. Ilerdensibus enim captis, & ciuitatis castello Ioanni Lescano cui plurimum Rex cōfidebat, vti supra memorauimus, cōmisso, duces quos cum copiis Ceruariam versus præmiserat, magno cum equitum numero subsequebatur. Ex Gothalanis interim perfidis quos aduentante Lusitano Comes Pallariensis & alii coniurationis autores acciuerant, multitudo magna conuenerant. Erant præterea in ciuitate nonnulli Castellani milites, quos à Regiis equitibus præliis ante gestis profligatos & in vlteriorē proficiscētes Hispaniam Barcinonæ ciues apud se magnis precibus multaque pecunia retinuerant. Ex Lusitania quoque qui venerant, & aliarum nationum milites, Gothalanorum copias augebant. Præfectis igitur electis & ordinibus instructis, & Ceruariensium legatis auxilia petentibus, Lusitanus cum omni exercitu coniunctisque copiis è Barcinona proficiscens, Equalatum peruenit, quod oppidum Ceruariam versus distat à Barcinona passuum millia circiter quadraginta. Huc speculatores quos è Barcinona Lusitanus exploratum res Aragonum miserat, redeuntes, multos principatus populos qui defecerant, post Ilerdam captam in Aragonū Regis obsequium & gratiam rediisse, & Tarraconenses cum Ceruariensibus metu perturbatis de deditione placandoq; Regis animo consilium iniisse dixerunt. Quorum delatis vulgatisque sermonibus, non paruus quidem timor hostes omnes inuasit, & Lusitani qui Ceruariensibus auxilium implorantibus opem ferre statuerat, consilium & cogitationes impediuit. Nam etsi Ceruariensibus subuenire decreuerat, multis tamen quos metus ceperat, hortantibus, vt Barcinonem potius redire, quam Ceruariam proficisci vellet, nec muris illic & obsidione clausus exituq; prohibitus, vel longa fame, vel expugnato oppido, in hostium potestatem venire cogeretur: diu cogitabundus, & ad deliberandum quid esset facturus anceps (nam & Barcinonam reuerti pudore, & Ceruariam ire metu prohibebatur) demum neque Barcinonam rediit, neque Ceruariā profectus est, sed itinere quod Ceruariam ducebat omisso, cum omnibus copiis transuersum iter ingressus, ad dexteram Montem Serratum relinquens, in Pratensis Comitis terram peruenit. Quæ regio pars est prouinciæ Tarraconensis & Cathaloniæ principatus, versus septentrionem, distatq; à Barcinona passuum millia sexaginta. Hic oppida multa quæ defensoribus carebant, expugnauit, quorum agros igne ferroque vastabat. Hoc eo animo Lusitanus faciebat, vt Pratarum Comes qui Regis Aragonum copiis præerat suis populis auxilia laturus, ab obsidione Tarracæ quam acriter oppugnabat, discederet, & cum exercitu Pratas versus proficisceretur, cum eo Pratis egressus in itinere prælio decertaret, quo victo & militibus eius fusis, deinde Regis copias quas cum Comitis exercitu coniunctas plurimum posse cernebat, tutius inuaderet. Ideoque quo maturius Comes venire, & suis auxilium implorantibus opem ferre cogeretur, violentius omnia vastare, crudelius in captiuos animaduertere, his præterea qui semel moniti iussa morarentur & serius portas patefacerent, horrendam & per multa tormentorum genera mortem minari. Quod vbi rex qui Tarraconæ tunc erat, à multis qui inde relictis omnibus rebus ad eum confugerant, accepit, tanta sæuitia commotus Pratarum Comitem ab obsidione Tarracę reuocatum, cum aliis ducibus quos Ceruarienses oppugnatum miserat, cum exercitu cōtra Lusitanum celeriter ire iussit. Cui mox & Ferdinandum filium quem multis nobilib. prę fecerat, subsidio misit. Qui tametsi puer ætate magis quam adolescens erat (annum enim quartum decimū agebat) magnopere tamē armis & equo gaudebat. Laudis igitur & belli gerendi cupidus magna celeritate proficiscēs die quarto Comitē suos fines ingressum consequutus est. Cuius aduentus incredibili lætitia milites omnes affecit. Postero die cum omnib. coniunctis & instructis cohortibus, in oppidum Comitis quod Calafum vulgus appellat, & à Pratis quæ inde cernuntur, millia passuum fere quinq; remotum est, Ferdinādus Princeps & duces omnes ingrediuntur, totaque

totaque nocte propter propinquos hostes paratas & armis instructas acies habuere. Cõplures equites armati positis ex tempore tentoriis, extra muros oppidi pernoctarunt. Vbi dies illuxit exploratores nonnullique Pratenses ad Ferdinandum Principem venerunt, & Lusitanum Pratis egressum Calasum versus cum maximis copiis & ordinibus instructis venire dixerunt, & iam signa eius & sublatus equorum pedibus puluis conspiciebantur. Tum Ferdinandus omnes ex oppido copias eduxit, & ad exponendas cohortes locũ cõsiderauit. Oppidi situs & loci natura erat huiusmodi. In plano fere loco incipiebat, & in collẽ leuiter accliuem cõsurgens, in editiorem planitiem desinebat. Huc Ferdinandus copias adduxit, & milites omnes paratos & armis intentos esse iubens, venientes & iam appropinquantes hostes expectabat. Tum in aere ciconiarũ repente densissimum agmen apparuit. Quod nouum genus augurii non paruum quidem multorum mentes perturbauit. Aues enim etsi neq; prodigiosæ sunt, neq; humanis carnibus vescuntur, inter vtrũque tamen gregatim volantes exercitum, multorum quidem futuram cędem significare videbantur. Interim Lusitanus quamuis eodem nonnihil turbatus augurio, metu tamen dissimulato, milites quos propter inspectum prodigium nõ paruus timor inuaserat, hortatus, oppido propius accessit, & apud diui Iacobi templum quod à Calaso circiter mille passus aberat, copias continuit. Medium inter vtrumque exercitum spacium maior erat planities, & opportunus ad pugnãdum locus. Lusitanus instructa acie & exercitu tripartito, Gothalanis equitibus qui sibi primum prælium poposcerant, Petrum Decium præfecit. His omnes Burgundiæ milites, quorum magnum numerum habebat, subuenire iubet. Secundam aciem Nauarris & Castellanis compleuit, quibus Beltranum & Ioannem Almendaretem præposuit. Tertiam cuius ipse præfectus erat, ex Lusitanis & nonnullis Gothalanorum primariis equitibus instituit. Eius primipilus erat Laurentius Monticatinus: custodes autem Comes Pallariensis, Redæ Vicecomes, Graus Cerbellon, & Cruillæ dominus erant. Cohortibus hoc modo dispositis, lõgo sermone Gothalanos hortatus est, quibus primum maiorum suorum virtutes illustres & res terra marique magnifice gestas commemorauit: deinde omnes iniurias illis illatas à rege Ioãne, crudelissimas cędes, bonorũ amissiones, & agros igne ferroq; depopulatos repetens, quot oppida, quot ciuitates, quot castella tormentis concussa corruissent, quot viri fortes apud Rubinatũ ceciderant, in memoriam adduxit. Barcinonæ principatum vel liberũ esse debere, vel ad Vrgelli Comitis hæredes pertinere, Barcinonensibus affirmabat. Qui si pristinæ solitæq; virtutis in prælio gerendo eo die memores esse vellent, facile quidem & amissas omnium bonorum possessiones recuperarent, & ignominias quas indignissime perferebant, vlciscerentur. Non esse dicebat de victoria dubitandum, propterea quod & virtute militum præstãtiores erãt, & numero plures. Quod etiamsi numero plures essent, illa tamẽ ratio nobis perfacilem victoriam pollicetur, quoniam cum hominibus qui pueri iudicium in re militari sequuntur, cõgrediendum esset. Postremo vt pro honore, pro vita pugnarent, admonuit. A Gothalanis ad Nauarros accedens, illis cum multa verba dixisset quibus illorũ animos accendere facile poterat, demum Caroli Vianæ principis mortem memorauit. Castellanis bella quæ Ioannes Rex Aragonum tot annos aduersus Ioannem & Hericum Castellanorum Reges indigne gesserat, retulit. Deniq; Burgundiæ militibus atque reliquis qui stipendio & prædæ spe militabant, honores & commoda quæ victis hostibus victores cõsequi possent, & quam plena diuitiis & hostium spoliis manus quæ bene pugnasset, in castra rediret, ostendit. Dum Lusitanus oratione coniuratos hortabatur, interea Ferdinandus etsi corporis robore minus firmus, vt supra diximus, propter ætatem, animi tamen viribus fortis, ex colle vbi constiterat, exercitum ad planitiem deduxit, ibiq; ad hunc modum aciem instruxit, vt Pratarũ Comes cum parte magna equitatus cum hostibus à fronte cõfligeret, primaque prælia committeret, statimq; Bernardus Roccabertinus à dextera, & Matthęus Monticatinus à sinistra pugnantes, hostes à laterib. opprimerẽt, Henricus Principis frater patruelis laborantibus & quos hostiũ multitudo magis vrgeret, cum suis equitibus subsidium ferret. Bernardum vero Gastonem cum peditibus montẽ qui aderat ascendere iussit, vt inde signo dato celeriter in hostes impetum facerent. Tarraconensis Archiepiscopus, Comes Modicensis, Ioannes Pratus cum equitibus suis peditibusque oppidum castraque tuerentur. Ipse autem cum primipilo Carcaxona magnaq; parte nobilium quos salutis suæ causa custodes habebat, Pratensem Comitem & qui cũ eo prima prælia commisissent, subsequeretur. Hoc modo ordinibus instructis, aduocatos duces & omnes equites his verbis alloquitur. Omnes homines quibus ætas & rerum experientia desunt fortissimi viri, non dare quidem, sed accipere doctrinam & consilium decet. Ego itaque qui sum & ætate puer, & in re militari tyrunculus, & minus expertus, vos omnes

rogo obtestorque, vt si ob ordines quos in instruenda acie consideraui, minime forte probantur,& aperte & statim mihi consilium vestrum & sententiam ostendatis,totamq; aciem & pugnandi rationem vobis mutare, vestroque iudicio liberius instruere liceat. Volo enim si quid vestræ virtuti & rebus inclyte gestis fortuna detraxerit, vt non me ducem,sed ipsam positis accusare fortunam.Nam quo statu simus,quo in loco sita sit nostra salus,omnes quidem mecum intelligere potestis. Rex noster abest,cuius nomen & præsentia nos hodie plurimum iuuare posset. Cæterum vestra virtus & rei militaris scientia, magnanimi proceres,me quidem patris aspectum desiderare non sinit.Mihi enim in huiusmodi fortunæ conditione prælioq; gerendo, quod aduersum tyrannũ sceleratorũ hostium ducem paramus,etsi patris absentia,si mea puerilis ætas,si denique rei militaris pugnæque nouitas, causæ non parui timoris esse debeant, plus me tamen proceres spes virtutis vestræ, plus animo fortitudo, plus ætas & rei militaris vsus hortantur. Me namque fortiorem faciunt memoria victoriarum vestrarum, famaque præclara rerum quas fortissime semper gessistis. Quæ omnia mihi non solum timorem minuunt, verum etiam de sceleratissimis hostibus quam certissimam victoriam pollicentur. Quod si hostes hominum multitudine & exercitu numeroso plurimum posse videntur, non tamen timori nobis esse debent. Non est enim fortium virorum, si quando numero si paucioribus cõtra plures pugnare contingat, de salute aut de victoria desperare. Nam Alphonsum patruum sępius audiui narrare solitum,quod mihi quoque pater affirmauit,à vobis perpaucis propter virtutem vestram,magnumq; vsum rei militaris, innumeras hostium copias fuisse superatas. Mementote igitur hodie,viri fortes & amici mei, vestræ solitæ virtutis, vt honorem & gloriam quam vincẽdo vobis comparastis, & à maioribus vestris qui fortissimi fuerunt,accepistis,posteris sine aliquo dedecore relinquatis. Ego autem meorum more maiorum & in laboribus,& in periculis,à vobis nusquam abero.Sed iam more nostro proceres diuinum numen & auxilium conuocemus, & in prælio semper in ore Aragoniæ nomen & Dei sanctissimæ genitricis habeamus.Hac oratione habita primi duces, pugnandi ordines instructos à principe comprobantes, Principem primum obsecrant atque monent,vt pręlio abstineret, suosque pugnantes ex tuto loco cerneret. Aliis deinde ad alia respondere volentibus tempus defuit, propterea quod equites quos princeps ad explorandum locorum situs & accessus ad hostes paulo ante præmiserat, cum ad hostium castra propius accessissent cum hostium equitibus è castris egressis prælio contendere cœperant, & ab illorum numerosa multitudine superati fugientes ad sua signa reuertebantur. Quod cum Princeps & eius duces animaduertissent,confestim canere tubas,& in hostes signa conferri iubent. Idem Lusitanus fecit. Signis itaque datis vtrinque concurrunt. Comes Pratarum cum multis equitibus quos ex omni numero iussu Principis elegerat,in hostes ingressus,illorum multitudinem magno impetu perfregit. Bernardus Rocabertinus & Matthęus Monticatinus à lateribus,vti princeps instituerat,perturbatos hostes aggredientes,eorum multos occidunt. Hi tamen cum primo satis prospere pugnassent, paulo post labore magno defessi, vehemẽter à multitudine hostium qui suis subsidio veniebant,premebantur.Id cum animaduertisset Princeps,suis laborantib. Hẽricum subsidio confestim misit, & Bernardo Gastoni quem iugum montis cum peditib. ascendere iusserat,signum dedit. Ipse cum reliquis equitibus quos apud se retinuerat,& Carcaxona primipili cẽturione,Henricum subsequitur. Ita vno tempore,magnũ omnes in aduersarios impetum fecere. Prælium ingressus Princeps, in exhortando duces multosque equites nominatim appellauit. Quem cum illi in prælio nec sine periculo versari vidissent, eius saluti pertimescentes acrius pugnare, & hostium non minus equos quam equites interficere.Hostes primo cõflictu iam perturbati,alii labore defessi,alii vulnerib. retardati, cum Principis equitib. amplius resistere non potuissent,terga vertentes ad sua signa ducemque Lusitanum qui nondum ex castris egressus erat, se recipere cœperunt. Hos insequentes victores à tergo, alios occidũt, alios vulnerant.non ab illis hortati prælium redintegrant,sed fuga simul cum aliis, qui subsidio veniebant, salutem quærunt. Equites itaq; per loca ad cursum expeditiora, pedites asperiora montanaq; timore perterriti nullo ordine turpiter diffugiunt. Complures inter fugiendum,quo celerius currerẽt, arma quæ deiicere poterant,abiecerunt. Victores namq; fugientiũ quoscunq; cõsequebantur,vt hostium multitudinẽ minuerent,omni neglecta redẽptionis cõditione, trucidabãt. Lusitanus aũt suos omnes magna cum strage profligatos esse vidẽs,pauore magno concussus & anceps propriæ salutis,equo quo vehebatur dimisso, recẽtiorem aliũ perniciоremq; subito conscendit,& Regis dimissis insignib. equitis habitus assumpsit,& nocte superueniente,se victoribus immiscuit, quibuscum ad portas vsque Pratarum peruenit, vbi

vbi milites nonnullos qui oppidum tuerentur, reliquerat. Hinc victoribus ad Principem Ferdinandum redeuntibus, admissis equo calcaribus ingressus est oppidum, quo deinde diffugientes exercitus eius reliquiæ sparsæque cohortes quæ syluis delituerant, flammarum signa prospicientes ad multam noctem sese receperunt. Cæterum Ferdinādi milites etsi primum nullis eorum qui fugiebant, hostibus parcebant, deinde tamen prædæ cupiditate capti, dum colligendis hostium spoliis incumbunt, & cadētibus arma & quidquid preciosum erat detrahunt, multis quos vel occidere, vel capere poterant, fugiendi locum spaciumque dederunt, minoremque victoriam fecere. In qua quidem duces & equites omnes Principis Ferdinandi suas vires & animi fortitudinem in officio rei militaris ostenderunt, & imprimis Bartholomæus cognomento Vius, vt alios omittā. Hic enim eques leuis armaturę cum hoste validissimo cataphracto homine valētissimo, qui magnitudine corporis & virium magnus Burgundius vocabatur. Cui Bartholomæus occurrēs lanceam per os emisit, & auulsa hasta ferrum quod ossibus infixerat, restitit. Quo vulnere accepto magnus Burgundius ex equo cadens efflauit animam. Ferdinādus autem post solis occasum, & iam discedente crepusculo luceq; diei, multis hostium captis, pluribus occisis, & reliquis diffugientibus, insigni victoria potitus, apud Pratas, quo se recipiebant hostes, insidias veritus, suorum saluti consulens, receptui canere iussi, suasque cohortes quæ diffugientes adhuc hostes insequebantur, ad se reuocauit. Cuius iussu reuertentes equites, alii captiuos hostes secum duxerunt, alii magnas prædas & multa spolia signaque retulere. Lusitani quippe exercitus equites grauis armaturæ præter vulneratos interfecti quoque centum septuaginta, & capti ducenti fuere, quorum equi complures occisi, nonnulli simul cum equitibus & armis in victorum potestatem venerunt. Et quod magnopere mirandum fuit, lætioremque victoriam fecit, tanta hostium multitudine Ferrandini, etsi perpauci vulnerati, desiderati tamen nulli fuere. Quæ quidem res Principi Ferdinando, cunctisque victoribus solidum & cumulatum gaudium, maioremque voluptatem præbuit, quam ipsa victoria. Ideoque princeps ea nocte copiis in oppidum reductis, & captiuis custodibus traditis, primum Deo pro parta victoria gratis egit, votaq; persoluit: deinde vulneratos omnes reuisit, commendauitque medicis diligēter. Hinc ad castra reuersus, ad Regem Tarraconem de prælio gesto nuncios cum literis confestim misit. Qui nuncii de victoria peroptata incredibilem lætitiam Regi & Reginæ qui de filii salute valde soliciti erant, attulerunt, adeo vt Rex prę nimio gaudio oculorum visus quos amiserat, recuperauerit, & Regina vota quæ pro filii salute promiserat, Deo Optimo Maximo persoluit. Sed redeo ad Principem Ferdinandū, qui magna victoria potitus, vt erat magnanimus & humanissimus Princeps, vt animos omnium equitum suorum quos fortissimos cognouerat, ad maiora facinora concitaret, quum omnibus gratias egisset, & eorum fortitudinem collaudasset, paratis epulis magno lautoque conuiuio, cunctis ducibus & multis equitibus, vt vna secum & eadem mensa simul discumberent, familiariter imperauit. Inter cœnandum autem vnusquisque lætitiæ plenus & honoris quod in prælio fecerat, & quidquid sibi contigerat, Principi referebant. Princeps autē Ferdinādus cum pariter omnium virtutem & fortitudinem collaudasset, vnum ex captiuis adduci iussit. is erat ex Lusitanis. Qui à Principe Ferdinando quot hominum millia Lusitanus ex Pratis secum duxisset, & quot illic reliquerat, interrogatus, habuisse Lusitanum dixit hominum millia septem, ex quibus Pratis quingentos qui oppidum tuerentur & conseruarent, reliquisse. Hoc in custodiam reducto, alius ex Castellanis adductus est. Hic eadem interrogatus, eodem modo respondit. Hac re gesta Ferdinandus certis equitibus imperauit, vt stationes omnes requirerent. Quod cum diligenter omnes fecissent, quieti se dederunt.

LVCII MARINEI SICVLI DE REBVS HISPANIÆ

LIBER XVI.

De eodem bello.

POSTERO die Lusitanus ex Pratarum oppido, quo diffugerat, discedens, certis ducibus vsus per montes & inuia loca proficiscens, Manresam ciuitatem, quę distat à Barcinona triginta millia passuū, peruenit, vnde paucis ante dieb. magna cum spe habendæ victoriæ discesserat. Qua quidem spe frustratus eius animus & tristitia affectus quiescere non poterat, quippe qui desiderabat aduersam

superare fortunam. Assiduis enim multorum vocibus & querelis offendebatur, qui Calafetano prælio filios infœliciter amiserant. Mulierum quoque miserabiles questus quæ cũ filiis etiam viros in bellis extinctos repetebant, molestissime ferebat. Ideoque Beltranum Almendaretem legatũ cum exercitu Ceruarię subsidio mittens, ipse cum reliquis copiis in Ampurdaniam prouinciam venit. Quæ regio est prouinciæ Tarraconensis Galliam versus, multorum oppidorũ & bellicosæ gentis, distatque à Barcinona quinquaginta millia passuum. Hic multis prouinciæ populis conuocatis, Besalonensibus qui rerum omniũ penuria laborabant, opem tulit. Est autem Besalon oppidum inter Gerundam & Barcinonam. Hac ope recreati Besalonenses, sumptis armis cum eo simul proficiscũtur. Quorum virtute fretus Lusitanus (erant enim bellicosi & armis atque præliis assueti) Turanam oppidum quod aberat à Besalone passuum millia triginta, cum magnis copiis oppugnatum venit totumq; oppidum, ne quis effugere posset, obsidione cinxit. Erant autẽ intus præter oppidanos, regii equites quadraginta, & oppidi prę fectus qui dicebatur Baniolus. Hi cum neque oppidum, neque seipsos ab hostium machinis, tormẽtis, & oppugnationibus tueri possent, & nulla fugæ spes esset, conditione, vt pecunia redimerentur, sese dederunt. Quibus in deditionem acceptis, elatus ea victoria Lusitanus, Bisbalim oppidum versus quod non longius aberat, exercitum duxit. Cuius oppidi cultores admodum fideles, sub Regis imperio constantissime permanentes, aduersus hostes arma parauerant, & Petro Torrellæ Regis legato qui oppido præerat, sese aut Bisbalim patriam defensuros, aut ad vnum mortem propugnando subituros iureiurando confirmauerãt. Lusitanus autem prope oppidum copias adduxit, & loco ad oppugnandum dum satis opportuno castra ponit, multis tormentis oppugnat. Concussi iam muri disrumpebantur, & qua tormenta propugnatores submouebant, scalis & vineis ascendere conabantur. Regis autẽ legatus Petrus Torrella milites & oppidanos hortatus, in hostes è muris tela saxaque coniicere iubet. Tum omnes fortissime propugnantes hostium nonnullos occidunt, alios in castra reuerti compulerunt. Ex castris tormenta rursus exercent, & ex oppido item tormentis saxa iaciuntur. Interim Petrus Torrella qui Bisbalis tuendæ curam habebat, nuncium qui quanto in discrimine versarentur omnes qui oppidum defendebant, Regi denunciaret, properare iussit. Auditoque nuncio Rex cognitoque suorum periculo, collectum pro tempore subsidium obsessis confestim misit, & duces qui tum Gerundæ præerant, missis nunciis huc quamprimum transire cum suis copiis imperauit. Hi dicto Regis audientes, omnes equites peditesque sumptis armis festinare iubent, ac celeriter venientes, cum aliis qui regio iussu subsidio venerant, se coniungunt, & in Pobolitano castello, quod à Bisbali passuum millia quinque aberat, relictis omnibus impedimentis noctu magno silentio, præmisso nuncio qui oppidanos de aduentu eorum certiores faceret, ad oppidum propius accedunt: in quod nondum orto sole portis reclusis recepti fuere. Lusitanus interea & de illorum aduentu commonitus, & Calafetanæ fortunæ memor, castra duplici fossa muroque muniri, magnisque sudibus circumuallari iusserat, & locis quibus ad se oppugnãdum facultas & opportunitas hostibus esse videbatur, machinas & multa tormenta collocauerat. Postero die regii duces ex oppido egressi instructas acies habuere, & si hostes è castris exirẽt, expectabant. Quos vbi iam diutius intra vallũ se continere viderũt, propius accedunt & in eos irrita tela cõiiciunt. Itaque cum propter munitiones quas densissimis sudibus expugnabiles confecerant, eos offendere nullo modo potuissent, & ipsi illorum tormentis premerentur, inde discessere, & vt hostium vires frangerentur, Ampurdanorum partis aduersæ qui Lusitanum pecuniis & exercitu iuuabant, omnibus agris & possessionibus igne ferroque vastatis, in oppidum magna cum præda rediere. Interim Lusitanus oppidũ tormentis oppugnat, & turrim quæ firmior erat, continuis & crebris ictibus concussam iam disiecerat. Ex oppido item regii saxa tormentis in hostes iaciebant. Atque ita pugnantes vtrinque multi perierunt, pluresque nobiles partim occisi, partim grauissime percussi concidebant. Die toto tormentis pugnatum est, noctis tenebræ pugnandi finem fecere. Cæterum Lusitanus potiundi oppido spe destitutus, timensque ne obsessus in castris, commeatu quem multis ex partibus expectabat, & subsidio prohiberetur, de tertia vigilia castra mouens, prima luce ad Pobolim quam à Bisbali passuũ millia quinq; abesse supra demonstrauimus, cum exercitu peruenit, & iuxta oppidum positis castris, Ceruariensibus quorum agros Ferdinandus Regis filius depopulabatur, subsidium misit. Mox autẽ cum audisset regis exercitũ Bisbali discessisse, super mõtem Rupiam qui aderat, copias adduxit, ibique castra ponit. Montis non difficilis erat ascensus, & ab Oriente planicies. Hac venientes equites regii prælium repente committunt. Acriter vtrinque pugnatum est. Primo prælio pauci cadunt, vulnerati plures fuere. Tandem Lusitani in castra

sese

ſeſe receperunt, & inſequentes regios equites redire tormenta coegerūt. Poſt ſolis occaſum omnes in caſtra recepti fuere. Luſitanus nocte fere tota magno ſilētio pugnæ ſequētis diei ordinem & rationem conſiderans vigilanter inſtituit, vt cum primum illuceſceret regia caſtra repente ſubitoque cum omnibus copiis inuaderet, ita fore ſperās, vt hoſtes ex improuiſo & inopinantes aggrediens, magno impetu valde perturbaret, & perturbatos ac impeditos multo facilius opprimeret. Quod conſilium transfuga quidam ſiue pœnitentia ductus, ſiue diuinitus, noctu clam è Luſitani caſtris egreſſus, Alphonſo Aragoneo qui ea nocte cum equitibus centum miſſus à Rege ſuperuenerat, aliiſque Regis ducibus aperuit. Alphonſus itaque Luſitani detecto conſilio transfugam in ſuū tabernaculum adduxit, reliquoſque Regis duces equiteſque vocari cōfeſtim iuſſit. Quibus adhibitis, quas copias, quot equites, & quot pedites Luſitanus haberet, à transfuga diligentiſſime quæſiuit. Is reſpondit in Luſitani caſtris eſſe hominum millia fere quinque, ex iis equites circiter mille, peditum qui armis erant aſſueti, numerum trium millium, deniq; pugnatorum millia quatuor ſe connumeraſſe dicebat. Alphonſus hac re cognita & transfuga cuſtodibus honorifice tradito, duces omnes & centuriones commonet, vt quiſq; cohortis ſuę milites ad tertiam vſque vigiliam conquieſcere ſinat, deinde vero vnumquemq; magno cum ſilentio diligenter in armis eſſe iubeat. Itaque ſedulo ſuum quiſque fecit officium, aliquantoque maturius quam dux Alphonſus imperauerat, intēti ſumptis armis expectabant. Alphonſus autem vbi regios omnes equites atque pedites ad pugnandum paratiſſimos eſſe vidit, exercitus quadrifariam partitus eſt, vt in hoſtes alii à fronte, alii à lateribus, alii etiam à tergo dato ſigno celeriter impetum facerent, vt cū hoſtes in ſua caſtra ſe recipere conarentur, minus facile reuerti poſſent. Itaq; caſtris bipartitis, & in medio caſtrorum ad currendum expeditiſſimo loco relicto quaſi magno vico ciuitatis, Alphōſus ſuorum alios ante caſtra venturis hoſtibus oppoſuit, ad ſiniſtram alios, alios ad dexteram cōſiſtere iubet, ipſe vero poſt caſtra cum ſuis equitibus conſtitit. Quos autem in frōte caſtrorum aduerſos hoſtibus oppoſuit, monuerat, vt appropinquātibus hoſtibus per media caſtra ſimulata fuga quaſi hoſtium perterriti multitudine, terga vertētes & equis admotis calcaribus celeriter omnes concurrant, & relictis aliquantulum caſtris in hoſtes conuerterentur, fortiſſimeq; pugnarent: alii ſimul ab vtroque latere, ſimul à tergo omnes vno tempore pene circumuentos hoſtes opprimerent. Hac itaque ratione modoque regiis exercitibus partitis, cohortibuſque diſpoſitis, Luſitanus ita vti ſtatuerat, ſuos hortatus, vix expectata luce diei, cum omnibus copiis è caſtris egreſſus, repente ſigna canere, & in Alphonſinos equites qui ante caſtra ſeſe oppoſuerant, impetum fieri iubet. Omnes ingenti clamore tubarumque clangore concurrunt. Iis propius accedentibus & pilis pene directis, equites regii, vt Alphonſus Aragoneus imperauerat, ſimulato metu ſeſe fugæ dederunt. Hos Luſitanos inſequentes regiæ cohortes & à tergo ſimul & à lateribus inuadunt. Alphonſus Aragoneus cum ſuis equitibus, & cum aliis qui fugam ſimulauerant reuertentibus, à fronte magnum celeriter in hoſtes impetum fieri iubens, in hoſtium agmen numeroſæ multitudinis omnium primus ingreſſus eſt. Cuius audita vox & facies aſpectu terribilis, hoſtium quidem mentes qui eum abeſſe crediderant, maiorem in modum perturbauit, atque impetum vireſque compreſſit: fortiſſime tamen ab omnibus ex ortu ſolis ad horam diei fere quintam pugnatum eſt. Vtrinque primo prælio plures concidere. Tādem circiter meridiem Luſitanorum alii laboribus defeſſi, alii retardati vulneribus, quū iam amplius & ſolis ardoribus (geſtum eſt enim hoc prælium Nonis Quintilibus) & regiis militibus adhuc ſtrenue pugnantibus reſiſtere non potuiſſent, omnes quos non vires quidem, ſed mortis potius metus adiuuabat, relictis caſtris terga verterunt. Quos diffugientes regii milites ad vnum quidem vel occidiſſent, vel ad Regem captos adduxiſſent, niſi & ipſos longiſſimæ pugnę maximus labor, & ſolis ardentiſſimus æſtus iam defatigatos ab hoſtium perſecutione redire coegiſſent. Perierunt tamen hoc prælio Luſitanorum equites ducēti & ſexaginta, pedites circiter mille, totidemque capti fuere: reliquorum pauci ſine vulneribus euaſerunt. Ex regiis pauci deſiderati, vulnerati vero plures fuerunt. Hoc prælio geſto, & audita Luſitanorum ſtrage, plures Ampurdaniæ prouinciæ populi metu perculſi, legatos ad Regem Tarraconem miſerunt, qui dicerent ſeſe in officio ſemper & obſequio permāſiſſe, neq; Luſitanum vnquam iuuiſſe, neq; cum aliis obſtinatis coniuraſſe, ſeſe omni tempore ad omnia quæ Rex imperaret, quam paratiſſimos eſſe ſemperq; fuiſſe dixerunt. Obſecratum nunc oratumque Regiam maieſtatem veniſſe, vt bonis eorum ſeque ipſis vti vellet. Hos Rex & libenter audiuit, & eorum voluntatem ſibi pergratam fuiſſe ſignificauit, eiſque literas ad filium Alphonſum Aragoneum dedit, quibus eum rogabat, vt bonos viros omnes quam cōmendatiſſimos haberet, plurimi faceret, & magnis honoribus afficeret.

Alphonſus Aragoneus interea nūcios de prælio geſto deque captiuis ad Regem miſerat, & copiis in caſtra reductis, dum ſepelirentur occiſi, vulneratos magna cura diligentiaque curabat. Rex vbi deuictis hoſtibus & Alphonſi victoriam ex nunciis accepit, Tarracone diſcedens Ceruariam verſus cum paucis equitibus proficiſcitur. Hic Ferdinandus Regis filius, vti ſupra demonſtrauimus, agros Ceruarienſium populabatur. Huc rex & Alphōſum filium cum copiis omnibus quas ſecum habebat, venire iubet. Quo etiā Regina quę Vldeconates qui à Dertoſa quatuor fere paſſuū millia diſtant, obſidione premebat, Regis nunciis accerſita, cum multis equitibus & peditum ſeptem cohortibus venit. Cum omnes vndique conueniſſent, Rex oppugnare Ceruariam ſtatuit. Cæterum propter magnam oppugnandi oppidi difficultatem rex magnum tormentorum numerum multaſq; machinas parari conferriq; iubet. Eſt enim oppidum non minus opere, quam loci natura munitum in accliui colle ſitum, muris ac turribus egregie cinctum. Dum itaq; iuſſu regis machinæ & tormenta parantur & conferuntur, Alphonſus Aragoneus Equalatum oppidum, quod abeſt à Ceruaria millia paſſuum circiter ſeptemdecim, cum equitib. centū & quinquaginta totidemq; peditibus peropportune profectus eſt. Erant enim in hoc oppido duæ factiones, alii quippe recluſis portis ingenti tumultu regem, alii Luſitanum expectabant. Cum igitur Alphōſus oppugnare oppidum cœpiſſet, regiæ factionis oppidani ſtatim magno clamore Regem appellāt, ac per vicos cum diuerſæ factionis oppidanis qui portas Alphonſo veniēti clauſerant, acriter pugnare cœpere. Quod cū audiſſet Alphonſus, equo deſcendens ipſe ſcalas oppidi muris appoſuit, & ſuorum militum alios muros aſcendere, portas alios perfringere iubet. Dum milites Alphonſi iuſſa peragunt, in oppido toto non à viris modo, ſed à mulieribus etiam, aliis de feneſtris lapides in hoſtes deiiciētibus, aliis gladiis teliſque per vicos pugnantes maritos adiuuantib. acriter & ingenti clamore pugnatur. Alii quippe Regem, alii Luſitanum Barcinonemq; nominabant. Portis tandem perfractis ac diuulſis, Alphonſus cum equitibus ingreditur. Quem hoſtes cū vidiſſent, magno timore perterriti, celeriter domum ſuam ſe quiſq; recepit. Vbi cum ſe tutari minus poſſent, Regis & Alphonſi nomen magna voce vocauerunt. Quib. Alphonſus veniam petentibus facile pepercit, mulieribus præſertim quæ miſerabile flentes & ſparſis crinibus eius pedes oſculabantur, quas nemo quidem mortalis, niſi penitus humanitatis & rationis expers, ſine lachrymis vel audire vel cernere potuiſſet. Aliæ n. maritos multis grauibuſq; confectos vulneribus domum ægerrime reducebant, interfectos aliæ tabulis impoſitos ferebant, aliæ viſcera membraq; ſparſa colligebant, nonnullæ ſua ipſæ vulnera patiebantur. Frangebant præterea hominū mentes & omnib. lachrymas excutiebant puerorū ac puellarum miſerabiles queſtus. Prouocabant etiam lachrymas & maximos fletus vici, ianuæ, parietes humano cruore madentes. Alphonſus itaq; hoſtes non ſolum impune dimiſit, ſed etiam cōmotus humanitate multis verbis conſolari conatus eſt. Aliis quoq; qui cæteris coniuratis in fide permanentes maximū fidelitatis argumētum & ingentem virtutem præ ſe tulerant, non immerito quidem gratias egit. Cæterum qui ceciderant ſepultis, poſtero die Ceruariā ad regē propere rediit. Rex interea Ceruariā multis tormentis oppugnat, cuius muros ac turres indies minores tormēta faciebant. Ceruarienſes Luſitani copias & ſubſidiū expectantes, multis dieb. è muris & propugnaculis oppidū maximis laborib. ſummiſq; periculis tutari conabantur. Sed diuturna oppugnatione iam defeſſi, cum quati muros aſſiduis tormentorū ictibus & labare turres vidiſſent, & vrgente fame coacti ac ſpe ſubſidii penitus deſtituti, Regi cōditione ſeſe dedere, vt in priſtina fide ac libertate manerent. Rex conditionē non renuit, quippe qui hoſtiū pœnitentiā quam pœnam malebat. Portis igitur recluſis Alphonſum Aragoneū cum multis equitib. in oppidum præmittit, quē Regina & Ferdinandus Princeps cum primis ducib. conſequūtur. Ipſe multis relictis in caſtris equitib. paucis comitatus ingrediens, oppidanis & veniā petentibus facile conceſſit, & dexteram omnibus oſculandam præbuit. Cumq; plures oppidanorum inedia longaque fame confectos oris ſqualore notaſſet, atque pueros eſurietes non ſine lachrymis à parentibus panem miſerrime petentes audiſſet, humanitate permotus quamprimum molita cibaria ex caſtris afferri iuſſit, allatumq; panem varii generis, id eſt militarem, ſpeuſticum, hoc eſt ſubito confectum, nauticum, qui & bis coctus dicitur, focacium & cinericium viritim diuiſit. Paucos hic dies Rex commoratus, oppido Ioannem Carcaſonam præfecit, quem & dum viueret arce oppidi cum iuribus & omni cenſu donauit. Hinc cum omnib. copiis oppidum Pratarum verſus, Quo Luſitanus ab Alphōſo Aragoneo profligatus ſuarum copiarū reliquias adduxerat, proficiſcitur. Quod vbi Luſitanus intellexit, oppido deſerto Barcinonem celeriter ſe recepit. Rex acceptis in deditionem Pratenſibus, dum Luſitanū perſequitur, ex itinere oppidum Redonam, quod diſtat à Tarra-

Tarracone paſſuum millia ſeptemdecim, aggreſſus eſt, biduoque oppugnatum ſimul cũ arce quæ concuſſa tormentis caſum minari cœperat, in deditionem accepit. Hac ita re geſta omnes diœceſani Tarraconenſes atque Bernardini religioſi, qui diuo Bernardo templum dicatum quod Sanctas Cruces appellant, incolunt, ad Regem pacem & veniã petentes vndique nec ſine muneribus conuenerunt. Quibus clementer acceptis & huius prouinciæ populis in poteſtatem redactis, Rex Ferdinandum principem & Alphonſum Aragoneum alioſque duces cum exercitu Dertoſam verſus præmittit. Quæ ciuitas ripæ amnis Iberi appoſita, Orientem verſus à Tarracone paſſuum millia quinquaginta, remota eſt. Hos cum Regina reliquiſque ducibus atque magno equitum numero in fluminis ripa commorantes apud Ampoſtam die quarto conſecutus eſt. Quod oppidum in eiuſdem amnis altera ripa ſitum eſt, inter Dertoſam & Celtibericum mare, diſtatque ab vtroque loco ſpacio fere ſtadiorum quadraginta. Hic Regis copias aliquot dies amnis Iberus commoratus eſt, qui ex Cantabriæ montibus oriens, etſi modico fonte, largiſſimo tamen tractu fluens totaque Celtiberorum prouincia lapſus, priuſquam Cæſarauguſtæ mœnia, vbi longo ponte tranſitur, abluat, Salonem amnem & plures alios ad ſe recepit. Hinc etiam ad Dertoſam pręter Gallicum alioſque minores, Cingam atque Sicorim magnos amnes admittit. Tunc etiam pluuialibus aquis & hybernis imbribus auctus ex vtraque ripa campos inundauerat. Nullis igitur vadis repertis ad Cæſarauguſtæ pontem, qui diſtat ab Ampoſta paſſuum millia centum & quinquaginta, Rex exercitum ducere longum nimis atque laborioſum exiſtimans, ratibus ex tempore factis & connexis inuicem trabibus, paucis diebus exercitũ traduxit. Plures tamen & fortiores equi quos in ſcaphas ingredi cogere non potuere, celeriter amnem tranauerũt. Hos tamen artis nauticæ peritiores è cymbis, longis habenis funibuſque præeuntes, ad alteram ripam fluminis traducebant. Omnibus tandem traductis copiis, Rex, qui apud Ampoſtam faciliores acceſſus & propinqua loca cognoſcerent, & commodum caſtris locum diligenter eligerent, miſit. Hi locis omnibus vndique prudenter inſpectis, & quibus tutius caſtra locari poſſent electis, ad Regem reuerſi locorum ſitus, & vbi caſtra commodius eſſe poſſent, oſtenderunt. Tum Rex inſtructas acies ad locum quem apud oppidum elegerant, adduxit, ibiq; poſitis caſtris, locis opportunis tormenta diſponit. Cæterum & acceſſus ad oppidũ propter flumen & proximas ſiluas difficilis erat, & oppugnãdi ſumma difficultas. Quæ quidem res ſpem nullam victoriæ potiendique oppido regiis equitibus dabat. Nam oppidũ vel loci natura vel hominum induſtria munitum, ſic ſe habet. Situm eſt (vt ſupra demonſtrauimus) in ripa fluminis, cuius partes fere duas oriẽtem verſus Iberus amnis circumfluit. Tertia vero pars quæ ad occaſum ſpectat, ex amne ab vtroq; latere duplici foſſa valloque validiſſime cingitur. In medio porta tum arte tum etiam ædificio maximo valde munita, cum ponte ligneo, mobili tamen penduloque, vt pro tempore cuſtodumque voluntate demitti tollique facile citoque poſſet. Et vterque locus, vbi muri foſſæque flumini coniunguntur, duabus oppoſitis arcib. tutiſſimus. Arces quoque vix expugnabiles, quarum fundamenta non in primo mobilique ſolo, ſed in imis latomiis, hoc eſt lapicidinis, iacta firmaq; conſurgunt. Hac igitur animaduerſa munitione, Rex machinis & tormentis omnibus tripartitis, oppidi portam & vtramque arcem die noctuq; acriter & inceſſanter oppugnari iubet. Cæterum iuſſu Regis oppugnantibus præter magnas oppidi munitiones & propugnantes hoſtes, magno quoq; anni tẽpus erat impedimento. Hyems enim horrida ſæuiebat magnis & aſſiduis imbribus. Tanta enim illius hyemis magnitudo fuit, vt ingens variuſque ſerpentũ numerus actus frigoribus, è proximis ſiluis & montibus egreſſus ad ſtationes & caſtra repſerit. Serpentes autem quamuis admirabilis magnitudinis, innoxii tamen, in caſtris oppreſſi nimio frigore inter homines verſabantur. Lupi quoque gregatim milites è caſtris non procul egreſſos ſæpius inuaſere. Multorum pręterea fontium quibus milites in caſtris vtebãtur, aquæ paludis & lacuum qui aderant, exhalatione corruptiſque vaporibus infectæ, nonnullis nobilibus inopinatæ mortis cauſa fuere. Poſtremo perhorrenda vox & humanæ perſimilis noctibus fere ſingulis audiri, quæ nihil præter horrorem mœſtitiamque portendens, magnum quidem timorem viris etiam fortiſſimis incutiebat, adeo vt ſtrenuiſſimus quiſque metu perterritus non niſi de diſceſſu cogitauerit. Omneſq; diſceſſiſſent omnino, niſi vel pudor, vel virtus, quæ cum timore pugnabat, vel Regis autoritas & aſpectus eos retinuiſſet. Cæterũ cum diutius magna pericula, ſummos labores, vim imbrium, & perhorrendam temporis ſæuitiam toleraſſent, demum longa vigilia & oppugnatione defeſſi nonnullique propugnantium telis percuſſi, iam minus ſtrenue nec ſuo more ſolitaque fortitudine oppugnare oppidum muroſque tormentis ferire videbantur, eorumq; multi fronte, nonnulli verbis, in caſtris

& oppugnatione ſeſe non ſponte manere ſignificabant. Plures præterea ſe quamprimum diſceſſuros aperte dixere. Quod quum Rex animaduertiſſet, omnes ad ſe cōuocatos huiuſmodi verbis alloquitur. Quoties ego res à vobis multis in locis animoſe ſtrenueq; geſtas hactenus memoria repetere ſolebam, fidiſſimi milites, quoties & inſignes victorias vobis partas animo complexus ſum, quoties denique fortitudinem veſtram & facta præclara, quibus certe vos immortales fore cernebam, mecum conſiderare ſolebam, magnitudinem quidem veſtræ virtutis admiratus, eos eſſe vobis animos, eas virtutis flāmas, eos laudis amores, mihi ſine dubio perſuaſeram, quibus non hoſtis vllus, nō vlla periculi magnitudo, non labor extremus, non deniq; mors ipſa timori eſſe vnquam poſſet. Quā quidem opinionem mihi de virtute veſtra quam rectiſſime ſuſceptam cum alia permulta, tū etiam hoc vnum periculum quod nuper fecimus, confirmabat, cum perpauci numero Bellagueram quæ nobis venientibus portas clauſerat, vobis audentibus ingreſſi ſumus, atque numeroſam ferocemq; hoſtium multitudinē virtute veſtra facile compreſſimus. Verum enimuero neſcio quæ res hoc tempore veſtros adhuc inuictos animos percuſſerit. vos enim non hoſtes profecto (nam hoſtes timendi cauſa non eſt) ſed fugere labores & temporis ſæuitiæ cedere, quod nunquam futurum ſperaui, vehementer admiratus, ne frontibus quidem veſtris negantibus animaduerto. Nam & oppugnationis retardatio & nonnullorum facies quam fractas & à caſtris alienas mentes habeatis oſtendunt. Quamobrem vos ego milites non accuſandi quidem, ſed monendi gratia vocaui, pro veſtra erga me fide proq; meo in vos liberoſq; veſtros amore rogaturus, ne veſtras inſignes laudes ne virtutes immortales, ne rerum geſtarum famam qua cūctos mortales exceditis, ne victoriarum memoriam, ne vitam ſine labe, ſine vllo dedecore actam, nunc paucorum dierum laboris impatientia deformari patiamini. Hic enim labor qui perbreuis eſt & iam finitus, à vobis quidem quamprimū recedet, & veſtræ virtutis nomen æternum & clarum ſemper in poſterum ſummis laudib. efferetur. Nam per Deum immortalē quid nobis laboris ſupereſt? Nonne hoſtes omnes compreſſimus? Scimus milites, homines qui ſunt in Ampoſta, tum noſtra oppugnatione, tum inedia & rerū omnium penuria coactos in noſtram propediem poteſtatem eſſe venturos. Qui etſi rebus omnib. abundarēt, noſtrā tamen obſidionē diutius ferre non poſſent. Dertoſanorū quoq; legatos ad nos de deditione miſſos in itinere eſſe mihi iam nunciatū eſt. Barcinonēſes præterea qui ſoli fere debellandi ſuperſunt, extrema laborantes egeſtate conſumptis eorū opibus, fame iam & rerū omnium inopia compulſos, & ſubſidii ſpe penitus deſtitutos, atq; ſuorum errorum pœnitentia ductos, nō ſolū de deditione, ſed de prærūpendis etiam ciuitatis muris, vt nos ſi voluerimus, alto curru triūphantes excipiant, ſtatuiſſe compertū habeo. Quare vos ego rogo milites moneoq; (nam præcipere vobis nihil debeo) vt animos mihi veſtros nō infractos, vultus nō demiſſos, ſed fortitudinis & alacritatis plenos, vt conſueuiſtis ſemper, oſtēdatis. Non ignoro milites vos honoris & amoris mei cauſa multa pericula & magnos labores pertuliſſe. Sed nūc ſcire debetis noſtros iā labores omnes exhauſtos. Ad belli quippe finē & peroptatā de hoſtib. victoriam peruenimus. Nolite igitur imitari ſegnes agricolas qui ſuorum laborū præmia & iam maturos fructus aliis per ignauiā & deſidiam relinquunt. Erigite igitur animos veſtros, optimi viri & inſceleratos hoſtes qui noſtrorū laborum cauſa fuere, totis virib. ſolitaq; fortitudine veſtra cōſurgite. Hic enim nobis labor extremus qui omnib. veſtris laborib. additus, vobis certe quietē, vobis ad domos veſtras, ad coniuges, ad liberos reditū conficiet. Hic deniq; vobis magnam lætitiā, veſtriſq; poſteris ingentē gloriam afferet. Quod ſi vel audita vox, vel ſerpentū multitudo, quaſi mali quidquam futuri portendant, timorē vobis incutiunt, quis eſt tam rationis expers qui vocem quā ſingulis noctib. audimus, hominis eſſe nō ſentiat? atq; eius quidē hominis qui propter metum quieſcere non poteſt, ſicuti pertimidi canes, qui nocte acti formidine vel latrant continue vel vlulant. Serpentes autem ſunt natura frigidiores, propterea quod terrā quæ frigidiſſima eſt, toto corpore contingunt. Ideoque ſi vrgente frigore homines adeſſe ſentiunt, ad eos natura duce confugiunt, vt calefiant. Vox vero quā noctu percipimus, ſi diuinitus eſt emiſſa, quid aliud præcipere vel monere debet, niſi vt hoſtes ſuorum errorum pœniteat? qui etſi ſui Regis amorem contempſerint, Dei tamen omnipotentis iuſtitiam timere velint. Aduentus præterea ſerpentū qui noſtra in caſtra repſerunt, & innoxii nobiſcū degūt, ſi nobis antiquorū more liceret ominari, quid portēderet, niſi hoſtes neceſſitate coactos & noſtrę clemētiæ ſpe ꝑmotus in deditionē eſſe vēturos? Sed ego milites hęc locutus ſum, non vt eos qui prpter id à me iā diſcedere volūt, amoto metu ſecuros in caſtris retineam. nam ſi quis hoc metuit quod nocere non poteſt, multo quidā magis hoſtes timebit armatos. Diſcedant igitur omnes, ſi velint apud quos plus metus poſtquam

virtus

virtus. Ego enim ſcio mihi milites & fortes viros non defuturos. Non enim me deſerent fideliſſimi proceres vel Hiſpani vel Siculi in Ampoſtæ oppugnatione, quæ perbreuis eſt & iam finita, qui mecum & cum fratribus meis in obſidione Neapolis continuos viginti annorum labores & quæcunque mortales & viri fortes pati poſſunt, pertulerunt, & qui multis aliis in locis, vt ſibi virtutis famam & laudis gloriam quærerent, non dicam maximos labores & quæcunque pericula, ſed ne mortem quidem vnquam timuerūt. Quibus ego & hactenus quoad potui ſatisfeci, & deinceps Deo iuuante, multo melius ſatisfacturus ſum. Ignauos verò qui neque labores ferre poſſunt, neq; virtutis præmia cognoſcunt, non vt me ſequantur, ad virtutes & laudes hortari volui, ſed vt ducis officio fungar. Qui tamen ſi virtutis amore deinceps laborem ocio prætulerint, apud me non minus quidem, quam cæteri quos chariſſimos habeo, valebūt. Hoc ſermone Regis habito, milites obortis lachrymis gemitus cōtinere vix poterāt. Tum Scipio natione Siculus, cui Patella cognomen erat, Quam de Siculis, inquit, qui tibi nunc militant, Rex, fiduciam habes, ea profecto te nunquam fallet. Ego enim noui tum Siculorum, tum Aragonum omnium erga te voluntates, qui non modo hic te non deſerent, ſed hoc etiam peracto bello, quocunque iuſſeris, ire quam paratiſſimi ſunt. Quin eundem eſſe reliquis omnibus animum dubitare quidem non poſſum. Nam quis eſt tam laboris impatiens, quis tam ſui honoris oblitus, quis tam virtutis & officii militaris immemor, vt in fine iam bellorum Regem ſuum deſerere turpiter audeat, cum præſertim quiſque non magis imperio Regis, quam ex vſu ſuo bellum gerat? Omnes enim hoc bello confecto & deuictis hoſtibus cū honore, cum Rege victore, cum gloria, ad lares noſtros, ad coniuges, ad liberos, ad propinquos & amicos, victoriam & noſtrorum præmia laborum referentes alacres reuertemur. Nunc autē quis adeo vel impudens, vel imbellis, vel ignauus eſt, qui Rege deſerto in patriam ad vxorem & liberos proficiſcatur? Exibunt enim obuiam redeunti, quamuis deſertori, conciues & amici lætantes. quid de ſuo Rege ſciſcitantibus reſpōdebit? vel quo animo, quibus oculis in poſterum commilitones & regem ſuum, quem bellum adhuc gerentem crudeliter in caſtris & oppugnatione deſeruit, aſpiciet? Quapropter, inuictiſſime Rex, ipſe quidem qui tuorum militum animos iam pluribus annis expertus ſum, etſi labor maximus & temporis ſæuitia nonnullorum vires perfregit, me tamē vadem Regiæ tuæ maieſtati præbeo, eorum honori tuo neminem vnquam defuturum, neminem diſceſſurum ab officio, pro omnibus me tibi ſponſorē offero. Quidquid enim de meipſo polliceri poſſum, de omnibus quidem aliis affirmare non vereor. Suum quippe Regem illi non relinquent, qui me & fratrem meum Franciſcum Patellam cæteroſque proceres non ſolum militaribus officiis & honoribus, ſed etiam laboribus & periculis anteire contendunt. Quare fortiſſime Princeps, eorum militum qui te nondum finito bello deſeruerint, non ſolum culpam, verumetiam pœnas omnes ego præſtabo. Quod ſi noſtra nunc oppugnatio virtuſq; militaris tibi fortaſſe non tam vehemēs quam ſuperioribus diebus videtur, hoc quidē non eſt magnopere mirandū. nam etſi locorū difficultas, ſi labor aſſiduus, & tēporis importunitas noſtras minuere vires potuerūt, frangere tamen animos & voluntates mutare non valebunt. Hæc locutus oculos ad concionem militumque coronam conuertit, & exercitus omnis ſtatim Regem conſpiciens dextris elatis quæ Scipio dixiſſet, alacer comprobauit. Rex autem Scipionis verba ſibi non ingrata fuiſſe ſerenitate vultus oſtendit. Siquidem iram & ſolicitudinem quam paulo ante loquēdo præ ſe tulerat, in lenitatem manifeſtamque lætitiam commutans, omnes circumſpiciens amore, verbiſque non minus paternis, quam regiis vel humane vel honorifice collaudauit. Concilioque dimiſſo, quicquid alimoniæ tūc & commeatus habebat in caſtris, conferri iubet, allatumq; per ſtationes incedens ipſe viritim diuiſit. Mox duces omnes & complures milites alacriter dexteram Regis oſculati, magno pugnandi ſtudio accenſi feſtinato certatimque machinas commutāt, & maiora tormenta per opportuniora loca diſponunt, quibus expugnari facilius oppidū poſſet. Qua re perfecta, Rex oppugnandi formam & ordinem quem duces ſcite conſiderauerant, comprobans, vt cuiuſque virtutem magis accenderet, certum cuiq; locum deſcripſit, & quam vnuſquiſque oppidi partem tormentis oppugnare deberet, præmonſtrauit, vt cum caperetur oppidum, qui primi expugnationis autores fuiſſent, ſcire poſſet. Ex arcibus igitur alteram Puiccius Monteſæ militiæ ordinis præfectus, alteram Scipio Patella Siculus oppugnandum ſuſcepit, alii portam: Villamarinus etiam & Aluarus Naua cū quatriremibus, vt ex vtraq; parte fluminis, vel turres tormentis, vel muros oppidi ferirēt. Aſſignatis itaque locis & omnibus fortiter oppugnare cupientibus, quoniam tum ſol inclinabat in veſperam, Rex hanc in poſterum diem oppugnationē diſtulit, & milites, quo fortiores ad opus mane conſurgerent, vt laboribus abſtinerent, & noctem fere totam

conquiescerent, imperauit. Ipse quoque deinde filio suo Ioanne Aragoneo & Tarraconensi Præsule, vt castrorum vigiles requirerent, & ad lustrandas diligenter stationes frequenter excitarent, præmonitis, quieti somnoque cœnatus indulsit. Cæterum hostes interim oppugnatione cessante nimis insolenter exultabant, existimantes Regem cum exercitu iam oppidi & victoriæ desperatione discessurum. Rex tamen de tertia vigilia duces & omnes milites in armis esse iussit. Et paulo ante solis exortum vndique signo dato, magnis militum clamoribus & tubarum sonitu in omnes fere oppidi partes maiora minoraque tormenta iaciuntur. Hostes autem ex turribus & eminentioribus locis armis & tormentis vti, propugnare minus facile poterant, propterea quod illorum ex alto iacta tormenta neque castra Regis quæ locis imis posita erant, neque pugnantes milites attingebant. Hoc itaque cum animaduertissent, tormentis dimissis, ingentia saxa manibus demittere cœperunt. Quæ cum suo impulsa pondere ad planitiem vsque deuoluerentur, ad oppugnātes deficiente motu non perueniebant. Suos nominatim Rex oppugnantes vrget hortaturque, & recentiores defessis succedere iubet. Ita biduo vel incessanter acriter omnibus tormentis & militum viribus oppugnatum est. Tertio die præcipua oppidi turris multis crebrisque tormentorum ictibus concussa, ingenti fragore neque sine magnis oppugnantium vocibus, præceps ex alto ad flumen pene tota corruit. Cuius casu repente maximus hostes timor inuasit, & regiis militibus auctus est animus, ac spes & alacritas omnibus oppidi capiendi maior accessit. Nam eorum qui erant in arce quæ cecidit, aliis oppressis & obrutis & ruina peremptis, aliis cedentibus & perterritis, statim Franciscus Patella & Roccabertinus cum pluribus Siculis & Aragonibus oppidi vallum fossamque transierunt, & qua turris lapsus accessum præbebat arcem ingressi, tormentis & multis hostiū rebus potiti, magno clamore signa Regis extulerunt. Quibus inspectis, & Regis hortatione milites omnes qui propinquiores erant, subsecuti celeriter oppidum ingrediuntur. Rex ad eos hortandum qui portam oppugnabant, accurrit. Interim plures ingressi milites, eos qui portam defendebant, telis paruulisque tormentis, quæ vulgo Spingardæ dicuntur, a tergo vulnerabant. Quorum aliis occisis, aliis diffugientibus, captam portam recludunt, & ponte qui sublatus ab oppidanis fuerat, demisso, Rex multis equitibus & peditibus comitatus ingreditur. Oppidi præfectus interea cui Planella nomen erat, & cum eo quinquaginta milites, in arcem diui Ioannis templi quod erat proximum, sese receperant. Hinc veniam & misericordiam supplices petentes, omnium Dertosanorum deditionem Regi pollicebantur. Rex eorum precibus & mulierum quæ pedes eius flentes osculabantur, lachrymis suaque clementia commotus, de paucis exacto supplicio, cæteris facile pepercit. Hic autem paucis diebus propter militum fatigationem commoratus, mox rebus quæ necessariæ erant comparatis, cum exercitu multisque balearibus qui cōmeatus & subsidium ferentes cum septem nauibus paulo ante superuenerant, Dertosam versus proficiscitur, Alphonso tamen Aragoneo cum equitibus quingentis & duobus millibus peditum præmisso, qui Dertosanorum agros igne ferroque vastaret. Quod quum Dertosæ ciues rescissent, appropinquanti Regi festinato quadraginta legatos primos totius ciuitatis obuiam miserunt, quos cum eo ad hunc modum locutos accepimus. Nulla coacti necessitate, nullo timore compulsi, sed duntaxat ratione commoti, excellentissime Princeps, ad te venimus. Tuus exercitus nostros agros, prædia, vineas, hortos, segetes, arbores, præter hominum mores immanissime populantur. Nulla virtute, nullis precibus hominum vincuntur, nullo denique Dei timore cohibentur. O Rex quis furor hic? Quid sibi vult tanta crudelitas? Tu ne sæuitiam hanc ferre potes? Nimirum quidem recens de Ampostanis victoria tuos milites extulit, ideoque Dertosanorum pacem contemnunt, quam si deinceps iam nostris depopulatis agris, ne concessis quidem quas volebamus conditionibus, petant, minus assequentur. Inter Ampostam enim quotum oppidum & Dertosam magnam locupletemque ciuitatem plurimum interest. Quare si tuas Amposta vires tam diu detinuit, quænam tibi de victoria Dertosanorum spes habenda est? Contra nos igitur tui milites vires nostras experiri nolint, Siquidem fortuna cuius incerti sunt euentus, mutabilis variaque sæpius esse consueuit. Fama quoque magni ducis & victoris exercitus absens quidem magis quam præsens terribilis est, & nonnunquam deuicto qui timebatur, eius qui timebat gloria certe multo maior efficitur. Præterea qui pluries belli casus experiuntur, etsi sæpe victoriam consequuntur, eos tamen quandoque defessa fortuna destituit. Reuoca igitur ab agrorum nostrorum vastationibus milites tuos, neque vlterius ipse progredi velis. Bonum quippe consilium etiamsi detur ab hoste, negligendum non est. Agrorum nostrorum vastationes etsi nobis plurimum damni, tibi tamē

tuisque

tuisque militibus nihil vtilitatis afferunt. Nos autem cum reliquos qui à te defecerunt, populos tuo sub imperio constitutos esse nouerimus, tibi quidem libentissime seruiemus, obsequiumque fidelissime præstabimus, quod tuæ maiestati vel ex hoc die non solum pollicemur, sed etiam iureiurando confirmamus. Ex hoc sermone rex & timere Dertosanos, & animos improbos habere facile cognouit, ideoq; se meliorib. populis dignũ esse legatis respondit. Dertosani ciues an parere suo regi, an eius experiri iustitiã malint, statim eligant. Hoc responso accepto legati discesserunt. Qui cum regis voluntatem verbaq; ciuitati retulissent, ad eum postero die reuersi, Dertosæ ciues regi fidem & obsequium præstare quam paratissimos esse dixerunt, si prius tamen conditiones quas ferebant, obtinerent. Rex autem etsi dolosos illorum animos prauaque consilia moleste ferebat, suam tamen iram temperans quasi subridens, Haud, inquit, ego Dertosanorum rex essem, si iniustis eorum petitionibus & voluntati parerem. Scire se Dertosanos ea quæ virtute non fecerint, quam primum metu coactos esse facturos. Qui si forte suæ ciuitatis vel magnitudine vel munitione confiderent, quod expugnari non possent, propterea quod Amposta serius capta fuisset, eorum opinionem esse falsam. Nam quamuis illud oppidum vel natura vel arte munitissimum erat, captum tamen fuisse, etsi sero, non tamen munitionibus suis & propugnatorum viribus, sed exactæ potius hyemis intemperie, quæ nostros exercitus ab oppugnatione diutius abstinere coegit, & ex Idibus Nouembris ad Martias Nonas ex tentoriis egredi prohibuit. Cæterum mox imbrium cessante sæuitia oppidum nostrorum militum fortitudine biduo expugnatum fuisse. Hæc cum dixisset, legatis dimissis & Alphonso Aragoneo cum exercitu quem secum duxerat, ab agrorum vastatione reuocato, mox ordinibus instructis, & præmissis qui locum castris eligerent ciuitati propius accessit, & iuxta pontem castra posuit. Hic enim locus commodiorem præbebat oppugnandi facultatem. Nam reliquas Dertosæ partes gemini colles & amnis Iberus vndique cingebant, & in altero colle castellum fossa valloque valde munitum, quod (vt multorum fert opinio) Romani quondam duce Iulio Cæsare condidere. Ciuitatis mœnia vel loci natura, vel ædificiis egregie muniuntur. Pons erat ligneus, magnis trabibus & tabulis latioribus contextus, atque suppositis nauibus clauis ferreis confixus, qui pro tempore cum ipso flumine deficientibus aquis deprimitur, & crescentibus attollitur. In extremis autem partibus faciles aditus & egressus præbebat iter magnis lapidibus stratum, quod ab vtraque parte in fluminis ripas desinit, vbi geminæ turres amplaque ædificia consurgunt, quibus lignei pontis extrema nauesque coniunguntur, & annulis ferreis magnisque catenis connectuntur. Dertosani autem, quo vel facilius exercere tormenta, vel expeditius egredi reuertique possent in ciuitatem, suburbia & quæcunque domus extra muros ciuitatis erant, diruerant, soloque adæquauerant. Quæ res etiam regiis oppugnatoribus non parum expediebat. His enim collapsis ædificiis multo commodius in mœnia ciuitatis tormenta iaciebantur. Rex interim, vt tormentorum præfecti tutius oppugnarent, & minus ab hostium tormentis offendi possent, à fronte castrorum latitudine pedum viginti, & altitudine totidem vallum prima nocte confecit, foraminibus tamen relictis, vbi tormenta quibus oppugnanda ciuitas erat exponerentur, valloque recenti, quo propugnantium securius ictus exciperent, effossa terra magnos aggeres apposuit. Quibus instructis operibus mane ciuitatem maioribus tormentis acriter oppugnari iubet. Hostes è muris item propugnantes sua tormenta iaciebant. Ita tormentis vtrinque per dies quinque pugnatum est, quibus ex regiis equitibus Alphonsus Gastonius & nonnulli milites qui vallum transierant, pluresque ciuium percussi ceciderunt. Quo genere certaminis plures quidem crudeliter vtriusque partis occubuissent, nisi tam sæuis oppugnationibus initis cædibusque nefandis diuinitus obuiatum fuisset. Tempus enim sub idem Petrus Lusitanus quem sibi Regem Barcinonenses, quemadmodum supra demonstrauimus, elegerant, cum ex Granoli oppido quod viginti millia passuum distat à Barcinone, parato iam subsidio, Dertosam versus proficisci vellet, subito morbo correptus, breui nec sine magna multorũ admiratione diem suum clausit. Cuius auditus obitus cunctis hostibus, & præcipue Dertosanis magnæ quidem tristitiæ, magnique timoris, nec minoris dissensionis causa fuit. Qui vel illius morte consternati, vel subsidii spe destituti, vel acri militum regis oppugnatione qui crebris tormẽtorum ictibus validos ciuitatis muros iam prorumpere cœperant, pontique flammas iniecerant, perturbati supplices à Rege colloquium petierunt. Quo impetrato legati cum venissent, osculandam Regis dexteram veniamque nec sine multis lachrymis petentes, ei nomine totius ciuitatis obsequium simul & claues obtulerunt. Quibus benigne

ſuſceptis continuo Rex in ciuitatem Ioannem Aragoneum & Archiepiſcopum Tarraconenſem cum ducentis equitibus magnoque peditum numero præmiſit. Ipſe poſtero die cum reliquis ducibus & ingenti armatorum multitudine iam ciuibus attonitis ingreſſus eſt. Reconciliatis autem & obſequentibus Regi Dertoſanis Luſitanoque mortuo, magna inter Barcinonenſes diſſenſio magnumque certamen, quod in multitudine ſine duce viuenti plærumque accidit, ortum eſt. Luſitani enim peractis exequiis, Barcinonenſium alii nouum Regem eligere, alii libertatem aſſerere, nonnulli ad priſtinum Regem à quo temere defecerant, redire cupiebant. Tandē vincentibus improbis Rainerium quēdam, vel vt alii dicunt, Raenatum nomine, natione Gallum, tunc Maſſilienſium principē ſibi Regem optauerunt. Hic autem Rex electus & per legatos accitus, quam ſit omnium fere mortalium ad dominandum pronus animus oſtendit. Nam etſi iam ſenex & Aragoniæ Regis amicus erat filioque carebat, alieni tamen regni cupiditate commotus, Ioannē nepotem ſuum Andegauenſium Ducem cum copiis quas ex tēpore coegit, in Hiſpaniam cōfeſtim præmittere ſtatuit, exorato tamen prius Rege Gallorum quem ipſe conſanguinitatis gradu contingebat, vt illius voluntate per ſuos fines eius exercitus tuto trāſire poſſet. Dux itaque Ioannes per Galliam ducens exercitum, ac iuueniliter exultans, continuis itineribus paucis diebus in Hiſpaniam peruenit, & tranſactis montibus Pyrenæis apud Manreſam ciuitatem, quam ſupra demonſtrauimus, cum magnis Gothalanorum copiis ſe coniunxit. Quorum aduentu Barcinonenſes cæterique Gothalani coniurati, qui poſt Luſitani mortem Dertoſanorumque deditionem Regis Ioannis à quo imprudenter defecerant, iram iuſtitiamque pertimeſcebant, animoque dimiſſo iam cecidiſſe videbātur, elati magno gaudio ſeſe totius Hiſpaniæ citerioris principatu potiri poſſe ſperabant. Ideoque nouum ducem ſequentes, primum multis Ruſcinonenſis prouinciæ populis qui nondum à Rege defecerant, vt rebellarent, perſuaſerunt. Deinde copiis auctis ad oppugnandam Gerundam ciuitatem, quam frumento præſidioque carere plures affirmauerant, proficiſcuntur. Præerat tamen Gerundæ ciuitati Petrus Roccabertinus cum admodum paucis militibus, hos tamen & ciues omnes ille hortatus multiſq; tormentis vſus, ab hoſtium inuaſione ciuitatem eo vſque propugnādo defendit, donec miſſum à Rege ſubſidium ſuperuenit. Nam Dertoſæ Rex cum eſſet de Gallorum aduentu per nuncios certior factus, ad copias quas tūc ſecum habebat, alias ex Dertoſanis, alias etiam ex Tarraconenſibus adiunxerat, quibus Ferdinandum filium quamuis adhuc adoleſcentem præfecerat, & cum multis ducibus quibus maxime confidebat, magnoque exercitu contra venientes hoſtes Gerundam verſus proficiſci iuſſerat. Magnoque tamen tunc dolore concuſſus, propterea quod ob præteritæ hyemis intemperiem, quā nuper, vt ſupra viſum eſt, apud Ampoſtam pertulerat, luminibus captus, exercitus ipſe ducere tam neceſſario tempore non poterat. Ideoque omnibus ad ſe conuocatis ducibus, ingemens & pene lachrymis obortis flentique ſimilis, Graui cura, inquit, magnoque dolore conficior, amantiſſimi proceres, quoniam vos hoc acerbiſſimo tempore, quos chariſſimos habeo, quos alloquor videoque, cernere non poſſum. Nam cum paulo ante Gallis in noſtrum principatum temere venientibus occurrere ſtatuiſſem, me viſus tam neceſſario tempore defecit. Cæterum in ſumma ſolicitudine maximoque dolore quem nunc ego non de Gallorum aduentu, ſed de maximo noſtræ profectionis impedimēto capio, veſter in honorem meum cōſtantiſſimus amor, & perſpectiſſima fides quam multis in rebus magniſq; periculis expertus ſum, me quidem non mediocriter conſolantur. Non enim dubito, fortiſſimi proceres, vos vbicunque fueritis, imprimis & noſtri nominis & veſtri honoris rationē ſemper habituros. Scio præterea vos equites etiam me abſente veſtra virtute ſcientiaque militari magnas ſæpe de hoſtibus innumeris fortiſſimiſque victorias conſecutos. Hac itaque veſtræ virtutis fiducia fretus, acerbiſſimam deficientis viſus infœlicitatem æquo animo ferens, vos noſtris exercitibus præpono, vos omnibus bellis gerēdis deinceps legatos inſtituo, copiiſque nunc Gallorum qui ſe cum hoſtibus noſtris coniunxerunt, obuiam ire volo, ſpectatiſſimi proceres. Hac ego fiducia ſalutem meā & honorem omnem vobis, equites, credere non dubito. Hac denique Ferdinandum meum vnicum filium virtuti fideique veſtræ committo. Quem ego nuper hac lege, proceres, vniuerſis exercitibus pręfeci, vt vobis vbique me referens, nihil tamen in re militari ſibi ſuo ductu ſine conſilio veſtro faciendum putaret, quod aut ſibi ipſi, de quo procul abſente ac in bellorum diſcrimine verſante non potero non eſſe valde ſolicitus, aut vobis chariſſimi ſocii, quorum ego ſalutem & honorem non minoris quidem facio quam meum, aliquid vel dedecoris vel detrimenti poſſit afferre. Quod nunc quoque propter eius ætatem quæ capiendo magis conſilio quam dando eſt idonea, rurſum propalam vobis præſentibus cōfirmo. Te igitur Fer-

dinande

dinandi fili chariſſime moneo,& pro eo quanti facis gratiam & ſalutem vtriuſque parentis, obteſtor, vt libenter omnibus in rebus bellicis & militaribus officiis noſtrorum ducũ & omnium equitum fideliſſimis prudentiſſimiſque conſiliis obſequaris. Quorum virtutem & autoritatem ſi tanti feceris, quanti te facturum eſſe credo, non equidem dubito te cum illis vna magnam ad nos victoriam, deuictis & Gallis & Gothalanis, allaturum. Cæterum ego, generoſi proceres, interim quemadmodum filium meum militaribus in rebus & bello deinceps gerendo me abſente conſiliis & autoritatibus veſtris obſequi iubeo, ita quoque vos omnes hortor atque obſecro, non quod aut ita neceſſe ſit, aut veſtris ingeniis quibus nihil vnquã cognoui nobilius, diffidam, ſed quia me paternus amor quo nihil eſt ardentius, omnino cogit, vt eius ſalutis in primis rationẽ habeatis. Cui ſi quid mali, quod Deus prohibeat, eueniret, profecto videtis quantum ex eo doloris tam vos ipſi, quam nos miſeri parentes iure ſentire poſſemus. Dabitis igitur operam viri fortiſſimi, ne noſtris infœlicibus oculis miſereq; ſenectuti obſcuriores tenebræ maioreſq; calamitates accedãt. Quod etſi non potero abſens non timere, proceres, me tamen, vt paulo ante dixi, veſtra quidem virtus ac fides ſanctaq; iuſtitia quæ nos comitatur, non parum conſolari poterũt. Quæ nobis non dubiam profecto victoriæ ſpem de hoſtibus improbis & Gallis in prælio natura leuiſſimis pollicentur. Vos itaq; quorum militarẽ virtutem & ingentem fortitudinem ſæpe cognoui, fortiſſimi milites, hortari neceſſe non habeo. Ite igitur hilares viri præſtantes, & me vbicunq; fueritis, quamuis abſentẽ, ſemper tamen ante oculos habere credit ote. Ego enim etſi corpore vos ſubſequi non potero, animo tamen vobis ſemper adero, & auxilia cæteraſq; res quibus opus eſſe cognouero, quotidie ſubmittam. Cæterũ me rurſus paterna pietas, equites, cogit, vt vobis iterum Ferdinandũ principem cõmendem. Eius itaq; ſalutem vos obſecro rebus omnibus anteponatis. Hæc locuto duces & omnes qui aderãt milites, eius & dolorem & ſolicitudinem minuere magis quam augere volentes, etſi continere lachrymas vix poterant, gemitu tamen ſingultuq; compreſſo, nec non alacritate ſimulata, ſuum honorem & Ferdinandi Principis ſalutem quam maximæ curæ ſibi fore reſponderunt, eumq; ſupplices deprecabantur, ſuam vt ipſe ſalutẽ valetudinemque curaret, nec quicquam de bello gerendo cogitaret. Se namq; eo abſente multo diligentiores, quam ſi adeſſet, fore dicebant. Nec de futura victoria dubitaret, quod ipſe imperator & dux exercitus ire non poſſet. Nam & fideles ipſi contra hoſtes & in ſua patria aduerſus Gallos alienos fines ingreſſos armis aggreſſuri erant, & Ferdinando duce, qui etſi admodũ eſſet adoleſcens, ſatis tamen eius induſtriam & militarem virtutẽ Calafetano prælio cognouerant. Hæc cum dixiſſent, Princeps Ferdinandus dexteram regis oſculatus, in caſtra quæ poſt mœnia ciuitatis erant, ſe contulit. Idem duces & equites omnes fecere. Poſtero autem die rebus ad proficiſcendũ comparatis, & exercitibus inſtructis, Gerundam verſus magnis itineribus contendunt. Tum vero regina cuius animus ingenti cura magnaq; ſolicitudine, fluctuabat, diu quidem anceps, Principem ne ſequeretur, an cum rege maneret (nam hinc amore coniugali & orbitate regis, inde materno agitabatur affectu) tandem materna pietate coacta atq; ſuadente rege, paucis equitibus comitata, die ſequenti Principem conſecuta eſt. Cuius aduentus non paruam quidem omnibus lætitiam attulit. Magno enim in re militari & in inſtruenda acie conſilio pollebat. Interim autem qui Gerundæ præerant, de principis aduentu cũ exercitu certiores fiunt, & alacriore animo propugnantes duos de Gallorum ducibus occidunt, quorũ alteri Demetus, alteri Andreas Vallis erat nomen. Ideoq; aduentante Principis exercitu, Gothalani aliiq; Gallorum duces à ciuitatis obſidione diſceſſerunt, & Dematum, quod oppidum diſtat à Gerunda paſſuum millia viginti, celeriter ſe receperunt. Hic Ioannes Andegauenſium Dux copiis relictis, ſolus fere per inuia deſertaq; loca Barcinonam venit, & Barcinonenſes allocutus, vt ſibi milites & auxilia in ſuppetias mitterent, ad exercitum Dematum clam reuerſus eſt. Ferdinandus autem princeps interea Gerundam ingreſſus, cum ciuibus atque aliis qui ciuitatem propugnando defenderant, gratias egiſſet, poſtero die relicta regina, quæ eum poſtea cum Gerundenſibus quibus tum longa propugnatione continuaq; vigilia defeſſis aliquos dies quieſcendum erat, ſubſequeretur, cum ſuis copiis à ciuitate diſcedens, totius oræ maritimæ quam Ampuriam vocant, multa oppida multaque caſtella expugnauit, multa quoq; ſine oppugnatione in obſequium redegit. Sub idem tempus Ludouicus Galliæ rex, fœdere quod cum Ioanne Aragonum rege paucos ante menſes inierat, abrupto, magnum equitum peditumque numerum quibus Armaniacenſem Comitẽ præfecerat, Ioanni Andegauenſium Duci & Gothalanis qui cum eo erant, ſubſidium miſit. Armaniacenſium Comes cum veniſſet, Ducis Ioannis conſilium & autoritatem

ſecutus,poſt oppidi Demati muros caſtra poſuit. Princeps autem Ferdinandus omnibus quæ inter Gerundam & Dematum erant, captis oppidis, pugnandi cupiditate nimis accenſus, cum magno equitatu & inſtructis ordinibus ad hoſtium caſtra propius acceſſit. Quos cum conſpexiſſent hoſtes qui iuſſu Ducis in armis erant, ſigno dato acriter alii à fronte,alii à lateribus inuaſerunt. Erant autem Galli cum Gothalanis numero plures. Primo tamen congreſſu æquo Marte pugnatum eſt,& vtriuſq; partis multi conciderũt. Diutius vero durante prælio Ferdinandi Principis equites hoſtium numeroſa multitudine preſſi,cum ſuorum multos occiſos, & nonnullos captos vidiſſent, ipſiq; multo pauciores ingenti multitudine reſiſtere non poſſent, ac de Ferdinandi ſalute valde ſoliciti, fugæ ſeſe dederunt. Quos ne victores quidem hoſtes ad extremum iam defatigati perſequebantur. Cæterum profligato Principis exercitu cunctiſque diffugientibus, etſi defatigati omnes anhelare videbantur, Dux tamen Ioannes qui Gallis & Gothalanis præerat, Scitote,inquit,proceres, nihil hanc victoriam gaudii, nihil laudis nobis allaturam, niſi Ferdinandum Principem capiamus. Cuius vocem animique deſiderium cum audiſſent equites eius leuis armaturæ, celeriter omnes in Ferdinandum oculis animiſque ferebantur, quem defeſſo iam equo fugientem Dux ipſe cum aliis permultis quorum equi velociores erant, conſequebantur. Hoc cum Rhodoricus Rebolletus, qui de Ferdinandi principis vita valde ſolicitus erat, quem cuſtos eius ſalutis à tergo ſequebatur, animaduertiſſet, inter currendum nonnullos equites hortatus, vt fugientem Principem comitarentur & diligenter cuſtodirent, reliquos in hoſtes conuertens, Hodie, inquit,equites nos omnes honeſte pro virtute mori ſatius eſt,quam pati Principem noſtrũ Ferdinandum quem rex,vt ſcitis, tam pie nobis commendauit, in hoſtium poteſtatem venire. Hodie cuiuſque noſtrum fides & amor erga noſtros Principes agnoſcetur. Cuius ſermo tantum roboris omnium mentibus iniecit,vt quamuis perpauci eſſent,vſque adeo tamen omnium hoſtium impetum ſuſtinuere, donec Princeps ad tutum locum perueniens omne iam periculum euaſerat,& ad reginam quæ tunc ex Gerunda cum ſubſidio valde ſolicita venerat,ſe recepit. Demum defeſſus equis, & ſuperuenientium hoſtium creſcente numero,cum magnæ multitudinis viribus vltra reſiſtere non poſſent, rurſus terga vertẽtes omnes incolumes quaſi diuinitus euaſerunt,præter vnum RhodoricumRebolletum, qui hoſtium multitudine circumuentus,& ipſe non interfectus tamen,ſed quod magnopere mirandum fuit, illæſus ac ſine vllo vulnere captus eſt, quem Dux Ioannes alioſq; captiuos ad ſua caſtra primum adduxit, deinde comitatos multis equitibus ſuis cuſtodiendos Barcinonam miſit. Cuius captiuitas non modo regis & Principis animos vehementer perturbauit, ſed etiam omnes proceres totumque exercitum magno dolore concuſſit. Erat enim non ſolum animo fortis,& genere nobilis,ſed multis quoque virtutibus clarus,& in rei militaris ſcientia dandoque conſilio magnus. Cæterum Ferdinandus Rebolletus eius nepos ex ſorore,cui chariſſimus erat, nunquam poſt auunculi captiuitatẽ quieuit,donec poſt multas repulſas & plurimis hoſtibus inuitis qui talem virum nullo precio liberandum eſſe cenſebant,eum tandem à Duce Ioanne decem millibus aureorum,quos florenos Aragoneos vocant,redemit. Cæterum hoc prælio plurimi quidem proceres tam de victoribus,quam de victis deſiderati fuere. Nam Ferdinandi Principis equites etſi numero pauciores,pugnandi tamen vſu peritiores erant, ideoque primo concurſu non tam viribus, quam rei militaris ſcientia & pugnandi exercitatione plures hoſtium, cum prius eorum equos vulneraſſent, occiderunt.

LVCII MARINEI SICVLI DE REBVS HISPANIÆ

LIBER XVII.

De eodem bello.


Ex autem cum primum de profligati Principis periculo certior fieret,quamuis oculorum cæcitate impediebatur, ingenii tamen acie omnia vidẽs, ex Dertoſa ſtatim paruo nauigio per Iberum amnem celeriter in mare delatus eſt. Hinc magna claſſe quam paratã habebat, cum magno militum numero nauigans ad Ferdinandum in Ampuriam peruenit, cui apud Boraciam, quod eſt Ampuriæ oppidũ, in littore expoſito viſus in lumina quaſi diuinitus redierũt. Quæ res quantum ſibi

tum sibi suisque omnibus lætitiæ, tantum quidem doloris atque tristitiæ cunctis hostibus attulit. Coniunctis igitur vtriusque copiis & exercitibus auctis, in hostes villam Dematū versus proficiscuntur. Hos cum aduentare Ioannes Gallorum & Gothalanorum Dux intellexisset, quoniam prælio quod nuper prospere gesserat, Ferdinandi equitum maximā virtutem & pugnandi scientiam cognouerat, maioris exercitus vires & regis autoritatem pertimuit. Erat præterea de oppidanorum voluntatibus anceps, qui, vt solet vulgus, victoribus & his quorum fortuna melior est, semper adhærent. Hinc itaq; castra mouens oppidoque Demato relicto, Perpignanum, quod erat oppidum maximum, & à Gallis præcipue cultum, suas copias adduxit. Quem Perpignanenses qui (vt supra diximus) omnes fere Galli erant, libenti animo magnaque lætitia exceperunt. Hic igitur velut in tutissimo loco relictis copiis, ipse paucis comitatus equitibus, vt suum augeret exercitum, in Galliā profectus est, & cum à Ludouico Gallorum rege hominum millia decem & magnam pecuniam impetrasset, Perpignanum rediit, vbi copiæ quas reliquerat, hybernabant. Cæterum rex interim oppida & castella quæ in ea erant prouincia, omnia ceperat, & apud Figueriam, quod oppidum distat à Perpignano passuum millia circiter viginti, castra posuit, & ex militibus alios in castris, alios in oppido manere iussit. Ipse vero modo oppidū, modo castra repetebat. Hic enim locus visus erat idoneus, vbi commode tutoq; contineret exercitus, dum hyemis tempus quod prælio gerendo repugnabat, præteriret. Idem quoque consiliū fuit hostibus qui Perpignani commorabantur, vt ibi per duos menses Martium & Aprilem, donec pabuli copia fieret, sese continerent. Kalendis igitur Maiis Ioannes Gallorum Dux cum omnibus copiis egressus ex oppido Figueriam versus proficiscitur, & cum bidui viam pedetentim cum instructa acie processisset, tertio die locum castris idoneum elegit, & à regis castris millia fere septē sua castra locauit. Hoc cum animaduertisset rex, Figueriæ præsidio relicto reliquas omnes copias eduxit, & continuo castra mouens ordines instruxit, & oppidum nomine Peraltum, quod aberat à Figueria circiter quinq; millia passuum, oppugnatum proficiscitur. Hic positis castris & dispositis tormentis multis ex partibus oppugnari oppidum iussit. Ad quod oppidum hostes post triduum, oppido nondum expugnato, noctu magno silentio, regis excubiis ob nimiam vigiliam somno deuictis, propius accesserunt, & paulo ante solis exortum ex improuiso magno impetu castra regis inuadentes, cum paucis admodum regis equitibus qui tunc in armis erant, acriter pugnare cœperunt. Reliqui nanq; regis equites quibus ad armandum se tempus defuit, inermes equos ascendentes sese fugæ dederunt. Item rex admisso equo celeriter Figueriam rediens summum periculum euasit. Ex his autem qui armis tecti fortiter hostium impetum exceperant, nonnullis occisis, reliqui cum resistere hostium viribus & multitudini non possent, terga fugæ verterūt. Omnibus diffugientibus, pauci duntaxat qui tormentis & armis præerant, subito nonnullis commutatis versisq; contra castra tormentis, ab ingenti hostium multitudine regis castra cæteraq; omnia defenderunt. Hostes itaque cum propter tormenta neq; oppidum ingredi, neq; regis castris potiri possent, defessi tandem ad sua castra pedes retulerunt. Hoc tamen prælio ex Gallis & Gothalanis perpauci, de regis vero equitibus plures ceciderunt, in quibus Scipio Patella Siculus desideratus est, qui fugientibus cæteris vndiq; circumuentus, ab hostibus, acriter pugnans multis demum confossus vulneribus occubuit. In quo tamen prælio & iniqua fortuna magnoque discrimine multi duces regis & equites inuictos animos & magnas sui corporis vires fortissime pugnantes ostentarunt, ex quibus fuit vnus ex fortioribus Ioannes Gamboa natione Guipuscanus, cuius in alio loco mentionem fecimus, qui solus impetum magnæ multitudinis hostium sustinuit, quorum strenuissime pugnans tres equites occidit, & alios multos vulneribus affecit, & amisso equo in suo corpore decem vulneribus acceptis, pedibus euasit. Et præter occisos ex regis equitibus plures etiam capti fuere. Postero autem die rex illuc cum omnibus copiis confestim rediit, & oppidum, oppugnatione non cessante, breuiter ad obsequium adduxit. Quod cum primum ingressus esset, hostibus si congredi vellent, pugnandi tempus denunciari iussit. Ioannes autē Gallorum Dux nihil respondens, die sequenti præter multorum opinionē castra mouit, & cum omnibus copiis Barcinonam versus proficiscens, ex itinere Gerundam quæ præsidio destituta erat, inuasit. Cui breuiter paruoque labore captæ Ioannem Sarrieram præficiens, ipse cum exercitu Barcinonam peruenit. Hic paucis commoratus diebus, dum auxilia contraheret, magna continuaque febre correptus, nono die valetudinis à vita discessit. Cæterum rex interea ex Peralto oppido digressus, Castillonenses multaque propinqua oppida atque castella ad deditionem compulerat. Hinc Figueriam reuersus Pratarum Comitem cum exercitu Perpignanum misit. Cuius exercitus fama perterriti Galli, cæte-

rique milites aliarum nationum qui sub Duce Ioanne meruerant, desertis quibus præpositi fuerant stationibus, per Pyrenæos montes domum suam reuertebantur. Quæ res non parui quidem timoris causa fuit cunctis hostibus. Ideoque plures eorum principes ad regem vltro venientes, ei se suaque omnia oppida obtulerunt. Tunc etiam Ioannes Sarriera, Margaritus Petrus, Ioannes Ferrerius Gerundensis Episcopus, & omnes Almẽdaretes cum aliis multis equitibus, præteriti temporis impunitatem assecuti, Gerundam ciuitatẽ totumque Capreræ Vicecomitatum Regis imperio subiecerunt. His demum reconciliatis populis & equitibus Rex cum suis copiis Montem Serratum versus proficiscens, ad lęuam Barcinone relicta, Martoreliam venit, quod oppidũ distat à Barcinona passuum millia decem & octo. Hoc atque aliis omnibus captis oppidis quæ inter Barcinonam & Mõtem Serratum erãt, Rex Alphonsum Aragoneum & Pratarum Comitem cum magno equitatu & peditum millibus quinque contra Barcinonenses misit. Ipse vero cum reliquis copiis in Ampuriam reuersus, infra paucos dies Sanfeliẽses, Palamosenses, Vergenses, cũ aliis omnibus eius prouinciæ populis, veniam petentes sine vlla cõditione perbenigne recepit. Sub idem tempus Gastonius Regis gener, & Foxanus Comes magno cum exercitu in Nauarram, cuius possessionẽ post obitum Caroli Vianæ principis ad se iure hæreditario pertinere dicebat, ingressus, cum Lusetanorum factionibus adiutus magnam totius regni partem cepisset, Tutelam ciuitatem quæ sub imperio Regis erat, obsidione premebat. Quod vbi Rex intellexit, cum omnibus copiis quas tum paratas habebat, in Nauarrã, vt maturius obsessis Tutelæ ciuibus subueniret, celeriter contendit. Cuius aduentus cum Nauarræ populis nunciaretur, plures Lusetanæ factionis equites Comitem monere hortarique cœperunt, vt à Tutelæ ciuitatis oppugnatione desisteret, propterea quod si cũ exercitu quem ducebat Rex Aragonum, in Nauarram semel ingrederetur, nõ dubium quidem esse dicebant, quin facile subitoque regno potiretur. Quod etiam neq; sine magnis cladibus, neq; sine Comitis maximo dedecore ac periculo fieri posset. Nam & secum magnas copias ducere Regem Aragonum, & ei prętereа in Nauarra factionem Agramontanorum, quæ magna totius regni pars erat, nõ defuturam scire se dicebant. Nos autem etsi tibi expeditionem istam dissuademus, te tamen de nostra in te fide dubitare nolumus, quippe qui te quacunq; fortuna sequi quam paratissimi sumus. Verum neque fortis ducis neq; prudẽtis esse ducimus, vbi nulla victoriæ spes est, fortunæ casus experiri velle. Quod si Rex Aragonum regnum Nauarræ suis liberis relinquere vellet, tũ vero Comiti pro suo regno mori satius esse, quam regno cũ honore simul amisso perpetuo mœrore vitam ducere. Sed Regis hanc esse constantissimam voluntatem, vt post eius obitũ statim Nauarrę regnum tibi restituatur. Regem præterea iam octogenarium esse atque mortalem. Melius igitur ac sine periculo morã perbreuis temporis ferre, quam paucorum dierum impatientia & importuna regnandi cupiditate regnum quod partum esset, amittere. Illorũ itaq; Comes verbis & rationibus adductus exercitum ab oppugnatione reuocauit, & suo totiusque regni nomine legatos ad Regem misit, qui cum eo pepigerũt, vt ex arbitrio suo dum viueret, Nauarræ regno, quemadmodum Regina Blanca priusquam a vita discederet, instituerat, vteretur: moriens autem Foxæ Comiti liberam eiusdem regni possessionẽ relinqueret. Hac igitur re perfecta & legatis honorifice dimissis, Rex ab itinere rediens, Tarraconem, quo Regina Ioanna coniux & Ferdinandus filius paucis ante diebus venerant, profectus est. Hic per dies commoratus circiter octo, cum Barcinonam versus præmissas cohortes subsequi vellet, Regina subita grauiq; febre correpta eius profectionẽ distulit. Cuius spiritus multis & magnis confectus curis, continuaque ægrotatione laborãs, infra paucos dies afflictum corpus assiduis laboribus & supra mulieris naturam defatigatum destituit. Cuius inopinatus decessus, incredibile dictu est, quanto dolore non Regẽ solum & Ferdinandum filium, sed etiam Tarraconenses omnes ciues & exercitum totũ consternauerit. Obiit nõ minori fortitudine atque prudentia, quam vixerat. Nam cũ valetudine biduo fatigata decubuisset, die tertio & se morituram cognouit, & mortem animose sanctequе subiuit. Die siquidem suæ valetudinis quarto cum accito sacerdoti Christi vicario diligenter exactæ vitæ rationem retulisset, omnia primum Christianæ religionis & ecclesiæ sacra mysteria quam deuotissime petita recepit. Deinde vocatis simul cum Rege nonnullis magnatibus & Archiepiscopo Tarraconensi testamentum prudentissime condidit. Postero die consalutata reuerenter à pluribus intromissis equitibus, ab vtroque latere duabus innixa matronis paululum caput extulit, & omnes qui aderant circumspiciens tenui voce & iam prope languenti, Quantum charissimi proceres, inquit, Rex & ego vobis pro vestra singulari virtute & erga nos probatissima fide deberemus, nõ immemores quidem laborum vestrorum si quando noster animus à magnis curis & assi-

duis

duis cogitationibus quiescebat, inuicem loquebamur. Siquidem vos quam dignissimos esse iam diu cognouimus, quibus iure quodam præmioque virtutis plurimum debemus, & id ipsum, si grati esse volumus, ingenue profitemur. Nam quod tot immanes coniuratos oppressimus, quod hostes externos deuicimus, quod non amisimus principatũ, quod honorẽ & regiæ dignitatis decus retinemus, quod deniq; sumus incolumes vobis prorsus acceptum referimus fidelissimi proceres. Sed quoniam his miseris temporibus hactenus officio vestro satisfacere nostræ facultatis non fuit, vobis, vt scitis, equites quod potuimus, quotidie gratias agebamus, re satisfacturi cum quietiore vita & fœliciori status conditione frueremur, tametsi meritis vestris dignum referri nihil vnquam poterit. Nũc autem quia mihi vitæ mortalis cuius apud dominum rationem sum redditura, dies vltimus adest, & Rex meum erga vos officium vicemque suscepit, si minus officio virtutiq; vestræ satisfiet, à præsentibus vobis & absentibus vniuersis, quibus me multũ debere cognosco, rerum omnium veniam & debitorum remissionẽ peto, & quoniam vos vel meritis vestris, vel nostra commendatione Regi vestro Ioanni & Ferdinãdo Principi quam charissimos fore minime dubito, nobilissimi proceres, ipsum Regem senem & Ferdinandum filium adolescentem supremo nunc spiritu laborantis animæ vobis in perpetuũ cõmendo. Hæc locuta statim caput & languentia membra reiecit. Tum vero per omnium ora manantibus lachrymis, ne Rex quidem oculis temperare potuit. Cæterum compresso tandem gemitu, Tarraconensis Præsul lecti spondam cui Rex adhærebat, propius accedens, Deus, inquit, te Regina Christianissima largitor omnium bonorum in pristinam valetudinem restituet. Deus enim multorum hominum precibus, & populorum tuorũ supplicationibus orationibusque commotus te Regi, te Ferdinando Principi, te nobis ipsis reddet incolumen. Siquidem magna est misericordia eius, qui iustas hominum voces & orationes exaudit. Omnes tui populi, omnes innocentes pueri, omnes puellæ virgines ad Deum pro salute regiæ tuæ maiestatis continuas preces effundunt. Cura igitur vt valeas, & omnes cogitationes istas quę non infirmis modo, sed etiã bene valentib. maxime nocere solẽt, depone. Nam & tu quidem Regina nihil nobis, & nos omnia tuę maiestati debemus. Omnes enim principes de suis militibus & populis satis bene merẽtur, cumulateq; satisfaciunt, quibus & bene consulunt, & sua defendunt, & iniuriam fieri nõ sinunt. Quod officium à regia tua maiestate nemo certe vnquam desiderauit. Nos vero & pro Deo, si necesse fuerit, & pro Principib. nostris & pro nobis ipsis moriemur. Quare si nobis idem nunc est animus excellentissima Regina, qui semper fuit, non equidem dubitare debes maximæ nobis curæ semper fore Regem & Ferdinandum Principẽ nostrum. Quibus & nobis omnibus nihil optatius, nihil gratius hoc tempore pręstare potes, quam si omnibus reiectis curis tuæ valetudini consulueris. Tunc oculis vultuque quasi reuiuiscentis, & gratum sibi Præsulis fuisse sermonem præ se tulit, & reliquis equitibus quæ Præsul pollicitus esset, se facturos affirmantibus, gratias egit, & omnibus dimissis equitibus Regem retinuit, quicum etiam cubiculariis mulieribus amotis, multa inuicem contulerunt. Cæterum paulo post à medicis qui cum equitibus discesserant, reuersis, si melius valeret interrogata, certe respondit, adest vitæ meæ finis. Nam & grauiori nũc totius corporis dolore conficior, & perustũ omnia palatũ fastidit. Ea enim quæ gustui grata esse solebant, nihil pręter amaritudinem sapiunt. Quare saluti potius animę multo quidem melius quam corporis consulere possumus. Magna omnes, & præcipue Regem, tristitia, cum hoc dixisset, affecit, qui de salute eius iam desperantes continere gemitum vix poterant. At illam quidem nõ minor animi dolor, quam valetudo corporis angebat. Eius enim corpus grauis infirmitas, spiritum vero continua cogitatio defatigabat. Siquidem bellis quæ contra hostes gerebantur, nondum confectis, & Regiam seni, & Ferdinando filio adolescenti maxime timebat, filio præsertim cuius tunc absentis incredibili desiderio tenebatur. Ille nanque paucis ante diebus in Castellam profectus erat, vt cum Isabella Ioannis Castellæ Regis filia connubium quod per legatos pactum fuerat, celebraret: tametsi mihi quidam eques illius temporis dixit, Ferdinãdum tempore quo Regina mater eius è vita migrauit, non in Castella fuisse, sed Cęsaraugustæ, quẽ videre Regina priusquam discederet à vita, maiorem in modum desiderabat. Ferdinandum siquidem siue cum Rege, siue cum alio loquebatur, tertio quoque verbo nominabat. Hac igitur animi solicitudine corpus quod longo dolore magnaque febre grauiter ęgrotabat, magis in horas debilitabatur. Ea tamen etsi nõ minus anxietate animi, quam corporis dolore se cõfici sentiebat, à se tamẽ curas & cogitationes auertere nullo modo poterat. Cæterũ cum laborare animam sensisset, vt à defessi iam corporis vinculis solueretur, vocatis quibus in sacris rebus & diuinis officiis vti consueuerat sacerdotibus, lenta voce & imperfecta, O-

rate patres, inquit, generis humani redemptorem pro animæ nostræ salute. Hæc dicentem & Christi crucifixi simulachrum amplexam spiritus defecit. Et statim solutis quæ iá diu compressæ fuerant, vocibus, lamentis, ac planctibus tota domus personabat. Omnes enim cuiusque ætatis ac sexus homines ita voces lachrymasque fundebant, vt inter se quandam mœroris contentionem edere viderentur. Mox vt voces comprimerẽt, à Rege cõmoniti, dum matronæ puellæque tristi silentio mutos questus animo voluunt, pueri nobiles quos illa tanquam filios educauerat, doloris magnitudine grauiq; vulnere percussi, neque gemitus quos emittere semel cœperant, supprimere, neque se plorantes propter iussum Regis intra domum regiam continere potuerunt: sed foras egressi maiores questus, & quales tunc illis recens dolor suggerebat, fundentes, totam ciuitatem magno mœrore tristique luctu complerunt. Tum & omnium Tarraconẽsium fletus, & militum qui extra muros ciuitatis erant in castris, miserabiles questus exaudiebantur, quorum alii prouidam matrem, alii prudentem fœminam, mitem alii dominam, alii fortem Reginam viraginemque vocabant. Denique moriens incredibili sui desiderio cunctos affecit, & præcipue Regem, qui non amantissimam solum coniugem, sed etiam fidissimam comitem, & præstantissimam bellorum sociam, laborumque patientissimã perdidit. Cuius obitum etsi moderate ferre, quia prudens erat, omnibus videbatur, incredibilem tamen eius animus, & multo quidem maiorem, quam vultu prę se ferebat, dolorem sentiebat. Nam cum laborantem animam proximæque mortis certa signa vidisset, summoque dolori par esse resistereque non posset, multis perfusus lachrymis oculos auertẽs, in aliud quod proximum erat cubiculum secessit, animo consternatus. Huc ingrediens ianitori cubicularioque præcepit, ne quis ingrederetur cubiculum, nisi præmonitus, ne eum cõsolari conaretur. Tum vestes quibus indutus erat, exutus, lugubres accepit, & obuoluto capite diu lachrymis indulsit: à quibus tamen, vt facilius multorum nobilium qui ad eum veniebant, tristes animos & iustum dolorem leniret, abstinuit, atque multis gementibus qui recenti resistere dolori nullo modo poterant, si Reginam Ioannam quam amisimus, inquit, proceres, lachrymis à morte redimere possemus, non equidem dubito quin eam mihi restituerent oculi vestri. Sed quoniam lachrymæ nec illi mortuæ, nec vobis proficiunt, cauendum quidem nobis est, ne dum lachrymas inanes fundimus, diuinæ voluntati naturæq; repugnare videamur. Hæc locutus omnium singultus compressit & gemitus, Præsuliq; Tarraconensi qui sibi aderat, curam funeris & ordinem commẽdauit. Postero die & in omnibus ciuitatis ecclesiis & in regia domo peractis exequiis, corpus aromatibus & opobalsamo Regum more perunctũ, plures & Tarraconenses, & domus regiæ sacerdotes cũ multis equitibus & Tarraconis antistite duce Populetum detulerunt, quoniam sic testamento statutũ fuerat. Est enim Populetũ templum maximæ venerationis, diuoque Bernardo dicatum, quod à Barcinona passuum millia quinquaginta abest, à Tarracone vero distat quatuor & viginti, in quo multorũ Aragonię Regum monumenta sepulchraque marmorea cernuntur. His autem qui sepeliendum cadauer deferebant, abeuntibus, Rex alios duces ac milites omnes commonuit, vt in tertium diem profectionem pararent. Biduo igitur absumpto cum omnibus copiis quæ Tarraconæ tunc erant, Barcinonem versus proficiscens ad Alphonsum Aragoneum & Pratarum Comitẽ, quos, vt supra demonstrauimus, cum exercitu contra Barcinonenses miserat, die tertio peruenit. Sed nunc ordo rerum à longa digressione me reuocat. Ad Alphonsum igitur Aragoneum & Pratarum Comitem redeo. Ab his enim calamus sermoque diuertit. Qui ex oppido Sancugato, quod abest à Barcinone fere decem millia passuum, aduersus Barcinonenses à Rege missi, cis flumen Beson quod est prope ciuitatem, castra posuerunt. Hinc primum magnis & crebris incursionibus ad portas vsque ciuitatis omnes agros igni ferroque quotidie depopulabantur. Deinde castellum quod in altiori loco supra fluminis ripam propugnatoribus & ædificio valde munitum erat, acriter oppugnare cœperunt. Quod cum Iacobus Galeotus qui ciuitatis & exercitus præfectus erat, animaduertisset, ne deses in magno ciuitatis & obsessorum discrimine videretur, magno cum equitatu & peditũ quatuor millibus, vt obsessis in castello maturius subueniret, egreditur. Et instructa acie, cohortibus electis quibus initiũ committendi prælii cõmiserat, Dionysiũ Portugalliæ præfecit: alariis vero Menautus & Gratianus Aguerrius præerant: ipse vero Galeotus duces & milites omnes hortatus regiis equitibus, si præliũ cõmittere vellent, signũ dedit. Alphonsus autem Aragoneus interea relictis qui castellum oppugnabant, cum reliquis omnibus copiis flumen traiecerat, & instructis ordinibus Giliũ Erediam, Ioãnem Pratarum, Martinum Lanucium, & Ioannem Dembum præposuerat. Hos paucis verbis hortatus, & in hostes impetũ facere volẽtes continuit, donec propius accederent, vt pro-

culà

cul à muris ciuitatis prælium committerent. In eos ergo propius accedentes, magno tubarum & tympanorum concẽtu ſigno dato, duces & omnes equites Alphonſum Aragoneum ſecuti magnum impetum fecerunt. Quibus hoſtes cum turbati primo prælio reſiſtere non poſſent, in ciuitatem celeri fuga ſeſe recipere cœperunt. Qui cum portis ciuitatis ingredi ſimul nequirent, eorum à regiis equitibus occiſi quingenti, capta vero tria millia fuere, & in his Galeotus & Dionyſius Portugalliæ non ſolum capti, ſed etiam grauiter vulnerati. Nonnulli autem qui præuiderant ingreſſus difficultatem, nõ ad ciuitatem, ſed ad proximos montes & ſiluas fugientes periculum mortis euaſerũt. Multi victores in ciuitatem fugientes hoſtes inſecuti, per portam quam Nouam Barcinonenſes vocant, in ciuitatem ingreſſi cum ciues nonnullos occidiſſent, mox tamen ſaxis quæ de feneſtris præcipitata cadebant, periculo cedere regredique coacti fuere. Ex quibus graue vulnus accepit Artalis Cardona Guliſani Comes. His egreſſis & ciuitatis portis concluſis, Alphonſus Aragoneus receptui canere iuſſit, & exercitus omnes incolumes in caſtra reduxit. Hoc prælio quanquam tanto vulnere percuſſa & iam conſternata ciuitas lugebat, templa omnia, quo mulieres cum pueris & puellis confugerant, lamentis & miſerandis vocibus perſonabant, omnes totius principatus coniurati metu perterriti, ſeſe Regiæ clemẽtiæ dederant: Barcinonenſium tamen animi non minus quam antea fuerant, pertinaces erant. Alphonſus autem Aragoneus ingenti potitus victoria ſuperuenientem Regem etſi propter obitum Reginę inteſtino recentique dolore conſternatum, productis tamen triumphantis more captiuis, non parua lætitia, & quã ille diſſimulare vix poterat, affecit. Hæc enim victoria, multis hoſtium captis principibus, & totius ciuitatis deditionem, & omnium laborum finem polliceri videbatur. Hinc igitur Rex ad locum ciuitati proximum cõiunctas omnes copias adduxit, & capto ſuburbio quod Petralba tum dicebatur, ibi caſtra poſuit, expugnatiſque omnibus quæ ciuitati aderant, caſtellis & turribus, vndiq; terra marique ciuitatis muros maioribus minoribuſq; tormẽtis oppugnari iuſſit. Nam præter campeſtres exercitus, erant etiam in mari triremes viginti, ſedecimque naues onerariæ, quibus Bernardus Villamarinus aliique duces non ignobiles cum magno pugnatorum numero præerant. Ciues itaque tum longa fame, tum acri cõtinuaque oppugnatione compulſi atque omni victoriæ ſubſidiique ſpe deſtituti, per triduum impetratis induciis legatos ad Regem primos ciuitatis de deditione miſerunt. Quorum vnum cui Ludouicus Sectantinus erat nomen, à Florentia Tuſciæ prouinciæ ciuitate oriundus, in hunc modum Regem allocutum fuiſſe ferunt. Quemadmodum, clementiſſime Rex, liberalis magnanimique virtus illuſtrior eſt, multoque tunc excellentior habetur, quũ is qui præter opinionem meritaque ſua munus aliquod magnum recipit, & omni beneficii ſpe deſtitutus, & extrema rei neceſſariæ coactus egeſtate, miſeram animam inopemque vitam ducebat: ſic & omnis clementia maioris eſt gloriæ, quum crimen eius cui remittitur eſt grauius, nullamq; veniam meretur. Ingrati Barcinonæ ciues omni quidem vel humano vel diuino ſupplicio digni ſunt, niſi forte quod eos ſui conatus factique maxime pœnitet, tuam nunc clementiam Deique miſericordiam mereantur. Angeli quorum natura, noſtra, id eſt humana, multo præſtantior eſt, ingratitudinis crimen & elationis in Deum creatorem ſuum cuius fieri ſimiles affectabant, iniquiſſime commiſerunt: qui tamen de cœlo nunquam cecidiſſent (tanta quippe eſt clementia Dei) ſi quum deliquerunt, non ipſi ſibi defuiſſent, ſuamque culpam pœnitentia ducti cognouiſſent. Fortuna ſemper inconſtans, nobis inuidens, vel noſtra potius imprudentia & humanitatis infirmitas opes noſtras omnes maximis laboribus terra mariq; partas euertit, honores in contumelias & opprobrium, libertatem in ſeruitutem mutauit, nobis denique ſenſus omnes eripuit, nihilque præter miſeras animas reliquit. De quibus ſi ſupplicium, quamuis iuſtiſſimum, ſumpſeris, cum præſertim tuæ ſolitæ clementiæ nos tradere nõ dubitemus, magnum quidem pietatis & humanitatis nomen quo nihil laudabilius eſt in Principibus, à te profecto longe recedet: ſi vero Barcinonæ ciuibus qui mortem merentur, vitam pietate conceſſeris, quod & ſine vlla reprehenſione & tua magna cum laude facere potes, ſanctiſſimum quidem clementiæ tuæ nomen & immortalem gloriã conſequeris, tuaſq; virtutes omnis admirata poſteritas tibi ſanctoq; tuo & vere regio nomini benedicent. Sed ego dũ pro Barcinonenſibus oro, mitiſſime Rex, & oratoris officio fungor, non ignoro tamen quã vel iniuſte vel impudenter faciam, qui eorum ſalutem peto, qui non clementię quidem tua ſed animaduerſione & quouis genere mortis digni ſunt, qui diuinam & regiam tuã maieſtatẽ grauiter & indigne læſerunt. Nõ igitur vitam qua ſumus indigni, ſperare, nõ veniam quã non meremur, petere, non tanti criminis impunitatem deprecari, ſed dignũ noſtra culpa iudicium, meritaſq; pœnas depoſcere debemus. Quare ne noſtræ preces iniuſtæ tuas au-

res magis offendant, excellentiſſime Princeps, accipe claues tuæ ciuitatis, & quoniam à te Rege patreque noſtro ſine cauſa defecimus, impieque deliquimus, quodcunque ſupplicium mortiſque genus in corpora noſtra ſtatueris, certe non recuſabimus. Noſtris enim cognitis erroribus, à tua maieſtate quam crudeliter offendimus, nō minus iudicium precamur, quam miſericordiam petimus. Quod ſi nos vt meremur ſubire iuſſeris, vna quidem nobis non paruo ſolatio futura res eſt. Siquidem noſtros cognoſcentes errores, pro culpa ſupplicium, non coacti, non pertinaces, ſed volentes vltroque patiemur. Pœnitentibus enim & ſuam culpam cognoſcentibus, pœnas & cruciatus omnes quibus iure plectuntur, non dolori quidem, ſed voluptati potius eſſe ſolent, his præſertim qui vel in Deum, vel in Regem, ſicut nos, vel in parentes temere ſe deliquiſſe cognoſcunt. Hæc locutus oſculatas & lachrymis aſperſas claues obtulit. Rex autem pietate commotus, non ſine lachrymis acceptis clauibus, huic cæteriſque flentibus legatis & oſculandam dexteram ſupplicantibus liberaliter præter multorum opinionem præbuit, & Barcinonēſibus cunctiſque hoſtibus non vitam ſolum & criminis impunitatem, verum etiam priſtinam libertatē & bonorum omnium reſtitutionē & integritatem pariter conceſſit. Et legatis dimiſſis, poſtero die Barcinonæ portis recluſis, & obuiā ciuibus pene omnibus egreſſis, triumphali curru quem ciuitas obtulerat recuſato, candido vectus equo, per portā quam diui Antonii Barcinonenſes vocāt, ingreſſus eſt. Et cum per omnes fere ciuitatis vicos familiariter equitaſſet, ciues penuriam victus & famē pati ſqualore vultus & corporū macie facile cognouit. Quapropter ædibus in regiis expoſitus inopia panis & ciuitatis inedia permotus, Barcinonæ ſtatim conuocatis magiſtratibus alimoniæ reique frumentariç cōſuluit. Hoc bello confecto quod annos decem & menſes quatuor perdurauerat & Barcinonenſibus in Regis fidem gratiamq; reuerſis, omnes totius principatus populi vota quæ pacis & quietis percupidi promiſerant, magnis & multorū dierum ſupplicationibus perſoluerunt. Idem Aragones, Valentini, & Siculi omnes fecerunt, quorum plurimi nobiles & præcipue Siculi, non ſine magnis muneribus ad Regem ſtatim gratulatum conuenerunt. Quos Rex honorifice ſuſceptos militaribus titulis & præclaris inſignibus ornauit, omnibus gratias agens, ſeque ſimul excuſans, ſi propter temporum conditionem, vt eius animus optabat, referre nō poſſet: quippe qui totius principatus reconciliatis populis, & præſertim Barcinonenſibus quorum recuperationem iam deſperauerat, finitiſq; laboribus, ingentem lætitiam quam animo conceperat, oculis vultuque præſe ferens, bonis omnibus per quos dignitatem & ſalutem ſuam defenderat, ſatisfacere quam maxime ſtudebat, Deoque optimo maximoque cuius auxilio perpaucis adiutus equitibus, nō ſolum Gothalanos, verum etiam hoſtes externos oppreſſerat, gratulabatur. Omnes enim Gothalanorum populi, paucis exceptis nobilibus, & cum his Belaguerēſibus & Gerundinis & Montis Albi municipibus, à Rege defecerant, tametſi Gerundæ nonnulli ciues ad Palariēſium Comitem declinauerant, quos tamen Regina Ioanna, vt latius in alio loco ſcripſimus, ad fidem & ſanitatem magno ſermone reuocauit. Belagueræ quoq; populares tumultuari cœperunt, quos & eorum magiſtratus, & Regis ingredientis aſpectus cōpeſcuit. Nunc autem etſi nonnullorum qui Regi fideles fuerunt, meminiſſe velim, non audeo tamen quos poſſem nominare. Aliis enim, ſi quos mihi ignotos ſua laude fraudarem ſilentioque præterirem, fortaſſe quidem non paruam inuidiam facerem. Viris igitur omiſſis de nonnullis fideliſſimis conſtantiſſimiſq; mulieribus breui ſermone referam. Quarum vna Barcinonenſis nomine Carthellana, magnæ probitatis atque conſtantiæ fœmina, vt Regi fidem ſeruaret, primum ſe magnis opibus, deinde domo patriaque, nec non propinquis omnibus & affinibus priuari paſſa eſt. His enim relictis omnibus, cum aliorum conatus immanes ferre non poſſet, à ciuitate diſceſſit. Magnum nimirum & rarum muliebris ſexus exemplum fortitudinis exhibuit. Mirabile quoque ſuæ virtutis robur, & erga Regē ſinceræ fidei firmamentum cuiuſdam puellæ cui Capatera fuit nomen, animus ſignificauit. Quæ cum ſuæ domus omnes à Rege defeciſſent, à ſponſo ſuo qui cum aliis defecerat, interrogata quem erga Regem animum haberet: Ego, reſpōdit, & vnum Deum colo qui in cœlis eſt, & vnum Regem Ioannem in terris. Mortuo deinde in defectione ſponſo funeri eius intereſſe noluit, & ſibi lugubres veſtes ab affinibus oblatas non induit. Illud etiam quod Iſabella Montania cognominata fecit, magnæ quidem fidelitatis nec minoris fortitudinis extitit argumentum. Hæc enim cum Barcinonæ magnis opibus multiſque vel animi vel corporis virtutibus maxime polleret (erat ſiquidem admodum diues, & forma inſignis) & à cunctis ciuibus vt in Regem coniuraret, cogeretur, ne coniurationis crimen ſubiret, clam noctu Pobolim oppidum ſuum in quo præmunitam arcem habebat, paruo comitatu ſe recepit. Hic paulo poſt à ſocero diutius armis obſeſſa, nec oppugnatione, nec

Cōſtantiæ muliebris exemplū.

ne,nec minis vnquam ceſſit, ſed tam diu caſtellum ſeque propugnando defendit, donec miſſum à Rege ſubſidium quod aduocauerat ſibi,ſuperuenit. Nam cum primum Rex intellexiſſet Iſabellam mulierem ſibi quam deuotiſſimam ab hoſtibus oppugnari, & obſidione premi,ſtatim Petrum Torrellam cum exercitu & auxilio Pobolim miſit. Qui celeriter illuc profectus, breui hoſtibus profligatis & Iſabellam Montaniam ſeruauit incolumem, & oppidanos omnes qui metu perterriti iam cogitare de deditione cœperant, tutos in fide retinuit. Verum enimuero,quod admirabilius fuit,in tanta mulierum multitudine,tres quas modo memoraui, duntaxat in officio permanſerunt. Quæ quidem quo pauciores,& virtute atque fide pares fuerunt,eo profecto maiorem laudem & Regis gratiam meruerunt. Nunc autem de prælijs & oppugnationibus quæ ſub idem tempus multis in locis acciderunt,non dubito quin aliquid,immo multa prætermiſerim. Sunt enim nonnulla quæ cum aliis contexere vix potuimus, nec tamen erant ſilentio digna,in quibus multorum quidem ducum atque equitum virtus nō ſolum magna fuit perſpecta, ſed etiam admirabilis, præſertim in Ampuriarum ciuitate, vbi centum & quinquaginta Regis equites & pauci admodum pedites quibus Petrus Torrella præerat,ab ingenti Gallorum multitudine multiſque tormentis obſeſſi, prope duos menſes acriter propugnantes ciuitatem defenderunt. Quos non hoſtium vires,non multa tormenta quibus acriter offendebantur, ſed ſola quidem fames equis abſumptis ad cibum, deſerere ciuitatem coegit. Fuit hic tamen interfectus eques quidam nobilis nomine Saura: percuſſi vero grauiter Raimundus Lauianus Gaſparis Lauiani filius, Martinus Garaus Cruillas, Sarrera, Petrus Michael qui fuerat Regis Alphōſi Vicecācellarius, Zapata eques ordinis Monteſani, Ioannes Valconcharius, Ioachius Meſquitanus, Aluarus Aſtorga, & Ioannes Garrus. In eo præterea prælio quod apud oppidum Dematū geſtum fuiſſe demonſtrauimus,præter Rhodoricum Rebolletum, capti quoque fuere Ioannes Cardona Comeſtabilis, Dominus Monialini Siculus, Puccius ordinis Monteſani præfectus, Raimūdus Labianus, Ferdinandus Oſorius, Ioannes Lanucius. Deſideratus autem duntaxat Petrus Nignus, nec hic quidem ab hoſtibus, ſed per errorem quaſi Gallus eſſet, à ſociis occiſus. Itē apud oppidum Peraltum multorum quidem virtus admirabilis extitit. Perpauci quippe nobiles aduerſus ingentem hoſtium multitudinem acerrime pugnantes, ne Rex ab hoſtibus caperetur, effecerunt. Cuius quidem rei præcipuam laudem omnes qui prælio interfuerūt, Scipioni Patellæ libenter aſſcripſere. Plures tamen & hic capti fuere, ex quibus Ludouicus Mudarra cum in arce quadam ſub cuſtodia maneret, poſt mediam noctem deceptis cuſtodibus ex alta turri deſiluit, & extra vallum arcis egreſſus, inſpectus à vigilibus & quiſnam eſſet interrogatus, Mudarra ſtatim reſpondit intrepidus, qui à vobis recedit. Sed redeo ad Regem.

LVCII MARINEI SICVLI
DE REBVS HISPANIÆ
LIBER XVIII.

De Perpignani obſidione.

QVI fatali ratione, vt plures arbitrabantur, ad labores natus continuos, poſt tot vel externa vel domeſtica bella, ſenio iam confectus aliud etiam & inopinatum cum Ludouico Rege Gallorum bellum geſſit. Huius autem belli præcipua cauſa fuit pecuniæ quam Rex Galliæ Ioanni Aragonum Regi mutuauerat, repetitio. De quo mutuo etſi ſupra fuſius ſcripſimus, breuiter tamen hoc loco repetemus. Deficientibus igitur Gothalanis Ioannes Aragonum Rex à Ludouico Rege Gallorū trecenta millia aureorum quos Galli coronas vocant, mutuatus, ei donec mutuum perſolueret, oppidum Perpignanum tot'mque prouinciam Roſcinonis oppigneraui t. Cæterum Gothalanico bello confecto, Perpignani ciues aliique populi finitimi qui Gallorum mores & imperium moleſtiſſime ferebant, quotidie nec ſine tumultu ſuum Aragonum Regem conuocabant. Hoc admonitus Ludouicus ab illis quos Perpignanenſibus cæteriſque populis præfecerat, metuens ne ſi Perpignanenſes ad Aragonum Regem deficeret, & oppidorum poſſeſſionem & pecuniam quam mutuauerat, amitteret, legatos

ad Regem Ioannem miſit, qui cum eo de recuperandis pecuniis diligēter agerent. Quas ſi Rex Aragonum ſoluere nollet, aut non poſſet, oppidorum quæ pignerauerat, ſibi proprietatis omnia iura cederet. Quod ſi minus hoc facere vellet, de reddendo mutuo compræ des & ſponſores in Gallia præſtaret. Hæc cū legati retuliſſent, Rex hoc modo reſpondit. Si mutuum quod à me Regi veſtro debetur, ſoluendo nunc eſſem, profecto & vos exigendæ pecuniæ labore, & me ipſum reddendæ cura qua maxime premor, quamprimum liberarem. Nihil eſt enim quod hoc tempore me magis fatigat, quam hæc æris alieni ſolicitudo, nihil quod magis optem, quam Galliæ Regi qui nos tam neceſſariis temporibus, ſi verum fateri volumus, & pecuniis & militibus plurimum iuuit, ſatisfacere, noſtris præſertim redemptis oppidis. Sed huic animo deſiderioque noſtro vires & facultates deſunt. Siquidem bella quæ tot annos, vt ſcitis geſſimus, nihil nobis auri, nihil argenti, nihil denique rerum omnium mobilium reliquerunt. Quicquid pręterea precioſum noſtri proceres & familiares tam Siculi, quam Aragones habebant, diuturnitate belli conſumptum eſt. Regem igitur Ludouicum magnopere rogamus, vt hanc mutui repetitionem tamdiu differre velit, donec vel ex paruis vectigalibus noſtris, vel ex vſu cenſus oppidorum noſtrorū quæ poſſidet, ſibi ſatisfaciat. Nam ius proprietatis quod ille petit, alienare non poſſum. Vades autem quos dari ſibi poſcit in Gallia, neceſſarios non eſſe iā cognoſcit. Multos enim ac tutos habet fideiuſſores, dum tot populis noſtris quibus imperat, vtitur. Quod ſi defectionem eorum timet, dummodo non aliquam patiantur iniuriam, illorum ego fidem & officium præſtabo. Ad cuius rei ſecuritatem ſponſorem me præbeo. Et quoniam mihi Rex Ludouicus nouis conditionibus quas poſtulat, & virtuti populorum noſtrorum quos ipſe pro pecunia quæ ſibi debetur poſſidet, & amicitiæ noſtræ diffidere viſus eſt, eo diligentius operam dabo, quo minus expoſtulare mecum iure poſſit. Cū hoc reſponſo legatis in Galliam reuerſis, & oppigneratis populis imperium Gallorum tumultuoſius recuſantibus, Rex Galliæ rurſus & amiſſionem pecuniæ, & Perpignanenſium defectionem veritus, vndiq; more ſuo conuocatis equitibus, magno cum exercitu duces electos, vt Perpignani ciues & reliquos totius eius prouinciæ populos armis & oppugnationibus opprimerent, in Hiſpaniam miſit. Qui dicto Regis audientes per montes Pyrenæos in Hiſpaniam ingreſſi, Perpignanum verſus proficiſcuntur. Horum aduentum cum Perpignani ciues intellexiſſent, ſtatim nuncios cum literis ad Regem Barcinonam miſerunt, quibus eum deprecabantur, vt ſi eorum vitam charam haberet, & Perpignani poſſeſſionem in perpetuum amittere nollet, ad eos cum ſubſidio celeriter conueniret. Seſe compertum habere confirmabant Gallorum Regem magno cum exercitu Perpignanum propediem venturum, ac de omnibus Perpignanenſibus & eorum finitimis populis vltimum ſumpturum eſſe ſupplicium. Perpignanenſes autem omnes decreuiſſe potius ad vnum velle mori, quam illius vel aduentum vel imperium ferre. Cum his mandatis nunciis diſcedentibus, arma quibus aduenientes Gallos à ciuitatis ingreſſu inhiberēt, indignantes parare cœperūt. Quod cum Galli qui in oppido commorabantur, animaduertiſſent, ſibi mortem timentes, in arcem quam Galliæ Regis præfectus tenebat, ſeſe receperunt. Cuius arcis ædificium ſic vel arte, vel operis magnitudine pręmunitum erat, vt niſi propter famem à cuſtodibus deſeratur, nullis hoſtium viribus, nullis ingeniis expugnari poſſit. Arcis autem præfectus & omnes cuſtodes ſubito certis locis munitiones & propugnacula diſponentes, oppidanos oppugnantes ingredique conantes acriter depellebant. Interim vero Rex ex Barcinona cum paucis equitibus adueniens, oppidū ingreditur, & oppidanos ab arcis oppugnatione magno labore reuocatos, & adhuc maxime tumultuantes ægerrime compeſcuit. Compoſito tādem tumultu, cum eos moneret, vt Gallorum Regi tantiſper parerent, donec illi mutuum perſolueretur, ſtatim conclamarunt omnes, vt eos aut morti traderet, aut ab imperio Gallorum liberaret. Se namque vel ſub Aragonum Rege viuere, vel mortem ſubire, vel longius cōmigrare, ſibique nouum domicilium quærere ſtatuiſſe dixerunt. Quos cum Rex in eo quod dicebant, obſtinatos eſſe, & neque pudorem, neqūe metum ſentire cognouiſſet, mulcere maluit quam irritare. Quod igitur illis expediret, ſe facturum eſſe reſpōdit. Interea Gallis qui Perpignani propinquas arces oppugnabant, Regem Aragonum Perpignanum veniſſe & arcis cuſtodes oppugnare nunciatum eſt. Qui vehemēter hoc nuncio commoti, relictis quæ oppugnabant proximis caſtellis, celeriter Perpignanum cum omnibus copiis conuenerunt, & poſitis caſtris, multis tormentis oppidi portas ac muros oppugnare cœperūt. Eſt autem Perpignanum oppidum nobile magnique incolatus inter Gerundam Hiſpaniæ & Narbonā Galliæ ciuitatem ab vtraque æquo fere ſpacio remotum. Tum itaque Rex Aragonum etſi pacem magis optabat quam bellum, admiratus tamen inſolentiam Gallorum & repētinum furorem, qui eius voluntatis ignari, nulla ratione ducti oppidū quod poſſidebant,

oppugnare cœpissent, oppidanos quos antea reprimere conabatur, vt acriter propugnarent hortatus est. Quod illi sine vlla quidem hortatione strenue faciebant. Cęterum Gallorum erat oppugnatio duplex. Nam propugnantes oppidanos magis quidem arcis custodes, quam ex castris Gallorum oppugnantes fatigabant. Ab illis enim tormentis à tergo feriebantur. Ideoque Rex post mediam noctem quæ secuta est, omnia loca in quibus propugnantes ab arcis pręfectis offendi poterant, magnis multisq; confixis trabibus iniectaque terra muniri iussit. Quod vt citius ac melius fieret, ipse quidem tota nocte æque militis atque Regis officio vsus est. Prima luce munitione peracta, omnes vigilia noctis ac labore operis defessos, vt conquiescerēt, commonuit, aliosq; recentiores qui vicissim propugnarent, hortatus est. Oppidani vero omnes & regii milites, quibus etiam mulieres ac pueri arma ministrabant, cum Gallorū magnus exercitus vndique oppidum circumplexus oppugnaret, eò acrius vltro propugnantes hostes à muris propellebant, quod minime dubitabant, quin si in illorum potestatem venirent, vltimo iam supplicio plecterentur. Omnes igitur sibi mortis periculū timentes propugnando fortiores erant, & magnos labores continuasque vigilias tolerabant, ideoque ab ingenti hostium multitudine longaque obsidione sese incredibili virtute defendebant. Erāt enim in castris Gallorum qui sunt in oppugnationibus ferocissimi, hominum millia quadraginta. Quos acriter oppugnantes, ac nonnunquam scalis muris adpositis ascendere certatim conantes, Perpignani ciues cum sua virtute, tum Regis hortatu fortissime repulerunt, & quatuor pene menses, præter maximos labores, etiam famem multarumque rerum inopiam pertulerunt. Nam sub idem tempus Ferdinandus Regis filius ex Castella, vbi Regis Henrici sororem Helisaben, vt superius demōstrauimus, in matrimonium duxerat, obsesso patri subuenire desiderans, paucis comitatus equitibus in citeriorem transiit Hispaniam, & auxiliis in itinere contractis Barcinonē peruenit. Hic etiam & Gerundæ copiis auctis, Perpignanū versus proficiscitur. Cuius aduentus expectatio terribilis admodū in castris Gallorū ferebatur. Omnes enim & vlterioris & citerioris Hispanię proceres cum magno equitū & peditū numero secum ducere Ferdinandū, multi Gallorū ducibus falso nunciabant. Nam & equites valde pauci cum Ferdinando veniebant, & peditum quoque paruus erat exercitus. Galli tamen crebris falsisque rumoribus perterriti, prima nocte taciti discessum parare cœperunt, & de secūda vigilia magno silentio castra mouentes, obsidione relicta, clā discesserunt, totaq; nocte continenter euntes, in Gallię fines ante diē peruenerunt. Quorū fugam cum vigiles ciuitatis nondum exorto sole, nihil in locis vbi Gallorū castra fuerāt concernentes, animaduertissent, affecti magno gaudio ad Regē certatim concurrūt propter hostiū discessum præmia petentes. His abitionē Gallorū nunciantib. incredibilis omnib. lætitia, sed maior oppidanis orta est, à quib. exultātib. maximus exortus est clamor. Rex aūt cuius animus & omnis mētis affectus erat in filio Ferdināndo, suspicari statim vererią; cœpit aduersus eū Gallos esse ꝑfectos. Ideoq; nōnullis cōfestim ꝑmissis pueris velocissimis, ipse mox cū multis equitib. & magna Perpignanēsiū multitudine de filii salute valde solicitus ex oppido ꝑfectus est. Cumq; nō longius ꝑgressus esset, ei & filiū cū exercitu iam aduētare, & hostes in Galliā ingressos esse. & Narbonā ciuitatē versus proficisci nunciatū est. De quib. reb. etsi minime Rex dubitabat, certissimis nūciis affirmātib. tamē nō tam anceps quā videndi filiū ꝑcupidus ad eū pergere statuit. Signa cuius & armorum fulgores vbi milliū septē iter confecit, plane ꝑspexit, & multos à Ferdināndo missos nuncios accepit, ac ingētes lætantiū militū voces audiuit. Ferdinādus interea & de Gallorum discessu, & de patris aduētu certior factus, cū equitib. leuis armaturæ Regi celerius obuiā venit, à quo nō minus honorifice quā lætāter acceptus est. Et post gratissimos amplexus, dū milites vtriusq; cōuenirēt, lōgos sermones inuicē contulerūt. Demū Perpignanum simul eodē die sese receperūt. Hic dies prope viginti, dū Ferdinādus & eius milites lōgi itineris laborib. defessi cōquiescerēt, Rex cōmoratus, interim cōuocatos oēs oppidanos iterū cōmonuit, vt Ludouico Gallorū regi cuius amicitiā cōseruare volebat, breui tēpore parerēt, donec mutuū ꝙ illi iure debebat, ꝑsolueretur. Ad hęc verba regis ex oppidanis vir quidā non ignobilis hoc modo respōdit. Quod ex me audies, inuictissime Princeps, hoc nimirū est insitū mētib. omniū ꝙ Perpignani ciuitatē & totā eius ꝓuinciā colunt. Vnus.n. ex paucis ego sum, ne dicā solus, quos tuus hic populus omnib. in reb. & publicis & priuatis negotiis semper consulere cōsueuit. Quapropter nemo quidem est in hoc oppido, cuius ego mores & ingeniū ignorem. In hac autem re quam nunc à tua maiestate iubemur, iam pridem voluntates & animos omnium sum expertus. Quibus omnino decretum est, quoduis mortis genus potius perferre, quam diem vnum Gallorum mores & imperium subire. Assueti quippe tecum viuere benignissimo Principe, barbaros quidem aliorum

mores & inſolitam ſeruitutem tolerare non poſſumus. Quare ſi tu, magnanime rex, quod non credimus, Galliæ regis amicitiam pluris facis quam amorem noſtrum quo te proſequimur, tibique libet illi huius oppidi liberam poſſeſſionem relinquere, hoc eſt quod nos tuam maieſtatem ſupplices deprecamur, vt nobis aut ipſe alium colendum quemuis locum concedas, aut nos ipſos pro liberis noſtris & vxoribus aliud quærere domiciliū permittas. Quod ſi hinc abire tibi in animo eſt, & huc iterum contra nos reuerſuros Gallorū exercitus ſuſpicaris, nullum quidem nobis maius beneficium cōferre potes, quam ſi te laboribus & periculis eripiens aliquē tutum in locum contuleris. Nos enim te vel abſente ſemper honorem tuum, nos domos noſtras, liberos & vxores, præſertim contra Gallos, facile defendemus. Quapropter etſi monitis eius obſequi nolle videbantur, eos tamen id quia ſibi quam deuotiſſimos eſſe cognouerat, cōſolari maluit quā accuſare. Quibus, quoniam ex oppido iam diſcedere ſtatuerat, Ludouicum Requiſentium præfecit, & cum eo multos nobiles & equites regnorū ſuorum quorū multos paucis ante diebus militaribus donis & inſignibus ornauerat, manere iuſſit. Quorum nomina pauca hæc occurrūt: Spurius Cardona, Martinus Angulus, Ludouicus Mudarra, Ioannes Clauerius, Michael Ioannes Gralla. His omnibus vbi quid facere deberent imperauit, poſtero die militib. Caſtellæ qui cum Ferdinando venerāt, veniam & miſſionem flagitantibus, & annona quam in oppido relinquere volebat, iam deficiente, cum filio Ferdinando & eius exercitu Barcinonam verſus proficiſcitur, ſeptimoque die poſtquam diſceſſerant, in ciuitatem peruenerunt. Hic cum dies quinq; Ferdinandus commoratus eſſet, etſi cum patre manere diutius optabat, ſuæ tamen vxoris Heliſabes Caſtellæ reginæ nunciis & literis vrgentibus, ad eam demum cum ſuis copiis, patre ſuadente, diſceſſit. Cuius diſceſſum cum primum Galli, qui Perpignani arcem tenebant, intellexerunt, ad Ludouicum regem in Galliam nuncios & literas miſerunt, quibus eum de Ioannis Aragonū regis abſentia, & eius filii Ferdinandi in Caſtellam receſſu certiorem faciebant. Ideoq; ſi duces cum exercitu redirent, oppidum capere facile poſſent. Sin autem eius expeditionem negligeret, & ſerius exercitū mitteret, ſeſe cum arce ſimul in hoſtium poteſtatem venturos eſſe dicebant. Nec dubium eſſe, quin paucis diebus aut oppugnatione aut fame deuicti manus hoſtibus darent, propterea quod equites & oppidani poſteaquam eos rex Aragonū deſeruerat, inceſſanter nos in arce multis tormentis acrius oppugnabant, ſeq; nunc longis vigiliis & magnis laboribus iam defeſſos, vix poſſe pedibus inſiſtere. Periculis igitur illorum rex Ludouicus commotus, ac ſecum reputans incommodum & iniuriam quæ eum maneret in poſterū, ducibus qui cum copiis apud Narbonam ciuitatem conſtiterant, imperauit, vt ad obſidendum rurſus Perpignanenſes ſtatim feſtinarent, donec his expugnatis totam eorum prouinciam deuaſtarent. Quos etiam monuit, vt ſi inde ſine ſuo iuſſu recederent, ſcirent ſe grauiores ei pœnas eſſe daturos quam hoſtibus, ſi in eorum poteſtatem venirent. Duces erga Gallorum quos ab obſidione diſceſſiſſe grauiter pœnitebat, cognita regis voluntate, non tantum minis eius & imperio, quantum verecundia commoti, quamprimum conuocatis militibus qui per oppida vagabantur, ad obſidendum oppidum ſtatim conuenerunt, quod magna feſtinatione locatis caſtris diſpoſitiſq; tormētis acriter oppugnare cœperunt, exiſtimantes oppidanos à ducibus & rege deſtitutos aut metu perculſos in deditionē eſſe venturos, aut paucis diebus oppugnatione deuictos iam manu capiendos. Sed tamen eos longe nimirum ſua fefellit opinio. Perpignanenſes enim qui dum rex aderat, in patriæ defenſione magnam laudem promeruerant, rege quidem abſente multo fortiores erant, acriuſq; propugnabant. Nec ſe diutius intra muros continere poterant, ſed odio magno quo Gallos inimiciter proſequebantur, & pugnandi deſiderio conflagrantes, interdiu nonnunquam noctu portis oppidi recluſis, in caſtra hoſtium erumpentes, illorum multis occiſis & nonnullis captis in oppidum ſumma celeritate ſeſe recipiebant, ac potius oppugnatores quam propugnatores erant, donec attoniti Gallorum duces & iam defeſſi non ſolum ab oppugnatione ceſſabant, ſed vrgente quoque metu de diſceſſu plærumque cogitauere. Formidabant enim non modo bellicoſiſſimos viros, ſed armatas quoque mulieres fortiſſime pugnantes. Quapropter etſi ſui regis indignationis & iræ memores ab obſidione recedere non audebant, affecti tamen multis magniſque cladibus & de victoria iam deſperantes prorſus abiiſſent, niſi defeciſſe commeatus obſeſſis & omne cibariorum genus intellexiſſent. Qui menſes ab obſidionis initio circiter octo non ſolum cibariis humanis, ſed omnibus etiam conſumptis animalibus & herbis diuturna fame languentes, dum propugnabant, ſuo ipſorum motu concidebant. Intoleranda quippe fame vix credibile eſt quam patientes erant. Omnes enim multis diebus nihil præter mures ac feles & domeſticos canes, quos mulieres per vicos oppidi linteis & longis latiſq; palliis venaban-

nabantur, commanducauere. Quibus etiam deficientibus extrema iam necessitate laborantes, non solum in carnes Gallorum quos occiderant, dentes intulerunt, sed in suorum quoque cadauera morsus iniecerunt. Nonnullæ mulieres cum peperissent, rabie famis agitatæ vtero suo continuo fœtus reddiderunt. Aliæ præterea matres inediæ stimulis actæ non equidem maternæ pietatis oblitæ, sed famis imperio conuictæ suos filios siue fame siue alio casu peremptos, lamentatione miserabili propriisque lachrymis aspersos comederũt. O rem admirabilẽ, & cibi genus infandũ! O rarum famis & extremæ necessitatis exemplũ! Quod in Hispania tamẽ tertio nũc accidit. Bis enim antea cõtigerat, & Numantinis à Romanis obsessis, & Saguntinis à Carthaginensib. Sed Perpignanensiũ fuit tolerantia maior, qui cum tot mala & suprema pericula suo etiã rege monente vitare potuissent, noluerunt. O ingentem hominum & admirandam in laboribus & periculis perseuerantiam! Vsque adeo nanq; Perpignani ciues in patriæ defensione pertinaces fuerunt, vsque adeo Gallos oderunt, vt ne illorum imperium subirent, omnia malorum genera perferre maluerint. Magna tamen eorum virtus, magna fides & fortitudo laudabilis. Sed equitum quos illic rex cum præsidio reliquerat, constantia laudabilior, propterea quod à rege sæpius admoniti per literas, vt exirent ex oppido, quoniam eis commeatum & subsidium mittere non posset, illi tamen ne ciues quos fortissimos agnouerant, desererent, cum eis permanere & extrema pati decreuerant. Cæterum cum fames indies magis vrgeret, & neque subsidii, neque vitæ vlla spes esset, honestas à Gallorum ducibus oblatas de pace conditiones, vt & ciues honorifice benigneque tractarentur, & equites cum armis & equis discederent, acceperunt. Galli igitur portis iam reclusis, multis in oppidum ad explendam famem & ciuium mulcendos animos præmissis cibariis, ingressi tandem & suis & aliorum laboribus finem fecere. Equites vero regii, quoniam pro cibis equos omnes absumpserant, armis etiam quæ ferre non poterant, relictis, pedibus iter facientes ad regem Barcinonem peruenerunt. Quos rex omnes amplexus magnis honoribus excepit, & eorum fide fortitudineque mirifice laudata, pro tempore quibus potuit muneribus prosecutus est, excusata pecuniæ & rei familiaris tenuitate.

De morte eius & gestis in ea.

OMNIBVS confectis & extinctis bellis reliquum vitæ suæ tempus Barcinonæ transegit. Vbi demum labore senioque pene consumptus, vitali iam deficiente virtute, febre defatigari cœpit. Cum igitur lecto triduo decubuisset, vt erat semper homo cautus & prudens, iam se moriturum cognoscens, accersito animæ medico de omnibus exactæ vitæ noxiis Christianorum more gemens, & magno cum dolore confessus est. Allatũ mox sacramentum quod auidissime petiuerat, lachrymabundus deuotissime recepit. Vbi vero animæ saluti consuluit, testamentum deinde condidit, & Ferdinandum filium hæredem successoremque legitimum instituit. Ad quem in Castella tunc commorantem nuncios & hanc misit epistolam. Satis me diuque vixisse cognosco, Ferdinande fili charissime, & ideo quoniam & diutius, &, vt opinor, bene & cum honore vixerim, magnas immortali Deo gratias ago. Nunc autem iam tempus est, vt naturæ debitum persoluam, cui ego iam citatus, quoniam sic necesse est, parere minime recuso. Arbitror itaque me propediem ab hac vita mortali discessurum. Continua siquidem febre quinq; dierum meum pene defatigatum corpus & ætate confectum in horas magis debilitari sentio, & cum spe vitæ simul deficere. Quapropter vbi nostrorum maiorũ more & Christianæ religionis instituto diuinis & humanis rebus satisfeci, mihi æquum atq; pernecessarium visum est, vt te quem priusquã discedam videre non potero, de valetudine mea vel emigratione potius per literas & nuncios certiorem facerem. Mitto igitur tibi simul & Isabellæ tuæ præstantissime coniugi salutem & paternam benedictionem. Et quia de rebus à me nuper institutis quid tu Ferdinande fili pro nostra & aliorum salute sis facturus, ex testamento nostro plane omnia cognosces, hac epistola vos (nam tecum etiam Isabella filia charissima loquor) pro meo erga vos amore, & itẽ pro vestra in me pietate moneo, rogo, & obtestor, vt omnibus „ rebus humanis diuinas anteponatis. Nihil vobis vnquã sit charius Dei cultu, nihil virtute „ præstantius. Nihil præterea sine bonorũ virorũ consilio faciatis. Mementote quæso sem- „ per istius nostræ monitionis, quæ vos ab amore paterno missa profecto nunquam fallet. „ Ego vobis & labores & æmulos non defuturos prospicio. Sed vos si meis monitis parue- „ ritis, nullis vnquam victi cedetis aduersariis, nullis defatigati laboribus succumbetis. E- „ quites insuper vobis & populos omnes vestri principatus & regiã demum dignitatẽ pluri- „ mum commendo. Valete & absentiam nostram fertote moderate. Cum his literis nun- „ ciis ad Ferdinandum filium missis, omnes qui aderant, quoniam tristitiam quandam præ

se ferre videbantur, consolari cœpit, vt vim necessitatis æquo animo ferrēt, omnibus mo-
riendum esse dicens, neque tamen eos mori posse qui bene vixissent. Bonis hominibus
& virtutem colentibus auxilium diuinum non defuturum, quod sibi multis in rerum &
fortunæ varietatibus nunquam defuisset. Hæc cum dixisset, remotis omnibus contem-
plationi deditus aliquandiu conquieuit. Mox autē vbi vitæ spei minus habere cœpit, ad-
missos equites & familiares perhumane singulos amplexatus, suppliciter ab omnibus ve-
niam petiuit, si quem forte grauius offendisset, si cui non pro meritis satisfecisset. Interea
medici quo diutius eius mortem differrent, ex margaritis & auro cæterisque gemmis ad-
modum preciosis & simul contritis cōfectos cibos ei propinabāt. Quibus aliquanto suf-
fultus tam diu vitam produxit, donec quæ voluit, effecit, dixitque omnia. Nullum dolo- 1
ris signum, nullam mentis perturbationem, nullum deniq; mortis metum præ se ferens,
sed aduersus eam fortis & constans, omnium præteritarum rerum memor, & præsentes
diligenter instituit, & de futuris prudenter religioseq; consuluit. Pridie vero quam natu-
ræ satisfaceret, cum se grauius affici sensisset, extremum ecclesiæ petiit olei sacramentum.
Quo solenniter perunctus, laborantis & iam demigrantis animæ spiritum magno labore
ducens, à sacerdotibus Euangelicam lectionem recitari qua Christi cruciatus referuntur,
obsecrat, & pœnitentiarum psalmos. His orantibus aures dum præbet attentiores, subito
nimioque languore defessus totus pene concidit, adeo vt conclusis iam luminibus & ma-
nibus frigidis a nonnullis efflasse animam crederetur. Verū mox respirans & iam reclusis
» oculis omnes qui aderant, aspiciens, O vanas, inquit, hominum cogitationes! O miseros 2
» omnes qui ad principatus aspirant, qui diuitias, opes, & nimios honores affectant! O fœ-
» licem pauperum conditionem, & illorum securam vitam atq; beatam, qui panem come-
» dunt cum sudore sui vultus, qui viuunt labore manuum suarum! Nam mihi misero quid
» regnum, quid honores, quid obsequia plurimorum contulerunt? Quid? labores scilicet
» magnos & multa corporis & animæ pericula, nec vnquam ætate tam longa potui mihi di-
» es aliquos videre bonos. O me miserum & infœlicem qui tā sero fallacem mundum co-
» gnosco! qui vitam certe vixissem multo meliorem, si non Rex, sed pauperis agri cultor fu-
» issem. Hæc magno cum animi dolore ferebat, Alphonsi fratris, vt arbitror, recordatus at-
que secutus exemplū, qui Neapoli olim moriens eadem protulisse verba memoratur. Cę-
terum cum hæc dixisset, imaginem Christi crucifixi quæ iuxta eum erat, defixis oculis in- 3
tuens: O conditor, ait, mundi Deus omnipotens, & hominum pientissime redēptor, par-
ce mihi indignissimo seruo tuo, miserere mei clementissime Iesu, & à peccatis meis auer-
te faciem tuam, non meis meritis Domine, quæ nulla sunt, sed illa tua ineffabili pietate &
infinita misericordia qua motus, vt homines à morte redimeres, crucis mortē subire vo-
luisti. Hæc locutus voce iam deficiente Christi patibulum sæpius osculatus expirauit.

De ætate eius, & tempore mortis, & exequiis.

DECESSIT Barcinone decimoquarto Kalendas Februarii, post partum virginis an-
no millesimo quadringētesimo septuagesimo nono, ętatis vero suę octogesimo quar-
to, mensibus quinque minus & decem diebus. Aragoniæ autem regno præfuit annos vi- 4
ginti. Cuius funus maximis honoribus & ingenti solennitate celebratū est, sed multo ma-
iore omnium mœrore atque fletu deploratum, tota ciuitate summo dolore concussa, ad-
eo vt mœstissimis lamentis quæque Barcinonæ domus funestata videretur. Vbique nam-
que luctus, vbique gemitus, vbique denique miserabilis fletus audiebatur. Cum primum
egit animam, præter multas hominum querelas & vberrimos fletus, venaticos etiā canes
quibus persequi feras consueuerat, tristes vlulatus emittentes mirabiliter fleuisse, cōplu-
res nobis viri nobiles affirmarunt. Aragones præterea omnes, Gothalani, Siculi, Valenti-
ni vexilla magno gemitu per terram trahentes, in signum magni doloris etiā clypeos con-
fregerunt. Huius siquidem Principis mortem incredibiles hominum lamentationes se-
cutæ sunt, quę nondum etiam post triginta annos à multorum pectoribus exciderūt. Plu-
res enim qui cum eo vixerunt, sæpe mecum sermones conferentes, eum sine gemitu la-
chrymisque nominare vix possunt. Peractis exequiis, defuncti corpus preciosis vnguentis
balsamoque perunctūm ex Barcinone magnus sacerdotum numerus & ingens nobilium
multitudo Populetum detulerunt. sic enim testamento statutum fuerat. De cæteris autē
rebus in testamento relictis nihil compertum habui, nisi quod à Ioanne Coloma secreta-
rio eius accepi, de sacrificiis quibusdam & rebus diuinis pro illorum salute quotannis ce-
lebrandis, qui sub eius imperio militantes in præliis
occubuissent.

LVCII

LVCII MARINEI SICVLI
DE REBVS HISPANIÆ
LIBER XIX.

De Rege Ferdinando & Isabella Regina Catholicis Principibus.

ETSI de rebus quas rex Ferdinandus & Isabella regina gesserunt numero multas & magnitudine mirabiles, historiam recentem adhuc & vix absolutam publicare non licet, tamen Carolo regi Cæsarique nostro qui fortasse virtutes auitas & præclaras actiones ignorat, rem pergratam faciemus, si pleniorem historiam magnumque volumen in annum quinquagesimum differentes, summam quandam & quasi breuiarium rerum quas animose sanctéque gesserunt, in lucem proferemus. In quo multis etiam Hispaniæ nobilibus atque Siciliæ, quorum parentes pro regia dignitate magnos labores multaque pericula passi, magnam laudem perpetuamque memoriam meruere, gratificabimur. Cæterum priusquam de rebus, quas principes catholici gessere, quicquam dicamus, more nostro de vtriusque natiuitate breui sermone referemus, & primo de rege Ferdinando.

De loco & tempore conceptionis & natiuitate eius.

GENITVS fuit rex Ferdinandus in Aragoniæ pago quem Aragones Fresinum vocant, & distat à Calataiuto passuum millia circiter duodecim. Locus est autem, quamuis paruus, aquis tamen, hortulis, arboribus amœnus, & agris fertilis, vbi Ferdinandi parentes dies aliquot commorantes eum genuerunt, anno supra mille & quadringentos quadragesimo nono, circiter Idus Iunias. In hoc autem paruulo pago & cuiusdam agricolæ pauperis hospitio genitum fuisse regem Ferdinandum, nobis quidem multis rationibus constat. Nam cum rex Ioannes pater eius hinc discedens, Valentiam versus profectus esset, vt illic equitum quorundam perniciosas factiones & magnos populorum tumultus compesceret, regina Ioanna quæ remanserat in Fresino, post Idus Iulias cessantibus naturæ menstruis se grauidam esse cognouit, cuius rei nuncium cum literis ad regem destinauit. Quem nuncium postero die Ioannes Pietas regis hospes cum aliis reginæ literis subsequutus, magnis à rege muneribus & omnis immunitatis priuilegio donatus est, atque etiam vt omnes patriæ suæ qui fere omnes agri cultores erant, honore præcederet. Rex præterea Ferdinandus cum hac transiret, Isabellæ reginæ me præsente suum genitale solum ostendens, Ecce, inquit, locus, ecce domus, in qua me parentes genuerunt. Erat autem domus admodum parua, cuius parietes non marmorei, non lapidibus extructi, sed qui ex compressa terra vix manebant, quos cum Carolo Imperatore Cæsaraugustã proficiscentes, quia Ioannes Pietas & eius vnicus filius è vita migrauerant, cum Ioanne Ruffo Archiepiscopo Consentino legato summi Pontificis sine cultore vidimus & sine tecto. Hinc regina discedens Kalendis Octobris vtero iam tumescenti & per Nauarræ principatum proficiscens, Sangosæ constitit, vbi propter absentiam regis ipsa simul cum Carolo priuigno, consiliariis & iustitiæ præfectis adhibitis, omnibus Nauarræ & Aragoniæ populis iura prudenter administrauit. Cumque pariendi tempus instare sensisset, & infans ex vtero matris egredi conaretur, etsi tunc temporis imbrium tempestas erat horribilis, vt tamen in Aragonia pareret, lecticam statim conscendens Sosium, quod erat Aragoniæ oppidum Nauarræ propinquius, deferri se propere iussit. Huc dum vehitur, itinere toto per passuum millia fere septemdecim, quamuis magnis continuisque partus doloribus afficiebatur, tamen vt erat fortis & prudens & suæ dignitatis atque salutis non oblita, dolores quibus maxime torquebatur, supprimens ac dissimulans, Deo preces & orationes fundere nunquam destitit. Vbi tandem Sosium peruenit, Dei auxilio & nomine Mariæ Virginis inuocato, & adiuta diligentis obstetricis officio, filium peperit Ferdinandum sexto Idus Martias, anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo.

De signis & iudiciis prosperæ natiuitatis eius.

QVO quidem nato magna repente serenitas orta est, & sol qui die toto vix apparuerat, multo clarior quã solebat, effulsit. In æthere præterea corona variis ornata colo-

ribus & iridi similis visa est. Quæ signa nimirum multis qui aderant, ostendere videbantur, vt puer qui proximo partu natus esset, clarissimus inter homines erat futurus. De cuius etiam natalicia fœlicitate multi viri sapientes & astronomi, non præsentes modo qui eum natum viderunt, sed absentes quoque longeque distantes multa magnaq; prædixere. Siquidem Neapoli eo die quo natus est puer, vir quidam religiosus ordinis Carmelitarum, homo literis & moribus insignis ad Alphonsum regem in castellum nouum veniẽs, Hodie, inquit, rex in Hispania citeriori puer tui generis natus est, qui maximus olim inter Christianos Principes nominabitur, quippe qui res magnas, multas, & sanctas domi forisque geret, quibus fidem, nostram religionem Christianam, & Hispaniæ nomen altius attollet. Cuius verbis & vaticinio rex, quoniam vir sanctus à multis qui mores eius & vitam nouerant, habebatur, & multa quæ antea prædixisset, verissima reperiebat, magnam fidem adhibuit. Quam non multo post cum de Ioanne reginæ partu nuncium accepisset, affectus lætitia confirmauit. Carolus etiam princeps Vianæ, frater eius ex patre, qui fuit virtute præclarus & diuini cultus admodum studiosus, cum ad se prandentem Ferdinandus admodum puer & annorum fere quinque venire nunciaretur, ei confestim surgens obuiam descendit, & suis quibusdam dicentibus vt eum, quoniam puer erat, expectaret in mensa: Nescitis, inquit, quæ causa vel quæ ratio potius me mouet, vt puerum hunc plurimum diligam & magnifaciam, profecto non solum quia frater meus est, sed quod eum sine dubio prospicio Principes omnes quos Hispania nostra peperit, omni genere virtutum superaturum. Alia præterea multi viri non indocti multa prædixerunt, qui suis opinionibus & iudiciis decepti minime fuerunt. Asserebant enim puerum adolescentemque labores magnos multaque passurum pericula, postea vero de multis hostibus & aduersariis victorias habiturum triumphales, & ex tenuissima fortuna ad honores amplissimos venturum & altissima rerum fastigia. Quæ quidem omnia suum effectum sortita iam vidimus. Cæterum Ferdinandus in Fresino genitus & in Sosio natus, vt erat in omnes Princeps humanus & benignus, vtriusque loci memor vtrumque populum maxime coluit & memorabilem fecit.

Descriptio Sosii & laudes.

NVNC autem quoniam de Fresino supra mentionem fecimus, æquum videtur, vt de Sosio quoque pauca dicamus. Est itaque Sosium quod indigenæ Sos appellant, oppidum Celtiberiæ quæ nunc Aragonia dicitur, primum quod ex Nauarra venientibus occurrit, in edito loco positum. Quę res causa est magnæ salubritatis. Geminos colles amplectitur, ex quibus descẽsus est & ad totidem planicies & agros admodum fertiles, multumque frugiferos. Multis rebus ad humanæ vitæ vsum necessariis abundans: fœlix præterea claris alumnorum ingeniis, & equitibus nobile. Quorum præter alios qui militari virtute ac eruditione laude magna digni fuere, duo præcipue viri recentiores & nostri tẽporis nobis occurrunt merito nominandi, Iacobus scilicet Fontius & Martinus Ampius, moribus & literis insignes.

De pueritia eius & educatione.

NVNC autem digressio nostra finem habeat, & ad Ferdinandum reuertatur oratio. De cuius infantia quod scribam nihil habeo, nisi quod cum esset forma conspicuus, in se omnium oculos conuertens, parentibus magnam spem probitatis magnæq; virtutis promittere videbatur. Cum autem septimum ageret annum, quo iam ætas discere literas admonet, excellentis ingenii magnæque memoriæ signa dedit. Sed iniquitas temporũ fortunæque sæuientis inuidia magnum Principis ingenium quod erat ad literas capessendas aptissimum à bonarum artium studiis retraxit. Nam cum Hispano more legendi scribendique ordinem didicisset, & iam Grammaticæ præceptis incumbere vellet, exorto bello quod Carolus à quibusdam male persuasus patri suo crudeliter intulit, puer à literarum studio reuocatus, arma cum vix annum decimum compleuisset, tractare cœpit, & aurigis ac pueris à pedibus adiutus equũ ascendere & agitare didicit. Qui cum propter ætatẽ sine vllo dignitatis titulo parum autoritatis haberet, vt & honore aliquo gauderet, & ab aliis diligentius obseruaretur, Montis Albi Dux à patre creatus est. Educatus autem inter equites armatos & adultus, cum literis vacare non potuisset, eruditione caruit: tametsi magnis ingenii viribus adiutus, & consuetudine sapientum non minus prudẽs euasit ac sapiens, quam si fuisset doctissimis præceptoribus eruditus. Sed de virtutibus eius & aliis rebus alias. Nunc enim quoniam quantam fortitudinem adolescens in officio rei militaris ostendit, quantamque meruit laudem multas adeptus victorias, & quas res

vsque

vſque ad tempus quo duxit vxorem, geſſit, in patris eius hiſtoria demonſtrauimus: cũ de Iſabellæ Reginæ die natali pauca dixerimus, ad ea quæ matrimonio coniuncti ſimul geſſerunt, ſummatim referenda veniemus.

De Iſabellæ Reginæ progenitoribus.

ETSI de Caſtellæ Regibus & Iſabellæ Reginæ proſapia longam mentionem fecimus, nunc tamen aliquid repetere perneceſſarium ducimus, vt qui fuerint eius proaui ſcire volentibus gratificãtes, quam recta linea, quamq; legitimo iure in Caſtellæ regno ſucceſſerit Iſabella poſt mortem Henrici fratris, oſtendamus. Ab Alphonſo itaque, reliquis omiſſis, initium ſumemus. Qui cum clementiſſimus & humaniſſimus fuiſſet, Petrum genuit ſibiq; ſucceſſorem inſtituit, qui crudelitatis infamiam ſubiit, vnde cognomen accepit. Quapropter ab Henrico fratre ſuo notho iure cæſus exiſtimatur. Quo de medio ſublato complures Hiſpaniæ proceres quibus illius immanitas formidoloſa fuerat, ad Henricum gratulatum conuenientes, eum ſtatim Regem appellauerunt. Hic Caſtellæ nobilium & omnium populorum voce Rex electus, humaniſſime gubernauit. Cui mortuo Ioannes filius ſucceſſit, qui filium genuit Henricũ, cui Ioannes filius in Caſtellæ regno ſuccedens Henricum filium habuit, qui propter aduerſam corporis valetudinem Valetudinarius fuit appellatus. Ex quo natus eſt Ioannes cognomento ſecundus. Hic in Tauro ciuitate natus adhuc infantulus patrem amiſit. Ideoque patruus eius Ferdinandus quaſi tutor, Caſtellæ regni curam ſuſcepit, & iuſtiſſime fideliſſimeque gubernauit, vſque ad tempus quo puer diligenter educatus & adultus ad ætatem peruenit, qua potuit gubernare. De cuius electione & iureiurãdo quo Hiſpaniæ nobiles & ciuitates Regi ſuo quaſi pignus fidelitatis præſtare ſolent, & Ferdinandi patrui eius admirabili virtute animoq; magno & excellenti latius alibi ſcripſimus. Illud autem hoc loco admonere volumus, quod vulgo fertur & in multorum mentibus inſitum eſt. Dicunt enim Ferdinandum in Toleti tẽplo maiori, quo magnates & ciuitatum procuratores cõuenerant, vt qui Rex erat futurus poſt Henrici mortem intelligerent, Ioannem fratris filium paruulum circumſtantibus oſtendiſſe ſuis humeris impoſitum. Quod alii minime probant, propterea quod eo tempore puerum Segouiæ fuiſſe dicunt, nec Toletum delatum fuiſſe propter imbecillam ætatẽ. Quapropter abſens Rex fuit appellatus. Qui procedente tempore diligẽter educatus cũ ad ætatem perueniſſet, qua iam curatoris non egebat, multis inſtructus lectionibus & ſapientum virorum conſiliis adiutus, regni ſui curam ſuſcepit, & annos prope quinquaginta regnauit. De cuius adminiſtratione rebuſque geſtis hiſtoria prægrãdis & capituloſa ſatis circũfertur. Hic Rex vxorem duxit Mariam Ferdinandi patrui ſui filiam, quæ primum filias peperit duas, quæ teneris annis à vita migrarunt, & deinde peperit Henricum, qui fuit huius nominis numero quartus. Cuius matre defuncta, pater Iſabellã duxit vxorem Ioannis Portugalliæ Regis ex filio neptem, ex qua illi Iſabella nata eſt, de qua nobis eſt ſermo futurus, & Alphonſus, qui annum agens fere decimum quartum ſublatus eſt. De cuius genere mortis quod homines opinantur, ego quidem nec affirmo nec inficior. Extinctum enim ſuſpicantur non ſine veneni ſuſpicione. quod ſi fuit datum, quod ego non arbitror, profecto nequaquam guſtaſſet, ſique de quibuſdam qui regni patrimonium occupãtes res nouas moliebãtur, ſentiebat, diſſimulando tacuiſſet. Deceptus eſt enim puer, propterea quod nec eius animus excellens, generoſus, & vere regius quæ fieri contra ſuã dignitatem videbat, tacere potuit, nec ætas puerilis hominum mores & inſidias nouerat. Nunc autem quoniam de rebus geſtis Henrici Regis, de moribus, de duabus vxoribus, quarum, quia natura mollis erat, neutram deflorauit, ab aliis autoribus multa narrãtur, & nos etiam aliis in locis pleniorem fecimus mentionem, ad Iſabellam iam noſtra reuertatur oratio.

De loco & tempore natiuitatis eius & aliis rebus.

NATA eſt Iſabella Regina in oppido Matricali, quod à Salmantica ciuitate diſtat paſſuum millia circiter quinquaginta, albi vini copia & bonitate nominatũ, anno ſupra milleſimum quadringẽteſimo quadrageſimo nono. Quæ poſt obitum patris cum mater mariti deſiderio nimium flens in grauiſſimam nõ ſolum corporis valetudinem, ſed etiam mentis ægritudinem incidiſſet, Henricuſque frater eius quem pater moriens Regem inſtituerat, omnia poſſideret, educata eſt modicis opibus tenuiq; fortuna, ſine faſtu, ſine deliciis, ſine mendaciis, ſine adulationibus, ſine vllis illecebris, quibus omnes fere magnorũ Principum liberi delicatiores educari ſolent. Quam adultam ſine vlla vel parentum vel aliorum indulgentia, ſine multis epulis, quæ plærumque bonos mores & clara corrumpũt

ingenia, Caſtellæ regni proceres fere omnes multique pontifices qui vxoris ſecundę Regis Henrici partum non legitimum fuiſſe opinabantur, Henrici fratris hęredem futuram legitimeque ſucceſſuram iureiurando conſtituerant. Quæ res Hiſpaniæ populis & ciuitatibus denunciata literis & præconum vocibus famaque late fuſa, multos Chriſtianorũ Principes, vt eius coniugium peteret, excitauit. Nam præter alios qui clandeſtino ſecretoque modo nuptias illius affectabant, tres præcipui certatim magnoque ſtudio competebant: Alphonſus ſcilicet Rex Portugalliæ, cuius vxor à vita deceſſerat, Carolus Dux Guianæ Ludouici Gallorum Regis frater & Ferdinandus Aragonię Princeps, quem parentes hanc ob cauſam paulo ante Siciliæ Regem inſtituerant. A Portugalliæ Rege miſſus venit orator Vlyſſiponenſis Archiepiſcopus, & à Ludouico Rege Francorum Car- 1
dinalis Albinus, Ferdinandi vero cauſam ſuſcepit Alphonſus Carrillus Toletanus antiſtes. Quibus Iſabella etſi diu cunctabunda magnaque verecundia ſuffuſa, ſicut in huiuſmodi re puellarum mos eſt, nihil reſpondit, ſępe tamen ac ſæpius requiſita cum Dei multis orationibus inuocaſſet auxilium, rem tulit ad conſiliarios & regni proceres atque põtifices, quos ſibi beneuolos fideleſque cognouerat. Qui prudenter omnia cogitantes, demum penſitatis omnibus competitorum partibus, & regni, paci, quietique futuræ cõſulentes, Iſabellæ conſortium Ferdinandi Siciliæ Regis maxime conuenire dixerunt. Quorum fideliſſimis & amantiſſimis conſiliis admonita & iam perſuaſa, domeſticorumque ſuorum quos honoris ſui ſtudioſiſſimos cognouerat, votis & precibus adducta, cum Portugalliæ Franciæque legatos honorifice dimiſiſſet, cum Ferdinando deſponſata eſt 2
Siciliæ Rege. Qui quidem tunc erat impubes & annorum fere decem & nouem, quem ſponſa menſibus vndecim tredecimque diebus antecedat. Iuncti ſunt itaque pares ætate, pares etiam forma, pares corporis ſtatura, pares ingenio, pares moribus, pares fortitudine, pares generis antiquitate, propinquis & affinibus. Ex fratribus enim patruelibus geniti coniunctiſſimo gradu ſanguinitatis Hiſpaniæ primates omnes pariter contingebant. De quorum contracto matrimonio cum parentes & cognati literas & nuncios accepiſſent, affecti ſunt gaudio magno, omneſque Caſtellæ, Aragonię, Siciliæque ciuitates ſacerdoteſque pſalmum Te Deum laudamus concinentes gratulationes magnas egerunt. Verum enimuero cum fortuna ſemper bonis aduerſetur, non defuit hominum malorum dolor & alienæ fœlicitatis inuidia, quorum prauis conſiliis Rex Henricus perſuaſus ac 3
potius ſtimulis agitatus, cum connubio ſororis & honore gaudere debuiſſet, eam primũ diſpoſitis inſidiis capere tentauit, & cuſtodibus tradere. Deinde cum neque capere neq; nuptias eius dirimere potuiſſet, omnium rerũ & oppidorum quæ pater illi teſtamẽto reliquerat, poſſeſſione ſpoliauit. Nec eo cõtentus, armis à regno depellere conatus eſt. Cuius iram vel cæcam potius animi caliginem cum Ferdinandus & Iſabella neq; literis deprecatoriis, neq; legatis, neque rationibus vllis placare potuiſſent, inter eos magnæ diſcordiæ crudeleſque factiones ortæ ſunt, & ea mala ſecuta quæ ſemper in regni diuiſione ſolent accidere. Nam cum regni proceres alii Regis Henrici, alii Ferdinandi & Iſabellæ factionibus adhæſiſſent, Hiſpania tota multos annos durante diſcordia ſine gubernatione, ſine iuſtitia, ſine pace, ſine quiete, magnis continuiſque flagrauit incendiis, & genus 4
omne malorum perpeſſa eſt vſque ad Henrici Regis obitum, qui mortuus eſt in oppido Maiorito anno ſeptuageſimo quarto ſupra mille & quadringentos, tertio Idus Decemb. hora noctis fere ſeptima. Obiit autem inteſtatus, vel quia (vt quidam dixerunt) ſe tũc moriturum non putauit, vel quia (quod verius eſt) vt fuit in vita negligẽs & improuidus ſemper, ſic fuit etiam in morte. Qui laborans in vltimis & articulo mortis, ea quæ ad animæ ſuæ ſalutem pertinebant, Hiſpaniæ Cardinali & aliis quibuſdam primatibus commendauit, ex quorũ numero fuere Rhodoricus Comes Beneuentanus, Marchio Santillanẽſis Cardinalis frater, Caſtellę Comeſtabilis, Dux Areuali, Marchio Villenæ. Ex quibus peractis Henrici Regis exequiis, alii ad Iſabellam Reginam quæ Segouiæ tunc erat, alii domum ſuam ſeſe contulere. Rex quoq; Ferdinãdus de Regis Henrici morte certior factus, 5
ex Cæſarauguſta Segouiã magnis itineribus ad Iſabellã venit vxorem, quæ iã reginæ Caſtellæ & Legionis nomen & titulũ ſibi vendicauerat, & cum multis curiæ ſuæ nobilib. & ciuitatis magnoq; numero ſacerdotũ Regis Henrici ſui fratris funus ſolẽniter celebrabat. Hic Segouiæ ciues ingẽti lætitia regiis ſublatis vexillis, Ferdinandũ Regem & Iſabellam Reginã Caſtellæ & Legionis altis vocibus appellauerunt, vtriuſq; manus humiliter oſculantes, quod etiam iureiurando confirmarunt. Idẽ regni proceres fecerũt & omnes Curię magnates, ſcilicet Petrus Gonſalus Mendozius Hiſpaniæ Cardinalis, Alphõſus Carrillus Archiepiſcopus Toletanus, Iacobus Mendozius, Marchio Santillanus, Garſias Aluarus à Toleto Dux Albanus, Alphonſus Henricus Hiſpani maris Almirantes maximus Ferdinandi

nandi Regis auunculus, Petrus Fernandus Velascus magnus Castellæ Comestabilis, Beltranus Cuuianus Dux Alburquerquitanus, Petrus Manrhicus Comes Triuignianus, multi præterea viri nobiles multique pontifices, atque alii quorum qui venire non poterant, procuratores mittebant, qui suo nomine quod ipsi præstare tenebantur, officio fungerentur. Idem faciebant aliæ ciuitates lætantes & populi congaudentes. Quidam vero qui nouas conditiones & res iniustas competebant, non modo non venerunt ipsi, sed ne procuratores quidem miserunt, qui rebus nouis studentes, & suis Principibus & sibi ipsis multorum laborum magnorumque malorum causa fuere. Rex autem & Regina cũ multis equitibus & ciuitatum populorumque procuratoribus officia & priuilegia quæ iure petebantur, concessissent & confirmassent, iustitiam quæ iam venerat in obliuionem, reuocare ac exercere cœperunt, & ad ciuitates populosque rectores miserunt. Cum autem gubernandi rationem modumq; statuere vellent, dubitatio quędam magnatibus & consiliariis incidit, de qua nobis aliquid scribere necesse est.

De procerum & consiliariorum couentu & dissectatione super Castellæ regni successione & gubernatione.

HIc vbi magnates, vti supra dictũ est, catholicis principibus obedientiã & iusiurandũ præstiterunt, subinde difficilis inter eos quæstio magnaq; contẽtio orta est, propterea quod Castellę regni successionẽ & gubernationẽ, alii ad regẽ, alii ad reginã pertinere contendebant. Qui regis causam susceperant, iis nitebantur argumentis, quod Castellæ regnũ Henrico Rege mortuo sine liberis ad Ioannem Regem Aragonum Ferdinãdi patrem legitimum successorem pertinebat, vel quia Ferdinandi Regis Aragonum filius & Ioannis Regis Castellæ nepos esset, vel etiam ratione sexus, quia vir erat & fœminæ præferebatur: & propterea hac eadem ratione ad Ferdinãdum eius filium ius omne tam successionis quam gubernationis spectare dicebant. Reginæ vero patrocinantes Hispaniæ nouis legibus vtebantur & antiquis historiis, quibus inueniri statumque fuisse dicebant, in Castellæ regni successione mulieres è recta linea descendentes viris prælatas fuisse, qui essent è linea transuersa & indirecta: ideoque Isabellam Ioannis Castellæ Regis filiam è recta linea descendentem Ioanni Aragonum Regi qui transuersalis erat, pręferendam esse contendebant, Reginam præsertim fortem, prudentem, & ad omnia quæ ad regni gubernationem requiruntur, idoneam. Et quod regno Castellæ succederent mulieres & gubernarent, olim statum obseruatumq; fuisse multis probabant exemplis. Siquidẽ Ormisinda Pelagii Regis filia patri suo successit in regno Legionis, quæ nupsit Alphonso qui Catholici cognomen accepit. Ordisinda quoque Froilæ Regis Legionensis soror & Silonis vxor in regno fratri mortuo successit. In eodem regno eodemque modo successit & Sanctia post Beremuti sui fratris obitum, quam duxit vxorem Rex Ferdinandus cognomento Magnus. Eliura quoque Nauarræ Regina successit in Castellæ Comitatu, cui successit filius Ferdinandus, qui primus Castellæ Rex fuit appellatus. Vrraca præterea quæ nupsit Comiti Tolosano, Alphonso patre mortuo successit in regno Castellæ & Legionis, quæ post obitum Tolosani Comitis vxor fuit Alphonsi Regis Aragonum, ex quibus natus est Alphonsus Imperator. Berenguela insuper seu Berenguaria Castellæ Regis Alphonsi filia successit Henrico fratri qui palentiæ obiit admodum puer. Et Catharina Ducis Enclaustriæ filia ad Castellæ regnum fuit assumpta cum Henrico marito, filio Regis Ioannis, qui fuit Isabellæ Reginę catholicæ proauus. His demum rationibus & exemplis quæ iam venerant in consuetudinem, iudicatum est successionem & etiam gubernationem ad Reginam pertinere tanquam propriam & absolutam regni sui dominam, & non ad regem, qui regnum gubernare non debebat, quod sibi non datum fuisset nomine dotis nec dari iure potuisset. Hac in concilio procerum lata sententia, Regina quæ prudentiæ mater erat, Regi molestum iudicium illud fuisse secum cogitans, ac etiam timens ne mutuus inter eos amor esset offensus, eum sic est allocuta. Etsi iure mihi Castellæ regni successio gubernatioque contigit, charissime coniux & amãtissime, tu tamẽ quem Deus mihi Comitem & laborum meorum socium dedit, vt vir, vt Rex, vt maritus omnia cõstitues, omnia posśidebis, omnia gubernabis. Nihil enim mihi reseruo, sed erũt inter nos, vt par est, omnia cõmunia. Nam cum Deus nos amore pares & moribus cõiunxerit, pares etiam simus in regni societate & omni iure necesse est. In nostris igitur principatibus æque tua quidem ac nostra iussa valitura sunt. Quod autem nostri proceres & consiliarii cui nostrum Castellæ regnum successio competeret, scire voluerunt, molestum nobis esse non debet. Hoc enim ius quod modo sapientum virorum iudicio deci-

ſum eſt, ſi res & incommoda quæ poſthac accidere poſſent, proſpicere volumus, & no-
bis ipſis maxime conuenit, & ſucceſſoribus noſtris profuturum eſt, & maxime neceſſa-
rium. Hactenus enim, vt vides, nobis filius nõ eſt, & an ſit futurus incertum eſt. Iſabellam
habemus vnicam filiam. Quæ ſi vixerit & alicui principi vel noſtræ nationis vel externo
nupſerit, maritus quidem eius ſi de Hiſpaniæ ſtirpe regia fuerit, quamuis è tráſuerſa linea
deſcendens, noſtrum poſt obitum hac ratione, qua vir fœminæ & maritus vxori præce-
deret, regni proprietatem gubernationemque ſibi vendicare perfacile poſſet. Sunt præ-
terea tibi fratres patrueles, ſunt & amitini complures, quorum quidem vnuſquiſque no-
ſtris ſucceſſoribus litem poſſet intendere. Qui ſi forte vel contra nos vel contra ſucceſſo-
res noſtros aliquid agere conabuntur, hoc quidem iure quod modo repertum eſt & ſta-
tutum facile repellētur. Vides igitur quam commode quam prudenter & nobis & noſtris
hæredibus conſultum ſit. Quandoquidem niſi Dei benignitate res acta ſic eſſet, exiſtima-
re atque ſcire poſſemus nepotes noſtros quos nobis gratias acturos ſperare poſſumus, ne-
gligentiam noſtram apud Deum & homines accuſaturos. Nunc autem nihil eſſe video
quod timere debeamus, nihil quod nos ſolicitare poſſit, præſertim ſi nõ ingrati ad Deum
res noſtras & omnia vota referemus, cuius gratiam & auxilium ſpero nobis nũquam de-
futurum. Hæc cum Regina dixiſſet, eius prudentiam Rex admiratus primum procerum
conſilium laudauit, deinde Reginæ ſermonem ſibi gratiſſimum fuiſſe reſpondit, poſtre-
mò dignam eſſe Reginam & ſatis idoneam quæ non modo Hiſpaniam, ſed etiam quæ to-
tius orbis imperium regeret. Et eodem die hac de re ſilentio iuſſo ſtatuerunt, vt in literis
omnibus & priuilegiis quibus negocia expedirentur, vtriuſque nomen ſcriberetur hoc
modo: *Nos Ferdinandus & Iſabella Dei gratia Rex & Regina*: literæque ſigillo premerentur
caſtella, leones, baculos, & aquilas continente, quæ ſunt regnorum quatuor inſignia. De
quibus ſuo loco plura ſcribemus. In aurea quoque moneta quam cudi iuſſerunt, vtriuſq;
nomen imprimi voluere ſicut in literis cum ſignis eiſdem & pręterea facies capitibus co-
ronatis. Qui deinde multos annos & quam diu vixerunt, multa regna magnoſque princi-
patus quam ſanctiſſime gubernauerunt, admirabili iuſtitia, magna fide, ſummaque con-
cordia. Nam etſi non fuerunt homines malæ mentis qui diſſenſiones inter eos moliren-
tur, qui rem ſuam augere procurantes in triticum zizaniam ſpargerent, tanta tamen fuit
vtriuſque prudentia, tanta conſtantia, tanta fides, tanta vitæ morumque ſimilitudo, tanta
denique voluntatis æqualitas & animorum concordia, vt humanam conditionem atque
naturam, quę quidē in regni gubernatione ſocietatē ferre vix poteſt, facile ſuperauerint.
Cuius quidem rei cauſa fuit, quod omnibus in rebus tam diuinis quam humanis nihil al-
ter egit vnquam ſine alterius vel conſilio vel aſſenſu. Nihil alter faciendum ſibi putauit,
quod alterius vel dignitatem vel animum potuiſſet offendere, nihil alter ab altero petere
auſus eſt, quod honeſtum non fuiſſet, vel negari iure potuiſſet. Erant enim vnanimes & ſe
mutuis affectibus amabant, & alter alterum non vt coniugem, & dignitate parem, ſed tá-
quam ſuperiorem maxime timebat & reuerenter obſeruabat. His naturæ dotibus orna-
ti, his pares virtutibus, nimirum ſub eodem ſydere nati fuiſſe videbantur. Quibus idem
velle fuit ſemper & idem nolle, quibus Deus propitius fuit ſemper adiutor & protector,
cuius auxilio res magnas geſſerunt, ſuos principatus non modo defenderunt & conſer-
uarunt, ſed auxerunt etiam mirũ in modum, & ſuis virtutibus & rebus geſtis illuſtrarunt,
& immortalem famam perpetuamque memoriam reliquere, perpeſſi tamen labores in-
numeros & maxima pericula. Nam cum poſt Regis Henrici mortem ei legitime ſucceſ-
ſiſſent, & autoritate regia multis malis occurrentes iuſtitiam in multifariam delinquen-
tes exercere cœpiſſent, idem illi qui Regis Henrici partes ſuſceperant, timentes ne rerũ
quas iniuſte poſſidebant, poſſeſſiones amitterent, Alphonſo Portugalliæ Regi perſuaſe-
runt, vt Caſtellæ regnum repeteret, quod ſibi ratione matrimonii quod cum Ioanna quá
Regis Henrici filiam eſſe iurauerant, contrahere volebat, iure deberi contendebant. Qui
malignis illorum conſiliis impulſus, ſuoque iudicio deceptus, & alieni regni cupiditate
captus, magnos coegit exercitus, & cum equitum quinque millibus & peditum quinde-
cim in Caſtellæ regnum ingredi ſtatuit: tametſi nõ defuere ſuæ domus tunc temporis vi-
ri prudentes & conſiliarii qui eum à propoſito reuocare conabantur, quorum vnus ſuo
& aliorum nomine ſermonem huiuſmodi habuit.

Conſilium quod dederunt Regi Portugalliæ ſui familiares.

NOSTRA erga te fides & obſeruantia quam tibi debemus, Rex excellens, nos maxime
cogunt & ſanctiſſime monent, vt ea quæ de belli huius expeditione quam aliorum
conſiliis iam perſuaſus parari iubes, proſpicere videmur, tibi non ignota eſſe patiamur:
quando-

quandoquidem nisi nos animi nostri fallunt, huiusmodi belli motus & apparatus multa nobis magnaque mala portendere videntur. Magna namq; res est expeditio belli, & quæ bonis magis consiliis quam magnis viribus eget. Ideoque viri prudentes & magni duces non tam principiis rerum quas aggrediuntur, quæ plærumque maligne prospera se offerunt, confidere, quam qui sit futurus finis, prospicere solent. Quod quidem consequi atque præscire facile est hominibus qui genus causæ quam suscipiunt, non ignorant, & suas vires cum aduersariorum viribus conferunt. Nam quum magnis de rebus decertatur armis, eos ratione fouente victores fore sperãdum est, quorum causa iustior est & maior potentia. Duo nunc igitur tibi præcipua præter alia multa consideranda sunt, magne Princeps, primum iustam an iniustam belli gerendi causam habeas, deinde vires tuas cum aduersariorum viribus conferre debebis. Hæc enim duo si prudenter animo tecum volutaueris, & si rationi magis quam hominum qui res nouas moliuntur, cõsiliis parere volueris, bellum profecto quod tibi gerendũ putas, consilio nostro nõ incipies, propterea quod causa nostra, si verum dicere licet, non modo iusta nõ est, sed ne honesta quidem. Quam si defendendam susceperis, domus tuæ nimirum dedecus, de quo nũc siletur, per vniuersum terrarum orbem circumferetur. Henrico nanque Regi Castellæ genitiuam virtutẽ defuisse, non solum eius vxoris primæ Regis Nauarrę filiæ duodecim annorum cõtubernio & continua consuetudine cõpertum est, sed etiam aliarum mulierum quæ die noctuque cubiculum regium frequentabant, testimonio constat. Quod si tibi in animo est bellum gerere, vt sorori tuæ famam & honorem restituas, cũ diuinum ius & humanum violaueris, & Deum grauiter offenderis, nulla profecto ratio est, nullã causam videmus, qua victoriam sperare possimus aut debeamus. Quid præterea futurum putamus, si vires & facultates nostras cæterasque res ad belli vsum necessarias cum aduersariorum nostrorum copiis & aliis rebus contulerimus? Facile quidem, si nobis blandiri nolumus, quanto rebus omnibus inferiores sumus, iudicabimus. Scimus enim quanta sit Hispaniæ magnitudo. Cuius tibi quota pars obtigit: aduersarii vero Hispaniam iam totam possident. Quocirca si nos hominum millia decem coegerimus, illi, si res postulauerit, armatorum millia centum facile conficient. Quippe qui dominantur non solum multis magnisque Lusitaniæ prouinciæ populis, sed etiam Bæticis, Carthaginensibus, Saguntinis, Tarraconẽsibus, Laletanis, Aragonibus, Celtiberis, Vasconibus, Cantabris, Asturibus & Callecis, quibus nõ modo tuos exercitus à suis finibus prohibere, sed omnes etiam Barbaricas gentes debellare facile possent. Quid præterea Siculos referemus, quid Sardos & Baleares? qui cũ maximis diuitiis & opibus abundent, Siculi præsertim quorum tellus admodum frugifera est, & equorum alumna, quantum copiis, armis, nauibus, equis, commeatibus & pecuniis suos principes quos maxime colunt, adiuuare poterunt, hinc iam facile prospicimus. Rex autem Siciliæ Ferdinandus, quem tibi puerum esse dicunt, etsi paruus est ætate, satis tamen magnus est ingenio, & in bello prudens, acer, & quod experientia iã cognouimus, fortunatus, qui admodum puer magnas, vt scimus, victorias est adeptus. Vicit enim nõ sine magna admiratione Petrum nostrum Portugalliæ strenuum virum, quem Barcinonẽses sibi Regem elegerant, vicit & Ioannem Andegauensium Ducem, virum in re militari satis expertum, qui veniens ex Gallia cũ magnis Gallorum copiis, cum Gothalanis & Barcinonensium copiis se coniunxerat. Quid igitur eum posthac facturum arbitramur, cum sit & experientia doctior, & corpore firmior, & copiis multo potentior? Qui nũc Castellę Rex appellatus omnes Hispaniæ viros primarios, affines, & propinquos habet, cui pater adest Aragoniæ Rex & frater Alphonsus Aragoneus, ambo duces in bello fortes officioq; rei militaris insignes, qui sæpe paruis copiis magnos Gallorum exercitus profligarũt. Cui præterea deesse non poterit, si necesse fuerit, & Rex Neapolis Ferdinandus eius frater patruelis, cuius filius Alphonsus Dux Calabriæ totius Italiæ populis imperat. Quæ sint igitur aduersariorum vires iam vides, Rex prudentissime. Nos autem in vltimo Lusitaniæ prouinciæ angulo conclusi sumus, & quasi pisces vndiq; retibus circumuenti. Vnde si semel egressi fuerimus, redire fortasse nobis non erit integrum. Tecum prius igitur omnia prudenter cogita, magnanime Princeps, ne tam faciles Castellanorum verbis qui tibi sese offerunt, aures præbeas, ne te viris ignotis temere committas, non omnibus confidas. Nam qui nunc à suis principibus iniuste deficiũt, te nimirum cũ primum belli fortunam ad hostes tuos inclinatam viderint, continue deserent. Facient enim sicut delphini facere solent, qui cum thynnos ad piscatorum retia perducunt, sibi solis exitum salutemque reperiunt.

Reſponſum Regis contra ſententiam aliorum.

HOc ſermone habito ſubinde rex, Enimuero, inquit, de periculo cogitare quod incertum eſt, & mortem timere quæ nullam ſecum turpitudinem afferat, non tam ſtrenui ducis eſt & animi fortis quam deſidis hominis & ignaui. Cauſa noſtra quæ nobis tacenda magis quam defendenda videtur, iuſta ſit an iniuſta, ſolus quidem Deus cui nihil eſt occultum, ſcire poteſt. Res enim quæ non oculis hominum cernuntur, humano cenſeri iudicio non debent. Scimus namque quæ ſint hominum ingenia, qui ſint mores, quanta ſit honoris ambitio, quanta regnandi cupiditas. Quibus quidē rebus homines improbi qui Deum non colunt, neque timent, conflagrantes & inuidiæ ſtimulis acti, plærumq; bonos & innocentes inſimulant, calumniantur, infamant, & ſi poſſunt etiam de medio tollunt. His enim rebus accenſus Abelum fratrem ſuum Cainus crudeliter occidit, Remum Romulus interfecit, & Iulius Cæſar Pompeium generum cui multum debebat, ad mortem compulit, & Romam patriam ſuam ſibi ſeruire coegit, pro cuius incolumitate multi ciues mortem ſubire non recuſarunt. Tantum enim poteſt regnandi cupiditas. Non igitur facile credere debemus vera eſſe quæ nunc aduerſarii de Regis Hērici defectu naturæ mēdacia confingunt, propterea quod hanc ſolam ſibi cauſam reperiunt qua regno Caſtellæ potiri queant. Quam quidem cauſam, ſi vera eſſet, Henricus rex ſui ipſius conſcius & homo Chriſtianiſſimus, ſi forte viuens vel pudore, vel metu, ne regno priuaretur, occultauerat: moriens tamen nequaquā tacuiſſet. Quoniam igitur hoc nobis incertum eſt, & me multi Caſtellæ proceres vltro vocant, qui profecto ſe periculis non exponerent, ſi de iuſtitia noſtra & victoria dubitarent, & honori meo ipſe deeſſe neq; poſſum neq; debeo, belli caſus, ſi bello inquam opus fuerit, & fortunam experiri iam mihi decretū eſt. Nam quod inimicorum copias & numeroſos exercitus noſtris facultatibus maiores fore putatis, nō adeo tam inopes neque tam miſeri ſumus, vt ab hoſtibus aut diuitiis aut liberalitate vincamur. Pecuniis enim quibus præcipue bella geruntur, abundamus. Equites nobis & milites non deerunt. Nam præter noſtræ nationis homines qui fortiſſimi ſunt, plurimi quoq; vel Caſtellani vel aliarum nationum quos fideles & conſtantes fore nō dubito, nobis quā libentiſſime militabunt. Quod autem multos aduerſarii propinquos & affines habeant, non ſunt nobis propterea formidoloſi. Nos enim nō ex ſilice nati ſumus, ſed cognatos habemus etiam, liberos, & amicos, habemus præterea pecunias, quæ quidem ſunt omnibus amicis & propinquis fideliores. Erit inſuper nobis pro iuſtitia virtuteq; pugnātibus Deus propitius, cuius præſidio muniti clypeoque protecti nihil timebimus, & inimicorum copias quamuis numeroſas vincere atque delere facile poterimus. Vos igitur qui ſiue metu ſiue alia cauſa tantopere contrariorum noſtrorum vires extollitis, admoneo, ne poſthac, ſi vobis noſtra gratia chara eſt, aut noſtris viribus diffidere, aut de victoria deſperare videamini.

De legatione quam Rex Portugalliæ miſit ad Reges Catholicos.

HÆc cum dixiſſet, poſtero die Caſtellæ Regis & Legionis nomen accepit, & Royſiū Soſam ſuæ domus equitem cui maxime confidebat, ad principes catholicos cū mandatis legatum miſit, quibus non dubitare ſe dicebat, quin Ioāna quam ſoror eius peperiſſet, ex Henrico Rege Caſtellæ genita fuiſſet, ad quam patre mortuo Caſtellæ & Legionis regnum iure pertinebat, propterea quod in bonis paternis hęres legitima ſola ſuccedebat. Quod autem Regis Henrici filia eſſet, teſtes erant multi regni proceres, multæque ciuitates & populi, qui priuſquam Rex Henricus diem ſuum obiiſſet, filiam eius Ioannam poſt obitum patris Reginam fore iureiurando confirmauerant. Quam Reginā quoniam ſibi matrimonio iungere decreuerat, & ad regnum ſuum iam hęres legitimus venire volebat, eos rogabat ac monebat, vt ſibi regni ſui quod iniuſte poſſidebant, poſſeſſionem liberam expeditamque relinquerent. Ad quod regnum ſi quid habere ſe iuris arbitrarentur, ex eo donec in iudicio cauſa cognoſceretur, exirent. Quod ſi facere vellent, ipſe quoq;, ne malorum cauſam dediſſe videretur, aduentum ſuum libentiſſime differret: ſin autem diſcedere nollent, & in alieno regno contra diuinum ius & humanum permanere vellent, ille Deo iuuante cum omnibus copiis quas paratas & magnas habebat, in regnum ſuum propediem venturus eſſet. Et omnium malorum quæ ſolent in bellis accidere, cauſam ſe non fuiſſe Deum teſtabatur & homines.

De Catholicorum Principum reſponſo.

REx autem Ferdinādus & Iſabella Regina cum Portugalliæ Regis oratorem audiuiſſent, ſuæ curiæ magnatibus & conſiliariis conſultis hoc modo reſpondere. Non ſine

magna causa miramur Alphonsum Portugalliæ Regem, Principē multis (vt fama refert) decoratum virtutibus, magnoq; ingenio præditū, ad nos huiusmodi misisse legationem. In qua nimirum eius & prudentiam & constantiam requirimus, quippe qui Ioannam sororis suæ filiam nihil ad Castellæ regnum iuris habere non ignarus, sine vlla ratione, sine vllo iustitię fundamēto res à nobis petere videtur, nō iniustas modo & penitus indebitas, verumetiam propter honestatē subticendas & occultandas. Quas quidem res siue armis habere velit, siue legibus, neq; iuste nobiscum bellum geret, nec honeste & sine suspicione cupiditatis litigabit. Qui nunc prauis adductus consiliis, eam ducat vxorem sororis suę filiam regni cupiditate captus, cuius antea nuptias ab Henrico Rege rogatus cum regni successione recusauit, non aliam ob causam, nisi quia regnum sibi dari iure non posse reperiebat. Quem quoniam falso persuasum videmus atque deceptum, pro necessitudine qua nobis coniunctus est, admonemus atque rogamus, vt inanem suam cogitationem & opinionem falsam deponat, vt ab instituto quod in suam molitur perniciem, discedat, vt magnam infamiā qua suū genus & virtutes omnes deformabit, nisi sibi prospiciat melius, effugiat, vt illis denique suum honorem & salutem nō committat, qui sua commoda procurantes neque ei neque nobis seruire student. Idem ipsi nanque fuerunt & eorum parētes nouarum rerum molitores, qui proximis annis augere sua patrimonia cupientes, inter duos fratres Castellæ principes zizaniam venenumque sparseruut, atque per Hispaniam totam & vltra iureiurando publicauerunt, Henricum Regem neque genuisse filiam, neq; habere potuisse. Quamobrem & Alphonsum fratrem eius Regem eligētes alterum cum altero commiserunt, multorumque malorum causa fuere. Qui modo sine vlla verecundia, sine vllo Dei timore, quod tunc iure vereque negauerunt, falso nunc affirmare conātur. Quorum diabolicas suggestiones & mentes dolis instructas, si Rex Portugalliæ prudenter & animo libero considerare voluerit, profecto nec fide nec sua gratia dignas esse facile iudicabit, & amicitiam nostram quā cæteri Christianorum Principes magnifaciūt, perniciosis aliorum mendaciis falsisque consiliis anteponet. Quod si fecerit, vt volumus & speramus, Christiani Principis atque prudentis officio functus, multos hominum interitus & omnia malorum genera quæ bella secum ferre solent, euitabit: sin vero præter ingenium suum & regios mores necessitudinem nostram & amorem, quod non putamus futurum, contempserit, & peruersis potius aliorum studiis obsequi, quam fidelissimis nostris & amantissimis monitis acquiescere maluerit, ac nos vel ad iudicium vel ad arma prouocauerit, nos quidem ei Deum testem conuocantes, & in foro libenter & in campo respondere parati sumus.

De Portugalliæ Regis ingressu in regnum Castellæ.

CVM hoc responsum Portugalliæ Rex accepisset, indignatus & alieni regni cupiditate captus, cum omnibus copiis quas ante diximus, in Castellæ regnum ingressus, cum Castellanis suæ factionis à quibus accitus fuerat, se coniunxit, & oppida multa nonnullasque ciuitates occupauit. Qui cum Ferdinandus & Isabella prælia multa gesserunt. Ex quibus cum alia, tum vero illud vnum prælium quod inter duas ciuitates, Zamoram scilicet & Taurum, apud amnem Durium, quem locum nonnulli campum Gothorum dicunt, gestum est, quoniam fuit maxime memorabile, pluribus verbis alio loco lōgioriq; narratione scripsimus. Hoc enim prælio Reges ambo & eorum duces & omnes equites maximas vires & fortissimos animos ostentarunt. Acriter enim vtrinque pugnatum est ab hora fere diei nona vsque ad solis occasum, æquo Marte, & victoria in neutram declinante partem. Demum multis vtriusq; partis occisis, multisq; grauiter vulneratis, cū Portugallię Regis equites longo defessi certamine magnaq; pluuia retardati, pugnare vix possent, terga vertere cœperunt, & fuga salutem quærere. Quos equites Ferdinandi iam victores insequētes, in amnem Durium compulerunt, in quo demersi complures & aquas haurientes animas exhalabant, quorum multos amnis impetus ad Zamoræ vsq; mœnia deuoluit. Alphonsus autem Rex multis de numero suorū captis, & octo signis amissis & etiam suo, pene solus effugit, & beneficio superuenientis noctis euasit. Gestum fuit hoc prælium die Veneris Kal. Martiis anno septuagesimo sexto supra mille & quadringentos. Sub idem tēpus Gallorum Rex Ludouicus magnum in Hispaniam misit exercitum, propterea quod Isabella Carolo Guianensi Duci cuius coniugium recusauerat, Ferdinandum Siciliæ Regem prætulisset. Cuius exercitus oppidum maritimum quod indigenæ Fontem Rabiam vocant, acriter oppugnabant. Quo Rex Ferdinandus magno cum subsidio profectus, hostes ab obsidione submouit, & in Galliam redire coegit. Hinc propulsis hostibus, & oppidanis & multis equitibus & præcipue Iacobo Sarmento Comite Salinarum, qui priusquam Rex aduentasset, suis cōuocatis equitibus & copiis, quos suis pecuniis coegerat, ho-

ſtibus occurrerat, qui contra Gallos fortiſſime propugnauerant, honorifice collaudatis, ad Iſabellam per Cantabriæ populos & Aſturiæ contra multos qui grauiter deliquerant, iuſtitiam exercens in Turrem Syllanam reuerſus eſt. Nunc autem præſentibus hoc epitomate ſummaque breui quam in principio polliciti ſumus, ſatisfacientes, alias res omnes quas poſthac vſque ad tempus vtriuſque mortis Catholici principes animoſe ſanctéque geſſerunt, in maiori volumine poſteris legendas relinquimus. Hiſtoria enim non viuentibus qui rebus geſtis interfuerunt & earum autores nouerunt, ſed nepotibus ſcribitur & naſcituris. Res igitur Ferdinandi Regis & Iſabellæ memorabiles quas in lucem nūc proferre non poſſumus, admirata quidem vehementer poſteritas leget. Admirabitur ſiquidem quicunque legerit Fernandinas & Iſabellicas virtutes, & res diuino potius quam humano conſilio geſtas. Admirabitur eorum coniugium fœliciſſimum, cuius non regnorum, ſed virtutum dotes exiſtimari debent. Siquidem non ad voluptates, non ad delicias, non humanis auſpiciis, ſed ad opera ſanctiſſima, ad multorum malorum remedia maxime neceſſaria fuit inſtitutum diuinitus, vt ſcilicet Catholici principes quaſi Dei gubernatores iuſtitiæque miniſtri magnos Hiſpaniæ tumultus, factiones, ſimultates, ſeditiones compeſcerent: vt multorum ſuperbiam, ſæuitiam, audaciam, furorem, temeritatem, arrogantiam, immanitatē, inſolentiam infrenarent: vt latrocinia, furta, rapinas, violentias, & graſſatorum crudeles impetus opprimerent: vt iniurias, contumelias, mortes, parricidia, ſacrilegia, virginum raptus, & ſacrarum mulierum cum viris commercium ſuſpectamque conſuetudinem prohiberent: vt ad pacem, ad ſecuritatem, ad concordiam, ad tranquillitatem, ad bene beateq; viuendum leges & iura componerent. Mirabitur & mutuam inter eos beneuolentiā, fidem, obſeruātiam, concordiam, morum ſimilitudinē, pares animos, eadem ſtudia, dignitatem Regis & Reginæ venuſtatem, & vtriuſque formam præſtātem maieſtatemque venerandam. Mirabitur longiſſimam rerum geſtarum ſeriem, præclara virtutum exempla, ſanctorum operum mirabilia monumenta, ſtudium erga Dei cultum vigilantiſſimum, & curam maximam ſummamque diligentiam. Mirabitur tormēta, pœnas, & ſupplicia quibus merito plectebantur homines in Chriſtiana fide vel titubātes vel male ſentientes. Mirabitur exterminatos ex Hiſpania Siciliaque fuiſſe, qui ſceleratiſſimi Mahumeti nefandiſſimum nomen adorabant, omneſque Sabbatarios adhuc eius aduentum quem crucifixerant, expectantes. Mirabuntur omnes gentes bella fortiſſime ſanctiſſiméque geſta, victoriaſque triumphales, quas & de barbaricis gentibus habuerunt, & de Chriſtianis potentiſſimis principibus atque ditiſſimis. A quibus non ſua quidē, ſed illorū culpa ſæpe recuſantes ad arma prouocati fuere. A quibus præterea principes Hiſpaniæ futuri cognoſcent multarum rerum poſſeſſiones fuiſſe repetitas & ſine mora recuperatas, quas anteceſſores negligenter amiſerant, à quibuſdā multos annos vſurpatas, multoſque principatus videbunt, alios vltro reſtitutos, alios armis acquiſitos. Mirabuntur & multas ac ſanctas expeditiones, atque longiſſimas ad aurifodinas nauigationes, apud Antipodas quos Indos appellant. Legent enim lætantes ſui clariſſimi generis originem ſummamq; nobilitatem repetentes, quam ducunt à ſummis Imperatoribus & omnium Chriſtianorum Regibus primariis, quibus Ferdinandi & Iſabellæ filiæ nuptæ fuere. Inuenient denique magni principes & imitari virtutis æmuli ſtudebunt Ferdinandi Regis humanitatem, clementiam, fortitudinem, prudentiam, & Iſabellæ multifarias virtutes. Quæ quidem ſi fuit, quemadmodum vocabatur, alta, tamen erat mitis, humilis & affabilis: ſi mulier animoſa, virago, fortis & conſtans: ſi potens, recta iuſtitiæ cultrix & continua comes: ſi diues, non parca, non diuitiarum cuſtos & auida, ſed munifica, ſplēdida, liberalis & magnanima: ſi Regina multis & magnis occupata negociis, religioſiſſima ſacerdos, & Dei, Mariæ virginis, & omnium ſanctorum maxima cultrix, quibus non horarium modo ſacerdotum more, ſed etiam vt Chriſtianæ religionis obſeruantiſſima, multo plures & votiuas orationes quotidie perſoluebat. Erat enim diuinarū rerum quam humanarum multo ſtudioſior. Quibus quidem orationibus atque ſanctis operibus & meritis Dei benignitas fidelium ſuorum mētes & res Hiſpaniæ reſpexit, defendit, iuuit, amplificauit, & altius extulit, & ex tenuiſſima fortuna principes Catholicos & fideles ad honores ampliſſimos & ad ſummum rerum faſtigium ſublimauit, ſibique propius adiunxit. Vnde non immerito datum eſt illis nomē altitudinis, quoniam Deo qui ſolus eſt altiſſimus, ſolus maximus, ſolus optimus, ſolus omnipotens, mirabilia eius opera & immenſa beneficia contemplantes & aſſidue gratias agētes, proximi ſemper adiunctiq; fuere. Quibus res diuinas ſemper humanis præferentibus omnia proſpere ſuccedebant. Dedit enim Deus illis præter alia bona non ſolum viros magnos in conſiliis capiendis ſcientiæ plenos & fidei, ſed etiā ſtrenuos equites in bellis gerēdis, & duces fortes & illuſtres. Ex quib. aliquos & eos præſertim quorū

maxima

maxima virtus & constantissima fides erga suos principes in multis magnisque laboribus & periculis in officio permansit, breui nomenclatura recensebo. Sunt itaque viri memorabiles & summa laude dignissimi, qui suis principibus officium præstiterunt, qui sequũtur: Petrus Gonsalus Mendozius Siguntinus Episcopus, qui fuit Archiepiscopus Toletanus & Hispaniæ Cardinalis, Alphonsus Aragoneus, Petrus Ferdinandus Phari Comes & Castellæ Comestabilis. Alphonsus Henricus Hispani maris Almirantes Ferdinãdi Regis auunculus, & eius fratres Frãciscus & Henricus, Garsias Aluarus a Toleto Dux Albanus, & eius filius Federicus, Rodoricus Pimentellus Comes Beneuentanus, Hẽricus Gothomanus Dux Nethymnæ Sidoniæ, Rodoricus Manricus Comes Paretanus Sancti Iacobi militiæ præfectus, & Georgius eius filius, Iacobus Mendozius Dux Infantatius, & Inicus eius filius, Aluarus Mendozius Comes Castrensis, Iacobus à Corduba Comes Caprensis & eius filius Rodoricus, Ioannes Silua Comes Cisfontanus, Ioannes Ribera dominus Montis maioris & Ferdinandi regis custos, Rodoricus Henricus Comes Alualistensis Almirantis Alphonsi filius, Rodoricus Leo Dux Gaditanus, Alphonsus Cardinas Sancti Iacobi militiæ præfectus, Inicus Lopez Mendozius Comes Tendilianus, Alphonsus Fonsecus Coccensium dominus & Alahegiorum, Alphonsus Arellanus Comes Aquilaris, Iacobus Lupus Aiala, Laurentius Suares Mendozius Comes Coruniæ, Petrus Mendozius Comes Montisacuti, Petrus Aluarus Osorius Astoricæ Marchio, Iacobus Sarmentus Comes Salinarum, Ioannes Manricus Comes Castagnetæ, Gabriel Manricus Comes Osornius, Petrus Manricus Comes Triuigñi, Petrus Acugnius Comes Bondianus, & eius filii Ferdinandus & Ludouicus Sanctius à Castella, Federicus Manricus, Laurentius Suares Ficaroa Comes Ferianus, Gasto Cerdanius Dux Methymnæ cœli Alphonsus Solisius Episcopus Gaditanus, Alphonsus Fonsecus Archiepiscopus Palentius, Andreas Caprerius Marchio Moianus, Ignicus Manricus Episcopus Caurensis, Petrus Siluius Episcopus Pacensis, Petrus Ribera principis Alphonsi nutricius, Iacobus Hurtatus Mendozius Episcopus Palentinus, Petrus Anies Fasiardus Murciæ præfectus. Hi fuerunt itaque Castellæ viri generosi iustitiæ cultores & fidei. Quibus adiuti Ferdinandus & Isabella catholici principes omnes aduersarios oppresserunt, & validissimos hostes debellarunt, & suos principatus non solum defenderunt & conseruarunt, sed etiam maiorem in modum amplificarunt, aliaque regna multa consecuti fuere. Tales igitur viros illustres & memorabiles nominatos, quamuis longa nomenclatura, recensuimus, vt præsentes Hispaniæ principes, illorum filios, & futuri, nepotes successoresque cognoscant, vt par est, ament & magnificiant.

De nouo genere iustitiæ quod Catholici Principes in delinquentes excogitarunt.

DVM rex Ferdinandus & Isabella regina duos magnos Portugalliæ Franciæque regis exercitus è suis finibus arcebant & propulsabant, complures Hispaniæ ciuitates & populi quamplurimis sæuissimis latronibus, homicidis, raptoribus, sacrilegis, grassatoribus, adulteris, temerariis, innumeris insultibus, & omni genere delinquentium crudelissime vexabantur, à quibus neque reges neque Deum timentibus non modo fortunas suas & patrimonia defendere non poterant, sed ne filias quidem & vxores. Erat enim sceleratorum hominum maxima multitudo, quorum alii leges humanas diuinasq; contemnentes, magistratus omnes insolenter vsurpabant: alii ventri somnoque dediti vim palam nuptis, virginibus, & sacris mulieribus inferentes, libidinem & incestum turpiter exercebant: alii mercatores itinerantes & ad nundinas proficiscentes, omnesque viatores crudeliter occidebant & spoliabant: alii quibus maiores vires erant maiorque dementia, populorum possessiones & regias arces occupabant, ex quibus violẽter egredientes omniũ finitimorum agros populantes, non solum greges armentaq; & omnia bona prędabantur, sed homines etiam secum ducebant captiuos, quos deinde cognati & affines pecunia redimere cogebantur. Tot igitur tantisq; malis atq; periculis rex & regina desiderantes occurrere, nouum iustitię genus remediumq; proficuum, quod Hermandatũ, vel (vt alii volunt) Hermanatum dicitur, inuenerunt, quo facilius improbi capi puniriq; possent. Conuocatis itaq; ciuitatibus & populis eorumque procuratoribus statuerunt, vt aduersus delinquentes & homines sceleratos vnusquisq; pecunias contribueret. Quod omnes cõtradicente nullo libentissime fecere. Ex collatis itaq; pecuniis exercitus equitũ duorum millium magnusq; peditum numerus comparatus est, quibus Alphonsum Aragoneum Villæ Formosæ Ducem præfecerũt, qui breui tempore multos rebelles & grassatores omnes deleuit, castella multa recuperauit, populosq; qui regem & reginã contempserant, omnes

imperio regio ſubegit. In ciuitatibus præterea populiſque iuſtitiæ præfectos, iudices, & ſa-
tellites extraordinarios conſtituere, qui miſerabiles accuſatorum querelas audirent, &
reos cuiuſq; criminis fugientes perſequerentur, atq; deprehenſos palis in campo defixis
alligatos ſagittariis interficiendos exponerent. Perſecutorū autem tanta erat diligentia
contra peruerſos homines & immanes, tantaq; per omnes vias feſtinatio, vt euadere de-
linquentium nemo poſſet. Quæ res bonis omnibus magnam ſpem ſecuritatis attulit, &
malis fuit maximo timori.

De Canariis inſulis acquiſitis.

VICTIS iam & propulſatis hoſtibus externis, catholici principes in rebelles & omnes
improbos animaduertentes cum multas ciuitates & populos multaque caſtella re-
cuperaſſent, magnam deinde claſſem ad Canarias inſulas miſere, multaſque naues armis,
equis, commeatibus & rebus omnibus ad nauigandum & bellum gerendum neceſſariis
onuſtas, quibus præfecerunt Petrum cognomento Veram, virum ſane fortem & in offi-
cio rei militaris expertum, qui triennium fere cum Barbaris Canariæ bellum geſſit diffi-
cilimum. Canarii enim etſi armis ferroque carebant, telis tamen vtebantur ex arborum
ramis, quæ petris acuebant tenuiſſimis, quibus quaſi iaculis ferreis & peracutis clypeos
ſcutaq; facile perforabant. Lapides præterea fortiſſime iaculabantur, quippe qui ſunt ho-
mines lacertoſi magnarumq; virium, pugnaces & animoſi, qui ex antris quæ plurima ſunt
apud eos, veluti ex arcibus, ferociſſime propugnabant. Victi tandem ſubactiq; catholicis
principibus paruere. Quibus vinci multo quidem fuit vtilius, quam ſi viciſſent, propter-
ea quod antea ferarum more viuebant, nunc autem cultum humanū diuinumq; cogno-
ſcunt, & Chriſti numen adorant. Quorum tellus eſt calidior multumq; frugifera, pecori-
bus & præſertim domeſticis abundant. Mellis multarumq; rerum ad humanæ vitæ vſum
magna illic eſt copia. Homines colore neque candido ſunt neq; nigro, naſo plano latoq;,
acri ingenio, qui non lana, non lino, ſed dumtaxat ex animalium pellibus veſtiebantur, &
herbarum radicibus, caprarum lacte veſcebantur & carne, arborum præterea terræque
fructibus. Domos habebant ex arborum ramis contextas & ſpeluncas, quibus ſolis æſtus
& pluuias arcebant. Terram colebant bouinis cornibus, & labore maiori quam cultura
multum colligebant fructum. Deum vnicum adorabant ſublatis ad cœlum manibus. O-
randi locum habebant certum ſtatutumque, quem locum quotidie caprino lacte ſparge-
bant, & capras quarum lacte hoc faciebant, ſelectas habebant, quas ſancta vocabant ani-
malia. Lingua vtebantur barbara, ſibique ſolis intelligibili. Quapropter catholici princi-
pes ad eos Hiſpanorum colonias miſerūt, & ſacerdotes viroſque ſapientes, vt eos inſtrue-
rent, & ad religionem Chriſtianam fidemque catholicam conuerterent. Cæterum ſunt
in Atlantico mari inſulæ quas Plinius & alii ſcriptores Fortunatas appellāt, numero ſeptē,
quas rem non ingratam facturus videor, ſi nominatim recenſuero: Obrion, quam Plinius
vocat Ombrium, ſine vllis ędificiorum veſtigiis, quę ſtagnum habet in montibus, & arbo-
res ferulæ ſimiles, ex quibus aqua exprimitur, ex nigris amara, ex cādidis dulcis potuiq; iu-
cunda: Iunonia, in qua erat ædicula lapidibus extructa: Pluuialia, quæ nō habet aquas ni-
ſi ex pluuiis & imbribus: Capraria, quæ eſt lacertis grandibus referta: Planaria, quæ pla-
nicies habet & conualles: Niuaria, quam Plinius appellat Ningariam à perpetua niue ne-
bulaque. Huic proxima eſt canaria, quæ ſic nominatur à multitudine canum & magnitu-
dine, quæ cum aliæ omnes copia pomorum & auium omnis generis abundēt, vna palme-
tis caryotas ferentibus gloriatur. Abundat præterea nuce pinea & mellis copia. Siluros e-
tiam piſces & papyrum gignit in amnibus.

De aliis inſulis ab Hemiſphærio noſtro remotis, quas Indicas appellant.

SVBACTIS autem Canariis & ad cultum Chriſtianæ religionis allectis, catholici prin-
cipes ad alias multo maiores inſulas & aurifodinas non magis auri cauſa, quod inde
plurimum optimumque defertur, quam ſalutis animarum rationem habentes, Petrum
Colonum cum triginta quinq; nauibus quas carauellas appellant, & hominū magno nu-
mero miſere. Qui cum dies prope ſexaginta nauigaſſent, ad terras tandem peruenerunt
ab orbe noſtro remotiſſimas, in quibus antipodas eſſe ſub hemiſphærio noſtro commo-
rantes, omnes qui inde venerunt, affirmant, & regiones eſſe tantæ magnitudinis, vt con-
tinentes terræ potius quam inſulæ videantur. De quibus quoniam multi multa ſcri-
pſerunt, & alii Hiſpano ſermone, aliiq; Latino magnas confecerunt hiſtorias, me ſcribere
neceſſe non eſt. Vnum tamē hoc loco, quod eſt maxime memorabile ſcituq; digniſſimū,
non prætéribo ſilentio, cum præſertim fuerit ab aliis, vt arbitror, qui ſcripſere prætermiſ-
ſum.

sum. In vna siquidem regione quæ continentis esse dicitur, cuius erat episcopus Ioannes Quiuetus ordinis Minorum, ab hominibus qui auri quærendi gratia terras effodiebant, numisma repertum est nomine Cæsaris Augusti & imagine signatum. Quod nactus Ioannes Ruffus Archiepiscopus Cosentinus quasi quid admirabile Romam misit ad summũ Pontificem. Quæ res nimirum nostri temporis nauigantibus, qui se prius quam alios illuc nauigasse iactabant, gloriam eripuit, quandoquidem numismatis huius argumento iam constat ad Indos olim peruenisse Romanos.

De magna classe quam contra Turcas in Italiam miserunt.

EODEM tempore magnus Teucrorum exercitus in Europam veniens Odruntum, quod est Appuliæ oppidum maritimum, vi cepit. In quo capto Teucrorum princeps præsidium magnum relinquens & defensorum numerum, in Asiam reuersus est eo animo, vt cum maioribus copiis rediret, & omnes Italiæ principatus occuparet, Romaq; capta sacerdotes omnes & Christianum nomen extingueret. Qua de re catholici principes admoniti per literas & nuncios Ferdinandi Neapolitanorum regis, cuius erat oppidum, quod Teucri captum tenebant, Italiæ Siciliæque periculis imminentibus volentes occurrere, mature subsidium mittere statuere. Conuocatis itaque totius Hispaniæ viris qui nauigandi artem vsumq; callebant, septuaginta naues armatorũ plenas, quibus Franciscus Henricus Almirantis Alphonsi frater & Ferdinandi regis auunculus præerat, in Italiam & Siciliam velis remisque festinare iusserunt. Quarum aliæ statim ex Lauretano, aliæ ex Gaditano portu soluentes, omnes apud Carthaginem nouam conuenere. Hinc spirante Zephyro paucis diebus aliæ Neapolis, aliæ Panormi litoribus appulere. Quod cum Teucri qui Odruntum præsidio tenebant, audiuissent, magno timore perculsi, subsidiiq; spe destituti, propterea quod eorum princeps mortuus erat, ab Odrunto discessere. Et Franciscus Henricus paucos dies Neapoli cum Ferdinando rege Ioannaque regina suæ sororis filia commoratus, cum classe deinde commeatus & aliis onusta rebus quasi victor in Hispaniam remeauit.

De titulis, sigillis, & insignibus Principum Catholicorum.

IOANNE Aragoniæ rege Ferdinandi patre mortuo, & illius regni omniumque suorum principatuum possessionibus acceptis, quibus titulis & quo ordine vti deberent in literarum & priuilegiorum expeditionibus, ad proceres consiliariosq; suos retulerunt. Quorum cum plures eos Hispaniæ cuius maiorem partem possidebant, principes appellandos censuissent, hoc ambitionis & arrogantiæ nomen esse existimantes, ne Portugalliæ Nauarræq; regibus iniuriam facerent, admittere noluerunt, sibique titulos quibus honestius vterentur, hoc modo statuere, vt scilicet Castellæ nomen Legioni præponeretur, Legionis Aragoniæ, Aragoniæ Siciliæ, & Siciliæ reliquis, hoc modo: Ferdinandus & Isabella Dei benignitate rex & regina Castellæ, Legionis, Aragoniæ, Siciliæ, Toleti, Valentiæ, Galleciæ, Maioricarum, Hispalis, Sardiniæ, Cordubæ, Corsicæ, Mursiæ, Iaenis, Algarbiorum, Algeciræ, Gibraltaris, Comites Barcinonæ, Domini Vizcaiæ & Molinæ, Duces Athenarum & Neupatriæ, Comites Russinonis & Cerdaniæ, Duces Oristani & Gotiani. Sigilla autem quibus literæ priuilegiaq; signantur & imprimuntur, item clypeos, stratoria, pannosque cæteros quibus magna palatia regiaq; domus exornari solent, castellis, leonibus, aquilis, & baculis insigniri iusserunt, in Castellæ, Legionis, Aragoniæ, & Siciliæ memoriam & honorem.

De Gallaciæ prouinciæ reformatione & aliis rebus.

IN Gallacia prouincia bellicosæ gentes & indomitæ iam multos annos non modo non soluebant suis principibus quæ iure debebant, sed ne parebant quidem. In montanis enim locis & asperis habitantes, neq; superiorem cognoscebant, neq; regum iustitiam formidabant. Cuius equites inter se longa bella gerentes, qui potentiores & victores erant, inferiores ac victos tributa quæ principibus debebantur, omnia sibi persoluere ferocissimis minis tyrannorum more cogebant, qui sine vllo Dei timore, sine reuerentia legũ non solum vectigalia, principum census, magistratus & officia, sed etiam ecclesiarum reditus, res sacras, & omnia sacerdotia crudeliter vsurpabant, arces sibi nouas & magnas turres ædificantes: in quibus latrones, homicidas, sacrilegos, & delinquentes omnes atque prophanos homines tanquam in asylo recipiebant: ex quibus exeuntes omne scelus in proximos & humanum genus exercebant, & omne crimen. Quos antea nullus Hispaniæ princeps effrenare, vel à suis moribus & maleficiis poterat coercere, ne Romanus quidẽ

populus qui totum orbem terrarum suo quõdam subegit imperio. Quapropter cum Rex & Regina multorum hominum huius prouinciæ magnas iustasque querelas audiuissent, & illuc ire propter negocia multa non possent, querentium iniurias & calamitates miserantes, in Galleciam Ferdinandum Acugnium Comitis Bondiani filium, virum fortem iustitiæque studiosum, & Garciam Lopez Chinchillanum iureconsultum, hominem literis & ingenio magnum, cũ exercitu mittere statuere, quibus literas suas & integram facultatem dederunt, vt Gallecia regnum gubernarent, & in delinquentes omnes seruatis legibus animaduerterent, & omne iustitiæ genus exercerent. Qui cum exercitu per prouinciam ingressi, Compostellam venere, quæ ciuitas est totius prouinciæ caput, & aliarũ ciuitatum metropolis sanctique Iacobi nomine nũcupata. Hic omnium populorum procuratoribus accitis & cunctis iniuriam passis ad petendum iustitiam cõmonitis & requisitis, cum sui aduentus causam dixissent, & officium literasque regias ostendissent, subinde multorum querelis auditis, in improbos & omnes qui deliquerãt, animaduertere cœperunt, & contra tyrannorum minas feroces omne iustitiæ genus exercere: quippe qui multos captos immanissimos latrones, homicidas, grassatores, sacrilegos & raptores ad mortem lata more iudicum sententia damnauerunt, & præter alios, duos equites, quorũ alter Petrus Miranditanus, & alter Petrus Pardus Mariscalis nomen habebat. Quos quidem non aurum quod multum pro gerendo bello contra Mauros offerebãt, à mortis periculo liberauit, quoniam crimina multa magnaque perpetrauerãt. Quæ quidem res mirum in modum cunctos delictorum suorum conscios deterruit, quorum maxima multitudo ac fere millenarius & quingentorum numerus effugit. Ferdinandus autem Acugna & Garsias Lopez à Chinchilla Gallecia regni iam gubernatores ex Callecis qui deliquerant, quos capere potuerunt, affectis vltimo supplicio, qui fugerant ad iudicium publicis præconum vocibus appellatis, primum diligenter effecerunt, vt ecclesiis, monasteriis, & vnicuique bona quæ perdiderant, restituerentur: deinde Regibus vectigalia quę latrones & tyranni multos annos vsurpauerãt, omnia persoluerẽtur: postremo castella prope quinquaginta quæ sibi delinquentes causa suæ defensionis ædificauerant, omnia diruere. Hac re sic gesta omnes totius prouinciæ populi qui iã iustitiæ spem & libertatis amiserãt, velut è diuturna captiuitate redempti, catholicorum principum virtutem collaudantes, immortales Deo gratias agebant. Gubernatores autem laudem magnam meruere, qui gentem Callecam prius indomitam prudentia magis & ãnimi fortitudine, quã viribus & armis subiugarunt, Isabellæ Reginæ magnum & animosum sequẽtes exemplum. Illa siquidem priusquam eos in Gallaciam misisset, Hispalim Cordubamque venerat, & vtrobiq; sæuissimas oppresserat factiones, quibus Hispali Henricus Gothomanus Methymnæ Sidoniæ Dux & Rhodoricus Pontius Leo Marchio Gaditanus armis quotidie præliisq; cõtendebant. Similiter & Cordubæ Iacobus Fernandus Comes Crapensis & Alphonsus Aquilaris Dominus Mõtilianus digladiabantur. Quos Isabellæ Reginæ formidolosa virtus magnaque fortitudo depositis armis ad obsequium officiumque reduxit. Deinde cũ in delinquentes animaduertere cœpisset, hominũ millia circiter octo quos scelerum suorum conscientia vexabat, ex vtraque ciuitate discesserunt. Quos, vt prudens, ne suis relictis domibus ad aliorum regna transirent, & aduersarios adiuuarent, restitutis rebus quas occupauerant, in commune omnibus ignoscens in patriam redire concessit, & multis recuperatis oppidis & arcibus quas latrones & delinquẽtes occupauerãt, omnes totius Bæticæ prouinciæ populos à malis omnibus vitæ & periculis defendit, bonisq; quietem, vitã securam, libertatemque restituit. Hac fortitudinis & iustitiæ fama bonos omnes alliciebat, & in sui amorem cultumque concitabat, malos autem & hostes maxime deterrebat. Erat enim Isabella Regina fortissima mulier, & iustitiæ maxima cultrix, quæ non solum Christianis fortissimis principibus, sed etiam cunctis barbaris gentibus quibuscum bella gessit, fuit admodum formidabilis. De cuius virtutibus & ingenii naturæque dotibus alio loco dicemus.

Hispalis & Cordubæ descriptiones & laudes.

NVNC autem quoniam Hispalis Cordubæque supra mentionem fecimus, quæ sit vtraque ciuitas & vbi, propter absentes paucis verbis ostendemus. Sunt itaque Bæticæ prouinciæ ciuitates in ripa Bætis fluminis expositæ, quarum Hispalis aliquanto maioris est incolatus. Hanc ab Hispano Herculis nepote conditam fuisse vulgus asserit. Cuius ego sententię nec accedo, nec refragor. Incertũ est enim quod nec autore, nec ratione probatur. Verum enimuero cuiuscunq; sit opus, vrbs est maxima & opulentissima, meoque iudicio multis Hispaniæ ciuitatibus, ne dicam omnibus, anteponenda. Est enim ambitu

bitu magna, forma rotunda, visu pulchra, templis celebris, sacerdotibus exculta, multis equitibus nobilis, ciuibus plena, domibus insignis, plateis & vicis hilaris, hortis & fontib. amœna, tuta propugnaculis, mœnibus cincta, defensa portis & turribus, campis iucunda, agrorum frugibus abundans, oliuetis & magnis oliuis & oleo fœlix, mercatorum commerciis diues, artibus adornata mechanicis, & liberalibus studiis illustris, plena multis piscium generibus & magnis ostreis, palmetis & palmulis & arborum fructibus exuberans, ostio maris & nauigabili flumine ligneoque ponte quem parua nauigia catenis compactum sustinent, admodum delectabilis. Quapropter verum est illud adagium quod vulgo dici solet, Hominibus quos Deus amat, Hispali domum largitur & victum. In ea siquidem multo melius viuitur & abundantius quam in alia, quantumlibet vrbe ditissima totius orbis. De cuius templo maximo & nauigiorum numero scripsimus alio loco. Cuius vrbis nomen barbaræ Mauritaniæ gentes deformarunt, quoniam p litera carebant, eius loco b posuerunt, & cæteris commutatis literis Sibiliam dixerunt. Hæc de ciuitatis Hispalensis fœlicitate sufficiant. Nunc autem cum de Corduba quædam dixerimus, ad diuerticulum statim rediemus. Est itaque Corduba ciuitas antiquissima populosissimaque, in Bætis etiam fluminis ripa sita, magnum testimonio Strabonis & insigne Marcelli Romanorum ducis ædificium, & patriciorum colonia, dicente Plinio, cognominata. Hanc scribit Iulius Cæsar in Commētariis, & prouinciæ suæ caput, & de populo Romano semper fuisse bene meritam. Quæ quidem & magna rei militaris gloria & præclaris virorum ingeniis est maxime celebrata. De cuius alumnis & viris illustribus in armis & doctrinis excellentibus alio loco plene scripsimus. Habet etiam Corduba præter alia multa bona fertilissimos agros. Quapropter haud immerito Silius Italicus Cordubæ solum vocauit aureum. Ait enim, *Proverbium.*

Nec decus auriferæ cessauit Corduba terræ.

Est igitur Corduba multis magnisq; rebus admodum fœlix & cū Hispali merito conferēda. Sunt præterea duæ ciuitates Hispalis & Corduba multis magnisq; suæ prouinciæ populis illustres. Habet.n. Bætica prouincia, teste Plinio naturalis historiæ, populos insignes & oppida memorabilia numero centum septuaginta duo, de quibus alio loco diximus.

De animaduersione in hæresin eorum qui cum Iudæi fuissent & ad religionem Christianam conuersi, postea rursus in occulto Iudaicum ritum seruabant.

ANNO à virginis partu supra mille & quadringentos octogesimo, catholici principes à sacerdotibus quibusdam & à nonnullis aliis viris Christianæ religionis & catholicæ fidei studiosis, & præcipue à Priore Sanctę Crucis & Petro Martino Camagno secretario regio admoniti fuere, in Hispania fere tota quamplurimos homines esse de genere Iudæorum, qui Christianum nomen & doctrinam execrantes, Hebræorumque more viuentes, in suis domibus clam Christianis veterem legem ritumque Iudaicum repetebant & obseruabant, Christianorum cerimonias contemnentes: à quibus, nisi prudenter matureque in eos animaduertere iuberent, magnum sine dubio periculum propter eorum multitudinem Christianæ religioni fideique catholicæ posset accidere. Quorum peruersitas & error impius ac detestabilis nimirum catholicis principibus fuit quam molestissimus, quippe qui grauissime ferebant, quod essent apud se & in suis ciuitatibus & populis homines de Christiana fide male sentientes, ideoque statim re communicata cum Petro Gonsalo Mendozio, qui tum temporis erat Hispalensis Archiepiscopus & Hispaniæ Cardinalis, & cum aliis viris sapientibus & literatis, Christi nostri redemptoris honori suoque mature consulere statuere. Cæterum nunc antequam de rebus quæ in hac causa secutæ fuerunt, aliquid dicamus, duo præponenda nobis occurrunt: vnum de Iudęorum moribus & ritu, alterum de causa conuersionis eorundem ad Christianam religionem in Hispania. Tria præcipua sunt in quibus Iudaicæ religionis documenta consistunt, vt scilicet sabbato quiescerent ab omni operæ cessantes, circumciderentur, & à suillis carnib. abstinerent. Quæ quidem præcepta Moses à Deo accepta Iudæis tradidit, sed in alio sensu quam ipsi acceperunt. Sabbatum seruabant Iudæi, sed superstitione nimia. Ideoq; non immerito die Saturni, vt Frontinus scribit, quo capere arma non audebant, vt præceptum seruarent, à Vespasiano debellati fuere. Qui iræ & inuidiæ pleni, vt ait Lactantius, Christum accusabant, quod legem Dei per Mosen datam solueret, quod sabbato nō vacaret operans hominū salutem, quod cęcos sanaret, quod circumcisionem vacue faceret, quod abstinentiam suillæ carnis auferret. Illud autem de Iudæorum turpitudine quamuis obscœnum non omittam. Siquidem interrogati Iudæi quidnam sabbato facerent ociosi, *Iudaica religiō in trib. consistit.*

Sſ

anum, respondebant, sabbato nihil agentes digitis purgamus. O gentis ignauæ fœdissimam turpitudinem! respondeant hic mihi Iudæi sapientiores summiq; sacerdotes, nõne die festo melius est hominum curare salutem, & cæcos sanare, quam in tam fœdam corporis partẽ digitos immittere? Cum autem Deus à carne suilla Iudæos abstinere iussit, id illis potissimum significauit, vt à peccatis & immunditiis abstinerent, propterea quod sus animal est lutulentum & immundum, quod cœlum nunquam suspicit, sed in terra toto corpore proiectum & somno ventrique semper seruiens, nec vllum dum viuit, vsum præstet hominibus, sicut cætera præstant animalia. Interdixit ergo ne porcina carne vescerentur, id est ne porcorum vitam imitarentur, qui ad solam mortem nutriuntur. Figura vero circumcisionis fuit, vt scribit Lactantius, vt significaretur nudãdum esse hominum pectus, vt aperto simplicique corde viueremus. Illa enim corporis pars quæ circumciditur, quandam habet similitudinem cordis humani. Quam ob rem nudari Deus eam iussit, vt hoc argumento nos admoneret, ne tectum & inuolutum pectus haberemus, neue quod pudendum facinus intra conscientiæ nostræ secreta teneremus. Deus ergo circũcisionem à carne mortali ad animam transtulit immortalem, quæ mansura semper est. Colunt autẽ Iudæi nubes & cœli numen, propterea quod Mosi Deus apparuit in nebula totum Sinai montem cooperiente per sex dies, qui die septimo ex medio caliginis Mosen vocauit, & ingressus per medium nebulæ Moses montem ascendit. Vbi commoratus est quadraginta diebus & quadraginta noctibus, ibique tabulas à Deo lapideas accepit, legẽ & mandata quæ scripsit Deus, vt doceret filios Israel. Vnde dixit in psalterio Dauid: Inuocabãt Dominum & ipse exaudiebat eos, & de columna nubis loquebatur ad eos. Itẽ, Inclinauit cœlos & descendit, & caligo sub pedibus eius. Adorabant ergo Iudæi nubes, quia Deus illis in nubibus semper apparuit. Vnum tamen Deum colebant, quem sempiternum esse dicebant & immutabilem. Vnde legimus in diuinis scripturis, Vnus Deus est Hebræorum, qui creauit omnia, terram stabiliuit, mariaque fundauit. Seruant arcano modo Iudæi pentateuchum, id est volumina quinque veteris Testamenti quæ Moses cõscripsit, scilicet Genesin, Exodũ, Leuiticum, Numeros, & Deuteronomion. Fuit præterea mos Iudæis, vt neque sitientibus aquas, neque vias errantibus monstrare vellent, nisi suæ religionis cultoribus. Quod etsi est contra omnem humanitatem, Moses tamen putauit non indignum videri aduersus eos qui sacra sua non colebãt. Quod ex historia sumptum est. Nam quum scabie grauiter porrigineque vexabantur, Mosen cum suis ęgris, ne pestis ad plures serperet, ab Ægypti terminis expulere. Moses igitur exulum Dux inde discedens, Damascena patria antiqua repetita, Sinai montem occupauit. Et quia metu contagionis pulsos se ab Ægypto meminerant, ne eadem causa inuisi apud incolas essent, cauere voluerunt, ne cum peregrinis communicarent. Quod ex causa factum, paulatim in disciplinam religionemque conuertit, & vt sibi in posterum gentem firmaret, nouos ritus contrariosque cæteris mortalibus indidit, ita vt ne Iudæi conuersarentur cum Samaritanis. Et hanc ob rem mulier Samaritana, vt scribit Diuus Ioannes, denegauerit aquam Christo tanquam Iudæo, dicens, Quomodo tu Iudæus cum sis, bibere petis à me quæ mulier Samaritana sum? non cõueniunt Iudęi cum Samaritanis. Hæc igitur causa est quare Iudęi vias errantib. monstrare nolebant, quod suos mores & ritus à cæteris mortalibus cõtrarios habebãt. Apud Atheniẽses autẽ piaculũ erat erranti non monstrare viam. Carmen est enim apud ipsos, quod publicis cantabatur in sacris, eos impios esse & execrabiles, qui viam non monstrarent erranti. Nunc autem quoniam de Iudæorum morib. iam diximus, causam conuersionis eorum paucis verbis explicabimus. Fuit in Hispania superioribus annis sæculo nostro vir quidam nomine Vincentius Ferrerius ordinis Prædicatorum, theologus celebris, orator vehemens, vita probus & moribus integer, patria Valentinus. Qui quidem dum vixit, Christi cultum fidemque catholicam publice concionando, docendo, admonendo, hortando, persuadendo non modo sermonibus & doctrina, sed etiam moribus, exemplis, & proficuis lectionibus illustrare nunquam destitit, quem Calixtus tertius maximus Põtifex, quoniam Deus qui bonis & sui cultoribus pro meritis præmia retribuit, in morte eius & post mortẽ miracula demonstrauit, in sanctorũ numerum retulit. Hic itaq; cum vita sanctus esset, & eloquentia magnaque doctrina maxime polleret, Iudæis errores omnes in quibus admodum cæci versabantur, validissimis argumentis & euidentissimis rationibus ostẽdens, eorum quamplurimos ad Christi cultum fidemq; catholicam conuertit. Qui quum Christianam religionem fidemq; nostrã veram sanctamq; esse comprobassent, lauacro sancti baptismatis & aliis omnibus ecclesię sacramentis acceptis, Christianorum moribus & sacris viuere libẽtissime cœpere. Deinde vero siue suggestione malorum dæmonum, siue Iudæorum consuetudine, siue quod difficile

Iudæi taxãtur.

difficile est assueta relinquere, propterea quod hominum natura mutari nesciens, si quãdo sua delicta cognoscens ad virtutem melioremq; viam se conuertit, mox tamen inconstans ad sinistros mores solitosque facile reuertitur: Christum nõ fuisse quem à Deo mittendum expectabant, opinãtes, in occultis ædium suarum locis, Christiana religione neglecta, sabbatarios ritus & Iudaicas ceremonias repetentes, noctu synagogam ingredientes, sua sacrificia, festa paschalia, & auorum memoriam quotannis nudis pedibus celebrabant. Qui clam Christianis hæc impune sese facturos arbitrabantur. Verum enimuero nihil est imprudentius, nihil stultius, nihil demẽtius his qui cum peccant, mala quæ committunt, neminem resciturum esse falso sibi persuadent. Nihil est enim tam occultum, nihil fieri potest tam secretum, quod scire nemo possit, in magnis præsertim rebus. Nam quo maiora delicta sunt, eo certe citius deteguntur. Non igitur quum peccant homines, existimare debent quę fecerint, fore semper occulta. Nulla quidẽ res est, quam non longa dies reuelet. Est enim veritas temporis filia. Reuelauit itaque tempus, vel potius iustitia Dei, catholicis principibus Manichæos in tenebris noctis & occulto delinquentes, nec impune diutius peccare permisit. Quorum maleficiis & erroribus catholici principes obuiantes, consilio Cardinalis quem supra memorauimus, primum sacerdotibus & viris religiosis in omnibus ciuitatibus & populis iusserunt, vt omnes qui nuper ad religionem Christianam conuersi fuissent, tum concionibus publicis, tum priuatis sermonibus diligenter admonerent, instruerent in omnibus ecclesiæ sacramentis, & in catholica fide retinerent & confirmarent. Deinde vero cum hoc parum vel nihil profuisse cognouissent, hanc ob causam Romam legatos miserunt ad summum Pontificem. Qui cum causam legationis audiuisset, admiratus nouam hæresin, & molestissime ferens dedecus & ignominiam quam Christi cultoribus impium hominum genus inferebat, literas suas bullatas & apostolico sigillo signatas ad principes catholicos destinauit, quibus in eos inquisitionem fieri diligẽter & animaduerti iubebat, qui Christianę religioni fideiq; catholicæ quocunque modo detraherent aut detraxissent. Rex igitur & Regina literis acceptis, autoritate iussuq; Pontificis inquisitoribus quos ad hanc rem exquirendam ex omnibus sacerdotibus regnorum suorum moribus & doctrina probatissimos delegerant, hunc ordinem & hanc legem statuerunt, vt in omnibus citerioris & vlterioris Hispaniæ ciuitatibus & populis literas suas & edicta publicarent pontificio iure composita. Quibus publicatis & inspectis, omnes qui crimen hæreticæ prauitatis incurrissent, infra certum temporis spaciũ suos errores inquisitoribus qui patres appellantur, confitentes reuelarent, veniam suppliciter deprecantes: ecclesiæ reconciliati, scelerum quibus Christi nomen abnegassent, iniunctas sibi pœnitentias agerent. Ad quod iudicium priusquam terminus temporis concessus præteriret, hominum millia circiter septendecim vtriusq; sexus conuenerunt, quibus ecclesia quæ fons est misericordiæ magnæque pietatis, contenta pœnitentiis vnicuique pro qualitate criminis impositis, vitam qua fortasse digni nõ erant, clemententer indulsit. Multi autem qui literis & edicto parere noluerunt, in sua hæresi perseuerantes habita probatorum testium relatione capti fuerunt, & tormentis affecti, sua crimina confitentes in ignem cõiecti vitam cum morte commutauerunt: quorum alii sua crimina flebant Christum recognoscentes, alii pertinaces in erroribus Mosis nomen inuocantes. Quorum paucis annis vtriusque sexus millia duo combusta fuerũt. Multis præterea quos delictorum suorum pœnituit, quamuis grauiter peccauissent, concessum est, vt in carcere pœnitentias agentes vitam finirent. Aliis quoque qui morte liberati carcereque soluti fuerũt, hoc pœnæ genus datũ est, vt scilicet infames essent, & priuati publicis officiis, auro & omni genere serici, duabus crucibus coloris ignei signarentur, quarũ alteram in pectore, alteram à tergo super exteriorẽ vestem, quę viderentur ab omnibus gestarent, & ipsi cognoscerentur. Animaduersum est etiam in mortuos quos in vita deliquisse constabat, quorum ossa quæ plurima fuere, publicatis bonis filiisque priuatis honoribus & officiis, è sepulturis extracta publice cremata fuerũt. Hoc iustitiæ genus homines quam plurimi de stirpe Iudaica, suorum criminum conscii, pertimescentes, patria sua domoque relicta & multis magnisque rebus ex catholicorum principum regnis aufugerunt. Multi siquidem in Portugalliam, multi in Nauarram, alii in Italiam, alii in Galliam, alii in alias regiones vbi se tutos fore putabant, migrauerunt. Quorum res & bona tam mobilia quam stantia catholici principes in bello quod aduersus Mauros & Barbaros alios gerebant, distribuenda censuere. Quarum rerum omnium summa fuit ingens. In Bætica namq; prouincia duntaxat eorum qui cum filiis & vxoribus fugerant, inanium & vacuarum domuũ millia quinque reperta fuere. Et quoniam, vt supra diximus, Iudæorum consuetudo nuper ad Christianam religionem conuersis perniciosa videbatur, propterea quod occa-

ſionem peccandi ſine dubio præbebat, catholici principes Iudæos omnes à regnorũ ſuorum finibus in perpetuum depulerunt & exterminarunt. Qui cum per edictum moniti neque vendere ſuas domos, neque ſecum transferre pecunias poſſent, eorum nonnulli deprehenſi fuere qui nummos in aſinorum clitellis & auribus deferebant. Fama fuit etiam quoſdam ſeniores in lienibus, & vetulas in vuluis multas aſportaſſe pecunias, tanquã in loculis.

De ſacerdotibus & vtriuſque ſexus religioſis ad honeſtiorem vitam & officium reformatis.

QVANTÆ autem noſtris principibus omnis virtus & omnis honeſtas curæ fuerit, non in humanis ſolum rebus, ſed in diuinis etiam officiis ad religionis noſtrę cultum ſpectantibus facile perſpeximus. Quippe qui non minus diuinarũ rerum cultores, nõ morum cenſores minus, & omnium virtutum profeſſores, quam regnorum ſuorum gubernatores erant. Nec Reges magis videbantur, quam ſacerdotes ſanctique pontifices & humani diuinique iuris & ſanctiſſimarum legũ conditores, cuſtodes, & conſeruatores, Dei ſemper nomen exaltantes, & hominibus iuſtitiam, pacem, quietemque, & ſalutem procurantes. Quam ob rem cum vidiſſent religioſos omnium ordinum, & præcipue Minores & Prædicatores, alios honeſtius & præcepta ſuæ religionis obſeruantes, alios liberius ac diſſolutius viuentes, nec ordini ſuæ profeſſionis nec ſuperioribus obſequentes, omnes qui Clauſtrales dicuntur & libere vagabantur, ad obſeruantium normam & honeſtiorẽ vitam compulere. Etiam fœminei ſexus ſacerdotes & ſacras virgines quas moniales appellant, quæ licentius vagari conſueuerant, à virorum qui ſuſpecti videbantur, conſuetudine, ſecreto colloquio, & monaſteriorum ſuorum exitu prohibuere. Præterea iuuenibus adoleſcentulis, aliis cunctis, & qui literarum ſtudiis & bonis artibus operam dabant, vſum longarum & ſericarum veſtium promiſſiorumque capillorum, quibus nõnulli maxime ſtudebant, ademerunt. His rebus & à ſtudioſis omnibus colebantur, & à virtutibus alienis timebantur.

De ludorum & blaſphemiarum prohibitione atque luſorum pœnis.

PROHIBVERVNT & ludos, aleæ præcipue atque chartarum, ex quibus multa quotidie malorum genera naſcebantur. Sunt enim ludi, de quibus alibi plene ſcripſimus, perſimiles meretricibus, qui voluptate quadam non ſolum vulgares homines & inſipientes, ſed etiam nobiles equites viroſque primarios fallunt, literatos, ſacerdotes, atque pontifices. Ideoque catholici principes luſores omnes edicto publicoque præconio pœnis grauibus conſtitutis à ludis abſtinere iuſſerunt. Ex quibus etſi quæ mala naſcãtur alio loco diximus, hic tamen aliqua repetemus, vt quam prudenter & quam ſancte præceperint catholici principes, omnes agnoſcant. Quandoquidem luſores vbi pecunias res quas habebant, turpiter amiſerunt, egeſtati coacti, deſperatione ducti, omniq; ſpe deſtituti, in ſeſe plærumque manus vertunt, ſibiq; mortem conſciſcunt. Ex quibus alii ſe laqueo ſuſpendunt, alii gladio ſuo vitam finiunt, nonnulli de turri ſeſe præcipitauerunt, quidam ſe deiecerunt in puteos, alius inſaniam ſimulauit, in quam plures inciderunt non ſimulatã. Multi præterea luſorum latrones fiunt, qui primum, ſi leue commiſerunt furtum, equitantes in aſellis & capite mitram geſtantes papyraceam, taurino neruo nudo corpore cædũtur, eorum maleficia denunciante præcone: quibus deinde furto ſecũdo grauius iterum cæſis aures amputantur: poſtremo ſi tertio peccauerint, ſuſpendium merito patiuntur, aut ſi graſſatores fuerint, & viatores aut ſpoliauerint aut occiderint, palis alligati per ſignum ſagittariis exponuntur. Hæc & alia multa mala luſoribus eueniunt. Quæ quidem ſi multis qui ludunt hodie venirent in mentem, ſibi fortaſſe cauentes à ludis abſtinerent. Sentirẽt enim & intelligerent, quam miſera, quam pernicioſa, quam deteſtabilis, quam periculoſa ſit ludentiũ vita. Quos quidem conſcientię ſuæ ſtimulus verberat, quos horrenda mortis vmbra circumdat. Sed ad principes catholicos redeo, qui ſpiritu diuinitatis afflati viros omnes probos & quacunque virtute præditos extollebant, magnis honoribus & cõmodis afficientes: malos autem & pertinaces in maleficiis & obſtinatos, quos errorum ſuorum pœnitere non poterat, à ſuis principatibus exterminabant. Vitiis præterea deditos, inutiles homines & delicioſos omnes accuſabant, caſtigabant, & à domo ſua curiaq; ſubmouebant, & præcipue luſores. Quibus nihil eſſe dicebant improbius, nihil furacius, nihil mendacius, nihil ſceleratius, nihil dementius, nihil ſtultius, nihil inſanius: propterea quod ſi peccant homines, qui certe peccant. Nam mortalium nemo fere viuit ſine crimine) vnuſquiſq; tam[illegible] eo peccat vitio, quo vtitur, & non fortaſſe peccat in aliis. Peccant enim

enim ſuperbi vel ſua forma, vel aliqua de ſe opinione falſa decepti. Auaritię multi crimen incurrunt, mala rerum quibus haud indigent fortaſſe, cupiditate ducti. Deuincuntur nõnulli gulæ falſis irritamentis & dulcedine guſtus. Plures libidine, feruore magno ſanguinis accenſi multifariam variiſque modis quamgrauiſſime delinquunt. Inuidia non pauci fœlicitatis alienæ dolore pallentes, impatientia multi, & quidem plerumque ſine cauſa grauiter iraſcuntur, & ira cæci penitus mala multa committunt, alii deſides & ocio ſomnoque dediti vitam agunt, qui neque ſibi proſunt neque aliis. Sed vnus luſor peccat in omnibus. Qui quidem nunquam bene facit, nunquam bene cogitat, nunquam bene loquitur, qui nec colit nec habet amicos, qui non propinquos non fratres amat, qui matris, vxoris, filiæ, ſororis, & fortaſſe ſuam pecuniæ cupiditate ductus pudicitiam vendit & honorem, qui parẽtum funus exoptat atque molitur, qui Deum abnegat, qui animam ſuam occidit & inferis offert. Quid enim non facient homines quos non pudet perdere nummos, perdere tempus, perdere ſomnum, perdere famam, perdere vitam? Quocirca cum magna pars hominum ſemper & vbique luſerit, illorum veriſſima mihi videtur opinio qui ſubterraneas domos & antra tenebroſa luſorum plena eſſe dixerunt. Quam ob rem luſoribus ego conſulere cupiens & opem ferre quibuſdam carminibus, etſi eos primum grauiter accuſaui, deinde tamen remedium demonſtraui proficuum, & ſalutarem adhibui medicinam. Qua quidem quicunque vſus fuerit & Dei miſericordiam deprecatus, non equidem dubito, quin veniam facile conſequatur. Illos autem perituros & perpetuos cruciatus paſſuros proſpicio, quos vltima vitæ dies ludentes inuenerit. Nam qui ludos in vita non reliquerint, ludent etiam poſt mortem ſua crimina flentes apud inferos. Prudenter igitur & ſancte catholici principes ludos qui omnium malorum cauſa ſunt, prohibuere, qui blaſphemantibus etiam praueq; loquentibus pœnas quibus plecterentur, ſtatuerunt.

De templis à catholicis principibus ædificatis & aliis refectis & inſtauratis.

IVSTA pro Chriſtianæ religionis augmento bella gerentes, vt hoſtes debellarent & victorias conſequerentur, Deo Optimo Maximo & eius genitrici Mariæ virgini multiſque ſanctis non modo ſupplicationes & ſacrificia, ſed ædes etiam ſacrandas & noua templa liberaliſſime deuouebant, quæ ſubinde votorum cõpotes, beneficiorumque memores, optato potiti largiter & officioſe præſtiterunt maximis impenſis. In Abila ſiquidem ciuitate templum diuo Thomæ dicatum à fundamentis ędificare cœperunt, quod aureorum prope centum quinquaginta millibus abſoluerunt. Toleti aliud admodum conſpicuum nomine ſancti Ioannis Euangeliſtæ, cui regum cognomen indiderunt, in cuius exterioribus muris & parietibus altis magna pendet catenarum multitudo, quibus aſtricti Chriſtiani qui capti fuerant à Mauris, multos annos illis ſeruierant. Qui deuictis Mauris, & Granata reſtituta catholicis principibus, catenas in memoriam ſuæ redemptionis in hoc templum contulere. Segouiæ monaſterium magnum ſanctæ Crucis ordinis Prædicatorum condiderunt. Granatæ virgini Deiparæ templum maius domumque pontificalem magnis erexerũt ſumptibus, & quatuor & viginti ſacerdotibus ſuis qui ſingulis diebus rem diuinam celebrarent, cellas fieri iuſſerunt, & ſuam ſepulturam, in qua nũc ſimul eorum corpora iacent: atque aliud diuo Franciſco religioſis ordinis Minorum. Condiderunt præterea cœnobium extra vrbem ordinis ſancti Hieronymi magnis diſpendiis, & reditibus dotarunt, in quo etiam Gonzalez Fernãdez magnus Capitaneus ſibi magnum ſacellum fieri iuſſit conſpicuum, cui magnos reditus diſtribuit. Item condiderunt catholici principes extra vrbem cœnobium ordinis Cartuſiani, de quo ſcripſimus alio loco: & intra muros ciuitatis aliud ordinis Prædicatorum ſub nomine & honore ſanctę Crucis. A Granata quoq; oppidum paſſuum millibus circiter octo condere ſtatuentes, quo Granatam facilius expugnarent, quod oppidũ Sanctam fidẽ vocauerunt, in primis templum in quo ſacerdotes diuinis officiis ſacrificantes operam darent, ædificare iuſſerunt. Etiam in Compoſtella admodum venerabile templum, & hoſpitalem domum in honorem ſancti Iacobi & peregrinorum commodum atque profugium fecerunt, opus nimirum pium maximeque neceſſarium. Magnas inſuper in aliis templis & monaſteriis ædificandis, multas & in aliis ſiue vetuſtate collapſis, ſiue ruinam minantibus reficiendis & inſtaurãdis pecunias contulerunt. Romæ denique trans Tiberim apud portam ſancti Pancratii magnificum diuo Franciſco templum condiderunt magnis impenſis. In vrbe pręterea non minorem ſumptum ſummamq; pecuniarum dederunt in refectione domus hoſpitalis, & eccleſiæ ſancti Iacobi quæ Hiſpanorũ dicuntur contulere. Hęc & alia multa fece-

runt opera catholici principes, non minoris quidem virtutis & sanctitatis, quam munificentiæ. Qui profecto suis hęredibus & posteris omnibus mirabilia omnium virtutum reliquerunt exempla, quibus optimus quisque princeps ad gloriam vitæ debebit & excitari facile poterit.

De concordia & fine belli inter catholicos principes & Alphonsum Portugalliæ Regem.

NVNC autem quoniam initium & causam belli quod à catholicis principibus contra Regem Portugalliæ gestum est, supra memorauimus, æquum est ratioq; poscere videtur, vt eiusdem belli quoq; quod superest, & finem demonstremus. Ad quam rem ostendendam quædam prius repetere necesse est. Anno millesimo quadringentesimo septuagesimo nono cum essent catholici principes in oppido Guadalupo, quo Galliæ regis legati pro petenda confirmandaque pace conuenerant, nuncios de morte Ioannis Aragonum regis acceperunt, & subinde totius Aragoniæ, Siciliæ, Valentiæ, Barcinonæque principatus oratores ad Ferdinandum regem supplicatum venerunt, vt ad capiendā regnorum suorum possessionem proficisceretur. Hinc itaq; discedentes in Turrim Iuliam, quam ciuitatem Trogillum vocant, cum exercitu venerunt. Vbi funere solenniter celebrato & peractis exequiis, Gallorum regis legatis cum pacis confirmatæ conditionib. honorifice dimissis, rex Ferdinandus in Aragoniam proficiscitur. Quo discedēte regina suis ducibus accitis, omnes exercitus copias in partes quatuor diuisit, a quibus Emeritam Augustam, Delectosam, & Montangem eodē tempore tormentis oppugnari iubet. Sunt autem hæc oppida Lusitanię prouinciæ inter Anam flumen & Tagum, Portugalliæq; regno propinqua, quæ mulier quædam Maria nomine Pachiequa, filia spuria Ioannis Pachiequi Villenæ Marchionis, quæ Portugalliæ regis partes fouebat, occupauerat. Hęc mulier orbata marito, nimis audax & inconsulta, fuit multorum malorum causa, quæ non sæua minus & immitis, quam imprudens & temeraria, cum Petrū Portucarrerium Metellini Comitem filium suum, quinquennium deprehēsum tenuisset, deinde solutū multorum precibus è domo sua crudeliter eiecit, & contra catholicos principes Alphonso Portugalliæ regi multas arces, Castellæ regnum, & bona sua omnia pollicebatur. Dum hæc oppugnātur oppida, multaq; alia per hanc regionem bella geruntur, Alphonsus Cardinas ordinis sancti Iacobi militiæ præfectus apud Emeritam cum Portugalliæ regis exercitu magnum prælium commisit. In quo multis vtriusque partis occisis, demum Portugalliæ regis equites longo labore defessi terga verterunt, quorum præter interfectos multi quoque capti fuerunt, & in his Eborensis episcopus omnibus signis amissis. Alphonsus autem Cardinas etsi duo magna vulnera fortissime pugnans acceperat, hac tamen insigni victoria potitus, & fugatis hostibus, magnum quidem ducis nomen adeptus est, & singularem catholicorum principum gratiam, qui ei vel vltro ducatorum auri millia circiter nouem quæ singulis annis pendere tenebatur, liberalissime remiserunt. Sub idem tempus alii reginæ duces oppida quæ supra memorauimus, acriter oppugnabant, & Delectosæ arcem ceperat, multisq; aliis in locis prælia magna quotidie gerebantur, in quibus magnus vtriusq; partis hominū numerus desiderabatur. Atq; multo quidem plures interiissent, nisi Deus cuius misericordia magna est, huic bello finem dedisset, qui sanctas catholicorum principum mentes scrutatus, eorum magnos labores miseratus est. Cuius afflata spiritu Beatrix Isabellæ reginæ matertera, quæ prudentissima mulier Ferdinandi Visei Ducis Portugalliæ regis fratris vxor fuerat, & Alphonsum Portugalliæ regem & eius filium Ioannem generum suum, & Isabellam Castellæ reginam suæ sororis filiam vehementer amabat, cum inter cognatos & propinquos suos crudelissima bella geri molestissime ferret, ad Isabellam nuncium cum literis clam misit, quibus eam rogabat, vt commodi sui causa in aliquē locum Portugalliæ regno propinquum conuenirent, vbi de rebus ad pacem & concordiam spectantibus & necessariis colloquerentur. Certam se spem habere dicebat Deo iuuante, vt bellis & malis omnibus atq; laboribus finem darēt. Cuius humanitas & tam pius animus Isabellę reginæ fuit nimirum quam gratissimus, ideoq; voluntati eius sanctoque desiderio satisfacere statuens, in Alcantaram, quod oppidum est in ripa Tagi Portugalliæ propinquum, cum paucis equitibus se contulit. Huc aduenientem Beatricem materteram suam magna lętitia reuerenter excepit, & in eadem domo iuxta se collocauit. Vbi per dies octo pene solæ locutæ sunt, & ineundæ pacis conditiones ordinemq; literis mandauere. Quibuscum Beatrix discessit, & cum ea Rhodoricus Maldonatus iureconsultus Isabellæ reginæ consiliarius profectus est, quem regina misit quasi legatum, vt ea quæ cum Portugalliæ rege fierent, intelligeret, & ad se scripta mitteret. Beatrix autem vbi suam domum peruenit, primum Ioanni genero suo regis filio, quem pacis & concordię cupidū

nouerat

nouerat, quas attulerat constitutiones pacis ostendit. Hic Dei cultor & ingenio magno prçditus ab initio causam patris & expeditionem non iustam esse cognoscens, inuitus aduersus catholicos principes bellum gesserat. Quocirca cum perhonestas concordiæ sanctiones quas eius socrus sanctissime procurauerat, approbasset, suos cõsiliarios & omnes equites qui voti sui participes erant & eiusdem voluntatis, conuocauit. Quibus cum rebus ad pacem spectantibus communicatis, omnes Alphonsum Regem conuenerunt. Qui cum ea quæ Beatrix eius consocrus egerat cum Isabella Regina, causa pacis & quietis, audiuisset, etsi sua magis quam aliorum interesse videbat, male tamen persuasus à multis & præsertim à Castellanis, qui quoniam à suis principibus temere defecerant, pacem magis quam bellum timentes, ei dicebant vt ab incepto nullo modo desisteret, propterea quod sine magno suo dedecore facere non posset, pacis & concordiæ cõditiones renuit, alias petens neque iustas neque sibi concedendas, & inimicorum magis fallacibus quam amicorum veris consiliis est obsequutus. Quem cum neque publice multi neque priuatim deprecantes alii flectere potuissent, Maldonatus Isabellæ Reginæ consiliarius spe iam pacis amissa, commeatum petens à Rege, quatenus nihil agi videbat, discedere statuit. Quod sciens Ioãnes Regis filius cum ne discederet, rogauit, & Regem sola Beatricę præsente sic est allocutus.

De sermone quem Ioannes Portugalliæ Regis filius ad patrem habuit.

SI regiam dignitatem & vitam tuam maiori curæ nobis esse crederes quam vllis aliis, charissime genitor, profecto non aliorum falsa prauaque consilia nostris quàm fidelissimis atque iustissimis precibus anteponeres. Quare te quoniam tuæ consocrus & meũ consilium, quasi alterum mulieres, & alterum iuuenis, aspernari videmus, etsi magis accipere quam dare consilium deberemus, decreuimus tamen tuæ maiestati quæ nostræ mentes in hac expeditione pręsagire videntur, ostendere, vt si quando vel tui vel aliorum consilii pœnitere te cœperit, nostrum memoria repetitum cognoscas. Expeditionis nostræ causam, si verum fateri volumus, iam iniustam esse Deus hominesque sciunt, quod ne illi quidem Castellani negant, qui nobis, vt hoc bellum gereremus, iniuste falsoq; persuaserunt. Henrici nanq; Castellę Regis naturæ defectus, quod inter nos dici potest, multis mulieribus & duabus vxoribus fuit quam notissimus, qui non sine causa consciẽtię suę stimulis actus, ante mortem suam Isabellam sororem & non aliam sibi successuram iureiurando nominauit. Ex quo quidem intelligere facile est, quam iniustam huiusmodi belli causam suscepimus. Ideoque mirari minime debemus, si nobis aduersa fortuna semper fuerit. Aspirat enim Deus in bellis gerendis, & maxime fauet pro virtute iustitiaq; pugnãtibus, & proinde victoriam consequi non possumus. Quod si causa nostra quam, vt videmus, damnant omnes, iustior esset, nõ propterea pacem recusare deberemus. Nam si nostras cum aduersariorum copiis cõferamus, nimirum quanto sumus inferiores omnibus rebus cognoscemus. Illorũ siquidem vires indies crescunt, nostrę vero quotidie minuuntur. Augentur illis exercitus & regnorum numerus, nobis vnicum regnum est & nõ magnum, atq; iam pecuniis & viris exhaustũ, iuuentus & equites bello consumpti. Expetũt illorũ magni principes gratiam & amicitiam, & pręcipue Gallorum Rex Ludouicus, qui nuper iam nostri fœderis oblitus, ad eos oratores misit pacẽ perpetuam petẽtes. Quæ nobis igitur habenda spes est, aut vnde venturum auxilium sperare possumus? Consule ergo mi pater honori tuo, cõsule obsecro & tuorum omnium saluti, nec committas, vt dũ principatus alienos affectas, iure tuos amisisse videare. Nã per Deum immortalẽ, quid nobis volumus, aut quid quęrimus? Non, inquis, possum sine dedecore, tot nobis illatis iniuriis, à cœptis desistere propter hominũ sermones. Immo certe potes pater & tua magna cum laude, propterea quod pax tibi non petitur, sed honestissimis cõditionibus offertur. Quã quidem non recusabis, si tecum plus virtus & ratio quam vulgi valebit opinio, si plus Dei iustitiam quam populi rumores timebis, si tuam ætatem respexeris, si successorum tuorum saluti futuræque quieti consulere volueris, si pericula quæ passi sumus in præliis, & quos exercitus amiserimus, memineris, si quam regno Castellæ propinqui sumus, & quam eius amicitia nobis necessaria sit, consideraueris. Non omittas igitur obsecro sanctissimæ pacis conditiones nobis oblatas, neque te fallant Castellanorum consilia. Qui quoniam suis principibus iniuste defuere, mori quidem mallent in bello, quam illorum subire iudicium. Non spernas igitur preces nostras, amantissime pater, ne nostra Deo qui propter superbiam Luciferum de cœlo deiecit, pertinacia displiceat. Diligit enim Deus pacis amatores, & inimicos odit atq; castigat. Hoc sermone admodum tristi, & Beatricis precibus quæ lachrymas continere vix poterat, Rex conuictus, & quasi flenti similis Ioã-

nem filium gemēs amplexus eſt, & ad Beatricem conuerſus, O mulier, inquit, non minus ſancta & ſapiens quam fortis & excellens, magna nimirum eſt tua virtus, magna itnquam tua erga nos fides, magna pietas, & amor maximus, quæ quidem ſola tua prudentia proficuum noſtris malis noſtriſq; laboribus excogitaſti remedium, ſalutarem doloribus medicinam, & finem bellis optatū. Magnas igitur tibi gratias agimus, & amantiſſimis tuis atq; ſapientiſſimis conſiliis obſequimur. Faciemus itaque quam libentiſſime quod filius noſter ex tuo conſilio nos deprecatus eſt. Quem ego profecto video poſthac tibi multo magis, quam mihi ipſi qui eum genui, debiturū. Hæc cum dixiſſet, eius dexteram filius oſculatus eſt, & Beatrix ei magnas gratias egit. Poſtero die rex conuocato conſilio, & re diuina celebrata, Maldonato reginæ Iſabellæ conſiliario præſente, pacis conſtitutiones quæ fuerunt huiuſmodi, libenter accepit.

De pacis & concordiæ ſanctionibus inter Iſabellam Caſtellæ Reginam & Alphonſum Portugalliæ Regem vltro citroque petitis & conceſſis.

PACIS & concordiæ conditiones quas vtraque pars petiuit & conceſſit, ſic ſe habent: Imprimis vt rex Portugalliæ titulum, quo ſe Caſtellæ & Legionis regem vocari iuſſerat, deponeret, & inſignia Caſtellanorum regum quæ ſuis clypeis impreſſerat, abraderet, iureiurando promitteret ne Ioannam ſuę ſororis filiam vxorem duceret, atq; illa ſex menſium ſpacio ſuo vteretur arbitrio. Quæ ſiue manere vellet in Portugalliæ regno, ſiue alio proficiſci, libere facere poſſet, dum tamen ei neque rex Portugalliæ, nec alius quiſquam præſtare fauorem & auxilium auderet. Quæ ſi forte in Portugalliæ regno permanere ſtatueret, peracto ſemeſtri tempore de duabus conditionibus alteram eligere teneretur: vt ſcilicet vel Ioanni Caſtellæ principi qui tum paruulus admodum erat, nuberet, ac tam diu apud Beatricem quam ſupra memorauimus, maneret, donec ſponſus ad virilem perueniret ætatem: vel ordinis ſanctæ Claræ religionem ingrederetur in vna domo ex quinque in Portugalliæ regno nominatis, & Alphonſus Portugalliæ regis ex Ioanne filio nepos Iſabellam Catholicorum principum filiam vxorem duceret, quā cum per aliquod tempus ad certitudinem pacis & confirmationem in arce Morana quæ eſt in Portugalliæ regno, maneret, ſub cuſtodia & contubernio Beatricis, quæ præcipua pacis cauſa fuerat. Hæc fuerunt Iſabellæ reginæ pacis conditiones. Portugalliæ vero regis quæ ſequuntur. Primum ſibi ſuoque filio aurifodinas apud Indos Caſtellæ reges non impedirent, ſed liberas & à ſuis primum repertas relinquerent, & pacis vinculum quod inter ſeſe ſanciebant, omnes vtriuſq; partis populos comprehēderet & obligaret, per vnius & centum annorum ſpacium: deinde vt Caſtellanis qui dum ſibi meruiſſent, cōtra ſuos principes, crimen læſæ maieſtatis incurriſſent, ignoſceretur: quibus etiā dimiſſis erroribus, omnia bona quæ in Caſtellæ regno perdiderant, reſtituerentur. His pacis conditionibus vltro citroque datis & acceptis, & à Portugalliæ Rege iureiurando confirmatis, & alta præconū voce tubarumque magno clangore publicatis, & fama Regum concordiam & amicitiam denunciante, ingens populis lætitia oborta eſt, oppugnationes deſiſtunt, bella ceſſant, arma deponuntur, gratulationes aguntur, ſpectacula fiunt. His confectis negociis rex Alphonſus legatos quibus integram facultatem ſuam dedit, & pacis conditionum quas ipſe iuratus confirmauerat, ad Iſabellam reginam miſit exemplum. Quibus illa legatis appropinquantibus Hiſpaniæ Cardinalem & Comeſtabilem quos aliis in locis nominauimus cum omnibus ſuæ domus equitibus, atq; pontifices cum ſacerdotibus obuiam exire iuſſit, & omnes in aulam ingredientes honorifice recepit. Quæ pacis inſtitutiones quas afferebant, acceptas cum diligenter prius legiſſet, ſubinde coram omnibus iureiurando confirmauit, & præconio ſonituque tubarum, quemadmodum Portugalliæ rex fecerat, publicari iuſſit, nunciosq; ſtatim ad Ferdinandum regem qui Barcinonæ tunc erat, cum literis deſtinauit, quibus eum de pace cum Portugalliæ rege compoſita & quibus conditionibus certiorem faciebat. Cuius rei nuncius Ferdinando regi fuit admodum gratus atque iucundus. Erat enim de honore atq; ſalute reginæ abſentis, quam multis hoſtibus circumuentam reliquerat, valde ſolicitus. Ideoq; magnas Deo gratias agens, eundem nuncium magno munere donatum cum ſuis literis ad reginam remiſit. Quæ cum populis omnibus illius prouinciæ quam vocant extremū iuſtitiæ, præfectos ordinemq; dediſſet, vt in pace omnes & honeſte viuerent, cumq; omnibus & præcipue viduatis mulieribus bona quæ bellorum temporibus indigne perdiderant, reſtitui iuſſiſſet, Toletum ſe recepit. Quo ſub idē tempus venit etiam rex Ferdinandus, qui ſe quoq; iureiurando coram Portugalliæ legatis pacis conditionibus aſtrinxit. Quam pacem & concordiam ſuis literis & nunciis

nunciis ab omnibus regnorum ſuorum magnatibus, ciuitatibus, & populis diligenter obſeruari iuſſere, pœnis grauibus & cenſuris conſtitutis contrarium facientibus. Interim vero Ioanna quam ſupra memorauimus, quamuis admodum puella, diuino tamen lumine circumfuſa, terrenas opes, voluptates humanas, & mundi fallaces inſidias cognoſcens, atque Ioannis Caſtellæ principis qui mundi dominus, ſi vixiſſet, futurus erat, oblatas ſibi nuptias renuens, vitam multo meliorem tutioremque ſanctæ religionis elegerat, in qua permanſit annos circiter quinquaginta, & viuit hodie ſanctiſſime Deo ſeruiens. Quæ quidem cum religionem ingreſſa eſt, annum fere vigeſimum agebat, & hoc anno præſenti milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſecundo, quo nos hæc ſcripſimus, annum agens fere tertium & ſexageſimum, ſola quidem ſupereſt omnibus Hiſpaniæ principibus eius ætatis vita perfunctis. Cuius animus nimirum ſapientior fuit quam aliorum, & multo melior conditio, propterea quod breues ſint humanæ proſperitates, & dies hominum cognoſcens, caducis rebus & incertis prudentiſſime renuncians, meliorem vitam elegit, in qua Deo ſeruiens æternæ gloriæ præmium ſperat.

LVCII MARINEI SICVLI DE REBVS HISPANIÆ LIBER XX.

De bello quod catholici principes geſſerunt contra Mauros Granatenſes.

BELLO quod cum rege Portugalliæ catholici principes gerebant extincto, factaque pace conditionibus quas ſupra memorauimus, aliud ſubinde cum Mauris Granatēſibus geſſere, diuturnius, difficilius, laudabilius, & propterea memorabilius. Illud enim prius, vt Portugalliæ regem qui violenter in Caſtellæ regnum ingreſſus eos iniuſte prouocauerat, a ſuis finibus propellerent: hoc autem poſterius, vt veteres iniurias Chriſtianis à Mauris illatas vlciſcerentur, & ſuo Granatæ regno recuperato nomen & cultum Chriſtianæ religionis augerent. Quapropter iure quidem & illorum maxima diligentia ſummaque fortitudo laudibus efferenda eſt, & prætenitorum Regum Chriſtianorum atque Pontificum negligentia & ignauia eſt accuſanda, qui Mauros Mahumetanæ ſpurciſſimæ nefandiſſimæque ſectæ cultores, & veriſſimę ſanctiſſimæque Chriſtianæ religionis immaniſſimos hoſtes, nō ſine maxima totius Chriſtianitatis ignominia, in vno Hiſpaniæ angulo ſeptingentos annos, & vltra commorari ſuſtinere potuerunt. Cæterum quoniam de hoc bello quod catholici principes cum Mauris Granatæ annos fere decē geſſerunt, multi viri ſatis idonei qui regia caſtra ſequebantur, & rebus geſtis ac præliis interfuere copioſe ſcripſerūt, ego capita duntaxat breuiter attingā. De Granatenſi nanque bello magnum volumen impleuit, pulchramque confecit hiſtoriam, facundo ſuo & eleganti ſtilo Siculus quidā nomine Petrus Sancteramus ciuis Meſſanus. Quod mihi, cum ad me Salmanticam veniſſet, oſtendit, & ego noua delectatus hiſtoria, paucis diebus perlegi. Scripſit & Hiſpano ſermone Ferdinandus Pulgarius, homo nimirum in ſuo genere ſcribendi ſatis eloquens, cuius magnum volumen in Latinum ſermonem vertit Antonius Nebriſſenſis. Cuius ego traductionis initium duntaxat legi. In quo ſatis elaboraſſe mihi viſus eſt & bene caſtigate. Meminerunt præterea belli Granatenſis Protonotarius Petrus Martyr, Gonſalus Aiora Cordubenſis Regius hiſtoricus, Alphonſus Palentinus, & Triſtanus Siluius. Scripſerunt & alii multi, partim Latino, partim Hiſpano ſermone, quorum nomina quia ſunt ignota, ſubticeo. Et quoniam aliorum omnium qui de rebus quas principes catholici geſſerunt memorabiles, conſcripſere, magna volumina multos annos fortaſſe latebunt, & ad poſteros differentur, me nunc viuentibus rē non ingratam facturū putaui, ſi Cæſareæ Maieſtati ſeruiens, ea quæ de rebus à Ferdinando rege & Iſabella regina animoſe ſancteque geſtis ſummatim ſcripſiſſem, excuſa formis in lucem circumferenda protulero. Quod à me quotidie complures Hiſpaniæ viri nobiles, & Siculi de me benemeriti, quibus morem gerere neceſſe eſt, petunt & efflagitant. Ne me igitur vel inurbanum & ingratum, vel immemorem ſuorum erga me beneficiorum putent, compendio quod de bello cum Portugalliæ Rege ſuprà memoraui, Granatenſe ſubnectam, & ſimul impreſſoribus

dabo. Cæterum lectores admoneo atque rogo, vt opus immaturum & ante tempus præcipitatum, non solum legant, sed etiam diligenter inspiciant & emendent, in quo quidem & Hispaniæ gloriæ consulent, & mihi simul rem gratissimam facient. Verum enimuero quoniam de causa transituque Maurorũ in Hispaniam, qui fuit (vt aiunt) Rhodorici Regis temporibus, ab hinc anno fere octingentesimo, alio loco scripsimus, nunc à situ & regione regni Granatensis & ciuitatis initium faciemus.

Granatæ regionis & vrbis descriptio.

HISPANIAM omnem, vt alio loco diximus, autores multi in prouincias quinque diuisere: Tarraconensem scilicet, Gallaciam, Lusitaniam, Bæticam, & Carthaginensem. De quibus libro primo sigillatim scripsimus, atq; quicquid in vnaquaque memorabile sit, ostendimus. Granatæ autem regnum regio quædam est media inter Bæticam prouinciam & Carthaginensem, vel potius pars est vtriusque. Cuius regionis longitudo est passuum millium circiter ducentorum, & latitudo fere centum, patetque circuitu ad passuum millia septingenta. Est enim longitudo ab Ronda vsque ad Oscam, latitudo vero ab oppido Cambili vsque ad mare mediterraneum & portum Almugnecaris. Quæ ad meridiem spectans ex vna parte planicies habet amplas & fertiles campos: ex altera Bastanos montes altos & ascensu difficiles. Ad quos montes & asperrima loca quæ vulgus Alpuxarras appellat, quidam Maurorum duces à Christianis apud saltus Pyrenæos acerrimo prælio fusi magnaq; suorum militum multitudine cæsa, per sexcẽta fere passuum millia fugientes peruenerũt. Hic ex montium iugis altisq; rupibus velut ex propugnaculis & turribus ingentia saxa deuoluentes, ascensuq; Christianos prohibentes, sese defendebant. A quibus Christiani duces & omnes milites diuturnitate belli & multis præliis ante gestis, longaq; persecutione iam defessi, crebrisq; saxis & telis grauiter offensi, quum diutius ferre laborem non potuissent, cum suis omnibus copiis discesserunt, & vnusquisq; domũ suam se recepit. Quorum discessu Mauri valde lætantes, quum aliquandiu Christianorũ timentes insidias in montibus se continuissent, deinde iam Christianis absentibus longeque remotis in campos planaq; loca descenderunt, & cum multis aliis qui traiecerant ex Africa, coniuncti Granatam vrbem compluraq; oppida quæ postea nominabimus, rursus occuparunt. Quorum qui potentiores erant, & plus viribus valebant, regium nomen vsurpantes vrbem Granatam, omnium totius Hispaniæ ciuitatum maximam, domicilium habere.

De situ & forma vrbis Granatæ.

CÆTERVM vrbis Granatæ situs & forma est huiusmodi. Colles binos altos & quasi montes amplectitur, quos Darrus amnis per vallem mediam fluens diuidit. Alterius autem collis regio nomẽ habet Alhambra, quam Mauri sua lingua rubram significari dicunt, & hoc nomine dici vel à conditore homine ruffo, vel à rubra terra, quæ nunc etiam cernitur in ædificiis. In huius autem regionis eminentiori loco domus est regia, magnitudine, opere, formaque conspicua. Quæ quidem ciuitas potius quam domus est appellanda. capit enim intra muros hominum millia quadraginta, totaq; cincta mœnibus & triginta turribus. Alterius Alcazaua dicitur, domorum frequentia mirabilis, quæ significat apud Mauros munitum locum & defensorium, qui arcem & castellum Alcazarem vocant. Supra quam magnus est incolatus in loco plano positus, qui locus saluberrimus est & Albaicinus dicitur, Alhambræque cui est oppositus, altitudine pene similis & æqualis. Cuius incolas à Baeza ciuitate venisse ferunt, & Antiquirolanos ab Antiquera. Sunt & colles alii minores, quibus non immerito sicut & Roma septicollis appellari potest. Cæterum præter colles est etiam in plano loco campoq; magno maximus ædificiorum numerus. Ædes autem etsi plæræq; omnes lateritiæ sunt, tamen non regiæ modo, sed etiam aliæ quam plurimæ spectabiles sunt & magnę familiæ capaces. Calles vero viciq; qui plurimi sunt, propter ædificiorum nimiam densitatem plærique sunt angusti, & item plateæ foraq; venalia: quę tamẽ à Christianis post Granatæ captũ ampliora facta sunt & illustriora. Gaudẽt domus cõplures hortis, & arboribus fructus qui limones appellãtur, ferentib. Citros vero citriosq; domus habent pauciores. Aquis egelidis ac salubribus tota fere ciuitas abundat, & in ipsa vrbe scaturientibus, & aliunde per aquę ductus aduectis. Vrbis passuum millia circiter duodecim circuitus amplectitur, totus vndiq; mœnibus cinctus, & mille triginta propugnaculis tutus. Portæ quę sunt numero duodecim, ad Occidentẽ faciles habent exitus & campos amœnos: cæteræ vero ad Orientem subdifficiles. Est autem in vrbe Granata totaque eius regione, omnium rerum quæ sunt ad hominum vitam degen-

degendam & cultum necessariæ, magna fertilitas, & saluberrima semper aeris cœlique temperies, vbi neque tellus nimio solis ardore torretur, neque frigore contrahitur, & homines perpetuo temperamento perfruuntur. Sunt præterea in vrbe Granata res memorabiles & insignes numero septem, tres scilicet amœnissimæ domus: Alhambra, cuius supra mentionem fecimus: altera, quę Generalipha dicitur, multo iucundissima dicitur: & tertia, quæ distat ab vrbe fere mille passibus, cui nomen est Alixares, quæ fuit olim materia & opere admirabilis. Quas quidem domos ego non immerito luxus & regum delicias appellare so'ebam. Eas enim Maurorum reges oblectationis & deliciarum causa frequētare solebant. Quarta res est platea magna planaque nuper à Christianis instructa, quam Biuaramblam Mauri vocant, & Arenariam significari dicunt. Cuius forma est quadrangularis, sed ad mensæ similitudinem. Siquidem longitudo maior est quam latitudo. Est enim longitudo pedum quadringentorum, & latitudo ducentorum. In qua fons est excelsus & insignis. Campus præterea totus in circuitu dealbatis ædibus crebrisque fenestris conspicuus. Huic plateæ foroque venali relatu non indigna coniuncta res est: domus scilicet quam Alcaceriam vocant, in qua tabernulæ sunt numero fere ducentæ, in quibus serici panni cæterarumque rerum merces quotidie venduntur. Domus hæc quæ parua ciuitas dici potest, calliculas habet multas, & decem portas, in quibus transuersis catenis ferreis propter vicorum angustias & negociantium frequentiam ingressus equitantibus prohibetur. Cuius præfectus noctu foribus clausis nocturnas habet excubias, & vigiles canes, & nomine regis à singulis tabernis vectigal exigit. Sexta est Darrus amnis, quem Bernardus Gentilis in officio scribendi meus collega poetaque celebris Daurum nominauit, quasi dantem aurum, quod in eo legi quam optimum consueuit. Hic autem amnis supra Granatam vrbem ad passuum millia septendecim ex alto iugo montis oriens, omnibus fere ciuitatis domibus aquas abunde suffundit, & ex vrbe profluens in occidentem, Singili qui ex eodem monte descendit, & Guadaxenilis à Mauris appellatur, coniungitur. Amnis autem Darri aquam, sicut à Granatæ ciuibus accepimus, quæcunque sitibunda bibunt animalia, omni morbi genere liberantur: ideoque balneum salutiferum pecoribus appellant. Septima res & summa Granatæ vrbis fœlicitas est ager maximus & fertilissimus, frugibus & omni genere fructus abundantissimus, & ex arborum foliis quibus fit sericum, singulis annis vectigal aureorum millium fere triginta quinque regibus pendet, præter multas serici libras. Cuius ambitus passuum millia centum & decem complectitur, in cuius agri spacio fere millium septem & viginti, sex & triginta fontes oriuntur. Et quoniam de Granatæ vrbis rebus memorabilibus scribimus, illud vnum memoratu dignum & naturæ opus admirabile non est omittendum, quippe qui sunt inter vrbem Granatam & mare mediterraneum montes alti, perpetua niue candentes, ideoque niuosi dicuntur, qui distant à Granata passuum millibus circiter vndecim: qui vel æstiuo tempore mensèque Quintili, regnante Canicula, Granatensium visus ex fenestris inspicientium maxime delectant: nec hyeme, quod mirabilius est, Granatæ ciues frigus nimium patiuntur.

De nominibus vrbis Granatæ.

DE autore autē & tempore quo fuit vrbs erecta, mihi non bene compertum est. Fuisse autem quondam situ paruam credendum est, & à Mauris propter opportunitatē loci magnamque fertilitatem indies auctam nouis ædificiis & densissimis ædibus. Hanc ego facio coniecturam propterea quod veterum scriptorum de tam insigni vrbe tamque populosa & memorabili neminem scripsisse comperio. Fuit autem ante Maurorū transitum in Hispaniam ciuitas Episcopatus, vt inferius demonstrabimus, autoritate decreti. Nunc itaque de nomine, quod alii fabulantur & quod ego sentio, breuiter enarrabo. Loquuntur enim multi non Granatam, sed Gar Natæ dici debere: propterea quod (vt ferūt) Punica lingua, quam vocant Arabicā, Gar antrū significat, quod in ea vrbe à nympha nomine Nata colebatur. Sic itaq; nomen vrbis Gar Natæ, hoc est antrū & speluncam Natæ nymphæ fuisse volunt. Alii Eliberam nomen fuisse contendunt, à quadā fœmina generosa quæ & vrbis portæ qua fuit ingressa, de suo nomine nomen dederit. Quorū opinio mihi quidem non fit vero similis, propterea quod, vt à multis & non indoctis viris accepimus, Elueria porta dicta fuit ab Eluera ciuitate, quæ fuit olim ab vrbe Granata passuum millia ferme septem, cuius ciues à Cordubensibus deuicti quondam Granatam deuenerunt, à victoribus eorum vrbe deleta. Porta itaque per quam ad Elueram iter erat, Elueria porta fuit appellata, quæ nunc etiam e litera in i mutata, Eluira dicitur. Sunt præterea qui Eliberam dictam putant, ab Eliberitanis populis propinquis, qui ad eam colendam venerut.

Illud autem non omittam quod in decreto me legisse memini, vbi summus Pontifex in concilio Theodulphi Malachensis Episcopi petitioni respondit: Theodolphi Malachensis Episcopi petitio nobis allata est, exponentis ecclesiæ suæ reditus olim bellorum temporibus in ecclesias Astigitanam. Liberitanam,& Gabiensem fuisse diuisos, & reliqua. Quas quidem tres ecclesias, Astigitanæ vrbis, quæ nunc Eciia dicitur, & Iliberis, quæ Granata,& Gabiæ, quæ Capra, quæ quondam Gabia dicebatur, minime dubitamus. Alii denique Granatam dictam fuisse opinantur à cocco cuius in ea prouincia magna copia legebatur, quam rem granam vocant Hispani. Sed ad inceptũ redeamus. Nam ego neque multum repugnans opinionibus aliorum, neque prorsus assentiens, vrbem Granatam dictam fuisse arbitror à mali Punici, quod & granatum vocatur, similitudine. Nam 1 vt malum Punicum granosum est,& acinis, hoc est granis, densissimis refertum, sic & vrbs Granata densissimas domos & dehiscentis granati similitudinem habet. Verum siue Gar Natæ, siue Granata, siue Elibera dicatur, parui refert. Est autem vrbs admodum populosa maximique incolatus, quæ regiones habet tres & viginti, & monasteria decem, atque, vt accepimus, ad rei militaris officium bellumque gerendum hominum millia quinquaginta conficiebat, totidemque mittebant & populi qui eiusdem regni & ditionis erant. Commorabatur præterea in omnibus Hispaniæ ciuitatibus & oppidis sub imperio Christianorum principum maxima Maurorum multitudo, quos (vt alio loco diximus) catholici principes post Granatæ captum à suis regnis exterminarunt, præter eos qui ad Christianorum religionem conuersi fuere. Sed ad Granatenses Mauros redeo. Qui cum 2 Granatam vrbem, vt supra dictum est, ocupassent & oppida multa, semper vltra progredi conantes cum finitimis Christianis populisque propinquis quotidianis fere bellis prælijsque contendebant: quibus certaminibus vtrinque multæ captiuitates multæque cædes consequebantur. Cæterum non defuerunt Hispaniæ Christianissimi principes, virique fortissimi atque magnanimi, religionisq; Christianæ studiosissimi, qui Mauros campestri prælio victos ad portas vsque Granatæ ciuitatis persecuti eius muros acriter oppugnarunt, quos aliorũ vel inuidia vel auaritia ab obsidione submouit, & expeditione sancta retraxit. Itaque duæ res, dolor scilicet alienæ fœlicitatis, & auri cupiditas nimia, quæ sunt omnium malorum radices, barbaris gentibus & Christianæ religionis inimicissimis in Hispania commorandi tot annos vsque ad catholicos principes causa fuere. Qui qui- 3 dem principes dono quodam diuinæ prouidentiæ geniti, & è cœlo in Hispaniam demissi, cum multis malis occurrissent, & cum Portugalliæ rege bellum gererent, pacem cum Mauris ad certum tempus, vt inter eos bella cessarent, inierũt interpositis induciis. Quas inducias pactas solenniter cum Mauris, qui suis moribus barbaris & ingenio malo prauoque fœdifragi semper fallacesque fuerunt, ante statutum diem violassent, Zaharam Christianorum oppidum noctu magno silentio venerunt, & per scalas muris admotas ingressi, Christianos qui propter celebratas inducias sine vllis excubiis securi nudique dormiebant, impetu magno & repentino foribus impulsis, fractis,& euulsis, crudelissime obtrucidarunt, neque mulieribus parcentes neque pueris. Est enim Mauritaniæ gentis in Christianos immanitas incredibilis. Hac vsi sæuitia in oppido capto præsidium relinquunt, & nimis exultantes ad alia Christianorum oppida profecti idem fecere. Quæ res, vt opinor, à Deo permissa belli Granatensis causa fuit, & Maurorum perditionis & interitus. Fama namque huiusmodi Christianorum miserrimæ cladis, & Maurorum crudelitatis horrendæ, catholicos principes & omnes Hispaniæ magnates omnesque populos ad opprimendam Barbarorum truculentissimam rabiem mirum in modum concitauit. Quocirca cum primum rex Ferdinandus & Isabella regina prouidentissimi principes de Maurorum perfidia & maleficiis certiores facti fuere, confestim literas & nuncios ad omnes Carthaginensis & Bæticæ prouinciæ proceres ad ciuitates & oppida destinarunt, quos admonebant & hortabantur, vt sua mœnia communirent, equites & milites cogerent, res ad belli gerendi vsum necessarias compararent, omniaque diligentissime ac vigilantissime prospicerent, & à suis finibus hostium incursiones prohiberent: pollicentes vt aut ipsi propediem cum exercitu venirent ad eos, aut suos duces cum magnis copiis subsidio mitterent. Equites autem & vtriusque prouinciæ populi, quorum intererat se suaque ab hoste defendere, etsi vltro quæ ad sui tutelam necessaria erant, sedulo prospiciebant, regia tamen exhortatione & spe venturi subsidii fortiores erant, multoque studiosius equos, arma, & omnem expeditionem bellicam apparatumque militarem comparabant. Quod vbi Mauri per suos exploratores sensere, non modo destiterunt ab inceptis, sed etiam timere ac pedem referre cœperunt. Christiani autem rebus necessariis comparatis & armis intenti supersedebant, & catholicorum regum vel aduentum, vel impe-

imperium expectabant. Interim vero Rodoricus Pontius Leo Marchio Gaditanus, spiritu diuinitatis afflatus, suis principibus rem pergratã & Deo optimo maximo sacrificium se facturum existimans, si Zaharesium Christianorum cædem miserabilem vlcisceretur, omnes labores & extrema vitæ suæ pericula subire decreuit. Itaque cum Iacobo Merulo qui tunc Hispalẽsis vrbis præfecturam gerebat, quem magistratum Assistẽtem vocat Hispania, & cum aliis Bæticæ prouinciæ viris primariis, & copiis quas cogere potuerunt, equestris ordinis & pedestris leuis armaturæ, Alhamam versus proficiscentes ad flumen aquarum peruenerunt, vbi biduo quasi latentes ne sentirentur a Mauris, se contulerunt. Vnde duce quodam genere Mauro, qui paucis ante diebus ad Christianam religionem transierat, magno silentio proficiscentes, nocte quadam & hora qua Mauri quieti somnoque dediti erant, Alhamam peruenerunt. Est autem Alhama ciuitas, quæ incipit à ripa cuiusdam fluminis & surgit in altum ad planiciem, in qua magnus est incolatus, & vndique mœnibus cinctus. Hic miles quidam, cui nomen erat Ioannes Orthega, vir fortis, animosus, & scandendi muros peritissimus, arcem quæ oppidi muro coniuncta erat, conscendit, & Maurum arcis custodem obuium sibi, vno ictu pugionis occidit. Sunt tamen qui hunc non Orthegam, sed Martinum Galindum fuisse contendũt. Maurus autem percussus vocem nullã prorsus emisit, vel quia non potuit sub læua mamilla percussus, vel quia clamare non est ausus propter violatam fidem, propterea quod, vt opinio fuit, in ea turri cum arcis præfecti filia furtim concubuisset: quapropter & puellam quoque latitantem conticuisse patris iram metuentem. Hoc interfecto custode, & in arcem captam quinquaginta militibus Christianis ingressis, & quid facturi erant admonitis, Dux Gaditanus & Iacobus Merulus cum reliquis militibus ad oppidi portas accedẽtes, alios muros ascendere, alios portas eruere, & vt hostes fallerent, in alio loco supra oppidum æneatores classicum canere iubent, vt dum Mauri qui essent in armis, in eos exirent, ipsi per aliam partem facilius ingredi possent. Quod Mauris sero iam sentientibus & admodum perturbatis, nõ modo non armandi se, sed ne induendi quidem spacium dabatur, adeo vt cõplures induti vestem dũtaxat interulam & sine calceis, alii suæ domus ingressum defendere conabãtur, alii per vicos, alii per plateas cum Christianis præliabantur. Multi quoque qui causa suæ salutis ad arcem confugiebant, à Christianis qui eam iussu ducis defendebãt, occidebantur. Pugnatum est acriter in tenebris & obscura nocte, Christianis Iesu & Mariæ virginis sanctique Iacobi nomen, & Mauris Allam Mahomamque conuocantibus, ab hora fere vltima tertiæ vigiliæ vsque ad auroram & primam lucem, ingenti clamore mulierum & puerorum. Prope solis aduentum Mauri perpauci qui supererant à prælio, per loca sibi nota diffugientes euaserunt, aliorum cæsa maxima multitudine. Quorum cadauera Dux Gaditanus extra muros efferri quamprimum iussit, & oppidi portas armis rebusque ad propugnandum necessariis muniendas certis militibus assignauit. Hinc arcem ingressus nuncios cum literis quas pridie quam ad oppidum venisset, se sperãs Deo iuuante sui voti compotem fore, prudentissime scripserat, ad suos principes, ad Bæticos omnes equites, ad ciuitates misit alios atque alios, vtpote qui Boaudelim Granatæ Regem ad se cum magnis copiis venturum prospiciebat. Quod ita accidit. Nam quod Alhama aberat ab vrbe Granata non amplius octo & viginti millibus passuum, Granatæ principes ad eã venerunt infra paucos dies cum exercitu hominum millium circiter octoginta. Qui cum prope muros oppidi castra locassent, postero die acriter oppugnare cœperunt. Christiani autem propugnabant, vt homines quibus vitæ suæ spes omnis in sua virtute consistebat, quos quidem & sua salus, & certa fiducia venturi subsidii quod à suis Regibus, & à multis Hispaniæ Bæticæ magnatibus, & Christianorum populis expectabãt, multo ferocius propugnantes hostes à muris submouebant. Rex autem Ferdinandus & Isabella Regina, qui tunc Methymnæ cui cognomen est Campus, cõmorabantur, primũ nuncium cum literis Gaditani Ducis acceperũt in aula rem diuinã audientes, circiter Idus Martias anno millesimo quagringentesimo octogesimo secundo. Qui literis iam perlectis inter celebrandũ more suo Deo gratias agentes, sacerdotes vt canticum Te Deum laudamus canerẽt, iusserunt. Sacrificio autem peracto gaudio magno totius aulæ dum epulis naturæ satisfacerent, inter prandendum Rex Ferdinandus, vt erat prudentissimus, & ingenio sagaci, animo secum voluntans Granatæ Reges ad obsidendum Alhamam cum magnis copiis ituros, atque periculum quod obsessis impendebat, prospiciens, sibi mulas ad equitandum & campestrem lectum leuiorem parari iussit. His itaque rebus expedite instructis à mensa statim consurgens, & item Regina, magno equitum numero & sacerdotum, ad sancti Iacobi templum sese contulerunt. Vnde cum perorassent & Sacerdotes Te Deum laudamus cõcinuissent, in palatium Rex reuersus eodem die in vlteriorem Hispaniam magnis

itineribus ire contendit, & cum eo complures equites qui tunc erant in curia, proficiscũtur. Interea vero cum Alhamæ captum per omnes Bæticæ prouinciæ ciuitates fama distulisset, Henricus Gothomanus Dux Methymnæ Sidoniæ vir magnanimus, etsi Gaditani Ducis erat inimicus, fide tamen quam suis principibus inuiolatam semper præstiterat, & Christianæ religionis amore commotus, omnes suæ domus equites, quorum magnum numerum habebat, & totius prouinciæ Bæticæ & Castellæ nobiles conuocauit. Ex quibus fuerunt Iacobus Patiecus Marchio Villenæ, Alphonsus Aquilaris à Corduba Dominus Montillæ, & Gonsalus Fernandez eius frater, & alii cõplures equites & viri primarii, quorum nomina mihi non occurrunt. Triduoque propriis pecuniis stipendia soluens equitum tria millia peditumque circiter quadraginta coegit. Idem & alii multi prouinciæ proceres & ciuitates fecere. Vnaque omnes coniuncti cum exercitu numerosissimo Alhamam versus proficiscuntur. Quos Rex Ferdinandus qui die Mercurii ante Pascha resurrectionis Saltum Castulonensem, qui Serra Morena dicitur, iam transierat, vt cum eis se coniungeret antequam Maurorum fines ingrederentur, consequi non potuit, sed in loco qui Domini Gonsali Pons, vel (vt alii dicunt) Pontonius appellatur, fixo tentorio constitit. Vbi die postero re diuina celebrata & eucharistiæ sacramẽto in suo tabernaculo solenniter incluso, nuncius certus ad eum venit, qui Granatæ Regem cũ suis copiis ab obsidione Alhamæ discessisse nunciauit. Henricus item Gothomanus Dux Methymnæ cæterique duces exercitus & centuriones pridie huius diei cum acies apud Alhamam instructas haberent, de Maurorum fuga nocturna per suos exploratores cognouerant. Qui Alhamam profecti post multos amplexus & honorifica verba vltro citroque habita, Methymnæ Dux & Marchio Gaditanus in pristinam beneuolẽtiam & amicitiam redierunt. Alhamam subinde Rex Ferdinandus adueniens, duces & multos equites humaniter amplectens, omnium fidẽ & fortitudinẽ maxime commẽdauit. Hic triduo cõmoratus, dum equites quos se subsequi iusserat conuenirẽt, & cõmeatus cõportarẽtur, die quarto iam discessurus Iacobum Merulum equitem apprime nobilem, cui plurimum cõfidebat, Alhamæ præfecit, quem magno cum præsidio commeatibusque necessariis reliquit: & Gaditanum Marchionem secum ducens, Cordubam, quo Regina post Idus Aprilis peruenerat, profectus est. Alhama capta Rex Ferdinandus & Isabella Regina fortissimi principes inter se multa conferentes, & quid facturi essent cogitantes, Barbarorumque sæuitiæ memores, auxilio Dei quem sibi semper adfuisse cognouerant, & equitum suorum viribus freti, bellum Granatense fœliciter inchoatum gloriosamque victoriam prosequi decreuerunt. Quorum sententiæ conuocato concilio, cunctis vtriusque ordinis equitibus & consiliariis assentientibus, & rebus ad belli vsum comparatis, è Corduba Rex Ferdinandus exercitum validissimum ad Loscam, quam Loxam vocant, Maurorum ciuitatẽ magnam & natura loci præsidioque hominum munitissimam perduxit. Vbi duces eius ignari locorum castra male posuere, vbi facilius ab hostibus ex locis superioribus offendi, quam hostes offendere poterant. Hic dum iussu regis in aliũ locum tutiorẽ castra tumultuose transferuntur, Rodoricus Tellius Gironius ordinis Calatrauæ Magister equitum, à Mauris qui ex locis superioribus in Christianos tela cõiiciebant, duabus sagittis male percussus occubuit, & in quatuor horarum spacio confessus animam efflauit. Quæ res & casus infœlix totius exercitus animos perturbauit. Quod cum Rex Ferdinãdus animaduertisset, qui & obsidionem Loxæ difficilem periculosamque esse videbat, castra mouens instructis ordinibus ab obsidione discessit. Vbi totus eius exercitus Mauris eruptionem repente facientibus, non sine maximo periculo regiæ salutis restiterũt. Hoc autem die plures Christianorum duces hostibus vires suas ostentarunt, & fortissimos animos & præcipue Antonius Fonsecus, Federicus à Toleto Dux Aluanus, Fernandus Vega, Alphonsus Cardinas, & Ioannes cui Ribera nomen erat, dominus Montis maioris. Qui cum Regem suum in magno discrimine vidisset, suæ cohortis equites hortatus & pedites, tam diu sustinuit impetum multitudinis Maurorum, donec regem periculum euasisse cognouit, & castra in tutiorem locum translata fuerunt. In quo prælio eius cohortis viri fortissime pugnantes sexaginta perierunt, & ipse tandem propulsatis hostibus incolumis euasit. Hac æstate nostri principes Alhamam firmioribus præsidiis multisque commeatibus & rebus necessariis muniri iusserunt, & Calatrauæ dignitatem Garsiæ Lupo Padillæ supplicanti conditione detulerunt, vt suis expensis præsidia quæ Alhamæ custodiam defensionemque relinquebant, sustineret. Hac conditione accepta dignitate, cum Petrum Manricum Ducem Naiarensem terræ Cordubæ & Iaenis, Alphonsumque Cardinam Sancti Iacobi militiæ præfectum Hispalensi solo præfecissent, oppidum Madritum, quod homines nostri temporis non indocti Mantuam Carpentanam vocant, ad hyemandum veniunt.

unt. Quibus pridie Nonas Aprilis triſtis nuncius magnam attulit ſolicitudinem, propterea quod Idibus Martiis cum Rodoricus Pontius Dux Gaditanus, Alphonſus Cardinas quem ſupra memorauimus, Ioannes Siluius Comes Ciſontanus, & alii complures equites qui Bęticam prouinciam præſidio tenebant, prædandi cauſa Maurorum fines & campos qui ſunt inter Malacham & Bellamalacham, ingreſſi, magna inde cum præda redeũtes à Maurorum equitum multitudine circumuenti eorum multi perierant, & cum multis equitibus Ciſontanus etiam Comes captus fuerat. Hac itaque re cognita Rex Ferdinandus in Bæticam, & Regina in Celtiberiam prouinciam proficiſci ſtatuere. Qui cum paſchalia feſta celebraſſent, quarto Idus Aprilis ex oppido Maiorito paululũ digreſſi conſtiterunt, & per campum ſimul equitantes antequam iter facerẽt colloquentes, de Mauris qui Lucenatum campos, qui ſunt in Bætica prouincia, populatum venerant, prælio victis & Granatę Rege iuniore capto, nuncium lætiſſimum acceperunt. Hic autem Granatæ Rex iunior qui Mahomedus nomen habebat, fuit Abulihaceni Regis filius, qui patre mortuo contra Boabdelim patruum qui regnũ occupare conabatur, bellum gerere cœperat, tota Granatæ ciuitate in duas factiones diuiſa. Quæ res vt in regni ſocietate fieri ſolet, vtrumque Regem poſſeſſione ſpoliauit. Sed ad Regem captum redeo. Quem multi deprehenſum fuiſſe dicunt à Iacobo à Corduba Comite Caprenſi, tametſi non deſunt, qui à Iacobo à Corduba regiorum principum cuſtode, quem Alcaide de los donzeles Hiſpani vocant, captum contendunt. Ego vero quoniam adhuc indeciſa re ſub iudice lis eſt, etſi ducem vtrumque & omnes equites qui in ea pugna fuere, magna laude perpetuaque memoria dignos exiſtimo, victoriam tamen illam Regiſque captiuitatem acceptam refero Deo optimo maximo, qui Maurorum magnis copiis prælio victis & profligatis, eorum Regem capi permiſit, quo facilius atque breuius Mauritana gens omnis in Hiſpania, quæ Mahomæ ritum falſum prauumque morem ſeruabat, turpiterq; viuebat, ad ſui cultum & Catholicam fidem perduceretur. Sed redeo ad principes noſtros. Qui literis de Regis Granatæ captu perlectis inſtitutum iter ire contendunt, & Regina Logronium, quod eſt Cantabriæ oppidum peruenit, & Rex in Bæticam prouinciam profectus, cum exercitu magno Granatæ fines ingreſſus campos & fruges omnes igne ferroque vaſtauit. Hinc ſubinde arcem Taiaræ machinis oppugnatam, & ſummotis propugnatoribus appoſitis ſcalis accepit. In cuius oppugnatione Henricus Ferdinandi Regis auunculus ictu ſclopetæ in altero crure fuit grauiſſime percuſſus. Hac arce capta, Rex Alhamam nouis præſidiis & commeatibus muniri iuſſit. Deinde Gaditanum Ducem, & Garſiam Lupum Padillam, cum exercitu magno Bæticæ prouinciæ præſidio reliquens, Victoriam, quæ ciuitas eſt Cantabriæ, profectus eſt. Hinc adueniente vere cum in Aragoniam veniſſet ad conuentus agendos, cum Regina ſe coniunxit, conuentibuſque peractis in Aragonia, ſimul in Bæticam redierunt, & cum magnis copiis Granatæ fines ingrediẽtes, Aloram oppidum Maurorum breuiter capiunt. Quibus mos erat, vt cum primum vel ciuitatem vel oppidum cepiſſent, ſtatim ſigniferos ſuos in arcem vel in aliquem locum eminentiorem iubebant aſcendere, qui primum ſignum ſalutiferæ Crucis attollerent. Quam cum ſublatam ſuſpexiſſent, in terram ſtatim procidentes adorabant Deo gratias agentes, & ſacerdotes Te Deum laudamus decantabant. Secundum ſignum vexillum erat Sancti Iacobi apoſtoli, quem patronum ſuum vocat Hiſpania, quo perſpecto nomen eius inuocabant. Tertium autem vexillum erat regium, titulis & armis inſignitum, quod vniuerſus exercitus conſpiciens altis vocibus Caſtellæ nomen ſæpius iterabãt. Sublatis vexillis ſubinde Præſul in oratoriam domum (quam Mezclitam Mauri vocant, & congregationem ſicut Iudæorum ſynagoga ſignificat) ingreſſus, benedictam & conſecratam Chriſtianę religioni dedicabant. Poſt Aloram captam equites quidam Chriſtianorum exercitus in agros Cazarabonellæ, quod erat oppidum Maurorum, prædandi cauſa cupidius ingredientes, à Mauris qui eos in ſuos fines venturos ante cognouerant, commiſſo prælio profligati fuere. E quibus Gutterius Sotomaior Comes Benalcazaris à Mauro ſagittario letale vulnus accipiens occubuit. Rex autem & Regina vbi Aloræ Ludouicum Portucarrerium dominum Palmæ præfecerunt, in captis oppidis neceſſaria præſidia collocarunt, ad hyberna Cordubam venerunt. Vnde poſt hyemem in principio veris Regina Hiſpalim proficiſcente, Rex in Maurorum fines reuerſus oppidum Settenilum cepit, multoſque pagos propinquos: qui cum Settenilum captum vidiſſent, ſeſe dederũt. Hinc Hiſpalim Rex Ferdinandus proficiſcitur, vbi Regina tunc erat, & hyeme iam diſcedente Rex Cordubam rediit & cum duobus exercitibus ad oppugnandum Coynum oppidum & Carthamam profectus eſt. Atque caſtris apud vtrumque oppidum poſitis Rex Coy-

num oppugnans, Carthamam quæ non longe à Coyno distabat, eodem tempore ab Alphonso Cardino Petroque Velasco Castellæ Comestabili suis ducibus oppugnari iussit. Oppidani autem vtriusque oppidi cum sese defendere non possent, & omni subsidii spe destituti, Ferdinando Regi sese dederunt. Quibus Rex in deditionem acceptis, Alphonso Cardino Carthamæ arcem gubernationemq; commendauit, & ex Coyno discedens, Rondam, quam nonnulli Mundam esse falso putant, obsessum venit. Quam paucis dieb. captam Antonio Fonseco commisit. Hinc iam discessurus Marubellanos qui ad eum vltro venerunt, in deditionem accepit, quibus Villandrandum Ribadei Comitē gubernatorem relinquens, Cordubam se contulit. Cuius imperio Iacobus Comes Caprensis ad oppugnandum oppidum Moclinum missus cum Mauris prælium committens, profligatus rediit. Rex autem Ferdinandus interea Cambilenses & Alhabarenses oppugnatione ceperat. Quorum arcibus & oppidis Franciscum Bouadillam præficiens, Alcalam Henarem, quam Hispani viri non indocti Complutum vocant, ad hyemandū venit. Hic infans Catharina nata est, quæ fuit Britanniæ quam Angliam vocant, Regina. Æstate autē quæ secuta est, Rex & Regina Cordubam reuertuntur. Vnde Rex cum magno equitum & peditū numero Loxam repetit. De cuius aduentu Granatę Rex Boabdelis admonitus, quoniam suæ defensionis & Christianis resistendi spes omnis erat in Loxa, in eam priusquam Ferdinandi Regis copiæ venissent, ingressus est. Postero autem die Rex Ferdinandus adueniens, dum castra locis opportunis collocasset, suburbia in quibus erat magna pars ciuitatis, tormentis & aliis armorum generibus oppugnari iubet. Huius oppugnationis initium Federico à Toleto Aluani Ducis filio cum suæ custodiæ militibus electis assignauit. Vbi Christianis acriter oppugnantibus, Rex Granatæ noctu clam discessit. Cuius absentia postero die Loxæ ciues Ferdinando Regi sese dederunt, & Rex Ferdinādus satis prudenter Loxæ, quoniam erat magna ciuitas & Granatæ propinqua, Aluarum Lunam cum magno Christianorum præsidio reliquit. De Loxa Illorā veniens, eam paucis diebus accepit. Interea Regina ad visendum Loxam venerat, quam rex Ferdinandus rogatū misit, vt ad se Illoram veniret. Hinc simul ad oppugnandum Moclinum oppidum proficiscuntur. Erat autem Moclinum in aspero loco positū, & natura loci humanoque præsidio valde munitum. Quæ res oppugnantibus labor erat maximus, sed expugnatum tandem fuit captumque diuinitus: propterea quod Christianis acriter oppugnantibus & Mauris fortissime propugnantibus, ex tormento lapis orbicularis excussus flammaque coruscans in eam arcis turrem concidit, in qua puluis erat qui molitis carbonibus & sulphure cæterisque rebus conficitur. Quo repente succenso & turris confestim corruit, & Mauri complures qui in ea erant, cōbusti fuerunt. Quę res admirabilis & ostento persimilis Maurorū mentes admodum perturbauit, quippe qui putauerunt ignem propter eorum pertinaciam è cœlo delapsum. Ideoque timore magno perculsi postero die de pace legatos ad Ferdinandum Regem miserunt, & sine vlla conditione se dederunt. Quibus in deditionem acceptis, & oppidi portis reclusis, more suo catholici principes in arcem crucigerū vexilliferosque præmiserunt, quos armatos equites & sacerdotes Te Deum laudamus canentes subsequi iussere. Erant autem in hoc oppido magnus captiuorum Christianorum numerus, erant etiam multi sacerdotes in foueis & subterraneis speluncis vincti catenis ferreis. Qui cum regio sacerdotes oppidum ingressos Te Deum laudamus canentes audiuissent, ipsi quoque magno gaudio canere cœperunt, Benedictus Dominus Deus Israel. Hos è carcere solutos & ad se veniētes cum vidissent catholici principes squalidos ac pene nudos, & barba capilloque promisso, vbertimque flentes, indui & viatico donatos ad suas domos ire iusserūt: & Martinum Alarconium in Moclini custodia relinquentes ad Granatenses campos proficiscuntur. Quibus igne ferroque vastatis, & Federico à Toleto cum exercitu magnō in Bætica prouincia relicto, in Galleciam proficiscuntur, vbi factiones & tumultus Lemi Comitis & Villæ Francæ Marchionis aliarumque sororū eius, quoniam armis inter se de patrimonio statuque contendebant, compescerent. Qui cum venissent ad oppidum quod Palatium Valduerna dicitur, Lemianus Comes ad eos veniens se ipsum suaque omnia bona eorum potestati tradidit. Principes autem catholici cum eos reconciliassent, & vnicuique quod suum erat, tribuissent, pro suis expensis oppida duo, Sarriam & Castrum Regium sibi retinuere. Hinc in Compostellam profecti cum Sancti Iacobi Apostoli Hispaniæ patroni limina visitassent, Salmanticam venerunt. Hic hyemantes conuentum iuridicum quem Cancellariam vocant, ex oppido Vallisoleto Salmanticam transferri iusserunt; quem in parte domus Pōtificalis quam ipsi colebāt, collocarunt, vt quo ordine lites deciderentur, quaque diligentia expedirentur negocia, cogno-

cognoſcerent. Quibus rebus iam perſpectis Alphonſum Fonſecum Compoſtellanũ Antiſtitem, virum literatiſſimum, adminiſtrandæ iuſtitiæ præſidem relinquentes, Idibus Martiis, hyeme iam præterita, Salmantica diſcedunt, & exercitum quem in prouinciam Bæticam præmiſerant, apud Cordubam conſecuti cum magnis copiis Bellamalacham verſus iter faciunt, & cum exploratoribus equites qui locum caſtris idoneum deligant, præmittunt. Qui, quoniam ciuitas hæc in extremo collis expoſita eſt, locum pro caſtris altiorem ſupra ciuitatem delegerunt. Ad quem locum cum Rex Ferdinandus veniſſet, caſtraque locaſſet, oppugnari ſuburbium iuſſit. Cuius oppugnationis initium dedit Federico à Toleto, qui cuſtodiæ Regis equitibus præerat. Granatę autem Rex interim Bellamalachenſibus Mauris obſeſſis ſubſidio veniens, per altos montes & inuia loca vſq; ad Chriſtianorum caſtra magnum duxit exercitum. Quibus occurrentes Chriſtiani prælium committunt. Quod vbi Rex Ferdinandus animaduertit, equum ſtatim conſcẽdens cum multis equitibus occurrens, in equitem Maurum lanceam fortiſſime coniecit, enſemque qui in ephippii parte anteriori pendebat, manu perſtringens è vagina extrahere non potuit. Quæ res cauſa fuit, vt poſthac enſem nunquam ephippio, ſed ſuo lateri ſemper accinctum tulerit. Hoc prælio Mauris qui ſubſidio venerant, iam profligatis, dum ciuitas acriter oppugnatur, multa tormenta multoſq; pulueris cados & tintinnabula varii generis ab Imperatore Maximiliano miſſa catholici principes acceperunt: tormẽta quibus Maurorum turres mœniaque diruerẽt, & tintinnabula, quæ in captis conſecratiſque templis appenderent. Quæ cum è nauibus expoſita in littore vidiſſent Bellamalachenſes ciues, timore magno coacti manus dederunt. Quibus in deditionem clementer acceptis principes Catholici poſtero die caſtra mouent, & exercitum ad Malacham ciuitatem validiſſimam ducunt. Quam poſitis apud eam caſtris, ab arce quam à ciuitate paululum remotam Gibralfarum vocant, ad mœnia ciuitatis & arcem alteram quæ dicitur Alcazaua, totam pene ciuitatem ſtationibus circumdantes vſque ad littus maris obſidione quam longiſſima cingũt. Locus autem eſt ab arce iugoſus & procliuis, in quo Rex Ferdinandus hoc modo ſtationes diſpoſuit. Apud arcẽ Gibralfarum primum & altiorem locum Duci Gaditano, Aluaro Bacciano, Petro Bacce, Gutterio Sotomaiori, & arcis Attenſæ præfecto dedit: ſecũdum Beiarani Ducis equitibus: tertium Iacobo Lupo Aialę & Franciſco Bouadillo: quartum principum præfecto: quintum ciuibus Hiſpalis & Cordubæ: ſextum Comiti Feriano: ſeptimum equitibus præfecti Calatrauæ, quibus præerat Gutterius Padilla nepos eius ex fratre: octauum Federico à Toleto cum equitibus regiæ cuſtodiæ, & Rodorico Pimentello Comiti Beneuentano, & Petro Manrico Duci Naiarenſi: nonum præfecto maiori ordinis ſancti Iacobi: decimum Gutterio Cardine præfecto maiori Legionis: vndecimum Ioanni Stunico ordinis Alcantaræ præfecto cum multis ſui ordinis equitibus: duodecimum apud alteram arcem in loco prope littus maris Antonio Fonſeco. Hoc ordine ſtationibus iam peractis, mane nondum orto ſole Mauri complures qui ſubſidio clam venerant, in primam ſtationem irruẽtes Soto maiorem & Arcis Attenſæ præfectum occidunt, & Petrum Baccam, Aluarumque Baccianum, & alios equites grauiter vulnerarunt. Qui cum Chriſtianis vndique concurrentibus reſiſtere nõ potuiſſent, per inuia loca & ſaltus aſperos effugerũt. Rex autem Ferdinandus in occiſorum locum Ferdinandum Vegam & Franciſcum Almeidam equitem Portugalliæ ſubſtituit. Et quod erat oppugnatio difficilis ac periculoſa, duces omnes admonuit, vt Mauros à ciuitatis exitu prohiberent, & ſubſidio venientes propulſarẽt: quippe qui ciuitatem multo facilius obſidione diuturna & longa fame quam oppugnatione capi poſſe cernebat. Duces itaque dicto Regis audiẽtes, in caſtris omni copia rerum quæ terra marique comportabantur, refertis, ſeſe continebant, nec vllo ingrediente Mauro nec exeunte. Poſt dies autem aliquos cogente fame Maurus quidam, audax magis & temerarius, quam fortis & prudens, quaſi Scæuola Romanus alter decreuit aut mortem ſubire, aut Regem & Reginam de medio tollere. Qui hora fere pomeridiana indutus pallio quod albornocium vocant, accinctus enſe breui quem pallio ſuo tegebat, ex arce Gibralfaro egreſſus, ad Gaditanum Ducem qui (vt ſupra demonſtrauimus) in prima ſtatione manebat, vltro ſe contulit, cui Regem & Reginam ſe quærere dixit, quibus res aliquas neceſſarias & profuturas dicere volebat. Quem Dux quoniam ipſe à ſtatione ſua diſcedere non audebat, cum alumno ſuo ad regium tabernaculum miſit. Huc cum veniſſet Maurus, quoniam Rex & Regina poſt meridiem ſomno tenebantur, interim tentorium Beatricis Moianæ Marchionis ingreditur, vbi ſpectabilis mulier & ornamentis exculta regiam maieſtatem referens apud Aluarum Portugalliæ ſedebat. Quos cum vidiſſet Maurus, quoniam iam vitæ ſuæ finis aderat, Regem & Reginam eſſe ratus, enſe ſtricto Aluarum repẽte male percuſſit in

capite,& ad Beatricem conuersus vociferantem,antequam eam attingeret,à famulis qui aderant,pugionibus est confossus. Alius etiam paulo post casus accidit non minoris insaniç,ideoque referendus. Ex Africa Maurus veniens,quem cæteri Mauri Sanctum vocabant,clam noctu ciuitatem ingressus, à Mahoma se missum venisse Malachæ ciuib.concionando dicebat,& Mahomam in eorum auxilium vēturum persuasit,quem si in Christianorum castra prorūperent,ante se pro suis cultoribus pugnantem visuri erāt,& Christianos victos ad Cordubam vsque persequerentur. Quin etiam quicunq; sibi pugnanti contra Christianos adhærerent,non modo non occidi,sed ne vulnerari quidem possent. Huic insano gens ignara & ad superstitionem procliuis fidem adhibētes, postero die prima luce eruptionem facientes ea castra inuadunt quæ mari propinqua Rex Ferdinandus Ioanni Stunico ordinis Alcantaræ magistro commiserat. Quibus cum Christiani milites equitesque vndique concurrentes prælium committunt,& omnium primus Maurus ille qui se sanctum & Mahomæ nuncium simulauerat,ictu magno lapidis in capite percussus occubuit,reliqui multis acceptis vulneribus,in ciuitatē sese retulere. Erat in hac ciuitate præter Gibralfarum arx altera maior, Alcazaua nomine,cuius custos erat homo quidā diues,sed non bellicosus:Gibralfari vero bellicosus,non autem diues. Arcis vtriusq; præfecti, cum ciuitas indies crescente fame conuocato concilio legatos ad catholicos principes de deditione mittere vellet honestas conditiones petituros, aliorum votis assentiri noluerunt. Qui cum postea famē diutius pati non potuissent,vltro ac sine vlla conditione sese dederunt,vita duntaxat concessa. De quibus acceptis in seruitutem catholici principes multos vtriusque sexus ad seruiendum magis idoneus principibus Christianis dono miserunt,alios suis ducibus,equitibus, domesticis & familiaribus distribuere. Miserunt & magnum numerum pro Christianis captiuis redimendis in Africam. Qui capta ciuitate Garsiæ Fernando Manrico commissa, & Federico à Toleto cum magnis copiis in Bætica prouincia relicto, in Hispaniam citeriorem proficiscētes diem quintum ante Pascha resurrectionis Valentiam peruenerunt. Vnde peractis conuentibus negociisque confectis ad exercitum redeuntes,ex itinere Murciam ingressi corporis Christi diem festū celebrarunt. Et è Murcia digressis obuius venit Federicus à Toleto,quem,vt supra demonstrauimus,cum exercitu reliquerāt, commeatum petens ad patrem suum Aluanum Ducem qui grauiter ægrotabat,profecturus. Quo satis honorifice dimisso Rex Ferdinandus Maurorum fines ingressus,oppidū Veriam,Porchenæ terminos, Tabernas, Oscam breuiter cepit, & omnes Bacciæ campos percurit, & Bacciam Abderamque, quam Almeriam vocant,quas anno sequēti oppugnare decreuerat, diligenter inspexit. Deinde cum Veriæ Garsiam Lassum cognomento Vegam, Tabernis Hurtatum Lunam, Porchenæ Ioannē Benauitem, Oscæ Rodoricum Manricum, Benamaurelæ Aluarum Baccianum præfecisset, Ducemque maiorem Ludouicum Portucarrerium contra Mauros Baccenses & Guadixianos reliquisset, ad hyemandum in oppidum Vallisoletum venerunt, vbi cum legatis Imperatoris Maximiliani de coniugio Ioannæ filiæ cum Philippo Maximiliani filio Austriæ Duce, & Margaritæ sororis eius cum Ioanne Hispaniæ principe simul egerunt. Qua re perfecta hinc pridie Kalendas Aprilis Rex Cordubam venit,& inde Iaenem. Vnde digrediens arcem & oppidum Cuiarum expugnatum cepit. Vbi præsidio quod satis esse visum est,relicto,ad Bacciam,quæ ciuitas erat magna,validissimum duxerunt exercitum. Cuius ciuitatis obsidio fuit & oppugnatio diuturna,multumq; laboriosa ac difficilis. Erat enim in ea cum Rege suo Baudele Maurorum maxima multitudo bellicosissimæ gentis,qui sæpius eruptionem facientes cum Christianis acerrime pugnabant. Victi tandem catholicorum principum constantia, & præsertim Reginæ quæ iam defatigatis ducibus subsidio venit, & suorum equitum militumque patiētia manus dederunt. Quibus receptis in deditionem, Abderæ ciues & Guadixiani catholicis principibus vltro sese dederunt. Ad quas ciuitates capiendas cum venissent catholici principes, Bacciæ gubernationem dederunt Henrico Ferdinandi Regis auunculo, Guadixæ Cazorolæ præfecto Cardinalis Hispaniæ fratri, & Abderæ Gutterio Cardino præfecto Legionis. Dederunt præterea Petro Mendozio Cardinali pagos omnes Zenetanos, qui sunt apud Guadixiam & Porchenam. Contulerunt & alios Gutterio Cardino,qui sunt in ripa fluminis Abderæ. His confectis rebus catholici principes in Guadixa ducem maiorem Iacobum Lupum Pachiecum Villenæ Marchionem relinquentes. Hispalim venerunt. Hic filiam Isabellam natu maiorem Alphonso Portugalliæ Regis filio desponsarunt,quam ad sponsum miserunt in Portugalliam comitantibus Petro Mendozio Cardinale, & Rodorico Pimētello Comite Benauenti,multisque aliis equitibus & episcopis. Hinc Rex Ferdinandus in initio veris cum magnis copiis Granatam versus proficiscitur. Quæ quidē ex

pugnatis omnibus & captis ciuitatibus, oppidis, & arcibus, admodum tristis & sola, quasi corpus sine membris, arbor sine ramis, & mater orbata liberis remanebat. Cuius agros rex Ferdinandus ingressus, igne ferroque vastauit, qui depopulatis agris Iacobum Pachiecum Villenæ Marchionem Ducem maiorem, quem generalem Capitaneum vocant, in Alcala Regia relinquens Hispalim ad reginam reuertitur. Inde Nonis Septembribus rursus ad vastandum agros & omnes Granatæ fructus rediit. Hic cum Mauris equitibus ex vrbe Granata egredientibus prælio commisso, magnus hostium numerus cecidit, & ex Christianis pauci desiderati, multique vulnerati fuere, Marchioque Villenæ Dux maior exercitus in altero brachio lancea vulneratur. Quem vix sanato vulnere rex iterū in Alcala Regia totius exercitus præfectum relinquens, ad reginam Hispalim se recepit. Hinc circiter Nonas Maias ad Granatenses agros rediens cum fruges & arbores deuastasset, in loco Granatæ propinquo, quem Goscon Mauri vocabant, vbi rus erat & domus agrestis, in solo plano sita, distans à Granata passuum millia circiter octo, castra locauit, vbi nouam vrbem catholici principes habito concilio condere statuerunt, in qua durante bello tutus exercitus hyemare posset. Hanc autem vrbem quadrangulari forma designatam, & nomine Sanctæ fidei nuncupatam, quo breuius catholici principes attollerent, Hispalis, Cordubæ, Iaenis, Astigi, quam Eciiam vocant, Baeccæ, Vbedæ, Carmonæ, Xeresis, Anduxaræ primariis in prouincia Bætica populis ædificandam commiserūt. Quorum iussa liberaliter omnes capessentes, & laudis auidi, summaque contentione die noctuque festinantes, vrbem, mœnia, turres, fossas, aggeres, portas, vallumque perpaucis diebus absoluerunt: qui profecto vel propter labores quos patientissime pertulere, vel propter pecunias quas in opere conficiendo largissime profundebant, insigni laude suorumque principum gratia digni fuere. Verum enimuero si virtuti sua præmia danda sunt, eodem tempore non minorem gloriam regiamque beneuolentiam meruere strenui duces & omnes equites fortissimi, qui Mauros Granatenses ad impediendum opus irruentes acerrime, nec sine fuso sanguine propulsabant & equestres hostium copias quotidianis præliis minuebant, adeo vt Mauris ex equorum fere quinque millibus vix trecenti supererant. Quæ res nimirum Granatensi bello finem inuenit. Granatæ namque Rex Boabdelis suis equitibus amissis, & ciuitatibus quatuordecim centumque oppidis à Christianis expugnatis & captis atque depopulatis agris, cum intra Granatæ muros ingentem multitudinem & hominum millia fere ducenta sine commeatibus alere non posset, & omni spe subsidii destitutus, de facienda deditione cogitauit. Qui suis accitis consultoribus quibus confidebat, eorum sententias explorare cœpit, quorum vnum qui cæteros ætate & autoritate antecedebat, in hunc modum locutum accepimus. Quoniam me quid de hoc infortunio nostro miseraque conditione sentiam, dicere iubes, optime Rex, ego quidem te scire velim, vt quod ipse retulero, non ex ingenio meo depromptum fuisse putes, sed istorum qui adsunt, iudicio prudenter excogitatum, quippe qui tuam nostramque miseram sortem dolentes simul omnes hac de re iam diu collocuti sumus, & pensitatis nostris & hostium viribus, in eam demum sententiam omnes conuenimus, vt tibi deditionem faciendam esse libere diceremus. Tu itaque qui sæpe studium & fidem erga te nostram magnis in rebus es expertus, nunc etiam æquo animo iudicium suscipere debes & in consulendo libertatem: quandoquidem nulla prorsus alia via salutis ostenditur. Quare deditio est quidem maxime necessaria. Nam per Allam atq; Mahomam quid nobis tot in bello peremptis equitibus, quid omnibus amissis ciuitatibus & oppidis, quid tantis detrimentis acceptis sperare licet, si Christianorum exercitus, copiis nostris iam consumptis indies augentur, si de nostris in præliis quotidie victoriam consequuntur, si nos deniq; rebus omnibus antecedunt? In quorum castris equitū millia duodecim, peditumque centum esse dicuntur. Christiani præterea principes eo consilio nouā vrbem apud nos ædificare iusserunt, vt inde nisi ciuitatē nostrā ceperint, non recedant. Quapropter hoc consilium tibi damus, quoniā nobis neq; defensionis vlla spes est, neq; subsidii. Iam primum ab externis principibus auxilia quæ non defutura nobis arbitrabamur, frustra diutius, vt vides, expectauimus. Quæ etiamsi nunc aduentarent, & nobis ex Asia tota Africaque suppetias venirent, ea profecto quamuis magna, Christiani qui validissimis præsidiis omnia loca terra marique tuentur, non modo propulsare, sed etiam facile delere possent. Deinde quanta sit in hac vrbe senum & puerorum mulierumque multitudo non ignoras, qui nimirum quoniam nos elementorum genera omnia deficiunt, diuturniorem famem tolerare non poterunt, & esurientes extrema forsasse necessitate compulsi nos desererent, & ad Christianorum castra confugient. Est itaque nobis non hostis modo, sed etiam nostra plebs ieiuna valde timenda, quæ sine du-

bio miſeram ſeruitutem & genus omne malorū patientius quam famem tolerabit. Quod ſi viri fortis eſt atq; magnanimi mortem potius velle, quam regno priuari & iugum ſubire ſeruitutis, tu tamen princeps nō minus humanus & prudens, quam fortis & magnanimus, non tuæ ſolum dignitatis habere rationem debebis, ſed etiam ſalutis nouercæ tuæ, & ætatis fratrum tuorum, & denique huius tui populi, tibi ſtudioſiſſime ſemper & obſequentiſſime famulantis. Qui profecto ſi tu fortunæ quæ nobis aduerſa fuit ſemper, caſus armatus experiri potius quam noſtrum probare cōſilium malueris, cùm tibi, quod Alla prohibeat, mali quid acciderit, nō dubium eſt quin veniant omnes in tuorum hoſtium poteſtatem, & ea mala paſſi quæ victis ſolēt ab elatis victoribus accidere, captiui demū ſeruorum more vendantur. Conſulas igitur tibi primum, Rex prudētiſſime, deinde tuæ chariſſimæ nouercæ, & duobus fratribus, quos tantopere diligis, & poſtremo ciuibus tuis vniuerſis, vt & rex bonus & pater benignus proſpicias: Ne tua pertinacia comm.ttas, vt vrbe vi capta aut ſerui fiant omnes, aut occidantur. Quod malum omnium malorum maximum ne accidat, facile ſi deditionem feceris, euitabis, & te tuoſq; omnes conſeruabis incolumes. Nam etſi mortales omnes natura libertati, qua nihil eſt animis ingenuis optatius, auidiſſime ſtudent, & miſeram conditionē ſeruitutis oderunt, ſapientis tamen hominis eſt neceſſitati quam vitare non poſſit, æquo animo parere. Quoniam igitur te ſumma neceſſitas vrget, & in ſola deditione ſalutis ſpes omnis oſtēditur, eam profecto, ſi tua tuorumq; vita tibi chara eſt, differre non debes. Ad quam te quidem non extrema ſolum neceſſitas, ſed etiam Ferdinandi regis & Iſabellæ reginę ſingularis humanitas & integerrima fides hortari debent, quippe qui ſunt, vt fama eſt, & noſtri quoque prædicare ſolent, in omni genere virtutis principes excellentes, & in eos pręſertim qui ſponte ſe dederint. Cuius rei Loſcani, Rondenſes, Guadiſiani, Abderenſes, & alii complures ſunt teſtes, qui nunc apud Chriſtianos commorantes honorifice commodeq; viuunt, & neque inſtitutis noſtris neq; cerimoniis prohibentur. Malachenſib. vero cæteriſq; qui pertinaces fuere, quod acciderit, nō ignoramus. Quamobrem ſi priuſquam oppugnare nos cœperint, vltro deditionem feceris, non dubium eſt quin tuę dignitatis rationē habeant, & te non vt hoſtem, ſed vt amiciſſimum liberaliter & magnifice recipiant, & nouercę tuæ fratribuſque bene conſulant. Quod ſi tibi regium nomen & inſignia deponere moleſtum eſt multumq; difficile, te tamen vna vel maxima ratio conſolabitur, propterea quod hoc regnum quod, vt ſcimus, olim Chriſtianorum fuit, & à maioribus tuis vſurpatum, ipſe nunc iniuſte poſſides, non amittes quidem, ſed quibus iure debetur, reſtitues, & eorum gratiam & amicitiam quam reges omnes magnifaciunt, demerebis. Hoc à reliquis conſultoribus qui aderant comprobato conſilio, rex Boabdelis qui deditionem facere iam decreuerat, cum in aliquos Granatæ ciues viros primarios, qui clam ſe catholicis principibus, vt eorum gratiam aucuparentur, ciuitatis deditionem promiſerant, animaduertiſſet: ſubinde legatos ad regem & reginam clam miſit in caſtra, quibus ſupplicabat, vt ſuorum aliquem ad ſe mitterent, qui cum de pacis & deditionis conditionibus agerent. Rex autem & regina cum legationem libenter audiuiſſent, cum legatis eiſdem Granatā redeuntibus Gonſalum Fernandū Aquilarem, qui Mauris Granatenſibus erat notiſſimus, & eorū linguam callebat, Fernandumq; Saphrā Secretariū miſerunt, vt quas Boabdelis pacis & deditionis cōditiones peteret, intelligerent, ſibiq; relatum venirent. Qui cum Granatæ rege collocuti, cum duobus eius conſiliariis ad catholicos principes in caſtra redierunt. Quibus cum Boabdelis mandata mentemq; retuliſſent, rurſus ad Boabdelem Granatam remittuntur. Qui ſæpe modo caſtra, modo Granatam repetentes, etſi quæ referebant omnibus erant occulta, rei tamen finis optimus & optatiſſimus nobis omniumque Chriſtianorū votis ſatisfecit. Boabdelis nanque catholicis principibus obſequens & regia dignitate tituloq; priuatus, Kalend. Ianuariis, anno Chriſtianæ ſalutis milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſecundo, Granatæ portis recluſis, magnum Chriſtianorum militum numerum in Granatam vrbem & in Alhambram recepit, regiæque domus turres, vrbis portas, & omnia munitiora loca Chriſtianorum præſidiis aſſignauit. Poſteroque die mane captiuos Chriſtianos complures compedibus vinculiſque ſolutos, cum quingentis obſidibus quos ſe daturum pactus fuerat, ad catholicos principes miſit in caſtra. Reges autem catholici cum per tentoria diſtributos obſides obſeruari diligenter & honorifice tractari iuſſiſſent, ad captiuos Chriſtianos qui Benedictus Dominus Deus Iſrael, decantabant, conuerſi, cum flentes & toto corporis habitu & vultus effigie deformatos aſpexiſſent, eorum ſortem miſerantes, omnes indutos rebuſque neceſſariis adiuuantes ad ſuas domos ire iuſſerunt. Quorū vnus qui ſacerdos erat & non indoctus, antequam diſcederent, O principes, inquit, cœleſtes, ô Dei Opt. Max. fortes & magnanimi duces, qui nos hodierna die à grauiſſimo

ſimo iugo ſeruitutis, vel potius ab vmbra mortis & horrendis tenebris ad clariſſimam optatiſſimamque vitæ lucem reuocaſtis, viuatis, in æternum viuatis. Et quoniam vobis pro veſtris erga nos immortalibus beneficiis gratiam referre non opis eſt noſtræ, eam ſine dubio cumulatiſſimam ſperatis ab eo, qui pias hominum mentes ex alto proſpiciens, vnicuique pro meritis digna præmia perſoluit. His dimiſſis eodem die catholici principes cum Ioanne & Ioanna filiis, cum Petro Mendozio Cardinale, cumque ſuis ducibus & multis equitum peditumque cohortibus inſtructis, Granatam verſus proficiſcuntur. Quibus ad vrbem appropinquantibus Boabdelis quinquaginta fere comitatus equitibus obuiam venit, qui triſti vultu capiteque demiſſo ac flenti ſimilis Ferdinandi regis oſculari dexteram contendit. Rex autem Ferdinandus manum ſubtrahens, Boabdelē perbenigne ſuſcepit, paucisq; verbis vltro citroq; per interpretes habitis, ad Iſabellā reginam quæ cum prole ſua & Cardinale cæteriſq; ducibus regem ſubſequebatur, Boabdelis accedens idē fecit. Quem regina pari benignitate recepit, & ad ſpem meliorē verbis honorificis hortata eſt. Cum autē prope vrbis mœnia perueniſſent, Ferdinādus Talabricus Abulenſis Epiſc. & Granatæ vrbis Archiepiſcopus deſignatus, qui crucis vexillū præferebat, altiorē arcis Alhambræ turrē conſcendit, & erectā crucem reliquaq; vexilla cunctis oſtendit. Quæ cum catholici principes regiaq; proles & vniuerſus exercitus flexis genib. Deo gratias agentes adoraſſent, & arcis Alhambrę cuſtodiā Ignico Mendozio Tediliano Comiti cōmiſiſſent, ad vrbē nouā redierūt in caſtra, ſecumq; Boabdelē adduxerūt. Vbi permanere ſtatuerūt, quoaduſq; traditis armis à Mauris, & auctis Chriſtianorū militū præſidiis, in vrbē populoſiſſimā tutior eſſet ingreſſus. Hic diebus paucis cōmorati quibuſdā cōfectis negociis & rebus ad vrbis ingreſsū neceſſariis cōparatis, cum multis armatis equitib. quos ex multis partibus acciuerant, & magno ſacerdotū numero, Te Deū laudamus, decantante, Granatā vrbē Deo Opt. Max. cuius auxilio belli peroptatū finē glorioſamq; victoriā fuerant adepti, gratias agentes ingreſſi, valdeq; lætantes, vota quæ religioſe promiſerant, perſoluerunt. Deinde certos nuncios cum literis de victoria quam Deo iuuante de Mauris Chriſtianæ religionis hoſtib. habuiſſent, ad Innocentiū ſummū Pontif. ad Cardinales, ad Chriſtianos principes, ad omnes Hiſpaniæ Siciliæq; ciuitates deſtinarunt. Qui gaudio magno exultantes cum primū tales nuncios magnis muneribus, vt par erat, honeſtaſſent, cum templis omnibus & per omnes aras ſacra celebraſſent, cum deniq; multis diebus vrbes ſupplicationibus canticiſq; diuinis luſtrauiſſent, deinde magnificos ludos & ſpectacula varii generis apparatu magno magniſq; ſumptibus ediderunt. De quibus ac de toto Granatenſi bello, quoniā, vt in principio dictū eſt, viri docti generatim copioſeq; ſcripſerunt, hac ego ſumma breui & quaſi epitomate multis huius hiſtoriæ cupidis atq; de me bene meritis, qui rem hanc à me ſæpius efflagitarunt, ſatisfaciens, cum de Granatæ regni ciuitatibus & oppidis, vt ſum pollicitus, nominatim retulero, finē faciam. Sunt itaque ciuitates in primis:

Granata totius prouinciæ metropolis.
Malacha maritima.
Bellamalacha maritima.
Abdera maritima.
Ronda.
Baſta, quam ſupra Bacciā nominauimus.
Guadixa, quam Plinius Axin vocat.
Veria.
Oſca.
Barbella.
Loſca, quam Loxam vocant.
Alama, quam Alhamam dicunt.
Almugnezara & Porciena.

Oppida ſunt:

Bellum albū, quod Belez blancum dicebant.
Bellum rubrum.
Muxacar.
Eſnaluid, quod nunc Cueuas dicitur.
Cathanyia.
Albox.
Fenez.
Luzar.
Beleficum.
Nixar.
Tabernæ.
Serga.
Bacor.
Gorab.
Gor.
Ierez.
Iantaira.
Edeir.
Alcala Horra.
Alcuria.
Alzaguinum.
Fereira.
Guenaie.
Finiana.
Vracina.
Orce.
Galera.
Cullar.
Benemaurela.
Caueles.
Caſtillegia.
Caſtrillum.
Abiceleona.
Suiar.
Queiar.
Trera, quæ nunc Treila.
Oria.
Montoria.
Andras.
Lapecia.
Meigecar.
Pinia.
Cambela.
Eſmeloz.
Colombera.
Moclinum.
Illora.
Azara.
Calea.
Cuniares.
Almuxia.
Borgo.
Algocagia.
Cazerabonela.
Alora.
Carthama.
Coinum.
Monda.
Tolos.
Onquera.
Setenilum.
Cardella.
Eſnalmara.
Audita.
Montexicar.
Gauſinum, maritimum.
Caſares.
Mons Maior.
Meiar.

Vxuna.	*Torros.*	*Castellum Ferreum mari.*	*Adra, maritimum.*
Arabita.	*Bentobium.*	*Albonium, maritimum.*	*Delias, maritimum.*
Nerexa.	*Motrilum maritimum.*	*Nulum, maritimum.*	*Solobrenia, maritimum.*

In montibus autem & asperis locis quos Alpuxarras appellant, sunt:

Abuludui.	*Dalia.*	*Orgiba.*	*Almunia.*
Marchina.	*Ogiiar.*	*Sugnehalum.*	*Varis.*
Aluchar.	*Xobeles.*	*Serafilabres.*	*Et alia complura oppida*
Andaras.	*Ferrera.*	*Xironium.*	*paruula, quorum nomina*
Belia.	*Puchera.*	*Texora.*	*me latent.*

Vnum autem de Granatæ Regibus Mauris quod est multis ambiguũ, non prætermittam. Fuit enim Granatæ Rex, quẽ alii Abuliacenum, alii Allamoliacenum vocabant, vir fortis & bellicosus, sed immitis & ferox, qui sine causa multos & innocentes equites sui principatus crudeliter occidit. Hic fratrem habuit minorem nomine Boabdelim, & vxores duas accepit, Mauram primam, ex qua filium suscepit Mahomedum, qui postea Boabgelis & Granatæ Rex iunior fuit appellatus. Ex vxore autem secunda Christiana quã captiuam ad suos mores ritumque Mahometanum conuerterat, filios duos progenuit: quorum primus Cad, & secundus Nacre nomen habuit, & post Granatam captam ad Christianam religionem sponte venientes, maior Ferdinandus, & minor Ioannes nomen accepit, & Granatæ Infantes cognominati fuere, vxoresque fœminas generosas accepërũt. Mater autẽ quę Maura Zorayia dicebatur, ad pristinam fidem multis & filiorum suorum precibus, & catholicorum principum persuasionibus adducta, Isabellæ nomen accepit.

LVCII MARINEI SICVLI DE REBVS HISPANIÆ

LIBER XXI.

De rebus quas in conuentu Toleti catholici principes egerunt.



AD iter nunc reuertemur, vnde digressi sumus. Supra dictum est à nobis Isabellam reginam confecta pace cum Portugalliæ rege Toletum venisse, & item regem Ferdinandum ex Aragonia. Dicemus igitur quæ res & negocia Toleti gesta fuere. Toleti cum diebus paucis ex itineris labore iam defessi quieuissent, deinde procuratoribus ciuitatum populorumque per literas accitis, magnos conuentus quos Curias generales appellant, diebus multis egerunt, ad quas proceres complures conuenerunt multique pontifices. Hic cum primum multorum litigantium causas & eorũ iustas querelas qui res suas ab aliis occupatas diuque possessas repetebant, audiuissent, & suum ius vnicuique tribuissent, deinde magnos census multaque oppida quæ regis Henrici temporibus alienata fuerant, & regio patrimonio iure debebantur, ab eis restituta sibi, qui non iusto titulo possidebant, receperunt, multa tamen monasteriis, ecclesiis, & hospitalibus remittẽtes. Post hæc homines multos qui latrocinia aliaque crimina multa commiserant, affici iusserunt vltimo supplicio. Quibus etiam iubentibus captus est & capite truncatus Ferdinandus Alarconius, qui seruiens Archiepiscopo Toletano sæpe tumultus autor fuerat, & pacis inimicus. Multis hic bona quibus violenter ab improbis erepta fuerant, regis & reginæ iussu restituta fuere. Magna hic negocia boni principes absoluerunt, multas diremerunt lites, salutares leges & prudenter excogitatas ediderunt. Hinc ad ciuitates & omnes populos gubernatores & iustitiæ præfectos satellitesque miserunt, quibus vbique non modo cerdones & agrorum cultores, sed equites etiam atque magnates omnes diligentissime parebant. Iustitia nanque de cœlo prospexerat, & per Hispaniam totam pax orta est omnibus & secura tranquillitas. Hic proceres & omnes ciuitatum procuratores iusiurandum præstiterunt, sese post Isabellæ reginæ mortem Ioannem eius & Ferdinandi regis filium natu maiorem regem Castellæ & Legionis habituros. Cuius rei testes, præter ciuitatum procuratores, equites iurati fuere qui sequuntur: Petrus Gonsalus Mendozius Hispaniæ Cardinalis, Ludouicus Cerdanius Dux Methymnæ Cœli, Alphonsus Cardinas ordinis sancti Iacobi militiæ præfectus, Petrus Fernãdus Velascus Phari Comes & Castellæ magnus Comestabilis, Alphonsus Hen-

ſus Henricus Hiſpani maris Almirantes maximus Ferdinandi Regis auunculus, Petrus Aluarus Oſorius Aſtoricæ Marchio & Traſtamaræ Comes, Philippus Aragoneus Caroli Vianæ principis filius, Iacobus Lupus Stuniga Comes Miranditanus, Aluarus Mendozius Comes Caſtrenſis, Laurentius Suares Mendozius Comes Coruniæ, Fernandus Aluares à Toleto Comes Oropeſanus, Gutterius Sotomaior Comes Benalcazaris, Ignicus Mendozius Comes Tindilianus, Beltranus cognomēto Cueua Comes Ledeſmanus, Ioannes Siluius Comes Ciſontanus, Ioannes Riberius Dominus Montis Maioris & Regis Ferdinandi cuſtos maior, Iacobus Fernandus Quignonēſis Comes Lunæ, Iacobus Hurtatus Mendozius Epiſcopus Palentinus, Alphonſus Burgitanus Epiſcopus Cordubenſis, Raymūdus cognomento Spes Epiſcopus Vrgelli, Aluarus Petrus Gothomanus dominus Olaliæ, Gutterius Cardinas præfectus maior ordinis militiæ Legionenſis, Ioānes Cardona Comes Pratēſis, Ludouicus Requiſentius Barcinonæ principatus gubernator. Hi fuerunt & omnes ciuitatum procuratores atque alii diuites homines, qui ſolenne iuramentum præſtiterūt apud altare maius eccleſiæ ſanctæ Mariæ, librum tangentes quem ſacerdos qui rem diuinam celebrauerat, manibus tenebat. Hac re peracta poſtero die inſignia ſancti Iacobi ordinis Alphonſo Cardinæ ſupplicanti, qui ordinis illius militiæ præfectus erat, honorificentiſſime dederūt. Deinde ſtatuerūt ne Caſtellæ Ducibus lictores antecederent, clauas preferentes, & ne quis clypeos coronis vel aliis Regis ornamētis inſignitos, quas res Coroneles & Orlas appellant, haberent, niſi quibus ob aliquā iuſtā cauſam conceſſum fuiſſet: neue quis Dux vel alius quamuis nobilis, in literis quas ad aliquem ſubditorum ſuorū mitteret, ſuæ dignitatis titulum ſuperponeret. Hoc enim regiæ dignitati dūtaxat conuenire dicebant. Hic præterea multorum laborum magnæque fidei memores Andreæ Caprerii & eius vxoris Beatricis, eos Moiani Marchionatus titulis honeſtarunt, & quo maioribus afficerent honoribus, eodem die ſecum & eadem menſa diſcūbere voluere. Quibus Regina non his honoribus contenta, magnos etiam cenſus & oppida quædam tribuit in perpetuum, quibus illi & eorum ſucceſſores pro tituli dignitate ſumptum ferre poſſent.

De rebus in Methymna campo geſtis.

HIs confectis rebus è Toleto diſcedētes die ſeptimo Methymnam, cui cognomen eſt Campus, peruenerunt, vbi non multa magnaq; negocia defuerunt & multorum querelæ miſerabiles. Siquidem erant reorum & delinquentium pleni carceres, quorum multis prius cauſis auditis, multiſque bonis quibus crudeliter ablata fuerant, reſtitutis, alii cæſi verberibus, alii auribus mutilati, alii in perpetuum, alii ad tēpus in exilium miſſi, plures ad mortem damnati fuere. Quorum numero fuit eques quidam nomine Aluarus Anius Lugus, natione Gallecus, qui facinus committere auſus fuerat, quod nō vno quidem, ſed omni potius genere mortis dignum erat. Homo nanque genere nobilis & admodum diues cuiuſdam boni viri diuitias & honeſtiſſimas opes temere cupiens, in domum ſuam tabellionem quendam fallaciter adduxit, vt ſibi literas à ſe compoſitas, quibus illius viri diuitias & omnia bona quaſi iure petere videbatur, obſignaret. Quas tabellio, ſiue quod in illis continebatur ignarus, ſiue ſpe muneris quod eques ei liberaliter pollicebatur, impulſus, ſiue timore ne quid ab illo mali ſibi, ſi facere nollet, eueniret, eas imprudēter obſignauit. Quod vbi perfecit, eques eū de manu in cubiculum ſuum, quaſi ei mercedem daturus, adduxit, vbi quidam domeſticorum ſuorum ſceleris conſcius eos expectabat. Quo adiutus miſerum tabellionem interfecit incautum, quē in effoſſam ſcrobem clam omnibus deiecit. Cuius vxor cum eum ad cœnam nocte tota mēſa lectoque parato non parum triſtis expectaſſet, vbi dies illuxit, admodum ſolicita vicinas primum percūctari cœpit, deinde nuncios ad omnes propinquorum & affinium domos miſit, ſi forte maritus apud aliquem cognatorum pernoctaſſet. Quem cū non inueniſſet, poſtero die lachrymas fundens ad Regem & Reginā ſe contulit. Quibus vbi de abſentia mariti retulit, illi ſtatim iuſtitiæ ſuę præfectis & ſatellitibus diligenter inquirere iuſſerūt, vt ſcriba vel viuus vel mortuus inueniretur. Qui coniecturis quibuſdam & indiciis equitem captum tormētis afficiunt, qui crimen illud & alia quæ multa commiſerat confeſſus, caput gladio præbuit: qui iuſtitiæ, ſi vita ei concederetur, aureorum millia quadraginta pro bello gerendo contra Mauros offerebat. Quos etſi non defuere qui recipiendos eſſe dicerent, quatenus his catholici principes vti contra Mauros Chriſtianæ religionis hoſtes honeſtiſſime poſſent, regina tamen iuſtitiam pecuniæ præferens prudentiſſime recuſauit, & quamuis illius omnia bona ratione delicti iure ſibi debebantur, ne quis tamen putaret

eam propter illius pecunias & magnas diuitias ei parcere noluisse, nihil accepit, sed illius filiis omnia condonauit. Hoc animaduersionis ordine iustitiæque fama terribili cum catholici principes in multis Hispaniæ ciuitatibus conuentus egissent, ingens improbos & temerarios omnésque malæ mentis homines timor inuasit, & vbique latrocinia, sacrilegia, virginum raptus, oppressiones, captiuitates, seruitutes, aggressiones, iniuriæ, blasphemiæ, factiones, insultus hominum, cædes, & omnia scelerum malorumque genera cessauerunt. In quorum locum restitutiones, virginitatis honor & integritas, nuptarum pudicitia, redemptiones, æqualitas, libertates, moderationes, pax, concordia, fides, humanitas, obedientia, pietas, verecundia, reuerentia, metus, amor, & aliæ virtutes omnes successerunt. Tunc igitur Hispaniæ populi quos iam diutius aduersa fortuna magnaque procella iactauerat, superata tandem ventorum rabie magnoque turbine fugato valde lætantes ad tutum portum peruenerunt, vbi propulsatis nubibus, fulgentem solem lunamque clarissimam viderunt. Hic omnibus post horrendas tenebras immensa lux orta est, hic superatis periculis ingens lætitia, hic amoto metu magna securitas, hic peractis laboribus optata quies, hic deniq; fugata morte spes vitæ rediit. Regio namq; iussu prohibitis armis & mutatis hominum moribus, nemo fures, nemo gladios, nemo timebat insidias. Tantum enim erat vtriusque principis apud omnes autoritas, tāta virtus, tantus iustitiæ metus, vt nō modo non violare quisquam alium, sed ne offendere quidem posset, nec auderet. Bonorum námque principum iuris æquitas faciebat, vt inferiores omnibus in rebus honestis & necessariis superioribus obedirent, & superiores inferioribus pro suo iure satisfacerent, atq; cuiuscunque conditionis homines, cuiusq; fortunæ, nobilis & plebeius, pauper & diues, imbecillus & fortis, dominus & seruus, omnes essent iustitia pares. O principū virtus nec bene cognita, nec vnquam satis laudata! O præclarum iustitiæ munus, & aliis cunctis virtutibus longe præstantius! sine quo nimirum nullus esset vitæ cultus, nulla societas hominum, nulla communitas, nulla Dei cognitio, nulla religio. Nulla res igitur est hominibus necessaria magis, nulla virtus vtilior quam iustitia. Qua quidem ego haud scio an, excepta sapientia quæ cōtemplationis est virtus & Deo proxima, quicquam melius homini possit contingere. Iustitia siquidem est ex qua boni viri nominantur, in qua splendor est maximus, quæ virtutes omnes continet. Cuius pater est vir sapiēs, qui mortem potius oppetet, quam a recto discedat. Mater est ratio, quæ nobis viam salutis ostendit, honestum suadet, prohibetque contrarium. Filiæ sunt & eius comites, liberalitas, magnificētia, religio, pietas, gratitudo, sanctitas, obedientia, fides, æquitas, bonitas, veritas, & legum mandatorumque diligens obseruatio. Præcepta vero sunt cuique tribuere quod suum est, & ne cui quis noceat. Finis autem, quoniam de humana iustitia loquimur, est humanam conseruare societatem & ad optatam peruenire fœlicitatem. Sine cuius imperio profecto nullus esset agri cultus, non domus vlla firma, non vrbes stare possent, non vlla regna manerent. Non inter ciues concordia, nulla fratrum cum fratribus gratia, nullum liberorum erga parentes obsequium. Non amicus apud amicum, non hospes cū hospite tutus esset. Magna res est igitur iustitia, firmum societatis humanæ vinculum, vis ingēs aduersus improbos, fida bonorum custodia certáque defensio. Quæ olim etsi propter hominum scelus ex Hispania discesserat, in eam tamen diuino consilio rediit vna cum principibus catholicis, quib. Omnipotens Hispaniæ res iam casuras ante sæculum nostrum præsciens & miseratus, ad eas gubernandas & conseruandas viam præparare multifariam cœpit. Quæ quidem res paucis ac minime potius, vt arbitror, cognita, difficilis fortasse quibusdam videtur & admirabilis. Quam ob rem mihi pluribus argumentis & ratione probabili declarāda est, atque quo probari facilius possit & adhiberi sine dubio fides, altius repetenda.

Iustitia.

De rebus, causis, atque mysteriis quæ præcesserunt, vt diuina prouidentia catholici principes Hispaniæ malis imminentibus occurrerent.

SVNT igitur nobis hoc loco quædam repetenda summatim, quæ etsi plenius in libris de Regibus Aragoniæ scripsimus, hic tamen necessaria sunt, vt opinor, & admiratione scituque digna videbuntur. Anno millesimo trecentesimo octogesimo septimo Petrus Aragoniæ Rex filiū genuit nomine Martinum, quem Aragoniæ & Siciliæ Regem sibique successorem moriens instituit. Habuit & filiam nomine Elionoram, quam dedit in matrimonium Ioanni Castellæ Regi, qui fuit Isabellæ Reginæ catholicæ proauus. Hic Henricum genuit qui valetudinarius ob infirmam sui corporis valetudinem cognomen accepit, & Ferdinandum, de quo plenam alibi mentionem fecimus, & paulo post scripturi sumus. Nunc autem ad Martinum Aragoniæ Regem reuertimur, qui Martinum genuit filium, cui dedit Siciliæ regnum. Qui cum Siciliæ Rex esset, à Siciliæ magnatibus & popu-

lis

lis per legatos accitus, profectus est in Siciliam. Vbi cum biennio Siculis humanissime præfuisset, anno tertio è vita discessit, & eodem tempore pater eius in Aragonia mortuus est. Quibus vita defunctis Aragoniæ Sicilieq; regni successio lineaque recta defecit. Quę quidem res catholicis principibus ad Castellæ atq; Aragoniæ gubernationem dedit initium. Martinus namque senior moriens testamento mandauit, vt Aragoniæ Siciliæque proceres, item pontifices, & cuiuscumque ordinis sacerdotes religiosique, viri prudentes in consilium conuenientes de regia stirpe Regem eligerent, qui suo generi propinquior esset, & ad gubernandum magis idoneus. Qui prudenter omnia considerantes ex multis regii generis competitoribus Ferdinandum Martini Regis sororis filium & Henrici Castellæ Regis fratrem minorem, qui tum temporis apud Antiqueram Bæticæ prouinciæ oppidum contra Mauros bellum gerebat, Aragonię Regem delegerunt. In cuius electione quæ res acciderunt, & quemadmodum gestæ fuerũt, alibi pluribus verbis scripsimus. Ideoque nunc ad alia pergimus, id est Ferdinandum. Qui vxorem duxit Leonoram, quæ prius Vrraca dicebatur, & domina fuit Infantatus & quinque villarum, quibus diues fœmina vocabatur, ex qua filios quinque suscepit: Alphonsum scilicet, Ioannem, Hẽricum, Sanctium, & Petrum: & filias duas, de quibus alio loco scripsimus. Et Alphonsus primogenitus ex vxore Maria Henrici Castellæ Regis sui patrui filia prolem prorsus nullam habuit, ideoque moriens Neapolis regnum quod armis sibi vendicauerat, Ferdinando filio suo notho testamento reliquit, & Aragoniæ Siciliæque regnum ad Ioannem fratrem qui tum Nauarræ Rex erat, iure deuenit. Quæ res secũda fuit causa, per quam catholici principes postea matrimonio coniuncti ad Castellę simul & Aragonię regnum peruenerunt. Tertia vero causa fuisse videtur, mors Caroli Vianæ principis, quam Barcinonę ciues, nescio quid falso suspicantes vel simulantes potius, vlcisci conantes aduersus Ioannem Regem suum Ferdinandi patrem per decẽnium & amplius bellum crudelissime gesserunt. De quo bello & eius causis historiam scripsimus lõgiorem. In qua etiam quarta & quinta causa continetur, quibus catholicis principibus ad regnorum successionem via parabatur. Siquidem Barcinonenses cum à Rege suo defecissent, bellumq; parassent, deinde timentes ne victi supplicium darent, quo se dignos putabant, duos sibi de Aragonum stirpe regia duces asciuerunt: alterum è Portugallia nomine Petrum, quem in historia Lusitanum cognominauimus, virum fortem & animosum: alterum è Gallia Andegauensium siue Angeorum Ducem, nomine Ioãnem, virum quoque strenuum & bellicosum. Quorum vterque periit quasi diuinitus, & Ferdinandus qui paruulus erat, annum agebat fere decimum quartum, & pugnabat acriter, à multis & magnis periculis liberatus, & multas de validissimis hostibus, absente patre, victorias consecutus. Hæc ex parte genioque Ferdinandi regnaturi signa manifesta fuere. Ex Isabellæ vero parte fœlicique sydere causæ duæ præcipuæ euidentissimæque visæ sunt: Regis scilicet Henrici mollities naturæq; defectus, quo sine liberis obiit, & Alphonsi fratris mors immatura, qui, vt ante diximus, annum agens decimum quartum sublatus est. Satis igitur his argumentis & rationibus constat à Deo optimo maximo principes catholicos electos & quasi præseruatos fuisse, qui labentibus & iam casuris Hispaniæ rebus subuenirent, qui Christianæ religionis hostibus obsisterent, qui bonos defenderent atque iuuarent, & in malos animaduerterẽt, qui Granatę regnum annos circiter octingentos ab improbis Mahometi nefandissimum nomen celebrantibus occupatum recuperarent.

Ferdinãdus Aragoniæ Rex deligitur.

De statura corporis Ferdinandi Regis & aliis membris.

ERAT rex Ferdinandus statura corporis mediocri & omnibus mẽbris apte pulchreq; compositis, colore candido, aspectu iucundo, facie splendida, capillo subflauo planoq; fronte serena, sed calua vsque ad verticem & medium caput, superciliis nigris & apertis, oculis claris & subridentibus, naso non adunco, non simo, non longo, non breui, neque lato, sed alias capitis partes adornanti, malis roseis, ore paruo, labiis sanguineis & corallo similibus, dentibus albis, raris, & exiguis, mento venerabili, ceruice nec longa, nec breui, nec plena, nec tenui, voce acuta, lingua expedita, sermone placido, ingenio claro, animo benigno, iudicio graui, consilio prudẽti, moribus facilimis, incessu & omni corporis motu modesto & vere regio. Decorum nanque seruabat omnibus in rebus atq; factis dictisq; In cuius vultu dignitas erat mirabilis. Nunquam tamen iratus, nunquam tristis eras. In cibo temperantia & in potu maxima sobrietas, quippe qui non multis epulis vescebatur, & bis prandens bisque cœnans potare cõsueuit. Qui nec prandebat, nec cœnabat vnquam, nisi prius aliquis pontifex aut alius sacerdos mensam & ea quæ sibi apponebantur, benedixisset, & in fine Deo gratias egisset. Nec comedit vnquam ne in itinere quidem, quin

Ferdinãdi Regis elogium.

rem diuinam prius audiuiſſet. Erat præterea omnibus in rebus munditię maxime ſtudioſus. Veſtibus vtebatur honeſtis, interdum & præcipue nefaſtis & ſolẽnibus diebus aureũ torquem margaritis & aliis gemmis ornatum geſtabat. Equis gaudebat & phaleratis & leuis armaturę, quos, vt alio loco diximus, à pueritia aſcendere & agitare didicit. Haſtarum ludos & Troianum certamen exercuit, in quibus fortiſſimos equites quibus cum congrediebatur & confligebat, ſuperauit. Erat enim artis equitãdi iaculandique peritiſſimus. In præliis & omnibus negociis laboris patiens, iuſtitiæ fautor & exactor, erga miſerabiles & afflictos pius, humanus, & clemens, vxoribus & liberis facilis & indulgens. Viros probos & ſapientes mirum in modum diligebat colebatque, quorum conſiliis libẽter vtebatur. Equites omnes & præcipue ſuæ domus amabat. Cum omnibus humanus & affabilis erat. Pila luſit & calculis, & poſtremo tempore luſit etiã chartis. Delectatus eſt venationibus, & volatilium libentius vtebatur quam ferarum.

De Reginæ Iſabellæ moribus & religione.

SVPEREST vt de Reginæ quoque virtutibus aliquid dicamus. Itaque de ſtatura corporis, de forma, de membrorum pulchra compoſitione, omnia quæ in Rege fuiſſe diximus, in regina paria fuere. Quantum enim in Rege dignitatis, tantum fuit in regina venuſtatis, & in vtroque maieſtas venerabilis: tametſi multorũ iudicio forma Regina pulchrior, ingenio acutior, animo ſplendidior, & decoro grauior habebatur. Erat enim laudis famæq; virtutis auidior. Fuit abſtemia, quæ vinum non modo non bibit vnquam, ſed ne guſtauit quidem. Quapropter aqua laxanti ſtomachum plærumq; ciborũ plus capiebat. Regem vehementer amabat, adeo vt zelotypia ſolicita ac vigilans, ſi quas parari ſibi pellices ſentiebat, à ſua domo curiaq; prudẽtiſſime ſubmouebat. Quæ multas apud ſe matronas habebat virtute & genere nobiles, quas humane tractabat & liberaliter. Cõplures procerum filias magnis ſumptib. educabat, & cuſtodiri diligenter iubebat, adultaſq; magnis dotibus honorifice collocabat, eas præſertim quæ caſte pudiceq; vixiſſent. Hiſpano ſermone loquebatur grauiter & ornate, Latinos oratores & ſermones libentius audiebat quam alios, quamuis Latini ſermonis ignara. Delectabatur enim ſuauitate linguæ Latinę bene proferentis. Quam ob rem ſcientiæ cupidiſſima, bellis in Hiſpania iam confectis, etſi multis magniſq; negociis occupata, Grammaticæ tamen lectionibus operam dedit. In quibus per vnius anni ſpacium tantum profecit, vt non ſolum Latinos oratores intelligere, ſed etiam libros interpretari facile poterat. In rebus ad diuinum cultum ſpectantibus dubium ſit, diligẽtior ne fuerit an liberalior. Eligebat enim ſacerdotes, quorum magnum numerum habebat, ſacrarum rerum & celebrandi peritiſſimos, item cantores & pueros qui ei ſeruiebant in ſacello, quibus pręceptores cõducebat doctiſſimos, & beneficia conferebat. Adoleſcentes etiam nobiliũ filios quibus vtebatur in menſa moribus & literis erudiri iubebat, ne ocioſi ſeſe ludis & aliis vitiis inquinarent. In maiorib. autem conferendis ſacerdotiis & põtificatibus non tam perſonarũ nobilitatis & eruditionis, quam virtutis & honeſtatis rationem habebat. Ideoque nonnulli quibus erat ſermo rarus & coma ſupercilio breuior, fortaſſe vitam agere meliorem & grauius incedere terram intuentes cœpere, virtutem ſimulantes potius quam exercentes. Sumptus vero quibus altaris ornamenta cæteraſq; res ad honorem Dei pertinentes emebat, æſtimare difficile eſt. Siquidẽ operæ precium erat aurea ſericaq; periſtromata videre in eius ſacelli parietibus expoſita: altare purpureis & aureis ornamẽtis, margaritis & variis gemmarum coloribus effulgẽs, multis hinc inde ſanctorum ſimulachris argenteis & aureis expoſitis: pauimentum pictis ſtratoriis & ſerico ſtratum, ſuperpoſitis argẽteis candelabris maximi ponderis excultum, magniſque cereis ardentibus illuſtre: veſtimenta præterea quibus amicti ſacerdotes rem diuinam celebrabant, ſerica, purpurea, argentea, & aurea multis contexta margaritis & gemmis. Mitras etiam pontificales aureas caliceſq; gemmatos immẽſo precio comparabat. Sedes inſuper in ſacello ſuperiores & inferiora ſedilia diſponi, & ordinem hunc ſeruari iuſſit: vt ſcilicet ex altera parte primus Cardinalibus locus daretur, ſecundus Archiepiſcopis, tertius oratoribus, quartus epiſcopis, & deinceps gradatim reliquis ſacerdotib. ita tamẽ vt antiquiores nouitiis anteponerentur: in altera vero parte ſederẽt Comeſtabiles, Almirantes, Duces, Marchiones, Comites, & item gradatim cæteri nobiles & geneроſi. Erat enim mulier admodum prouida, quę diuinarũ rerum maxima cultrix humanas diligentiſſime gubernabat, tantoq; Chriſtianæ religionis & diuini cultus amore ſtudioque flagrabat, vt quamuis plurimis & maximis multorum regnorum curis & negociis die noctuque premebatur, contemplatiuam tamen magis agere vitam quam actiuam videbatur. Semper enim ſacris rebus & diuinis officiis aderat. In quibus ſi quis forte ſacerdotum

tum suorum qui sibi rem diuinam celebrabant, aut horas canonicas & psalmos canebāt, errasset in syllaba, persentiebat, & tanquam magistra discipulum admonebat. Quæ præter multas extraordinarias & votiuas orationes, horarium quoq; sacerdotū more quotidie persoluebat. Homines à grauitate, à modestia, à taciturnitate, à constantia probabat: leues autem, loquaces, importunos & mutabiles molestissime ferebat. Mēdaces præterea, vanos parasitos, coniectores, sortilegos, præstigiatores, chiromanticos, augures, schœnobates, petauristas, & alios omnes circulatores & fallaces homines nec audire voluit vnquam nec videre.

De iustitia per eos restituta.

QVEMADMODVM catholici principes Hispani ę populis amissam iustitiam restituere, multis exemplis alio loco demonstrauimus. Cuius imaginem talem referebat, qualem veteres olim depingere consueuere: effigie virginis, aspectu vehementi & formidabili, luminibus oculorum atrocibus, neque humilis, neque asperæ, sed verecundæ cuiusdam tristitiæ dignitate. Ex quo intelligi voluerūt, eos qui iustitiæ præessent, oportere esse graues, sanctos, seueros, incorruptos, inadulabiles, aduersus improbos & delinquētes immisericordes, inexorabiles, erectos, arduos, potentes, vi & maiestate æquitatis veritatisq; terrificos. Iustitiam itaque, cuius (vt ait Tullius) splendor est maximus, Rex & Regina cæterasque virtutes omnes & diuinas humanasque leges excolentes, catholici principes appellari meruere. Maxima nanque res est sanctissimaque iustitia, qua quidem vna virtutes omnes continentur, & hominum societas coniunctioque conseruatur. Cuius comites, vt alio loco diximus, sunt liberalitas, religio, pietas, gratitudo, sanctitas, obedientia, fides, æquitas, bonitas, veritas, & legum mandatorumque obseruatio. Sine cuius ministris omnia nimirum cladibus acerbissimis redundarent, & nefaria malorum rabies & crudeles flagitiosorum coniurationes in optimos quosque contemptis humanis diuinisque legibus ruerent. Quocirca qui recte sancteque iustitiæ munus exercent, quemadmodum catholici principes fecere, qui quidem pauci sunt, & honoribus magnis & sui nominis æternitate meo quidem iudicio digni sunt.

De catholicorum principum munificentia & liberalitate.

QVÆ de Ferdinandi regis & Isabellæ reginæ munificentia dixero, etsi multos rationis expertes rerumque inscios, & iniquos alienæ virtutis & laudis æstimatores inficias ituros prospicio, qui meam hanc sententiam tanquam paradoxam & rem incredibilē calumniis suis & perfidia rationi contraria retractabunt: id tamen ego dicam de illorum liberalitate, quod non Gnathonici, sed quod Socratici sentiunt, & ipse sine vlla adulatione vere possum dicere: Reges scilicet & mortales omnes qui fuerunt hactenus, à catholicis principibus omni genere virtutis & præcipue liberalitatis officio fuisse superatos. Quod si quibus vel ingratis vel inuidis ambitiosius & fide maius à me dictū forte videbitur, hac vna potissimum & probabili ratione constare poterit, quia cæterorum Regum qui liberales fuisse prædicantur, opera munificentiæ quamuis multa magnaque, si cum catholicorum principum liberalitate cōferantur, nimirum & magnitudine minora reperiētur, & numero pauciora. Actus siquidem nouis atque multiplices munificentiæ catholicorum principum nec connumerari, nec ponderari quidem possunt, nec æstimari. Veniant igitur, si placet, veniant omnes qui ab hac opinione mea dissentiunt, ac si velint, etiam ratiocinatores & arithmeticos cum pugillaribus & calculis arcessant. Quorum nemo quidem regum catholicorum liberalitatis opera magnifica computabit, nemo beneficiorū numeros millenarios multiplicabit, nemo denique quotidianorum munerum legiones dinumerabit. Quis enim comprehendere poterit innumerabilia maximaque stipendia liberalissime persoluta? quis colligere pecunias egentibus erogatas? quis dotes virginibus collocandis enumeratas? quis amplissima munera multis oratoribus animosissime collata? quis plurima & vere regia donatiua domesticis equitibus & familiaribus distributa? quis donaria preciosa templis oblata? Sed ad maiora atque mirabiliora conscendamus. Nam quæ diximus hactenus, quota quidem pars videbitur, si magnos sumptus quibus annos fere quadraginta domestica & externa bella gesserunt, meminerimus: si maiores impensas quibus magnas classes ad Canarias & Indicas insulas miserunt, considerauerimus: si pecunias quibus multas ecclesias magnaque monasteria condiderunt, & reditibus donauere, numerare possemus: si quot & quanta patrimonia, quot census, quos Hispano sermone Iuros appellamus, de se benemeritis tribuerunt: si quot Duces, quot

Marchiones,quot Comites,quot equites creauerũt,memoria repetere vellemus. Quoniam igitur catholicorum principum liberalitatis opera multifariam, vt supra diximus, præ multitudine atque magnitudine comprehendi minime possunt, aliis omissis,illud vnum,de quo alio loco scripsimus,quatenus est opes munificentię memorabile,summatim repetemus. Anno enim à natali Christiano supra mille & quadringentos septuagesimo sexto catholici principes etsi difficillimum contra Portugalliæ Regem bellum gerebant, cum tamen magnas Turcarum copias Odruntum oppidum expugnasse cognouissent, septuaginta naues armatorum militum plenas & cõmeatus Ferdinando Neapolitanorum Regi, cuius erat opidũ quod Teucri captum tenebant, suis expensis auxilio miserunt,& propulsatis hostibus oppidum restituere. Cæterum fuerunt Rex Ferdinandus & Isabella Regina cunctis fere virtutibus pares, & Regina liberalitatis operibus animosissima. Quæ quidem dandis muneribus & pecuniis numeratis, constitutisque præmiis vtriusque conferendis arbitrio,multum semper addebat,& separatim largiebatur. Cuius liberalitatem & animi magnitudinem cum alii permulti magnates Hispaniæ , tum vero duo principes externi perspexerunt,Ioãnes scilicet Rex Nauarrę,& Prosperus Columna Romanæ vrbis vir primarius. Quorum alter cum ad eam Hispalim venisset , alter Methymnam cognomento Campum,muneribus amplissimis vterque donatus ab ea discessit. De Regis quoque munificentia multa separatim commemorare possem,quæ omnia prætermitto, duntaxat vno contentus exemplo, quo Cæsaraugustæ fuit vsus,vbi Sanctæ Engratiæ monasterio solidorum millia ducenta munerauit,& millia decem quotannis in perpetuum donauit. Erant enim Catholici principes non solum liberales & animosi, sed etiam prudentes religiosi & circumspecti in deligendis locis & personis quibus tribuendum erat. Nam etsi liberalitas virtus est animi generosi atq; magnifici,qua diuites & magnanimi principes in pecuniis distribuẽdis, & aliis siue fortunæ siue naturæ bonis hominum gratiam demerentur,& Deum qui bona omnia largitur,imitantur,multas tamẽ habet cautiones multasque circumstantias,quas omnes qui liberales esse volunt,circunspicere diligentissime debent, ne vel imprudentes & iniusti,vel sine ratione liberales esse videantur. Non est enim beneficium quod in quempiam sine ratione cõfertur. Quapropter illi quidem liberales appellari merito debent & magna laude digni sunt, qui beneficia conferentes prudenter cauteque largiuntur. Alii autem vituperandi magnoque odio digni,qui vel ambitione liberales videri volunt, vel in eos beneficia collocare student,à quibus sperant se consequuturos quæ concupiscunt. Quorum munera largitionis quidẽ sunt,non liberalitatis. Sunt enim similes hamo piscantium qui pisces esca decipiũt. Quod illi præcipue faciunt, qui conditione sua non contenti res alienas & magnos dominatus affectant. Sunt & hominum liberalium genera multa. Alii nanque auferre solent ab aliis quod in alios conferunt:alii plus quã sua patitur facultas,imprudenter profundunt. Dant alii non vt prosint accipientibus, sed vt noceant, multi non merentibus & indignis, nonnulli non egentibus sed diuitibus & ingratis. Plærique non sapientibus & studiosis,sed auidi laudis & popularis applausus stultis & ineptis parasitis,quorũ prauis assentationibus maxime delectantur,largissime distribuunt,vt de se bene dicant falsoque loquantur. Qui quidem se stultos esse non simularent, si non essent homines insipientes, qui de se omnia facile credũt,& adulationem mentientium suarum laudum testimonium esse putant. Cũ quibus & alii complures accusandi sunt, & infames haberi merito debent,qui sub specie liberalitatis in voluptatibus venereis,in frequentibus cõuiuiis,in ludis & vanis spectaculorum pompis,nõn modo res suas familiares & amplissima patrimonia stulte consumunt, verumetiam clarum nomen & bonam famam, qua nihil est homini preciosius, turpiter deformant & obscurant. Quare Ferdinandi Regis & Isabellæ Reginæ liberalitas laudabilior virtusque clarior est & gloria maior, qui non falsis assentatoribus, vt auidi laudis & ambitiosi, non diuitibus, vt alienarum rerum cupidi, non ingratis, vt imprudentes & inconsulti,non conuiuiis & voluptatibus, vt intemperantes & prodigi, non denique ludis & spectaculis, vt pueriles & populares: sed miseris,inopibus,studiosis & benemerẽtibus mercedes & munera recte sancteque tribuerunt, vt prouidi principes & saluberrimi. Qui propterea cũctis qui liberales fuere,præferendi mihi iure videntur,quia & promerentibus beneficia conferebant,&largiendo iudicio vero semper & honesta beneuolentia,probabilibus munificentiæ fontibus vtebantur. Non laudem,non obsequium,nõ mortalem gratiam & hominum remunerationem sperantes, sed euangelicam doctrinam sequentes ea quæ gratis acceperant, gratis benemeritis & iuste petentibus liberali manu erogabant, neque sicuti plærique faciunt, opes & fortunæ bona custodientes amittebant, sed bene distribuendo conseruabant. Quibus profecto in huiusmodi genere

nere virtutis & opere liberalitatis comites ex viris illustribus, quos antiquitas celebrauit, valde paucos, & ex fœminis vnam duntaxat inuenio regionis Apuliæ, quam alii Busam, alii Baulam nominarunt. Quæ cum esset genere nobilis & admodum diues, Romanorũ ciuium fere decem millibus ex prælio Cannẽsi elapsis & à Canusianis intra sua mœnia receptis, alimenta, vestes, & viaticum largissime præbuit. Eodẽ tempore Fabius Maximus etiam suę liberalitatis testimonium reliquit memorabile. Qui cum ciues Romanos captiuos ab Hannibale Carthaginensium duce recepisset, ei pecuniam daturus, & senatus soluere noluisset, filium Romam misit qui fundum quem vnicum possidebat, vendidit, & precium eius Hannibali numerauit. Quintius quoque Flaminius se quidem munificentia sua maxime laudabilem præstitit, qui Philippo Macedoniæ Rege bello superato, cũ ad victoriæ suæ spectaculum Græcia fere tota conuenisset, facto signo tubæ silentio, hæc à præcone verba recitari iussit: Senatus populusque Romanus & Quintius Flaminius Imperator omnes Græciæ vrbes quæ sub ditione Philippi Regis fuerunt, liberas atq; immunes esse iubet. Duos inuenio præterea liberalitatis comites à scriptoribus antiquis honorifice commemoratos; Hieronem Syracusanum & Agrigentinum Gilliam. Quorum alter audita clade quam Romani apud Trasymenum lacum passi fuerant, tritici modiorum millia trecenta, ducenta hordei, aurique ducenta & quadraginta pondo Romæ dono misit: alter & diuitiis excellens, & animo semper in conferendis magis pecuniis quam accumulandis erat occupatus, cuius domus non Gilliæ quidem, sed officina munificẽtiæ vocabatur. Qui, vt alia eius opera liberalitatis omittam, equites Gelensium quingentos vi tempestatis in suas possessiones cõpulsos aluit omnes atque vestiuit. Magna nimirum fuit horum quos memorauimus, liberalitas, sed si ad calculũ venerimus, nihil prorsus ad catholicorũ principum munificentiã. Quæ quidem est non cum praua mortaliũ liberalitate conferenda, sed potius Dei optimi maximi benignitati merito comparanda. Qui quidẽ præter ea munera quæ supra scripsimus, plura oppida, plura prædia, plures pagos, plures fundos, plures agrorum possessiones, quã cæteri liberales & principes omnes tribuerunt: qui denique multis qui nihil penitus habebãt, pro laborum suorum præmio census & opes magnas contulerunt, atque aliis magnatibus qui maximas diuitias & amplissimã patrimonia possidebant, ampliarunt.

De catholicorum principum humanitate & clementia.

HVMANITATIS atque clementiæ, quarum altera charitas est erga proximos, & altera iniuriæ remissio, in catholicis principibus exempla multa magnaque perspecta fuere. De quibus ne plura commemorem, nobis illud vnum eorum eximiæ pietatis indicio vel maximo fuit, quod scilicet illorum mortẽ qui in prælio occubuissent, vel alio miserabili casu cecidissent, non solum magno dolore miserabantur, verum etiam tanquam parentes multis lachrymis atque gemitibus defleuerunt: ideoque suorum militum saluti consulentes, hostes obsidione magis & fame, quam præliis & oppugnatione sæpe vicerũt. Qui præterea me ipso præsente numerosas Gallorum Regis copias, ab oppugnatione arcis oppidi quod Salsas appellant, metu coactas discedentes, cum armis persequi manuque capere possent, quia tamen non sine magna illorum strage fieri posse videbant, abire permiserunt, suis equitibus qui hostes ferire iam cœperant, inuitis, & vix ab honore victoriæ spoliorumque cupiditate retractis. Magnum & hoc etiam fuit humanitatis exemplum. Quoties enim vir vel Hispaniæ primarius, vel aliquis ex Christianis principibus è vita migrasset, ad eius hæredes & propinquos statim sapientes viros & religiosos cõsolandi gratia mittebant, lugentesque nigras vestes doloris sui & humanitatis testes induebãtur. Ferdinandi vero non humanissimi solum, sed etiam Christianissimi Ragis argumentum memorabile non præteribo silentio, qui quidẽ quotannis die Iouis ante Pascha resurrectionis, more & exemplo Christi qui suis discipulis, vt hominibus humanitatis exemplũ præberet, pedes lauit, & Petro quamuis recusanti, duodecim pauperibus accitis pedes lauare consueuit, quos deinde lotos, cœnatos, nouis vestibus indutos & singulos singulis aureis donatos dimittebat. Vtriusque autem clementia cum in aliis multis, tũ vero erga eos cognosci maxime potuit, quibus accusatione cessãte facile parcebãt, & alios multos quibus sine vllius querela leges vltimam pœnam statuebant, ad remum libentius atq; metalla quam ad mortem destinabant.

De fortitudine & patientia eorum.

TRIA saluberrima documenta, vel potius amplissima tria patrimonia & preciosissima munera, Rex Ferdinandus & Isabella Regina suis hæredibus testamento mandaue-

runt, quæ ſimul cum regnorum ſuorum gubernatione ſuſciperent, & diligenter obſeruarent: primum ſcilicet ſpeculum clariſſimum fortitudinis, in quo ſe frequenter intuerentur, ſeque cognoſcerent: ſecundum lucidiſſimum patientiæ fontem, vnde ſitientes liquores haurirent ſalutiferos ſitimque ſedarent: tertium pulcherrimum moderationis exemplar, quod non ſolum ſucceſſores eorum, ſed etiam mortales omnes & præcipue magni principes imitarentur. Hæc itaque dona nepotibus & reliquis ſucceſſoribus immortalia ſuarum virtutum monumenta reliquerunt, omnibus vtriuſque fortunæ caſibus admirabili patientia, ſummaque modeſtia reſiſtentes, qui nec proſperis rebus & victoriis quas & multas & triumphales adepti fuere, lætantes efferebantur, nec aduerſis & turbulentiſſimis tempeſtatibus vnquam ceſſerunt: ſed omnia quæ ſibi vel proſpera vel aduerſa contigiſſent, animo magno vultuque læto atque ſereno ſemper excipiebāt, nullum prorſus aut elati aut perturbati animi ſignum præ ſe ferentes. A primis ſiquidem annis ætatis ſuæ periculis adeundis & tolerandis laboribus aſſueti, multaſq; rerum varietates & temporum mutationes experti, Deo ſemper optimo maximo gratias agētes, omneis inimicorum inſidias & iniquitates atque fortunæ flatus & reflatus temperantia & fortitudine ſingulari ſuſtinebant. Ii nanque fuerunt catholici principes, qui cum aliis virtutibus, tum vero fortitudine, conſtantia, & patientia mortales omnes longe ſuperauerint: propterea quod omni genere virtutis armati, & ſpiritu diuinitatis afflati, cœleſtique gratia repleti, nihil non honeſtum, nihil non decorum faciebant, caſus omnes aduerſos qui mortalibus accidere ſolent, & neque humana prudentia neque ratione vlla vitari poſſunt, incredibili fortitudine miraque patientia perferentes. Quorum maximam atque diuinam ſapientiam cum in aliis multis aduerſitatibus & laboribus quos indigne plærumque patiebantur, tū in obitu liberorum non ſine magna admiratione cognouimus. Nam etſi Ioannem vnicum filium, qui ſi vixiſſet, vniuerſo terrarum orbi dominaturus videbatur, & Iſabellam filiam Portugalliæ reginam breui ſpacio tēporis amiſerunt, fortiſſimo tamen animo ſummo dolori reſtiterunt: qui nimirum duobus filiis, duobus generis, duobus nepotibus amiſſis exemplo magnæ patientiæ nobis eſſe voluerunt. Qui præterea non minori fortitudine patientiaque corporis dolores, quam animi paſſiones ſuſtulerunt. Siquidem Rex Ferdinandus cum Barcinonæ in ceruice grauiſſimum vulnus accepiſſet, non modo non turbatus eſt animo, ſed nec quidem gemuit, immo animo præſenti ſubſtitit, & recentem dolorem ſupprimens percuſſorem ſeruari iuſſit incolumem. Quæ quidem res quoniam pertinet ad hiſtoriam, breuiter explicabitur. Barcinonæ ſiquidem cum Rex & Regina commorarentur & conuentus agerent, homo quidam nomine Ioānes Cagnamatius ex oppido Cagnamatio, quod à Barcinone paſſuum millia circiter quindecim diſtat, imaginatus, vt eſt humana fragilitas, ſe Regem futurum, ſi Regem occidiſſet, & inani cogitatione falſaque deceptus, Barcinonem veniens accinctus ferro, cuius aciem ſæpe cotibus acuerat, locū non vt inſanus, ſed vt prudens elegit idoneum, & tempus obſeruans ad Regem è domo vbi cum ſuis conſiliariis & Barcinonæ ciuibus de negociis & rebus agendis conſultauerat, egreſſum diſſimulanter acceſſit, cui repente vulnus intulit crudeliſſimum. Quem iuſſu Regis, vt paulo ante diximus, à multitudinis impetu defenſum, multiſque tormētis affectum, vt ſi cuiuſpiam ſubornatione tale facinus auſus fuiſſet, proderet, nihil cōfitentem cum iuſtitia membratim viuumque forcipibus igne cādentibus diuidendum cenſuiſſet, Regina propter animæ periculum ſtrangulari prius, deinde iam exanimem diuidi iuſſit. Quæ & ipſa quoque corporis dolores animoſiſſime pertulit ſemper, non ſolum aduerſæ valetudinis, ſed etiam partus. In quibus nec queſta quidem fuit vnquam, ſed admirabili fortitudine, vt ab eius matronis cubiculariis accepi, dolorem vocemque ſupprimebat.

De ſtudio & amore ſuorum erga eos, & ſua in alios benignitate.

QVIBVS, vt honeſte cuncta ſancteque præcipiebant, ſic & omnes regnorum ſuorum proceres omneſq; populi libenter obſequebantur, & fideliter ſeruiebāt, cū præſertim bella gerebant, in quibus illis ſeſe vltro offerebant, bona ſua omnia & labores gratuitos pollicentes. Quorum plærique qui viribus plurimum poterāt, & opibus abundabant, nō ſolum labores & pecunias, ſed etiam ſanguinem ſuum profundebant. Ex quibus nonnulli fortiſſime prælia ntes vitam amiſerunt, quos, vt eorum virtus & memoria conſeruetur, alio loco nominauimus, qui cum regiæ dignitatis cauſa, tū vero Chriſtianæ religionis honore flagrantes, mortem præſertim honeſtā & glorioſam ſubire minime recuſabant. Quibus Rex & Regina gratiſſimi principes, & viuentibus, & mortuis, honoribus & ſacrificiis officium debitum præſtiterunt, & in eorum præterea liberos & vxores magna munera contu-

cõtulere. Eſt enim gẽs Hiſpaniæ omnis bellicoſiſſima,& ſuis principibus qui iuſtitiam tuentur & fouent,fideliſſima, cuius nobilitas & cuiuſcunque generis homines alias omnes gentes officio rei militaris & aliis virtutibus lõge præcedũt.Quare tametſi catholici principes,vt ſæpe diximus,labores magnos & aduerſa multa pertulerunt,fortiſſimis tamen ſuę nationis hominibus proſperi ſatis fortunatique fuerunt, qui fideliſſimo atq; tutiſſimo ſapientiſſimorum Pontificum,fortiſſimorumque Ducum, Marchionum,Comitum,equitum, militumque contubernio, præſidio & obſequio maxime conquieſcebant, quorum viribus & ingeniis quamplurimos & potẽtiſſimos hoſtes vicerunt, & principatus ſuos omnes abſentes præſenteſque tranquilliſſime gubernabant. Nam cum duo ſint hominum genera quibus magni principes indigent,quorum altero bellicis in rebus & officio rei militaris, altero in capiendis conſiliis & agendis negociis vtũtur magnum numerum catholici principes vtriuſque generis habuerunt. Apud quos duces exercitus excellentiſſimos, ſapientiſſimos Cardinales & alios Pontifices,præſides & gubernatores,regiæ domus pręfectos maiores minoreſque, maximos cancellarios & procancellarios prudẽtiſſimos, vtriuſque iuris & ſacræ theologiæ conſultos doctiſſimos,cubicularios obſeruantiſſimos,fideliſſimos conſiliarios,patrimonii regii præfectos,& theſaurarios vigilantiſſimos, diligẽtiſſimos ſecretarios cognouimus:multas præterea fœminas generoſas & illuſtres Reginæ maxime cultrices,multas puellas & nobilium liberos vtrique ſeruientes,quibus regia domus exculta,multos honores magnaque munera quotidie conferebant. Quapropter catholicis principibus omnes quam libentiſſime diligentiſſimeque ſeruiebant. Qui de ſe multos benemerentes, etiam infimi generis homines, ad honores magnos & altiſſimos dignitatis gradus euexerunt.

Duobus generibus hominum Principes indigent.

De regnis per catholicos principes recuperatis & aliis acquiſitis.

MATRIMONIO coniuncti catholici principes regna ſua recognoſcẽtes,omnia quę ſui iuris erant & ab aliis iniuſte poſſidebantur,legibus & armis recuperare cœperũt, & in primis Caſtellæ regnum cuius bonam partem Portugalliæ Rex Alphõſus, vt alio loco diximus,occupauerat,poſt multa prælia geſta,deuictis tandem ac depulſis Portugallię copiis,ditioni ſuæ reſtituere. Subinde Granatẽſe Mauris perdomitis & in deditionem receptis:recuperato autem Granatæ regno principatũ Ruſſinonis & Ceretaniæ repetiuere, quod Rex Gallorum Carolus, qui principatum illum pro pecunia quam Ludouicus pater eius Ioanni Aragonum Regi Ferdinandi patri mutuauerat, multos annos obtinuerat, liberaliſſime reſtituit, ſine vlla pecuniarum repetitione. Quarum ſumma erat ad numerũ trecentorum millium aureorum,quos Galli coronas appellant. Deinde paruo interiecto tempore Neapolitanum regnum à Gallis occupatum bis in ſuam poteſtatem & imperiũ redegere,ſæpe Gallorum copiis profligatis:poſtea Nauarræ, quod quidam multos annos iniuſte poſſidebant. De cuius regni conditione & de cauſis quibus ad Reges catholicos pertinebat,alibi ſcripſimus. Quare iure quidem repetitum ac recuperatum fuiſſe probari facile poteſt,non autem, vt nonnulli falſo putauerũt,ereptum. Cuius rei cauſam & rationem ſi quis ſcire voluerit, inueniet in linea & ſucceſſione Regũ Aragonum, in Rege Ramiro ſecundo. Præterea catholici principes in Hiſpania nõnullas ciuitates & oppida multa ſibi vendicarunt,quæ nimia præteritorum regum negligentia fuerant occupata. Per legatos etiam & exercitus ſuos in Atlantico mari Canarias & Indicas apud Antipodas gentes domuere, & ad cultum Chriſtianæ religionis adduxerunt. In Africa quoque Meſillã, Oranum,Tabracam,quam Buxiam vocant, & Tripolim ſubegerunt. Qui ſi vitam lõgiorem produxiſſent, & aliorum principum qui ſemper eos res magnas & ſanctas molientes impedire conabantur,inuidia caruiſſent,non equidem dubito quin Africa tota magnaq; pars Aſiæ iam nunc Hiſpano parerent imperio. Quod quidem nepotes & alios ſucceſſores qui non modo regnorum, ſed etiam eorum virtutum ſunt hæredes, & Chriſti nomen cultumque rebus omnibus anteponunt,adiuuante Deo facturos ſperamus atque proſpicimus. Hoc enim Carolus & Ferdinandus fratres excellẽtiſſimi principes promittere videntur, quorum alter auum Maximilianum, alter Ferdinandum, & vterque Philippum patrem nobis repræſentant.

De Iſabellæ reginæ morte.

ISABELLA regina multis magniſque negociis & continuis iam defatigata laboribus,in oppido quod Methymna cognomento Campo dicitur, in aduerſam incidit valetudinem,qua cũ dies prope quinquaginta cõflixit. Quibus diebus cũ omnes ſuę domus

equites, ſacerdotes, & totius Hiſpaniæ populi per omnes eccleſias ſacrificiis, orationibus, ieiuniis, & lachrymis pro eius ſalute profuſis Deum optimum maximum deprecarentur, illa tamen prudentiſſima mulier cum diem vitæ ſuæ vltimum appropinquare ſenſiſſet, omnes admonuit ne quis vltra Deum precibus fatigaret, & eccleſiæ ſacramenta deuotiſſime recepit. Cuius tanta fuit honeſtatis & pudicitiæ cura, vt etiam cum extremam reciperet vnctionem, & iam animam ageret, nudum pedem ſic vngendum præbuit, vt nemini, ne familiariſſimæ quidem mulieri tangendum permiſerit. Teſtamentum autem prudentiſſime condidit, & regnorum ſuorum curam & adminiſtrationem Ferdinando Regi cõmendauit hac conditione, ne iura cenſuſque regnorum ſuorum alienarentur vllo modo. Obiit autem Hiſpaniarum maximum decus in oppido Methymna Campi, die vigeſimo ſexto Nouembris anno milleſimo quingenteſimo quarto. Quo quidem die omnis Hiſpaniæ fœlicitas, omne decus, omnium virtutum pulcherrimũ ſpecimen interiit. Cuius corpus habitu Sancti Franciſci reconditum animam Deo reddidit, & magno ſacerdotum & equitum numero Granatam delatum ſepelitur in loco ſatis humili, & vt teſtamento mandauerat, reiectis omnibus pompis. Orbata itaque Hiſpania clariſſimo lumine, nõ ſine cauſa timere cœpit, magnuſque terror omnium bonorum mentes inuaſit, qui ne ſeditiones & bella quæ viuente Regina fuerant oppreſſa & extincta, renaſcerentur, formidabant. Cæterum Rex prudentiſſimus Ferdinandus poſt obitum Reginæ multis profuſis lachrymis, multis conuocatis equitibus Reginæ peractis exequiis, Ioannam filiam, Caſtellæ, Legionis, & Granatæ, cæterorumque regnorum Reginam nominauit, & ab omnibus iureiurãdo ex conſuetudine regni vocari iuſſit. Erat autem Ioãna filia ſub idem tempus cum Philippo marito Maximiliani Imperatoris filio in Flandriæ Comitatu. Ferdinãdus autem interea ex Reginæ teſtamẽto atque rogatu regnorum omnium curam gubernationemque ſuſcepit, omnibus Hiſpanis conſentiẽtibus, & poſt annum à morte Iſabellæ Reginæ Germanam duxit vxorem Gallorum Regis conſanguineam. Qui ſumma diligentia ſummaque iuſtitia in ſancta pace & optata tranquillaque quiete regna omnia conſeruauit. Cuius gubernatio fuit circiter biennium. Nam deinde cum veniſſet Philippus gener eius & Ioanna filia Idibus Aprilis anni quingẽteſimi ſexti, renunciata cura & gubernatione regnorum Caſtellæ, Legionis, & Granatæ ad regna ſua Aragoniæ primum ſe contulit, & deinde Neapolim nauigauit. Quo digreſſo Philippus & Ioanna coniux eius à magnatibus & populorum Caſtellæ procuratoribus in oppido Pincia, quod Valladolid vocãt, Caſtellæ Reges vocati fuere præſtito iureiurãdo, & Carolus eorum filius dictus eſt Caſtellæ princeps. Erat autem Philippus iuuenis corpore validus, facie pulchra, aſpectu iocũdo, animo liberali, ingenio claro, & literis adornatus, qui regnauit menſes fere quatuor, & in vrbe Burgenſi aduerſa valetudine correptus, paucis diebus è vita deceſſit, die vigeſimo quinto Septembris anni prænominati. Quo mortuo, Ioanna Regina viduata remanens, vel ex morte mariti quem vehementer amabat, vel nulla gubernandi experientia, vel alia cauſa gubernandi munus recuſauit. Gubernatum itaque regnum fuit per conſiliarios, & Franciſcum Ximenium Hiſpaniæ Cardinalem, qui Caſtellæ regnũ gubernarunt menſes circiter vndecim, multis Caſtellæ magnatibus inuitis atque etiam murmurantibus. Erant autem in hac gubernatione regii conſiliarii, Alphonſus à Fonte cognominatus iureconſultus, & Epiſcopus Iaenenſis moribus & ætate grauis, qui conſilio præſidebat, Petrus Oropeſanus doctor, Canonici iuris interpres, & vita probus, Fernandus Tellius Licentiatus, vir ingenio magnus & genere nobilis, patria Hiſpalenſis. Erat & Garſias Moxica Licentiatus in vtroque iure, natione Guipuzcuanus, vir probus & literis ac genere clarus: item Laurentius Caruaialus doctor egregius & genere nobilis: aderat & Ludouicus Polancus vtriuſque iuris conſultus. Fuerunt & alii complures, quorum nomina me latent. Regina autem Ioanna Ferdinandũ patrem qui Neapoli tũc erat, ad regni gubernationẽ vocari iuſſit, qui filiæ votis annuens ſe venturum reſpondit. Cæterum quoniam multa erãt in regno Neapolis, & magna negocia, aduentum ſuum per aliquot menſes diſtulit. Tandem multis filię ſuæ nunciis & literis acceptis & omnibus fere Caſtellæ populis ſupplicantibus, die quarto Iunii anni quingenteſimi ſeptimi nauim conſcendit, multiſq; triremibus magnaque claſſe comitatus in Hiſpaniam remeauit incolumis & peroptatus, & multis malis quæ per Hiſpaniam committebantur, occurrit. Qui cum tumultus & nonnullorum procerum motus oppreſſiſſet, omnes Caſtellæ populos tranquilla pace magnaque iuſtitia prope ſeptennium gubernauit. Poſtea vero anno tertio decimo ſupra milleſimum & quingẽteſimum ex vrbe Burgenſi Pinciam, quod diſtat à Burgis paſſuum millia circiter octoginta, ſe contulit, vbi per annum fere commoratus eſt, multaque negocia confecit. Vnde diſcedens in cœnobium quod Meiorada dicitur, ordinis ſancti Hieronymi apud oppidũ Olimetum, profe-

profectus, aduerſa valetudine grauatus indies magis ac magis affligebatur, adeo vt de eius ſalute & ſpe vitæ medici fere omnes deſperarẽt. Quam quidem valetudinem viri quidam prudentes ex medicamentis quibuſdam ſibi datis ad procreandum prouenisſe putauere. Quæ ſiue ſciens ſiue deceptus acceperat, medicorum tamen conſiliis obediens, & multis adiutus remediis interdum conualeſcebat, & ſpem vitæ medici pollicebantur, ſed priſtinam valetudinem recuperare nunquam valuit, quin potius eius virtus paulatim declinabat ad mortem. Siquidem neque pedibus inſiſtere poterat, neque familiares, vt ſolebat, alloquebatur, & à negociis omnibus abſtinebat, cuius vultus qui ſereniſſimus ſemper fuerat, non hilaris, non iucundus, ſed ſubtriſtis & ſubobſcurus.

De morte Ferdinandi Regis.

QVI demum cum ex vrbe Placẽtia Hiſpalim verſus in lectica veheretur, in pago paruo nomine Madrigalegio, quod eſt apud oppidum Guadalupum, die vigeſimo ſecũdo menſis Ianuarii, anni milleſimi quingenteſimi decimi ſexti, Rex catholicus Ferdinãdus & nunquã ſatis laudatus eccleſiæ ſacramẽtis deuotiſſime receptis, Deo ſpiritum reddidit, annum agens ætatis ſuæ quartum & ſexageſimum, cum regnaſſet annis duobus & quadraginta. Habuit autem moriens apud ſe præter alios nobiles Federicum Henricum Almirantem Caſtellæ, & Federicum à Toleto Ducẽ Aluanum ſuos fratres, alterum patruelem, & alterum amitinum. Aderat & Clemens Protonotarius, qui fuit vnus ex teſtamentariis & teſtamẽtum ſcripſit, cuius mihi datum fuit exemplum. Quod quia magnum volumen erat, & operi noſtro minime neceſſariũ, prætermiſimus. Elegit autem ſibi Rex Ferdinandus ſepulturam in vrbe Granata, vt alibi ſcripſimus, vbi & vxor eius Iſabella Regina iacebat, & nunc ambo ſimul iacent, & effigies vtriuſq; cernuntur in alto tumulo valde conſpicuo. Quo etiam Regis Philippi corpus Imperatoris Caroli iuſſu delatum fuit ex oppido quod Tordeſillas appellant, vbi longo tempore iacuerat.

De Ferdinandi Regis & Iſabellæ reginæ liberis.

MIHI de catholicis principibus ſummatim locuto, ſupereſt vt eorum liberos proleq; pulcherrimã nominatim referam. Genuerũt itaq; catholici principes Ioannẽ vnicũ filiũ, qui cum Margaritã Maximiliani Imperatoris filiam vxorẽ duxiſſet adoleſcentulus, poſt confectas nuptias & variis ludis & ſpectaculis ſumptuoſiſſime celebratis non ſolum ab equitibus regiæ curiæ, ſed ab omnibus etiã totius Hiſpaniæ populis & Siciliæ, infra annum diem vitæ ſuæ clauſit vltimum, non ſine ſummo dolore parẽtum, & lachrymis, & totius Hiſpaniæ atque Siciliæ conſternatione ſummoque fletu. Obiit autem hic princeps naturæ dotibus excellens & literis adornatus, Salmãticæ, anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſeptimo. Cuius luctuoſiſſima mors, quæ maximo gaudio ſucceſſit, nouam ſcribendæ tragœdiæ materiã poetis & ſcriptoribus præbuit. Eius corpus Auilam delatum fuit & iacet in cœnobio ſancti Thomæ ordinis prædicatorii. Progenuerunt & filias quatuor, Iſabellam ſcilicet, quæ primum nupſit Alphonſo Ioanni Portugalliæ Regis filio, qui lapſu currẽtis equi, vt alio loco diximus, infœliciter occubuit. Quo mortuo nupſit eius vxor Emanueli Portugalliæ Regi. Secundam filiam ſuſceperunt Ioannam, quæ nupſit Philippo Maximiliani Imperatoris filio, Carolumq; peperit Imperatorem, & Ferdinandum Vngariꝗ Regem: peperit & filias duas, Leonoram, quæ primũ nupſit Emanueli Regi Portugalliæ, poſt cuius mortẽ nupſit Franciſco Gallorũ Regi: peperit & Catharinam, quę nunc eſt vxor Ioannis Portugalliæ Regis. Tertio autem loco Regibus catholicis nata eſt Maria, quæ poſt obitum ſuæ ſororis Iſabellæ fuit vxor Emanuelis Portugalliæ Regis. Hęc peperit Ioannem qui nunc eſt Rex Portugalliæ & fratres eius atque ſorores quos alibi nominauimus. Vltimam præterea genuerunt filiam Catharinam, quæ nunc eſt Angliæ Regina. Habuit etiam Ferdinãdus ex quadam generoſa virgine, quæ fuit Euolis Vicecomes, Alphonſum Aragoneum Cæſarauguſtanum Antiſtitem, qui patris mores & virtutes omnes ſic imitatus eſt, ſic eiuſdem recta veſtigia ſecutus, ſic eum totum refert, ſic denique ſeipſum gerit, vt non minorem ipſe ſuarum virtutum materiam ſcriptoribus præbeat. Cuius animi magnitudo & naturæ fœlicitas verum quidem illud noſtrum tetraſticon faciunt:

Principe virtutes omnes qui quæris in vno,
Alphonſum certe quæris Aragoneum.
Poßidet hic animi dotes & corporis omnes,
Et princeps fœlix quicquid habere poteſt.

Aliud tetrastichon nostrum de eiusdem principis memoria futura.

Si genus & virtus viuunt post funera magni
Principis, in vita si bene facta manent;
Nestoris egregiam famam superabit & annos
Principis Alphonsi nomen Aragonei.

Progenuit prÆterea rex Ferdinandus Ioannam Aragoneam fœminam præstantissimam, quæ nupsit Bernardino Velasco Castellæ Comestabili, viro inter Hispaniæ primarios titulis & opibus excellenti & generositate præstantissimo. Suscepit etiam filiam Mariam, ex fœmina Vasconia pulcherrima nomine Toda. Progenuit insuper & aliam Mariam, cuius mater fuit generosa de familia Pireira regni Portugalliæ. Hæ duæ sorores eiusdem nominis viuunt hodie in cœnobio Madrigalis oppidi, præsuntque cæteris monialibus.

De Caroli Regis aduentu in Hispaniam.

CÆTERVM Ferdinando rege mortuo Carolus eius nepos nunciis & multorum literis admonitus in Hispaniam profectionem parare cœpit. Ad quem interim plures Castellæ nobiles & Aragoniæ nonnulli, qui regum catholicorum secretarii fuerant, sese cōtulerunt. Ex quibus fuit vnus Franciscus cognomento Cobus, quem Carolus Castellæ negociis secretarium præfecit de eius ingenio & moribus informatus. Postea vero rebus ad profectionem comparatis, ex Flandriæ littoribus in Hispaniā traiecit, & in oppido Villa Viciosa, quod est apud Astures è naui descendit die decima nona mensis Septēbris, anno millesimo quingentesimo decimo septimo. Hic dies paucos quiescendi causa cōmoratus, mox ad visendam matrem reginam Ioannam Turrem Syllanam se contulit. De cuius rebus quas gerere feliciter incipit, & posthac gesturus est, in eius historia Deo iuuante conscribemus.

LVCII MARINEI SICVLI DE REBVS HISPANIÆ
LIBER XXII.

De Imperatoribus quos Hispania Romæ & Constantinopoli dedit.



POST autem Hispanorum regum nomina & successiones, dicam nunc breui, quos Hispania Romæ dedit & Constantinopoli Imperatores. Nam cum olim Romam ex prouinciis aliæ frumentum, aliæ ferrum, aliæ equos, aliæ alia munera mitterent, Hispania quidem cum his omnibus etiam mittebat Imperatores, quos hoc loco memorare constitui. His enim mirum in modum poterit ac debebit semper Hispania gloriari, quæ semper eos viros genuerit, qui vbicunque terrarum fuerint, primum semper locum tenuerint.

De Nerua Romanorum Imperatore.

POST Cæsares Imperatores qui numero duodecim fuere, Nerua primus imperauit, qui Domitiano successit. Fuit autem admodū senex & populi Romani & senatus cōsensu vocatus ad imperium. Quod cū suscepisset, omnia ipsius imperii sceptra ex Domitiani tyrannide in maximo tumultu offendit. Quamobrem se æquissimum atq; vtilem omnibus præstare diligenter conatus est. Vnde eius opera omnia Domitiani acta ex senatus decreto sunt abrogata, & multi exilio damnati in patriam rediere, multiq; suis bonis & fortunis multati suo beneficio ea recepere. Inter quos etiam Ioannes Euangelista ab exilio reuocatus est, & Ephesum cum magno gaudio remeauit. Verum quum post primum sui principatus annum iam senio grauaretur, & mors instaret, Reipublicæ cauens Traianum sibi adoptauit in filium. Quo adoptato cum septuagesimum ætatis excederet annū, vitæ suæ finem mox fecit. Cuius corpus in hortis Salustianis sepelientes, animam in cælū relatam senatus decreto retulerunt.

De Traiano Romanorum Imperatore qui Vlpius Crinetus cognominatus est.

TRAIANVS autem decoris Hispanis plurimū attulit. Nam cum à Nerua electus esset imperio suscepto res admodum inclytas gessit. Fuit enim vir in omni virtutis genere præ-

præstantissimus,& qui inter sanctos Christianos (vt multis placet) merito referēdus est. Quippe qui optimos principes rerum gestarum magnificentia, & omni virtute,laude, & gloria superauit. In primis nanque imperii fines longe lateque diffudit. Germaniam enim trans Rhenum (vt Orosius scribit) in pristinum statum reduxit,Daciamq; cum aliis gentibus Romano subegit imperio. Parthos quoque recepit, & Albanis Regem dedit. Euphratem & Tigrim prouincias fecit. Armeniam insuper, Assyriamque, Mesopotamiam, Seleuciam,Ctesiphōtem ac Babyloniam vicit,& vsque ad Indiæ fines tenuit. Ad mare etiam rubrum accessit,in quo classem validam constituit,qua inde fines vastaret. Hic quippe omnibus in omnia se æqualem exhibuit. Quinimo, vt scribit Eutropius, persæpe amicos salutationis gratia visitauit,& neminem vnquam læsit,vbique enim terrarum ita se omnibus æqualem præstitit,vt vsque ad Iustiniani magni tempora in creatione principum semper sit acclamatū,Fœlicior sit Augusto & Traiano melior. Honores enim imperii, diuitias,facultates, & præmia bene merentibus præ cæteris æque distribuit. Cuius tale persæpe dictum erat,talem priuatis Imperatorem esse oportere,quales priuatos sibi optat habere. Immunitates vrbibus inopia laborantibus vltro offerebat. Portum Anconitanum nunc mirum in modum auctum extruxit, & alia multa ædificauit. Nihil vnquam in vita egit,nihilque cogitauit,quod non ad omnium vtilitatem pertineret. Vixit annis tribus & sexaginta, in quibus decem & octo imperauit. Cuius probitatis & morum, etsi perierint scripta in historiam digesta, non tamen obtruncata est memoria, quin multa plures scripserint, à quibus nos pauca hæc sumpsimus. Igitur cum summa belli domique gloria floreret,vt Eusebius scripsit,apud Seleuciam Isauriæ ciuitatē profluuio ventris extinctus est. Cuius ossa postmodum Romam delata, in foro ibidem, in aurea vrna quam ipse struxerat, sub columna quæ adhuc extat centum quadraginta pedum altitudine, sepulta sunt: cuius anima Romani senatus sententia relata est in cœlum: cuius patria fuit (vt asseritur) oppidum quod Petracia Serrana dicitur.

De Hadriano Helio Romanorum Imperatore.

HADRIANVS cognomento Helius, Traiani consobrinæ filius, post Traianum imperium suscipiens multa quidem magnifice gessit. Fuit enim vir magnus & inter optimos principes non immerito numerandus. Nam liberalis, splendidus, magnificus,clemens,& vtraque lingua eruditus,necnon & Musicæ, Medicinæq; artis scientissimus fuit. Qui cum leges multas composuisset, à populo Romano ob benemerita pater appellatus est, & non modo Romanis, sed etiam Atheniensibus legem petentibus ex Draconis Solonisque sententia iura composuit. Quibus etiam bibliothecam magnificam atq; insignē construxit. Et cum vir doctissimus esset, virorum quoque doctorum, & maxime Plutarchi Chæronei, Sexti, Agathoclis, & Oenæ magni Philosophorū familiaritate vsus & delectatus est. Idemq; sacris Eleusinæ initiatus multa Atheniensibus dona contulit, eorumque pontem Cephisi fluminis alluuione desolatum restituit,pontemq; sui nominis adhuc stantem super Tiberim in Vaticano fecit,ac iuxta illum sepulchrum suum miræ magnitudinis extruxit, qua mole seu sepulchro nunc Romani Pontifices pro arce vtuntur, quæ Sancti Angeli Castellum nuncupatur. Mirifice quoque ac sumptuose & alibi hic clarissimus Imperator ædificauit, & potissimum in Iudæa Hierosolymam à Tito euersam mœnibus & ædificiis instaurauit, & adeo eam amplificauit, vt passionis Domini nostri Iesu Christi locū intra mœnia cōcluserit,& ex suo nomine Heliam appellauit. Præcepit ne cui Iudæo, sed tantum Christianis introeundi facultas omnino daretur. Nam cum primo Christianis aduersaretur, postea cognita eorum religione eis admodū fauit, & beneficus fuit. Alexandriam quoq; Ægypti ciuitatē à Romanis dirutā sua instaurauit impensa. Murum item in Anglia duxit octoginta millibus passuum longitudinis. Tiburtinam villam, nunc ciuitatem ædificauit, & Pomponii magni sepulchrum magnificentissime extruxit, atque innumerabilia alia opera peregit. Tandem & ipse sexagenario maior intercutis aquæ morbo apud Baias Campaniæ vrbem vitæ suæ finem fecit, & Puteolis in villa Ciceronis sepultus fuit, vbi Antoninus Pius eius successor templum pro sepulchro cōsecrauit.

De Antonino cognomine Pio Romanorum Imperatore.

ANTONINVS autem Pius, Hadriani gener & adoptione filius, Romanis quoque imperauit. Qui etsi incertum est an fuerit in Hispania natus,eius tamen originē & progenitores Hispanos fuisse plures attestantur. Fuit autē vir optimus, qui imperio suscepto tanta cum modestia & benignitate imperauit,vt merito non imperii,sed Pii cognomentū adeptus, & patriæ pater appellatus sit. Nulli quippe vnquam neq; priuatim neq; publice

acerbus fuit, & hoc verbum persæpe dixisse ferunt, malle se vnum ciuem seruare, quam mille hostes perdere. Nam tantæ religionis, pietatis, gratiæ, humanitatis, clementiæ, iustitiæque ac modestiæ munere præditus erat, vt cum Numa Pompilio bonorum omnium sententia merito comparari possit. Quamobrem multi reges multæque nationes, positis eius iussu armis, ad eum controuersias cunctasque lites deferrent, eiusdemque sententiæ statim parerent.

De Marco Antonino Romanorum Imperatore cognomine Vero.

MARCVS etiam Antoninus cognomento Verus ad imperium fratri suo Antonino Pio successit, qui imperio suscepto, res maximas gessit. Nam (vt testis est Eusebius) Germanos, Marcomanos, Sequanos, Sarmatasque magna virtute superauit. Ad quod bellum iturus cum non haberet vnde stipendia militibus solueret, omnem imperatoriam supellectilem & vxoris ornatum vendidit, & precia merentibus dedit. Fuit præterea literarum studiosissimus, ac liberalitate clarissimus. Quapropter ab omnibus ita colebatur, vt sacrilegi nomen incurreret qui eius imaginem domi non haberet.

De Theodosio Seniore Imperatore Constantinopolitano.

THEODOSIVS Constantinopolitanus Imperator Christianissimus, optimus & præstantissimus fuit, & Traiani, à quo ducebat originem, persimilis. Qui postquam breui tyrannos sustulit, auxilio Domini nostri fretus, in quo maxime confidebat, & Androgeum seu Androgatum Maximini Ducem, ac Arbogastem Eugeniumque Galliarum tyrannos, & Germaniæ partis inuasores superauit & occidit. Quod eius historiæ celebrator poeta Claudianus insignis, admirans ait:

O nimium dilecte Deo tibi militat æther,
Et coniurati veniunt ad classica venti.

Hunc itaque non immerito & Ambrosius & Augustinus de ciuitate Dei maximis laudibus extollunt, cui ad militarem disciplinam addunt etiam ingenii & religionis laudes ingentes. Hic enim inter alias virtutes humilitatem præcipue coluisse fertur. Nam cum quia viri Thessalonicenses (vt in historia sancti Petronii habetur) iudicem suum in theatro occidissent, ira percitus esset, diui Ambrosii precibus eis facilime pepercit. Verum postea suorum familiarium malitia compulsus ad quinque hominum millia iussit occidi. Quod vbi diuus Ambrosius intellexit, Imperatori apud Mediolanum existenti ecclesiæ introitum, nisi pœniteret, interdixit. Quod legimus in canone de pœn. distinct. 2. cap. 2. Quam quidem admonitionem ita animo æquo tulit, vt vltro Ambrosio gratias egerit, atque pœnituerit, & vrbem ipsam laceratam instaurauerit, vt notatur in procemio Digestorum. Vnde & pœnitentia peracta legem tulit, vt principum sententiæ super mortis animaduersione prolatæ vsque in trigesimum diem ab executoribus semper differrentur, quatenus locus misericordiæ reo, vel, si res exigeret, pœnitentia non deperiret. Quam ob rem postea si quando ira percitus fuisset, hac cunctatione vtebatur, vt ter alphabetum prius proferret, quam quicquam verbo mandaret.

De Arcadio Imperatore Constantinopolitanorum.

ARCADIVS magni Theodosii filius, Constantinopolis cum Honorio fratre præfuit imperio, qui Christianissimi fuere, & bellicis in rebus strenuissimi. Nam Ruffinum atque alios duces magno conatu imperium affectantes summa virtute oppressere.

De Honorio Imperatore Constantinopolitanorum.

HONORIVS autem Arcadio mortuo imperium tenuit vna cum Theodosio fratris filio, vir certe moribus & religione Theodosio patri cõsimilis. Qui cum primum imperium suscepit, Constantinum tyrannum interfecit. Cuius etiam iussu cunctis expulsis hæreticis pax ecclesiis reddita est. Itaq; pacatam relinquens Rempublicam, sepultus iuxta Petri basilicam iacet in pulcherrimo mausoleo.

De Theodosio Iuniore Constantinopolis Imperatore.

THEODOSIVS Iunior Arcadii Imperatoris filius cum Valentiniano Placidiæ amitæ suæ filio septem & viginti annis imperauit, princeps omnino Christianissimus & humanitate clarissimus, qui imperium in maxima rerum perturbatione suscepit ac possedit. Nam Africam ferme vniuersam Genserico Vandalorum regi ablatam amisit, & Ægypti partem deperdidit. In Pannonia quoque & Hunni Duce Attila res multas vastauere. Multas etiam in Britannia calamitates, direptiones, vastationesque pertulit. Deinde Vesego-

ſegothi, Sueui, & Alani Luſitaniam Tarraconenſemque Hiſpaniam & Aquitaniam capientes, à Ligeri flumine vſque ad Carthaginem nouam omnia occupauere, præter Cantabros & Aſtures, qui pro ſua cōſtantia Romanorū milites cōſeruauere. Quę mala Theodoſius animaduertens, Valentinianum cum Placidia matre ſua ſtatim ad regendam ac defendendam miſit Hiſpaniam. Ipſe autem Ioannem quendam tyrannum opprimens regnum omne recepit. Quo ſine prole moriente Valentinianus eſt Imperator electus.

De Ferdinando Vngariæ Rege fratre Caroli Imperatoris.

DE Vngariæ rege Ferdinando, qui adoleſcentulus militiam ingreſſus, arma tractare cœpit, dicam breuiter quæ mihi fata promittunt, eum ſcilicet Hiſpaniæ & Chriſtianæ Reipublicæ honori magno & augmento fore. Quem quidem fati neceſſitas & Dei voluntas non ſine cœlorum motuque cœlorum potentiſſimis ac ſæuiſſimis Chriſtianæ religionis hoſtibus oppoſuit, quibus hactenus fortiſſime reſtitit, & in poſterum de omnibus barbaris gentibus & Chriſtiani nominis inimicis, vt ſpero, Deo iuuante ſimul cum Carolo fratre triumphabit. Cæterum de rebus quas hic rex Ferdinandus adoleſcens hactenus geſſit, & naturæ dotibus, multi ſcripſerunt: & nos, Deo iuuante, præter ea quæ ſcripſimus in hiſtoria Cæſaris, alia quoque quæ poſthac eum facturum multo maiora ſperamus, in honorem Dei & noſtræ religionis conſcribemus.

QVÆ DESVNT HVIC OPERI.

DESIDERABIT in hoc volumine lector & fruſtra requiret Hiſpaniæ viros illuſtres. De quibus non ſolum præteritis, ſed etiam nunc viuentibus, vt in prologo & aliis in locis mentio eſt, numeroſe ſcripſeram: ſed cum illorum nomina & res geſtas noſtris principibus recenſuiſſem, illi quidem etſi propter Hiſpaniæ fœlicitatem, quæ tot viros inſignes progenuiſſet, valde gauiſi cum laborem noſtrum & induſtriam comprobaſſent, eorundem tamen voluntas & conſilium fuit, vt in præſentiarū virorum illuſtrium catalogus non ederetur. Dicebant enim prudentiſſimi principes, quod inter viuentes, vt eſt humana conditio, magna naſceretur inuidia, & iuſta præterea multorum querela qui prætermiſſi fuiſſent. Fuit igitur mihi parendum principibus noſtris rem iuſtam præſertim atque prudenter imperantibus. Subduximus itaque de volumine viros illuſtres & nonnullas etiam mulieres memoratu dignas. Quæ cum cæteris quæ mihi poſthac occurrerint, in lucem proferentur in poſterum. Non me igitur mentitum iudicabis benigiſſime lector, & quod tibi nunc offero, libenter accipias. Vale.

OPERIS LVCII MARINEI SICVLI DE REBVS HISPANIÆ FINIS.

FRANCISCVS TARAPHA
CANONICVS BARCINONENSIS
DE ORIGINE AC REBVS GESTIS
Regum Hispaniæ.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO HISPANIARVM PRINCIPI PHILIPPO, eius nominis secundo, Franciscus Tarapha, Caonicus Barcinonensis, fœlicitatem.



VANQVAM *literarum studiis non ita excellere videmr, vt nobis inde nomen comparare poßimus: res tamen Hispanas à vetustatis stu vtcunque vindicare semper studuimus: id quod & cæteri nostræ nationis homines pro virili parte præstare debent, præsertim ii qui & excellenti ingenio & varia rerum eruditione, & dicendi copia pollent. Nobis satis erit, Serenßime Princeps, omnem Hispaniarum Regum, maiorum tuorum, antiquitatem, origines, successus, res gestas, obitus, aliaque scitu & cognitu non indigna Maiestati tuæ sub hoc compendio legenda proponere. Sunt enim hic inserta pleraque illustrium hominum, locorum, populorum, & prouinciarum Hispaniæ nomina vetera & recentia, vt varietas ipsa, si nihil aliud prodesset, saltem fastidio legentium mederetur. Hæc nostra scripta ex multis præclarßimis rerum scriptoribus non sine maximo labore collecta esse, ingenue fatemur. opiniones siquidem vniuersas maluimus eligere, quam innouare. Quid enim proprium nostrum esse poterit, quum antiquitatis diligentia nihil omiserit? Hæc si Maiestati tuæ probabuntur, dabimus operam, vt reliqua quæ in manibus habemus, lucem accipiant. Sunt hæc quidem admodum exigua quæ tanto Principi dicari debeant, sed maiora in præsens non possumus. Proinde donantis animum, non munus ipsum Maiestas tua expendat: quod si præstiterit, facile intelliget, nihil à quoquam maius dari potuisse. Vale*

FRANCISCVS TARAPHA
CANONICVS BARCINONENSIS
DE ORIGINE AC REBVS GESTIS
Regum Hispaniæ.

Tubal.



VBAL, siue Iubal, quintogenitus Iapheti filii Noe, dictus Attalus, & ab eo quod in Mauritania obierit, Atlas Mauritanus, primus Hispaniæ regnum obtinuit, vt ex Latinis asserunt Eusebius ac Hieronymus, ex Hebræis Iosephus, & ex Chaldæis Berosus, qui refert anno à diluuio magno 143. à creatione mundi, secundum Moysi & Berosi sentētiam 1799. & ante aduentum Saluatoris Iesu Christi (vt ex Eusebio colligi-
2174. tur) 2174. eum condidisse Hispaniam. Huic studium præcipuum fuit, greges & armenta atq; iumenta inducere. Hinc Tarraco cognominatus, id est, pastorum congregator: à quo Tarraco clara adhuc Hispaniæ vrbs, quæ Hispaniæ Tarraconensi no-
Tubal Vrbs. men dedit. Vrbs est in Bætica Tubal nomini eius dicata, quam mutatis elementis posteri dixere Dubal, vt ex Pomponio Mela patet: hodie *Setubal* vocant. Construxit & in Vasconia quæ modo Nauarra est, vrbes duas, Tuballam & Tubellam, impræsentiarum Tafalla ac Tudela dictas. Anno autem Tubalis 115. Noa cognomento Ianus, siue Ogyges, è Phœnicia & Africa in Hispanias traiecit, & colonias duas in Gallecia, à suo siue vxorum Cham & Iapheti nomine dictas Noelas & Noeglas construxit, vt ex Beroso patet: quanquam Plinius tertio naturalis Historiæ, cap. 21. Noegas & Noelas scribat: quæ postea (vt idem tradit) dicta fuit Celtica ciuitas. Tubal primus Hispaniæ rex Hispanos legibus formauit: vnde

vnde Hispanis literæ, poesis, & philosophia moralis, tempore Nini Assyriorum regis fuere, quod pendet à Beroso, Strabone, & Hispanica memoria. Cum isto Tubale venisse Sagam filium Chus filii Cham in Hispaniam, argumento est vetustissimum Saguntum, vulgo *Moruedre*, oppidum in regno Valentiæ, amicitia populi Romani illustre: & Saga oppidum in Ceritaniæ montibus, prouinciæ Tarraconensis aut citerioris Hispaniæ. Regnauit Tubal (vt refert Berosus) vsque ad 48. annum Nini regis, id est annis 155. *Anno ante Christum.*

Iberus.

IBERVS patri Tubali, siue Iubali, successit in Hispaniarum regno (vt refert Berosus) anno 49. Nini Assyriorum regis, id est, ante aduentum Iesu Christi 2019. Ab isto rege Iberus amnis dictus est, vulgo *Ebro*, & tota Hispania Iberia: inde Iberi populi. Est Iberus 2019. flumen celebre, & (vt Solinus, Strabo, & Plinius scribunt) nauigabili commercio dives, nauium per 260. millia passuum capax: fluit ab origine sua ad mare 450. millia passuum. Oritur apud Cantabros in montibus vulgo *de Santillana* agri Iuliobricensis, iuxta oppidulum, quod incolæ Fontibile nominant, tenuissimus: inde magnis amnibus auctior, primo Calaguritano exceptus agro, Tubellã (quę vulgo *Tudela*) Nauarræ petit oppidũ, & Celsam vrbem ponte olim celebrem, inde Saldubam (quæ nunc est Cæsaraugusta) alluit. Illinc digressus in austrum labitur per Laletaniæ populos, qui Gothalani dicuntur: auctus Cinga Sicorique amnibus, Dertusam opulentam vrbem præterlabitur. Postremo in mediterraneum siue Ibericum pelagus, versus Alphacium sub Ferraria promontorio tam violenter ingreditur, vt quinquaginta passus in mare profusus, dulcis hauriatur. Construxit Iberus ciuitatem Iberiam, in prouincia quæ nunc Gothalania est, non procul à ciuitate Dertusa. A Celtis qui nunc Franci sunt (teste Varrone) pars proxima Galliæ Celtiberia nuncupatur, qui Celtiberis populis nomen dedere. Vnde Lucanus:

Gallorum Celtæ miscentes nomen Iberis.

Et Silius:

Venere & Celtæ sociati nomen Iberis.

Nam Diodorus Siculus ait, Celtiberos quondam Celtasque pro agris bello certantes, pace demum constituta, communicataque inuicẽ patria, mutua connubia permisisse, à quà rerum communione nomen sortiti sunt. Hi Celtæ nomen imposuere Celticæ ciuitati, olim Noelas (vt diximus) à qua Celticus fluuius dictus est, vt refert Plinius. Iberes qui Asiam minorem incolunt, inter Colchos & Albanos Caspios, ex Hispania profectos esse, Dionysius Alexandrinus & Priscianus Grammaticus asserunt. Hiberniam item insulam non procul ab Anglia, ab Ibero duce Hispano nominatam ferunt, qui primus magna hominum congregata multitudine, eam occupauit: siue (vt alii sentiunt) ab Ibero flumine supradicto Hispaniæ celeberrimo. Regnauit Iberus annis 37. Eusebio ac Beroso testibus, vsque ad annum 33. Semiramidis Assyriorum Reginæ.

Iubalda.

IVBALDA filius fuit Iberi, & Hispaniarũ regnũ accepit (teste Beroso) anno 34. Semiramidis Assyriorum Reginæ, id est, ante aduentum salutis humanæ (vt ex Eusebio colligitur) 1982. Ab isto rege mons Iubalda, siue Idubeda, circa Bæticam nomen accepit. Hic 1982. Theologiam & sacra auxit, & in deliciis posuit apud Hispanos, vt interpretatio nominis ostendit: nam Iobel, magus Dei (teste Hieronymo ac Talmudistis) Eda vero, deliciæ atque voluptas interpretatur. Anno vero 15. eiusdem Iubaldæ, qui fuit à diluuio magno 350. naturæ concessit Noe cognomento Ianus, in Italia, apud montem Ianiculum qui in vrbe Roma cernitur. Regnauit Iubalda annis 64. vt supputant Berosus & Eusebius.

Brygus.

BRYGVS filius Mesæ, filii Aramæi, filii Semi, filii Noe, Hispanis imperat (teste Beroso) anno 20. Arrii Assyriorum regis, id est, ante aduentum veri Messiæ 1918. vt ait Euse- 1918. bius. Hic insigne sibi in vexillo castellum statuit, & plura in tota Hispania castella fundauit. Bryga enim prisca Hispanorum lingua, oppidum dicitur, Thracibus Bria, Germanis *Burg*. Ideo plura Hispaniæ loca in hanc dictionem terminant, vt in Bætica siue Andalusia, Arcobriga vulgo *Arcos*, Arabriga, Augustobriga, Brigecini populi & Brigæcium siue Brigentium ciuitas, vulgo *Ouiedo*, Cartobriga, Croliobriga, Deobriga, Deobrigula, Iuliobriga vulgo *Logronno*, Lancobriga vulgo *Coymbra*, Mirobriga, vrbs Imperatoria cognominata, vnde Mirobrigenses populi qui Celtici cognominantur, Midobriga vulgo *Montmayor*, Merebriga, Nertobriga, Nemetobriga vulgo *Valdenebro*, Obrica, vbi amœnus por-

Anno ante Christum. tus, Segobriga vulgo *Sogorbe*, Tuntabriga, Talabriga siue Alabriga, quæ Liborá, olim Elbora, vulgo *Talauera*, Turobriga, Vertobriga. Ab hoc Brygo originem duxere Brygi Hispaniæ populi, quos teste Plinio lib. 5. cap. 32. argumento est adeo in immensum coaluisse, vt opus eis fuerit nouis sedibus quærendis ab Europa in Asiam traiicere, vbi Brygios populos condidere, quos mutata B in Ph, Phrygios posteri dixerunt. In Sabbatia quoque Tusciæ regione colonias reliquere, in qua conditum est oppidum Brygianum, quod corrupte proferimus Braccianum. Regnauit Brygus rex in Hispania, vsque ad primum annũ Balanei Xerxis Assyriorum regis, id est, annis 52. vt Eusebius tradit, & Berosus testificatur. His temporibus crediderim venisse in Hispaniam Ausonem filium Aramei, cum Brygo nepote suo, & ab ipso Ausone originem habere Ausoniam ciuitatem, & Ausonenses populos (qui nunc Vicenses, & Vicensis ciuitates) argumentum est vetustissimus ager illius populi & ciuitas in citeriore Hispania prouinciæ Tarraconensis.

Tagus.

TAGVS cognomento Orma, teste Beroso, aut Togorma, vt Moyses sentit Gen. 10. anno primo Balanei Xerxis Assyriorum regis in Hispania regnare cœpit, id est, ante ad-
1866. uentum humanæ salutis (vt ex Eusebio constat) 1866. ex quo patria dicta fuit Taga. Fuit hic filius Gomeri primogeniti Iapheti, filii Noe. Studium huius fuit, ex indigenis & incolis Hispaniæ auellere colonias, & deducere ad alias Hispaniæ partes tunc inhabitatas. Tagus siquidem interpretatur auulsio: Orma, coloniæ vel incolarum. Hic Tagus non modo in Hispaniam, sed in Albaniam Libyamque & Aphricam colonias misit, nomine Taga & Tagorma, vt colligere licet ex Ptolemæo & cæteris cosmographis. Consanguinei enim erant Hispani Caspiis. Phœnicibus, & Pœnis, vt Varro prodit, & Plinius in 3. naturalis historiæ ostendit. A Tago rege Tagus fluuius celeberrimus, vulgo nuncupatus Taio, nomen accepit. Arenas habet, ob quas (teste Solino) cæteris amnibus præfertur Hispaniæ, auriferas. Piscium item ostreorumq; feracissimum, gemmasque generantem, scribit Pomponius. Oritur in altissimis Aragoniæ iugis, apud vrbem Albarracinum, vel (vt alii volunt) Securium oppidum, quod & Frias appellant. Hic amnis multis in locis nauigio traiicitur, per Carpentanos lapsus, Toletum præpotentem validamq; vrbem petit, totamque circuit, & oppidum Elboram, quod nunc Talabricam, vulgus Talaueram vocat, alluens, Alcantaramque præterfluens, apud Vlixbonam in occiduum cadit Oceanum. Ab scriptoribus & poetis hic amnis maxime celebratur: vnde Papinius.

Hinc Hermum, fuluoq; Tagum decurrere limo.

Iuuenalis:

Omnis arena Tagi, quodq; in mare voluitur aurum.

Et in alio loco,

------ *Tanti tibi non sit, opaci*
Omnis arena Tagi. ------

Ouidius:

Cedat & auriferi ripa beata Tagi.

Silius:

Hic certant Pactole tibi, Duriusq;, Tagusq;,
Quiq; super Grauios lucentes voluit arenas.

Regnauit Tagus rex in Hispania, vt Berosus scribit, annis triginta.

Bætus.

BÆTVS, referente Beroso, post Tagum Hispanis imperat, anno primo Armatritis Assy-
1836. riorum regis, id est, ante salutis humanæ aduentum (vt Eusebius computat) 1836. à quo Bætica prouincia quam nonnulli fœlicem ac beatam interpretantur, nomen accepit: nam in ea magnus Homerus Elysios campos collocauit. Ab hoc Bætis fluuius, vulgo *Guadalqueuir*, à quo (vt Strabo & Plinius asserunt) prouincia nomen accepit, quæ postea à Wandalis, Wandalusia, & modo Andaluzia nuncupatur. Oritur Bætis in Tarraconensi prouincia, non (vt alii dixere) Mentesa oppido, sed Tygensi, dextra læuaq; oliuiferis colitur oppidis, per mediam fere Bæticam, sicut nascitur, vno decurrens alueo, inter Anam qui Guadiana dicitur, & Tagum, magnitudinis est eiusdem. hinc in Austrum declinans, Cordubam & Hispalim Bæticæ vrbes insignes præterlabitur, & in Atlanticum mare magno plerumq; cum impetu excurrit. Hunc amnem Statius hoc modo commendauit:

Graio nobilior Melethe Bætis,
Bætim Mantua prouocare noli.

Mar-

Anno ante Christum.

Martialis:

Bætis oliuifera crinem redimite corona,
Aurea qui nitidis vellera tingit aquis.
Quem Bromius, quem Pallas amat.

Silius:

Palladio Bætes vmbratus cornua ramo.

Seneca:

Nomenq; terris qui dedit Bætis suis.

Condidit & ipse Bætus Rex Bætulonam ciuitatem ciuium Romanorum, vt ait Plinius, postea populatam: nunc vero oppidum in agro Barcinonensi citerioris Hispaniæ, vulgo *Badelonam*, à quo Bethulus flumen. Ptolemæus scribit Bætholon, Pomponius Mela Bætulo, vulgo *Beson* dicitur. exiguus est amnis iste & vadosus: præbet tamen suburbanis agris celebris & pulcherrimæ vrbis Barcinonæ vtiles irrigationes. Oritur in monte pedis Senii siue Vinii, vt quidam appellant, & per Vallenses populos transit: ab orientali latere Barcinonem habet, & Balearicum ingreditur pelagus. Regnauitque Bætus Rex, vt Berosus asserit, annis 31.

Deabus.

DEABVS Aphet, cui cognomentum Aramea lingua fuit Gera, id est aduena, Græcâ Chryseus, Latina Aureus: quod (vt scribit Berosus & Diodorus Siculus) à magnis diuitiis nomen assumpsit, & hoc cognomentũ promeruit à fodinis auri & diuitiis quas primus ibi cepit, opprimens colonias. Fuit hic filius prisci Hiarbæ Numidæ siue Dionysii Libyci, filii Ammonis, filii Tritonis, filii Gogi, filii Saba, filii Cur, filii Cami, filii Noe. Hic Deabus anno 32. Armatritis Assyriorum Regis, ex Mauritania in Hispaniam traiecit, & illam occupauit, teste Beroso, id est, anno ante aduentum Iesu Christi 1805. vt in Eusebio colligitur. 1805. Ab hoc Ceabo Geryone, siue à filiis Geryonibus ob memoriam patris, antiquissima vrbs Gerũda in citeriore Hispania dicta est. Regnauit Deabus, vt Berosus refert, annis 35. Per hoc tempus Osiris iustus Iupiter, qui Dionysius à Græcis & Latinis vocatur, ab Ægyptiis Osiris monarcha (Moyses Misraim vocat) filius Cami (siue Saturni ex Rhea sorore) filii Noe, orbe peragrato, victisque Titanibus Curetibus gigantibus, in Tartessiorum saltibus Hispaniæ, & Geryonibus principatu permisso, ab Hispania in Peloponnesum adnauigauit, teste Beroso. Qui Curetes, filii Curis, filii Cam, filii Noe, existimatur Tartessios cognomine Curetes Hispaniæ condidisse: de quibus Iustinus insinuat libro vltimo. His tẽporibus fama est, referente Nicolao Leonico, Iberos Noraco duce magnanimo, ad insulã Sardiniam peruenisse, à quo Nora ciuitas condita est, quam primam Sardiniæ vrbem fuisse ferunt. *Nora condita.* Noracum autem hunc Mercurio ex Erythrea Geryonis filia procreatum autumant.

Geryones.

GERYONES Lomnimii, Deabi Geryonis filii (vt refert Berosus) occiso patre, in Hispaniis regnare cœperunt, anno 29. Belochi Assyriorum Regis, id est, ante aduentum Saluatoris (vt in Eusebio colligitur) 1770. & annis 43. regnauerunt. De istis Geryonibus 1770. sic ait Diodorus in quinto libro: Vulgata erat per orbem fama, Chryseum qui vniuersæ Iberiæ imperauerat, tres habere propugnatores filios, cum robore corporis, tum armis egregios: exercitum præterea cuilibet fortissimorum militum esse, quos Hercules Libycus ad singulare certamen prouocans sustulit. Erat Hercules iste filius Osiridis Ægyptii. Condiditque Lomnimius Rex Geryon, in Lusitania prouincia, vrbẽ Lumnimiam (vt in Plinio & Ptolemæo notatur) vnde Laminitani populi nominabantur: nostris temporibus Auia oppidũ, Græci vero denominarunt Limiam: inde Limia flumen quod Lethen appellant, ab aliis Belion & Eumenius vocatur. Labitur (vt Strabo scribit) ex Celtiberis & Vaccæis prope Galleciam. Poetis admodum est famigeratus, vnde apud inferos Lethes, id est, Letheum fluuium fingunt, vt Silius de flumine isto canit:

Quiq; super Grauios lucentes voluat arenas,
Inferna populis referens obliuia Lethes.

Hispalus.

HISPALVS filius fuit Herculis Libyci, qui à patre Rex creatus, Hispanias accepit, te- 1727. ste Beroso, anno 36. Balei Regis Assyriorum, id est, ante humanę salutis aduentum, vt in Eusebio computatur, 1727. Hic Hispalim ciuitatem, quæ nunc Sibilia, vulgo *Seuilla* di-

Anno ante Christum. citur, condidit: & tota Hispania quasi Hispalia ab eius coloniis dicta, vt assentitur Rodericus Toletanus Antistes, insignis historicus. Est Hispalis ciuitas ad mare Gaditanum, vbi sunt æstuaria, id est, conualles repletæ marinis aquis inundationibusque pelagi, per quas instar fluuiorum nauigantes ascendunt ad vicina oppida. Regnauitq; Hispalus, teste Beroso, annis 17.

Hispanus.

HISPANVS filius Hispali, & Libyci Herculis nepos, mortuo patre in Hispania regnare cœpit, dicente Beroso, anno primo Altadis Assyriorum Regis, id est, ante aduentum

1710. Iesu Christi, vt in Eusebio colligitur, 1710. Ab hoc Hispania prouincia nomen accepit, quum antea Iberia nominabatur. Hic filiam siue sororem nomine Illiberiam habuit, quę suo nomine ciuitatem Illiberiam construxit, nunc vulgus Granatam nominat. Regnauitque Hispanus Rex annis 32. vt ait Berosus.

Hercules.

HERCVLES, cui nomen est Libyus, Moyses autem Luabin denominat, Osiridis filius, filii Cami (qui Saturnus est nuncupatus) filii Noe, teste Beroso, anno 39. Altadis Assyriorum Regis, cū in Italia res memorabiles gessisset, & magnis laboribus functus esset, in Hispaniā rediit, vbi nepos eius Hispanus imperabat. Quo mortuo, Hercules ipse, quamuis admodum senex, Hispaniæ regnum suscepit, anno primo Mamiti Assyriorum Regis,

1678. id est, ante aduentum veri Messiæ, vt in Eusebio colligitur, 1678. Hic, teste Beroso, vrbes in Hispania eius nominis ædificauit, videlicet Libyam in Pyrenæis montibus, quæ postea

Hercules quas vrbes in Hispania ædificauerit dicta fuit Iulia Libyca: Libysoson, quam vrbem Romani per interpretationem vocauerunt Foroaugustam, inde Foroaugustani populi, vt tenet Plin. Libysocam, Libuncam, & Liboram, quas Ptolemæus & Plin. describūt. Condidit etiam & Calpem ciuitatem in vltima Hispania, vt auctor est Strabo, cum & eiusdem nominis sit mons, vna ex metis Herculis: & in montibus Pyrenæis vrbem Vrgellensem, in Hispania citeriore prouinciæ Tarraconensis. Hic columnas posuit duas ad fretum Gaditanum siue Herculeum, quasi terminos expeditionis suæ, cum ille accessisset ad interficiendos Geryones. Quidam dixerunt auctore Strabone, colūnas Herculis illas dici quæ visebātur in templo Herculis apud Gades, & erant ex ære, cubitorum octo, in quibus sumptus templi constructi erat inscriptus, de quibus sic scribit Plinius: Proxima autem faucibus vtrinque impositi mōtes coercent claustra, Abila Aphricæ, Europæ Calpe, laborum Herculis metæ: quam ob causam indigenæ columnas eius Dei vocant. Tradunt etiam aliqui (vt Diodorus narrat) coniunctis prius montibus ab Hercule effossis, peruium Oceanum ad nostrum mare mediterraneum factum. At horum fides existimationi hominum relinquenda est. Hercules (teste Beroso) posteros ex Araxa iuniore quæ semiuipera fingitur, reliquit Scytham iuniorem, Tussum, Agathyrsum, Peucinum, & Gythonem. Ex Galathea filia Atlantis Kytin siue Itali, cum in Italiam per Celtas transiret, permissu parentum (vt Berosus insinuat) genuit illis Galathem Regem: ex Omphale Athonem: ex quinquaginta autē puellis Aramæis, quinquaginta filios Thespiades à patria dictos sustulit. Regnauit Hercules in Hispania annis 19.

Eius sepulchrū. cum ab humanis decessisset, eius ossibus opulentum sepulchrum templumq; Hispani cōdidere apud Gades, vt Berosus narrat, & Pomponius Mela exprimit, & Salustius confirmat.

Hesperus.

HESPERVS (vt refert Berosus) Italus fuit, & non Maurus, vt aliqui opinātur. Fuit hic frater Atlantis, quem secum duxit Hercules, vt asserit Rodericus Toletanus. Hunc Hesperum Hercules Libyus sibi successorem reliquit, & Hispanias regere cœpit anno 20. Mamiti Assyriorum Regis, id est, ante aduentum Iesu Christi (vt in Eusebio computatur)

1659. 1659. & annis 11. regnauit: quia Atlas Italus frater illum Hispania expulit, ac in Italiam ire coegit, & vtrobique regnauit, vt Higynus inquit, proptereaque Hispaniam & Italiam Hesperias dictas ab Hespero Rege, non à sidere, vt fingunt Græci. nam eadem ratione intermedia Gallia diceretur Hesperia: quia sicut eo sidere ab Italia in Hispaniam, ita & in Galliam Græci nauigant. Horatius non ab Hespero Rege Hesperiam, sed ab Hesperia eius filia, dictam fuisse scribit.

Atlas.

ATLAS Kytin, siue Italus, frater Hesperi, anno primo Manchalei Assyriorum Regis (vt Berosius refert) Hispanias occupat, id est, ante aduentum salutis humanæ, anno 1648.

1648. vt in Eusebio colligitur. Hic um annis 12. regnasset, Sycoro filio Rege creato, paulo ante obitum Hesperi fratris, ab Hispania in Siciliam, & à Sicilia in Italiam contra fratrē dimicaturus, concessit in Latium. vbi Coritus Hetruscus socer Atlantis cum puero Iano iuniore filio obuiantes, prohibuerunt eundem cum fratre arma conferre: permiserunt tamen, & opem cum consilio tulerunt, vt è regione Saturniæ collem Auentinum teneret, & condito oppido Capena, etiam agrum eius à se Italiam diceret, vt asserit Fabius & quamplurimi scriptores, & in historia Hetrusca probatur. Tres fuerunt Atlantes, vt Seruius tradit, quorum primus omnium Maurus, vt supra diximus, Iaphetus filius Noe, postremus omnium Græcus, horum medius socer Coriti, id est, Regis Hetrusci, Italus frater Hesperi, de quo fit sermo. *Anno ante Christum.* 1648. *Atlantes tres.*

Sycorus.

SYCORVS filius Atlantis, à patre Rex creatus, (referente Beroso) anno 13. Manchalei Assyriorum Regis, Hispaniarum regnum accepit, id est, ante aduentum humanæ salutis, vt in Eusebio colligitur, 1636. Ab hoc pars Hispaniæ Sycora dicta fuit, quæ nūc est ciuitas Ilerda, inde Ilerdenses populi Surdaonum gentis, referente Plinio. Vbi & Sycoris amnis à suo nomine cognominatus fluit. Oritur autem inter Pyrenæos montes à Surdaonibus & Ceritanis, accoliturque amœnis oppidis. Post Ilerdam, Octigenem petit, & apud Machinensiam oppidum Ibero amni se iungit, & nomen amittit. Aureas defert arenas, & potus est valde salubris: vnde Lucanus nō immerito inter primos Hispaniæ amnes commemorauit, quum dixit: 1636.

Hesperios inter Sycoris non vltimus amnis.

Regnauitque Sycorus Rex annis 45. vt Berosus insinuat.

Sicanus.

SICANVS filius Sycori, mortuo patre (vt Berosus tradit) Hispanias regere cœpit anno 8. Mameli Assyriorum Regis, id est, ante aduentum Saluatoris Iesu Christi 1591. Hic nomen dedit Sicanis populis in Hispania. Qui in Italiam transeuntes, quum Latium tenerent, inde à Liguribus pulsi in Siciliam traiecerunt, insulamq; humano cultui aptam sortiti. Sicaniam à suo nomine dixerunt, quum prius Trinacria, à triquetra figura, inde Trinacris dicta esset, vt Philistus refert, & à Diodoro Siculo & C. I. Solino confirmatur: vnde & Silius ait, 1591.

Post dirum Antiphatæ sceptrum & Cyclopica regna,
Vomere verterunt primum noua rura Sicano.
Pyrene misit populos qui nomen ab amne
Ascitum patrio terræ imposuere vacanti.

Regnauitque Sicanus Rex annis 31. vt Berosus indicat, vsque ad octauum annum Spareti Regis Assyriorum, vt ex Eusebio constat.

Siceleus.

SICELEVS (vt Berosus notat) anno Spareti nono Assyriorum Regis, id est, ante aduentum Iesu Christi (vt in Eusebio colligitur) 1560. in Hispania regnare cœpit, & annis 44. relicto Luso filio, regnauit. Ab isto Siceleo Siculi dicti fuerunt, vt Dionys. Halicarnasseus in primo libro recitat. Fuit hic Siceleus vir præcipuus in re militari, vt Xenophō refert, & Berosus prosequitur. nam ab Hispania euocatus est contra Dardanum. Omnis enim Italia & Siculi cum Siceleo duce fauebant partibus Iasii contra Dardanum, quum de regno inter eos contentio fuisset. Quumque dolo Iasium Dardanus peremisset, in Vetuloniæ agro, Siceleus Aborigenes exclusit, & Dardanum Italia pepulit, & in Samothraciam compulit, vt tradit Latina historia. Triumphalia Iasiana & Cybelica quæ tempore defensoris eius Sicelei condita fuerunt, in Vetulonia quæ nunc Viterbium ciuitas est, sedēte Alexādro VI. Pontifice maximo, apparuere. 1560.

Lusus.

LVSVS filius Sycelei, teste Beroso, Hispaniarum regnū accepit anno 13. Ascatadis Assyriorum Regis, id est, ante aduentum Iesu Christi (vt in Eusebio colligitur) 1516. Ab hoc Luso omnes concedunt prouinciam Lusitaniam esse dictam, quæ nunc Portugallia est, vnde Lusitani populi qui ad Aquilonem montana habitant. Hi (vt auctor est Strabo) viuebant Spartano ritu, sacrificiis dediti exta inspiciebant & fibras, futuraque prouidebant ex intestinis, quorum hominum maxime captiuorum diuinationes aucupabantur, abscissas 1516.

Anno ante Christum. abſciſias dextras Diis offerebant. Regio iſta ad meridiem Tago flumine cingitur, ab occaſu & ſeptentrione Oceano, ab aurora Carpentanis populis. Hic Luſus mortuo patre in Italia Rex creatus, multas in Luſitaniam ex amicis duxit Italicas colonias: regnauitque annis (vt ſcribit Beroſus) 31.

Siculus.

SICVLVS iunior, per diſtinctionem priſci Siculi, filii Itali (vt ait Manethon) in Hiſpa-
1485. niis regnare cœpit anno 8. Remeſſis Ægyptiorũ Regis, vt in Euſebio computatur, anno ante aduentum ſalutis humanæ naturæ, 1485. & annis 61. regnauit, vt inſinuat Manethõ. Argantonius (vt Herodotus ait) per hoc tempus in Carteia, alio nomine Tarteſſa, vulgo *Tariffa* vrbe, in Bætica Hiſpaniæ prouincia regnabat, qui, vt Anacreon poeta cecinit, 150. vixit annos, vt ſcribit Plinius, 120. Silius autem dixit vixiſſe 300. & ob id fuiſſe ditiſſimum ætatis. Vnde ait,

Argantoniacos armat Carteia nepotes,
Rex proauus fuit humani ditiſsimus æui,
Ter denos decies emenſus belliger annos.

Ab iſto Argantonio crediderim nomen habuiſſe Argentonam oppidum in citeriore Hiſpania, in agro Barcinonenſi: vnde Ptolemæus Argenteolam ciuitatem ſcribit. Eſt Erga amnis apud Cantabros decurrens, qui quum in amnem Iberum cadit, nomen amittit, teſte Marineo Siculo.

Teſta.

TESTA Libyus Triton (vt refert Manethon) Hiſpaniarum regnũ accepit anno primo Menophis Ægyptiorum Regis, id eſt, anno ante aduentum Ieſu Chriſti (vt in Eu-
1424. ſebio ſupputatur) 1424. Hic, vt refert Manethon, oriundus fuit ex Libyca Tritonide, patria Mineruæ Palatuæ. Teſtam vrbem in littore Hiſpaniæ condidit, quam poſtea Teucriam vocauere Hiſpani, à Teucro Telamonio, nũc vero Carthageniam, ſiue Carthaginem nouam appellant. Ab iſto Teſta Rege poſitos fuiſſe Cõteſtanos finitimos Bæticæ, auctor eſt Ptolemæus, & ipſum nomen teſtatur. Horũ populi non mirum ſi militia valent, quandoquidem ex Tritonide Mineruа militiæ principe ortum habuere. Eſt in campis Tarraconenſium oppidum vulgo Conſtantinum, quod crediderim à Teſta Rege iſto eſſe conſtructum. Regnauitque Teſta annis 74. vt inſinuat Manethon.

Romus.

ROMVS filius Teſtæ Hiſpanias regere cœpit (vt refert Manethon) anno 35. Zeti Æ-
1350. gyptiorum Regis, id eſt, ante aduentum humanæ ſalutis 1350. vt in Euſebio cõputatur. Ab hoc Valentiam ciuitatem citerioris Hiſpaniæ cõditam tradunt, ab interpretatione nominis. nam Romus Aramea Græcaque lingua valens Latine oſtenditur. Regnauitque Romus (vt Manethon inſinuat) annis viginti nouem. Bacchus qui Græcis Dionyſius, Latinis Liber pater dicitur, filius Iouis ex Semele, Cadmi Thebanorum regis filia, per hoc tempus fuit (vt in Euſebio colligitur) Iberiſque dominabatur. Vnde Silius 3. Punicorum ſic ait:

Tempore quo Bacchus populos domitabat Iberos.

Condidit hic Dionyſius Nebriſſam ciuitatem, prope æſtuaria Hiſpaniæ, quam Silius à Satyris cultam dicit propter ipſum nomen: nebris enim pellem hinnuli, id eſt pulli ceruini, ſignificat, qua vtebantur bacchantes: vnde dicit,

Ac Nebriſſa Dionyſeis conſcia thyrſis,
Quam Satyri coluere leues. ------

Ab hoc Baccho, Bacchus fluuius dictus eſt in Bætica prouincia, apud Cordubam non ignobilis, vt ait Hieronymus Paulus Barcinonenſis, & Bocatius. Per hoc tempus Oſcus Vetulonienſis Italiæ imperium adeptus, plurimas colonias dedit (vt ait Manethon) ſuiq; nominis fundauit Oſcam, & à ſuo cognomine Betulonam, ciuitates: inde Betulus flumen in Hiſpania Tarraconenſi, vel (vt diximus) à Bæto rege.

Palatuus.

PALATVVS, viuente patre Romo, vt Manethon inſinuat, anno octauo Ramſis Ægy-
1321. ptiorum regis in Hiſpaniis regnare cœpit, id eſt, ante aduentum Ieſu Chriſti 1321. vt in Euſebio colligitur. Ab his Palentiam vrbem conditam fuiſſe, deriuatio nominis eſt argumento, iuxta flumen Nubis, vulgo *de Carrion* in Gallicia, in qua olim Mineruæ ſtudium & Gym-

Anno ante Christum.

& Gymnasium generale Hispaniæ floruit. Populos à se dictos Palatuos fundauit, quos Ptolemæus describit. Hunc Palatuum Cacus Licinius Celtiber (vt fingũt) Vulcani filius, qui in Carpentano monte militiam exercuerat (vt quidam existimant) pepulit: vbi & victoria potitus est, & monti Caco nomen ad hanc vsque ætatem dedit, qui vulgo *Mont Cayo* nuncupatur, iuxta montes Idubedas in Aragoniæ regno. Ferunt autem Palatuũ victum, quia adolescẽtulus erat. Regnauitque hac prima vice Palatuus puer, vsq; ad annum 30. Ramsis, id est, annis 18. vt in Eusebio supputari potest, dicente Manethone.

Cacus.

CACVS Licinius Celtiber (vt Manethon insinuat) anno 31. Ramsis Ægyptiorum regis, Hispanias cepit, id est, ante salutis humanæ naturæ aduentum (vt in Eusebio colligitur) 1303. Hic dictus est filius Vulcani, quod primus in Hispania ferrũ & arma militaria quæ Vulcano attribuũtur, docuerit, regnauitque annis 36. Et à Palatuo qui posterioribus annis illum ab Hispania propulsauit, in Italiam coactus fuit abire: non ab Hercule Græco, qui natus ea tempestate nondum erat, vt fama habetur, & aliqui narrant, vt in Eusebio computari potest. Regnauitque secundo Palatuus (vt Manethon scribit) annis sex. 1303.

Erythrus.

ERYTHRVS Tyriorum Rex à coloniis Erythreis cognomentum desumpsisse traditur. Qui Tyrii à mari rubro monitu oraculi nauigantes ad occidentem, templum Herculis Libyci erexerunt apud Gades, à se Erythream nominatam. Pœni lingua sua Gadir, id est Septem, nominarunt, narrat Solinus: nunc vero Caliz appellatur. Hispanias occupat anno 7. Amenophis Ægyptiorum regis, id est, ante aduentum Iesu Christi (vt in Eusebio colligitur) 1261. Vnde Silius 3. Punicorum sic ait, 1261.

Hos Tyria misere domo patria inclyta Gades.

Et vt Plinius in naturali historia insinuat, ab ipso populi Ceritani prope Pyrenæos mõtes habitantes, denominati sunt, dicente Silio,

Nec Ceritani quondam Tyrinthia castra.

Regnauitq; Erythrus annis 69. Per hoc tempus Turiassonem ciuitatem apud montẽ Caci, à Tyriis & Ausoniis conditam fuisse, nonnulli opinantur: sunt autem dicti Ausonii populi in citeriore Hispania, qui nunc Vicenses appellantur, ab Ausone Vlysse, vel ab Ausone filio Aramæi, vt supra scripsimus.

Gargoris.

GARGORIS cognomento Mellicola, ab excidio Troiano anno primo proditur in Hispania imperasse (Iustino teste) id est, ante humanæ salutis aduentũ 1102. Hic primus fuit qui Hispanos colligere mella docuit, & vsque ad primum annum Æneæ Syluii Latinorum regis peruenit, id est, annis 70. vt in Eusebio computari potest. His temporib. Callaici populi (vnde Gallecia regio, vulgo *Galizia*) à Galathe Herculis Grĕci filio denominati sunt, teste Silio & Iustino. Per hoc tempus Hercules Græcus maximus pirata in Hispaniã transfretauit, & post eum alii duces ex Grĕcis: vnde in dominium Græcorũ Hispania tota venit, & sub diuersis Græciæ gentibus quæ inferius enumerabuntur, per multos annos extitit: tandem à Pœnis ab ipsa expulsi sunt. Hic Saguntinam vrbem cõdidit siue restituit, & à nomine Zacynthi comitis sui illic sepulti nominauit, vt ait Silius his versibus: 1102.

Saguntina vrbs ab Hercule condita.

Prima Saguntinas turbarunt classica portas,
Bellaque sumpta viro belli maioris amore.
Haud procul Herculei tollunt se littore muri,
Clementer crescente iugo, quis nobile nomen
Conditus excelso sacrauit colle Zacynthus.
Hic comes Alcidæ remeabat in agmine Thebas.

Per hæc tempora (vt auctor est Bocchus, referente Silio) idem Zacynthus comes Herculis, templum Dianæ apud Saguntum condidit, in quo trabes iuniperi posuit, quibus Annibal vltimus Carthaginensium Imperator, religione ductus pepercit: quæ adhuc tempore Plinii, vt ipse narrat libro 16. cap. 40. stabant, nempe annis 1770. His temporibus Ætoli Diomedem Tydei filium secuti, in Hispania quæ Lusitania dicitur, vrbem condiderunt inter Minium & Limiam amnes, quam Tyden appellarunt à nomine Tydei patris Diomedis. Illius ciuitatis coloni Grauii dicti sunt, nomine paululum violato, cum Graii appellari debuissent: vnde Silius 3 Punicorum sic ait:

Templum Dianæ conditur.

Et quos nunc Grauios violato nomine Graium,
AEneæ misere domus AEtolaque Tyde.

Vlyssem Ithacum per quem Troia capta & euersa fuit, sub hæc tempora in Lusitania Hispaniæ prouincia ciuitatem Vlyxbonam condidisse Solinus scribit, Ptolemęus Olisipponem, Plinius Salatiam, Strabo Vlysseam vocat, vulgus Lisbonam. Ab eo nomine Vlyssiponense promontorium nunc (quod Artabrum, siue Magnum, siue Nerium) accepit nomen: vnde postea populi Artabri (vt Plinius scribit) appellati sunt, alio nomine Arotrebæ.

Vlyxbona.

Astir Asturicã construit.

Astir, auriga Mennonis, interfecto apud Troiam hero, per hæc tempora in Hispaniã nauigauit, & Asturicam vrbem magnificam, vulgo *Astorgam*, construxit, Asturibusque populis qui sunt vicini Cantabris & Gallecis, nomen dedit: vnde Silius,

Venit & Auroræ lachrymis profusus in vrbem
Diuersum, patrias fugit cum deuius oras,
Armiger Eoi non felix Mennonis Astir.

Ab isto oppidum Astir, siue Astigis, vulgo *Ecija*, & colonia Astigitana dicta fuit, referente Plinio: postea vero ab Octauiano Augusto, Augusta Firma. Astura flumen, vulgo *Astorga*, ab eodẽ Astir denominatum est, transit per Astorgam ciuitatem, & cum Durio amni miscetur, amittit nomen. Ab hoc flumine Astures, acre hominum genus, nomen accepere: vnde Lucanus,

Hic præter Latias acies erat impiger Astur.

Aurum etiam apud eos effoditur, quod præclare describitur à Silio, his versibus:

Sed scelerum causas aperit Deus Astur auarus.
Visceribus late telluris mergitur imis,
Et redit infelix effosso concolor auro.

Teucer, auctore Trogo & Homero, peracto bello Troiano, in Hispaniæ littus cum classe appulit, & locum vbi postea fuit noua Carthago, occupauit. vnde ait Silius,

Dat Carthago viros Teucro fundata vetusto.

Et decimo quinto libro Punicorum sic ait:

Vrbs colitur Teucro quondam fundata vetusto,
Nunc Carthago.

Ptolemæus illam Spartariam appellat, vulgus Cartagenam. Sed Strabo illam ait fundasse Hasdrubalem, generum Amilcaris Carthaginensium Imperatoris, vt suo loco dicetur. Tlepolemus filius Herculis Græci, vt auctor est Homerus, & refert Strabo libro decimo quarto, post captam Troiam, collecta iuuenum manu, in Iberiam nauigans, Baleares insulas habitauit: vnde Silius ait:

Iam cum Tlepolemus sator, & cui Lyndus origo,
Feruida bella ferens Balearis.

Habidus.

HABIDVS nepos Gargoris, vt Iustinus refert, post auum Hispaniarum regnum accepit, anno secundo Æneæ Syluii Latinorum regis, id est, ante aduentum Iesu Chri-
1122. sti (vt in Eusebio computatur) 1122. & annis 64. regnauit, secundum nostram supputationem. Qui de Habido, & fortuna eius, & successione in Hispaniarum regnis plura requirit, Iustinum epitomatum libro quadragesimo quarto legat. A nomine istius crediderim deriuasse nomen Abilæ montis in Mauritania ad mare, qui Aphricam separat ab Europa, & Regem fuisse Hellesponti in Asia, in qua Abidus vrbs antiquissima erat, vt plæriq; scribũt. Helena ciuitas Græcorum sobolis (vt Plinius scribit) hodie vulgo *Elna*, Episcopium in agro Perpiniano siue Rossillonensi, per hoc tempus condita, non ab Helena matre Cõstantini Magni Romanorum Imperatoris, vt aliqui opinantur.

Helena ciuitas, hodie vulgo Elna, condita.

Lydi.

LYDI populi à Cure fratre Osiridis, filio Cam, filii Noe, originem trahentes, vt Valerius Maximus libro secundo insinuat, & ex Eusebio colligitur, mare obtinuerunt
1059. anno ante salutis humanæ naturæ aduentum 1059. Vnde in Hispania imperasse putantur, cum ciuitates nonnullæ ab iisdem in Hispaniis cõditæ sint, & annis quadraginta septẽ regnauerunt, vt refert Eusebius. His temporibus Ascanius filius Æneæ, secundus Latinorũ rex, Albam ciuitatem in Latio condidit, à quo etiam crediderim ciuitatem Albam Hispaniæ esse constructam, quum à Latinis veteribus (vt refert Plinius & Ptolemæus) in Hi-

Alba condita.

Anno ante Christum.

ſpania ciuitates populoſque ac colonias plures conſtet eſſe conſtructas. Alba hæc vulgo *Biana* denominatur. Eſt quoque ab ea flumen eiuſdem nominis, nunc vero Clodianus, qui per Indicetas quos Emporitanos vocant, decurrit, Emporias Phocenſium & Latinorum olim coloniam alluens. A Pyrenæis montibus funditur, & verſus Midas inſulas in quibus Palæopolis oppidum quõdam fuit, in Balearicum mare deuoluitur, vt Plinius narrat & Ptolemæus. Mantuam ciuitatem poſtea Viſeriam, vulgo *Madrid* dictam, his temporibus Ocnus Tiberini Latinorum Regis filius, à nomine matris Mantus, filiæ Tireſiæ condidit, aliamque in Italia. *Mantua vulgo Madrid dicta.*

Thraces.

THRACES populi, à Tyras filio Iapheti originem trahentes, vt Euſebius inſinuat, anno ante aduentum Ieſu Chriſti 1011. mare obtinuerunt. Vnde in Hiſpaniis exiſtimantur imperaſſe, quum ab eiſdem ciuitates aliquę in Hiſpaniis conſtructæ ſint. Nam hi qui Sarmatæ ſiue Sauromatæ Scythæ dicuntur, in Hiſpania his temporibus Suſanam vrbem cõdiderunt: vnde Silius refert, 1011. *Suſana vrbs à Scythis cõditur.*

Et non Saramaticos attollens Suſana muros.

Ptolemæus illam appellat Lucentum, Plinius Lucentium oppidum Latinorum. Almeriam etiam condiderunt, quæ antiquitus Abdera nominabatur, ab interpretatione nominis Abderæ ciuitatis Thracum, quam Abdera Diomedis ſoror condidit, & à ſe ſic nominauit. Et lingua Thracum Bria oppidum dicitur: ideo hę plurium locorum in Hiſpania ſunt terminationes, vt ſupra 4. capitulo ſub Rege nomine Brigo annotauimus.

Rhodii.

RHODII populi (referente Euſebio) ante ſalutis humanæ aduentum 925. mare obtinuerunt. Vnde putantur in Hiſpaniis imperaſſe, quum Rhodam ab eiſdem ad radices montis Pyrenæi inueniatur eſſe cõſtructam, teſte Silio & Homero. Strabo autẽ illam denominat Rhodopen, vulgo *Roſes* oppidũ. Inde Rhodius flumẽ, quod oritur in Pyrenęis montibus. Non multum irrigat, ſed apud Emporitanos in Thicim amnem demergitur, & nomen amittit. Regnauerunt ſiue mare obtinuerunt Rhodii, vt Euſebius teſtatur, annis viginti. 925.

Phryges.

PHRYGES populi (vt Euſebius narrat) anno ante aduentum Ieſu Chriſti 905. mare obtinuerunt: vnde putantur Hiſpanis imperaſſe, quum nonnullæ ciuitates in Hiſpaniis ab eiſdem inueniantur eſſe conditę: & referente eodẽ Euſebio, annis viginti ſex imperarunt. Hi Phryges, qui nunc Troiani, à Phrygia regione minoris Aſiæ primo Hiſpani fuerunt, vt ſupra in capitulo quarti Regis Hiſpaniarum dictum eſt, & per hoc tempus Baleares inſulas duas, quæ Græci appellantur Gymneſiæ, vulgo *Malorques*, in Hiſpanico mari, teſte Solino, cum Baccho rege occupauerunt. Apud has repertus primũ fuit vſus fundarum. 905.

Cyprii.

CYPRII populi (dicente Euſebio) mare obtinuerunt anno ante aduentum veri Meſſiæ, 879. Et quum his temporibus ciuitates aliquæ in Hiſpania ab eiſdem conſtructæ ſint, putantur in Hiſpaniis imperaſſe, & quidem (vt refert Euſebius) annis triginta nouem. 879.

Phœnices.

PHOENICES populi Aſiatici, à mari quod rubrum vocatur, in hoc noſtrum proficiſcentes, & hanc incolentes regionem, longinquis continuo nauigationibus incubuerunt: nam teſte Euſebio anno ante aduentum humanæ ſalutis 840. mare obtinuerunt. vnde in Hiſpaniis imperaſſe iudicantur, quum per hoc tempus in eadem prouincia à Phœnicibus pleræque ciuitates conſtructæ fuerint, videlicet in Bætica, Axi, ſiue Sexi, vel Hexi: in Erythręa inſula quæ nunc *Caliz* denominatur, templum mirificum in Herculis Ægyptii honorem conſtruxerunt, & caſtrum munitiſſimum erexerunt. In Bætica autem prouincia Melace ciuitas ab eiſdẽ condita fuit, Malaga deinceps denominata, & annis quadraginta vno, dicente Euſebio, obtinuerunt mare. Hi Tyro Phœnicię vrbe ſoluentes, Balearibus inſulis quæ nunc Maioricæ, diu potiti ſunt, vt Silius canit: 840.

Iam Ebuſus Phœniſſa mouet.

Anno ante Christum.

Sunt hæ insulæ in mari Hispano è regione Tarraconensis, quarum incolæ (auctore Strabone) optimi erant funditores. vnde Silius,

Hic crebram fundit Baleari verbere glandem.

Phœnices qui fundas inuenerũt (auctore Plinio) illis insulis potiti, fundas æque exercuerunt: vnde vsus & imitatio remansit apud Balearicos. Has insulas Græci (vt diximus) Gymnesias, ab incolarum nuditate, qui æstatis tempore absq; vestibus incedebant: Romani Baleares, à funde iactu, quas rectius quam reliqui iacerent, appellarunt, Diodoro Siculo teste. Sunt qui dicunt, hos Phœnices petentes per hoc tempus Gades, quum ab Ebuso soluissent, tempestate repulsos, fluminis Turiæ ostia subiisse, vbi vaccarum multitudinem inuenientes, flumen Turiam, id est, vaccis cultum appellauere, quas ipsi Tur patrio sermone appellant. Inde Turiæ ciuitati, modo *Guadalaiara*, à Mauritanis inditum nomen est. Quin & Turia siue Turulios (vt Ptolemæus tenet) fluuius, Turiolum sui nominis oppidum linquẽs, apud Valentiam, deliciarum & nobilitatis altricem, proximus fluit. Inde crebra riuulorum deductione tenuissimus, in mediterraneo siue Iberico mari mergitur. Claudianus sic laudat hunc amnem:

Floribus, & roseis formosus Turia ripis.

Ægyptii.

799. AEGYPTII populi sub duce Tarracone, post Phœnices (referente Eusebio) ante aduẽtum salutis humanæ 799. mare per annos 35. obtinuerunt. Vnde imperitasse eos Hispaniis creditur, quum nonnullæ ciuitates per hæc tempora ab eisdem in Hispaniis sint ædificatę, idque maxime, vt opinantur aliqui, in citeriore Hispania, & ab ipso duce & nominis sui deriuatione constructa & denominata est ciuitas Tarracona.

Milesii.

764. MILESII populi (referente Eusebio) per annos 29. mare obtinuerunt, anno ante aduẽtum Saluatoris Iesu Christi 764. Vnde in Hispania imperium tenuisse putatur, quũ ab eisdem in partibus illis per hoc tempus ciuitates aliquæ inueniantur esse constructæ, sed in Italia plurimæ, referente Solino.

Cares.

735. CARES populi (vt Eusebius insinuat) anno 32. Romuli, Romanorum regis primi, id est, ante salutis humanæ naturæ aduentum 735. mare obtinuerunt. Vnde Hispaniis imperasse creduntur, quum ab eisdem per hoc tempus aliquæ ciuitates in partibus illis constructæ inueniantur. Nam Caristi populi in Hispania sunt, à deriuatione Cares, referente Ptolemæo. Imperaruntque Cares (vt Eusebius vult) annis 48.

Lesbii.

LESBII populi post Cares (dicente Eusebio) mare obtinuerunt. Vnde in Hispaniis eos regnasse putatur, quum ab eisdem aliquæ ciuitates in partibus illis cõstructæ sint per hoc tempus. Regnare cœperunt, vt ex Eusebio colligitur, anno ante humanæ salutis ad-
687. uentum 687. & annis 68. imperarunt. Concaui populi in Hispania, à Massagetis populis Scythiæ, qui & Lesbii, per hoc tempus originẽ traxerunt, vt ex Eusebio patet & Concauã ciuitatem quam Ptolemæus scribit, condiderunt. Hi Concaui lacte cum sanguine equino in potum vtebantur. vnde Silius tertio Punicorum de illis sic ait,

Hæc qui Massageten monstrans feritate parentem,
Cornipedis fusa satiaris Concaue vena.

Phocenses.

619. PHOCENSES populi Græci (vt in Eusebio aperitur) anno 16. Tarquinii Prisci Romanorum regis, id est, ante aduentũ Saluatoris Iesu Christi 619. mare obtinuerunt annis 48. Vnde in Hispaniis regnasse creduntur, quum in iis multas ciuitates per hæc tempora cõstruxerint. Nam Emporiam vrbem maritimam inter Tarraconem & Pyrenæos montes ad mare cõdiderunt. Ideo quidam Emporias Phocaicas appellant: vnde Silius tertio Punicorum sic canit,

Phocaicæ dant Emporiæ mare.

Ab eisdem Emporianis Phocensibus condita est Massilia Galliæ, teste Liuio: inde dicunt Massilienses à Phocensibus originem trahere. Duo quidem Emporiæ oppida antiquitus erant, muro diuisa: vnum Græci habebant, alterum Hispani. Sed Græcum oppidum mari

expos-

Anno ante Christum.

expoſitum, totum orbem muri plus minus quadringentos paſſus patentem habebat: Hiſpanis retractior à mari trium millium paſſuum in circuitu murus erat, dicēte Liuio. Caſtulo ciuitas à Caſtalio qui ex Phocide ac Parnaſo per hoc tempus in Hiſpaniam traiecit, condita fuit. Vnde quidam Caſtulonem Parnaſiam appellant, teſte Silio: nunc vulgo *Caslona*, ciuitas in fine prouinciæ Bæticæ. olim Daſtulonenſes populi ex colonia Salarienſe Latii veteris, qui Cæſariuenales appellantur, teſte Plinio.

Nabuchodonoſor.

NABVCHODONOSOR huius nominis ſecundus, Magni Nabuchodonoſoris filius, tertiuſque Chaldæorum rex, Hiſpanias occupat, teſte Ioſepho, anno ante aduētum ſalutis humanæ naturæ, vt ex Euſebio colligitur, 571. & quum annis 9. regnaſſet, dominium 571.
Hiſpaniarum ad Carthaginenſium populos tranſiuit.

Carthaginenſes.

CARTHAGINENSES duce Meſeo Hiſpanias occupant, vt Iuſtinus inſinuat, & Oroſius confirmat, anno ante humanæ ſalutis aduentum (vt ex Euſebio computatur) 562. Nā 562.
cum Gaditani à Tyriis deſcendentes (vt diximus) ab inuidentibus incrementis nouæ vrbis Gaditanæ, quæ nunc Caliz dicta eſt, finitimis Hiſpaniæ populis, perpetuo bello laceſſerentur, auxilium conſanguineis Carthaginenſes quibus etiam à Tyriis eſt origo (vt Iuſtinus in vltimo ſui epitomatis refert) miſere, ibique fœlici expeditione & Gaditanos ab iniuria vindicarunt, & maiorem fere partem prouinciæ ſuo imperio adiecerunt, & vſque ad dominium Romanorum illam obtinuerūt, annis fere 348. Per hoc tempus, anno ante aduentum Ieſu Chriſti circiter 336. Hiſpani Maurinum Hiſpanum Alexandro Magno 336.
Macedonum regi ſupplicatum Babylonem miſerunt, qui cruentum dominum vltro, ne hoſtem exciperet, adiit, referente Oroſio. His quoq; temporibus (vt Polybius refert) Carthaginenſes pleroſque ex Hiſpania milites, in ſupplementum contra Hieronem Syracuſanorum regem, in Siciliam ſcripſerunt. Romani in primo bello Punico, teſte Liuio, anno ante aduentum ſalutis humanæ naturæ 303. (vt in Euſebio computatur) ſub Appio Clau- 303.
dio Conſule partem Hiſpaniæ occupauerūt. Cornelius Attilius Balbus, Gadibus genitus, Romanorum Conſul, anno circiter 242. ante aduentum Ieſu Chriſti, vt in Euſebio colli- 242.
gitur, primus de externis, vt pote de Garamantibus triumphauit, vt ſcribit Solinus. Carthaginenſes, rebellante Hiſpania, confeſtim Amilcarem cognomento Barcam, cum exercitu in illam mittunt anno ante aduentum Chriſti, vt in Euſebio computatur, 234. Qui 234.
cum omnibus copiis profectus, Annibale filio comite qui tum fere nonum ætatis ſuæ annum agebat, ſuperatis columnis Herculis, magnam Hiſpaniæ partem Carthaginenſibus recuperauit, teſte Polybio: & iis in locis circiter nouem commoratus annis, multis Hiſpaniæ ciuitatibus bello ſubactis, pleriſq; etiam, pacta ſalute atq; impunitate bonorum, in fidem Carthaginenſium receptis, dignam tandem rebus à ſe geſtis mortem obiit. Carthaginenſes autem exercitui Aſdrubalem, Amilcaris ſocium, ſiue (vt aliqui ſcribunt) generū, præfecerunt. Hic Amilcar per hoc tempus ciuitatē Barcinonenſem in citeriore Hiſpania, in agro Laletano, condidit: & à cognomine ſuo Barce nomen accepiſſe dicitur, vt Hieronymus Paulus Barcinonenſis tenet. Ptolemæus Barcinem coloniam eſſe cognomine Fauentiam ſcribit. Aſdrubal gener Amilcaris, incredibili virtute imperium Carthaginenſiū in Hiſpania adauxerat, anno ante ſalutis humanæ aduentum, vt in Euſebio colligitur, 225. 225.
Romani vero cum intelligerēt, vires Carthaginenſium vſq; adeo in Hiſpania creuiſſe, ne eam quidem partem negligēdam putauere: ſed recuperare quod omiſſum fuerat, decreuerunt. Miſſis igitur ad Aſdrubalem in Hiſpaniam legatis percuſſum cum Carthaginenſibus fœdus fuit. In quo inter cætera cautum, ne liceret Carthaginenſibus Iberū amnem cum armis traiicere, per reliquam Hiſpaniam impune progredi licere. Hic Aſdrubal quū regulum quendam Tagum nomine necari, & caput haſtæ affixum circumferri iuſſiſſet, in Hiſpaniis ab illius ſeruo Gallo, crucem & ignominiam domini ægre ferente, in tentorio confoſſus eſt, anno octauo imperii ſui, dicente Silio, Oroſio, & Polybio. Hic Aſdrubal vrbem cōdidit in Hiſpania, quæ à quibuſdam Carthago, ab aliis Noua ciuitas appellatur, vulgo *Carthagenia* dicta eſt, in regione Bæticæ, referente Strabone & Polybio. Alii Teucrum Telamonium conſtruxiſſe, vt ſupra diximus, aſſerunt. Annibal cognomento Magnus, Amilcaris Barcæ filius, Carthaginenſium Imperator, non obſeruato fœdere quod Romani & Aſdrubal pepigerunt, anno primo Olympiadis 140. vt Polybius libro tertio narrat, id eſt (Euſebio teſte) ante aduentum Ieſu Chriſti 217. quo ipſe regnare cœpit in Hi- 217.
ſpaniis, Saguntum ciuitatem vulgo *Moruedram*, Hiſpaniæ citerioris, populo Romano

Anno ante Christum.

fideliſſimam, euertit. Sed quum ciues vrbem capiendam viderent, primores aurum & argentum omne in ignem iactauerunt: nam allii omnes pugnantes occiſi ſunt, vt Liuius ſcribit. Sed poſtea a Romanis deuicto in Italia Annibale, Carthaginenſibuſque ex tota Hiſpania depulſis, tota prouincia in dominationem Romanorum peruenit. Aranticus his temporibus. vt ait Silius tertio Punicorum, Dux erat Cordubæ ciuitatis Hiſpaniæ, & ab illo Arandam oppidum, à deriuatione nominis dictum eſſe crediderim, & Araducam regionem, vulgo Arzuam, cuius meminit Ptolemæus.

Romani.

POPVLVS Romanus, expulſis Pœnis ſiue Carthaginenſibus ex tota Hiſpania, illam obtinuit, de qua Publius Scipio agnomento Africanus, Cõſul, primus fuit triumphator, poſt cuius obitum alii plurimi Romanorum Conſules, prouinciam illam vſque ad introitum imperii Caii Iulii Cæſaris tenuerunt annis fere 155. vt in Euſebio colligitur, referente Liuio & Oroſio: & in poteſtatem redegerunt metalla argenti & auri quæ illic ſunt, vt habetur Machabeorum octauo: pluresque ciuitates & oppida ſuis propriis nominibus conſtruxerunt, reſtaurarunt, & denominarunt. Fuit initium dominationis Romanorum in Hiſpania, vt in Euſebio computari poteſt, anno ante ſalutis humanæ naturæ aduentum
214 214. Viriatus genere Luſitanus, referẽte Silio, per hoc tempus Dux, bellum aduerſus Populus Rom. ſumſit, eorumq; Imperatores Claudium Vnimanum & C. Nigidium oppreſſit. Poſtea quum per annos quatuordecim alios Romanos duces atque exercitus protriuiſſet, Scipio cum aliter eum vincere non potuiſſet, ſatellites pecunia corrupit, & ſic inſidiis ſuorum interfectus eſt. Multa per Romanorum duces his tẽporibus in Hiſpaniis geſta fuerunt, vt in Liuio & Oroſio oſtenditur. Mendonius & Indibilis, Hiſpani fratres, per hęc tempora (vt Liuius meminit) Scipionẽ ſupradictum mirũ in modum fatigarunt, & pro patriæ ſuæ libertate fortiſſime pugnantes occubuere. Numantia vrbs Hiſpaniæ in Celtiberia, quæ à quibuſdam nũc *Soria* dicitur, iis temporibus à Romanis obſeſſa per annos quatuordecim, quum haberet tantum quatuor hominum millia, nõ ſolum ſuſtinuit, ſed etiã quadraginta millia Romanorum vicit: tandem à ſupradicto Scipione poſt longam & arctiſſimam obſidionem deleta. Cum enim fame laborarent, nec eis daretur iuſti certaminis copia, omnia ſua & ſeipſos igni immiſerunt. Per hoc etiam tempus, vt Rodericus Toletanus ſcribit, Tolemon & Brutus duo Conſules, Toletum ciuitatem condidere, annis 108. antequã Iulius Cæſar regnare cœpiſſet. Ptolemæus illam ſcribit antea Serezolam appellatam. Corduba etiam per hoc tempus à Marcello Conſule Romanorũ cõſtructa eſt, teſte Strabone, vrbs pręſtantiſſimis & doctrinæ principibus clara alumnis vtroque Seneca & Lucano eminentiſſima. Turris Syllana, quæ nunc *Tordeſillas* vulgo dicitur, à Sylla dictatore Romanorum his temporibus denominata eſt. Pompelon ciuitas regni Nauarræ primaria, per hoc tempus à Pompeio magno condita eſt, Strabone teſte: Ptolemæus Martuam appellat. Bocchus rex Maurorum & Getuliæ, qui Iugurtham regem Numidarum generum ſuum Romanis tradidit, per hæc tempora (vt refert Saluſtius) in Hiſpaniam transfretauit, & à ſuo nomine Bocchoros populos (vt Plinius ſcribit) appellauit, qui nunc
175. Concordienſes ſunt, à Concordia Iulia ciuitate. Anno ante aduentum Ieſu Chriſti 175. Tiberius Sempronius Gracchus procõſul, Celtiberos victos in deditionem accepit, monimentumque operum ſuorum Gracchurim oppidum in Hiſpania conſtituit: vnde Graccuritani populi, teſte Plinio & Tito Liuio. His tem poribus quidam ſacerdos Iouis qui oppido Cluniæ Tarraconenſis Hiſpaniæ colebatur (vt Suetonius in vita Galbæ ſcribit) ex penetrali ſomno monitus, in fatidica prorupit carmina, quorũ ſentẽtia erat: Oriturum quandoque ex Hiſpania principem dominumq; rerum. Diuus Antoninus à virgine honeſta vaticinata inſinuat eſſe carmina, pronunciata his verbis: Veniet pruna ex tẽporibus Hiſpaniæ, ante cuius conſpectũ gentes, vel gentium reges peribunt: ipſa vero calcibus equorum diſrupta peribit.

Toletum conditur & Corduba.

Caius Iulius Cæſar.

CAIVS Iulius Cæſar Romanorum dictator, Hiſpanias occupat, vt ex Euſebio colligitur, anno ante aduentum ſalutis humanæ naturæ 59. id eſt, anno 12. ante imperii ſui
59. inchoationem. Hic quum Gades Hiſpaniæ veniſſet, teſte Suetonio, animaduerſa apud Herculis templum magni Alexandri imagine, ingemuit, quaſi pertæſus ignauiam ſuam, quod nihil tum à ſe memorabile actum fuiſſet ea ætate qua iam Alexander orbem terrarum ſubegerat. A deriuatione nominis iſtius diuerſæ ciuitates, oppida, atque caſtella (vt ait Pli-

ait Plinius) denominata sunt in Hispaniis, videlicet in Bætica, Iulia Concordia, olim Bocchoris dicta, Iulia Constantia, quæ Osset, Iulia Contributa, Iulia Fama, quæ vulgo Seria, Iulia Fidentia: in Lusitania Iulia Fœlix, quæ Olyssipo, municipium ciuium Romanorum. Adhæc Iulia Virtus oppidum Bæticæ, conuentus Astygitani: & Iulia restituta: Iulia Myrtilis gentis veteris Latii, in mediterraneis Lusitaniç quæ modo *Vaena*: Iulia liberalitas, quę Ebora: Iulia Lybica, Iulii genitor, quod Virgentum, oppidum Bæticæ: Iulium præsidium, quæ Scalabis, vulgo *Trugillo*, colonia est Lusitaniæ: Iulienses cognomento Astigi, populi Bæticæ: Iulienses Teari populi conuentus Tarraconensis: Iuliobrica oppidum Cātabrorum Hispaniæ citerioris: Forum Iulium, quod Ilyturgi, ciuitas Bæticæ: castrum Iulium quod Vria, oppidum Lusitaniæ: castrum Iulium, aliud oppidum Bæticæ: Tiar Iulia ciuitas: Pax Iulia ciuitas, vulgo *Badaios*. Hic Caius Iulius Cæsar, Imperator iam factus, quum annis quatuor, mensibus septem imperasset, dum Reipublicæ statum cōtra exempla maiorum pro arbitratu suo instaurat, auctoribus Bruto & Cassio, conscio etiam Senatu plurimo, in curia 24. vulneribus confossus fuit.

Anno ante Christum.

Octauianus Cæsar.

OCTAVIANVS Cæsar Augustus, secundus Romanorum Imperator, Hispanias regere cœpit, anno ante aduentum Iesu Christi 42. referente Eusebio. In Hispaniā veniens, 42.
Cantabrico bello per quinque annos ducto, totam Hispaniam in æternam pacem reclinauit ac reposuit. Cantabri vero Hispaniæ populi, vulgo *Biscaini*, sunt ad septentrionem, qui non solum terribiles in armis semper fuerunt, sed etiam crudeles. Nam matres in hoc bello, ne in hostium manus captæ venirent, necauerunt: & nonnulli ex Cantabris ab hostibus in crucem acti, lætitiæ pæana canebant. vnde Silius sic scribit:

Cantaber ante omneis hyemisque, æstusque, famisque
Inuictus, palmamque ex omni ferre labore
Mirus amor populo: cum pigra incanuit ætas,
Imbelles iamdudum annos peruertere saxo,
Nec vitam sine Marte pati. quippe omnis in armis
Lucis causa sita est, & damnum viuere paci.

Ab hoc Octauiano Augusto quamplurimæ ciuitates in Hispaniis denominatæ sunt, præcipue Cæsaraugusta, quæ prius Salduba nominabatur: Colonia Augusta Valeria, quę Setabis, vulgo *Xatiua*: Augusta Gemella, quæ Turia siue Tucis: Augusta Emerita vrbs Lusitaniæ, opposita Anæ fluuio: Porta Augusta, hodie *Torquemada*: Augusta noua ciuitas Areuacorum: Augusta Brachara, vulgo *Braga*, metropolis Gallíciæ: Augustobrica ciuitas Lusitaniæ, vnde Augustobricenses populi: Augusti Turris siue Lucus Augusti, vulgo *Lugo*, vnde Olucēse Episcopium in Gallicia, Plinius Aras Sextianas appellat: Augusta firma, olim Astigitana colonia. Inde Asta flumen in Bætim cadens, & Asta colonia, quæ Plinio Regia dicitur, in qua Iulius Cęsar omnes Mundenses duces, Pompeio fauētes, nocte occidit. Castrum Octauiani in agro Vallensi citerioris Hispaniæ, nūc Abbatia est sancti Cucuphatis Vallensis, ordinis sancti Benedicti. Foroaugustani populi sunt Hispaniæ Tarraconensis, olim Ardetani, vt Plinius scribit: Ptolemæus vero Sedetanos vocat. Præterea Cæsar Augustus apud Tarraconem, citerioris Hispaniæ ciuitatem, anno imperii sui 38. ante aduentum Christi, illud instituit edictum quod in Euangelio Lucę legitur: *Exiit edictum à Cæsare Augusto*. Et vt dicit Ioannes Lupus, ab edicto isto incipit in tota Hispania ille numerus Æris, vulgus *de la Era*, qui vsque ad Ioannem eius nominis primum, Castellæ & Legionis regem, anno à natiuitate Saluatoris 1383. durauit. Hic Augustus Imperator annis 56. regnum obtinuit (vt ait Eusebius) id est annis 42. ante aduentum veri Messiæ, & post incarnationem eiusdem 15. moriturq; ætatis suæ anno septuagesimo sexto.

Tiberius.

TIBERIVS Cæsar, tertius Romanorum Imperator, post mortem Augusti Cæsaris imperium & Hispaniarum regnum accepit, anno à natiuitate Saluatoris Iesu Christi 15. 15.
vt in Eusebio colligitur. Hic Hispaniam per aliquot annos sine Consularibus legatis habuit, teste Suetonio, & Hispanis petentibus permisit, vt in Tarraconensi ciuitate templū Augusto strueretur, referente Cornelio Tacito lib. I. Annalium. Ac Hispania vlterior legatis missis ad Senatum, per idem tempus orauit, vt exemplo Asię, delubrū Tiberio matriq; eius extrueret. Tandem quum annis 23. imperasset (vt dicit Eusebius) in Campania, in Villa Lucullana ab humanis discessit.

An. Christi.

Caius Caligula.

39. CAIVS Cæſar Caligula, quartus Romanorum Imperator, regnum Hiſpaniarum obtinuit anno ſalutis humanæ 39. Et quum annis tribus, menſibus decem regnaſſet, teſte Euſebio, à protectoribus ſuis in Palatio Romæ occiditur anno ætatis ſuæ 25. A cognomine ipſius dicta eſt Hiſpaniæ ciuitas Caligula. Inde Caliguritani populi, antiquitus vero Naſcici & Fibularenſes. Æmilius Regulus originem ducēs ex Corduba Hiſpaniæ ciuitate, iis temporib. plurimos congregauit amicos, vt ab illis ſiue à ſeipſo alacriter Caius Cæſar Caligula interimeretur: quod ita factum eſt teſte Ioſepho. Ab iſto Æmilio Æmilianam Hiſpaniæ ciuitatem cuius Ptolemæus meminit, crediderim nomen accepiſſe. Herodes rex his temporibus à Caio ob auaritiam increpatus, in Hiſpaniam fugit: ſecutus eum quippe fuerat accuſator Agrippa, cui tetrarchiam illius in Hieruſalē C. Cæſar addixit. Itaque Herodes in Hiſpania peregrinante ſecum vxore deceſſit, vt dicit Ioſephus de bello Iudaico.

Herodis tetrarcha obitus.

Claudius Caligula.

43. CLAVDIVS Cæſar, Caligulæ prędicti patruus Romanorum Imperator quintus, Hiſpanias obtinuit anno ſalutis humanæ 43. vt refert Euſebius: & cum annis 13. menſib. nouem, diebus 28. regnaſſet, ab humanis deceſſit, anno ætatis ſuæ 64. Ab iſto Claudio oppidum Claudiomerium cognominatum eſt. Iacobus maior Apoſtolus domini his temporibus vniuerſam prædicando peragrauit Hiſpaniam, in qua nouem tantum conquiſiuit diſcipulos. Poſtea in Iudæam reuerſus, ab Herode Agrippa in Hieruſalem obtruncatione capitis martyrium adeptus eſt: eius autem ſacratiſſima oſſa poſtmodum diſcipuli ipſius ad Hiſpanias tranſtulerunt, atque ibidem in vrbe Gallecię condidere. Paulus Apoſtolus domini, vas electionis, per hoc tempus multis vrbibus peragratis, in Hiſpaniam prædicādi gratia nauigaſſe, venienſq; Narbonem multos conuertiſſe putatur.

Nero.

57. NERO Cæſar, Claudii priuignus, ſextus Romanorum Imperator, Hiſpaniarum regnū accepit anno Chriſti 57. qui cum Galbam in Hiſpania Imperatorem creatum ab exercitu cognouit, toto animo ac ſpe decidit: cumq; incredibilia perturbandę, imo ſubruēdæ Reipublicæ mala moliretur, hoſtis à Senatu pronunciatus, ignominioſiſſime fugiens, ad quartum ab vrbe lapidem ſeſe interfecit, ætatis ſuæ anno 32. Regnauit annis 14. menſibus 7. diebus 28. (vt ſcribit Euſebius) atque in eo omnis Cæſarum familia conſumpta eſt. Hiſpaniæ præerat ſub Neronis imperio Cluuius Rufus, vir facundus & pacis artibus clarus, belli haud inexpertus, teſte P. Cornelio Tacito. A Nerone crediderim eſſe nominatos Neros & Nerios populos, & Nerium promontorium, olim Artabrum in Gallicia Hiſpaniæ regione. Lucius Anneus Seneca, natione Cordubenſis, Philoſophus Stoicus, ac Neronis magiſter his temporibus Romæ in precio fuit. de quo diuus Hieronymus libro de Viris illuſtribus meminit, dicens quia fuerit continentiſſimæ vitæ, eum in ſanctorum catalogo poſitum, maxime propter frequentes epiſtolas Pauli ad ipſum, & ipſius ad Paulum. Hunc à Nerone Imperatore diſcipulo interfectum fuiſſe legimus, cum multa diuinarum humanarumque ſcripturarum edidiſſet documenta. Lucanus Anneus prædicti Senecæ nepos, Hiſpanus, natione Cordubenſis, & poeta celeberrimus, hac tempeſtate floruit, & apud Neronem de coniuratione Piſoniana accuſatus, ab eo interficitur. Latro Portius genere Hiſpanus, condiſcipulus Senecæ, Maximi auditor, nobilis declamator fuit, cuius Seneca primo libro declamationum his verbis meminit: Latro ad ſcribendum ſe concitauerat, iungebat noctibus dies, & ſine interuallo grauius ſibi inſtabat. Torquatus quidam Cæcilius, & Euphraſius ſanctiſſimi Chriſti confeſſores, & ipſi vno die hoc tempore apud Hiſpanias, mandante Nerone, martyrio coronantur. Hi autem omnes ab Apoſtolis Petro & Paulo epiſcopi apud Romam ordinati, confeſtim ad prædicandū verbum Dei Hiſpanis infidelibus fuerant directi. Vbi quum variis in vrbibus euangelizaſſent, & innumeram eius gentis multitudinem Chriſtianæ fidei ſubiugaſſent, tandem Torquatus Acci, Cæcilius Illiberi, quæ nunc Granata, & Euphraſius Iliturgi ciuitatibus conditi, quieuere: quorum natalitium diem 16. Kal. Iunii celebrare poſtea mandatum eſt.

Seneca à Nerone interfectus, Lucanus.

Sergius Galba.

71. SERGIVS Galba ſeptimus Romanorum Imperator, vna cum M. Othone & Vitellio Hiſpaniarum regnum obtinuit anno humanæ ſalutis 71. Dum vigebat ætas, militari

laude

laude apud Germanias floruit, proconsul Africam moderate, iam senior citeriorem Hispaniam pari iustitia continuit. M. Otho in prouinciam Lusitaniam specie legationis vna cum Ptolemæo comite se posuit, in qua Obultronius, Albinus, & Marcellus Romani occisi fuerunt, vt refert Cornelius Tacitus. Sed Galba vt Neronis mortem comperit, Romam venit, vbi ab Othone iugulatus est mense 7. imperii sui, teste Suetonio Tranquillo. A cognomine istius quidam dixere oppidum Galbam, ad radices montis Senii, in Hispania citeriori esse nuncupatum. Quintilianus rhetor atque philosophus celeberrimus, natione Calaguritanus, vt Eusebio placet, his temporibus, cũ in magno esset precio, à Galba prædicto Romam perductus, ibidem scholam tenens clarissimus habitus est, qui inter cætera de Institutione oratoria duodecim libros cõposuit. Flaccus Pompeius eques Romanus, vt refert Plinius libro 15. cap. 22. primus fuit qui in Hispaniam intulit nucem iuglandem, cum sub Vitellio Imperatore militaret.

Vespasianus.

VESPASIANVS Flauius Augustus, octauus Romanorum Imperator, regnum tenuit Hispaniarum anno aduentus Iesu Christi 72. A cognomine istius Flaui crediderim 72.
esse in Hispania ciuitates sequentes cognominatas, quas Ptolemæus refert: Flauiam Gallicam, Flauiobrigam, vulgo *Bilbao*, Flauionauiam, & Flauium Brigantũ, vulgo *Compostella*, vbi corpus sancti Iacobi Apostoli requiescit, Flauiam Lambrim, Iriam Flauiam, vulgo *Sancta Maria finis terræ*, Interamnium Flauium. Obiit anno ætatis suæ 69. cum imperium obtinuisset annis 9. mensibus 11. diebus 22. vt Eusebius tradit.

Titus.

TITVS Augustus, Vespasiani filius, nonus Romanorum Imperator, Hispanias obtinuit anno à natiuitate Christi 81. & quũ annis duobus regnasset, morbo periit in villa 81.
propria circa Sabinos, pridie Idus Septembris, ætatis suæ anno 42. teste Eusebio.

Domitianus.

DOMITIANVS, Titi frater iunior, decimus Romanorum Imperator, in regnum Hispaniarum successit anno salutis humanæ 83. & quum annis 15. mensibus quinq; im- 83.
perasset, occiditur ætatis suę anno 36. referente Eusebio. Marcus Valerius Martialis poeta, per hoc tempus ex Hispania Romam veniẽs, propter ingenii sui magnitudinem & epigrammata confecta, magno in precio habitus est. Originem duxit ex Bilbili Hispaniæ vrbe, patre Frontone, & Flaccilla matre, adultusque in Celtiberiam translatus, ibidem literas optime didicit. Hic cum sub Traiano principe senio confectus esset, in patriam rediẽs, ibidem diem suum obiit.

Nerua.

NERVA Cocceius, vndecimus Romanorum Imperator, claris ortus (Dione teste) natalibus, regnum Hispaniarum inchoauit anno aduentus Iesu Christi 100. Hic Mar- 100.
cum Vlpium Traianum, genere Hispanum, absentem adoptauit: & quũ anno vno, mensibus quatuor regnasset, ab humanis discessit, ætatis suæ anno 72. vt refert Eusebius. Ab huius nomine crediderim Neruam flumen in Hispania citeriore nomen accepisse. Per idem tempus ciuitas Legio constructa vel restaurata fuit, à quatuordecim legionibus Germanorum, à Nerua Imperatore in Hispaniam missis: & Germanica Legio septima nuncupata, olim vero Subiancia, vt refert Ptolemæus. Sed à Leonogildo Gothorum rege, suo tempore Leon dicta fuit: vnde Leonicenses populi. Priscis temporibus Regia Legio, oppidum Latinorum fuerat, vt idem inquit.

Traianus.

TRAIANVS in Italica Hispaniæ ciuitate natus, Neruæ per adoptionem filius, cognomento Vlpius crinitus, duodecimus Romanorum Imperator, Hispaniarum regnum accepit anno Christi 101. Hic apud Seleuciam Isauriæ profluuio ventris extinctus est, an- 101.
no ætatis suæ 63. mense 9. die 4. quum annis nouemdecim, mensibus 6. imperasset, referente Eusebio. His temporibus, teste Plinio libro 9. capite 5. in Gaditano Oceano visus est marinus homo, toto corpore absoluta similitudine ascẽdere nauigia nocturnis temporibus, statimque degrauari quas insederit partes, & si diutius permanserit, etiam mergi.

An. Chri-ſti.

Hadrianus.

HADRIANVS cognomento Helius, decimus tertius Romanorum Imperator, Hiſpa-
120 niarum regnum ſuſcepit anno ſalutis humanæ 120. origo cuius vetuſtior à Picetibus, poſterior ab Hiſpanienſibus manat. Pater Ælius Hadrianus cognomento Afer fuit, conſobrinus Traiani Imperatoris: mater Domitia Paulina, Gadibus orta: ſoror Paulina, nupta Seruiano: vxor Sabina. Auus Marillinus, primus in ſua familia ſenator populi Romani fuit. Natus eſt Romæ 9. Kal. Februarii. Hiſpanias cum petiiſſet (vt ſcribit Spartianus) Tarracone hyemauit, vbi ſumptu ſuo ædē Auguſti reſtituit, omnibus Hiſpanis Tarraconem in conuētum vocatis, delectumq; ioculariter, vt verba ipſa ponit Marius Maximus, detrectantibus Italicis, vehementiſſime cæteris, prudenter & caute conſuluit. Quo quidem tempore non ſine gloria grauiſſimum perciulum adiit. Apud Tarraconem ſpacians per hoſpitiua viridaria, ſeruum in ſe cum gladio furioſius irruētem, retētum miniſtris accurrentibus tradidit, & vbi furioſum eſſe conſtitit, medicis curandum dedit, in nullo omnino commotus. Inde Romam venit, & quum annis 22. imperaſſet, maior ſexagenario apud Baias moritur, teſte Euſebio.

Titus Antoninus.

TITVS Antoninus cognomento Pius, decimus quartus Romanorum Imperator, cum
141. Aurelio & Lucio filiis Hiſpaniarum regnum obtinuit, anno humanæ ſalutis 141. Qui quum annis 23. menſibus tribus imperium adminiſtraſſet, ætatis ſuæ 72. teſte Euſebio, apud Lorium villam ſuam, 12. ab vrbe Roma milliario moritur. Ab Aurelio filio eiuſdem Titi Antonini crediderim Aureliam (quæ & Carriſſa) oppidum Bæticæ, nomen habuiſſe. Trogus Pompeius Hiſpanus his temporibus floruit, qui totius Hiſpaniæ hiſtoriam, à Belo Nini Aſſyriorum rege, vſque ad monarchiā Cæſaris conſcripſit, & in quatuor & quadraginta diſtinxit libros, quorum Iuſtinus hiſtoricus eius diſcipulus epitomen, id eſt abbreuiationem, fecit.

Marcus Antoninus.

MARCVS Antoninus Philoſophus, cognomento Verus, decimus quintus Romanorū
164. Imperator, vna cum Lucio Aurelio & Commodo in Hiſpaniis regnare cœpit anno Ieſu Chriſti 164. Hic Hiſpanis Italica electione exhauſtis, contra Traiani præcepta, verecunde conſulit, teſte Iulio Capitolino. Per idem tempus quum Mauri Hiſpaniam prope omnem vaſtarent, res per legatos bene geſtæ ſunt. Et ne non vbique gentium per id tempus laboraretur, Sequanos & Luſitanos auctoritate compreſſit, qui ſponte res nouas moliri dicebantur. Tandem vbi annis 18. menſe vno imperaſſet, in Pannonia morbo periit, referente Euſebio.

Commodus.

COMMODVS, decimus ſextus Romanorum Imperator, mortuo Marco Antonino
183. Vero, Hiſpaniarum regnum accepit anno ſalutis humanę 183. & quū annis 13. regnaſſet, apud Romam in domo Veſtiliani ſtrangulatur, teſte Euſebio. Clodius per hoc tempus (vt author eſt Iulius Capitolinus) Hiſpanias, necnon prouincias alias deficientes ab imperio, ſubegit.

Helius Pertinax.

HELIVS Pertinax, decimus ſeptimus Romanorum Imperator, ſeptuagenario maior, ex Senatus cōſulto iuſſus eſt imperare, & in Hiſpaniis regnare cœpit anno ſalutis hu-
195. manæ 195. & quum menſibus ſex, vna cum Iuliano imperaſſet, occiditur, vt Euſebius refert. Ab hoc Iuliano crediderim Iulianos populos, qui Plinio Ceritani, nomen accepiſſe.

Seuerus.

SEVERVS, decimus octauus Romanorum Imperator, Hiſpaniarum regnum inchoa-
196. uit anno Chriſti 196. Hic (Spartiano teſte) an. ætatis ſuæ 32. ad Hiſpanias à Marco Antonino Vero miſſus, ſomniauit ſibi dici, vt templum Tarraconēſe Auguſti quod iam ruinam minabatur, reſtitueret. Eo iam Imperatore creato, Hiſpanorum proceres multi occiſi ſunt. Moritur in Britannia, quum annis 18. regnaſſet, vt ait Euſebius.

Baſsia-

An. Christi.

Baßianus.

BASSIANVS, prædicti Seueri filius, cui Antonino Caracallæ cognomen fuit, decimus nonus Romanorum Imperator, regnum Hispaniarum accepit anno humanæ salutis 214. & quum annis 6. regnasset, ætatis suæ 44. interficitur, vt refert Eusebius. Ab eo cre- 214.
diderim Caracam Hispaniæ ciuitatem quæ nunc *Guadalaiara* dicitur, nomen sumpsisse.

Macrinus.

MACRINVS Opilius, vigesimus Romanorum Imperator, in Hispaniis regnare cœpit anno saluatoris Iesu Christi 220. Anno tantum vno cum imperasset, in Archela- 220.
ide occiditur, vt author est Eusebius.

Marcus Aurelius.

MARCVS Aurelius Antoninus, cognomẽto Heliogabalus, vigesimus primus Romanorum Imperator, Hispaniarum regnũ accepit anno Domini Iesu Christi 221. Quũ 221.
annis quatuor imperium administrasset, tumultu militari cũ matre Seniasyra Romæ occiditur, vt Eusebius dicit.

Alexander Mammeæ filius.

ALEXANDER Mammeæ Christianæ filius, vigesimus secundus Romanorum Imperator, Hispaniarum regnum suscepit anno salutis humanæ 225. annis regnauit 13. 225.
Moguntiaci tumultu militari occisus, authore Eusebio. Iulitta, ex Hispania prouincia & primoribus ciuitatis Iconiorum progeniem ducens, per hæc tempora vna cum Cyriaco filio paruulo pro Christi religione martyrium passa, cœlum ascendit, anno Domini 230. 230.

Maximinus.

MAXIMINVS Iulius, vigesimus tertius Romanorum Imperator, Hispaniis dominari cœpit anno ab aduentu Iesu Christi 238. & postquam annis tribus imperasset, A- 238.
quileiæ à Pupieno occiditur, vt refert Eusebius.

Gordianus.

GORDIANVS vigesimus quartus Romanorũ Imperator, Hispaniarum administrationem suscepit, anno Christi 241. Annis 6. imperauit, & cum ab expeditione Par- 241.
thica reuerteretur, haud longe à Romano solo interfectus est, authore Eusebio.

Philippus.

PHILIPPVS, primus Imperatorum omnium Christianus, vigesimus quintus Romanorum Imperator, Hispaniarum regnũ accepit anno Saluatoris Iesu Christi 247. Hic 247.
annis 7. regnauit, & apud Veronam occiditur, referente Eusebio.

Decius.

DECIVS, vigesimus sextus Romanorum Imperator, Hispaniarũ regnum tenere cœpit anno humanæ salutis 253. & post imperii annum vnum, menses tres, in Aprutio 253.
cum filio occiditur, teste Eusebio. Decianam ciuitatem Hispaniæ crediderim ab eo nominatam. Olimpiadus & Maximus nobiles Hispani, Cordubæ his temporibus iubente Decio, primo fustibus cæsi, deinde plumbatis, ac ad vltimum capitibus eorum securibus cæsis, martyrio coronati sunt, 17. Kal. Maii. Parmenus, Helmienas & Chrysotolus presbyteri, Lucas & Mucius diaconi, per idem tempus in ciuitate Cordubensi, præsente persecutore Decio, variis suppliciis lacerati, ad vltimum gladio pro fide Christi trucidati sunt, 10. Calend. Maii.

Gallus Hostilianus.

GALLVS Hostilianus, vigesimus septimus Romanorum Imperator, vna cũ Volusiano eius filio, Hispaniarum regnum tenere cœpit anno salutis humanæ naturæ 254. & cũ 254.
annis duobus, mensibus quatuor regnassent, in Foro Flaminii, siue (vt alii putant) Interamnæ ambo interfecti sunt, vt ait Eusebius. Ab hoc Gallo crediderim Gallos populos in Lusitania iuxta paruam Augustam, & Galli portum, nomen habuisse.

Valerianus.

VALERIANVS Licinius, vigesimus octauus Romanorum Imperator, vna cum Galieno filio in Hispania regnare cœpit anno ab aduẽtu Christi 257. & post imperii an- 257.

An. Christi.

num 15. interfecti sunt, teste Eusebio. Valeriæ quæ in Castella episcopalis est ciuitas, hodie *Quenca*, existimarim nomen ab eo inditum. Germani superiores his temporibus abrasa potiuntur Hispania: à quibus Germani, qui Oretani, & Oretum Germanicum, Estremaduræ oppidum (hodie *Calatraua* vocant) conditum: & Germanica Legio dicitur ciuitas eius regni metropolis, vulgo *Leon*, cuius in Nerua superius meminimus, quam Galienus à Germanis oppugnatam recepit. Hi item Burgensi ciuitati (Burga siquidem Germanis oppidum dicitur) nomen imposuerunt, quum priscis temporibus Auca siue Brauum nominaretur. Laurentius Hispanus, Sixti pontificis maximi archidiaconus, per idem tempus Romæ via Tiburtina, præsente Galieno, post multa virtutum insignia & plurima tormentorum genera, quarto idus Augusti martyrium constantissime compleuit. Fructuosus Episcopus, Eugurius, & Eulogius diaconi, eadem tempestate pro fide, Æmiliano præside, in ciuitate Tarraconensi passi sunt, 12. Kal. Februarii, quorum ossa iuxta Barcinonensem ciuitatem in monte Iouis, in sacello sanctæ Matronæ, requiescunt. Emitherius & Celidonius Hispani, sub hæc tempora primo apud Legionensem Galliciæ ciuitatem pro confessione nominis Christi plurimis afflicti tormentis, & Calagorinam illinc perducti, martyrio coronati sunt, quinto nonas Martii. Corpora eorum in oppido Cordona episcopatus Vrgellensis requiescunt.

Martyriū Laurentii Hispani Fructuosi episcopi & aliorum.

Claudius.

272. CLAVDIVS, vigesimus nonus Romanorum Imperator, Hispaniarum regnum obtinuit anno Iesu Christi 272. Hic anno vno, mensibus nouem quum regnasset, ab humanis Firmii discessit, vt ait Eusebius.

Aurelianus.

274. AVRELIANVS, trigesimus Romanorum Imperator, Hispanias regere cœpit anno humanæ salutis 274. & quum annis quinque, mensibus sex imperasset, inter Constantinopolim & Heracleam, in Cenophrurio viæ veteris, persecutionem in Christianos mouens, fulmine ictus occiditur, teste Eusebio.

Tacitus.

279. TACITVS, trigesimus primus Romanorum Imperator, Hispanias gubernare cœpit anno Saluatoris Iesu Christi 279. Hic mense sexto sui imperii militari scelere apud pontem periit, vt ait Eusebius.

Florianus.

FLORIANVS, trigesimus secundus Romanorum Imperator, in Hispaniis imperat eodem anno, quo Tacitus, nempe 279. & diebus octoginta tātum imperio potitus, apud Tharsum interficitur, referente Eusebio.

Probus.

280. PROBVS, trigesimus tertius Romanorum Imperator, in Hispania regnare cœpit anno Saluatoris 280. Hic, teste Flauio Vopisco, Proculum & Bonosum Hispaniēses qui Hispanias vindicarunt, deuicit, & Hispaniis nonnullisque aliis prouinciis permisit, vt vites haberent, vinumque conficerent. Post annos sex & menses quatuor quibus imperauerat, apud Sirmium in turri quæ vocatur ferrata, tumultu militari occiditur, vt Eusebius scribit.

Carus.

286. CARVS, Narbonensis, trigesimus quartus Romanorum Imperator, cum Carino & Numeriano filiis, Hispaniarum regnum accepit anno humanæ salutis 286. & quum annis duobus imperasset, apud Murgum prœlio victus occiditur, vt ait Eusebius. His quoque temporibus Alemani sub Galerio præside in Hispaniam penetrantes, Gallis attritis in Italiam irruperunt: sed eorum deinde Constantius magnam fecit stragem.

Diocletianus.

DIOCLETIANVS Dalmata, vna cum Maximiano cognomento Herculeo, trigesimus quintus Romanorum Imperator, Hispanias administrare cœpit anno salutis hu-
288. manæ 288. quo tempore Constantius, Diocletiani successor, Hispanias cum summo otio tenuit. Hi cū annis 20. regnassent, Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Mediolani purpuram

An. Christi.

puram deposuerunt, referente Eusebio. Eulalia virgo Barcinonensis iis temporibus, sub Dacio præside, post multa ac varia tormenta acerbissimum martyrium passa est, pridie Idus Februarii. Iulia apud Barcinonenses, comes Eulaliæ item martyris, sub præside Daciano, capite truncata est, vt auctor est Volaterranus. Eulia Hispalensis virgo per id tempus cum 13. esset annorum, in ciuitate Emerita, pro Christi confessione, Calphurniani præsidis iussu, primo equuleo suspensa & exungulata, demum cum ardentes lampades ad vtrunque latus admotæ fuissent, igne hausto, 4. Idus Decembris, Deo spiritum reddidit. Leocadia quoque celeberrima virgo, à Daciano Hispaniæ præfecto tanquam Christiana capitur, & apud Toletum vrbem carceri mancipatur: vbi cum grauissimos beatæ Eulaliæ Emeritensis & reliquorum martyrum audiret cruciatus, positis in oratione genibus, quinto Idus Decembris impollutum Deo reddidit spiritum. Vincentius leuita, natione Hispanus, beatissimi papæ Sixti discipulus, per hæc tempora apud Valentiam Hispaniæ vrbem, vna cum Valerio ipsius vrbis Episcopo, & Sabina, & Christina, acerbissimũ martyrium à Daciano præside pertulit. eius autem celebre festum 11. Kalend. Februarii celebramus. Optatus, Lupercius, Successus, Martialis, Vrbanus, Iulius, Quintilianus, Publius, Frontonus, Felix, Cęcilianus, Euotus, Primitiuus, Apodemius, & quatuor alii Saturnini nuncupati, sub eodem Daciano præside in ciuitate Cæsaraugustana passi sunt, decimo septimo Kalendas Maii. Carpophorus presbyter, & Abuntius diaconus, apud Hispalim ciuitatem his temporibus à crudelissimo Maximiano martyrium passi fuerunt. Engratia virgo & martyr sanctissima, apud Cæsaraugustam ciuitatem per hæc tempora sub eodem Daciano, pro Christi religione & amore ardentissimo, sæuissimis pœnis & tormentis affecta, Christo animam reddidit. Marcellus & Nona ciues Legionis, genere nobiles, hoc vixerunt sæculo. Quibus cum essent filii duodecim, horum vndecim cum patre Marcello, pro Christi religione vna die martyrium passi fuerunt acerbissimum. Quos Nona mater vt extinctos vidit, Deum orauit, vt eam cum filio superstite à vitæ periculis eriperet. Quæ cum dixisset, repente Draco exortus est, à quo mater statim cum filio diuinitus absorpta est.

Constantius.

CONSTANTIVS & Galerius, trigesimi sexti Romanorum Imperatores, regnum Hispaniarum tenere cœperunt anno Saluatoris trecentesimo octauo. Hi molem imperii 308. inter se partiti, Galerius Orientem sortitus est, Italiam Constantius cum tota Aphrica, Hispania, & Gallia. Cæterũ homo frugi, minimeque ambitiosus, Hispaniæ duntaxat Galliæque imperio contentus vixit, cuius popularitate & clementia Hispania Galliaque florebat. Regnauit cum Galerio annis quatuor, & in Britannia diem clausit extremum, authore Eusebio.

Constantinus Magnus.

CONSTANTINVS cognomento Magnus, trigesimus septimus Romanorum Imperator, mortuo Constantio patre, Hispaniarum regnum obtinuit, anno salutis humanæ 312. Imperium administrauit annis triginta, mensibus decem, & in Acirone villa, iuxta 312. Nicomediam mortuus est, ætatis suæ anno sexagesimo sexto, vt refert diuus Hieronymus. Iuuencus Hispanus, poeta & presbyter, genere quidem nobilis, sed virtute & doctrina nobilior per hoc tempus admodum clarus existens, Euangelia omnia quatuor libris, versibus explicauit heroicis, atque alia quædam, eodem metri genere, de sacramẽtis.

Constantinus.

CONSTANTINVS eo nomine secundus, Constantius, & Constans, Constantini Magni filii, trigesimi octaui Romanorum Imperatores, regnare cœperunt anno Christi 341. Hi tres imperium quod per manus acceperunt, ita partiti sunt, vt Constantinus natu 341. maximus, Hispanias, Gallias, & Britanniam: Constans Italiam cum Illyrico & Græcia teneret: Constantius Thracia in qua Constantinopolis, & Asia maiori, Syria, Mesopotamia, & Ægypto potiretur. Ac Constantinus tertio quo imperium administrauerat anno, aduersus Constantẽ fratrem iusto prælio decertaturus, iuxta Aquileiam insidiis hostiũ circumuentus, anno ætatis suæ 25. occiditur. Constans decimotertio imperii anno, haud longe à Helena (est hoc in agro Perpiniano siue Rossilonensi municipium, hodie *Elna*) incaute trucidatur, cum annos vixisset 30. Constantius autem Mopsocrenis inter Ciliciã & Cappadociã moritur, post annos viginti quatuor, menses quinq;, dies duodecim, quibus

imperio præfuerat, ætatis vero suæ anno 45. vt autor est Diuus Hieron. Gothi sub auspi-
ciis Athanarici qui primus eius gentis rex (Michaele Ritio teste) traditur, Hispaniæ fines
343. ingressi, sedes posuerunt anno Dominicæ salutis 343. qui anno decimo tertio post Hispa-
niæ adeptum regnum, diem clausit extremum. Postea vero Hispani recepti sunt virtute
Theodosii Cæsaris, qui Gothos annis octodecim imperata facere coegit, & in officio cõ-
tinuit, vsque ad tempora Alarici Gothorum regis.

Iulianus Apostata.

IVLIANVS, trigesimus nonus Romanorum Imperator, cognomento Apostata, Hispa-
365. niarum regnum accepit anno Saluatoris Iesu Christi 365. Hic anno primo, mense septi-
mo imperii sui, ætatis vero 32. interiit, vt ait diuus Hieronymus.

Iouinianus.

IOVINIANVS, quadragesimus Romanorum Imperator, Hispaniarum regnũ accepit an-
367. no salutis humanæ 367. & mense octauo imperii sui moritur, ætatis vero suæ trigesimo
quarto, vt refert Hieronymus.

Valentinianus.

VALENTINIANVS & Valens, quadragesimi primi Romanorum Imperatores, Hi-
368. spaniarum regnum acceperunt anno Christi 368. & annis 13. mensibus quinq; impe-
rarunt, vt habet D. Hieronymus. Damasus Papa, cognomine primus, natione Hispanus, patre Antonio, his temporibus claruit, excellẽtis eruditionis & sanctimoniæ põtifex. Hic propemodum nonagenarius diem obiit, 3. Idus Decemb. Vigilantius presbyter Hispanus, Barcinonensem parochialem Ecclesiam (vt ait Hieronymus) per ea tempora tenuit, & ipse nonnulla religionis zelo plena conscripsit: sed humanæ laudis studio deuictus, secundam Danielis visionem prauo sensu exposuit, sanctorum quoque reliquias minime venerandas, vigilias non obseruandas, & alia friuola multa. Aquilius Seuerus in Hispania iis temporibus claruit. Hic volumen composuit quasi ὁδοιπορικὸν, vt Diuus Hieronymus refert, totius vitæ suæ statum continens, tam prosa quam versibus, quod vocauit Catastrophen.

Gratianus.

GRATIANVS cum fratre Valentiniano, quadragesimus secundus Romanorum Impe-
382. rator, in Hispania regnare cœpit anno Saluatoris Iesu Christi 382. Annisque sex re-
gnum obtinuerunt, vt refert Prosper. Prudentius episcopus Armenthiæ quæ non longe à Victoria Hispaniæ citerioris ciuitate distat, postea vero Turiassonensis, per hos dies insignis & inclytus doctor habitus est, & aduersus Sabellianos & Iudæos multa scripsit. Obiit non absque opinione sanctitatis, eiusque festum quarto Kalendas Maii celebratur.

Valentinianus.

VALENTINIANVS cum Theodosio, quadragesimus tertius Romanorũ Imperator,
388. Hispaniarum regnum accepit anno salutis humanæ 388. & annis septem regnum
obtinuit, vt ait Prosper. Osius Episcopus Cordubæ per ea tempora præclarus in diuinis humanisque scripturis effulsit, qui cum eminentissimi esset ingenii, scripsit plura ac præclara opuscula, & inter alia de virginitate.

Theodosius.

THEODOSIVS, genere Hispanus, quadragesimus quartus Romanorum Imperator,
cum iam per quatuordecim regnaret annos, cum Arcadio & Honorio filiis, Hispa-
395. niarum regnum gubernare cœpit anno Christi trecentesimo nonagesimo quinto. Hic
Theodosius Honorio patre, & matre Thermãtia, haud dubie inter optimos principes habetur, quippe qui Rempublicam Gothicis armis pene oppressam, à Gratiano ex Hispania quæ illi patria, accitus libertati restituerit. Maximum tyrannum & Andragathium præfectum eius, subito incursu eiectos occidit, mortuisq; Gratiano & Valẽtiniano quibus cum illi commune fuit imperium, regnum obtinuit. Obiit Mediolani, cum annis tribus cum
Claudianus Poeta. filiis suis imperasset, vt ait Prosper. Claudianus Poeta, natione Hispanus, per ea tempora floruit, librosq; duos, Claudianum scilicet maiorem & minorem edidit, multaq; alia celebribus sententiis & prouerbiis referta. Habundus siue Auitus presbyter Hispanus his tempo-

temporibus vixit,qui ad Oroſium reuelationem & inuentionem protomartyris Stephani è Græco in Latinam linguam conſcripſit. Martianus per idem tempus vrbis Barcinonenſis epiſcopus,tam vita quam ſermone clarus ſcripſit varia opuſcula. Crediderim vero eſſe Pacianum.

Arcadius.

ARCADIVS, quadrageſimus quintus Romanorum Imperator, quum iam 12.regnaſſet annos cum fratre ſuo Honorio, Hiſpaniarum regnum gubernare cœpit anno aduentus veri Meſſiæ 398.& annis 13.imperauit, teſte Proſpero. Paulus Oroſius,presbyter 398.
Hiſpanus, patria Tarraconenſis, diui Auguſtini diſcipulus, vir eloquens & hiſtoriarum cognitor, per hæc tempora claruit. Chronicam ſcripſit ab exordio mundi vſque ad ſua tempora. Deceſſit in Aphrica apud Carthaginem,ſepultus vero Romæ in templo Euſebii ad trophæa Marii.

Honorius.

HONORIVS, quadrageſimus ſextus Romanorum Imperator, mortuo Arcadio fratre, Hiſpaniarum regnum vna cum Theodoſio fratre ſuo adminiſtrare cœpit, anno humanæ ſalutis 411. quo Hiſpanias Alarico regi Gothorum habitandas aſſignauit,vt ſcribit 411.
Platina & alii quamplurimi. Gundericus filius Modigiſilli regis Vandalorum, per hæc tempora cum Alanis & Sueuis Hiſpanias occupauerat.Qui,vt refert diuus Antoninus,ad tantam miſeriam incolas deduxerunt,vt famis indigentia humanas carnes ederent. Regnauit autem Gundericus in Gallicia annis quadraginta ſex, & capta Hiſpali, quæ nunc *Seuilla* vocatur, quum impie elatus, manus in Eccleſiam ipſius ciuitatis extendiſſet, mox Dei iudicio à dæmone correptus interiit. Huic Genſericus frater in regno ſucceſſit, & in Aphricam tranſiit. A Vandalis,vt quidam volunt, Wandalia,quæ Wandaluſia, aut vulgo *Andaluzia*,nuncupatur. A Sueuis autem Sueuiam Bæticæ oppidum cuius Ptolemæus meminit,denominari puto,quod modo Suelum,antiquitus vero *Chipiona*.

Alaricus.

ALARICVS Pannonius de gente Balthorum, nondum Hiſpanias intrauerat, cum Gothis ab imperio deſciſcentibus, eorum rex creatus eſſet. cui Honorius Imperator, grata confirmatione, Hiſpanias ad habitandum aſſignauit, eaſque gubernare cœpit anno Chriſti 411. ſed vigeſimo tertio ſui principatus anno repente fato functus eſt, vt refert 411.
Michael Ritius Neapolitanus. Sunt Gothi populi Scythici, circa Cimbricam Cherſoneſum & Noruegiam,qui nunc Sueci & Dani vocantur.Pacianus Barcinonenſis epiſcopus his temporibus vixit,qui bene de fide ſenſit,Nouatianoſq; ſcriptis ſuis impugnauit,& in ſanctorum numerum eſt relatus. Eius natale ſeptimo Idus Martii celebratur. Dexter Paciani præſulis filius, vir clariſſimus, ſimul & Chriſti fidei deditus, fertur omnimodam hiſtoriam ediidiſſe. Patria Barcinonenſis, præfectuſq; prætorii Theodoſii principis fuit, teſte libro de viris illuſtribus.

Athaulfus.

ATHAVLFVS ob affinitatem & genus Alarici, ex conſenſu omnium Gothorum in defuncti locum ſubſtitutus, principatum obtinuit, & in Hiſpania regnare cœpit anno Saluatoris Ieſu Chriſti 434. Qui matrimonio ſibi iuncta Galla Placidia, Theodoſii prin- 434.
cipis filia,& Arcadii Honoriique Imperatorũ ſorore, Vandalos, Alanos, Sueuos, & Hunnos valida manu inſequitur. Illi audito Athaulfi aduentu, dimiſſis Galliis Hiſpanias petunt. Athaulfus vero poſt deuaſtatas diu Gallias, primus omnium Gothorum Hiſpanias ingreditur, Vandalos cæteroſq; barbaros cæſurus. Qui quum apud Barcinonam ciuitatem Hiſpaniæ citerioris maneret, dolo ſuorum occiſus eſt, anno regni ſui ſexto, vt ſcribit Ritius. Sepulchri eius (authore Hieronymo Paulo Barcinonenſi) in vico paradiſi, ſublimiore eiuſdem vrbis parte, veſtigia quædam extant, nempe columnarum partes, & non Herculis, vt fama habetur.

Sigericus.

SIGERICVS à ſtirpe proprior (vt aiunt) poſt Athaulfi mortem à Gothis rex creatus eſt, & in Hiſpaniis regnare cœpit anno à Chriſtiana ſalute 440.Quumq; filios ſuos Geſeri- 440.
cum, Wericum, Guntamenduſum, Thraſamundum, & Ildericum reges & dominos, per partes Hiſpaniæ dimittere voluiſſet,pacem cum Romanis pertractando, itidem à Gothis

qui eum regem creauerant, interemptus fuit, anno ſeptimo ſui regni, teſte Ritio. Arcadius, Probus, Paſchaſius, & Eutycius, viri Hiſpani, per hæc tempora dudum apud Genſericum Vandalorum regem merito ſapientiæ & fidelis obſequii clari habebantur. quos rex vt ſibi deuinctiores faceret, in Arianam ſectam tranſire præcepit. At illi facinus conſtantiſſime reſpuentes, martyrio mirabiliter occubuerunt. Puer autem Paulillus nomine, frater Paſchaſii & Eutycii, pro elegantia formæ atque ingenii admodum regi acceptus, à profeſſione atque amore catholicæ fidei cum nullis minis deturbari poſſet, diu fuſtibus cæſus, ad infamem ſeruitutem damnatus eſt. Eorum natale pridie Idus Nouembris celebratur.

Vallia.

VALLIA poſt mortem Sigerici, gubernacula Gothorum ſuſcepit, ad hoc electus, vt pacem cum Romanis infringeret: & in Hiſpania regnare cœpit anno ſalutis humanæ
447. 447. Hic timens à ſuis popularibus inuidiam, claſſem ad Aphricam occupandam ſumma ope comparat: ſed nauium apparatus in Gaditano freto periit cum ingenti mortaliũ pernicie. Mutato vero idem rex conſilio, datis optimis & lectiſſimis obſidibus, pacem optimam cum Honorio compoſuit. Inſuper & Placidiam Gallam eius ſororem, olim Athaulphi vxorem, reſtituit, quam poſt Athaulphi cædẽ penes ſe honorifice & honeſte habuerat: ſeſeq; obtulit cum ſuis Gothis aduerſus Alanos qui Bæticam occupauerant, & difficillimo bello victos maxima cæde affecit, rege eorum Attaco apud Emeritam ciuitatem occiſo. Fama pugnæ huius magnum incuſſit metum Hiſpaniam tenentibus. Qui ſuperfuerunt, relictis Luſitaniæ ſedibus, ad Gundericum Vandalorum regem, cuius ſupra in Honorio meminimus, in Gallicia regnantem confugerunt. Sed poſtea tam Vandali & Sueui, quam Alani ei ſubiecti ſunt. A ſupradicto Attaco rege crediderim deriuatum nomen Attacæ ciuitatis, de qua Ptolemæus. Vallia itaq; ſubita vi morbi correptus, quum annis tribus regnaſſet, vita functus eſt, vt refert Michael Ritius.

Theodoricus.

450. THEODORICO poſt Valliam regnum Gothorum in Hiſpania defertur, anno Domini Ieſu Chriſti 450. Hic apud Arelatam Narbonenſis Galliæ ciuitatem, in campis Catalaunicis, dum pro Romanis aduerſus Attilam Hunnorum regem pugnaret, 23. anno ſui regni occubuit, authore Ritio. In quo prælio (vt Platina refert) ad centum & octoginta millia hominum vtrinque cecidiſſe conſtat, neutra declinante acie aut cedente. Tres filios ex vxore ſuſcepit Theodoricus, videlicet Toriſmundum, Theodoricum, & Henricum, qui omnes gubernacula Gothorum tenuerunt, & reges fuerunt. Audentius epiſcopus Hiſpanus, magni zeli & ſanctimoniæ vir, per hoc tempus (vt Gennadius teſtatur) aduerſus hæreticos de fide catholica librum egregium edidit, in quo maxime contra Photinianos, Manichæos, Sabellianos, & Arianos diſputans, oſtendit Dominum noſtrum filium Dei coæternalem. Turibius epiſcopus Aſturicenſis his temporibus innumeris claruit miraculis, & Chriſtianam religionem ac fidem catholicam quam maxime iuuit. eius feſtiuitas Palentiæ celebratur 16. Kalend. Maii.]

Toriſmundus.

TORISMVNDVS, ſiue Turſimundus, mortuo Theodorico patre, omnium ſuffragiis Gothorum rex creatus eſt, & Hiſpanias regere cœpit anno ab humanæ ſalutis reſti-
473. tutione 473. Hic in bello quod pater contra Attilam geſſit, militans, dum patris mortui reperiſſet cadauer, ſtatim regiis exequiis illud apud Toloſam ſepeliuit: quo ſepulto, Aetio Galliarum præfecto ſuaſit, vt Hunnos ſuperatos perſequeretur. Sed ille renuens dixit & Hunnos victos, & Viſigothos vereri. Quo reſponſo Toriſmundus in regnum rediit, & poſtea à fratribus ſuis ob regnandi cupiditatem, anno tertio, alias ſeptimo regni ſui, interfectus eſt, referente Michaele Ritio Neapolitano.

Theodoricus II.

THEODORICVS huius nominis ſecundus, mortuo Toriſmundo fratre, regnum occu-
476. pauit Hiſpaniarum anno ſalutis humanæ naturæ 476. Hic principatu ſuſcepto, cum Rhetiario Sueuorum rege Hiſpaniam inuadente confligens, & ad internecionem vſque proſternens, Sueuos ſibi ſubegit, & Luſitaniam, Bæticamque & multa alia ſuo regno adiecit. Ex eo tempore Principes Gothorum in Hiſpania regnarunt, eiuſque monarchiam tenuerunt, non tamen ſub Hiſpaniæ titulo, ſed Gothorum: ſiquidẽ illa Theodoricus non

diu

diu finibus ſui regni adiecit. Hic poſtea (vt aiunt) ab Henrico fratre ſuo eandem necis ſor- *An. Christi.*
tem obtinuit, quam Turiſmundus, anno gubernationis ſui regni ſeptimo, vt refert Ritius.

Henricus.

HENRICVS frater Toriſmundi & Theodorici, filius Theodorici primi, quem ſupra
narrauimus, poſt Theodorici fratris necem, regnum Gothorum obtinuit, & Hiſpa-
nias adminiſtrare cœpit anno ab aduentu Ieſu Chriſti Saluatoris noſtri 483. Hic Gothis 483.
author fuit, vt ſcriptis legibus vterentur. Quumque etiam Arelatam & Maſſiliam ſubiu-
gaſſet, Theodomorus Oſtrogothorum rex Chriſtianiſſimus, à Gothorum iugo, ad Ca-
tholicam fidem cõuerſus, ſe ſurripuit. Regnauit autem Henricus annis decem & nouem,
dum ab humanis exceſſit. Quo autem genere mortis obierit, non ſatis conſtat, vt Ritius
ſcribit. Sabinus epiſcopus ex ciuitate Barcinonenſi oriundus, his temporibus floruit, vir
vtique ſanctiſſimus atque doctiſſimus, & prophetiæ ſpiritu illuſtratus, in ſanctorum nu-
merum relatus eſt, cuius natale Idibus Februarii celebratur.

Alaricus II.

ALARICVS eius nominis ſecundus, in Henrici patris locum ex conſenſu omnium
Gothorum rex creatus eſt, & in Hiſpania regnare cœpit anno ſalutis humanæ natu-
ræ 502. Hic Amalaſintham, Theodorici Imperatoris filiam, in vxorem duxit. Erat autem 502.
hæc fœmina (vt ait Platina) ita Græcis & Latinis literis imbuta, vt cum quouis docto diſ-
putando congredi auderet. adhæc adeo exacte linguas Barbarorum callebat, vt ſine in-
terprete iis omnibus loqueretur. Cum hoc Alarico Clodoueus rex Franciæ bello con-
greditur, eoque perempto in agro Volgodenſi, quicquid Galliarum Gothi poſſidebant,
ad partes Franciæ tranſtulit, quum hactenus reges Gothorum in Narbona Galliæ ciuita-
te ſedem tenuiſſent. Sed Theodoricus ſocer Clodoueo bellum intulit, quod Alaricum
generum interfeciſſet, fugatiſque ingenti prælio Francis, Vaſconiam recepit, receptam-
que pro Almarico Alarici filio, donec adoleſceret, gubernauit. Regnatum eſt Alarico an-
nis 13. quum ab humanis diſceſſit, referente Ritio.

Almaricus.

ALMARICVS, Alarico patre cæſo, Gothorum regnum obtinuit, & Hiſpanias guber-
nare cœpit anno ab aduentu Domini 515. Hic vxorem duxit Totillam, Clodouei re- 515.
gis Franciæ filiam. Cui apud Barcinonam citerioris Hiſpaniæ ciuitatem manenti, Chil-
debertus frater Totillæ, bellum intulit, ſororis contumeliam vlturus, quæ Almarico lo-
cata, & Arianæ ſectæ cum marito ſeruire recuſans, querebatur quod ab eo indigna pate-
retur. Almaricus ſuis opibus diffiſus, fugam molitus eſt, atque iter ad mare petiit, ſed cur-
ſu ab hoſte præuentus, interficitur anno ſui regni octauo. Ab iſto *Almaria* ciuitas dicta eſt, *Almaria olim*
quæ antiquitus Abdera nominabatur. Gothi vero tumultuario bello leuati, in Almarici *Abdera dicta.*
locum ſibi Theutam regem creant, inſtante Amalaſintha Almarici matre, vt ait Ritius
Neapolitanus. Iſidorus Epiſcopus, Hiſpani generis, Apocalypſeos haud vulgaris inter-
pres, per hæc tempora claruit. Iuſtinianus Valentinæ eccleſiæ antiſtes his temporibus
floruit, non obſcurum nomen adeptus prædicatione, rerumque diuinarum ſtudio. vixit
ſub Felice ſummo Pontifice.

Theuta.

THEVTA (vt diximus) ab Amalaſintha, Almarici matre rex creatus, eam in balneo ſuf-
focandam curauit, non expectata fatali die, & Hiſpanias gubernare cœpit anno ſalu-
tis humanæ naturæ 523. Hic frater conſobrinus Almarici erat, & (vt refert Platina) ita Græ- 523.
cis & Latinis literis edoctus, vt Platonis diſciplinam optime calluerit. In cædem ſuam Go-
thos accendit habitus hiſtrionici deformitate, quem palam paſſimque geſtabat. Tempo-
re ipſius quum Galli adhuc in Hiſpania Tarraconenſi manerent, mortuo Almarico, le-
ctiſſimos viros ei miſerunt, vt eis regreſſum conſentiret. Qui vno die tantum regreſſum
eorum conſenſit, & qui ſuperfuerunt, eos necari iuſſit. Poſtea vero quum Italiam per ma-
re cum exercitu transfretaſſet, ab inimicis interemptus fuit, anno imperii ſui 12. menſe
quinto, authore Ritio.

Tendeſilius.

TENDESILIVS conſenſu omnium Gothorum, regnum accepit Hiſpaniarum anno à
natiuitate Chriſti 535. qui forte per id tempus exercitui præerat, impoſitus à Theuta, 535.

An. Christi. cuius affinis esse dicebatur. Is quum mulieres libidini suæ non consentientes occidi fecisset, apud Hispalim, quæ nunc *Seuilla* vocatur, orta seditione obtruncatus est, anno primo, mense septimo regni sui, teste Ritio Neapolitano.

Agila.

537. AGILA post mortem Tendesilii, in eius locum subrogatur, & Hispaniæ regnum suscepit anno Iesu Christi 537. Hic cum magno exercitu ad oppugnandam Cordubam à Romanis occupatam progressus, filio trucidato, magnaque suorum strage perpessa, ad Emeritam ciuitatem Bæticæ properauit, vbi ab eisdem Gothis qui regem eum creauerant: metu Romanorum interfectus est, anno regni sui quinto, mense septimo, vt Michael Ritius narrat.

Athanagildus.

543. ATHANAGILDVS Gothorum rex dominatum occupat post mortem Agilæ, anno salutis humanæ naturæ 543. His namque temporibus (vt ait diuus Antoninus) legationem in Hispaniam misit Higibertus rex Franciæ ipsi Athanagildo, cum multis muneribus, petens eius filiam Brucildem in vxorem, quam impetrauit. Erat enim puella elegans, pulchra, & ingeniosa, vt refert idem Diuus Antoninus. Athanagildus autem quum apud Toletum vlterioris Hispaniæ ciuitatem permansisset, morbo consumptus est, anno regni sui 15. mense 6. teste Ritio.

Limba.

558. LIMBA quam Luybam nonnulli vocant, rex tandem à Gothis qui Narbonam incolebant, creatus est, & in Hispania regnare cœpit anno ab aduentu Iesu Christi 558. Hic anno secundo sui principatus Leonogildum fratrem regni successorem instituit, & quum triennio regnasset, ab humanis excessit. Leonigildus Theodosiam, Seueriani ducis nouæ Carthaginis filiam, in vxorem duxit, qui quidem Seuerianus filius Theodosii regis Gothorum fuit. Cantabriam prouinciam, Nageriam, atque Sabariam ciuitates ob rebellionem deuastauit, Leonem à se nominatam restaurauit, reliquias Sueuorum ex Hispania eiecit, rege Andeca superato (ii regnũ semel in Hispania constitutũ, per annos 177. tenuerãt) filiũ suum natu maximũ, nomine Hermelgundũ, qui patri in regnum successurus erat, primo regno priuauit, quod ab Ariana perfidia qua pater languebat, ad verã cõuersus esset fidem: deinde in conuentu Hispali in acie captum, in carcerem retrusit, manibus propriis securi percussit, anno salutis 572. Sed ad ostendendam eius gloriam, diuina miracula non defuerunt. nam ad eius corpus postmodum cantus Angelicus auditus fuit, lampadesque ardentes visæ. Eius festum 6. Idus Iulii celebratur. At Leonigildus quum in morbum incidisset, profligata valetudine (vt quidam aiunt) pœnitentiam egit. Ab his in Cantabria condita est ciuitas Recoprelim. Regnauit annis duodeuiginti, & in ciuitate Toletana excessit ab humanis, vt narrat Ritius Neapolitanus. Leander Hispalensis episcopus, Seueriani Carthaginis nouæ ducis filius, his tẽporibus claruit, vir plane sanctus, & doctrina atque eloquentia præcipuus, cuius prædicatione, exemplo, ac industria tota Visigothorum gens per Recaredum eorum regem ab Ariana impietate conuersa est: quamobrem & multa ad nostri dogmatis confirmationem, & ipsius Arianæ hæresis confutationem composuit. nam & eandem pestem Vandali illo ex Aphrica detulerant. Huic autem insigni viro beatus Gregorius papa adhuc monachus, Moralium suorum librum scripsit. Tandem vitæ sanctimonia, signorum & miraculorum virtute in finem clarus, inter sanctos relatus est, cuius festum 3. Kalend. Martii celebratur. Scripsit egregius hic doctor aduersus hæreticos lib. 2. de virginitate, lib. 1. Orationum, lib. 1. de Sacrificiis, lib. 1. contra Arianos, lib. 1. de contemptu mortis, lib. 1. epistolarum, lib. 1. & alia quædam. Braulius, filius Seueriani ducis Carthaginis, & frater Leandri & aliorum, per hæc tempora in episcopum Cæsaraugustanæ ciuitatis diuinitus electus est. Nam cum multos eligerent, subito flamma super Braulii caput omnibus visa est. Quæ innoxia cœli conuexa petens, Braulium episcopatus dignitate decorandum, cæterisque præferendum significauit. Episcopus igitur electus, religioni Christianæ multum profuit. Martinus episcopus Mandouensis his temporibus claruit, multosque verbo prædicationis ad fidem Christi conuertit, & inter alios Mironem a gente Sueua regem qui per hoc tempus Galliciam prouinciam obtinebat, cui scripsit librum de Christiani principis institutione.

Recha-

Recharedus. *An. Christi.*

RECHAREDVS post mortem Leonigildi patris Gothorum regno successit, & in Hispania regnare cœpit, anno Saluatoris Iesu Christi 576. filiamque Childeberti, Francorum regis in vxorem duxit. Hic non patrem perfidum, sed fratrem martyrem sequens, ab Ariana hæresi ad veram fidem conuersus est, totamque Gothorum gentem ad Catholicam & veram fidem perduxit, nullumque in regno suo militare permisit, qui regno Dei hostis existeret per hæresin. Hic anno decimo (vt Sigisbertus ait) synodo apud Toletum duorum & septuaginta antistitum congregata, ibique Ariana hæresi abdicata & anathematizata, in catholica fide cum toto Gothorum cœtu confirmatus, Arianum dogma à finibus Hispaniæ eiiciendum curauit. Lectiones & hymnos qui horis singulis præmittuntur, concilium ipsum Toletanum approbauit. Concilio Toletano quod sub Eladio Archiepiscopo Toletano celebratum est, interfuerunt inter alios Mansonius Archiepiscopus Emeritæ, Euphemius Archiepiscopus Tarraconensis, Leander Archiepiscopus Hispalensis, Magicius Archiepiscopus Narbonensis, & Parchadus Archiepiscopus Bracarensis. Obiit autem sanctus Dei Recharedus in ciuitate Toletana, anno sui regni 15. vt Ritius refert. 576.

Luyba II.

LVYBA alter à priore, quem Luymbam superius vocatum demonstrauimus, post mortem patris sui Recharedi accepit imperium, & in Hispania regnare cœpit anno humanæ salutis 591. Quumque annorum duodeuiginti esset, insidiis Victerici, illustris inter Gothos viri, interemptus est, anno primo sui regni, referente Ritio. Florentina virgo, Isidori, Fulgentii, & Leandri, aliorumque sanctorum florentissima beatissimaque soror, his temporibus cum vitam ageret sanctissimã, monasteriis quadraginta præficitur, in quibus mille virgines vitam agebant, deuotissime Deo famulantes. Demũ à vita discedens, in sanctorum numerum relata est. Fulgentius, Florentinæ virginis aliorumque frater, per hæc tempora primo Astigitano episcopatui, deinde Carthaginensi præfuit, Arianos omnes, quum vir esset eruditissimus, miris operibus suis fortiter oppressit. Annum tandem agens 66. conuocatis Leandro fratre Hispalensi Episcopo, & Laureano amicissimo episcopo Gaditano, summa cum gloria Kal. Ianuariis è vita migrauit. Corpus eius ex Carthagine noua Hispalim translatum est, & simul cum sancti Isidori sui fratris corpore sepultum. 591.

Victericus.

VICTERICVS, vir inter Gothos illustris, cæso Luyba, regnum sui Domini occupauit, & Hispanias regere cœpit anno ab aduentu Saluatoris 592. Hic quum suos nimis crudeliter vexaret, eodem genere necis periit, quo Luyba, anno primo quo imperare cœperat, referente Ritio. 592.

Gundemarus.

GVNDEMARVS regnum Gothorum ac Hispaniarum, mortuo siue cæso Victerico, sibi vsurpauit anno salutis humanæ 593. Duobus hic prælijs clarus habetur, quorum primo Vascones, altero Romanos deuicit. Plurimas statuit leges in fauorem ecclesiarum, præcipue quod nullus inuitus à sacris templis extrahatur. Toleti post secundum sui principatus annum ex aduersa valetudine mature diem clausit extremum, teste Ritio Neapolitano. 593.

Sisebutus.

SISEBVTVS, consentientibus omnium Gothorum votis, nouus rex creatus est, & in Hispania regnare cœpit anno Saluatoris Iesu Christi 595. qui verum Dei cultum, nostramque religionem mirifica pietate prosequutus est. In Aphricam trans Herculeum fretum ducto exercitu, plures in ea gentes in ditionem redegit. Regno suo Vasconiam adiecit, omnesque Hispaniæ ciuitates quæ ad Romanos defecerant, acquisiuit. Iudæos qui his temporibus Hispaniam incolebant, metu suppliciorum ad Christi fidem recipiendam compulit. Huius mentio fit distinctione 45. de Iudæis. Sunt qui dicant (inter quos est Platina) à Sisebuti demum tempore, Romanos (quibus omnes ciuitates, vt superius diximus, ademerat) in Hispania imperare desiisse. Ædificauit suo sumptu Sisebutus ecclesiam sanctæ Leocadiæ in ciuitate Toletana. Regnauitque annis 26. mensibus septem, & morbo consumptus interiit, vt ait Ritius. Eladius alter, Archiepiscopus Toletanus, per idem tempus claruit. Sanctus & doctrina copiosus Isidorus, Hispalensis Episcopus, iis temporibus mirabiliter effulsit. Hic Leandri successor, & Gregorii Papæ discipulus fuit, multaque 595.

An. Christi. scripsit quæ fidem Christianam mirifice iuuant, inter quæ ista sunt: Etymologiarum lib. 20. De summo bono lib. 3. Allegoriarum lib. 3. De Astronomia lib. 1. Officiorum lib. 2. Ad sororem Roram lib. 2. Differentiarū lib. 1. Item de viris illustribus & vocabulis Grammaticis, Historiam quoque ab Adam vsque ad sua tempora, & Longobardorum gesta, sanctorum item quorundam vitas, breuem quoque Cosmographiam, & naturas rerum: ac super Pentateuchum, aliaque pene innumera. Et sanctus cum fuerit habitus, eius natale 18. Kalend. Februarii celebratur. Ioannes monachus Visegothus, Gerundensis postea episcopus, in Lusitania prouincia ortus, hac tempestate Christianam religionem & prædicatione & scriptis vbique plurimum iuuit. Hic quum sapere aliquid per ætatem cœpisset, ardore & desiderio discendi, ex Hispania Constantinopolim petiit: vbi quum literarum Græcarum & Latinarum doctissimus euasisset, in Lusitaniam prouinciam suam rediit, atque ibidem Arianam hæresin inualescentē sua doctrina facilime confutauit. Quamobrem hæreticis odiosus, in Barcinonensem ciuitatem relegatus fuit. Demum post multas persecutiones in patriam reuersus, monasterium condidit, & multa in eo reclusus cōscripsit, ac rationem viuendi monachis dedit. Eutropius similiter Valentinus episcopus, eruditissimus vir, per hæc tempora Hispaniæ plurimum profuit, eosque doctrina & exemplo in fide continuit. Cuius vitam virtutibus & miraculis illustrem Verus Hispalensis episcopus luculento sermone postea descripsit. Eius festiuitas 6. Idus Iunii celebratur.

Recaredus secundus.

622. RECAREDVS eius nominis secundus, filius Sisebuti, paternum decus post eius mortem accepit, & in Hispania regnare cœpit anno ab aduentu Iesu Christi 622. & post quartum sui principatus annum ab humanis discessit.

Suintilla.

626. SVINTILLA Recaredi primi filius, regnum Gothorum Hispaniarumque accepit, defuncto Recaredo secundo, anno salutis humanæ naturæ 626. Hic sub Sisebuto dux fuit, & Romanos bis deuicit, & totius Hispaniæ monarchiam, exclusis omnibus Romanorum vestigiis, primus obtinuit. Fuit bello victoriosus, & (vt ait Lucas Tudensis) inter reges Gothorum, Hispaniæ principatum non minus prudentia, quam virtute prælii auxit. Quumque 10. regnasset annis, Rachimirum filium suum in regni societatem accepit. Quoniam vero Rachimirus mature patrem secutus est, breuique post eum regnauit, non venit in ordinem per se regum, sed cum patre confunditur, vt Ritius insinuat. Alii itaque duo filii Suintillæ manserunt, Suintilla & Sisunandus, quos pater ex Theodora Sisebuti filia susceperat, qui post patrem regnauerunt. Seuerus episcopus Barcinonensis his temporibus Episcopatum assumpsit, vir quidem optimus & sanctissimus, & multarum rerum experientiam omnium iudicio consecutus, adeo vt vnus fuerit septuaginta illorum episcoporum qui leges Gothicas in Hispania condiderunt. Hic à Barbaris Gothis qui Cataloniam incolebant, clauo capite confosso, martyrio coronatur 8. Idus Nouembris, anno Redemptoris Iesu Christi 638.

Sisunandus.

636. SISVNANDVS Suintillæ primi filius, post mortem patris & Rachimiri fratris rex creatus est, & Hispanias regere cœpit anno Domini Iesu Christi 636. qui tertio sui regni anno conuentum 68. antistitum apud Toletum congregauit, in ecclesia sanctæ Leocadiæ, cui præfuit Iustus archiepiscopus Toletanus. Adfuerūt eidem synodo inter alios episcopos, Isidorus archiepiscopus Hispalensis, Escluanus archiepiscopus Narbonensis, Iulius archiepiscopus Bracharensis, & Audax archiepiscopus Tarraconensis. Regnauerat Sisunandus annis quatuor, dum ab humanis ex ægritudine in quam inciderat, recessit, authore Michaele Ritio.

Suintilla II.

640. SVINTILLA eius nominis secundus, Suintillæ primi filius, defuncto Sisunando fratre, Gothorum Hispaniarumque regno successit anno salutis humanæ naturæ 640. Hic quintam & sextam synodum in ciuitate Toletana congregauit. Primæ & secundæ præfuit Eugenius per hæc tempora archiepiscopus Toletanus. Constabat hæc 22. episcopis, inter quos Ebraulius Cæsaraugustanus episcopus, vir morum comitate, doctrina, & vitæ sanctimonia clarus. Regnauitque Suintilla annis quatuor, inque Toletana ciuitate obiit, vt scribit Michael Ritius Neapolitanus.

Tulga

Tulga.

TVLGAM regia ſtirpe genitum, mortuo Suintilla, Gothi ſibi regem creāt, anno ab ad-
uentu Saluatoris Ieſu Chriſti 644. Hic Catholicus & optimus rex fuit, humilis, libe- 644.
ralis cultor iuſtitiæ, dilectus à clero & populo. Confirmauit publicis legibus quæcunque
decreta fuerant in conciliis Toletanis, annoq; ſecūdo imperii ſui diem clauſit extremum,
referente Ritio.

Sindaſundus.

SINDASVNDVS regiam Gothorum vacuam occupat, illuſtri inter eos loco, anno Do-
mini 646. Anno ſui regni quinto ſynodum ſeptimam 40. Antiſtitum, decimo quinto 646.
Kal. Nouembris, in ciuitate Toletana congregari fecit, archiepiſcopatum Toletanum re-
gente Eugenio. Ei inter cæteros interfuerunt Horotius Emeritæ, Antonius Hiſpali, & Pa-
ſchaſius Tarracone Archiepiſcopi. His temporibus ex Græcia in Hiſpaniam venit Ande-
uarſeus illuſtris genere, cui Sindaſundus conſanguineam quādam ſuam in vxorem dedit,
ex qua Eringium procreauit & Theodofredum. Fuit autē Sindaſundus catholicus ac de-
uotus, reſtaurauit eccleſias per hęreticos diruptas tempore Heraclii Imperatoris ataui ſui,
annoque decimo ſui principatus apud Toletum exceſſit ab humanis, vt ait Ritius Neapo-
litanus.

Riſiſundus.

RISISVNDVS filius Sindaſundi, poſt mortē patris in regno Hiſpaniarum ſucceſſit an-
no ab aduentu Chriſti 656. Viuente hic patre in clericum puerili leuitate tonſuratus 656.
fuit, ac in epiſcopum electus. In regnum vero aſſumptus, tres ſynodos in ciuitate Toleta-
na congregari iuſſit, ſub Eugenio archiepiſcopo: quarū primam anno regni ſui quinto ce-
lebrauit, cui inter cæteros interfuit Horontius Archiepiſcopus Hiſpalenſis, & duo ſupra
quinquaginta antiſtites, 110. vicarii generales, 121. milites. Anno ſeptimo celebrauit ſe-
cundam, ſexaginta epiſcoporum: anno vero octauo tertiam, ſiue decimam ab ordine, in
qua fuerunt Fegitus Archiepiſcopus Hiſpalenſis, Fructuoſus Bracharenſis, & 25. Epiſco-
pi. Claruit his tēporibus Ildefonſus, vir ſanctitate præclarus, diſcipulus Iſidori monachus
primo, deinde in Archiepiſcopum Toleti electus. Regnauitque Riſiſundus annis 18. mē-
ſibus vndecim. Obiit in villa Bamba apud Palentiam, Kal. Septembris, teſte Michaele
Ritio.

Bamba.

BAMBA conſenſu omnium Gothorum, mortuo Riſiſundo, regnum Hiſpaniarum ob-
tinuit anno humanæ ſalutis 674. Mauros Hiſpaniæ littora cū claſſe ducentarum ſe- 674.
ptuaginta nauium ingreſſos ingenti prælio fudit, & igni claſſem ſuccendit. Per hæc tem-
pora Paulus quidam natione Gallus, adiuuante Renoſindo duce Celtiberiæ (quæ nunc
Aragonia vocatur) aduerſus Bambam regem mouit. Bamba vero exercitus ſui partem in
Auſoniam mittens, Barcinonam petiit, eiuſque ciuitatis quinque viros generoſos in vin-
cula coniecit quorum nomina, Redus, Pompedus, Gontifredus, Vlfadiacus, & Nanfre-
dus fuerunt. Parta autem Bamba cōtra Paulum & Gallos victoria, Toletum rediit, in qua
anno ſui regni quarto vndecimam ſynodum celebrari fecit ſub Querico archiepiſcopo
Toletano, cui interfuerunt ſedecim Antiſtites. Sunt qui dicant, hunc ex aratro ad princi-
patum euectum Leonis Romani pontificis beneficio. Tandem ex hauſtu veneni quod ab
Eringio (cuius in Sindaſundo meminimus) datū ferunt, in grauiſſimum morbum incidit:
ex quo quum ægre cōualuiſſet, anno poſt initum regnum vndecimo, mēſe ſexto, religio-
nis habitum ſumpſit in cœnobio de Pampliga, ordinis Diui Benedicti, in eoque annis ſe-
ptenis ſanctiſſime permanſit, & ibi ſepultus, vt Ritius Neapolitanus & alii ſcribunt.

Eringius.

ERINGIVS filius Andeuarſei qui tempore Sindaſundi (vt diximus) è Græcia venerat,
ad religionem tranſgreſſo Bamba, dominatum occupat Hiſpaniarum depulſo Theo-
dofredo Riſiſundi filio cui regnum perueniebat, anno ſalutis humanæ 686. Hic Eringius 686.
filiam ſuam Sifilonam Egytæ è gente Gothorum, ſobrino Bambæ, in vxorem dedit, & an-
no ſecūdo ſui regni ſynodū ab ordine duodecimam, 36. antiſtitum: anno quarto, decimā-
tertiam, 48. Epiſcoporum: anno quinto, decimam quartam, 12. antiſtitum, ſub Iuliano ar-
chiepiſcopo Toletano celebrari fecit. Regnauitq; idem Eringius, dum humanis exceſſit,
annis ſeptem, referente Ritio.

An. Christi.

Egyta.

EGYTA sobrinus Bābæ, post mortem soceri Eringii regnum Hispaniarum adeptus est
693. anno Saluatoris Iesu Christi 693. Hic anno primo sui principatus decimamquintam
synodum 61. Episcoporum sub Iuliano archiepiscopo Toletano: tertio, decimam sextam:
quarto, decimam septimam, sub Philippo eiusdē ecclesiæ Archiepiscopo, celebrari fecit.
Et quinque annis regno potitus, Toleti naturæ concessit, vt Ritius tradit. Iulianus cognomento Pomerius per hæc tempora (vt supra diximus) claruit. Is ex Iudæo Christianus factus, tantam omnis generis doctrinæ: præcipue autem sacrarum literarum cognitionem est consecutus, vt tertio post Ildefonsum ordine in Toletanū archiepiscopatum suffectus sit. Scripsit vir iste sanctissimus libros complures, obiitque 8. Kal. Martii, quo in ecclesia Toletana festum eius celebratur.

Vitisa.

VITISA Egytæ filius, mortuo patre regnum occupauit Gothorū & Hispaniarum an-
698. no Iesu Christi 698. Hic Theodofredum quem Eringius regno exegerat, cōfossis oculis Cordubam relegauit, & Fauillam Ducem Cātabriæ, virum inter Gothos illustrem, Tudelæ occidit. Pelagius Fauillæ filius ob metum Vitisæ in Cantabriam aufugit, vt infra dicetur. Multa nefanda ob libidinem suam ipse Vitisa (vt aiunt) lege permisit. Sacerdotibus etenim indixit, vt quot quisque vellet aut posset alere, vxores duceret. Ipse vero nullū incontatum reliquit libidinis genus. Iudæis multa priuilegia concessit. Sed ne peccata eius impunita manerent, Rodericus Theodofredi & Reciloniæ eius vxoris filius, magno exercitu cōgregato aduersus Vitisam mouit, & dignitate regali spoliatum, Cordubam, oculis itidem confossis, anno sui regni nono ablegauit, vbi miserabiliter vitam finiuit, absq; honore sepultus, referente Ritio.

Costa.

COSTA Roderici frater ętate maior, ac Theodofredi (de quo supra nobis sermo) filius,
imperium Hispaniarum post mortem Vitisæ, consensu omnium Gothorum accepit
707. anno salutis humanæ 707. Hic anno tertio sui regni fato functus est, duobus filiis impuberibus relictis, vt Michael Ritius Neapolitanus scribit.

Rodericus.

RODERICVS, ad quem regnum Gothorum Hispaniarumque successione Theodofredi patris Sindasundi filii perueniebat, omniū Gothorum suffragiis, vita functo Co-
710. sta fratre, rex creatus est, anno aduentus Saluatoris Iesu Christi 710. Hic quum filiæ vel vxori (vt aiunt) Iuliani Comitis Cantabriæ stuprum intulisset, indignatus Comes, Rodericum regem perdere cupiēs, ex Aphrica numerosos euocauit exercitus Saracenorum, ducē Muza à Miramolino rege cuius hic vices gerebat, missos. Qui in Hispaniam traiicientes anno septimo, mēse sexto eiusdem Roderici, quicquid terrarum à mari ab Pyrenæum longe lateque patet, Cantabris duntaxat & Asturibus exceptis, 30. mēsium spatio in suam ditionem redegerunt. Variis autem præliis quæ biennio per Hispaniam gesta fuerunt, ad 700. hominum millia vtrinque cæsa dicuntur. Post interitum Roderici ad oppidum Xericium, Maurorum Duces partæ recēs Hispaniæ permultos imposuerunt Reges, adeo vt annis non amplius 20. ex Maurorum gente 15. Hispaniæ imperauerint. Nam cum Rex omnium votis respondere non posset, populari tumultu vel occidebatur, vel imperium deponere cogebatur. Incidit calamitosa hæc nobilis prouinciæ Hispaniæ alienatio, 13. mensis Nouembris, anno decimo septimo supra septingentos à natiuitate Christi, vt Michael Ritius scribit, & in historia Hispanica probatur.

Pelagius.

PELAGIVS, Fauillæ ducis Cantabriæ quem Vitisa occiderat, filius, trucidato patre, ob metum Vitisæ in Asturias se recepit, ibique latitans, dū Hispania à Sarracenis esset occupata, & Rodericus in prælio concidisset, auxilio cœlesti fretus potius quā opibus quas vel nullas vel perexiguas habebat, finitimorum quorundam auxilio regnum accepit, an-
717. no Saluatoris Iesu Christi 717. Hic primo ciuitatem Legionis & nonnulla oppida recuperauit cum Alfonso Duce Cantabriæ, cui filiam suam Ermisendam dedit in vxorem: & sic Asturum Legionisque Rex appellari voluit. Qui quum in oppido Cange quod à Mauris inter alia receperat, permaneret, fato fūctus est anno imperii sui 20. authore Ritio Neapolitano: alii scribunt regnasse annos 30. Otgerius Gollantes, Germanus, cognomento Cathe-

Cathelon, his temporibus, id est, anno salutis humanæ naturæ 733. in Cathaloniam cum exercitu mouit, comitatibus eum nouem viris illustribus, sanguine claris, & virtute probatis, quorum nomina cognominaque fuerunt: Napipher Montcada, Galerādus Pinos, Hugo Mataplana, Guillermus Ceruera, Guillermus Raymūdus Ceruello, Petrus Alemany, Raymundus Anglesola, Gispertus Ribelles, & Berengarius Rogerius Erill. Hi in obsidione Emporiæ ciuitatis, agri Gerundensis, ducem Otgerium fato amiserunt. in cuius locum surrogato Napiphero Montcada, viro illustri, ob metum Sarracenorum, cum exercitu ad Ceritaniæ loca tuta & Pyrenæos montes, vti pueros, vxores, & impedimenta relinquerant, se receperunt, ibique vsque ad aduentum Caroli Magni Imperatoris permanserunt. Sed de ingressu Otgerii surgit opinio, an à Carolo Martello missus sit, vel a Pipino vt alii dicunt. Nam teste Paulo lib. 6. his temporibus Visigothi omnes qui citeriorem Hispaniam longe ante occupauerant, omni ope destituti, in Caroli Martelli potestatem deuenere. Nam & Luitprandus 28. Rex Longobardorum, genere Gothus, ipsi Carolo copias auxiliares transmisit: ac sic Visigothi qui trecentis quasi annis in Hispania imperauerant, funditus deleti sunt, præter paucos quos Barcinonenses liberauerant. Vnde & nunc Gotholani (vt aliqui opinātur) dicti sunt, vel à Gothis & Alanis qui promiscue citeriorem obtinebant Hispaniam. Antiquitus vero Laletani dicebantur, vulgo nunc Cathalani. Fuerunt autem Alani, Scythiæ populi prope Istrum, vnde Lucanus:

Et sequerer duros æterni Martis Alanos.

Fauilla.

FAVILLA, filius Pelagii, mortuo patre, in regnum Asturiarum Legionisq; successit anno ab adētu Iesu Christi 737. Sed nō diu regnauit. nam ab vrso in venatione laniatus, 737.
anno sui regni secundo occubuit.

Alfonsus.

ALFONSVS, Petri Cantabriæ Ducis è gente Gothorum filius, ob vxorem suam Ermisendam, Pelagii Regis filiam, regnum obtinuit anno salutis humanæ naturæ 739. 739.
Hic regnum Nauarræ, magnamque Hispaniꝗ partem, & Lusitaniæ vrbes & oppida complura, eiecto Maurorum præsidio, recepit: ex quo Catholicus cognominatus est. Arianā hæresin quæ in Hispania rursus pullularat, extirpauit. Ex vxore sua filios 3. suscepit, Phroillam, Vimeranum, & Aurelium filiamque Egimandam, & ex pellice Mauregatum. Regnauitque, quum ab humanis discessit, annis 19. Garcias Ximenes, vir strenuus, qui Rex Sobrarbæ vocabatur, in Aragonia ex stirpe Gothorum genitus, his temporibus claruit, & primus Mauros a Pyrenæorum montium finibus, aliisque propinquis locis armis depulit, ac loca multa breui tempore, quamplurimis ad eum propter victoriæ recētem famam cōuenientibus, ditioni suæ subegit, & magnam Nauarræ prouinciæ partem, fugatis Mauris, Christianis restituit. Obiitque Ximenes anno Chisti 758. quum annis 30. regnasset, in ecclesia S. Ioan. Baptistæ de Petra, vulgo *de la Pennya*, à se constructa, sepultus. Gestabat Garcias Ximenes in vexillis & armis arborem viridem, & super eam crucem rubram in croceo campo. Pipinus Iunior, Caroli Martelli Imperatoris filius, collectis copiis in Sarracenos mouit, peremptoque eorum rege, partem Hispaniæ vi cepit. Tandem & ipse senio cōfectus, migrauit ad Dominum, relicto post se Carolo Magno filio gloriosissimo.

Froilla.

FROILLA, mortuo patre Alfonso, in regnum successit anno Christi 758. Hic regnum 758.
Nauarrꝗ obtinuit propter vxorem suam Moynam. Aduersus Sarracenos Galliciam infestantes bella fœlicia gessit, cæsis quinquaginta quatuor millibus Arabum, à quibus ditissima spolia & diuitias consecutus est. Nauarros rebellantes inuasit, Vascones infestos subdidit, & in Asturias reuersus, Vimeranum fratrem manibus propriis ob inuidiam occidit. Sed postea ne peccata eiusdem impunita pertrāsirent, eodem lethi genere, quo Vimeranus, extinctus est à fratre suo Aurelio. Reliquit Froilla ex cōiuge sua filios duos, Veremundum & Alfonsum, regnauitque annis 13. in ciuitatis Ouetensis ecclesia à se condita sepultus. Garcias eius nominis secundus, cognomento Ynegues, filius Garciæ Ximenis, in Sobrarbæ regnum mortuo patre successit. Pampilonā primariam ciuitatem Nauarræ, multaque oppida breui spacio temporis à Mauris liberauit, ad cultumque Christi reduxit. Regnauit annis 30. in cœnobio Sancti Ioannis de la Pennya sepultus, anno ab

Progenies Froillæ.

An. Christi.

incarnatione Chriſti 788. His temporibus vir quidam nomine Aſnar, cum quibuſdam Chriſtianis præclari nominis, Aragonem fluuium traiiciens, caſtella & oppida multa, Iacamq; ciuitatem ad Chriſtianam fidem reuocauit. Quibus proſpere geſtis, quoniam primus Aragonem ſuperauerat, Aragoniæ prouinciæ Comes appellatus eſt, poſt cuius mortem in dicto Comitatu ſucceſſit Galindus eius filius.

Aurelius.

AVRELIVS filius Alfonſi, cæſo fratre ſuo, regiam Hiſpaniarum occupat dignitatem,
771. anno ab incarnatione Saluatoris Ieſu Chriſti 771. Hic Veremundum filium Froillæ ad inuidiam periculumque declinandum in ſpem ſucceſſionis adoptauit. Per hæc tempora ſerui per omnes Hiſpanias cõtra dominos inſurgentes, Aurelii induſtria verberati, in priſtinam ſeruitutem redacti ſunt. Exceſſit Aurelius ab humanis anno regni ſui ſexto, prolis expers.

Sillo.

SILLO, gener Alfonſi Catholici Regis, cui nupta erat Egimanda, filia eiuſdem Alfonſi, ſororque Aurelii, depulſo Veremundo quem Aurelius adoptauerat, ſolus regnum ad-
777. miniſtrauit anno ſalutis humanæ naturæ 777. Hic pacem ignominioſam, male tamen obſeruatam, cum Arabibus firmauit, Galliciamque rebellantem domuit: & quum annis ſex, vel (vt aliqui ſcribunt) octo regnaſſet, diem clauſit extremum.

Mauregatus.

783. MAVREGATVS ſiue Magaretus, Alfonſi cognomẽto Catholici ex pellice filius, mortuo Sillone regnum occupat anno ab aduentu Ieſu Chriſti 783. Sarracenorum pręſidio cum quibus fœdus iunxerat, firmatus, pactus (vt aiunt) cũ Maurorum regibus, quotannis virgines quaſdam in ſtipendiũ mittere. Hic Alfonſo Catholico patri ſuo valde diſſimilis fuit. Illo enim nullus optimis quibuſque viris fuit deditior: hoc autem nemo ſceleratis coniunctior. Illo nullus principum ſuo tempore caſtior: hoc nullus nefariis voluptatibus inclinatior. Illo nullus liberalior: iſto nullus rapacior. Illo nullus animoſior: hoc nullus timidior. Quæ non permittente Deo, omnium applauſu è medio ſublatus eſt, anno tertio ſui regni.

Veremundus.

VEREMVNDVS, filius Vimerani, nepos Alfonſi cognomento Catholici, Maurega-
786. to iã fato functo, in regnum Hiſpaniarum ſucceſſit anno Saluatoris Ieſu Chriſti 786. Hic memoria repetens ſe adhuc priuatum in ordinem diaconatus eſſe cooptatum, mortua vxore ſua, ex qua Raymirum & Garciam filios procreauit, Alfonſum eius cõſobrinũ, Froillæ filium, pro ſe regnare iuſſit, & continuo in religionem tranſiit, anno regni ſui ſecundo. Fortunius, filius Garciæ cognomento Yneguis, mortuo patre in regnum Sobrarbæ ſucceſſit. Hic filiam Galindi, Aragoniæ Comitis, in vxorem duxit, & ratione coniugii Comitatus Aragoniæ titulos accepit: ex qua vxore Sanctium genuit filium, qui mortuo patre in regnum ſucceſſit. Regnauitque Fortunius annis 27. quum ab humanis diſceſſit.

Alfonſus II.

ALFONSVS eo nomine ſecundus, cognomento Caſtus, filius Froillæ, regnum Aſturiarum Galliciarumq; accepit per reſignationem (vt diximus) Veremũdi, anno Do-
788. mini 788. Hic acceptis à Carolo Magno auxiliaribus copiis, ſuperatiſque Sarracenis qui fines Aſturum ferro ignique populabantur, Vlyſſiponam ciuitatem Luſitaniæ quæ nunc Portugalia dicitur, ſuæ ditioni ſubegit, è quorum manubiis Ouetenſem & Aſturicenſem erexit eccleſias, dotauitque reditibus. Et vergente in ſenium ætate, cum improlis eſſet (vxorem ſiquidem religione ductus neque duxit, neq; mulierem attigit, vnde illi Caſto cognomen) totius populi conſenſu Raymirus Veremundi filius Rex creatur, poſtquam annos 41. regnauerat. Hoc Alfonſo regnante, in Ouetenſi templo fama eſt crucem auream, ſine humano artifice factã, repente cõparuiſſe, quam Rex qui eam primus aſpexit, ſacerdotibus oſtendit, & religioſiſſime ſeruari iuſſit. Sanctius Garcias, Fortunii filius, patre fato functo, regni gubernacula Sobrarbę accepit. Hic in Mauros ducto exercitu, tota ſibi fere Nauarræ prouincia ſubiecta, pręliũ cõmittens, hoſtiũ multitudine circumuẽtus, ſine prole occiditur. poſt cuius mortẽ, Sarraceni regnũ Nauarrę & Sobrarbę, partemq; Aragonię

per

per aliquot annos posſederunt. Etſi Sobrarbæ regnum finem accepit, vbi ſub quatuor regibus 97. annis regnatum eſt, quorum iterum nomina & tempora ſubiicimus.

Sobrarbæ regum Epilogus.

1	*Garcias Ximenes*	*annis* 30	3	*Fortunius*	*annis* 27.
2	*Garcias Ynegues*	*annis* 30	4	*Sanctius Garcias*	*annis* 10.

Carolus Magnus Imperator, filius Pipini Iunioris, anno Chriſti 796. in Hiſpaniā mouens aduerſus Sarracenos à fide noſtra alienos, Pampilonem Cęſarauguſtamque nobiliſſimas ciuitates vi cepit, captaſque militibus ſuis diripiendas conceſſit, nullas præſcribens pacis conditiones, niſi Chriſti fidem integre reciperent. Qui vero in præſidio Barcinonæ erant, Carolo, audita victoria, confeſtim deditionem fecerunt. Nam Zatus Barcinonenſis præfectus cum ipſa vrbe in Caroli partes tranſiit. Legati quoque Oſcenſium ad Carolum petentes ſupplicatum venerunt, vt ciuitati parceret, nunciantes Sarracenos quibuſcum ipſis erat ea ciuitas communis, Chriſtianæ fidei cultum ſponte ſuſcepiſſe. Per hæc tempora Turpinus Remenſium archiepiſcopus, & nouem cum eo antiſtites, iuſſu Caroli, ædem D. Iacobi ſacram Compoſtellæ Gallicię dedicarunt. Mortuo autem Carolo, quū Naydo Aquitaniæ præfectus rebellaſſet (vt Platina & alii narrant) Abderamini Sarracenorum Regis auxiliis fretus, Auſoniam Hiſpaniæ citerioris vrbem, quæ nunc Vicenſis vocatur, dolo captam & direptam occupauit, caſtellaque aliquot valide munita, & magnam Hiſpaniæ partem, deficientibus populis occupat. Solus autem Bernardus Barcinonenſium Comes, terra marique vexatus, in Imperatoris fide permanſit. Sed priuſquam Pipini copiæ quem Ludouicus Imperator ad id bellū præmiſerat, ſubſidio adeſſe potuerint, Naydo Barcinonenſem Gerundenſemque agrum inſigni clade affecit. Tunc Ludouicus eius nominis primus, cognomento Pius, ſecundus à Carolo Gallorum Imperator & filius, ex mandato patris Barcinonam venit, anno Ieſu Chriſti 815. de pulſiſq; Sarracenis, mortuo iam Bernardo Comite ſupradicto, Iamfredo eam gubernandam dimiſit, anno Chriſti 825. Ab hoc Iamfredo poſtea originem traxerunt Comites Barcinonę. Froyllanus Epiſcopus Legionenſis per hoc tempus claruit, cui Alfonſus, eo nomine ſecūdus Legionis Rex, facultatem dedit ædificandi monaſteria & cœnobia, & eligendi monachos vita probos qui ea colerēt, & Chriſtianę religioni militarēt. Multa de Froyllani ſanctimonia leguntur, quæ cauſa breuitatis omittimus. Per hæc tempora diuus Attilanus, epiſcopus Zamorenſis claruit, qui annum agens quintum & viceſimum, ad monaſterium Moreola iuxta Zamoram ſe contulit: tandem creatus eſt epiſcopus Zamorenſis, & ſanctiſſime vixit, quem vita functum Vrbanus ſecūdus papa in ſanctorum numerum retulit. Cuius natale tertio Nonas Octobris celebratur.

Raymirus.

RAYMIRVS filius Veremundi, regnum Aſturiarum, Gallicię, & Nauarræ, Alfonſo iam è viuis ſublato, paternum decus accepit anno humanæ ſalutis 829. Hic cum fratre 829.
ſuo Garcia, filio Veremundi (vt diximus) Hiſpalim à Sarracenis recuperauit. Vxorem duxit Vrracam, ex qua filium genuit Ordonium, qui mortuo patre in regnum ſucceſſit. His temporibus Nepotianus Comes Palatinus regnum occupare tentauit, cui Raymirus feſtina & armata manu reſtitit, copiiſque fugatis bello cepit, ac in monaſterio retruſum vitam finire coegit. Normannis ingenti claſſe littora Gallicię infeſtātibus, valida manu occurrit, habitoque cum iis conflictu 70. hoſtium naues ſuccendit, & laceratis eorum copiis, qui euaſerant, inglorios abire coegit. Hic felix Rex cum Sarracenis apud Calagorinā ciuitatem decertauit, in quo bello (vt aiunt) diuus apoſtolus Iacobus in albo equo pugnās apparuit & cæſis multis Arabū millibus, Calagorina cum adiacentibus locis in deditionē Raymiri deuenit. Regnauit annis ſex, menſibus nouem, & in Ouetenſi ciuitate (vbi diem clauſit extremum) ſepultus eſt. Per hoc tempus per Arabas ſiue Mauritanos, ducēti monachi ordinis S. Benedicti, vna die paſſi ſunt pro fide Chriſti martyrium iuxta ciuitatem Burgenſem. Victor in Cereſano oppido Hiſpaniæ his temporibus à Mauris corona martyrii donatus, à Chriſto cœleſtium numero aggregatus eſt: cuius natale 7. Kal. Septembr. apud Burgenſem diœceſin celebratur.

Ordonius.

ORDONIVS Gothorum principatum, poſt mortem patris ſui Raymiri, obtinuit anno Chriſti ſaluatoris noſtri 836. Hic aduerſus Vaſcones rebellantes exercitum congre- 836.

gauit,quibus ſubactis,& prouincia in ordinem redacta,reditum ad ſuos parans,comperit Arabes Luſitaniam depopulari,quos facta irruptione deuicit atque in fugam coegit. Muzam principem Sarracenorum patriam infeſtantem, trucidatis quadraginta equitũ millibus,inſigni clade affecit, & Lupum Muzæ filium Toleti imperitantem, principatui ſuo ſubiecit. Cauriam & Salmanticam à Mauris recuperauit. Vxorẽ duxit Mandimyam,ex qua filios ſex, Alfonſum, Veremundum, Henricum, Froillam, Minium,& Ordoniũ procreauit. Is quum ab humanis excederet,principatum ad decennium tenuerat. Iamfredus (cuius nobis ſupra fuit mẽtio) per id tempus Barcinonæ Comitatum regebat, qui quũ ad regem Ludouicum Franciæ perrexiſſet,apud Narbonam ciuitatem à militibus ipſius regis,per inuidiam,affectu dominãdi interemptus fuit,anno principatus ſui 60. Eo mortuo, filius eius vnicus Iamfredus impuber remanſit in poteſtate Flandrię Comitis,inſtãte Ludouico Rege Francorum.

Alfonſus.

846. ALFONSVS eo nomine tertius,cognomento Magnus,à morte patris ſui Ordonii regno ſucceſſit anno Saluatoris Ieſu Chriſti 846. Anno ſui regni primo, Froilla eius germanus Galliciam vſurpare tentans, ab iiſdem populis cæſus eſt. Cæteros autem fratres quum ſuſpectos Alfonſus haberet,omnes oculis priuauit. Cæſarauguſtam reſtaurauit, Luſitaniam (quæ nunc Portugallia dicitur) expulſis Sarracenis,Chriſtianis incolendã tradidit, Conimbricam Viſeumque eiuſdem prouinciæ ciuitates recuperauit, Zamoram condidit. Vaſcones præterea, Nauarroſque qui tunc à Mauris acriter oppugnabantur,ab obſidione liberauit. Hic etiam (vt ſcribit archiepiſcopus Toletanus) templum S. Iacobi apoſtoli primum excitaſſe legitur,& Ouetenſe metropoliticum conſtituiſſe. Ad quẽ Ioannes octauus Pontifex ſcripſiſſe dicitur, hoc modo: *Ioannes ſeruus ſeruorum Dei Alfonſo Hiſpaniæ Regi Chriſtianiſſimo ſalutem & benedictionem.* Ex cuius ſcripti authoritate Hiſpaniæ regẽ in primis orthodoxum exiſtimant. Sub hoc militaſſe dicitur Bernardus cognomento Carpius. Liberos habuit quatuor: Garciam, Ordonium, Froillam, & Gondiſſaluum, qui Archidiaconus fuit Ouetenſis eccleſię. His temporibus refert Lucas Tudenſis,apud Cordubam à Sarracenis tunc occupatam,regnaſſe quendam nomine Mahometum. Alfonſus autem quum annis 40. regnaſſet,naturæ conceſſit. Per hoc tempus, videlicet anno Chriſti 874. vrbs Burgenſis, vulgo Burgos, olim dicta Mas Burgi, aliis Brauum, ſiue Auca, iubente Comite Didaco domino Caſtellæ,nouis colonis habitari cœpta eſt,vt habet Hiſpanica hiſtoria. His temporibus apud Cordubam ciuitatem Pelagius ætatis decẽ fere annorum, in carcerem detruſus ab Abdarameno Rege, quum abnegare Chriſtum nollet,martyrium glorioſe ſuum compleuit 6. Kal. Iulii. Iamfredus eo nomine ſecundus, cognomento Piloſus, à pilorum multitudine, filius (vt diximus) Iamfredi quem milites Regis Franciæ necauerunt,in Comitatu Barcinonenſi ſucceſſit. Hic Salomonem qui patrem ſuum occiderat, manibus propriis interemit, & Comitatum Barcinonenſem ab illo prius occupatum,ſibi ex iure vendicauit. Vxorem duxit Guideluindim filiam Comitis Flandriæ, ex qua liberos quatuor habuit: Radulfum qui primus fuit in ordine cœnobii Beatæ Mariæ Riuopulli, quod Iamfredus à fundamẽtis primitus conſtruxerat anno Chriſti 888. poſtea vero Epiſcopus Vrgellenſis electus: Iamfredum qui veneno mortuus eſt: Mironem qui mortuo patre in Comitatibus Barcinonæ, Biſulduni, Roſilionis & Ceritaniæ ſucceſſit: & Sunyerum poſtea Comitem Vrgellenſem. Huic Iamfredo Ludouicus Rex Franciæ, quicquid in Barcinonæ, Ruſſinonis, & Ceritaniæ principatu iuris habebat,totum & integrum liberaliter dedit, vt propriis viribus aduerſus Mauros prouinciam tueretur,anno incarnationis Saluatoris Chriſti 875. Iamfredus itaq; anno ſui principatus 27. ab humanis exceſſit, anno Chriſti 912. cuius corpus in monaſterium Riuopulli deportatum fuit. Sunt qui dicant,huius temporibus beati Vincentii corpus à Valẽtia citerioris Hiſpaniæ ciuitate,à quodam monacho in pagum Albienſem vlterioris Galliæ deportatum.

Garcias.

886. GARCIAS gubernacula rerum patre Alfonſo defuncto ſubiit,anno ſalutis humanæ 886. Is breui tempore præclara bella contra Arabes confecit,& Ayolam Regẽ Maurorum cum magna præda captiuum fecit, ex qua precioſiora ſpolia eccleſiæ S. Saluatoris Ouetenſis contulit, vbi nunc & ipſe iacet ſepultus, quum ad tertium annum regni ſui perueniſſet: nec ex ſe prolem reliquit. Nunilo & Alodia virgines, ſorores, ſub idẽ tempus id eſt, anno Chriſti 851. in Oſca citerioris Hiſpaniæ ciuitate, quum in fide Chriſti proficientes,

ficientes,ieiuniis,orationibus, & vigiliis incumberent, à Mauris martyrium acerbissimũ fortissime pertulerunt. *An. Christi.*

Ordonius II.

ORDONIVS eo nomine secundus,in defuncti fratris locum suffectus, regnum accepit anno ab incarnatione Iesu Christi 889. Hic prudens & sagax victorias plurimas cõtra Arabes obtinuit,totam fere Lusitaniam deuastauit,Alarim castrum occupauit,ecclesiam Legionensem plurimis reditibus ornauit & auxit.Semel tãtum à Mauris victus fuit: quo bello Legionensis & Asturiensis episcopi, viui in hostium potestatẽ deuenere, quorum Asturiensis iussu Abderæ Maurorum Regis apud Cordubam martyrio coronatus est.Hic Ordonius quatuor Comites Castellę qui tunc Regi Legionis subiiciebantur,interposita fide publica ad se vocatos, iuxta Carrionem oppidum dolo cepit, & apud Legionem in carcere necari iussit.Fuerunt autem Comites interfecti, Nunius Ferdinandus, Donus Almudus, Aluus Didacus filius Doni,& Ferdinandus Sul. Ob quod scelus Castellæ prouincia quæ hactenus regibus Legionis parebat,à subiectione se subtraxit,quosdamque ex sua nobilitate creauit qui de publicis priuatisque controuersiis inter eos cognoscerent:eosque Iudices appellari placuit. Ex his alteri Nunio Rasaurauo nomen fuit,à quo Ferdinandus Gonsaluus:alteri Layno Caluo,vnde Rodericus Didacus cognomẽto Cidus,viri bellica virtute illustrissimi,originem duxerẽ. Ordonius itaque quum ex coniuge filios Alfonsum Raymirumque reliquisset,anno octauo sui principatus,mense sexto diem clausit extremum. 889.

Froilla II.

FROILLA eo nomine secundus, Alfonsi Magni filius, post mortem Ordonii sui fratris, in se principatum transtulit,anno salutis humanę naturę 898.quo tamẽ vt fraude quęsito(quum ad liberos Ordonii regnum pertineret) diutius frui non potuit. Nam vno post anno duobusq; mensibus,lepræ morbo correptus interiit, quatuor relinquens filios, Alfonsum,Raymirim,Ordonium,& Froillam nomine paterno. 898.

Alfonsus IV.

ALFONSVS eius nominis quartus,mortuo patre Froilla,in imperium suc- cessit anno Christi 899.Qui monasterium ingressus,in religionis verba iurauit,regnumq; Raymiri fratri dimisit:sed paulo post facti pœnitens,religionem quam professus erat aspernatus,regnum quo cesserat repetiit.Vnde à fratre Raymiri captus,oculis effossis luce priuatus est, Ordonio filio cui cognomen Malus, ex Imena superstite relicto, sui regni anno 5. mense 7.At Raymiris hanc crudelitatem pietate constructi à se templi pensauit,in quo eũ honorifice tumulauit. His temporibus prouincia Castellæ à Romanis olim castellorum præfectis Castellæ nomen accepit,& à iudicibus à nobilitate sua(vt diximus)creatis, regi cœpta est. 899.

Raymiris II.

RAYMIRIS eius nominis secundus,fratre Alfonso quarto concedente, rerum potitus est anno humanæ salutis 904.Hic duos habuit filios,Ordonium & Sanctium, quorũ vterque deinceps post patrem imperarunt.Hic Raymiris sociatus Ferdinando Gondisaluo primo Castellæ Comite (quem Comitatum in feudum à Rege Legionis tenuit) apud Osmam ciuitatem contra Arabes victoria gloriosa potitus est: & rursus apud Simancas grauissimo bello commisso,80.millibus Arabum trucidatis, Abenayrum Sarracenũ Cęsaraugustæ Regem viuum cepit.Raymiris itaq; in principatu suo annis vndeuiginti,duobusque mensibus regnauit,dum ab humanis excessit.Ennicus cognomẽto Arista,ex Gothica gente, vel(vt alii volunt)ex Comitatu Pigorrensi,per hæc tẽpora,hoc est,anno Domini 912. ex montibus Pyrenæis cum exercitu descendens, magnas Maurorum copias deleuit, & victor in Nauarram rediens, princeps à Nauarris & Aragonibus eligitur: vbi armorum certaminibus ardens,fatis concessit,& Garciam Ennicum filium reliquit. Miron(vt diximus)filius Iamfredi secundi,mortuo patre, per hoc tempus,anno Iesu Christi 912.in Comitatu Barcinonensi successit. Hic per annos 17.principatum cõtinua pace gubernauit,liberos ex vxore tres habuit:Iamfredum quem sibi successorem reliquit:Oliuanum qui Comes Bisulduni,Rossilionis,& Ceritaniæ fuit:& Mironem,Gerundæ Comitẽ & Episcopum. Obiit Miron Comes Barcinonæ,anno Domini 929. & filiis admodũ paruulis Sunyerum fratrem suum tutorem & principatus gubernatorem instituit. 904. 912.

An. Christi.

Ordonius III.

916. ORDONIVS eo nomine tertius, filius natu maximus Raymiris, mortuo patre regnum suscepit anno ab aduentu Christi 916. Vrracam, filiam Ferdinandi Gondissalui Castellæ Comitis, vxorem duxit. Quem Ordonium quum Sanctius eius frater, Garciæ Regis Nauarræ matris suæ fratris, eiusque auunculi Ferdinandi Gondissalui opibus, è regno deturbare tentasset, consiliaque non successissent: Ordonius Vrracam vxorem dimisit, aliamque superduxit. Cæterum quia Gallicia fauebat Sanctio fratri, Ordonius congregato exercitu Gallecos perdomuit. Et quum annis 25. regnasset, Veremundum relinquens filium, naturæ concessit. Garcias Ennicus, patre Ennico Arista defuncto, in Aragoniæ regnum per hæc tempora successit, vir nō minus armis strenuus, quam vita & moribus integer. Cui nupta fuit Vrraca, fœmina virtutibus & genere nobilissima, ex qua natus fuit Sanctius Garcias, cognomento Abarca, forte (vt historia Aragonum narrat) cæso Vrracæ ventre, qui in regno successit.

Ordonius IV.

941. ORDONIVS huius nominis quartus regnare cœpit anno ab incarnatione Christi 941. Huic cognomentum fuit Malus, filiusque fuit Alfonsi quarti, vt diximus: & quia regium iniuste sibi nomen arrogauit, populus Sanctium Ordonii tertii filium in regem petebat, qui non multo post apud Cordubam Ordonium prælio victum interemit. Quamdiu regnauerit hic Ordonius, minime ob eius temporū perturbationem cōstat: sed ab aliquibus anni 20. ei dantur. Iamfredus eo nomine tertius his temporibus patre Mirone defuncto, in Comitatu Barcinonę sub patruo Sunyero tutore Vrgellēsi Comite annos 16. permansit: ætatem vero pupillarē egressus, annis 19. in principatu fuit. Hic ab humanis discedens absq; liberis, dominiū reliquit Borrello Sunyeri Comitis Vrgellensis filio, patrueli suo, quod Oliuanus eius frater ad gubernandum minus esset idoneus, propter linguæ balbutientis impedimentum. Non enim vocem poterat emittere, nisi prius terram manibus effodisset: vnde cognomine Abreta fuit appellatus. Obiit Iamfredus anno Domini 964. Ermengaudus Sunyeri supradicti Comitis Vrgelli filius, Episcopus Vrgellensis, per hęc tempora claruit, vir adeo pius, vt merito in sanctorum numerum relatus sit, cuius natale Kal. Nouembris celebratur.

Sanctius I.

961. SANCTIVS eo nomine primus, Crassus ab habitu corporis cognominatus, filiusque Ordonii tertii, regnare cœpit anno salutis humanæ naturæ 961. Hic quum tantam saginæ molem vix ferret, ad eamq; leuādam nihil intentatum relinqueret, Cordubam Abderamari regiam qui Sarracenis imperabat, impetrata prius ab eo pace, anno regni sui 13. profectus est. Vbi inter medicorum experimenta, quorum magna turba apud Abderamarū erat, herbę cuiusdam vi ad maciem deductus, haud ita multo post excessit, non sine veneni dati suspicione, filium Raymirum relinquens. Viuens Castellam quam Ferdinandus Gondissaluus à Rege Legionis in feudum tenebat, ex fœdere liberam esse iussit. Sanctius Garcias cognomento Abarca, mortuo patri in regnum successit Aragoniæ, vxoremque duxit Todam, ex qua liberos vtriusque sexus quinque habuit: Garciam Sanctium qui in regnum successit, Vrracam quæ nupsit Alfonso regi Legionis, Sanctiam quæ Raymiro Castellæ, Mariam quæ Ordonio Legionis, & Blanquam quæ Nugno Comiti Cantabrię. Fuit Sanctius bellicosissimus: siquidem Mauris victis ac depulsis à Cantabris & Pyreneorum mōtium finibus, ad Naiaram ciuitatem peruenit. Regnauit Sanctius, dum ab humanis discessit, annis 56. filium Garciam Sanctium relinquens hæredem, eiusque corpus in ecclesia S. Ioannis de la Pennya humatum est. Borrellus, mortuo Iamfredo fratre patruele (vt diximus) his temporibus principatum obtinuit Barcinonæ, quo tempore Mauri ciuitatem Barcinonam Kal. Iulii, anno Christi 985. occupauerant: sed eodem anno Borrellus eam recuperauit, & Sarracenos à tota prouincia Barcinonensi breui tempore eiecit, ibique reliquo vitæ suæ tempore tranquillissime vixit, & finem Maurorum bellis imposuit. Liberos ex vxore duos habuit, Raymundum Borrellum qui patri successit, & Ermengaudum qui Vrgelli Comes fuit: principatumque tenuit annis 28. obiit vero anno Christi 993.

Raymiris III.

974. RAYMIRIS eo nomine tertius, Sanctio patre defuncto, in principatu successit anno humanæ salutis 974. ætatis annum agens quintum. Ex consilio matris cum Arabibus pacem

pacem init, Gundriedum Normannorum regem, littoribus Galliciæ magna classe appulsum, vrbesq; & municipia vastantem, cum Sanctio Gundissaluo Castellæ Comite, eorum nauigiis succensis, ad vnum interemit. Interim Arabes, violata pace quæ inter eos & Raymirim sancita erat, Zamoram aggressi funditus subuerterunt. Vrracam nobili ortam loco duxit vxorem Raymiris, tametsi ætate & actibus puer, insolentius se gereret. quapropter Galleci, contempta regis ætate, Veremundum regis Ordonii filium, regem apud Compostellam sibi creauerunt. Contra quem valido exercitu progressus Raymiris, prælio commisso vtrinque inuicti discessere, non sine graui vtriusque gentis cęde. Obiit Raymiris apud Legionem ciuitatem nullis ex se liberis relictis, quum regnasset annis 25. Sanctius Gondissaluus, mortuo patre Ferdinando, in comitatu Castellæ successit. Ex vxore sua suscepit Garciam Gondissaluum, & Eluiram, quæ nupta fuit Sanctio regi Aragoniæ & Nauarræ cognomento Maiori. Garcias Sanctius, Sanctii Garciæ (dicti Abarca) filius, regnum Aragoniæ patre fatis functo his temporibus obtinuit. Tremuli cognomen à tremore quo futura bella præsentiscens corripiebatur, assecutus est, tametsi in prælio fortis esset & intrepidus. Regnauit annis 28. quum ab humanis discessit. In Ecclesia S. Ioannis de la Pennya sepultus est, Sanctium filium relinquens, qui in regno successit. Raymundus Borrellus in patris Borrelli demortui locum, in Comitatu Barcinonæ, per hæc tempora suffectus est. Huic Berengarium filium vnicum Ermesenda vxor peperit, qui ab eo Comitatum obtinuit. Vir fuit Raymundus Borrellus in re militari strenuus. Nam ab Alfonso Legionis rege contra Mauros accitus, in vlteriorem Hispaniam libenter profectus est, & præcipua parte Comitum ac militum Cathaloniæ instructus, iuxta Cordubam eidem Alfonso magnos etiam ductanti exercitus se coniunxit. Vbi cum Mauris conflictu habito, strenue pugnatum est, & victoria consecuta, in Cathaloniam Raymundus Borrellus cum omnibus equitibus suis rediit, præter Ermengaudum fratrem suum, Vrgelli Comitē, qui prælium primus ingressus, à Mauris multis confossus vulneribus cecidit. Obiit autem Raymundus Barcinonem reuersus, anno regni sui 24. & à parta Christianis salute 1017.

An. Christi.

Veremundus II.

VEREMVNDVS eo nomine secundus, Ordonii tertii filius, affectato regno Legionensi potitus est, anno salutis humanæ 999. In quem ducto Almanzor Maurorū rex 999.
exercitu, primo quidem congressu pulsus est, sed instaurato prælio Veremundum vicit, atque in fugam vertit. In qua expeditione Legionem vrbem expugnauit. Aggressus exinde prouinciam Galliciæ, Compostellanam diripuit ecclesiam: à corpore tamen D. Iacobi Apostoli abstinuit, perterritus (vt ferunt) quodam fulgore diuinitus apparente: ex eoque metu soluta aluo, cum incidisset in morbum dysenteriæ, huic bello finem dedit. Post hæc autem Veremundus & Garcias coniunctis copiis, magnam Almanzori cladem intulere. Itaque parta victoria Veremundo cessit. Quapropter animi dolore consternatus Almanzor, paulo post è vita decessit. Veremundus autem hac victoria elatus, superbe nimis ac crudeliter erga omnes se habuit, & Compostellanum Ouetensemq; præsules in carcerem coniecit. Cæterum Ouetensem paulo post, viso portento quodam admonitus, liberauit, facinusque suum detestatus, aliis compensauit officiis. Nam S. Iacobi loca sacra quæ ab hostibus diruta fuerant, restituit. Duas habuit vxores: ex priore, Alfonsum filium, ex posteriore, Terasiam filiam reliquit: quumq; annis septenis regnasset, diē clausit extremū.

Almāzor animi dolore obit.

Alfonsus V.

ALFONSVS eo nomine quintus, mortuo Veremundo, in Legionis regno successit anno salutis humanæ 1006. Hic adolescens cum esset, prauo ductus consilio, 1006.
Terasiam sororem pertinacissime recusantem ad nuptias Abdalæ qui Sarracenis Toleti imperabat, auxilia ab eo pactus contra regem Cordubæ, compulit. Verum enimuero Terasia virgo sancta, infidelis viri nuptias congressumq; detrectauit. Quæ quanquam sæpe precibus, sæpe minis vexata fuisset, mox tamen eo extincto liberata, sese Deo in cœnobio perpetuo dicauit. Vrracam, Garciæ Ennici regis Aragoniæ filiam, Alphonsus duxit vxorem, ex qua liberi fuerūt, Veremundus qui patri successit, & Sanctia quæ prius Garciæ filio Sanctii Comitis Castellæ nupta, eo in finibus Legionis interempto, Ferdinandi matrimoniū, Sanctii cognomento Maioris, regis Nauarræ filii, secuta est, qui postea rex Castellæ appellatus est, ac regnum Legionis per vxorem adeptus est. Agebatur annus vigesimus sextus ex quo Alphonsus regnare cœpit, quum in oppugnatione Visei, quod oppidum Mauri præsidio firmatū in Portugallia tenebant, telo vulneratus interiit. Garcias Gundis-

An. Christi. ſaluus Comitatui Caſtellæ, defuncto patre Sanctio (vt diximus) per hæc tempora præerat. Huic Sanctia filia Alfonſi quinti nupta fuit. Quo in finibus Legionis interempto, principatum ſuſcepit eius ſoror Eluira, vxor Sanctii Nauarræ regis cognomento Maioris. Sanctius cognomento Maior, Aragoniæ & Nauarræ rex, mortuo Garcia Sanctio Tremulo patre, in regnum ſucceſſit, vxoreſque duas habuit: primam nomine Eluiram, fœminam nobiliſſimam, ex qua Raymirum genuit, ſibi in regno Aragonię ſucceſſorem: qua mortua aliam ſuperduxit, Sanctii Gondiſſalui Comitis Caſtellæ filiam, nomine Maioram, ex qua liberos habuit, Ferdinandum, poſtea Legionis & Caſtellæ regem, Garciam Nauarræ, & Sanctium, quem nonnulli Gonſalum nominarunt. Hic rex Vaſconiæ ſiue Sobrarbæ fuit. A quibus ad hoc vſque tempus, cuiuſque prouinciæ deſcendunt ordine reges. Hic Sanctius Maior quum cum Ferdinando filio ex vxore Sanctia, filia Alfonſi eius nominis quinti, Legionis occupaſſet regnum, & idem Ferdinandus patri Sanctio curam commiſiſſet, appellari voluit totius Hiſpaniæ Imperator. Mauros ſiquidem omnes à Nauarræ, Aragoniæ, Caſtellæ, Legionis, Portugalliæ, Cantabriæ, & Vaſconum finibus exterminauit, regnauitque annis quatuor & quinquaginta, dum ab humanis exceſſit anno Chriſti 1018. cuius corpus ſepultum iacet in eccleſia S. Saluatoris Ouetanæ ciuitatis apud Aſtures: Imperatricis autem eius vxoris, in eccleſia S. Ioannis de la Pennya.

Veremundus. III.

1015. VEREMVNDVS huius appellationis tertius, patre Alfonſo interempto, continuo in eius ſubiit locum anno humanæ ſalutis 1015. qui non multo poſt, orta diſſenſione inter eum & Ferdinandum Sanctię ſororis virum, apud Carrionem oppidum in apertum Martem prorupit, collatiſq; ſignis in acie cecidit, anno imperii ſui decimo. Ferdinandus itaq; victor effectus, vxoris ſuæ prætextu Legionis regnum occupauit, patriq; ſuo Sanctio Aragonię Nauarręq; Regi eiuſdem curam commiſit, qui Caſtellam per Eluiram coniugẽ conſequutus obtinebat. Petrus quidam Compoſtellanus Archiepiſcopus per hoc tempus & fide, & eruditione, & conuerſatione, moribuſque inſignis fuit, & inter cætera cum beatiſſimæ virgini Mariæ addictiſſimus haberetur, nonnulla in eius laudem compoſuit. Berengarius his temporibus, anno Ieſu Chriſti 1017. mortuo patre Raymundo Borrello, Comitatum Barcinonæ obtinuit. Qui adminiſtratione ſuſcepta, militarem dignitatẽ cæteraſq; virtutes principibus maxime neceſſarias minus exercuit: ideoq; à Sarracenis magnam prouinciæ Tarraconenſis partem amiſit. Liberos ex vxore ſua Guilia ſuſtulit Raymundum Berengarium qui in Comitatu Barcinonenſi ſucceſſit patri, Guillermum Berengarium Comitem Minoreſſæ, & Sanctium qui Prior monaſterii D. Benedicti Bagenſis, & poſt mortem fratris, Comes Minoreſſæ fuit. Obiit autem Berengarius anno Domini 1035. cum adminiſtrationem regni habuiſſet annis duodeviginti.

Ferdinandus I.

1025. FERDINANDVS huius nominis primus, ſuæ prætextu vxoris Sanctiæ (vt diximus) Legionis regnum occupat anno Chriſti 1025. per Eluiram matrem Comitatum Caſtellæ conſequutus. Eluira namque ſucceſſerat fratri Garciæ Gondiſſaluo Comiti cui Caſtella parebat. Et hucuſq; à Pelagio primo regum Legionis & Aſturũ titulus durauit, exinde Caſtellæ Legioniſq; dicti ſunt. Hic ex vxore ſua liberos habuit Sanctiũ, Alfonſum, Garciamque, & Eluiram: ex pellice autẽ Ferdinandũ, qui in collegium Cardinalium cooptatus eſt. *Ferdinandi I. ſoboles.* A Mauris itaq; Ferdinandus rex Conymbricam ciuitatem potioremq; Portugalliæ partẽ recepit. Viuens regna diſtribuit liberis, Sanctioq; natu maximo Caſtellam, Alfonſo Legionem Aſturiamq; & Tranſimenam: filiabus Vrracæ & Eluiræ contulit Zamoram & Taurũ, Alfonſo fratre id petente: Garciæ vero Gallicia & Portugalliam adminiſtrandam dedit: annoq; 47. menſe 8. imperii ſui diem clauſit extremẽ, in ædem D. Iſidori apud Legionem illatus. Rodericus Viuarius, cognomento Cidus, his temporibus claruit, qui ſæpe victis acie Sarracenis Valentiam recepit, atque ſui iuris fecit. Huius res bellicæ virtute geſtæ, particulari commentario deſcriptæ circumferuntur. à quo (vt ferunt) originẽ trahunt Mendozæ familię. Raymiris filius Sanctii, cognomento Maioris, mortuo patre, per hoc tempus in regno ſucceſſit Aragonię. Vxorem duxit Ermiſendam, alio nomine Gilbigam, Armeniacis & Bigorrę Comitis filiam, ex qua liberos habuit duos: Sanctium qui ſucceſſit in regno, & Gondiſſaluum qui Iaccẽſis epiſcopus fuit. Habuit & filias totidẽ: Teraſiam quę nupſit Comiti Prouincię, & Sanctiã quę Comiti Toloſano. habuit prętereà ſpurium nomine Sanctium, cui Ayuarium & alia oppida cum ſuis confinibus dederat, & Comitis titulo ornauerat. His temporibus occiſo Sanctio rege Vaſconię ſiue Sobrarbę

absque liberis, Raymiri Vascones sese tradiderunt. quæ causa fuit, vt à Ferdinando rege *An. Christi.* Castellæ fratre occideretur, anno regni sui 46. ab incarnatione Christi 1063. cuius corpus vna cum vxore sua requiescit in ecclesia S. Ioannis de la Pennya. Raymundus Berengarius eo nomine primus, defuncto patre Berengario, anno Domini Iesu Christi 1035. in principatu siue Comitatu Barcinonæ successit. Hic militari virtute præclarus, non solum partem Barcinonæ principatus à Mauris occupatam recuperauit, sed etiam Maurorum reges duodecim, campestri prælio victos, sibi tributarios fecit: vnde subiugator Hispaniæ, ac murus Christiani populi, Augustusque serenissimus denominatus est. Vxores habuit duas: ex altera nomine Helisabeta, Petrum Raymundum, & Berengarium Raymundum: ex altera dicta Almodes, Raymundum Berengarium habuit: quorum Petrus Raymundus periit veneno, à nouerca (vt aiunt) dato. Raymundus Berengarius itaq; Comes quum annis 42. regnasset, à vita migrauit 6. Kal. Iunii, anno Christi 1076. & in ecclesia cathedrali Barcinonæ à se condita sepultus fuit, vna cum Almode cōiuge, in cuius sepulchro quod adhuc cernitur, intus epigramma reconditum est. *Hic est Raymundus Berengarius, Princeps Barcinonæ, Comes Gerundensis & Marchio Ausonensis, qui mortuo patre Berengario Comite, non tantum partem Barcinonæ principatus à Mauris occupatam recuperauit, verum etiam Reges duodecim Maurorum, campestri prælio victos, sibi tributarios fecit: vnde cognomen sortitus est, Propugnator & Murus Christiani populi.*. Hic vna cum Almode Comitissa coniuge sua constitutiones Cathaloniæ, vulgo *Vsatges*, condidit. Ecclesiā hanc cathedralem Barcinonensem, sedente Guilaberto pontifice, sub honore sanctæ Crucis, sanctæq; Eulaliæ 14. Kal. Decemb. anno ab incarnatione Iesu Christi 1058. condidit, priuilegiaq; plura concessit, terminos episcopatui præfixit, eandemque ecclesiam pluribus muneribus reditibusque dotauit. Garcias rex Nauarræ, ex numero eiusdem regni sextus, filius Sanctii cognomento Maioris, his tēporibus congregato exercitu Castellam ingreditur, cui occurrit Ferdinandus rex frater cum copiis suis: & inito prælio, cum Garcias insolens esset, & suorum animos non haberet, in eo bello victus & cæsus est. Cui successit Sanctius eius filius. Hic Garcias Blancam filiam genuit, quæ coniunx fuit Sanctii regis Castellę, cognomento Desiderati.

Sanctius II.

SANCTIVS eo nomine secundus, cognomento Desideratus, mortuo Ferdinando patre, in regnum successit Castellæ anno Christi 1073. & non contentus eo, Legionis re- 1073.
gnum sibi vendicauit, Alfonso fratre eiecto, qui Toletum ad regem Maurorum se recepit, vbi permansit, donec Sanctio mortuo à populis ad regni successionem reuocatus est. Blancam, Garciæ Nauarræ regis filiam, duxit vxorem. Is collectis militibus Gallaicos vicit, in eoque prælio Garciam fratrem occidit. Ipse Sanctius dignum factis vitæ finem sortitus est. nam anno sexto sui principatus, à Vellido dolfo per insidias interemptus fuit. Sanctius patre Raymiro defuncto, in regno Aragoniæ successit, ætate annorum 18. Fœliciam vxorem duxit, ex qua tres habuit liberos: Petrum, Alfonsum, & Raymirim, qui omnes regnarunt. Aduersus Mauros magna prælia gessit, de quibus multas consecutus victorias, oppida multa recuperauit, multaque condidit, scilicet Stellam, Lunam, Ayerbem, pluraque alia. Bellum quoq; gessit cum Garcia patruo rege Nauarræ, quem vicit & occidit, & à Nauarræ populis rex appellari voluit. Hic in oppugnatione Oscēsis ciuitatis sagitta percussus occubuit, anno sui principatus 45. cuius corpus primum in ecclesia Castrimontis Aragonum iacuit, exinde in monasterium S. Ioannis de la Pennya translatum fuit. Ferunt huius temporibus corpus beati Andaletii siue Indaletii, Almariæ ciuitatis Episcopi, ab eadem ciuitate in Ecclesiam sancti Ioannis de la Pennya deportatum. Hic Andaletius Diui Iacobi Apostoli fuit discipulus, & vnus è primis quos in Hispania S. Iacobus ad fidem conuerterat. Raymundus Berengarius huius appellationis secundus, per hoc idem tempus in Comitatu Barcinonæ mortuo patre successit, Caput stupæ cognominatus, à flaua densaq; cæsarie. Cui nupta filia Roberti Guiscardi, Messanæ & Apuliæ ducis, filium Raymundum Berengarium progenuit. Erat hic Raymundus vir militaribus rebus belliq; gerendi fortitudine strenuus. Cuius innumeris virtutibus inuidens frater Berengarius, & principatus cupiditate permotus, occultis illi structis insidiis inter Barcinonam & Gerundam, loco vocato *Perxa del flor*, eum crudeliter occidit anno sui regni septimo, à Christi incarnatione autē 1082. Cuius mortem populus vlcisci cupiens, in fratricidam arma conuertit. at Berengarius pœnitētia ductus, in pœnam peccati, Hierosolymam profectus est: vnde reuertens, in itinere defecit. Huius Comitis tempore fuit Vrgelli Comes Hermengaudus, vulgo Gerbus, homo strenuus in armis, qui res præclaras gessit, & Belaguriū ciuitatē multaq; oppida deuictis Mauris recuperauit. Sanctius filius Garciæ, Nauarrę rex in

Anno Christi.

ordine ſeptimus, per hæc tẽpora claruit: cui ſucceſſit Raymiris Roderici Cidi gener: huic Garcias Raymiris filius: deinde Sanctius Garcia progenitus, cognomento Sapiens. Poſt quem regnauit Sanctius cognomento Fortis: cui abſque liberis vita functo Blanca ſoror ſucceſſit, quæ nupſit Theobaldo Campaniæ Comiti. Ab his Theobaldus alter procreatus, matre è viuis ſublata, regno potitus eſt, qui itidem improlis deceſſit, in eius locum ſurrogato Henrico fratre, cognomine Craſſo. Hic genuit filiam Ioannam, quam nuptui tradidit Philippo Pulchro, Francorum & Nauarrorum regi, quem ſubſecutus eſt Ludouicus Hutinus filius natu maior. at hærede maſculo à ſe non relicto, Carolus, eiuſdem Philippi & Ioannæ ſecundus filius, vtrumq; regnum vſurpauit. Quo ſimiliter in fata abſque prole conceſſo, regni vtriuſq; adminiſtrationem Philippus Longus, eiuſdem Philippi tertius filius, adeptus eſt. Cumque nec hic liberos haberet ſuperſtites, Nauarræ regnum ad Ioannam Ludouici Hutini filiam deuenit: quæ Philippi Comitis Aureliæ vxor, maritum vi matrimonii Nauarræ regem vocauit. His ſucceſſit Carolus eorum filius, ſimiliter Comes Aurelianenſis: huic autem Carolus eius filius: quo maſculis carente, Blancam filiam vnicam Martino Regi Siciliæ matrimonio copularunt. At Blanca mortuo Martino, ex quo nullam ſobolem ſuſceperat, ſecundas contraxit nuptias cum Ioanne, Ferdinandi primi Aragonum regis filio, qui fuit rex vigeſimus tertius. Poſt quem ſucceſſit Phœbus vigeſimus quartus rex, idemque vltimus, vt infra habetur. Dominicus abbas Silenſis, ordinis S. Benedicti, vico Canenſi regionis Cantabriæ, nobili loco natus, per hæc tempora vitæ ſanctimonia & miraculis clarus extitit, multaque futura prædixit: & cum ex viuis migraret anno Domini 1074. eius anima à pueris quibuſdam viſa eſt, triplici corona refulgens, in cœlum euolare. Corpus in eodem monaſterio ſepultum eſt, cuius nomen etiamnum retinet, & Silenſe à frequentibus ſilicibus cognominatur.

Alfonſus VI.

ALFONSVS eo nomine ſextus, Sanctii ſecundi frater, quum iam regnum Legionis & Aſturum recepiſſet, à morte fratris obtinuit & Caſtellam anno ſalutis humanæ 1079.
1079. Toleti ciuitatem longa obſidione redegit in poteſtatem, eandemque Chriſtianis incolendam tradidit, vt multa alia quæ tunc in Caſtellæ, Legionis, Portugalliæque prouinciis à Mauris recepit. Hoc autem tempore Mauri magnis copiis inſtructi, è Carthagine per Hiſpaniam diſcurrentes, omnia vaſtabant: quibus obuiam miſſus Infans cum ſeptem Comitibus, apud oppidum quod *Alcazar de Conſuegra* vulgo dicitur, omnes ad vnum interfecti fuere. A quibus occiſis adhuc locus ille ſeptem Comitum nuncupatur. Calamitatis huius cauſam cum rex ſuorum animis, nimia mollicie effœminatis imputaret, balnea aliaſque id genus illecebras quas Mauri Toleti conſtituerant, ſuſtulit, populum ad priſtinam virtutem & ſeueritatem reducere conatus. Poſt hæc Toletanam Burgenſemq; baſilicam multis donis ornauit. Sex habuit Alfonſus vxores, ex quibus deterioris ſexus liberos quinque genuit: videlicet ex Iſabella, Ludouici regis Franciæ filia, Sanctiam, nuptui traditam Comiti Roderico qui in ciuitatem vulgo *Ciudad Rodrigo* nouos colonos induxit. Ex Saida filia regis Sibiliæ, quæ ſimul ad verum Dei cultum Chriſtiq; religionẽ tranſiens, appellata Maria eſt, Sanctium patrui nomine ſuſcepit, qui in acie aduerſus Sarracenos cecidit. Habuit & Vrracam ex regina Conſtantia, quæ Raymundo Berengario Comiti Toloſæ tradita, ex ipſo Comite filium nomine Alfonſum genuit. Sed mortuo Comite, iterum nupſit Alfonſo regi Aragoniæ. Suſcepit & Alfonſus ex pellice Tareſiam, quę nupſit Henrico Comiti Lotharingiæ, dotata Galliciæ parte quę Portugallia nunc appellatur, vnde Portugalliæ reges originem trahunt. Portugallia vero dicta eſt à Gallis, quaſi portus Gallorum. Nam Galli in Hiſpaniam nauigantes, Portugallo ciuitati in Oceano mari & toti regno nomen dedere. Mortuo Henrico ſucceſſit Alfonſus, qui primus eſt Portugalliæ rex appellatus, & primus Vlyſſiponam à Mauris recepit: quorũ quinq; ſimul regibus vno prælio ſuperatis, quinq; ſcutorum inſigne, facti monumentũ, poſteris reliquit. Poſt Alfonſum in dicto regno Portugalliæ ſucceſſit Sanctius, & poſt eius mortẽ Alfonſus ſecundus, exinde Sanctius ſecundus, cognomẽto Capella, qui hæredẽ reliquit Alfonſum filium huius nominis tertium. Cui ſucceſſit Dionyſius. Hic Alfonſus Caſtellæ rex anno 43. naturæ conceſſit, nullo ſuperſtite filio, præter Alfonſum quem genuit ex pellice Ximena, quum ſocius expeditionis in Syriam communi Chriſtianorum conſilio ſuſceptæ traieciſſet. His temporibus Vrbanus Papa ſecundus Archiepiſcopatum Toletanum primatum inſtituit totius Hiſpaniæ, ac regem Galliciæ cum omni diœceſi S. Iacobi, anathematis vinculo ligauit, quod Epiſcopum in carcerem inaudita cauſa coniecerat. Per hoc tempus Caſilda ſiue Caſilla virgo, Canonis Toleti regis Mauritaniæ gentis filia claruit, non ſine ſanctitatis

Caſilda vel Caſilia virgo.

ctitatis

ctitatis opinione, quam Deus multis miraculis approbatam Christianis indies ostendebat. Huius natale 5. Idus Aprilis celebratur. Petrus Sanctii filius, patre adhuc viuēte, Ribagorciæ & Montisoniæ regis nomen acceperat: defuncto autem patre Aragonum regnum accepit, vxoremque duxit Agnetem, ex qua Petrum filium procreauit, & Isabellam, quæ simul cum fratre teneris annis & ante patris mortem vitam finiuit. Oscam ciuitatem, ope Fortunii Lizanæ cognomento Mace adiutus, vi expugnauit, & Almozabenum Maurorum regem id dedecoris vlcisci cupientem in fugam coegit, capto Garcia fratre regis Castellæ, qui Mauris auxilio venerat. In cuius rei gratiam Vrbanus Papa secundus decimas primitiasq; & omnia beneficia Iuris patronatus omnium ecclesiarum & ciuitatum à quibus infideles hostes eiecerat, vt ipse & sui successores in perpetuum, quibus vellent, conferre possent, exceptis episcopatibus, concessit. Obiit Petrus rex absque liberis anno suæ ætatis 35. tertio Kalend. Octobris, ab incarnatione Christi 1108. eique post mortem successit Alfonsus frater. Raymundus Berengarius eius nominis & cognominis tertius, perempto parente Raymundo Berengario Caput stupæ dicto, in Comitatu Barcinonæ successit. Cuius mater orbata marito, monasteria duo condidit: alterum ordinis S. Bernardi, in valle Mariæ Comitatus Caprariæ: alterum ordinis S. Benedicti iuxta Gerundam, quod S. Danielis appellatur, in quo sanctissimam agens vitam, diem clausit extremum. Fuit autem Raymundus Berengarius, vir omnium virtutum splendore præclarus. Insulam maiorem Balearium quam Maioricam vocant, & eius ciuitatem à Mauris possessam, deuicit: quibus expulsis, insulanos omnes ad fidem Christi reduxit Kal. Februarii, anno Domini 1113. Verum dum hic diutius commoratur, Mauri Barcinonam magnis copiis oppugnarunt. Quo in Hispaniam reuerso, dum Barcinonensibus opem implorantibus fert suppetias, Genuenses quibus insulæ Maioricæ cura demandata erat, Mauris magnum auri pondus offerentibus ciuitatem & insulam restituerunt. Barcinonam cum venisset, Mauros ab obsidione fugauit, Ilerdæ, Dertosæ, & Valentiæ reges sibi tributarios fecit. Vxorem duxit Dulciam, Gilberti Prouinciæ Mediolanique Comitis filiam, quæ duos peperit filios, Raymundum Berengarium qui mortuo patre in Comitatum successit, & Berengarium qui Comes prouinciæ fuit, filiamque procreauit Berengariam, quæ nupsit Alphonso eius nominis sexto, regi Castellæ, Legionis, & Toleti. Obiit ætate postrema iam senio retardatus, anno quinquagesimo principatus sui, ab incarnatione Christi 1131. Hospitalis Hierosolymitani ordinis, in domo pauperū, sibi habitus induit, quibus eius corpus inuolutum iacet in monasterio Riuipulli. Odo Episcopus Vrgellensis, claro genere Comitum Pallariensium, & glorioso sanguine Barcinonensium, & magnanimorum Aquitaniæ Comitum ortus, hac tempestate claruit, qui vita & conuersatione sanctissimus, ob meritorum suorum excellentiam catalogo sanctorum ascriptus fuit: cuius festum pridie Kalen. Iulii celebratur.

An. Christi.

Alfonsus VII.

ALFONSVS huius appellationis septimus, rex Aragoniæ, mortuo Alfonso sexto, prætextu vxoris Vrracæ Alfonsi filiæ, Castellę Legionisque regnum obtinuit anno humanæ salutis 1106. & principatibus regnisque coniunctis, Imperatoris nomine appellari voluit. 1106.
Hic comparatis magnis exercitibus, Mauros à Cæsaraugusta, Tudela, Daroca, Bilbili, quam nunc *Calatayut* Hispani vocant, Turiassone, Borgia, multisque oppidis aliis eiecit. Condidit & plura, inter quæ Burgum Pampilonis: Numantiam vero quam Scipio Africanus olim deleuerat, Soriam vocans restaurauit. Condidit & Almazanum, Berlangam, Bilforatum. Hic etsi bellicosus, in rebus tamen diuinis negligentior. nam sæpius equos in ecclesiis, velut in stabulis habebat. Ideoque (vt fertur) cum Fragam oppugnaret, anno regni sui 20. iudicio Dei repente occisus, nec mortuus nec viuus apparuit, absque liberis, anno Domini 1126. Claruit per hæc tempora Ioannes cognomento Ortega, Quintana oppido Burgensis ditionis oriundus, qui ob vitæ sanctitatem Christi confessoribus connumerari meruit. eius festum quarto nonas Iunii celebratur.

Alfonsus VIII.

ALFONSVS eo nomine octauus, filius Raymundi Berengarii Comitis Tolosæ, & Vrracæ Alfonsi sexti Legionis Castellæque regis filiæ, mortuo Alfonso septimo Aragoniæ rege, qui prætextu vxoris Vrracæ Legionis Castellæq; regna susceperat, in eius locū successit anno salutis humanæ 1126. liberosque habuit ex Vrraca vxore, Sanctium qui rex 1126.
Castellæ, Ferdinandū qui rex Legionis fuit, & Helisabetam. Ex Berenguella consorte secunda, Raymundi Comitis Barcinonæ filia, Beatricem, Ludouico septimo regi Franciæ

collocatam. Hic Alphonsus ab expeditione Hierosolymitana rediens, quum domum applicuisset, anno quinquagesimo post initum regnum morbo consumptus est ad Baezam, sub arbore quadã montis cui nomen est vulgo *de Muladar*. Auicenna Hispalensis, medicæ artis scientissimus, per hæc tempora claruit, & Auerrois Cordubensis, qui multo plura quam cæteri Arabum in Aristotelem commentatus est. Raymiris filius Sanctii mortuo fratre Alfonso, per hæc tempora in regno successit, à proceribus Aragoniæ electus. Hic iam diu in Gallia, in monasterio S. Pontii de Tomeriis, religioni S. Benedicti seruiebat, & impetrata à summo Pontifice facultate, vxorem duxit filiam Comitis Peitei, ex qua vnicam progenuit Petronellam filiam, quam Raymundo Barcinonensium Comiti in vxorem dedit, & Aragoniæ regno dotauit. Hic Raymiris in Oscensi ciuitate magnam ædificauit ecclesiam, quæ S. Petri veteris dicitur, vbi monachos S. Benedicti ordinis cum reditibus instituit, & in ea post resignationem regni ad vltimum vitæ diem permansit, ibique sepultus est anno 1147. regni vero 19. Raymundus, mortuo patre Raymundo Berengario, Comitatũ Barcinonæ per hoc tempus, id est, anno Christi 1131. accepit. Ei nupta fuit Petronilla, alias Vrraca (vt Iacobus Marquilles ait) Raymiris monachi Aragonum Regis filia, ex qua suscepit Alfonsum qui patri successit, & Sanctium Rosillionis & Ceritaniæ Comitem: filiasque totidem, Dulciam, quæ Sanctio Regi Portugalliæ nupta fuit, alteram Hermengaudo Comiti Vrgellensi collocatam. Hic Raymundus, mortuo rege Raymiro socero, prætextu vxoris in regno Aragoniæ successit. Veruntamen non regis ipse, sed principis Aragoniæ nomen assumpsit. Nam Raymiris rex Aragoniæ, socer ipsius, iis conditionibus regnum renunciauit, vt non rex, sed princeps diceretur, & Comes Barcinonæ: in prœliis vero armis siue insignibus eiusdẽ Comitis vteretur, quæ sunt in campo aureo baculi quatuor rubri. Almeriam ciuitatem, Abderam priscis temporibus nuncupatam, ad Alfonsum Castellæ regem sororium suum contra Mauros instructo exercitu profectus, 6. Kal. Nouemb. anno Christi 1145. Dertosam prid. Kal. Ian. 1148. Ilerdam & Fragam ciuitates Kal. Nouemb. 1149. & alia plura loca à Mauris occupata recuperauit, eorum regibus occisis. Trecentas ecclesias ædificauit, & magnis reditibus dotauit. fuit enim princeps Christianissimus, & in rebus quæ diuinum cultum fidemq; catholicam augere videbantur, tam liberalis quam feruens & pius. Hic Berengario fratre à suis populis occiso, Comitatum prouinciæ recepit, & in necis eius vltionem, Arletum ciuitatem & alia complura oppida castellaque deleuit. Hinc in Hispaniam reuersus, obiit apud Gerundam ciuitatem in Burgo qui dicitur S. Danielis, imperii sui 368. Idus Aug. anno Domini 1162. cuius corpus in monasterium Riuipulli delatum, honorifice sepultum fuit. post cuius mortem Alfonsus eius filius in regno Aragoniæ Comitatuque Barcinonæ successit.

Barcinonæ Comitum Epilogus, post Carolum Magnum Imperatorem.

1	*Iamfredus*	*annis 60.*	7	*Berengarius*	*annis 28.*
2	*Iamfredus*	*annis 27.*	8	*Raymundus Berengarius*	*annis 42.*
3	*Miron*	*annis 17.*	9	*Raymundus Berengarius*	*annis 7.*
4	*Iamfredus*	*annis 35.*	10	*Raymundus Berengarius*	*annis 50.*
5	*Borrellus*	*annis 28.*	11	*Raymundus Princeps Aragoniæ & Comes Barcinonæ*	*annis 36.*
6	*Raymundus Borrellus*	*annis 24.*			

Per hoc tempus monasterium Sanctarum Crucum in Catalonia, ordinis S. Bernardi, à Guillermo Raymundo de Montcada, Galerando de Pinos, Poncio de Cabrera Vicecomite, & Petro Alemanii constructum fuit, qui suis sumptibus illud dotauerunt. Oldegarius Tarraconensis Archiepiscopus, Barcinonensisque administrator siue Episcopus, per hoc idem tempus, fide, doctrina, ac miraculis plurimum valuit, obiitque Barcinonæ in cathedrali ecclesia sepultus, anno ab incarnatione Christi 1136. sexta Martii: cuius anniuersarium quolibet anno, dicta die, in eadem ecclesia celebratur.

Sanctius III.

SANCTIVS eo nomine tertius, cognomẽto Desideratus, filius Alfonsi octaui, mortuo
1176. patre in Castellæ regno successit, anno humanæ salutis 1176. Hic viuente adhuc patre vxorem duxit Blancam, Garciæ Nauarræ regis filiam. ex qua filium vnicum nomine Alfonsum genuit. Ordinem militum de Calatraua instituit in regione Toletana, loco & prouincia Calatrauæ vbi cœnobium templariorum fuerat. Quumq; vno tantum regnasset anno, diẽ clausit in Arabia pro Christiana fide, in ea fortiter bellum gerens, vt quidã scribunt. Alfonsus siue Ildefonsus, Raymundi principis Aragoniæ filius, primus fuit Rex Arago-

Aragonum,& Barcinonæ Comes post principatuum vnionem appellatus est. Multa ac præclara opera edidit, monasterium Populeti in Catalonia à fundamentis ædificauit ac dotauit, Turolium ciuitatem condidit, & Russillionem quam Perpinianum vocant, vel potius restaurauit. nam Turolium vulgo *Tuyr*, Turruptia siue Tintana olim appellabatur: Perpinianum vero, antiquitus Russinum, vulgo *Rossellon*. Vxorem duxit Sanctiam, Alfonsi Castellæ Regis dicti Imperatoris filiam, ex qua liberos vtriusque sexus sex habuit: Petrū qui in regno Aragoniæ Comitatuq; Barcinonæ successit, Alfonsum qui Comes Prouinciæ, & Ferdinandum, primo monachum Populeti, deinde Abbatem montis Aragonum: filias totidem, Constantiam quæ Vngariæ Regis vxor fuit, quo mortuo, Frederico nupsit Romanorum Imperatori: Leonoram, Comiti Tolosano traditam: & Sanctiam, filii Comitis Tolosæ coniugem. Obiit Alfonsus Rex, quum annis 34. regnasset, in oppido Perpiniano, 7. Kal. Maii, anno Christi 1196. sepultus in monasterio Populeti. Berēgarius de villa mulorum, Archiepiscopus Tarracone, per hoc tempus cum suffraganeis suis Conciliū apud Tarraconem celebrauit, anno Christi 1180. cuius & Concilii constitutione annus Dominicæ incarnationis in chartis & instrumentis notariorum scribi præceptus est, quū antea anni Francorum Regum scriberentur.

An. Christi.

Alfonsus IX.

ALFONSVS huius nominis nonus, cognomento Bonus, Sanctio patre mortuo, Castellę regnum obtinuit, anno ab incarnatione Christi 1177. Hic in Arabas bellū mouit, 1177.
qui per id tempus Hispaniam vlteriorem ex Mauritania inuaserunt, anno Domini 1212. Sed primo parum prospere. nam Sarraceni Bæticam quæ nunc Granatæ est regnum, subegerunt, tenueruntque iam inde prouinciam ipsam vsque ad ætatem Ferdinandi eius nominis quinti. Mox Alfonsus ordinem militum S. Iacobi de Spata instituit, & auctis opibus ingenti prælio Sarracenos vicit, Vbedamque ciuitatem 12. Kal. Aug. anno Christi 1212. recuperauit, Miramamolinum Maurorum ducem, commisso ad Tolosam prælio vicit, in quo ducēta millia Arabum rumor est cecidisse, & crucem è cœlo apparuisse, ex quo prælio triumphum Petrus Aragonum Rex obtinuit. Eo tempore Alfonsus Rodericum præsulem Toletanum Romam misit ad impetrandas in expeditionem contra Mauros collationes. Vxorem duxit Alfonsus Leonoram, Henrici Regis Angliæ filiam, ex qua liberos vtriusq; sexus septem genuit: Sanctium qui puerilibus annis, Ferdinandum qui adulta iā ætate in fata concesserunt, Henricum qui patri successit, Blancam quæ nupsit Ludouico cognomine septimo Regi Francorum, ex quo Ludouici Regis Francorum qui post mortem consecratus est, mater efficitur: adhæc Berengariam quæ iuncta fuit Alfonso Legionis Regi Vrracam quæ Regi Portugalliæ, & Leonoram quæ Regina fuit Aragonū, vxorque Iacobi Aragoniæ Regis. Alfonsus itaque anno 38. ex quo regnare cœperat, diē clausit extremum. Dominicus vir sanctitate insignis ac religionis Christianæ quasi matutinum sydus, per hęc tempora in Caligurio ciuitate Hispanię natus, ex Canonico regulari à Deo vocatus, cum 12. fratribus sociis prędicatorum ordinem incredibili feruore fundauit, qui per Honorium tertium Pontificem maximum anno Christi 1218. approbatus & confirmatus fuit. Petrus filius Alfonsi Aragoniæ Regis, annum agens 20. mortuo patre per hoc idem tempus gubernacula regni Comitatusque Barcinonæ suscepit. Cui nupta fuit Maria Guillermi Montispessulani filia, & Constantinopolitani Imperatoris neptis, ex qua Iacobum filium vnicum Kal. Febr. anno Domini 1196. in Montepessulano habuit, & ex pellice Constantiam quæ Guillermo Raymundo de Montcada nupta fuit. Hic Petrus in vlteriorem Hispaniam apud Idubedam ciuitatem, quæ nunc *Vbeda* dicitur, contra Mauros duce Miramamolino auxilium Regi Castellæ tulit. Qui quum in bello gerendo fortissimus haberetur, deuictis Sarracenis victoriam insignem reportauit. Hinc Romam profectus, corona panis azymi ab Innocentio Papa tertio in ecclesia S. Pancratii coronatus est. Postea vero Roma instructo exercitu discedens, contra Simonem dominum Montisfortis & Tolosanum Comitem progressus, habito conflictu eos deuicit. in quo dum Gallos fugiētes à suis longe remotus insequitur, ab hostibus fere solus interceptus, fortissime pugnans occisus est anno Christ 1213. & regni sui 17. cui Iacobus filius in regnum Aragoniæ Comitatumque Barcinonæ successit.

Henricus I.

HENRICVS eo nomine primus, Alfonsi noni filius, patre mortuo in eius locū suffectus est anno salutis humanæ 1215. Is biēnio post apud Palentiā vrbem, dum cum sodalib. 1215.
luderet, cocto latere fortuito vulnus in capite accepit, ex eoque biduo post morte oc-

An. Christi. cubuit absque liberis. His temporibus Ioannes Hierosolymitanus rex in Hispaniam profectus est, vt Gallicię apostoli ædem voto inuiseret. Cui Henricus Berengariam sororem, Alfonso Legionis regi olim nuptam, matrimonio iunxit. Iacobus huius nominis primus, perempto patre, vt diximus, regnum Aragoniæ Comitatumq; Barcinonæ obtinuit. Fortunatus & felicis memoriæ ob res magnifice gestas appellatus est. Hic ciuitatem Maioricam pridie Kal. Februarii, anno Domini 1229. expulsis Sarracenis recuperauit, insulã totam obtinuit. Et in Hispaniam victor cum exercitu reuersus, 4. Kal. Octobr. 1238. fugatis Mauris, Valentiam vrbem prouinciamque Murciæ vsque ad nouam Carthaginem adeptus est, Vxorem duxit Leonoram, Alfonsi noni Castellæ Regis filiam, ex qua Alfonsum progenuit filium qui iuuenis è vita migrauit: & diuortio facto à Gregorio Papa, ob cõsanguinitatẽ gradus, non solum nõ confirmari matrimoniũ voluit, sed etiam dissoluit. Quãobrem vxorẽ duxit Hiolesiam, siue Ardeuram, Vngariæ Regis filiam, ex qua filios peperit tres: Petrum qui patri successit in Aragoniæ regno & Valẽtiæ, principatuque Barcinonæ, Iacobum qui Rex fuit Balearium, id est Maioricarum, Comesque Rosillionis, & Ceritanię, ac dominus Montispessulani: & Sanctium qui Toleti Archiepiscopus pręliũ contra Mauros ingressus occubuit. Peperit & filias quinque, Isabellam quæ consors fuit Philippi Regis Frãciæ, cui Carcassonam in dotem tradidit, quum antea cessisset iure, si quod ei competeret in Laletania (quæ Gotholania nunc est) & Ruscinone, vt habet Michael Ritus Neapolitanus: Violantam quæ nupsit Alfonso decimo Castellæ Regi: Cõstantiam quæ fuit vxor Emanuelis fratris Regis Castellæ: Mariam & Leonoram quæ à vita paruulæ discesserunt. Ex pellice vero Teresia, Ioannis Bidauræ filia, genuit Petrum cui castrum Ayerbæ dedit, & Iacobum quem dominum castri Xericæ fecit, in regno Valentiæ. Ex aliis vero fœminis suscepit Petrum Ferdinandum, cui nupta fuit filia Regis Nauarræ, & oppidum Ixar obtinuit à patre, à quo titulum & cognomen accepit: & Ferdinandum Sanctium, cui oppidum Castrum dedit, à quo eius successores à Castro cognominantur. Fuit Iacobus Rex, in re militari strenuus, omnique genere probitatis ornatus. Ordinem beatę Mariæ de Mercede Barcinonæ instituit, sub regula S. Dominici, interuentione Raymundi de Pennyaforti, Barcinonẽsis generalis magistri ordinis S. Dominici. Obiitq; Iacobus Rex Algeiræ, quod oppidum est Valentiæ, ætatis suæ 80. octauo Idus Augusti, anno ab incarnatione Christi 1276. in monasterio Populeti sepultus.

Ferdinandus III.

1217. FERDINANDVS eo nomine tertius, Alphonsi Legionis Regis filius, mortuo Henrico, in eius locum successit anno ab incarnatione Christi 1217. vtroq; regno Legionis & Castellæ potitus. Vir fuit in militaribus rebus strenuus. nam ab omnibus fere Hispaniæ finibus Mauros exegit, Hispali, Corduba, Vandalia, & Bætica magna ex parte recuperatis, præter Granatæ Regem quem sibi fecit stipendiarium. De cuius rebus fortissime gestis Rodericus Archiepiscopus Toletanus magnam confecit historiam. Vxorem duxit Beatricem, Germanorum Imperatoris, vel (vt alii dicunt) Brabantiæ ducis filiam, quæ liberos sex ei peperit: Alfonsum, Fredericum, Emanuelem, Philippum qui Christianã Regis Daciæ filiam duxit vxorem, Sanctium, & Henricum. qua mortua, sibi Ioannam ex Comite Pontis editam iunxit, ex qua Ludouicum & Leonoram procreauit. Hic quum annis 45. regnasset, apud Hispalim ciuitatem à se recuperatam diem clausit extremum, anno Domini 1262. Antonius de Padua, ciuitate Vlyssiponensi in Portugallia oriundus, ordinis minorum, his tẽporibus claruit, vir vtique sanctus, & multis virtutibus decoratus, à Gregorio tertio Papa in sanctorum consortium confessorum honorifice relatus, cuius natale Idibus Iunii celebratur. Bernardus presbyter Compostellanus, iuris vtriusque eruditissimus, per hoc idem tempus claruit. Conscripsit in iure Canonico quædam laude dignissima, quæ in magna habentur auctoritate. Item super quinque libris Decretalium, libr. 5. Raymũdus de Pennya forti, natione Cathalanus, ordinis prædicatorum, tertius magister generalis hac ætate claruit, in diuinis scripturis sufficiẽter edoctus, ac Iuris Canonici sciẽtia instructus, scripsit in Decretales libr. 5. item summæ de Casibus libr. 3. Consttiutiones ordinis lib. 1. Hugo Barcinonensis, ordinis prædicatorum, & S. Sabinæ Cardinalis presbyter, vir doctrina ac vitæ sanctitate conspicuus, per hoc tempus in magna fuit existimatione. scripsit in totum vetus ac nouum testamentum libr. 73. & summam de Casibus valde vtilem, religionis ordinationes & constitutiones sub regulari obseruantia in ordinem extantem redegit.

Alfonsus X.

1262. ALFONSVS huius appellationis decimus, Ferdinando patri successit anno salutis humanæ 1262. vxoremque duxit Violantam Iacobi Aragonum Regis filiam, ex qua filiam

An. Christi.

liam primo Berengariam, mox liberos alios septem habuit. Ferdinandum cognomento dela Cerda, cui Blanca diui Ludouici Regis Francorum filia nupsit, & patre viuente ab humanis discessit, ex vxore relinquens Alfonsum & Ferdinandum dela Cerda, à quibus domus dela Cerda originem trahit: Sanctium qui post eum regnauit: Ioannem qui Margaritam Marchionis Montisferrati filiam duxit vxorem, & multa contra Mauros bella fortissime gessit: postremo Iacobum, Petrum, Leonoram & Mariam. Alfonsus itaq; leges Hispaniarum quas vocant Partitas, aliis insuper additis illustratisque sensibus, vt ex vsu videbatur, in volumen redegit. Murciam recepit ab Arabibus, quæ in eius fide perstitit: vnde priuilegio consecuta est, vt septem coronas insignibus suis imponeret. Algarbii Comitatum Alfonso Portugalliæ Regi dedit, in dotem filiæ Beatricis quam ex pellice genitam ei collocauerat, quæ Dionysium peperit. Immunes præterea Reges Portugalliæ fecit, ne cogerentur conuentibus adesse qui Hispanorum lingua Curiæ vocātur, quibus ex fœdere Regi Legionis & Castellæ astringebantur. Variantibus in creando Imperatore sententiis, ei Imperium vltro delatum est, suadente etiam Pontifice vt capesseret, vitādi belli causa. Anno 15. post electionem suam, suo iuri renunciauit apud Belgradum. His temporibus Sarraceni, anno Christi 1268. ex Aphrica soluentes vtrasque Hispanias opprimūt: sed Christiani cruce signati eos, facta irruptione, maxima cæde profligarunt. Hic Alfonsus Astronomiam sideralemque scientiam profitebatur, vnde ab eo tabulæ extāt Alfonsinæ. Imperatorem Constantinopolitanum à Sultano captum, ingenti ære collato redemit. Moriensque hic excellens Rex anno 25. principatus sui, Murciæ condi voluit. Petrus Portugallensis, episcopus Tusculanus, medicus & philosophus præstantissimus, primo S. Romæ ecclesiæ Cardinalis, postmodum Papa Ioannes vigesimus primus per hęc tempora claruit. Scripsit medicis non contemnenda opuscula, inter quæ opusculum quod medici Thesaurum pauperum appellant: item problematum lib. 1. Canones medicinæ lib. 1. & Epistolarum ad diuersos lib. 1. Garcias Hispanus, luculentissimus legum explanator, tēpestate hac etiam viguit, qui & super Decretalibus egregium opus & alia plura cōposuit. Petrus filius Iacobi Aragoniæ Regis, defuncto patre, per hæc tempora in regno Comitatuque Barcinonæ successit. Huic, patre adhuc viuente, tradita fuit Constantia, Manfredi vtriusque Siciliæ Regis filia, cuius prætextu regna hæc Siciliæ obtinuit. Habuitq; ex ea liberos vtriusq; sexus sex: Alfonsum qui patri successit in Aragonię regno, Iacobū qui primo Rex Siciliæ, & mortuo fratre Alphonso Aragoniæ fuit: Federicum qui Rex etiam Siciliæ fuit: & Petrum qui absq; principatu vitam degit: Isabellam quæ nupsit Dionysio Regi Portugalliæ: & Constantiam, vel (vt alii volunt) Violantam, quæ coniunx fuit Roberti Neapolis Regis. Petrus itaque quum apud Villafrancam oppidum Comitatus Barcinonę permaneret, diem clausit anno ætatis suæ 55. tertio Idus Nouemb. anno Domini 1286. cuius corpus ad monasterium sanctarum crucium fuit deportatum & reconditum, Alfonso filio in regni successionem hærede constituto.

Sanctius IV.

SANCTIVS eo nomine quartus adhuc viuo patre (vt fama habetur) Regem Castellæ se gessit, & mortuo successit anno salutis humanæ 1287. Contra Mauros fœliciter dimi- 1287.
cans, ei Tariffam, olim Carteiam vocatam, ademit. Regem Fessæ Maurum, ex Africa cōtra Hispaniam magna classe soluentem, nauali bello superauit. Mariam Infantis Alfonsi filiam, cognomento de Molina, fratrisque Ferdinandi tertii, vxorem duxit, liberosq; quatuor, Ferdinandum, Petrum, Philippum, & Henricum ex ea procreauit. Is itaque quum annis regnasset 8. fato functus est. Alfonsus huius appellationis secundus, Petro patre defuncto, per hæc tempora in Aragoniæ regno Comitatuque Barcinonæ successit. Homo liberalitate fortitudineque præstantissimus fuit, & ideo Largus cognominatus. Iacobum patruum qui aduersus Petrum Regem Aragonum patrem suum Gallis adhærebat, regno Maioricarū priuauit. quo regno potitus, alterā Balearium, quæ Minorica appellatur, depulsis ab insula Sarracenis, ditioni suæ subegit. Vxorem nunquam duxit, ideoque Castus cognominatus: & sic moriens anno ætatis suæ 27. absque liberis, Barcinonæ 15. Iulii Iacobum fratrem Siciliæ Regem hæredem instituit, anno Christi 1292. in ecclesia monasterii fratrum Minorum Barcinonæ, in tumulo matris sepultus.

Ferdinandus IV.

FERDINANDVS Sanctii filius, cognomine quartus, regnum accepit anno salutis hu-
manæ 1295. quod annum agens nonum per matrem administrabat. Vnde huius pueri- 1295.
tia, illius sexu contempto, plures in eū arma sumpserunt. Nam contra Alfonsum dela Cer-

An. Christi. da qui se Castellæ Regem dictitabat, ac Reges Nauarræ, Portugalliæ, & Aragoniç, grauia bella per legatos gessit. Ex Constãtia Portugalliæ Regis filia Alfonsum genuit qui Castellæ regno successit, & Leonoram quam Aragoniæ Regi Alfonso locauit. Quumque annis 13. regnasset, & nocte quadã dormire crederetur, in fata admodum iuuenis corruit. Dionysius Alfonsi decimi Regis Castellæ Legionisque nepos, his temporibus in Portugallia regnabat, qui milites Iesu Christi sub ordine Cistercienſi apud oppidum Tomarium Lusitaniæ instituit sub magistro. Dicto Regi successit Alfonsus huius nominis quartus, eius filius ex vxore sua Isabella, Petri Aragonum Regis filia: Alfonso autem Petrus, dein Ferdinandus. Iacobus Siciliæ Rex, filius Petri Aragonum Regis, mortuo Alfonso fratre regnũ Aragoniæ principatumque Barcinonæ obtinuit, Fredericum fratrem in Sicilia Regem relinquens. Vxorem duxit Mariam, Alfonsi decimi Castellæ Regis filiam. Cum qua nõdum deflorata, ob consanguinitatis gradum coniunctissimum (erat enim sororis filia) iussu Romani Pontificis diuortium fecit. Exinde Blancam Caroli Neapolitanorum Regis filiam duxit, ex qua liberos quinque genuit: Iacobum cui nupsit Leonora, Alfonsi decimi Castellę Regis filia, sed ea intacta ad ordinem S. Ioannis Hierosolymitani se contulit, inde magister ordinis Mõtesani electus: Alfonsum cui Tiresia neptis Vrgelli Comitis, Guillermi Dantensæ filia, nupta fuit, & Vrgelli Comitatum prætextu vxoris obtinuit, ac in regno patri successit: Petrum primo Comitem Pratensium, deinde Empuriarum: Raymundum Berengarium, Comitem Pratensium Ribagorciarumque: & Ioannem qui primo Toleti Archiepiscopus, postea Tarraconensis, Alexandriæque Patriarcha est habitus. Filias totidem: Constantiam quæ Emanueli Regis Castellæ filio nupsit: Mariam quæ Petro Castellæ Infanti: Blancam quæ præfuit monialibus monasterii Xixenæ, ordinis S. Ioannis: Violantam quæ fuit consors Tarentino principi: & Isabellam quæ fuit vxor Austriæ Ducis. Ex pellice autem habuit Iacobum qui filiam Lupi Lunæ, nomine Ioannam, in matrimonium duxit, & Comitatum Lunæ cum ea accepit. Duxit præterea Iacobus Rex, defũcta Blanca, Elisendam, nobilis Petri de Moncada filiam, quę mortuo Rege, monasterium monialium de Petris albis, ordinis S. Claræ, iuxta Barcinonam à fundamentis instruxit ac dotauit, & ibi requiescit. Aduersus Federicum fratrem Siciliæ Regem nauali prçlio in Siculo mari decertãs, Siculos profligauit, rebusque prospere confectis in Hispaniam reuersus, cum Valentiæ conuentum celebrasset, Barcinonæ aliquamdiu commoratus, obiit pridie Kal. Nouembr. anno Christi 1327. ætatis suæ 66. in ecclesia monasterii sanctarum Crucium sepultus. Alfonsum filium hæredem & successorem instituit, Iacobo primogenito abdicato, qui contra Sardos rebellantes in Sardiniam à patre missus, expeditionem Sardiniæ, simul & regnorum successionem recusauit.

Alfonsus XI.

1308. ALFONSVS huius nominis vndecimus, in patris Ferdinandi quarti locum successit anno humanæ salutis 1308. ductaque Maria, Dionysii Portugalliæ Regis filia Petrum genuit: ex Leonora de Guzman pellice, Henricum & Federicum. ex his Henricum Trastamaræ Comitem, Federicum vero diui Iacobi Magistrum instituit. Præterea Sanctium, Telium, Petrum, & Didacum, quorum vltimos duos Petrus eorum frater interimendos curauit. Alfonsus itaque in Arabas animi impetum conuertens, aduersus Almoacenum & Hynzephinum Bellamarini & Granaræ Reges, oppido Alcala (quod Regale vocant) recuperato, fœliciter dimicauit. Calatrauæ Magistrum leuibus de causis delatum interfici iussit. Ordinem militum de la Banda apud ciuitatem Burgensem instituit. Obiit in obsidione Castri de Gibraltar, eo die Veneris quo dominicæ passionis memoriam recolimus, quum regnasset annis 42. Ordinem nouum militiæ Christi ea tempestate Ioannes vigesimus secundus Pont. Max. instituit, qui militare sub Christo diceretur in Lusitania, & Sarracenis resisterent Bæticam & Aphricam incolentibus. Huius autem militiæ præfectus in Marino Syluensis diœcesis oppido locũ repositũ habet, vbi principalis domus constituta, & militibus omnia bona Templariorum, annuente Rege Portugalliæ, concessa, quo liberius militiæ Christi vacarent. Cuius censor & moderator est abbas Archobasiani monasterii Cisterciensis ordinis, Vlyssiponẽsis diœcesis, qui conscribendi & exautorandi milites facultatem habet. Alphonsus Hispalensis episcopus, ordinis Eremitarum diui Augustini, doctor celeberrimus, per hoc idem tempus claruit, cuius quidẽ doctrina est in precio. Hac etiam ætate Aluarus frater Minorum Hispanus, clarus habetur. Alphonsus Rex Aragonum viuente patre Iacobo in Sardiniam profectus, eam breui tempore imperio patris subegit: multis tamen prælius habitis, in quibus animi fortitudine mirabilem, & rei militaris industriam, & Ducis magni officium ostentauit. Cęsai augustę coronam

coronam regni accepit anno Christi 1327. Ex Tiresia vxore (de cuius cõiugio fuit Comes Vrgelli & Vicecomes Agerensis) liberos genuit, Petrum qui patri successit, Iacobum cui Comitatum Vrgelli dedit, Fredericum & Alphonsum, & alios duos, & filiam Tiresiã, qui primis ætatis annis è vita migrarunt. Omnes Cæsaraugustæ iacent in ecclesia S. Francisci ordinis Minorum, apud altare maius, iuxta tumulum matris. Mortuaq; Tiresia ad quintum Kal. Nouemb. anno domini 1327. Leonoram, Alfonsi decimi Castellæ Regis filiam, duxit vxorem, ex eaque genuit Ferdinandum Dertosæ Marchionem, Ioannem qui obiit apud auum in Castella, & Constãtiam quæ nupsit Iacobo vltimo Maioricarum Regi. Alfonsus itaq; apud Barcinonam diem clausit extremũ nono Februarii, anno Christi 1336. qui iacet Ilerdæ in monasterio S. Francisci ordinis Minorum. Post cuius mortem Petrus eius filius in regnis successit. His temporibus Ioannes papa vigesimus secundus Cæsaraugustanam ecclesiam sibi dilectam in metropolitanam erexit, assignatis sibi quinque cathedralibus ecclesiis, ex vndecim quæ Tarraconensi subsunt. Petrus de Perpiniano, natione Cathalanus, ordinis Carmelitarum, per hoc idem tempus claruit, & in scripturis diuinis non mediocriter eruditus, edidit multa commendatione digna, è quibus feruntur. Quæstiones in lib. summarũ pulcherrimæ: item in totum psalterium opus grande, & Sermones varii. *An. Christi.*

Petrus.

PETRVS, Alfonso patre mortuo, imperii Castellæ Legionisque habenas suscepit anno à natiuitate Christi 1350. Blancam Borbonii ducis filiam in vxorem duxit, quam instigante pellice dimisit. Hic nota crudelitatis à multis accusatur. nam Federicum fratrẽ, diui Iacobi militiæ præfectum, obtruncauit, Rubeum Granatę Regem, hospitem, suam opẽ implorantem, thesauris inhiãs quos secum aduexisse putabatur, iugulauit. Exinde fratres Telius, Sanctius, & Henricus ad Aragonum Regem se recipiunt, impetratoque auxilio Castellæ fines adoriuntur. vnde Petrus Anglorum copiis adiutus, inito aduersus Henricum prelio, eum regni finibus exegit. Qui instaurato Francorum copiis exercitu, Petrum regem superauit, strictoque gladio confodit vndeuigesimo sui principatus anno. Terræmotus maximi adeo in Hispania his temporibus, id est, anno Christi 1357. fuerunt, & præsertim Hispali & Cordubæ, vt maxime earum vrbium ædificia corruerint, ingentemque hominum multitudinẽ oppresserint. Egidius Magnus Hispalensis Episcopus, & Sabinus Cardinalis dignissimus, ex nobilissima Hispaniarum familia Carrilla natus, iisdem temporibus ob res magnas strenue à se gestas, apud Innocẽtium papam sextum, aliosque summos proceres, maximo est habitus in precio. cuius virtute confisus Innocentius, ex Auinione in Italiam ad multos tyrannos & ecclesiæ Romanę rebelles comprimendos legatus missus est, & Romam cum omni apparatu veniens, in primis Carolum Imperatorẽ coronauit. Quo coronato, omnes vrbes & oppida quæ tyranni, instigante Bauaro, occupauerant, breui recepit. Hic optimus ac Christianissimus pater multa Italiæ bona exemplo dignissima, maxime Bononiæ contulit. nam in ea vrbe Collegium impensis propriis construxit, cui & reditus magnos pro scholasticis Hispanis pauperibus perpetuo alendis assignauit. Petrus huius appellationis quartus, cognomento Cerimoniosus, in Aragonia per hoc tempus, mortuo patre Alfonso, regni gubernationem suscepit. Hic adolescens annos fere 16. natus, viuente patre, ad montes Pyrenęos se contulit insidias Leonoræ nouercæ veritus, quæ studebat vt Ferdinandus eius filius post Alfonsi Regis obitum in regno succederet. Sed regno suscepto, Ferdinandum fratrem qui multo Aragoniæ populos ad rebellionem concitauerat, occidit, ac nõnullos Aragoniæ nobiles qui Ferdinandi factionem secuti fuerant, Cæsaraugustæ capite puniuit. Vxores duxit quatuor, quarum prima fuit Maria Nauarræ Regis filia, ex qua Ioãnam habuit quæ vxor fuit Emporiarum Comitis, & alteram filiam quæ paruula migrauit à vita. Peperit & Petrum filium, qui natus paucis diebus obiit. Mortua Maria, Leonoram Portugalliæ Regis filiam duxit, quæ post confectas nuptias perbreui spacio temporis obiit. Inde Leonoram duxit Regis Siculorum filiam, ex qua Ioannem & Martinum filios genuit, quorum alter ei successit in regnis, alter Dux fuit Montisalbi. Suscepit & filiam Leonoram, quæ nupsit Ioanni Henrici Castellæ Regis filio. Leonora quoq; defuncta, Rex iam senio confectus, amore cuiusdam mulieris viduæ deperditus, nomine Sibyllæ Forcianæ in Emporiarum prouincia natæ, eam demũ duxit vxorem, quæ filiam peperit vnicam nomine Isabellam, coniugio traditam Iacobo Comiti Vrgelli & Vicomiti Agerensi. Hic petrus Henrico Trastamaræ Comiti, Castellæ Regi fratri inuiso opem ferre non destitit, cuius auxilio Henricus Petrum fratrẽ Castellæ Regem (vt diximus) occidit. Postea vero Petrus Rex Aragoniæ, in Sardiniam transiit re- 1350.

An. Christi.

bellantem,& Genuẽſes ad quos Sardi defecerant,multis cladibus affecit. Hinc in Hiſpaniam reuerſus, Iacobum Balearium Regem ſuæ ſororis maritum, propterea quod ei obſequium denegauit,Maioricarum, Ruſſilionis, & Ceritaniæ principatibus quos nomine ſuo tenebat in feudo,ſpoliauit:quas prouincias Aragoniæ regno coniunxit. His quoque temporibus apud Perpinianum oppidum,in Curia generali, 25.Decemb.1351.fuit determinatum in Cathalonia,ne Calendæ à notariis in chartis ſcriberentur,nec ab incarnatione annus Domini,ſed à natiuitate inchoaretur.Præfuit autem Rex Petrus annis 51. Barcinonæ moriens 5.Ianuarii,anno Chriſti 1387.natus annos 72. Corpus autem delatũ eſt in monaſterium Populeti.

Henricus II.

1369. HENRICVS eo nomine ſecundus, Alfonſi vndecimi filius,interempto Petro,regno potitus eſt anno ſalutis humanæ 1369.Huic nupta fuit Ioanna,Infantis IoãnisEmanuelis de la Cerda filia, ex qua Ioannem genuit qui poſt patrem regnauit, & Leonoram quæ nupſit Regi Nauarrę.Regnauitq; Henricus annis octo, quum è vita migrauit apud S.Dominicum *de la Calzada*,Calagurritanẽſis diœceſeos.Ferdinandus filius Petri, in Portugalliæ regno per hoc tempus imperium regebat,cui ſucceſſit Ioãnes eius ex pellice filius.Hic Ferdinandus ex vxore ſua vnicam habuit filiam, quæ coniunx fuit Ioannis Regis Caſtellæ,eo nomine primi.

Ioannes I.

1377. IOANNES eo nomine primus, Henrico patri ſucceſſit anno à natiuitate Chriſti 1377. Hic vxorem duxit Leonoram Petri Aragonum Regis filiam,ex qua Henricum qui patri ſucceſſit,& Ferdinandum Regem poſtea Aragonum ſuſcepit:qua mortua, Beatricem Ferdinandi Portugalliæ Regis vnicam filiam ſuperduxit. Defunctoque Ferdinando ſocero,dum ius vxoris proſequitur,magna manu Portugalliæ fines ingreſſum, Ioãnes Ferdinandi ex pellice filius infecta re exercitum reducere coegit, ſeque Portugalliæ Regem creauit.Hic Ioãnes Rex Caſtellę Henrico filio dedit in vxorem Catharinam,Ducis Lancaſtrienſis Angli filiam, atque illum principem Aſturum declarauit,obiitque equi lapſu oppreſſus vndecimo ſui principatus anno. Ioãnes nothus in Portugallię regnum (vt diximus)mortuo Ferdinando Rege,ex religione militari vocatus,per hæc tẽpora claruit. Hic in omnibus admirabilis extitit. nam tres inſulas extra orbem eiectas quas vulgo Diſperſas vocant,regno conquiſiuit,& Suram munitiſſimã Aphricæ vrbem vi cepit,& alia multa cõfecit, ex quibus peperit ſibi immortalem gloriam apud omnem poſteritatem. Filios ex coniuge habuit, Eduardum qui patri ſucceſſit in regno,& Petrum Infantem, Leonoramq; filiam quæ nupſit Petro Aragonum Regi, Ferdinandum virum ſanctitate præclarum, quem ob religionem & vitæ abſtinentiam inter beatos retulerunt, Ioannem Cypri, & Henricũ qui in Atlantico mari primus nouas reperit inſulas. ampliãdi ſiquidem regni paterni deſiderio quod anguſtis limitibus circumſcribi videbat, Oceanum Hiſpanicum magna claſſe coſmographorum perſuaſione ingreſſus, varias inſulas ab hominibus nunquã habitatas adinuenit:inter quas ea quæ vulgo *de Madera* nuncupatur,ſaccaro proferẽdo eſt aptiſſima.In hanc & multas alias nouos primus induxit colonos ex Luſitania.Inſulam vero S.Georgii de Picho, Flandris habitandam cenſuit. Ioannes eius appellationis primus,Petro Aragonum Regi defuncto, in Aragonia, Comitatu Barcinonæ, & aliis regnis ſucceſſit. Vxorem duxit Mathæam Arminiacenſis Comitis filiam, ex qua genuit filiam nomine Ioannam, quæ nupſit Matthæo Foxæ Comiti.Defuncta Matthæa, Violantam ducis Ebaris filiam vxorem duxit, quæ peperit Iacobum Delfinum Gerundæ dictũ, qui puer Cæſarauguſtæ obiit: adhæc Violantam,quæ nupſit Ludouico Neapolis Regi & Andegauenſium Duci. His temporibus populi Barcinonenſis principatus, Aragones, Baleares & Valentini tumultuantes aduerſus Iudæos inſurrexerunt, exceptis Cæſarauguſtæ ciuibus,quos Regis præſentia compeſcuit. Qua perſecutione in Iudæorum perniciem violenter exacta, Rex ſeditionis authores capite puniuit, & alios magna bonorum parte mulctauit. Ad Baleares cum regina profectus,Maioricarum ciues,vt ducenta florenorum millia perſoluerent,coegit. Hinc in Tarraconenſem agrum remeans,in Caſtilionem oppidum ſe recepit. Vbi per aliquot dies commoratus, in ſaltus & montes propinquos venatum profectus,repente è mula qua vehebatur,mortuus decidit 19. Maii, anno Chriſti 1396.cuius corpus ad Populetum monaſterium delatum fuit iuſſu Martini Regis fratris eius. Benedictus eius nominis decimus tertius,Petrus de Luna antea vocatus, natione Aragonenſis,per hoc idem tempus mortuo Clemente papa VII.in ſchiſmate in papatum ſuffectus eſt,qui annis 21.vſque ad concilium Conſtantiæ ſedit.

Henricus III.

An. Christi.

HENRICVS huius nominis tertius, patri succeßit Ioanni in regno Castellæ duodecimo ætatis suæ anno, à natiuitate vero Iesu Christi 1388. Hic ex Catharina quam ei nupsisse diximus, duas filias habuit, Mariam & Catharinam, exinde Ioãnem qui mortuo patre regnum obtinuit. Mariam filiam nepoti suo iunxit Alfonso Ferdinãdi filio. Obiit Hẽricus Toleti morbo solutus, quum annis 16. regnasset, ætatis suæ 28. Eduardus filius Ioannis Regis hac ætate in Lusitania rerum potiebatur. Hic ex vxore sua Isabella, Ferdinandi eius nominis primi Aragonum Regis filia, filium genuit Alfonsum, filiasque duas, Leonoram quæ nupsit Frederico Imperatori eius nominis tertio, & Ioannam quæ fuit vxor Hẽrici Castellę Regis eius appellationis quarti. Iacobus ordinis Eremitarum, Theologus excellentißimus, natione Toletanus, per hoc tempus floruit, & vniuersam fere scripturam sacram explanauit. Edidit & insigne volumen Sophologium inscriptum, opus diuinæ sapientiæ exquirendæ peraccommodum, & multa alia. Martinus frater Ioannis Aragoniæ Regis, defuncto fratre, in regno succeßit. Hic regnante Ioãne Mariam Lunæ Comitis filiam vxorem duxerat, ad quam mortuo patre absq; filio successore Comitatus Lunæ iure deuenerat. Ex hac coniuge Martinũ habuit filium, qui Frederici Siciliæ Regis filiæ matrimonio coniunctus est, & Frederico socero sine virili prole defuncto, prætextu vxoris Siciliæ regnum obtinuit. Hic Martinus senior cum filio in Siciliam traiecit, ibique permansit, donec de morte fratris Ioannis Regis legatos accepit, & tunc Barcinonam delatus est, inde Cæsaraugustam peruenit, vbi Rex ab omnibus salutatus fuit Idib. Maii, anno Christi 1398. Mortua exinde Maria coniuge, duxit Margaritam Pratarum Comitis filiam, ex qua nullam prorsus habuit prolem. Discessit his temporibus ab humanis Martinus Rex Siciliæ, 5. Kal. Septembris anno Domini 1409. Post cuius mortẽ Martinus pater menses ferme decem superuixit, & è vita migrauit in monasterio vallis Domicillæ prope Barcinonã, 31. Maii, anno Iesu Christi 1410. cuius corpus ad Populetum monasterium delatum fuit, regnauitque annis 14. Vincentius Cathalanus, ordinis prædicatorum, Theologus Valẽtiæ oriundus, ex familia Ferreriorum originem ducens, iisdem temporibus non solum celebri doctrina sed singulari sanctitate insignis fuit: tandẽ anno Christi 1418. ex hoc sæculo migrauit. Et quum post mortem plurimis miraculis claruerit, Calixtus papa eius nominis tertius, eiusdem conterraneus, anno Iesu Christi 1455. in sanctorum confessorum numero eum aggregauit eiusque festum Nonis Aprilis celebrari iussit. Scripsit sermones Quadragesimales ac festiuos, quos non minori eruditione quam doctrina refertos post se reliquit.

Ioannes II.

IOANNES huius appellationis secundus, defuncto patre, in regno Castellę succeßit anno Christi 1404. adhuc infans in cunis, eiusque rem Catharina mater & Ferdinandus patruus administrarunt, donec ad quartum decimum annum perueniret, quo gubernacula regni subiit, Mariamque Ferdinandi patrui filiam duxit vxorem, ex qua Henricum genuit: quæ cum mature deceßisset, alteram superduxit nomine Isabellam, Ioannis Infantis filii Ioannis Regis Portugalliæ filiam, ex qua Alfonsum qui adolescens obiit, & Isabellam reginam catholicam procreauit. Henricum filium viuens in regni cõsortium assumpserat, quum anno imperii sui 50. diem clausit extremum. De eius rebus gestis & vita satis longa circumfertur historia. Alfonsus V. filius Eduardi Regis Portugalliæ, princeps mansuetus & magnanimitate prudentiaq; singulari pręditus, per hoc tempus, id est, anno Christi 1455. post mortem patrui tutoris, Petri Infantis agnominati, regnũ paternum accepit. quo mortuo, Ioannes eius filius regnauit. Lupus de Oliueto Hispalẽsis, ordinis monachorum diui Hieronymi generalis prior, diuinarũ scripturarum eruditißimus, per hæc tempora suum ordinem semicollapsum, verbo, exemplo, ac doctrina mirifice instaurauit, & nonnulla opuscula lectu dignißima edidit. Regulam ex dictis diui Hieronymi collectã per capitula distinxit, quam Martinus papa quintus approbans, ipsius ordinis professoribus obseruandam tradidit. Deinde sermones vtiles & alia quædam composuit. Obiit in vrbe Romana, sepultus in ecclesia S. Alexii in monte Auentino. Ioannes Segobrigensis, vir moribus & doctrina illustris, summos sacræ Theologiæ professores eruditione ac doctrina æquauit. qui acceptum à Nicolao pontifice eius nominis quinto Episcopatum Cęsariensem renuens, ad altißimos Hispaniæ montes seceßit, & ibidem paruo in monasterio magnæ sanctitatis vitam exegit: ibiq; ne ocio marcesceret, viris ex Hispania accitis linguę Arabicæ peritißimis, librum Alchoranũ egregio stilo in nostrã trãstulit linguam, ipsiusq; mendacia veris ac variis rationibus & argumentis refellit. Ferdinandus Ioannis huius

An. Christi.

nominis primi, vlterioris Hispaniæ Regis filius, per hoc idem tẽpus prętextu matris Leonorę, Petri Aragonũ Regis filię (vt diximus) in regno Aragonię Comitatũque Barcinonę successit 3. nonas Septẽbr. 1412. quo die coronatus fuit. Princeps omni virtutũ genere cumulatissimus, ab omnib. Hispanię populis merito celebratur. Martino.n. Aragonũ Rege auunculo suo mortuo, ab Aragonię magnatib. per legatos accitus est, vt regni titulũ & coronã acciperet. Leonorã Alburquerqui Comitis vlterioris Hispanię admodũ diuitis filiã vxorem duxit, ex qua fœlicissima orta est proles. Quinq; enim ei filii nati sunt omnib. naturę donis pręstãtes: Alfonsus qui patri omnib. successit in regnis, suaq; virtute ac proprio labore Neapolitanũ regnum adeptus est: Ioãnes qui prętextu vxoris Blãcę Nauarrã obtinuit: Hẽricus equitũm S. Iacobi ordinis magister: Sanctius qui Alcãtarę & Calatrauę militię prefecturas gessit: & Petrus qui Neapolitano bello periit: Filiæ quoq; duę, Maria quæ nupsit Ioãni Regi Castellę, & Leonora quę vxor fuit Eduardi Portugallię Regis. Sigismũdus Imperator his tẽporibus in Hispaniam venit, vt schisma iã diuturnum Ferdinandi ope & consilio adiutus tolleret. Sed Benedictus decimus tertius papa in sua permansit pertinacia, & ex oppido Perpiniano in Insulam Peniscułæ apud Valentiam se recepit. Tunc Sigismundus ex Hispania ad imperium reuersus est. Ferdinandus vero Barcinonam venit. hinc in Aragoniam proficiscens, in Equalato oppido à vita decessit, secunda Aprilis, anno Christi 1416. ætatis vero 43. qui sepultus est in monasterio Populeti. Leonora autem vxor in vlteriorẽ rediit Hispaniam, monasteriumq; S. Ioãnis dominarũ, Methimnę (quę vulgo *del Campo*) cõdidit, vbi persancte vixit annos 19. & diẽ clausit quinta Ianuarii, anno Domini 1435. Alfonsus Ferdinãdi Aragonię Regis filius iure primogeniturę paternum regnum obtinuit. Hic bellicarum rerum gloriam pacis laudibus præferens, ad regnum Neapolitanum animũ adiecit. ad quod magna classe deuectus, præfectum arcis maritimæ ad proditionem pellexit. inde contra Renatum eiusdem Neapolis Regem exercitum mouens, Neapolitanam vrbem longa & durissima obsidione adeo fatigauit, vt multi fame & inedia perierint. Tandem noctu per cuniculum furtim militibus intromissis, vrbem cepit, ac breui tempore proceribus domitis, vniuersum regnum in suam potestatem redegit. Hic sine controuersia regum principumque omnium quos nostra ætas tulerit, & sapientissimus & fortissimus habitus est. Rex inter voluptates moderatus, inter adulatores firmus, inter vana pleraque principum exercitia, doctrinæ studia haud omisit. Eius facta & laudes Laurentius Valla & Bartholomæus Faccius, duo præstantissimi viri fideque dignissimi, facundissime scripta reliquerunt. Vxorem duxit Alfonsus Mariam, Henrici Castellæ Regis patrui sui filiam, ex qua nullam prolem suscepit. Ex concubina autem filium genuit Ferdinandum, quem primum Calabriæ ducem, & in Apuliæ regno ex testamento moriens hæredem instituit. Habuit filias duas, Mariam & Leonoram, quarum prior vxor fuit Marchionis Ferrariæ, posterior filii Ducis Suessani. Obiit Alfonsus Neapoli in Castro nouo, 27. Iulii, anno Christi 1458. ætatis suæ 65. Per hoc idẽ tempus mortuo Peniscułæ Petro de Luna qui dicebatur Benedictus papa decimus tertius, duo Cardinales Egidiũ cognomento Munyos, Barcinonensem Canonicum, genere nobilem, pontificem deligunt, Clementemque octauum appellant, qui statim Alfonsi Regis hortatu & Cardinales creauit, & fecit quæ à pontificibus fieri consueuerunt. Verum quum Martinus papa quintus in gratiam cum Alfonso rediisset (erant enim hostes prius) iubente Alfonso Egidius statim omnia pontificatus iura deposuit. Erga quem clementia ac benignitate Martinus postea vsus, eum Maioricensem episcopũ declarauit. Cardinales autem ab Egidio creati, sponte Cardinalatu se abdicarunt. Nicolaus Euboicus Saguntinus Episcopus, per hoc tempus, non minus Græcis quam Latinis literis eruditus, floruit. Alfonsus Borgia, natione Cathalanus, patria Valẽtinus, iisdem temporibus papa creatus est, Calixti tertii nomine sibi imposito. Vir fuit magni cõsilii, & vtriusque iuris peracutus doctor. sedit annis tribus, ac mẽsibus totidem, diebus sedecim. Ioannes Mena, Hispanorum poetarum celeberrimus, claruit sub Ioanne secundo. Scripsit metro Hispano opus varium, omnique eruditionis genere refertũ posteritatiq; adeo admirandum, vt non iniuria inter tot poetas Castellani vatis cognomẽtum meruerit, quod & elegantissima eius carmina luce clarius indicant.

Henricus IIII.

1454. HENRICVS eo nomine quartus, Ioannis principatu finito, in regno Castellæ patri successit anno salutis humanæ 1454. ætatis suæ 31. Blancam Ioannis Aragonum Regis filiam matrimonio sibi iunxit, eaque dimissa Ioannam Eduardi Portugalliæ Regis filiam superduxit: quæ dubium pepereritne, an sibi puellam Isabellam supposuerit, quæ vulgo

pro Re-

pro Regis filia colebatur. Hic ſobrino ſuo Regis Portugalliæ filio,qui patri ſucceſſurus erat, Iſabellam eius filiam collocauit.Sed ſoror Henrici Iſabella ſuaſu quorundam principum, clam fratre, à Ferdinando Ioannis Aragonum Regis filio in vxorem duci curabat. nam rumor erat, Iſabellam quæ filia Henrici putabatur,à matre fuiſſe ſuppoſitam, quum ſatis conſtaret, Henricum genitalibus eſſe debilem,neque per naturam patrem fieri poſſe.Et ſic Ferdinandus, mortuo Henrico abſque liberis. cum coniuge Iſabella Henrici ſorore regno Caſtellæ potitus eſt.Ioannes filius Alfonſi,qui per idem tempus in Portugallia regnum paternum obtinebat, filium babuit Alfonſum, qui viuente patre Iſabellam Ferdinandi eo nomine quinti Regis Caſtellæ filiam duxit vxorem. qui Alfonſus adhuc ſpõſus,dum pertinacius equum currendo vrgeret,ex eo delapſus infœliciter interiit. Quapropter Ioannes pater eius ſine liberis deceſſit. Cui ſuffectus eſt Emanuel,ex prole regia genitus, & eidem Regi Ioanni cognationis arctiſſimo vinculo coniunctus, qui Iſabellam ſupradictam viduatam duxit vxorem. Quæ quum Cæſarauguſtæ Michaelem filium peperiſſet,ſubinde magno dolore partus obiit mortem. Michael autem nõdum annos duos attigerat,cum Granatæ Bæticæ è viuis ſublatus eſt. Cæterum Ferdinandus ad retinẽdum Emanuelis Regis affinitatem,ei Mariam filiam,ſororemque ſupradictæ Iſabellę miſſis legatis in matrimonium dedit.Ioannes cognomine ſecundus,Ferdinandi ſuperioris Regis Aragonum ſecundo genitus, Alfonſique prædicti frater,decedente Alphonſo ſine legitimis filiis, in regnis Aragoniæ, Siciliæ,cæteriſq; principatibus citerioris Hiſpaniæ per hoc tempus ſucceſſit. Hunc principem præclaræ & eximiæ bonitatis fuiſſe tradunt, & Chriſtianæ religionis præcipuum aſſertorem,clementia inſuper animique magnitudine præcellentiſſimum.Qui annum agens fere vigeſimum(vt diximus)Blancam Caroli Nauarrę Regis filiam duxit vxorem,ex qua filium nomine Carolum habuit qui patre adhuc viuẽte fatis exceſſit,& filias duas: Blancam quæ nupſit Henrico Caſtellæ principi, Ioannis ſecundi filio,cum quo deinde diuortium fecit,illius experta naturę defectum,& in Nauarram reuerſa paucis diebus deceſſit ab humanis: & Leonoram Gaſtono Comiti Foxano collocatam,quæ mortuo patre, Nauarræ regnum hæreditario iure cõſecuta,poſt dies 15. quib.regni adminiſtrationem ſumpſerat,diem clauſit extremum. Ob temporis breuitatẽ Gaſtonus in ſerie regum non ponitur.Defuncta Blanca coniuge,Ioãnam Federici Almirantis Caſtellæ filiã duxit, ex qua totidem genuit liberos, ſcilicet Ferdinandum qui patri in regnis ſucceſſit, Ioannam quam Ferdinandus Neapolitanorum Rex duxit vxorem, & Marinam quæ nata paucis diebus obiit. Ex pellice autem Caſtellana progenuit Ioannem qui Archiepiſcopus fuit Cæſarauguſtanus,& Alfonſum ducem Villæformoſę.Ex fœmina item Nauarra ſuſcepit Ferdinandum & Mariam,qui puerilibus annis è vita migrarunt,& Leonoram Comitem Lirini, quæ nupſit Ioanni Comeſtabili Nauarræ, & Alfonſum qui paruus defunctus eſt.De principe iſto plurima & prope infinita referuntur ſummę virtutis monimenta,quæ breuitati ſtudentes omittimus.Tandẽ de Deo atq; hominibus benemeritus,deficiens in ſenectute bona,Ferdinandum filium iam vlterioris Hiſpanię regem, in regnis Aragoniæ & Siciliæ cum Iſabella,Henrici regis ſorore,vxore hæredem dimiſit, obiitq; fœliciſſimus rex Ioannes in ciuitate Barcinonenſi 19. Ianuar.anno Saluatoris Ieſu Chriſti 1479.Phœbus filius Ioãnis, filii Gaſtoni & Leonoræ regis Nauarræ,in regno ſucceſſit Nauarræ,& rex fuit 24.in ordine prædicti regni.Quo ſine prole decedente,Catharina eius ſoror Ioannis filia in regno ſucceſſit, fuitq; matrimonio copulata Ioanni Albretio,olim Nauarrorum vltimo regi, qui propter ſchiſmaticum fauorem regno priuati fuerunt à Iulio ſecundo ſummo pontifice,& dominationi Caſtellæ regni vnito. *An. Christi.*

Ferdinandus V.

FERDINANDVS eo nomine quintus, Ioannnis Aragonum regis vnicus filius, prætextu vxoris Iſabellę adhuc adoleſcens,patreque viuente,mortuo Henrico, Hiſpaniæ vlterioris rex efficitur anno ſalutis humanæ 1477.& Ioanne rege patre defuncto,non ſolũ regni Aragoniæ,ſed in pleriſq; regnis principatũ obtinuit. Qui paribus auſpiciis cum cõiuge adminiſtrabat omnia, & partem Bæticæ quam Granatam vocant,à Mauris ſeptingentos octoginta annos occupatam receperũt, pulſiſq; Sarracenis & Machumetica ſuperſtitione,templa Deo Opt. Max.condiderunt anno Chriſti 1492.& de omni regno tandem cum magna nominis gloria triumpharunt. Vnde Ferdinandus Catholici cognomentum ſortitus fuit. Hic apud Granatam Sanctam fidem ciuitatem conſtruxit. Fortunatas Oceani meridionalis inſulas anno domini 1490.regno Hiſpaniarũ addidit,quę admirãdę fertilitatis eſſe perhibentur. Adhæc inſulæ quatuor proximæ,videlicet S.Saluatoris,Sanctæ Mariæ Conceptionis,Ferdinãdæ,& Hiſpaniolę,anno Chriſti 1493.per Chriſtopho- 1477.

An. Christi.

rum Columbum, Hiſpanæ claſſis imperatorem, in India extra orbem in Oceano ſparſæ, inuentæ & captæ fuerunt: & quo Romanorum arma olim penetrare non potuerunt, illuc hodie Hiſpanorum peruenit victoria, vt Petrus Martyr & alii quidam fuſiſſime narrant. Iſabella itaque regina ex Ferdinando vnicum filium Ioannem peperit, cui Margaretam de Auſtria, Maximiliani Imperatoris filiam, collocauit: ſed hic nulla ſuſcepta prole, ſuperſtitibus parentibus, diem clauſit extremum. Habuit filias quatuor: Iſabellam quæ nupſit Alfonſo, Ioannis Portugalliæ regis filio, quo vita defuncto, Emanueli regi Portugalliç cõiuncta fuit: Ioannam quam Philippus Magnus Archidux Auſtriæ, Dux Eduorũ ſeu Burgundionum, Comeſque Flandrenſium, Maximiliani Imperatoris filius vxorem duxit: Mariam quæ poſt mortem Iſabellæ ſororis ſuæ, nupſit Emanueli, vt diximus, Portugalliç regi. Quarta vero & vltima fuit Catharina, quæ Arturo Angli regis filio nupſit: ſed mortuo Arturo, Henrico Regi tradita fuit, qui ex ea Mariam filiam habuit, quæ adhuc innupta viuit, iam nunc autem electa Regina Angliæ. Ex pellice autem Ferdinandus genuit Alfonſum, Cæſarauguſtæ & Montis regalis Archiepiſcopum. Ferdinandus itaque mortua Iſabella coniuge, vlterioris Hiſpaniæ regina, quæ omnibus ingens ſui deſiderium reliquerat, quum 27. regnaſſet annis, aliam nomine Germanam, Ducis à Nabona filiam duxit vxorem, & ad regna Aragoniæ ſe conferens, Neapolim petiuit, in vlteriore Hiſpania relicta Ioanna eius primogenita, cum Philippo viro ſuo regnante iure hæreditario. Sed Philippo defuncto, in Hiſpaniam rediens, gubernationis nomine cum Ioanna filia regina imperium recuperauit, atque ibidem ab humanis exceſſit 22. Ianuarii, anno Chriſti 1516. cuius corpus vna cum Iſabella vxore Granatam ciuitatem detulerunt. Et ſic Aragonum regnum ſuæ diuturnitatis finem accepit, poſtquam ſub 25. regibus, 604. annis regnatum fuit, quorum iterum nomina & tempora ſubiicere placuit.

Aragoniæ regum Epilogus.

1	*Ennicus Ariſta*	*annis* 7.	14	*Iacobus i.*	*annis* 55.
2	*Garcias Ennicus*	*annis* 10.	15	*Petrus iii.*	*annis* 10.
3	*Sanctius Garcias I.*	*annis* 46.	16	*Alfonſus iii.*	*annis* 6.
4	*Garcias Sanctius.*	*annis* 18.	17	*Iacobus ii.*	*annis* 35
5	*Sanctius Maior, ii.*	*annis* 44.	18	*Alphonſus iiii.*	*annis* 8.
6	*Raymirus i.*	*annis* 46.	19	*Petrus iiii.*	*annis* 52.
7	*Sanctius iii.*	*annis* 35.	20	*Ioannes i.*	*annis* 9.
8	*Petrus i.*	*annis* 6.	21	*Martinus*	*annnis* 13.
9	*Alphonſus i.*	*annis* 24.	22	*Ferdiuandus i.*	*annis* 6.
10	*Raymirus ii.*	*annis* 19.	23	*Alphonſus v.*	*annis* 42.
11	*Raymundus cum Petronilla*	*annis* 15.	24	*Ioannes ii.*	*annis* 21.
12	*Alphonſus ii.*	*annis* 34.	25	*Ferdinandus ſecundus annis triginta ſeptem.*	
13	*Petrus ii.*	*annis* 25.			

Franciſcus Ximenes, ordinis Minorum Cardinalis, & Archiepiſcopus Toletanus, his temporibus ſtudium Complutenſe ſuis ſumptibus inſtituit & dotauit. Emanuel rex per hæc tempora Portugalliam regebat, qui plures inſulas ab hominibus nunquam habitatas inuenit, & vſque ad Æthiopas peruenit. Hic (vt diximus) Mariam Ferdinandi & Iſabellæ filiã duxit vxorẽ: poſt mortẽ cuius, Ioãnes eius filius in paterno regno ſucceſſit. Filios habuit Emanuel ex Maria Ioannem, Lodouicum, Ferdinandum, Alphonſum qui Cardinalis fuit Portugalliæ, Henricum, Eduardum, & Iſabellam quæ coniunx fuit Caroli Imperatoris regis Hiſpaniç, & Beatricem conſortem Ducis Sabaudiæ. Habuit etiam Emanuel vxorẽ aliam, mortua Maria, nomine Leonoram, filiam Philippi regis Caſtellæ, ſororemque prædicti Imperatoris, ex qua illi nata eſt Maria quæ adhuc innupta manet. Leonora vero poſt mortem Emanuelis, Franciſco Gallorum Regi fuit collocata. Rodericus ex Borgia gente nobiliſſima Valentiæ ortus, per hoc tempus ſupremum pontificatum adeptus eſt, Alexander papa eius nominis VI. agnominatus, vir magni animi & prudentiæ recolendæ, ac beatiſſimæ memoriæ auunculi ſui, Calixti papæ III. ſemper æmulator.

Philippus.

PHILIPPVS, magnus Eduorum ſeu Burgundionum Dux, Archidux Auſtriæ Comeſque Flandrenſiũ, Maximiliani Imperatoris filius, prætextu Ioannæ vxoris ſuç, mortua Iſabella

Isabella Ferdinādi cōsorte, regna vlterioris Hispaniæ obtinuit anno à partu virginis 1504. An. Christi.
Hic filios ex vxore duos genuit, Carolum Imperatorem nunc fœliciter regnantem, regemque Hispaniarum, & Ferdinādum regem Vngariç & Boemiæ: & filias quatuor, Leonoram quæ coniunx fuit Emanuelis regis Portugalliæ (vt diximus) quo mortuo, Francisco Regi Franciæ copulata est, & Catharinam quæ consors fuit Ioannis regis Portugalliç, & Isabellam quam in vxorem duxit Christiernus Daniæ & Noruegiæ Rex, & Mariam quæ nupsit Ludouico Hungariæ Regi. Hic Philippus quum annis duobus regnasset, occubuit, & Ioāna eius consors vna cum patre Ferdinando regnum obtinuit, vt scripsimus. Ioānes huius nominis tertius, Emanuelis filius, per hoc tempus regnum Portugalliæ obtinuit, qui ex Catharina vxore genuit Ioannem qui in vxorem duxit Ioannam Caroli Imperatoris & Isabellæ filiam & Mariam quæ nupsit Philippo Hispaniarum Principi, & Vallisoleti diem clausit extremum, relicto filio Carolo infante.

Carolus.

CAROLVS Romanorum Imperator, Philippi filius, nunc fœliciter regnans, mortuo Ferdinando, vna cum eadem Ioanna matre sua Hispaniarum regnum accepit anno humanæ salutis 1516. a condita Hispania 3690. à diluuio magno Noe 3833. & à creatione 1516.
mundi, secundum Moysen & Berosum, 5489. Hic vxorē duxit Isabellam Emanuelis Portugalliæ regis filiam, ex qua Philippum Hispaniæ principem in oppido Pincia, quod Vallisoletum, vulgo *Valladolid* vocant, anno domini 1526. die Martis, 10. Cal. Iunias, cum ingēti lætitia totius Hispaniæ genuit. Is Mariam Ioannis Portugalliæ regis filiam duxit vxorem, ex qua filium habuit Carolum, vt diximus, ex cuius partu post quatriduum ipsa decessit: alter filius nomine Ferdinandus, qui puer decessit, non sine summo dolore parentum, & totius Hispaniæ lachrymis, anno domini millesimo quingentesimo quadragesimo quinto. Habuit & Carolus Imperator ex Isabella vxore filias duas, Mariam quæ locata fuit Maximiliano Bohemiæ Regi, Ferdinandi Romanorum Regis filio, & Ioannā quæ nupsit Ioanni Portugalliæ Principi. De rebus itaque Caroli quas fœliciter gerere nostris temporibus perseuerat, plurimi scripserunt, & quæ posthac gesturus est, Deo fauente, in eius historia in lucem largissime & merito proferentur in posterum.

Regum Hispanorum Francisci Taraphæ Finis.

BREVIS RERVM A PHILIPPO SECVNDO CATHOLICO REGE GESTARVM DESCRIPTIO.

PHILIPPVS eo nomine secundus Hispaniæ Rex Caroli quinti Imperatoris Romanorum Augusti filius vnicus, & omnium eius regnorum ac principatuum hæres in Hispania natus & educatus, Rempublicam patris mandato iuuenis admodum adiit, eamque prudētissime fœlicissimeque summa cum nominis sui gloria gessit hactenus, & etiamnum administrat. Vxores duxit omnino quatuor. Quarum prima Maria, Ioānis tertii Lusitanorum Regis filia, paulo post quam Carolum Principem in ætatis deinde flore sublatum enixa fuisset, è viuis excessit. Huic alteram eodem nomine coniugem superduxit, Henrici Britanniæ regis octaui filiā, qua cum Angliæ regnum in dotem obtinuit. Sed quum illa partim ætatis ingrauescentis vitio, partim animi mœrore variis ex malis concepto oppressa, mature sine prole decederet: Elisabetham Henrici Gallorum Regis filiam natu maiorem, pace cum eo constituta, vxorem duxit, ex qua filias duas genuit etiamnum superstites. Hac demū etiam in fata concedente, neptem Austriacam, ex Maria sorore & Maximiliano II. patruele, Romanorum Imperatore progenitam, consensu Pontificis Maximi in matrimonium accepit. Hæc illi Carolum Laurentium, festo S. Laurentii die peperisse dicitur, & plures in posterum liberos paritura speratur. Duo longinqua Belgium versus itinera suscepit: alterū per Liguriam, Insubres, & Germaniam superiorem, tum quum ad Belgii principatum euocaretur à patre: alterū per Britanniam, cum eius gentis heredem Mariam vxorem duceret: & eadem pene via qua venerat, in Hispaniam rediit, continua fœlicitate inter proficiscēdum vsus. Post cuius postremum è Belgio discessum qui anno 1559. contigit, in Hispania, 1559.

An. Christi.

regnorum suorũ meditullio quodam & centro, deinceps assidue mansit,& transmarinas prouincias per legatos rexit. Est autem Philippus huius tempestatis princeps non tantum potentissimus,sed etiam virtute rebusq; gestis clarissimus. Moribus ingenioq; mãsuetus, in pauperes egregie liberalis,eos præsertim qui pietati & Ecclesiasticæ disciplinæ præ cæteris diligenter incumbunt. Pacis & iustitiæ studiosissimus,Catholicæ Romanæ religionis obseruantissimus,eiusq; propagator & illustrator maximus. Hac ille de causa, cum alibi multa salubriter ex sacro sancti Tridentini Concilii præscripto constituit,tum in Belgio tres Archiepiscopatus,Episcopatus vero complures erexit,eosque viris lectissimis & virtute doctrinaque præstantissimis regẽdos dedit. Ac ne quod ab hæreticis Ecclesia detrimentum caperet, latas pridem à Carolo quinto patre de religione leges serio custodiri mandauit:in sontes autem & refractarios nõ semel grauiter animaduerti curauit. Angliã quoque quæ Hẽrico & Eduardo regnantibus à Catholica religione defecerat, quũ principatum in eo regno per Mariæ nuptias obtineret, Ecclesiæ gremio restituit. Ad hæc quũ multas subinde religiosorum hominum colonias ex orbe nostro in Barbaras nationes deduxerit, tum delectos etiam aliquot patrum Societatis greges qui sub salutifero Iesu nomine mirifice coaluerunt, & ingentibus pro catholica fide susceptis laboribus longe lateque non ita pridem inclarescere cœperunt, in Floridam, Mexicanam, Peruanam, aliasq; noui orbis prouincias, religionis propagãdæ gratia misit. Quam ad rem eius permissu ac voluntate locis aliquot opportunis Collegia mox erecta fuerũt, & indies complura fundantur. Iuuentutis præterea curam egregiam habuit, vt ea literis & moribus incorruptissimis à prima statim ætate diligenter imbueretur. Hinc in singulis Episcopatibus Belgii ex S. Tridentini Concilii decreto seminaria quæ vocant,aut scholas institui iussit. Nouã apud Duacẽses Academiam,omnium disciplinarum genere refertam,amplissimis priuilegiis & honorariis propositis condidit,vt iuuentus vna cum literis & pietate,Gallicum idioma cuius in Belgio permagnus est vsus,intra suas prouincias,minore sumptu tutoque perdisceret. Auxit & Louaniensem Vniuersitatem professionibus variis. Huc etiam pertinet, quod Typographiam, literarum altricem & conseruatricem, ab omni prauorum hominum corruptela in Belgio asseruit, eamque per probos & idoneos tantum exercendam auctoritate publica sanxit. His Plantinum,hominem in primis industrium, & de literis optime meritum proposuit.è cuius officina, regis eiusdem beneficio, nuper in lucem prodierunt Complutensia Biblia quinque linguarum,non recusa solum ornatius, sed & Syriaco testamento, variisque doctorum hominum commentariis egregie locupletata. His aliisq; multis artibus & rationibus quas breuitatis causa nunc omittimus,Rẽpublicam in pace constituit,& florentissimam efficere conatus est. Bella vero complura quemadmodum ex vsu tantum & necessitate publica suscepit, sic etiam fœlicissime, sed per legatos vt plurimum,gessit. In Gallico quod primum & difficilimũ duxit,cæsis ad Sãctoquintinũ,Greuelingam,& Dunkerkam multis hostium millibus, & præcipua nobilitatis parte capta, Regem Henricum ad æquas pacis conditiones compulit, easque noua cum ipso affinitate contracta firmauit. Huius auspiciis arcem Africæ munitissimam quam vulgo del Peuol di velez adpellant,Garcias Toletanus maris Præfectus intra paucos dies Turcis eripuit,impositoque firmo præsidio, tutam à piratis Hispaniam reddidit. Fœliciter & Latio pro rege bellum Albanus Dux intulit, vt Taurinis Suessanus: sed æquam deinde pacem Philippus Rex non inuitus admisit. Memingem præterea, Balearium insulam, Metymnecelo duce à Turcis recepit, & arce firmissima muniuit, quæ tamen, expugnata mox ab hostibus classe, rursus amissa est. Res Melitenses Turcarum armis vehementer afflictas, & pene deploratas, opportuno subsidio misso non recreauit solum,sed actis in fugam hostibus ab interitu vindicauit. Mauros etiam in Bætica tumultuantes domuisse prospere dicitur. Post exortum deinde Cyprium bellum coniunctis ex sacro fœdere cum Venetis & Pontifice Maximo viribus, Ioãnem Austriacum fratrem in Turcas qui classem in Corinthiaco sinu numerosam habebant,ire iussit. Is hostes nihil tale metuentes fortiter aggressus,memoranda ad omnem posteritatem victoria pene prius oppressit,quam aduentare crederetur,& vniuersa fere classe partim capta,partim depressa, cæsisq; multis hostium millib. Turcas totius maris imperio exuit. Accidit insignis hæc

1571. pugna pridie Nonas Octobris, anno Christi 1571. Eodem porro mense post bienniũ,dum inter se Mauri de regno contendunt, Illustrissimus Princeps Austriacus,à fratre cum valida classe missus in Africam, nullo prohibente, Tunetum, regni caput, ingreditur,& in deditionem accepta Bisarta, firmoque munita præsidio, Muleassem iuniorem legitimum hæredem in regno confirmat, Amidam vero tyrannum cum vxore & liberis in Siciliam captiuum abducit. Hæc victoriarum Philippi summa, hi trophæorum cursus fere perpetuus

tuus fuit: quem tamen ipsum (vt nihil in humanis est firmum) aduersi subinde casus interruperunt. Nam vno & eodem anno, patrem, amitas duas, & cõiugem, vna cum regni Britannici insignibus amisit. Tunetani regni possessione, post annũ quam illud ceperat, euersa Turcarum armis Gouleta (quod vnicum Africæ propugnaculũ inuictum credebatur) exclusus eiectusq; fuit. In hæreditariis quoq; Belgii prouinciis anno 1566. fœdos, Inquisitionis Hispanicæ profligandæ prætextu, tumultus ab inquietis quibusdam hominibus excitatos, & horrendam rerum sacrarũ cultusq; diuini profanationẽ expertus est: quos motus tamen sexto demum mense præter omnium expectationem ita componi curauit à sorore Margaritha (quæ tum iis locis cum imperio præsidebat) vt æterno silentio penitus obrui potuisse videri potuerint, nisi Ducis Albani nimia seueritas & Hispanorum militũ intolerãda tyrannis cicatricẽ obductam post refricuisset, & exitiali funestoq; bello quod multos iam annos (proh dolor) durat, occasionem dedisset. Is enim dux, regis sororis successor in Belgium missus, vbi pacatam regionẽ magnis stipatus copiis ingressus est, primũ infirmas Geuzicorũ motuũ reliquias, partim iudiciorũ seueritate, partim armis domuit: deinde præsidia locis opportunis aduersus vim omnem disposuit: postremo, secundis rebus elatior factus, infausta tributa subiectis vniuersis frustra deprecantibus imperare pertinaciter cœpit. Vnde factũ est, vt potior eorum pars atrocissimis Hispanorũ militũ iniuriis grauissime exacerbata, defecerit prorsus, & omnem salutis & libertatis recuperandæ spem in armis posuerit. Quibus innumera proscriptorũ & exulum multitudo, non ex plebe tantum, sed etiam ex nobilitate Belgica sese coniunxit, & in his Auraicus princeps cum fratribus Nassouiis principẽ locum obtinuit, qui magnas Germanorum copias in Gelriã, Brabãtiam & Hannoniam fratri Ludouico qui Montibus, Hannoniorũ primaria ciuitate, grauiter obsessus ab Albano tenebatur, mox adduxit. Sed quum Ludouicus à Gallis desertus tandẽ se dederet, & exercitus principis fusus fugatusq; esset, debellatũ plane videri tum poterat, nisi quod insecuta deinde Mechliniæ Zutphaniæq; direptio, & iniusta Nardensiũ cędes cõtra pacta iusq; gentiũ perpetrata, nutantes Hollandorũ & Zelandorũ animos qui soli victoris exercitu superandi restabant, tot sociorũ stragibus exacerbatos, extrema pro salute tentare compulerũt. Hinc igitur Albanus Harlemũ, non perinde munitã Hollandiæ ciuitatem, post arctam septẽ mensium obsidionẽ atq; inediam incolumitate ciuibus data vix tandem recepit. Alcmariam acriter oppugnatam non sine probro deseruit. Mittelburgum insuper, Zelandiæ caput, in hostium potestatem venit. Vario denique Marte, multis vtrimque datis acceptisq; cladibus, tum ab Albano duce qui mox in Hispaniam inglorius cum ingenti præda reuersus est, tum ab eius successore Lud. Requesentio tentata res fuit. Interiectum quoq; de pace colloquium rege permittente, magnam bonis omnibus dissidii componẽdi spem fecit: sed conatui non respondit euentus. Subitus porro Gubernatoris interitus reip. Belgicæ summam ad delectos quosdam ex ordinibus proceres detulit, qui dum, recuperata per deditionem Ziriczea Zelandiæ oppido, motuum sedandorum consilia agitant, importuna seditione Hispani militis, nouis turbis inuoluuntur. Sed ne latius malum hoc serperet, Ordines pleriq; cum Auraico principe certis conditionibus pacem ineunt, & coniunctis viribus externi militis iugum excutere statuunt. Hoc animaduerso miles Hispanus qui paulo ante reip. hostis declaratus firmiora loca pręsidio tenebat, primo Traiectum ad Mosam, deinde Antuerpiam, firmo Ordinũ præsidio pridie firmatam, copiis quas vndiq; maximas celerrime pro tempore contraxerat, ex arce inuadit, & ingenti hominũ perpetrata strage diripit. In qua clade Antuerpiensi cæsa dicuntur hominũ ad nouẽ millia quingenti, submersa quatuor millia, idq; 4. Nouemb. anno 1576. Hic quinquennalis ab Albano Duce relicti belli status, hæc plus quam tragica rerum in Belgio facies erat, cum rex Philippus, vt Catholicum principem decet, tot tantisq; suorum calamitatibus finem imponere, & vires suas in Turcos Christiani nominis hostes perpetuos conuertere desiderans, Ioannem Austriacum fratrem, militari gloria clarissimum, per celeres equos cum summa potestate in Belgium ablegauit. Vbi nunc pacandæ constituendæq; reipub. sedulam cum ordinibus operam nauare dicitur. Faxit misericors Deus, vt laudatissimus tum regis optimi, tum fratris illustrissimi conatus, fœlicem exitũ, & Ecclesiæ Reiq; publicæ salutarẽ obtineat. Viuit etiamnum in Hispania Philippus, annũ ætatis agens 51. & vt diu reip. præsit, optimi cuiusq; votis expetitur. De rebus eius in America gestis, præter ea quæ supra scripsimus, nihil compertum habemus. Scribent alii copiose in posterum, quæ summus hic Heros, ad Christianæ Reipublicæ salutem & dignitatem, æterna memoria digna gesserit. Nobis hæc pauca velut digito demonstrasse, & historiæ studiosis delibasse sufficit.

An. Christi. / 1576.

FINIS.

IOANNIS VASÆI BRVGENSIS RERVM HISPANICARVM CHRONICON.

REVERENDIS. ET SERENIS. PRINCIPI ac Domino D. Henrico, S.R.E.TT. ſanctorum quatuor coronatorum Cardinali, Infanti Portugalliæ, Archiepiſcopo Eborenſi, Alcobacienſis monaſterii Commendatario, & in regnis Portugalliæ ſummo de fide Catholica cognitori, Domino ſuo obſeruandiſſimo, Ioannes Vaſæus S. D. P.



CATONEM *illum Cenſorium magnifice & præclare teſtatur Cicero præcepiſſe, Princeps Ampliſſime, ita comparandam eſſe vitam noſtram, vt non minus ocii, quam negocii ratio nobis conſtare videatur. Voluit (opinor) vir grauiſſimus, tantam nos rationem ducere temporis, vt ne in ocio quidem ocioſi eſſemus, ſed in eo vel de priuatis, vel de reip. commodis ſemper aliquid animo tractaremus. Atque idem laudat P. Scipionem, eum qui primus Africanus eſt appellatus, quod dicere ſolitus eſſet, nunquam ſe minus eſſe ocioſum, quam quum eſſet ocioſus: videlicet quia in ipſo ocio de negociis cogitabat, adeoque nunquam ceſſabat, vt quæ res aliis languorē afferre ſolet, ipſum acueret. Horū ego virorum tam ſingularem ingenii præſtantiam, ſicut affirmare me imitatione conſecutum eſſe, ſtultum ac temerarium iudico: ita non diſſimulo, me laboraſſe ſemper, vt voluntate proxime accederem. Et negocii quidem mei rationem probe mihi conſtare arbitror, tum apud Celſitudinem tuam, tum apud alios, quibuſcum hactenus vixi. Sed ocii quænam ratio à me dari poterit, quod adeo exiguum mihi ſuppetit, vt nullum verius quam modicum dici poſſit? Quid enim ocii ſupereſſe poteſt homini totos dies in docenda iuuentute occupato? à qua functione ſi quid forte temporis ſupereſſe contingat, id totum curæ domeſticæ, diſcipulorum priuatæ interpellationes, corporis ac ſalutis neceſſaria cura conſumat? Quorum vt nihil impediat, tamen ita nonnunquam animū à prælectione publica defatigatum, adeo nauſeabundum reporto, vt cum libris ac priuatis ſtudiis rationem aliquam habere, ſi maxime liceat, ne libeat quidem. Nihilominus ſi quid vnquam vacui temporis mihi forte dies feſti ac feriati fecerunt, id ne ocioſum effluxiſſe videri poſſet, maximopere à me eſt elaboratum. Cuius rei fidem vt Amplitudini tuæ facerem, & quod dico, reipſa comprobarem, præter alia quæ aliquando in lucem dabo ſi lucis vſuram Deus Opt. Max. conceſſerit, hoc quoq; conſcripſi Chronicon rerum Hiſpanicarum, opus, vt mihi quidem videtur, non minus neceſſarium, quam laborioſum. Quod quibus de cauſis ſuſceperim, poſterius latius explicabo. Volui quidem, vt Hiſpanorū res geſtæ poſthac non Hiſpane tantum, ſed etiam Latine legerentur. Nam Latina leguntur in omnibus fere gentibus: Hiſpana ſuis finibus, quanquam non exiguis, ſane continentur. Et conſentaneum omnino videtur, vt res hæ quas Hiſpani geſſerunt, quemadmodum orbis terræ regionibus definiuntur, ſic omnibus gentibus innoteſcant, & quo manuum Hiſpanarum tela peruenerint, eodem gloria famaq; penetret. Quarum rerum maieſtatem ſi dignitate orationis exæquare non potui, danda bonæ voluntati venia eſt, quæ in rebus magnis & arduis non ſolum laudatur, ſed etiam pro facto ſæpe cenſetur, præſertim quum ea ſcribantur, in quibus non tam ſtili venuſtas deſideretur, quam fides hiſtoriæ quæratur. Hanc vero lucubrationem multis nominibus ſacratiſſimo tuo nomini, Sereniſſime Princeps, dedicare conſtitui. Primum enim quum ante annos tredecim, relicta Salmanticenſi Academia præclariſſima, repudiatis aliis conditionibus non pœnitendis, me in fidem & clientelam tuam tradidiſſem, quid minus alienum, quam cui vitam, cui fortunas meas credideram, eidem etiam vigilias & labores meos literarios commendare? & cui vitæ ſubſidia deberem, eidem & lucubrationis huius patrocinium acceptum ferre? Quid? quod futurum confidebam, vt quum me tantillo ocio quod ſucciſiuis horis corradere potui, non omnino cognouiſſes vſum otioſe, quæ tua eſt erga ſtudioſos humanitas, vberiorem ocii copiam mihi eſſes aliquando facturus. Sed poſtquam res meæ ita tulerunt, vt Salmanticam ab Academiæ Senatu honeſta conditione vocatus redirem, multo magis viſum eſt mihi officium meum, vt opus tuis auſpiciis atque in familia tua lucubratum, Amplitudini tuæ nuncuparem, quod tum demum nouis me beneficiis cumulaſti. Nam quamuis operam meam vtilem eſſe iuuentuti Luſitanæ iudicares, ac proinde diſceſſus meus tibi ſubmoleſtus eſſe videretur, tamen cum ita rationibus meis conducere tibi ſignificarem, non modo ſolita atque vſitata beneuolentiæ ſignificatione, ſed etiam munere donatum me dimiſiſti, & ne me crederes à familia tua penitus alienauiſſe, filium etiam meum natu maximū in fidem & clientelam tuam adoptaſti. Cuius ego beneficii magnitudinem, niſi etiam abſens grata memoria proſequerer, vt mortalium ingratiſſimus omnium, merito indignus omni beneficio iudicarer. Præterea quum*

ea quum

ia quum soleas Theologicis studiis historiæ lectionem admiscere, ne vlla te fastidia possint ab assiduo studio diuellere, non ingratum me Celsitudini tuæ facturum arbitratus sum, si ab ipsis primordiis cōpendio tibi proponerem Hispaniæ tuæ res gestas & inclyta facta, quam tu inter alios Principes peculiariter nobilitate, dignitate, virtutibus, exornas, amplificas, illustras. Postremo aut ego vehementer erro, aut nulli omnino Principum Hispaniæ poterat hoc opus conuenientius nuncupari, quam tibi Princeps sacratissime. Quid enim magis decebat, quam eam Chronici Hispaniæ partem quæ de hæreseon diuersarum tractat extirpationibus & fidei Catholicæ stabilimentis, summo de fide Catholica in istis Portugalliæ regnis ac ditionibus iudici dedicare? de sanctis illis episcopis & vere pastoribus, antistiti sanctissimo, & veteribus illis (absit adulationis suspicio) iure comparando? de antiquis Conciliis & ecclesiasticis statutis, ei præsuli, cuius in hoc omnes vigiliæ, omnes curæ & solicitudines incumbunt, vt grex ei commissus quammaxime ad veram illam primitiuæ ecclesiæ pietatem componatur? de principibus religiosissimis, Principi veræ religionis obseruantissimo? Adde quod hic reperies, amplissime Domine, non tam quod imitere, quam quod imitatum abs te merito gaudeas. Nam quod initio Pontificatus tui synodum Bracaræ omnium illius diœcesis sacerdotum conuocasti, & ecclesiasticam disciplinā aliorum vel negligentia vel conniuentia labascentem, in integrum, quoad eius fieri potuit, restituisti: hoc habes Lucretii, S. Martini, & aliorum eiusdem sedis sanctissimorum præsulum, vt de reliquis taceam. Quod Iudaicam perfidiam tam constanter oppugnas: hoc Sisebuti Regis Christianiss. Quod cuiuis hæreticæ prauitati tam capitale bellum indixisti: hoc S. Leandri, S. Isidori, S. Alfonsi, hoc aliorum pontificum, quorum Hispania tum sanctitate gloriatur, tum meritis adiuuatur. Quod Bracaræ collegium instituisti, in quo pueri gratuito bonis literis & probis moribus imbuerentur à teneris, atque idem iam Eboræ tanto studio ac diligentia moliris maximo reip. bono, neque minore aliorum episcoporū exemplo: hoc quoque habes S. Isidori, ne recensendis aliis prolixus sim. Quod tanta cura & solicitudine semper adnixus es, vt qui te duce Deo militant sacerdotes, eam seruent vitæ castitatem, quam in suscipiendo tanto sacramento professi sunt: hoc sancti & venerabilis episcopi B. Montani Toletani præsulis, cuius in ea re diligentia miraculo diuinitus comprobata est. Quod diœcesin tuam ipse perlustras, quum in familia tua multos habeas integritate & eruditione præstanteis viros, quorum in ea re vicaria vti opera possis: hoc post alios S. Giraldi, qui in eo munere vita quoque perfunctus, à visitationibus ad visendos angelicos choros felicissime demigrauit. Quod quoties à negociorum strepitu secessum quæris, omnis animi tui voluptas sit inter monachos religiosissimos versari: hoc Helladii episcopi, cuius sanctitatē Toletana veneratur & colit ecclesia. Quod viduas, pupillos, omneis ex æquo pauperes tam prolixa benignitate prosequeris: hoc præter venerabiles episcopos, etiam Ricaredi, Sisebuti, & aliorum pientissimorum Regum. Quod ad ea quoque descendis, vt in ecclesiis tibi subiectis altaria niteāt, sacraria sint munda, vasa luculenta, liturgiæ & officia ecclesiastica quam decentissime & quam deuotissime peragantur, quodque tibi sit in omneis ceremonias pia solicitudo disposita: quam laudem in sacerdote Christi ipse quoque D. Hieronymus magni æstimat: hoc habes venerabilis Conantii episcopi, quo præceptore D. Fructuosus ad tantam profecit sanctitatem, hoc B. Eugenii, vt de cæteris sileam. Denique hic tu Princeps vere catholicus, plurima leges de Regib. Christianissimis non iniucunda: hic Pontifex Christi vigilantissimus, de sanctissimis Hispaniæ episcopis permulta reperies, quæ non dubito, quin tanto tibi gratiorem huius operis lectionem efficient, quanto singularibus virtutum exemplis impensius delectaris. Cæterum, vt nulla est in rebus humanis syncera voluptas, ita hic quoque rerū vicissitudines erunt, & nonnulla interuenient parum fausta de Regibus quibusdam partim hæreticis, partim impiis & omni scelerum inquinamento pollutis, de paucis episcopis, de pastoribus verius quam pastoribus, de luctuosa illa Hispaniæ clade, quæ lectionis quidem voluptatem imminuent, sed salutari doctrina, & vtili in posterum, si saperemus, exemplo docebunt, quod non minus vere quam eleganter D. scripsit Hieronymus, peccatis nostris barbaros fortes esse. Accipe igitur, Sereniss. Princeps, à cliente tibi deuotissimo munusculum, non autoris nomine, sed eorum qui in illo describuntur, commendabile. Quod quum aliis multis de caussis serenissimo tuo nomini dedicandum censui, tum hac præcipue, vt te tibi tanquam penicillo depingerem, non quin sciam, quantopere singularis tua modestia ab istiusmodi præconiis abhorreat, sed quod omnium interesse censeam, vt talem te esse cognoscant. Siquidem virtus acrioribus ad imitationem sui stimulis nos excitat, quoties in illustri posita fastigio refulget. Dominus Deus qui te tot sanctissimorum Pontificum illustrauit exemplis, curriculo præsentis vitæ feliciter exacto, cum eisdem immarcessibili beatitudinis laurea coronet, atque interim Serenissimam Amplitudinem tuam ad communem Christianæ reip. vtilitatem & sacrosanctæ fidei amplificationem quam diutissime seruet incolumem. Salmanticæ, XII. Calend. Ianuar. Anno M. D. LI.

IOANNIS VASÆI BRVGENSIS RERVM HISPANICARVM CHRONICON.



NTEQVAM *Chronicon ipsum aggrediar, operæprecium mihi facturus videor, si prius consilii mei rationem aperiam, de laudibus Hispaniæ atque antiqua administratione illius pauca quædã velut delibem, quæq; natalem* CHRISTI *præcesserunt, summatim & compendio perstringam. Nam hæc, præterquam quod erunt lectu non iniucunda, etiam non minimum habebunt momenti, tum ad cognitionem ipsius Chronici, tum ad alia multa, quæ malo in lectoris opinione ac iudicio relinquere, quàm in oratione mea ponere. Faciam vero, quoad eius fieri poterit, breuissime: propterea quod Florianus à Campo, & Petrus Antonius Beuter, hanc partem prolixissime simul & diligentissime, quamuis sermone vernaculo, sunt prosequuti: & tamen ita faciam, nisi me fallit mea de me opinio, vt non frustra videar post illos hunc laborem suscepisse. Laborauit in eodem argumento Latine Ioannes Gerundensis episcopus, & ita laborauit, vt minus necessaria futura fuerit hæc mea industria, si quam ille diligenter & erudite pleraque scripsit, tam emendate fuisset opus impressum. Sed ad ea quoque quæ ille pulchre ac docte collegit, plurima addemus, quæ ipsum vel seculi vitio, vel librorum penuria fefellerunt, aut quæ alia quauis de causa ponenda non putauit. Sed ad rem.*

Quo consilio hæc scripserim.

CAP. I.



TQVE alios quidem vel delectationis ratio, vel vtilitatis illecebra, vel honoris cupiditas, vel virtutis amor impellit, vt animum ad alia atque alia studia adiungant: me vero nihil horum, vti me ad historiæ cognitionem darem, commouit, sed necessitas quædam pertraxit. Nam quum in patria mea pene puer, videlicet nondum exacto decimo octauo ætatis anno, ab amicis & propinquis docendæ iuuentuti destinatus essem, tanti laboris impatiens, frequenter mecum rationem inibam, qua tam graue iugum commode possem abiicere. Tandem Louanium profectus, atque à Rutgero Rescio professore Græco, sed iis moribus, ea vitæ integritate, ea eruditione, vt merito studiosis ac bonis omnibus mors tanti viri lugenda sit, ab eo, inquam, benigne ac liberaliter hospitio susceptus, per speciem quidem literis Hebraicis operam dabam (nam hoc prætextu missionem consequutus eram) re vera tamen iuris prudentiæ totus vacabam, neque omnino infeliciter, vt mihi quidem videbar. Sed institutum illud interrupit Hispanica profectio, quam Nicolao Clenardo incitatore ac socio, D. Ferdinandi Colonis auspiciis suscepi. Vbi tribus annis partim in aula Isabellæ Augustæ, tractandis Proregis Indiarum Occidẽtalium negociis, partim Hispali in numerosissima Bibliotheca Colonica consumptis, tandem Salmãticam profectus, ad intermissa legum studia, velut postliminio reuersus sum, inuitatus illuc honesta conditione à clarissimo viro Francisco à Valle Prætore Antwerpiensi, cuius tum filius Salmanticensis Ecclesiæ Prioratum (sic enim appellant) tenebat, adolescens longiore vita dignus. Sed rursus tam opportuni patroni mors importuna sic vitæ meæ rationes conturbauit, vt necessario mihi fuerit, interrupto studiorum cursu, publicæ professionis munus capessendum. Nondũ tamen leges desideratas ita abdicaueram, quin ad eas aliquando mihi redeundum sperarem, vsque dum Serenissimus Princeps, & Reuerendissimus Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Henricus, Portugalliæ Infans, misso Salmanticam ad id Nicolao Clenardo, me ad suscipiendam Bracarensis iuuentutis erudiendæ prouinciam vocauit. Ibi tum ea mihi res in religionem versa est. Itaque iam omne sequendarum legum consilium deposui, ratus in fatis meis esse, vel potius Deo cuius admirabili prouidentia gubernantur omnia, ita visum, vt in eo munere cui pene puer destinatus fueram, consenescerem. Proinde ab omnibus aliis rebus cogitationes meas, curas, consilia, studia ad hoc obeundum munus contuli, id vnum spectans, vt quam Spartam nactus essem, pro mea virili exornarẽ. Quod quanto cum fructu factum sit hactenus à me, penes alios esto iudicium. Porro quum in hoc officii genere tantum sit tædii ac molestiæ, quantum, nisi qui expertus fuerit, nõ facile queat æstimare: ratio aliqua quærenda fuit, quæ mihi non voluptatem ac delectationem suppeditaret, sed tædia propulsaret, & alleuamentum aliquod succrescentibus laboribus præberet.

Ad

Ad eam rem historia mihi accõmodatissima visa est, quæ præter innumeras vtilitates quibus lectorem cumulat, animum quoq; mirifica dulcedine demulcet. Hoc igitur vnicum lassi & cura confecti animi perfuginm ac remedium cepi, & Græcis Latinisque Historiis Hispanas etiã admiscui, scilicet ne penitus essem ignarus rerum illius regionis in qua mihi viuendum erat, neue in aliena patria bis peregrinus essem. Quarum lectio magnitudine rerum gestarum ita me recreauit, vt quas obiter prius ac perfunctorie perlustraueram, serio mox & bona fide perlegerem, neque perlegerem solum, sed etiam præcipua quæque decerperem. Dii boni, quam diuitem Hispaniam, belli pacisque artibus reperi! quãtas rerum ac fortunæ vicissitudines! quot bella prudentissime suscepta, scientissime gesta, fœlicissime confecta! quam indefatigabilem vindicãdę religionis Christianæ feruorem! quot omnium virtutum documenta! quot omnium rerum memorabilium exempla! Denique non animus modo iucundissimæ lectionis voluptate mihi expletus est, sed commentarius etiam iustus excreuit earum rerum, quas inter legendũ memoria dignas enotaueram. Ægre ferebam eas in tanto silentio iacere, nullam tantarum rerum memoriam apud exteras nationes extare, nullum hactenus in tam præclaro argumẽto ingenii vires explicuisse, saltem vt res posteritatis memoria dignissimas, ab obliuione hominum atque à silentio vindicaret. Subiit paulatim huius tentandæ rei desiderium, sed quum mente repeterem, quã multa opus essent ad tantam rem cum dignitate conficiendam, quibus ego carerem, præsertim autores illi antiqui, qui de rebus Hispanorum, quamuis parce admodum & cõcise scripserunt, non sum ausus consilium meum cuiquam aperire, ne si euentus non responderet, risum pro gloria reportarem. Atque his cogitationum æstibus iactatus, dubius inter spem & metum fluctuaui, tantisper dum Georgius Cœlius, vir omnibus bonarum artium studiis ornatissimus, mihi dixit in Alcobaciensis se monasterii Bibliotheca reperisse codicem manu scriptũ, in quo essent Sanctus Isidorus & Sanctus Alfonsus de viris illustribus, & alia quædam Sancti Isidori monumenta de rebus Hispaniæ. Quid ego nunc tibi referã candide lector, quantopere me bearit nuncius adeo exoptatus? Non conquieui animo, donec tam desiderato thesauro potitus sum, interposita autoritate Reuerendissimi ac Serenissimi Cardinalis & Principis D. Henrici, cuius fide ac tutela monasterium illud regitur. Compos tãdem factus, quum librum adeo expectatum oculis & animo deuorassem, reperi omnia longe maiora quam pro expectatione mea, denique talia, quæ animum nutantem & ambiguum in certam sententiam prosequendi instituti propellerent. Mox amicos quosdam certiores feci, in quorum fide ac diligentia spem aliquam auxilii ponebam. Quorum adiutus ope ac industria, Chronicon hoc conscripsi, cuius nũc priorem tomum in lucem edere constitui, propediem daturus & alterum, si laborem hunc meum non ingratum fuisse cognouero. Quem eo libentius suscepi, tum ne tam numerosus sanctorum martyrum catalogus, tot Præsules sanctissimi, viri eruditissimi & in omni scientiarum genere percelebres, tot res domi forisque præclare gestæ, diutius in obscuro essent: tum vero vt vicem aliquam Hispaniæ pro tam benigno hospitio redderem, cui nõ secus ac natali solo iam pridem affectus sum, vt in qua totidem propemodum annos atque in patria vixerim: adeo alienæ patriæ longo vsu ita consuescimus, vt etiam propriæ anteponamus.

Quanta fuerit huius tractandæ materiæ necessitas propter externos, & etiam propter ipsos Hispanos.

CAPVT II.

VERVM ne quis operam in re parum necessaria posuisse me causetur, paucis declarãdum duxi, quanta mihi necessitas huius tractandæ materiæ visa sit, præcipue propter exteras nationes, quibus res in Hispania gestæ, scriptorum inopia hactenus sunt incognitę. Primum enim Idacius, Ioannes Abbas, S. Isidorus, Lucas Tudensis hactenus in tenebris latent. Rodericus Archiepiscopus Toletanus, Ioannes episcopus Gerundensis, Alfonsus Burgensis, nuper quidem Xanthi Nebrissensis opera, typis excusi prodierunt, sed ita mendosi, vt plurimis in locis intelligi nõ possint. Quanquam non minima gratia debetur Xantho Nebrissensi, qui eos qualescunque nobis dedit, addita pręsertim Antonii Nebrissensis patris sui, viri vndecunque doctissimi, de rebus gestis Catholicorum Regum Ferdinandi & Elisabes historia perquam erudita. Qui autores quamuis vel omnes impressi essent, vel qui editi sunt, ita essent à mendis repurgati, vt sine offensione legi possent, plurima tamen silentio prætererunt, quæ mihi scitu non tantum vtilia & iucunda, sed propemodum etiam necessaria videntur. Præterea Rodericus Toletanus, & quicunque illum sequuti sunt, vel sæculi vitio, vel quia fortasse deprauatis exemplaribus vsi sunt

non ita vbique fidem hiſtoriæ ſeruauerunt, vt non aliquando lima indigeant. Florianus à Campo, Canonicus (vt audio) Zamorenſis, & Petrus Antonius Beuter Theologus Valentinus, diligentius & eruditius de rebus Hiſpaniæ ſcripſerunt, ſed quia vulgari ſermone vſi ſunt, Hiſpanis tantum conſulere voluiſſe videntur. Quaſi vero eæ ſint Hiſpanorum res geſtæ, quæ patriæ ſuæ regionibus circumſcribi debeant, ac non potius, quemadmodum fama ſua cunctum orbem complexæ ſunt, ſic ab omnibus legi mereantur? Iam vero extra Hiſpaniam pauci admodum ſcriptores res Hiſpanas attigerunt, idque ita dubia fide, vt plerumque tota errent via. Quarum rerum ignoratio quantas tenebras quibuſdam ſcriptoribus offuderit, quam multos autores graueis non paucis in locis vitiauerit, iis demum fuerit manifeſtum qui diligenter in hoc noſtro Chronico animaduerterint, quam varios diuerſorum autorum locos miſere deprauatos, ac proinde obſcuros non omnino, opinor, infeliciter reſtituimus, vt quamuis nullum aliud operæprecium hac noſtra lucubratione feciſſemus, non omnino male collocata opera cenſeri debeat. Accedit his, quod de ſanctis Hiſpaniæ, de ſcriptoribus primariis, de aliis multis memoratu dignis, nemo ſatis hactenus pro dignitate tractauit. Nam Florianus à Campo primam tantum Chronicorum ſuorum partem euulgauit, quod ego quidem ſciã. Petrus Antonius Beuter dum illuſtrandæ patriæ ſuæ præcipue ſtudet, hæc atque alia huiuſcemodi vel tacitus præterit, vel paucis admodum perſtringit. Proinde neceſſarium mihi viſum eſt, excuſſis diligenter omne genus ſcriptoribus, Chronicon aliquod edere, in quo nihil eorum quæ reperire potuiſſem, prætermitterem. Quod ſi tantum apud alios inuenerit gratiæ, quantũ mihi præbuit laboris & moleſtiæ, non erit cur me vigiliarum mearum pœniteat.

Nihil mirandum quod homo externus de rebus Hiſpaniæ ſcripſerim, quodq; non ſine exemplo faciam.

Capvt III.

NEQVE quiſquam miretur, aut vitio dãdum arbitretur, vel temeritati adſcribat, quod homo peregrinus, & velut in alio natus orbe, de rebus Hiſpaniæ ſim auſus aliquid commentari. Primum enim neq; noui quicquam facio, neque ſine exemplo. Nam ſi conſiderare volumus eos qui res Romanas ſcriptis ſuis memoriæ prodiderunt, inueniemus pleroſq; eorum Græcos, in quibus Polybium, Dionyſium Halicarnaſſeum, Plutarchum, ne reliquis recenſendis prolixus ſim. Quin & Titus Liuius celeberrimus Romanæ conditor hiſtoriæ, non Romanus erat, ſed Patauinus, quæ ciuitas Galliæ Ciſalpinæ ſiue Togatæ erat, non Italiæ. Sed ne antiqua repetam, Paulus Æmilius Francorum hiſtoriam non Gallus, ſed Italus conſcripſit, & Lucius Marinæus, Siculus, non Hiſpanus, de rebus ſcripſit Hiſpanorum, atque vtinam parem cũ Paulo Æmilio tuliſſet eloquentiæ palmam. Nec ego felicius Marinæum Hiſpaniæ natum quam Vaſæum credo, creſcitque mihi ex eo fiducia, quod illum videam, quomodocunque ſcripſerit, non id modo ſine reprehenſione, ſed etiam cum laude feciſſe. Quid quod ne peregrinus quidẽ cenſeri debeam? Nam ſi Athenienſes prudentiſſima ciuitas, in ciuium numerum referebant, quicunque apud eos eſſent ſeptem annos verſati: ſi Romani multis qui Romam nunquam viderant, ob beneficium aliquod Imperatoribus benigne præſtitũ, aut operam in bello ſtrenue nauatam, ciuitatem ſuam dabant: non immerito me Hiſpani inter ſuos numerabunt, apud quos viginti iam annos vixi, vxorem non obſuro loco natam duxi, liberos procreaui. Adde quod eorum commodis & ſtudiis iuuandis per multos annos ita deſudaui, vt pauca admodum credam eſſe municipia Hiſpaniæ, quæ non aliquem habeant Vaſæi diſcipulum. Non hic referam quod communem Flandri cum Hiſpanis dominum agnoſcimus, non quod tam aſſiduis vltro citroque commeationibus tanta ſit vtriuſque gentis coniunctio & communicatio, vt prope pro iiſdem haberi poſſint. Illud fortaſſe non abſurde dixero, cum Hiſpani Brugis in ſolo meo natali pro ciuibus & pluſquam ciuibus habeantur, & iiſdem atque adeo potioribus prærogatiuis vtantur, me non iniquum poſtulare, ſi apud eos eodem cenſeri numero velim. Et certe Hiſpani me hactenus non tanquam peregrinum, quanquam ſunt alioqui in peregrinos clementiſſimi, ſed tanquam ciuem, & ciuem benemeritum tractauerunt. Primum enim, in curiam Iſabellę Auguſtę vt veni, quot ibi amicos reperi? Deinde Hiſpali quam benigne acceptus fui à viris præclaris & admodum eruditis? Salmanticæ vero quum primum publice profiteri cœpi, quanta cõtẽtione ſcholaſtici, quo ſtudio apud Academię Rectorem egerunt, vt mihi ſtipendium honorarium ab Academię Senatu decerneretur? Neque Senatus grauiſſimi beneuolentia ceſſit ſcholaſticorũ ſtudio. Tres enim duntaxat inuenti ſunt in toto Senatu, qui mihi aduerſarentur, ſed ita aduerſarentur,

vt non

vt non potuerint ornare magis. Quorum ego iniuriam, si tamen iniuria erat, libenter silentio prætereo, tum quod partim iam fato concesserunt, vt cum laruis luctandum non sit: tum quod istiusmodi res obliuisci malo, quam commemorare. Porro autem vt in Lusitaniam à Cardinali patrono meo honesta conditione atque ampliori proposita spe vocatus concessi, quantam eius gentis humanitatem atque beneuolentiam sim expertus, primum Bracaræ, deinde etiam Eboræ, neque paucis explicare possum, neque si possim, pie me facere arbitrarer, si pro iucũdissimo tot annorũ hospitio, & amplissimis beneficiis, tam breui, tamque vili defungerer orationis munere. Neque referre nunc paucis queam, quanta cum beneuolentiæ significatione Senatus Academiæ Salmanticensis me post annos duodecim reuocandum curauit, tradita publice prouincia D. Ioãni Quignonio Cãcellario, viro nõ solum antiquissimo clarissimoque maiorum stemmate illustri, sed omni quoq; virtutũ genere exornatissimo, præterea literis politioribus, tum Græcis, tum Latinis ita exculto, vt eius exẽplo mihi videatur acceptũ ferri debere, quod explosa paulatim barbarie, literæ humaniores Salmanticæ caput attollere incipiant. Huius certe integritati & inculpatissimę vitæ debetur, quod ex quo tẽpore ipse præfectus est huic Academiæ, iuuentus omnis ad tantam vitæ frugalitatem & modestiam conuersa sit, vt Censorem egisse perpetuo, non Cancellarium videatur. Adeo virtus in illustri posita monumento, stimulos habet acriores aliis ad imitationem sui excitandis. Vnde non immerito S.C.C.M. Caroli Imperatoris, ante annos aliquot, prouinciam illi reformandæ Complutensis Academiæ delegauit. Cæterum de huius viri laudibus, optime semper meriti de me, spaciosior alias aperietur dicẽdi cãpus. Vt igitur vnde digressa est, tandẽ reuertatur oratio, neq; nouo exemplo homo in Flandria natus alterius gentis res gestas describere aggressus sum, neq; me peregrinum Hispanis iudico: & vt maxime peregrinus essem, tamen ea de rebus ipsorum legi, cum iis viris contuli, talium opera sum adiutus, vt neque vereri debeam institutum prosequi, neque quisquam scriptis meis possit merito fidem derogare.

Qui autores de rebus Hispaniæ scripserunt Latine, atque etiam Hispane, & quatenus eos sequor.

CAPVT IIII.

NON abs re mihi videtur hoc loco catalogum eorum autorum pertexere qui de rebus Hispaniæ ex professo commentarios ediderunt.

Ac primus quidem occurrit Idacius Galleciæ Episcopus, de quo latius in Chronico 1. nostro, anno quadringentesimo vigesimo. Is scripsit à primo Theodosii consulatu, vsque ad annum Domini quadringentesimum nonagesimum.

Ioannes Abbas Biclariensis monasterii, & ex Abbate Episcopus Gerundensis, scripsit 2. ab anno Iustini Iunioris Imperatoris primo, vsque ad octauum annum Mauricii Augusti, hoc est, ab anno Domini quingentesimo sexagesimo quarto, vsque ad annum quingentesimum octogesimum nonum, de quo in hoc Chronico plura reperies, anno 589.

Maximus Cæsaraugustanus Episcopus, scripsit historiam de iis rebus quæ temporibus 3. Gothorum in Hispaniis contigerunt: sed eam intercidisse credo.

Sanctus Isidorus Hispalensis archiepiscopus, historiam Gothorum, Vandalorum, & 4. Sueuorum, vsque ad sua tempora paucis complexus est, scripsit præterea de viris illustribus. Nam in Chronicis suis pauca admodum de rebus attigit Hispaniæ.

S. Alphonsum, siue (vt alii appellant) Ildephonsum, aiunt ab anno quinto Suinthilanis 5. regis, vbi finem fecit S. Isidorus, Gothorum historiam fuisse prosequutum: sed neque Iulianus archiepiscopus huius operis meminit, neque etiam Florianus à Campo, diligens harum rerum peruestigator, neque ego in Alcobaciensi codice reperi, neque in alio manuscripto, cuius mihi pro candore suo copiam fecit Resendius noster. Tamen in Luca Tudẽsi, in fine Reccesiunthi regis, reperi hæc verba: *Hucusque Ildephonsus.* Vnde arbitror, quæcunq; ille à D. Isidori tempore posuit, S. Alfonsi esse. Nam in præcedentibus ipsissima Diui Isidori verba retulit. Eiusdem sancti Alfonsi libellum de viris illustribus legi. Horum autorum, Idacii dico, Ioannis Abbæ, S. Isidori, & S. Alphonsi, quæcunque de rebus Hispaniæ reperire potui, simul cum Victore Tunnunensi Africæ episcopo, propediem Deo beneiuuante, à mendis quibus scatent, quo ad eius fieri potuit, repurgata, & scholiis nostris illustrata in lucem dabimus. Indignum enim vehementer existimo, autores tam bene de Repub. Hispana & religione Christiana meritos, diutius in tenebris iacere, & blattas ac tineas pascere.

6. Iulianus, Toletanus Archiepiſcopus à ſancto Alfonſo tertius, ſcripſit hiſtoriam de rebus Bambæ regis tempore geſtis: quam hiſtoriam vidi Salmanticæ in Bibliotheca Eccleſiæ Cathedralis. Idem ſcripſit de B. Alfonſo. De quo Iuliano quid ſentiam, latius in Chronico ſcripſi, anno 681.

7. Iulianus Lucas natione Græcus, diaconus Toletanus, ſcripſit hiſtoriam Hiſpanā tempore Pelagii regis, vt ait Florianus à Campo, ſed eam hactenus ego nō vidi. Neſcio an huius ſint, quæ adduntur viris illuſtribus de Iuliano Archiepiſcopo.

8. Idem Florianus à Campo dicit, Sebaſtianum quendam electum Salmanticenſem res Hiſpanas memoriæ prodidiſſe, à tempore Pelagii regis vſque ad Alfonſum Caſtum: Saphyrium Aſturicenſem Epiſcopum ab Alfonſo Caſto vſq; ad Bermudum ſiue Veremundum Podagricum: Pelagium Epiſcopum Ouetenſem ab hoc Bermudo vſque ad finem Alfonſi octaui. Sed hos ego autores, quanquam diligenter quæſitos, inuenire nondum potui. Tamen Sebaſtianum Salmanticenſem allegat Petrus Antonius Beuter. Pelagii Ouetenſis meminit F. Alfonſus Venerus in Enchiridio temporum.

9. Iſidorus Pacenſis Epiſcopus etiam ſcripſit Chronicon Hiſpaniæ, cuius ſi eſt Chronicon illud quod illius titulo prænotatum vidi, portentum potius dixerim, quàm Chronicon, adeo prodigioſe ſcribit, & Gothice potius quam Latine. Certe mihi tanquam in nouo quodam & inaudito idiomate deſudandum fuit, vt intelligerē. Inueni & aliud Chronicon titulo Iſidori Iunioris tanquam illius, ab initio mundi vſque ad quintum annum Suinthilanis Gothorum regis, qui fuit annus Domini ſexcēteſimus vigeſimus ſextus. Sed hoc ego Chronicon S. Iſidori Hiſpalenſis archiepiſcopi, non Iſidori Pacenſis eſſe certo mihi perſuadeo, præſertim quum ipſe etiam S. Iſidorus in Etymologiis ſuis, ſe ad eum vſq; annum Chronicon ſuum perduxiſſe teſtetur. Vidi quidem in eodem codice aliud Chronicon, Iſidoro Hiſpalenſi Epiſcopo inſcriptum, ſed quum in vltimo Traſamundi Vandalorum in Africa regis anno deſinat: alterius potius atque eius Africani, quam S. Iſidori Hiſpalenſis eſſe arbitror, præcipue cum rationem potius cum regibus Vandalorum in Africa, quam Gothorum in Hiſpania habeat. Neq; obeſt Iunioris cognomentum, quod D. Iſidoro Hiſpalenſi conuenit, non huic Pacenſi. Dicitur vero D. Iſidorus Iunior, propter Iſidorum Cordubenſem epiſcopum, qui Pauli Oroſii tempore floruit. Quod ita eſſe, Etymologiarum S. Iſidori titulus indicat, in cuius libri frontiſpicio ad hunc legitur modum: *Incipit epiſtola Iſidori Iunioris Hiſpalenſis epiſcopi ad Braulionem Cæſarauguſtanum (ita enim legendum) epiſcopum.* Hæc ego pluribus excuſſi propter contrarias opiniones, & ſententiam meā dixi, facile ceſſurus, ſi quis compertiora in medium adducat.

10. Vidi Salmanticæ in bibliotheca collegii S. Saluatoris, quod magno Reipublicæ bono inſtituit D. Didacus Muros Ouetenſis epiſcopus, & Catholicis Regibus à ſecretis, doctiſſimorum atq; integerrimorum fertilitate virorum celeberrimum, hiſtoriam Compoſtellanam in duos libros digeſtam, iuſſu D. Didaci primi Archiepiſcopi Cōpoſtellani, in quibus primordia, ſucceſſus, incremēta Eccleſiæ Compoſtellanæ late deſcribuntur. In iis libris plurima ſcitu digna reperi, quæ ſuis locis ponentur. Prioris libri autores fuiſſe dicuntur Munio Mindonienſis & Hugo Portugalenſis epiſcopi: poſterioris, Giraldus quidam presbyter, vt colligitur, & eiuſdem Archiepiſcopi familiaris.

11. Lucas Tudenſis Chronicon ſcripſit Hiſpaniæ, pro illo ſeculo non pœnitendum, ſed vel temporum vel ſcriptorum vitio ita deprauatū, vt nō facile queat à quouis intelligi. Hunc epiſcopum fuiſſe affirmant, ſed ipſe ſe in opere ſuo indignum diaconum appellat. An poſtea epiſcopus fuerit, neſcio. Scripſit autem Chronicon ſuum iuſſu Berēgariæ Reginæ, quæ mater fuit regis Ferdinandi tertii, fere eodem tempore quo ſcripſit Rodericus Archiepiſcopus Toletanus.

12. Rodericus Ximenez Nauarrus, Archiepiſcopus Toletanus, res in Hiſpania geſtas nouem libris complexus eſt. Quibus ſubiunxit Oſtrogothorum, Sueuorum, & Alanorum ac Vandalorum compendiolam hiſtoriam. Quod opus Xanthus Nebriſſenſis, vir, vt apparet, eruditiſſimus, & patris doctiſſimi ſtudium in iuuandis ſtudiis referens, in lucem edidit, ſed vel exemplarium penuria, vel temporum iniuria mire vitiatum, & tamen qualecunque dedit, non minimam meretur induſtriæ laudem, qui quod potuit, in publicam vtilitatem deprompſit. Eos libros ſi quis exemplarium collatione mendis expurgatos atq; emaculatos euulgaret, non adeo aſpernandum haberet Hiſpania rerum ſuam monumentum, tantiſper dum alius delicatiore Minerua prouinciam eam aggrediatur. Scripſit prætereа Rodericus iſte hiſtoriam Arabum, ab exordio & origine Mahometis, quam ex Bibliotheca Reuerendiſſimi Cardinalis & Sereniſſimi Principis ac Domini mei D. Henrici ſum conſecutus.

Alfon-

Alfonſus à Palentia res Hiſpanas Latino ſermone deſcripſit, vt ſcribitur in catalogo virorum illuſtrium, qui additus eſt hiſtoriæ Ioannis regis Caſtellæ eius nominis ſecundi: ſed eum ego autorem neque hactenus vidi, neque alibi citatum legi. Vidi quidem Hiſpali in Bibliotheca Colonica, dum illius curam agerem, prægrande volumen de rebus Hiſpaniæ, & ni fallor, Romæ, certe in Italia impreſſum: ſed Roderici Palentini epiſcopi, quem etiam Raphael Volaterranus citat, quod poſtea quoque Valliſoleti in Bibliotheca Collegii Cardinalis Petri Gonſalis Mendocii vidi. 13.

Ioannes Epiſcopus Gerundenſis compoſuit Paralipomenon, id eſt, rerum Hiſpaniæ ab aliis relictarum, libros decem, in quibus Hiſpaniæ primordia, progreſſus & incrementa, ac varias rerum viciſſitudines ſtudioſe, nec vſquequaque infœliciter proſequutus eſt, vſque ad tempora Honorii & Arcadii Auguſtorum. Hic quoque typis excuſus, ſed non ſatis emendatus. Ioannem illum appello, quamuis anonymos prodiit: quia ex hiſtoria regnũ Ferdinandi & Iſabellæ ab Antonio Nebriſſenſi edita, conſtat tempore belli Granatenſis, quo tempore hanc hiſtoriam conſcripſit, vt ex procemio patet, Ioannem Epiſcopum Gerundenſem fuiſſe. 13.

Alfonſus à Carthagena Epiſcopus Burgẽſis, Pauli Burgenſis epiſcopi ex legitimo matrimonio filius, & in epiſcopatu ſucceſſor, præter alia opera ſcripſit anacephalæoſin regũ Hiſpaniæ, cum Roderico Toletano nuper impreſſam. 14.

Michael Ritius Neapolitanus ſcripſit de regibus Hiſpaniæ libellos tres, eleganti ſtilo, ſed admodum ſuccincto, à Gargori rege, qui fuit ex gente Curetum, vſque ad Philippum regem, Caroli quinti ſemper Auguſti patrem. Hunc autorem mihi communicauit pro candore ſuo perquam Reuerendus D. Emanuel Sanctus, Epiſcopus Targenſis, ſumma vitæ integritate, nec minore ſacræ Theologiæ peritia probatiſſimus, cui ego ſum multis nominibus admodum deuinctus. 15.

Extat & Marii Aretii Patritii Syracuſani dialogus, nomine Calipho, qui non pœnitendam continet Hiſpaniæ deſcriptionem. 16.

Ioannes Annius Viterbienſis, præter ea quæ in Beroſum Chaldæum commentatus eſt, libellum ſcripſit perexiguum de primis temporibus & viginti quatuor regibus Hiſpaniæ Beroſum ſequutus. Sed huic autori non ſatis fidei tribuunt eruditi, quemadmodum neq; Beroſo, cuius tamen locum vnum ad verbum in Ioſephi antiquitatibus reperi. Nam quæ præterea illius citat Ioſephus, non fuit mihi quærendi ocium. 17.

L. Marinæus Siculus de rebus Hiſpaniæ ſcripſit opus varium nec inelegans, ſed in quo multis locis diligentiam, pluribus etiam fidem deſidero. Idem ſcripſit de genealogia regum Aragoniæ libros quinque. 18.

Petrus Martyr Mediolanenſis, puerorum nobilium Catholicorum regum præceptor, ſcripſit de orbe nouo, auſpiciis Chriſtophori Colonis reperto in Indiis Occidentalibus, Decadas aliquot. Non enim quum hæc ſcriberem, librum ad manum habebam, ſed in iis à quibuſdam tanquam ſuſpectæ fidei reprehenditur in nonnullis. 19.

Ælius Antonius Nebriſſenſis, cuius memoria toti Hiſpaniæ merito venerabilis eſt, literis prodidit rerum à Ferdinando & Eliſabe (ita enim declinat) fœliciſſimis Hiſpaniarum regibus geſtarum Decades duas, & belli Nauarienſis libros duos, opus & argumentum tali viro dignum, ſed pleriſque locis plagiariorum vitio mutilum. 20.

Damianus à Goes Luſitanus, mihi pene adhuc puero in Flandria olim cognitus, ac bene de me meritus, ſcripſit de vbertate ac potentia Hiſpaniæ commentarium, non magnũ illum quidem, ſed accurate ſcriptum & rerum varietate iucundum. Idem Dienſis Cambaiæ vrbis oppugnationem priorem ſcripſit, Petri Bembi Cardinalis & aliorum clariſſimorum virorum præconiis magnopere celebratam. Quin & hanc poſteriorem tribus libris ſtudioſe complexus eſt. 21.

Iacobus Teuius, regii apud Conimbricam collegii profeſſor egregius, nuper Commentarium de rebus apud Dium geſtis anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſexto edidit, ea ſtili venuſtate conſcriptum, vt ſi de tota hiſtoria Luſitana, quod pollicetur, ad rem contulerit, dubio procul effecturus ſit, vti quemadmodum Luſitania rerum geſtarum gloria nulli prouinciæ concedit, ſic nec hiſtoriæ venuſtate cedere cuiquam merito debeat. 22.

Exciderat Raphael Volaterranus, qui in opere illo prægrandi claſſem ſuam Hiſpanorum regibus & rebus geſtis aſſignauit, in qua tametſi nonnunquam à veritate declinet hiſtoriæ, nihil mirandum: quin potius in gratia ac beneficio ponendum, quod quæ reperire potuit, ſilentio prætereunda non putauit. Atque hos hactenus reperite potui, qui de 23.

rebus Hiſpanorum Latine ſcripſerunt ex profeſſo: nunc qui idem patrio ſermone tractauerunt argumentum, paucis dicamus.

24. Alfonſus rex, eius nominis decimus, cognomento Sapiens, cuius ſunt tabulæ quæ dicuntur Alfonſinæ, ex autoribus probatis hiſtoriam Hiſpanã iuſſit in quatuor partes redigi, opus copioſum, & antiquo illius temporis idiomate venerabile, ſed mire vitioſum, ita tamen, vt adhibito labore & collatione autorum, ex quibus collectum eſt, facile poſſit in priſtinum nitorem reſtitui, non quin alicubi tota erret via, ſed in paucis, in quibus Rodericum Toletanum tanquam autorem irrefragabilem ſequitur, vt ſuis locis annotabimus.

25. Alfonſus vndecimus, pater regis Petri Crudelis, ſecundo iuſſit colligi atque ordinatius digeri Hiſpanorum hiſtorias. Eius exemplar eſſe puto, quod mihi commodato dedit Eboræ vir ornatus ac probus Ferdinandus Nonius Leo, iuris Cæſarei Licentiatus. in quo libro eſt hiſtoria regum Caſtellæ, à Ferdinando Magno, vſque ad finem Ferdinandi quarti, eius qui in ciuitate Giennenſi mortuus eſt, die ſibi dicto ab iis quos iniuſte iuſſerat de rupe præcipitari: qui Ferdinandus fuit pater huius Alfonſi vndecimi, de quo nunc loquimur.

26. Salmanticæ in Bibliotheca Franciſcana repoſitæ ſunt antiquorum Hiſpaniæ regum hiſtoriæ manu ſcriptæ. In eadẽ eſt hiſtoria antiqua Roderici Diaz celeberrimi Ducis, quem Sarraceni Cidum, id eſt Dominum, confeſſione virtutis ipſius appellauerunt, ſed longe diuerſa ab ea quæ vulgo circumfertur. Ex cuius Bibliothecæ hiſtoriis quæcunque inſtituto meo ſeruiebant, ſedulo mihi annotauit reuerendus Pater F. Iacobus Hallenſis Hannonius, cui non minima huius Chronici pars propter hanc diligentiam accepta ferenda eſt, vt ſuo loco dicam.

27. Dieghus à Valera hiſtoriam Hiſpaniæ generalem iuſſu Iſabellæ reginæ in compendiũ contraxit.

28. Ferdinandus Perez à Guzman librum edidit in modum Valerii Maximi, qui inſcribitur Valerius Scholaſticus. In eo titulos quidem ponit Valerii Maximi, exempla vero ex ſacris Bibliis & Hiſtoria Hiſpana, opus, meo iudicio, tũ diligentia, tum varietate laudabile.

29. Hiſtoriam Aragonum ſcripſit F. Galbertus, monachus ordinis D. Bernardi, opere iuſto, ſed quod, ſi laudes immodicas & non neceſſarias detrahas, in exiguum redigatur opuſculum.

30. Nauarræ hiſtoriam compoſuit Carolus infans illius regni, ſed nondum euulgata eſt.

31. Extant & omnium Portugalliæ regum hiſtoriæ diligenter conſcriptæ, pleræq; omnes à Roderico à Pina, ſed nullæ hactenus typis excuſæ, præter hiſtoriam regis Ioannis eius nominis ſecundi, quam Garſias Reſendius poſteritati reliquit.

32. Leguntur & Luſitanorum in India res geſtæ, ſed ne illæ quidem impreſſæ, quanquam alioqui digniſſimæ quæ manibus omnium tererentur. Pridie quam hæc typis mandarentur, vidi librum vnum de luſtratis ac debellatis Indis per Luſitanos, lingua Luſitana compoſitum à Ferdinando Lopes, & excuſum Conimbricæ hoc anno.

33. Extat præterea Comitis Nonii Aluari Pereira, Brigantiæ domus autoris hiſtoria impreſſa, quem Comitem Luſitaniæ Camillum recte dixeris. Eam, vt audio, Latine vertit Ioannes Ferdinandus, quem illuſtriſſimus Brigantiæ dux Theodoſius filio ſuo vnico Ioanni, in ſucceſſionem ampliſſimæ ditionis nato, præceptorem prudenti conſilio delegit, cuius eruditio varia Compluti, Salmanticæ, Conimbricæ celebrior eſt, quam vt alienæ prædicationis indigeat.

34. Proſtant & quorundam aliorum Hiſpaniæ regũ hiſtoriæ diuerſis autoribus, typis excuſæ, nempe Roderici vltimi Gothorum regis, ſed quæ fabulæ quam hiſtoriæ mihi propior videtur, Petri Crudelis, Henrici ſecundi, Ioannis primi, Ioannis ſecundi.

35. Dieghus Henricus à Caſtello, Henrici regis eius nominis quarti hiſtoriam conſcripſit, quæ nondum euulgata eſt.

36. Ferdinandus à Pulgar, vir (vt aiunt) in ſermone vernaculo facundus & elegans, res geſtas Catholicorum regum Ferdinandi & Iſabellæ quatuor tomis complexus eſt: ſed ii quoque latent.

37. Gundiſaluus Ferdinandus Ouetenſis Hiſpanorum in Indiis Occidentalibus bella & inſignes victorias, atque omnes earum gentium ritus ac mores, ipſarum etiam regionum qualitates, & quæcunque reperit notatu digna, viginti libris perſecutus eſt.

38. F. Ioannes Ægidius Zamorenſis de rebus quoq; ſcripſit Hiſpanorum, cuius Archiuum frequenter citatur in Fortalitio fidei. Sed ego hactenus non vidi.

39. F. Alfonſus Venerus ordinis D. Dominici, Enchiridion temporum edidit ſermone Hiſpano,

Hispano, in quo multa præclara de rebus Hispaniæ quæ hactenus in obscuro erant, in lucem protulit.

Laurentius à Padilla, archidiaconus Rondensis in Ecclesia Malacitana, librum de sanctis emisit Hispaniæ. 40.

Florianus à Campo, vir, vt apparet, multæ lectionis, & indefatigabilis hac in parte diligentiæ, omneis Hispaniæ res memorabiles quatuor tomis describendas suscepit, quorum primum tantum hactenus, quod sciam, edidit, in quo quæcunque de primordiis Hispaniæ potuerunt inueniri, studiose ac diffuse collegit. Reliquos si edidisset, plurimum instituto meo momenti attulisset. 41.

Petrus Antonius Beuter, Theologus Valentinus, idem argumentum tribus tomis cõplexum se profitetur, tametsi præcipuus eius scopus videatur, patriam suam Valentiam illustrare. Primum tantum hactenus vidi, erudite & cum iudicio scriptum. Cuius cæteras lucubrationes spero mihi non paruo vsui fore, ad res illius regni, & etiam Aragonũ, compendio perstringendas, si contingat earum compotem fieri, antequam Chronici mei posterior tomus typis mandetur. 42.

Nuper in lucem prodiit opus iustum de dignitate & rebus præclaris Hispaniæ M. Petri à Medina, viri eruditi, & mihi olim Hispali amicitia iuncti, magno, vt apparet, studio elaboratum, & iucunda rerum varietate commendabile. 43.

Atque hi sunt Hispanicarum rerum scriptores quos hactenus inuestigare potui. Eos ego in hoc Chronico sequutus sum, non tamen quod ita in illorum verba iurauerim, vt ab iis discrepare mihi religio sit, si quando res postulet. Amici quidem illi per quos in hac lucubratione adiutus sum, sed magis amica veritas, cuius in historia præcipua & prope vnica ratio esse debet. Præclare enim scripsit Polybius: Quemadmodum si quis oculos animanti effodiat, reliquum corpus inutile fit, ita dempta ex historia veritate, narratio omnis inutilis est. 44.

Catalogus eorum autorum, quibus in hoc opere sum vsus.

CAPVT V.

NVNC paucis autores eos perstringam, quibus in hac lucubratione vsus sum, tum vt autoritatem dictis meis astruam, tum quod ingenui animi esse iudicem, fateri per quos profeceris. Sequar vero in recensendis eis ordinem alphabeticum.

Aelius Spartianus.
Alfonsi regis historia.
Alfonsus Burgensis episcopus.
Alfonsus Sanctus.
Alfonsus Venerus monachus.
Andreas Alciatus.
Andreas Resendius Lusitanus.
Angelus Politianus.
Annotationes marginales Alcobaciensis codicis, quo multum vsus sum, quas constat monachi fuisse non parum eruditi, & multæ lectionis, quique antiquioribus vsus sit Hispanicarum rerũ monumentis, quã quæ hodie reperiuntur.
Antonius Nebrissensis.
Antonius pius.
Antonius Sanctus, Florentinus Archiepiscopus.
Antonius Sabellicus.
Aristoteles.
Arrianus de rebus gestis Alexandri Magni.
Asconius Pedianus.
Augustinus Sanctus.
Augustinus Steuchus Eugubinus.
Aurelius Cassiodorus.
Ausonius Poeta.
Autor Floris sanctorum Hispanici.
Autor vitæ Senecæ.

Beatus Rhenanus.
Bedæ venerabilis Chronicon, quod mihi manu scriptum benigne communicauit Resendius noster multo castigatius, quam quod vulgo extat impressum.
Berosus Chaldæus.
Breuiarium Bracarense.
Breuiariũ Eborense, quod nuper L. Andreas Resendius, Reuerendissimi S.R.E. Cardinalis, & sereniss. Principis Infantis Portugalliæ, Henrici Eborensis archiepiscopi auspiciis ita nitori suo restituit, vt non arbitrer aliud reperiri exactiori iudicio concinnatum. Certe Sanctorum historias Hispanorũ non alibi meliori fide descriptas reperias, quas ille ante annos multos, perlustrata fere tota Hispania, tanquam quod futurum erat præsagiens & summo studio perquisiuit, & ex ecclesiarum Cathedralium libris, vbi quam emendatissime reperiri poterant accuratissime descripsit. De hoc intelligi volo, quotiescunque Breuiarium Eborense cito.
Breuiarium Hispalense.
Breuiarium Pompelonense.

Caroli Nauarræ Principis Chronica.
Columella Hispanus.
Compostellana historia.
Concilia antiqua.
Cornelius Tacitus.

Cyprianus Sanctus.

Damianus à Goes Lusitanus.
Decretales.
Decretum.

Erasmus Roterodamus.
Eusebius Cæsariensis, cuius Chronicon multis mendis quibus scatebat, repurgatum, & lectioni synceræ restitutum, ex veterum codicũ & præcipue Alcobaciensis collatione, propediẽ in lucem dabimus, Christo Opt. Max. conatus meos adiuuante, simul cum Chronico D. Hier. & Prosperi Aquitanici.
Eutropius.

Ferdinandus Perez à Guzman.
Ferdinandus Nonius Pincianus.
Flauius Vopiscus.
Florianus à Campo.
Francorum Annales.

Galbertus monachus Aragonensis.
Gennadius.
Gregorius Gyraldus Ferrariensis, qui historiam scripsit Poetarum.
Gregorius Holoander.
Gregorius Sanctus Papa.
Gregorius Sanctus Turonensis episcopus.

Henricus Glareanus.
Hermannus Buschius.
Hermannus Contractus, cuius prior pars Chronici vsque ad finem Domitiani, quo loco iterum ab anno Augusti quadragesimo secundo per annorum seriem Chronicon ducere incipit, tota propemodum ad verbum ex Bedæ venerabilis Chronico transcripta est.
Hieronymus Sanctus.
Historia Tripartita.

Iacobus Faber Stapulensis.
Iacobus Meyerus, qui Chronicon Flandricarũ rerum scripsit. is pauca admodum de rebus attigit Hispanorum, sed ita exacte seruata temporis ratione, vt hominis diligẽtiam facile agnoscas.
Idacius Galleciæ episcopus.
Ioachimus Vadianus.
Ioannes Abbas patria Scalabitanus, & Biclariensis monasterii fundator, quod Valclaram nunc vulgo dici testatur Florianus à Campo.
Ioannes Annius Viterbiensis.
Ioannes Carion.
Ioannes Chrysostomus.
Ioannes Genesius Sepulueda.
Ioannes Laziardus Cœlestinus.
Ioannes Maldonadus Hispanus, qui de iis sanctis scripsit quos Burgensis celebrat Ecclesia.
Ioannes Trittemius, alias Trittenhemius Abbas.
Iornandes.
Iosephus.
Isidorus, qui dicitur Iunior, Pacẽsis episcopus. Hũc ego semper appellabo Isidorum Pacensem, quia non recte Iunior cognominatur, vt præcedenti capite declaraui.
Isidorus Sanctus, Hispalensis archiepiscopus.
Iulius Cæsar.
Iulius Capitolinus.
Iulius Obsequens.
Iulius Solinus.
Iustinianus Imperator.
Iustinus Historicus.

Laurentius à Padilla.
Lucas Tudensis.
Lucius Florus.

Manethon Ægyptius.
Marcus Tullius Cicero.
Marius Aretius Patritius Syracusanus.
Martialis.
Matthæus Palmerius.
Metasthenes Persa.
Michael Ritius Neapolitanus.

Nicephorus, qui historiã scripsit Ecclesiasticã.
Nicolaus Clenardus, cuius schedis aliquot vsus sum, quas post obitum ipsius magno studio consequutus, aliquando, Deo auspice, editurus sum, vbi typographi dabitur opportunitas.

Paulus Æmylius Veronẽsis, Francorum scriptor historiæ.
Paulus Burgẽsis episcopus, is qui scrutinium scripsit scripturarum, & alia nõnulla Theologica.
Paulus Orosius Hispanus.
Petrus à Medina.
Petrus Antonius Beuter, Theologus Valentinus.
Petrus Crinitus.
Petrus de Natalibus episcopus, quem ego in aliquibus cum iudicio legendum censeo.
Petrus Mexias Hispalensis.
Philippus Beroaldus.
Plinius Secundus Iunior, cuius sunt epistolæ.
Plinius Secundus, Naturalis scriptor historiæ.
Plutarchus.
Polybius.
Pomponius Mela Hispanus.
Procopius.
Prosper Aquitanicus.
Prudentius Poeta Hispanus.
Ptolemæus.

Raphael Volaterranus.
Rases Historiographus Miramamolini, Marrochiorum & Cordubæ Regis.
Rhosuitha virgo Saxonica ex genere Caroli Magni, quæ vitas aliquot Sanctorum carmine heroico descripsit, & inter eas Sãcti Pelagii Martyris, Cordubæ pro Christo sub Abderamene passi.
Robertus Abbas Montis.
Robertus Gaguinus.
Rodericus archiepiscopus Toletanus.
Rodolphus Agricola.
Ruffinus de historia Ecclesiastica.

Salustius.
Seneca Philosophus.

Seuerus Sulpitius, qui Chronicon scripsit vsq; ad AEram quingentesimam quadragesimam septimam, & vitam Diui Martini.
Sextus Aurelius Victor.
Sidonius Apollinaris.
Sigebertus Abbas Gemblacensis.
Stephanus de vrbibus.
Strabo.
Suetonius Tranquillus.
Tabulæ virorum triumphalium, quas Romæ nuper inuentas in columnis marmoreis, & ad Regem Portugalliæ Ioannem missas, L. Andreas Resendius mihi benigne, vt alia multa, communicauit, visendæ monumentũ antiquitatis. Eas postea Gaspar Barrerius Canonicus Eborẽsis, vir ornatus atq; humaniorib. literis probe excultus, typis excusas cum catalogo Consulũ & Censorũ, Roma, vbi Henrici Cardinalis & Infantis negocia gesserat, reuersus attulit.
Theodoritus de historia Ecclesiastica.
Thomas Aquinas Sanctus.
Titus Liuius.
Trebellius Pollio.
Valerius Maximus.
Victor Sanctus episcopus Vitensis, de persecutione Vandalorum.
Victor Tunnunensis episcopus, pro quo perperã legitur in Etymologiis sancti Isidori, Turonẽsis.
Vincentii speculum historiale.

His ego autoribus in hoc priore Chronico hactenus vsus sum, si qui præterea offerantur, eorum ego catalogum posteriori tomo prępOnam, Deo adiuuante, neque quenquam, quantumuis obscurum, sua gloriæ portione fraudabo. Illud quoque admonendum arbitror, nihil me hoc priore tomo dixisse, cui non continuo nomen autoris adiungerẽ, neq; id incõsulto fecisse, ne quis tanquam re parum necessaria offendatur. Cum enim multa essent ponẽda quę alii omiserũt, multa etiam aliter quam alii hactenus dixissent, referenda: necessario ita faciendum putaui, vt omni sublato scrupulo, certior esset dictis meis fides. id quod vsque ad excidium Gothorum perpetuo tenore seruaui, posterius non idem facturus, nisi sicubi res ipsa requirat.

Quorum in his Chronicis opera sum adiutus, quique mihi libros suppeditarunt.

CAP. VI.

PORRO quum tam multis emendis libris fortunæ meæ vix mediocres haudquaquam sufficerent, præsertim continua multorũ annorum caritate sic attenuatæ, vt vix alendę familiæ pares esse possent: prætereá multi libri nulla pecunia comparabiles essent, quippe manu scripti, atque in Bibliothecis antiquis religiose adseruati: multa denique quæ ad rẽ meam facerent, nondum etiam in libros digesta essent, sed in schedas & quædã velut aduersaria passim relata delitescerent: necessario mihi fuit ad eos confugiendum, qui possẽt opem rebus meis adferre. Qui quandoquidem officium benigne præstiterunt, suis laudibus fraudandi non sunt, simul vt & ipsi benignitatis atque candoris sui præmium ab ęquo Lectore percipiant, & alii admoneantur, ne maligne occultantes, blattas ac tineas pascãt iis quæ prolata in medium, & patriæ lucem, & ipsis decus, & lectori voluptatem pariter atque vtilitatem prębere possent. Proinde catalogum hic paucis attexam cum aliqua grati animi testificatione, tum eorum qui mihi libros suppeditauerunt, tum eorum quorum opera sum adiutus.

Quorum primus est, nunquam sine aliqua honoris pręfatione mihi nominandus, Serenissimus Princeps ac Dominus meus D. Henricus, Cardinalis & Infans Portugalliæ, qui pro regia sua magnificentia, & in tanto dignitatis ac regii stemmatis fastigio incredibili humanitate, non solum Alcobaciensem codicem ex monasterio illo suo bis mihi iussit adferri, sine quo libro irritus in hoc negocio conatus meus futurus erat, sed etiam ex Bibliotheca sua varia & copiosa multos libros suppeditauit: præcipue vero Rodericũ Toletanum Archiepiscopum manu scriptum, eumque tanto emendatiorem impresso, vt ex illo innumeros locos in codice meo restituerim, ac propemodum mihi videar ipsum integritati suæ reddidisse. Erat in eodem lib. eiusdẽ Roderici historia Arabũ, queadmodum superius dixi, nunquã hactenus impressa. Sed non cõtentus benignissimus Princeps hoc beneficio, si quid etiam in legendis autoribus (vt omne tempus quod ab oratione & publicis negociis vacat, sacrorũ autorũ lectione transigit) obseruaret, quod instituto meo cõduceret, humanissime mihi cõmunicauit. Huius enim est pręter alia, quod ex D. Thomæ commentariis in epistolam Pauli ad Galatas probauimus, D. Paulum Hispanis prædicasse verbum salutis. Huic igitur, amice Lector, optimo Principi & sanctissimo Præsuli gratiam mecum habeas pro tanto beneficio, ac salutem ipsius Deo Opt. Maximo deuotis precibus commendes.

2. Neque monasterium Alcobaciense silentio prætereundum, censu locuples, ditione amplum, antiquitate venerãdum, & in quo facile tum Diui Bernardi autoritatem ac sanctitatem, tum Alfonsi Henrici primi Portugalliæ regis magnificentiam agnoscas, de quã re suo loco dicemus. Huius igitur monasterii patribus gratiam libenter habeo, quod & codicem illum suum, quanquam iussu & autoritate prædicti Principis, tamen non inuiti commodauerunt, & alia nonnulla de monasterii sui primordiis & institutione vltro ipsi præbuerunt.

3. Sed Ecclesiæ Bracarensis perquam reuerendo collegio multo maximas gratias debeo, quod Ferdinando Gundisaluo sacerdoti, viro probo & honesto, mihique iam inde à multis annis amico permisit, vt quicquid in archiuis illius sanctæ Ecclesiæ reperiret antiquitatis, id omne diligenter excuteret, & si quid reperiret quod ad rem meam pertineret, eius me compotem faceret. Quorum beneficio simul ac diligentia dicti sacerdotis, plurima sum consequutus venerandæ antiquitatis monumenta, quæ suis locis proferentur. Fuere vero huius beneficii autores viri nobilitate conspicui. Dominus Petrus à Sousa, Bracarensis Ecclesię Cantor, vt ipsorum more loquar, & Balthasar Carnerius Scholaster, atque alii permulti, quos enumerare longum sit, sed eorum memoriam grato semper animo colam.

4. Dominus Iulianus ab Alba non postremum hic locum meretur, quem inclytus Portugalliæ Rex Ioannes tertius, ob insignem ipsius integritatem & inculpatos mores, sorori suæ Dominæ Mariæ, heroidi omnibus animi corporisque dotibus incomparabili, & inter rara exempla numerandæ, primum pædagogum elegit: deinde post multa & longa virtutum ipsius experimẽta, idem Rex & mariti iudicium sequuta Regina, Dominæ Mariæ, filiæ suæ vnicæ, in spem ac successionem tot tantorumque regnorum enuptæ (quam Castella Principem suam magno cum gaudio vidit, sed maiore cum dolore intempestiua morte velut in herba sibi præreptam luxit, atque etiamnum luget) à secretis esse voluerũt, & nunc tandem ob tam multa ipsius & tam præclara merita episcopum Portalegrensem creauerunt. Hic, inquam, Præsul reuerendissimus quum alias optime semper meritus de me, tum vero ad hanc obeundam prouinciam quicquid habebat librorum, quicquid monumentorum Hispaniæ, quorum semper curiosus inuestigator fuit, non solum prolixe communicauit, sed etiam nonnullos ære proprio mercatus est codices quos mihi sciebat deesse. Quod beneficium nisi agnoscam & colam, merito ingratissimus omnium cẽsear mortalium.

5. Sequitur Georgius Cœlius, Serenissimi Principis ac Domini mei secretarius, & celeberrimi monasterii Sancti Georgii prope Conimbricam dignissimus Antistes, de cuius viri laudibus & eruditione quid opus est dicere, quum ipsum sua celebrent ingenii monumenta? Tamẽ temperare mihi non possum, quin hoc loco ponam elogium de ipso Nicolai Clenardi, viri ab omni adulationis suspicione tam alieni, quam fuit ab omnibus aliis vitiis remotissimus, quod elogium reperi in schedis quibusdam ipsius autographis. Id vero tale est: Georgius Cœlius non carmine tantum Resendio riualis, sed & oratoriis laudibus adeo bene perculsus, vt paucos credam tam prope ad puritatem accedere Ciceronis. Certe Isocraticam iucunditatem lenitatemq; sic refert, vt parem non viderim. Hactenus Clenardus, non inelegans ingeniorum spectator. Hic, inquam, Georgius Cœlius non solum Alcobaciensis codicis (qui mihi fuit huius instituti prora & puppis) primus index fuit, sed etiam ex Bibliotheca sua Græcis Latinisque libris instructissima plurimos libros benigne suppeditauit, qui rebus meis non mediocriter commodauerunt.

6. Martinus ab Azpilcueta Decretorum Doctor Nauarrus, ex Salmanticẽsi Academia, vbi erat Iuris Canonici professor primarius, ab Ioanne Portugalliæ & Algarbiorũ Rege, annuo mille ducatorum stipendio, eoque perpetuo, ad eandem functionem Conimbricam vocatus, atque à Domina Catharina Regina Serenissima ob egregia vitæ merita Conimbricensis Ecclesię cathedralis Cantoria (vt ita loquar) dignitate donatus, vir multis mihi nominibus suspiciendus, cuius insignis vtriusque iuris, Philosophiæ, Theologiæ peritia, Cathurci, Tolosæ, Salmanticæ, Conimbricæ, quibus in Academiis maximo applausu & frequentissimo semper auditorio docuit, est admirabilis, sanctitas vitæ vix credibilis, & integritas morum omnibus amabilis. Hic non solum libris, consilio, iudicio suo limatissimo me iuuit, verum ex ipsa vsque Nauarra schedas nonnullas mihi curauit adferri, quæ conatibus meis non minimum attulerunt adiumenti.

7. Atque hic mihi lacrymæ iusto dolore prosiliunt, Lector amice, quod venerabilem & mihi perpetua recordatione colendum Fratrem Franciscum à victoria, sacræ Theolo-

Theologiæ, dum in viuis ageret, Salmanticæ professorem primarium, in hoc catalogo ponere non liceat. Antequam enim ipsum instituti mei certiorem facerem, ipsum, inquã cuius arbitrio regebar, consilio nitebar, in cuius beneuolentia acquiescebam: præsentis vitæ calamitatibus perfunctus, in sanctorum contubernium, vt ego quidem persuasum habeo, translatus fuit. Qui si vixisset, dictu mirum, quantũ subsidii conatibus meis attulisset. Erat enim eruditione incredibili, lectione pene infinita, iudicio exactissimo. memoria exprompta, vt quoddam naturæ miraculum merito videretur. Gratuletur sibi sancti Dominici illustris ac religiosa familia, quod talem nacta sit virum, quo nescio equidem, an à multis annis alium habuerit sacræ Theologiæ peritiorem. quod ipse quoque testatum fecisset, si tam fuisset scribendi cupidus, quam erat egregie peritus. Illud certe sine scrupulo mihi videor affirmare posse, neminem fuisse multis annis tota Hispania, omniũ bonarum artium ac totius humanitatis doctiorem, vt nõ immerito Nicolaus Clenardus dicere solitus sit, neminem se nosse, ne ex iis quidem qui omnem ætatem in Latinis literis triuissent, cuius ipsi tam placerent epistolæ, quam Victoriæ, qui si animum aliquando ad scribendum appelleret, orbem vniuersum fama sui nominis occuparet. Ignosce mihi cãdide Lector, quod dolori meo indulgens in eius viri laudes euagatus sum, de quo pauca dicere religio est, multa non sufficiunt, nihil dicere impium. Non potui de Victoria silere, cum Martini ab Azpilcueta meminissem, quod eos viros communi consilio semper expertus sim præ cæteris omnibus optime de Vasæo meritos.

M. Petrus Margallus Lusitanus, Philosophiæ, iuris Pontificii, Teologię consultissimus, 8.
& olim Salmanticensis Academiæ professor celeberrimus, nunc Canonicus Eborensis, communicatis mihi libris multis, quorum habet innumeram supellectilem, non minimam meretur benignitatis suæ laudem & gratiam, vt alia ipsius in me beneficia breuitatis studio in præsentia silentio prætercam.

Clarissimus dominus Petrus à Villalon Archidiaconus Turolensis in Cæsaraugustana 9.
Ecclesia Metropolitana, & ornatissimus dominus Michael Leerma, illius olim Pædagogus, quæ mihi de rebus Aragonum deerant, studiose quæsita liberaliter ac benigne pro veteri amicitia mihi miserunt: quorum tanto libentius memini, quod olim mihi Salmanticæ domestica consuetudine coniuncti, iucundam diuturnamque sui memoriam in animo meo reliquerunt.

Duo restant qui bonam huius lucubrationis partem suo sibi iure vendicare possunt, 10.
adeo mihi summam operam suam nauauerunt. Prior est L. Andreas Resendius Lusitanus, Theologus, Orator, & Poeta insignis, & Reuerendissimi ac Serenissimi Cardinalis & Principis domini Henrici à concionibus, vir antiqua mihi beneuolentia, eaque olim Louanii incepta coniunctus, & mei in Hispaniam aduentus quodammodo autor, certe incitator. Is me in hoc opere libris antiquis manu scriptis, schedis suis, iudicio copiose iuuit, neque quicquam habuit antiquitatis, cuius ipse non solum est curiosissimus, sed etiam scientissimus, quod mihi pro candore suo non benignissime communicauit. Præterea si quid mihi suboriretur scrupuli, ad illum tanquam asylum quoddam semper confugi, cuius exactissimum in re literaria iudicium non ego solum semper maximi feci, sed & Nicolaus Clenardus, cuius hoc quoque de Resendio nostro in schedis elogium reperi: Andreas Resendius, Poeta insignis, tanta carminis maiestate, tam neruosis inuentionibus donatus ab Apolline, vt si in studio poetico perduraret, tam nobilem vatem haberet Ebora, quam genuit olim Corduba. Alter est frater Iacobus Hallensis, patria Hannonius, sed apud Hispanos in prouincia Sancti Iacobi regulam obseruantiæ Diui Francisci per annos fere quadraginta religiosissime professus, vir inculpatæ vitæ, & singulari humanitate præditus, mihique iam inde ab eo tempore quum primum in Hispaniam veni, arctissima necessitudine coniunctissimus, & plusquam Pylades alter. qui postquam factus est huius instituti mei certior, non solum quos habere potuit libros, mihi misit, sed excussis omnibus Bibliothecis, & præcipue Franciscana, hoc est monasterii sui (cui ego monasterio cum aliis multis, tum hoc præcipue nomine sum deuinctissimus, quod in eo nõnulla sint inuenta monumenta historiæ Hispanæ antiquissima, quibus ego vehementer adiutus sum) quicquid inuenire potuit quod ad rem meam faceret, indefatigabili studio propria manu mihi descripsit, tantumque suscepit laborem amici causa, vt merito mecũ communis huius operis autor censeri debeat. certe sine ipsius opera non potuissem recte meo fungi officio.

Hunc catalogum describere libuit, tum vt talibus viris tam benemeritis de me gratiã

aliquam reponerem, tum vt alios hac grati animi teſtificatione animarem, vt ſi quid habent abſtruſum aut reconditum de antiquitatibus Hiſpaniæ, in medium proferant, parē gratiam relaturi: tum denique vt maior huic Chronico ſit fides apud eos qui intelligent, qualium virorum fauore,opera,auxilio fuerim adiutus.

Obteſtatio ad Lectorem.

CVP. VII.

POst hæc mihi orandus es,humaniſſime Lector,vt hos labores meos qui certe nō fuere mediocres,boni conſulas,& ſicubi lapſus fuero(quis enim tam Lynceus,vt non aliquando cęcutiat?)candide me ac ſyncero animo admoneas.Paratum enim ſemper experieris ad palinodiam eorum quæ perperam ſcripſi,idque non ſine honorifica eorum mētione per quos iuſte atque amice admonitus fuero.Neque enim ego is ſum qui non veritatis quam opinionis meæ potiorem rationem ducam.Sin talis erit admonitio cui merito cedere non debeam,tamen eo linguæ temperamēto,quod ſcripſi,tuebor,vt & gratia bonæ voluntati habeatur,& veritas non deſtituatur defenſionis auxilio. Semper enim mihi arriſit in primis illa Senecæ notabilis ſentētia:Si merito obiurgauit aliquis,ſcito quia profuit:ſin immerito,ſcito quia prodeſſe voluit.Atque vt quod pollicitus ſum,re ipſa præſtē, duos hoc loco nominabo qui hoc munere docte atque amice functi ſunt. Prior eſt Ioannes Geneſius Sepulueda,Theologus,Philoſophus,Orator inſignis. De cuius ſingulari eruditione quid opus eſt dicere,quum tot editis libris teſtatiſſima vulgo ſit?Satis ſit ad laudem ipſius, quod illum ex tanto doctiſſimorū virorum numero Carolus quintus Imperator ſemper Auguſtus potiſſimum delegerit,à quo res ipſius terra mariq; præclariſſime geſtæ,perpetuæ memoriæ commendarentur.Is igitur quum ipſi à Maximiliano Boemiæ rege,tum regias vices in Hiſpania cum vxore Maria gerente,cenſura huius Chronici demandata eſſet,cādide atque erudite quędam notauit,in quibus illi non ſatisfecerā.Quod adeo non ægre tuli,vt etiam magni beneficii loco duxerim. Alter eſt Didacus Neila,iuris Pontificii Doctor,& Salmanticenſis Canonicus,præter incredibilem humanitatē, Græce Latineque doctiſſimus. Id quod ſatis indicat Breuiarium trium lectionū, ab ipſo iuſſu Franciſci Quignonii Cardinalis,auſpiciis ſummi Pontificis ita venuſte,ita erudite cōcinnatum vt nihil ſupra. Hic quoq; quum lucubrationem hāc perluſtraſſet, & quædam deprehendiſſet quæ vel errata, vel ex autoribus deprauatis tranſlata ipſum offenderent, eo me candore,ea humanitate ne de facie quidem notum admonuit, vt erroribus meis hoc quoque debeam,quod maximæ,& vt ſpero,perpetuæ inter nos amicitiæ feneſtram patefecerint. Sed non eſt ſilentio prætereundus Gaſpar à Caſtro, ſingularis ipſius amicus, & in compoſitione Breuiarii ſocius,vir nō ſolum vtriuſque linguæ peritia,ſed etiam eximia pietate præſtans,qui tametſi vel nulla, vel pauca notauit,tamen multa antiquitatis monumenta, quæ plurima ſummo ſtudio per totam ferme Italiam atque Hiſpaniam perquiſita collegit, benigne communicauit,quibus ego ſaltem quæ ambigue & cum quodam ſcrupulo dixeram,confirmare poſſem.Cęterum his ita præmiſſis,ad ea quæ de Hiſpania dicēda ſunt, vertatur oratio.

Breuis deſcriptio ac diuiſio Hiſpaniæ.

CAP. VIII.

HISPANIA Straboni lib. 3.corio bubulo humi protenſo comparatur. Ea pelago vndiq; cingitur, niſi qua parte Pyrenæi montis obiectu à Galliis diuiditur. Habet Hiſpania ab Ortu montem Pyrenæum, qui à Veneris templo ſiue promontorio exortus, prope Illiberos (Colibre hodie appellant)in Oceanum procurrit Britannicum, atque hac parte maxime anguſta eſt,adeo vt eo dum per Cantabriam iter facerem,in monte Diui Adriani D.Ferdināo Colone harum rerum peritiſſimo commonſtrante, niſi fefellit aſpectus, vtrumque mare me vidiſſe meminerim, Oceanum videlicet,cui eramus proximi, atq; eminus,quantum oculorū proſpectus ferre poterat, Mediterranei maris albicātes fluctus. A Septentrione autem clauditur Oceano Cantabrico, ab Occaſu mari occiduo,à Meridie freto Herculeo & mari Balearico.

Diuiditur vero Hiſpania in tres prouincias,Bæticam,Luſitaniam,& Tarraconenſem. Bætica à Septentrione clauditur Ana fluuio : ab Occaſu habet eam Atlantici Oceani partem quæ eſt inter oſtium Anæ & fretum Herculeum : à Meridie mare Balearicum quod eſt inter fretum Herculeum & Charidami promontorium, quod vulgo appellari dicunt Cabo de Gata: ab oriente terminatur linea ducta ab hoc promontorio per Caſtulonem

lonem ad Anam fluuium. Dicta est Bætica à Bæti fluuio memorabili, qui prouinciam totam intersecat, qui ortus in saltu Tygēsi, decurrit in Oceanum Atlanticum, atque hodie appellatur vocabulo Arabico Guadalquibir, quod sonat fluuium magnū. Hæc prouincia posterius à Vandalis habitatoribus Vandalitia dicta, hodie quoque corrupto vocabulo, Andalusia dicitur.

Lusitania à Septentrione habet Durium fluuium ab ostio ipsius, vsque ad pontem qui est contra Septimancas: ab Occasu eam Oceani Atlantici partem, quæ est inter ostia Anę & Durii: a Meridie Bæticā: ab Oriente terminatur à Terraconensi, linea ducta ab Oretania veteri, vsque ad pontem qui habet è regione Septimancas. Lusitania nomen accepit à Luso Liberi patris filio, & Lysa eiusdem Liberi socio cum Luso bacchante, vnde nunc à Luso Lusitania, nunc à Lysa Lysitania dicitur, vt etiam annotauit L. Andreas Resendius. Lusitania, vt diximus, duobus clauditur fluminibus, Ana & Durio, intersecatur Tago omnibus his memorabilibus. Quorum Anas in Laminitano agro exoritur, è montib. Carthagini & Murciæ vicinis. Vnde triginta M. P. decurrens, obtusis totum se propere cōdit cuniculis, rursusq; stadiorum sexaginta quatuor subterraneo peracto cursu, totus renasci videtur, quemadmodum ait Marius Aretius Patritius Syracusanus, atq; ita modo se in stagna fundens (vt inquit Plin. lib. 3. c. 1.) modo in angustias resorbens, aut in totum cuniculis condens, & sæpius nasci gaudens, prope Myrtilim (Mertolam hodie vocāt) in Atlanticum Oceanū effunditur. Tagus in Celtiberia oritur Tarraconensis prouinciæ regione, ac primum Celtiberiam, mox Carpetaniam, deinde Lusitaniam secans, prope Olisiponē in Oceanum quoq; exoneratur Atlanticum. Fluuius hic antiquis celebratus est arenis aureis, quas hodie quoq; reperiri affirmant, & esse qui ex ea re quæstum non mediocrem faciāt. Durius in Pelendonibus prouinciæ Tarraconēsis oritur, fluitq; in Meridiem vsq; ad Numantiam, quæ prope Soriam olim fuit, inde per mediam fluens Castellam, mox in Portugalliam transit, Lusitanicam ab Interamni & Transmontana diuidens, prope ciuitatem Portugallensem in Oceanum deuoluitur Occidentalem, plurimis absorptis fluminibus, quorum non infimi nominis est Thormis, quem Salmantica nobilissima disciplinarū omnium magistra, vicinitate sua nobilitat. Interamnem appello Portugalliam, quę est inter Durium & Minium regio non minus amœna quam fertilis, quam & ipsam nonnulla irrigant flumina, quorum pręcipui, Auus, cuius in ripa tota nullam cernas arborem spiniferā, hoc est, ex earum genere quę mala Medica siue aurea, citrea, aut alia id genus producunt. quod huic fluuio cum Aleste Bracarensi fluuio commune esse aiunt, quum tamē tota illa prouincia sit horū fructuum, si qua alia, multo feracissima, & Nebis, quem Neue, seruato nomine, hodie appellant, & Limia celebratus antiquis fluuius, quem Lethen Græci, Obliuionem Latini nuncupauerunt. hunc falso Gerundensis Episcopus cū Minio cōfundit. Habet & alios Lusitania non pœnitendos amnes, quorum non postremus est Mūda, Conimbricensis Academiæ propinquitate celebris, Mondegum hodie nūcupant, qui & ipse aureis arenis & ramentis celebratur. Perperam idem Gerundensis Conimbricam Mundam fuisse affirmat, & eam in qua filii Pompeii fuere victi, refragantibus aperte Cæsaris commentariis. nimirum Munda oppidum erat non in Lusitania, sed Bætica. Nec minus inepte in Ptolemæo & Pomponio Mela quidam Lacobrigam Conimbricam esse asserūt, quum vel ipse Pomponius Mela Lacobrigam in Sacro promontorio ponat, de qua plura dicemus suo loco. Non longe à Munda est Vaca fluuius, hodie Vogam appellant, quem, amnem non posuissem, nisi Plinius eius meminisset. In eodem tractu, nimirum octo leucis à Conimbrica, visitur etiam hodie fons ille admirabilis, quem Plinius in Catinensi (ita enim in Plinio legendum) Hispaniæ agro ponit, qui quicquid admotum fuerit, absorbet. Cuius rei se præsente factum periculum mihi affirmauit perpetuo mihi venerandus dominus meus Henricus Cardinalis & Princeps, coram rege Ioanne & cæteris fratribus regiis, quum in arborum truncis & ramis, tum in iumento, quod fonti admotum pede, paulatim absorberi cœptum, ægre tandem à famulis extractum est. Affirmat Plinius alterum iuxta fluere, qui omnia respuat. Is hodie, si extat, saltem ignoratur. Fons ille nunc appellatur Feruentia, & ager in quo visitur, Cadima, non procul à Tentugalensi municipio. Habet altissimos Lusitania montes, quorum vel præcipuus qui à stella cognomen habet, in cuius cacumine frequenter in lacu quodam fragmenta nauium reperiuntur, quum tamen à mari plusquam duodecim leucis distet. Quin & exæstuare, & tempestatem ibi audire affirmant accolæ, quoties intumescit mare. Similia fere leguntur de monte quodam prope aquas Flauias, vulgo Chaues, in transmontana Portugallia. Portugalliam improprie Lusitaniam appellant, cū alioqui nec tota Portugallia Lusitaniæ finib. circumscripta sit, nec totam Lusitaniam complectatur: illud tamen negari non potest,

potiorem Lusitaniæ partem Portugalliæ regi parere. Diuiditur vero Portugallia in Transtaganam, Cistaganam, & Interamnem. Transtagana Bæticæ partem carpit, eam scilicet quæ ab Ana vsque ad regni limites porrigitur. Interamnis tota extra Lusitaniam est, nisi repudiata descriptione posita, Straboni magis accedamus, qui ait lib. 3. maximam Lusitanorum partem Callaicos appellatos. Huius regionis longitudo est octodecim leucæ: latitudo, qua maxima est, duodecim, alibi tãtum sex, aut etiam quatuor. Atque in hoc tam exiguo terræ interuallo, præter Ecclesiam Bracarensem metropolitanam, & Portugallensem cathedralem, ac alias quinque collegiatas, reperias plusquam centum triginta monasteria, quorum pleraq; reditus habent amplissimos, præterea plus minus mille quadringentas sexaginta parochiales cum suis baptisteriis, vt scribit quidam. certe in ea parte, quæ Bracarensem agnoscit Ecclesiam, octingentæ recensentur. Ex qua re fertilitatẽ & antiquam religionem gentis facile agnoscas. De amœnitate vero quid opus est dicere, quum in ea numerata sint vltra viginti quinque millia fontium perennium, pontes quadrato lapide elegantissime constructi, prope ducenti, portus marini sex. Quod propterea tacendum minime duxi, quia bonitas & dignitas huius prouinciæ fere ignoratur. Huic prouinciæ adhæret ea quam Transmontanam appellant, regio optimi tritici generosique vini ferax, in qua est Brigantia, caput amplissimi ducatus, cui hodie præest, multisque annis præfuit, non regio tantum stemmate inclytus, sed omnibus etiam corporis animiq; dotibus præstantissimus heros D. Theodosius, omnium eruditorum præconiis celebrãdus. Ex huius regionis montib. affirmauit mihi amplissimus Princeps & dominus meus Henricus Cardinalis, regi Ioanni fratri suo se præsente allatum lapidem, aureis tamẽtis ac bracteolis plenum. Sed hactenus de Lusitania.

Reliqua Hispaniæ pars ad Tarraconensem pertinet prouinciam, quæ habet è Septentrione Oceanum Britannicum, ab OEasone (sic appellant promontoriũ prope fontẽ Rabidum siue Fontarabiam) ad Nerium promontorium, quod hodie dicitur Finis terræ: ab Occasu Oceanum Athlanticum, à dicto promontorio vsque ad ostium Durii: a Meridie Lusitaniam & Balearici maris oram: ab Oriente Pyrenæos montes, quibus à Gallia separatur Hispania. Tarraconensis à Tarracone ciuitate nomen accepit, eius prouinciæ metropoli, ciuitate ad excipiendas Principum peregrinationes, vt inquit Strabo libr. 3. egregie nata, & in qua Imperatores iurisdictionem agitabant. Complectitur hæc prouincia Murciæ regnum, & Valentiæ & Aragonũ cum Cathalonia, Castellam veterem, Nauarræ regnum, Portugalliam Interamnem, Galleciæ regnum, Asturias, totam Cãtabriam. Habet præter Durium qui in ea nascitur, & alios fluuios, Cæsari, Lucano, Silio Italico, Martiali celebratos, Iberum fluuium tantum, vt toti Hispaniæ nomen Iberiæ dederit, qui solus omnium (de quinq; præcipuis loquor) reliquis in occasum vergentibus, in Austrũ defluit, & in mare Balearicum exoneratur. cuius rei causam qui nosse volet, ex principiis historiæ Antonii Nebrissensis viri vndecumque doctissimi petat, quem hic in multis sequuti sumus.

Hispania primum vnica fuit prouincia proconsularis, vel potius consularis. siquidem P. Cornelius Scipio Africani maioris pater, Consul ad eam missus est contra Annibalem, tametsi postea Proconsul administrauit, vt ex T. Liuii lib. 1. & 2. de secundo bello Punico patet, idque anno vrbis conditæ quingentesimo trigesimo quarto, fuitque ad eum modũ prouincia procõsularis per viginti tres annos (per quos administrata, posterius dicemus) donec anno vrbis conditæ quingentesimo quinquagesimo septimo, Cn. Cornelio Cethego, & Q. Minutio Rufo Coss. diuisa est in duas prouincias Prætorias siue Proconsulares. nam eosdem subinde T. Liuius lib. 9. de bel. Maced. & alibi sæpe, nunc Prætores, nũc Proconsules appellat. Sed hoc interesse censeo, quod prius erat Proconsularis imperio Consulari, scilicet quia tanta esset in Hispania belli moles, nõ solum aduersus ipsos Hispanos, verũ etiam aduersus tres clarissimos Carthaginensium duces, ac totidem exercitus, vt consulari opus esset imperatore & exercitu. Annibal vero ita grauis hostis immineret Italiæ, vt vterque Consul ad eam tutandam necessarius esset. Quod proximum erat, Proconsul missus est imperio & potestate Consulari, donec (vt dixi) in duas diuisa est prouincias Prætorias siue Proconsulares, & per Prætores siue Proconsules admininistrata est imperio & dignitate Prætoria siue Proconsulari. Tametsi non ignoro, Prætorem Asconio Pediano dici omnem magistratũ, cui pareret exercitus. Ita tamen in duas prouincias dispertita est Prætorias, vt pro ratione bellorum ingruentium, si quando res ita posceret, nunc hæc, nunc illa, nonnunquam etiam vtraque simul fieret Consularis. Nam Catone Consule per Consulem vnum, ipsum nempe Catonem Censorium, & duos Prætores res gestæ sunt in Hispania. Tempore Numantini belli, & contra Sertorium, duo consulares duces

duces & exercitus, & nonnunquam tres miſſi ſunt, vt ſuo loco dicemus. Hæ duæ prouinciæ dicebantur citerior & vlterior. Quæ pro diuerſa ratione temporum, diuerſos habuere limites. Primum enim citerior Hiſpania dicta eſt, quicquid in ea Romani à montibus Pyrenęis cis Iberum obtinebant: vlterior, quicquid vltra. Poſtea prorogatis imperii finib. vetus forma prouinciarum mutata eſt, vt ipſe quoque Plinius lib. 3. cap. 3. teſtatur, & citerioris Hiſpaniæ limites Iberum tranſierunt, bonamque Tarraconenſis prouinciæ partem occupauerunt: & ab Aſturibus per Vaccæos, & Oretanos vſque ad Carthaginem nouam porrigebatur, vt ex Paulo Oroſio lib. 1. cap. 2. conſtat. Quo tempore vlterior à Gallecia ſumebat exordium, vt patet ex L. Floro, qui ſcribit lib. 56. ad hunc modum: D. Iunius Brutus in vlteriore Hiſpania fœliciter aduerſus Gallecios pugnauit, &c. Poſtremo, cedente iam in iura Romanorum tota Hiſpania, rurſus prouinciarum termini mutati ſunt ad eum modum, quem ſcribit Plinius lib. 3. vt tota Tarraconenſis prouincia citerior eſſet Hiſpania, Bætica & Luſitania vlteriorem facerent. Habebant hæ prouinciæ ſuos conuẽtus, vnde finitimi populi iura petebant. Bętica quatuor, Gaditanum, Cordubenſem, Aſtigitanũ, Hiſpalenſem. Luſitania tres: Emeritenſem, Pacenſem & Scallabitanum. Scallabis hodie Sanctaren à ſancta Irene nomen habet. Tarraconẽſis prouincia ſiue citerior Hiſpania ſeptem: Carthaginenſem, Tarraconenſem, Cæſarauguſtanum, Clunienſem, Aſturum, Lucenſem, Bracarenſem. Clunia Plinio lib. 3. cap. 3. in Areuacis eſt, atque in fine Celtiberię, qua parte Celtiberia Carpetaniæ iungitur. Antonius Nebriſſenſis & Florianus à Campo affirmant Cluniam fuiſſe eam quæ hodie vulgari ſermone Crunna dicitur, oppidũ quod ab Vxama ciuitate abeſt leucis ſex, à Durio amne tribus, à Callaroga D. Dominici patria, duabus. Vnde & Nebriſſenſis Comitem illius oppidi dominum, Comitem Clunienſem appellat. Et recte illi quidem non abludente vocabulo. Quanquam quę olim Clunia erat, ab eo oppido quarta leucæ parte diſtat, neque quicquam nunc habet, præter antiquæ vrbis veſtigia, & Sacellũ D. Virgini ſacrum, appellaturque Caſtro. extãt etiamnum amphitheatri & aliæ antiquitatis reliquiæ, ſed & ſigillum conuentus Clunienſis ibidem quinq; ab hinc annis repertum, ac penes Comitem Clunienſem aſſeruari mihi affirmatũ eſt. Sũt non procul Clunia & fodinæ Iaſpidis præſtantiſſimi. Perperam in Ptolemæis quibuſdam impreſſis Clunia dicitur eſſe, quæ appellatur ciuitas Regalis.

Hiſpania vt ſcribit Gerundenſis Epiſcopus lib. 1. paralip. cui antiqua ſuffragantur concilia, in quinque prouincias diuiſa eſt tempore Conſtantini Pii, Tarraconenſem, Carthaginenſem, Bæticam, Luſitaniam, Galleciam.

Hiſpania habuit tempore Maurorum plurimos regulos: poſterius à ſex regibus poſſeſſa eſt, Legionenſi, Nauarrenſi, Caſtellano, Aragonenſi, Portugalliæ, Granatenſi, qui erat Maurus. Legionenſe deinde cum regno Caſtellæ coiit. Reliqua tempore Ferdinandi regis Catholici, ad vnius Caſtellę regis arbitrium & imperium, fuſis pulſiſq; Hiſpania Mauris redacta ſunt, excepta Portugallia, quæ proprium habet regem.

Qui plura de Hiſpania noſſe volet, quot habeat epiſcopos, quot Principes & primates viros, quibus deniq; rebus abundet, pręter Marinæum Siculum, legat Damiani à Goes ea de re libellum curioſe ac diligenter ſcriptum. Nobis hæc delibaſſe ſufficit.

De laudibus Hiſpaniæ.

Cap. IX.

De laudibus Hiſpaniæ ſuperfluum videtur aliquid ſcribere poſt tot autores, qui eas pluribus verbis complexi ſunt. Tamen pauca quædã perſtringam, magis id adeo, ne nihil dixiſſe videar, quam quod neceſſariũ exiſtimẽ. Igitur illud me rito inter primas Hiſpaniæ laudes ponendũ videtur, quod ipſe quoq; Cęſar in comment. ſuis lib. 3. de bel. ciuili affirmat, regionem eſſe ſaluberrimam, quam illi laudẽ cum Galliis cõmunicauit. Sed Iuſtinus lib. 44. Hiſpaniam cõtendit Gallia & Africa, ſicut fertiliorem, ſic aeris temperamento ſalubriorem, vt quæ nec violento, ſicut Africa, ſole torreatur, nec aſſiduis, vt Gallia, ventis fatigetur: adeo in omnia frugũ genera fœcunda, & frumenti, vini, olei, melliſq; copia redundans, vt non incolis tantum abũde victum ſuppeditet, ſed etiam Italiæ & Romæ rerum dominæ frequenter duriſſimis temporibus peropportunam frumenti, armorum, veſtimentorum, atque omne genus commeatuum abundantiam ſubminiſtrauerit: quod T. Liuius ſecundo bello Punico non ſemel factum oſtendit lib. 10. de ſecundo bello Pun. Hæc etiam Cæſari res in Gallia gerenti materiam fabricandis nauibus, equos, equites ſuggeſſit. Plinius libr. vltimo, cap. vltimo, primã totius orbis laudem Italiæ tribuit, proximam Hiſpaniæ: ſed neſcio equidem, an vlla parte laudis Hiſpania cedere debeat Italiæ,

de iis loquor, quæ ad salubritatem ac fertilitatem pertinent vtriusque regionis. Nam si quis veterum monumenta diligenter excutiat, primum illud reperiet, Hispanos frequenter Romanis vitæ submisisse subsidia, nunquam vero Romanos Hispanis: aut si miserunt, militibus suis in prouincia bellum gerentibus miserunt. Quin & ipsos Romanorum exercitus, vel in suam perniciem aliquoties aluit Hispania. vnde illud Catonis Censorii celebre dictum, Bellum se ipsum alet. Qui non solum exercitum consularem cum prætorio, sine vllis reipublicæ sumptibus, in Hispania contra ipsos Hispanos pauit, sed & grandem ex præda pecuniam militi diuisit, & in triumpho tulit argenti infecti viginti quinque millia pondo, bigati centum viginti tria millia, Oscensis auri quingenta quadraginta pondo. Et paucis post annis Q. Fuluius Flaccus citerioris Hispaniæ Prætor, non exercitum tantum in Hispania aluit, sed stipendium etiam impensis Hispaniæ soluit, vt affirmat lib. 10. de bel. Maced. T. Liuius, & in triumpho centum viginti quatuor coronas aureas, cum magna auri & argenti vi tulit, præter pecuniam ingentem quam exercitui dedit. Deinde auri, argenti, & reliquorum copia metallorum semper superior fuit Hispania, quantumuis hoc dissimulet Plinius, quæ his rebus adeo semper diues extitit, vt merito Posidonius apud Strabonem lib. 3. dixerit, in subterraneis Hispaniæ locis non infernum Plutonem, sed Plutum ipsum diuitiarum & opulentiæ Deum habitare, scilicet quod Hispania non diues tantum regio sibi sit, sed aliis etiam diuitias sufficiat ac suggerat. Cæterum hæc auri argentique copia, nescio equidem maiori damno an gloriæ fuerit Hispanis. Namque diuersas gentes in Hispaniam eius auri cupiditas exciuit, præcipue Phœnicas, qui aurũ vili rerum permutatione redemptum, in Græciam, Asiamque, ac nationes cæteras deferentes, maximas ex eo commercio diuitias contraxerunt, atque in Hispania tantam repererunt auri argentique copiam, vt cum onustis nauibus superaret argentum, at coras ipsas ex argento cõflare sint coacti, vt pręter Diodor. Siculum lib. 6. affirmat Aristoteles de mirabil. Auscul. Et tamen adeo diuitias Hispanorũ exhaurire non potuerunt, quin Carthaginenses quum in Hispaniam duce Barca (hoc enim cognomentũ fuit Amilcaris) venerunt, Hispanos in Turditania, quæ Bæticæ pars erat, argenteis præsepibus & doliis vtentes inuenerint, vt affirmat Strabo. Quæ res & ipsos quoque Carthaginẽses in Hispaniam pellexit, atque adeo auxit illorum vires, vt Diodoro Siculo teste, neque domestico neque sociorũ milite vsi, Romanos, Siculos, ac Libyas in magna adduxerint pericula, quod omneis diuitiis ob auri argentique abundantiam superarent. nam & ipsi noua in Hispania metalla inuenerunt, & puteos effoderunt, ex quibus vnus qui Bebelo ab inuentore appellabatur, & adhuc Plinii tempore durabat, trecenta argenti pondo Annibali indies subministrauit, hoc est, iuxta æstimationem Budæi de Asse lib. 4. terna millia coronatorum aureorũ in dies singulos. A quibus occupata dispoliataque Hispania, quum per multos annos eorum auaritiam satiaret, postea etiam tres Carthaginensium potentissimos exercitus, & maximas Romanorum copias sustineret, ne sic quidem, vt quæ nouis semper metallis scaturiret, euacuari potuit, sed adeo semper sibi constitit, vt intra annos paucos, nempe opinor triginta octo, ex Hispania Romam per varios Prætores in triumphis deportata sint auri supra nouem millia nongenta nonaginta quinque pondo: coronæ aureæ trecentæ viginti quatuor: argenti infecti pondo sexcenta triginta duo millia, trecenta octoginta septem: argenti Oscensis trecenta nonaginta octo millia, sexcenta vndecim: argenti bigati trecenta triginta octo millia, viginti tria: argenti signati innumerabilis multitudo. Non hic refero pecuniam militi tot confectis præliis diuisam, cuius iniri numerum posse vix arbitror: non L. Quintii Crispini ex Lusitanis Celtiberisque prædam, à quo scribit T. Liuius lib. 9. de bel. Maced. tantundẽ auri, quantum argenti in triumpho translatum, sed quantum transtulerit, prætermisit: non M. Fuluii Nobilioris posteriorẽ prædã, propterea quod T. Liuius libr. 6. de bel. Maced. forte memoria lapsus, mihi bis videatur eandem rem posuisse. Illud quoque prætereo, non dubium quin plureis & ampliores prędas ex Hispanis Romani hoc annorum interuallo tulerint, sed quarum memoria simul cum T. Liuii monumentis interciderit. Quin & argenti fodinas illas taceo Carthagini nouæ vicinas, quæ populo Rom. vicena quina drachmarum millia in dies singulos pensitabant, hoc est, secundum Budæi calculum lib. 4. de Asse, duo millia quingẽtos coronatos, quas Budæus non recte suspicatur easdem esse cum puteo illo Annibalis, de quo loquuti sumus. Nam puteus ille Aquitanis proximus erat, vt Plinius testatur lib. 33. cap. 6. & Budæus etiam fatetur: sed argenti fodinæ, de quibus nunc loquimur, viginti tantum stadia aberãt à Carthagine noua, vt ait Strabo, quæ ab Aquitanis plurimum distat. Postremo illud etiam dissimulo, quod præter ea, quæ dicta sunt, Asturia quoque, Gallecia, & Lusitania vicena millia pondo auri singulis annis præstabant, quod ipsi quoque Plinio lib. 33.

cap.

cap.4.stuporem facit. Verum tot deprædationibus vsq; adeo nō sunt attenuatæ vires Hispanorum, vt tum primum Romani cœperint experiri non solum inexhaustas eorum opes, verum etiam insuperabile robur animi, & virtutem bellicam tantam, quantā ducentis annis expugnare non potuerunt. quid dico ducentis annis? imo nunquā Romani tam pacatam habuere Hispaniam, vt non opus fuerit iusto exercitu. Tunc demum sensere Hispaniam non solum diuitem, verum etiam (vt ait L. Florus lib.2.rerum ab vrbe condita) bellatricem, viris armisq; nobilem, seminarium hostilis exercitus, eruditricem Annibalis, quæ propterea victa fuit à Romanis, quod sola omnium prouinciarum non prius intellexerit vires suas, quam victa est, prius obsessa quam seipsam cognosceret. Nam si vel vniuersa contra Romanos consurgere, & vires suas conferre, atque vel imperare vel libertatem suam publice tueri animum induxisset, nō modo superari, sed ne adiri quidem ingenio situs, vt affirmat Lucius Florus, poterat, ita vndique mari Pyrenæoq; vallata est. Et tamen hæc ipsa quæ vires suas non cognouit, quæ nunquam cōmuni totius prouinciæ consilio bellum iniit, tam cruentas frequenter victorias Romanis dedit, vt sępe nihilo melior, quam victi, conditio victoris fuerit, & ex victoria nihil præter inane triumphi nomen, & miserandam suorum stragem tulerint. Longum esset hoc loco recensere, quoties apud Hispanos res Romana in summum discrimen adducta sit. Docet hoc bellum Viriaticum, Vaccæorum, Numantinum, Sertorianum. Satis sit, nullam omnino prouinciam tanto labore & cruore Romanis constitisse, adeo vt necesse habuerint aliquoties arma Hispanis adimere, ne possent ex bellis bella serere. Quam rem adeo ægre passi sunt, vt multi mortē sibimet ipsis consciscerent, gens ferox, inquit Titus Liuius lib. 4. de bel. Maced. nullam vitam rati sine armis esse, quippe qui in acie gaudio exultare soleāt, tanquam gloriose ac fœliciter vita excessuri. quod de Celtiberis affirmat Valer. Maximus lib.2.c.1. Propter quam bellicæ laudis prærogatiuam Hispania tanti semper habita est, vt quum Romani duces alius Africanum, alius Asiaticum, alius Numidicum, alius aliis cognominibus se venditarent: Imperatores postea Augusti, etiam Atticos & Francos ac Germanicos se appellarēt: Hispanici cognomento tanquam sancto, & inuiolabili omnes religiosissime semper abstinuerint. Solus Q. Cecilius Metellus Celtiberici nomen affectasse videtur, sed non obtinuit. Scipio quoque, qui euersa Carthagine, non nisi Africanus dici sustinuit, diruta Numantia, non Hispanicum, non Celtibericum, sed Numantinum se appellare cœpit, contentus eo titulo futurus, nisi illi hic honos negatus fuisset. Hæc est illa Hispania, pro qua duo potentissima orbis imperia per tot annos, tanquam pro Helena, cruentissimis præliis decertarunt, ex qua cum Alexander Magnus legatos amicitiam petentes ac gratulantes accepisset, tum demum & sibi & iis qui cum eo erant, rerum dominus visus est, si Arriano credimus lib. 7. de gestis Alexandri Magni: quam pacauisse Iulius Cæsar inter præcipua militum suorum decora lib. 3. de bello ciuili commemorat: cuius defectionem cum Nero Augustus audisset, ad reliquas calamitates infractus & interritus, collapsus, animoque male fracto, diu, & sine voce, & prope intermortuus iacuit, atq; vt resipuit, veste discissa, capite conuerberato, actum de se pronunciauit. Hæc illa Hispania, quæ prima Romanis inita prouinciarum quæ quidem continentis sint, postrema omnium, ductu auspicioque Augusti Cæsaris perdomita est, si tamen perdomitam fuisse T. Liuio concedamus. Cuius vnicam ciuitatem Numantiam, Cicero pro L. Muræna terrorem imperii Romani appellat: cuius metalla auri & argenti sacra Machabæorum prædicat historia, Iosephus clarissimus Iudeorum scriptor lib. 2. de bello Iudaico concelebrat. Hæc illa Hispania quam simul cum Gallia Trebellius Pollio in D. Claudio neruos ac vires imperii Romani appellat, cuius auxilio Carthaginenses imperium Romanum ad extremam pene desperationem redegerunt: in qua vel tyrocinium fecerunt, vel bellicis artibus exercitati sunt duces, per quos Romani Græciam, Asiam, ac totū Orientem, postremo etiam Septentrionē sibi subiecerunt, cui nunc Roma ipsa, totius orbis quōdam domitrix, fasces suos submisit, quę Barbarico iugo diu grauiter pressa, sed nunquam tota oppressa, adeo se antiquo nitori ac dignitati in integrum restituit, vt pulsis profligatisq; Barbaris, imperio suo totum fere orbem complexa sit, India Occidentali, & altero fere orbe Antipodum veteribus incognito Castellæ regibus parente: rege Portugalliæ Orientali Indiæ, & magnæ Arabum Persarumq; parti, neq; pœnitendæ Africæ portioni iura dante, vt totam ferme Africæ orā maritimam, vt plurimas insulas silentio prætercam, quæ Lusitanorum imperium agnoscunt. Atq; Hispania sicut opulentia, bellica virtute, imperii amplitudine reliquas omnes prouincias vel superat, vel certe æquat: ita religionis antiquitate & veræ fidei cultu nulli omnino priores parteis concedit. Scilicet hæc duos habuit Apostolos diuini verbi annunciatores. at quos Apostolos? Iacobum Zebedæi filium, qui cum duobus aliis intimus

fuit Ieſu Chriſti, Domini & ſeruatoris noſtri conſiliis, & Paulum vas electionis. Præter hos beatum Mancium Ieſu Chriſti diſcipulum, qui omnibus ſacratiſſimæ paſſionis Dominicæ myſteriis interfuit, & multos aliorum Apoſtolorum diſcipulos, à quibus ſacroſanctæ fidei rudimentis imbuta, & plurimorum martyrum ſanguine reſperſa, præcipuè vero beati Iacobi Apoſtoli ſepulchro ſanctificata, tam venerabilis toti orbi fuit, vt primo poſt Romam Eccleſiæ principem numero eſſet, ſicut ex epiſtolis & actis Sardicēſis Concilii patet: vt ipſe etiam Conſtantinus Magnus, quum in celebrando feſto Paſchali, conſuetudinem Hiſpaniæ, Galliæ, & aliarum regionum, Orientalibus epiſcopis imitandam proponeret, Hiſpaniam reliquis prouinciis præpoſuerit. Eandem quoque venerationem etiam apud poſteros habuit. ſiquidem in Concilio Remenſi, quod in Gallia tempore Eugenii ſecundi celebratum eſt, communi patrum decreto ſtatutum fuit, incendiario hæc pœnitentia vti daretur, vt Hieroſolymis aut in Hiſpania in ſeruitio Dei per annum vnum pœniteret. Quin & hodie votum Compoſtellanum inter ſacroſancta & inuiolabilia cenſetur. Neque ſane immerito hic honos habitus eſt Hiſpaniæ, quippe quæ Chriſtianæ religionis, ſi qua alia, ſemper obſeruantiſſima fuit, & fidem Catholicam, qua ſemel imbuta, ſinceriſſime vſque coluit, hæreticis infeſtiſſima, contra quos ſi remedium domi deeſſet, foris quærebat, vt videre eſt in epiſtolis Diui Cypriani. Nullam enim hæreſin diu conſenſit Hiſpania, & qui eam impiis erroribus fœdare conati ſunt, aliunde plerique omnes venerunt: quod de Marco Ægyptio ipſe quoque in 17. Eſaiæ D. teſtatur Hieronymus. Priſcillianum quidem Hiſpania genuit, ſi tamen genuit, ſed hæreticum iam velut impium filium pia mater abdicauit pariter & ablegauit. Ariana hæreſis alibi nata, alibi oppugnata, ſed in Hiſpaniam à Gothis inducta, ibidem vno die penitus extincta eſt. Quin & illo ipſo tempore, quo perfidiam Arianam Gothorum reges fouere conati ſunt, quam multi fuerint per totam Hiſpaniam omnis generis Catholici, qui nullis perſecutionum procellis ab orthodoxæ fidei confeſſione potuerunt auelli, tum numeroſus martyrum chorus, tum concilia docent, Toletanum ſecundum, Tarraconenſe, Ilerdenſe, Gerundenſe, Cæſarauguſtanum, quæ per ea tempora maximo Reipubl. Chriſtianæ bono celebrata ſunt. Quam pietatis laudem ad noſtra vſque tempora religioſiſſime ſeruauit Hiſpania. Nam vt primum à Barbaricis bellis tota reſpirauit, nihil antiquius duxere pientiſſimi reges, quam vt Iudæos omnes ac Sarracenos, aut ad profeſſionem Catholicæ fidei perducerent, aut pertinaces regni ſui finibus exterminarent. Quæ laus præcipue debetur Chriſtianiſſimis Ferdinando & Iſabellæ Caſtellæ & aliorum regnorum, Emanueli Luſitaniæ & Algarbiorum regibus. cuius filius Cardinalis & Infans Henricus, talibus auis, tali patre digniſſimus, auitum ac paternum fidei zelum pulchre referens, ſanctæ inquiſitionis munus pro Chriſti amore non dedignatus, non minori ſtudio, quam pater ditionibus ſuis gentes eas eiecerat ab omni vel perfidiæ Iudaicæ, vel inſaniæ Mahometicæ, vel cuiuſuis hæreſeos labe, ab omnibus quoque ritibus Chriſtiana profeſſione indignis vindicare Portugalliam non deſinit, idque tanta prudentia, vt omnes impiorum hominum verſutiſſimos conatus eludat: tanta integritate, vt nemo quod cauilletur, habeat: tanta ſeueritate, vt malos exterreat: tanta rurſus clementia ac manſuetudine, vt non paucos ad reſipiſcentiam pelliciat. Atque hos quidem quanta beneuolentia complectatur, quibus beneficiis proſequatur, & aliis arbitror non obſcurum eſſe, & ego alias, Deo adiuuante, fuſius perſequar. Illud in præſentia tacere non poſſum, quod ante annos, opinor, ſeptem, cum duo Mauri iam adulta ætate ad fidem noſtram conuerſi, baptiſmi beneficiū poſtularent, non ſolum eos obuiis vlnis recepit, ſed ipſe pontificalibus ornatus infulis, die feſto Pentecoſtes, Eboræ in Eccleſia ſua cathedrali, ſalutaris aqua lauacri tinxit tanta celebritate, vt ſi filii fuiſſent fratris ſui regis, fieri non potuerit honorificentius. Præterea alterum in familiam ſuam honeſta conditione adoptauit, alterum regi in clientelam dedit. Quæ res mihi tam præclara viſa eſt, vt nihil ſupra. In reliqua quoque Hiſpania quotquot ſunt de rebus fidei cognitores, ea fide religionem officii ſeruant, ea integritate ac vigilantia, vt nemo quiſquam hiſcere contra ſacroſancta Eccleſiæ ſtatuta quicquam audeat. Alibi forſan impie facere non licebit: in Hiſpania ne loqui quidē, niſi pie, conceditur. Alibi errores forte iam nati extirpantur: in Hiſpania ipſa etiam errorū ſeminaria, antequam pullulent, opprimuntur. Noui ego, qui prauis alibi opinionibus imbuti, in Hiſpania ex animo reſipuerint, & quæcunq; eſſent Eccleſiaſticis ritibus contraria, vero vultu deteſtati ſint. Plurima, ne prolixus ſim, de Hiſpanorū antiqua religione ac perpetua pietate prætereo, quæ in ipſo Chronico ſuis locis interſerentur. Illud nunc dicendum, quod qua fide Hiſpani erga Deum, eadem & erga reges ſuos ſemper fuerunt, atque eos etiam quos pro regibus coluerunt. Quæ res in cauſa fuit, vt etiam exteri reges ac Principes maximum in Hiſpanorum fide atque auxilio momentum ſibi ducerent. Hinc eſt quod Annibal in Italia ad difficillima quæque Hiſpa-

norum opera maxime vtebatur,& iis plurimum fidebat, vt ex Polybio ac Tito Liuio constat. Hinc, quod Aquitani ad oppugnandos Romanos auxilia & duces ex Hispania citeriore accersiuerũt. Hinc,quod Cn.Pompeius bello ciuili in cohortibus Hispanorum maximum sui exercitus robur credebat, quorum ope vincere poterat,si consulto rem gessisset. Quin & Iuba Numidiæ Rex, homo barbarus, Hispanos equites, custodiæ suæ causa circum se habere consueuerat. Plutarchus scriptor grauissimus in Sertorio autor est, hunc Iberis fuisse morem,vt qui duci alicui se deuouerent,vna cum illo morerentur. Sertorium vero ducem,licet exulem & profugum,cum multa Hispanorum millia deuota sequerentur, atque hostes prope vrbem quandam prælio victores extitissent: Hispanos sui oblitos tanto studio Sertorium protexisse, vt nõ prius de propria salute cogitauerint, quã ducem suum humeris asportatum in tuto posuissent. Igitur Sertorium Hispanorum fidelis opera terribilem Romanis fecit, & ipsi etiam Mithridati admirabilem, suorum scelus & insidiæ extinxerunt. Ipse quoq; Octauius Augustus Calaguritanorum manum ad corporis sui custodiam vsque ad deuictum Antonium habuit. Nunquam finiam, si commemorare velim, quotquot extant huius rei exempla. Sed superfluum sit in ea re diutius cõmorari, cuius hodie quoque nõ obscura vestigia, sed expressa clarissimaque extant documenta. Quænam gens toto reperitur orbe Regibus suis obsequentior, quam sint Hispani? quos quum Reges sui in remotissimas quotidie regiones, & alio (vt ille inquit) sole calentes, ad oppugnandos Barbaros mittant, ea accinguntur alacritate, quasi sine puluere & sãguine rem domi suæ gesturi. Cuius rei meo quidem iudicio merito palmariam sibi laudẽ vendicant Lusitani, adeo Regi suo dediti, quasi ex vnius vita penderet omnium. Studia vero literarum ac liberalium artium, quam in Hispania semper floruerint, quid attinet dicere? quum satis id ex Strabone constet, qui affirmat lib. 3. & inter reliquos Hispanos, Turditanos Bæticæ populos sapientia excellisse, & literarũ studiis vsos, memorãdæ vetustatis volumina habuisse, & poemata ac leges à sex annorũ millibus versibus cõscriptas. Quanquam quid Strabonis testimonio opus erat? Seneca, Silius Italicus, Pomponius Mela, Columella, Martialis, Lucanus, & alii quam plurimi satis loquuntur, quanta fuerit eo tẽpore literarum gloria apud Hispanos, quantumq; in omni scientiarum genere semper præstiterint. Sed quanti bonas artes Hispania fecerit, manifestius ex eo est, quod affirmat in Epistolarum libro 3. Plinius, inuentum in Hispania Lartium Licinium hominem priuatum qui Plinii Secundi commentarios, quum ille procuraret in Hispania, quadringentis millibus nummûm licitari non dubitauerit, hoc est decem millibus aureorum, vt erudite calculum ducit Budæus. Denique nulla vnquam fuit ætas, qua non multos in omni scientiarum genere viros, pro sæculo suo non pœnitendos ediderit Hispania, quos quia suis temporibus, auspice Deo, sum positurus, consulto missos in præsentia facere decreui. Neque viros solum eruditionis gloria præstantes ostẽtare potest Hispania, sed fœminas quoque; quibus etiam eruditissima illa sæcula merito inuideant. Iactent aliæ nationes puellas aliquot & mulieres Latini sermonis non ignaras. Pro iis omnibus, vt alias multas Latinis literis tinctas silentio præteream, dabit Hispania Aloisiam Sygæam, virginem Toletanam, sed in aula Lusitana per multos iam annos educatam, quinq; linguarum adeo peritam, vt non immerito Paulus tertius Pontifex maximus, literas illius ad se scriptas Latine, Græce, Hebraice, Syriace, atque Arabice, laudibus pariter ac faustis comprecationibus sit prosequutus, admiratus tam multiplicem ingenii fructum, & donum multiplicis linguarum scientiæ in viris quoque rarum, nedum in fœminis. Sic enim sonant verba diplomatis. Debetur hęc laus optimo patri & viro doctissimo Didaco Sygæo, qui non contentus filios optimis quibusque disciplinis instituisse, tantam in filia tot linguis imbuenda diligentiam adhibuit: nec in ea solum hanc operam posuit, sed alteram quoque filiam Angelam Græce Latineque pro ætate & sexu non mediocriter eruditam, tam exacta Musices scientia curauit perdocendam, vt cum præstantissimis illius artis professoribus cõtendere posse putem. Multum debet huic viro Lusitania, quippe qui vel primus, vel certe ex primis literas humaniores Lusitaniæ inuexit, postea illustrissimi Brigantiæ ducis & fratrum ipsius præceptor, nunc tandem in Regiam familiam cooptatus est, & à Rege studiorum amantissimo docendis aulæ Regiæ pueris nobilibus præfectus. Filia vero Aloisia Sygæa in familia est Serenissimæ Dominæ Mariæ principis primariæ, quæ & ipsa inter eruditas huius æui recenseri merito poterat, nisi calamus tanto succumberet oneri, atque adeo ad tantarum laudum molem subeundam inhorresceret. Proinde finem faciam, de laudibus Hispaniæ non plura dicturus, quam quod eam merito Paulinus poeta & elegans & pius, apud Ausonium, fœlicem ac diuitem appellauit.

Qui Reges ac populi imperitauerint Hiſpaniæ à Thubal vſq; ad Carthaginenſes.

CAPVT X.

NVNC paucis perſtringam, qui reges ac populi rerum in Hiſpania potiti ſunt, vſque dū Carthaginenſes imperiū illius occupauerūt. Qua in re profiteor me Beroſum Chaldæum, Manethonem, Annium Viterbienſem, Florianum à Campo, Petrum Antonium Beuterum ſequi, atque ea ponere, non quæ pro compertis habeam, ſed quæ apud illos reperio: quorum dictis quando antiquiorum ac grauiorum autorum calculus acceſſerit, addita eorum nomenclatura indicabo. Porro in temporum ratione ſubducenda, annorum ſeriem poſt diluuium, vſque ad vrbis Romanæ principia ſequar, deinde annos ab vrbe cōdita more ſcriptorum Romanorum ponam, vſq; ad Chriſti ſeruatoris noſtri natiuitatem, à qua communem Chriſtianorum numerandi modum imitabor. Diluuium vero fuit anno ab orbe condito, nempe ab Adam, bis milleſimo ducenteſimo quadrageſimo ſecundo, ſecundum ſeptuaginta interpretes: at ſecundum Hebræos, anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſexto, quemadmodum aiunt Euſebius, S. Iſidorus, Beda. Sed Hebræorum ſupputationem ex ſacris literis confirmat & aſtruit Ioannes Driedon, ſcriptor accuratus, & Catholicus. Eam & nos ſequemur.

ANNI POST DILVVIVM.

An. dilu.

143. THVBAL filius Iaphet, nepos Noe, venit in Hiſpaniam, primuſque eam habitauit poſt
258. diluuium: regnauit vero in ea 155. annos. Huius temporibus cum Noe, quem Ethnici Ianum appellauerunt, in Hiſpaniam veniſſet duas in ea ciuitates condidiſſe dicitur, atque eas à nomine ſuo appellaſſe, alteram Noelam in Gallecia: alterā Noegam in Aſturiis. Hanc Beroſi opinionem confirmat Ioſephus his verbis: Condidit autem Iobel (hic eſt, quem alii Thubal vocant) Iobelos, qui noſtris temporibus Iberes appellantur, qui & Hiſpani, à quibus poſtea Celtiberi nuncupati ſunt. Diuus quoque Hieronymus diuerſis locis in commentariis in Eſaiam & Ezechielem, Thubal ſiue Thobel, aut Italos, aut Hiſpanos, interpretari affirmat.

299. Mortuo Thubal ſucceſſit ipſius filius Iberus, qui fluuio Ibero nomen dediſſe dicitur. Iberus vero fluuius Hiſpaniȩ nomen Iberiȩ dedit, vt poſt Plinium & alios autores, affirmat etiam D. Hieronymus in 66. cap. Eſaiæ, & 27. Ezechielis regnauit vero Iberus 37. annos.

336. Poſt mortem Iberi, rerum in Hiſpania potitus eſt Idubeda filius, qui Idubedæ monti nomen dedit, regnauitque annos 64. alii Iubaldam ſeu Iuballam vocant.

400. Idubedæ patri ſubrogatus Brigus, imperauit 52. annos. Ab hoc autem ortum affirmant vocabulum Briga, ſiue Brica, quod perinde ſonat Hiſpanis, atque Gallis Dunum, Germanis Burgum. Nam ſicut Galli dicunt Lugdunum, Nouiodunum: Germani Friburgum: ſic Hiſpani appellant Medobrigam, Mirobrigam, &c. Quod etiam Stephanus de vrbibus annotauit, tametſi ille Bria ponat pro Brica. Erat vero Medobriga, vt hoc quoq; breuiter annotem, oppidum in Luſitania prope Portalegram vrbem, nunc à Rege Ioanne tertio, titulo ciuitatis & Epiſcopali ſede donatam, ad montem Herminium poſita, qui mons hodie quoque vulgo dicitur Monte Arminno, à quo monte ipſa quoq; Medobriga hodie Armenna appellatur. Quod mihi pro ſuo candore communicauit Reſendius noſter. Vtriuſque tam Medobrigæ, quam Herminii montis mentio fit in commentariis Cęſaris, ſeu potius Hirtii aut Oppii, vt titulus præ ſe fert. Mirobricam mihi olim dixit Reuerendus pater F. Franciſcus à Valliſoleto, tunc præfectus monaſterii Sancti Benedicti apud Zamoram, poſtea Abbas S. Facundi, arbitrari ſe eſſe eam, quæ hodie Ciuitas Roderici nuncupatur, eamque ſe opinionem concepiſſe ex ſaxo quodam, quod extat apud Bletiſam oppidum, quæ nunc Ledeſma dicitur, in quo præter cætera legitur ad hunc modum: TERMINVS. AVGVSTAL. INTER BLETISAM. ET. MIROBR. ET. SALM. Cuiuſmodi aliud quoque ſaxum, cum eadem fere inſcriptione apud ipſos Ciuitateſes ad D. Ioannis in baptiſterio reperitur. Quam ciuitatem ſunt qui contēdant olim appellatā fuiſſe Auguſtobricam: & Mirobricam fuiſſe, qui nunc pagus Guadramiro dicitur. Sed id quam recte, ipſi viderint. Nos ad rem redeamus.

452. Poſt Brigum regnauit filius Tagus annos triginta, qui Tago flumini celebre apud poſteros nomen dedit.

482. Betus regnum paternum hȩreditario iure ſuſceptum adminiſtrauit annos vnum & triginta, atq; Turditaniam literarum ſtudiis illuſtrauit. Huic Bætis fluuius memoratiſſimus nomen ſuum acceptum refert, à quo fluuio, vt diximus, Bætica prouincia appellata eſt.

An. dilu.

Bæto rebus humanis sublato, Hispaniæ regnum occupauit Geryon alienigena, nempe ex Libya, tenuitque annis viginti quinque, dictus alio nomine Deabus. Huius tempore 514. ferunt Osirin, qui & Dionysius dictus est, ex Ægypto venisse in Hispaniam, oppressaque tyrannide Geryonis, regnum diuisisse tribus illius filiis, sed prius admonitis, vt abstinerent à crudelitate paterna. Hic Osiris primus idololatriam induxisse dicitur Hispaniæ. Sunt qui triginta quatuor annos regnasse dicant.

Tres Geryones, tergemini (vt aiunt) fratres, regnauerunt tanta concordia, vt poeticis 539. fabulis locum dederint, qui Geryonem tricorporem finxerunt. Iustinus hos in parte Hispaniæ regnasse prodit, aliis alia parte regnantibus. Hos Hercules Ægyptius in vindictam patris Osiris, cuius occisi non minima ad eos pertinebat culpa, cum magnis copiis profectus, primum in conflictu vicit, deinde singulari certamine singulos occidit. Huius Herculis operum monumentum sunt colūnæ, inter Calpem & Abylam montes. Huius quoq; dicuntur Hispali columnæ, quæ vocuntur Herculis. Ab huius comite Zacyntho, Zacynthus appellata, quæ postea Sagūtus dicta est: cuius vrbis originem D. Hieronymus in procœmio 2 libri Commēt. in epist. Pauli ad Galatas Græcis tribuit. Ab eiusdē Herculis comite Baleone Baleares insulas appellatas indicat etiam Lucius Florus libro 60. Huic Herculi postea Tyrios templum condidisse scribit Pomponius Mela libro 3. cap. 6. conditoribus, religione, vetustate, opibus illustre. De armentis Geryonis, quæ Iustinus libro 44. prodit, Strabo fabulam confictam affirmat: idem indicare videtur Plinius libri 4. cap. 22. Arrianus autor Græcus non solum est in eadem opinione, sed etiam astruit nullum in Hispania Regem Geryonem natum fuisse, libro 2. de gestis Alexandri Magni. Episcopus Gerundensis affirmat, Herculem qui in Hispaniam venit, nō Ægyptium fuisse, sed Græcum Alcumenę ex Iouis adulterio filium. in qua opinione videtur esse & Antonius Nebrissensis, dum ait Herculem post Liberum Patrem venisse in Hispaniam. Aristoteles autor est, Herculem Hispaniæ bellum intulisse, incolarum diuitiis inuitatum. Hinc ortam receptāque apud Hispanos fuisse legem, vt argentum possidere non liceret, eamque legem adhuc Carthaginensium temporibus durasse.

Hercules, compositis in Hispania rebus, profectionem in Italiam parans, Hispalem fi- 590. lium Regem Hispanis reliquit, à quo Hispalim conditam ferunt, quam postea Iulius Cæsar instaurauit atq; illustrauit. Eam Strabo libro 3. suo tempore emporium fuisse affirmat. Regnauit Hispal annos 17. Lactantius Firmianus scribit libro 1. cap. 21. Herculem ex Hispania reuersum in Italiam, ritum immolandorum hominum sustulisse.

Hispalis successor & hæres regni filius Hispan siue Hispanus, rexit Hispanos annos 32. 607. quæ ab ipso nomen hoc sortita dicitur. Huic falso ascribitur aquæ ductus Segouiēsis Traiani opus, & Pharus Galleciæ, quæ turris, vt ex antiqua inscriptione patet, Augusti tempore dedicata est.

Hercules audita morte Hispanis nepotis sui, ex Italia in Hispaniam metu nouarum re- 639. rum properauit, vbi post aliquot annos senio confectus diem clausit extremum, sepultus Gadibus, vbi posterius templum illi constructum, sicuti diximus, in quo ait Pomponius Mela libro 3. capite 6. ossa eius sita fuisse.

Post Herculem Hispanię gubernacula suscepit Hesperus, vnus ex ducibus ipsius, à quo 658. Hispania dicta Hesperia, sicut Italia: sed Poetæ differentiæ causa Italiam, Hesperiam magnam appellant.

Pulso Hespero, regnum Hispaniæ inuasit Atlas Italus frater ipsius, ac tenuit per annos 669. vndecim. Cæterum quum Hespero in Italia res ad votum fluerent, timeretque Atlas, ne prosperitas fratris in suam perniciem verteret, relicto in Hispania Oro filio, cum magnis copiis in Italiam ad opprimendum fratrem profectus est.

Orus siue Sicorus dominatus est Hispaniæ quinq; & quadraginta annis, à quo Sicorim 68 . fluuium vocatum asserunt, eum qui Ilerdam alluit. postea Ibero miscetur.

Sicorum in regno Hispaniæ sequutus est Sicanus filius, qui præfuit annis triginta vno. 727. Ab hoc Anam fluuium nomen accepisse ferunt. Anum enim proprium fuisse nomen regis, sicut & Orum & Eleum: Sic vero, prænomen siue titulum principatus.

Sicano defuncto, Siceleus paterno regno inauguratus est, mansitque in eo annis qua- 758. draginta quatuor, cuius tempore affirmant fuisse diluuium Thessaliæ sub Deucalione & Pyrrha, & plagas per Moysen irrogatas Pharaoni iussu Dei.

Post obitum patris rex Hispaniæ creatur Lusus, obtinetque regnum triginta annos. 802.

Deinde dominium capessit Hispaniæ Vlus, alias Sic Vlus, potiturque eo annis plus mi- 832. nus sexaginta. Fuit hic, secundum aliquos, filius Lusi: secundum alios, Atlantis.

An. dilu. Post hunc Testa principatum sibi vendicat Hispania per annos septuaginta quatuor.
893. erat hic è Libya.

967. Testa vita defuncto, paternum regnum init Romus, possidetque annis tribus supra triginta. Huic Regi Valentini vrbis suæ primordia ferunt accepta, quam ab eo Romam appellatam, Romani multo posterius amplificatam ac nobilitatam Valentiam appellauerūt. Huius tempore regis Phœnices primum in Hispaniam venisse dicuntur. Eodem fere tēpore Bacchus, alias Iacchus Liber Pater cognominatus, agmine magno comitatus in Hispaniam venit, non tam dominationis cupiditate, vt inquit Antonius Nebrissensis in præfatione historiæ, quam vt parem gloriam reportaret ei quam ex domita India consequutus erat. Demum victor nullum aliud Hispanis aduetus sui monumentum reliquit, quam quod Nebrissam in Bætica condidit, celebrem hodie vrbem, non quia Bacchum habuerit conditorem, Deum ebriosum ac male sanum, sed quod ciuem ediderit Antonium Nebrissensem magnum decus & ornamentum Hispaniæ. Hæc vrbs olim inter æstuaria erat Bætis fluuii, nunc ab eo octo millibus passuum distat, oblimato videlicet altero illius ostio quod erat meridionalius, simul cum alueo suo, vt ibidē annotauit ipse Antonius Nebrissensis. A Luso Liberi patris filio Lusitania nomen accepit, quæ eadem à Lysa Bacchi comite dicta est Lysitania, sicut superius annotauimus, atque hæc ducentis annis ante excidiū Troiæ facta scribit idem Nebrissensis ibidem.

1001. Palatuus deinde successit, Palentiæ conditor ac Palantiæ, contra quem res nouas molitus Cacus, regni partem occupauit, sed mox superatus, secūdum aliquos, in monte quodam proditionis pœnas dedit, qui ab illo mons Caci dictus, hodie Moncaio vulgariter appellatur: secundum alios, in Italiam se recepit. Regnauit Palatuus septuaginta annis.

1071. Mortuo Palatuo, regnum Erythro cessit, qui regnauit sexaginta octo annis. Ab hoc Erythream insulam dictam affirmant siue Erythiam, vt appellant Pomponius Mela lib. 3. cap. 6. & Plinius libro 4. cap. 22. quam alii contra Gadeis, alii contra Lusitaniam, alii vtrobiq; ponunt, vnde Hercules Geryonum armenta abduxerit. Sed Plinius ita illā Tyrios incolas ab Erythreo mari dixisse putat, Arrianus eiusmodi insulam in Oceano sitam negare videtur.

1139. Gargoris in patris locū successit, qui Mellicola cognominatus est, quia mellis colligendi vsum primus inuenit, vt inquit Iustinus libro 44. qui huius meminit, & Curetum in saltibus Tarthessiorum regem fuisse scribit antiquissimum, sed quo tempore gesserit principatum, non ponit. Aiunt regnasse septuaginta septem annos. Eodem tēpore Troia euersa, multi Græcorum qui certis de causis in patriam redire vel non potuerunt, vel noluerunt, post varios errores in Hispaniam venerūt, diuersisque in ea sedibus consederunt. Ex quibus Teucer Telamonis filius, primū Hispaniæ littoribus appulsus, ea loca, vbi postea fuit Carthago noua, occupauit, inde in Gallecīam transiit, positisque ibi sedibus genti nomen dedit, vt copiosius ait Iustinus. Ad hunc autorem Salmanticę ciuitatis originem referunt, tanquam in memoriam antiquæ patrię ipsius Salaminis sic dictam. Quam tamen Stephanus Græce Elmanticen appellat, neque huius originis meminit. Diomedes quoque in honorem patris Tydei, Tyden ciuitatem in ripa Minii fluminis condidit, quæ hodie quoq; seruato nomine Tude dicitur. Astur quoque Mennonis auriga, Asturicæ à se conditæ & Asturibus populis nomen imposuit. Amphilochus Teucri socius, in Gallecia sui nominis vrbem condidit, atque in ea obiit: socii in mediterranea Hispaniæ loca errabundi abiere. Vlysses Olisiponi ciuitati fundamentum & nomen dedit, ibique templum Palladi quam peculiariter colebat, dedicauit. Strabo libro 3. Vlysseam vrbem appellat. Mnestheus Atheniensis prope Gades appulit, vbi Mnesthei portum ponit Strabo, deinde Gadibus templo & oraculis celebratus est. Lacones Cantabriæ partem tenuerunt. Hæc partim ex autoribus in capitis huius principio nominatis, partim ex Strabone, Iustino, & Antonio Nebrissensi. Ilerdam quoque Stephanus de vrbibus ad Troianos autores referre videtur, quod Ileus Troianis Apollo dicatur.

1216. Mortuo Gargore, Habis ipsius ex filiæ stupro nepos, per admirabiles casus & stupenda pericula singulari fortuna seruatus, successor regni ab auo adhuc viuo destinatus, vt primum regnum accepit, tantæ fuit magnitudinis, vt non frustra deorum maiestate tot periculis ereptus videretur. Quippe barbarum populum legibus iunxit, boues primo aratro domari, frumentaque sulco serere docuit, & ex agresti cibo melioribus vesci, odio eorum quæ ipse passus fuerat, homines coegit. Ab hoc & ministeria seruilia populo interdicta, & plebs in septem vrbes diuisa. Hactenus ex Iustini libro 44. quem consulas, si nosse voles, ex quam mirandis casibus ac periculis Habis fatorum benignitate seu diuina po-
tius

tius prouidentia ad regni successionem seruatus est. Iustinus ait, mortuo Habide, regnum per multa secula à successoribus eius retentum fuisse. Ex quo constat, non vnius solũ imperio totam Hispaniam paruisse, & plures habuisse reges, quam quorum memoria literarum rudimentis prodita reperiatur.

Circa hunc annum ponunt admirabilem illam siccitatem, qua negant Hispaniam per 1250. viginti sex annos vllis omnino pluuiis cœlitus irrigatam, omnes fluuios præter Iberum & Bætim exaruisse, Hispaniam fere omnem incolis exinanitam. Quod mihi quidem non fit verisimile: quia nulla eius rei memoria in veterum libris reperitur, qui rem tam stupendã ac raram procul dubio non tacuissent, quum alia minus miranda non sint passi silentio perire. Eodem fere tempore venisse aiunt in Hispaniam, nescio quos Almonides: sed hoc quoque Antonio Nebrissensi ab aliquo fabularum concinnatore confictum videtur.

Circa hunc annum Homerus nondum cœcus, & Melesigenes appellatus, quod illi 1307. proprium nomen fuit, in Hispania atque Italia peregrinatus est. Floruit autem Homerus post bellũ Troianum annis centum sexaginta octo. Autor Herodotus in vita ipsius. Quod & Strabo satis indicat lib. 3.

Hoc tempore Celtas Galliæ populos in Hispaniam venisse aiunt, quibus cum Iberi pro 1350. agris bello certantes, pace demum constituta, communicataque inuicem patria, mutua connubia permittentes, hac rerum communione nomen quoque commune sortiti sunt, & Celtiberi nuncupati, quasi Gallohispanos dicas, vt ait D. Hieronymus. Ex Diodoro Siculo lib. 6. Huius rei meminit & Lucanus,

---Profugique à gente vetusta
Gallorum Celtæ miscentes nomen Iberis.

Rhodienses quoq; in Hispaniam venere, & sub iugis Pyrenæi montis in ora maritima 1370. Rhodam vrbem condidere, ad quam Cato bellum in Hispania facturus primum appulit, vt ait Titus Liuius lib. 4. de bello Macedonico. Fuit hæc ciuitas Episcopalis adhuc tempore Gothorũ, nunc nihil habet pręter ruinas & vestigia antiquæ vrbis; ac monasterium D. Petro sacrum, vt annotauit episcopus Gerundensis lib. 1.

Hoc tempore, aut circiter, memorabile illud incendium Pyrenæi montis contigisse 1380. volunt, quod libro 6. Diodorus Siculus factum fuisse dicit igne à pastoribus iniecto, atque hinc Pyrenæos appellatos montes. Ardente vero continuis diebus incendio, plures ex eo argenti puri riuuli, flammarum vi effluxere. Posidonius apud Strabonem fabulam putat. Quæ vero de Pyrene nympha & Hercule etiam ex Silio Italico feruntur, Plinius libro tertio, cap. 1. non immerito fabulam putat. Aristoteles huius incendii meminit de mirab. Auscult.

Phœnices auri & argenti cupiditate illecti, iterum in Hispaniam venere, opesque Hi- 1500. spanis tum rudibus adhuc incognitas, vel saltem parui habitas, vili rerum permutatione redemptas, sicut superius diximus, in Græciam, Asiamq;, & nationes cęteras, magno suo commodo auxerunt. Hinc Phœnicum coloniæ in Iberia, hoc est Hispania, & propinquis insulis. Hæc Diodorus Siculus lib. 6. sed tempus non notat. Cæterum quod ait de cõmutatione argenti, cõfirmat Aristoteles de mirab. Auscult. his verbis: Primos Phœnices ferunt, quum Tartessum nauigassent, tantam argenti vim oleo aliisque nauticis sordibus commutasse, vt nec capere naues, nec ferre possent: quocirca coactos sub discessum, cum cætera quibus vtebantur, tum anchoras etiam ex argento cõflare. Hoc quoque tempore Gades ab iisdem conditas affirmant, sed Strabo tertio eorum in Hispaniam aduentũ conditas lib. 3. testatur. Vt vt est, Tyriorum certe Gades colonia, ipso etiam Plutarcho teste in Scipione. Phœnicibus Strabo Malacam quoq; & Abderam attribuit lib. 3.

Celtiberi iam patriæ multitudine sua graues, in Lusitaniam transierunt, in qua mul- 1554. tas condiderunt ciuitates, quibus nomina ab oppidis patriæ suæ imposuerunt, in quibus Segouiam siue Segobiam, quæ à Segobricensibus ædificata & sic appellata creditur, ciuitas aquæ ductu memorabili & lanificio nobilis, cui hoc nomine deuinctus sum, quod vxorem mihi non ignobilem dederit, iucundam vitæ sociam. Erat alia olim Segouia prope Cordubam, cuius Cæsar in commentariis meminit (nam & Celtæ rursus ex Lusitania in Bæticam transierunt, ibique multa oppida condiderunt) ea hodie quoque nomen retinere dicitur, sed diminutiuum. Segouiæ vero quam à Celtiberis dictam & conditam volunt, mentio fit apud L. Florum libro tertio, rerum ab vrbe condita in bello Sertoriano. Ex hac Celtiberorum in Lusitaniam migratione, ipsi quoque Lusitani Celtiberi appellati sunt. Vnde ait Diodorus Siculus libro 6. Celtiberorum Lusitani fortissimi sunt.

Ab vrb. con. Secundum ſupputationem annorum quam hactenus ſequuti ſumus, hoc anno Roma
1562. condita eſt: proinde ab hoc loco annos ab vrbe condita numerabimus.

ANNI AB VRBE CONDITA.

13. GRÆCI ex Sicilia in Hiſpaniam veniſſe dicuntur, & aliquam eius partem occupaſſe, forte pellecti illecebra diuitiarum, quas Phœnices ex Hiſpania in omnes orbis parteis aſportauerant. D. Hieronymus in Hiſpaniam veniſſe affirmat, ſed quo tempore, non addidit. Eius in procœmio ſecundi libri commentariorum in epiſtolam Diui Pauli ad Galatas hæc ſunt verba: Ad Hiſpanias tranſgredior. Nonne Saguntum Græci ex inſula Zacyntho profecti condiderunt? & oppidum Tarteſſum, quod nunc vocatur Carteia, Iones Græci homines locaſſe referuntur? Montes quoq; Hiſpaniarum Calpe, Idrus, Pyrene, itẽ inſulæ Aphrodiſiades, & Gymneſiæ, quæ vocantur Baleares, nonne Græci ſermonis indicia demonſtrant? Hactenus ille.

88. Carthagineſes occupaſſe dicuntur inſulas maris Mediterranei, nempe Baleares, Ebuſum, quæ eſt inſula contra Valentiam, nullum hodie quoq; generans animal noxium, ſed neq; aliunde allatũ ſuſtinens, quin continuo interimat: pręterea Colubrariam, ita dictam, quod ſcateat multo & malefico genere ſerpentum, vt inquit Pomponius Mela lib. 2. c. 7.

129. Hoc tempore Arganthonius Tarteſſiorum Rex Gadibus regnaſſe dicitur, idque tam diu, quantum etiam ad ſatietatem vixiſſe abunde foret. Octoginta enim annis patriam ſuam rexit, cum ad imperium ſexaginta annos natus acceſſiſſet, vt ex autoribus certis aſtruit Valerius Maximus libro octauo, capite 14. Vixit itaque annos centum quadraginta, licet Aſinius Pollio apud eundem tantum centum triginta illi tribuat, Cicero de Senectute etiam pauciores, nempe centum viginti. Diuus tamen Baſilius in epiſtol. ad Nepot. hunc inter viuaces numerat. Quanquam quid tam mirum, quod homo centeſimum vigeſimum ætatis expleuerit annum? Tales reperti ſunt non pauci in Portugallia Interamni etiam noſtris temporibus. Noui ego etiam Eboræ anum quandam, quæ iã decem ſupra centum annos computabat, quum hęc ſcriberem, cuius mater ad centeſimum vigeſimum vſque peruenit. Magis mirãdum, quod Luſitani apud Indos hominem repererunt, qui iam trecenteſimum annum exceſſerat. Qui vidit, retulit mihi.

204. Phocenſes & ipſi Græci, ex Ionia in Hiſpaniam venerunt, vt etiam affirmat Strabo lib. 4. & præter alias vrbes, etiam Emporias condiderunt, vt ait T. Liuius Decad. 4. Hos & Maſſilia Galliæ vrbs autores ſuos agnoſcit.

De Carthaginenſium in Hiſpania rebus.

CAP. XI.

ATQVE hic Hiſpaniæ ſtatus fuit vſq; ad Carthaginenſium aduentum, quem ex nominatis autoribus deſcripſimus, quæ omnia, ſicut pro indubitatis haberi nolim, niſi vbi claſſicorum autorum teſtimonium accedat, ita illud affirmare ex Strabone, Põponio Mela, Plinio, Iuſtino, Diuo Hieronymo liquido poſſum, Iberos, Perſas, Græcos, Phœnicas, Phocenſes, Celtas, & Pœnos in vniuerſam Hiſpaniam perueniſſe. Sed quo tempore incertum eſt.

235. Cum Gaditani à Tyro, vnde & Carthaginenſium origo erat, ſacra Herculis per quietem iuſſi in Hiſpaniam tranſtuliſſent, vrbemque ibi condidiſſent, inuidentibus incremẽto nouæ vrbis finitimis Hiſpaniæ populis, ac propterea Gaditanos bello laceſſentibus, auxilium conſanguineis Carthaginenſes miſerunt. Ibi fœlici expeditione & Gaditanos ab iniuria vindicauerunt, & maiorem partem prouinciæ imperio ſuo adiecerunt. Hæc ad verbum ex Iuſtini lib. 44. Quod ego aliquanto poſt tempore factum crediderim. Et certe Antonius Nebriſſenſis circiter trecẽtos annos ante ſalutarem Chriſti natalem ponit, paucis videlicet annis ante primum bellum Punicum.

435. Circa hunc annum, vt ex T. Liuio & Paulo Oroſio colligitur, miſſi ſunt à Celtis & Hiſpanis legati ad Alexandrum Magnum amicitiam petentes, congratulanteſq;: quorũ nomina & cultus tum primum cognouere Macedones. Ex iis etiam quidam venerunt, vt de controuerſiis ſuis arbitrium illi deferrent. Quæ res tam honorifica & ipſi Alexandro, & iis qui circa ipſum erant, viſa eſt, vt tum maxime & ſibi & ſuis rerum dominus viſus ſit. Ex Arriano libr. 7. de geſt. Alex. Magni. Paulus Oroſius Hiſpaniæ legationis Maurinum vel principem vel ſocium nominat lib. 3. cap. 20.

Galli Celtici, qui (vt diximus) ex Celtiberia in Luſitaniam, & inde Bæticam effluxerant,

rant, traiecto Durio amne, primum Interamnem Portugalliam, deinde Galleciam occupauerunt,& Portugallensem ciuitatem,quasi Gallorum portum,deinde Bracaram tãquam à Gallis bracatis sic appellatam,condiderunt,vt aiunt. Sed sunt qui Bracaræ originem ad Carthaginenses autores referant, & à Bragadis Bragadæ(alii tamen Bagradã appellant)fluuii accolis conditam & appellatam affirment:cuius rei iudicium,quia neutrius opinionis autores antiquos habeo,in medio relinquo.Illud tamen non dissimulo,Bracaram,quacunque censeatur origine, perantiquam ciuitatem tanti Romanis fuisse, vt Augustæ titulo ornaretur, & ab ea quicumque habitabant inter Durium & Limiam populi, Bracari dicerentur, in quibus debellandis quot annos sudauerint Romani suo loco dicemus.

Carthaginenses Hispaniæ thesauris & etiam Hispano milite freti,Siciliam inuadũt,at- 489.
que à Romanis ea prouincia cedere iussi, non solum non parent imperio Romanorum, verum etiam bello eos terra marique per viginti quatuor annos vario Marte lacessunt,vsque dum Sicilia in totum pulsi, ad extremum maris imperio exclusi, funestoque naufragio victi, à C.Luctatio conditiones accipere pacis coacti sunt. Ex Polybio & L.Floro. Quod vero principium primi belli Punici in annum ab vrbe cõdita quadringẽtesimum octogesimum nonum inciderit, constat ex Polybii lib.1.Solini lib.1.cap.2.(in quo tamen in impressione Aldina perperam trecentesimo pro quadringẽtesimo legitur) A.Gellii libro 17.cap.21.quanquam Plinius lib.33.cap.3. vno anno posterius ponat. Neque obstat, quod Titus Liuius in præfatione quartę Decadis,quadringentos septuaginta octo annos ponat:quia locum esse mendosum clarius est quam vt probandum sit,& legẽdum, octoginta septem,vel potius octoginta octo.sic erit vnius tantum atq; alterius anni differentia. Consimili modo circa principium quartæ Decadis, anno quingẽtesimo quinquagesimo legendum arbitror:& libr.quarto eiusdem Decadis, vbi agit de ludis Romanis, quos primum Senatus à populo secretus spectauit,perperam legi,ad quingentesimum octauũ annum, pro quingentesimum quinquagesimum octauum annum ,nemo, opinor, mihi refragabitur, nisi qui tam ignarum fuisse Romanæ historiæ T.Liuium contendere volet,vt tot annorũ numero ab aliis omnibus autoribus discreparet, quos ne deprauatos esse credam,facit tabula 3.virorum triumphalium,in qua inscriptiones multas reperio,in quibus numerus annorum cum supputatione nostra ad amussim respondet.Sed ne prolixus sim, quatuor tantum ponam.non enim antiquitates ostentare volo,sed fidẽ dictis meis astruere.Prima igitur hæc est.

M.VALERIVS.M.F M.N.MAXIM.AN.CDXC.MESSALLA.COS.DE POENIS ET REGE SICVLOR. HIERONE.XVI.K.APRIL.

Constat sane ex Polybio & Cassiodoro, hunc M.Valerium cum C.Octacilio, secũdo anno belli Punici fuisse Coss.scilicet anno quadringentesimo nonagesimo, vt inscriptio habet.Secunda vero talis est.

C.DVILIVS.M.F.M.N.COS.PRIMVS.AN.CDXCIII.NAVALEM.DE.SICVL.ET.CLASSE.POENICA.EGIT.K.INTERKAL.

Illud quoque iisdem attestantibus extra controuersiam est, Caium Cornelium & Caium Duilium quinto anno eiusdem belli fuisse Coss.hoc est, anno ab vrbe condita quadringentesimo nonagesimo tertio. Illud tantum interest, quod Cornelium Polybius, C.Cassiodorus, CN.prænominat. Præterea in Polybio Duellium, pro, Duilium,non dubium quin mendose legitur. Tertia porro habet ad hunc modum.

C.AVRELIVS. L. F. CN. COTTA. COS. AN. DI. DE POENEIS. ET. SICVLEIS. IDIBVS APRIL.

Hunc quoque anno duodecimo belli primi Punici Consulem fuisse ex Cassiodoro liquido constat. Est ibidẽ & alia inscriptio de triumpho L.Cœcilii,qui sequenti anno triũphauit,sed eam missam facio:quartam tantum addam,de triumpho C.Luctatii, qui huic bello finem imposuit.Ea est ad hunc modum.

C. LVTATIVS. C. F. C. N. CATVLVS. PRO. A. DXII. COS. DE POENEIS. EX SICIL. .E. . . EGIT. IIII. NONAS OCTOBR.

Hæc eo adiunxi, vt lector prudens intelligat,non frustra me affirmasse, T.Liuium illis locis esse deprauatũ, atq; ad eum modũ restituisse: tametsi ne sic quidẽ probe respondet calculus. Sed in tanta rerum antiquitate, non miranda est duorum aut trium annorum differentia. Præterea ne quis ignoret, quibus rationibus & causis adductus hunc annorum numerum sequar. Nec vero existimet aliquis aduersari opinioni nostræ, quod Paulus Orosius ponat initium primi belli Punici, anno vrbis conditæ 483.quia numerum in Orosio deprauatum esse, vel ex eo liquet,quod sibi non constat.

Ab vrb. con. Carthaginẽſibus tam longo bello fractis, aliud repente exarſit, minus quidem diutur-
512. num, ſed infeſtius multo ac periculoſius, & quo res Carthaginenſium in extremum pene diſcrimen adducta eſt. id Africanum appellant, quod præter exercitum ex varia colluuie diuerſiſſimarum gentium collectitium, cui reſp. ſoluendo non erat, tota fere aduerſus Carthaginenſes Africa conſurrexerat. Durauit hoc bellum tribus annis & quatuor menſibus. Ex Polybio lib. 1.

516. Compoſitis in Africa rebus, Carthaginẽſes hortantibus primæ expeditionis auſpiciis, Amilcarem, cui Barca cognomentum erat, cum iuſtó exercitu in Hiſpaniam mittũt Annibale filio comite, qui tum fere nonum ætatis annum agebat. Hic ſuperatis colũnis Herculis, magnam Hiſpaniæ partem Carthaginenſibus recuperauit. In iis locis annos circiter nouem commoratus, multis Hiſpaniæ ciuitatibus bello ſubactis, pleriſque etiam, pacta ſalute atq; impunitate bonorũ, in fidẽ Carthaginenſium receptis, dignam tandẽ rebus à ſe geſtis mortem obiit. Siquidem aduerſus atrociſſimos viros & potentiſſimos populos bellum gerens, & maximis quibuſque periculis intrepide ſeſe, ac cum magna omniũ admiratione ſubiiciens, extremum vitæ diem morte confecit. Hæc Polybius lib. 2. Iuſtinus ait lib. 44. illum dum fortunam inconſultius ſequitur, in inſidias deductum, atque ita occiſum fuiſſe. Huic Barcinonis ciuitatis originem tribuunt.

524. Amilcari mortuo ſucceſſit Aſdrubal, ætatis flore primo Amilcari conciliatus, gener inde ob altam indolem profectu animi adſcitus. Qui potitus imperio, plura cõſilio quam vi gerens, auſpiciis regulorum magis, conciliandiſque per amicitiam principũ nouis gentibus, quam bello & armis rem Carthaginẽſem auxit. Idem Carthaginem nouam, ob loci opportunitatem non ſolum ad res Hiſpaniæ, verum etiam Africæ commodiſſimã condidit. Cum hoc Romani inuidentes Carthaginenſium in Hiſpania ſucceſſibus, quia metu Gallorum bellum mouere non audebant, miſſis legatis in Hiſpaniam, fœdus percuſſerunt, quo fœdere inter cætera cautum eſt, vt finis vtriuſque imperii Iberus amnis eſſet, quem Carthaginenſes cum armis ne tranſirent: Saguntinis mediis inter imperia duorum populorum libertas ſeruaretur. Hunc virum non modo bellicis artibus, ſed eloquentia quoque ad mouendos hominum animos pollentem, quum iam octo ferme annos obtinuiſſet imperium, barbarus quidam ſeruus ob iram interfecti ab eo domini obtruncauit, comprehenſuſque à circumſtantibus, haud alio, quam ſi euaſiſſet, vultu, tormentis quoq; cum laceraretur, eo fuit habitu oris, vt ſuperante lætitia dolores, ridentis etiam ſpeciem præbuerit. Ex T. Liuio & Polybio, qui illum à Gallo occiſum affirmat lib. 2.

532. In Aſdrubalis locum extemplo iuuenis Annibal prærogatiua militari in prętorium delatus eſt, ingentique omnium clamore atque aſſenſu, fauore etiam plebis ſequuto, Imperator cõſalutatus. Hic odium Romanorum pene cum lacte matris imbibit. Nam dum pater Amilcar exercitum in Hiſpaniam traiecturus ſacrificaret, altaribus admotus, tactis ſacris, iureiurando adactus eſt, ſe quum primum per ætatem poſſet, hoſtem fore Pop. Rom. Hic vigeſimo ſexto ætatis anno Imperator factus, vxorem duxit Hiſpanam nomine Imilcen, ex Caſtulone oppido non ignobili, & patris ac ſororii res geſtas ſupergreſſus, biennio vniuerſam prope Hiſpaniam domuit. Ex Polybio, Liuio, Iuſtino, & Plutarcho.

534. Quas fodinas Annibal in Hiſpania inchoauerit, & quantum ex eis puteus vnus ſingulis diebus reddiderit, ſuperius diximus. Quibus opibus fretus, neq; Hiſpano cõtentus imperio, Romanos quoque atque Italiam inuadere geſtit. Cui rei dum occaſionem quærit, Saguntum peropportunum viſum eſt, vrbs Pop. Rom. ſocia. Eam omnibus viribus oppugnat, & dum Saguntini auxilia Romanorum fruſtra expectant, ac Romani conſultationibus ac mittendis legationibus tempus terunt, crudeliter expugnat. Cui quam obſtinatis animis Saguntini ad extremum vſque reſtiterint, quantaque conſtantia & fide Pop. Pom. amicitiam conſeruauerint, qui ſcire volet, T. Liuium conſulat libro 1. Dec. 3. Habebat id temporis Annibal in armis centum quinquaginta millia hominum. Ex Polybio & T. Liuio.

De ſecundo bello Punico, & Romanorum in Hiſpania rebus geſtis vſque ad Auguſtum, cum catalogo Conſulum, Proconſulum, & Prætorum Hiſpaniæ.

CAP. XII.

535. EA res tam indigna Romanis viſa eſt, vt bellum Carthaginenſibus indixerint, Conſulemque & Conſularem exercitum in Hiſpaniam mittendum decreuerint. Cuius rei adeo non pœnituit Annibalem, vt nihil prius duxerit, quam omnem belli molem primo quoque tempore in Italiam transferre. Igitur P. Cornelius Scipio, Africani Maioris pater,

Coſ.

Cos. primus Hispaniam sortitus prouinciam, atque ad eam cum exercitu profectus, vt Annibali ex Alpibus descendenti occurreret, reuersus in Italiam, Cn. Scipioni fratri prouinciam tradidit, qui primo anno Hannonem cum exercitu fudit ac cepit, & contra Asdrubalem terra marique fœlici successu præliatus, præter Baleares insulas, centum viginti populos Hispanorum Romano Imperio subiecit, anno secundo, quo P. Scipio prorogato post Consulatum imperio, in prouinciam rediit. Exinde duo fratres communi consilio rem gesserunt. Ex T. Liuio. Carthaginenses ante Romanorum aduentum viginti tribus annis in Hispania dominati sunt, quo tamen tempore Romani societates in ea habebant. Possidebant Hispaniã varii reguli, qualeis Titus Liuius nominat Mandonium Ilergetum regulum, Amusitum Lacetanorum, & alios: Polybius etiam Andubalem. Hi reguli partim eo tempore Romanos, partim Carthaginenses agnoscebant. Prius tamen summa imperii penes Carthaginenses erat. Hic obiter annotandus lapsus L. Flori libro 2. qui ait inter finem primi belli Punici & principium secundi, vix quadriẽnem fuisse requiem, quum viginti tres anni, vt minimum, intercesserint, nisi vel deprauatus sit Florus, vel ad alia bella respiciat: & Valerii Maximi libr. 6. cap. 6. qui Sagunti calamitatem post Scipionum in Hispania miserabilem stragem ponit, quum decem fere annis antecesserit. Cum Cn. Scipio successorem à Senatu peteret, quod filiam haberet nubilem, cui sine ipso dos expediri non posset: Senatus ne Respubl. bono duce careret, patris sibi partes sumpsit, & dote consilio vxoris & propinquorum Scipionis ex ærario constituta, puellam nuptui dedit. Valerius Maximus lib. 4. cap. 4. *Ab vrb. con.*

Cn. & P. Scipio cum per octo annos multas res prospere gessissent in Hispania, multasque hostium strages edidissent, miserabili clade cum exercitu cæsi sunt, vnde trigesimo die alter post alterum, vt autor est T. Liuius lib. 5. Dec. 3. Quorum monumentum etiam hodie prope Tarraconem extare affirmant ex marmore affabre laborato. Mox L. Martius impiger & magni animi iuuenis, à Scipione militarem artem edoctus, collectis ex fuga militibus, rem perditam admirabili industria restituit. Ex eodem. Ex huius L. Martii capite concionantis flammam eluxisse, ait Valerius Maximus lib. 1. cap. 6. qui addit illum octo & triginta hostium millia concidisse, & magno numero in potestatem redacto, bina castra cepisse. T. Liuius addit, in præda captum clypeum argenteum pondo centum triginta octo, cum imagine Barchini Asdrubalis. Erat autem L. Martius primipili Centurio, vt ait Cicero pro Cor. Balbo, qui testatur illũ primum cum Gaditanis fœdus icisse, quod scilicet illi tam duro Reip. tempore fidelem operam Romanis nauauerint. 542.

Claudius Nero cum exercitu Proprætor in Hispaniam missus, qui L. Martio & T. Fonteio Cn. Scipionis Legato succederet. T. Liuius. 543.

Comitiis Romæ habitis, cæteris omnibus metu recentis cladis à petitione Hispaniæ prouinciæ deterritis, P. Cor. Scipio, Scipionis occisi filius, annos natus viginti quatuor se obtulit, qui summo omnium cõsensu creatus Proconsul Hispaniæ, & cum iusto exercitu in prouinciam profectus, primum Carthaginem, magnum illius belli momentum cepit: deinde post multas res præclaro imperatore dignas, tandem Pœnos variis præliis fusos fugatosque, quinto postquam Proconsul in Hispaniam venerat anno, & post bellum cum illis in Hispaniis initum decimo quarto, penitus expulit Hispania, atq; in Africam cum omni exercitu ingloriose redire coegit. Ex eodem. 544.

Scipio pulsis Hispania Carthaginensibus, compositisque prouinciæ rebus, eam L. Lẽtulo & L. Manlio Acidino tradidit, ipse vero Romam rediit, vrbemque ingressus, prædã ex Hispania præ se tulit in ærarium, argenti quatuordecim millia pondo trecenta quadraginta duo, & signati argenti magnum numerum. Non tamen triumphauit, quia sine magistratu res gesserat. Ex eodem. L. Lentulus & L. Manlius Acidinus Ilergetes Hispaniæ populos, in quibus Osca & Ilerda, noua molitos magno prælio fuderunt, & castris exuerunt, atque Indibilem regulum ipsorum rebellionis autorem occiderunt. Ex eodem. 549.

Cn. Seruilio Cepione & Cn. Seruilio Gemino Coss. Anno secundi belli Punici 16. ex Hispania, vestimenta, frumentum, arma, & omne genus commeatus Romã portata sunt, vt ait T. Liuius lib. 10. Dec. 3. qui affirmat & sequenti anno magnam vim frumenti ex Hispania missam, adeo vt vilitatem annonæ Romæ fecerit. 551.

L. Lentulus ex Hispania reuersus, Ser. Sulpitio Galba & C. Aurelio Coss. ex S. C. ouans vrbem ingressus est, tulitque ex præda argenti pondo quadraginta quatuor millia, auri duo millia quadringenta quinquaginta, prçter pecuniam militibus diuisam. Lentulo successit C. Cornelius Cethegus, qui & ipse magnum hostium numerum in agro Sedetano fudit. Ex eodem, Dec. 4. lib. 1. 554.

Ab vrb.con. L.Cornelio Lentulo & P.Iulio Appulo Coss.C. Cornelius Cethegus Proconsul Hispaniæ, absens Romæ Ædilis Curulis creatus est, atque ad magistratum gerendum venire iussus. Loco eius & Lucii Manlii Acidini, qui & ipse Romam redire iussus est, creati Proconsules Hispaniæ Cornelius Lentulus & L.Stertinius. Ibidem. L.Manlius Acidinus priuatus vrbem ingressus, ex Hispania mille ducenta pondo argenti, triginta pondo ferme auri in ærarium tulit. Idem. Dec.4.lib.2.

555.

557. Cn.Cornelio Cethego & Q.Minutio Rufo Coss. Hispania hactenus vna proconsularis, tametsi per duos pari imperio administrata, diuisa est in duas prouincias Prętorias, citeriorem & vlteriorem. Citerior Cn.Sempronio Tuditano: vlterior M.Ælio contigit. Hi terminare iussi, qua vlterior citeriorve Hispania terminaretur. De qua re superius latius sum loquutus. M.Ælium T.Liuius Dec.4.lib.3.appellat paulo post M.Heluium, nisi mendosus est liber. Ingens eo anno in Hispania vlteriore bellum coortum, Culcane & Luscinone regulis arma mouentibus. In citeriore quoque C.Sempronius prælio victus, exercitus eius fusus fugatusq;, & illustres viri in acie cęsi. Sempronius cum graui vulnere latus ex prælio, haud ita multo post expirauit. Ibidem.

558. L.Furio Purpurione & M.Claudio Marcello Coss. Q.Fabius Buteo Hispaniam vlteriorem, Q.Minutius Thermus citeriorem Prætores sortiti sunt. Hoc anno iterum in Hispania bellum cœptum, scilicet quinto anno postquam simul cum Punico bello finitū erat: quia tum primum Hispani suo nomine, nullo Punico exercitu aut duce, ad arma ierat. Hoc quoq; anno Cornelius Lentulus, qui biennio ante citeriorem Hispaniam obtinuerat, vrbem ingressus, tulit præ se auri mille quingenta pondo quindecim, argenti viginti millia, signati denarios triginta quatuor millia & quingentos quinquaginta. L.Stertinius ex vlteriore Hispania quinquaginta millia pondo argenti in ærarium tulit, & de manubiis duos fornices in foro Boario ante Fortunæ ædem & matris Matutæ, vnum in Circo maximo posuit, & his fornicibus signa aurata imposuit. Q.Minutius Thermus aduersus Budarem & Besasidem imperatores prospere pugnauit, duodecim hostium millia cæcidit, Budarem cepit, cæteros fudit fugauitque. Ibidem.

559. Gliscente tantum in Hispania bello, vt consulari & duce & exercitu opus esset, placuit patribus, vt citerior Hispania consularis esset, ad quam missus M.Portius Cato, qui postea a censura Censorius dictus est: huic P.Manlius Prætor adiutor datus. Ap.Claudius Nero Hispaniam vlteriorem sortitus est. Ita ferme Titus Liuius, & Plutarchus in Catone Censorio. Sed ego ex iisdem colligo, & affirmare mihi posse videor, Prætoribus Paulo Manlio in citeriori: Ap.Claudio Neroni in vlteriore: M.Catoni Consuli in tota Hispania imperium fuisse. Nam Catonem in vlteriori quoque Hispania res gessisse ex Plutarcho constat, qui ait ex Polybio, à Catone omnium vrbium muros, quæ intra Bætim amnem sunt, vno die solo æquatos esse. Quod si quis admiratur, magis admiretur eum tribus seruis comitatum Hispaniam rexisse, & in ea intra annum quadraginta oppida cepisse, quorum alterum Valerius Maximus lib.4.cap.3.alterum Plutarchus literis prodidere, ex quo & T. Liuio petat, qui de Catonis in Hispania rebus gestis plura nosse desiderat. Eodem anno M. Heluius ouans vrbem ingressus, tulit in ærarium argenti infecti quatuordecim millia pondo, septingenta triginta duo, & signati bigatorum XVII. millia viginti tria, & Oscensis argenti centum viginti millia, quadringenta triginta octo, ex vlteriori Hispania. Q.Minutius de citeriori Hispania triumphauit, & tulit argēti pondo triginta quatuor millia, octingenta, bigatorum septuaginta octo millia, & Oscensis argenti ducenta septuaginta octo millia. Atque hic est primus triumphus, quem Romanos egisse de Hispanis reperio. Rursus T.Liuius M.Heluium appellat, quem superius M.Ælium dixit, forte quod vtroq; appellaretur nomine: sed in eo lapsus memoria est, quod ait Q.Minutium M.Heluio successisse. Namque Heluius vlteriorem, Q.Minutius citeriorem, vt diximus, rexit Hispaniam: deinde quod ait M.Heluium in aliena prouincia pugnasse. Siquidem Iliturgis, circa quam postrema eius victoria fuit, Plinio & Ptolemæo in Bætica ponitur, quam aliqui Giennensem esse ciuitatem suspicantur. Antonius quoque Nebrissensis in Bætica ponit, quanquam in Vocabulario ipsius Geographico, mendose oppidum Bœoticæ pro Bæticæ impressum est.

560. P.Cornelio Scipione Africano iterum, & T.Sempronio Longo Coss. Prętores P.Cornelius Scipio Cn.filius, hoc est, Scipionis Africani patruelis, vlteriorem: Sex. Digitius citeriorem Hispaniam rexerūt, rursus in prouincias Prætorias rebus compositis redactam. Horum impar fortuna fuit. Nam P.Scipio prospere omnia gessit, & Proprætor Lusitanos fudit: alter crebra magis quam digna dictu prælia fecit, & adeo pleraq; aduersa, vt vix dimidium militum quod acceperat, successori tradiderit. Eodem anno M.Portius Cato ex

Hispania

Hiſpania triumphauit, tulitq; argenti infecti viginti quinque millia pondo, bigati centũ viginti tria millia, Oſcenſis auri quingenta quadraginta pondo, præter pecuniam militi diuiſam. Nam Plutarchus in Catone Cenſor. teſtatur ſingulas argenti libras viritim militibus diſtribuiſſe, illud adiicientem, melius eſſe multos ex Romanis argentum, quam paucos aurum habentes in vrbem reuerti. T. Liuius addit, Catonem ex ferrariis argentariiſq; magna vectigalia inſtituiſſe, quibus inſtitutis locupletior inde prouincia fuit. Plutarchus indicat Scip. Maiorem Catoni in Hiſpania ſucceſſiſſe, ſed falſus eſt ſimilitudine nominis, niſi forte lapſus eſt interpres. nam codicis Græci non fuit mihi copia.

L. Cornelio Merula & Q. Minutio Thermo Coſſ. C. Flaminio Hiſpania citerior, M. 561. Fuluio Nobiliori vlterior ſorte obtigit. Quorum hic apud Toletum Vaccæos, Vectones, & Celtiberos fudit fugauitq;, & Hilermum Regem viuum cepit. T. Liuius.

L. Quintio & Cn. Domitio Ænobarbo Coſſ. Prætores Hiſpaniã ſortiti ſunt, M. Bebius 562. Pamphilus citeriorem, A. Attilius Serranus vlteriorem: ſed primum S.C. deinde plebiſcito permutatis eorum prouinciis, Flaminio Fuluioq; prorogatum imperium eſt. Hoc anno Fuluius Toletum cepit operibus. Ibidem.

P. Cornelio Cn. filio Scipione & M. Attilio Glabrione Coſſ. L. Æmilio Paulo euenit 563. Hiſpania vlterior: C. Flaminio in citeriori prorogatum imperium. Ibidem. Æmilius ad ſopiendos in Hiſpania magnos bellorum motus exortos, miſſus eſt, non cum ſex, vt cæteri Prætores, ſed cum duodecim ſecuribus, ita vt dignitas conſularis imperio eius ineſſet. Bis collatis ſignis hoſtes ſuperauit, interfecitq; circiter triginta hominum millia, manifeſteq; apparuit victoriam ex induſtria eius partam fuiſſe. Vrbes vero ducentas quinquaginta in deditionem recepit, pacatamq; prouinciam relinquens, ne vna quidem drachma ditior quam profectus fuerat, reuerſus eſt. Plutarchus in vita eius. Eodem anno M. Fuluius Nobilior ex Hiſpania vlteriore ouans vrbem ingreſſus eſt, tulitq; præ ſe argenti bigati centũ triginta millia, pręterea duodecim millia pondo argenti, auri pondo cẽtum viginti ſeptẽ, quam prædam T. Liuius lapſu forte memoriæ bis ponit Dec. 4. lib. 6.

L. Cornelio Scipione & Cn. Cœlio Coſſ. L. Æmilio & C. Flaminio in Hiſpania proro- 564. gatum imperium. Quo anno Romani magnam in Hiſpania cladem acceperunt, ſex millibus de exercitu ſuo cæſis, cæteris in fugam verſis, idque in Vaſcetanis, vbi apud oppidũ Lyconem cum Luſitanis pugnabat. Ibidem. Ego ſuſpicor in T. Liuio mẽdoſe legi Vaſcetanis, pro Baſtetanis, qui ſunt in Hiſpania vlteriori, quanquam in citeriori quoq; Vaſcetanos nuſquam inuenio.

M. Fuluio Nobiliore & Cn. Manlio Volſone Coſſ. L. Plautius Hipſeus Prætor fuit Hi- 565. ſpanię citerioris: L. Bebius Diues vlterioris. Sed L. Bebius in prouinciam Hiſpaniam proficiſcens à Liguribus circumuentus, magna parte comitum cæſa, vulneratus ipſe cum paucis ſine lictoribus, Maſſiliam profugit, & intra triduum expirauit. Qua re audita Senatus decreuit, vti P. Iunius Brutus Proprętor Hetruriæ, tradita cui videretur ex legatis prouincia & exercitu, ipſe in vlteriorem Hiſpaniam proficiſceretur, eaq; prouincia ei eſſet. Paulo ante ſucceſſoris aduentũ, L. Æmilius Paulus tumultuario exercitu collecto, ſignis collatis cum Luſitanis pugnauit, fuſi fugatiq; ſunt hoſtes, cæſa decem & octo millia armatorum, tria millia trecenti capti, & caſtra expugnata. Cuius victoriæ fama tranquilliores in Hiſpania res fecit, & ſupplicationes Romæ ex S.C. factæ ſunt. Ibidem.

M. Valerio Meſſala & C. Liuio Salinatore Coſſ. Prætores L. Manlius Hiſpaniam cite- 566. riorem: C. Catinius vlteriorem ſortiti ſunt. Ibidem.

M. Æmilio Lepido & C. Flaminio Coſſ. Prætoribus Hiſpaniæ prorogatum imperium; 567. quorum literis Romæ ſignificatum eſt, Celtiberos Luſitanoſq; in armis eſſe, vbi in T. Liuio mendoſe legitur, C. Attinii, pro C. Catinii, non procul à principio libri noni.

Sp. Poſthumio Albino & Q. Martio Philippo Coſſ. Prætores Hiſpaniæ creati ſunt, L. 568. Quintius Criſpinus, citerioris: C. Calpurnius Piſo, vlterioris. Hoc anno C. Catinius cum Luſitanis in agro Aſtẽſi collatis ſignis pugnauit, ſex hoſtiũ millia cæcidit, cæteros fuſos fugatoſq; caſtris exuit, Aſtam oppidũ cepit, ſed dum incautius ſubit muros, ictus ex vulnere poſt dies paucos moritur. Hac de cauſa Calpurnio nunciatum, vt in prouinciam properaret, ne ſine imperio eſſet, Aſta non procul Gadibus erat. In citeriore Hiſpania L. Manlius Acidinus cum Celtiberis acie conflixit incerta victoria, niſi quod Celtiberi proxima nocte caſtra mouerunt. Poſt eoſdẽ ad Calagurium oppidum prælio ſuperauit, & caſtris eorum potitus eſt, in prælio ad duodecim hoſtium millia cæſa, plus duo capta, & niſi ſucceſſor aduentu ſuo inhibuiſſet impetum victoris, ſubacti Celtiberi forent, ſi Liuio credimus Dec. 4. lib. 9.

Ap. Claudio Pulchro & M. Sempronio Tuditano Coſſ. Prætoribus Hiſpaniæ proro- 569.

 gatum imperium. L.Manlius ex Hispania citeriore ouans vrbem ingressus, tulit coronas aureas quinquaginta duas, auri pondo centum triginta duo, argenti sexdecim millia trecenta & pronunciauit in Senatu, decem millia pondo argenti, & octoginta auri Q.Fabiū Quæstorem aduehere, id quoque se in ærarium relaturum. Prætores Hispaniæ Calpurnius & Quintius, communi animo & consilio rem gerentes, non procul Toleto cū vtroque exercitu fusi, & in castra compulsi sunt, ac spoliis suis hostes ditarunt, quinq; suorum millibus amissis. Quam ignominiam postea contractis Hispanorum sociorum auxiliis, & recreato à terrore aduersæ pugnę exercitu, deleuerunt ad ripam Tagi, edita in hostes magna strage, quàm eleganter in quarta Decade scribit T.Liuius lib.9.

570. P.Claudio Pulchro & L.Portio Licinio Coss. Præturam sortiti sunt Hispaniæ, A. Terentius Varro, citerioris: P.Sempronius, vlterioris. Eodem anno C.Calpurnius Piso & L. Quintius ex Hispania reuersi, de Lusitanis Celtiberis triumpharunt. Calpurnius coronas aureas tulit octoginta tres, & duodecim pondo argenti. Quintius tantundem auri, quantum argenti transtulit. Sed numerum aut summam prædæ T.Liuius non posuit.

571. M.Claudio Marcello & Q.Fabio Labeone Coss. Prætoribus Hispaniæ prorogatum imperium. A. Terentius Varro in agro Ausetano aliquot secunda prælia cum Celtiberis fecit, & vrbes nonnullas cepit. Ausetani in Cataloniæ principatu erant. Vlterior in pace fuit, & Lusitani peroportune quieuerunt: quia P. Sempronius diutino morbo implicitus fuit, & tandem ibi mortuus est. Ibidem libr.9.& 10.

572. Cn.Bebio Pamphilo & L.Æmilio Paulo Coss. Prætores habuit Hispania, citerior Q. Fuluium Flaccum, vlterior P.Manlium, qui eandem prouinciam priore prætura habuerat, vt ait T.Liuius, qui in hoc videtur non constare sibi, quia superius dixit P.Manlium prætorem M.Catoni consuli in citeriore Hispania adiutorem datum, vt annotauimus anno vrbis conditę 559. Fuluius Flaccus Vrbicuam vrbem (quam hodie Arbeca appellari dicit Pet. Anto. Beuter) non sine detrimento militum suorum cepit ac diripuit. P. Mālius exercitum dissipatum in vnum coegit. Ibidem. A. Terentius Varro ex Hispania citeriore ouans vrbem ingressus, tulit in ærarium argenti pondo millia trecenta viginti, auri octoginta duo pondo, coronas aureas sexaginta septem.

573. P.Cornelio Lentulo & M.Bebio Pamphilo Coss. Prætoribus superioris anni in Hispania prorogatum imperium. In citeriore Hispania bellum ea æstate coortum, quantū nunquam ferme antea. idq; à Celtiberis, aduersus quos Fuluius Flaccus magna quidem victoria, sed non incruenta, potitus est, de qua re latius T.Liuius.

574. A.Posthumio Albino Lusco & C.Calpurnio Pisone Coss. Prætores Hispaniam sortiti sunt, L.Posthumius vlteriorem T.Sempronius Gracchus citeriorem. Huius anni principio à Q.Fuluio Flacco missi sunt ad Senatum ex Hispania T.Minutius legatus, & duo tribuni militum T.Menius, & L.Terentius Massaliota, qui duo secunda prælia, deditionem Celtiberiæ, confectam prouinciam nunciarēt, nec stipendio quod mitti soleret, nec frumento portato in eum annum opus esse, & alia quæ latius prosequitur T.Liuius. Fuluius Flaccus Proprætor siue Proconsul, vlteriori Celtiberiæ agro, vnde in deditionem nō venerant, vastato, magis irritauit quam conterruit Celtiberos, qui obsesso saltu Manliano, Fuluium Tarraconem cum exercitu ad occursum successoris properantem, nec opinato adorti, victoriam quidem illi, sed cum magna militum iactura dedere. Ibidem.

575. Q.Fuluius ex Hispania cum magna fama rerum gestarum reuersus, quum extra vrbē triumphi causa esset, Consul factus cum L.Manlio Acidino, qui & ipse aliquot ante annis citeriorem Hispaniam rexerat, triumphans vrbem ingressus cum militibus quos secū duxerat, tulit in triumpho coronas aureas centum viginti quatuor, auri pondo triginta vnum, præter argentum Oscense signatum, & pecuniam militibus diuisam, & duplex stipendium solutum. Ibidem. Hoc anno Prætoribus Hispaniæ cum suis exercitib. prorogatū imperium. Sempronius Gracchus multis reb. in Celtiberia prospere gestis, centū tria oppida intra paucos dies in deditionē accepit, & Thurriū regulū in belli societatem ex hoste accepit. L.Posthumius eadem æstate in Hispania vlteriore bis aduersus Bracaros pugnauit egregie, & ad triginta quinque millia hostium occidit. vnde colligas, quāta fuerit etiam tunc frequentia illius gentis. Bracari vero dicuntur populi Interamnis Portugallię, qui sunt inter Duriū & Limiam fluuios. Quædā impressiones hoc loco nempe circa finē decimi libri de bello Macedonico, male habent, cum Vaccæis, pro, cum Bracaris. Quem errorē ego ex L.Flori lib. 41. natū crediderim, vbi legitur ad hunc modū: Et à Posthumio Albino Vaccæi ac Lusitani subacti sunt, &c. Sed ea lectio quā falsa sit, ex eiusdē L.Flori 56. libr. constat, vbi aperte Vaccæos in citeriore Hispania ponit, & ostendit Bracaros tum in vlteriore fuisse Hispania, in qua etiam Gallecios ponit, qui sunt vltra Bracaros. Præterea

Sex.

Sex. Iulius Frontinus affirmat, Vaccæos à Sempronio Gracco oppugnatos. vnde constat, tam in T. Liuio, cum Bracaris, nō cum Vaccæis, quam in L. Floro, Bracari, non Vaccæi, legendum. & ita in T. Liuio habet impreßio Badiana, ita legit Henricus Glareanus, vir vndecunque doctißimus, ita L. Andreas Resendius in T. Liuio manu scripto legisse se mihi affirmauit.

M. Iunio Bruto & A. Manlio Volsone Coss. Prętores, in Hispania citeriore M. Titinius: 576.
in vlteriore T. Fonteius Capito. Hoc anno Sempronius Gracchus de Celtiberis & sociis eorum, postero die L. Posthumius de Lusitanis aliisque eiusdem regionis Hispanis triumphauit, T. Gracchus quadraginta millia pondo argenti transtulit, Albinus viginti millia. T. Liuius libro 1. Decade 5.

C. Claudio Pulchro & T. Sempronio Graccho Coss. Prætoribus Hispaniæ proroga- 577.
tum imperium, sed vtraque prouincia pacata fuit. Ibidem.

Cn. Cornelio Scipione Hispalo & Q. Petilio Spurino Coss. Prætoribus M. Cornelio 578.
Scipioni Maluginensi Hispania vlterior: P. Licinio Crasso citerior obtigit. Sed quum sacrificiis impediri se solennibus excusassent, ne in prouinciam irent, iußi sunt aut ire, aut iurare pro concione, solenni sacrificio se prohiberi. Cum autem ambo in eadem verba iurassent, M. Titinius & Titus Fonteius Proconsules manere cū eodem imperii iure in Hispania iußi sunt. Ibidem. Huius Hispali Consulis filio Cn. Cornelio Scipioni quum Hispania prouincia aliquando sorte obtigisset, decretū est, ne iret, adiecta causa, quod recte facere nesciret. Valerius Maximus libro 6. capite 3.

M. Lepido & Q. Mutio Coss. Ap. Claudius Cento citerioris Hispaniæ Prætor: vlterio- 579.
ris vero quis fuerit, quia T. Liuius hoc loco mutilus est, non inuenio.

Sp. Posthumio & Q. Mutio Coss. Prætoribus Cn. Seruilio Cepioni Hispania vlterior: 580.
P. Furio Philo citerior contigit. Hoc anno Ap. Claudius Cento Celtiberos qui sub aduētum eius rebellauerant, magna clade affectos, imperio parere coegit. quam ob rem Romæ per diem vnum supplicatio fuit, & viginti maioribus hostiis sacrificatum. Ibidem.

L. Posthumio Albino & M. Popilio Lenate Coss. Prætores Cn. Fabius Buteo Hispaniā 581.
citeriorem: M. Matienus vlteriorem sortiti sunt. Idem. Perfectis comitiis, Ap. Claudius Cento ex Celtiberis ouans cum in vrbem iniret, decem millia pondo argenti, quinq; millia auri in ærarium tulit. Idem. Cn. Fabius quum in prouinciam iret, Maßiliæ moritur. Senatus decreuit, vt P. Furius & Cn. Seruilius, inter se sortiretur, vter prorogato imperio citeriorem Hispaniam obtineret. Sors opportuna fuit, vt P. Furius idem, cuius ea prouincia fuerat, remaneret. Ibidem.

Cn. Popilio Lenate & P. Ælio Ligure Coss. Prætoribus M. Iunio Pœno citerior Hispa- 582.
nia: Sp. Lucretio vlterior sorte cecidit.

P. Licinio Crasso & C. Caßio Longino Coss. à Senatu decretum est, vt vnico tantum 583.
Hispania Prætore regeretur, vnaq; tantum prouincia esset, forte quia iam pacata erant omnia. Sortitus est autem Hispaniam L. Canuleius Prætor. Hoc anno Hispaniæ vtriusque legati Romam missi, in Senatu conquesti sunt de magistratuum Romanorum auaritia & superbia, quibus ex ordine Senatorio patroni dati sunt. Et P. quidem Furius ac M. Matienus solum verterunt: pluresque accusassent, nisi (vt fama est) à patronis fuissent prohibiti. Ita præteritis silentio obliteratis, in futurum consultum à Senatu Hispanis, quod impetrarunt, ne frumenti æstimationem magistratus Romanus haberet, neve cogeret vicesimas (tributi hoc genus erat) vendere Hispanos, quanti ipse vellet, & ne præfecti in oppida sua ad cogendas pecunias imponerētur. Sed & alia noui generis hominum ex Hispania legatio venit, ex militibus Romanis & Hispanis mulieribus, cum quibus cōnubium non esset, natos se memorantes, supra quatuor hominum millia: orabant, vt sibi oppidum in quo habitarent, daretur. Senatus decreuit, vti nomina sua apud L. Canuleium profiterentur, eorumque si quos manumisisset, eos Carteiam ad Oceanum deduci placere: qui Carteienses domi manere vellent, potestatem fore, vti numero colonorum essent, agro aßignato. Latinam eam Coloniam fuisse, libertinorumque appellari. Titus Liuius Decade quinta, libro 1.

A. Hostilio Mancino & C. Attilio Coss. quis fuerit Hispaniæ Prætor, nondum inueni- 584.
re potui.

Q. Martio Philippo II. & Q. Seruilio Cepione Coss. Claudius Marcellus Prętor Hispa- 585.
niam obtinuit.

L. Æmilio Paulo II. & C. Licinio Crasso Coss. Publius Fonteius Prætor administra- 586.
uit Hispaniam.

Q. Ælio & M. Iunio Coss. Hispania rursus in duas prouincias prætorias diuisa est, & 587.

Ab vrb.con. Cn. Fuluii citerior, C. Licinii Neruæ vlterior sors fuit, ibidem libro 5. Hactenus ex T. Liuio: quæ sequuntur, ex L. Floro, Paulo Orosio, & aliis mutuati sumus.

600. L. Opimio & Q. Posthumio Coss. à Lusitanis Romani per arma grauiter vexati sunt. Iulius Obsequens. Forte tunc accidit, quod ponit Paulus Orosius hoc anno, quanquam aliis Coss. de Sergio Galba Prætore, qui à Lusitanis magno prælio victus, vniuerso exercitu amisso, ipse cum paucis vix elapsus euasit. Ipse quoq; L. Florus ait libro 47. his temporibus à compluribus in Hispania res parum prospere gestas.

601. Q. Fuluius & T. Annius Coss. primi Calendis Ianuariis magistratum inierunt, propter subitū Celtiberiæ bellū, vt ait Cassiodorus. Ex quo videtur Hispania hoc anno prouincia fuisse Consularis. Etiam L. Florus dicit comitia mutata, quod Hispani rebellarēt, sed Coss. non ponit, & dicit quod anno DXCVIII. Nos aliam rationem sequimur, propter causas superius commemoratas.

602. M. Marcello & L. Valerio Coss. in Lusitania varie pugnatum. Iulius Obsequens.

603. L. Lucullo & A. Posthumio Coss. Hispaniense bellum aliquoties parum prospere gestum, cum ciuitatem Romanam confudisset, tantusque Celtiberorum metus Romanos omnes inuasisset, vt nemo inueniretur, qui vel tribunus, vel legatus ire in eam prouinciam vellet, P. Scipio Æmilianus, ad quodcunq; militiæ genus quod sibi imperatum foret, vltro se offerens, non mediocriter omnium animos ad militandi studium accendit. Quod L. Florus libro 47. addit Vaccæos & Cantabros cum aliis populis à Lucullo subactos, non intelligo, quum certum sit, Cantabros vsq; ad Augusti tempora fuisse indomitos, quemadmodum nec illud, quod ait Marcellum Lucullo successisse, quum contra manifestum sit, tam ex Cassiodoro quam ex aliis, Lucullum Marcello successisse. His Coss. fuisse Sergii Galbæ calamitatem illam quam superius posuimus, scribit Paulus Orosius libro 4. ca. 21. atque addit eundem Galbam, cum Lusitanos circa Tagum habitantes voluntarios in deditionem accepisset, per scelus circumpositis militibus inermes incautosque prostrauisse. Quæ res vniuersæ Hispaniæ propter Romanorum perfidiam maximi tumultus causa fuit.

608. Cn. Cornelio Lentulo & L. Mummio Coss. Viriatus in Hispania genere Lusitanus, vir calliditatis acerrimæ, ex venatore, vt ait L. Florus, vel pastore, vt Paulus Orosius libro 5. capite 4. latro, ex latrone subito dux atque imperator, & si fortuna cessisset, Hispaniæ Romulus, non contentus suorum libertatem defendere, magnam in Romanos stragem edidit per quatuordecim annos, & omnia citra vltraque Iberum & Tagum igni ferroque populatus, & castra Prætorum & Consulum aggredi ausus, neq; id irrito successu, maximo terrori Romanis fuit. Huic primo C. Vetilius Prætor occurrit, sed cæso vsque ad internecionem pene omni exercitu, vix ipse cum paucis fuga elapsus euasit. Ex L. Floro libro 2. rer. ab vrb. cond. & Paulo Orosio libro 5. capite 4.

609. Q. Fabio Maximo & L. Hostilio Coss. Viriatus C. Plautium Prætorem multis præliis fractum fugauit. Paulus Orosius ibidem.

610. Ser. Galba & L. Aurelio Coss. Claudius Vnimanus, cum magno apparatu belli contra Viriatum quasi pro abolenda superiore macula missus, amissis copiis vniuersis, infamiam præteritam cumulauit, Viriatus trabeas, fasceis, cæteraque insignia Romana in montibus suis trophæa præfixit. Eodem tempore trecenti Lusitani cum mille Romanis acri prælio conflixere, cecidere septuaginta Lusitani, trecenti viginti Romani. Lusitanis hac victoria securis ac sparsis, vnus eorum à circunfusis equitibus Romanis pedes ipse deprehensus, equo vnius equitis lācea perfosso, & capite ipsius ad vnum gladii ictum desecto, ita omnes metu perculit, vt prospectantibus cunctis equitibus Romanis, ipse contemptim atque ociosus abscesserit. Idem Orosius.

611. Ap. Claudio & Q. Cæcilio Metello Coss. hoc, opinor, anno Viriatus C. Nigidium oppressit, Prætorem, vt arbitror, Romanum. quod annotauit Plinius de viris illustribus. Viriatus hoc rerum successu tantum terrorem Romanis intulit, vt aduersus eum Consulari & duce & exercitu opus esset. Itaque rursus Hispania consularis prouincia facta est, & citerior Quinto Metello Proconsuli decreta. quod ex eo constat, quod L. Florus affirmat, illum Proconsulem in Celtiberia res gessisse, sicut mox dicemus.

612. L. Metello & Q. Fabio Maximo Coss. Q. Cæcilius Metellus quanta seueritate militarē disciplinam seruauerit, Valerius Maximus lib. 2. cap. 2. docere poterit. Sed illud in eo mihi laudabilius videtur quod idem refert lib. 5. c. 1. Metellum, dum Centobricam obsidione premeret, & Centobricenses Rethogenis filios qui ad eum transierat, machinę ictibus obiecissent: humanitatem propinquæ victoriæ prætulisse, atq; obsidione abstinuisse. Qua clementia omnium Celtiberorū animos cepit. Eodē tempore, Fabius Consul contra Lusitanos

ſitanos & Viriatum dimicans, Bacciam oppidum obſidione depulſis hoſtibus liberauit, &
in deditionem cum plurimis caſtellis recepit. Paulus Oroſius libro 5. capite 4. Bacciam a-
liqui volunt eſſe, quæ hodie Baza dicitur, in regno Murciæ. cui opinioni non refragarer,
præſertim alludente vocabulo vernaculo, niſi tam procul abeſſet à Luſitanis. Iulius Obſe-
quens ait, hoc anno dubie aduerſus Viriatum ab exercitu Romano dimicatum.

Cn. Cepione & Q. Pompeio Coſſ. Q. Fabius Proconſul maximam Luſitaniæ partem, 613.
expugnatis multis vrbibus, recepit. Sed quantum Metellus clementiæ ſuæ decus ſibi pe-
perit, tantam contraxit Fabius crudelitatis labem. Quingentis enim principibus eorum
quos ſocietate inuitatos deditionis iure ſuſceperat, manus præcidit: facinus etiam vltimis
barbaris Scythiæ execrabile, vt ait Paulus Oroſius. Valer. Max. excuſare Fabium velle vi-
detur, quod transfugæ fuerint, quibus ea pœna ſit irrogata perfidiæ ſuæ merito. Pompeius
Coſ. Numantinorum fines ingreſſus, cū maxima clade diſceſſit, omni pene exercitu pro-
fligato & plurima nobilitate interempta. Paulus Oroſius ibidem. Idem Termeſtinos ſub-
egit, & cum eiſdem ac Numantinis pacem fecit. L. Florus lib. 54.

Q. Cepione & C. Lælio Coſſ. Q. Fabius Proconſul rebus in Hiſpania proſpere geſtis 614.
labem impoſuit, pacē cum Viriato æquis conditionibus facta. L. Florus. Sed idem ait Vi-
riatum à Fabio oppreſſum. Plinius ſcribit hanc pacem cum Pompilio factam, in qua quū
alia dediſſet, arma vero retinuiſſet, bellum renouaſſe. Vtcunque eſt, Seruilius Cepio eius
belli confecti gloriam captans, quum aliter vincere nō poſſet, duos ſatellites pecunia cor-
rupit, qui Viriatum humi depoſitum perimerent, atque hanc hoſti gloriam dedit, vt vide-
retur aliter vinci non potuiſſe. Quæ victoria quia empta erat, à Senatu improbata, & per-
cuſſores indigni præmio iudicati. Ita Viriatus qui per quatuordecim annos Romanos du-
ces atque exercitus protriuerat, inſidiis ſuorum interfectus eſt. Ex L. Floro, Plinio, & O-
roſio. Cicero lib. 2. Offic. ſcribit C. Lælium qui Sapiens dicebatur, hunc ſcilicet qui hoc
anno Conſul fuit, Viriatum, dum Prætor eſſet, fregiſſe & comminuiſſe, ferocitatemq; e-
ius ita repreſſiſſe, vt facile bellum reliquis traderet.

Cn. Piſone, & M. Pompilio Coſſ. M. Pompilio citerior Hiſpania prouincia fuit, vt ex L. 615.
Floro conſtat, libro 55.

P. Cornel. Scipione Naſica & D. Iunio Bruto Coſſ. C. Matienus accuſatus eſt apud Tri- 616.
bunos plebis, quod exercitum in Hiſpania deſeruiſſet, damnatuſque ſub furca diu virgis
cæſus eſt, & ſeſtertio numo væniit. L. Florus ibidem. Iunius Brutus Coſ. in Hiſpania iis qui
ſub Viriato militauerant, agros oppidumque dedit, quę Valentia vocata eſt. M. Pompilius
Proconſul à Numantinis, cum quibus pacem factam Senatus irritam cēſuerat, cum exer-
citu fuſus fugatuſque. Ibidem. Hunc Pompeium alii vocant. Belli Numantini cauſam L.
Florus ita iniuſtam fuiſſe affirmat, vt non temere vllius fuerit iniuſtior. Segedenſes enim
ſocios & conſanguineos ſuos, Romanorum manibus elapſos Numātini exceperāt. Habi-
ta pro eis deprecatio nihil valuit. Porro cum ſe ab omni armorum cōtagione remouerēt,
in legitimi fœderis precium iuſſi ſunt arma deponere. Hoc ſic à Numantinis acceptum,
quaſi manus abſcinderentur. Itaque ſtatim Megara viro fortiſſimo duce ad arma conuer-
ſi ſunt. Hactenus Florus libro 2. rer. ab vrb. cond.

M. Æmilio & C. Hoſtilio Mancino Coſſ. C. Hoſtilio Mancino Hiſpania citerior aduer- 617.
ſus Numantiam prouincia fuit, cui præter auſpicia contraria & alia prodigia, illud quoq;
accidit, vt ab Herculis portu in prouinciā ſoluēti talis vox ſine vllo autore ad aures perue-
niret, Mane mane Mancine. Poſtea victus à Numantinis & caſtris exutus, cum ſpes nulla
ſeruādi exercitus eſſet, pacē cum iis fecit ignominioſam, quam ratam eſſe Senatus vetuit.
Triginta millia Romanorum à quatuor Numantinorum millibus victa erāt, vt ait L. Flo-
rus libro 55. Ac ne illam quidem à Numātinis obtinuiſſet, ſed ad vnum omnes circumuē-
ti periiſſent, niſi interpoſuiſſet fidē ſuam Tiber. Gracchus Quęſtor ipſius, cuius apud Nu-
mātinos gratia magna erat, propter memoriam patris Gracchi, qui iā bellum aduerſus I-
beros gerens, pacem cum Numantinis firmauerat, eamque ſemper apud populum recte
iuſteq; defenderat. Sed hic operæprecium eſt animaduertere Numantinorum fidem &
integritatem etiam aduerſus hoſtes. Cum enim inter cæteram prædam, tabulas quoque
abſtuliſſent, in quibus quæſturæ ſuæ rationes Gracchus conſcripſerat, eaque res ſolici-
tum eum haberet, cum quatuor familiaribus ad Numantinos profectus, rogauit eos, vt
ſibi tabulas reddi iuberent, ne inimicorum calumniis obnexius fieret, ſi rationem admi-
niſtrartionis ſuæ reddere non poſſet. intra vrbem humaniter inuitatus & conuiuio libe-
raliter exceptus, non ſolum tabulas ſuas recepit, ſed poteſtatem etiam, vt ex præda quic-
quid vellet, ſecum deportaret. Autor Plutarchus in vita Gracchi. Eodem anno D. Iu-
nius Proconſul Luſitaniam vrbium expugnationibus vſque ad Oceanum perdomuit,

Ab vrb. con. & quum fluuium Obliuionem tranſire milites Romani nollent, male de nomine fluuii ominantes, raptum à ſignifero ſignum ipſe tranſtulit, & ſic, vt tranſgrederentur, perſuaſit. Hæc fere Lucius Florus lib. 55. Vbi illud notandum, quod Romani in expugnandis Bracaris quadraginta annos deſudarunt. Tot enim numerantur ab eo anno, quo primum L. Poſthumius aduerſus eos pugnaſſe legitur. Abeſt vero Obliuio ſiue Limia fluuius, Lethen Græci appellant, ab Auguſta Bracarorum metropoli leucis quinque, vt vulgari more loquar. Illud quoque non prætermittẽdum, quod cum tota pene Luſitania ſe Bruto dedidiſſet, ſola Cinania pertinaciter arma retinens, tentata redemptione, propemodum vno ore legatis reſpondit: ferrum ſibi à maioribus, quo vrbem tuerentur, non aurum quo libertatem ab imperatore auaro emerẽt, relictum. Melius ſine dubio, inquit Valerius Maximus libro 6. capite 4. homines noſtri ſanguinis hæc dixiſſent, quam audiſſent.

618. P. Furio & Sex. Attilio Serrano Coſſ. P. Furius prouinciam ſortitus, Q. Metellum, & Qu. Pompeium conſulares viros, & ipſi vehementer inimicos, legatos ſecum ire coegit, fiduciam non ſolum fortem, ſed etiam temerariam exhibens, quæ duobus acerrimis odiis latera ſua cingere auſa eſt, vſumque miniſterii vix tutum in amicis, è ſinu inimicorum petere ſuſtinuit. Valerius Maximus libro 3. capite 7. Decius Iunius Brutus fœliciter aduerſus Gallecios pugnauit. Nam ſexaginta millia eorum qui Luſitanis auxilio venerãt, aſperrimo bello & difficili, quum incautos circũueniſſet, oppreſſit. M. Æmilius Lepidus Proconſul, Vaccæos innoxiam gentem & ſupplicem, etiam prohibente Senatu, pertinaciter expugnare tentauit. Sed accepta clade non minus turpi quam Numantina, grauiſſimas improbæ pertinaciæ pœnas dedit, ſex millibus Romanorum iuſtiſſime cæſis: reliqui caſtris exuti, armis etiam perditis vix euaſerunt. Ex L. Floro libro 56. & Paulo Oroſio libro 5. capite 4. qui addit, his præliis aduerſis militem Romanum ita hebetatum, vt conſpecto Hiſpano, hoſtem diffugiens, vinci ſe prius crederet, quam videri. Idem affirmat L. Florus, ne oculos quidem aut vocem Numantini viri quenquam ſuſtinere potuiſſe. Hoc anno ad ſoluendum Numantini fœderis religione populum Romanum, Mancinus turpiſſimi fœderis autor deditus eſt Numantinis, & nudato corpore, manibus à tergo reuinctis, ad portas Numantinorum eſt expoſitus, ibique vſque ad noctem manẽs, à ſuis deſertus, ab hoſte autem non ſuſceptus, lachrymabile vtriſque ſpectaculum præbuit. Quod à Romanis iniuſte factum, & eos à Numantinis non tantum fortitudine, ſed etiam iuſtitia, fide, miſericordia victos, non minus erudite, quàm vere diſputat Paulus Oroſius libro 5. capite 4. & 5. Atque ita ſane eſt, quantumuis excuſare Romanos Cicero nitatur libro 3. Offic. Numãtini Mancini deditionem non recipientes, aut inuiolatam pacem ſolam, aut omnes quos pignore pacis accepto viuos dimiſerant, repoſcebant. Idem. Hoc tempore tribus exercitibus Conſularibus res in Hiſpania geſtæ, nimirum à Furio Conſule & duobus Proconſulibus. tanta erat moles belli.

619. Ser. Fuluio & Q. Calphurnio Coſſ. vtri Conſulum Hiſpania prouincia fuerit, an M. Æmilio prorogatum imperium, quod ex accepta clade non eſt veriſimile, quia ſcriptum nõ inuenio, affirmare non poſſum. Illud tantum Iulius Obſequens memoriæ prodidit, apud Numantiam res male geſtas, exercitum Romanum oppreſſum.

620. Cum vitio ducum bellum Numantinum non ſine publico pudore duraret, delatus eſt vltro Scipioni Africano à Senatu populoque Romano Conſulatus, cum Candidatus non eſſet, eique ſine ſorte bellum contra Numantinos decretum. Igitur Conſul ſimul cum C. Fuluio Flacco factus, atque in Hiſpaniam profectus, primo militarem diſciplinam reſtituit, & quæcunque voluptatis cauſa comparata erant, ſummouit, exercitumq; ad quoſuis ſubeundos labores exercuit: deinde commiſſo prælio, primo Numãtinos Romani fugere, deinde increpatione & minis Conſulis incitati, eoſdem, quod nunquam quiſquam ſperare auſus eſſet, videre fugientes. Scipio vltra bellum cum eis audendum non eſſe profeſſus, obſidione Numantiam conclusit, & foſſa circundedit. Ex Valerio Maximo, L. Floro, & Paulo Oroſio. Quid ſibi velit L. Florus, quum ait Scipionem Conſulem factum, ſolutum ea lege quæ vetabat quenquam intra decem annos iterum Conſulem fieri, non intelligo: quia inter primum Scipionis Conſulatum, quo Carthaginem deleuit, & ſecũdum, quatuordecim interceſſerunt anni. Vaccæi obſeſſi, liberis & coniugibus trucidatis, ipſi ſe interèmerunt, vt ait L. Florus, ſed à quibus fuerint obſeſſi, non addit. Nam Scipioni ſatis aduerſus Numantinos negotii fuit.

621. C. Mutio & L. Calphurnio Coſſ. Numantini diu concluſi & fame trucidati, deditionem ſui obtulerunt, ſi tolerabilia iuberentur. Sed cum Scipio veram & ſine exceptione victoriam vellet, neque iuſtæ pugnæ facultatem daret, vt tanquam viris mori liceret, tandem repleti carne ſemicruda & celia (ea erat ex frumento potio à calefaciendo ſic dicta) duabus

duabus portis eruperunt,& atrox certamen atque vsque ad periculum Romanorum ediderunt. Ex eo prælio compositis ordinibus, nec sicut fugientes, in vrbem reuersi, postremo destinata morte, clausam vrbem ipsi introrsum succenderunt, cunctique pariter ferro, veneno, atque igne consumpti sunt. Ita Numantia quæ per annos quatuordecim sola quatuor millibus Celtiberorum, quadraginta Romanorum millia non solum sustinuit, sed etiam vicit, pudendisq; fœderibus affecit, oppressa nullum de se gaudium hosti reliquit. Vnus enim vir Numantinus non fuit qui in catenis duceretur, neq; vnde triumphũ dederit, Roma vidit. Præda, vt de pauperibus, nulla, arma & vestes ignis absumpsit, triumphus tantum fuit de nomine, imo Romani se magis euasisse, quam vicisse Numantinos dixerunt. Ex L. Floro, & Paulo Orosio. Erat Numantia vrbs in modico colle sita, non procul ab amne Durio, sine muro ac turribus, vt ait L. Florus, quamuis Paulus Orosius muros habuisse dicat. Erat prope vrbem, quæ nunc appellatur Soria. Multi affirmant fuisse Zamoram, quod quam falsum sit, Plinius ostendit, qui ortum Durii fluuii circa Numantiam ponit. Illud quoq; non abs re videtur admonere, nonnullos etiam celebres eruditione viros, loco Pomponii Melę male distincto, sed peius intellecto falsos, Numantiam dixisse, & in prælectionibus suis exposuisse Cæsaraugustam. Locus Pomponii Melæ lib. 2. cap. 6. sic habet: In Tarraconensi clarissimæ fuerunt Pallantia & Numantia, nunc est Cæsaraugusta. Dicit Pomponius, Cæsaraugustam suo tempore clarissimam fuisse Tarraconensis mediterraneæ vrbem, quemadmodum olim Numantia fuerat, non quod quæ olim Numantia dicta esset, tunc diceretur Cæsaraugusta. *Ab vrb. con.*

P. Popilio & P. Sulpitio Coss. Scipio, cum deleta Numantia per cæteras Hispaniæ gentes pacem componeret, Tiresum quendam Celticum principem consuluit, qua ope Numantia aut prius inuicta durasset, aut post fuisset euersa. Tiresus respondit, Concordia inuicta, discordia exitio fuit. Paulus Orosius lib. 5. c. 8. *622.*

Q. Cæcilio Metello & T. Quintio Coss. Q. Metellus Cos. Baleares insulas quas Græci Gymnesias, hodie Hispani Maioricam & Minoricam appellant, bello peruagatus edomuit, & piraticam infestationem quæ ab iisdem tunc exoriebatur, plurima incolarum cęde compressit. Paulus Orosius lib. 5. c. 13. *631.*

Hoc anno aut circiter, quantum ex Plutarcho in vita Marii colligere licet, C. Marius, is qui postea septies Consul fuit, Prætor vlterioris Hispaniæ, prouinciam latrociniis repurgauit, atque effecit vt prædari non amplius honestum putarent. *640.*

P. Attilio, vel (secundum Cassiodorum) Rutilio & C. Manilio Coss. exercitus Romanus à Lusitanis cæsus. Iulius Obsequens. *649.*

C. Mario III. & C. Fl. Fimbria Coss. Cimbri vastatis omnibus quæ circa Rhodanum & Pyrenæum sunt, per saltum in Hispaniam transgressi, ibique multa loca populati, à Celtiberis fugati sunt, reuersiq; in Galliam, bellicosis Theutonis se iunxerũt. L. Florus lib. 67. *651.*

C. Mario IIII. & Q. Luctatio Coss. Lusitanis deuictis, Hispania vlterior pacata fuit. Iulius Obsequens. *652.*

M. Antonio & A. Posthumio Coss. Lusitani rebellantes subacti. Iulius Obsequens. Idẽ ait, eodem anno parum prospere in Lusitania à Romanis pugnatũ. Eodem anno L. Cornelius Dolabella Proconsul triumphauit ex Hispania vlteriore de Lusitanis, 5. Kalend. Februarias, vt patet ex quinta tabula virorum triumphalium. Porro hunc in catalogo Consulum non inuenio: proinde aut Prætorem aut Proconsulari imperio missum arbitror. Nam superius admonuimus T. Liuium sine discrimine eosdem nunc Prætores, nunc Proconsules appellare. *655.*

Q. Metello & T. Didio Coss. Hispani variis præliis deuicti. Iulius Obsequens. *656.*

Cn. Cornelio Lentulo, & P. Licinio Crasso Coss. Celtiberi subacti. Idem. *657.*

T. Didius Proconsul ex Hispania triumphauit de Celtiberis, 4. Idus Iunias. P. Licinius Crassus Proconsul triumphum egit de Lusitanis, pridie Idus Iunias. Ex quinta tabula virorum triumphalium. Huius Crassi meminit & Asconius Pedianus. Ex his apparet, hoc quoque tempore in Hispania duos fuisse exercitus Consulares, & T. Didio per quatuor annos, P. Crasso per tres fuisse prorogatum imperium. Sub hoc T. Didio tribunus militũ fuit Sertorius, vt ait Plutarchus in vita eius. Eodem anno Hispaniæ principes qui rebellabant, per Nasicam supplicio consumpti, dirutis vrbibus. Iulius Obsequens. *660.*

L. Cinna II. & C. Mario VII. Coss. M. Crassus quum videret patrem & fratrem à Cinna & Mario occisos, idem periculum metuens, tribus tantum comitibus & decem seruis assumptis, quanta maxima potuit celeritate, in Hispaniam contendit, vbi olim sub *668.*

Ab vrb.con. patre Imperatore militans, permultos amicos sibi comparauerat, atque in agro quodam maritimo, in spelunca quadam latitauit. vbi quanta fide ac benignitate habitus à Vibio Paciaco, cuius ager ille erat, qui scire volet, Plutarchum in vita eius consulat. Latuit ibi menses octo, donec de morte Cinnæ nuncium accepit.

673. Q. Sertorius, vir summæ quidē, sed calamitosæ virtutis, vt inquit L. Florus, quum Marianarum esset partium, Syllam fugiens in Hispaniam se contulit. inde cum in Africam, & Baleares insulas, atque ipsas etiam Fortunatas penetrasset, reuersus in Hispaniam, delatū à Lusitanis accepit imperium, atque Hispaniam totam armauit, & varios Romanorum duces atq; exercitus, partim per se, partim per duces suos, & præcipue Herculeum Quæstorem vicit ac fudit, ipsum quoque Metellum Pium Proconsulem, virum ætatis suæ amplissimum, in eas angustias redegit, vt L. Lollius ex Narbonensi prouincia auxilio venire cogeretur, Pompeius Magnus Proconsulari imperio cum summa festinatione adiutor Metello mitteretur. Ex L. Floro, Plutarcho, & Orosio.

677. Hoc anno Pompeius missus in Hispaniam, vt colligitur ex Plutarcho in vita Luculli, & epistola ipsius Pompeii ad Senatum, quæ addita est Salustio. Eodem anno, nempe M. Æmilio, & D. Bruto Coss. Didius Lælius Legatus Pompeii aduersus Sertorium, occisus inter pabulatores. Iulius Obsequens.

678. Cn. Octauio & C. Scribonio Coss. exercitus Romani à Sertorio in Hispania cæsi. Idem.

683. Sertorius hostis Metello & Pompeio ita par, vt sæpius victor, adeo grauis Romanis exercitibus imminebat, vt Metellus præmia publice, nec ea mediocria statueret, si quis Sertorium occideret, conatus proditione consequi, quod bello non poterat. Ita Sertorius anno ducatus sui decimo domestica fraude oppressus, à M. Perpenna & aliis coniuratis occisus in conuiuio, bello finem fecit, & Romanis victoriam sine gloria dedit. Omnes Sertorianæ necis conscii partim à Pompeio, partim à Maurusiis interfecti sunt, neque quisquam euasit, præter vnum Aufidium, qui in quadam villa barbara inops inuisusque consenuit. Ex L. Floro lib. 96. & 5. rer. ab vrb. cond. Plutarcho in Sertorio, & Paulo Orosio lib. 5. cap. 23. Hic mihi temperare non possum, quin adscribam Pauli Orosii verba, quæ in singularem Hispaniæ laudem habent ad hunc modum: Fortis fide ac viribus semper Hispania, cum optimos inuictissimosque reges suos ad deditionem reip. dederit, nullū vnquam tyrannorum ab initio vsque in hodiernum diem, vel de se editum misit, vel in se extrinsecus incurrentem viuum potentemve dimisit. Hactenus ille. Hic Sertorius gymnasium in Osca vrbe instituit, in quo nobilium filios, traditis præceptoribus, Græcis ac Latinis literis erudiri curauit. Plutarchus in vita eius. Huic Sertorio Eborenses ciuitatis suæ primordia accepta fuerunt, & aquæ ductum insignem aquę Argenteæ, vt patet ex inscriptione marmoris antiqui: quod se vidisse ac optima fide transcripsisse affirmat Resendius noster, mihique pro suo singulari candore in hanc formam transcriptum dedit.

Q. SERTOR.
HONOREM NOMINIS SVI. ET COH. FORT.
EBORENSVM MVNIC. VET. EMER. VIRTVTIS ERGO.
DON. DON. BELLO CELTIBERICO. DEQVE MANVBIIS.
IN PVBLIC. MVNIC. EIVS VTILITATEM. VRB.
MOENIVIT. EOQVE AQVAM DIVERSEIS IN DVCT.
VNVM CONLECTEIS FONTIB. PERDVCENDAM CVRAV.

Erat in arcu Eboræ, ad portam nouam. Ex qua inscriptione videtur Ebora Sertorio antiquior esse.

684. Sertorio occiso, ciuitates omnes Hispaniæ vltro ac sine mora in deditionem venerunt, duæ tantum restiterunt, Vxama & Calagurris: quarum Vxamam (hodie Osma) Pompeius euertit, Calagurrim Afranius iugi obsidione confectam, atque ad infameis escas miseranda inopia coactam vltima cæde incendioq; deleuit. Ex Paulo Orosio. De qua re vide Valer. Maximum, qui Calagurrim à Pompeio obsessam scribit lib. 7. cap. 6. Cn. Pompeius edomita Hispania & ad triumphum redire festinans, Pompelonem siue Pompeiopolin de nomine suo condidit, vt ex D. Hieronymo contra Vigilantium patet.

685. Q. Metello Cretico & Q. Hortensio Coss. P. Piso Proconsul de Hispania triumphauit. Asconius Pedianus in orat. contra Pison.

690. L. Cæsare & C. Martio Figulo Coss. Cn. Piso adolescens perditus, quia cum Catilina cre-

na creditus est coniurasse ad cædem Senatus faciendam, in Hispaniam à Senatu per honorem legationis ablegatus, dum iniurias facit prouincialibus, occisus est, vt quidam credebant, à Cn. Pompeii clientibus, Pompeio non inuito. Idem in oratione contra Anton. & Catil. Eius rei meminit Suetonius Tranquillus in Cæsare cap.9. qui ait etiam C.Iul. Cæsarem cum Pisone conspirasse, & Pisoni Hispaniam prouinciam ob suspicionem vrbanæ coniurationis vltro extra ordinem datam. Huius rei meminit & Salustius in Catilinaria. *Ab vrb. con.*

Q.Calidius M.Calidii oratoris pater, circa hæc tempora Præturam gessit Hispaniæ. Asconius Pedianus in 2. Act. in Verrem. 692.

Eodem fere tempore, Tubero quidam Prætor fuit vlterioris Hispaniæ, cuius C.Iulius Cæsar Quæstor in ea prouincia fuit, vt autor est Plutarchus in Cæsare. Quo tempore Cæsar Gadibus animaduersa apud Herculis templum Magni Alexandri imagine, ingemuit, quasi pertæsus ignauiam suam, quod nihil dum à se memorabile actum esset in ea ætate, qua iam Alexander orbem terrarum subegisset. Suetonius cap.7. 693.

Q.Metello & L. Afranio Coss. C.Iulius Cæsar Prætor vlteriorem sortitus est Hispaniam: & Tuberonis filium Quæstorem suum creauit. Quo anno Gallecos & Lusitanos Romano subiecit imperio, & bellicis rebus optime constitutis, togatas nihilo deterius in pace disposuit: præcipue vero finiendis debitorum creditorumq; disceptationibus intentus, iussit, vt ex debitorum prouentibus duas quidem creditor parteis singulis annis desumeret, reliqua dominus, quod ad æri alieno satisfecisset, frueretur. Quibus rebus magna sibi parta gloria, quum Romam Comitiis Consularibus rediisset, neque vt per amicos absenti sibi Consulatum petere liceret, impetrare potuisset, Catone præsertim aduersante, omisso triumpho cuius gratia extra vrbem aliquandiu moratus de more fuerat, ad Consulatum ingressus animum adiecit neque id irrito conatu. Suetonius & Plutarchus. Iulius Obsequens ait, hoc anno Lusitanos & Gallecos fuisse deuictos. 694.

C.Iulio Cæsare & M. Calpurnio Bibulo Coss. triumuiratus ille & societas inter Pompeium, Cæsarem, & Crassum coiit, & Cæsar Galliam, Crassus Asiam, Pompeius inuasit Hispaniam, quam postea per legatos administrauit, vt ait Plutarchus in Cæsare & Catone. Ex L. Floro, lib.4. rer. ab vrb. cond. 695.

L. Pisone & A. Gabinio Coss. hoc anno, nempe quo exulauit Cicero, P.Lentulus citeriorem Hispaniam cum imperio obtinuit Prætor, vt ego opinor. Nam sequẽti anno Consul fuit. Ex epistola Ciceronis 9. libri primi. 696.

Cn. Lentulo & L. Philippo Coss. Q. Metellus Nepos Proconsul fuit Hispaniæ, vt ex Plutarcho colligitur in Cæsare. Eodem anno Aquitani aduersus Romanos pugnaturi, missis legatis auxilia & duces ex Hispania accersiuerunt, & eos præcipue duces bello præfecerunt, qui vna cum Sertorio militauerant. Ex commentariis Cæsaris, & Paulo Orosio, lib.6. cap.8. 698.

L.Lentulo & M.Marcello Coss. Pompeius vtramque obtinebat Hispaniam, quas per legatos administrabat. Ii fuere L.Afranius, M.Petreius, & Marcus Varro qui vlteriorem regebat Hispaniam. Contra quos Iulius Cæsar exardescente iam ciuili bello profectus, multis præliis Petreium Afraniumq; superatos composita fœderis pactione dimisit, duas legiones à Marco Varrone recepit, totamque Hispaniam sibi pacificauit, idque quadraginta diebus, postquam in Hispaniam & hostium conspectum venerat. Ex commentariis Cæsaris, Plutarcho, & Paulo Orosio lib.6. cap.15. 705.

C.Iulio Cæsare Cos. & Dictatore, per annos aliquot Hispanias ipsius auspiciis rexere, M.Lepidus Proconsul citeriorem, Q.Cassius vlteriorem. Ex Commentariis Cæsaris, lib. 4. de bello Alexandrino. 706.

Q. Furio & P. Vaticano Coss. quo anno in pugna Pharsalica victus fuit Pompeius, Q. Cassio qui ob insignem auaritiam exosus erat prouinciæ, succedit C.Trebonius, Proconsul factus vlterioris Hispaniæ. Ex iisdem. 708.

C.Iulio Cæsare IIII. & Fabio Maximo Coss. Q.Fabius Cos. triumphauit ex Hispania tertio Idus Octobris, vt patet ex sexta tabula virorum triumphalium. Huius fit mentio in commentariis Cæsaris. Eodem anno Cæsar in Hispaniam contra filios Pompeii qui bellum ibi instaurauerunt, proficiscitur, eosque apud Mundam Bæticæ vrbem vicit, tam ancipiti prælio, vt Cæsar publice testatus sit, sæpe alias se pro victoria, sed tunc pro vita dimicasse. Hæc victoria eodem die parta est, quo Pompeius pater ante annos quatuor bellum gesturus ab vrbe aufugerat. Ex Plutarcho in Cæsare, & Paulo Orosio, libr. 6. cap.16. 710.

712. Q.Pedius M.F.Proconsul hoc anno, vel sequenti, triumphauit ex Hispania Idibus Decembris, vt patet ex tabula sexta virorum triumphalium.

713. M.Lepido & L.Planco Coss. M.Æmilius Lepidus II.IIII.vir R.P. triumphauit ex Hispania. Ibidem.

717. Cn.Domitius Caluinus Proconsul, ex Hispania triumphauit decimo sexto Kalend. Sextiles. Ibidem. Videtur prorogatum illi fuisse imperium. Nam triennio ante Consul fuerat.

719. C.Norbanus Flaccus Proconsul, ex Hispania triumphauit quarto Idus Octob. Ex eadem tabula. Hic quoque triennio ante Consul fuerat.

721. Hoc anno C.Asinius Pollio imperium videtur habuisse vlterioris Hispaniæ, vt patet ex lib.10. epist. famil. Cicer. vbi sunt tres ipsius epistolæ Cordubæ scriptæ.

726. Augusto VI.& M.Agrippa II.Coss. Imperator Augustus parum in Hispania per ducentos annos actum intelligens, si Cantabros atque Astures, fortissimas Hispaniæ gentes, suis vti legibus fineret, aperuit Iani portas, & in Hispanias ipse cum exercitu profectus, eos intra quatuor annos, vel per se, vt Paulus Orosius lib.6.c.21. vel per legatos suos Antistiū, Firmium, & Agrippam, quum ipse in Tarraconis maritimis hybernaret, vt ait L.Florus lib.4.rer.ab vrb.cond. domuit, & legibus ad cultiorem vitæ vsum traductos, in prouinciæ formam redegit, vt autor est Iustinus lib.44. Tunc Augustum apud Tarraconem legati Indorum & Scytharum cum muneribus adierunt, quemadmodum olim Alexandrum Magnum Hispanorum Gallorumque legati apud Babylonem contemplatione pacis adierant. Ex Orosio & L.Floro. Augustus pacata Hispania in Italiam rediturus, milites qui ætatem militarem excedebant, & emeriti erant, in ea prouincia reliquit, concessitque eis vt in Lusitania vrbem conderent, quæ à militibus emeritis Emerita dicta est, ab Augusto Augusta cognominata, hodie seruato vocabulo Merida dicitur. S.Isidorus & Calepinus ex Diomede. Tunc quoque Cæsaraugusta, quæ Salduba prius dicebatur, ab eodem Augusto amplificata nomen accepit, vt annotauit episcopus Gerundensis, & ex Pomponio Mela facile colligitur.

727. C.Augusto Cæsare VI. & M.Agrippa Coss. Sex. Appuleius Proconsul ex Hispania triumphauit 7.Kal.Febr. vt patet ex septima tabula virorum triumphalium.

745. Hoc anno, qui fuit Augusti Cæsaris trigesimus quintus, C.Iulius Hyginus cognomento Polyhistor, Grammaticus insignis claruit, quem Suetonius Hispanum fuisse affirmat, licet aliqui Alexandrinum fuisse velint.

Hæc hactenus de Hispanorum & Romanorum in Hispania rebus gestis, vsque ad Iesu Christi Seruatoris nostri natiuitatem, inuenire magno labore potui, quæ te precor candide lector, vt boni consulas.

Quomodo administrata sit Hispania à Natiuitate Christi vsque ad Gothos: & Catalogus Imperatorum qui imperauerunt Hispaniæ, donec à Gothis occupata est.

CAPVT XIII.

ATQVE ad hunc quidem modum per Consules, Proconsules & Prætores administrata est Hispania, vsque ad natalem Christi salutiferum. Postea quoque eandem fere administratæ Hispaniæ rationem inuenio, prope vsque ad tempora Maximiniani & Diocletiani Imperatorum. Nam & sub Tiberio Cæsare, L.Pisonem citerioris Hispaniæ Prætorem lego apud Cornelium Tacitum, & in ff.tit. de abigeis, Diui Adriani Augusti rescriptum ad Consulem Bæticæ, atque ad l.Corneliam de Sicariis, eundem Imperatorem Ignatii Taurini Proconsulis Bæticæ factum reperio comprobasse. Inuenio & Præsidem Hispaniæ Menium Probum, ff. de interdictis & relegatis: sed hoc nomen generale erat, & ad omnes qui prouincias regebant, quocunque ordine aut titulo censerentur, pertinebat, sicut docetur in titulo de officio præsidis. Strabo autor est, suo tempore (vixit vero temporibus Augusti & Tiberii) Bæticam plebi attributam fuisse, ad quam mitteretur Prætor, qui Legatum haberet & Quæstorem: reliquam Hispaniam Cæsaris fuisse, ad quam duos Legatos mitti solitos, Prætorium, & Consularem: Prætorium, qui alterum secum Legatū habebat, Lusitanis Bæticæ vicinis ad Durium vsque ius dixisse: quod reliquū esset Hispaniæ, Prætori siue Legato Consulari subditum fuisse, haud indignum habenti exercitum, tribus ordinibus ac tribus Legatis instructū, quorum vnus cum duobus ordinibus trans Durium Callaicos, Astures & Cantabros, alius alteram Hispaniæ citerioris maritimam partem, tertius interiorē prouinciam seruabat, & in pace atq; Italica viuendi forma continebat,

nebat, adeò vt etiam togata subinde veste vterentur. Imperatorem in oris maritimis, maximè ad Carthaginem & Tarraconem iurisdictionem agitare solitum, idque præcipue tempore hyberno. Nam æstiuo aliquam prouinciæ partem obire consuesse, intuentem quæ emendationis indigerent. Et hæc quidem tempore Strabonis. Sed posterius, Imperatoribus omnia sibi vendicantibus, prouinciæ quoque ipsorum arbitrio ac nutu administratæ sunt, neque semper eodem modo. Namque Hispania, primis illis Imperatoribus regnantibus, in duas etiam tum diuisa prouincias, postea vna tantum prouincia facta, & per vnũ recta, sed quæ varios haberet legatos & tribunos. Circa tẽpora Maximiniani & Diocletiani per Comites cœpta est regi, quos si abesse prouincia quacunque de causa contingeret, per vicarios regebatur: vt ex variis titulis Codicis Iustiniani constat, vbi reperimus Seuerum Comitem Hispaniæ, tit. de fide instrumentorum, l. 14. & tit. de Seruis fugitiuis, lex est, nempe sexta, Imperatoris Constantini ad Tiberium Comitem Hispaniæ. Qui Tiberius videtur ex vicario factus Comes Hispaniæ. Nam in eodem Codice de Donationibus ante nuptias, lex est eiusdem Imperatoris ad Tiberium vicarium Hispaniæ. Sed & in tit. de acquirenda & retinenda possessione, lex est A A. Arcadii & Honorii, ad Petronium vicarium Hispaniæ. Postremo vero tempore Gothorum, quæ portio Hispaniæ Romanis obtemperabat, per Duces & Præfectos administrata est: quanquã ea sane perexigua pars erat, nimirum maritima Carthaginensis prouinciȩ, & Cantabriæ atque Asturiarum pars, vt ex ipso Chronico constabit. Nunc vero ponamus catalogum eorum Imperatorum qui totius Hispaniæ imperium habuerunt, quorũ merito primus numeratur Augustus, quippe qui primus, deuictis Cantabris & Asturibus, imperiũ totius Hispaniæ Romanis dedit, à quo tempore catalogi nostri initium faciemus.

1 *Octauius Augustus an. 36. nempe à domitis Cantabris & Asturibus.*
2 *Tiberius an. 23.*
3 *Caius Caligula an. 3. men. 10. dies 8. vt ait Suetonius.*
4 *Claudius an. 13. men. 8. dies 20.*
5 *Nero an. 13. men. 8. dies 14.*
6 *Galba men. 7.*
7 *Otho men. 3.*
8 *Vitellius men. 8.*
9 *Vespasianus an. 10. dies 10.*
10 *Titus an. 2. men. 2. dies 20.*
11 *Domitianus an. 15. men. 5.*
12 *Nerua an. 1. men. 4.*
13 *Traianus an. 19. men. 6. Secundum aliquos an 20.*
14 *Adrianus an. 21. Alii tribuunt illi an. 20.*
15 *T. Antoninus Pius an. 23. Bedæ & S. Isidoro an. 22.*
16 *M. Antoninus an. 19. men. 1.*
17 *Commodus an. 13.*
18 *Helius Pertinax men. 6. Aliis tantum 85. dies.*
19 *Seuerus an. 18.*
20 *Antonin. Caracalla an. 6. Bedæ & Isidoro 7.*
21 *Macrinus an. 1. Aliqui addunt men. 2.*
22 *M. Aurelius Antoninus an. 4.*
23 *Alexander an. 13.*
24 *Maximinus an. 3.*
25 *Gordianus an. 6.*
26 *Philippus an. 7. Sulpitio & Isidoro tantum 6.*
27 *Decius an. 1. men. 3.*
28 *Gallus & Volusianus an. 2. men. 4.*
29 *Valerianus & Gallienus an. 15.*
30 *Claudius an. 1. men. 9.*
31 *Aurelianus an. 5. men. 6.*
32 *Tacitus men. 6.*
33 *Probus an. 6. men. 4.*
34 *Carus cum filiis an. 2.*
35 *Diocletianus & Maximinianus an. 20.*
36 *Galerius an. 2.*
37 *Constantinus an. 30. men. 10.*
38 *Constantinus, Constantius, & Constans, an. 24. men. 5. dies 12.*
39 *Iulianus an. 2. men. 8. Isidoro & aliis an. 1. men. 8.*
40 *Iouinianus men. 8.*
41 *Valentinianus & Valens an. 13. men. 5. Aliis an. 14.*
42 *Gratianus cum Valentiniano fratre an. 6.*
43 *Valentinianus cum Theodosio an. 7.*
44 *Theodosius cum filiis an. 3.*
45 *Arcadius cum Honorio an. 13.*
46 *Honorius cum Theodosio fratris filio an. 16. aliis 15.*

Horum anno primo Vandali, Alani, Sueui, tribus annis in Gallia exactis, Hispaniam inuadunt, Romanosque eius possessione exuunt.

De Vandalis, Alanis, & Sueuis.

CAP. XIIII.

VANDALI, Sueui, Alani Scythicæ originis populi, atq; à Gothis pulsi suis sedibus, è patria in Pãnoniam, quam à Constantino acceperunt, inde euocati à Stilicone in Galliam transierunt: è Gallia metu Gothorum in Hispaniam se receperunt, quia post mise-

randam duorum annorum ſtragem tripartito inter ſe diuiſa, Vandali & Sueui Galleciam poſſederunt, Vandali Silingi Bæticam, Alani Luſitaniam & Celtiberiam, quæ ſola in Romanorum permanſerat fide,&Reges habuerunt,eos qui ſequuntur: Sueui Hermericum, Alani Athacem, Vandali Silingi Gundericum. Alani cum Rege ſuo Athace à Romanis, auxiliante Walia Gothorum Rege, ad internecionem pene cæſi, in Gunderici Regis fidem recepti, Sueuis ſe iunxerunt, neque poſtea Regem aut regionem propriam habuerunt. Vandali relicta Hiſpania metu Gothorum, decimo nono anno quam in eam venerant,in Africam conceſſerunt. Ex quo tempore duo in Hiſpania regna fuere, Gothorum & Sueuorum : pars tamen aliqua,nempe Celtiberia,Romanis parebat, quam Gothi paulatim carpentes,tandem imperio ſuo totam adiunxerunt.

De Gothorum & Sueuorum Regibus.

Cap. XV.

GOTHORVM hiſtoriam vſque ad captam ab Alarico vrbem Romam, elegantiſſime pariter atque eruditiſſime redegit in compendium Ioánes Ludouicus Viues, & doctiſſimis ſuis in libros Diui Auguſtini de ciuitate Dei commentariis præpoſuit. Nos ea tãtum hic ponemus, quæ ſunt inſtituto noſtro neceſſaria. Gothos Scythiæ populos eſſe, & eos qui olim Getæ appellati ſunt,apud quos Ouidius exulaſſe ſe ſcribit,multi volũt.In hac opinione ſunt D. Hieronymus in quæſtionibus ſuper Geneſin, Paulus Oroſius libro 1.c. 16.D. Iſidorus,ipſe etiam Claudianus,qui bellum quod Stilico contra Alaricum Gothorum Regem geſſit,Geticum appellat. Sidonius quoque Apollinaris paſſim Gothos Getas appellat. Sunt tamen qui Gothos longiſſime à Getis diſtare contendunt, quippe Sarmatis interiectis & mari Sarmatico ſiue Gothico. Vt vt eſt,hi populi Romanis prouinciis ſæpe graues & infeſti, à multis Romanis Imperatoribus cruentis attriti fuere prœliis, ſed à Cõſtantino Magno tanta clade affecti,vt per multos annos cogerentur agere quietem. Poſtea tempore Valentis Imperatoris, Gothi ab Hunnis, qui & ipſi Scythiæ populi erant, ſed immaniores,ſedibus ſuis pulſi,ſupplices ab Imperatore petierunt,vt liceret ſibi ſtipendiariis Po. Ro. Myſiam citra Danubium flumen incolere, fidem & auxilium ſuum aduerſus reliquorum Scytharum incurſus Po. Ro. polliciti. Qua re impetrata,quum à Lupicino & Maximo,qui Duumuiri diuidundis agris miſſi erant,auare crudeliterque tractaretur,impatientes atque efferati tanta indignitate, cæſis Romanis ducibus & præſidio,Myſiam totam inuadunt, atque in Thraciam proximam tranſeunt, omnia ferro ac flammis late populantes. Quibus Valens Imperator cum iuſto exercitu profectus obuiam, Romanis fuſis fugatiſque ipſe ſaucius, dum fuga ſibi ſalutem quærit,in villula quadam viuus à Gothis iuſto Dei iudicio crematur,vt ſuo loco dicemus. Impetus vero Gothorũ qui iam Byzantium obſidione premebant, Valentiniani Auguſti virtute pauliſper retardatus eſt, vſque dum Theodoſius ex Hiſpania accitus, & conſors factus imperii, ita eos multis prœliis fregit,vt ſupplices pacem petere coegerit.Tandem poſt mortem Theodoſii,à Rufino & Stilicone, qui tutores Arcadio & Honorio relicti, alter ſibi, alter filio imperium quærebant, & ita demum ſe voti compotes fieri poſſe credebant, ſi reipublicæ ſtatum quam maxime turbarent : ab iis, inquam, Gothi in Italiam contra Romanos acciti,magnum vbique terrorem fecerunt. Sed ea quoque re infœliciter cedente,tandem fraude Stiliconis Imperatori detecta,& pactis induciis,Gallias Hiſpaniaſque ad habitandum obtinuerũt,quas Imperator infeſtantibus barbaris aliis,ſe retinere poſſe,deſperabat. Quæ prĕterea de Gothis dicenda erant, ſuis locis referentur. Illud tamen in præſentia omittendum non eſt, quod Gothi morte Regis ſui Hermanarici, qui illis imperauit tempore Cõſtantini Magni, in Oſtrogothos & Veſogothos diuiſi ſunt, hoc eſt Orientales & Occidentales Gothos. Veſogothos Nicephorus Hypogothos appellat. Fuere præterea inter eos duæ illuſtriſſimæ regiæque familiæ : inter Veſogothos Balthi, à moribus ſic vocati, ita enim apud eos appellantur audaces : inter Oſtrogothos vero Amali, ab Amalo ſummo duce & Rege ſic nuncupati. Veſogothi per Italiam in Galliam, inde in Hiſpaniam venere, atque in ea regnum per annos plus minus trecentos octoginta ſex poſſederunt, donec à Mauris pene vſque ad vnum omnes deleti ſunt. Oſtrogothi vero Zenonis Imperatoris tempore in Italia regnare cœperunt. Sed quoniam Sueui per multos annos in Hiſpania diuiſum à Gothis regnum Galleciæ poſſederunt, catalogum Regum vtriuſque gentis ſimul ponemus, initio facto ab Athanarico Gothorum Rege,ſicut ſcriptores omnes Hiſpani faciunt,tametſi primus in Hiſpaniam venerit Athaulphus.

om. Reges Gothorum in Hispania.

9. *Athanaricus an.13.*
2. *Alaricus an.28.*
1. *Athaulphus an.6.*
6. *Sigericus an.1.*
7. *Wallia an.22.*
9. *Theodoredus an.14.*
3. *Thurismundus an.1.*
4. *Theodoricus an.13.*
7. *Euricus an.17.*
4. *Alaricus an.23.*
7. *Gesalaricus an.4.*
11. *Theodoricus Italiæ Rex pro nepote regnat in Hispania an.15.*
6. *Amalaricus an.5.*
1. *Theudius an.17.men.5.*
8. *Theudisclus an.1.*
9. *Aguila an.5.*
4. *Athanagildus an.14.*
Interregnum quinque mensium.
8. *Luiba siue Loyba an.1.*
9. *Leouigildus an.18. Nam duo anni Luibæ Regis illi annumerantur. Hunc Beda Leuuigildũ appellat more Gothorum, qui pro eo ponunt eu. Theudosius pro Theodosius, quod hodie quoque Lusitanis familiare est.*

Reges Sueuorum in Gallecia.

8.
0. *Hermericus an.32.*
8. *Rechila an 7.*
7. *Recciarius an.9.*
0. *Maldra an.3.*
4. *Frumarius an.4.*
Remismundus, qui cum tota gente Ariana hæresi infectus fuit, in quo errore gens illa per annos fere centum perseuerauit, cuius temporis Reges non reperiuntur, quippe indigni, quorum nomina in animis hominum vigerent. *An. dom.*

Theodimirus Catholicus an.6. 563.
Miro an.13. 569.
Eboricus an.2. 582.
Andeca tyrannus 584.
Sueuorum regnum deletum est tempore Leouigildi Gothorum Regis, postquam regnauerunt in Hispania annis centum septuaginta septem, vt autor est D. Isidorus. 585.

Reges Gothorum & Sueuorum.

Recaredus primus Gothorum Regum Catholicus an.15. 586.
Loiba an.2. 601.
Victericus an.7. 603.
Gundemirus siue Gundemarus an.7. 610.
Sisebutus Rex Christianissimus annis octo, mens. sex. 612.
Recaredus, secundum alios mens. 3. secundum alios 7. Constantinus Phrygio dicit, quod anno vno mensibus quinque. 620.
Cintila, qui primus Hispaniæ monarchiam habuit Romanis in totum pulsis 10. 621.
Sisnandus an.5. 631.
Cintila an.6. 636.
Tulcas an.2. 642.
Cindasiunthus an.6. 644.
Reccesiunthus an.24. 650.
Bamba, aliis dictus Wamba. an.8. Aliis an.9. men.1. 672.
Eringius, alias Eruigius an.7. 682.
Egica, alias Egipsa an.15. 689.
Vitiza an.9. 704
Rodericus regnauit an.3. sed duos simul cum Vitiza, vnum tantum per se. Hoc Rege antiquissima Gothorũ nobilitas ab impuris Mauris extincta est. 713.

Catalogus Regum Legionensium & Castellæ, à Pelagio vsque ad tempora nostra.

CAP. XVI.

ACCEPTA tam insigni calamitate, quæ in montes Asturię confugerant Christianorum reliquiæ, Pelagium ex Regio Gothorum sanguine, recuperandæ Hispaniæ diuina clementia seruatum, Regem consalutarunt anno quinto post excidium Hispaniæ, vt in duobus antiquissimis libris inueni, sed qui cladem illam Hispanicam anno domini septingentesimo duodecimo ponunt, secundum Isidorum Pacensem. Igitur regnum Pelagii ab anno septingentesimo decimo sexto auspicabimur. Regnauit igitur

16. 1 *Pelagius an.19. Secundum aliquos 20.*
35. 2 *Fafila filius eius an.2.men.6.*
37. 3 *Alfonsus Catholicus an.19.men.1.die.1.*
56. 4 *Froila an.11.men.5.dies 20. Secundum alios an.13.*
67. 5 *Aurelius, Alfonsi Catholici filius an.6.men.6.*
74. 6 *Silo an.9.men.1.die.1.*
83. 7 *Mauregatus an.5.men.6.*
89. 8 *Veremundus an.3. Secundum alios 2.*
91. 9 *Alfonsus II. cognomento Castus an.41.*
Sed anni Mauregati & Veremundi Alfonso Casto adscribuntur.

10 *Ramirus vel Ranimirus an.6.men.9.* 824.
11 *Ordonius an.10.* 831.
12 *Alfonsus III. cognomento Magnus an.46.* 841.
13 *Garsias an.3.* 887.
14 *Ordonius II. an.8.men.6.* 290.
Hoc tempore Castella per Comites regebatur, quos hic Ordodius interposita fide publica euocatos ad se, necari iussit. Quam perfidiam Castellani inique ferentes, è gente sua iudices duos elegerunt, quorum alter iuri dicundo, alter bellicis rebus præesset. Fuerunt ii, Nunius Rasura, auus Ferdinãdi Gũdisalui Comi-(tis

An.dom. *Latinus Caluus, abauus Roderici à Biuar, qui Cidus dictus est. Alii Flauium Caluum appellant.*

898. 15 *Froila II. an.1. men.2.*

899. 16 *Alfonsus IV. an.5. men.7.*

905. 17 *Ramirus siue Ranimirus II. an.19. men.2.*
Hoc tempore Ferdinandus Gundisaluus rerũ potitus est in Castella, & primus Comes fuit.

924. 18 *Ordonius III. an.5. men.6.*

19 *Ordonius IV. cognomento Malus. Huic nulli dantur anni.*

929. 20 *Sanctius Crassus an.12.*

941. 21 *Ramirus siue Ranimirus III. an.25.*
Huius anno primo mortuus Ferdinandus Gundisaluus, Castellæ Comes, cui successit Garsias Ferdinandus filius.

966. 22 *Veremundus II. an.17.*

983. 23 *Alfonsus V. an.27.*
Huius tempore Regis mortuus est Garsias Ferdinandus, secundus Castellæ Comes, cui successit Sanctius Comes.

1010. 24 *Veremundus III. an.10.*

25 *Hoc R.ge Legionẽsibus imperante, per mortem Sanctii Comitis, dominium Castellæ hæreditario iure ad Sanctium Maiorem Nauarræ Regem, qui Sanctii Comitis filiam vxorem duxerat, translatum est. Is se non Comitem, sed Regem Castellæ scripsit. Atque ab eo tempore Castella regio titulo semper & merito decorata est. Huic regi, quia filius eius Ferdinandus, ipso adhuc superstite, regnauit in Castella, per annos duodecim, nulli hic assignantur anni. Qui cum quatuor haberet filios, Ferdinandum reliquit Castellæ Regem.*

1020. 26 *Occiso Veremundo Ferdinandus Magnus Castellæ Rex, Legionense quoque regnum propter vxorem suam Veremundi sororem (nam ille sine liberis decessit) consequutus est, & regnauit an.40. Quanquam inueni in Chronicis quibusdam perantiquis, quod annis 46. & mensibus. 6.*
Hic sub mortem tribus filiis regna sua diuisit, deditque Sanctio natu maximo regnũ Castellæ, Alfonso regnum Legionis & Asturiarum, Garsiæ regnum Galleciæ cum Portugallia.

1060. 27 *Sanctius II. huius impatiens regnorum diuisionis, altero fratre pulso, altero in vincula coniecto, regna ipsorum occupauit: regnauit sex annos, occisus per fraudem à Vellido proditore.*

1066. 28 *Alfonsus VI. frater Sanctii, an.43. Hic Toletum Christianis restituit.*

29 *Vrraca filia Pegis Alfonsi, cum marito Alfonso Rege Aragonum, an.4. sed ii Alfonso septimo attribuuntur.*

1108. 30 *Alfonsus VII. dictus Imperator Hispaniæ, nepos ex filia Alfonsi VI. an.51.*
Huius morte rursum separatum est regnũ Legionis à regno Castellæ. Nam duos reliquit filios, Sanctium & Ferdinandum. Quorum

1159. 31 *Sanctius III. cognomento Desideratus, fuit Rex Castellæ anno vno.*

32 *Ferdinandus II. Legionis, an.31.* An.d. 1159.

33 *Alfonsus VIII. Sanctii III. filius, regnauit in Castella an.53.* 1160.

34 *Alfonsus IX. Ferdinandi secundi filius, Rex Legionis an.8.* 1190.

35 *Henricus Alfonsi VIII. filius, tegulæ casu occisus apud Palentiam, regnauit in Castella an. 2.* 1214.

36 *Ferdinandus III. Alfonsi IX. filius, vtroque regno Castellæ & Legionis potitus est an. 35. Hic Cordubam & Hispalim Christianis reddidit, & Sanctus habetur, ac multis miraculis clarus.* 1216.
Ab hoc tempore regnum Castellæ & regnum Legionis perpetuo vnita fuerunt.

37 *Alfonsus X. an.32. Hic fuit electus Imperator Romanorum.* 1252.

38 *Sanctius IV. an.11.* 1284.

39 *Ferdinandus IV. an.15. Hic dicitur mortuus dicto sibi die à duobus, quos iniuste iusserat tãquam homicidii reos occidi. Alii morte fatali defunctum asserunt.* 1295.

40 *Alfonsus XI. an.40. Hic potitus est celeberrima illa victoria, auxilio Alfonsi Portugalliæ Regis soceri sui ad flumen Salatum, contra infinitas Barbarorum copias.* 1310.

41 *Petrus cognomento Crudelis, an.19. Hic à fratre Henrico occisus est.* 1350.

42 *Henricus II. an. 10.* 1369.

43 *Ioannes an. 11. Hic dum inconsulte rem gerit, & prudentiorum consilio parere recusat, memorabili victoria fusus est à Lusitanis. tandem Compluti casu equi oppressus fato concessit.* 1379.

44 *Henricus III. an.16. Dictus est Valetudinarius.* 1390.

45 *Ioannes II. an.47.* 1407.

46 *Henricus IV. an.20. men.4. dies 22.* 1454.

47 *Isabella & Ferdinandus V. an.30. Hi Reges vere Catholici, expugnato regno Granatensi, Sarracenos Hispania penitus exterminarunt: Iudæos vel Christum agnoscere, vel regnis suis exulare coegerunt: Mauros quoque qui ex Granatensi bello remanserant, vel ad fidem Christianam reduxerunt, vel Hispania cedere compulerunt: contra eos qui fidem Christo in baptismo datam non seruarent, aut alio quouis modo ab orthodoxa fide aberrarent, sanctæ Inquisitionis officium instituerunt, atque alia quamplurima gesserunt perpetua recordatione dignissima, quæ suis locis declarabuntur. Per hos regnum Aragoniæ, Valentiæ, Siciliæ, ac Neapolitanum cum aliis quæ ad Ferdinandum hæreditaria successione pertinebant, regno Castellæ & Legionis iuncta sunt, & etiam regnũ Granatæ, quod ipsi à Sarracenorum tyrannide vindicauerunt.* 1474.

48 *Philippus Archidux Austriæ Caroli V. Imperatoris* 1504.

lom. *ratoris pater an.2. Hic Comitatum Flandriæ cum reliquis ditionibus regno Castellæ vniuit, & immatura morte præreptus, magnũ sui desiderium omnibus reliquit.*

06. 49 *Rursus Ferdinandus V. Rex Aragonum & vtriusque Siciliæ, regnat in Castella pro Carolo nepote suo, simul cum Ioanna filia sua, Philippi Regis vxore an. 10. Quo temporis interuallo regnum Nauarræ vi bellica expugnatum regnis Castellæ sociauit.*

16. 50 *Carolus Romanorum Imperator, eius nominis quintus, semper Augustus, regnis Castellæ, Legionis, Aragoniæ, Nauarræ, Valentiæ, Granatæ, & reliquis inauguratus, regnat i..m in Hispania trigesimum quintum annum. Quem Dominus Deus ad commune Hispan.. & totius Christianæ Reipub. commodũ per multos annos seruare dignetur incolumẽ, ..l cum Principe Philippo filio, regnorũ ac ditionum omnium successore designato.* An. dom.

Nouẽ supra quadraginta numerauimus Legionis & Castellæ Reges, quorum viginti tres solũ fuerũt Reges Legionis & Asturiarũ: quatuor in Castella sola regnauerũt: reliqui vtroque regno potiti sunt.

Catalogus Regum Nauarræ.

CAP. XVII.

SICVT Christiani, qui à clade illa Hispaniæ miseranda reliqui in montes Asturiarum se contulerant, Pelagium Regem salutauerant: sic qui ad iuga montis Pyrenæi salutis ergo se receperant, Garsiam Ximenium, Gothici generis nobilem virum, communi consilio Regem dixerunt. A quo Reges Nauarræ & Aragoniæ descendunt.

16. 1 *Garsias Ximenius, qui dictus est rex Suprarborum (vulgo Sobrarbe) Hic cum sexcentis equitibus (non n. plures habebat) multas magnasq; in Sarracenos strages edidit, magnamq; Nauarræ partẽ Christianæ religioni restituit. regnauit an. 42.*

58. 2 *Garsias Ennicus, & ipse multis aduersus Mauros felicibus præliis insignis an. 44. Hic se appellauit Regem Pompelonensem, à Pompelone ciuitate quam Mauris ademit.*

02. 3 *Fortunius Garsias an. 13. Hic ducta vxore Galindi, Aragoniæ Comitis filia, Comitatus Aragoniæ titulum accepit.*

15. 4 *Sanctius Garsias an. 20. Hic à Mauris in prælio occisus sine hærede decessit.*

Hic oritur magnus scrupulus ex varietate eorum qui de rebus scripserunt Nauarræ, dum Marinæus Siculus affirmat, Nauarram iterum à Mauris occupatam, in illorum fuisse potestate vsq; ad tempora Caroli Magni, hoc est annum Domini 912. sed Gallorũ annales mortem Caroli Magni ponunt an. 814. vt Marinæi sententia penitus videatur explodenda. Frater Galbertus Fabritius, qui vitas scripsit Regum Aragoniæ, ait inter Sanctium Garsiam & Ennicum Aristam nullum intercessisse tempus. Sed hic rursus sibi non constat, dum Fortunio Garsiæ alibi tribuit an. 20. alibi 13. D. Martinus ab Azpilcueta doctor Nauarrus, & iuris Pontificii in Academia Conimbricensi professor primarius, vir multis nominibus mihi obseruandus, misit ad me catalogum Regum Nauarræ, missum sibi à D. Francisco à Lodosa Nauarro, viro antiquæ nobilitatis & horũ rerum peritissimo, qui in oppido quodam (Pōtem Reginæ appellant) Reges omnes Nauarræ cum suis insignibus in atrio ædium suarum, quas illic extruxit superbissimas, eleganter habet depictos. Is vero in eo Catalogo affirmat, mortuo Sanctio Garsia interregnum fuisse quatuor annorum, dum mitterent, qui decretum adferrẽt summi Pōtificis, & leges quibus vterẽtur Nauarri, regnũ interim administratũ per XII. viros regia potestate & autoritate.

5 *Ennicus Arista vnctus & coronatus Rex, primus appellatus est Rex Nauarræ, & ab eo reliqui omnes. Regnauit an. 31. aliqui tantum dãt illi 20. annos.* 839.

6 *Garsias Ennegus an. 30. secundũ aliquos. Alii nouẽ annos detrahunt, & vnum ac viginti regnasse scribunt, quos ego sequendos arbitror. Hic à Mauris in prælio occisus fuit. Rursus aiũt fuisse interregnum octodecim annorum, dum educaretur Sanctius Auarca, qui exemptus vtero matris à Mauris lancea perfossæ, à nobili quodam fuit educatus. Sed nos nullum annorũ interuallum ponimus. Nam anni huius interregni Sanctio adscribendi sunt, vt constet annorum numerus.* 870.

7 *Sanctius Garcesius Auarca, an. 36. Hic à peronibus, calceamẽti genere, quo puer vtebatur (Hispani Auarcas appellãt) ita cognominat⁹ est.* 891.

8 *Garsias Tremulus, an. 35.* 927.

9 *Sanctius Maior, an. 54.* 962.

10 *Garsias Sanctii Maioris filius, an. 51.* 1018.

11 *Sanctius Garsias, an. 7. secundum opinionem quorundam.* 1069.

12 *Sanctius Ranimirus, an. 18. Fuit hic secũdus Rex Aragonum.* 1076.

13 *Petrus, an. 14. Hic fuit 3. Rex Aragonum.* 1094.

14 *Alfonsus, an. 18. Fuit hic 4. Rex Aragonũ.* 1108.

15 *Garsias Ramirus, siue Ranimirus, an. 25. Mortuus ex casu equi.* 1126.

16 *Sanctius Sapiens, an. 44.* 1151.

17 *Sanctius Fortis, an. 40.* 1195.

18 *Tibaldus, an. 19.* 1235.

An. dom. 19 Tibaldus II. gener S. Lubouici Regis Franciæ,
1254. an. 17. Iacobus Meyerus Theobaldum appellat, & dicit apud Tunetem cũ Isabella, S. Ludouici filia, peste extinctum esse.
1271. 20 Henricus, an. 3.
1274. 21 Philippus Pulcher, qui & Rex Galliæ, an. 36.
1310. 22 Ludouicus Vtinus, Rex etiam Galliæ, an. 9. Nam, vt ait Robertus Gaguinus, viuo patre, per matris obitum coronatus est Pompelone, & appellatus Rex Nauarræ.
1319. 23 Philippus Lõgus, & ipse Rex Galliæ, exclusa filia Ludouici Vtini, ad quam iure hæreditario regnum redibat: atq; ex eo tempore dicunt apud Gallos filias non esse hæredes regni: regnauit an. 6. vel secundũ annales Gallorũ, quinq;.
1325. 24 Carolus Pulcher, Rex etiam Galliæ, an. 6. secundum annales Gallorum.
1331. 25 Philippus II. nomine vxoris suæ Ioãnæ, quæ filia erat Ludouici Vtini, an. 15.
1346. 26 Carolus II. an. 37. Sed hic anno demũ 1350. per mortẽ matris regnare cœpit, vt ex Chronicis Caroli Principis Nauarræ constat.
1386. 27 Carolus III. an. 39.
1425. 28 Ioannes, Ferdinandi Aragonũ Regis filius, & Ferdinãdi Regis Catholici pater, an. 40. cũ hoc regnauit Carolus filius post mortẽ matris, rebellis patri.
29 Gastonus Comes Phoxensis, dies 15. 1479.
30 Phœbus an. 2. Forte vsque ad eum diem sub aliena tutela vixit. 1481.
31 Ioannes Labritensis coronatus est Pompelone. Nam Catharina cũ qua regnum dotale accepit, ad eum vsq; diem sub tutela matris fuerat, vt ex Antonio Nebrissensi apparet. Cui regnum à Rege Ferdinãdo legitimis de causis ademptum est, anno 1512. 1494.
32 Ferdinãdus Rex Catholicus, auus maternus Caroli Imperatoris, an. 4. 1512.
33 Carolus Imperat. semper Augustus, cui Deus Opt. Max. vitam incolumem quam diutissime prorogare dignetur. 1516.

Itaq; tres & triginta fuerunt Nauarræ Reges, quãquam quatuor illi primi non sint dicti reges Nauarræ, sed Suprarborũ & Ripagortiæ. Nauarram, siue, vt alii appellant, Nauariam (vt hoc quoque obiter annotemus) Antonius Nebrissensis à cãporum planicie dictam putat. Nam cãporũ planas areas Hispani Nauas appellant. Hos tempore Gothorum Ruccones appellatos affirmant.

Catalogus Regum Aragoniæ.

Cap. XVIII.

Aragonenses à Tarraconensibus corrupto vocabulo dici, non inerudite opinatur doctissimus Antonius Nebrissensis, neque immerito somnium censet, quod nõnulli de Aragone fluuio, & ara Herculis, ac ludis agonalibus speciose finxerunt. Nam si vocabulum Aragoniæ tam antiquum esset, mirum ni apud antiquos scriptores inueniretur. Inuenio quidem in conciliis & decretis Pontificum epistolam Hormisdę Papę ad Sacratium Aragonum Regem, sed viri eruditi consulti à me, responderunt non satis fidendũ titulis illius libri, alioqui vere aurei. Præterea in antiquis Hispanorum scriptorum monumentis aliqui pro Ruccones legũt Aragones, & pro Aregiam Aragoniam: sed ne hoc quidem tanti est, vt fidem facere debeat. Proinde Antonio Nebrissensi hactenus accedo, cessurus, si quis melius aliquid afferat.

1018. 1 Aragonum primus Rex omniũ calculis numeratur Ranimirus, pietate singulari in nouercam celebris, Sanctii Maioris filius, qui quibus meritis eo regno sit potitus, suo loco dicemus, regnauit an. 40.
1058. 2 Sanctius an. 36. qui fuit etiã Rex Nauarræ.
1094. 3 Petrus, qui fuit & Nauarræ, an. 14. Hic impetrauit ab Vrbano Papa decimas, & ius patronatus, vt vocant, Ecclesiarum Nauarræ.
1108. 4 Alfonsus, Petri frater & hæres, an. 18.
1126. 5 Ranimirus Alfonsi frater, ex monacho Rex, an. 19. vt aiunt. Hic memorabile exemplum edidit in regni sui proceres qui ipsum tãquam monachũ paruipẽdebãt. Sunt qui affirmẽt illum filia sua Raimundo Berẽgario Barcinonis Comiti despõsa, ad institutũ monasticũ rediisse, ac prpterea fortasse numerus annorum non respondet.
1145. 6 Raimundus Berẽgarius decimus Comes Barcinonis, nomine Petronillæ cõiugis suæ obtinuit regnum Aragoniæ, regnauit an. 32. Per hũc Comitatus Barcinonensis iũctus est regno Aragoniæ. Hic quamdiu vixit, Principem se appellauit Aragonum, non Regem: ita enim in conditionibus matrimonii conuenerat.
7 Alfonsus II. secũdus Raimũdi filius, an. 34. 1169.
8 Petrus II. Alfonsi filius, an. 10. tametsi dicũt quod 17. sed numerus annorum nõ respondet. Hic à Papa Innocentio 3. Romæ coronatus est, & priuilegium obtinuit, vt successores sui Cæsaraugustæ coronarentur ab Archiepiscopo Tarraconensi. 1203.
9 Iacobus an. 62. mens. 9. dies 9. Hic Baleares insulas, & regnũ Valentiæ ac Murtiæ à Mauris recepit. Constantinus Phrygio ponit anno 1241. sed fallitur. 1213.
10 Petrus III. an. 9. Hic per mortem Manfredi soceri fuit primus regũ Aragoniæ R. Siciliæ. 1276.
11 Alfonsus III. an. 6. 1286.
12 Iacobus II. an. 35. 1292.

An. dom. 13 Alfonsus IV. cognomento Benignus, an. 8.
1327. 14 Petrus IV. cognomento Ceremoniosus, an. 51. Hic obiit citatus ad tribunal Christi à procuratoribus Ecclesiæ Tarraconensis, cuius patrimonium tyrannice voluit vsurpare. Citatus est autem in sexagesimum diem, atq; ipso vadimonii die obiit. de qua re suo loco copiosius Deo annuente dicemus.
1387. 15 Ioannes, an. 9. men. 4. Hic in venatu subito delapsus equo, seu (vt alii) mula, mortuus est. Alii dicunt lapsu equi oppressum, confracta ceruice, repente expirasse.
1396. 16 Martinus frater Ioannis, cognomento Humanus, an. 14.

17 Ferdinandus cognomento Honestus, frater Henrici Regis Castellæ, cognomento Valetudinarii, an. 5. An. dom. 1410.
18 Alfonsus V. cognomento Magnanimus, Ferdinandi filius, primus Aragoniæ Regum Rex Neapolitanus, an. 42. 1416.
19 Ioannes Nauarræ Rex, frater Alfonsi, & pater Ferdinandi Regis Catholici, an. 20. 1458.
20 Ferdinandus V. Rex Catholicus, an. 37. 1516.
21 Carolus V. Imperator semper Augustus, qui hodie fœliciter regnat, regnabitq; quandiu diuinæ clementiæ placuerit. 1516.
Numerantur hactenus Reges Aragoniæ vnus & viginti.

Catalogus Regum Portugalliæ. CAP. XIX.

PORTVGALLIAM primum dedit Ferdinandus Rex cognomento Magnus, cum titulo regio filio suo Garsiæ, simul cum Gallecia: quem Garsiam, Sãctius frater diuisionem regnorum ægre ferens, bello captum in vincula coniecit, & dominium ipsius inuasit. Sed, occiso Sanctio, Alfonsus rex eius nominis sextus, is qui Toletum à Sarracenorum fœdo dominatu asseruit, fratrum suorũ regnis omnibus potitus, aliquãto post filiam suam Tarasiam Henrico Comiti despondit, eiq; prouinciam Portugalliæ dotalem dedit, cum titulo Comitatus. Erat hic Henricus, vt aiunt Lusitani, Hungarus: vt Castellani, Constantinopolitanus. Sed Iacobus Meyerus, rerum Flandricarum scriptor diligentissimus simul & eruditissimus, Lotharingum fuisse affirmat. Qui Constantinopolitanum asserunt, eo deceptos arbitror, quod cum Bisuntinus fuisse legatur, quæ ciuitas Burgũdiæ Comitatus est metropolitana, olim Lotharingiæ attributa, Byzantinum intelligunt, & Constantinopolitanum faciunt. Nam quæ nunc Constantinopolis dicitur, olim Byzantium appellata fuit. Quin & Sebastianus Munsterus in Cosmographia sua Lotharingũ facit. Hic Henricus fuit Alfonso sexto gratissimus propter insignem probitatẽ & rei militaris industriam, rerumque in Portugallia potitus est vsque ad annum Domini 1112.

1112. 1 Henrico Comiti successit Alfonsus, Henrici filius. Hic ducem Portugalliæ se appellauit, vsus hoc titulo per an. 27. vsq; ad memorabilem illam pugnã in agro Orichiensi cõtra Ismarium & alios quatuor Sarracenorum reges. Quod prælium commissurus, rex ab exercitu salutatus est. indignum enim videbatur, nisi rex aduersus tot reges bellum iniret. Regnauit postea annos 46. Hic totam fere Portugalliam, quanta nunc est, à Sarracenorum tyrannide liberauit. Reliqua suo loco.
1185. 2 Sanctius Alfonsi filius, an. 26. Hic quoque multis rebus aduersus Mauros præclare gestis celebratur.
1211. 3 Alfonsus II. an. 12. & hic multa præclara facinora in Mauros edidit.
1223. 4 Sanctius II. an. 26. Sed duobus postremis rexit pro illo Portugalliam Alfonsus Comes Bononiensis, frater ipsius, iussu Innocentii IIII. summi Põtificis, apud quem Sanctius delatus fuit, quod animo esset nimis omisso in administratione regni.
1247. 5 Alfonsus III. Comes Bononiensis, & ex administratore rex Portugalliæ, an. 32. Hic ducta vxore Beatrice, filia Alfonsi X. regis Castellæ, regnum Algarbiorum in dotem accepit.
1279. 6 Dionysius, an. 46. Hic agricolas appellauit neruos Reipublicæ & 44. oppida Portugalliæ partim instaurauit, partim à fundamẽtis extruxit.
7 Alfonsus IIII. an. 31. Hic interfuit illi memorabili prælio cum Alfonso XI. rege Castellæ, genero suo, quod gestũ est contra Allibohacen regem Marrochiorum & de Benamarin, atq; alios 4. reges, in quo desiderata sunt quadringenta quinquaginta Sarracenorum millia, Christiani milites tantum viginti. 1325.
8 Petrus. an. 10. men. 7. dies 18. Hic procuratores & causidicos è regno sustulit: acerrimus fuit scelerũ vindex: dixit regem, quo die nulli benefecerit, regio nomine indignum. 1357.
9 Ferdinandus, an. 16. men. 9. 1367.
10 Ioannes filius regis Petri, sed illegitimus, ex Magistro militiæ ordinis Cisterciensis de Auys, declaratus rex Portugalliæ, auxilio Nonii Aluari Pereira, regnum Portugalliæ à Castellanis iam pene nobiliũ defectione possessum recepit. Regnauit an. 50. & Septam Africæ ciuitatem Mauris ademptam, Lusitanis dedit. 1383.
11 Eduardus, an. 5. Huius ex filia Leonora nepos extitit Maximilianus Augustus. 1433.
12 Alfonsus V. an. 43. Hic primus Africani titulũ meruit, multis magnisq; in Africa victoriis 1438.

An. dom.

potitus, & merito regum omnium dici maximus poterat, nisi inauspicatum coniugium fecisset vltima regni ipsius minus prospera.

1481. *13 Ioannes II. an. 14. men. 2. Rex magnanimus, sed nobilitatem parum habuit propitiam. Huius etiam hodie corpus integrum esse affirmāt qui viderunt, in monasterio Victoriensi, quod vulgo dicitur Bathalha.*

1495. *14 Emanuel, nepos Regis Eduardi ex filio Ferdinando, an. 26. Hic Iudæos & Sarracenos regno suo exterminauit, nisi qui fidē Christianā amplectebantur, & alia plurima gessit memoratu dignissima, quæ suis locis declarabuntur.*

1521. *15 Ioannes III. Hic hodie fœliciter regnat, quietis ac trāquillitatis regni sui studiosissimus, religionis monasticæ instaurator vigilātissimus, studiorū ac bonarū artium fautor benignissimus. Eū cum Catharina cōiuge serenissima, & Ioanne filio Rege designato, quā diutissime regno suo Dominus Deus seruare dignetur incolumem.*

Catalogus episcopatuum Hispaniæ, tempore Romanorum & Gothorum.

CAP. XX.

ENVMERATIS ad hunc modum, quotquot hactenus tota Hispania regnasse leguntur, Regibus, operæprecium mihi facturus videor, si antiquos episcopatus Hispaniæ breuiter recenseam, qui à temporibus Romanorum & Gothorum extiterunt: propterea quod hoc tum gratum lectori, tum etiam vtile futurum censeam restituendis multis locis, qui in antiquis conciliis harum rerum ignorantia leguntur mire deprauati. Laboraui in hac re supra quam quisquam facile credat, neque tamen mihi per omnia satisfeci, propterea quod volumen conciliorum Hispaniæ & decretorū, vt à diuo Isidoro & eius successoribus descriptum fuit, ad manum habere non potui. Nam in editis conciliorum voluminibus ea tantum ex conciliis Hispaniæ leguntur, quæ ad communem ecclesiasticæ disciplinæ institutionem faciebant, resectis iis quæ ad Hispaniam peculiariter pertinebāt. Hæc vero res adeo mihi cordi fuit, vt si vitæ meæ rationes paterentur, non inuitus totam Hispaniam peragraturus fuerim, ad excutiendas ecclesiarum cathedralium & antiquorum monasteriorum bibliothecas. Sed erunt alii fortasse, qui ampliore præditi ocio, prouinciam hanc diligentius obibunt. Interim lector æquus & candidus hunc meum conatum boni consulet. Episcopatus vero, vt ex antiquis conciliis decerpsi, ordine alphabetico ponendos censui. Et primus quidem

ABDERITANVS, pro quo mendose in conciliis impressis Abritanus legitur. Ciuitas est Bæticæ maritima, non procul Charidami promontorio. Aliqui arbitrantur esse eam, quam hodie Almeriam appellant. Gerundensis ait esse eam, quæ hodie Vera dicitur. Sed priorem opinionem plures sequuntur. Episcopatus antiquissimus, cuius primus Episcopus sanctus Ctesipho, beati Iacobi Apostoli discipulus, vt suo loco dicemus.

Accitanus. Acci ciuitas est regni Granatensis, quam hodie appellant Guadix. Huius ciuitatis episcopus fuit S. Torquatus, beati Iacobi apostoli discipulus. Huius quoq; ciuitatis episcopus Camerinus interfuit Concilio Eliberitano, quod tempore Constantini Magni celebratum est. Hic episcopus erat prouinciæ Carthaginensis.

Adensis. Huius fit mentio in tertio concilio Toletano, vbi tamen in margine notatum est, alios codices habere Addianensis. Adebam ponit Ptolemæus in Tarraconensi prouincia non procul Dertosa. Aliud hic nō habeo quod dicam, nisi forte mendosum sit pro Dianiensis.

Agabrensis. in Bætica est Agabra, vulgo Cabra. Nunc non habet episcopum.

Agathensis. Hic est prouinciæ Narbonensis. Nam illius quoq; prouinciæ episcopi ad concilia Toletana conueniebant.

Agragensis. Huius episcopi mentio fit in secundo concilio Toletano, sed qui fuerit, hactenus ignoro. Agram D. Cyprianus in concilio Carthaginensi numerat inter episcopatus Africæ. Nam inde in Hispaniam ad concilia veniebant, præcipue ex prouincia Tingitana. Ego tamen suspicor deprauate Agragensis, pro, Agabrensis, vel potius Agathensis, legi. quod ex subscriptionibus secundi & tertii concilii Toletani poterat astrui, nisi tot anni intercessissent. Nam vtrobique Nibridius subscribit. qui in altero Agarensis, in altero Agathensis dicitur.

Arcobricensis. Arcobricam aliqui in Bætica ponunt, & aiunt esse eam quæ hodie Arcos dicitur, caput ampli Ducatus. Sed Arcobricensis episcopatus in Tarraconensi prouincia erat, in qua etiam Plinius & Ptolemæus Arcobricam ponunt, non procul Bilbili. Et Antoninus Pius inter Segontiam ponit & Bilbilim. Vt hoc credam, adducor concilio Toletano nono, in quo Arcobricensis episcopi mentio fit: quod mihi concilium, vt suo loco dicam, non generale totius Hispaniæ, sed prouinciale Carthaginensis siue Toletanæ pro-

næ prouinciæ fuisse videtur. Præterea, quod in neutro Hispalensi concilio Arcobricensis episcopi mentio fiat. Erat & Arcobricensis Africæ episcopus, vt ex conciliis Carthaginensibus constat.

Asindonensis. Hic in Bætica Hispalensem agnoscebat. Erat autem Asindum, quæ hodie Medina Sidonia dicitur, caput amplissimi Ducatus. Burgensis tamen arbitratur esse quod hodie Xeritium dicitur, quam Gerūdensis Sisaponem dictam arbitratur. Hodie nō est episcopus Asindonensis, sicut nec Arcobricensis. Forte episcopatus ille Gades translatus. Nam episcopum Gaditanum in antiquis commentariis non reperimus.

Astigitanus. Hic quoque in Bætica Hispali suberat, nunc est Archidiaconatus Hispalēsis ecclesiæ, nisi me fallit memoria. Astigi vrbs erat percelebris, & conuentus Po. Ro. hodie quoque non ignobilis, vulgo dicitur Eciia.

Asturicensis. Vulgo Astorga. Hodie quoque dignitatem retinet episcopalem. Tunc Bracarensem agnoscebat.

Auelensis, opinor legendum, Abulensis. Vulgo Auila, ciuitas & episcopatus celebrior, quam vt alicuius declarationis indigeat.

Augustæ. In Sardicensi concilio sic inuenio: Domitianus episcopus ciuitatis Augustæ. Qui concilia edidit, F. Petrus Crabbe Machliniensis, de Hispania intelligit. Sed de qua vrbe intelligatur, non est interpretatu facile. Nam & Bracaram lego Augustam, & Asturicam Augustam, & Plinius ait Setabienses Augustanos appellatos. Ego tamen de Bracara intelligo, quæ peculiari quadam prærogatiua Augusta appellata est, vt ex Plinio constat: presertim quum Florentinus episcopus Emeritæ eidem cōcilio interfuerit.

Auriensis siue Aurisinus, hodie Orensis in Gallecia, tunc Bracarensi parebat, nunc Compostellanum agnoscit.

Ausonensis, Gerundensi est in Cataloniæ principatu, episcopus Vicensis siue Vicquensis.

Auxitanus. Vt ego quidem arbitror, Auxitanus scribitur, pro, Aucitanus. Erat autem Auca ciuitas supra Burgos, circiter viginti millia passuum, in monte Iubeda, qui hodie dicitur Saltus Aucensis, vt autor est Antonius Nebrissensis. Hic erat sedes episcopalis, quæ tempore Alfonsi sexti, eius qui Christianis restituit Toletum, translata est in ciuitatē Burgensem, anno Domini millesimo nonagesimo septimo, autoritate Vrbani II. vt post Gerundensem annotauit F. Alfonsus Venerus. Aucæ vrbis vestigia cum nomine etiam hodie extant. Auxitanus episcopus præsedit, aut saltē primus subscripsit in concilio Eliberitano.

Auzensis Gerundensi idem est, qui Ausonensis, nisi forte scriptū sit Auzensis pro Aucensis. Sic erit idem cum Auxitano.

BARCINONENSIS hodie quoque celebrior est, quam vt aliqua annotatione illustrari possit, ciuitas quæ titulos regum & Imperatorum illustrat.

Bassitanus. Bassetania Plinio regio est Hispaniæ citerioris, in qua est Osca. Huiuscemodi episcopatus hodie non extat. Bassitanus episcopus Eutychianus interfuit concilio Eliberitano.

Bastitanus. Bastetania Resendio est, quæ vulgo dicitur Baza in regno Murciæ. Annotauit quoque Antonius Nebrissensis siue filius suus, in lexico suo Geographico, Bastetanorum mentionem fieri in monumento quod est Carthagini nouæ. Nunc episcopum non habet.

Beterrensis, Galliæ est Narbonensis. Beterras enim non procul Narbona ponit Antoninus Pius.

Bigastrensis. Huius fit mentio in concilio Toletano vndecimo: in margine tamen annotatur alibi Bistargensis, alibi Bigerrensis legi. Quisquis est, videtur fuisse prouinciæ Carthaginensis.

Bigerrensis. Bigerra Petro Antonio Beutero ciuitas est Hispaniæ, quæ hodie dicitur Beiar, caput amplissimi Ducatus, cuius Dux Illustrissimus D. Franciscus à Stuniga ab hinc annis, opinor, quatuor, ex hac vita decessit, vir præter antiquissima nobilitatis stemmata, multis virtutibus & etiam literarum studiis excultus. Cuius olim singularem erga me humanitatem Salmanticæ expertus, nisi grata recordatione colam, merito ingratus audiam.

Bracarensis. Ausonius Poeta qui circa tempora Diui Hieronymi scripsit, in catalogo vrbium illustrium Bracaram, Emeritam, Cordubam, Tarraconem, quatuor præcipuas Hispaniæ ciuitates ponit. vnde colligimns, vsque ad tempora Gothorum, florentissimam fuisse Bracaram, non solum conuentu Romanorum, sed etiam sede metropo-

litana tantæ autoritatis, vt quum S. Turibus Aſturicenſis epiſcopus iuſſu B. Leonis Papæ contra Priſcillianiſtas Synodum totius conuocaſſet Hiſpaniæ, decreta concilii ad Baleonium Bracarenſem miſerint epiſcopum, tanquam quæ cuperent ipſius autoritate confirmari. Hæc etiam hodie cum Toleto de primatu contendit Hiſpaniæ, ob id, opinor, quod cum Toletum in poteſtate eſſet Maurorum, omnes Hiſpaniæ epiſcopi Bracarenſem agnoſcerent, quæ prima metropolitanarum eccleſiarum à Mahometiſtarum tyrannide liberata fuit. Ego certe profeſſionem obedientiæ Mindonienſis, Aſturicenſis, Tudenſis, Lamecenſis, Oliſiponenſis, Zamorenſis, Aurienſis epiſcoporum, Bracarenſi Archiepiſcopo factam vidi, etiam poſt Toletum Sarracenis ademptum, & epiſtolam Alfonſi Hiſpaniæ Imperatoris ad Ioannem Bracarenſem Archiepiſcopum ſuper confirmatione epiſcopi Lucenſis, quum tamen neſcio, an Compoſtella iam ſuum haberet Archiepiſcopum. Bracarenſi ego me ciuitati, propter eximiam gentis humanitatem, qua me per triennium benigniſſime tractauit, & migrantem magno dolore, multiſque lachrymis proſequuta eſt, deuinctiſſimum eſſe libenter profiteor. Illud non prætereundum ſilentio, quod in concilio tertio Toletano reperio duas ſubſcriptiones Bracarenſis epiſcopi, quarũ altera ad hunc habet modũ: *Pantardus ec. ca. Bracarenſis metr. Gallecia pro. epiſcopus, &c.* Altera vero ſic: *Iulianus Bracarenſis ecc. epiſcopus ſubs.* Similiter inuenio duos epiſcopos Emeritenſes, & nonnullarum item aliarum eccleſiarum. De qua re diu multumque cogitanti, hoc mihi venit in mentem, epiſcopos eccleſiarum catholicos à Leouigildo ſedibus ſuis deturbatos in exilium, vt ex ipſis Chronicis & D. Gregorio conſtat, pro iis alios Arianæ hæreſeos defenſores ſubſtitutos: poſtea vero catholicos ex teſtamento & mandato Leouigildi per Recaredum reuocatos, ac ſedibus ſuis reſtitutos: illos qui intruſi fuerant, ſuſpicor, poſtquam cum rege & regina & tota Gothorum nobilitate Arianam hæreſin publice in concilio Toletano abiurauerant, & Catholicæ fidei profeſſioni ſubſcripſerant, quemadmodum ex actis ipſius concilii multos feciſſe certum eſt, in gratiam & epiſcoporum catholicorum communionem receptos, nomen retinuiſſe epiſcopi, & legitimis epiſcopis ſucceſſores deſignatos. Quod vt ita credam, quarti concilii Toletani autoritate ducor, in quo Iulianus, qui in tertio, titulo Bracarenſis epiſcopi ſubſcripſit, iam metropolitanum epiſcopum Bracarenſem ſe appellat. Illud quoque manifeſtius, quod in tertio concilio Toletano, Beccila Lucenſis epiſcopus qui inter abiuratores epiſcopos nomen ſuum profitetur, poſtea in eodem concilio inter Catholicos actis & conſtitutionibus concilii ſubſcribit, quum tamen prius Pantardus Bracarenſis Eccleſiæ metropolitanus epiſcopus, tam pro ſe quam pro fratre ſuo Nitigiſio, ciuitatis Lucenſis epiſcopo, ſubſcribere ſe profiteatur. Idem de aliis intelligendum. Hæc mea eſt de hac re opinio, quæ ſi quibus non probabitur, per me non ſtabit quo minus ſuo quiſque fruatur iudicio.

Britoleenſis. Ciuitas erat in Portugallia Interamni, prope Vianam, quæ dicitur de Camigna, quæ Bracarenſem agnoſcebat metropolitanum epiſcopum. Eius adhuc extare veſtigia mihi affirmauit Reſendius noſter. Illud certe ex Chronicis regis Alfonſi conſtat, quod epiſcopatus Britoleenſis fuerit Tudenſi conterminus.

Britonorum. Britoni Reſendio iidem qui Britoleenſes. Hæc ciuitas poſtea Maurorum tyrannide liberata epiſcopum habuit, qui conſecrationi Eccleſiæ B. Iacobi interfuit, vt patet ex Roderico Archiepiſcopo Toletano. Quando vero fuerit vaſtata, ignoratur.

Cæsaravgvstanvs. Cæſarauguſta à Cæſare Auguſto amplificata, quum prius Salduba vocaretur, autore Plinio lib. 5. cap. 18. Hæc tam copioſo ſanctiſſimorum martyrum ſanguine reſperſa, imo vero ſanctificata eſt, vt venerari magis quam laudare libeat. Epiſcopatus antiquiſſimus, cuius epiſcopum Felicem à ſanctitate & orthodoxa fide laudat D. Cyprianus lib. 1. cap. 5. Huius ciuitatis epiſcopus Valerius interfuit concilio Eliberitano, & Coſtus Sardicenſi. Cæſarauguſta tempore Ioannis XXII. Papæ, metropolitana dignitate merito donata eſt.

Calagurritanus. Calagurris, hodie Calahorra dicitur, ciuitas celeberrima ciue M. Fabio Quintiliano. Nunc epiſcopum habet D. Ioannem Bernardum, virum ob inſignem vitæ integritatem & ſingularem eruditionem, editis iam libris celebrem, ea dignitate multo digniſſimum, mihi olim in aula Iſabellæ Auguſtæ cognitum. Huic quoque ciuitati quidam falſò ciuem adſcribunt ſanctiſſimum Chriſti confeſſorem B. Dominicum, Prædicatorii ordinis autorem, quum ille non Calaguri natus ſit, ſed Calarogæ oppido Oxomenſis diœceſis. Affinitas vocum videtur errori locum dediſſe. Pro Calarogæ, ſciolus quiſpiam in breuiario Romano trium lectionum ſuppoſuiſſe videtur, Calaguræ.

Caliabrenſis. opinor ita mendoſe legi, pro, Colibrienſis, hodie Colimbrienſis ſiue Conimbricenſis dicitur, non tantum eccleſia cathedrali, ſed etiam celeberrima Academia in-

mia inſignis. Illud tamen annotandum, in octauo concilio Toletano vtrunque reperiri, videlicet Colibrienſem ſiue Caliabrenſem, & Conimbricenſem, ad hunc modum: *Celidonius Caliabrenſis epiſcopus*, & paulo poſt, *Siſebertus Conimbricenſis epiſcopus.* Quæ res adiuuat opinionem Reſendii noſtri, qui arbitratur Colibriam eſſe, quæ hodie Conimbrica dicitur, quam & D. Iſidorus Colibriam appellat: Conimbricam vero, quæ hodie Condexa vetus, nihil habens præter antiquitatis veſtigia. De qua re ipſe Reſendius aliquando latius in antiquitatibus Luſitaniæ.

Carcaſſonenſis, in prouincia eſt Narbonenſi.

Carthaginenſis. Hæc vſq; ad tempora Gothorum præcipua ſedes fuit Hiſpaniæ, vt ſuo loco latius dicemus. Hodie nomen & dignitatem retinet epiſcopalem.

Caſtulonenſis. Caſtulo ciuitas erat Hiſpaniæ primaria, cuius epiſcopus Annianus Sardicenſi interfuit concilio, Hodie oppidum ignobile, dicitur Calſona, & ſeruat antiquitatis ſuæ veſtigia, ſed epiſcopo caret.

Catraleucenſis. Huius ciuitatis epiſcopus Secundinus concilio interfuit Eliberitano. Catraleuci Ptolemæo ſunt in Luſitania Celtica. Quod præterea dicam, non habeo.

Cauritenſis. Hodie Coria in Luſitania.

Conimbricenſis. De hac ciuitate quæ dicenda erant, in ciuitate Caliabrenſi diximus. Conimbrica olim caput erat regni Portugalliæ.

Complutenſis. Hodie Alcala de Henares, à fluuio Henari ſic dicta, nũc epiſcopum nõ habet, ſed Academiã nobilem & Eccleſiam collegiatã, cuius omnes canonici ſunt Theologi. quod vtinam ſit in aliis Hiſpaniæ ciuitatibus, ſaltem quæ Academias habent. Debet hoc Complutum maximo illi F. Franciſco Ximenio, ordinis D. Franciſci, Cardinali, Archiepiſcopo Toletano, & Hiſpaniæ gubernatori. Sed de Compluto alias Deo adiuuante plura dicemus. Illud tantum non omittendum, errare eos qui Complutum Guadalaiarẽſes eſſe dicunt, quum Guadalaiarenſes prius dicti ſint Carraccenſes. D. Iſidorus Complutum dicit eſſe ſexageſimo milliario à Toleto.

Cordubenſis. Hic epiſcopatus antiquiſſimus eſt, & propter Oſium epiſcopum celebratiſſimus. Ei hodie præeſt D. Leopoldus, Maximiliani Auguſti filius. Corduba Colonia Patritia dicta, & Marcelli ædificium, vt inquit Strabo, ſed cuius Marcelli, hactenus incertum. Ego arbitror illius qui tempore belli ciuilis inter Cæſarem & Pompeium, res in Hiſpania geſſit, de quo in Commentariis Cæſaris. Vt hoc exiſtimem, ea præcipue ratione adducor, quod ante illud tempus nuſquã inueniamus Cordubæ mentionem, quod ego quidem meminerim, niſi apud Silium Italicum libr. 3. de ſecũdo bello Punico, vbi ſic inquit,

Nec decus auriferæ ceſſauit Corduba terræ.

Illud valde miror, T. Liuium in deſcriptione illius belli, cũ multam Bæticarum vrbium mentionem fecerit, tamen Cordubæ non meminiſſe.

Corſicanus. Hic ex Corſica inſula in Hiſpaniam venit ad concilium Eliberitanum, nomine Catonus.

DERTOSANVS. Nomen hodie retinet in Aragonia, ad Iberum fluuium. Adrianus ſextus, ex Decano Louanienſi in epiſcopum Dertoſanum, ex epiſcopo Dertoſano & Cardinali, in ſummum Pontificem aſſumptus. Huius ciuitatis primum epiſcopum S. Rufum, Simonis Cyrenæi filium fuiſſe aiunt, vt ſuo loco dicemus.

Dianienſis, nunc Denia, prouinciæ erat Carthaginenſis, nunc Marchionem habet, epiſcopum non habet.

Dumienſis monaſterii. Sunt qui hunc epiſcopatum fuiſſe arbitrentur eum qui hodie Mindonienſis dicitur, ſed hi tota errant via. Dumienſe monaſterium prope Bracaram erat, cuius eccleſia etiam hodie extat, antiquitatem ſuam referens. Huius monaſterii conditor & primus epiſcopus fuit S. Martinus, quem Bracari adhuc cognominant Dumienſem, vt ex decimo concilio Toletano patet. Huius etiam mentio fit in tertio concilio Toletano. Hoc monaſterium adhuc tempore Gothorum vnitum fuit Bracarenſi Eccleſiæ. Nam in decimo ſexto concilio Toletano ſubſcripſit Fœlix, qui ſe Bracarenſem & Dumienſem epiſcopum appellauit, vt ex libro Canonum annotatum reperi in Roderico Archiepiſcopo Toletano manu ſcripto, cuius mihi copiã fecit sereniſſimus dominus meus Cardinalis & Infans D. Henricus.

EGABRENSIS, idem qui Agabrenſis. Antonius Nebriſſenſis interdum Egabrenſis, interdum Ægabrenſis ſcribit. Tamen in concilio Toletano octauo primum ponitur Selua Egabrenſis epiſcopus, deinde Baucada Agabrenſis epiſcopus, vbi ſuſpicor in altero lo-

co ponẽdum Egarensis, siue Egurensis: nisi eiusdem ecclesiæ duo simul episcopi fuerint, alter re vera, alter titulo tenus, & successor designatus.

Egarensis. Ne Egaram quidem reperio, sed Egurros populos in ea regione Hispaniæ, vbi est hodie Medina, quæ vulgo dicitur de rio seco

Egitanus. Scribendum erat Igæditanus, vt antiqua monumenta declarant. Igædita ciuitas erat Lusitaniæ, nunc vicus obscurus Edania dictus. Episcopalis sedes in Guardiam ciuitatem translata est.

Egobinensis. In concilio Toletano duodecimo reperio Memorium Egobinunsem episcopum, sed quis fuerit, penitus ignoro. Suspicarer esse mẽdum, pro, Segobiensi vel Segobricensi, nisi in eodem concilio vtriusque subscriptio sequeretur. In margine annota- 1
tum est, alias legi Egosensis. Egosam Ptolemæus in Catalonia ponit, nõ procul Gerunda.

Eborensis. Elborensem Romani appellant. Ebora ciuitas est Lusitaniæ celeberrima, & frequenti regum Portugalliæ domicilio nobilissima, cuius episcopatus ex eo videtur antiquissimus, quod B. Mancium Iesu Christi discipulum habuerit primum diuini verbi annunciatorem, &, vt verisimile est, episcopum. Huius etiam ciuitatis episcopus Quintianus Eliberitano concilio interfuit. Anno millesimo quingentesimo quadragesimo Eborensis ecclesia metropolitana facta est, autoritate Pauli III. primusque Archiepiscopus qui nunc præest, multisque annis feliciter præsit, serenissimus Princeps, & Reuerendissimus S. R. E. Cardinalis, Dominus meus, D. Henricus Portugalliæ Infans.

Eliberitanus. Eliberis ciuitas erat populosa & magna, duabus distans leucis à Granata, 2
quin & Granatæ hodie quoq; extat porta Eliberitana. Nam quæ leguntur in libris Hispanis, de nescio qua filia Herculis & nomine Garnatæ, mera videntur nugamenta. In ditione Eliberitana castellum erat Granatæ, quę dicebatur vrbs Iudæorum, quia à Iudæis condita, vt annotauit Rases Sarracenus historiographus Miramolini, Marrochiorũ & Cordubæ regis. Gregorii Eliberitani Bæticæ episcopi meminit D. Hieronymus. Plinius hanc Eliberim appellat, distinguens ab Illiberi, quæ est ad radices montis Pyrenæi prope Veneris templum. Alii vtramque eodem modo Illiberim appellant. Sedes Eliberitana Granatam translata est, quæ & ipsa nunc metropolis est. Quæ præterea dicenda restabant, dicemus in Illiberi.

Eliocrotensis. Eliocrotam reperio in itinerario Antonini Pii, qui ponit eã viginti quin- 3
que millibus passuum à Carthagine Spartaria distãtem, itinere quo à Carthagine itur Castulonem. Huius episcopus Successus interfuit concilio Eliberitano. In aliis cõciliis nullã Eliocrotensis episcopi mentionem inuenio: forte quia tempore Gothorum desiit esse episcopatus, & à Vandalis diruta est Eliocrota, quo tempore Carthaginem euerterunt.

Elnensis. Legendum erat, Helenensis. Helena ciuitas est Galliæ Narbonensis, iuncta Hispaniæ, quam dicitur Helena Constantini Magni mater, vel Constans in honorem auiæ condidisse, vbi Constans mortuus est, vt post D. Hieronymum scribunt Eutropius, & Paulus Orosius libro 7. capite 29. Duabus plus minus leucis abest à Pyrenæis montib. Hodie quoque nomen & dignitatem episcopalem retinet.

Emeritanus. Emerita Augusta à militibus Augusti, vt diximus, emeritis sic dicta, me- 4
tropolis erat totius Lusitaniæ, nunc neque episcopum habet, neque quicquam memorabile, præter ruinas & antiquitatis suæ vestigia. Dignitas metropolitana à Calixto secundo Pontifice Romano Compostellam translata est, de qua re suo loco fusius agemus. Qui affirmant dignitatem hãc ex Emerita Ouetum, ex Oueto Compostellam fuisse translatam, falluntur. Nam neque diplomata Ioãnis octaui Pontificis Romani, quibus autoritas metropolitana Ouetensi ecclesiæ conceditur, neque Calixti secundi, quibus Compostellana ecclesia archiepiscopali sede sublimatur, vllam huius rei mentionem faciunt.

Eminiensis. Plinio teste legendum erat Eumeniensis, tametsi apud Antoninum Pium & Ptolemæum etiam legatur Eminium. Erat autem Eminium, siue Euminium, ciuitas & flumen eiusdem nominis inter Conimbricam & Portugallensem ciuitatem, vt ex Plinio, 5
& clarius ex Antonino Pio constat. Aliqui opinantur, neque inepte, fuisse oppidum illud quod nunc appellatur Agada, situm ad flumen eiusdem nominis.

Ergauicensis. Ergauica vrbs est Aragoniæ, quæ nunc appellatur Alcauniz, sed episcopum non habet.

Gerundensis in Catalonia dignitatem antiquã retinet, sed mutato paululum nomine vulgo Girona dicitur.

Gerabricẽsis, in concilio Toletano octauo legitur, pro quo annotatum est in margine, alias legi, Agiriensis, quam vocem nusquam hactenus reperire potui. Proinde si vera est lectio, scribendum erat, Ierabricensis: quanquam etiam apud Antoninum Pium semel legitur

gitur Gerabrica, forte æque mendoſe. nam poſtea legitur Ierabrica, vt nos legendum dicimus. Erat autem, vt ex Antonino Pio conſtat, Ierabrica inter Oliſiponem & Scalabin. Reſendio videtur fuiſſe, quam nunc Alanqueram vocant: nec abludit Antonini Pii deſcriptio.

HISPALENSIS. Hiſpalis hodie Siuilia dicitur, maieſtatem ac dignitatem antiquam retinet. Quæ de etymologia huius vocis Rodericus Toletanus ex S. Iſidori etymologiis refert, mihi non arrident. Ciuitatem eſſe pervetuſtam non nego, ſed à Iulio Cæſare amplificatam ac nobilitatam, & alii ſcriptores, inter quos etiam S. Iſidorus, teſtantur, & ego ex eo præcipue arbitror, quod apud T. Liuium nulla fiat eius mentio, quum tamen bella deſcribat in Bætica geſta. Hiſpalenſis præſul tempore Hormiſdæ Papæ in Luſitania & Bætica, hoc eſt tota vlteriore Hiſpania, vires habebat Romani Pontificis, ſicut alibi annotauimus.

ILERDENSIS. Ilerda, hodie Lerida dicitur, in regno Aragoniæ ad Sicorim fluuium: ſedem retinet epiſcopalem, & Academiam non ignobilem.

Ilicenſis. Ilice ciuitas Hiſpaniæ Tarraconenſis, ad mare Balearicum ſita, in regno Valentiæ, vnde ſinus Ilicitanus, nunc alii vocari aiunt Alicante, alii Elche, quod magis alludit ad vocabulum antiquum. Epiſcopum iam non habet.

Ilicitanus idem cum Ilicenſi.

Ilipenſis. Ilipa in Bætica erat, cuius Epiſcopus Hiſpalenſem agnoſcebat Archiepiſcopum, vt ex primo concilio Hiſpalenſi apparet, & Hiſpalenſis quoque conuentus erat autore Plinio, ſed quæ fuerit, mihi non conſtat: tametſi nonnulla mihi ſuſpicio eſt, fuiſſe Ilipam, quæ hodie Niebla dicitur. Quã ſuſpicionem ex Archiepiſcopo Toletano concepi lib. 3. cap. 23. apud quem inuenitur aliquoties Elepa. ita enim in codice manu ſcripto legitur, non Elepla, vt habent impreſſi codices, pro quo vocabulo in Chronicis Alfonſi decimi ſemper eſt Niebra. Quod ſi doctis non probabitur, non magnopere contendam.

Illiberitanus. Illiberis ad radices montis Pyrenæi poſita, contra mare Balearicũ, Ptolemæo Eliberis ſiue Eliberi dicta, nunc vulgo Colibre appellatur. Gerundenſis affirmat hic celebratum primum Hiſpaniæ concilium quod Eliberitanum dicitur, ſub Conſtantino Magno. Quanquam alii celebratum contendant Eliberi, quam diximus fuiſſe prope Granatam. Ego tamen hactenus Gerundenſi magis accedo.

Immontinenſis. In Concilio Conſtantinopolitano 150. epiſcoporum, quod ſub B. Damaſo ſummo Pontifice celebratum eſt, ita legitur: *Prouinciæ Hiſpaniæ ſiue Spaniæ* (ita enim ſcribunt Græci) *Agrius Immontinenſis*; & in margine, *alias Laminitanus*. Immontinenſis quis ſit, nuſquam legi, niſi forte legendum ſit Imomontenſis, ſicut Imopyrenæus, de quo mox dicemus. Sed hoc pro diuinatione, non aſſertione haberi velim. Laminitanos ponit Plinius in Carthaginenſi prouincia & conuentu.

Imopyrenæus. In concilio Toletano octauo ſic legitur: *Donus Imopyrenæus epiſcopus.* Hic mihi videtur fuiſſe epiſcopus Rhodenſis. Erat enim Rhoda, de qua alibi diximus, in radice Pyrenæi montis poſita, & epiſcopum olim habuit, vt annotauit epiſcopus Gerundenſis, cui hoc magis credo, quod vir eruditus ea quæ ad ſuam pertinerent diœceſin, accuratius eſſe perſcrutatus videatur.

Impuritanus. Non dubium, quin Emporitanus legendum ſit, ab Emporiis, de quibus iam diximus nunc ad Gerundenſem pertinet diœceſin.

Iugaſtrenſis. In margine alias Iuncarienſis, vel Intercatienſis. De Iugaſtrenſi nihil dum inueni. Iuncaria prope Gerundam erat, nunc redacta ad parui momenti oppidum, vt annotauit Gerundenſis. Intercatia non procul Aſturica ponitur Antonino Pio.

Irienſis. Iria Flauia ciuitas Gallecia maritima, quæ nunc appellatur Padron, ad quam appulit corpus B. Iacobi Apoſtoli. Huius ſedes tempore Alfonſi Caſti tranſlata eſt Compoſtellam, ſub Theodomiro epiſcopo Irienſi viro ſancto, cui diuinitus reuelatum eſt, vbi occultaretur corpus Apoſtoli, vt poſt hiſtoriam Compoſtellanam annotauit F. Alfonſus Venerus, qui ait Iriam à tempore Mironis Regis Sueuorum, quo tempore ſedes illius epiſcopalis inſtituta eſt, vſque ad ſedis trãslationem, quindecim habuiſſe epiſcopos, quorum primus fuerit Andreas vir ſanctus, cuius ſucceſſor Dominicus tertio Toletano interfuit concilio, in quo Ariana hæreſis abdicata eſt.

Italicenſis. Italica, Silii Italici, Traiani Auguſti, Adriani Auguſti patria, prope Hiſpalim erat, vt ex Antonino Pio manifeſtum eſt: nunc ignoratur.

LABRIONENSIS. Legendum opinor, Lambrionenſis. Erat autem Flauia Lambria prope Limiam, in Portugallia Interamni.

Lacobricenſis. Duas innenio Lacobricas, alteram in promontorio Sacro, quod vulgo promontorium D. Vincentii appellatur, cuius nunc ruinæ & antiquorũ ædificiorum veſtigia extant, prope Lagos Algarbiorum vrbem, in vico qui Luſitanica lingua dicitur à Lagoa: alteram ponit Plinius in Vaccæis, & Antoninus Pius XLV. millibus paſſuum à Palentia, in itinere, quo ab Aſturica itur Tarraconem. Sed vtrius harum fuerit dignitas epiſcopalis, quis in tanta rei vetuſtate affirmet?

Lamecenſis. Lameca etiam hodie in Portugallia ad Durium amnem ſedem retinet epiſcopalem.

Legionenſis. Legio Gemina, ſiue (vt aliqui volunt) Germanica, & regni titulo & dignitate cathedrali etiam hodie celebratur. Hæc ſingulari priuilegio iam inde à temporibus Gothorum ſedi tantum Apoſtolicæ ſubiecta, metropolitanum epiſcopum non agnoſcit.

Lotonenſis. Narbonenſis eſt prouinciæ, nunc Lodonenſis dicitur. Pro eodem legitur forte mendoſe in concilio ſexto Toletano Lotenenſis.

Lucenſis. Duos inuenio Lucenſes epiſcopos in tertio concilio Toletano, quorum alter in Gallecíæ prouincia, hodie Lugo dicitur, & Sueuorum tempore metropolitanus erat, vt ex conciliis patet: de altero quid ſentiam, in Bracarenſi declaratum eſt. Chronica Regis Alfonſi Lucenſem in Tarraconenſi ponunt: ſed in Tudenſi, vnde ea ad verbum translata ſunt, pro Luca legitur Auca.

Magalonensis in Narbonenſi eſt prouincia. Huius ciuitatis epiſcopus ſecundo Bracarenſi concilio interfuit.

Malacitanus in Bætica, hodie nomen retinet, Malaga.

Menteſanus. Menteſa in Bætica Reſendio eſt, quæ nunc dicitur Montio, neque abludente vocabulo, & Roderico Archiepiſcopo Toletano propemodum affirmante, dum ait lib. 3. cap. 22. Menteſam fuiſſe prope Giennium. Menteſanus epiſcopus poſtea in Giennenſem translatus eſt. Menteſanus epiſcopus Pardius Eliberitano concilio interfuit.

Narbonensis in Galliis notior, quam vt de eo quicquam dicendum ſit.

Nemauſenſis in Narbonenſi prouincia, hodie Nimes.

Nouienſis. Nouium Ptolemæo in Gallecia ponitur, & ſunt qui arbitrentur eſſe vrbem eam quæ hodie Noya appellatur: ſed an de ea dicatur epiſcopus Nouienſis, penes eruditiores eſto iudicium.

Olisiponensis. De Oliſipone tacere quam pauca dicere ſatius eſt. Ea inter celeberrimas non dico Hiſpaniæ, ſed totius Europæ ciuitates merito nõ poſtremum locum obtinet. Tempore Gothorum Emeritenſi ſuberat eccleſiæ, poſtea Bracarẽſi. Errant qui ſub Hiſpalenſi fuiſſe ſcribunt. Tempore Ioannis Portugalliæ Regis eius nominis primi, ex cathedrali eccleſia facta eſt metropolitana.

Orcelis. In concilio Arelatenſi ſecundo, quod tempore Conſtantini Magni celebratum eſt, in ſubſcriptionibus ita reperio: *Ex Hiſpania ciuitate Orcelis, Naialis, presbyter, Ceterius diaconus.* Eam ciuitatem Ptolemæus in Baſtitanis ponit. Non deſunt qui pro Orcelis, Ocelis ſiue Oceli legendum putent, & de Ocelo Durii, quam Antonius Nebriſſenſis & nonnulli alii Zamoram eſſe ſuſpicantur. Ego iudicium huius rei in medio relinquo.

Oretanus. Oretani in confinio ſunt Tarraconenſis Bæticæ & Luſitaniæ. Vulgo Calatraua. Nunc epiſcopum non habent, ſed conuentum equitum militiæ ordinis Ciſtercienſis, qui cognominatur à Calatraua.

Oſcenſis nomen adhuc retinet & dignitatem in Aragonia. Præter hæc Academiam habet non ignobilem.

Oſſonobenſis. Oſſonoba ciuitas erat in regno Algarbiorum, prope ciuitatem quæ dicitur Pharus. Mauris dicta eſt Exuba. In locum epiſcopi Oſſonobẽſis ſucceſſit Siluenſis. Oſſonobenſis epiſcopus Vincentius interfuit concilio Eliberitano.

Oxomenſis, pro quo perperam aliquoties legitur in conciliis Oxouienſis, nomen & antiquam ſedem retinet. vulgo enim Oſma dicitur. Hæc ciuitas Plinio & Ptolemæo Vxama nominatur.

Pacensis. Pacem Iuliam exiſtimant quidam eſſe eam quæ Badaioz hodie dicitur, & Pacenſis epiſcopatus nomen retinet. ſed vehementer hallucinantur, cũ Pax Iulia proprie ſit in Luſitania, quæ Beia nunc appellatur: quod ex Antonini Pii itinerario clarius eſt, quam vt negari poſſit. Præterea in Chronico quodam perantiquo, cuius mihi copiam fecit Reſendius noſter, reperi Begiam ciuitatem adhuc tempore Maurorum Paccam appellatam. Conuentus etiam erat Romanorum celebris. Nunc quidem ciuitatis nomen

nomen retinet, sed episcopalis sedes simul cum titulo in Badaiocensem ciuitatem translata est. Cui nunc sedi merito præsidet illustrissimus D. Franciscus à Nauarra, non tantum inclyto regum Nauarræ stemmate clarissimus, sed etiam sanctitate vitæ, grauitate, eruditione multa,& omnibus animi corporisque dotibus excultissimus. Alii episcopum Pacensem ab ipso statim initio dictum affirmant à Pace Augusta, vrbe & colonia Romanorum, Anæ fluuio apposita. Nam Pax Augusta Maurorum corruptione in Baxaugus, deinde in Badaxos degenerauit. Quæ vrbs quamquam ex parte Bæticæ apposita est Anę fluuio, tamen quia Lusitanæ iurisdictioni contributa erat à Romanis, idcirco ab eis inter Lusitanas censebatur. Quæ ratio eadem est Metellinensis coloniæ. Horum me admonuit Ioannes Genesius Sepulueda.

Palentinensis. Palentia nihil adhuc de nomine & pristina dignitate mutauit, nisi quod olim Palantia dicta est.

Pampelonensis, seu potius Pompilonensis. Ne Pampelona quidem quicquam ab autoritate & appellatione pristina degenerauit, caput regni Nauarræ, & episcopatus antiquissimus, vt ex iis patebit quæ suo loco de S. Saturnino dicemus.

Placentinus. Placentia quoque hac ætate antiquo nomine & honore censetur.

Portugallensis. Hæc ciuitas ad ostium Durii sita, & amplo portu nobilis ac populosa, tantæ autoritatis, vt non episcopo solum, sed etiam Regibus Portugallię titulum dederit. Ea Antonino Pio, si probe constat lectio, Cale dicitur.

SALMANTICENSIS. De Salmantica diximus alibi. Ea nunc est non solum episcopali dignitate venerabilis, sed etiam plurima nobilitate illustris, & Academia magnificentissima à Ferdinando Rege nominis eius tertio ac sancto instituta, adeo celebris, vt alieni præconii haudquaquam indigeat. Episcopum habet D. Petrum à Castro, inclyto Lusitanorum Regum stemmate clarissimum, sed quem ego non tam natalium splẽdore, quam præstanti sacrarum literarum peritia prædicandum censeo, cuius illum egregia documenta cum in disputationibus publicis, tum in sacris ad populum concionibus præbentem, non sine magna voluptate animi frequenter audiui.

Segobiensis. De Segobia & eius origine alibi diximus. Ea nomen & decus antiquum obtinet, ciuitas lanificio & aquæ ductu visendo nobilis: in qua mihi inter cætera illud in primis adlibuit, quod illic neminem vidi ociosum, neque mendicum, nisi qui per ætatem, aut morbum opus facere non posset. Nulli deest, vnde victum quærat, aut in quo se exerceat: quod vtinam perinde fieret in aliis Hispaniæ ciuitatibus. Antonino Pio Secobia, Plinio Sagouia dicitur, nisi fallor. Ea quoque Præsulem habet D. Gasparem à Cunniga primariæ nobilitatis virum, atque illustris Mirandæ Comitis filium, à Carolo Augusto Salmantica, quum nihil minus vel ambiret vel cogitaret, à publica sacræ Theologiæ professione ad obeundum episcopi munus magno tum vitæ integerrimæ, tum præstantissimæ eruditionis merito vocatum.

Segobricensis. Segobrica in Aragoniæ regno, nunc quoq; episcopum habet, & nonnihil mutato nomine, Segorbia dicitur.

Segontinus. Segontia prope in cõfinio Castellæ & Aragoniæ sita, de nomine antiquo & episcopali sede nihil mutauit. Hanc perperam aliqui Saguntum fuisse dicunt. Quanquam docti nonnulli arbitrantur eam à Saguntinis, post euersionem vrbis suæ eo commigrantibus conditam.

Setabiensis. Setabis, siue (vt in antiquis epitaphiis scribitur) Setabis, in regno Valentiæ, nunc Xatiua dicitur, sed episcopum non habet.

Sibariensis. In concilio Eliberitano inter alios episcopos subscripsit etiam Ianuarius Sibariensis episcopus, in margine alias Salariensis. Sibarim in Hispania nusquam inuenio, neque adduci possum, vt suspicer Sibariensem, pro, Sarabriensem scriptum. Nam Sarabrim alii Zamoram, alii Taurum fuisse volunt, pro quo in Antonino nescio an perperam legitur Sabaria,& verisimile est aliquem in ea regione fuisse episcopatum, cui successerit Zamorẽsis. Salarias duas in Hispania ponit Ptolemæus, alteram in Oretanis non procul Castulone, vt etiam ex Plinio colligitur, alteram in Bastitanis, non longe ab Abula. Reliqua in lectoris iudicio relinquo. Illud tamen addam, tempore concilii Eliberitani aliquot in Hispania fuisse episcopatus, quorum in conciliis tempore Gothorum celebratis nulla reperitur mentio.

Sitalensis, in duodecimo concilio Toletano, vbi in margine alias Sitianensis, alias Sitiensis. Sitia Plinio oppidum est Bæticæ Cordubensis conuentus. Nihil præterea de hac ciuitate legi.

Suffetulensis. Suffetula ciuitas est Africæ, vt ex D. Cypriano, & S. Victore Vitensi

epiſcopo conſtat. Sed apud D. Cyprianum in libris impreſſis mendoſe legitur in concilio Carthaginenſi, Priuatianus à Suficula, pro, Suffetula. Antoninus Pius huius ciuitatis meminit, & dicit abeſſe à Carthagine M. P. CLXXII.

Tabetanus. Hunc quoq; Africanum fuiſſe ſuſpicor ex eo, quod apud D. Cyprianum inter ſubſcriptiones reliquas inuenio: N. à Tabeis.

Tarraconenſis. Tarraco tam celebris fuit priſtinis temporibus, vt nomen ampliſſimę prouinciæ dederit, & conuentum habuerit ampliſſimum: hactenus metropolitanam dignitatem retinet, in regno Aragoniæ ciuitas maritima. Huius eccleſiæ antiquitas ex Prudentio conſtat, qui epiſcopum eius martyrem cum duobus diaconis eleganti hymno celebrat.

Tiraſſonenſis, pro Turiaſſonenſis, vt ex Plinio & Ptolemæo legendum conſtat. Turiaſſo enim ciuitas eſt Aragoniæ, quæ nunc vulgo Tarazona dicitur, non procul à finibus regni Nauarræ: hodie quoque epiſcopum habet.

Toletanus. Toletanæ eccleſiæ antiquitatem, maieſtatem, opulentiam, elegantiam, ſi dicere velim, neſcio hercle an ſatis pro dignitate poſſim. De hac re multi multa ſcripſerunt, nos quoque quædam ſuis locis delibauimus. Illud in præſentia ſatis ſit dixiſſe, Archiepiſcopum Toletanum in Hiſpania, poſt Reges ac Regiam prolem, nulli eſſe neq; dignitate, neque fortunæ amplitudine ſecundum.

Tuccitanus. Tucca in Bætica erat, non procul Caſtulone, vt ex epitaphiis conſtat, quæ vidi apud Andream Reſendium. Plinius ait fuiſſe conuentus Aſtigitani. Nunc quę fuerit, ignoratur, tantum abeſt, vt epiſcopum habeat.

Tudenſis. Tude ſiue Tyde in Gallecia ad Minium amnem ſita, nunc Tuy appellatur, & etiam nunc dignitate cathedrali gaudet.

Tullicenſis. Tullicam Ptolemæus in Hiſpania prope Cantabros ponit, in Autrigonibus, quorum caput Calagurris eſt, vt annotauit Epiſcopus Gerundenſis. Quam tamen Ptolemæus in Vaſconibus ponit.

VALENTINVS. Valentia regni ampli metropolis, & ciuitas ipſa magnificentiſſima, notior eſt, quam de qua dicendum aliquid ſit. Illud tantum animaduerſione dignum, quod in concilio Toletano tertio tres inuenio Valentinos epiſcopos, Wiligiſclum, Celſinum, Murilam. De duobus idem dicendum arbitror, quod de Bracarenſibus & Lucenſibus diximus, quia Wiligiſclus inter epiſcopos abiurantes ſubſcribit. Tertius forte fuit ex Valentia Galliæ.

Valerienſis. Valeria olim dicebatur, quæ nunc Concia, vulgo Cuenca dicitur, & epiſcopus Concienſis dicitur, qui Valerienſis appellabatur.

Vellenſis. Forte Velienſis, nam Veliam Ptolemæus in Autrigonibus ponit prope Bardulos. Bardulia vero dicebatur olim, quæ nunc Caſtella vetus.

Veſcienſis. Veſci oppidum Plinio, ſed & Ptolemæo in regno Granatæ ponitur. In Decretalibus extat epiſtola Innocentii III. ad Archiepiſcopum Tarraconenſem, in qua fit mentio epiſcopi Vicenſis. Sed eum eſſe opinor, qui nunc Vicquenſis dicitur. Nam ciuitas Veſcienſis tunc in poteſtate erat Maurorum. Quæ vero fuerit, mihi nondum conſtat.

Viſenſis ſiue Viſeenſis. Viſeum ciuitas Portugalliæ non ignobilis, dignitatem antiquam & nomen retinet.

Vrcitanus. Vrci oppidum, quantum ex Plinio & Ptolemæo patet, non procul Murcia erat, forte quod nunc appellatur Almeria, & Pomponio Melæ dicitur Vrgi. Alii dicunt eſſe oppidum Aragoniæ in confinibus regni Nauarræ, quod hodie Verga appellatur. Hoc ego potius Virgi appellatum crediderim.

Vrgelitanus, alias Vrgellenſis, in regno Aragoniæ hodie nomen & epiſcopalem ſedem retinet.

Has vſque ad Gothorum in Hiſpania excidium ciuitates epiſcopali ſede inſignes reperire potui, ex quibus quædam in ignobiles vicos redactæ ſunt, & ruinas antiquæ ſuperbiæ tantum oſtentant, præclarum inconſtantiæ rerum humanarum documentum; quædam funditus interierunt, ſcilicet ne nobis caduci homunciones immortalitatem vana ſpe mentiamur, quum etiam præclariſſimæ vrbes ita intercidant, vt ne nomen quidem aut veſtigium vllum ſuperſit.

De re-

De recentioribus Hiſpaniæ epiſcopatibus.

CAPVT XXI.

POST vindicatam à Barbarorum tyrannide Hiſpaniam, partim antiquis ciuitatibus epiſcopalis dignitas reſtituta eſt, partim noui epiſcopatus inſtituti, nimirum qui ſequuntur.

Badaiocenſis, hodie quoque Pacenſis dicitur, mutata tamen ſede, quod alii negant. De qua re ſuperius in Pacenſi latius diximus.

Burgenſis, mutata ſede ex Auca ciuitate antiqua, de qua iam dictum eſt, in Burgẽſem ciuitatem inſignem, & Caſtellæ veteris (hoc eſt Barduliæ) metropolin. Ea nunc epiſcopum habet reuerendiſſimum Cardinalem, D. Franciſcum à Bobadilia, maiorum imaginibus clariſſimum, ſed integritate vitæ, & optimarum diſciplinarum ſtudiis, atque eruditione multa clariorem, cui velut bonarum artium patrono, vitã longiſſimam & omnia proſpera merito ſtudioſi omnes optare debent.

Ciuitatenſis, in confinio Caſtellæ & Portugalliæ. Ciuitatenſium mentio fit in epiſtola decretali Hilarii Papæ, quæ extat priori tomo conciliorum. Sed ex ea non conſtat, quod tum epiſcopum habuerint.

Compoſtellanus. Compoſtella primum villa, deinde municipium, poſtremo ciuitas epiſcopali ſede nobilis, vt ait Paſchalis Pontifex Rom. in diplomate quo illam eccleſiam pallii honore donat. Compoſtellanus epiſcopus Irienſi mutata ſede, ſed retento nomine dictus eſt Irienſis, à tempore Alfonſi Caſti, quo tempore ſanctiſſimũ beati Apoſtoli corpus Theodomiro Irienſi epiſcopo ſanctiſſimæ vitæ viro reuelatum eſt, vſque ad Alfonſum ſextum. Cuius tempore Vrbanus Papa eius nominis ſecundus, anno pontificatus ſui octauo, hoc eſt, anno Domini milleſimo nonageſimo quarto ſiue quinto, precibus Dalmachii ex Cluniacenſi monacho Irienſis epiſcopi, & ſedem & omnia quæcunque Irienſis eccleſiæ fuerant, Compoſtellam tranſtulit, & Compoſtellanũ deinceps appellari, non Irienſem epiſcopum iuſſit. Præterea Compoſtellanam eccleſiam hac prærogatiua donauit, vt quæ ad illud vſque tempus Bracarenſem Archiepiſcopũ agnouerat, nulli in poſterum, præterquam Romano Pontifici, metropolitano ſubeſſet Epiſcopo. Quæ omnia ſucceſſor ipſius Paſchalis, qui Cardinalis adhuc legatus in Hiſpania fuerat, paulo poſt confirmauit, ſimul illud adiecit, vt Cardinales in eccleſia Compoſtellana crearentur. Poſtea quoque anno Domini ſupra milleſimum centeſimo quarto, Præſulem Compoſtellanum pallii honore cumulauit. Poſtremo Calixtus ſecundus, anno Pontificatus ſui ſecundo, & ſalutis noſtræ plus minus, milleſimo centeſimo vigeſimo ſecundo, Compoſtellanam eccleſiam metropolitana dignitate ſublimauit, & in eam omnia Emeritenſis eccleſiæ iura tranſtulit, omneſque illius ſuffraganeos Compoſtellano Archiepiſcopo parere iuſſit. Id quod fecit adductus tum ſingulari ſua in B. Iacobum & Compoſtellanam Eccleſiam pietate, præſertim quod in ea frater ipſius Raimũdus, Toloſæ Comes, Alfonſi VII. pater ſepultus eſſet, tum precib. ipſius Alfonſi Hiſpaniæ Imperatoris, cuius ipſe patruus erat, & olim puerum in ea eccleſia ſacro baptiſmi lauacro tinxerat, atque in Regem vnxerat. Nec his contentus D. Didaco Compoſtellano Archiepiſcopo vices ſuas in Bracarenſi & Emeritenſi prouincia commiſit. Hæc eo accuratius ex hiſtoria Compoſtellana collegi, in qua & Apoſtolicæ de iis rebus literæ deſcriptæ ſunt, quod quæ hactenus ſuper hac re vulgo prodita leguntur, non ſatis mihi videantur autoritatis habere. Habet nunc Compoſtella præſulem Reuerendiſſimum Cardinalem, D. Ioannem à Toleto, ex illuſtriſſima Toletana familia, virum antiquo ſtemmate & multis animi dotibus pręclarum.

Eunenſis. Eunenſem in Aragonẽſi prouincia ponit Marinæus Siculus, ſed eſſe Elnenſem ſiue Helenenſem ſuſpicor, de quo ſuo loco dicemus. Alioqui ingenue fateor, me de Eunenſi epiſcopo nuſquam alibi quicquam legiſſe, atque adeo ne audiſſe quidem.

Gaditanus, à Gadibus inſula celebri, quæ hodie dicitur Calis.

Giennenſis, ex Menteſano nomen & ſedem mutauit, vt diximus.

Granatenſis. De Granatę origine in Eliberitano ſcripſi, quæ in Raſe Miramolini Marrochiorum & Cordubæ Regis hiſtoriographo reperi. Ea igitur ex caſtello nõ admodum celebri eo amplitudinis creuit, vt metropolis ampli & opulenti regni fuerit, quod regib. Barbaris, vt ait Antonius Nebriſſenſis in principio de bello Granatenſi, ſingulis annis decies centena millia ducatorum aureorum pendebat. Eam Reges Catholici Barbarorum tyrannide liberatam, metropolitanam merito fecerunt, fortaſſe Eliberitana ſede illuc translata, ſed pallii iure amplificata. De qua re ſuo loco latius.

Guadicenſis, olim Accitanus, nomen tantum mutauit.

Guardienſis,hodie quoque corrupto vocabulo Egitanenſis dicitur,mutata tamen ſede,vt in Egitano diximus. Hunc epiſcopatum Rex Portugalliæ Ioannes III. in duos diuiſit,Guardienſem & Portalegrenſem,nimirum quod amplior videretur,quam vt ab vno recte adminiſtrari poſſet.

Lerienſis,in Portugallia non procul Conimbrica, epiſcopatus nuper inſtitutus autoritate Pauli III.ſummi Pontificis,præſulem habet perquam Reuerēdum Patrem F. Blaſium, ordinis Diui Hieronymi, virum integritate vitæ omnibus valde commendatum, & ſeuerum monaſticæ obſeruantiæ inſtauratorem.

Mindonienſis,vulgo Mondōnedo in Gallecia. F. Antonius a Gueuara,ciuitatis huius epiſcopus,memoriæ prodidit in epiſtola quadam, ſedem epiſcopalē ex Ribadeo ciuitate Galleciæ translatam in Mindonienſem. Perperam nonnulli Mindonienſem cum Dumienſi confundunt, vt ſuo loco declaratum eſt. In hiſtoria Compoſtellana inuenio epiſcopum Mindonienſem olim etiam Vallibrienſem appellatum.

Mirandenſis. Miranda hæc ciuitas eſt in Portugallia quam appellauimus Tranſmontanam,non procul Brigantia, ad Durium amnem ſita.Eam ante annos,opinor,ſex, Ioannes Portugalliæ Rex epiſcopali ſede donauit, ex autoritate Pauli III. ſummi Pontificis. Primum in ea epiſcopum inſtituit dominum Toribium Lupum , virum ob integritatem vitæ ac prudentiam ſingularem , & alias animi dotes , hoc honore digniſſimum.

Ouetenſis. Hanc eccleſiam Froila , quartus ab Hiſpaniæ recuperatione Rex, ædificaſſe & cathedralem cōſtituiſſe dicitur, quam poſtea Leo Papa tertius rogatu Regis Alfonſi Caſti metropolitanā fecerit: ſed ex hiſtoria Roderici Archiepiſcopi Toletani conſtat, hoc non à Leone III.ſed Ioanne VIII. neque ſub Alfonſo Caſto, ſed Alfonſo Magno factum,vbi etiam ipſum exemplar Apoſtolicarum ſuper ea re literarum extat. Ouetenſis eccleſia ſemper venerabilis extitit, multitudine ſanctiſſimarum reliquiarum, quæ tempore illo miſerabilis excidii ex omni Hiſpania in Aſturias comportatæ, demum in ea eccleſia repoſitæ ſunt,vbi etiam hodie ſumma cum veneratione ſeruantur.De qua re ſuo loco plura dicemus.

Portalegrenſis. Hic epiſcopatus ab hinc biennio inſtitutus à Paulo III. rogatu Ioannis Portugalliæ & Algarbiorum Regis, ex ea Guardienſis epiſcopatus parte quæ trās Tagum longius aberat, quam vt ab vno rite adminiſtrari poſſe videretur. Præſulem habet dominum Iulianum ab Alba, multis magniſque animi dotibus ornatiſſimum, ſed pluribus & maioribus vitæ meritis ſuſpiciendum, denique de cura ouium ſuarum & officio recte faciendo ita ſolicitum,vt verum paſtorem facile agnoſcas.

Syluenſis in regno Algarbiorum, mutata ſede, Oſſonobenſi ſucceſſit, vti iam dictum eſt.

Zamorenſis an alicui ſucceſſerit, in tanta rei antiquitate, non eſt interpreratu facile. Sunt tamen qui affirmant, de nouo inſtitutum epiſcopatum, petente Alfonſo Hiſpaniarum Imperatore, à Calixto ſecundo Romano Pontifice, circa annum Domini milleſimum centeſimum decimum nonum, Pontificatus Calixti anno primo, eaque de re extare inſtrumenta Pontificia & Imperatoria in archiuis illius eccleſiæ. Primum vero Zamorenſem epiſcopum fuiſſe quendam Bernardum Toletanum Canonicum, qui obiit anno Domini milleſimo centeſimo quadrageſimo nono. Succeſſiſſe huic Stephanum virum ſanctum. Aliqui Zamorenſem dixerunt fuiſſe Numantinum epiſcopum. Sed Epiſcopus Numantinus nunquam fuit. Numantia enim multo ante ſalutarem Chriſti natalem diruta, nullo poſt tempore fuit inſtaurata. Atque hæc de epiſcopis Hiſpaniæ.

Poſtremo illud addendum videtur,de primatu Hiſpanię penes quem fuerit,certo decerni non poſſe. Nam in conciliis primum Archiepiſcopi, deinde Epiſcopi ſecundum ordinationis ſuæ tempus ſedebant. quod patet tum ex ipſis conciliorum ſubſcriptionibus, tum ex primi concilii Bracarenſis capite vigeſimo quarto. Sed quantum ex Hiſpanorum annalibus colligi poteſt, primatus Hiſpaniæ primum in Hiſpalenſi fuit eccleſia, deinde Toletana, vſque ad excidium illud Hiſpaniæ funeſtum. Poſtea vero quum Toletum adhuc eſſet in Barbarorum poteſtate, Bracarenſis Archiepiſcopus ea dignitate functus eſt, vt ex iis conſtare poteſt, quæ ex eccleſiæ Bracarenſis archiuis diximus, dum de Bracarenſi præſule loqueremur. Denique reſtituto Chriſtianis Toleto, dum Bracarenſis acquiſitam ſemel dignitatem ſibi vendicat, Toletanus amiſſam poſtliminii iure reperit, contentio inter eos orta eſt, vt ex primo libro Decretalium apparet, & adhuc ſub iudice lis eſt.

Illud quoque obiter dicendum, ne quem offendat, quod in ipſo Chronici curſu frequenter

quenter Toletanum Epiſcopum, Hiſpalenſem Epiſcopum, non Archiepiſcopum, dicimus. Nam rationem illius temporis ſequimur, quo tempore tam Epiſcopi quam Archiepiſcopi, ex æquo vocabantur Epiſcopi, ſed Archiepiſcopi metropolitani cognomine diſtinguebantur. Solus Pontifex Romanus dicebatur Archiepiſcopus, quippe omnium epiſcoporum ſummus & vere princeps: quod ex antiquis conciliis manifeſtum eſt.

De Æra, & quantum differat ab anno natiuitatis Chriſti.

Cap. XXII.

POSTREMO loco dicendum videtur aliquid de Æra, & quot annis prior ſit anno natiuitatis Chriſti. Inter alias deſignandi temporis rationes, Hiſpani præcipue hac vſi ſunt, non ſolum eccleſiaſticis in rebus, verum etiam in ſcripturis prophanis, vt annos per Æras diſtinguerent, quod apud alias nationes non perinde vſitatum fuit. Vnde in conciliis antiquis raro admodum Æram inuenias, præterquam in iis quæ in Hiſpania celebrata ſunt. Quod opinionem Gerundenſis epiſcopi adiuuat, qui ait hanc Auguſti conſtitutionem de orbe deſcribendo, atque ære in tributum dando in Hiſpania Tarracone factam eſſe, multis annis antequam promulgaretur. Quod vt affirmare non audeam, donec aliunde certius mihi conſtet, ita non temere factum arbitror, vt Hiſpani præ cæteris nationibus hoc notandi temporis modo peculiariter vterentur. Sed illud mirum qua autoritate affirmauerit idem, Æram anno Chriſti tantum viginti ſex annis priorem eſſe, & errare eos qui plures addant, quum contrarium omnes, tam qui Latine, quam qui vernaculo ſermone de rebus Hiſpaniæ ſcripſerunt, ſentiant, atque omnes ex æquo annum natiuitatis Chriſti Æra triginta octo annis poſteriorem ponant. Quod duorum grauiſſimorum autoritate ſcriptorum probandum duxi, tametſi res extra controuerſiæ aleam eſſe videatur. In Euſebio Alcobacienſi manu ſcripto, in quarto Auguſti Cæſaris anno, hæc verba in ipſo contextu reperi: *Hoc tempore edicto Auguſti Cæſaris æs in tributum & cenſus dari iubetur, ex quo æra collecta eſt.* Quæ verba in Euſebiis impreſſis, neſcio qua de cauſa, omiſſa ſunt. Igitur quatuor annis ſi addas triginta octo, habebis quadrageſimum ſecundum Auguſti annum: quo anno natus eſt Ieſus Chriſtus mundi ſeruator. Si quis forte tergiuerſetur, & calumniari velit, hanc annotationem eſſe ſuppoſititiam, quod in vulgatis exemplaribus non reperiatur: habeo Diui Iſidori autoritatem, qui aperte dicit in Chron. Gothorum, anno ante Æram conſtitutam duodecimo, pro accipiendo Reipub. imperio, Cn. Pompeium & C. Iul. Cæſarem arma ciuilia commouiſſe. Hoc vero factum eſt L. Paulo & C. Marcello Coſſ. à quibus vſque ad quartum Auguſti annum, Caſſiodorus duodecim annos numerat. Idem S. Iſidorus paulo poſt, primum Valeriani & Gallieni Imperatorum annum, Æra ducẽteſima nonageſima quarta fuiſſe dicit, cui numero ſi octo & triginta detrahas annos, habebis annum domini ducenteſimum quinquageſimum ſextum, quo anno Euſebius eos inauguratos imperio ſcribit. Vnde mihi ſuſpicari libet, Auguſtum Cæſarem iam tum, quum inito Triumuiratu cum Lepido & Antonio imperium orbis, velut cenſum aut hæreditatem paternam, inter ſe partiti ſunt, hoc edictum conſcripſiſſe, quod multis poſt annis promulgauerit, ac forte in Hiſpania tum, quum domitis Cantabris & Aſturibus, vniuerſa Hiſpania tranquilla ac pacata potitus eſt. Cuius edicti quum mentio fiat in Euangelio Luc. 2. & etiam Ioſephi libro Antiquitatum 18. mirum eſt Romanos ſcriptores nihil omnino meminiſſe. Quod vero ab illo edicto hæc deſignandi temporis ratio exorta ſit, præter alios docet S. Iſidorus Etymolog. lib. 5. cap. 36. his verbis: Æra ſingulorum annorum conſtituta eſt à Cæſare Auguſto, quando primum cenſu excogitato, Romanum orbem deſcripſit. Dicta autem Æra, ex eo quod omnis orbis æs reddere profeſſus eſt Reipub. Hactenus ille. Dicta eſt quidem Æra, non tamen inde natum vocabulum, quod multo antiquius eſt. Nam Lucilius Poeta eo vſus eſt ad hunc modum: *Æra numeri ſubducta improbe.* Erat enim Æra, numeri nota in moneta, deſignans quantum valebat. quod poſt Nonium Marcellum, etiã notauit Ambroſius Calepinus. Hæc vero tẽporis per Æras ſignificandi ratio, in Aragonia ſublata eſt à rege Petro eius nominis quarto, anno Domini milleſimo trecenteſimo quinquageſimo octauo, in conuentibus Valentiæ celebratis, vt annotauit Petrus Antonius Beuter: in Caſtella vero, anno milleſimo trecẽteſimo octogeſimo tertio, ab Ioanne Rege eius nominis primo, dum conuentum regni ſui Segobiæ ageret: poſtremo etiam in Portugallia, ab Rege Ioanne primo, poſtquam Septam Africæ vrbẽ munitiſſimam vi bellica Sarracenis ademit, circiter annum domini milleſimum quadringenteſimum decimum quintum. Atque ita communi omnium Hiſpaniæ regum de-

creto cautum eſt, vt in actis publicis anni à natiuitate Chriſti in poſterum perpetuo numerarentur. Poſtquam hæc ſcripſiſſem, admonitus ſum à Ioanne Geneſio Sepulueda, longe aliam eſſe Æræ originem, quam à S. Iſidoro & aliis ſcriptoribus prodita ſit. Cuius de hac re annotationem, quia nõ ſolum ingenioſa, verum etiam erudita mihi viſa eſt, ad verbum hic adſcribendam duxi. Ea habet ad hunc modum. In Auguſti Principis gratiam, Hiſpani non ſolum vrbem ad ripam Iberi amnis Cæſarauguſtam nominarunt, ſed etiam temporum rationem, vt Romani ab vrbe condita, ſic ipſi ab Auguſti Cæſaris principatu repetere conſtituerunt. Manſitque ea conſuetudo ad annum vſque Chriſti nati milleſimum trecenteſimum octogeſimum tertium. Tunc enim lege cautum eſt ab Ioanne primo Caſtellæ Rege, vt deinde anni & tempora à Chriſti natali die, velut à capite, deducerentur, omiſſa Æra Cæſaris. De cuius initio & nomine multa à multis tum veteribus, tum recentioribus falſo tradita ſunt, nec quiſquam quem quidem vel legerim vel audierim, quæſtioni ſatisfecit. Erroris autem origo fuit, quod hæc temporum ratio Æra nuncupata, Chriſti natale triginta octo annis antecedit. at hoc incidiſſe conſtat in quadrageſimum ſecundum annum Auguſti principatus, cuius initium ſcriptorum conſuetudo idem quod Triumuiratus facit. Huius igitur quatuor annorum interualli conſideratio, multorum ex noſtris ingenia torſit, qui cum exitum non inuenirent, in varias & commentitias opiniones, atque adeo mera ſomnia diſceſſerunt, quæ refellere nec huius loci eſt, nec magni negocii, vt ipſi alias pluribus verbis explicuimus. Cæterum non fuerit alienum, quemadmodum mihi omnia diligenter perpendenti, & veterum de temporibus illis monumenta colluſtranti difficultas expediri poſſe viſa eſt, paucis explicare. Sic enim exiſtimo, vt res ipſa docet, veteres Hiſpanos ea ratione gratiam ab Auguſto Cæſare inire molientes, non ab ipſo ſtatim principio Triumuiratus initium huiuſmodi ſupputationis Ærque conſtituiſſe, cum Auguſtus, Antonius, & Lepidus communi cõſilio & auctoritate rem Romanam adminiſtrare cœperunt: ſed ab eo tempore, cum orbe partito, Hiſpania, & Gallia, & reliquæ citra Ionium mare regiones occiduæ, in vnius Auguſti imperium conceſſere, & reliquus orbis ad Orientem Antonio permiſſus eſt, Africa vero attributa Lepido. Quam partitionem factam fuiſſe poſt bellum Peruſinũ, ſtatim poſt Lucii Antonii conſulatum, hoc eſt quarto Triumuiratus anno, qui fuit Hircio & Pãſa Coſſ. & tertio poſt anno, cum Publio Seruilio Lucium Antonium fuiſſe Conſulem, Aurelius Caſſiodorus eſt autor. Æra igitur qua multos annos atque ſæcula, præter aliarum gẽtium conſuetudinem, vſi ſunt Hiſpani, recte, vt eſt, ſic Auguſti Cæſaris nominatur, initiumq; ſumpſit ab anno cum Hiſpaniarum imperium ad ipſum ſolum delatum eſt, qui annus, vt expoſui conſtatque, triceſimus octauus ante natum Chriſtum numeratur. Huius vero vocis Æra, quam noſter Iſidorus, autor alioquin grauiſſimus, & fere poſteri, ad æream monetam & tributum ab Auguſto Cæſare in deſcriptione orbis imperatum referendam falſo putarunt, rationem paucis explicabo. Veteres enim initio (vt equidem pro comperto exploratumq; habeo) ſcripturas claudentes, tempus ad hunc modum adſcribebant: Acta fuerunt hæc, exempli gratia, Cordubæ, pridie Calendas Maii. Annus erat Auguſti Cæſaris centeſimus quinquageſimus. Deinde breuitatis cauſa ſic verba ad annum pertinentia ſignabãt, A. ER. A. CÆS. CL. initia duntaxat verborum punctis diſtincta pro totis verbis notantes, vetuſtiſſimo properantium librariorum more. Et huiuſmodi multa in tabulis æneis & lapidibus olim ſcripta licet animaduertere. Poſtea librariorum tabellionumque temeritate & inſcitia cunctis ablatis, ſcribi cœpit, ÆRA CÆS. & ab aliis magis etiam properantibus ÆRA, duntaxat adhibito numero per notas. Quo errore latius ſerpẽte, quæuis annorum ab aliquo velut capite deducta ratio, primum ab Hiſpanis, deinde à cæteris aſtrologis Æra cœpit nuncupari. Hactenus ille. Poſtea vero rogaui virum doctiſſimum Didacum Neilam Canonicum Salmanticenſem, vti per literas percontaretur Sepuluedam, an aliquam haberet opinionis ſuæ autoritatem. Reſpondit ingenue, vt candidum virum decebat, nullam ſe habere præter coniecturam veriſimilem. Mox Reſendium conſului, ne quid inexploratum relinquerem. Is mihi reſpondit ad hunc modum.

L. Andr. Reſendius Ioanni Vaſæo viro doctiſſimo S.

CIRCITER Cal. Maias Vaſæe literas tuas adcepi, datas nonis Februarii Salmanticæ. Adcepi autem Conimbricæ, quo me Regia auctoritas (ita enim blandiri mihi malo, quam vim adpellare) tranſtulerat, hoc eſt, ab honeſto & quieto otio in negotium turbulentiſſimum, à muſæo in piſtrinũ, vbi ſine vlla intermiſſione ad extremã defatigationem eſt molendum. Nec ſatis ſcio quid conquerar, neq; quid non conquerar, niſi quod

hoc

hoc quidquid est, irato meo genio mihi cōtigisse certo ego scio. Non igitur vacauit, imo ne nunc quidem vacat, postulationi tuæ adcuratius paulo respondere, vti amico amicum par erat, tamen ne nulla ex parte satisfaciam tibi, cui equidem semper ex omni, pro tua in me beneuolētia, studui satisfacere, scito me de Æra nihilo plus cogniti, nihilo plus comperti habere nunc, quam habuerim tunc, quum de ea re præsens mecum egisti. Neque ego de initio eius loquor. Nam satis manifeste adparet, incepisse ex eo tempore, quo ex partitione Triumuirali vtraque Hesperia Octauio cessit, post annos quatuor quam est interfectus C. Cæsar. Loquor autem de origine tantum vocabuli, vnde videlicet Æra nominetur, quæve nominis eius caussa fuerit. Nam quod alii ab ære dando, id est, à censu, qui Augusti indictione soluebatur, Æram nominatam arbitrantur, non admodum probo: multo etiam minus, quod alii ab hero, id est domino, heram dici volunt, quasi dominationem. Commentum autem Genesii Sepuluedæ, quo ex compendio scriptionis A. ER. A. Cæs. id est, annus erat Augusti Cæsaris, fecisse imperitos Ærā Cæsaris, nobis nititur persuadere, fateor, non sine admiratione, propter hominis eruditionem, legi. Libenter enim ab illo quærerem, num literarum illarum compendium existimet scribis tātum fuisse cognitum, quasi esset simile illi Hebræorum elementorum arcano, quod apud ipsos Cabala nominatur, aut hieroglyphicis notis, quib. vetus Ægyptiorum obducta implicataq; erat sapientia, quarum mysteria quum solis essent cognita sacerdotibus, à patribus adcepta quasi per manus posteris proderentur, an magis compendiariam istam formulam etiam in vulgus emanasse arbitretur. Huic parti si, vt doctum facere æquum est, adsentiatur: respondeat, quonam tempore Hispanos autumet in tantam animi, vt ita loquar, supinitatem deuenisse, stantibus ne adhuc in Hispania Romanis rebus, ac vigente imperio, an postea quam conlabi ad Gothorum irruptionem cœpere? Florentibus rebus id fieri nequaquam potuit, quum Latina lingua multum non Romani modo qui in Hispania erant, sed ipsi etiam Hispani vterētur. Ad hæc, quum Hispania primum in prouincias duas, hoc est citeriorem & vlteriorem, deinde in treis, Tarraconēsem, Bæticam, & Lusitaniam esset diuisa, tum deinceps propter magnitudinem diuisa trifariam Tarraconensi, Gallecia facta sit quarta, Carthaginensis vero quinta, vt scribit ad Valentinianum Sextus Rufus, nec ibi finis, sed diuisa quoque Lusitania, sexta numero cœperit esse Vettonia: atque hæ omnes prouinciæ siue consulibus, siue procoss. siue prætoribus, siue proprætoribus, siue præsidibus, siue legatis regerentur: præterea scribis, logistis, tabulariis, tabellionibus, hominibus vel Romanis, vel certe Romanæ linguæ peritis, plenæ essent, etiam vsque ad tempora Maiorani Cæsaris, qui regnare cœpit circiter annum Seruatoris nostri CCCCLXXII. consentaneum profecto non est, ignorasse eos vim harum literarum A. ER. A. Si autem postquam in Hispanias Gothi inuaserūt, id adcidisse dicat, rursus quærerem, subito ne id, an paulatim potius? Subito ac repente extinctam fuisse notitiam illorum verborum quibus tam frequenter in tabulis vterentur, persuaderi ego non possum, nisi me doceat Genesius, lethargo fuisse tum simul correptos Hispanos omneis. Paulatim euenit, inquiet. En rursus eodem luto, in eadem hæremus salebra, vt nimis sane videatur esse mirum, vix centum annorum interuallo, in tantum rem obsoleuisse, vt etiam ad Leandrum illum, ac adeo Isidorum, multæ tum eruditionis tum diligentiæ hominem, vulgatissimus quatuor illarum literarum intellectus minime perueniret, vt concilia vetustissima, nempe Bracarense primum Æra DCX. & Hispalense prius Æra DCXXVIII. celebrata prætermittamus: vt prætermittamus etiam veteres in saxis inscriptiones Æra DX. & DXX. & DL. factas, hoc est, sub Anastasio, & maiore Iustiniano. Sed quid quod sub Arcadio & Honorio circa annū nati Seruatoris CCCC. integris etiā dum, aut certe minima ex parte adcisis in Hispania rebus, Diuus Faustus Regiensis in Gallia episcopus, scriptor satis luculentus, Ære vtitur vocabulo? Quiuis verba priore de Spiritu sancto libro, ita habent: Sacer autem numerus diximus, quia trecenti in Æra siue supputatione, signum crucis: decem & octo vero, Iesu adorandum nomen ostendunt. Quib. ego verbis partim, partim etiam ipsa ratione adducor, vt credam, neque ab ære dādo vocatam Æram, vt putauit Isidorus, neque ab hero heram, vt somniant nonnulli, sed simpliciter à nota numeri, quod Æra, sit nota vel supputatio, vt Faustus interpretatur. Ad quā rationem Alphonsus Hispaniarum Rex suam temporum supputationem Æram adpellarit. Si quis autem roget, satis ne id Latine: respondebo Nonii Marcelli verbis, Æra, inquit, numeri nota. Lucilius libro 29. Hęc est ratio peruersa, Æra numeri subducta improbe. Igitur ab initio, ratio hęc numerandi tempora, ab vsque Augusto cœpta, Æra nominata est. Neque mouere quenquam debet, eius vocabuli vsum apud probatos auctores minime inueniri.

T
IH

Multa renaſcentur, quæ iam cecidere, cadentque
Quæ nunc ſunt in honore vocabula, ſi volet vſus,
Quem penes arbitrium eſt, & vis, & norma loquendi,

Ait Horatius. Meus Vaſæe huc inclinat animus. Sicui aliud placuerit, ſuo fruatur iudicio. Hæc ille. Atque hæc quidem ſunt, quæ de Æra diligenti ſtudio perquiſita inuenire potui. Placuit vero horum ſententiam doctiſſimorum virorum adſcribere, de qua iudicium meum in medio relinquo. Nam vtriuſque ſingulari eruditioni tantum tribuo, vt ab alterutro diſſentire religio mihi ſit. Prudens lector id ſequatur, quod magis ipſi probabitur. Nunc Chronicon ipſum, Deo bene fortunante, aggrediamur.

CHRONICON RERVM HISPANICARVM, A NATIVITATE CHRISTI, VSQVE AD ANNVM MILLESIMVM VIGESIMVM.

1 QVA nocte natus eſt Ieſus Chriſtus, illuxit vniuerſæ Hiſpaniæ nubes candida, tantæ claritatis atque etiam caloris, vt inſtar Solis eſſet meridiani, vt patet ex hiſtoria Regis Alfonſi decimi par. 1. capit. 107. Verum non hoc ſoli contigit Hiſpaniæ, ſiquidem eam noctem omni luce clariorem fuiſſe, ſcribit in ſermone de Natiuitate Chriſti D. Cyprianus, ſiue quiſquis eſt illius autor, qui certe fuiſſe pius & eruditus negari nec poteſt nec debet. Hoc fere tempore floruit Sextilius Hæna poeta Cordubenſis, qui de laude & interitu Marci Tullii carmen compoſuit. Petrus Crinitus lib. de poet. Lat. 3. Quod carmen recitauit in domo Meſſalæ Coruini, vt ait Gregorius Gyraldus lib. 4. hiſt. poet.

16 Primo Tiberii anno, Hiſpanis petentibus permiſſum à Senatu Romano, vt in Tarraconenſi Colonia templum Auguſto ſtrueretur, datumq; in omnes prouincias exēplum. Cornelius Tacitus lib. 3. Tiberius Cæſar Cantabros & vicinas gētes latrocinia exercentes, ab Auguſto oppreſſos, ex Auguſti Cæſaris inſtituto, tribus militum ordinibus impoſitis, non modo pacatos, ſed etiam vrbanis præditos moribus effecit. Strabo libro tertio. Huic Tiberio Principi nunciauit Oliſiponenſium legatio ob id miſſa, viſum auditumq; in quodam ſpecu concha canentem Tritonem, qua noſcitur forma, vt autor eſt Plinius lib. 9. cap. 5. qui ſcribit in eodem litore ſpectatam Nereidem ſquamis hiſpido corpore, etiam qua parte humanam effigiem habet, cuius morientis etiam gannitum triſtem accolas audiuiſſe longe.

24 Anno Tiberii nono, Vibius Serenus Proconſul vlterioris Hiſpaniæ, de vi publica damnatus, ob atrocitatem temporum, in inſulam Amorgum (vna erat ex Cycladibus) deportatur. Cornelius Tacitus lib. 4.

26 Hiſpania vlterior, miſſis ad Senatum legatis, orauit vt exemplo Aſiæ delubrum Tiberio matrique eius extrueret. quod Tiberius illis negauit, elegāti ac modeſta oratione teſtatus, mortalem ſe eſſe, atque hominum officio fungi malle in animis illorum, quā templis coli: tantum hoc à ciuibus & ſociis petere, vt quandocunque conceſſerit, cum laude & bonis recordationibus famam nominis ipſius proſequantur. Idem. Eodem anno agreſtis quidam nationis Termeſtinæ, in Hiſpania citeriori L. Piſonem eius prouinciæ Prætorem, pace incurioſum, ex improuiſo in itinere adortus, vno vulnere in mortem affecit, qui tandem deprehenſus, cum tormentis edere ſocios adigeretur, voce magna ſermone patrio fruſtra ſe interrogari clamitauit: adſiſterent ſocii ac ſpectarent, nullam vim tantam doloris fore, vt veritatem eliceret: idemq; cum poſtero ad quæſtionem retraheretur, eo niſu ſe proripuit cuſtodibus, ſaxoque caput adflixit, vt ſtatim exanimaretur. Piſo Termeſtinorum (Termes oppidum eſt Plinio & Ptolemæo inter Cluniā & Vxamam) dolo cæſus habetur, quia pecunias è publico interceptas acrius, quam tolerarent Barbari, cogebat. Idem.

35 Seruio Galba & L. Sylla Coſſ. Sex. Marius Hiſpanorum ditiſſimus, defertur inceſtaſſe filiam, & ſaxo Tarpeio deiicitur, non dubium, quin magnitudo pecuniæ ei malo verterit. Idem lib. 5.

D. Iaco-

D. Iacobus Apoſtolus filius Zebedæi in Hiſpania prædicauit Euangelium Chriſti, & in tota prouincia nouem duntaxat ad fidem noſtram conuertiſſe dicitur. Quamuis beatus Calixtus in epiſtola tranſlationis ipſius, dicat illum plures habuiſſe diſcipulos, ſed duodecim ſpeciales, quorũ nouem, dum adhuc viueret, in Gallecia elegiſſe. cuius tempore prædicationis in Ciuitate Cæſarauguſta templum Virgini matri dedicauit, ipſius admonitu, (quod vulgo dicitur, *nueſtra ſennora del pilar*) etiam hodie plurimis nobilitatum miraculis, vt Petrus Antonius Beuter Beati Calixti Papæ & aliorum autorum teſtimoniis confirmat. Atque hæc fuit prima Chriſtianorũ toto orbe Eccleſia, vt eſt conſtans à multis retro ſeculis ac perpetua fama & memoria, per quam multa antiquorũ geſta, teſte Magno Baſilio in epiſt. ad Nepot. nobis velut per manus tradita ſunt. Apoſtolus vero, duobus diſcipulis in Hiſpania prædicationis cauſa relictis, cum reliquis in Iudæam rediit. Beatus Calixtus Papa. *An. Dom.* 37

Caius Cæſar Caligula Romanum ſuſcepit imperium, cuius tẽpore Herodes, ſuadente Herodiade inceſta Philippi fratris vxore, pro qua Ioannes Baptiſta occiſus erat, ad petendam Caii amicitiam Romam venit: ſed accuſatus ab Agrippa, Tetrarchiam perdidit, fugienſq; in Hiſpaniam cum Herodiade, mœrore conſumptus eſt, vt autores ſunt Seuerus Sulpitius & Beda. Eodem anno, aut ſaltem ſequenti, natus eſt Cordubæ M. Anneus Lucanus Poeta, patre L. Anneo Mela, Senecæ Philoſophi fratre, matre vero C. Acilia Acilii Lucani Oratoris filia, IIII. Nonas Nouembris, C. Cæſare Auguſto Germanico iterum, & L. Cæſiano Coſſ. Cunas infantis quibus ferebatur, apes circumuolitaſſe, oſq; inſediſſe memoriæ proditum eſt, dulcem & facundum poetam portendentes. Infans octimeſtris Romam delatus eſt. Hæc partim ex Petro Crinito lib. 3. de Poet. Lat. partim ex aliis. Fuere hoc tempore Cordubæ duæ illuſtres familiæ ac nobiles, altera Annea, ex qua plerique inſignes doctrina viri nati ſunt, ab hac Lucanus, Senecæ, & alii Annei dicuntur: altera Acilia, ex qua Acilius Lucanus Orator, Lucani auus paternus, & Acilius Buta vir prætorius. Gregorius Gyraldus lib. 4. hiſt. poet. 39

Anno primo Tiberii Claudi Cæſaris, D. Iacobus Apoſtolus ab Herode Agrippa capite truncatus, vt autor eſt Euſebius in hiſtoria eccleſiaſtica, libri ſecundi, capite nono: quamuis idem in Chronicis dicat decollatum anno trigeſimo ſexto. Occiſus eſt autem vigeſimo quinto die Martii, corpus vero nauigio impoſitum à diſcipulis, appulit in Hiſpaniam octauo calendas Auguſti, quo die præcipuum ipſius feſtum ab eccleſia celebratur, ac depoſitum eſt in petra, cuius durities ceſſit ſancto corpori, in ciuitate quæ olim Iria Flauia, nunc vulgo Padron dicitur. Tandem poſt longas, ſed vanas D. Lupæ & Reguli ſiue Præſidis illius prouinciæ illuſiones, & vtrunque per clariſſima miracula ad fidem Chriſti conuerſum, corpus Apoſtoli à diſcipulis tranſlatum eſt Compoſtellam, atq; ibidem ſepultum tertio Cal. Ianuarias, quo die tranſlatio ipſius tota Hiſpania celebratur. Ita ferme qui de ſanctis Hiſpaniæ ſcripſerunt. Sed ex epiſtola beati Leonis III. Papę conſtat ab iiſdem diſcipulis, à quibus corpus Apoſtoli nocte ſublatum metu Iudæorum, & ab Ioppe naue diuinitus præparata ad Iriam Galleciæ portum delatum eſt, ad prædiũ quoddam quod à dicta vrbe ferme decem & octo millibus paſſuum aberat, deportatum, vbi (inquit B. Leo) nunc veneratur; & in crypta quadam diruto minutatim idolo à paganis conſtructo, ac recluſa tellure conditum eſt facta ſuper domuncula cũ altari, ſed quæ domuncula (vt annotauit L. Andreas Reſendius) creſcẽte indies fide, aucta & locupletata eſt celebri per orbem ſepulchro. Vide Breuiarium Eborenſe nuper à Reſendio recognitum. Sed operæprecium videtur hoc loco ſubiungere, quod de hac re in Hiſtoria compoſtellana reperi. id eſt huiuſmodi. Occidit Herodes Iacobum fratrem Ioannis gladio. Cuius beatiſſimi Apoſtoli corpus venerandum Iudæi maleuolentia & inuidia ducti nec ſepelire voluerunt, nec à Chriſtianis qui tunc temporis Hieroſolymis erant, ſepeliri permiſerunt: ſed (ſicut Leo Papa in epiſtola quam de eius paſſione & corporis ipſius in Hiſpaniam tranſlatione ad Hiſpanos deſtinauit, affirmat (integrum corpus cum capite extra ciuitatem proiicientes, canibus, auibus, atque feris deuorandum conſumendumque expoſuerunt. Sed eius diſcipuli ab eo adhuc viuente præmoniti, vt corpus ſuum in Hiſpaniam transferrent tumulandum, totum corpus cum capite, teſte Leone Papa, nocturno tempore arripientes, ad litus vſque maris citato calle peruenerunt. Vbi dum ſoliciti de nauigio quo transfretarent in Hiſpaniam, eſſent, nauim diuinitus paratam in litore maris inuenerunt. Quam Deo gratias vnanimiter agentes, impoſito ſacratiſſimo corpore, læti conſcenderunt, & Scylla cum Charybdi ac periculoſis Syrtibus menu Domini gubernante deuitatis, primum ad Irienſem portum fœlici curſu peruenerũt, deinde venerabile corpus ad locũ qui tunc Liberum donũ, nunc Cõpoſtella 44

An. Dom. dicitur, deferentes, ſub marmoreis arcubus ſepelierunt. Hos vero diſcipulos, eodem autore & aliis multis, Diuus Iacobus in Hiſpania fide Chriſtiana imbuit, qui corpus magiſtri pro Chriſto paſſi in Hiſpaniam ſequuti ſunt, & inde Romam profecti, atque ab Apoſtolis Petro & Paulo infulis epiſcopalibus ornati, ad prædicandum verbum Dei in Hiſpanias iterum miſſi ſunt, & ibidem pro Chriſti fide quam prædicabant, martyrio affecti. S. Cecilius, primus epiſcopus Eliberitanus prope Granatam. S. Euphraſius, primus epiſcopus Illiturgitanus in Bætica, hoc eſt, vt aliqui affirmant, Giennenſis. S. Secundus, primus epiſcopus Abulenſis. S. Indallentius, primus epiſcopus Vrcitanus, quod oppidum ſunt qui in Aragonia eſſe affirment, in confinibus Nauarræ, & appellari hodie Verga. Huius reliquiarum pars in Eccleſia Burgenſi. S. Cteſiphon, epiſcopus Abderitanus, ſecundum alios, ſecundum Beatum Calixtum Virgitanus. Erat autem Virgi, quam nunc Almeriam vocari aiunt, non procul Abdera, vt ex Pomponio Mela conſtat. Vide quæ de Vrcitano epiſcopatu ſuo loco diximus. S. Heſychius epiſcopus Cartheſanus, vel ſecundum Beatum Calixtum, Carceſitanus prope Aſturicam fuiſſe aiunt. Reliqui duo S. Athanaſius & S. Theodorus iuxta S. Apoſtoli corpus quod indeſinenter vigilantes ſeruauerant, alter ad dextram, alter ad ſiniſtram, à populis quos Deo lucrifecerant, ſepulti ſunt: quos Petrus Anton. Beuter libri primi capite vigeſimo tertio ab Apoſtolo ex Hiſpania in Iudæam redeunte, Cęſaraauguſtæ relictos, alterum epiſcopum, alterum presbyterum ſcribit. Sed hoc cum epiſtola B. Leonis non concordat. Beatus Petrus martyr, primus Bracarenſis epiſcopus, etiam fuit S. Iacobi Apoſtoli diſcipulus, vt Bracarenſis cantat Eccleſia. Hoc tempore, nimirũ ſub Imperatore Claudio, floruit (vt erudite colligit Ioachimus Vadianus) Pomponius Mela nobilis Coſmographus Hiſpanus, ex Mellaria oppido Bæticæ, vt ipſe ſcribit lib. 2. capite 6. Atque hæc ipſa Mellaria nobis etiam dedit Turannium Gracculam, quem citat Plinius in præfatione libri tertii Naturalis Hiſtoriæ.

46 Anneus Seneca Philoſophus Cordubenſis, ab exilio quo miſſus à Claudio per inuidiam fuerat, reuocatur, procurante Agrippina Claudii noua coniuge ac matre Neronis, & Prætor Romanus deſignatur. Cor. Tacitus lib. 12.

50 Tiberius Claudius Nero vndecimo ætatis anno adoptatus à Claudio, Anneo Senecæ philoſopho iam tunc Senatori in diſciplinam traditus eſt. Suetonius Tranquillus. Quod Agrippina curaſſe creditur, vt conſiliis eius ad ſpem dominationis vteretur, quia Seneca fidus in Agrippinam, memoria beneficii, & infenſus Claudio dolore iniuriæ videbatur. Cor. Tacitus. Hic eſt ille Seneca philoſophus Stoicus & Orator clariſſimus, Socionis philoſophi diſcipulus, cuius hodie præclara ingenii monumenta extant. Cuius tam tenax fuit memoria, vt duo nominum millia, quo ordine erant dicta, referret, & ducẽtos amplius verſus ſemel auditos, ab vltimo incipiens, vſque ad primum recitaret, vt ipſe de ſe refert in præfatione declamationum ſuarum. Anneum Senecam Romæ non ſolum Prætorem, ſed etiam Conſulem fuiſſe reperio, ſimul cum Trebellio Maximo, autore Senatus conſulti Trebelliani, quos Caſſiodorus propterea in Catalogo conſulum non poſuit, quia honeſtamenta potius nominis, quam inſignia poteſtatis habuerunt: ita vt quærendum reliquerint quibus Coſſ. Conſulatum geſſerint, quemadmodum de Seneca & aliis aliquot ait Auſonius in Paneg. Gratia. Ideo horum Conſulatum Caſſiodorus, opinor, Neroni adſcribit. Huius filius fuit L. Anneus Seneca, Tragœdiarum ſcriptor celeberrimus, Cordubenſis & ipſe, vt autor eſt Rodolphus Agricola in commentario quem ſcripſit in præfationem declamationum Senecæ. Habuit & alios duos filios, Nouatum & Melam, quem Rodolphus Agricola Lucani Poetæ patrem dicit. Ego tamen Euſebium ſequutus, Melam Lucani patrem, fratrem fuiſſe Senecæ dixi. Habuit enim Seneca fratres duos Gallionem & Melam, vt ex Cornelio Tacito conſtat. Quanquam qui animaduerterit Senecam & Lucanum eodem fere tempore neci datos à Nerone, atque ætatem vtriuſque conſideret, fortaſſe Rodolpho Agricolæ credat, Senecam philoſophum non patruum, ſed auum fuiſſe Lucani. Eodem fere tempore floruit Latro Portius Hiſpanus, eximius orator, & Senecæ admodum familiaris, vt videre eſt in Præfatione declamationum Senecæ. Per hæc tempora memoriæ prodidit Pet. Ant. Beuter, S. Saturninũ, poſtea Toloſanum epiſcopum, à Diuo Petro Roma miſſum in Hiſpaniam ad prædicandum verbum Dei. Venit vero Pompelonem, & ſeptem dierum ſpatio quadraginta hominum millia ad Chriſtum conuertit, vt Pompelonenſis legit eccleſia, & in his S. Firminum ciuem Pompelonenſem Epiſcopum & martyrem. De quo ſuo loco.

61 Nero Othonem qui Galbæ in imperio ſucceſſit, chariſſimũ ipſi & omnium conſiliorum, ſecretorumque participem, vt Poppæa amica eius ſine riuali potiretur, per cauſam legationis

legationis in Lusitaniam misit, eiq; prouinciæ præfecit. Quam Otho administrauit quæstorius per decem annos moderatione ac abstinētia singulari. Cor. Tacitus lib. 13. & Suetonius in Othone capite tertio. *An. dom.*

Octauo Neronis anno, Anneus Seneca nō ignarus criminationum quibus ipsum mali apud Neronem ad deteriores iam inclinantem adoriebantur, per speciem senectutis & aduersæ valetudinis, eleganti ratione petiit à Nerone, vt liceret sibi publicis negotiis & fortunis omnibus secedenti in ocium se abdere. cuius orationem subdola responsione ac multum beneuolentiæ mentita, Nero velut clauum clauo pepulit, & securum esse iussit. Corn. Tacitus lib. 14. 64

Marcus Anneus Lucanus poeta in Pisoniana coniuratione deprehensus, brachium ad secandas venas medico præbuit, pridie calendas Maias, anno ætatis suæ XXVII. vel XXVIII. Partim ex Chronicis Eusebii, partim ex aliis. Eusebius dicit, Melam patrem quadriennio post bona filii à Nerone promeruisse: sed contrarium asserit lib. 15. Corn. Tacitus, interfecti filii rem familiarem acrius requirentem, à Fabio Romano accusatum, tanquam coniurationis conscium, assimulatis Lucani literis, quas cum Nero qui opibus eius inhiabat, ad ipsum ferri iussisset, soluta vena promptissimam mortis viam sibi quæsiuisse. Lucano mortuo, cuius superstitis gloriæ inuidebat, in monumento marmoreo Nero elogium hoc posuit, quod Romæ inuentum dicit Petrus Crinitus libro tertio de poet. Lat. 66

M. ANNEO. LVCANO. CORDVBENSI. POETÆ. BENEFICIO. NERONIS. CÆ. FAMA SERVATA.

Eodem anno Iunius Anneus Gallio, frater Senecæ, egregius declamator, propria se manu interfecit, mortem eius Nerone in præsentiam suam differente. Eusebius.

Nero Senecam præceptorem suum ad necem compulit, quamuis sæpe commeatum petenti, bonisque cedenti persancte iurasset, suspectum se frustra, periturumq; se potius quam nociturum ei, vt inquit Suetonius in Nerone cap. 35. Iussus est autē à Nerone mortem suo arbitrio sibi parare. Igitur apertis primum venis brachiorum & crurum, cum lentius sanguis ex venis senio arctatis efflueret, venenū quale Socrates in carcere bibit, hausit intrepidus: & quum ne sic quidem moreretur, in feruens demum balneum illatus, vt calor veneno vires suppeditaret, pauca de animæ immortalitate philosophatus, & consolatus Paulinam vxorem & amicos præsentes, mortuus est. Corn. Tacitus libr. 15. & Rodolphus Agricola, vbi supra. Mortuus est autem maior annis 114. vt ex ipsius Senecæ præfatione in declamationes suas facile est colligere. Ait enim, Ciceronem se audire potuisse, nisi bellorum ciuilium furor obstitisset, quo se intra suam coloniam continuit. Porro inter bellum ciuile Cæsaris & Pompeii, quo tempore aptum se fuisse dicit audiendo Ciceroni, & mortem Senecæ, intercesserunt plus minus 116. anni, vt affirmare liquido possimus, ipsum centesimum vigesimum ætatis annum excessisse. Paulina scissis venis comitem ac sociam se mortis marito voluit præstare, sed fluente sensim sanguine, siue desiderio vitæ, siue admonitu Neronis incepto destitit, vt in eodem loco scribit Corn. Tacitus. Hoc tempore floruit L. Iunius Moderatus Columella Hispanus, ex municipio Gaditano, vt ipse aliquot locis lib. 8. cap. 16. & lib. 10. cap. 7. testatur. Scribit enim lib. 1. de agricultura, quæ ex L. Volusio consulari viro audierit. Quem consulem fuisse cum C. Cæsare Caligula, scribit Holoander, anno Domini 43. quo anno mortuus est Cæsar Caligula. Hunc ego Senecæ postposui, quia illius meminit. Hoc quoq; anno produnt annales Hispanici, beatum Paulum Apostolum in Hispania prædicasse Euangelium Christi, & multos ad illius fidem adduxisse. De qua re quoniam variæ sunt opiniones, quod partim studio proprio, partim amicorum admonitu ex grauibus autoribus annotaui, paulo diffusius explicandum duxi. Et Gelasius quidē Paulum ad Hispanias venisse negat, 22. q. 2. c. Bea. Paul. Sed D. Chrysostomus illo antiquior affirmat, homil. 7. scribens ad hunc modum: Postquam vero Romam ingressus est, ibi quoq; quanta cum modestia annunciat veritatem? quanta cum libertate obstruit ora impiorum? Verum nec ibi stare contentus, etiam in Hispaniam percurrit. Diuus quoq; Hieronymus, tametsi in epistola quadam contra Heluidium significare videtur, Paulum antequam profectionem in Hispaniam animo destinatam susciperet, à Nerone in vincula coniectum, & in commentariis in epistolam Pauli ad Ephes. cap. 3. ambigue scribat, D. Paulum ad Hispanias vel perrexisse, vel ire disposuisse: tamen idem in Esaiæ cap. 11. scribēs affirmat his verbis: Quod de vnius Pauli Apostoli exemplo intelligamus, qui per Pamphiliam, & Asiam, & Macedoniam, & Achaiam, & diuersas insulas atq; prouincias ad Italiam quoq;, & (vt ipse scribit) ad Hispanias alienigenarum portatus est nauibus. Sed idem scribens in Amos prophetā cap. 5. clarius hoc astruit, ad hunc modum: Qui vocatus à Domino, effusus est super faciem vniuersæ terræ, vt præ- 67

An. dom. dicaret Euangelium de Hierosolymis vsque ad Illyricum,& ædificaret non super alterius fundamentum,vbi iam fuerat prædicatum,sed vsque ad Hispanias tenderet,& à mari rubro,imò ab Oceano vsq; ad Oceanum curreret, imitans dominũ suum & solem iustitiæ. Sophronius quoq; Hierosolymitanus Patriarcha in eadẽ est opinione, vt ait Iacobus Faber Stapulensis in commentariis in epistolam ad Romanos cap.15. Sed ipsius Fabri verba, cum Sophronii sententia,operæ precium fuerit adscribere. Ea sunt eiusmodi: Sed dices. Profectus ne est aliquando Paulus Apostolus in Hispaniam? Credo quidem. Quod & Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus reliquit scriptum. Scribit enim, Italias,Gallias & Hispanias transitu beatissimi Pauli illustratas. Qui(vt refert)cum in domo Probi illustris cuiusdam viri hospitio susceptus in Hispania fuisset, & Xantippe vxor eiusdẽ Probi modestiam hospitis sedulius in eum intenta admiraretur, diuina voluntate factum esse, vt dũ sic intenta vultui peregrini inhæreret,appareret ante frõtem Pauli quasi literis aureis scriptum: PAVLVS APOSTOLVS PRÆDICATOR CHRISTI. Quæ cum prænuncia fama multa de Apostolo audisset,& diu desiderasset vultum se posse videre Apostoli, gaudio pariter resoluta & stupore,cum lachrymis corruit ad pedes Apostoli.edocta autẽ mysteria Christi,cum viro & familia Christo regenerata est,regno æternæ beatitudinis adinuento. Sed & traditur Philotheus, eius regionis Princeps, Paulo adhæsisse,factus Christi confessor. O quam fœlices,qui cum æterno regnum permutãt terrenum! Hactenus. Sed & D.Gregorius idem affirmat in moralibus lib.31.c.37. & D.Isidorus in eadem est opinione, in libello quem scripsit de ortu & vita vel obitu Sanctorum Patrum,cuius hęc sunt verba: Incipiẽs enim ab Hierosolymis vsque ad Illyricum & Italiam Hispaniamq; processit, ac nomen Christi multarum manifestauit gentium populis,quibus non fuerat declaratũ. Sanctus quoque Thomas idem affirmat in commẽtariis in epistolam D.Pauli ad Galatas c.2. hoc pacto: Vocat autem prædicationem suam cursum,propter velocitatem doctrinę suę: quia in modico tempore,à Hierusalem vsque in Illyricum,& vsq; in Hispaniam prædicauit Euangelium. Non ignoro eundem in commẽtariis in epistolam ad Romanos cap.15. hanc quæstionem in medio relinquere, adductũ autoritate Gelasii,cuius paulo ante meminimus. Cæterum vt quod de hac re sentio,dicam, subiiciens tamen semper quæcunq; dixero saniori ac meliori iudicio, neque mihi D. Paulus bis affirmasse sine causa videtur in eodem capite,se profecturum in Hispaniam, neque autores graues & sancti hoc temere de illo memoriæ proditum reliquisse. At nusquam in Hispania fuisse legitur in actis Apostolorum. Sed Lucas historiam tantum vsque ad quartum Neronis annum prosequutus est. Paulus vere Apostolus vltimo Neronis anno,hoc est decimo quarto, passus est, neque res illius gestæ decem annorum sacrarum literarum oraculis traditæ sunt, & tamẽ illum interea fuisse ociosum,credendum non est: præsertim quum D.Hieronymus in catalogo scriptorum ecclesiasticorum literis mandauerit, eum post biennium quo in libera mansit custodia, dimissum à Nerone,vt Euangelium Christi in Occidentis quoque partibus prædicaret. Idem fere scribit & Beda. Hæc altius repetenda duxi, quod plurimum ad Hispaniæ laudem pertinere censeam, si constet eam tanti Apostoli fuisse prædicatione sanctificatam. Neque vero proprio Marte collegi omnia hæc,sed adiutus sum primum opera serenissimi Domini mei D.Henrici Cardinalis,Infantis Portugalliæ, Deinde Fratris Francisci Forterii ordinis Prædicatorii,vix vlli hac tempestate meo quidem iudicio,cõcionandi dexteritate secundi. Neque defuit Frater Innocentius ex instituto D.Hieronymi, vir religiosus,mihique amicus,& literis elegantioribus excultus. Nec silentio prætereundus est Frater Alexius Salamanca, ex D.Francisci familia, vir egregie peritus, qui & ipse mihi operam suam hac in re præstitit non inutilem. Postremo M.Gregorius Gallus Theologus, & sacrorum Bibliorum in Salmanticẽsi Academia professor laudatissimus, sed à Carolo Augusto ad Concilium euocatus, mihi Quodlibeticam quæstionem suam ostendit, in qua fusius hoc argumentum tractat, & argumenta eorum qui refrangantur huic opinioni,non minus acute quam erudite diluit atque conuincit. Paulus Confessor, Diui Pauli Apostoli discipulus,atque in Hispania prædicationis Euangelicæ socius,à magistro relictus in Hispania,& factus Narbonensis demum episcopus,completo diligenter officio,clarus miraculis ibidem in domino quieuit. Celebratur festum illius pridie Idus Decembris Archiepiscopus Florentinus huius meminit,& Prudentius: & Petrus de Natalibus, ac Petrus Antonius Beuter libr. 1. cap.21. affirmant esse Paulum Sergium quem Paulus Apostolus ad fidem conuertit Actuum.13. S.Rufus Simonis Cyrenæi filius, Pauli Apostoli discipulus ac socius, fuit primus Episcopus Dertosanus. Pet. Ant. Breuter. vbi supra.

70 Consul fuit Romæ Silius Italicus Poeta Hispanus,ex Italica ciuitate Bæticę prope Hispalim,

ſpalim, cuius Conſulatus eo fuit celebrior, quod eodem anno mortuus ſit Nero, publica *An. dom.*
Romanorum calamitas, & imperii dedecus. Hic poeta defunctus Conſulatu, totum ſe à publicis negociis ad ocium poeticum & ſtudia cõuertit, vt etiam in Nutritiis teſtatur Angelus Politianus. Poſſedit hic prædium Vergilii in agro Neapolitano, & Academicã villam Ciceronis. Martialis libr. 7. & 11. epigram. Hermannus Buſchius, vir diligens & eruditus, ac de bonis literis optime meritus, ſcribit illum ter fuiſſe Conſulem, idque Martialis epigrãmate confirmat. quod neſcio equidem, an de hoc Silio, an de aliis (nam plures fuere) intelligendum ſit: præſertim cum primum eius Conſulatum fuiſſe dicant, quo anno mortuus eſt Nero. Quo Conſulatu perfunctum, ipſe quoque Martialis autor eſt, illum in ocium literarium relicta vrbe ſe abdidiſſe. Plinius quoque à Nerone cõſulem factum ait, ſed ſæpius fuiſſe Conſulem non addit. Hunc Petrus Crinitus libr. 4. de Poet. Lat. affirmat tradi ex Italica Hiſpaniæ ciuitate oriundum, ſed Romæ natum. Quo tempore mortuus eſt Nero, magiſtratum geſſit in Hiſpania Cluuius Rufus, vir facundus & magnę autoritatis, cuius honorifica fit mentio in epiſtolis Plinii lib. 6. & 9. Eodem anno, paulo ante mortem Neronis, inter alias prouincias, Hiſpania quoque tam nefarium pertæſa Principem, à Romano defecit Imperio. Cuius motus compeſcendi prouincia quum tradita eſſet Sergio Galbæ, qui Tarraconenſem prouinciam per octo annos varie & inæqualiter rexerat, ipſe ſibi melius quã Neroni conſultũ cupiens, præſertim à quo mandata de nece ipſius ad procuratores clam miſſa deprehenderat, ita ſibi omnium illic deuinxit animos, vt conſalutatus ſit Imperator, non refragante exercitu. Ad quod præter alia ſigna & auſpicia, vehementer confirmatus eſt vaticinio fatidicæ puellæ, quæ ante ducentos annos cecinerat oriturum quandoque ex Hiſpania Principem dominumq; rerum. Illud quoque mirabile accidit illi, vt cum prouinciam ingreſſus ſacrificaret intra ædem publicam, puero è miniſtris acerram tenenti capillus repente toto capite caneſceret. Quo ſignificari interpretabantur mutationem rerum, ſucceſſurumq; iuueni ſenem, hoc eſt, ipſum Neroni. Hęc ferme ex Suetonio in Nerone cap. 42. & Galba cap. 8. 9. 10. Fabius Quintilianus Callagurri oppido Hiſpanię (Auſonius Callagorrim vocat) natus, adoleſcens admodum à Galba Romam perducitur, patre vſus erudito viro, & in reipub. ſuæ adminiſtratione honeſtiſſime verſato. Euſebius & Angelus Politianus in præf. Quint.

Sub hęc tempora, Veſpaſianus Imperator Auguſtus, iactatus procellis reipub. Latii ius 72.
vniuerſæ Hiſpaniæ tribuit, hoc eſt, ius petendi magiſtratus, & vt eadem gauderent immunitate, qua Romani. ſic enim interpretatur Andreas Alciatus libr. diſpun. 2. cap. 1. Plinius in Naturali hiſtoria l. 3. c. 3. Eodem fere tempore accidit Lartio Licinio Prætorio viro, iura reddenti in Hiſpania Carthagine, vt mordenti tuber deprehenſus intus denarius primos dentes inflecteret, quemadmodum autor eſt Plinius in Naturali hiſtoria libro 29. capite 3.

Belilla Hiſpana, ſerua Ieſu Chriſti, requieuit in domino, obiit Æra 115. hoc eſt, anno 77.
domini ſeptuageſimo ſeptimo. Hoc monumentum, cum aliis antiquiſſimam Hiſpanorũ religionem teſtantibus, paucis ab hinc annis prope Cantabriam inuentum ſcribit Alfonſus Venerus in Enchiridio temporum.

Fabius Quintilianus cum agendis cauſis maximum ſibi nomen comparaſſet, primus 90.
Romæ ſcholam publicam inſtituit, atque ex fiſco ſalarium accepit. Euſebius & Angelus Politianus loco iam dicto, qui diſcipulos eius fuiſſe dicit Iuuenalem & Plinium Iuniorẽ, qui patronum ſe fidelẽ Bæticis opem ipſius implorantibus, in grauiſſimis cauſis præſtitit, de qua re vide epiſtolas ipſius. Iuuenalẽ ſunt qui Hiſpanis adſcribãt, q; ego neq; affirmare poſſum, neq; refellere. Illud recte cõmemini, ante annos xv. vidiſſe me Segobię, dum illic in aula Iſabellæ Auguſtæ agerem, in turri quadã è regione portæ Diui Andreæ, ſaxum cuius hæc erat inſcriptio: PVBLIO IVVENALI IVVENALIS. Sed non arbitror eſſe de hoc Iuuenali. Hoc tempore celebres fuere multi poetæ Hiſpani, quorum præcipuus M. Valerius Martialis, natus Bilbili (quam hodie Calataiud appellãt, dictam Mauris Calataiub, à Mauro quodam Aiub qui ruinas illius inſtaurauit, ſed loco aliquantulum remoto à veteri Bilbili) Romæ variis ornatus honoribus, vt equeſtri dignitate, Prætura, iure trium liberorũ. Hunc Ælius Verus Imperator ſuum ſolet appellare Vergilium. Qui iam ętate prouectior, res vrbanas pertæſus, & in patriam reuerſus, non multo poſt diem ſuum obiit. Petrus Crinitus lib. 4. de Poet. Lat. Mortem Martialis deplorat Plinius in epiſtolis lib. 3. epiſt. vlt. Canius Poeta Gaditanus. Decianus Emeritẽſis, cuius virtutes & vtriuſque linguæ peritiam, eleganti epigrammate celebrat Martialis lib. 1. Fuit hic Poeta & philoſophus, vt annotauit Gregorius Gyraldus. Licianus eiuſdem cum Martiali patriæ. Hos tres Martialis vnico epigrammate lib. 1. complexus eſt. Lucium quoque poetam Hiſpanum ponit hoc tempo-

An. dom. re,nempe ſub Domitiano,Gregorius Gyraldus lib.4.hiſt.poer.& ait imitatum fuiſſe Horatium Flaccum.M.Vnicus poeta,Martialis conſanguineus.Idem.

97. Domitianus Imperator,ſecundus poſt Neronem perſequitur Chriſtianos. Euſebius. In hac perſecutione Beatus Eugenius primus Toletanus epiſcopus, S.Dionyſii Areopagitæ diſcipulus, dum peracto in Hiſpania Euangelicæ prædicationis officio magiſtrum reuiſeret,prope Lutetiam,Chriſtum prædicans,à gentili quodam capite cæſus eſt,atq; in lacum proiectus: vnde ducentis poſt annis,ab Hercoldo quodam ciue Romano diuinitus admonito exemptus ac ſepultus eſt. Laurentius Padilia Hiſtoricus Hiſpanus, & S. Antoninus.

98. Cocceius Nerua iam ſenex,nimirum anno ætatis ſexageſimo ſeptimo,Romano eſt inauguratus imperio,per quem(vt inquit Paulus Oroſius)re vera adflictæ Reipublicæ diuina prouiſio conſuluit. Hic primo edicto ſuo cunctos exules reuocauit. vnde & Ioannes Apoſtolus hac generali liberatus indulgentia,rediit Epheſum. Hunc Chronica Hiſpana fuiſſe Hiſpanum aſſerunt. Certe Sextus Aurelius Victor extra Italiam genitum affirmat. Sed paulo poſt parum ſibi conſtans Narnienſi oppido genitum ſcribit,quod Plinius lib.3. cap.14.in ſexta regione Italiæ conſtituit.

100. Vlpius Traianus Hiſpanus, atque (vt autor eſt Euſebius cum Eutropio) Italicæ natus, Reipublicæ gubernacula Nerua tradente atque eum adoptante ſuſcepit, ſumptis imperii inſignibus apud Agrippinam Galliæ vrbem. Hic in perſequendis Chriſtianis errore deceptus, tertius à Nerone,cum paſſim repertos cogi ad ſacrificandum idolis,ac detractantes interfici præcepiſſet, plurimique interficerentur, Plinii Secundi admonitu reſcriptis leuioribus temperauit edictum.Paulus Oroſius libro 7.cap.12.De hac re vide Plinii epiſtolas libro 10.Sub hoc Principe imperium Romanum,quod inertia Cæſarum quaſi conſenuerat,mouit lacertos,& præter ſpem omnium, ſenectus illius quaſi reddita iuuentute, reuiruit.L.Florus lib.1.rerum ab vrb.cond.De anima Traiani Imp.à pœnis inferni per B. Gregorium Papam aſſerta,quid ſentiendum ſit, conſule Theologos, & inter eos S.Antoninum Archiepiſcopum Florentinum par.2.tit.12.cap.3.§.8. In hac perſecutione Beatus Mancius ciuis Romanus, Ieſu Chriſti diſcipulus, Eboræ ſub Præſide Validio pro fide Chriſti martyrio affectus eſt.Fuit vero vnus ex iis qui Chriſto eunti Hieroſolyma ſubſtrauerunt veſtimenta in via. Hic & in cœna cum diſcipulis recubuit,& domino lauanti pedes apoſtolorum, ſedulo pro ſuo modulo miniſtrauit, & cæteris Dominicæ paſſionis ac reſurrectionis myſteriis interfuit. Alfonſi Regis Chronica hoc tempore,Laurentius Padilia ſub Nerone paſſum ſcribit, & reliquias ipſius adſeruari in oppidulo quodam prope Medinam,quæ cognominatur vulgo de rio ſeco. Qui plura de eius vita noſſe volet, conſulat breuiarium Eborenſe.

106. Traianus nobilitauit Hiſpaniam variis ædificiis,atque inter cętera conſtrui iuſſit ſuper Tagum,põtem à ſe cognominatum,qui nunc vulgo dicitur Dalcantara, opus ſuperbum & imperatoria maieſtate dignum, in quo etiam hodie ſequentes viſuntur inſcriptiones. Ex vtraque parte arcus.

IMP. CÆSARI. DIVI. NERVÆ. F. NERVÆ. TRAIANO. AVG. GERM. DACICO. PONTIF. MAX. TRIB. POTES. VIII. IMP. VI. COS. V. P. P.

Sub arcum tabula eſt ex vno latere.

MVNICIPIA
PROVINCIÆ
LVSITANIÆ STIPE CONLATA
QVÆ OPVS PONTIS PERFECERVNT
ICÆDITANI
LANCIENSES OPPIDANI.
TALORI
INTERANNIENSES.
COLARNI
LANCIENSES TRANSCVDANI
ARAVI
MEIDVBRIGENSES
ARABRIGENSES
BANIENSES
PÆSVRES

Erant quatuor ſimiles,ſed aliarum triũ ſolæ va [illegible]

Supra limen superius ædis D. Iuliani, in principio pontis.

IMP, NERVÆ. TRAIANO. CÆSARI. AVGVSTO. GERMANICO. DACICO. SACRVM.

TEMPLVM IN RVPE TAGI SVPERIS ET CÆSARE PLENVM.
ARS VBI MATERIA VINCITVR IPSA SVA.
QVIS QVALI DEDERIT VOTO FORTASSE REQVIRET
CVRA VIATORVM QVOS NOVA FAMA IVVAT.
INGENTEM VASTA PONTEM QVOD MOLE PEREGIT.
SACRA LITA TVRO FECIT HONORE LACER.
QVI. PONTEM FECIT LACER ET NOVA TEMPLA DICAVIT.
ILLIC SE SOLV. . . . . . VOTA LITANT.
PONTEM PERPETVI MANSVRVM IN SECVLA MVNDI.
FECIT DIVINA NOBILIS ARTE LACER.
IDEM ROMVLEIS TEMPLVM CVM CÆS. DIVIS.
CONSTITVIT. FELIX VTRAQVE CAVSA SACRI.
C. IVLIVS. LACER. H. S. F. ET DEDICAVIT. AMICO. CVRIO,
LACONE ICÆDITANO.

Huius quoque opus ab eruditis creditur aquæductus ille Segobiensis visendæ structuræ, & in qua facile Romanam magnificentiam agnoscas. In hac mecum opinione est Florianus à Campo, & Petrus Anto. Beuter lib. 1. cap. 10. Rodericus Archiepiscopus Toletanus lib. 1. cap. 7. Hispani siue Hispano Regi adscribit, sed fallitur. Traianus ex 14. legionibus, quas ad comprimendos Prouincialium populorum motus conscripserat, duas in Hispaniam misit, vt quæ vrbes in editioribus locis erant ædificatæ, solo æquarentur, atque in locis planioribus & ad rebellandum minus idoneis extruerentur. A quibus diruta Sublãtia, Legio Geminia condita à militibus septimæ legionis nomen accepit, quæ hodie regni Legionensis metropolis est. Sunt qui hoc Nerua imperante factum scribant. Illud in præsentia non videtur silentio prætereundum, esse nonnullos, & eos eruditos ac celebres viros, qui ciuitatem hanc Legionem Germanicam appellatam affirment, Ptolemæi autoritatem sequuti. In qua sententia & ego hactenus fui, donec à viro graui & erudito Didaco Neila, Canonico Salmanticensi, admonitus sum, Legionẽ Geminam siue Geminiam, nõ Germanicam olim dictam, & Ptolemæi codicem mendosum videri: propterea quod cũ à legione septima conditam vel ex ipso Ptolemæo constet, tamen nusquam tota Hispania, legionis septimæ Germanicæ nomen in vetustis saxorum inscriptionibus reperiri hactenus potuerit, legionis vero septimæ Geminæ persæpe. Cuiusmodi multas inscriptiones inuenit, mihique ostendit vir ornatissimus Gaspar à Castro, curiosissimus harum rerum inuestigator, & primus huius erroris vindex, quod ego quidẽ sciam. Quam rem eo studiosius indagauit, vt verum patriæ suæ nomen è tenebris erueret in lucem. Multa enim huius rei monumenta descripsit, & mihi pro sua humanitate cõmunicauit, ex quibus pauca quędam in medium proferam, & legionum nomina, vt via Appia non ita pridem in columna marmorea reperta & in ædes Cardinalis S. Floræ translata sunt, subiungam, vt manifestũ sit studioso lectori, non coniecturis tantum opinionem hãc niti, sed etiam grauioribus testimoniis fulciri. Et prima quidem inscriptio reperta in Portugallia, quam Transmontanam vocant, apud aquas Flauias, vulgo Chaues, in ædibus Simonis Guedes, habet ad hunc modum:

IMP. CÆS. VESP. AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. X. IMP. XX. P. P. COS. IX.
IMP. VESP. CÆS. AVG. F. PONT. TRIB. POT. VIII. IMP. XIIII. COS. VI.

Hoc loco iam olim erant erasi duo versus, nec dubium quin de Domitiano.

C. CALPETANO. RANTIO. QVIRINALI. VAL. FESTO. LEG. AVG. PR. PR.
D. CORNELIO, MÆCIANO, LEG, AVG. L. ARRVNTIO, MAXIMO, PROC,
AVG. LEG. VII. GEM, FEL.

CIVITATES, X.
AQVIFLAVIENSES, AOBRIGENS
BIBALI, COELERNI, EQVÆSI
INTERAMICI, LIMICI, ÆBISOC
QVARQVERNI, TAMAGANI

An. dom. Altera est in pago cui Ruiforco nomen, duabus leucis cum dimidia à ciuitate Legionensi, in templo D. Iuliani, in tabula prægrandi marmorea. Ea habet ad hunc modum:

IMP, CÆSARI
M, AVREL, ANTO
NINO, PIO, FELI
CI, AVG. PARTHIC
MAX, BRIT, MAX
GERMAN. MAX.
PONTIF, MAX
TRIB. POT, XVIIII
COS, IIII, IMP, III
P, P, PROC
EQVITES, IN
HIS ACTARIVS
LEG, VII. GEM
ANT, P, FEL, DE
VOTI, NVMINI
MAGESTATIQ, EIVS

Quin & ipsa ciuitate Legionensi multi lateres inuenti sunt cum hac inscriptione.

L E G, VII, P, F.

Plures inscriptiones adferre in medium possem, quibus idem confirmatur, quas idem Gaspar à Castro diligenter obseruatas ac descriptas mihi communicauit, nisi præstare videretur ipsa Legionum nomina, vt Roma missa sunt, hic apponere.

NOMINA LEG.

II. AVG.	II. ADIVT.	IIII. SCYTH.
VI. VICTR.	III. FLAV.	XVI. FLAV.
XX. VICTR.	VII. CLAV.	VI. FERRA.
VIII. AVG.	I. ITALIC.	X. FRETE.
XXII, PRIM.	V, MACED.	III. CYREN.
I. MINER,	XI, CLAVD.	II. TRAIAN.
XXX, VLP.	XIII. GEM,	III. AVG.
I, ADIVT	XII, FVLM.	VII. GEM.
X, GEM	XV, APOLL.	II. ITALIC.
XIIII, GEM.	III, GALLIC.	III. ITALIC.
I, PARTH	II, PARTH.	III. PARTH.

De hac quoq; re consulendum Resendium duxi, virum omnis antiquitatis scientissimum, cuius mihi sententia, quamuis Ptolemæi locus quem facile deprauatum affirmare non audet, præsertim suffragante codice Græco, scrupulum faciat, eodem inclinare videtur, vt ex eius ad me patet epistola, cuius partem transcribere hic ad verbum operæpreciũ duxi, cum ipsis Legionum nominibus, quæ ipse ad me misit. Arbitror enim hoc studiosis non minus gratum quam vtile futurum. De altero epistolæ tuæ capite nunc agam. Ais te à viro doctissimo Salmãticensi Canonico admonitum candide, quasi nõ recte Legionem vrbem Legionem Germanicã appellaris, quum potius Legionem Geminam debuisses. idque esse ita, videri quum ex Legionũ nominibus quæ Romæ in columna via Appia adhuc extant, quæq; benigne tibi à viro illo doctissimo scribis cõmunicata, tum vero ex inscriptione quæ à latere coctili inuenta sit in eadem vrbe, quæ esset ad hũc modum: L E G. V I I. G E M. P. F. id est, vt ego interpretor, Legio septima Gemina, pia, fidelis. De ista inscriptione coctili tũc iudicabo, quum oculis videro. Neq; enim ego temere soleo hisce rebus fidem adiũgere, quum præsertim inscriptionis ipsius trũcatæ illa tantum verba miseris. Sed donemus ibi esse. Etiam ne ex ea patet, ab Legione septima Gemina vrbem Legionẽsem esse cõditam, an lateritiæ istæ literæ alterius rei causa Legionis septimæ Geminæ meminerũt? Hoc prius si cõstat, emendãdus erit Ptolemæus, qui lib. Geographiæ secundo, inter Asturiæ ciuitates Legionem V I I. Germanicam ponit, vel expendendum, num eadem sit legio V I I. Gemina, quæ legio V I I. Germanica: eoq; magis, quod ex Antonini itinerario, vbi describitur iter à Mediolano per Alpes Cottias vsq; Calleciam, ad leguas V I I. Geminam, quod ego legendum puto ad Leg. V I I. Geminam, videtur opinio ista confirmari. Tametsi Antoninianum hoc itinerarium mire est deprauatum. Sin vero illud non constat, neq; eadem sit legio V I I. Gemina, cum Germanica VII. imo etiam si vna

si vna eademq; sit, Ptolemæi autem codex fidei sit minus fluxæ, interim licebit nobis, opinor, maximum virum grauissimumque auctorem imitari. Nomina vero legionum quæ misisti adnosco quidem, sed non sola. Longe enim plura inueniuntur. Ego quæ tumultuaria lectione ex auctoribus colligere modo potui, ad te mitto, simul orationem quam nuper habui de laudibus Regis nostri. Quod præterea scribam, habeo nihil, nisi me tui esse, vt qui maxime, & quum maxime, studiosum. Vale. Conimbricæ, IIII. Nonas Iulii M. D. LI. *An. dom.*

Legionum appellationes.

I. Adiutrix.
II. Adiutrix.
Alauda.
V. Alauda.
VI. Alauda.
VII. Alauda.
VIII. Alauda.
IX. Alauda.
X. Alauda.
Amerina.
VIII. Antoniniana.
X. Antoniniana.
XV. Apollinaris.
II. Augustalis.
III. AVG.
VIII. AVG.
IX. Britannica.
VI. CLAVD.
VII. CLAVD.
X. Claud.
XI. Claud.
Commoda P. F. constans.
III. Cyrenaica.
VI. Ferratensis.
XII. Flam.
III. Flauiana.
IV. FLAV.
XVI. FLAV.
X. Fretensis.
Fulminea, vel Fulminatrix, Keraynobolos.
Gallica.
VII. Galbiana.
VII. Gemella, vel
VII. GEM.
VIII. Gem.
X. Gem.
XIII. Gem. Antoniniana.
XIII. Gem. imp. Neron.
Tiber.
XIII. Gem. imp. CC.
XIII. Gem. MV.
XIII. Gem. CAMIL.
XIII. Gem. GA.
XIII. Gem. IVN.
XIII. Gem. A.
XIII. Gem. VI. AG.
XIII. Gem. VALE.
XIII. Gem. FE.
XIII. Gem. FL.
XIII. Gem. POET.
XIII. Gem. OLIM.
XIV. Gem.
XIX. Gem.
VI. Germanica.
VII. Germanica.
X. Germ.
XIII. Germ.
XIV. Germ.
Germaniæ inferioris, leg. primani. Quintani, & XV. & XVI. legiones.
I. Italica.
II. Italic.
IV. Macedonica.
V. Maced.
I. Mineruia.
Mœsiacæ legiones
I. Mœsiaca.
XVIII. PRIMIG.
XXII. PRIM.
XXII. PR.
Pannonicæ legiones.
I. Pannonic.
VIII. Pannon. Iulia.
I. PARTHICA.
II. PARTH.
III. PARTH.
XXI. RAPAX.
Sarmaticæ legiones.
I. Adiutrix. P. F. Seueriana.
II. Adiutrix. P. F. Seueriana.
I. Traiana.
II. Traiana. Fortis.
III. Traiana.
VI. Victrix.
XVIII. Victrix.
XX. Victrix.
Vitellianæ legiones.
XXI. Vitelliana.
XXX. Vlpia.
XXXV. VLP.

Hactenus Resendius. Illud hic addendũ videtur, non deesse qui arbitrentur, viam quæ Argentea vulgo etiam nunc appellatur, & Salmantica, aut non procul inde Emeritam vsque, deinde (vt plerique affirmant) Hispalim ducit, à Traiano lapidibus stratam ac munitam, atq; iis colũnis quę adhuc, quanquã plurimis locis collapsę, visuntur, certis interuallis distinctã. Sed illud opus Traiano antiquius, & ab Hadriano Augusto restitutũ, ex sequẽti patet inscript. quę passim in illis colũnis legitur, quam idem Gaspar à Castro mihi misit ad hunc modum:

An. dom.

IMP. CÆSAR
DIVI. TRAIANI. PAR
THICI. F. DIVI. NER
VÆ. NEPOS. TRAIA
NVS. HADRIANVS
AVG. PONTIF. MAX.
TRIB. POT. V. COS
III. RESTITVIT

CXLIX.

Hoc tempore claruit Voconius Victor Poeta, ipse quidem Romanus, sed cuius mater è primis fuit citerioris Hispaniæ, vt annotauit Gregorius Gyraldus lib. 4. hist. poet. De Voconio, vide epistolas Plinii, & Martialem.

110. Persecutio in Christianos quam Traianus mouerat, Plinii Iunioris cōsilio mitigata est. Eusebius.

112. Plinius Secundus qui naturalem scripsit Historiam, dum Vesuuii montis inuisit incendium, crassiore caligine obstructo spiritu, clausoque stomacho, periit. Eusebius & Plinius Iunior lib. 6. epist. Hic in Hispania procurauit, eodem autore lib. 3. epist.

119. Ælius Hadrianus Hispanus Italicæ natus, & consobrinæ Traiani filius, Romanum suscepit imperium, & parens patriæ appellatus, atque vxor eius dicta Augusta. Hic per Quadratum Apostolorum discipulum, & Aristidem, ac Serenum Granium de Christiana religione instructus, per epistolam Minutio Fundano Asiæ Proconsuli pręcepit, ne cui liceret Christianos sine obiectu criminis & probatione dānare. Quin & Christianos Hierosolymis agentes multis fauoribus est prosecutus, vrbe ipsis concessa, expulsis Iudæis. Quā vrbem muris instauratam, à nomine suo Æliam appellari iussit. Eusebius & Paulus Orosius lib. 7. cap. 13. Hadrianus cum Tarracone hybernaret, quo Hispanos omnes ad conuentum euocauerat, ædem Augusti suo sumptu restituit. Quo tempore nō sine gloria maximum periculum adiit. Nam cum apud Tarraconem per hospitiua viridaria spatiaretur, & seruus quidam in ipsum gladio furiosus irrueret, retentum illum ministris accurrentibus tradidit, & vbi furiosum esse cōstitit, nihil animo turbatus, medicis curandum dedit. Ælius Spartianus.

137. Bellum Iudaicum in Palestina finem accepit, rebus Iudæorū penitus oppressis, inquit Eusebius. Quos vero Hadrianus in eo bello Iudæos cepit, in Hispaniam exulatum misit. Atque hæc fuit decima illorum captiuitas. Porro ex eo tempore ad fœlicissima vsq; tempora Catholicorum Regum Ferdinandi & Isabellæ, atque etiam Emanuelis inuicti Portugalliæ Regis, publicæ in Hispania Iudæorum Synagogæ fuere. Pet. Anto. Beuter lib. 1. cap. 19. Quod ipsum D. Hieronymus affirmare videtur, dum in commentariis in Amos prophetam cap. 8. ait ad hunc modum: Ablata est eis lex, & prophetæ æterno conticuere silentio, mouentur à mari ad mare, & ab Oceano Britannico vsque ad Oceanum Atlanticum, id est, ab Occidente ad Meridiem, & ab Aquilone vsque ad Orientem, toto orbe peregrini. Hadrianum Ælius Spartianus Romæ natum dicit, Sextus Aurelius Victor Adriæ oppido agri Piceni, sicut Traianum ex vrbe Tudertina: sed vterque tota errat via. Nam Eusebius cum Eutropio, & Orosio, & Seuero Sulpitio, vtrunq; natum Italicæ prope Hispalim in Hispania scribunt. Numisma Bracarę aureum vidi, ponderis duorum plus minus ducatorum, quod vtriusque habebat inscriptionem, Traiani & Hadriani.

140. T. Aurelius Fuluius Antoninus Pius, Hadriani gener, factus est Imperator Romanorum, sub quo floruit Iustinus Historicus, qui Trogi Pompeii historiam contraxit in compendium, atque Antonino Pio dedicauit. Quidam hunc Hispanum dicunt, quod mihi nondum constat. Hispani annales aiunt, hunc eundem cum Iustino philosopho & martyre qui sub hoc Imperatore, Crescente Cynico persequente, gloriose pro Christo sanguinem fudit. Quod mihi non fit verisimile: primum, quod Diuus Hieronymus nullam in hoc Iustino mentionem epitomes facit: deinde, quod dubito, an Iustinus Trogi abbreuiator Christianus fuerit. Illud satis liquet, sacræ historiæ non admodum fuisse peritum, quum ab his quæ scribuntur in Genesi, non vno tantum loco dissentiat. Postremo, quod epitome Iustini, historici titulum præ se ferat, non Philosophi. Quocirca persuasum habeo, duos eodem tempore fuisse Iustinos, alterum philosophum, alterum historicum. Hoc quoque tempore scribunt floruisse Pompeium Trogum, quem etiam fuisse Hi-

ſe Hiſpanum affirmant. Quorum neutrum probabile mihi videtur. Nam Iuſtinus in fine penultimi libri, tam ipſum, quam maiores ipſius Volſcis Italię populis adſcribit, & in principio libri 43. Romam patriam ipſius vocat. Quod vero ante hunc Imperatorem ſcripſerit, manifeſtum eſt ex Iuſtino, qui in calce libri penultimi, patrem ipſius ſub Caio Cæſare militaſſe, epiſtolarumque, legationum & anuli curam habuiſſe teſtatur. Inter Cæſaris autem monarchiam & Antoninum Pium numerantur anni plus minus 185. Clarius autem ſtud conſtat ex Plinio Secundo, qui in ſua Naturali hiſtoria frequenter citat Trogum Pompeium, quum ipſe ſub Tito Veſpaſiano illud opus lucubrauerit. Vnde potius crediderim. Trogum Pompeium Octauii Auguſti tempore ſcripſiſſe hiſtoriam, præſertim quũ illam tantum ad illius vſque tempora proſecutus ſit. Hæc libuit accuratius expendere, nõ quod Hiſpanorum gloriæ quicquam delibatum velim, aut quos illi viros claros & eruditos alii adſcribunt, detrahere, ſed quod mihi videatur Hiſpania domeſticis opibus ditior, quam quæ peregrinis & aliunde mendicatis ornari falſo debeat: præterea, vt opiniones non veras ex animis hominum reuellerem. *An. dom.*

S. Firminus ciuis & epiſcopus Pompelonenſis, & Senatorii apud ſuos ordinis, dum in Hiſpania & Gallia multos ad Chriſti fidem prædicatione ſua conuertiſſet, in vrbe Ambianenſi, iuſſu Longini & Sebaſtiani iudicum, propter populi tumultum clam noctu decollatus, martyrii lauream accepit, circa annum Domini 156. Fuit hic S. Saturnini, vt diximus, diſcipulus, ab Honeſto ſacerdote eiuſdem ſancti diſcipulo fidem Chriſti doctus, & ab Honorato epiſcopo Toloſano, S. Saturnini (vt arbitror) ſucceſſore, factus epiſcopus, de cuius inuentione corporis ſuo tempore dicemus. Ex Breuiario Pompelonenſi. 156.

M. Antoninus Verus philoſophus inauguratus eſt imperio Romano, qui ſanctitate vitæ omnibus ante ſe Principibus antecelluit. Natus is quidem Romæ, ſed oriundus ex Hiſpania. Nam proauus paternus Annius Verus Prætorius, ex Succubitano municipio prouinciæ Bæticæ, ex Hiſpania, factus eſt Senator. Iulius Capitolinus. Idem autor eſt, huius Imperatoris tempore Mauros Hiſpanias prope omneis vaſtaſſe, ac M. Antoninum per legatos bene res geſſiſſe: præterea eundem res in Hiſpania, quę per Luſitaniã turbatę erant, compoſuiſſe. 163.

Seuerus factus eſt Romanorum Imperator, qui prius ſorte creatus erat Quæſtor Bæticæ, ſed quia Bæticam Mauri populabantur, pro Bætica Sardinia illi eſt attributa. Ælius Spartianus. 195.

Hoc anno, aut circiter, mota eſt in Chriſtianos quinta perſecutio imperante Seuero, in qua Felix presbyter, Fortunatus, & Archilochus diaconi, à Beato Irenæo Lugdunẽſi epiſcopo ad prædicandum Valentinis in Hiſpaniam miſſi, ſub Præſide Cornelio pro fide Chriſti & prædicatione Euangelica, poſt non æſtimandos cruciatus ſecuti ſunt percuſſi, quod ciues eſſent Romani. Pet. Ant. Beuter, & Petrus de Natalib. Hos martyres Chronica Regis Alfonſi nona perſecutione ſub Claudio paſſos teſtantur. Laurentius Padilia in quarta perſecutione ponit, quæ fuit ſub Marco Antonino Vero, in qua manifeſtũ eſt ex Hermanno Contracto, S. Irenæum martyrio coronatum. Martyres iſtos quidã Valentiæ Gallicæ attribuunt. 200.

Maximinus Imperator Romanus ſextam in Chriſtianos perſecutionem exercuit, in qua S. Maximus prope Tarraconem cum aliis multis martyrio coronatus eſt Pet. Anto. Beuter. Huius Maximini monumenta ſunt, Bracaræ Auguſtæ vicus & porta Maximini quæ hodie quoque poſt tot ſecula nomen retinent. Certum eſt, Romanos omnes Imperatores tum per ſe, tum per magiſtratus, res præclaras in Hiſpania geſſiſſe: quod tũ ex plurimis ipſorum monumentis, tum ex antiquis numiſmatis conſtat. Quæ ego omnium fere Imperatorum inſignita nominibus vidi, & pleraq; etiam habeo penes me, multa largitus amicis. 239.

Hoc anno, ſecundum Euſebii ſupputationem, Antherus Papa epiſtolam ſcripſit ad epiſcopos Bæticæ & Toletanæ prouinciæ, pietatis ac diuini ſpiritus pleniſſimam, in qua ſtatuit, epiſcopum non debere migrare in aliam ſedem, niſi publicæ neceſſitatis & vtilitatis, non priuati comm[illegible]i cauſa. 241.

Lucius Papa epiſtolã ſcipſit ad epiſcopos Galliæ & Hiſpaniæ conſolatoriam & hortatoriam de iis quæ ad officium pertinent epiſcoporum. Ea extat priori tomo Conciliorum. Eodem fere tempore, aut paulo poſt, nempe ſub Stephano Papa, Diuus Cyprianus Carthaginenſis epiſcopus, epiſtolam ſcripſit pietatis & eruditionis pleniſſimam, cum reliquis epiſcopis in concilio congregatis, ad Felicem presbyterum & plebem Legionenſem atq; Aſturicenſem, & Ælium diaconũ & plebem Emeritenſem, in qua de cõmuni aliorum patrum ſentẽtia decernit, Baſilidem & Martialem idololatriæ crimine cõma- 256.

An. dom. culatos, & nefandorum facinorum conſcientia vinctos, epiſcopatum gerere & ſacerdotium dei adminiſtrare non oportere, ac proinde recte priuatos ea dignitate, & alios in locum eorum ſubrogatos. Videtur alter eorum Legionenſis, alter Emeritenſis fuiſſe epiſcopus. Sabinum in Baſilidis locum ſuffectum ipſe D. Cyprianus aperte teſtatur. Præterea colligi videtur, Legionenſes atque Aſturicenſes eo tempore eidem epiſcopo fuiſſe ſubiectos, licet poſtea diuiſi epiſcopatus fuerint. In eadem epiſtola mentio fit Felicis epiſcopi Cæſarauguſtani, quem collegam & fidei cultorem & defenſorem veritatis appellat. Epiſtola extat in operibus illius priore tomo libro 1. epiſt. 5. Eius initium, Cum in vnum conueniſſemus.

257. Durante adhuc Deciana ac Valeriana perſecutione quæ poſt Neronem fuit octaua, admirabili certamine pro Chriſti gloria certauit conſtantiſſimus martyr beatus Laurentius Hiſpanus, Leuita, Archidiaconus, & Cancellarius ſummi Pontificis, quem Sanctus Xiſtus Papa, quum ad Toletanum veniſſet concilium, Cæſarauguſta, qua iter fecerat, Romam ſecum duxit, vt autor eſt beatus Vincentius ordinis Prædicatorum, in ſermone de hoc Sancto. Huius ſancti martyris glorioſam paſſionē, cuius tanta, D. Auguſtino teſte, gloria extitit, vt mundum illuminauerit vniuerſum, eleganti hymno proſecutus eſt Prudentius. Qui de ſanctis Hiſpaniæ ſcripſerunt, Oſcenſem fuiſſe dicunt, inter quos eſt beatus Vicentius quem modo citauimus, qui addit illum Cæſarauguſtæ literis operam dediſſe. In hac perſecutione, quæ fuit multo maxima, Tarracone ſub Æmiliano præſide, imperātibus iam Valeriano & Gallieno, pro aſſerenda fide Chriſti ſanguinem ſuum fuderunt Fructuoſus epiſcopus Tarraconenſis, & duo eiuſdem Diaconi Augurius & Eulogius, de quorum paſſione elegans extat hymnus Prudentii. Cordubæ paſſus eſt Parmenius presbyter cum aliis. Hermannus Contractus. Carthagine trecenti martyres, dicti Candida maſſa, ſed in Africa, vt autor eſt Prudentius, in hymno de paſſione Diui Cypriani, non in Hiſpania, vt opinantur alii.

260. Huius tam nefariæ perſecutionis autor Valerianus, mox à Sapore Perſarum Rege captus, Imperator populi Romani, ignominioſiſſima apud Perſas ſeruitute conſenuit, hanc infamis officii, donec vixit, damnationem ſortitus, vt ipſe accliuis humi Regem ſemper aſcenſurum in equum, non manu ſua, ſed dorſo attolleret. Gallienus vero tam claro Dei iudicio territus, tamque miſero collegæ exemplo permotus, pacem eccleſiis trepida ſatiſfactione reſtituit. Paulus Oroſius lib. 7. cap. 22. Hic obiter annotandū, Hermannū Contractum hoc loco vbi de hac agit perſecutione, quā Decio non exacte ſubducta temporis ratione attribuit, vitio librariorum corruptum, ſic reſtituendum. Veronæ Zenon epiſcopus. In Hiſpania Tarracone, Fructuoſus epiſcopus, Augurius & Eulogius diaconi. Fuit enim Zenon epiſcopus Veronenſis, non tantum ſanctitate, ſed etiam eximia ſacrarum literarum peritia clarus, quemadmodum videre eſt in his quæ ex monumentis ipſius in Bibliotheca Vaticana perluſtratis, citat in Catena ſua quam ex antiquiſſimis quibuſq; autoribus, tum Græcis, tum Latinis, & eorum pleriſque omnibus nunquam impreſſis, maximo labore & induſtria contexuit in Geneſin, & parat in totum Pentateuchum Reuerēdiſſimus D. Aloyſius Lippomanus, eiuſdem ciuitatis fratri ſuo ſubrogatus epiſcopus, Patritius Venetus, natalium ſplendore, literarum peritia, morum integritate, vitæ ſanctimonia clariſſimus, nuper apud Ioannem Portugalliæ & Algarbiorum Regem legatione Apoſtolica functus. Qualeis ſi multos haberet Legatos Romanus Pontifex, vel citra argumenta obmuteſcerent, quotquot his temporibus tam impie ac nefarie Romanæ ſedi oblatrant. Reliqui vero tres fuerunt Hiſpani, non ſub Decio paſſi, vt ait Hermannus Cōtractus, ſed ſub Gallieno, vt autor eſt Prudentius. In hac perſecutione octaua, martyrum catalogo acceſſit S. Narciſſus, qui ex Alpibus venit in Hiſpaniam ad prædicandum Gerūdenſibus. Petrus Antonius Beuter lib. 1. cap. 24.

265. Anno 265. aut ſecundum Euſebium, 266. Germani vlteriores abraſa potiuntur Hiſpania, ac Tarraconem deuaſtant, per duodecim fere annos omnia ferro & incendiis ac rapinis miſcentes, vt ait Paulus Oroſius lib. 7. cap. 22. Beatus Rhenanus lib. 1. rerum Germ. dicit fuiſſe Sueuos, qui Galleciæ regnum occupauerint. Quod tamen multo poſt contigit, quemadmodum ſuo loco patebit.

266. Circa hunc annum Sixtus Pontifex Maximus ſcripſit ad epiſcopos Hiſpaniarum epiſtolam grauem de accuſatione epiſcoporum, quæ inter decretales ipſius epiſtolas extat, priore tomo Conciliorum.

270. Dionyſius Papa epiſtolam ſcripſit ad Seuerum Cordubenſem, vt apparet, epiſcopum, de diuiſione eccleſiarum parochialium prouinciæ Cordubenſis, accuſatione presbyterorum & epiſcoporum, quæ extat ibidem.

Imperan-

Imperante Claudio, Tetricus inuasit Hispanias & Gallias, neruos & vires Imperii Romani. Trebellius Pollio. *An. dom.* 272.

Probus Romanum sortitus Imperium, permisit Gallis omnib. & Hispanis vt vires haberent, vinumque conficerent. Flauius Vopiscus. Huius temporibus Hispani aduersus Romanos res nouas moliti sunt, quia illos Saturninus pacasse se dicit, qui huius Imperatoris tempore in Oriente occupauit imperium. Idem. Eodem tempore Bonosus quoque stupenda bibacitate celebris origine Britannus, sed educatione Hispaniensis, in Germania vsurpauit imperium. Idem. 278.

Hoc anno, secundum Eusebium, Eutychianus Pontifex Romanus scripsit ad Ioannem (opinor Hispalensem) & omnes Bæticæ prouinciæ episcopos, epistolam sanctã, quomodo deberent subditos de incarnatione Seruatoris nostri informare. Ex priore tomo Conciliorum. 284.

Diocletianus in Oriente Maximianus Herculius in Occidente, mense Martio, die sancto Paschæ, secundum Eusebium, secundum Historiam tripartitam die passionis Dominicę, vastari ecclesias, affligi, interficiq; Christianos decimo post Neronem, loco præcipiunt. Quæ persecutio omnibus fere anteactis diuturnior atq; immanior fuit. Nam per decem annos incendiis Ecclesiarum, proscriptionibus innocentum, cędibus martyrum miserabiliter acta est. Paulus Orosius lib. 7. cap. 25. Huius persecutionis non minima laus debetur Hispanię, atque haud scio, an vlla tunc prouincia plus effuderit sanguinis pro fide & nomine Christi. Sola Cæsaraugusta, ni fallor, potest hac parte contendere cum quauis nõ dico ciuitate, sed prouincia, vt eleganter testatur Prudentius in hymno de octodecim martyribus Cæsaraugustanis. Vt igitur ab ea catalogum exordiamur eorum martyrum qui durante hac persecutione martyrii lauream adepti sunt: passi sunt Cæsaraugustę martyres Lusitani: 306.

Optatus,	*Publius,*	*Lupercius,*	*Fronto.*
Successus,	*Felix,*	*Martialis,*	*Cæcilianus,*
Vrbanus,	*Euentius,*	*Iulius,*	*Primitiuus,*
Quintilianus,	*Apodemius,*	*& quatuor Saturnini.*	

Quos omneis simul cum duobus confessoribus Caio & Crementio, Prudentius eleganti celebrauit hymno. Quatuor illos Saturninos, quorũ nomina renuente metri lege nõ potuit Prudentius, dicunt fuisse Cassianum, Matutinum, Faustum, Ianuari um. Ego tamẽ suspicor fuisse alios. S. Engratis (vulgo Engratia) virgo nobilis, filia Dinastæ seu Principis qui rerum in Lusitania potiebatur, & Duci limitaneo Rhodani prouinciæ Narbonensis Galliæ desponsata, quæ sola proprie passioni fuit superstes, vt canit Prudentius in hymno iam dicto, vbi passionem illius paucis perstringit, de cuius vita qui plura volet, consulat Breuiarium Eborense à Resendio recognitum. Dacianus Hispaniæ id temporis Pręses, atque sedulus huius persecutionis minister, vbi vidit crudelitatem suam Christianorum succumbere constantiæ, dolo pensandum ratus quod viribus deerat, dispositis ad omnes Cęsaraugustæ portas militibus in insidiis, per præconem edici iubet, quicunque Christiani in ciuitate essent, si continuo discedant, impune atque illæsos abituros. Illi vero gaudio exultantes, neque quicquam suspicantes fraudis, subito sese agmine portis effundunt psallentes Deo, & gratias agentes: sed mox in militum insidias illapsi, simul omnes pro Christi nomine sanguinem obtruncati effundunt. Quorum corpora ne à Christianis, siqui forte remanerent, occulte sepeliri atque adseruari possent, iussit in vnum collecta aceruum cremari, permistis quotquot in vinculis erant facinorosis ac maleficis hominib: vt cinerum quoque confusio esset. Sed nihil potuit aduersus diuinam prouidentiam humana malitia. Postquam enim redacti fuerunt in cineres, repente sanctorum martyrum cineres apparuerunt niue candidiores, aliorum vero carbone quouis atriores. Præterea pluuia cœlitus dimissa, reliquias sanctorũ in massas candidas redegit, vnde id nomen hodie quoque retinent, atque adseruantur summa cum veneratione in templo diuæ Encratidis, cum reliquiis huius sanctissimę virginis, & octodecim martyrũ, in monasterio quod in ciuitate ad ad honorem Dei & sanctorum martyrum magnifice instaurauit catholicus Rex Ferdinandus, ac monachis Diui Hieronymi habitandum dedit. Celebratur vero festum horum innumerabilium martyrum tertio Nonas Nouembris, quorum nomina ignorantur quidem, sed scripta sunt in libro vitæ. Ex Flore Sanctorum. S. Lambertus eodem tempore, cũ nollet abnegare fidem Christi, ab hero suo cui in agriculturæ seruiebat officio, capite truncatus, mox capite in manus resumpto (mira res, sed vera) vltra quatuor passuũ millia profectus est, ad locũ vbi prædicti iacebant martyres occisi: quo cũ

perueniſſet, elata voce dixit, Exultabunt ſancti in gloria. Reſponderunt ſancti martyres, Et lætabuntur in cubilibus ſuis, atque acclinauit ſe illis. Ibidem.

SAGVNTI, (nunc vulgo Moruedre, quaſi murus vetus) prope Valentiam Aragoniæ, ſub eodem Præſide, glorioſum certamen pro fide Chriſtiana certauit D. Vincentius Cæſaraugustanus (vt Prudentius aperte teſtatur, non Oſcenſis, vt vulgo creditur) & (vt inquit diuus Auguſtinus) vere Vincentius, omnia mortis pericula fortiſſime vicit. de cuius admirabili paſſione vide Prudentium. Nuper quoque L. And. Reſendius paſſionem ac tráſlationem ipſius ad Oliſiponem ciuitatem, heroico carmine grauiter eſt proſequutus. S. Valerius Cæſarauguſtanus epiſcopus, in exilio prope Valentiam diem ſuum obiit. Pet. Ant. Beuter.

BARCINONE paſſus ſub eodem Daciano S. Cucufas, & S. Eulalia virgo, variis iiſq; grauiſſimis cruciata tormentis, & S. Iulia virgo. Laurentius Padilia cum aliis. Corpus S. Cucufatis Pariſiis in Eccleſia S. Victoris adſeruari memoriæ prodidit Petrus de Natalibus, & etiam Laurentius à Padilia, ſed in templo S. Mauricii.

GERVNDÆ, S. Fœlix S. Narciſſi diaconus, &, vt aliqui volunt, S. Cucufatis frater, cuius mentionem facit Prudentius, ſicut & Sancti Cucufatis. Sunt qui hoc tempore B. Narciſſum dicant paſſum, de quo iam diximus. S. Cucufas & S. Fœlix paſſi ſunt à Ruffino Daciani legato, ſed prius Gallerio Proconſule, & Maximiano Præſide, dum in illos variis tormentis deſæuirent, diuino ſupplicio peremptis. Ex Breuiario Eborenſi.

Prope Barcinonem, in oppido quod tunc dicebatur Caſtrum Octauianum, nunc S. Cucufatis, martyrio affecti ſunt S. Seuerus epiſcopus Barcinonenſis, clauo ferreo in caput impacto, poſt multa verbera, & cum eo quatuor ſacerdotes, & S. Emiterius gladio percuſſi. Laurentius à Padilia.

CARTHAGINE (de ea loquor quæ in Hiſpania diciturCarthago noua, Pœnorum opus) Saturnino Proconſule, pro fide & religione Chriſti gladio percuſſi ſunt S. Speratus, Natalius, Cirinus, Beturius, Felix, Aquilinus, Letarius, Ianuarius, Generoſa, Baſſia ſiue Beſſia, Donata, Secunda. Autor eſt præter alios Marinæus Siculus. Sed hos ego potius imperantibus Gallieno & Valeriano paſſos crediderim, quo tempore Saturninum Conſulem lego. Verum an is ſit qui in martyres iſtos tyrannidem ſuam exercuerit, neque aſſerere poſſum, neque negare.

CALAGVRI, S. Hemeterius & Cheledonius milites legionarii, filii Marcelli Centurionis, & fratres Facundi & Primitiui, de quibus Prudentii extat hymnus, in quo dicit ignorari tempus, quo tempore paſſi ſint: ſed Chronica Hiſpana huic adſcribunt perſecutioni. quod ita eſſe, ex Eborenſi Breuiario conſtat.

COMPLVTI, Iuſtus & Paſtor fratres adoleſcentes, quæ nomina deprauata ſunt in Hermanno Contracto, vbi perperam legitur, Iuſtinus & Haſtar, pro Iuſtus & Paſtor. Sicut in eodem paulo ante Oucufas, pro, Cucufas. Horum quoque mentionem facit Prudẽtius.

TOLETI, S. Leocadia, in cuius eccleſia poſterius celebrata ſunt pleraque omnia concilia Toletana. Sunt autem tria illic huic diuæ templa: primum vbi nata, alterum vbi paſſa, poſtremum vbi ſepulta. Huius ſanctæ virginis ac martyris corpus tempore Maurorum à Chriſtianis Coloniam Agrippinæ delatũ fuit. Vnde D. Ioanna, Caroli quinti Imp. ſemper Auguſti mater, brachium illius è Flandria deportatum, Toletanæ eccleſiæ dono dedit. Laurentius Padilia.

ABVLÆ (vulgo Auila) ſub Daciano Præſide S. Vincentius, alius ab illo de quo iam diximus, cum ſororibus Sabina & Chriſtetide. Ciues ſunt Eborenſes in Portugallia, non oppidi vulgo dicti Talauera, vt quidã inepte ſomniant. Marinæus Siculus falſo putauit, hunc eundem eſſe cum Diuo Vincentio Cæſarauguſtano. Viſuntur adhuc Eboræ plantarum S. Vincentii veſtigia in lapide, in quo cum ad aram Iouis ſacrificandi cauſa poſitus eſſet, lapis velut figuli lutum mollitus, plantarum eius impreſſionem recepit. Verum & hæc, & ipſa paſſionis hiſtoria, in Eborenſi Breuiario fuſius & melius deſcribuntur.

EMERITÆ Auguſtæ, quæ tunc Luſitaniæ prouinciæ metropolis fuit, Prudentio teſte, beata Eulalia virgo nobilis, duodecim annorum, à Donato presbytero fidem Chriſti docta, cum S. Iulia comite, ſub Calpurniano Daciani legato, cuius glorioſam & admirabilẽ paſſionem eleganti carmine deſcripſit Prudentius. S. Eſtertius, Victor, Theogenes. Laurentius Padilia. S. Fides & Sabina, vt ait Ferdinandus Perez de Guzman. Raphael Volaterranus memoriæ prodidit, S. Lucretiam virginem etiam Hiſpanam & martyrẽ, ſub Daciano paſſam Emeritæ. Cuius meminit etiam Petrus de Natalibus.

CORDVBÆ, S. Aciſclus cum Victoria ſorore ſub Dione Daciani, opinor, legato, & S. Zoylus, ſiue, vt appellat Prudentius, Zoellus (cui viuo renes à tergo extracti fuerunt)

cum

nouem sociis. Petrus de Natalibus. In eadem persecutione sub Eugenio legato vel præside, pro Christi fide martyrio creduntur affecti S. Paulus Diaconus, S. Æmilianus, Hieremias, Eulogius, Faustus, Ianuarius, Martialis, qui naribus & auribus abscissis, confractis dentibus, igni tandem perierunt, S. Flora, S. Maria. sed sancti Faustus, Ianuarius, Martialis, S. Marcelli martyris filii fuerunt, fratres sanctorum Facundi & Primitiui. Ornatur & aliis Corduba Patritia martyribus, Helia, Isidoro, Isaac, Leouigildo, Christophoro, Perfecto presbytero, Athanasio, Secundino, Petro, Auentio, Faudila, Adulpho & Ioanne, Salomone, Heleo, Narcisso, Lucio & Minutio Diaconis, Abundo, Vigildo, Olympiado & Maximo, quos duos postremos sub Decio passos affirmat Laurētius à Padilia. Reliqui quo tempore passi sint, hactenus inopia scriptorum incertum est. Arbitror tamē aliquos ex istis tempore Gothorum ab Arianis martyrio affectos, vt Leouigildum, Faudilam, Adulphum, quorum ipsa quoq; nomina Gothicum quidam resonant. *An. Dom.*

HISPALI, S. Carpophorus, & Abundius, S. Petrus, S. Florentinus, S. Iusta & Rufina virgines, partim sub ipso Daciano, partim sub Diogeniano Daciani legato. Corpus beatæ Iustæ ex altissimo puteo in quem proiectum erat; & ossa beatæ Rufinæ, cuius corpus in amphitheatro combustum fuerat, a venerabili Sabino episcopo, in cœmiterio suburbii Hispalensis sepulta fuerunt. Ex Breuiario Eborensi.

ITALICÆ, S. Gerontius episcopus & martyr.

MALACÆ, S. Cyriacus & S. Paula virgo.

ASTÆ, (quæ fuit Colonia Romanorum in Bætica, prope Gades) S. Honorius, Eutychius Stephanus. Laurentius Padilia.

PROPE Gades, ad fundum Vrsonianum conuentus Gaditani, siue (vt alii volunt) Astigitani, circa finem huius persecutionis, S. Seruandus & Germanus, sub Viatore vicariam præfecturam agente: S. Germanus sepultus Emeritæ, S. Seruandus Hispali. Ex Breuiario Eborensi.

OLISIPONE, S. Verissimus cum sororibus suis Maxima & Iulia pro fide Christi capite truncati sunt, & in mare præcipitati, postea apparuerunt: quo loco in honorem illorum ædificatum est monasterium quod vulgo dicitur Ad sanctos, monialium ordinis militiæ Diui Iacobi. In hac persecutione passus est Romæ Beatus Pantaleon, cuius corpus posterius à Romanis fugientibus persecutionem barbarorum, deuectum est in Portugalliam, atq; in ciuitate Portugallensi multis etiam nunc claret miraculis.

BRACARÆ Augustæ, passionem S. Victoris, cuius illic templum est iuxta fluuium Alesten, eodem tempore fuisse opinor, & sanctorum martyrum Syluestri, Cucufati, Susannæ, S. Torquati, atq; aliorum martyrum, quorum memoria diuturnitate & scriptorum penuria exoleuit. Neque enim dubitandum est, quum diues tum Bracara fuerit (vt inquit Ausonius qui eā inter quatuor præcipuas Hispaniæ ciuitates nominat) & conuentus celeberrimus. Pop. Rom. quin multorum martyrum sanguine respersa sit, quorum adhuc subobscura fama passim illic restat.

IN TVDENSI ciuitate Sancta Euphemia. Ferdinandus Perez.

IN ASTVRIIS (nomen vrbis non proditur) B. Felix Complutensis, & Anastasius, & S. Digna.

IN LEGIONENSI, pro Christianæ fidei confessione sanguinem fuderunt, Claudius, Lupercus & Victoricus fratres, sub Diogeniano Daciani legato. Quorum corpora in eadem ciuitate in monasterio Diui Benedicti summa cum veneratione seruantur. Hos F. Alfonsus Venerus, sanctorum Martielis & Nonæ eiusdem ciuitatis ciuium filios fuisse scribit. Sed L. Marinæus Siculus dicit, Martielem duodecim habuisse filios, quorum vndecim eodem die crudelissimo affectos martyrio, Nonam vero extincto cum filiis marito, paruulum qui restabat filium complexam, orasse Deum, vt ipsam cum filiolo miseriis præsentis vitæ subduceret, atque exorto repente lacu cum prole diuinitus absorptam, ad quem lacum templum illi conditum, quod S. Nonæ dicitur. Cæterum fuerunt martyres isti filii non Martielis, vt illi dicunt, sed B. Marcelli prius Centurionis legionis Traianæ, viri nobilis, ac multis honoribus militaribus & emeritis stipendiis honestati, postea martyris, qui Anitio Fausto & Gallo Coss. Legionibus apud Galleciam natalem Augustorum diem celebrantibus, quum sacrificare monitus baltheum & spatham proiiceret, & Christianum se profiteretur, à Fortunato tribuno legionis vinctos ad vrbem Legionensem ductus est, & inde Tingin Mauritaniæ Tingitanæ metropolin ad Agricolanum Præfectorum prætorii vices agentē missus, & ibi propter bellica decora capitis abscissione punitus. Acta huius rei habes in Eborensi Breuiario, per L. Andream Resendium diligenter & fideliter translata ex Ecclesia Compostellana. Filii huius Diui Marcelli fuerunt,

An. dom. Claudius, Lupercus, Victoricus, Facundus, Primitiuus, Hemeterius, Cheledonius, Faustus, Ianuarius, Martialis, Seruandus, & Germanus, martyres omnes, de quibus suo loco in hac ipsa persecutione diximus.

Ad Ceam fluuium passi sunt sub Attico Præside Facundus & Primitiuus prædicti S. Marcelli martyris filii, quo loco nunc oppidum S. Facundi reliquiis horum martyrum & monasterio Diui Benedicti nobile. Prope ciuitatem Burgensem (quãquam incertum an eodem tempore) sub Eglisio præfecto passæ sunt pro Christo, S. Centolla & Sancta Helena. S. Centollæ corpus, regnante Alfonso decimo, à Gundisaluo episcopo in Burgensem Ecclesiam translatum est. Ioannes Maldonadus. In hac quoq; persecutione (locus non proditur) S. Vincentius & Orontius, & S. Victor Leuita, qui hospitio eos acce- 1
perat, & pater Sancti Victoris, ab Aquilina coniuge in confessione fidei confirmatus, capite sunt cæsi. Quorum corpora dum à Pontio episcopo diuinitus admonito in Italiam plaustro imposita deferrentur, ad ciuitatem Hebredunensem bobus subsistentibus, nec vlterius procedere volentibus, sepulta sunt. Petrus de Natalibus. Eodem tempore in sanctorum martyrum sodalitium relati sunt S. Eugurius, Iulius, Iulianus, Vincẽtius, Fructuosus, Cassianus, Eutychius, & S. Bibiana. Laurentius Padilia. Sed quod ad S. Fructuosum & Eugurium attinet, arbitror esse eosdem quos sub Valleriano & Gallieno passos diximus. Hi sunt sancti Christi martyres, quos his temporibus, aut saltem circa hæc tempora passos reperire hactenus potui, quibus Hispania cum aliis multis, tum hoc præcipue nomine felix, apud Deũ patronis merito gloriatur. Nec dubito, quin multo plures fuerint, 2
sed quorum nomina Christo cui militarunt, nota, suffragia nobis salutaria sunt. Quorum si mihi liceat aliquãdo frui patrocinio, satis amplum laboris mei præmium recepisse merito gloriabor. Nec moueat quenquam, quod alios aliis Præsidibus passos diximus. Nam nihil mirum, si Hispania per decem annos quibus durauit huius persecutionis tempestas, à diuersis administrata sit Præsidibus. Præterea certum est, Dacianum, quum vnus tam multis persequẽdis Christianis non sufficeret, per legatos multa gessisse. Quem constat ex vita Diui Georgii, huius tempore persecutionis, igne cœlitus demisso conflagrasse. Hac tempestate vixit etiam Beatus Prudentius Hispanus, ex ea Cantabriæ prouincia quæ nunc dicitur Alaba, episcopus Tarraconensis & confessor domini, cuius festum celebratur vigesimo octauo die Aprilis. F. Alfonsus Venerus. Alius hic est à Prudentio poe- 3
ta. Claruit eodem tempore Ruffus Festus Auienus, poeta eruditus & elegans, quem Hispanum fuisse putãt, vt inquit Petrus Crinitus libro quinto de Poet. Lat. Hunc etiam Abidnum in antiquis codicibus appellari notauit Gregorius Gyraldus lib. 4. hist. poet.

315. Hoc anno, aut secundum alios, 311. Melciades Pontifex Romanus ad Marinum, Benedictum, Leontium, & alios Hispaniarum episcopos epistolam scripsit, tam sancto Pontifice dignam, de primatu sedis Romanæ, qua etiam respondet ad quæstionem illorum, vtrũ maius sit sacramentum manus impositio, id est confirmatio, an baptismus. Ex priore tomo Conciliorum.

326. Celebrata est mense Iunio sancta Synodus Nicena 318. episcoporum, quæ fuit prima, teste Eusebio, sed œcumenica. Nam concilia generalia prouinciarum prius celebra- 4
ta legimus, vt Carthaginense sub Beato Cypriano, sed & Beda in Chronicis dicit, imperante Helio Pertinace, concilium in Cæsarea Palæstinæ à Theophilo & aliis episcopis super celebratione Paschæ celebratum. Scribit Ioannes Abbas, quod concilium Nicenum fuit anno Constantini vigesimo, hoc est, Christi 329. sed ex actis ipsius concilii, & epistola Osii constat, celebratum hoc Concilium consulatu Paulini & Iuliani, qui cadit in annum decimum septimum Constantini, id est, annum Domini 326. Celebratum est autem 13. calendas Iulias. Interfuit huic Synodo Theophilus Gothorum episcopus, vt ait Socrates in historia Tripartita libro 5. capite 38. vnde liquet falsum esse quod aiunt, Gothos vsque ad Valentis Imperatoris tempora Christum penitus ignorauisse. Huic sancto concilio Niceno Osius episcopus Cordubẽsis interfuit, & bonam multamque in eo 5
nauauit operam, vt etiam annotauit Petrus Messias in vita Constantini Imperatoris, scriptor diligens & multæ lectionis, mihique olim Hispali cognitus. Imo vero præfedisse videtur concilio, & in eo vicem Romani gessisse Pontificis, cum Victore & Vincentio presbyteris Romanis, quos nunc Cardinales appellamus: quod apparet ex præfatione Sardicensis concilii. Præterea extat illius in actis concilii Niceni epistola, in qua ipse & Macarius Constantinopolitanus episcopus & præsbyteri iam dicti postulant, quæ in eo concilio gesta erant, Syluestri summi Pontificis consensu & calculo confirmari. Historia Tripartita libro 6. cap. 20. testatur Osium Cordubæ Hispaniæ præsulem ad hoc concilium ab Imperatore Constantino præmissum, vt flammã ab Ario tunc excitatam extinguerent:

gueret: etiã Sabellii Libyensis hæretici dogma destruxisse. Interfuit Osius Episcopus etiam concilio Gangrensi, quod eodem fere anno in Paphlagonia celebratum est. Priore tomo Conciliorum. Quæ præterea de Osio dicenda restant, suis locis dicentur.

Floruit sub Constantino Imperatore Iuuentus, nobilissimi generis Hispanus pre- 329.
sbyter, qui versibus heroicis, pene ad verbum transferens, Euangelicam historiam quatuor libris conscripsit, & alia nonnulla eodem metro ad Sacramentorum ordinem pertinentia. D. Hieronymus & Seuerus Sulpitius.

Constantinus Imperator magnas adduxit copias in Hispaniam, vt barbaras natio- 338.
nes quæ Galleciam, Bæticam, atque omnem oram maritimam varie occupauerant, expelleret: atque Hispanos in monteis & inaccessa loca profugos sedibus suis restitueret. Quod vt effecit, ad componendas res ecclesiasticas animum adiecit. Chronica Regis Alfonsi. Iussit enim celebrari concilium Illiberitanum à 19. Episcopis, in Illiberi, quæ est in radicibus montis Pyrenæi, non ea quæ fuit prope Granatam, cui concilio Helenam Constantini Magni matrem cum Constante nepote, cui in partitione Imperii Gallias & Hispanias Constantinus pater dederat, interfuisse affirmat Ioannes episcopus Gerundensis. In hoc concilio Hispania in quinque prouincias diuisa est: Tarraconensem, Carthaginensem, Bæticam, Lusitaniam, & Galleciam: & singulis prouinciis assignati sunt episcopi metropolitani. Citeriori Hispaniæ Tarraconensis, Carpetaniæ Carthaginensis, in cuius locum postea successit Toletanus (vt etiam ex Diuo Alfonso colligere est, apud quem frequenter de Toletanis Episcopis sic inuenies, *Carthaginensis prouinciæ metropolitanus Episcopus*) Bæticæ Hispalensis, Emeritensis Lusitaniæ, Galleciæ Bracarensis. Ex Ioanne episcopo Gerundensi lib. 1. Huic concilio interfuerunt Osius Cordubensis episcopus (quamuis Petrus Antonius Beuter Conscium Osii præcessorem, & hoc concilium ante Nicenam Synodum fuisse dicat) & Quintianus Eborensis episcopus. Ex priore tomo Conciliorum. Quod propter antiquitatem S. Eborensis ecclesiæ adiunctum volui, quam Chronica Regis Alfonsi hoc tempore non ponunt. Quo loco quæcunque ponuntur, vt ingenue fatear, ægroti veteris somnia pleraque omnia mihi videntur. Multos enim episcopatus ibi lego, quorum in antiquis conciliis nulla fit mentio.

Constantinus Magnus prope Nicomediam moritur, anno ætatis suæ 66. Quem 341.
dicit Eusebius extremo vitæ tempore ab Eusebio Nicomediæ episcopo baptizatum, in Arianum dogma declinasse. cui opinioni subscribit S. Isidorus. Sed Historia ecclesiastica lib. 10. cap. 11. ac Theodoritus contrarium sentiunt. Siquidem Ruffinus in historia ecclesiastica, Constantiam Constantini sororem, à presbytero quodam Ariano infectam veneno, presbyterum eundem sub mortem commendasse Constantino, Constantinum vero eiusdem presbyteri suasu Arium ab exilio reuocasse, ac iussisse, vti quod de fide sentiret, scripto exponeret. sed eam expositionem Imperator ad Hierosolymitani concilii remisit examen, neq; illum in communionem recipere voluit ante iudicium & probationem Ecclesiæ, vt est in historia Tripartita lib. 3. cap. 6. Præterea verum quidem est, quod Athanasium Magnum falsis Arianorum persuasionibus in exilium Treuiros misit in Galliam, sed ante mortem honeste reuocari iussit. Postremo, cum Nicomediæ ægrotans fatalem vitę diem suspicaretur adesse, gratiam sacri baptismatis recepit. Distulerat enim vsq; ad illud tempus, in Iordane fluuio desiderans salutaris aquæ lauacro tingi. Ibidem cap. 12. & Theodoritus in historia sua ecclesiastica lib. 1. cap. 31. in qua hæc verba subiungit: Rex quidem in melius transiit regnum. Augustinus Steuchus Eugubinus erudite probat, non solum falsum esse quod ab episcopo hæretico baptizatus sit, sed etiam quod baptismum vsque ad finem vitæ distulerit. Quod si verum esset, non potuisse sine baptismo interesse Niceno concilio, nec cum sanctis Patribus preces habere. Quod de baptismo quidam dixerunt, balneum calidarum aquarum fuisse recuperandæ valetudinis ergo. Quod patri adscribitur, de filio intelligendum. Idem etiam apparet ex edicto ipsius Constantini, quod extat priori tomo Conciliorum. Huius Imperatoris mortem Eusebius ponit anno 340. Hermannus Contractus 343. Ego Paulum Orosium sequutus sum, qui dicit fuisse anno ab vrbe condita 1092. Constantinum Magnum quum de vniuersa Hispania, tum vero de Bracara Augusta pręclare meritum constat ex numismatis antiquis, quorum illic maxima multitudo etiam hodie manibus hominum teritur, cum imagine & inscriptione Constantini.

Impietas Ariana Constantii Regis fulta præsidio, exiliis, carceribus, & variis affli- 342.
ctionum modis primo Athanasium, deinde omneis Catholicos episcopos persecuta est. Eusebius. Hoc tempore Osius Cordubensis episcopus pro Catholicæ fidei professione missus est in exilium, de quo extat hoc Athanasii Magni in Apologia elogium: De ma-

An. dom. ximo autem & optimo sene & vere confessore Osio etiam loqui superfluum. Omnibus enim notum est, quod etiam hunc in exilium deportari fecerunt. Non enim ignobilis, sed omnibus noscitur esse notissimus. Cui namque non præfuit Synodo? aut recte loquens, non satisfecit vniuersis? Quæ ecclesia huius patrocinii memoriã non habet? Quis aliquando dolens, cum venisset ad eum, non decessit sanus? Quis indigens quum petisset, non meruit quod poposcit? Et tamen etiam contra hunc talia præsumpserunt, quod impia eorum molimina cognoscẽs noluerit propria subscriptione firmare. Hæc ille. Ex priore tomo Conciliorum.

350. Pacianus Barcinonẽsis episcopus, vitæ puritate ac sanctimonia & eruditione clarus celebratur, & sub Theodosio Principe in vltima senectute mortuus est. De quo vide Diuũ Hieronymum de scriptoribus ecclesiasticis.

351. Natus est Cæsaraugustæ Aurelius Prudentius Clemens, Philippo & Salia Coss. vt ipse de se testatur in præfatione libri Cathemerinon, vbi sic inquit:

Irrepsit subito canities seni,
Oblitum veteris me Saliæ Consulis admonens.

Ita enim legendum, non quemadmodum hactenus etiam à doctis deprauate legebatur. Atque hanc huius loci restitutionem non mihi debes candide lector, sed L. Andreæ Resendio, qui mihi locum hunc atque alios nonnullos, qua est humanitate, communicauit, cuius ego in his rebus limatissimo iudicio non immerito plurimum tribuo. Is in hoc autore ad amussim plurima restituit, quemadmodum re ipsa experieris, si quando, quos sub lima premit in Prudentium Commentarios, per occupationes serias potuerit euulgare. Locum errori mihi dedisse videtur titulus Prudentii. Sic enim legitur, Aurelii Prudentii Clementis V. C. quod perperam interpretantur, Viri Consularis, & Massiliæ fuisse Consulem somniant, quum legendum sit, viri clarissimi, vt erudite scribit Andreas Alciatus libro 3. dispunct. capite 4.

352. Hoc anno celebratum est concilium Sardicense, nempe vndecimo anno post mortem Constantini, Ruffino & Eusebio Consulibus, in quo vel præcipuam operam nauauit Osius Cordubensis episcopus, iam longæuus, & vt est in epistola eiusdem Synodi, atque Historia Tripartita libro quarto capite 23. propter ætatem & confessionem, tantumque laborem omni honore dignus. Tamẽ Cassiodorus hos Cõsules nono post mortem Constantini ponit anno. ego Tripartitam historiam sequor. Porro quod Osium in hoc concilio præsedisse dicunt, contrarium ex subscriptionibus ipsius concilii constat, in quibus Osius non primo loco, vt in Synodo Nicæna, sed quadragesimo quarto ponitur, quum tamen sententiæ concilii prope omnes ipsius sint. Quin & alii quatuor episcopi Hispani ante Osium subscripserunt, nempe Annianus Castulonensis, Costus Cæsaraugustanus, Domitianus ciuitatis Augustæ (de quo vide in titulo de episcopatibus Hispaniæ) Florentinus Emeritæ, qui simul cum Osio interfuerunt, & præter eos Prætextatus Episcopus Barcinonensis.

354. Constantius Imperator, quum apud Ariminũ numerosam vtriusque orbis Synodum episcopalem collegisset, cupiens aduersus Catholicam fidem Arii venena reuoluere, & Ecclesiam Dei tyrannica vsurpatione turbare, Osium interrogauit solenni legatione episcoporum missa, vtrum in concilio Nicæno cui ipse interfuerat, Homusion vnius cum patre substantiæ filium, sicut Catholici, an Homœusion, similis cum patre substantiæ filium, sicut Ariani, Patres illi trecenti octodecim confiteri decreuissent. Osius vero siue per longam ætatem, siue assentatione Principis respondit, vtrosque recte sentire. Quæ sententia tam stulte prolata, tam ab ipsis Arianis, quam catholicis vno ore derisa & refutata est, & post hanc consultationem nomen illius inter Catholicos episcopos decessores eius minime recitatur. Ex priore tomo Conciliorum. Hanc Synodum, si tamen Synodus appellanda est, ac non potius conciliabulum, D. Hieronymus in additionibus ad Eusebium, anno trecentesimo sexagesimo tertio ponit, sed quia acta Conciliorum Synodum istam Syrmiensi concilio, de quo iam dicemus, præponunt, quod ex historia Tripartita constat, anno sequenti, nempe post consulatum Sergii & Nigriani celebratum, ego eundem ordinem sequutus sum.

355. Constantius à Diuo Athanasio ad sanam mẽtem conuersus, quum prauis Arianorum suasibus in pristinam relapsus esset insaniam, concilium contra Catholicos Syrmii collegit, quo Osium Cordubensem Pontificem tunc celeberrimum omnium, vt etiam Tripartita testatur historia libro 5. capite 16. qui Arianorum molimine paulo ante in exilium missus fuerat, euocauit, & inuitum venire compulit. Qui cum eis consentire respueret, tormẽta longæuus plagasq; perpessus est: vnde etiam necessitate vehemẽti expositionibus tunc

tunc editis consensit atque subscripsit. Ex priore tomo Conciliorum. Sed operæpretium fuerit hoc loco adscribere, quæ Sanctus Isidorus de Osio memoriæ prodidit libro de viris illustribus, admiranda me hercle ac relatu digna. Inquit igitur ad hunc modum: Osius Cordubensis Ecclesiæ episcopus scripsit ad sororem de laude virginitatis epistolam, pulchro ac diserto comptam eloquio. In Sardicensi etiam concilio quamplurimas ipse edidit sententias. Hic autem post longum senium vetustatis, accersitus à Constantio Principe minisque perterritus, metuens ne senex & diues damna rerum vel exilium pateretur, ilico Arianæ impietati consensit. Cuius quidem vitam, vt meruit, confestim exitus crudelis finiuit. Nam post impiam (vt ait quidam) Osii præuaricationem, dum Sanctus Gregorius Eliberitanus episcopus, in Cordubẽsi vrbe iuxta imperiale decretum fuisset adductus, ac minime vellet illi communicare, commotus Osius dicit Clementino Constantis præfecti vicario, vt mitteret eum in exilium. At ille, Non audeo, inquit, episcopum in exilium mittere, nisi prius eum ab episcopatu deieceris. Vt autem vidit Sanctus Gregorius, quod Osius vellet dare sententiam, appellat Christum totis fidei suæ visceribus exclamans, Christe Deus qui venturus es iudicare viuos & mortuos, ne patiaris hodie humanam perferri sententiam aduersum me minimum seruum tuum, qui pro fide nominis tui, vt reus assistens, spectaculum factus sum: sed tu ipse, quæso, in causa tua hodie iudica, ipse sententiam perferre dignare per vltionem. Non ego quasi metuens de exilio fugere cupio, cum mihi pro tuo nomine nullum supplicium graue sit: sed vt multi à præuaricationis errore liberentur, cum præsentem viderint vltionem. His dictis, ecce repente Osius residens fastu quasi regalis imperii, cum sententiam conaretur exprimere, os vertit distorquens pariter & ceruicem, ac desursum in terram eliditur atque ilico expirauit. Tunc admirantibus cunctis, etiam Clementinus ille gentilis expauit, & licet esset iudex, tamen timens ne in se simile supplicium iudicaretur, prostrauit se ad pedes sancti viri, obsecrans vt sibi parceret, qui in eum diuinæ legis ignoratione peccasset, & non tam proprio arbitrio, quam mandantis imperio. Inde est, quod solus Gregorius, ex numero vindicantium integram fidem habens, nec in fugam versus est, nec passus exilium. Vnusquisque enim timuit de illo vlterius iudicare. Hactenus Sanctus Isidorus. Tamen Diuus Augustinus contra Parmenianum, innocentem Osium & catholicum contra hæreticorum calumnias astruit. Illud mirum, quum Diuus Hieronymus Gregorii mentionem fecerit, tamen Osii non meminisse. Ioannes Trittemius Osium ponit anno trecentesimo nonagesimo. Sed arbitror illum Æram pro anno Domini accepisse, alioqui non constat ratio temporis.

Petrus Cæsaraugustæ Orator insignis docet. Diuus Hieronymus in additionibus ad Eusebium. 360.

Mortuo Liberio, Sanctus Damasus ordinatur Rom. Pontifex, numero trigesimus quintus. Fuit hic natus Vimaranis oppido Portugalliæ, inter Durium & Minium, tribus leucis à Bracara Augusta, sicut Bracarensis cantat Ecclesia. Hic elegans habuit ingenium in componendis versibus. Diuus Hieronymus huic sancto Pontifici fuit à libellis synodicis, atque in eremum reuersus multas ad illum dedit epistolas, inter quas vnam singularem tomo secundo, cuius initium, *Quoniam vetusto*: in qua luculenter ostendit, quantopere sedem Apostolicam venerabatur. Vide Breuiarium Eborense, à Resendio nitori suo restitutum. Sunt qui Sanctum Damasum anno trecentesimo septuagesimo primo Pontificatum summum iniisse scribant, sed illi Liberio subrogant Felicem, qui sedit anno vno, menses quatuor, dies duos. Verum hunc alii tanquam Arianum inter Pontifices non ponunt. Eodem anno Athanaricus electus est in Regem Gothorum siue Getarum, à quo scriptores Hispanicarum rerum Gothorum Reges numerare incipiunt. Sed Rodericus Toletanus & Alfonsus Burgensis episcopus in hoc lapsi sunt, quod illius regnum ab anno trecentesimo quadragesimo tertio auspicantur, quum vel ipsis testibus sub Valente fuerit, non Constantio. Rectius igitur Sanctus Isidorus, qui dicit hunc regnare cœpisse Æra quadringentesima septima, anno quinto Valẽtis, in quo tribus tantum annis ab Eusebii supputatione discrepat, à qua vnico tantum anno differunt Chronica Regis Alfonsi decimi, sicut & Lucas Tudensis. Hic Christianos crudelissime persequutus, plurimos barbarorum ob fidem interfectos, ad coronam martyrii sublimauit, quorum tamen plurimi in Romanorũ solum non trepidi, velut ad hosteis, sed certi quod ad fratres, pro Christi confessione fugerunt. Paulus Orosius lib. 7. cap. 32. 369.

Floruit Gregorius Bæticus Eliberitanus episcopus, vsque ad extremam senectutem, 374.
floruit, inquam, non solum doctrina & scriptis, sed etiam puritate vitę ac fidei Catholicæ, neque se vnquam Arianæ miscuit prauitati. Diuus Hieronymus & Seuerus. Hic est ille

An. dom. Gregorius beatus, quem Oſius Cordubenſis epiſcopus, epiſcopatu, quia ipſi communicare nollet, deturbare voluit, vt iam commemorauimus. Eodem tempore ſub Valentiniano Principe claruit in Hiſpania Aquilius Seuerus, de quo vide D. Hieronymum de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

377. Corpus Sancti Firmini Pompelonenſis ciuis & epiſcopi reuelatum eſt Saluio Ambianenſium epiſcopo, decimo tertio die Ianuarii, quo die ſubito maximus calor factus eſt, & campi floruerunt, multiſque miraculis hic dies inſignis fuit. Ex Breuiario Pompelonenſi. Eodem anno ſecundum Sanctum Iſidorum, ſecundum vero hiſtoriam Tripartitam, cui Alfonſi Regis Chronica cõcinunt, 379. Gothi rebus inter Athanaricum & Frigidernum (alii Fridigernum appellant) diuiſis, mutuis ſe vulneribus attriuerunt. Sed dum Athanaricus rerum potitus, à Valente fidei Catholicæ doctores poſtulat, Imperator Arianæ fautor hæreſeos, miſſis ſacerdotibus hæreticis, eadem illos imbuit impietate, qua nobilis illa Gothorum gens infecta fuit per ducentos tredecim annos, hoc eſt, vſque ad tẽpora Recaredi Regis Catholici, qui à beato Leandro veram fidem edoctus, in Toletana Synodo & publico Patrum conſeſſu omnem hæreſin abiurauit, & ſe ac ſuos Catholicæ orthodoxæ mancipauit fidei. Ex Sancto Iſidoro. Sed quomodo Gothi in Arianam impietatem ſeducti ſunt, quando hanc rem non ſatis acurate, atque aliqua ex parte, ne fideliter quidem, ſcriptores Hiſpani tradidere, non abs re fuerit explicatius paulo repetere. Gothi igitur à fide Catholica quam profitebantur, Valentis Imperatoris & Eudoxii Arianorum epiſcopi ſolicitatione, in Arianam perfidiam lapſi ſunt, ad hunc modum. Quum tranſito Iſtro, ciuili inter ſe bello conflictarentur in duas factiones diuiſi, & Athanaricus Fridigernum viciſſet: Fridigernus Romanorum ad quos deſciuit ope, rurſus Athanaricum vicit. Pro quo beneficio Valenti gratificari cupiens, cum ſuis omnibus dogma religionis ipſius amplexus eſt. Hæc in hiſtoria Tripartita libro octauo capite 13. Theodoritus vero in hiſtor. eccleſiaſt. libro 4. cap. vltimo dicit, quod cum Gothi trãſgreſſi Iſtrum, pacem cum Valente feciſſent, Eudoxius ſuggeſſit Imperatori, vt ei Gothi cõmunicarent, quia communio vnius dogmatis firmiorem faceret pacem. Quod conſilium quum Valenti placeret, exegit à Gothorum ducibus, vt dogmatum quoque concordiam retinerent. Illi vero negarunt ſe paternam poſſe mutare doctrinam. Tum Eudoxius Vlphilam Gothorum epiſcopum verbis pecuniiſque flectens, effecit, vt Barbari cõmunionem amplecterentur Imperatoris, dicens certamen eſſe verborum, non differẽtiam dogmatum. Huius Vlphilæ magna erat apud Gothos autoritas & irrefragabilis, qui literas Gothicas inuenit, ac diuinas ſcripturas in vernaculam illorum linguam conuertit. D. Iſidorus Gulphilam appellat, Hiſpanæ hiſtoriæ vitioſe Gudillam nominant.

379. Valens Imperator inſtinctu dæmonis necromantiam fecit, vt ſciret de ſucceſſu imperii, cui dæmon quatuor literas demonſtrauit, Th. E. O. D. dicens hoc nomen poſt Valentem Imperii culmen accepturum. Vnde Imperator zelo ductus peremit multos, quos tyrannidem ambire iudicauit. Occidebantur itaque Theodori, Theodoti, Theoduli, & quicunque has literas in capite ſui nominis habuiſſent: inter quos etiam Theodoſius quidam, vir fortis, ex Hiſpana prouincia genus ducens, occiſus eſt. Hiſtoria Tripartita libro 7. capite 35. Hic eſt Comes Theodoſius, Theodoſii Imperatoris pater, qui contra Firmũ res nouas in Africa molientem & regnum vſurpantẽ cum exercitu miſſus, Mauros multis præliis fregit, ipſum Firmum coegit ad mortem, & totam cum Mauritania Africam ad Imperatoris reduxit obſequium. Poſtea vero inuidia & calumnia quorundam (ea nimirum quam diximus) iuſſus apud Carthaginem interfici, baptizari voluit in remiſſionẽ peccatorum. At poſtquam ſacramentum Chriſti quod quæſierat, adſecutus eſt, poſt glorioſam ſeculi vitam, etiam de vita æterna ſecurus, percuſſori iugulũ vltro præbuit. Paulus Oroſius libro 7. capite 33.

381. Hoc anno ſecundum Diuum Hieronymum, ſecundum Sanctum Iſidorum trecenteſimo ſeptuageſimo octauo, nimirum Æra 416. Gothi alios ſuis ſedibus deturbare ſoliti, ab Hunnis pelluntur, quorum vim dum ferre nequeunt, tranſito Danubio Valenti Imperatori ſe dedentes, Thraciam habitandam accipiunt, ſed ſeruitutis impatientes mox rebellant, ac Valentem bello ſuperatum & iaculo vulneratum, in villula quadam, quo cõfugerat, ſuppoſito igni ſuccendunt. Itaque iuſto Dei iudicio ipſi eum viuum incenderunt, qui propter eum etiam mortui vitio erroris arſuri ſunt. Sanctus Iſidorus, & Oroſius. Sed Oroſius dicit hoc decimo tertio anno Imperii Valentis factum, hoc eſt, anno Domini 380. nimirum anno ab vrbe condita 1132. Sic enim omnino legendum, non 1122. vt erat in libro quo ego vſus ſum. Cum Oroſio conſentit Tudenſis.

382. Decio Auſonio Gallo & Olybrio Conſulibus, Gratianus Auguſtus quum afflictum & propo

prope collapſum Reipublicæ ſtatum videret, eadem prouiſione qua quondam legerat *An. dom.*
Nerua Hiſpanum virum Traianum, per quem Reſpublica reparata eſt: legit & ipſe, atq; Orienti præfecit Theodoſium virum Hiſpanum, ex prouincia Bætica. Qui afflictam Rẽpublicam ira Dei, reparãdam eiuſdem miſericordia ratus, Chriſti fretus auxilio, Alanos, Hunnos, & Gothos formidatos maioribus, etiam Alexandro illi Magno populos, multis magniſque prælijs vicit ac fudit. Paulus Oroſius ibidem. Hoc loco in Proſpero Aquitanico mẽdoſe legitur, Muſonio & Olybrio Conſulibus, pro Auſonio, in ipſo ſtatim Chronici ſui principio. Hic Theodoſius tam propter parentum nobilitatem, quam propter fortitudinem propriam nominatiſſimus habebatur, & propter hanc cauſam inuidia patrum iudicum fatigatus in Hiſpania morabatur, vbi & ortus fuerat & nutritus. Vnde illum euocatum Imperator Magiſtrum militum fecit, & cum exercitu ad Barbaros miſit. in quibus ille tantam ſtragem edidit, vt Imperator, niſi miſſis qui res actas inſpicerent, credere non potuerit. Huic per ſomnium viſus Sanctus Melitius Antiochenus præſul chlamydẽ dare imperialem, & corona caput ornare. Hiſtoria Tripartita libri noni capite quarto. De ſanctitate & admirandis virtutibus Placillæ vxoris huius Theodoſij, vide Hiſtoriam Tripartitam eodem libro capite trigeſimo & trigeſimo primo. Hoc tempore S. Paulinus in Hiſpaniam ſe cõtulit ex Italia, vitam monaſticam profeſſurus, vt quietius religioni vacare poſſet. Fuit hic poeta non illepidus, & Romæ magnis perfunctus honoribus, vt ex Auſonio patet, cuius extant ad Paulinum epiſtolæ, & Paulini ad Auſonium. Hunc ego non leuibus coniecturis adducor, vt credam fuiſſe Paulinum illum Nolanæ ciuitatis epiſcopum, ad quem extat D. Hieronymi epiſtola de inſtitutione Monachi, tametſi Petrus Crinitus diuerſum ſentiat, non diſſimulans interim, alios in hac eſſe opinione. Gregorius Gyraldus Burdegalenſem fuiſſe dicit, & Pontium Paulinum appellat, atque opinionem Criniti ſequitur. præterea dicit, quod Chriſtianus factus, Diuo Auguſtino atque Ambroſio multum vſus eſt, quodq; ab illis Barcinonem in Hiſpaniam miſſus, ſacris initiatus eſt. quod magis opinionem meam auget. Eodem anno Priſcillianus, Abulenſis in Hiſpania epiſcopus, ex Manichæorum & Gnoſticorum dogmate hæreſin nominis ſui condidit. Proſper Aquitanicus, qui hoc loco in libris vulgo impreſſis mire deprauatus eſt. Sic enim legitur: Priſcianus epiſcopus de Gallatia. qui locus ex Alcobacienſi codice ſic reſtituendus eſt: Priſcillianus epiſcopus de Gallecia. Nam quod Priſcillianus, non Priſcianus legendum ſit, ex Diuo Auguſtino patet ad Quoduultdeum, vnde Proſperi verba deſumpta ſunt. Nam quamuis Abula, cuius epiſcopus Priſcillianus fuit, in Gallecia non ſit, fieri tamen poteſt, vt Galleciam patriam habuerit. Certe quod Hiſpanus fuerit, non Galata, ex Diuo Hieronymo in epiſtola ad Cteſiphontem contra Pelagium, ac Diuo Auguſtino patet. Idem affirmat clariſſime Diuus Iſidorus in etymologijs lib. 8. capite 5. Abylæ vero fuit epiſcopus, non eius quæ eſt Phœnicees in Syria, vt in ſcholijs ſuis annotauit Eraſmus, ſed eius quæ eſt in Hiſpania. Nam ſi vel in Gallatia, vt mendoſe legitur in Proſpero, vel in Syria, vt inquit Eraſmus, fuiſſet epiſcopus: ad Orientalem, non Occidentalem pertinuiſſet eccleſiam, & in Conſtantinopolitano 180. Patrum concilio, quod tunc celebratum eſt, non Burdegalenſi condemnatus fuiſſet.

Theodoſius Theſſalonicæ grauiter ægrotans, à Baſilio eiuſdem ciuitatis epiſcopo ba- 381.
ptiſmum ſuſcepit. Proſper Aquitanicus.

Hoc anno ſecundum Proſperum Aquitanicum, ſecundum Iſidorum anno trecente- 385.
ſimo octogeſimo primo, nempe Æra quadringenteſima decima nona (hoc tamen vtriq; cũ Luca Tudẽſi conuenit, quod anno Theodoſij tertio) Athanaricus Gothorum Rex, icto cum Romanis fœdere, Conſtantinopolim ad Theodoſium Imperatorem profectus, decimo quinto die quam ab eo fuiſſet honorifice ſuſceptus, obijt. Gothi Imperatoris benignitate ac virtutibus allecti, illius ſe tradiderunt imperio. Sanctus Iſidorus & Paulus Oroſius.

Anno Theodoſij quarto, Gothi indignum genere ſuo rati parere Romanis, quorum 386.
ſæpe vires bello fregiſſent, abiecto iugo Alaricum Regem creant. Iſidorus ac Lucas Tudenſis dicunt Æra quadringenteſima vigeſima factum, hoc eſt, anno trecenteſimo octogeſimo ſecundo. Rodericus Archiepiſcopus Toletanus, & illum ſequuti Alfonſus Carthaginenſis & Didacus Valera, dicunt Gothos Romanis ſine duce proprio paruiſſe viginti ſex aut viginti octo annos. Sigebertus Gemblacenſis & Chronica Regis Alfonſi, quod quatuordecim, in quo Iornandem ſequuti ſunt. Lucas Tudenſis, quod ſeptem. Sed in hoc autore numerus Æræ ita mendoſus eſt, vt in argumentum trahi non poſſit. Ego Iſidorum ſequor, apud quem numerus annorũ Alarici, Proſperi calculo probe reſpondet. Hanc annorum differentiam ex eo natam arbitror, quod Rodericus Toletanus cõtra fi-

An. dom. dem historiæ, Athanarici regnum anno trecentesimo quadragesimo tertio, hoc est, Æra trecentesima octogesima prima cœpisse scribit, vt iam dictum est.

387. Damasus Papa migrauit ex hoc seculo, sedit in cathedra Petri octodecim annos, menseis duos, dies decem. Petrus Antonius Beuter Tarraconensem fuisse dicit, Marinæus Siculus Madritio ciuem adscribit, sed multæ (vt diximus) Hispaniæ Ecclesiæ Vimaranensem fuisse affirmāt. Damaso successit Siricius, cuius extat ad Himerium Tarraconensem episcopum epistola decretalis, Apostolica doctrina & autoritate plena, quam iussit Carthaginensibus, Lusitanis, Bæticis & aliis finitimis episcopis transmitti. Ea extat in priore Conciliorum tomo. In Prospero pro Siricius, mendose legitur Vrsinus.

388. Priscillianus hæreticus, cum in synodo Burdegalensi se damnandum intelligeret, ad Imperatorem seu potius tyrannum Maximum prouocauit, auditusque Treueris ab Euodio præfecto prætorio, à Maximo gladio addictus est cum aliquot sectatoribus, atque inter eos Matroniano (Latronianum alii vocant) Hispano, viro erudito, & in opere metrico veteribus comparando. Ex Prospero Aquitanico & Diuo Hieronymo. Hos duos, Priscillianum dico & Matronianum, Petrus de Natalibus etiam in sanctorum Martyrum (si diis placet) catalogum cooptauit, & quod indignius est, Diui Hieronymi autoritate somnium suum voluit confirmare, quum ex Diuo Hieronymo constet, impudentissimos fuisse hæreticos, atque etiam spurcissimos. Eodem tempore floruit Ithacius Hispaniarum episcopus, cuius etiam in Priscilliano meminit D. Hieronymus. Is librum sub apologetici specie edidit, in quo detestanda Priscilliani dogmata, & maleficiorum arteis, & libidinum probra demōstrauit. Idem cum Vrsatio ob mortem Priscilliani quem accusauerant, ecclesiæ communione priuatus, exilio condemnatus fuit, atque ibi diem suum obiit. S. Isidorus. Sigebertus Gemblacensis dicit propterea communione priuatos, quod episcopi nefas esse ducerent, cuiuscunque modi hominem episcoporum accusatione necari. Hunc Ithacium Ioānes Trittemius eundem esse asserit cum Idacio Hispaniarum episcopo, qui Chronicon scripsit à primo Theodosii Consulatu vsque ad annum quadringentesimum nonagesimum, sed fallitur. Siquidem Idacius in Chronico suo testatur, se anno demum Honorii decimo, hoc est, anno Domini plus minus quadringentesimo decimo septimo, ad Deum esse conuersum. Erasmus apud D. Hieronymum in Priscilliano, pro Vrsatio legit Hylatium, sed (pace tanti viri dixerim) hac in parte illi non assentior. Nam S. Isidorus, Sigebertus Gemblacensis, & Hermannus Contractus dicunt, Vrsatium cum Ithacio ob accusationem Priscilliani cōmunione ecclesiæ priuatum, & exilio multatum: apud quos, si vllum fuisset in vocabulo mendum, non esset tanta lectionis concordia. Eadem tempestate Tiberianus Bæticus quum à suspicione Priscillianæ se purgasset hæreseos, tandem post cædem Priscilliani & sociorum tędio victus exilii, mutauit propositum, & canis reuersus ad vomitum, filiam virginem Deo dicatam nuptui tradidit, vt autor est D. Hieronymus, qui non minus vere quam pie tribuit impietati, quod quidam hoc tempore (pro dolor) nullo exemplo, nulla autoritate, sed sola impietate huius quoque dementiæ suggestrice pietatem mentiuntur. Sed vnum tantum hæresiarcham, & paucos aliquot illius sectatores in Hispania est inuenire: nunc videamus, qui floruerint id temporis in eadem viri vere catholici. Lucinius Bæticus, vir nobilis ac pius, qui Diui Hieronymi sodalitium suis opibus iuuit, quique sex notariis seu librariis scriptoribus Bethlehem missis, omnia Diui Hieronymi opera describi sibi curauit. Cuius extat Diui Hieronymi epitaphium ad Theodoram vxorē, sed quę ab illo sororis habita sit loco. Abigaus presbyter, quem de cæcitate consolatur D. Hieronymus. Abundius Auitus presbyter, qui epistolam Luciani viri sancti de reuelatione corporis S. Stephani ad omneis ecclesias missam, Latino sermone transtulit. Gennadius. Ad hunc quoque scripsit D. Hieronymus. Imo vero duos Auitos ciues suos, eodem tempore viros eruditos ponit Paulus Orosius, in epistola ad D. Augustinum, de errore Priscillianistarum & Origenistarū. Olimpus Hispanus episcopus, qui scripsit aduersus eos qui naturam, & non arbitrium, in culpam vocabant. Gennadius. Audentius episcopus, magnus & strenuus aduersus omnes hæreticos fidei propugnator, scripsit aduersus Manichæos, Sabellianos, & Arianos, & præcipue contra Photinianos. Gennadius. Hunc ego ex D. Alfonso colligo episcopum fuisse Toletanum, numero octauum. vnde id coniiciam, paulo post in primo concilio Toletano latius explicabo. Vigilātius natione Gallus, patria, vt ex D. Hieronymo colligitur, Pompelonensis, Barcinonensis parochię presbyter, in sanctorum martyrum reliquias & sacerdotum castitatem furiose debacchari cœpit. Cuius deliramentis ac venenatis dictis Diuus Hieronymus, Riparii ac Desiderii Hispanorum presbyterorum rogatu, magno zelo & feruore fidei respondit. Quæ epistola non mediocre dabit antidotū aduersus quorundā nostri tēporis in sanctos

Dei seruos blasphemias, in quibus Vigilantius, aut illo antiquior Eunomius, velut alter Euphorbus, renatus videtur. Quasi vero Diuus Basilius, Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Prudentius, Gregorius, & alii eiusdem ordinis qui reliquias sanctorum maximo cultu venerandas esse, non minus exemplo quam scriptis testati sunt: imo vniuersa hactenus ecclesia diuino destituta pręsidio delirauerit, ipsi soli, si diis placet, nunc tandem acceperint spiritum sapientiæ & intellectus. Sed nihil mirum in seruos Dei contumeliosos esse, quum in Dominum ipsum & sanctissimam ipsius sponsam ecclesiam nihilo modestius sese gesserint. Vigilantii meminit & Gennadius.

Ad hunc vsque annum Diuus Hieronymus prosequutus est opus suum de scriptori- 394.
bus ecclesiasticis, nimirum vsque ad annum Theodosii decimum quartum, vt ipse testatur, & etiam Sigebertus Gemblacensis. Quod opus dedicauit Dextro Barcinonensi, Præfecto prætorii Principis Theodosii, & Paciani Barcinonēsis episcopi, de quo superius loquuti sumus, filio, vt ait Raphael Volaterranus. Hieronymus huius Dextri meminit in eodem opere, & ait omnimodam scripsisse historiam, sed nihil addit, vnde constet eundem esse cui opus dedicatum est. Eodem tempore Prudentius Poeta Lyricus in Hispania claruit, & in Republica Romana variis perfunctus honoribus, mundanarum rerum pertæsus, totum se ad scribendas vario carmine res ecclesiasticas contulit. Quem tanti fecit ecclesia, vt aliquot illius hymnos in diuinis officiis cantari sanxerit.

Theodosius Honorium filium natu minorem, in eodem loco, quo Arcadium prius, 395.
Cæsarem creat. Prosper Aquitanicus. Nam posteaquā imperium consorteis habere cœpit, senior Augusti retento nomine, ad consortium allecto Cæsaris nomen tribuebat, qui tamen Augustali maiestati vt superiori deferret, erantque Cæsares quasi designati Augusti, vt nostra tempestate electi Reges Romanorum, quemadmodum luculenter & erudite præter alios annotauit L. Andreas Resendius in scholiis suis in Vincentium Leuitam & martyrem, cuius passionem & translationem duplicem carmine (vt diximus) heroico celebrauit.

Theodosius post multas & eas insignes Deo duce aduersus varios tyrannos victorias 397.
(de quibus vide Paulum Orosium) post pœnitentiam Thessalonicensis crudelitatis, Mediolani sub Diuo Ambrosio, vt vere catholicum Principem decebat, actam (de qua consule Diuum Augustinum) quum iam septendecim regnasset annos, vt ait Iornandes, moritur Mediolani. Hunc Iornandes de regno & tempore success. dicit Thessalonicæ ab Anatholio Sancto episcopo baptizatum, admodum ecclesiæ religiosum enituisse prorogatorem, Reipublicæque defensorem eximium. Corpus defuncti Constantinopolim allatum, ibique sepultum.

Arcadius & Honorius imperare cœperunt, hic in Occidente, ille in Oriente. Fuerunt 398.
quidem, vt autor est Claudianus, in Hispania nati, sed foris educati. Paulus Orosius Hispanus, Diui Augustini discipulus, & elogio Diui Hieronymi commendatus, hoc tempore claruit, qui scripsit aduersus calumniatores Christiani nominis qui dicebant defectum Reipublicæ Romanæ Christi doctrina inuectum, libros septem hortatu Diui Augustini, in quibus totius pene mundi temporis calamitates & miserias ac bellorum inquietudines replicans, ostendit magis Christianæ obseruantię esse, quod cōtra meritum suum res Romana adhuc duraret, & pace culturæ Dei pacatum retineret imperium. Gennadius. Prosequutus est vero hanc historiam, ab initio mundi, vsque ad tempora Waliæ Gothorum Regis. Fuit autem Paulus Orosius non Cordubensis, vt opinantur quidam, sed potius Tarraconensis, vt ait Raphael Volaterranus, & ex ipsius historia colligere licet, vbi loquitur de Germanorum in Hispaniam sub Gallieno irruptione. De Orosio scribit ad hunc modum Beatus Augustinus ad Diuum Hieronymum: Venit ad me religiosus iuuenis, catholica fide frater, ætate filius, honore compresbyter, noster Orosius, vigil ingenio, paratus eloquio, flagrans studio, vtile vas in domo Domini esse desiderans. Hic Orosius à Beato Augustino ad Diuum Hieronymum missus pro discenda animæ ratione, rediens reliquias Beati Stephani primi martyris tunc nuper inuentas, primus intulit Occidenti. Gennadius.

Gothi in Alaricum & Ragadaisum diuisi, mutuis sese lacerant cædibus, sed postea in 399.
Romanorum excidium conspirantes, deprædari Italiam communi consilio instituunt. S. Isidorus, & Lucas Tudensis. Sed addit Sanctus Isidorus, quod anno Arcadii & Honorii 400.
quarto: atque ita conspiratio ista in annum quadringentesimum incidit.

Arcadius & Honorius ne non per omnia religiosissimo patri similes essent, per totum 401.
mundum qua Romanum patebat imperium, idolorū templa dirui ac solo adæquari præceperunt. Sigebertus.

Tempore Arcadii & Honorii, Flauio Stilicone Consule, celebratum est Toleti primum concilium à 19. episcopis, præsidente Patrono episcopo, contra hæresin Priscilliani, in quo constitutum est, vt sacerdotes Hispaniæ viuerent in perpetuo cœlibatu. De cuius Concilii cap. 21. (quoniam scrupulus iste mouetur in priore tomo Conciliorum Coloniæ impressorum) hoc mihi videtur, non esse proprium huius concilii sed ab aliquo huius concilii actis assutum, propterea quod idem tractaret argumentum. Quod patet, quia concilium illud vnde hoc caput translatum est, Leonis Papæ iussu, 40. plus minus post annis, per S. Turibium Asturiaensem episcopum celebratum est, cuius episcopi nomen inter episcopos huius Toletanæ synodi non adscribitur, cum tamen ipsius in illo concilio iussu Leonis celebrato, præcipua fuerit autoritas, vt ex epistola decretali Leonis Papæ constat, quæ in priore extat Conciliorum tomo. Inter episcopos qui subscripserunt huic concilio, nominatur Asturius, quem ego Toletanum fuisse præsulem arbitror, cui reliquiæ sanctorum martyrum Iusti & Pastoris reuelatæ diuinitus fuerunt. Sed præstat ipsius S. Alfonsi de eo verba recensere, ex quibus hanc concepi opinionem. Dicit igitur ad hunc modum: Austurius post Audentium in Toletana vrbe sedis metropolis, prouinciæ Carthaginis, Pontifex successor, vir egregius, adsignans opera virtutum plus exemplo viuendi, quam calamo scribentis. Hic & sacerdotio beatus & miraculo dignus, quia quibus iungeretur in cœlo, eorum terreno reperire membra meruit in sepulchro. Nam cum sedis suæ sacerdotio fungeretur, diuina dicitur reuelatione commonitus, Complutēsi sepultos municipio, quod ab vrbe eius ferme sexagesimo milliario situm est, Dei martyres perscrutari. Qui concitus adcurrens, quos & tellus aggeris & obliuio temporis presserat, in lucem & gloriam terrenæ cognitionis prouehendos inuenit. Quibus repertis redire ad sedem renuens, seruitute simul & assiduitate sanctis innexus, d em clausit extremum. Cuius tamen sedem, donec vixit, nemo adiit. Inde (vt antiquitas fert) in Toleto sacerdos nonus, & in Compluto agnoscitur primus. Hactenus S. Alfonsus. Ex cuius verbis, præter alias coniecturas quas breuitatis causa missas facio, colligo & Audentium cuius superius meminimus, Toletanū fuisse pontificem, & hunc Asturium de quo loquitur S. Alfonsus, huic primo Toletano interfuisse concilio. Ego quid sentiam exposui, paratus cedere, si quis certius aliquid attulerit. Hoc concilium Toletanū alii anno quadringentesimo septimo ponunt. Ratio diuersitatis ex ipsius concilii titulo nascitur. Scribitur enim celebratum Stilicone Consule, sed non declaratur, vtrum fuerit priore an posteriore consulatu. Bis enim Consul fuit, anno quadringentesimo secundo & quadringentesimo septimo, vt ex Prospero Aquitanico & Aurelio Cassiodoro constat.

407. Anno Arcadii & Honorii decimo, Ragadaisus Gothorum Rex genere Scytha, cultu idololatra, cum ducentis armatorū millibus Italiam populabundus ingreditur, spondens se Christianorum sanguine diis suis litaturum, si victoriam illi cōcederent. Sed exercitus eius in Fesulanorum montium verticibus interclusus à Stilicone Romanorum duce & Consule, fame magis quam ferro consumptus est, ipse demum Ragadaisus captus & interfectus. Sanctus Isidorus. Tanta multitudo captiuorum Gothorum fuisse dicitur, vt vilissimarum pecudum modo, singulis aureis passim greges hominum venderentur. Paulus Orosius libro 7. capit. 37. qui hanc Gothorum cladem copiosius describit. Huius Regis in Italiam cum tam numerosis copiis aduentus, magno timore Romam concussit, & concursum excitauit Paganorum clamitantium, hostem esse cum virium copia, tum maxime deorum præsidio vincendum: potentem autem vrbem ideo destitutam & mature perituram, quia Deos & sacra perdiderit, magnis querelis vbique agebatur, & continuo de repetendis sacris celebrandisq; tractabatur. Quorū vt blasphemiam reprimerent, D. Augustinus doctissimos illos & omni pietate refertissimos de ciuitate Dei libros cōscripsit, & Orosius Hormestā suum. Ex Paulo Orosio & Sigeberto.

410. Vandali, Alani, Sueui, relictis Galliis quas per annos aliquot misere depopulati fuerant, Hispanias inuadunt, biennio ante Romam duce Alarico Gothorum Rege captam, teste Paulo Orosio, quem hac in parte sequor, quippe Hispanum autorem, & qui testis huius rei fuit oculatus. Prosper Aquitanicus & Cassiodorus sequenti anno Hispaniam à Vandalis occupatam scribunt, nempe anno Honorii secundo. Idem dicunt Seuerus & Idacius, sed addunt, quod Æra quadringentesima quadragesima septima, hoc est, anno Domini quadringentesimo nono, & dicit Idacius, quod quarto Idus Octobris, D. Isidorus, quod Æra quadringentesima quadragesima sexta, hoc est, anno Domini quadringentesimo septimo. Idem dicit alio in loco in historia Gothorum, quod Honorii anno decimo quinto, sed hoc intelligēdum est de iis annis quibus Honorius cum Arcadio fratre impera-

imperauit, qui est secundus annus Honorii cum Theodosio Arcadii filio. Atq; ita cũ Prospero Aquitanico & Cassiodoro concordat. Imperabat tum Vandalis (Vandilos appellat Procopius) Gundericus, Sueuis Hermericus, Alanis Resplandianus. Procopius lib. 3. de bel. Vand. ait primum Vandilorum in Hispania Regem Gogidiscum appellatum, & addit eos cum Honorio Imperatore conuenisse, vt sedes in Hispania haberent, minime tamen cæteris habitatoribus nocentes, neque præscriptionis iure vti vllo vnquam tempore possent. Quem Procopius appellat Gogidiscum, Nicephorus vocat Modigisclum, & eum ait in Hispania mortuum. *An. dom.*

Honorius Alarico Gothorum Regi pro pace optima & quibuscunque sedibus suppliciter ac (vt ait Orosius) simpliciter oranti, inito cum Senatu consilio, vt Gothos Italia expelleret, Gallias Hispaniasque quas iam pene perdiderat, concedit. Qua donatione sacro oraculo confirmata, quum ad concessas sibi Gallias Alaricus proficisceretur, Stilico qui filio suo Eucherico, Christianæ fidei infestissimo hosti, captans imperium, res Romanas quam maxime turbare studebat, die sancto Paschæ, in Gothos nec opinantes ex insidiis Saulo Hebræo duce irruit, ac primo impetu victor, postea à Gothis turpiter victus est in Alpibus Cocciis. Ex Procopio & Sigeberto. Proinde Alaricus hac perfidia exasperatus ac vindictæ cupidus, Italiam repetit, Romam obsessam magno impetu capit Calendis Aprilis, ac deprædatus vrbem, omnia ferro ac flammis miscet. Sacris tamen locis, & iis qui ad ea confugerant, vim belli abstinet, & si quid ex locis sacris ab aliquo sciret asportatum, magna cum reuerentia iubet restitui, testatus se cum Romanis bellum gerere, non cum Sanctis & Apostolis Dei. vnde & multi pagani Christianis se miscentes, Christiani nominis prætextu salutẽ sibi pepererunt. Hæc omnia latissime & elegantissime describit Orosius. Sed liber quo ego sum vsus, mendosus est. Ait enim, irruptionem vrbis ab Alarico factam, anno ab vrbe condita 1174. cum legendum sit, 1164. vt constet ratio temporis, quemadmodum etiam legitur in codice manu scripto & libris emendatius impressis. quod obiter admonitum volui, & ita habet Beda, sed addit, quod nono Calend. Septembris: quod opinor errore librariorum factum. Alaricus triduum vrbis direptioni immoratus Roma discessit, & per Campaniam ac Lucaniam simili clade peracta, in Africam cum opibus totius Italiæ nauigans, facto naufragio in Siciliam rursus eiectus, paucis post diebus Consentiæ rebus excessit humanis. Ex Iornande & Sigeberto. Regnauit secundum aliquos viginti sex annis, secundum Beatum Isidorum, viginti octo, sepultus à Gothis superbo monumento, in alueo fluuii Barentini, prope eandem ciuitatem, quem fluuium hac de causa deriuauerunt, aquis denuo in locum suum reductis: sed ne locus aliquando posset cognosci, fossores omnes ad vnum interemerunt. Iornandes in libro rerum Gothicarum. 412.

Gothi Ataulphum Alarici consanguineum, & forma ac mente conspicuum, Regem creant. Qui suscepto regno Romam reuersus, si quid remanserat, more locustarum abrasit, nec tantum priuatis diuitiis Romam spoliauit, sed etiam publicis, Imperatore Honorio resistere non valente. Iornandes ibidem. Hic in animo habuit, obliterato nomine Romano, solum omne Romanum Gothorum imperium facere, & Romam Gothiam appellare. Verum multa experientia doctus, Gothos propter effrenatam barbariem legibus parere nullo modo posse, sine quibus nulla Respublica constare potest, gloriam potius ex restituendo in integrum augendoque Romano nomine quæsiuit, vt haberetur Romanæ restitutionis autor, qui non potuit esse immutator. Paulus Orosius libro 7. cap. vlt. Eodem anno Gogidiscum, quo Rege Vandali Hispaniam ingressi sunt, autore Procopio, mortuũ, & ei Gundericum substitutum scribit Sigebertus Abbas, quãuis apud illum Modigisclus pro Gogidiscus, de quo nomine iam diximus, legitur. D. Isidorus præcedenti anno ponit, Chronica Hispana sequenti. Hoc quoque anno Constantinus tyrãnus per Constantium Comitem, Honorii Imperatoris ducem, apud Arelatum occiditur. Hic Constantinus apud Britannias occiso Gratiano tyranno, ex infima militia, sola specie nominis, sine merito virtutis electus, cõtinuo in Gallias transiit, vnde iudices in Hispanias misit. Quos cum prouinciæ obedienter accepissent, Didymus & Verianianus (Seuerianum alii appellant) fratres nobiles ac locupletes, patriam suam propriis impensis & clientelis tueri, & iusto Imperatori conseruare aduersus tyrannos conati sunt, atque Pyrenęi claustris occupatis, eos Hispania prohibere. Aduersus hos Constantinus tyrannus filium suum Constantem, ex monacho Cæsarem factũ, cum barbaris quibusdã militibus qui Honoriaci dicebantur, in Hispanias misit. Hinc (vt ait Orosius) apud Hispanias prima mali labes. Nã barbari milites, occisis fratribus iam dictis, occupatis Pyrenæi claustris, in pretium victoriæ prædandi licentiam cõsequuti, illecti pręda & abundãtia regionis, quo magis impunitum scelus 413.

An. dom. foret, atque ipsis plus liceret, prodita Pyrenæi custodia quæ ipsis erat commissa, barbaras gentes quæ per Gallias vagabantur, Hispaniis immittunt, seq; ipsis adiungunt. Atque ita Vandali, Alani, & cæteri barbari, sicut superius diximus, in Hispaniam venere. Ex Orosio lib. 7. cap. 40. Antonius Sabellicus affirmat, fratres illos Didymum & Seuerianum Palentinos fuisse. ac proinde Palentino primos omnium hostiliter fuisse captos & afflictos, Toletum frustra tentatum, Olisiponenses auro pacem redemisse. Hunc Constantem Geruntius comes suus apud Viennam Galliæ occidit. Idem. Cum ex Hispania reuertisset, vt ait Paulus Æmilius.

414 Maximo tyranno in Hispania regnum ablatum, sed vita concessa, eo quod modestia humilitatis affectati imperii inuidiam non merebatur. Prosper. Eodem anno Athaulphus Gothorum Rex, Placidiam Theodosii Magni filiam, & Honorii sororem, quam Gothi Romæ ceperant, in Foro Iulii ciuitate Æmiliæ matrimonio sibi iunxit, ex qua nullam prolem sustulit, & relicta Italia in Gallias transit. S. Isidorus & Iornandes. Hispania per biennium Barbarorum gladio ac direptionibus, fame, peste, morsibus bestiarum grauiter vexata. Sigebertus post Orosium.

415 Barbaræ gentes post graues rerum atque hominum vastationes, & magnos cruentosque discursus, habita sorte, Hispaniarum possessionem inter se distribuunt. Alani Carthaginensem prouinciam & Lusitaniam sortiuntur: pars Vandalorum qui Silingi dicebantur, Bæticam insedere: reliqui vero Vandali cum Sueuis Galleciam occupauere. Partim ex Orosio, partim ex Seuero, qui dicit hæc contigisse biennio post captam Romam. Sola Celtiberia mansit in fide & potestate Romanorum, defendente & obtinente Constantino Patritio. Chronica Regis Alfonsi. Resplandiano Alanorum Regi defuncto successit Atax. Chron. Hisp.

416 Hoc anno secundum Gregorium Haloandrum secundum alios anno 413. Innocentius Papa epistolam scripsit ad episcopos in Toletana Synodo congregatos. Cuius concilii in libris conciliorum nulla fit mentio. vnde constat, plura Toleti celebrata concilia, quam quæ vulgo extant, & numerum qui in libris Conciliorum reperitur, intelligendum de iis quæ sunt diuulgata, non de celebratis. Neque quisquam hanc epistolam tempore primi concilii Toletani scriptam credat. Nam nihil in eo constitutum est eorum quæ hac epistola decretali præscribuntur.

417 Athaulphus Rex qui Placidiæ vxoris, probatæ religionis fœminæ, consiliis delinitus, Honorio vt leuiro deferens, relicta illi Italia, in Gallias se contulerat: misertus calamitatis Hispanorum quam à barbaris nationibus patiebantur, in Hispaniam obuiam tantis malis iturus profectus, Barcinone à suis inter familiareis fabulas est interfectus. Iornandes & Orosius. Sed Iornandes addit illum tertio anno, postquam Gallias Hispaniasq; domuisset, occubuisse, ilio perforato gladio Vernulfi, de cuius solitus erat ridere statura. Idacius scribit Athaulphum Narbone Placidiam vxorem duxisse, & inde à Constantio Patritio pulsum, Hispanias petiisse. Petrus Antonius Beuter autor est, illum Barcinone cum sex filiis quos ex alia ante Placidiam coniuge susceperat, occisum, & monumento eius hoc insculptum Epitaphium.

BELLIPOTENS VALIDA NATVS DE GENTE GOTHORVM
HIC CVM SEX NATIS REX ATHAGLPHE IACES.
AVSVS ES HISPANAS PRIMVS DESCENDERE IN ORAS
QVEM COMITABANTVR MILIA MVLTA VIRVM.
GENS TVA TVNC DEMVM NATOS ET TE INVIDIOSA PEREMIT
QVEM POST AMPLEXA EST BARCINO MAGNA GEMENS.

Sed quintus versus claudicat, forte superest demum, quod obiter admonendum duxi. Athaulpho successit Segericus (D. Isidorus Siericum appellat, nisi mendosus sit liber) qui cum itidem iudicio Dei ad pacem pronus esset, suorũ fraude peremptus, mox vitam cum regno reliquit. Orosius & Iornandes, apud quem opinor corrupte Regericum, pro, Segericum legi. Athaulphus regnauit annos sex. Segericum Rodericus Toletanus & illum sequutus Alfonsus Carthaginensis vno anno regnasse scribunt. Sed Paulus Orosius, Iornandes, S. Isidorus, mox vt regnare cœpit, occisum affirmant. Sigebertus Abbas Toletano subscribit. Prosper Aquitanicus & Seuerus Segericum hunc inter Vesogothorum reges non ponunt, propter breuitatem temporis, quia videtur regnum iniisse, non possedisse: quapropter Walliam Athaulpho subrogant. Sed Prosper Aquitanicus hoc loco mire deprauatus est, hoc pacto restituendus ex Alcobaciensi codice antiquo: Athaulphus Gothorum Rex à quodam suorum vulneratus interiit, regnumque eius Wallia, peremptis qui idem cupere intelligebantur, inuasit. Sequenti quoque annotatione

tatione in eodem, quanquam, pro, quamque, & Gallia, pro, Wallia mendose legitur.

Wallia Rex à Gothis ad hoc creatus est, vt pacẽ cum Romanis infringeret, ad hoc ordinatus à Deo, vt pacem confirmaret. Paulus Orosius lib. 7. cap. vltimo. 418.

Hunc viginti duos regnasse annos, testes sunt Hispanorum Annales vernaculo sermone conscripti iussu Regis Alfonsi, atque ita esse, facile ex Prospero Aquitanico ac Paulo Orosio colligitur: quanquã Archiepiscopus Toletanus, & illum per omnia imitatus Burgensis, tres tantum annos regnasse scribant. Quos ego S. Isidori parum emendatis exemplaribus deceptos arbitror, apud quem idem legitur, sed non dubium quin mendose. idq; ex Luca Tudensi satis constat, qui S. Isidori vestigiis ita inhæret, vt eadem ferme verba referat. Sed & Tudensis rursus ita deprauatus est, vt facile restitui nõ possit. Simili modo vitiose legitur hoc loco in Sigeberto Gemblacensi, annis duobus, pro, viginti duobus, quod ex ipso libro manifestius est, quàm vt probandum sit. Hic Placidiam Theodosii Magni filiam honorifice apud se honesteque habitam, Honorio fratri pacem ipsius expetens, reddidit, quæ Constantio Comiti nuptui tradita, Valentinianum peperit, Honorii successorem. Paulus Orosius, Prosper, & Sigebertus. Eodem anno Paulus Orosius, à D. Hieronymo ad S. Augustinum responsa de animæ ratione referens, reliquias S. Stephani cum historia inuenrionis in Africam attulit. Sigebertus.

Wallia cum Honorio Imperatore pacẽ pepigit, & Romanæ securitati periculum suum obtulit, vt aduersum cæteras gentes quæ per Hispanias consedissent, sibi pugnaret, & Romanis vinceret. Quo tempore & Alanorum, Vandalorum, Sueuorumque Reges Honorio Imperatori ad hunc scripserunt modum. Tu cum omnibus pacem habe, omniumque obsides accipe, nos nobiscum confligimus, nobis perimus, tibi vincimur: immortalis vero quæstus erit Reipublicæ tuæ, si vtrique pereamus. Orosius. 419.

Isidorus Senior Cordubensis episcopus, scripsit ad Paulum Orosium, claruitq; sub Honorio. Ioannes Trittemius & Petrus Messias. Eodem anno Idacius scriptor Hispanus ad dominum conuersus est, vt ipse de se testatur. Hic postea fuit, vt inquit Sigebertus, Lemicæ Hispaniarum vrbis episcopus, & Chronicon scripsit à primo Theodosii consulatu vsq; ad annum quadragesimum nonagesimum, quod auspicatur à Diuo Ioãne Chrysostomo. Sed nomen vrbis cuius dicitur fuisse episcopus, neque in conciliis antiquis, neq; vsquam alibi inuenire potui. In Alcobaciensi codice antiquo dicitur Idacius Gallecia episcopus. Proinde suspicor in Sigeberto legendum, Lamecæ Hispaniarum vrbis episcopus. Nam & episcopatus Lamecensis perantiquus est, vt ex conciliis patet, & ea Portugalliæ pars olim Galleciæ tribuebatur. Sed ego hoc in aliorũ iudicio relinquo. Eodem anno Wallia à Cõstantio Patricio euocatus, Alanis & Vandalis qui Lusitaniam & Bæticam tenebant, bellũ infert. Seuerus. 420.

Wallia Alanos qui Vandalis & Sueuis dominabatur, in eas redegit angustias Atace Rege ipsorum cæso, vt pauci qui cladi superfuere, Gunderico in Gallecia Vandalorum Regi se iunxerint ac subiecerint. Fuit vero hoc prælium apud Emeritã, vt autor est Sabellicus. Idem extinxit & Vandalos Silingos qui Bæticam occupabant. Ipse confecto Hispaniensi bello, cum classe traiicere in Africam parat, in freto Gaditano grauissima iactatus tempestate, memor illius sub Alarico naufragii, cœpto destitit, & Hispania relicta, Gallias repetiuit. Vbi ab Imperatore ob res bene gestas secũda Aquitania (ita etiam in Prospero legendum, teste Alcobaciensi codice) & ciuitatibus aliquot vicinis donatus est, hoc est, à Tolosa vsque ad Oceanum, vt inquit Idacius. Ex S. Isidoro, & Seuero. Huius rei meminit & Sidonius Apollinaris in paneg. Antemii Augusti. Hoc anno, id est, Æra 459. S. Isidorus partitionem possessionis Hispaniarum inter Vandalos, Alanos, & Sueuos factam scribit, quã nos anno 415. posuimus: sed suspicor in Isidoro numerum esse vitiatum. Vsq; ad hunc annum Paulus Orosius prosequutus est historiam suam, hoc est, vsq; ad annum mundi 5618. vt ipse in fine sui operis testatur. 421.

Alani indomiti, nec alieni patientes imperii, à Gunderico, cuius se fidei tradiderãt, desciscunt, & Carthaginensem prouinciam ac Lusitaniam repetunt, & sine Rege terras eas incolunt, vectigales tamen Romanis. Chronica Regis Alfonsi. Ab Alanis Alanqueram patriam suam dictam non inscite putat Damianus à Goues, dictã vero Alanqueram corrupto vocabulo, pro, Alankerquam, hoc est Alanorum phanum. Ea vrbs Romanis olim dicebatur Ierabrica, vt Resendius arbitratur, cuius opinio ex Antonini Pii itinerario probe constare videtur. Iidem Gothis misti, Gothalaniæ nomẽ dederunt prouinciæ, quæ nũc Cathalonia dicitur, vt autor est Raphael Volaterranus. Sed vero, ꝓpior videtur Beati Rhenani opinio, qui lib. 1. rer. Germ. Catthalaniam dictam scribit ab Alanis, & Catthis, qui cum Alanis iuncti, in eam Hispaniæ partem proruperunt. 422.

An. dom. Inter Gundericum Vandalorum regem, & Hermericum Sueuorum, quem alii Erma-
423. naricum, Idacius Ermigarium appellat, diſſenſione orta, Sueui à Vandalis in Narbaſorũ montibus obſidentur. Seuerus. Quanquam in Seuero Sulpitio eſt, in Erbaſorum montibus. Ego tamen apud Ptolemæum Narbaſos inuenio. Conſtantius Comes ob egregia in Remp. merita in ſocietatem imperii ab Honorio cooptatur. Proſper Aquitanicus.

424. Vandali, omiſſa Sueuorum obſidione, relicta Gallecia, in Bæticam tranſierunt. Seuerus. Sed prius rex eorum Balearicas Tarraconenſis prouinciæ inſulas (Maioricam & Minoricam hodie appellãt) deprædatus eſt, & Carthaginem Spartariam euertit, deinde exercitum in Bæticam duxit. S. Iſidorus. Aliqui anno 427. factum dicunt. Mortuo Conſtantio Imperatore, miſſus eſt exercitus ad Hiſpanias contra Vandalos, duce Craſtino, (Caſtinum conſtanter appellat codex Alcobacienſis) qui dux Bonifacium virum bellicis artibus præclarum inepto & iniurioſo imperio ab expeditionis ſuæ ſocietate auertit. Nam ille periculoſum ſibi atq; indignum ratus ſequi, quem diſcordem ſuperbientemq; expertus eſſet, celeriter ſe ad portum vrbis, atq; inde ad Africam proripuit. Quæ res Reip. multorum laborum initium fuit. Proſper.

425. Gundericus Vandalorum rex Balearibus inſulis diſpoliatis, & euerſa Carthagine, ducto in Bæticam exercitu, Hiſpalim diruit, & omnia cæde ac prædis miſcet. Sed dum autoritate regiæ poteſtatis, irreuerenter manus impias in Baſilicã diui Vincentii martyris vellet extendere, repente Dei iudicio in foribus templi dæmone correptus interiit. Idacius, & S. Iſidorus, & Seuerus. Iornandes in literas miſit, Gogidiſco Vandalorum regi duos ſucceſſiſſe filios, Gontharim, quem nos Gundericum diximus, & Gizerichum, illum ex matrimonio legitimo, hunc nothum, cui quod eſſet armorum peritus, & frater adhuc puer, rerum ſumma delata eſt. Gontharim quidam putant à fratre interfectum: ſed Vandali illum dicunt in Hiſpania à Germanis (Sueuos, opinor, intelligit) captum, paloque infixum, iam in Africa Gizericho res gerente. Cæterum cum Idacius, Seuerus, ſanctus Iſidorus, Lucas Tudenſis, Alfonſus Rex cognomento Sapiens contrarium ſentiant, eos potius ſequendos duxi. Nicephorus quoque Gontarin appellat, quem nos hic Gundericum dicimus.

430. Defuncto Gunderico ſuccedit Gizericus, ſiue (vt Iornandes appellat) Gizerichus, quem Idacius Gayzaricum nominat. Regnauit hic, ſecundum S. Iſidorum & Lucam Tudenſem, quadraginta annos: ſecundum Sigebertum & Chronica regis Alfonſi, quadraginta octo. Sunt qui Genſericum appellent. Hoc anno Proſper Aquitanicus dicit Vandalos à Gothis excluſos, ex Hiſpaniis in Africam tranſiſſe, de qua re paulo poſt dicemus. Cum Proſpero concordat Caſſiodorus. Eodem tempore, Hierio & Ardabure Coſſ. Valia ſiue Wallia contra Vandalos fines ipſius, hoc eſt, Hiſpaniam prædis vaſtanteis, mouet exercitum. Iornandes.

432. Idem dicit Sigebertus, ſed biennio poſt factum dicit, nempe anno 432. Atque ita Walia bis oppugnauit Vandalos.

433. In Hiſpaniis viginti ferme hominum millia contra Vandalos pugnantium cæſa, inquit Sigebertus. Siquidem illi alioqui natura feroces, Rege iuuene ac bellicoſo freti, magnam in hoſteis edidere ſtragem. Chronica regis Alfonſi. Sed Gizericus partim à Bonifacio Comite, Aetii fraudulentis conſiliis à Repub. alienato, inuitatus, partim Gothorum odia veritus, cum Vandalis & omnibus eorum familiis in Africam traiecit, & eam prouinciam miſeris modis adflixit. Sigebertus. Traiectus vero Vandalorum in Africam fuit menſe Maio, vt inquit Idacius. Vandalis in Africam tranſlatis, ſoli in Hiſpania Sueui rerum potiti ſunt. Quorum rex Hermericus hoc anno in magnum & longum incidit languorem, quo per ſeptem annos continuato, tandem conſumptus eſt. Ita S. Iſidorus, ac Tudenſis, & qui præterea de rebus Hiſpaniæ ſcripſerunt. Sed Idacius autor eſt, prædantem Luſitaniã, quum haud procul Emerita S. Martyri Eulaliæ iniurias inferret, vltione diuina peremptum. Cuius deprædationis quum Gayſaricus (ita enim appellat, vt diximus, Gizericum Vandalorum regem) in Africam tranſire parans admonitus eſſet, recurſu cum aliquam multis ſuorum facto, maleficos & impios fudit fugauitq;. Ermigarius vero (ita Hermericum idem nominat) cum eis quos ſecum habebat, arrepto, vt putauit, euro velocius fugę præſidio, in flumine Ana diuino brachio præcipitatus interiit. Quo ita extincto, mox quo cœperat Gayſaricus enauigat. Hæc ille.

437. Wallia Gothorum rex Vandalos odio perſequens, etiam in Africam eos perſequi diſpoſuit, ſed morte præuentus obiit, eiq; in regnum Theodoricus ſucceſſit. Vandali Africam vniuerſam deuaſtant rapinis, cæde, incendiis, nulli ſexui, nulli parcentes ætati vel ordini. Diuus Auguſtinus in ſermonibus ad fratres in eremo, ſi tamen illius ſunt. Sigebertus

tus eadem ferme verba ponit,sed anno 439. quem in hoc,vt in omnibus fere,sequitur in *An. dom.*
Chronicis suis Rex Alfonsus. Quem diuus Augustinus & Sigebertus Theodoricum vo-
cant,Hispanis scriptorib. Theodoredus, S. Isidoro Theudoredus,Idacio Theodorus di-
citur. Et secundum Sigebertum,anno 439. regno Gothorum præfectus est, regnauitque
annos 14. Tametsi S. Isidorus & illum sequentes Tudensis & Archiepiscopus Toletanus,
33. annos regnasse scribant,attribuentes illi annos quos Walliæ detrahũt, quem tres tan-
tum annos regni gubernacula tenuisse asserunt, mortuum anno 419. Sed quum Prosper
Aquitanicus qui illo tempore floruit, & Paulus Orosius,ac Iornãdes cõtrarium sentiant,
eos potius autores sequendos duxi,præsertim quum suspicer,numerum anni in Diuo Isi-
doro esse corruptum. Hanc vero differentiam annorum ex eo natam arbitror, quod D.
Isidorus ait, Theodoredum regno Gothorum initiatum anno Theodosii Iunioris nono.
Qui, si intelligas de annis quibus Honorio patruo fuit consors imperii, incidit in annum
domini 419. Si vero de iis intelligas quibus ipse potitus imperio, Valentinianum cõsobri-
num in societatem assumpsit imperii,cadit in annum,secundum Prosperum, 435. secun-
dum alios,436.atq; ita parũ ab opinione nostra discrepat.Eodem anno, nempe 437.Her-
mericus lõgo morbo pene cõfectus,paulo ante mortẽ,pacem cum Gallecis quos in parte
prouinciç regno proprio vtentes aliquandiu vexauerat,fecit,Rechilanem filium in regni
consortium cooptauit,& hæredem nuncupauit. Eundem cum exercitu in Bæticam con-
tra Andenotum Romanæ militiæ ducem misit. Quem Andenotum cum magnis copiis
Rechila ad Singilim Bæticæ fluuium fudit, magno auri argentiq; pondere potitus. Post-
ea reuersus per Lusitaniam,obsedit Emeritam, atque expugnatam regno suo adiunxit. S.
Isidorus cum reliquis.

Pax cum Vandalis facta, magis necessaria quam vtilis aut honesta,data eis ad habitan- 438.
dum Africæ portione, & certis finibus,quos ne excederent,idque addita iurisiurandi re-
ligione, vt inquit S. Isidorus ac Tudensis. Factum est hoc tertio Idus Februarii, vt inquit
Prosper Aquitanicus & Cassiodorus. Sigebertus anno 443. pacem hanc factam scribit:
sed ego Prospero & Cassiodoro magis accedo.

Theodoredus Gothorum Rex Aquitanico regno non contentus, rupto cum Roma- 439.
nis fœdere,vicina illorum municipia occupat,Narbonẽsi oppido maxime infestus,quod
cum diu obsidione & fame laborasset,per Littorium Comitem ab vtroque periculo libe-
ratum.Siquidem per singulos equites binis tritici modiis aduectis,strenuissime & hosteis
in fugam vertit, & ciuitatem annona impleuit. Prosper Aquitanicus, & partim Sanctus
Isidorus.

Hermericus quum triginta duos annos imperasset Sueuis, post septem annorum con- 440.
tinuum languorem, moriens Rechilani filio regnũ hæreditaria successione reliquit. Qui
Rechila septem regnauit annos,& Hispali expugnata, Bæticam & Carthaginensem pro-
uinciam ditioni suæ subiecit. S. Isidorus. Lucas Tudensis nouẽ annos regnasse scribit Re-
chilanem. Rodericus Toletanus octo,cui subscribunt Chronica Regis Alfonsi. Vnde in
diuo Isidoro suspicor mendose septem legi,pro octo. Prosper Aquitanicus scribit,hoc an-
no bellum aduersus Gothos Hunnis auxiliatibus gestum. Eodem anno testis est Sigeber-
tus, Beatum Augustinum, Vandalis Hipponem ciuitatem ipsius decimum tertium iam
mensem obsidentibus, migrasse ad Deum. Sed Prosper Aquitanicus gloriosam ipsius
mortem anno 433. ponit.

Silingorum in Bætica nomen à Rechilane extinctum. Chronica Regis Alfonsi. Sabi- 441.
no episcopo Hispali per factionem expulso, in locum eius Epiphanius ordinatur fraude,
non iure. Idacius. Gisericus Vandalorum Rex, ex catholico factus apostata, & Arianæ
cultor hæreseos, intra habitationis suæ limites fidem Catholicam Ariana impietate sub-
uertere volens, episcopos persequitur. Prosper Aquitanicus. Eodem tempore quatuor
Hispani viri, Arcadius, Probus, Paschasius, Eutychius, dudum apud Gisericum merito
sapientiæ & fidelis obsequii clari habebantur, quos rex vt copulatiores sibi faceret, in A-
rianam sectam transire præcepit. At illi tam nefarium atque impium facinus constantissi-
me respuentes, excitato in rabidissimam iram Barbaro, primum proscripti, deinde in ex-
ilium acti, tum atrocissimis cruciati suppliciis, ad postremum diuersis mortibus interem-
pti, illustri martyrio mirabiliter occubuerunt. Prosper Aquitanicus. Puer autem Paulil-
lus nomine, frater Paschasii & Eutychii, pro elegantia formæ atque ingenii admodum
Regi acceptus, à professione atq; amore Catholicæ fidei cum nullis minis deturbari pos-
set, diu fustibus cæsus, ad infamem seruitutem damnatus est, nec ideo, vt apparet, inter-
fectus, ne superata sæuitia impii Regis, etiam illa ætas gloriaretur. Idem. Horum etiam
mentionem facit S. Isidorus. Chronica Regis Alfonsi passionem eorum anno 446. adscri-

An. dom. bunt. Verum quum Prosper eo tempore vixerit, autorem ipsum sequi malui.

442. Aduersum Gothos in Gallia prospere pugnatum. Prosper. Littorius Comes qui secunda ab Aetio Patritio potestate Hunnis contra Gothos auxiliantibus præerat, dum Aetii gloriam superare cõtendit, dumque aruspicum responsis & dæmonum significationibus fidit, pugnam cum Gothis imprudenter conseruit, fecitque intelligi, quantum illa eorum quæ periit manus, prodesse potuerit, si potioribus cõsiliis quam sua temeritate vti maluisset, quando tantam ipse hostibus cladem intulit, vt nisi inconsideranter præliatus captiuitatem incidisset, dubitandum foret, vtri potius parti victoria adscriberetur. Ex Prospero Aquitanico, apud quem perperam hoc loco, secundæ ab Aetio patritio potestati, legitur, pro, secunda potestate, quemadmodũ ego ex Alcobaciensi codice restitui. Pax inter Romanos & Gothos facta, cum eam post ancipitis pugnæ lachrymabile experimentum humilius quam vnquam ante poposcissent. Idem. Aetio componendis rebus in Gallia occupato, Gisericus nihil tale metuentibus Romanis, violata sacramenti religione, 14. Cal. Nouemb. Carthaginem dolo pacis inuadit ac deprædatur, omnesq; opes eius, excruciatis diuerso tormentorum genere ciuibus, in ius suum vertit, sacerdotes ecclesiis pellit, martyres multos facit, templa prophanat, eaq; non iam diuini cultus loca, sed suorum iussit esse habitacula, in vniuersum captiui populi ordinem sæuus, sed præcipue nobilitati & religioni infensus, vt non discerneretur, hominibus magis an Deo bellum intulisset. Ex eodem & S. Isidoro. Rex Alfonsus Sigebertum sequutus, anno 436. factum hoc ponit.

443. Gisericus Siciliam grauiter affligens, accepto nuncio de Sebastiano ab Hispania ad Africam transeunte, celeriter Carthaginem rediit, ratus periculosum sibi ac suis fore, si vir bellandi peritus, recipiendæ Carthagini incubuisset. Verum ille amicum se magis quam hostem videri volens, diuersa omnia apud barbaros, quam præsumpserat, reperit, eaque spes causa illi maxima & calamitatis & infœlicis mortis fuit. Prosper Aquitanicus. Hoc anno Chronica regis Alfonsi. Sigeberto autore, dicunt pacem inter Romanos & Vandalos per Tricarium Comitem factam, quam nos anno 438. posuimus.

445. Cum Giserico ab Augusto Valentiniano pax confirmata, & certis spaciis Africa inter vtrunq; diuisa est. Prosper. In Gisericum apud suos de successu rerum superbientem quidam optimates ipsius conspirauerunt, sed molitione detecta, multi ab eo suppliciis excruciati atq; extincti sunt. Cumq; idem audendum etiam aliis videretur, multis regis suspicio fuit exitio, vt hac sui cura plus virium perderet, quam si bello superaretur. Idem. Sigebertus Abbas ait, hoc anno Theodoricum Hispanias inuasisse. Rechila Sueuorum rex, pace regnum suum confirmare studens, Carpetaniam prouinciam Romanis reddidit. Chronica Regis Alfonsi.

447. Rechila Emeritæ sub cultu (vt fertur) gentilitatis vitam finit. Sanctus Isidorus.

448. Recciarius Rechilanis filius, iam factus Catholicus, Sueuorum rex constituitur, & regnat annis nouem. Vxorem duxit Theodoredi Gothorum regis filiam, quo coniugio tam amplo ingenteis spiritus & spes magnas animo concepit. Ex sancto Isidoro & Luca Tudensi.

449. Recciarius Vasconum regionẽ depopulatur, deinde ad socerum profectus, Cæsaraugustam in reditu Gothorum auxilio vastat: Tarraconensem prouinciam Romanis subiectam inuadit: Carthaginensem regionem quam pater ipsius pacis ergo Romanis reddiderat, in prædam mittit, atq; hoc rerum successu lætus ac triumphabundus ad suos reuertitur. Ex S. Isidoro.

450. Circa hunc annum Leo Papa scripsit epistolam ad S. Turibium (ita enim in conciliis legendum, vt ex principio primi concilii Bracarensis constat) qua illum hortatur ad conuocandum concilium generale Galleciæ, ad extirpandos errores Priscillianistarum, atq; ostendit hanc hæresin ex omnibus aliarum hæreseon fecibus & sentina conflatam. Præterea statuit, vt inter Catholicos non censeatur, quisquis vtitur scripturis ab ecclesia Catholica damnatis. Cuius Leonis præcepto Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitani, & Bætici episcopi, facto inter se concilio, regulam fidei contra Priscilliani hæresin conscriptam, ad Baleonium Bracarensis Ecclesiæ Præsulem direxerunt. Ex priore tomo Conciliorum. Fuit hic S. Turibius Hispanus, ex prouincia Galleciæ, Asturicensis episcopus, cuius eximia sanctitas multis miraculis cõfirmata est. Eodem tempore floruit Iulianus cognomento Pomerius, natione Maurus, qui octo libros de anima per modum dialogi conscripsit, in quorum octauo Tertulliani consentiens erroribus, dicit animam esse corpoream. Scripsit & alios libros. S. Isidorus. Ioannes Trittemius dicit hunc fuisse Toletanum Archiepiscopum. Cæterum nescio, an deceptus sit eo, quod alium celebret Ecclesia Toletana Iulianum Præsulem, scientia & vitæ meritis clarum. Potius crediderim hunc esse

esse Pomerium, quem in fine scriptorum ecclesiasticorum describit Gennadius.

In Africa exarsit persecutio Vandalorum in Christianos, adeo vt diuinos libros exure- 451.
rent, & de sacris palliis ac vestibus vestimenta sibi facerent. Valerianus episcopus sanctus octogenarius, nolēs diuina sacramenta prophanis tradere, à Rege Giserico omni vrbe ac domo exclusus, reliquum vitæ vsq; ad mortem sub dio nudus transegit. Ex Sigeberto.

Attila Hunnorũ Rex, Walameris Ostrogothorum Regis, & Ardarici Gepidarum Re- 452.
gis, & multarum septentrionalium gentium fretus auxilio, à Pannoniis egressus, occidentale inuasit imperium cum quingẽtis armatorum millibus. Et primo per Gallias tanto furore grassatus est, vt nulla ciuitas eorum subterfugerit rabiem. Ex Sigeberto & Paulo Æmilio. Huius Attilæ mentem ad vastationem orbis paratam, multis muneribus Gisericus Vandalorum Rex ad Vesegothorum bella pręcipitauit, metuens ne Theodoricus (hic est quem nos Theodoredum diximus) Rex filiæ vlcisceretur iniuriam. Quæ Hunericho Giserici filio iuncta, prius quidem tanto cõiugio lętabatur, sed postea, vt erat ille etiam in sua pignora truculentus, ob suspicionem tantummodo veneni ab ea parati, eam putatis naribus, spolians decore naturali, patri suo ad Gallias remisit, vt turpe funus miseranda semper offerret, & crudelitas qua etiam mouentur externi, vindictam patris efficacius impetraret. Iornandes. Attilæ aduentum vbi præsensit Aetius, vnicum rerum Romanarum columen, misit Auitum ad Gothos suasum, vt Hunnis resistant. hoc enim Attilæ esse consilium, vt in primis Romanorum vires excindantur: sed non quieturum, nisi paulo post & Gothos ipsos penitus obterat. de monarchia namque cogitare Attilam. Gothus his auditis, auxilium suum Aetio pollicetur. Beatus Rhenanus ex Sidonio Apollinari in Panegyr. Auiti soceri. Theodoredus igitur Gothorũ Rex, quatuor filiis domi relictis, nempe Frederico, Turico, Rotemero & Himmerit, secum tantũ Thorismundum & Theodoricum maiores natu participes laboris assumit, & in auxilium Romanorum contra Hunnos Aurelianensem vrbem iam obsidenteis, & Gallias fœde vastanteis proficiscitur. Ex Iornande & Beato Rhenano.

Factum est illud memorabile prælium in campis Catalaunicis, prope Tolosam, in quo 453.
Francorum Annales cum Sigeberto Abbate & Iacobo Meyero tradũt cecidisse centum octoginta millia hominum. Iornandes ait cæsa vtriusque partis 162. millia, exceptis nonaginta millibus Gepidarum & Francorum, qui ante congressionem publicam noctu sibi occurrentes, mutuis concidere vulneribus. Diuus Isidorus, & ante illum Idacius, atq; vtrumque sequuti scriptores Hispani produnt, supra trecenta hominum millia cæsa. Huic prælio quinque Reges interfuere, Attila Hunnorum, caput belli: Talamirus, siue (vt alii appellant) Walamer Ostrogothorum: Theodoredus Vesegothorum: Ardaricus Gepidarum: Marouæus Francorum. Theodoredus in hoc conflictu, incertum à quo, peremptus est. Idacius & Sanctus Isidorus hanc pugnam pręcedenti anno ponunt. Hermannus Contractus & Matthæus Palmerius anno 450. Ego multorum autoritate fretus, & præcipue Seueri Sulpitii atque Cassiodori, hoc anno ponere malui. Occiso Theodoredo, Thurismundus filius eius regnum suscipit, & patri iusta debito honore persoluit. Hic Hunnos prælio fusos ad internecionem delere cõstituit. Cuius consilii cum Aetium Romanũ ducem certiorem fecisset, ille veritus ne gens per se ferox & irrequieta, tot victoriis elata, in Romanos tandẽ impetum faceret, subdolẽ suasit illi, vt domum profectus rationibus suis consuleret, antequam fratres regnum absentis inuaderent. Quod consilium ne ipsi quidem Aetio lætum fuit, vt qui paulo post à Valentiniano Imperatore occisus fuit, quod effugii locum Attilæ quem debellare potuit, præbuisset. S. Isidorus & alii.

Attila Vesegothos bello aggressus, victus à Thurismundo rediit inglorius. Sigebertus. 455.
Alii dicunt, & inter eos Archiepiscopus Toletanus, quod Thurismundus Alanis ab Attila bello oppressis suppetias profectus, Attilam fudit fugauitque, & trans Danubium pristinas petere sedes coegit.

Thurismundus anno regni sui tertio ægrotans, dum sanguinẽ tollit de vena, ab Ascal- 456.
cruo cliente inimicos nunciãte, armis subtractis peremptus est, vna tamen manu quam liberam habebat, scalpellum tenens (ita enim in Iornande legendum, non scabellum) sanguinis sui extitit vltor, aliquam multos sibi insidiantes extinguens. Iornandes. Diuus Isidorus autor est, Thurismundum primo regni anno à fratrib. Theodorico & Frigelarico (forte Frederico) letho datum. Annotationes marginales libri Alcobaciẽsis sex annos regnasse testantur: Iornãdes & Sigebertus, cum Chronicis Regis Alfonsi, tres annos imperasse scribũt, quibus ego magis accedo. Quin & Seuerus Sulpitius quarto Martiani anno occisum scribit, tametsi hoc loco valde deprauatus. Theodoricus mortuo fratri succedit, & regnat tredecim annos.

An. dom. Valentinianus Imperator ab amicis Aetii patricii in cãpo Martio occiditur. Maximus
457. tyrannus imperium inuadit, & Eudoxiam Valentiniani vxorem inuitam sibi toro iunxit, vt eius maiestate prouincias exercitusque sibi conciliaret. sed illa tãtæ iniuriæ impatiens, Gisericum Vandalorum Regem ad vindicandam coniugis sui mortem & tantam ignominiam inuitat. qui Afrorum, Numidarum, Maurorum, populariumque delectu habito, ad trecenta mortalium millia in Italiam trãsmisit, vrbem Romam metu trepidam ingressus, Maximum occidit, tertio à nece Valentiniani mẽse, Romam per quatuordecim dies dispoliat, Valentiniani viduam ac filias cum multis Romanorum millibus captiuas abducit. Demũ per legatos postulata ab Imperatore pace, Eudoxiã cum filiabus Constantinopolin remittit, vnam tamen ex iis, quæ nuberet filio suo, retinet. Ex Procopio, Sancto Isidoro, & Paulo Æmilio. Hoc alii alio anno ponunt, ego Cassiodorum sequutus sum & Seuerum, qui Maximum septuagesimo imperii die, terrore Vandalorum tumultu vulgi occisum dicit, ante ingressum Giserici. Theodoricus Gothorũ Rex, pro datis aduersus Gallos subsidiis, permissu Imperatoris Hispaniam ingressus, primus in ea obtinuit imperium. Cui dum Rechiarius Sueuorum Rex, cum magnis copiis obuiam proficiscitur, ad Vrbicum fluuium, duodecimo ab Asturica milliari, collatis signis dimicant. quo prælio fusus fugatusq; Rechiarius, fuga sibi salutem quæsiuit, arreptaque naui in Africam cursum instituit, in fidem ac tutelam Vandalorum se traditurus: sed aduersa procella Tyrrheni ostii repercussus, & in Portugallẽsis ciuitatis portum eiectus, captus ad Theodoricũ perducitur atque occiditur. Ex Iornande & Diuo Isidoro, qui maritimæ fugæ non meminit, sed tantum in Portugallensem ciuitatem telo ictum confugisse scribit. Lucas Tudensis autor est, Theodoricum ex eo loco Bracaram profectũ, cuius ciuitatis direptionem, si non cruentam, lamentabilem tamen fuisse, & Romanam magnam captiuitatem, eo quod incaute se Gothis tradidissent. Theodoricus rerum aduersus Sueuos potitus, rerũ Sueuicarum summam commẽdat Acliulfo Auerno, qui illos Theodorici auspiciis regeret. Sed vix discesserat Gothus, quum ille & fidei & officii sui oblitus, Regẽ se salutari iubet, & regnum sibi vendicat, neque Regem tam bene de se meritum agnoscit. Quo scelere exasperatus Theodoricus, confestim contra illum mouet, atque in primo cõflictu regno pariter & vita exuit, atque ita sensit iratum quem propitium seruare non potuit. Ex Iornãde. Sueui rebellionis suę pœnitentia moti, non solum veniam quam supplices per sacerdotes suos postulabant, consequuti sunt à Theodorico: sed etiam, vt ex gente sua Regem pro suo arbitratu crearẽt. Ex eodem. Igitur quę supererant gentis reliquię, in extrema parte Gallecíæ, Masdram Massilæ filium Regem creãt. Ex Sancto Isidoro. Theodoricus his rebus gestis, traducto in Lusitaniam exercitu, Emeritam deprædari constituit, sed Sancti Martyris Eulaliæ perterritus ostentis, impiis cœptis destitit, atq; exercitum tripartito diuisum, partim Cherula duce in Bæticam misit, quo mense Iulio (vt inquit Idacius) peruenerunt, partim Sigerico & Nepotiano ducibus in Galleciam, à quibus Sueui apud Lucum sæua deprædatione vastati sunt. Cum reliquo exercitu ipse in Galliam Gothicam reuersus est. Ex B. Isidoro. Eodem anno Sabinus episcopus Hispalensis, post viginti annos quam certauerat, expulsus ex Galliis ad propriam rediit sedem. Idacius.

458. Agrippinus Comes Narbonẽ Theodorico Regi proditione tradidit. Diuus Isidorus. Sueui in duas factiones diuisi, alii Masdram (vt diximus) Massilæ filium: alii Frautam Regem salutant. Sed Frauta mox defuncto, Sueui qui pro illo stabãt, Rechimundum illi subrogant. Qui cum Masdra (quem Diuus Isidorus nunc Masdram, nunc Maldram appellat, nisi mendosus est liber) inita pace, pariter Lusitaniam deprædatur. Ex eodem. Chronica Regis Alfonsi Frautam octo annis regnasse testantur, sed Frautam & Frumarium pro eodem accipiunt, quum sint diuersi, vt ex Diuo Isidoro & Luca Tudensi patet.

60. Masdra à suis interfecto, postquã tres regnasset annos, inter Frumarium & Recchimũdum oritur de regno Sueuorum contentio. Frumarius cum Sueuis suæ factionis, Flauiẽsis vrbis conuentum graui euertit excidio: Recchimũdus vicina sibi pariter Auriensis & Lucensis conuentus maritima depopulatur. Ex Diuo Isidoro. Maiorianus Imperator Occidentis in Hispaniam venit Cæsaraugustam, vt inde parata classe Vandalos bello adoriretur: sed proditione suorum cõsilio Vandalis detecto, irritus voti in Italiam reuersus, à Recimere patritio occisus est. Ex Annotationibus libri Alcobaciensis & Roderico Archiepiscopo Toletano. Seuerus Sulpitius dicit, naueis eius quib. in Africam traiicere volebat, captas à Vandalis in Hispania circa Carthaginem Spartariam.

462. Idacius scribit hoc anno in conuentu Bracarensi visum portẽtum duorum natorum, sed quæ subiungit, assequi non potui, ita mendosus erat liber.

464. Frumario Sueuorum Rege mortuo, Remismundus Masdrę filius (hunc S. Isidorus alio loco

loco Arifmundum appellat) omnibus Sueuis in ditionem fuam redactis,regnat, & pacem cum Gallecis firmat. Ex S.Ifidoro. Huius regis tempore Aiax natione Gallus,factus apoftata Arianus,inter Sueuos regis auxilio,hoftis Catholicæ fidei ac diuinę Trinitatis emergit,& Arianæ virus hęreſeos ex Gallica Gothorum gente delatum,in Sueuos fparfit.Quo contagio gens illa cum multis regibus manfit infecta,vfque dum regnante Theodomiro, Arianę impietatis errore deftructo,Sueui fauente rege,& annitente S.Martino Dumienfis monafterii epifcopo,Catholicam fidem amplexi funt. Ex S.Ifidoro. Lucas Tudenfis nonaginta annos in eo errore perfeueraffe Sueuos affirmat. Quorum regum Arianorum memoria fimul cum rebus eorum geftis à fcriptoribus filentio eft oblíterata. Leonis Imperatoris anno quinto,Eredicus frater Theodorici regis, pugnans cum Francis, occiditur,iuxta Ligerim Galliæ Celticæ fluuium. Seuerus.

Gifericum Vandalorum Regem iterum in Italiam cum exercitu nauigantem, Afilicus patricius nauali prælio fuperauit, & redire Carthaginem compulit. Matthæus Palmerius,vbi difpiciat prudens Lector,an forte legendum fit Bafilifcus. 466.

Circa hunc annum cum Papa Hilarius Romæ celebraret concilium, Afcanius Tarraconenfis metropolitanus epifcopus,& alii epifcopi eiufdem prouincię fcripferũt ad eum, Nundinarium epifcopum Barcinonẽfem, & Siluarium epifcopum Calaguritanum defignaffe fibi epifcopos fucceffores. Quorum factum ab Hilario Papa & vniuerfa Synodo vehementer eft improbatum, & epifcopi fubrogati cedere iuffi, vt ex ipfius Papæ decretali epiftola patet,in qua Ciuitatenfium mentio fit.quod propter eos adiungo,qui Ciuitatenfem vrbem parum antiquam putant. 467.

Remifmundus Sueuorum Rex legatos ad Theodoricum Gothorum Regem fœderis caufa mittit, à quo per eofdem legatos & Sallanum Gothum ex palatino officio, & arma & filiam coniugem accepit. Quo honore fublatus in Lufitaniã profectus,Conimbricam (Colibriam vocat Diuus Ifidorus) fpecie pacis deceptam diripit, & Olifiponem tradente Lufidio qui ciuitati præerat, occupat. Eodẽ anno, nimirum Leonis Imperatoris decimo, Theodoricus Rex ab Eurico fratre Tolofæ fuit occifus. Seuerus & Sigebertus. At Diuus Ifidorus dicit,quod anno Leonis octauo,hoc eft, anno Domini quadringentefimo fexagefimo feptimo.Occifo Theodorico,Euricus frater ipfius(Eoricum alii vocant)ex fratricida factus eft Rex Gothorum, & regnauit fecũdum fanctum Ifidorum annis feptendecim, fecundum Sigebertum nouendecim. Diuus Gregorius Turonenfis viginti feptem annos regnaffe fcribit lib. 2. cap. 10. fed fufpicor effe mendum,quemadmodum & illud, quod hic Rex eidem autori ibidem cap. 25. Euarix dicitur. 469.

Euricus principio regni continuo Lufitaniam deprędatur,ac miffis exercitibus,Pompelonem,Cęfarauguftam,Tarraconenfem prouinciam,atque etiam Hifpaniam fuperiorem in poteftatem fuam redigit. Sanctus Ifidorus. Idacius decimo fexto Leonis anno factum dicit,vt fuo loco dicemus. Et quum Romani imperii vacillationem cerneret, Arelatum & Maffiliã bello captas regno fuo adiecit.Idem,& Iornandes.Nam Gifericus Vandalorum Rex curauit, vt Orientale imperium Oftrogothi, Hefperium fiue Occidentale Vefogothi vaftarent,vt in vtraque Republica hoftibus decernẽtibus,ipfe in Africa quietus regnaret. Idem Iornãdes. Scribit Sigebertus Euricum, dum Gallias occupare nititur, Riothimum Britonum Regem, ad defenfionem Galliarum Romanis auxilio veniẽtem, bello contriuiffe. Eodem anno moritur Gifericus Vandalorum rex, anno regni fui quadragefimo. Hic teftamento cauit,fucceffione regnandi inter filios fuos ordinata,vt fratri morienti frater fuccederet,fine vlla controuerfia filiorum, & poft filios fuos, quicunque ex genere virilis prolis proximo fanguinis gradu illum attingeret, atque ex his, qui ætate præcederet.Procopius & Sigebertus.Huius regis mortem Chronica regis Alfonfi,Sigebertum fequuta,ponunt anno 477. Ego Sanctum Ifidorum fequi malui. Mortuo Giferico fucceffit Honorichus filius. D. Ifidorus Vgnericũ appellat, qui multo crudelius patre perfequutus eft Chriftianos.Hic Valẽtiniani Imp.& Eudoxię Auguftę filiã vxorẽ habuit. 470.

Honorichus fecundo regni fui anno, in Chriftianos fæuiens, circiter quatuor millia in duriora exilia relegauit,martyres multos fecit, confefforibus linguas abfcidit,qui linguis ademptis perfectius loquuti funt. S.Ifidorus. Sigebertus quater mille nongentos feptuaginta fex in exilium miffos ait. Beda addit,quod in exilium miffis ac fugatis plufquã trecentis triginta quatuor epifcopis Catholicis, eorum ecclefias clauferit, plebem variis affecerit fuppliciis,& innumeris quidem manus abfcindens,linguas quoque præciderit, nec tamen loquelam Catholicę confeffionis eripere potuerit. Huius rei meminit & Iuftinianus Imperator C.de off.præf.præt.& oculata fide fibi conftare teftatur. Hoc tempore Eugenius Carthaginenfis epifcopus & omnis clerus eius contra Arianam hærefin 472.

An. dom. Vandalorum fortiter pro Chriſti fide certant. Sigebertus. Sed ego in anni numero Sancti Iſidori ſupputationem ſequor, ne quis errore factum exiſtimet.

473. Carthagine liberatus abbas cum ſex fratrib. à Rege Honoricho carcere, catenis, igni, & vectibus ad martyrium vſque cruciatur. Idem Sigebertus. Fratrum vero nomina hæc ſunt, auctore Victore epiſcopo, qui hanc perſecutionem cui ipſe interfuit, deſcripſit: Bonifacius diaconus, Seruus ſubdiaconus, Ruſticus ſubdiaconus, Rogatus monachus, Septimus monachus, & Maximus monachus.

475. Gauderit Comes Gothorum, Hiſpanias per Pompelonem, Cæſarauguſtam, & vicinas vrbes obtinuit. Heldefredus quoque cum Vincentio Hiſpaniarum Duce obſeſſa Tarracone, maritimis vrbibus potitus eſt. Idacius & Seuerus.

476. Honorichus ſolito crudelius in Chriſtianos exarſit, omnes Africæ epiſcopos perſpeciem ſynodi euocatos, vſq; ad quadringētos quadraginta quatuor in exilium relegauit, & eorum eccleſias vel clauſit, vel Arianis dedit, plebemque variis ſuppliciis afflixit. Letum Neptenſem epiſcopum igni traditum martyrio coronauit. Eugenium Carthaginenſem epiſcopum cum clericis ſuis pluſquam quingētis, variis tormentis excruciatos exilio condemnauit. Partim ex ſancto Iſidoro, partim ex Sigeberto.

477. Hoc anno ſecundum ſanctum Iſidorum, ſecundum Lucam Tudenſem ſequenti, Honorichus octauo regni ſui anno, poſt innumerabiles in Chriſtianos crudelitates, iudicio Dei percuſſus, vt Arius pater eius, interioribus cunctis effuſis, miſerabiliter vitam finiit. S. Iſidorus. Sigebertus Abbas ſcribit vermibus ſcatentem expiraſſe. Idem dicit & Victor epiſcopus. Regnauit annos ſeptem, menſeis quinq;, vt ait Lucas Tudenſis. Victor epiſcopus dicit, quod mēſibus decem ſupra ſeptem annos regnauerit. Mortuo Honoricho ſubrogatus eſt Guntamūdus, qui regnauit annis duodecim, & reſtituta pace eccleſiæ, catholicos ab exilio reuocauit. Sanctus Iſidorus. Procopius libro 3. de bello Vandalico, iſtum Gundabundum appellat, & dicit Genzonis fuiſſe filium, qui Gēzon Giſerici Regis filius fuit natu maior, & addit hunc Gundabundum Chriſtianos imitatione ſuorum, grauioribus etiam ſuppliciis afflixiſſe. Sigebertus dicit nouem tantum regnaſſe annos. Sed Sancto Iſidoro ſubſcribit Procopius.

482. Cum Rex Gothorum Euricus, Arelate ſuos euocaſſet ad colloquium, atque ii de more gentis tela manibus tenerent, vidit Rex colorem ferri repente mutari. alia enim tela colore viridi, alia roſeo, alia nigro, alia croceo naturalē ferri colorem mutarunt, vt annotarunt poſt Sanctum Iſidorum Lucas Tudenſis & Rodericus Archiepiſcopus Toletanus.

483. Euricus Rex Arelati fatalis vadimonii diem obiit, cum regnaſſet ſecundum communem omnium opinionem, annos 17. ſecundum alios, 16. Neq; enim audiendos arbitror, qui 19. annos regno functum prodūt. Hic primus Gothis leges ſcripto dedit, neque immerito à Sancto Iſidoro inter alios legiſlatores cenſetur, vt annotauit Alfonſus epiſcopus Burgenſis. De Eurico ſiue Eorico Rege ſcribit Sanctus Gregorius Turonenſis epiſcopus libri ſecundi cap. 25. quod ex Hiſpania in Gallias egreſſus, perſecutionem in Catholicos mouit, & ſacrorum templorum aditus ſpinis iuſſit obſerari, ſcilicet vt raritas ingrediendi, obliuionem faceret fidei. Huius rei, quanquam ſubobſcure, meminit Sidonius Apollinaris, in epiſtola ad Baſilium libro ſeptimo, vbi mendoſe legi puto, Et Varix, pro Euarix, vel potius, Euricus. Eodem anno poſt mortem patris ſui creatus eſt Rex Gothorum apud Toloſam Alaricus, anno Zenonis Imperatoris ſeptimo, vt ait Seuerus: vt vero Sanctus Iſidorus & Annotationes marginales libri Alcobacienſis, anno decimo. Quæ diuerſitas ex eo naſcitur, quod alii Zenonem anno Domini quadringenteſimo ſeptuageſimo quarto Imperium iniiſſe ſcribunt, inter quos eſt Hermannus Contractus: alii biennio poſt, vt Matthæus Palmerius. Hic Alaricus Teudetuſam filiam Vittigis Oſtrogothorum Regis vxorem habuit, vt ait Procopius libro primo de bello Gothico. Paulus Æmilius dicit, hūc fuiſſe nonum à magno illo Alarico qui Romam cepit, & vxorē habuiſſe Theodorici Oſtrogothorum & Italiæ Regis filiam, idque veriſimilius eſt. Quod vero ea vocata ſit Amalaſuenta, præter Archiepiſcopum Rodericum Toletanum, & qui eum ſequuti ſunt, nemo affirmat. Imo vero Caſſiodorus autor eſt cum aliis aliquot, Amalaſuintham Theodorici huius filiam Eutharico nupſiſſe, ex quo coniugio natus eſt Athalaricus, qui poſt aui mortem regnauit in Italia, præmatura morte extinctus. Regnauit hic Alaricus viginti tres annos, autore Sancto Iſidoro.

489. Guntamundo Vandalorum Regi defuncto ſucceſſit Traſamūdus frater eius, & regnauit annis viginti ſeptem, menſes quatuor, vt ait Sanctus Iſidorus. Fuit hic vir indole ſapientiæ maxima, tum animi magnitudine maiores omneis antecedens, Chriſtianos non pœnis corporis aut ſupplicii, vt alii, ſed præmiis & honoribus omnibus ad deſerendam fidem

fidem inuitabat,non auscultanteis minime plectebat,fuit Anastasio principi charissimus. *An. dom.*
Procopius libro 3. de bello Vãdalorum. Sed Diuus Isidorus dicit in historia Vãdalorum, quod Ariana percitus insania,persecutionem in Christianos instaurauit,& cẽtum viginti episcopos in Sardiniam relegauit. Idem dicit & Beda, sed ait ducentos viginti episcopos clausis eorum ecclesiis, in exiliũ missos. Verum Isidorus etiam in Chronico tantum centum viginti ponit.

In Minio Hispaniæ fluuio pisces capti sunt,in quorum squamis videbatur inscripta Æra præsentis anni,vt ait Sigebertus. Annotationes marginales libri Alcobaciẽsis testantur, hoc anno,id est,Anastasii Imperatoris septimo,Sacos in Hispaniã irrupisse, Asterio & Presidio Coss.de qua re nihil vsquam alibi legi,nisi quod Plinius Sacas in Scythia ponit,libro sexto,capite 17. 490.

Hoc tempore floruit,& ab Arianis pro asserẽda fide Catholica multa passus est sanctus Fulgentius Ruspensis episcopus,eruditione,facundia & sanctitate illustris. Quem Chronica Regis Alfonsi postea martyrio coronatum testantur. Raphael Volaterranus Toletanum fuisse scribit,professione monachum,ab Arianis in exilium relegatum,postea reuocatum anno vno ante obitum, præsulatu abdicato, antiquum repetiisse cœnobium. Floruit sub Anastasio primo Imperatore & Gelasio Papa. Huius beati Fulgentii vidi librum de fide incarnationis filii Dei ad Scarilam, & alium de interrogatis quæstionibus ad Ferrandum ecclesiæ Carthaginẽsis diaconum, & alium de regula veræ fidei ad Petrum. Reliqua illius opera recenset S. Isidorus. 496.

Burdunellus in Hispania tyrannidem assumit. Annotationes marginales libri Alcobaciensis. Intelligo hunc vsurpasse imperium eius Hispaniæ partis quæ Romanis parebat. 497.

Hoc anno, nempe Anastasii Imperatoris sexto, Consule Anastasio Augusto, Gothi in Hispaniis sedes acceperunt, & Burdunellus à suis traditus, & Tolosæ tauro æneo impositus crematus est. Annotationes marginales libri Alcobaciensis. Trasamundus in Christianos sæuit. Ibidem. 498.

Anno septimo Anastasii, Olympius quidã episcopus Arianus, dum in balneis apud regiam vrbem blasphemat in sanctissimam Trinitatem, tribus iaculis igneis, angelo ministrante,in piscina aquæ frigidæ percussus,vitam impie simul & prodigiose finiuit. Victor episcopus Africanus. Aliqui hoc anno 497. factum arbitrantur,nempe ii qui Anastasium iniisse imperium anno 490.putant.Sunt qui hoc Carthagine factum dicãt, nimirum quia dicitur apud regiam vrbem contigisse, sed non animaduertunt, quod vrbs regia temporis illius scriptoribus dicitur in Orientali imperio Constantinopolis, in Africa Carthago, in Hispania Toletum. Ex Nicephoro enim cõstat, quod hoc miraculum factum sit Constantinopoli. 499.

Anno Anastasii nono, Patritio & Hypatio Coss. Deuterius Arianus episcopus dum quendam nomine Barbarum baptizaret,& male distinguens Trinitatem,diceret, Ego te baptizo in nomine Patris per Filium in Spiritu sancto : aqua repente disparuit,& vas confractum est. Ex Nicephoro & Sigeberto,qui hoc ait contigisse Constantinopoli. Victor episcopus Tunnunensis & sanctus Isidorus paulo aliter referunt,dicentes Barbam appellatum episcopum, qui baptizauit ad eum modum. sed ego mendum esse suspicor. Illud constat ex omnibus, quod qui baptizandus erat, viso miraculo conuersus sit ad veram fidem. Hoc anno Annales Francorum ponũt initium belli inter Clodoueum Francorum Regem,qui & Ludouicus dictus est, & Alaricum Gothorum, ex quo acerrimæ inter vtrunque Principem & populum exarserunt inimicitiæ. Causa belli fuit præter religionis disparitatem (nam Franci noua religione pii, Gothos Ariana impietate pollutos oderant) quod Alaricus,cuius pater auusque amantissimi Francorum Regum fuissent, exules hosteisq; eorũ recipiebat colebatq;: & cum de colloquio ageretur,insidias vitæ suæ Francus rex paratas ab eo se comperisse dicebat.Que contentio animorum eo vsq; exarsit,vt submotis cæteris ad ostentationem virtutis Reges inter se singulari certamine cõflicturi fuerint,nisi Theodorico Ostrogothorum & Italiæ Rege solicitante,bellum illud in Burgundioum Regem ad tempus translatum fuisset. Paulus Æmilius. 501.

Fœdus ictum inter Clodoueum Francorum,& Alaricum Gothorum Reges.Sigebertus.Hoc anno,hoc est,14. Anastasii,Messala Consule,Gothi Detorsam ingressi,& Petrus tyrannus interfectus,caputque eius Cæsaraugustam deportatum est. Annotationes marginales libri Alcobaciensis. 506.

Alaricus Clodoueo Regi molitus insidias,fœdus violat. Sigebertus. 508.

Prælium commissum inter Alaricum & Clodoueũ in Pictonibus, decimo ab vrbe lapide, in campis Vogladensibus, in quo Alaricus à Clodoueo deiectus equo dicitur. 509.

An. dom. Tunc duo Gothorum equites, regis sui casu magis irritati quam territi, antequam rex regem conficere, & opima spolia capere posset, diuersi hastas equorúmque cursum in vtrunque eius latus dirigunt, qui beneficio loricæ & auxilio Clodouici iuuenum fortissimi, æquato Marte, incruentus periculum euitauit. Stratum Alaricum pedes Francus attollere se conantem confodit. Gothi fugæ se mandarunt. In Burdegalensium finibus Gothi qui prælio abfuerant, ausi fortunam prælii tentare, tanta cæde victi sunt, vt is locus Campus Arianus etiam nunc vocitetur. Hoc bello vouit rex Clodoueus Lutetiæ templũ sanctis Apostolis Petro ac Paulo sacrum, in suburbio, quod nunc est S. Genouefæ, in cuius diuæ tutela ea vrbs est. Paulus Æmilius. Eadem ferme S. Gregorius Turonensis lib. 2. cap. 37. Diuus Isidorus, & illum sequuti scriptores Hispani, hunc regem Francorum Fluduinum appellant, & ponunt mortem Alarici anno quingentesimo sexto, quum tamen anno decimo septimo Anastasii Imperatoris occisum dicāt. Cuius diuersitatis causam superius anno quadringentesimo nonagesimo nono posuimus. Seuerus Sulpitius mortem Alarici anno decimo quinto Anastasii ponit. Illud quoq; admonere nō ab re fuerit, quod in Roderico Archiepiscopo Toletano impresso perperam hoc loco pro Pictauium, Patauium legitur. Hoc successu ferox Clodoueus, omnē fere Aquitaniam Gothis ademptam regno suo adiecit, etiam Tolosam regni sedem. Præterea Germanorum adiutus auxilio, Carcassonem vrbē obsedit, in qua vrbe erat Solomonis preciosissima & spectatu dignissima supellex, quam ingētis precii gemmis ornatam, ex Hierosolymis Romani quondam auexerant: Alaricus senior, quum Romam cepit, in prædam suam conuertit. Non tamen potiti sunt ea vrbe Franci, sed aduentante Theodorico Ostrogothorum & Italiæ Rege, soluerunt obsidionem. Procopius libro 1. de bello Gothorum. Occiso à Francis Alarico, Gesalaricus frater eius, Eurici Regis ex concubina filius, Narbone creatus est Rex. Nam Amalaricus, Alarici ex filia Theodorici Gothorum in Italia Regis filius, vix dum quinquennis, nondum erat maturus imperio. Hic secundum sanctum Isidorum, regnauit annis quatuor, tametsi alii plureis, alii pauciores annos illi attribuant. Hũc alii Gesalaricum, alii Geseleycum, alii Gesaleicum, Procopius Gaselicum appellat. Hic vt ignobili matre editus, ita animo degener extitit, & dum Narbonem à Gundebadis Burgundionum Regis impetu defendere non posset, cum maxima suorum clade, Barcinonem ignominiosa fuga se contulit, ibiq; turpiter delituit, donec à Theodorico regno fascibus exutus est. Partim ex Seuero, partim ex S. Isidoro.

510. Theodoricus Ostrogothorum & Italiæ Rex cōtra Francos, ad vlciscendam generi sui necem, octoginta armatorum millia misit duce Ilba (Helbanem alii vocant) Gepidarum Comite, qui Gothis coniuncti, victoria potiti sunt: Frācorum viginti millia & eo amplius desiderata. Prouincia ad Ostrogothos, Vasconia ad Vesegothos rediit. Ex annalibus Frācorum. Eodem anno Gesalaricus Goericum Barcinone in palatio interficit, & paulo post ab Ilba duce Theodorici ab Hispania fugatus, Africam petit. Annotation. margin. libri Alcobaciensis.

511. Gesalaricus post frustra petitum in Africa Vādalorum auxilium & varios errores, tandem apud Druentium Galliæ fluuium interiit, & prius regnum, mox vitam perdidit. S. Isidorus. Eodem anno Theodoricus Iunior, Ostrogothorũ & Italiæ Rex, cum iam octodecim annos non sine gloria regnasset in Italia, venit in Hispaniam, atque ibi per quindecim annos Amalarici nepotis sui paruuli tutelā gessit, & Gothorum regnum administrauit. S. Isidorus. Alii ingressum eius in Hispaniam anno 513. ponunt. In hoc tamen omnes consentiunt, quod 21. anno Anastasii.

515. Mortuo Clodoueo Frācorum Rege, regnum in quatuor fratres diuiditur: Childeberto Parrisii, Clotario Suessiones, Clodamiro Aurelianum, Theodorico Mediomatrices imperia fuerunt, omnesque Reges consalutati, ac primum omnium pacem cum Amalarico Alarici filio firmauerunt, data illi in matrimonium sorore Clotilde, Tolosatiumque præfectura restituta. Paulus Æmilius. Pacem hanc cum Amalarico firmatam intellige, quia Theodoricus non suo, sed nepotis sui nomine res in Hispania gessit: & sororem pactam, non datam Amalarico, qui id temporis nondum ex ephebis excesserat. Illud quoq; animaduertendum, neque Gallicarum rerum scriptores, neque vllos alios præter Hispanos, memoriæ proditum reliquisse, Theodoricum hũc, de quo loquimur, in Hispania res gessisse. Ego tamen vt Hispanis scriptoribus magis accedam, & autoritate diui Isidori, & libro Conciliorum moueor, in quo, vt continuo videbimus, sub hoc Theodorico, quamuis Ariano, concilia celebrata describuntur, quæ nisi de annis quibus in Hispania ille regnauit, intelligi non possunt.

516. Hoc anno, Sanctus Isidorus author est, mortuo Trasamundo, Ildericum Honorichi ex Va-

ex Valentiniani Imperatoris filia natum, Vandalis imperare cœpisse, sed à Trasamundo ante mortem sacramento obstrictum, ne, quandiu regnaret, ecclesiam Catholicis aperiret, aut priuilegia redderet. Qui à matre fide recta imbutus, ne iurisiurandi religionē violaret, antequam iniret imperium, Christianos ab exilio reuocat, ecclesias sacerdotibus restituit, atq; ita demum regno inauguratur. Sanctus Isidorus. Hoc factum post annum septuagesimum quartum hæreticæ profanationis, inquit Beda. Procopius testatur, hunc æque in Christianos atque in suos mitem, armis tamen minime fuisse idoneum, quibus Amerem propinquum præfecisse, qui ob fortitudinem alter Achilles est appellatus. Regnauit annos septem, menses quatuor. Eodem anno, nimirum Theodorici Iunioris sexto, consulatu Petri, celebratum est Tarracone concilium decem episcoporum, octauo Idus Nouembris. In quo concilio, præsidente Ioanne eius ciuitatis episcopo metropolitano, inter alia multa statutum est, vt obseruatio diei Dominici incipiatur à sabbato. Atque hinc fortassis emanauit consuetudo in totam fere Hispaniam, cessandi die sabbato ab omni opere sub horam vespertinam. Ex priori tomo Conciliorum. Hoc concilium alii alio anno ponunt. Ego diuum Isidorum sequor, cui calculus Cassiodori ad amussim quadrat.

Hormisda ad summum Pontificatum euectus est, qui vices suas Salustio Hispalensi episcopo metropolitano commisit, per prouincias Bæticam & Lusitaniam: per reliquam vero Hispaniam, Ioanni, opinor, Tarraconensi episcopo. Huius extant aliquot ad Episcopos Hispaniæ epistolæ decretales, in priore tomo Conciliorum. 517.

Mense Iunio eiusdem anni celebratum est concilium Gerundense à septem episcopis, Agapito Consule, anno Theodorici 7. sub præsule ciuitatis illius Fortuniano. Ex priore tomo Conciliorum. Eodem anno celebratum aiunt cōcilium Cæsaraugustanum, à duodecim episcopis, sub Lucio episcopo Cæsaraugustano, quarto nonas Octobris, in quo præter alia decretum est, ne quis vsurpet nomen doctoris, nisi cui iure cōceditur. Ibidem. Petrus Antonius Beuter sequenti anno ponit.

Gilimer Ilderichum per tyrannidem regno Vandalorum deturbat, & cum filiis carcerum custodiæ mancipat, regnū ipse inuadit, & multos Africæ nobiles partim opibus, partim vita spoliat. S. Isidorus. Beda Gilismerum appellat. Hic Gilimer fuit, vt ait Procopius, Genzonis de quo superius loquuti sumus, filius, & malis artibus ac falsis apud Vādalos calumniis Ilderichum regno priuauit, & cum Amere atque eius fratre Euagene carceri tradidit, atque Amerem postea excæcauit, neque vllis Iustiniani Imperatoris monitis à male cœptis abduci potuit. Quare Imperator soluto bello Persico, bellū illi facere statuit, quod Procopius duobus libris prolixe describit, vt cui ipse interfuit. Sigebertus hūc Gilimerū ponit anno 528. & addit ita fuisse crudelem, vt ne parentibus quidem parceret. 523.

Hoc anno, id est Theodorici Iunioris decimo quinto, celebratum est octauo Idus Augusti concilium Ilerdense, ab octo episcopis, sub Sergio illius ciuitatis id temporis episcopo. Ex priori tomo Conciliorum. Eodem anno mense Decēbri, celebratum est cōcilium Valentinum sex episcoporum, sub Celsino illius ciuitatis episcopo, in quo statutū est præter alia, vt euāgelium legatur ante offertorium, vt catechumeni & pœnitentes qui non offerebant, audiant euangelium, antequam exeant ecclesia, quod etiam annotauit Petrus Antonius Beuter. Ibidem. Ex his conciliis colligi posse videtur, eam Tarraconensis Hispaniæ partem quæ Romanis parebat, totam fuisse Catholicam, vt in qua tot concilia tam libere celebrata sint. Quod ex eo clarius est, quod affirmat S. Isidorus, Ioānem postea Gerundensem episcopum, ab Ariano Gothorum Rege Leouigildo Barcinonem exilii causa relegatum. Eodem quoque anno, Theodoricus Ostrogothorum Rex quum Hispaniam per quindecim annos rexisset, nō sine gloria, nisi quod alienus à fide Catholica & acerrimus Arianæ sectator perfidiæ, regnum Visogothorum Amalarico nepoti iam adulto tradidit, atq; in Italiam est reuersus, vbi ob instauratam Romam, & redintegratos illius muros, auream statuam à Senatu meruit. S. Isidorus. Lucas Tudensis addit hunc in Hispania vxorem duxisse ex prima Hispanorū origine, cuius precibus Hispanos omneis libertate donasse: ex ea filium sustulisse Seuerianum, sanctorum Leandri & Isidori atque aliorum patrem. 525.

Amalaricus, Theodorico tutelam ipsius iam regno maturi abdicante, Gothis in Gallia Aquitanica & Hispania imperare incipit, quanquam Gallicarum rerum scriptores, vt admonuimus, omneis Theodorici annos Amalarico tribuant, qui hoc anno mortem ipsius ponunt, de qua re suo loco dicemus. Regnauit annis quinque, vt ait Sanctus Isidorus. Iustinianus Imperator admonitus per somnum à Leto martyre, exercitum in 526.

An. dom. Africam Belesario duce contra Gilimerem mittit: qui Belesarius Gontimerum & Gebamundum fratres Regis primo prælio fudit, Gilimerem in fugam cōuertit, Africam recepit nonagesimo septimo, quam Vādali regionem illam occupauerunt, anno. Gilimer vero in primo Belesarii occursu, ante conflictum, Ilderichum Regem & quosdam eius affines obtruncauit. Demum captus cum omnibus suis opibus Iustiniano Constantinopolin adducitur. Sic Vandalorum regnum cum omni populo ac stirpe deletur, quod permansit annis centum tredecim, à Gunderico Rege vsque ad Gilimeris interitum S. Isidorus. Cuius supputatio iis astipulatur qui anno Domini quadringentesimo decimo tertio, Vandalos in Hispaniam irruisse scribunt. Ex quorū albo est Sigebertus, qui excidium regni Vandalici ponit anno quingētesimo trigesimo tertio, sicut & Matthæus Palmerius. Sed Iustinianus C. de off. præf. præ. lib. 1. §. 1. dicit Africam per annos centum & quinque à Vandalis fuisse captiuam, si locus non est mendosus.

530. Anno quinto Amalarici Regis celebratum secundum cōcilium Toletanum octo episcoporum, sub Mōtano præsule Toletano. Ex priore tomo Conciliorum. Scribit S. Isidorus in hist. Goth. & illum sequutus Rodericus Toletanus, concilium hoc peractum anno secundo Theudii Regis, qui quamuis esset hæreticus, pacem tamen indulsit ecclesiæ, adeo vt catholicis episcopis potestatem concederet in vrbem regiam conueniendi, & quæcunque ad disciplinam ecclesiasticam pertinerent, libere instituendi. Cæterum ex ipsius concilii vltimo capite liquido cōstat, sub Amalarico Rege, nō Theudio celebratum. Fortassis aliud Concilium eo regnante Toleti celebratum est, quod in aliorum conciliorum numerum non sit relatum, de quo D. Isidorus loquitur. Mōtanus vero quem huic Synodo præsedisse diximus, fuit post Celsum Toletanæ sedis metropolitanus episcopus, vita & eruditione clarus. Qui antiquissima fidelique relatione narratur, ad propulsandam cōiugalis conuersationis infamiam, candenteis prunas tamdiu tenuisse veste, dum sacrum perageret, eoque peracto nec prunæ ignem, nec vestis inuenta est amisisse decorem. Scripsit ad Palētinos epistolam, in qua presbyteros chrisma conficere, & episcopos alienæ diœcesis ecclesias consecrare, magna dicitur autoritate prohibere. Claruit sub Amalarico Rege, & nouem annis pōtificatus tenuit dignitatem. Ex S. Alfonso. Eodem anno Stephanus quidam Hispaniarum præfectus efficitur, atque idem anno tertio præfecturæ suæ, in Gerundensi ciuitate, in concilio discinctus est. Annot. marg. Alcobac. Memoriæ prodit Sigebertus, hoc anno episcopos quosdam in Africa orthodoxos linguis radicitus excisis à Vandalis, posterius clare loquēdo multis miraculo fuisse. Quod miraculum vnus eorum auxit, qui in superbiam elatus, confestim diuino priuatus munere obmutuit. Sed hoc sub Gilimere tyranno factum est. Clotildis Francorū Regum soror, à Gothis Arianis, in quos enupserat ipsa pia, ignominiose duriterque tractabatur: via euntem cœno lapidibusq; incessebant. Saucia imbutum cruore sudarium ad fratres Reges misit, quo velut literis sanguine exaratis ira perciti Franci, in Gothos ducunt. Amalaricus apud Narbonem prælio victus, dum Barcinonem fugere parat, ab exercitu contemptus occiditur. Clotildis dum à fratre Childeberto reducitur, in itinere fato concessit, Parisiis iuxta patrem sepulta. Ex annalibus Francorum & S. Isidoro. Sed vt dixi, historiæ Gallorum anno 525. factum hoc asserunt. Robertus Gaguinus addit, Toletū à Frācis expugnatum ac dispoliatum, & multa inde vasa sacra templis Franciæ distributa. Totam hanc rem fusius atq; explicatius prosequitur S. Gregorius Turonensis libro 3. capite 9. cuius verba non pigebit adscribere. Ea habent ad hunc modum: Clotildis multas insidias ab Amalarico viro suo propter fidem Catholicam patiebatur. Nam plerumque procedente illa ad sanctam ecclesiam, stercora & diuersos fœtores proiici super eam imperabat. Ad extremum autem tanta eam crudelitate dicitur cecidisse, vt infectum de proprio sanguine sudarium fratri trāsmitteret. Vnde ille maxime commotus, Hispanias appetiuit. Amalaricus vero hæc audiens, naueis ad fugiendum parat. Porro imminēte Childeberto, cum Amalaricus nauem deberet ascendere, in mentem venit, multitudinem se preciosorum lapidum in thesauro suo reliquisse. Cumq; ad eosdem petendos in ciuitatem regrederetur, ab exercitu in porta exclusus est. Videns autem se non psse euadere, ad ecclesias Christianorū confugere cœpit. Sed priusquam limina sancta cōtingeret, vnus emissa manu lancea, eum mortali ictu sauciauit, ibique decedens reddidit spiritū. Tunc Childebertus cum magnis thesauris sororem assumptam secum abducere cupiebat, sed, nescio quo casu, in via mortua est, & postea Parisios allata, iuxta patrem suum Clodouæum sepulta est. Childebertus vero inter reliquos thesauros, ministeria ecclesiarum preciosissima detulit. Nam 60. calices, 15. patinas, 20. Euangeliorum capsas detulit, omnia ex auro purissimo, & gemmis preciosis ornata. Sed nō est passus ea cōfringi. cuncta enim ecclesiis & basilicis sanctorum dispensauit ac tradidit. Hactenus ille.

Post

stringi. cuncta enim ecclesiis & basilicis sanctorum dispensauit ac tradidit. Hactenus ille. *An. dom.*

Post Amalaricum Theudius regnat, quem alii Theodatum, alii Ethiudi appellant. Regnauit annis 17. menseis quinque, vt ait Sanctus Isidorus. Hunc Procopius lib. 1. de bello Gothorum, alibi Theodim, alibi Theudam appellat, dicitq; eum à Theodorico exercitui Vesegothorum præfectum, ducta ex Hispaniis nobilissima coniuge imperium vsurpasse, idq; viuo adhuc Theodorico & Amalarico. Iornandes nominat eum Thiodim, & ait fuisse armigerum Theodorici Ostrogothorum Regis, ac tutorem Amalarico in Hispaniæ regno datũ. Quæ hoc loco ponit Rodericus Archiepiscopus Toletanus ex Procopio male intellecta, de Theudio ex Italia accito, & eius male grata impietate in Amalasuentam tam bene de se meritam, ad Ostrogothorum in Italia pertinent historiam. Alius enim fuit Theodatus ille siue Theodahatus, vt Conradus Peutinger ex veteri numismate argenteo appellatum asserit, qui pietatis oblitus, Amalasuẽtam cui debebat regnũ, in balneo strangulari fecit: alius Theudius Gothorum in Aquitania & Hispania Rex. Toletani errorem sequutus est in Chronicis suis Rex Alfonsus. Anno Theudii primo, Franci magnis copiis Hispanias ingressi, Tarraconensem prouinciam depopulabãtur. Quos Gothi duce Theodisclo adeo in arctum coegerunt, interclusis Hispaniæ obicibus, vt necesse fuerit hostibus, vnius diei noctisque spacium precibus & multo auro fugæ suæ redimere. Quæ vero misera turba huic spacio superfuit, funesta cæde consumpta est. Cuius victoriæ gloriam postea Gothorum apud Septam calamitas obscurauit. Ex Sancto Isidoro. 531.

Aprugius Pacensis ecclesiæ episcopus floret, qui sacras literas ita exposuit ingeniose, vt veteres præ illo non videantur exposuisse. scripsit in Apocalypsin. Ex eodem de viris illustribus. 532.

Bracarę celebratum est primum concilium ab octo episcopis, pręsidẽte Lucretio Bracarensi episcopo metropolitano, Calendis Maii, vt habent Chronica Regis Alfonsi. nam numerus Æræ in Codice Conciliorum vitiosus est. Huic cõcilio Beatus Martinus adhuc Dumiensis episcopus interfuit. 536.

Iustinianus episcopus Valentinus hoc tempore vita & scriptis claruit, vt autor est Sanctus Isidorus. Hic tres habuit fratres episcopos eadẽ matre natos, Iustum Vrgellitanæ sedis episcopum, Nebridium Agragensis, atque Elpidium. Ioannes Trittemius & Petrus Messias. Nebridius & Iustus interfuerunt secundo concilio Toletano. Iustus Vrgellitanus episcopus, frater Iustiniani, scripsit in Cantica canticorum. Sanctus Isidorus. 540.

Childebertus eiusque frater Clotarius, Cæsaraugustam deficere ab hæresi Ariana cogunt, plurimasque in Hispania vrbes expugnant. Tunica Vincentii martyris pro spoliis opimis & amplis exuuiis asportata, eiq; diuo ædes suburbana extructa, quæ nunc D. Germani est. Annales Francorum. Sed Robertus Gaguinus libro 1. ait Cęsaraugustanos, dum obsidione premerentur, desperatis omnibus rebus ad diuinam opem facta supplicatione confugisse. Cuius rei factum certiorem Regem Francorum à rustico quodã, quum Christianos esse cognouisset, euocato ad se episcopo, pacta Diui Vincentii veste, obsidionem soluisse atque abiisse. Quæ cõsentanea sunt cum iis quæ Sigebertus de eadem re in Chronicis suis scribit. De qua re sic in Annotationibus marginalibus libri Alcobaciensis scriptum reperi: Anno 17. Iustiniani (id est, secundum aliquos 542. secundũ alios vero 544.) quinque Reges Francorum per Pampelonem Hispanias ingressi, Cæsaraugustam venerunt, quam per octodecim dies obsessam, & omnem fere Tarraconẽsem prouinciam depopulatione attriuerunt. Eodem tempore inguinalis plaga totã fere contriuit Hispaniam. Ex eodem Alcobaciensi libro. 542.

Hoc tempore, qui de Sanctis Hispaniæ scripserunt, memoriæ mandant, Beatum Laureanum Hispalensem Archiepiscopum, natione Pannonium, missis à Totila Ariano tunc in Italia Ostrogothis imperante, qui ipsum occideret, angeli admonitu in vltroneum exiisse exilium, ac septem post annis eiusdem Totilæ imperio in Francia capite truncatum: caput Hispalim delatum ciuitatem multis calamitatibus quibus toto hoc septennio laborauerat, asseruisse: corpus à Beato Eusebio Arelatensi episcopo in Bituriensi ciuitate pie sepultum. 544.

Gothi traiecto freto Herculeo, Romanos qui Septam inuaserãt, magna vi oppugnant. Sed dum die Dominico religionis ergo bello abstinentes, incautius se gerunt, repentina hostium oppressione ita sunt ad vnum omnes internecione cæsi, vt ne nuncius quidem tantæ cladis relictus sit. 546.

Tam tristem nuncium non diu morata Regis Theudii mors fuit. nam vulneratus est à quodam qui iamdudum dementis speciem, vt Regem deciperet, simulauerat. Finxit 547.

An. dom. enim atte insaniam, perfoditq; Regem. Quo ille vulnere prostratus occubuit. Fertur vero inter effusionem sanguinis coniurasse præsenteis, ne quis interficeret percussorem, affirmans se congruam meriti vicissitudinem recepisse, quod & ipse priuatus ducem suum solicitatus occidisset. Ex S. Isidoro.

548. Theudisclus siue Theodisclus Theudii dux, regno Gothorum præficitur. Qui dum multorum magnatum connubia nefaria libidine publice pollueret, atque ob id mortem plerisque moliretur, præuētus coniuratorum manu, Hispali inter epulas iugulatur. Ex eodem. Lucas Tudensis ait, hunc fuisse nepotem ex sorore Totilæ Regis. Iornandes eum Thiodigisglossam appellat. Sanctus Isidorus tribuit illi annum vnum, Annotationes Alcobacienses addunt septem menseis.

549. Hoc anno secundum Beatum Isidorum, secundum alios sequenti, Aguila Gothorum Rex constituitur, & regnat annis quinque. Hic dum facto Cordubensibus bello, in contemptum Christianæ religionis sepulchrum beatissimorum martyrum Acisch ac Victoriæ polluere & prophanare præsumeret, dignas impietatis temerariæ pœnas luit. Nam & filium in eo conflictu & thesauros omneis amisit, & ipse victus turpi fuga Emeritā se contulit. S. Isidorus. Rex iste Iornandi Hactenusagil dicitur. Annotationes Alcobaciēsis codicis dicunt regnasse annis quinque, mensibus sex: Sigebertus annos nouem, sed fallitur.

553. Ostrogothorum nomen & imperiū in Italia Iustiniani Imperatoris auspiciis deletum, testantur Chronica Regis Alfonsi. Matthæus Palmerius biennio post factum scribit. Athanagildus regno Gothorum per tyrānidē inhians, dum Hispali exercitum Aguilæ, vel (vt Diuus Isidorus declinat) Aguilanis, contra se missum fudisset, Gothi veriti ne Romani huius occasione seditionis Hispaniam inuaderēt, Aguilam Emeritæ interficiunt, & Athanagildum Regem creant. Ex Sancto Isidoro.

554. Athanagildus, vt autor est Sanctus Isidorus, regnum quod inuaserat, voluntate Gothorum est consecutus, sed quæ ad deturbandum regno Aguilanem popoſcerat à Iustiniano Imperatore, Romanorum & Græcorum auxilia, submouere Hispania non potuit, aduersus quos variis postea casibus sæpe conflixit. Regnauit annos 14. & secundum alios, 15. Autor est Lucas Tudensis, hunc Regem fidem Catholicam occulte coluisse, & Christianos omni fauore amplexum.

555. Huius tempore Regis, celebris fuit in Hispania Sancti Æmiliani confessoris sanctitas, qui natus in regione Castellæ veteris finitima Cantabriæ, quæ vulgo dicitur Rioia, à sancto viro Felice Christianæ fidei formulam edoctus, ex opilione factus est eremi cultor, vbi deditus contemplationi atq; orationi, vitam ad centesimum vsq; annum cum incredibili sanctitate produxit, & post mortē innumeris claruit miraculis. Ex iis qui scribunt de sanctis Hispaniæ.

562. In Gallia Gothica mōs quidam Rhodano imminens, editis per multos dies mugitibus tauri instar, tandem ab alio monte contiguo diuulsus, cum domibus, ecclesiis, hominibus ac iumentis, præceps in Rhodanum corruit. Sigebertus.

563. Theodomirus in Gallecia factus est Rex Sueuorum, per quem annitente S. Martino Dumiensi episcopo, postea Bracarēsi Archiepiscopo, Sueui desciuerunt ab Ariana perfidia. Cuius studio & industria pax ecclesiæ amplificata est, & multa in ecclesiasticis disciplinis in Galleciæ prouincia sunt instituta. Sanctus Isidorus.

564. Anno Theodomiri secundo (quāuis in conciliis legatur, Ariamiri) decimo octauo Calendas Ianuarias, celebratum est Bracarę secundum cōcilium, à duodecim episcopis, prę sidente S. Martino, iam tum Bracarensis ecclesiæ episcopo metropolitano. Qui (vt ait S. Isidorus) ex Orientalibus regionibus in Galleciam venit, & eam gētem ab Ariana impietate ad veræ fidei cultum reduxit. Scripsit de differentiis quatuor virtutum, quem librum se legisse Beatus Isidorus profitetur. Scripsit & epistolas varias omnium virtutum exhortatorias. Idem. Ioannes Trittemius autor est, eum ad Mironem Regem scripsisse de quatuor virtutibus cardinalibus formulam vitæ honestæ. In Lectionario ecclesiæ Bracarensis scriptum reperitur, eundem tractatum cōposuisse de castigatione rusticorum qui iam in fide manentes honorem idolis exhibebant. In concilio Toletano decimo, dicitur hic Sanctus Martinus Dumiense monasterium construxisse (de quo alibi diximus latius) cuius fuit episcopus, antequam ad Bracarensem esset promotus metropolitanam ecclesiam. Idem Sanctus Martinus in compendium contraxit concilia Oriētalia, & Nigesio Lucensi episcopo metropolitano, ac toti concilio Lucensi trāsmisit. Ex priori tomo cōciliorum. Hoc concilium Lucense circa hunc annum celebratum est, Calēdis Ianuariis, sub Theodomiro Rege Sueuorum, sub quo & Bracarense, ad cōfirmandam fidem Catholicam, & constituendum ecclesiæ statum. In eo concilio ecclesiæ Bracarensi metropolitanæ, & aliis

liis Gallecię eccleſiis cathedralibus, ſui cuiq; fines aſſignati ſunt, quos ne excederent. Ex *An. dom.*
archiuis eccleſiæ Bracarenſis, vbi pro Nigeſio Lucenſi epiſcopo, legitur Nitigio. Meminit huius rei & Lucas Tudenſis in Rege Bamba, & dicit Adaulphum epiſcopum Legionenſem huic interfuiſſe concilio.

Hoc anno, nempe Iuſtini Imperatoris ſecundo, Athanagildus Gothorũ Rex fato conceſſit Toleti, cui ſucceſſit Luiba. Ioãnes Abbas, & Sanctus Iſidorus, qui addit mortuo Athanagildo fuiſſe interregnum quinq; menſium. Lucas Tudenſis dicit, quod ſeptem annorum, ſed nõ dubiũ, quin hoc loco ſit deprauatus. Cauſa interregni ex eo nata eſt, quod Gothi non conueniebant in electione Regis. Huius Athanagildi filia altera, nomine Brunechildis, nupſit Sigeberto Mediomatricum in Francia Regi: altera, nomine Galſonta, Chilperico Sueſſionũ Regi, fratri Sigeberti Regis. quæ Galſonta cum Fredegundem pellicem ferre non poſſet, mortua in mariti lecto inuenta eſt. Ex annalibus Francorum. Robertus Gaguinus addit, Regem Chilpericum blandimentis & illecebris pellicis deprauatum, vxorem per noctis ſilentium laqueo ſtrangulaſſe. Pleriq́ue ſcriptores Hiſpani mortem Athanagildi anno 566. ponunt. Ego Ioannem Abbam & Sanctũ Iſidorum eius temporis ſcriptores ſequor. Hoc anno mortuus eſt Iulianus epiſcopus Eborenſis, cuius monumentum ad Diui Michaelis de Machede, tribus leucis ab Ebora, repertum, domi ſuæ habet Andreas Reſendius noſter, cum alio Pauli presbyteri, qui requieuit in pace, Æra quingenteſima octogeſima ſecunda, hoc eſt, anno Domini quingenteſimo quadrageſimo quarto. Apud eundem vidi epitaphium cuiuſdã Seueri Presbyteri Pacenſis, qui diem ſuum obiit Æra ſexcenteſima duodecima, hoc eſt, anno Domini quingenteſimo ſeptuageſimo quarto. Hæc ad notandam religionis antiquitatem in Tranſtagana Luſitania adſcripſi. Idem Reſendius mihi affirmauit, plura monumenta venerandæ antiquitatis in eadem Diui Michaelis eccleſia etiam hodie ſeruari, atque ex ædificiorum veſtigiis apparere, non obſcurum illic Eborenſis epiſcopatus municipium olim extitiſſe. 566.

Anno Iuſtini Iunioris tertio, Leouigildus Luibæ Regis frater germanus, à fratre ſuperſtite in regni ſocietatem aſſumptus, citeriori Hiſpaniæ præficitur, qui Goſuintham Athanagildi viduam matrimonio ſibi iunxiſſe dicitur, & prouinciam Gothorum quæ multorum rebellione fuerat imminuta, ad priſtinos reuocaſſe terminos. Ioannes Abbas. Alii dicunt eum vxorem habuiſſe Theodoſiam, filiam Seueriani Ducis Carthaginẽſis & Theodoræ: ex qua ſuſtulerit Hermenegildũ & Recaredum. Vnde veriſimile eſt, eum alteram alteri ſuperduxiſſe. Nam quod prædicti filii ex Goſuintha nõ ſint, ex eo patet, quod Ioannes Abbas, temporis illius ſcriptor affirmat, Leouigildum filio maiori Hermenegildo & vxorem & regni partem ad regnandum dediſſe, anno regni ſui vndecimo, quo tempore ille, ſi ex Goſuintha natus eſſet, vt plurimum decem natus annos, nec matrimonio nec regno maturus eſſe poterat. atq; hoc ita eſſe poſtea clarius conſtabit. Seuerianus ille, Theodorici Oſtrogothorum & Italiæ Regis (vt diximus) filius, ex vxore Theodora, inclyto Gothorum Regum ſanguine prognata, ſuſcepit hos filios, Sanctum Leandrum & Sanctum Iſidorum Archiepiſcopos Hiſpalenſes, Sanctum Fulgentium epiſcopum primum Aſtigitanum, deinde Carthaginenſem: Florentiam ſanctarum virginũ monaſteriis præfectam. Breuiarium Hiſpalenſe addit Sanctum Braulium Cæſarauguſtanum epiſcopum, virum multarum linguarũ & ſacræ ſcripturæ peritiſſimum, & Iuſtinam quæ quinquaginta ſanctarum virginum monaſteriis præfuerit: ſed Iuſtinam iſtã arbitror eſſe eam quæ aliis Florentia dicitur. Braulii vero, de quo in quinto cõcilio Toletano dicemus, quum Diuus Iſidorus meminit, nihil tamẽ addit, vnde fratrẽ ipſius fuiſſe colligamus. Sed nec ipſe Braulius ſiue Braulio in iis quæ viris illuſtribus Diui Iſidori de ipſo D. Iſidoro addidit, vllã huius rei mentionem facit, neque ego arbitror illius fratrem fuiſſe, ſed amicũ pluſquam fraterna charitate coniunctũ. Lucas Tudẽſis in literas miſit, Luibam, Athanagildo etiam dũ ſuperſtite, Narbone à Gothis Regem creatum, 7. annis in Gallia Gothica regnaſſe, & illo mortuo, tres in Hiſpania, quorum trium ſecũdo anno Leouigildum non ſolum ſucceſſorem, ſed etiam participẽ regni conſtituiſſe, ac Hiſpaniæ adminiſtrationi præfeciſſe, ipſum Galliæ regno contentum. Eundem Sanctus Iſidorus tres annos regnaſſe ſcribit. Ioannes Abbas quinque. 567.

Leouigildus Rex loca Baſtetaniæ & Malacitanæ vrbis repulſis militibus vaſtat, & victor ad ſuos redit. Ioannes Abbas. In Gallecia Miro poſt Theodomirum Rex Sueuorum efficitur, & regnat annis tredecim. Idem, & Sanctus Iſidorus. 568.

Leouigildus Aſinodam fortiſſimam ciuitatem, de qua iam diximus, proditione cuiuſdam Framidanci nocte occupat, & militibus interfectis, ad Gothorum reuocat iura. Ioannes Abbas. Milites vero qui hæc loca occupauerant, Romanos fuiſſe arbitror. Nam 569.

An. dom. Lucas Tudenſis autor eſt, Iuſtiniani milites quos Athanagildus auxilii cauſa euocauerat, à Leouigildo profligatos,& alioqui Romanos ab illo diuerſis prælijs ſuperatos,atque amplificatum Hiſpaniæ imperium,in qua Gothi anguſtis antea finibus concludebātur. Donatus Abbas monaſterii Seruiani quod erat Setabi, miraculis adhuc viuus hoc tempore claruit. Ioannes Abbas. Hic Donatus & profeſſione & opere monachus, cuiuſdam eremitæ diſcipulus in Africa fertur extitiſſe. Qui vim Barbararum gētium imminere proſpiciens, atq; ouilis ſui diſſipationem & pericula veritus, cum monachis plus minus ſeptuaginta, & copioſa librorum ſuppellectile in Hiſpaniam commeauit. Vbi religioſæ atq; illuſtris fœminæ Mincheæ ſubſidiis & opibus adiutus, Seruitanum monaſterium conſtruxit. Hic primus in Hiſpaniam monaſticæ obſeruantiæ vſum & regulam dicitur induxiſſe, tam viuus adhuc virtutum exemplis nobilis,quam defunctus memoriç claritate ſublimis. Ex Diuo Alfonſo. Porro quod vitæ monaſticæ regulam & formā in Hiſpaniam hoc ſancto viro autore illatam refert, id ego intelligendū arbitror, poſt Hiſpaniam à Barbaris nationibus deformatam. Nam ſuperius oſtendimus, anno trecēteſimo octogeſimo primo, Paulinum monachum, vt religioni monaſticæ commodius vacaret, relicta patria in Hiſpaniam ſeceſſiſſe. quod haud dubie non feciſſet, niſi in ea diſciplina monaſtica viguiſſet.

570. Leouigildus Rex Gothorum, Cordubæ ciuitatē diu Gothis rebellem noctu occupat, & cæſis hoſtibus propriam facit, multaſque vrbes & caſtella, interfecta ruſticorum multitudine,in Gothorum dominium reuocat. Ioānes Abbas. Domninus Helenenſis eccleſiæ epiſcopus, clarus habetur. Idem. Miro Sueuorum Rex bellum contra Aragones mouet. Idem. Cæterum quos hic Aragones dicit, Sanctus Iſidorus Ruccones, Lucas Tudenſis Vaſcones appellat. ex qua lectionis diuerſitate non dubium,quin mendoſus ſit locus. mihi Lucæ Tudenſis lectio magis arridet, atque ita de Nauarris intelligitur. fruatur ſuo quiſque iudicio.

571. Luiba Rex moritur. Hiſpania omnis & Gallia Narbonenſis in iura & poteſtatem Leouigildi cedit. Ioannes Abbas. tamen Sanctus Iſidorus Luibæ ſiue Luibanis mortem anno quingenteſimo ſexageſimo nono ponit. Leouigildus Sabariam ingreſſus, Sapos vaſtat,& prouinciam totam in ſuā redigit poteſtatem, duoſque filios ſuos ex amiſſa coniuge, Hermenegildum & Recaredum,conſorteis regni facit. Ioannes Abbas. Quo loco vide,an, Sabaudiam & Sabaudos, legendum ſit. Saltem ita intellexiſſe hunc locum videtur Iacobus Valera. Hanc opinionem confirmat epiſcopus Burgenſis,in quo videtur mendoſe legi Sabandriam,pro, Sabaudiam. Mauſona Emeritenſis eccleſiæ epiſcopus,in Chriſtianæ fidei dogmate clarus habetur. Ioannes Abbas. Hiſpani & Frāci de Paſcha celebrando diſſentiunt, Hiſpanis, duodecimo Calendas Aprilis: Francis vero, decimo quarto Calendas Maii Paſcha celebrantibus : ſed Francos recte celebraſſe miraculo manifeſtū fuit. Nam fontes in Hiſpania qui ſabbato ſancto Paſchæ diuinitus repleri ad baptizandum ſolebant, non in Hiſpanorum, ſed in Francorum Paſcha repleti ſunt. Sigebertus Abbas. Idem ponit Robertus Gaguinus, tametſi in numero Calendarum nonnihil variet. Illud hoc loco non prætermittendum, quod ipſe quoq; Gregorius Turonenſis epiſcopus qui circa hæc tempora floruit, fontes in Hiſpania fuiſſe qui diuinitus replērētur, teſtatur, quū alias, tum libro 1.cap.22.

572. Leouigildus Rex Cantabriam ingreſſus, occupatores illius prouinciæ interficit, Amaiam occupat, opes eorum inuadit, & prouinciam in ſuam redigit poteſtatem. Ioannes Abbas.

573. Leouigildus Aregenſes monteis ingreditur, Aſpidium loci ſeniorem cum vxore & filiis captiuos ducit, opeſque eius & loca ſui iuris facit. Idem.

574. Leouigildus Sueuorum in Gallecia fines conturbat, & Regi Mironi, per legatos rogatus, pacem exiguo tempore tribuit. Idem.

576. Leouigildus Rex Oroſpedam montem ingreditur, & ciuitates atque caſtella eiuſdem prouinciæ expugnat, ac ſuam prouinciam facit, neque multo poſt ibidē ruſtici rebellantes à Gothis opprimūtur, & poſt hæc integra à Gothis poſſidetur Oroſpeda. Ioan. Abbas.

577. Leouigildus, extinctis vndiq; tyrānis & occupatoribus Hiſpaniæ, requie potitus, cum plebe recedit, & ciuitatem in Celtiberia condidit, quam à nomine filii Ricopolin (vulgo Ripol) nuncupauit, eam miro opere mœnibus & ſuburbanis adornauit, & priuilegia populo nouæ vrbis inſtituit. Idem. Eodem tempore Ioannes, Emeritenſis eccleſiæ presbyter, clarus habetur. Idem.

578. Leouigildus filio ſuo Hermenegildo Sigeberti Regis Francorum filiam matrimonio, & pro-

& prouincię partem ad regnandũ tribuit. Idem. Paulus Æmilius eam Iugundim appellat, & etiam Sanctus Gregorius Turonenſis. Leouigildo quieta pace regnante, aduerſarii ſecuritatem domeſtica rixa cõturbat. Nam eodem anno filius eius Hermenegildus, factione Goſuinthæ Reginæ tyrannidem aſſumens, in Hiſpali ciuitate rebellione facta recluditur, & alias ciuitates atque caſtella in ſocietatem rebellionis ſuæ pellicit. Quæ res Hiſpaniæ prouincię maioris exitii cauſa, quam hoſtiũ infeſtatio, fuit. Idem Ioannes Abbas. Nouellus Complutenſis epiſcopus celebratur. Idem.

Leouigildus Rex in vrbe Toletana Synodum Epiſcoporũ ſectæ Arianæ congregat, & 579.
antiquam hęreſin nouo errore cumulat, auſus inter cętera hæreſis ſuæ contagia, etiam rebaptizare catholicos, neq; id ex plebe ſolum, ſed etiam ex ſacerdotalis ordinis dignitate, inter quos Vincentium Cæſarauguſtanum ex epiſcopo apoſtatam factum, & tanquam è cœlo in infernum proiectum. Qua ſeductione plurimi in Arianam veſaniam declinauerunt. Partim ex Ioanne Abba, partim ex Sancto Iſidoro.

Seuerus Malacitanæ vrbis epiſcopus ſcripſit contra Vincentium Cæſarauguſtanum e- 580.
piſcopum, in prauitatem Arianam lapſum. Qui Vincẽtius collega fuit Liciniani Carthaginenſis epiſcopi, vt ait Petrus Meſſias, ſcripſit etiam de virginitate ad ſororem. Sanctus Iſidorus & Ioannes Trittemius. Leouigildus partem Vaſconiæ occupat, & ciuitatem nomine Victoriacum condit. Ioannes Abbas. Eodem anno natus eſt Mahometes, peſſima Chriſtianę religionis calamitas, patre Abdalia, matre Emina, ex genere Agar & Iſmahelis. Qui annus in Arabia tanta ſiccitate & penuria frugum inſignis fuit, vt herbis veſcerentur campeſtribus inopia panis. Rodericus Toletanus in hiſtoria Arabum. Quod autem dicit natum anno nono Leouigildi, ſequitur opinionem eorum qui Leouigildũ iniiſſe regnum anno quingenteſimo ſeptuageſimo ſecũdo affirmant, alioqui numerus anni probe per omnia reſpondet. Porro quod addit Æra ſexcenteſima, legendum eſt, ſexcenteſima decima octaua. quod eodem libro clarius cõſtat, quam vt probandum ſit. Ait enim mortuum Æra ſexcenteſima ſexageſima ſexta, quum tantum vixerit 49. annis.

Leouigildus exercitum ad opprimendam filii tyrannidem colligit, & ciuitatem Hiſpa- 582.
lenſem obſidet, ac rebellem filium graui obſidione premit. Cui Miro Sueuorum Rex ad expugnandam Hiſpalim ſuppetias venit. Leouigildus Hiſpalim nunc fame, nunc ferro, nunc Bætis deriuatione conturbat. Ioannes Abbas. Miro in ea obſidione diem clauſit extremum, cui Eburicus filius ſiue Eboricus in regnum Galleciæ ſuccedit. Idem, & Sanctus Iſidorus.

Leouigildus muros Italicæ antiquę ciuitatis reſtaurat, quę res maximum impedimen- 583.
tum Hiſpalenſi populo exhibuit. Ioannes Abbas. Vnde colligo, Italicam admodum propinquam fuiſſe Hiſpali, atque à Mauris poſt tempora Gothorum dirutam & ſubuerſam. Andeca in Gallecia Sueuorum regnum cum tyrannide inuadit, & Siſegutia relicta Mironis Regis in coniugem accepta, Eboricum regno priuat, & in monaſterium retrudit, ac monachum facit. Idem. Leouigildus Hiſpalim expugnat, ciuitates & caſtella à filio vſurpata recipit, nec multo poſt filium Hermenegildum Cordubæ capit, & regno priuatum Valentiam in exilium mittit. Idem. Cum Leouigildus ad hunc modum filium rebellem perſequeretur, & exercitus eius, vt fit, loca ſancta hoſtiliter infeſtaret: monaſterium erat Sancti Martini inter Saguntum & Carthaginem Spartariam, cuius monachi audito hoſtium aduentu, derelicto Abbate ſene, ſe in fugam dant, atq; in quadam inſula maris abſcondunt. Profecti ad monaſterium Gothi dum bona monaſterii ſine cuſtode deſerta diripiunt, Abbatem ſenio incuruatum, ſed ſanctitate rectũ offendunt, eductoque vnus gladio quaſi amputaturus ceruicẽ eius, reſupinus ruit, ac ſpiritum ſubito exhalauit. Quo viſo reliqui perterrefacti fugerunt. Huius rei fides quum Regi conſtaret, quæcunque monaſterio fuerant ablata, iuſſit reſtitui. Hoc ſibi non multo poſt quam contigerat, nunciatum fuiſſe affirmat Sanctus Gregorius Turonẽſis, in libro de gloria confeſſorum cap. 12. Leouigildus vbi vidit tanta miracula per ſeruos Dei qui noſtrę religionis erant, fieri, vocatum ad ſe vnum ex epiſcopis ſuis, hoc eſt Arianis, ſecreto rogauit: Quid ita tandem vos, ſicut hi qui ſe Chriſtianos appellant, nulla ſigna editis in populum ſecundum fidem veſtram? At ille, Sæpe, inquit, cæcis viſum reſtitui, & ſurdis auditum. Quin & nunc ſatisfacere expectationi tuæ queam. Mox hæreticum quendam decem aureis corruptum clam ſubornauit, vt in itinere quo Regi tranſeundum erat, clauſis oculis reſidens, epiſcopi opẽ imploraret, vt in virtute fidei ſuæ perditum lumen miſero reſtitueret. Quod quum ille ex cõpoſito feciſſet, epiſcopus cum magna arrogantia manus oculis eius imponens ait, Secundũ fidem meam fiat tibi. Vix dum hæc dixerat epiſcopus, quum oculi infelicis hominis ita obſerati ſunt cum graui dolore, vt non ſolũ viſum penitus amiſerit, verũ etiam dolum quem

An. dom. auaritia impellẽte confinxerat, euulgauerit. Ex eodem autore & libro cap. 13. Eodem fere tempore in Hispania accidisse affirmat idem vir sanctus, vt Christianus cum hæretico pro fide sua certaret, cumque Arianus ille nullis scripturarum testimoniis posset à pertinacia sua diuelli: Saltem miraculis, inquit qui catholicus erat, virtutem indiuiduæ Trinitatis experire. En anulum aureum digito detractũ in ignem proiicio, tu candentem collige. Postquam vidit anulum in igne candentem, conuersus ad hæreticũ, Si vera est, inquit, assertio tua, exime anulum hunc ab igne. Deinde illo tergiuersante, ait: Immensa Trinitas Deus, si aliquid indignum te credo, ostende: certe si recta est fides mea, nihil præualeant hæc incendia sæua: & sublatum ab igne anulũ diutissime manu sine offensione vlla tenuit, ac pudefacto hæretico catholicos reliquos in fidei suæ cõstantia roborauit. Ex eodem, cap. 14. Eutropius Abbas monasterii Seruitani, discipulus sancti Donati floret, de quo paulo post latius loquemur. Ioannes Abbas.

584. Leouigildus Gallecia vastat, Andecanem Regem captũ regno exuit, Sueuorum gentem, thesauros, patriam, in suam potestatem redigit, ac Gothorum prouinciam facit. Andeca regno priuatus tondetur, & honore presbyterii post regnum honoratur, & quod Eborico Regis filio ac Regi suo fecerat, passus, in vrbem Pacensem exilio relegatur. Idem. Ita tunc Sueuorum regnum deletum in Gothos transfertur, quod centũ septuaginta septem annos durasse affirmat sanctus Isidorus in historia Sueuorũ. Hermenegildus in vrbe Tarraconensi à Sisberto interficitur. Ioannes Abbas, & eadem ferme sanctus Gregorius Turonensis episcopus libro octauo, capite vigesimo octauo. Equidem vehementer admiror autores hos, quum id temporis in viuis agerent, hæc de Hermenegildo scribere, quem vt martyrem, pro fide Catholica à patre Ariano occisum, Hispana veneratur ecclesia, cui merito reliqui omnes harum rerum scriptores suffragantur, & ante alios omneis Diuus Gregorius Papa. Qui in Dialogis scribit libr. tertio, capite trigesimo primo, quum Rex Liuigildus (ita enim appellat, nisi mendosus est liber) Herminigildum filium à sancto Leandro Hispalẽsi episcopo Catholicam fidem edoctum, neque præmiis allicere, neque minis perterritum attrahere ad Arianã posset perfidiam, priuatum regno rebus expoliasse omnibus, deinde in arctam conclusõ custodiam, collum manusque ferro ligasse, deniq; ipso Paschalis festiuitatis die, intempestę noctis silentio Arianum ad illum misisse episcopum, ex cuius manu sacrilegæ consecrationis communionem perciperet. Cum vero ille non solum detrectasset, sed etiam grauiter episopi perfidi vesaniam increpuisset, pater in furorem versus, missis apparitoribus filium occidi iussit. Quod illi, securi cerebro Sancti Martyris impacta, effectum dederunt. Cuius mors multis celebrata fuit miraculis. Nam cœptus est in nocturno silentio psalmodiæ cantus ad Regis & Martyris corpus audiri, & accensæ lampades apparere. Idem dicit & Beda ad hunc modum: Hermenedildus Leuegildi Gothorum Regis filius, ob fidei Catholicæ confessionem inexpugnabilem, à patre Ariano regni priuatus infulis, & in carcerem ac vincula proiectus, ad extremum nocte sancta Dominicæ resurrectionis securi in capite percussus, regnum cœleste pro terreno Rex & martyr intrauit. Hactenus ille, qui locus in exemplaribus impressis deprauatus est. Equidem arbitror Gothos, visis tam insignibus miraculis, in Regis sui gratiam confinxisse, Dominum Hermenegildum à Sisberto occisum. Quo rumore deceptos Ioãnem Abbam & Sanctum Gregorium Turonensem, hęc de illius morte memoriæ prodidisse. Huius S. martyris meritis adscribit idem Diuus Gregorius, quod vniuersa Gothorum gens ad Catholicam fidem per Ricaredum Regem cõuersa sit, videlicet, quod granum in terra mortuum, multum fructum attulerit. Fidem huius sancti martyris Gallicarum rerum scriptores partim Sancti Leandri doctrinæ, partim vxoris Francæ sanctitati acceptam ferunt, & addunt illum metu patris ira succẽsi, cum ducibus Imperatoris Mauricii quibus Hispani limitis custodia credita erat, fœdere icto, vxorem è recenti partu languentem, filiumque infantem apud eos deposuisse: cumque esset à patre securi percussus, vxorem ab Augusti ducibus in Africam cum filio transuectam: Childebertum Francorum Regem, spe recuperandę cum prole sororis, amicitię Augusti restitutum, ipsum in Gothos mouisse, ad vlciscendam leuiri sui mortẽ. Hæc fere Paulus Æmilius. Robertus Gaguinus adiũgit, Iugundin, dum ad Imperatorem duceretur, in itinere mœrore periisse. Sanctus Gregorius Turonẽsis libri octaui cap. vigesimo octauo, dicit in Africa mortuam ac sepultam, filium Constantinopolin ductum. Reliqua sese habent, non vt Paulus Æmilius, vir alioqui doctus ac diligens, scribit, sed vt nos ex autoribus probatis, & qui res gestas sui temporis oculata fide scribebant, retulimus. Galli prouinciam Narbonensem cum exercitu inuadunt, ad quos missus Ricaredus, victoriam de inimicis reportauit. Ioannes Abbas. S. Gregorius Turonensis addit Ricaredũ Narbonam vsq; venisse, & intra terminos Gal-

liarum

liarum prædas egisse. Malaricus in Gallecia per tyrannidem regnare cupiens, à Leouigildi ducibus cõprehensus, Leouigildo vinctus sistitur. Idem. Hoc tempore S. Leandri Hispalensis episcopi nomen celebre fuit. Idem. Fuit hic Diuo Gregorio familiari coniunctus amicitia, quam contraxerunt Constantinopoli, dum illuc diuum Gregoriũ sedis Apostolicæ responsa (erat enim Romani pontificis Apocrisarius ante summum Pontificatum) beatum Leandrum, pro causa fidei, Regis Gothorum legatio pertraxisset. Huic D. Gregorius expositionem moralem in Iob dedicauit, & pallium misit, vt ex epistolis ipsius patet. Huius inter hos sanctos mutuæ necessitudinis sanctum & venerabile monumentum dicitur & creditur imago sanctissimæ virginis matris, quæ maximo omniũ gentium cõcursu colitur, ad amnem Lupi, vulgo Guadalupe. Eam Sanctus Gregorius beato Leandro dono misisse affirmatur. Lucas Tudẽsis addit, Sueuos à beato Leandro aqua salutari perfusos.

Leouigildus decimo octauo regni sui anno moritur Toleti, quẽ Diuus Gregorius autor est post occisum Hermenegildũ facti pœnituisse, & Catholicæ fidei veritatem agnouisse, non tamen vsque ad obtinendam salutem pertinuisse, cumq; ad extrema peruenisset, filium Ricaredum Sancto Leandro commendasse, vt in illo idem conaretur, quod in fratre perfecerat. Ex Diuo Gregorio. De morte Leouigildi Regis paulo aliter scribit Sanctus Gregorius Turonensis libro 8. capite vltimo ad hunc modum: Leouigildus (Lennieldus mendose ibi legitur) Rex Hispanorum ægrotare cœpit, sed vt quidam asserunt, pœnitentiam pro errore hæretico agens, & obtestans, ne huic hæresi quisquam reperiretur consentaneus, in legem Catholicam transiit, & per septem dies in fletu perdurans, pro iis quæ contra Deum inique molitus est, spiritum exhalauit. Hæc ille. Hic Leouigildus multos nobiles ac potenteis viros neci dedit, primus ærarium de rapinis ecclesiæ ac ciuium, & spoliis hostium locupletauit, primus solio & purpura regali vsus est, quum ante ipsum Gothorum Reges & concessum & vestitum haberent cum aliis nobilibus communem, leges ab Eurico latas emendauit, sublatis atque additis iis quæ ex vsu esse Reipublicæ videbantur. Obiit Toleti morte acerrima, ac sub mortẽ præcepit filio Ricaredo, vt episcopos Catholicos ab exilio reuocaret, & beatum Leandrum coleret, vt patrem. Ex Sancto Isidoro & Luca Tudensi. Mortuo patri succedit Ricaredus, anno Mauricii Imperatoris quarto. Ioannes Abbas. Hunc Lucas Tudensis autor est à beato Leandro coronatum. regnauit annos quindecim. 585.

Sisbertus interfector Hermenegildi, turpissima morte perimitur. Ioannes Abbas. Ricaredus primo regni sui anno, mense decimo, Deo adiuuante Catholicus efficitur, & sacerdotes sectæ Arianæ sapienti colloquio aggressus, ratione potius quã imperio ad fidem Catholicam facit conuerti, gentemque omnem Gothorum & Sueuorum ad vnitatem & pacem reuocat ecclesiæ Christianæ. Ex eodem. Idem scribit & Beda. Ricaredus Rex aliena à præcessoribus suis direpta, & in fiscũ relata placide ac benigne restituit, ecclesiarum & monasteriorum conditor ac ditator efficitur. Idem. Desiderius Francorum dux Gothis infestus superatur, & cæsa Francorum multitudine in acie moritur. Idem. 586.

Quidam ex Arianis, nempe Sunna episcopus & Segga cum quibusdam tyrannidem assumere cupientes deteguntur. Conuicti, Sunna exilio multatur, Segga manibus amputatis in Galleciam exul relegatur. Ioannes Abbas. 587.

Vldila episcopus cum Gosuintha Regina insidiantes Ricaredo, produntur, & fidei Catholicæ communionem quam sub specie Christiana quasi sumebant, proiecisse publicantur. Quo malo in cognitionem hominum deducto, Vldila exilio condemnatur: Gosuintha Catholicis semper infesta, tandem fato concessit. Idem. Francorum exercitus à Gonteranno Rege missus, duce Basone Galliam Narbonensem inuasit, & iuxta Carcassonem castra posuit. Quos Claudius Lusitaniæ dux à Ricaredo missus, in fugam conuertit, & dictu mirum, sexaginta ferme hominum millia, cum trecentis plus minus militibus partim occidit, partim fugauit, dispoliatis ipsorum castris. Hanc tam insignem victoriam non immerito conuersioni ac fidei Ricaredi acceptam ferunt. Idem Sanctus Isidorus affirmat, nullam vnquam in Hispaniis vel maiorem in bello, vel similem extitisse victoriam. Lucas Tudensis autor est, hosteis illos venisse in auxilium & opem Arianorum. 588.

Anno Ricaredi quarto, & Mauricii Imperatoris octauo, celebratum est tertium concilium Toletanum, in quo Rex Ricaredus cum Regina Badda vxore sua & omnibus Gothis abiurauit hæresin Arianã, & in publico Patrum concilio professus est fidem Catholicam, & æqualitatem personarum in sanctissima Trinitate. Celebratum est autem octauo Idus Maias, ab episcopis Hispaniæ & Galliæ Gothicæ, qui fuerunt numero sexaginta 589.

An. dom. duo, & præter hos, quinque aliorum episcoporũ vicarii. Metropolitani episcopi præfuerunt, Mausona Emeritensis, Leander Hispalensis, quem Lucas Tudensis primatem Hispaniæ fuisse dicit & legatum Romanæ ecclesiæ, Euphemius Toletanus, Pantardus Bracarensis, Nigetius Narbonensis, Stephanus Tarraconensis. Archiepiscopus Toletanus, & illum sequuti alii nonnulli, aiunt Helladium Toletanum huic interfuisse concilio, sed hic aliquanto posterius Toletanam rexit ecclesiã, vt ex Beato Alfonso constat. Petrus Antonius Beuter affirmat Sanctum Idalium Barcinonensem episcopum in hoc fuisse concilio, sed nomen illius in codice Conciliorum non inuenio. Ab his partibus condemnatum est, & Hispaniæ finibus exterminatum Arianorũ dogma, quo nobilitas Gothica per ducentos tredecim annos infecta fuerat. Ioannes Abbas tradit, summam synodalis negocii fuisse in hoc concilio penes Sanctum Leandrũ Hispalensem episcopum, & beatissimum Eutropium, monasterii Seruitani Abbatem. In huius concilii decimo quarto capite statutum, ne quis Iudæus fungi possit officio publico. Hoc concilium alii alio anno ponunt, ego codicem Conciliorum sequor, in quo etiam in diuersis editionibus constanter legitur, celebratum Æra sexcentesima vigesima septima. Idem habent Annotationes marginales libri Alcobaciẽsis in Sanctum Isidorum. Si igitur anno Christi quingẽtesimo octogesimo nono addas annos triginta octo, habebis Æram Cæsaris sexcentesimam vigesimam septimam. Ricaredo orthodoxo quieta pace regnanti domesticæ tẽduntur insidiæ. Nam quidam ex cubiculo eius, & prouinciæ dux, nomine Argimundus, tyrannidem affectans aduersus Regem conspirat, ita vt eum, si posset, regno priuaret & vita. Sed nefandi eius consilii detecta machinatione comprehensus, & vinculis ferreis constrictus, habita quæstione, socii eius impia molimina confessi, digna sunt vltione interfecti. Ipse vero Argimundus qui regno inhiabat, primum verberibus cæsus, deinde turpiter decaluatus, posthæc dextera amputata exemplum omnibus asino insidens Toleti dedit, ne famuli aduersus dominos insurgant. Ioannes Abbas. Vsq; ad hunc annum prosequutus est Chronicon suum Ioannes Abbas, quod exorsus fuerat ab anno Iustini Imperatoris primo. Fuit hic episcopus Gerundensis, natione Gothus, prouincia Lusitanus, natus (vt inquit Diuus Isidorus) Scalabi. Qui cum septendecim annos Constantinopoli studuisset, & Græce Latineq; doctus, in Hispaniam reuersus, à Leouigildo Rege, quod Arianam nollet hæresin profiteri, decennali multatus exilio, Barcinonem relegatus fuisset: tandem à Ricaredo Rege Christianissimo reuocatus, monasterium Biclariense (vulgo Valclara) condidit, & monachis suis doctrina & exemplo vitæ præluxit, multaque ingenii monumẽta reliquit. Ex Sancto Isidoro & Ioanne Trittemio.

590. Cum Ricaredus Rex constitutionem superius dictam in cõcilio Toletano contra Iudæorum perfidiam edidisset, ii in quos prolata fuerat, rectitudinem mentis regię inflectere, pecuniarum summam offerendo, moliti sunt. Sed Rex Catholicus Dei iudicio placere studens, innocentiam auro prætulit. Quod factum in epistolis suis libro 7. Diuus Gregorius meritis laudibus extollit. Eodem fere tempore, Ricaredus post conuersionem suam, munera ad sedem Apostolicã cui tum Diuus Gregorius præerat, misit per Abbates quosdam & Probinum presbyterum. Pro quibus muneribus Diuus Gregorius accurata epistola gratias egit, & vicissim illi misit clauim ferream ex catena, qua Diui Petri Apostoli collum in martyrio ligatum fuerat, & crucem, in qua lignum Dominicæ crucis, & capilli beati Ioannis Baptistæ inerant, & pallium pro beato Leandro. Ex epistolis Diui Gregorii. Eodem anno celebratum est primum conciliũ Hispalẽse ab octo episcopis, præsidente beato Leãdro, eius ecclesiæ episcopo metropolitano, pridie Nonas Nou. Ex conciliis.

591. Hoc tempore floruerunt in Hispania multi viri, tum vitæ sanctitate, tum eximia eruditione celebres. Mausona Emeritensis, de quo iam diximus. Leander Hispalensis. Eutropius Abbas, deinde episcopus Valẽtinus. Seuerus episcopus Malacitanus. Licinianus primum Carthaginensis, deinde Malacitanus episcopus, Constantinopoli ab æmulis veneno extinctus, multa scripsit. Ioannes Trittemius & Sanctus Isidorus, Sanctus Fulgentius, episcopus primũ Astigitanus, deinde Carthaginensis, Sancti Leãdri frater, Hebræi, Græci, Arabici, Syri, ac Latini sermonis peritissimus, scripsit in Euangelia, Esaiam, duodecim prophetas, Pentateuchum & libros Regum: interfuit concilio Toletano, in quo damnata est Ariana hæresis & omnis Paganorũ perfidia: obiit anno ætatis suæ sexagesimo sexto Calendis Ianuarii. Ex Breuiario Hispalensi. Ioannes Abbas, deinde episcopus Gerundensis, de quo iam diximus.

594. Clotosinda Childeberti Mediomatricum in Francia Regis soror, Ricaredo Regi nubit, & pax inter vtrumque populum facto fœdere coit. Ex Paulo Æmilio & Annalibus Francorum.

Hoc

Hoc tempore Beatus Gregorius Papa, misso in Gispaniam Ioanne defensore, iussit Ianuarium Malacitanæ sedis episcopum, coniuratione quorundã episcopatu suo deiectum restitui, ac tam nefariæ impietatis autores debita pœnitentia multari. Ex epistolis Diui Gregorii. *An. dom.* 598.

Ricaredus quum per annos quindecim Gothis tãta benignitate imperasset, vt merito Pater patriæ salutaretur, relicto maximo sui desiderio, rebus humanis sublatus est Toleti. Hic leges Gothicas in compendium contraxit, Romanos multis prælìis vicit, & eorum multas vrbes ditioni suæ adiecit, Gothorum imperium florentissimum reddidit, atq; Hispaniam omni hæreseôs labe perpurgauit, vt Alfonsus Episcopus Burgensis affirmet, ab eius tempore nullam postea hæresin aliam in Hispania publice repertã. Idem Rex religiosissimus, coronam suam auream Gerundæ ad altare Diui Felicis obtulit, vt autor est Rodericus Archiepiscopus Toletanus libro 3. capite 8. Mortuo Ricaredo successit Loiba siue Luiba filius, anno Mauricii 19. De quo Sanctus Isidorus ad hunc ferme modũ: Luiba ignobili quidem matre progenitus, sed indole virtutis insignis. Quem in primo flore adolescentiæ Tintericus sumpta tyrannide, innocuũ regno deiecit, præcisaq; dextera occidit anno ætatis suæ decimosexto (qnanquam in Alcobaciensi codice erat vicesimo) regni vero secundo. Ex quibus Sancti Isidori verbis colligo, hunc Luibã fuisse nothum. Nam constat quidem Ricaredum patrem duas habuisse vxores, sed priorem, nempe Baddam, Arturi Britanniæ Regis filiam fuisse aiunt, posteriorem regio Francorum sanguine manifestum est editam. 601.

Beatus Leander Hispalensis Archiepiscopus tertio Idus Martii ex huius vitæ miseriis est in cœlestium contubernium translatus. Relegatus in exilium ab Arianis multa scripsit, atque egregiam eruditionis ac sanctitatis famam reliquit, quam plurima post mortem auxerunt miracula. Successit illi Sanctus Isidorus frater ipsius germanus. Eodem anno, nempe Mauricii duodecimo, Victericus (Vintericum alii vocant) regnũ Gothorum occiso Luiba inuadit, vir ille quidem bello strenuus, sed parũ felix. qui quum Romanos variis lacesseret prælìis, semper decessit inglorius. Hic quum variis probris regni sui decus obscurauit, tum illo præcipue, quod Arianã hæresin reuocare conatus sit, vt autor est Lucas Tudensis. Regnauit annos septem. 603.

Hoc anno Mahometem pseudoprophetam Cordubæ hæreseos suæ virus diffundere in Hispanos conatum produnt. Quæ res quũ Sancto Isidoro qui id temporis Roma, quo ad concilium à summo Pontifice vocatus fuerat, redibat, innotuisset, atq; ad capiendum illum misisset: ille siue à dæmone, siue ab illo quopiam admonitus, fuga sibi consulens, in Africam rediit. Ex Fortalitio fidei, & Breuiario Eborensi. 605.

Theodoricus Mediomatricum Rex, Hermembergam Victerici Regis filiam, iustam vxorem suam ad patrẽ remisit, integram ab se, aduerso rumore, quod ferretur pellicibus ad insaniam vsque deuinctus, sancti nobilissimique connubii vsu perfrui, & virginis florem delibare non posse, velut maleficis artibus carminibusque prohibitus. Paulus Æmilius, qui Victericum Bertricũ appellat, sicut Robertus Gaguinus Detericum, qui causam huius diuortii Brunechildi adscribit. 607.

His temporibus fuit Aurasius, Toletanæ sedis metropolitanæ episcopus, virtute, autoritate, atque eruditione clarus, & Catholicæ doctrinæ acerrimus defensor & custos, vixit in sacerdotio temporibus Victerici, Gundamiri, & exordiis Sisebuti, duodecim ferme annis. Ex Beato Alfonso. Eodem anno Victericus inter epulas coniuratione suorum occiditur, & iusto Dei iudicio, sicut innocẽtem Luibam gladio peremerat, ita vicissim gladio periit. Sanctus Isidorus. Nihil in vita gessit præclarum, nisi quod Seguntiam per duces suos Romanis ademit. Corpus eius viliter elatum, vilius est sepultum. Idem. 609.

Occiso Victerico Gundemirus, siue (vt alii appellãt) Gundamirus, Rex Gothorũ creatur, & regnat annos duos, incepit regnare anno Phocæ Imperatoris sexto, qui secundum alios incidit in annum præcedentem. Sed Sanctus Isidorus addit, quod Æra sexcentesima quadragesima octaua, hoc est, anno Domini sexcẽtesimo decimo, quem ego sequor, non alios qui initia regni eius anno sexcentesimo decimo quarto adscribunt. Gundemirus in principio statim regni sui cauit, ne violarentur qui ad loca sacra cõfugissent. Alfonsus Burgensis. Idem Vascones vna expeditione vastauit, altera militem Romanum obsedit. Sanctus Isidorus. Hoc tempore Mahometes tres vxores duxit, sed his non contentus, nefaria ac promiscua octodecim vxorũ libidine pollutus est, & variis elusionibus ac præstigiosis technis, miraculum sui apud imperitam plebem fecit. Ex Roderico Toletano in historiis Arabum. Maximus Cæsaraugustanus episcopus, vir eruditus claret, qui scripsit de rebus gestis Gothorum in Hispaniis. Sanctus Isidorus, & Ioannes Trittemius. 610.

An. dom. 612. Gũdemirus propria morte deceſſit Toleti, cui ſucceſſit Siſebutus, Rex optimus & religionis Catholicæ cultor acerrimus, quippe ad bellicam gloriam eloquentiæ atq; eruditionis decus adiecit, vt autor eſt Rodericus Toletanus. Regnauit annos octo. Sanctus Iſidorus. Iſidorus Pacenſis, Lucas Tudenſis, Matthæus Palmerius hoc anno regnum iniiſſe conſtanter ſcribunt. Equidem neſcio, qua autoritate alii contrarium ſentiant. Ferdinandus Perez ſcribit hunc ſtabiliuiſſe in Hiſpania immunnitatem eccleſiarum, & ne qui ad eas confugerent, violarentur: quod alii Gundemiro tribuunt.

613. Hoc anno ſecundum aliquos, ſecundum alios vero ſequẽti, Deus dedit factus eſt Romanus Pontifex, qui ad Gordianũ Hiſpaniarum eccleſiæ epiſcopũ epiſtolam dedit contra eos qui ſabbato Paſchali die proprios filios ſuos ex ſacro lauacro ſuſceperant, quos iubet ab vxoribus ſuis iam commatribus perpetuo abſtinere, vtq; vxores dotem recipiant. Fragmentum epiſtolæ in priori Conciliorum tomo extat, ſed non additur, cuius eccleſiæ Gordianus ille epiſcopus fuerit.

616. Siſebutus Iudæos coegit Chriſtum agnoſcere. Eorum tamen aliquot millia in Galliam effugerunt, qui iuncti veteribus ſectæ ſuæ incolis ingẽtem numerum fecerunt. Turpe videbatur Franco, à Gothis eiectos religionis noſtræ hoſteis indomitos, finibus ſuis receptos diutius retinere, ac Gothis religione cedere. Dagobertus igitur Rex diem præſtituit, intra quam quicunque mortalium religionem noſtram non profiterentur, hoſteis iudicarentur, comprehenſique capite luerent. Plures tum eorum exilium pietati antetulere: reliqui Chriſtiani effecti, incolumes mãſere. Hoc veræ religioni datũ, certo documento eſt Siſebutus Rex, qui hanc palmam Iudæorũ vel animo ſanandorum, vel procul exigendorum prior ferẽs, milites Romani imperii qui Hiſpano limiti tutando præſidebant, eiecit, quaſq; in extremis finibus vrbes, oppida, caſtella, arces, vicos, fines, iuga montium tenebant, regno ſuo adiũxit. Hæc fere Paulus Æmilius. Addit Iacobus Meyerus, eadem tẽpeſtate Anglos à Rege Carcomberto ſublatis idolis vera religione imbutos. Sunt qui dicant, hoc à Siſebuto principio regni ſui factum: ſed Diuus Iſidorus dicit in Etymologiis libro 5. capite vlt. quod anno Heraclii quinto, & Siſebuti quarto. Quo loco in libris impreſſis perperam legitur, Sepulti Siſebuti. Memoriæ proditum eſt, pluſquam triginta Iudæorum millia hac Regis promulgatione ad Chriſti fidẽ conuerſa. Hoc tempore floruit venerabilis Helladius, Toletanæ ſedis metropolitanus epiſcopus, quẽ ſanctitatis præconio clarum Toletana veneratur eccleſia, vt ait Rodericus Toletanus lib. 2. capite 17. Fuit vero Helladius ex aulico monachus, in monaſterio Agalienſi, in quo & beatus Alfonſus: deinde ex monacho epiſcopus, ſed inuitus, Auraſii ſucceſſor iam ſenio confectus, exemplo vitæ quam ſcriptis clarior. Rexit eccleſiam Toletanã octodecim annis, & vltimo vitæ ſuæ tempore Beatum Alfonſum Leuitã fecit, atque in principio Siſenandi Regis gloriam cœleſtis regni bona plenus ſenectute conſequutus eſt. Ex Sancto Alfonſo.

617. Mahometes quinto Siſebuti Regis anno, prędiuitis viduæ nuptiis locupletatus, ingenteis animo ſpiritus concepit, nec contentus opinione prophetæ, ad regnum animum adiecit, & Africam atq; alias prouincias haud irrito conatu, ad rebellionem contra Romanos incitauit. neque huic rebellioni euentus defuit. Nam Agareni rerũ aduerſus Romanos potiti, primum in Africa, deinde Damaſci in Syria, Mahometẽ Regem alacri ſtudio conſalutarunt. Ex Roderico Toletano in hiſtoria Arabum. Primus annus regni Arabum. Iſidorus Pacenſis.

618. Hoc anno, aut circiter, Agapetus ex milite prophano monachus, deinde epiſcopus Cordubenſis, reuelatione diuina inuenit corpus Sancti Zoili martyris Cordubẽſis, quod ſolenni pompa, comitante clero ac populo, tranſtulit in Eccleſiam Sancti Felicis. D. Laurentius Padilia & alii multi. Verum hic non Agapetus, ſed Agapius appellandus eſt, vt ex ſecundo Hiſpalenſi concilio colligitur, vbi Diuus Iſidorus dicit, illum fuiſſe eccleſiaſticæ diſciplinæ ignarum, vt facile colligi poſſit, ex milite factum epiſcopum.

619. Anno Siſebuti ſeptimo, menſe Decẽbri, celebratum eſt Hiſpali ſecundum concilium ab octo epiſcopis, præſidente Sancto Iſidoro, contra Acephalos hæreticos qui duarum in Chriſto naturarum proprietatẽ negabant, ita dictos, quod nullus inueniatur autor, à quo ſint orti. Interfuit huic Synodo epiſcopus quidã Syrus, acerrimus prædictæ hæreſeos propugnator, qui poſt longam diſputationis pertinaciã, argumentis Sancti Iſidori & aliorum ſanctorum patrum conuictus, ad rectam & orthodoxam fidem conuerſus eſt, vt ex duodecimo capite ipſius concilii conſtat.

620. Mahometes in Arabia cum Sergio monacho ſectam Sarracenorum inchoat pernicioſiſſimam, magnum æterni Dei prophetam ſe dicens. Quæ tam dira lues quum paruo negotio extingui initio potuiſſet, deſidia & ignauia Romanorum Principum eo creuit, vt Aſiam

Aſiam totam atque Africam, & bonam tandem Europæ partem contaminauerit. Quos vero populos tam tetris opinionibus imbuit, Sarracenos ex Dei pręcepto vocari dicebat, à Sarra legitima vxore Abrahæ, quaſi legitimos diuinæ promiſſionis ſucceſſores. Ex Iacobo Meyero ac Matthæo Palmerio. In ſchedis quibuſdã Nicolai Clenardi, viri vndecunque doctiſſimi, legi, quas ille in Africa Feſæ conſcripſit, dum illic Arabicarũ literarum peritiam, ad bellum Antimahometicum quod parabat, ſi longiorem lucis vſuram Dominus Deus concedere voluiſſet viro longiſſima vita digniſſimo, indefatigabili ſtudio conſectabatur: legi, inquam, in ſchedis illis, totum Mahometiſmum decem Iudæorum commentum fuiſſe: hoc Iudæos excogitaſſe, vt Chriſtianis inſignem aliquem excitarent hoſtem, ac de ea re librum extare apud Iudæos. Idem mihi olim Hiſpali retulit Germanus quidam, vir probus & eruditus, qui multos annos in Africa ſuorum negocia geſſerat, & dum reditum pararet in Hiſpaniam, ſiniſtris auſpiciis captus, duram apud Mauros ſeruitutem ſeruiuerat. Is mihi affirmauit, audiſſe ſe à viris grauibus in Africa, Iudæum quẽdam aſtutum, angelum ſe mentitum, Mahometi nocturnis illuſionibus perſuaſiſſe, vt ridicula multa & à natura rerum abhorrentia Alcorano ſuo inferciret, vti Iudæos tam ſtultæ legis ludibrio à ſecta Mahometica auerteret. *An. dom.*

Siſebutus anno regni ſui octauo, menſe ſexto, rebus exceſſit humanis, quem alii proprio morbo, alii immoderato medicamenti hauſtu, alii veneno ſcribunt interfectum, vt autor eſt Sanctus Iſidorus. Siſebuti Regis duas leges reperi, alteram, qua omnes ſucceſſores ſuos ſub perpetua maledictionis cenſura obſtringit, quicunque Regum mancipium Chriſtianũ Iudęo ſeruire vel famulari permiſerit: alteram, vt omnis aut in expeditionem exercitus non progrediens, aut de exercitu fugiẽs, teſtimonio dignitatis ſuæ irreuocabiliter careret. Quam poſteriorem, vt duram & Reipublicæ damnoſam, temperamẽto ſuo mitigauit Flauius Eringius. Ex duodecimo concilio Toletano. Hic Aſtures rebelles, miſſo in eos exercitu, imperata facere coegit, bis de Romanis triũphauit, in prælio fœlix, poſt victoriam adeo clemẽs, vt hoſteis captos perſoluto pro iis precio remitteret immunes, atque omnem theſaurum in captiuorum redemptionem benigne profunderet. Idem Toleti eccleſiam Sanctæ Leocadiæ miro opere fundauit. Ex Sãcto Iſidoro & Luca Tudenſi. Poſt mortem patris regnat filius eius Recaredus adhuc paruulus, ſed tum propter ætatem adhuc tenellam, tum propter regni breuitatem, nihil relatu dignum geſſit. ideo à Diuo Iſidoro & Luca Tudenſi in catalogo Regum non ponitur. Hunc Iſidorus Pacenſis ait tres tantum menſeis regnaſſe: Rodericus Toletanus ſeptem, quem ſequitur Alfonſus epiſcopus Burgenſis. Eodem anno, nẽpe Heraclii Imperatoris decimo, creatus eſt Rex Gothorum Suinthilla, Recaredi primi filius, vt ait Michael Ritius, cui ſubſcribit Lucas Tudenſis, qui addit eum ſub Siſebuto Rege duxiſſe exercitum, & Theodoram dicti Regis filiam duxiſſe vxorem, ex qua Siſenandum & Cindaſiunthum filios ſuſtuliſſe: quod tamen falſum eſt, vt ex ſequentibus patebit. Hic primus omnium Gothici nominis Regum, expulſis profligatiſque Romanis, Hiſpaniæ monarchiam conſequutus eſt, vt ait Sanctus Iſidorus. Ex hoc loco, ſicut ex aliis nõnullis, conſtare videtur, apud Gothos non fuiſſe morem, vt filii neceſſario patribus in regno ſuccederent, ſed eos regnaſſe qui à magnatibus & populo digni regno iudicati eligerentur. Imo vero ſi quis alia ratione Regiæ maieſtatis ambiret faſtigium, Catholicorum conſortio priuandus, & diuino anathemate condemnandus cenſebatur, vt patet ex quinto concilio Toletano. 621.

Vaſcones Tarraconenſem prouinciam infeſtabant, quos Suinthilla Rex, ducto in eos exercitu, in ordinem redegit, atq; ad expiandam rebellionis culpam, ciuitatem Oligitim propriis ipſorum ſtipendiis ædificare compulit. Sanctus Iſidorus. Hanc ciuitatem alii in Nauarra dicũt eſſe eam quæ vulgo dicitur Olit, alii in Caſtella veteri, quæ vernaculo nomine Valladolit nuncupatur: ſed adhuc ſub iudice lis eſt. 622.

Ioannes ex monacho epiſcopus Cæſarauguſtanus, Maximi, de quo iam diximus, ſucceſſor, vir ſcriptis & eruditione clarus, ſed clarior ſanctitate & exemplo vitæ, præfuit eccleſiæ ſuæ duodecim annis, & ſcripſit nonnulla de eccleſiaſticis officiis & inquirenda ſolennitate Paſchali, temporibus Siſebuti & Suinthillanis Regum. Ex Beato Alfonſo. 623.

Vſque ad hunc annum, nempe quintum Suintillanis (ſic enim declinat Sanctus Iſidorus & B. Alfonſus) Gothorum hiſtoriam proſequutus S. Iſidorus, & numerat ab exordio Athanarici Regis vſque ad hunc annum, ducentos quinquaginta ſex annos. Poſuit vero principium Athanarici Æra quadringenteſima ſeptima, hoc eſt, anno Domini trecenteſimo ſexageſimo nono, cui ſummæ ſi addas ducẽtos quinquaginta ſex, prope ad amuſſim reſpondet calculus. Fiunt enim anni ſexcenti viginti quinque. Porro vnius anni in tanto temporum interuallo modica eſt differentia. Hoc additum volui, ne quis arbitretur, me 626.

An. dom. temere ac sine delectu potius sequutũ Diuum Isidorum in ratione temporis subducẽda, quam alios. Equidem frequenter admiror, quo autore Rodericus Toletanus ab eo tam constanter dissentiat, quum tamen Lucas Tudẽsis cum illo per omnia conueniat, tametsi numero annorum ad prodigium vsque mendoso. Nam in Chronicis regis Alfonsi minus mirandum, si errores sequuta Toletani ad eundem impegerint lapidem.

628. Mortuus est anno Heraclii decimo septimo Mahometes, & sepultus in inferno. Qui cum prædixisset se decimo regni sui anno moriturum, sed tertio post mortem die resuscitatum iri, discipulus quidam ipsius nomine Albimar, experiri volens, num vera prædicaret, venenum obtulit. quo ille hausto, vt sensit imminere mortem, dixit astantibus, quod per aquam essent accepturi remissionem peccatorum, & continuo expirauit. Discipuli vero custodiebant corpus expectantes rei euentum, sed tandem fœtoris impatientes reliquerunt, quod vndecimo post die quũ reuiserent, inuenerunt à canibus laceratum. Hæc fere Lucas Tudensis. Eodem anno tremuit terra, & gladii figura per dies fere triginta in cœlo apparuit. Chronica Regis Alfonsi. Mortuo Mahometi successit in regno Arabum Abubacar, de genere Mahometis, & regnauit tribus annis. Lucas Tudensis.

629. Suintilla Rex Rechimirum filium in regni societatem cooptauit, simulque cum eo paribus auspiciis regnum administrauit. Qui Rechimirus quia eodem fere cum patre mortuus est tempore, ideo in ordinem Regum non venit, sed cum patre con funditur, vti post Rodericum Toletanum annotauit Michael Ritius.

631. Hoc anno Suintillanem Regem fatali morbo peremptum & honorifice elatum scribunt Hispani scriptores, qui Regẽ istum variis laudibus optimo Rege dignis cumulant, pauperum patrem appellantes. Et fieri quidem potest, imò non dubito, quin principio regni talis fuerit, alioquin nunquam Sanctus Isidorus Regem illaudabilem falsis ornasset præconiis. Sed quod mutauit ingenium, neque regale diadema ad finem vsque vitæ tueri potuerit, ex Paulo Æmilio constat, qui scribit ad hunc modum: Mortuo Sisebuto Regi clarissimo, haudquaquam pari gloria successerat Sentilla (ita enim appellat) cuius cum Vesegothos ferocem gentem puderet pœniteretque, Sisenandus æmulus regni, in Franciam ad Dagobertum Regem profectus, auxilium impetrauit. Abundatius & Venerandus duces, nobilitatem Burgundionum Cæsaraugustam duxere: continuoque Vesegothi à Sentilla ad eum quem Dagobertus Regem dabat, defecere. Is decem pondo auri Francis appendit, quæ ædi Diui Dionysii absoluendæ attributa sunt. Hæc ille. Neque veto solum fascibus regni sui exutus, verum etiam communi patrum decreto excommunicatus est, in quarto concilio Toletano, vt ex ipsius concilii actis constat libro vltimo vbi ad hunc legimus modum: De Suinthillane vero (Simithilanem codices impressi vocant, sed mendose) qui propria scelera metuens, seipsum regno priuauit, & potestatis fascibus exuit, id cum gentis consultu decernimus, vt neque eum, vel vxorem eius, propter mala quæ commiserunt, neque filios eius vnitati nostræ vnquam consociemus, nec eos ad honores à quibus ob iniquitatem deiecti sunt, aliquando promoueamus. Quique etiam, sicut in fastigio regni habentur extranei, ita à possessione rerum quas de miserorum sumptibus auxerunt, maneant alieni, præter id quod pietate piissimi Principis nostri fuerint consequuti. Non aliter & Geillanem memorati Suintillanis & sanguine & scelere fratrem, qui nec in germanitatis fide stabilis extitit, nec fidem glorioso domino nostro pollicitam conseruauit. Hunc ergo cum coniuge sua, sicut & ante factũ est, à societate gentis atque cõsortio nostro placuit separari: nec in amissis facultatibus, in quibus per iniquitatem creuerant, reduces fieri, præter id quod consequuti fuerint pietate clementissimi Principis. Hæc ibi. vbi illud quoque obiter annorandum, quanta fuerit id temporis episcoporum autoritas tam apud Reges, quam in populo, vt etiam in ipsos Reges censuram suam exercerent. Suinthillane ad hunc modum regni fascibus deturbato, Sisenãdus Rex creatus, quem Lucas Tudensis ac Michael Ritius Suinthillanis filium fuisse affirmãt, sed falso, vt ex actis quarti cõcilii Toletani modo relatis cõstat. Regnauit annos quinq;, menseis vndecim. Isidorus Pacensis ait, Sisenandum per tyrãnidem regnum inuasisse. Eodem anno Abubacar defuncto, Emer Arabum succedit imperio, & regnat annis decem. Ex Isidoro Pacensi & Roderico Toletano. Alii Homer appellant, sed Isidorus Pacensis Emer constanter nuncupat.

633. Anno Sisenãdi Regis 3. celebratũ est 4. Concilium Toletanum, mẽse Decẽbri, in templo S. Leocadię. Interfuerũt huic concilio episcopi metropolitani, S. Isidorus Hispalensis, Iustus Toletanus, Iulianus Bracarẽsis, Stephanus Emeritensis, Audax Tarraconẽsis, Silua Narbonẽsis, cũ aliis 60. episcopis, inter quos fuit Sisisclus Eborẽsis episcopus. Præter hos fuerũt & octo aliorum episcoporum vicarii. Rodericus Archiepiscopus Toletanus dicit huic

huic interfuisse concilio sexaginta episcopos connumeratis eorum vicariis qui iustis de *An. dom.*
causis impediti venire non potuerunt, inter quos Mironem vicarium Emeritensis episcopi metropolitani. Isidorus Pacensis dicit 66. fuisse episcopos. Neque desunt qui septuaginta in hoc concilio episcopos fuisse dicant. In hac Synodo excussum est ac disputatum, an qui à Sisebuto Rege vi adacti fuissent ad accipiendum baptismum, obligarentur ad seruandam Christianæ fidei professionem: decretumq; à patribus, vt qui iam sacro lauacro tincti essent, cogerentur ad seruandam fidem quam acceperant: sed ne posterius Iudæi compellerentur ad baptismum. Ex ipsis Conciliis. In hoc concilio inter alia multa præclara duo præcipuè instituta sunt, alterum iussu Regis Sisenandi, vt omnes ingenui clerici pro officio religionis, ab omni publica indictione atque labore habeantur immunes, vt liberi Deo seruiant, nullaq; præpediti necessitate, ab ecclesiasticis officiis retrahantur, idque capite 46. alterum, ne Iudæi, aut qui ex Iudæis sunt, officia publica appetant, quod sub hac occasione iniuriam Christianis facerent. Præterea in eiusdem concilii capite octauo, causa benedictionis cerei in vigilia Dominicæ Resurrectionis exponitur, ideo scilicet benedici, vt sacræ Resurrectionis Christi mysterium, quod tempore huius noctis votiue aduenit, benedictione sanctificati luminis suscipiamus. In nono quoque capite salutari constitutione præcipitur, vt oratio Dominica quotidie dicatur. quotidianam enim orationem esse, & quotidiana ac minima peccata delere. Denique toto capite Dominicæ orationis virtus & efficacia docetur.

Nontinus siue Nonnicus, Ioannis in Gerundensi episcopatu successor, professione 643
monachus, simplicitate conspicuus, actibus sanctus, non hominum diutina deliberatione, vt inquit B. Alfonsus, sed Dei per homines celeri definitione in pontificatum fuit adscitus. Assiduus hic fuit ad sepulchrum S. Felicis martyris, rexit ecclesiam magis meritorum exemplis, quam verborum edictis. Hic & viuus & defunctus multis dicitur claruisse miraculis. Vixit temporibus Suinthilanis & Sisenandi Regum. Ex B. Alfonso.

Iustus præsul Toletanus, Helladii in disciplina monastica discipulus, & in episcopali 646
dignitate successor, sed præmatura morte sublatus, acri vir ingenio, quique ecclesiæ videbatur profuturus, si vita respondisset ingenio. Verum quia diaconus adhuc, Helladio præceptori & præsuli suo fastu superbiæ insultauerat, ipse tertio pontificatus sui anno in reprobum versus sensum, ob intemperantiam morum, à ministris altaris sui, dormiens laqueo strangulatus expirauit. Scripsit ad Richilanem Agaliensis monasterii patrem epistolam, in qua astruit susceptum gregem nullo modo relinquendũ. Ex eodem. Huic Iusto cum Gerontius quidam presbyter, Principis sui gratia & fauore fretus, per contemptum aduersaretur, tam repentino motu vim perdidit intellectus, vt omnia medicorum experimenta non medelam conferrent, sed morbum grauarent. Eo deniq; creuit commotio mentis, vt ante mortem & colloquium ipsius & aspectus horrori esset omnibus. Ex eodem. Hoc anno, nempe sexto Sisenandi Regis, Iudæi Toletani qui à Rege Sisebuto ad fidem compulsi fuerant, vltro cerimonias & ritus Iudaicos abiurauerunt, professi, si quem ad eos deficere deprehenderent, eum se lapidibus obruturos, aut si Rex vitam illi concedere vellet, bona eius cederent fisco, & perpetuam seruiret seruitutem. Ex Fortalitio fidei, vbi nomina Regum deprauata leguntur. Eodem anno, decimo nono die post Iustum episcopum, obiit Sisenandus Rex Gothorum. Ex B. Alfonso. Mortuus est autem Toleti, vt ait Tudensis. Defuncto Sisenando successit Cinthilla, quem nonnulli, & inter eos Michael Ritius & Petrus Antonius Beuter, affirmant fuisse filium Suinthilanis Regis, sicut & Sisenandum: sed neutrum mihi fit verisimile ex iis quæ ex quarto Concilio Toletano annotaui. Regnauit annis sex.

Primo anno Cinthillæ Regis celebratum est Toleti quintum Concilium, in templo 647
S. Leocadiæ, à 24. episcopis, præsidente Eugenio præsule Toletano. In quo Cõcilio Braulii (quem Braulionem alii appellant) Cæsaraugustani episcopi magna laus extitit, qui Ioanni episcopo cuius superius mentionem fecimus, successit, ac præter alia opuscula scripsit vitam S. Æmiliani monachi. Præfuit ecclesiæ Cæsaraugustanæ ferme 20. annis, obiit tempore Cindasiunthi Regis. B. Alfonsus. In hoc concilio dicitur S. Isidorus mortem suã prædixisse. Eugenius iste Toletanus episcopus qui huic concilio præfuit, vel saltem interfuit, Helladii in monastica disciplina discipulus extitit, cum Iusto præcessore suo lectoris functus officio, vir cum aliarum disciplinarum, tum vero Astronomiæ ad miraculum vsque peritus. Hunc Helladius ad pontificatum tractus, è monasterio secum duxit, atque ad ecclesiasticos ordines promouit. Gubernauit Ecclesiam Toletanam vndecim annis, regnantibus Cinthilla, Tulgane, & Cindasiuntho. Ex B. Alfonso. Ab hoc Eugenio cum Lusidius diaconus amicitiæ seculari astrictus, violenter honorem presbyterii & prædia

An. Dom. quædam extorsisset, in reprobum versus sensum, tali vexatus est morbo, vt vitæ tædio mortem optaret, tanto miserior, quanto desiderata mors diutius differebatur. Ex eodem. Eodem anno S. Isidorus Hispalensis ecclesiæ metropolitanus episcopus & Hispaniæ primas, celebrato sacro, ouibus suis cælesti pabulo pastis, quum mortem suam prædixisset, & sublatis in cælum manibus, data benedictione supremum vale populo dixisset, sanctissimam animam autori suo reddidit pridie Nonas Aprilis. Hunc B. Alfonsus ait, quadraginta ferme annis Hispalensem rexisse ecclesiam, ac tanta in dicendo gratia polluisse, vt auditores sæpe in stuporem verteret. Aiunt examen apum ipsi infanti visum in os ingredi & egredi, & in cœlum vsq; euolare: quod de B. Ambrosio legitur. Idem iam factus episcopus collegium construxit Hispali, vbi bona ingenia erudirentur, in quo multi floruere, inter quos Beatus Alfonsus post Toletanus episcopus, & Braulio Cæsaraugustanus. Ex Breuiario Eborensi. Lucas Tudensis & alii mortem eius aliquot annis posteriorem faciunt, sed cum ex actis Conciliorum manifestum sit, ipsum inter quintum ac sextum Concilium Toletanum hanc vitam caducam & temporariam æterna beatitudine commutasse, veritatem ipsam quam aliorum iudicium sequi malui. Quam vtilem sanctus iste nauauerit operam ecclesiæ catholicæ, cum ex aliis multis, tum vero ex decretis constat, quorum non minima pars ex huius Diui lucubrationibus decerpta est. S. Isidorus inter polygraphos merito numeratur, atque hæc reliquit ingenii sui & omnimodæ eruditionis monumenta:

De ortu & obitu Sanctorum patrum.
De differentiis rerum libros duos ad Fulgentium episcopum fratrem suum.
Librum procemiorum Sacræ scripturæ.
Synonymorum, siue de consolatione animarum, libros duos.
De natura rerum, ad Regem Sisebutum.
De genere officiorum, libros duos.
Sententiarum libros tres ex moralibus D. Gregorii.
De Arithmetica.
De nominibus Legis & Euangeliorum, librum vnum.
De hæresibus, librum vnum.
De perfectione virginitatis ad Florentiam sororem, libros duos.
De viris illustribus.
De regula monastica, librum vnum.
Historiam Regum Gothorum, Vandalorum & Sueuorum.
Quæstionum in Pentateuchum, libros duos.
Etymologiarum libros viginti, ad Braulium siue Braulionem Cæsaraugustanum episcopum.

638 Anno Cinthillæ secundo, sexto Idus Ianuarii, celebratum est Toleti sextum Concilium in Ecclesia S. Leocadiæ, sub episcopis metropolitanis Eugenio Toletano, Honorato Hispalensi, Iuliano Bracarensi, Protasio Tarraconensi, Silua siue Selua Narbonensi, & quadraginta quatuor aliis episcopis, & sex eorum vicariis qui iustis de causis impediti nō poterant interesse. Huic concilio quoq; interfuit Sisisclus Eborensis episcopus. Ex conciliis. In huius concilii Canone tertio, à Patribus cum consensu Regis & optimatum atque illustrium virorum statutum & sanctum est, vt quisquis succedentium temporum regni sortiretur apicem, non ante conscenderet regiam sedem, quam inter reliqua conditionum sacramenta polliceretur, nullum se non catholicum permissurum in suo regno degere. Si vero, postquam ad regni gubernacula accessisset, huius ipse temerator existeret promissi, esset anathema maranatha in conspectu sempiterni Dei, & pabulum efficeretur ignis æterni. Similiter & omnes qui cum eo consentirent. Quam sanctorū Patrum sententiam pie sequutus Ferdinandus Rex cognomento Catholicus, dum regnorum suorum finibus expulit atq; exterminauit Iudæos & Sarracenos, vt etiam annotauit R. pater F. Bartholomæus Carranza Mirandensis, vir pius & eruditus, qui Concilia omnia pio atq; vtili studio in epitomen redegit.

639 Hoc tempore celebris fuit Tonantius (Conantium in libris antiquis lego) post Maurilanem Palentinæ sedis episcopus, vir & animo & corpore reuerendus, & ordinandis ecclesiasticis officiis præcipue intentus. In cantu ecclesiastico multa edidit. Orationes etiam conscripsit de omnium proprietate psalmorum. Vixit in pontificatu plus triginta annis, nimirū ab vltimo tēpore Victerici Regis, vsq; ad tempora Cinthillæ. Ex B. Alfonso.

641 Mortuo Cinthilla, regnat Tulcas annis duobus, iuuenis indole regia præditus, & omnibus virtutibus optimo Principe dignis ornatus, quiq; de regno Gothorum & Hispania tota bene meriturus videbatur, si vita longior contigisset. Mortuus est Toleti, magno sui desiderio relicto: Tulganem alii appellant. Sigebertus Abbas ait, propter pueritiæ leuitatem regno priuatum, atq; ad ecclesiasticos ordines relegatum. Cæterum nisi Sigeber-

bertus fidelior est in historia, quam supputatione temporum, de iis loquor quæ ad Reges *An. Dom.*
Gothorum pertinent, non magnam illi fidem habeo. Mortuo Omar Rege Arabum, imperat Mauris Autumar, vel secundum alios Azamam, duodecim annis. quo regnante multum decreuit imperio Romanorum, magnaque regno Maurorum accessio facta est. Hic Attuman Isidoro Pacensi dicitur, & Attoman.

Mortuo Tulça anno regni sui secundo, Cindasiunthus vacuam Gothorum regiam 642
occupat, & regnat solus sex annos, & cum filio Flauio Reccesiuntho quatuor, ac septem menses, vt ex Isidoro Pacensi, Luca Tudensi, Chronicis Alfonsi decimi, & annotationibus Alcobaciensibus colligo, quanquam inter eos deprauatione librorum magna sit differentia. Hic à summo Pontifice priuilegium obtinuit, vt primatus Hispaniæ pro arbitrio episcoporum esset, vel Toleti, vel Hispali. Huius tempore tota Hispania summa tranquillitate conquieuit. Lucas Tudensis.

Theodiscus Græcus Honorato in Hispalensi præsulatu successerat, vir multarum lin- 643
guarum peritus, qui quamuis esset speciosus pelle decora, introrsum tamen turpis, astutam vulpem, imo vero lupum rapacem sub specie ouis occultabat: quod re ipsa comprobauit. Siquidem D. Isidori libros de naturis rerum & medicina, atque arte notoria, nondum editos corrupit, in odium fidei, & adulterauit, optima quæque resecans ac falsa supponens, atque ita in linguam Arabicam opera cuiusdam Arabis transtulit. Propter quod & alia multa quibus perfidia ipsius innotuit, synodali sententia ab Archiepiscopali dignitate depositus, ad Arabes se contulit, & sectæ Mahometicæ adhæsit, atque ob hanc causam primatus Hispaniæ ab Ecclesia Hispalensi in Toletanam translatus est. Ex Luca Tudensi.

Anno Flauii Cindasiunthi quinto celebratum est Toleti septimum concilium, deci- 646
mo quinto Calendas Nouembris, præsidente Orontio Emeritensi metropolitano episcopo. Præter hunc interfuerunt alii tres metropolitani, Eugenius Toletanus, Antonius Hispalensis, Protasius Tarraconensis, & alii episcopi, numero omnes quadraginta, tametsi in Conciliis vulgo impressis tantum numerentur triginta octo. forte duo fuere aliorum episcoporum vicarii. Isidorus Pacensis & illum sequutus Rodericus Archiepiscopus Toletanus, dicunt in hoc concilio triginta tantum fuisse episcopos cum omni clero, & vicariis eorum qui vel morbo impediti, vel inopia, venire non poterant, & palatino collegio. Fuisse vero inter episcopos & vicarios eorum quadraginta. In hoc cõcilio Taio (Talonem alii appellant) Cæsaraugustanus episcopus, ab Rege & vniuerso concilio Romam missus est ad quærenda moralia Beati Gregorii, quæ in Hispaniis quorundam negligentia perierant. Cumque à summo pontifice (opinor Theodoro, vel Martino primo) de die in diem reiiceretur, quasi in tam numerosa bibliotheca non possent reperiri: pius episcopus in basilica Apostolorum Petri & Pauli, noctem vnam in orationibus & lachrymis traduxit insomnem, ac circa medium noctis beatorum Apostolorum atque ipsius S. Gregorii ac S. Augustini monitis & indicio voti compos effectus, magna cum gloria reuertit ad suos. Ex iisdem autoribus.

Hoc anno, secundum Isidorum Pacensem, secundum Lucam Tudensem, sequenti, 647
Flauius Reccesiunthus à patre Cindasiuntho cooptatus regnauit, vt diximus, cum patre annos quatuor, menses septem, solus vero octodecim annos, menses vndecim. Fuit hic deuotus Catholicæ fidei cultor, & sacrarum literarum perquam studiosus, templa & sacra altaria variis ornamentis exornauit. Partim ex Isidoro Pacensi & Luca Tudensi, partim ex Archiepiscopo Toletano.

Eodem anno mortuo Eugenio Toletano præsule, subrogatus est alter Eugenius, qui 651
postea fuit in diuorum numerum relatus, is videlicet qui B. Alfonsum in illius ecclesiæ regimine præcessit. Hic cum esset Ecclesiæ Toletanæ clericus, vita delectatus monachorum, Cæsaraugustam profectus, monastico sese mancipauit instituto, & martyrum sepulchris assidue deuotus inhæsit. Vnde principis imperio reuocatus, & præter voluntatem suam ad episcopatum Toletanum promotus, eruditione, scriptis, & sanctitate vitæ nomẽ sibi fecit celeberrimum. Scripsit librum de S. Trinitate, atque alia nonnulla tam carmine quam prosa, & Dracontii Hexameron iam vetustate vitiatum, suo nitori restituit, & de septimo die, quæ in Dracontio desiderabantur, suppleuit. Tenuit episcopalem dignitatem duodecim ferme annis, temporibus Cindasiunthi & Reccesiunthi Regum, sepultus tandem in basilica S. Leocadiæ. Ex B. Alfonso. Dracontius iste fuisse videtur Hispanus, quantum ex S. Isidoro colligi potest, floruit temporibus Iustiniani Imp. & Athanagildi Regis Gothorum, composuit Hexameron creationis mundi.

Mortuus est Toleti morte naturali Cindasiunthus Rex, quem tamen aliqui veneno 652

An.Dom. produnt periisse. Ex Chronicis Alfonsi decimi. Hoc quoque anno, nempe quinto Reccesiunthi regis, celebratum est Toleti octauum concilium, in basilica prætoriensi Apostolorum Petri & Pauli, sexto Calendas Ianuarii, præsente rege. Cui concilio interfuerunt quatuor metropolitani episcopi, Orontius Emeritensis, Eugenius Toletanus, Antonius Hispalensis, Potamius Bracarensis, & alii episcopi quadraginta octo, ac decem aliorum episcoporum vicarii, abbates cum Archipresbytero & primicerio Toletano duodecim, Comites vero & viri illustres quindecim. Interfuit huic cōcilio Abientius episcopus Eborensis. Videtur & B. Alfonsus huic interfuisse concilio. Nam inter abbates refertur Ildephonsus Abbas. Certum est enim S. Alfonsum qui & Hildephonsus dicitur, id temporis abbatem fuisse monasterii Agaliensis, quæ nunc est ecclesia sanctorum Cosmæ & Damiani in suburbio Toletano. Ex actis huius concilii colligi posse videtur, maioris ea tempestate dignitatis fuisse Comites quam Duces. Ita enim scribitur: Ella Comes & Dux. Fandila Comes & Dux. In hoc concilio inter alia multa singularem pietatem spirantia, hoc quoque memorabili exemplo statutum est, vt solus ille accedat ad sacra Dei mysteria tractanda, quem morum innocentia & literarum splendor reddunt illustrem. Illud præterea cautum est, quod hodie proh dolor nimis multi pessimo exemplo negligant, vt si quis sine ineuitabili necessitate atque fragilitate, aut euidenti languore, seu etiam impossibilitate ætatis, diebus quadragesimæ carnibus vesci præsumeret, non solum reus esset resurrectionis Dominicæ, verum etiam alienus ab eiusdem diei sancta communione, præterea toto illo anno ab omni carnium esu abstineret. Quos vero vel ætas, vel languor, vel necessitas excusaret, non ante prohibita violare præsumerent, quam à sacerdote permissum accepissent. Hæc ibi canone 8. & 9. Ex posteriori tomo Conciliorum.

653. S. Irene ad Nabanim Lusitaniæ fluuium, in oppido Thomar, pro pudicitia & amore Christi passa est ab iis quorum libidini castitatem suam virgo Deo dicata prostituere noluit, proiecta ab occisoribus in Nabanim, per Tagum delata est Scalabim, vbi sepulta nomen vrbi dedit. Huius gloriosæ virginis martyrium L. Andreas Resendius latius explicauit in Breuiario Eborensi. Eodem anno Autumar siue Azaman Arabum rege à suis interfecto, Moabias regnauit annis viginti quinque. Rodericus Toletanus. Isidorus Pacensis ponit anno superiore.

654. Anno septimo Reccesiunthi regis, mense Nouembri, celebratum est Toleti concilium nonum à sedecim episcopis, in basilica beatæ Mariæ semper virginis, sub Eugenio præsule Toletano. Ex Conciliis. In huius concilii decimo canone decretum fuit, vt filii clericorum cuiuscunque ordinis, ab episcopo ad subdiaconum, non solum hæreditatem paternam nunquam acciperent, sed etiam in seruitutem illius ecclesiæ, de cuius sacerdotis vel ministri ignominia nati essent, iure perenni traderentur.

655. Anno octauo eiusdem regis celebratum est Toleti in ecclesia Apostolorum Petri & Pauli decimum concilium Toletanum, sub beato Eugenio Archiepiscopo Toletano, & Fugitiuo Hispalensi, & Potamio Bracarensi, & viginti duobus aliis episcopis, in quo institutum est festum beatæ Mariæ semper virginis, quod etiam nunc tota Hispania celebratur, octauo die ante natiuitatem Christi seruatoris nostri. Quo die celebratur idē officium quod celebrari consueuit in festo Annunciationis eiusdem sacratissimæ virginis. Institutum vero est hoc festum, quia dies solennis annunciationis, frequenter cadit in diem ita propinquum passioni aut resurrectioni Dominicę, vt ab ecclesia & populo Christiano proprio die de more celebrari non possit. Ex Conciliis. In eodem cōcilio venerabilis Potamius Bracarensis ecclesiæ metropolitanus episcopus, non sine multis aliorū sanctorum Patrum lachrymis ac suspiriis, propria atq; vltronea confessione se administratione episcopatus sui abdicari postulauit, quod tactu fœmineo sorduisset. Subrogatus est illi S. Fructuosus ecclesiæ Dumiensis episcopus, ita tamen, vt Potamius nomen retineret episcopi, quod ipse sibi propria sui criminis confessione abstulerat. Ex conciliis. Vtinam omnes hoc tempore vitam ecclesiasticam professi, hoc peccatum perinde exhorrerent, aut humana fragilitate commissum pari pœnitentia contenderent expiare. Ioannes Trittemius memorię prodit, festum diuæ virginis, de quo diximus, à diuo Alfonso institutum, & esse illud quod nunc communi consuetudine & consensu celebratur sexto Idus Decembris. Sed errat tota via. Quanquam non negauerim festum hoc celebrius factum Hispanis, propterea quod beatissima virgo Maria eo die S. Alfonso apparuit, vt suo loco dicemus. Trittemii errorem sequutus est Gregorius Gyraldus, dicens festum Conceptionis diuæ virginis à beato Alfonso institutum. S. vero Fructuosus qui in hoc Toletano concilio electus est Archiepiscopus Bracarensis, regio stemmate clarus, & Ducis exercitus Hispaniæ filius, Conantii episcopi cuius superius meminimus, discipulus, multorum mona-

monasteriorum in Hispania, atque inter ea Complutensis cœnobii (quod aiunt hodie *An. Dom.*
appellari Sant Iusto daltar) in Gallecia conditor extitit, demum Bracarensis ecclesiæ præsul, & viuus adhuc, & præsenti vita defunctus, multis effulsit miraculis. Huius opus est monasterium prope Bracaram, in modico colle situm, quod nunc quoque S. Fructuosi dicitur, atque à deuotis ac religiosis fratribus ordinis D. Francisci, sed rigidioris obseruantię habitatur. In quo facile antiquam structuram & in structuræ ratione venerandam conditoris sanctitatem agnoscas. Ibi adhuc sepulchrum sanctissimi viri visitur, sed corpore Compostellam translato vacuum, nisi quod fimbria vestis sacerdotalis cum qua de more sepultus fuit, & os vnum ex reliquiis ipsius, paucis ab hinc annis in eo fuit inuentum, dum in eo monasterio Guardianum, vt ipsorum more loquar, ageret vir probus ac pius F. Christophorus à Vimaranis, qui mihi hæc retulit. Eodem anno Solis eclipsis, & stellæ in meridie visæ, Hispaniam omnem territauerunt. Isidorus Pacensis.

Mortuo Beato Eugenio Toletanæ sedis episcopo metropolitano subrogatur S. Alfonsus (quem alii Illefonsum, alii Ildefonsum, atque etiam Hildephonsum appellant) claro natus loco, & S. Isidori discipulus, cuius tempore duo hæretici ex Gallia Gothica in Hispaniam venerunt, & inuiolatam beatissimæ semper virginis Mariæ virginitatem sacrilego ore polluere conati sunt, insanum ac blasphemum Heluidii dogma restaurare volentes. Horum alteri Teudio nomen, alteri Pelagio fuit. Quos beatus Pontifex Alfonsus & facundiæ gratia & scripturarum testimoniis ita refutauit, vt confusionis & verecundiæ plenos Hispania cedere coegerit. Quod obsequium tam gratum sacratissimæ virgini matri extitit, vt sanctorum agminibus stipata ipsi apparuerit, cum B. Alphonsus ad matutinas horas de nocte se conferret clero comitatus & populo, librum quem de perpetua ipsius virginitate scripserat, manu gestans, idque 15. Calendas Ianuarias, quo die (vt diximus) ex decimi cōcilii Toletani decreto commemoratio Annunciationis gloriosissimæ virginis tota Hispania celebratur, neque solum apparuerit, sed vestem etiam sacram qua in facienda re diuina vteretur, dederit, tanquam diuinæ gratiæ & fauoris sui pignus & obsidem. Quæ vestis etiam hodie, summa cum religione, in adytis ecclesię Toletanæ seruatur, quanquam non desunt qui in Ouetensi ecclesia esse dicant. Neque post beatum Alphonsum quisquam præsul Toletanus ausus est ea veste vti, præter Sisebertum Archiepiscopum, qui temeritate sua de dignitate & sede episcopali deturbatus, in exilio vitam miseram ac tristem exegit. Hæc fere ex Roderico Archiepiscopo Toletano, qui tamen in hoc lapsus est, quod alterum horum hæreticorum Heluidium appellauerit, quum impium Heluidii dogma multis ante annis à D. Hieronymo non minus erudite quam pie fuerit extinctum. Ex hoc tempore festum illud sacratissimæ virginis, quod festum Expectationis diuæ virginis hodie plerique appellant, crediderim celebrius factum Hispanis, quum tamen decem ante annis plus minus institutum sit, quamuis multi libri Hispano sermone conscripti contrarium dicant. Ordinatus est episcopus S. Alfonsus in ecclesia S. Leocadiæ, cuius sanctissimæ virginis corpus, postquam per multa secula latuerat ignoratum, ipsa se illi reuelante, primus patefecit. Ex breuiario Eborensi. Liber verò ipsius quem de perpetua diuinæ matris virginitate scripsit, contra Iouiniani, Heluidii, & Pelagii hæresin, quemque sanctissima virgo Maria tanto munere & elogio commendauit, etiam hodie in plerisque Hispaniæ ecclesiis extat manu scriptus, præsertim in Eborensi. Ex eo sunt lectiones eius festi, de quo iam diximus. Equidem miror nondum typis excusum, præsertim quum stylo sit pro illo seculo satis eleganti, & pietatem spiret sanctissimo præsule dignam. 662.

B. Alfonsus quum ecclesiam Toletanam rexisset annos nouem, menses duos, præsentis vitæ miserandos labores æterna gloria & perpetua quiete commutauit, sepultus in ecclesia sanctæ Leocadiæ, ad pedes B. Eugenii præcessoris & auunculi sui. Qui propter eloquentiæ suauitatem, os aureum, hoc est, Chrysostomus dictus est, & propter soliditatem doctrinę, Ancora fidei. Res gestas Gothorum ab anno quinto Suintillæ regis, vbi finem scribendi fecit S. Isidorus, vsque ad hunc annum, nempe decimum octauum Flauii Reccesiunthi prosequutus est. Ex Iuliano Archiepiscopo Toletano. De vita S. Alfonsi vide Breuiarium Eborense, qui illic S. Ildephonsus dicitur. 671.

Flauius Reccesiunthus quum regnasset annos octodecim, menses vndecim, fatali morte decessit Toleti, Calendis Septembris, vt inquit Rodericus Toletanus, relicto filio Theodofredo patre Roderici vltimi Gothorum regis, vt autor est Lucas Tudensis: sepultus est in oppidulo quodam suo quod tunc Gerticos, nunc Bamba dicitur, in territorio Palentino. Lucas Tudensis dicit obiisse Calendis Aprilis, sed arbitror librum mendosum. Eodem die quo Reccesiunthus fato concessit, inter ipsos ploratus ac lamen- 672.

An. Dom. ta, regnum Bambæ (alii Wambanem appellant) ab omnibus delatū eſt, qui ſuperſtite adhuc Recceſiuntho, multorum tacitis præiudiciis rex Gothorum deſtinatus fuerat. Sed nullis precibus aut lachrymis adduci potuit, vt regnum ſuſciperet, vſque dum quidam è ducibus enſe ſtricto extrema illi minatus eſt, niſi in preces Gothorum concederet. Ceſſit tandem minis magis quam precibus, atque vndevigeſimo poſt die Toleti vnctus eſt in regem. Cæterum dum Toleti in primaria eccleſia beatæ Mariæ ſemper virginis vngeretur à Quirico primate, in omnium conſpectu vapor quidam fumo ſimilis è capite illius viſus eſt aſcendiſſe, in modum columnæ, & apis è vertice in altum ſubuolare. Profeſſus eſt de more fidem Catholicam cum ſacramento iuriſiurandi, & leges priorum regū confirmauit, atque ita omnes in verba illius ſolenni carmine iurauerunt. Ex Iuliano Archiepiſcopo Toletano, Luca Tudenſi, & Roderico Toletano. Petrus Antonius Beuter ait Bambam filium fuiſſe Recceſiunthi, ſed neſcio quo autore. Aliqui memoriæ proditum reliquerunt, Bambam agricolam fuiſſe, atque diuino indicio ab aratro ad regni ſceptra pertractum verius quam ductum. Sed ego fabulam ſpecioſe confictam arbitror, præſertim cum in veterum monumentis nulla huius rei mentio fiat.

673. Initia regni Bambæ nouarum rerum ſtudio turbatiora fuere. ſiquidem Hildericus Nemauſenſis vrbis Comes, auxilio Gumildi Magalonenſis epiſcopi, & Ramiri Abbatis contra Gothorum ſtatuta, Iudæos in patriam reuocauit, & totam Galliam Gothicam à fide regis perfida rebellione abduxit. Cuius impio conatui quia venerabilis Aregius Nemauſenſis epiſcopus aſſentiri noluit, ſanctum virum ſede ſua deturbauit, & tyrannica temeritate Ramirum Nemauſenſem epiſcopum creatum, contra ſacrorum Canonum ſtatuta, à duobus epiſcopis coniurationis ſuæ ſociis fecit conſecrari. Huius rei Bamba certior factus, Paulum ducem cum iuſto exercitu contra illos miſit, hominem Græca origine & fide. qui fidei oblitus, ac ſuæ gentis ingenium referens, copiis regiis contra ipſum regem eſt abuſus, & perfidia cum hoſtibus communicata, rex ab iis ſalutatus, omnia hoſtilia contra Bambam cui ſacramenti religione fidem ſuam obſtrinxerat, molitus eſt: & vt conatui vires ſuppeterent, eccleſias omni auro atque argento diſpoliauit, ac Francorum & Vaſconum auxilia ingenti pecunia redemit. Sed vt nunquam bene ſuccedunt facta improba, Bamba coniuratæ rebellionis conſcius, præmiſſis copiis ac diuiſo exercitu, ipſe ſubſequutus, rebelles ciuitates & inter eas Gerundam ac Barcinonem partim deditione, partim vi, breui recepit, ac proditorum potitus eſt tam glorioſa victoria, vt angelorum dicatur præſidiis tam arduum bellum tam paruo tempore, nempe ſex menſium ſpatio, tam feliciter confeciſſe, præſertim quum tam procul abeſſet. Conſequutus vero eſt hanc victoriam, quo die primum regni ſui annum compleuit, hoc eſt, Calendis Septembribus, vt iam diximus. Poſt victoriam & coniuratos in poteſtatem ſuam redactos, Bamba Nemauſi ruinas reſtituit, quæcunque Pauli auaritia ſacris ædibus fuerant ablata, ſumma diligentia reddi iubet, Argebadi Narbonenſis Archiepiſcopi precibus qui ad hoc ſacris indutus veſtibus venerat, proditoribus vitam condonat, ſupplicium ſibi reſeruat. Lupum Francorum ducem qui dicebatur hoſtilia moliri in Biterrenſi regione, ſola aduentus ſui fama in fugam conuertit. His ex animi ſententia peractis, Toletum gloriæ plenus reuertitur, ſexto poſt menſe quam illinc deceſſerat, vbi ſolenni gratulatione, fauſtis acclamationibus & maximo omnium applauſu receptus eſt. Hoſtes ſuos in triumpho duxit, raſo capite & barba, nudis pedibus, ſaccis indutos & camelis impoſitos. Sed Paulus omnium coryphæus, qui regis titulum vſurpauerat, corona picea inſignis, longa ſuorum comitante caterua, ludibrium factus omnium, tandem cum ſuis omnibus perpetuo carceri mancipatur, ſcilicet, vt qui ſe ſupra meritum extulerant, pro merito viuerent ac morerentur inglorii. Hanc hiſtoriam copioſius explicarunt Hiſpanicarum rerum ſcriptores tam Latini quam Vernaculi, præcipue vero Iulianus Toletanus præſul, qui de hac cōiuratione commentarium conſcripſit: nobis ſummam rei paucis perſtrinxiſſe ſufficiat. Bamba compoſitis rebus, Toletum muro, turribus, & ædificiis elegantibus exornauit, atque in turri quadam hos verſus marmori inſculpendos curauit:

EREXIT FAVTORE DEO REX INCLYTVS VRBEM
BAMBA, SVÆ CELEBREM PROTENDENS GENTIS HONOREM.

Conſimiliter & hos verſus in porta proxima ponti qui dicitur Dalcantara:

VOS DOMINI SANCTI, QVORVM HIC PRÆSENTIA FVLGET,
HANC VRBEM ET PLEBEM SOLITO SERVATE FAVORE.

675. Bamba anno regni ſui quarto, pacato regno res quoque eccleſiaſticas vt componeret, concilium Toleti indixit, & celebrari fecit à Quirico vrbis Regiæ primate, & ſedecim epiſcopis, ac nonnullis aliorum epiſcoporum qui iuſtis de cauſis venire non poterant,

vica-

vicariis. Qua Synodo vehemẽter recreati sunt patres. nam decimus octauus annus erat, ex quo non fuerat facta copia concilii. Celebratum vero septimo Idus Nouembris. In hoc concilio Bamba suos cuique metropolitano suffraganeos episcopos assignauit, & episcopatus omneis Hispaniæ & Galliæ Gothicæ suis terminis de Patrum consensu distinxit, sequutus in ea re priorum Regum exempla, quorum ante se historias & res gestas hac de causa legi publice iussit. Lucensem ac Legionensem ciuitatem nulli metropolitano subiectam esse voluit, sed immunem vtramque manere, sicut ad ea vsq; tempora fuerant. Preterea statutum hac Synodo, vt clerici omnes seruarent regulam S. Isidori. Item si quis Regi aliquid daret pro beneficio ecclesiastico, anathemate perpetuo feriretur. Hæc omnia Lucas Tudensis. Quæ si vera sunt, mirum sane videri debet, tantum Carthaginensis prouinciæ conuocatos fuisse episcopos, quum omnium res ageretur. Illud vero de beneficiis vel ordinibus per munera consequendis, non in hoc, sed sexto & octauo concilio vetitum reperio. Quod vero concilium hoc non generale totius Hispaniæ & Galliæ Gothicæ, sed prouinciale Carthaginensis prouinciæ fuerit, ex ipso concilii principio cõstat. Vbi sic legitur, In nomine sanctæ Trinitatis, collectis in vnum Carthaginensium prouinciæ Sacerdotibus, &c. Proinde suspicor, quæ de episcopatuum distinctis terminis referuntur, in alio concilio statuta esse, præsertim quum ex fine huius concilii constet, Wambanum (ita enim ibi appellatur) tunc instituisse, vt singulis annis concilium celebraretur. Eodem anno celebratum est Bracaræ tertium concilium nouem Episcoporum, præsidente Leodigio Archiepiscopo Bracarensi, cui concilio interfuit Iulianus Hispalensis episcopus metropolitanus. In alio Conciliorum codice inuenio decem huic concilio interfuisse episcopos.

Ducentæ septuaginta naues Arabum quæ ad Hispaniæ litora appulerant, & maritima omnia cædibus ac rapinis fœde vastauerant, misso Bambæ exercitu igni conflagrarunt, & Arabes omnes partim gladio cæsi, partim in captiuitatem abducti. Lucas Tudensis & alii. 676.

Moabius Arabum Rex moritur, succedit Hizit filius, & regnat annos tres. Toletanus. 678. Isidorus Pacensis dicit fuisse Maulæ filium.

Bamba vitam monasticam professo succedit Eringius (quem alii Eruigium appellant) 681. per tyrannidem ad hunc modum. Regnante Cindasiuntho, vir quidam nobilis nomine Ardauastus ab Imperatore suo pulsus, è Græcia venit in Hispaniam, atque in fidem Regis se commisit, quem Cindasiunthus non solum benigne accepit, sed etiam consobrina sua nuptum illi data, affinem sibi fecit. Ex eo coniugio Eringius natus, qui nutritus & educatus in domo regia, non contentus inter Comites referri, ad regnum etiam aspirauit, ad quod viam quacunque ratione affectans, tandem Bambæ Regi letiferam miscuisse potionem dicitur, cuius haustu mox Regis memoria turbata est, ac mox ipse Rex paulatim alienari mente cœpit. Quod cum animaduertisset Quiricus, vrbis Regiæ metropolitanus episcopus, & proceres peiora veriti, Sacramentis ecclesiæ communiendum Regem in omnem euentum decreuerunt, quæ Sacramenta religiosus ac pius Rex deuote suscepit, ac demum sibi redditus, regno nuncium remisit, vitam monasticam professus in oppidulo quodam quod vulgari sermone Pampliga dicitur, prope Burgensem ciuitatem. Regnum Eringius inuadit, excluso Theodofredo Reccesiunthi Regis filio, iusto ac legitimo regni hærede. Ita vno ore produnt omnes Hispanicarum rerum scriptores, quos ego quidem videre potui, à quibus tamen multum discrepant acta concilii Toletani duodecimi, in cuius concilii capite primo confirmatur electio Eringii Regis, & vniuersa Synodus testatur sibi & scriptis & testimoniis constare, Eringium à Wambane (ita enim appellat) electum Regem, antequam se monasticæ vitæ consecraret, & consecrationem ipsius ab eodem Rege Iuliano præsuli studiose commendatam. Regnauit Bamba annos nouem, mensem vnum, vixit in monasterio septem annos. Archiepiscopus Toletanus. Eringius initio regni leges Gothicas recognouit, & à S. Isidoro institutas nomine suo fecit euulgari. ne ecclesiæ nomine forum iudiciale agi videretur, Romanæ sedis assensu cauit, vt nullus Archiepiscopus subditus esset primati. Præterea Cixilonem filiam suam Egicæ, primario inter Gothos viro, Bambæ Regis consobrino vxorem dedit, metu (vt aiunt) Theofredi, ne principia regni eius turbaret. Lucas Tudensis & alii. Vxor huius in concilio decimo tertio Liubigotto appellatur. Eodem anno, hoc est, Flauii Eringii primo, celebratum est Toleti duodecimum concilium mense Ianuario, cuius modo mentionem feci, in basilica Apostolorum Petri & Pauli. Cui concilio Isidorus Pacensis dicit triginta quinque episcopos interfuisse, sed ego vnum & quadraginta reperio, præter Annibodium Subdemeri Complutensis episcopi vicarium. interfuerũt præterea

An. Dom.

An. Dom. quinque abbates,& tredecim viri illustres. Præsedit Iulianus Hispalensis Archiepiscopus,cui adfuerunt Iulianus Toletanus,pro quo in Conciliis mendose legitur Iulius,Luiba Bracarensis,Stephanus Emeritensis,Cyprianus Tarraconensis. Interfuit huic concilio Tructimundus Eborensis episcopus.Ex huius concilii capite sexto constat iam tum electionem episcoporum fuisse Regum Hispaniæ,sed quæ electio debebat ab episcopis,& præcipue Toletano,cui erat à summo Pontifice generalis faciendi concilii potestas, probari.Idem etiam constat ex epistola Braulionis Cæsaraugustani episcopi ad S. Isidorum,quæ præfixa est operi etymologiarum S.Isidori,in qua scribit ad hũc modum: Speciali quoque gratia fretus,speciali Domino,in quo vires sanctæ ecclesiæ consistunt, suggero: vt quia Eusebius noster metropolitanus discessit,habeas misericordiæ curã, & hoc filiolo tuo nostro Domino suggeras,vt illum illi loco præficiat, cuius doctrinæ sanctitas cæteris sit vitæ forma. Atq; sic respondet S.Isidorus: De constituendo episcopo Tarraconensi,non eam quam petisti,sensi sententiam Regis,licet tamen & ipse adhuc vbi certius conuertat animum,illi manet incertum. Hæc ibi.In eodem concilio fit mentio S.Pineuii confessoris,cuius corpus in monasterio quodam oppiduli cuiusdam Emeritensis diœcesis debito quiescebat honore.In hoc concilio abrogati sunt episcopatus quidam, à Wambane Rege in oppidulis quibusdam obscuris non satis consulto instituti. Hæc omnia ex actis ipsius concilii,tomo posteriore. Hizit Arabũ Rege mortuo,successit Maula filius,qui tertiam partem tributi omnibus condonauit,hac liberalitate gratus omnibus, sed sexto regni sui mense rebus humanis sublatus est. Inde regnum Arabum in Maroan & Abdaliam diuisum,& incertum etiam vulgus studia in contraria scissum est, atque ex hac dissensione regnum per quatuor fere annos infinitis cædibus & bellis intestinis male affectum est. Maroan vt vires sibi contra riualem compararet,pollicitus est Constantino Pogonato Imperatori tributum annuum auri pondo tria millia, seruorum honestorum & equorum totidem,ea lege vt ipsi contra æmulum faueret. quod tributum per nouem annos solutum ait Isidorus Pacensis. Quare offensi Arabes,repudiato Maroan,omnes ad Abdaliam desciuerunt. Ex Archiepiscopo Toletano & Baptista Egnatio, qui ait hoc tributum à Mauia Sarracenorum duce promissum. Annotauit hoc etiam Petrus Antonius Beuter.

684. Anno Eringii Regis quarto celebratum est Toleti decimum tertium concilium Toletanum,pridie nonas Nouembris,in ecclesia Apostolorum Petri & Pauli,à quadraginta octo episcopis,Archiepiscopis tribus,Toletano,Bracarensi,Emeritensi, iisdem qui duodecimo interfuerant,sed Tarraconensis & Narbonensis miserunt suos vicarios. Ex Archiepiscopo Toletano. Hoc concilium aliqui anno 683. celebratum aiunt, nempe Æra septingentesima vigesima prima,& à quinquaginta octo episcopis. In cuius quinto capite graui comminatione prohibetur,ne quis vel Rex,vel cuiuscunque conditionis alius,defuncti Regis vxorem superstitem connubio sibi copulare,aut adulterina pollutione contaminare audeat. Qui contra fecerit,ab omni Christianorum communione secludatur, & sulphureis cum diabolo contradatur ignibus exurendus.

685. Celebratum est Toleti decimum quartum concilium Toletanum, quod inter concilia vulgo impressa non extabat,donec Reuerendus Pater F. Bartholomæus Carranza,instituti D. Dominici,hæc quoque quatuor concilia quæ ignorabantur, ex antiquis bibliothecis,& præcipue monasterii S.Facundi in lucem eruit. Interfuere sedecim episcopi & vicarii absentium, metropolitani suos misere vicarios: Luiba Bracarensis Resesundum,Florisindus Hispalensis Gaudentium,Stephanus Emeritensis Maximum abbatem, Sumifredus Narbonensis Pacarum abbatem,vel (vt ait Toletanus) Ioannem, Cyprianus Tarraconensis Vitellianum: celebratum vero 12. Calendas Decembris, die Dominico. Hoc concilium non fuit generale totius Hispaniæ & Galliæ Gothicæ,sed prouinciale tãtum,à septemdecim episcopis Carthaginensis prouinciæ celebratum, 18. Calendas Decembr. assistentibus tamen vicariis primarum sedium iam nominatis, vt eadem in aliis quoque Hispaniæ prouinciis conuocato in omnibus concilio,tractata & confirmata instar essent generalis concilii. Quod eo tempore fieri non potuit, tum propter hyberni temporis iniurias,tum quod pontifices non ita pridem à generali concilio domum reuersi,cõmode cõgregari tam cito non poterant. Causa vero huius cõcilii hæc fuit, quod Romanus Pontifex ad Flauium Eringium Regem & episcopos Hispaniæ miserat acta Concilii sexti Constantinopolitani, quod aliquot ante annis sub Cõstantino quarto cõuocatum à Dono Rom. Pont. sub Agathone cœptum, sub Leone II. absolutum fuerat, ad cõdemnandum errorem illorum qui Apollinaris errorem atq; hæresin renouantes, duas in Christo naturas negabant. Ea voluit Romanus Pontifex Leo ab omnibus Hispaniæ episco-

episcopis Synodali auctoritate confirmata, per totam Hispaniam & Galliam Gothicam diuulgari, quemadmodum factum est. Fuit id temporis Archiepiscopus Toletanus Iulianus Pomerius, stirpe quidem Iudaica, sed parentibus Christianis natus, & Toleti cuius vrbis ciuis erat, sacro baptismatis lauacro lotus, Catholicę fidei cultor acerrimus, vir eruditus, & multis ingenii sui monumentis clarus, quibus Hispaniam omnem illustrauit, tanta vitæ sanctitate, vt Toletanæ ecclesiæ inter diuos referatur, S. Eugenii discipulus. Hæc fere ex Archiepiscopo Toletano & Hagiographis Hispaniæ. Archiepiscopus Toletanus hoc loco significare videtur, hunc Iulianum Pomerium alium esse ab eo qui interfuit duodecimo concilio Toletano. In quo vehementer hallucinatur. siquidē Iulianus iste Quirico successit, vt ipsemet alio in loco affirmat, & rexit ecclesiā Toletanam annis decem, mense vno, & septem diebus, nempe vsq; ad tertium annum Egicæ siue Egicanis Regis, quo anno ex hoc sæculo migrauit ad Dominum, pridie nonas Martias, vt ait is qui vitam illius beato Alfonso subiunxit, qui neq; Pomerii cognomentum illi tribuit, neq; Iudaicæ originis mentionē vllam facit. Vnde suspicor eos qui hæc de illo prodiderūt, eo fuisse deceptos, quod alius fuit Iulianus Pomerius, de quo scribit S. Isidorus, de quo & nos superius suo loco scripsimus. Fuit vero huic sancto viro Iuliano indiuidua societas, & plusquā fraterna amicitia cum Guidila Leuita viro sancto, cū quo pietatis studiis innutritus, vitæ se monasticæ mancipare decreuerat: sed Deo aliud disponente, Guidila diem suum obiit anno Bambæ Principis octauo, sexto Idus Septembris, sepultus in monasterio S. Felicis, in Canensi oppido: Iulianus vero post mortem Quirici ad ecclesiæ Toletanæ promotus est primatum. Ex eodem vitæ eius scriptore. Eodem anno Abdalia Sarracenorum Rex moritur, aut saltem regno expellitur, regnat Abdemelic annis 21. vt ait Archiepiscopus Toletanus, tametsi Chronica Regis Alfonsi tantum dicant regnasse octodecim annos. Isidorus Pacensis dat illi annos 20. & dicit regnare cœpisse Æra septingentesima vigesima prima, hoc est, anno Domini sexcentesimo octogesimo tertio Isidorus Pacensis memoriæ tradidit, tempore Eringii maximam fuisse famem tota Hispania.

Eringius Toleti propria morte defunctus, postquam septem regnasset annos, regnum Egicæ siue Egicani genero suo reliquit. Qui vt primum fuit inauguratus regno, vxorem suam Eringii filiam repudiauit, propter nefarium scelus quod Eringius in Bambā Regem auunculum ipsius Egicæ commiserat, filium tamen Vitizam ex ea susceptum regni heredem destinauit, quem voluit in Tudensi Galleciæ oppido residere, proinde quasi filius Rex esset Sueuorum, pater Gothorum. Lucas Tudensis. 688.

Egica primo anno regni sui cōcilium decimum quintum indixit Toleti, in quo absolui postulauit quum ab aliis rebus, tum vero à iureiurando quod Eringio contra ius & æquum præstiterat. Celebratum vero concilium hoc quinto Idus Maii, in ecclesia Apostolorum Petri & Pauli, sub Iuliano Primate pręsule Toletano, Maximo Emeritensi, Faustino Bracarensi, Floresindo Hispalensi, Sunfredo siue Sunifredo Narbonēsi, Sisuldo vicario Cypriani Tarraconensis. Fuerunt in hoc concilio præter quinque vicarios absentium, vnus & sexaginta episcopi. Quo tempore quia in Narbonensi prouincia inguinali peste laboratum est, episcopi qui ad eam prouinciam pertinebant, ab hoc concilio excusati sunt, sed ea lege, vt acta huius Concilii in singulis ecclesiis Cathedralibus publice recitarentur atque admitterentur, cōtrarium facienti anathema & quintæ facultatum portionis mulcta, pœna esset. Ex Archiepiscopo Toletano & aliis. Biennio ante Iulianus Toletanus Præsul librum respōsionis fidei suæ, vel suo, vel omnium Hispaniæ Pręsulum nomine, ad Benedictum secundum tunc Romanum Pontificem miserat, in quo affirmabat tres in Christo substantias, verbum, corpus, & animam, præterea alia quædam axiomata Theologica. Quæ omnia Benedictus incautius, vt est in ipso concilio, lecta improbauit, & Iulianum ad retractanda quæ dixerat, aut saltem testimoniis atq; scripturarum & doctorum autoritate munienda, non scripto, sed nuncio adhortatus est. In hoc igitur Concilio Iulianus omnia illa cum sexaginta episcopis diligēter excussa, rationibus, sacræ scripturæ testimoniis, & ecclesiasticorum scriptorum autoribus, pie ac catholice dicta confirmat, atq; assertionem tot episcoporum subscriptionibus munitam, Romam ad sedem Apostolicam misit, cum versibus aliquot in laudem Imperatoris (opinor Iustiniani II.) Quæ Romæ benigne accepta, & ab omnibus recepta atque approbata sunt, ipso etiā Imperatore subscribente, atq;, *Laus tua Deus in fines terræ*, sæpius acclamante. Legati ad eam rem missi, cum honore & gratiarum actionibus reuersi sunt. Partim ex actis ipsius Concilii, partim ex Roderico Toletano libri 3. capite decimotertio. In summa conciliorum dicitur Idibus Maii celebratum, & interfuisse etiam Galliæ pontifices, & decima facultatum pars statuta huius Concilii violanti mulcta constituitur. 689.

An. Dom. Mortuo Iuliano Archiepiſcopo Toletano pridie Nonas Martias, vt diximus, ſucceſſit
690 illi Siſibertus, is cuius mentionem ſuperius anno 662. fecimus.

693 Anno ſexto Egicæ ſiue Egicanis Regis, nonis Maii celebratum eſt Toleti decimum ſextum Concilium, in quo Siſibertus Toletanus Archiepiſcopus merito culpæ ſuæ de ſede ac dignitate ſua depoſitus eſt ab vniuerſa Synodo. Decreuerunt vero Patres de nulla re agendum in Concilio, priuſquam paſtor ac præſul daretur eccleſiæ Toletanæ. Igitur Felix Hiſpalenſis Archiepiſcopus translatus eſt ad eccleſiam Toletanam, Fauſtinus Bracarenſis ad Hiſpalenſem, Felix Portugalenſis epiſcopus ad Bracarenſem. Emeritenſis, ac Narbonenſis, iidem quos ſuperiore Concilio poſuimus, Vera Tarraconenſis. Ex Archiepiſcopo Toletano. Cauſa depoſitionis Siſiberti ſiue Sisberti in ipſius Concilii nono capite declaratur, qui ſcilicet ad depoſitionem Regis Egicæ attentauit, in cuius facinoris pœnam, loco & honore, in exilium perpetuum relegatus, priuatus eſt, bonis omnibus confiſcatis, & à Concilio excommunicatus, ita vt niſi in mortis articulo, ad communionem non poſſet admitti, ſecundum antiquorum Canonum ſanctionem. Statutum quoque, vt quicunque religioſi, cuiuſcunque religionis, aut ordinis, aut honoris, talia in Principem ſuum attentarent, ſimili pœna multarentur.

694 Quinto Idus Nouembris celebrata eſt Toleti decima ſeptima Synodus, in eccleſia S. Leocadiæ, in qua corpus eius tum requieſcebat, ab iiſdem epiſcopis qui Concilio ſuperiori interfuerunt. In qua Synodo Egica Rex humi proſtratus, Patrum orationibus deuote ſe commendauit, & ad multa, de quibus ad ipſos referebat, reſponderi ſibi poſtulauit. Ex Toletano & aliis. Hic obiter annotandum quod in margine Roderici Toletani manu ſcripti, cuius mihi copiam fecit Sereniſſimus ac Reuerendiſſimus Dominus meus D. Henricus Cardinalis & Infans Portugalliæ, adſcriptum reperi, Felicem iſtum Bracarenſem Archiepiſcopum in hoc Concilio, ſe Bracarenſem ac Dumienſem epiſcopum ſcribere in libro Canonum. Quæ res eorum opinionem adiuuat, qui Dumienſem eccleſiam arbitrantur, non Mindonienſem, vt quidam volunt, ſed eam quæ prope Bracaram etiam hodie S. Martini Dumienſis dicitur. Hoc tempore Iudæi perfidi non ſolum tunicam ſacri baptiſmatis Chriſtiani quam ſuſceperant, macularunt, ſed etiam contra regem regnumque conſpirare auſi ſunt. in quos hæc pœna ſtatuta, vt omnibus ſuis rebus nudati, tam ipſi perfidi, quam vxores eorum & filii, ac reliqua poſteritas per cunctas Hiſpaniarum prouincias, ſeruituti ſubiacerent perpetuæ, manerentq; vſquequaq; diſperſæ. Præterea quicunque eoſdem Iudæos in ſeruitutem reciperent, in nullo eos permitterent rituum ſuorum cerimonias celebrare aut colere. Filii vero eorum à ſeptimo ætatis anno nullam cum parentibus ſuis habitationem aut ſocietatem habere permitterentur, ſed fideliſſimis Chriſtianis nutriendi traderentur, & filiæ eorum ac filii Chriſtianis in matrimonium darentur, ne infidelium patrum ſuorum ſemitas quibuslibet occaſionibus iterare poſſent. Ex eiuſdem Concilii cap. octauo.

698 Egica tribus annis ante mortem iam ſenio grauis, filium ſuum ex Cixilone vxore Vitizam regni hæredem fecit & conſortem, ac Tudæ in Gallecia, cui regno ipſum peculiariter præfecit, ſedem habere voluit. Vbi etiam Fafila dux Cantabriæ, filius Cindaſiunthi Regis agebat, in exilium ab Egica nouarum rerum metu relegatus. Eum Vitiza inſtigante vxore Fafilæ, cum qua Vitiza clam conſueuerat, claua in capite ita percuſſit, vt ex eo vulnere paucis poſt diebus obierit prope Vrbicum fluuium, in oppido quod tunc Duodecim manus, nunc Palatium dicitur. Fuit hic Fafila, pater Regis Pelagii, inſtauratoris Hiſpaniæ. Ex Luca Tuden. & Archiep. Toletano.

701 Egica Toleti propria morte deceſſit, & honorifice ſepultus eſt: quem Lucas Tudenſis ſapientis ac patientis elogio decorat, ac ter cum Francis dubia victoria pugnaſſe ſcribit, quod tamen apud alios non inueni. Mortuo patri ſucceſſit Vitiza, Rex flagitioſus, & omni ſcelerum ac libidinum genere inquinatiſſimus. qui quanquam principio regni clementiam ac liberalitatem ſimulata pietate mentiretur, tamen mox ad proprium ingeniū rediit. Primo anno regni concilium in Eccleſia S. Petri, in ſuburbio Toletano, ſuper adminiſtratione regni cum epiſcopis & primatibus celebrauit. Theodofredum Cordubæ exulantem erutis oculis excæcauit, ne, quia gratioſus erat populo & Rege Recceſiuntho natus, aliquando ad regnum aſpiraret. Idem moliebatur & Pelagio, Fafilæ ducis filio, ſed ille in Cantabriam profectus, fuga ſibi ſalutem quæſiuit. Ex Luca Tudenſi & Roderico Toletano.

702 Mortuo Felice præſule Toletano, ſucceſſit Gundericus, vir eruditione, ſanctitate & miraculis clarus. Ex iiſdem & Iſidoro Pacenſi. Vitiza hactenus occulte malus & impudicus, depoſito omni pudore, publice cœpit habenas laxare libidini, & vxores multas

tas, plures concubinas domi habuit, ac proceres regni, exemplum suum vt sequerentur, *An. Dom.*
hortatus est, nec non & plebi idem impune licere voluit. Verum pontifices ac sacerdotes veritus, ne tam effreni proteruitati obuiam irent, & populum ab obsequio tam perditi Regis censuris ecclesiasticis deterrerent, eos quoque eadem voluptatis illecebra sibi deuinciendos duxit. Edixit igitur sacerdotibus, vt quot quisque vellet aut posset, vxores vel concubinas domi alerent, neue constitutionibus Pontificiis contrarium iubentibus obtemperarent. Ex iisdem autoribus.

Defuncto Gunderico Archiepiscopo Toletano suffectus est Sinderedus, quo præsule 704
Toletum venit in potestatem Maurorum. Archiep. Toletan.

Vitiza per speciem pacis ciuitates omnes Hispaniæ, præter Toletum, Legionem, & A- 707
sturicam, muris nudauit, videlicet metum alicuius rebellionis conscientia sibi suggerente. Ex Luca Tudensi. Archiepiscopus Toletanus addit, eum omnem armorum vsum sustulisse, ne haberent quo ipsi resisterent. sed hoc Lucas Tudensis à Roderico Rege factũ scribit, idque subdolo consilio Iuliani Comitis. quippe qui mentitus amicum, autor illi fuerit, vt quoniam tranquilla pace frueretur, neque vllus esset alicunde belli metus, iuberet arma omnia in Galliam Gothicam asportari & Africã, aduersus nec opinatos Francorum & Maurorum insultus. Eodem anno mortuo Abdemelic, imperat Mauris Vlit annis vndecim. Hic Hispaniam Gothis ademptam imperio suo adiecit. Archiepiscopus Toletanus.

Vitiza ne pensi aliquid habere videretur, Sinderedum Archiepiscopum sede Toleta- 709
na quo iure quaque iniuria deturbat, & Oppam fratrem suum (aliqui filium arbitrantur) ingerit, & ne quicquam sibi ad extremam impietatem reliqui faceret, ecclesiarum priuilegia & prærogatiuas violat, Iudæos velut postliminio in Hispaniam reuocat, & eos maioribus immunitatibus, quam quibus ecclesia gaudere solet, donat. Ex eodem.

Theodofredus dux, quem diximus à Vitiza oculis captum, Cordubæ, vbi tanquam in 710
exilio procul aula regia viuebat, vxorem duxit Recilonem, regio Gothorum sanguine natam. Ex ea filium sustulit Rodericum, cui Roderico nonnulli scriptores Costam fratrem addunt. Huic Roderico Vitiza eandem irrogare cæcitatem, quam patri suo, meditabatur. Sed cautus ille ac prudens ad Romanos, opem contra tam crudelem tyrannum imploraturus, confugit. Quorum auxilio propter Reccesiunthi aui gratiam benigne adiutus, prospere contra Vitizam pugnauit, & prælio captum ac regno deturbatum eodem supplicio merito affecit. quo ille Theodofredum præter omne ius & fas multauerat, sibique regnum Gothorum suffragiis & Senatus Romani fauore vendicauit. Vitiza suo pressus exemplo, regno & oculis orbatus, Cordubę vitam miseram & ingloriam in exilio traxit. Ex eodem & aliis. Hanc de Vitiza vindictam nonnulli rerum Hispanicarum scriptores Costæ Roderici fratri adscribunt, quem annos quinque regnasse affirmant: sed neq; hoc temporum ratio patitur, neque Isidorus Pacensis, Lucas Tudensis, Rodericus Toletanus, Rex Alfonsus decimus, præcipui Hispanæ historiæ scriptores, Costam in catalogo Regum Gothorum ponunt, imo ne nomen quidem Costæ monumẽtis suis proditum reliquerunt. Quos ego autores sequutus, illum quoque missum feci.

Rodericus inauspicato sortitus Gothorum imperium, non dissimilis fuit Vitizæ, siue 711
morum crudelitatem spectes, siue libidinis intemperantiam. nam & filios Vitizæ Sisibertum & Ebam, non contentus regno spoliasse paterno, multis probris atque iniuriis affectos exules fecit, & Iuliani Comitis filiæ Cabæ, quæ in domo regia inter alias illustrium matronarum filias de more educabatur, dum pater regio nomine legationem in Africa obibat, vitium obtulit, in municipio quod vulgo dicitur Pancoruo. Quæ fuit prima mali labes Hispaniæ, & sequentium calamitatum seminarium.

Iulianus Comes ira stupratæ ab Rege filiæ siue (vt quidam volunt) vxoris percitus, 712
priuatam iniuriam publico malo vlcisci desiderans, in Africam ad Muzam illius prouinciæ præfectum se contulit, atque ei se totius Hispaniæ imperium traditurum promittit, si iustum exercitum & auxilia necessaria dare non recuset. Muza rem omnem ad Vlit Arabum Imperatorem (Miramolinum ipsi vocant) defert. Qui fraudem veritus, non fidendum Iuliani pollicitis censet. fidem illius in paucis militibus explorandam, si promissis respondeat, tum demum ampliores illi copias credi posse. Igitur ex præcepto Vlit dantur Iuliano centum equites, quadringenti pedites. Quos ille per angustias freti Herculei traductos, gentilitio suo exercitui iunxit. Quibus copiis Bæticæ ac Lusitaniæ oram fœde depopulatus, milites Africanos, præda & bellicis spoliis onustos, ad Muzam reduxit. Ex Roderico Toletano & aliis. Sindericus Toletanus præsul tam periculoso Reip. statu conterritus, relictis ouibus in Italiam decessit, tanquam mercenarius,

An. Dom. non paſtor. Qui ætate atq; auctoritate præſtabant, Vrbanum, virum ſanctitate inſignem, epiſcopum elegerunt. Nam Olpas quem Vitiza fratrem ſuum, expulſo Sinderedo, per vim ac nefas in Toletanam ſedem intruſerat, iam regnante Roderico, nullo numero apud Toletanos erat. Ex eodem & Iſidoro Pacenſi. Hic Sinderedus Romæ interfuit & ſubſcripſit concilio quod Gregorius tertius celebrauit, anno Leonis Auguſti ſexto. Ex poſteriore Conciliorum tomo.

713 Muza iam expertus fidem Iuliani, duodecim millia militum illi dat duce Tarif Strabo, quos Iulianus clam mercatorum nauibus impoſitos, in montem Calpen traducit, qui mons & locus à Duce Sarracenorum nomen mutuatus ac dictus Gebel Tarif, hoc eſt mons Tarif, hodie corrupto vocabulo Gibraltar dicitur. Idem & Tarifæ vrbi à ſe captæ nomen dedit, quam alii Carteiam, alii Mellariam prius dictam contendunt. Hic exercitus Hiſpalim muris nudatam & alias vrbes diripit, totam Bæticam & bonam Luſitaniæ partem prædis ac rapinis infeſtam reddit. Quæ res vbi ad aures Roderici Regis peruenisset, Eneconem ſiue Inachum (quem alii Sanctium appellant) conſobrinum ſuum cum exercitu per tumultum collecto Mauris obuiam miſit. Sed Gothi armorum longa pace inſolentes, facile ab hoſtibus bello exercitatiſſimis victi ſunt. Ea victoria maiores Iuliano & Africanis ſpiritus ſubdidit. Ex Luca Tudenſi & Roderico Toletano.

714 Rodericus vbi animaduertit hoſtium audaciam & numerum creſcere (infinita enim Barbarorum multitudo, Hiſpanicarum opum cupiditate ac ſpe illecta, ſeſe ex Africa in Hiſpaniam effuderat) & rem ad exitium regni vergere: conſcripto exercitu & conuocata omni nobilitate regni, ſed nondum congregatis omnibus, contra hoſteis mouit, repertiſq; hoſtibus ad amnem qui Guadalete vulgo dicitur, rebuſque omnibus ad conflictum comparatis, prope Aſſidonam vrbem quam Xeritium appellari dicunt, die Dominico, pridie nonas Septembr. claſſicum cani iuſſit. Pugnatum eſt vtrinq; per octo dies dubio fere Marte, quamuis Gothi & longa pace & duorum annorum fame fracti, multum de priſtino robore amiſerant. Adfuit iis præliis ſpectator, & ſuæ cuiuſque virtutis teſtis Rex Rodericus, corona aurea, regali trabea, calceis gemmis auroque diſtinctis, curru eburneo inſignis. Ita enim ſolenne erat Gothis, Reges adeſſe conflictibus, vt milites tanquam pro capite regio defendendo fortius pugnarent. Sed octauo die qui erat Dominicus, Gothis iam longo labore labaſcentibus, Rex Rodericus, vt ſemel aleam rerum experiretur, equo ſuo Orelia vectus, ac ſuos ad conſeruandam ac tuendam gloriam tot annis partam cohortatus, magnam in Sarracenos ſtragem edidit. Sed in tanta hoſtium multitudine, dum ſemper integri feſſis ſuccedunt, Gothi impetum illorum diutius ſuſtinere non potuerunt, præſertim filiis Vitizæ Regis, quibus cornua exercitus Rodericus commiſerat, victoriam hoſti ſpe regni ſibi facta prodentibus. Ita vertentes terga occidione cæſi ſunt, & imperium Hiſpaniæ quod per annos tam multos tenuerant, amiſerunt. Ex Roderico & aliis. Antonius à Gueuara in epiſtola ad Alfonſum Burg. Epiſc. ſcribit, hoc prælium infauſtum, die Dominico, tertio nonas Iulias commiſſum, ſub auroram, ad fluuium Bedalac. In hoc prælio omnis Gothorum nobilitas cecidit, tota Hiſpania in ditionem Sarracenorum venit, præter Aſtures & Cantabros, qui mortalium vltimi in Romanorum poteſtatem venerant, & nouiſſimi ab eis defecerant, & cum Gothi Hiſpanis iura darent, nunquam imperata fecere, ſuis ſemper legibus vſi. Paulus Æmilius. De Roderico Rege quid actum ſit ignoratur: alii in acie occiſum affirmãt, alii negant. Sunt qui equum ipſius & inſignia regalia in volutabro quodam inuenta produnt, corpus vero nuſquam apparuiſſe. Apud Viſeum ciuitatem Portugalliæ monumentum extat, cum huiuſmodi epitaphio:

HIC IACET RODERICVS, VLTIMVS REX GOTHORVM. MALEDICTVS FVROR IMPIVS IVLIANI, QVIA PERTINAX, ET INDIGNATIO, QVIA DVRA VESANVS FVRIA, ANIMOSVS FVRORE, OBLITVS FIDELITATIS, IMMEMOR RELIGIONIS, CONTEMPTOR DIVINITATIS, CRVDELIS IN SE, HOMICIDA IN DOMINVM, HOSTIS IN DOMESTICOS, VASTATOR IN PATRIAM, REVS IN OMNES, MEMORIA EIVS IN OMNI ORE AMARESCET, ET NOMEN EIVS IN ÆTERNVM PVTRESCET.

Neque vero impius Iulianus tam nefarium ſcelus impune tulit. Siquidem Ferdinandus Nunius Pincianus, vir multifariæ lectionis, ex antiquis hiſtoriis memoriæ prodidit, vxorem Iuliani à Barbaris proditionem laudantibus, ſed nõ proditorem, lapidibus obrutam

tam, filium è turri Septensi præcipitem actum, ipsum vero Iulianum omnibus possessionibus exutum, miseram mortem obiisse in vinculis, in Aragonia, in arce quadam territorii Oscensis: quanquam de Iuliano alii diuersum sentiant, vt suo loco dicemus. Durauit regnum Gothorum à primo anno Athanarici Regis, secundum supputationem diui Isidori, trecentos quadraginta quatuor annos. Mauri hoc rerū successu elati, quanquam sedecim millia hominum eo bello amisissent, totam ferme Hispaniam partim vi, partim deditione ac metu, partim promissis in potestatem redigunt, octo mensium spatio, vt ait Antonius à Gueuara, vt alii, quatuordecim, secundum alios biennio. Quanquam nō desunt qui annos quinque in ea re consumptos asseuerent, hac opinor ratione moti, quod quinto demum post anno, Pelagius restaurandæ Hispaniæ natus, apud Astures declaratus sit Rex. Interea Mauri Hispaniam omnibus opibus misere despoliarūt, inter alia mensam smaragdinam sustulerunt immensæ magnitudinis atque inæstimabilis precii. Ea prædæ illecebra vsque adeo efferauit Maurorum duces in mutuam perniciem, vt Michael Ritius autor sit, intra viginti annos, quindecim in Hispania Maurorum Reges fuisse. In Alcobaciensi codice annotatum reperi, quod Sarraceni Gothos de regno suo expulerunt Æra septingentesima quadragesima nona, hoc est, anno Domini septingentesimo vndecimo, & potiti sunt Hispania anno sequenti, hoc est, septingentesimo duodecimo, postquam Gothi dominati essent Hispaniæ trecentos octoginta tres annos. Egressos autem Gothos de terra sua Æra trecentesima quadragesima nona, anno scilicet Domini trecentesimo vndecimo, venisse vero in Hispaniam Æra trecentesima sexagesima sexta, nempe anno salutis humanæ trecentesimo vigesimo octauo, nimirum decimo octauo anno, postquam egressi sunt patriam suam. Isidorus Pacensis hanc Hispaniæ calamitatem Æra septingentesima quinquagesima, hoc est, anno Domini septingentesimo duodecimo ponit, alii alio. nos vulgatiorem opinionem sequuti sumus. In alio codice peruetusto manu scripto inueni hæc verba: In Æra quadringentesima cœperunt Gothi regnare, vsque in Æram septingentesimam quadragesimam septimam. Qui per trecētos quinquaginta duos annos, & menses quatuor, & dies quinque Hispaniam obtinuerunt, donec ingressus fuit transmarinus dux Sarracenorum nomine Taric. Qui Roderico vltimo Rege Gothorum, die quinta feria, hora sexta, Æra septingentesima quadragesima octaua interfecto, totam ferme Hispaniam armis cepit, & tunc Sarraceni in Asturiis annos quinque regnauerunt. Hæc ibi. Atque ita Hispaniæ excidium cadit in annum Domini septingentesimum decimum quartum, quo anno nos ponimus. Sed numerus Æræ ab Alcobaciensi codice variat: quod eo fit, quia alii alio anno Gothos regnare cœpisse testantur.

Dominica Palmarum Toletum fraude Iudæorum proditū fuit Ismahelitis siue Mauris, dum Christiani nihil minus suspicantes, extra vrbem ad diuæ Leocadiæ de more vacarent audiendo verbo diuino. Ex Fortalitio fidei. Eodem anno Muza Africæ præfectus, auditis rebus quas Tarif in Hispania præclare ac feliciter gesserat, motus inuidia atque auaritiæ stimulis agitatus, venit & ipse in Hispaniam cum magnis Barbarorum copiis, & iunctus Tarif, ab eo prædam omnem quam habebat maximam, abstulit, deinde simul, quamuis mutuo inuicem odio flagrantes, Cæsaraugustam & alias Hispaniæ ciuitates ac municipia expugnant. 715.

Dum Hispania tam miseris laceratur modis, pientissimus Deus non oblitus misericordiæ suæ, Pelagio Fafilæ Cantabriæ Ducis, vt diximus, filio, misit in mentem, vt è Cantabria vbi latebat, in Asturias veniret, atque animum ad opem patriæ ferendam adiiceret. Erat ei forte soror facie venusta ac liberali, cuius amore perditus Numatius siue Munuza (nam vtroque modo appellatur) Christianus quidem ille, sed Sarracenis fœderatus, & ab illis Gigionensi territorio præfectus, quum nullam inueniret aliam rationem potiundæ illius, Pelagium per speciem legationis ad Muzam ablegauit, atque interim sororem eius interposita matrimonii fide violauit. Quam iniuriam Pelagius reuersus, vt par erat, indigne ferens, tamen pro tempore dissimulauit, atque accepta sorore in interiora Asturiarum se contulit, in omnem vindicandæ iniuriæ occasionem intentus. Munuza vicissim ablatam sibi vxorem, seque contemptum dolens, Pelagium apud Sarracenorum præfectos detulit, tanquam qui nouis rebus studeret. Illi vero istiusmodi conatibus tempestiue obuiam eundum rati, confestim Munuzæ magnas copias ad opprimendum Pelagium mittunt. Cumque parum abesset, quin illum nec opinantem opprimerent, Pelagius certior factus, transito Pionia fluuio, in vallem Canicen peruenit, vbi multos Christianos metu hostium latitantes inuenit, quos facta spe auxilii diuini, ad audendum aliquid pro salute patriæ adhortatus, alacres admodum ad quoduis pro vindicanda patria & religione Christiana subeundum periculum reddidit, adeoque sibi obnoxios fecit, vt omnes 716.

An. Dom. eum communi suffragio ducem elegerint, Regemque salutauerint. ad quem quotidie plures, tanquam ad asylum quoddam diuinitus datum confugiebant. Exercitus Arabum infecta re voti irritus, Cordubam est reuersus. Regnauit Pelagius annis 19. Sicut in Asturiarum montibus Pelagium, sic quæ ex Cæsaraugusta & aliis Aragoniæ ac Nauarræ oppidis in monteis Pyrenæos se receperant Christianorum reliquiæ, Garsiam Ximeniũ, inclyto Gothorum sanguine natum, regem consalutarunt. Hic multis rebus aduersus Sarracenos præclare gestis, cum sexcentis equitibus (non enim maiorem habebat exercitum) ditionis suæ pomœria non mediocriter ampliauit. Regnauit annis quadraginta duobus, sepultus ad Diui Ioannis à Pegna. ita enim ecclesia illa à rupe vasta cognominatur, quam à Ioanne Anachoreta viro sancto extructam, & à duobus fratribus Cæsaraugustanis religiose habitatam, rex hic Garsias Ximenius ædificiis & censu nobilitauit, celebre postea multorum regum monumentum.

717. Interim multi Christiani dulcedine patriæ pellecti, in variis Hispaniæ ciuitatibus mansere, qui tributarii & vectigales permissi sunt in instituto & lege Christiana viuere, atque omnibus vti ritibus ecclesiasticis. Inter quos præcipue floruere viri sanctitate, eruditione, atque etiam miraculis clari, Vrbanus Toletanus, qui reliquias omneis Toletanę ecclesiæ in Asturias transtulit, Frodoarius Accitanus episcopus, Euantius Archidiaconus Toletanus, quorum doctrina & exemplis Christiani in tuenda fide Catholica, & ferendis patienter aduersitatibus, non mediocriter confirmati sunt. Claruit hoc tempore, præter alios episcopos viros religiosos, Hispali Ioannes episcopus, sanctitate vitæ, sacrarum literarum peritia, miraculis celebratus, qui ad doctrinam posterorum, sacram scripturam in linguam Arabicam transtulit. Hi omnes quandiu vixerunt, Pontificalibus officiis functi sunt, & Christianis verbum salutis annunciare non cessauerunt. Durauit vero hæc libertas Christianis vsque ad Almohadum in Hispaniam aduentum, qui nullos omnino Christianos inter suos viuere passi sunt, sed quotquot capere poterant, aut fidem Christi abnegare coegerunt, aut crudeli martyrio peremerunt. Erant & Almohades Arabum genus, qui in Hispania Barbaris imperare cœperunt tempore Alfonsi septimi, de quibus suo loco dicemus. Christiani vero qui inter Arabes, quo diximus modo, viuebãt, Mozarabes dicebantur, hoc est misti Arabibus. Vnde & officium ecclesiasticum quo illi à S. Leandro & S. Isidoro instituto tunc vtebantur, & omnis Hispania vsa est vsque ad tempora Alfonsi sexti, quo tempore autoritate Gregorii Papæ septimi mutatum est, etiam hodie Mozarabe nuncupatur. Hoc officium hodie quoque seruatur Toleti in sex parochiis, & in ecclesia cathedrali, in sacello F. Francisci Ximenii Cardinalis, & Archiepiscopi Toletani, Salmanticæ quoque statis diebus in sacello Doctoris Talabricensis, quod est in peristylio templi summi.

Cuius officii modum & ordinem non abs re futurum arbitror, si summatim perstringam. paucis enim cognitum existimo, quum alioqui multum habeat pietatis. Eisdem celebratur vestibus sacris, quibus hodie vulgo vtuntur sacerdotes, & ad singulas vestes singulis vtuntur precationibus. Deinde sacerdos facta exhomologesi ad altare, capite demisso, dicit ad hunc modum: Per gloriam nominis tui Christe fili Dei viui, & per intercessionem sanctæ Mariæ virginis, & beati Iacobi, & omnium sanctorum tuorum, auxiliare & miserere indignis seruis tuis, & esto in medio nostri Deus noster, qui viuis & regnas in sæcula sæculorum. Respondetur, Amen. Mox conuertit se ad librum in dextro altaris cornu positum, ac dicit antiphonam in modum introitus, cum duobus versibus, &, Gloria & honor Patri & Filio & Spiritui Sancto in sæcula sæculorum, Amen. Sicut etiam in concilio Toletano quarto cautum est, vt ad eum modum dicatur. Ad quemlibet versum repetunt partem antiphonæ, more responsoriorum nostrorum, vt vulgato more loquar. Gloria in excelsis, dicitur integre more Romano. Sacerdos cantando dicit, Per omnia semper sæcula sæculorum. Neque ante orationem dicitur, Oremus, neque in fine, Per Dominum, sed tantum respondetur, Amen. Deinde dicit sacerdos, Per misericordiam tuam Deus noster, qui es benedictus, & viuis & regnas in sæcula sæculorum. Respondetur, Amen. Postea, Dominus sit semper vobiscum. Respondetur, Et cum spiritu tuo. Lectio libri Esaiæ Prophetæ. Respondetur, Deo gratias. mox legitur prophetia. Qua lecta, rursum sacerdos, Dominus sit semper vobiscum. Respondetur, Et cum spiritu tuo. Inde dicitur tractus duorum vel trium versuum. Quo finito sacerdos inquit: Silentium facite. Sequentia epistolæ Pauli Apostoli, &c. Respondetur, Deo gratias. Mox canitur siue recitatur epistola. Post quam libro in alterum altaris cornu translato, continuo dicitur Euangelium ad hunc modum: Dominus sit semper vobiscum. Respondetur, Et cum spiritu tuo. Lectio sancti Euangelii, &c. Respondetur, Gloria tibi Domine. Finito Euangelio respon-

respondetur, Amen. mox ſacerdos, Dominus ſit ſemper vobiſcum. Reſpondetur, Et cum ſpiritu tuo. Poſtea dicitur Alleluia cum verſu, ſicut nunc ante Euangelium. quod dum cantatur, ſacerdos offert hoſtiam cum calice, vtens orationibus aliquot deuotis, quas hic referre longum eſſet: mox thura adolet, non ſecus atque hodie fit. Quibus peractis, ſacerdos ante medium altaris dicit alta voce, Adiuuate me fratres in orationibus veſtris, & orate pro me ad Deum. Reſpondet chorus, Adiuuet te Pater & Filius & Spiritus Sanctus. Deinde cantatur ſacrificium, nempe antiphona cum duobus vel tribus verſibus. quod dum fit, ſacerdos lauat manus dicens, Lauabo inter, &c. ac benedicit oblationem tribus digitis: poſtea inclinatus ante altare, ſummiſſa voce dicit, Accedat ad te in humilitate ſpiritus, &c. nam oratio longiuſcula eſt, ſed valde deuota, quam claudit elatiore voce dicẽs, Per te Deus meus, qui viuis & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen. Incipitur nunc miſſa. Sacerdos: Dominus ſit ſemper vobiſcum. Reſpondetur, Et cum, &c. Oratio de tempore vel ſancto, ſine Oremus: in cuius fine reſpondetur, Amen. Deinde ſacerdos: Per miſericordiam tuam Deus noſter, qui es benedictus & viuis, & omnia regis in ſecula ſeculorum. Reſpondetur, Amen. Si eſt feſtum alicuius ſancti, prius legitur aliquid de vita ſancti, deinde fit oratio faciens mentionem etiam de miraculis vel doctrina ſancti. Mox ſacerdos eleuatis manibus dicit, Oremus. Reſpondet chorus: Hagios, Hagios, Hagios, Domine Deus Rex æternæ gloriæ, tibi laus & gratia. Deinde fiunt orationes pro eccleſia catholica, pro captiuis, infirmis, & tribulatis, cum commemoratione Apoſtolorum, Martyrũ, quorum multa nomina recitantur, & Pauſantium. quo nomine illic intelligi puto ſanctos Dei confeſſores, qui in Domino & ſancta pace quieſcunt. nam multa nomina recitantur, & inter ea Ambroſii, Auguſtini, Fulgentii, Leandri, Iſidori, &c. & omnium pauſantium. Deinde dicit ſacerdos aliam orationem feſto ac diei congruam, qua finita reſpondetur, Amen. Sacerdos: Quia tu es vita viuorum, ſanitas infirmorum, ac requies omnium fidelium defunctorum in ſæcula ſæculorum. Chorus: Amen. Mox fit oratio ad pacem, qua finita dicit ſacerdos, quia tu es vera pax noſtra, &c. mox ſublatis in cœlum manibus dicit: Gratia Dei patris omnipotentis, & dilectio Domini noſtri Ieſu Chriſti, & communicatio Spiritus Sancti, ſit ſemper cum omnibus nobis. Reſpondet Chorus, Et cum hominibus bonæ voluntatis. Rurſus presbyter: Quomodo aſtatis, pacem facite. tunc Chorus cantat reſponſum, Pacem meam do vobis, &c. Interea ſacerdos accipit panem de patina, dicens: Habete oſculum dilectionis & pacis, vt apti ſitis ſacroſanctis myſteriis Dei. mox dat panem diacono vel puero, puer populo. Sacerdos iunctis manibus inclinatus dicit, introibo ad altare Dei. Reſpon. Ad Deum, &c. Poſtea manibus ſuper calicem poſitis, inquit, Aures ad Dominum. Reſpon. Habemus ad Dominum. Sacerdos: Surſum corda. Reſpon. Leuemus ad Dominum. Sacerdos inclinatus iunctis manibus, Deo ac Domino noſtro Ieſu Chriſto Filio Dei, qui eſt in cœlis, dignas laudes, dignaſque gratias referamus, & dicens hæc poſtrema verba, attollit manus in altum. Reſpondet Chorus: Dignum & iuſtum eſt. Sacerdos: Dignum & iuſtum eſt, &c. ſequitur enim longa & deuota illatio, poſt quam dicitur, Sanctus, fere more nunc vſitato. Deinde poſt duas orationes breues, fit conſecratio iiſdem omnino verbis, quibus hodie vtitur eccleſia: mox leuatur ſacroſancta Euchariſtia. Poſtea dictis duabus orationibus ſuccinctis, ſacerdos accipit corpus Domini de patina, & ponit ſuper calicem apertum, vt hodie quoque fit, ac dicit alta voce, Dominus ſit ſemper vobiſcum. Reſpon. Et cum ſpiritu tuo. Sacerdos: Fidem, quam corde credimus, ore autem dicamus: & eleuat ſecundo corpus Chriſti, vt videatur à populo. Mox cantatur ſymbolum fidei, ita vt eſt in concilio Niceno. Quod dum fit, Sacerdos frangit Euchariſtiam per medium, & ponit dimidiatam partem in patina, & ex altera parte facit quinque particulas, ex altera vero quatuor, deinde ponit omnes ſimul in patina in modum crucis, habetque ſuum quæque particula nomen. Quinque priores dicuntur Corporatio, Natiuitas, Circuncifio, Apparitio, Paſſio: quatuor reliquæ, Mors, Reſurrectio, Gloria, Regnum. Poſtea digitis ſuper calicem accurate purgatis, & cooperto calice, facit Memento pro viuis, vt ipſorum more loquar. Mox dicitur oratio Dominica ad hunc modum: Verbum patris quod caro factũ eſt, vt habitares in nobis, præſta nobis, vt qui te veniſſe iam credimus, ab omni peccatorum eruamur contagione, cum pręceptionis tuæ oraculis proclamauerimus in terris: Pater noſter, qui es in cœlis. Reſpondetur, Amen. & eodem modo reſpondetur ad ſingulas petitiones, præterquam ad illam, Panem noſtrum, &c. ad quam reſpondetur, Quia tu es Deus. Deinde dicit orationẽ deuotiſſimam, quæ incipit, Liberati à malis, &c. & tundendo pectus dicit, Pone Domine finem peccatis. Qua finita, acceptam particulam, quæ dicitur Regnum, præmiſſa oratione ponit ſuper calicem: mox addita alia immittit in il-

Nnn 2

An. Dom. lum. Post hæc dicit: Humiliate vos benedictioni, & certis quibusdam formulis benedicit populo. Mox fit secundum Memento, vt sic loquar, pro defunctis. Quo peracto, recipit corpus & sanguinem Domini cum quibusdam deuotis precationibus, atque interim cãtatur à choro, Gustate & videte, quam suauis est Dominus, &c. Absoluta communione cãtatur antiphona, Refecti Christi corpore, &c. & libro in sinistrum cornu altaris translato, dicit sacerdos orationem, in cuius fine respondetur, Amen. Deinde sacerdos, Per misericordiam tuam Deus noster, qui es benedictus, & viuis, & omnia regis in sæcula seculorum. Respondetur, Amen. Dominus sit semper vobiscum. Respondetur, Et cum spiritu. Postea presbyter vel diaconus: Solennia completa sunt in nomine Domini nostri Iesu Christi, votum nostrum sit acceptum cum pace. Respondetur, Deo gratias. Quamdiu sacris operatur sacerdos, nunquam se conuertit ad populum. Atque hic erat modus celebrandi apud Hispanos tempore Gothorum, quo etiam postea vsi sunt, vsque ad tempora Alfonsi sexti, sicut diximus. Quomodo vero sublatus sit, suo loco dicemus. F. Ioannes Laziardus Cœlestinus in epitome vniuersalis historiæ mentionem facit huius sacrificandi ritus, sed paucis, vbi illud addit, quod quando leuatur Eucharistia, diaconus cantat alta voce, Videte, in quem creditis. Sed hoc in Hispania non seruatur.

717. Eodem anno, nempe 717. Muza & Tarif Barbarorum duces vocati sunt ab Vlit Miramolino ad reddendam rationem rerum gestarum. Qui dum se itineri accingerent, Muza filium suum Abdulaziz Hispaniæ præfecit. Qui cum sedem Hispali fixisset, Egilonem Roderici Gothorum Regis vxorem duxisse fertur, de qua re paulo post dicemus. Tarif certior factus, quod Pelagius collectis ad se Christianorum reliquiis, Rex ab eis salutatus esset, ægre ferens rem iudicio suo tam indignam, Alchaman virum rei bellicæ peritum, contra eum cum magnis copiis misit, cui addidit Oppam Hispalensem quondam Archiepiscopum, si forte vel verborum lenocinio, vel promissis, vel etiam minis ipsum ab instituto posset auertere. De quorum aduentu, quum nunciatum Pelagio esset, cum suis omnibus in Auseuam montem progressus, mille secum selectiores in specum quandam prægrandem duxit, reliquos qui bello videbantur minus idonei, iussit in præcipitiis mõtis euentum rei expectare. Mox Oppa (Olpam alii appellant) ad Pelagium missus, dolere se ex animo vicem illius dicebat, qui tam exiguis atque imbellibus fretus copiis, resistere se posse tanto exercitui vana spe crederet. Gothorum potentiam & bellicam gloriam Arabum virtute fractam, atque ad nihilum redactam: quid se futurum speraret, cuius nullæ essent vires. Proinde ne se ac miseram gentem in vnius horæ discrimen daret, sed rebus suis consuleret, dum aliqua misericordiæ spes in victoris clementia esset. Quod ni mature faciat, eam subeundam fore fortunam, quam hostis iratus dederit. Ad quæ Pelagius animo intrepidus fere in hunc respondit modum: Satis illum iam verborum Christiano nomini dedisse, desineret tandem falsis persuasionibus miserorum animos ludificari, atque à tuenda religione Christiana auertere. Se non suis copiis confisum quas sciebat quam haberet exiguas, tam numeroso hostium agmini resistere ausum esse, sed diuini spe auxilii fretum, contra cuius numen nulla quicquam valeat humana potentia: hac spe fultum, non illius technas, non hostium minas, non Barbarorum tela timere, sed quicunque futurus sit rei exitus, forti animo ad ferendam omnem pro Christi fide asserenda fortunam paratum esse, neque dubitare se, quin tandem futurũ sit, vt clementissimus Deus suorum misereatur. Postquam animaduertit Oppas constantiam Pelagii, regressus ad Barbarorum duces, ait verba nihil prodesse, nullam nisi in armis spem esse. Continuo cœperunt Barbari specum, in qua cum suis latitabat Pelagius diuinam opem ex intimis animi penetralibus implorans, omni tormentorum ac telorum genere oppugnare: sed Dei singulari beneficio factum est, vt tela retro in suorum perniciem verterentur, sine vllo Christianorum incommodo. Dicuntur propriis telis circiter viginti Barbarorum millia periisse. Quæ res tam ingenteis spiritus Christianis subdidit, vt specu egressi, magnam in reliquos stragem ediderint, Alchaman ducem hostium occiderint, Oppam ceperint, de quo quid actum sit, memoriæ proditum non reperitur. Quicunque Barbarorum hanc stragem effugere potuerunt, in abrupta montium fugientes, partim Christianorum armis perierunt, partim montis ruina oppressi sunt. Hanc tam insignem victoriam diuino munere consequuti sunt Christiani anno Domini septingentesimo decimo octauo.

718. Eodem anno Tarif & Muza ad Vlit Miramolinum profecti sunt: sed anteuertens Tarif, ita Muzam apud Miramolinum detulit, vt non solum non fuerit benigne susceptus, sed etiam grãdi pecunia multatus. Ex qua re paulo post dolore cõtabuit. Hãc horum ducum vocationem Rases dicit fuisse quarto anno post cladem Hispaniæ: Isidorus Pacensis deci-

decimo quinto mense. Paucis post diebus mortuo Vlit, Zuleima frater ipsius Arabum *An. Dom.*
successit imperio, regnauitque annis tribus. Alahor siue Alhor (hunc Zuleima in locum
Muzæ præfecerat, quamuis alii Vlit adhuc superstite missum dicant) vbi audiuit stragem
suorum Pelagii auspiciis factam, suspicatus insidias à Iuliano & filiis Vitizæ, bonis omni-
bus illos & vita multauit. Quod quidam Muzæ quoque adscribunt.

Abdulaziz, qui, vt diximus, ducta Roderici Regis vxore, Hispali sedem regni fixerat, 719.
cum vxoris suasu contra Maurorum consuetudinem, titulum ac diadema regium vsur-
paret, coniuratione suorum, dum orationi vacaret, tertio regni sui anno obtruncatur. Ex-
istimabant enim illum ad Christianorum sectam desciuisse. Post quem regnauit Aiub
menseis quinque, dies viginti, qui sedem regni Cordubam transtulit, vt ait Rases. Post
Aiub regnat in Hispania Alahor Abderamenis filius, annos duos, menses nouem. Hic
Arabes qui in prima Hispaniæ expugnatione fuerant, crudeliter habuisse dicitur, vt the-
sauros quibus eos potitos existimabat, extorqueret. Rases Alahor post Abdulaziz, quem
ipse vocat Abelaaziz, & Aiub ponit, sed meo iudicio illi in numerum præfectorum siue
Regum Hispaniæ non recte veniunt, quippe qui legitimo imperio functi non sunt. Quin
& hos alii aliis annis ponunt: ego eum numerum sequor, qui mihi visus est vero propior.
Eodem anno, nempe Æra septingentesima quinquagesima septima (vt ait Isidorus Pacē-
sis) eclipsis solis fuit per totam Hispaniam, ab hora secundum alios sexta, secundum alios
septima, vsque ad horam nonam tanta, vt stellæ tanquam de nocte lucerēt. Zuleima Ho-
mar & Izit filios fratris sui, successores imperii Arabici designat.

Mortuo Zuleima, Homar & Izit imperium Arabum assumunt, sed mox Homar re- 720.
bus humanis sublato, solus Izit regnat annis quatuor. Hic misit Adham filium Melic in
Hispaniam, qui aliis dicitur Abrahem. is Hispaniam rexit annis duobus cum dimidio,
quem Rodericus Toletanus nunc Adham, nunc Azam appellat, atque eius iussu pontem
Cordubensem constructum ait. Addit Rases hunc à Mauris quintam partem bonorum
omnium petiisse, per speciem dandi pauperibus, sed re vera, vt eos ita opprimeret, ne in
illum possent aliquando resurgere. Toletanus ait illum oppidis & castellis in Hispania per
vim captis quintam partem, deditiis vero decimam fortunarum omnium tributi nomi-
ne imposuisse. Mortuus est Dertosæ, vt inquit Rases, dum à vastatione Turiassonensis ci-
uitatis rediret, vt inquit Toletanus. Eodem tempore Arabes Pyrenæos montes trans-
gressi, Galliam Gothicam misere vexant, & capta Narbone, Tolosam obsident, duce Za-
ma, vt inquit Toletanus, cui à Gallis occiso Abderamenem sufficiunt, donec alius à Mi-
ramolino dux mitteretur. Chronica Regis Alfonsi hunc Zamam eundem faciunt cum
Azam siue Adham. Denique tanta est nominum confusio, vt non facile explorati aliquid
scribi possit. Quam ex eo natam arbitror, quod per varios Hispania regeretur, quibus ta-
men omnibus vnus præerat, qui Cordubæ Rex dicebatur, quantum ex veterum monu-
mentis coniicere datur.

Pelagius Rex, confluentibus vndiquaque ad ipsum nuncio recentis victoriæ Christi- 722.
anis, fortior factus, Legionem ciuitatem Mauris eripit, & fortiter contra Sarracenos au-
dendo, quasi signum aliquod ad bene de Rep. Christiana sperandum attollit. Idem di-
missis Gothorum Regum insignibus, insignia cepit leonem rubrum in campo candido,
quibus hodie quoque Reges Legionenses vtuntur.

Mortuo Isid Miramolino succedit Iscan frater ipsius, qui regnauit annis 21. Hic in O- 725.
riente per duces & legatos suos multa præclara gessit, in Occidente vero nihil memoratu
dignum, adeo deditus accumulandæ pecuniæ, vt omnes præcessores suos opulentia vi-
ceret.

Anno Arabum 107. Ihahea præficitur Hispaniæ, vt inquit Isidorus Pacensis. Huius 727.
mentio fit in Chronicis Regis Alfonsi, vbi dicitur hic regnasse in Hispania annis duobus
cum dimidio.

Eudo Dux Aquitaniæ victus fugatusque à Carolo Martello Rege Francorum, Sarra- 729.
cenos ex Hispania contra illum in auxilium suum euocat. Qui numero ad quadringenta
hominum millia, cum vxoribus, liberis, ac seruis, duce Abderamene (Abdiramam Galli
scriptores appellant) tanquam in certas sedes ex Hispania in Vasconiam venere, quacun-
que iter facerent, tum sacra, tum prophana nullo discrimine hostiliter depopulantes. Ex
annalibus Francorum & Iacobo Meyero.

Carolus Martellus adiuuante Eudone, qui Barbarorum aduentu pressus, facile ad pa- 730.
cem inclinauerat, ante vrbem Turonensem grauissimo prælio cum Sarracenis conflixit,
& incredibilem in eos stragem edidit. Nam cecidere ad trecenta septuaginta quinque
Barbarorum millia, in quibus Abderamen cum omni prope nobilitate sua: ex Christia-

An.Dom. nis tantum mille quingenti deſiderati, ſicut ex ipſius Caroli Martelli literis, ad Stephanum ſecundum Romanum Pontificem, conſtare affirmat Iacobus Meyerus.

732. Mortuo Ihahea, mittitur in Hiſpaniam Adaifa Alcazazin, vir leuis ingenii, & ob id paucis poſt diebus regno pulſus, cui ſubrogatus eſt Hiemen, qui & ipſe quinto regni menſe defunctus, ſucceſſorem reliquit Autuman. Quin & huic ipſi poſt quatuor menſeis defuncto, ſucceſſit in regnum Cordubæ atque adminiſtrationem totius Hiſpaniæ Alhatam. qui ob crudelitatem ſuis inuiſus, decimo poſt menſe, iuſſu Iſcanis Miramolini, regno pariter & vita priuatus eſt.

733. Eudo Aquitaniæ dux fato conceſſit, Hunoldus & Vaifarus filii vt Aquitaniam recipiant, Sarracenos in auxilium accerſunt, qui incendiis ac direptionibus vſque ad Burgundiam pene omnia vaſtarunt. Quibus Carolus Martellus cum copiis occurrit, & cedere coegit. Ex Annalibus Francorum. vbi neſcio qua autoritate legitur, Veſogothos & Arianos in auxilium vocatos, cum Ariana hæreſis in Hiſpania fere centum quinquaginta annis ante fuerit extincta, & etiam Gothorum ſiue Veſogothorum nomen iam tum deletum extiterit, & quæ ſupererant illorum reliquiæ, tuendis ſuis finibus tantum haberent negocii, vt alienos infeſtare non liberet. Proinde non Veſogothos illic, neque Arianos, ſed Sarracenos legendum iudico.

735. Pelagius multis rebus aduerſus Barbaros præclare geſtis, multiſque receptis oppidis moritur, ſepultus apud Canicas. Non ignoro alios mortem ipſius ponere 732. ſed & ego antiquos autores habeo, & certis de cauſis hunc annorum numerum ſequor. Succeſſit illi Faſila filius, qui regnauit annos duos, menſes ſex. Eodem anno Sarraceni maioribus quam antea copiis ex Hiſpaniis Gallias repetunt, & Auenionem proditione occupant, atque etiam Narbonem. Ex Annalibus Francorum.

736. Carolus Martellus multorum validis adiutus auxiliis, obuiam Sarracenis profectus, Auenionem expugnat, Athinus Barbarorum rex Narbonem fugit, Amoreus & ipſe rex Sarracenorum Narbonenſibus obſeſſis opem dum ferret, cum toto ſuo exercitu ad internecionem cæſus prope Illiberim. Athinus rex relicta Narbone fugit, Martellus reliquias belli perſequitur non ſine multarum vrbium incendiis. Ex Annalibus Francorum & Iacobo Meyero. Rodericus Toletanus aliter hæc refert, ſed abludere mihi multum à veritate videtur hiſtoriæ.

737. Faſila dum inconſultius venationi operam daret, ab vrſo laniatus eſt. Succedit illi Alfonſus cognomento Catholicus, filius Petri Ducis Cantabriæ, ex genere Ricaredi Catholici Gothorum regis, gener regis Pelagii. Nam filiam eius Ormiſendam vxorem duxit, ex qua filios tres ſuſtulit, Froilam & Vimaranum & Aurelium, ac filiam vnam nomine Odiſindam, præter quos habuit & Mauregatum ex concubina. regnauit annis nouendecim, menſe vno, die vno. Hic religionis Chriſtianæ non ſolum obſeruator ſtudioſiſſimus extitit, ſed etiam amplificator feliciſſimus. Nam Lucenſem ciuitatem, Tudem, Aſturicam, bonam Caſtellæ partem, Abulam vſq; Chriſtianis reſtituit, in Portugallia quoque Bracaram anno regni ſui ſecundo, atque in multis ciuitatibus epiſcopos inſtituit, eccleſias ornamentis neceſſariis, vt in tali tempore, magnifice ornauit, ſacros libros ſummo ſtudio perquiſitos in locis ſacris repoſuit, deniq; talem ſe præſtitit, vt tam Deo quam hominibus fuerit amabilis.

741. Frodoarius, Vrbanus, Euantius, & alii viri ſancti, de quibus ſuperius ſumus loquuti, hoc anno, nempe Æra ſeptingenteſima ſeptuageſima nona, in ſancta pace quieuerunt, vt ait Iſidorus Pacenſis.

744. Circa hunc annum, hoc eſt, Æra ſeptingenteſima octogeſima ſecunda, doctrina & ſanctitate floruit Cixlia, ab incunabulis educatus in obſequio Dei, præſul Toletanus, qui nouem annis epiſcopatu inter Chriſtianos qui miſti Arabibus Toleti viuebant, functus eſt. Ex eodem.

747. Hoc anno, vel ſecundum alios, præcedenti, Nonis Aprilis, die Dominico, Cordubæ, hora prima, ſecunda & tertia, cunctis videntibus, tres ſoles in cœlo miro modo lucentes, & quaſi pallentes, falce ignea vel ſmaragdinea præcedente viſi ſunt. Ex eodem. Toletanus addit intolerabilem famem ſecutam eſſe. Eodem fere tempore Petrus Toletanæ ſedis epiſcopus, cognomento Pulcher, claruit, & ad Chriſtianos Hiſpali habitanteis de paſcha erranter celebrato libellum elegantem conſcripſit.

748. Huius tempore regis Iſcan Miramolinus moritur, ſuſcipit imperium Vlid, contra quē Hiſpania rebellione inſurrexit. Ad quos motus ſedandos Abubacar in Hiſpaniam cum imperio miſſus, paucis poſt diebus occiſus eſt. Huic ſucceſſerat Abdemelic. Abdemelic vero regnauit anno vno & ſucceſſit Ocæ, ſiue Ochæ, qui illum regno expulerat, atq; interim

terim regnauerat annis quinque. Nam ante Ocham Abdemelic annis quatuor, ante Abdemelic Abderamen tribus fere annis, ante illum Mahometes duobus mensibus, ante hunc Manes exiguo tempore, ante Manem Alhatam, de quo superius diximus. Hæc fere ex Roderico Toletano. Nam Rases multum diuersa prodidit. Vlid imperauit annis duobus. In Hispania occiso Abubacar regnat Redoam. hunc Toban appellat Toletanus, nisi mendosus est liber. Regnauit hic admodum exiguo tempore. An. Dom.

Mortuo Vlid, imperium adepti sunt Arabum Abraham frater Vlid & Maroan: sed 750.
Maroan anno secundo occidit Abraham, & solus regnauit annis sex. Ex qua cæde magnæ seditiones inter Arabes exortæ sunt.

Thoaba regno præficitur Hispaniæ, vir bellicosus ac nobilis, sed post annum vnum 752.
regno pariter & vita cessit.

Iuzef siue Iuzaf regnaturus mittitur in Hispaniam, qui fuit admodum iniquus Chri- 753.
stianis. Huius tempore dicit Rodericus Toletanus visos Cordubæ tres illos soles, de quibus diximus. Addit Rases toto biennio non pluisse in Hispania, atque inde totam Hispaniam maxima rei frumentariæ & aliarum rerum inopia laborasse. Videtur hic regnasse nouem annos. Iuzaf siue Iuzef Arabibus dicitur, quem nos Iosephum appellamus.

Hoc anno secundum antiquissimos quosdam commẽtarios quos sequutus sum, mor- 756.
tuus est Alfonsus Catholicus, in cuius transitu psallentium voces auditæ dicuntur in aere: Ecce quomodo tollitur iustus, & nemo considerat, ablatus est à facie iniquitatis, & erit in pace memoria eius. Sepultus est cum vxore Ormisenda in ecclesia diuæ virginis, in territorio Canicensi. Patri defuncto successit filius Froila, & regnauit annos vndecim, menses quinque, dies viginti, sicut in Alcobaciensi codice, & alio Chronico perantiquo, atque etiam historia Compostellana reperi. à qua opinione nõ multum discrepãt Chronica Regis Alfonsi quæ duodecim illi tribuunt. Toletanus & qui illum sequuntur, tredecim annos regnasse affirmant. Hic quanquam alioqui malus & crudelis, tamen diuino fauore vsus est, quia licentiam coniugalem qua sacerdotes Hispaniæ à tempore Vitizæ fuerant vsi, penitus sustulit, eosque castitatem & continentiam quam sacri canones pręscribunt, seruare coegit.

Froila cum duce Cordubensium Omar, vel (vt alii volunt) Iuzef, qui Galleciæ fines in- 757.
festabat, collatis signis, insigni victoria potitus, cæcidit hostium quinquaginta quatuor millia, ducem cum paucis qui cædi supererant, in turpem fugam conuertit. Ingens gloria nisi tantum decus obscurasset scelus admissum in fratrem Vimaranum, quem, quod omnibus ob formam & egregiam indolem charus esset, veritus ne fauore populari fretus ad regnum aspiraret, impia morte peremit, cuius tamen sceleris pœnitẽtia ductus, filium eius Veremundum in regni successionem adoptauit. Hic Ouetensem ciuitatem condidisse & cathedrali sede fertur ornasse. Huius tempore Regis venit in Hispaniam Abderamen, eamque occupauit, primum fugato, deinde occiso Iuzef, seq; Miramolinum Hispaniæ & Regem Cordubæ appellari iussit, regnauit annis 33. Atque hoc primum tempore Hispania Miramolino Babylonię subiecta & vectigalis esse desiit. Hoc factum, secundum Toletanum, anno Arabum centesimo quadragesimo secundo, qui cadit in annum Domini septingentesimum sexagesimum. At secundum Rasen, anno illorum centesimo trigesimo octauo, hoc est, quatuor annis prius. Addit Rases hunc fuisse Moabiæ ex agricola Regis filium. Idem ait, quum Abderamen exercitum moueret ad expugnandam Valentiam, Christianos metu illius perterritos, corpus diui Vincentii quem tanquã Deum adorabant, & miraculorum fama celebrabant (loquitur enim vt Sarracenus) secum fugientes asportasse. quos homines Allibohaces eques Fecensis postea venatum profectus, ad oram maris in Algarbio, in fine montis qui mare illud ingreditur, reperit & homines quidem occidit, pueros captiuos abduxit, corpus vero Sancti illic reliquit. Locus ille priscis dictus est Promontorium sacrum, forte præsagio rei futuræ. Nunc appellatur promontorium diui Vincentii. Hæc omnia Andreas Resendius in scholiis in Vincentium suũ martyrem & leuitam copiosius ad verbum ex ipso quoq; Rase expressa prosecutus est, ex quo, & ipso quoque Rase, cuius ille mihi copiam pro sua humanitate fecit, ego paucula hæc delibaui. Quæ hoc loco in Chronicis vulgaribus leguntur de Caroli Magni cum patre Pipino discordia, & aduentu in Hispaniam ad Galafrium Regem Toletanum, deq; Galiana Galafrii Regis filia ab eo mutuo amata, atq; in Galliam abducta, & postquam esset salutaris aqua lauacri tincta, in coniugem accepta, quia apud alios autores non inuenio, cõsulto missa facio. Toletanus quidem leuiter huius rei meminit, sed nihil affirmat. Sebastianus tamen Munsterus in Cosmographiæ suæ lib. 3. Galianam Carolomãno Caroli Magni fratri primam vxorem tribuit.

An.Dom.

758\. Mortuus eſt Garſias Ximenius, primus, vt diximus, Suprarbrorum in Nauarra rex, cui ſucceſſit Garſias Ennicus, & regnauit annos 44. Hic Pompelonem primariam Nauarræ ciuitatem, & multas circumquaque arces ac municipia, à dira Barbarorum tyrannide liberauit, atque Chriſti Opt. Max. cultum reduxit. Sepultus & hic ad diui Ioannis, apud patrem.

760\. Verus Archiepiſcopus Hiſpalenſis, eruditione, ſcriptis, & vita clarus, floruit ſub Pipino, vt inquit Ioannes Trittemius.

767\. Froila in vindictam fratris occiſi, à fratre viciſſim Aurelio occiſus eſt, vt aiunt Tudenſis & Burgenſis: vt alii, à ſuis, relicto filio Alfonſo Caſto, & filia Ximena, matre Bernardi Carpienſis, ex vxore Monina ſiue Menina, quam ex nobilitate gentis Nauarræ ad conciliandos eos duxerat. Poſt eum regnauit Aurelius frater ipſius, parricidio regnum adeptus. regnauit autem annis ſex, & totidem menſibus. Quo regnante, bellum ſeruile in Hiſpania exarſit, ſeruis contra dominos arma ſumentibus, quod tamen regis prudentia mox ſopitum eſt, & ſerui in priſtinam ſeruitutem redacti. Nulla illius contra Sarracenos prælia leguntur. Tandem rebus humanis ſublatus, apud Canicas ſepultus eſt.

771\. Mortuus eſt Aſnar primus Aragoniæ Comes, qui Iaccam ciuitatem & multas arces atque oppida de Barbarorum fœda ſeruitute ad Chriſtianæ religionis cultum reduxit. Succeſſit illi filius Galindus.

774\. Silo, nomine vxoris, regnum Legionis & Aſturiarũ conſequutus eſt. Duxerat enim Odiſindã Alfonſi Catholici filiam. Hic principio regni pacẽ cum Sarracenis pepigit, ad opprimendos qui rebus nouis ſtudebant, & imperium eius detrectabant. Sed cũ neq; filios haberet, neq; ſpẽ ſuſcipiendæ prolis, animũ à negociis regni ad ocium & quietem auertit, adminiſtratio & ſumma rerum penes Alfonſum Caſtum erat, Odiſinda regina amita ipſius hoc procurante. Regnauit annis nouem, menſe vno, die vno. Ita in Alcobacienſi codice & alio Chronico perantiquo, atque etiam in hiſtoria Compoſtellana reperi. Tamen Toletanus, & illum ſequuti, tantum octo annis regnaſſe aiunt. Idnabala Sarracenus, Cæſarauguſtæ regulus, ab Abutauro & Deuisfezo aliiſque Sarracenorum regibus domeſtica ſeditione regno pulſus, à Carolo Magno cuius opem implorauerat, Cæſarauguſta obſeſſa, & certis conditionibus dedita, reſtitutus eſt, & finitimi reges vectigales facti. In conditionibus hoc erat, vt Chriſti famulos concionanteis audirent. Ex annalibus Francorum & Iacobo Meyero. Quæ hic de offenſione Caroli Magni in reditu addunt, poſterius contigerunt, vt non ſolum ex Chronicis Hiſpanorum, ſed etiam Sigeberto conſtat. Illud quoque adiiciunt, Pompelonem eodem tempore à Carolo Magno captam, quod Aragonenſium rerum ſcriptores negant, & Garſiæ Ennico tribuunt, vt diximus.

783\. Mortuo Silone, atque Oueti ad diui Ioannis Euangeliſtæ, quam eccleſiam ipſe ædificauerat, ſepulto, regnum Legionis & Aſturiarum communi omnium magnatum ſuffragio delatum eſt Alfonſo Caſto. Quod quum iniiſſet Alfonſus, Mauregatus patruus ipſius, & Alfonſi Catholici ex pellice filius, comparatis Sarracenorum auxiliis ipſum regno deturbauit, atque in eam Cantabriæ partem quæ Alaba dicitur, recipere ſe ad ſuos compulit. Auxilia verò Barbarorum turpiſſimo precio præter omne fas ac decorum redemit, nimirum annuo tributo quinquaginta nobilium virginum, & totidem plebeiarum. tot enim ſingulis annis illorum nefandæ libidini, ex pacto, Rex ipſe impuriſſimus expoſuit. Quapropter merito propter hoc & alia vitia, tum Deo, tum hominibus exoſus fuit. Regnauit annis quinque, menſibus ſex. quibus exactis, apud Prauiam vrbem rex prauus ſepultus eſt. Tudenſis in numero annorum iam mihi ſuffragatur. Ait enim ipſum regnum inuaſiſſe Æra octingenteſima vigeſima prima, ſicut codex Alcobacienſis, & Chronicon perantiquum, cuius mihi copiam fecit Reſendius. Quod ideo adiunxi, ne quis arbitretur, me temere à Toletano & aliis diſſentire. Sed Silonem ad D. Saluatoris ſepultum eſſe, non ad D. Ioannis, ex monumenti inſcriptione patet, quod paulo poſt referemus.

787\. Hoc anno, nempe Arabum centeſimo ſexageſimo nono, Abderamenis iuſſu & expenſis cœpta eſt ædificari Meſquita Cordubenſis (Meſquitas Arabes templa ſua appellant) opere adeò ſuperbo, vt omnes Sarracenorum Meſquitas facile ſuperaret. Quod opus hodie quoque viſitur Cordubæ, conſecratum in eccleſiam cathedralem, & amplitudine & columnarum multitudine admirandum. Eodem anno mortuus eſt Abderamen Hiſpaniæ Miramolinus. Reliquit vndecim filios & nouem filias, ſepultus eſt in arce Cordubenſi. Succeſſit illi filius ſuus, qui Toletano dicitur Hiſſem, Alfonſo regi Ixeca, Raſi Iſmien.

Ismien. quem Zuleima frater regno conatus exturbare, non solum spe sua decidit, sed etiam tota Hispania cedere iussus est. Regnauit annis septem, mensibus ac diebus totidem. An. Dom.

Mauregato defuncto successit Veremundus Vimarani filius, regnauit annos duos, vel 789. secundum alios, tres. Nam reuocans in memoriam, quod esset olim ad sacrum diaconatus ordinem promotus, regnum Alfonso Casto cessit, & vxore Imilone, ex qua filios duos Ranimirum & Garsiam sustulerat, posterius abstinuit. Vixit postea cum Alfonso Casto annos quatuor, menses sex, sepultus cum vxore Oueti.

Alfonsus Castus tandem regno suo restitutus est, maximo omnium applausu, qui à 791. perpetua vitæ castitate cognomentum hoc meruit, vir omnibus virtutibus optimo principe dignis præditus. Regnauit annis vno & quadraginta: sed anni Mauregati & Veremundi huic adscribuntur.

Iacobus Meyerus in Chronico rerum Flandricarum ait, hoc tempore Olisiponem ab 791. Alfonso rege, ope Caroli Magni, à Barbaris receptam, & Barcinonem ciuitatem recuperatam. Idem affirmat Platina in vita Leonis tertii. Et Barcinonem quidem per hæc tempora à Carolo Mauris ademptam reperio, sed Olisiponis receptæ in Annalibus Hispanorum, quos ego quidem videre potui, mentio nulla extat. Inuenio quidem Olisiponem bis à Sarracenorũ tyrannide liberatam, semel ab Alphonso sexto, eo qui Toletũ Christianæ religioni restituit, idque Æra millesima centesima trigesima prima, hoc est, anno Domini millesimo nonagesimo tertio, vt ex codice Alcobaciensi & alio Chronico perantiquo notaui, quum tamen Toletanus eius rei nõ meminerit: posterius ab Alphonso Henrico, primo Portugalliæ rege, anno Domini millesimo centesimo quadragesimo septimo. Porro quod ab Alfonso Casto recuperata fuerit (nam alius Alfonsus rex Caroli Magni tempore non extitit) hactenus nusquam alibi legi. Eodem fere tempore rex Alfonsus ecclesiam S. Saluatoris Ouetensis ciuitatis extruendam curauit, & in eam transtulit reliquias quæ Toleto & ex reliqua Hispania in Asturias delatæ fuerant: simul & arcam reliquiarum, quæ ex Hierosolymis tempore Mahometis Hispalim naui aduecta, inde Toletum delata, demum post annos sexaginta quinque in Asturias asportata fuerat. In eadem crucem auream gemmis preciosis distinctam reposuit, quam angeli duo, peregrino habitu aurifices se esse testati, miro opere fabrefecerant, nimirum Deo Opt. Max. sanctitatem optimi regis tam insigni miraculo illustrante. Ita ferme qui de rebus Hispaniæ scripserunt. Sed Silonem esse templi illius autorem, constat ex monumento quod est Oueti in ingressu basilicæ Sancti Saluatoris: vbi legitur ducenties septuagies,

SILO PRINCEPS FECIT.

T I C E F S P E C N C E P S F E C I T

I C E F S P E C N I N C E P S F E C I

C E F S P E C N I R I N C E P S F E C

E F S P E C N I R P R I N C E P S F E

F S P E C N I R P O P R I N C E P S F

S P E C N I R P O L O P R I N C E P S

P E C N I R P O L I L O P R I N C E P

E C N I R P O L I S I L O P R I N C E

P E C N I R P O L I L O P R I N C E P

S P E C N I R P O L O P R I N C E P S

F S P E C N I R P O P R I N C E P S F

E F S P E C N I R P R I N C E P S F E

C E F S P E C N I R I N C E P S F E C

I C E F S P E C N I N C E P S F E C I

T I C E F S P E C N C E P S F E C I T

In Mausoleo.

H.S. E.S.S.S.T.L.

Hic situs est Silo. Sit sibi terra leuis.

An. Dom. Anno Alphonsi Casti tertio Dux quidam Sarracenorum cum magnis copiis ad Astu-
793 rias depopulandas venit, sed Alphonsus hosteis magno animo depulit occisis septuaginta millibus cum duce ipsorum.

794. Ixeca Miramolinus Hispaniæ, Cordubæ Rex defunctus, successorem reliquit Hilihatam filium, qui regnauit annos viginti sex, menses decem, dies quindecim. Hic equitum quinque millia ad corporis sui custodiam delegit, partim Christianos qui à fide defecerant, partim eunuchos.

798. Hoc anno ad summum Pontificatũ B. Leo tertius euectus est, cuius auctoritate Compostella sedem & dignitatem episcopalẽ sortita est, rogatu (vt aiunt) Caroli Magni. Cum enim venerabile corpus Apostoli id temporis vsque latuisset, Theodomiro episcopo Iriensi diuinitus reuelatum est. Cuius rei fama excitus Carolus Magnus, eò peregrinationis causa, vt erat vir religiosissimus, profectus, deinde Leonem Papam rogauit, vt locum adeo sanctum & venerandum episcopali dignitate nobilitaret. Facile concessit in tam piam petitionem pientissimus Pontifex, & Iriensem sedem Compostellam transtulit, ita tamen, vt episcopi Iriensis titulum retineret. Quod ita obseruatum est vsque ad annum circiter octingentesimum septuagesimũ septimum: quo tempore Ioannes octauus Pontifex Romanus ecclesiam ab Archiepiscopatu Bracarensi exemit, & metropolitanam fecit. Placuit hoc Alphonso Casto, & ciuitatẽ Compostellanam ecclesiæ illi cum aliis prouentibus ac muneribus dono dedit, vt annotauit Alfonsus Venetus ex Chronico quodã quod ad D. Dominici Legione seruari ait. Postremus episcopus Iriæ, & primus Compostellæ fuit Theodomirus vir sanctus. Hæc sicut ab aliis prodita sunt, referre hoc loco libuit propter eos quibus hæc quoque placent. Cæterum quæ fuerint ecclesiæ Compostellanæ primordia & incrementa, superius in capite de recentioribus Hispaniarum episcopatibus, ex Compostellana historia & Apostolicis diuersorum Pontificum literis explicaui. Nunc operæprecium facturus mihi videor, si quæ de ratione occultati atq; ignorati sanctissimi sepulchri, ac de reuelatione eiusdem in historia Compostellana reperi, hoc loco subiungam. Ea vero habent ad hunc modum. Floruerat autem antiquitus illo loco (de Compostella loquitur) inter Catholicæ fidei cultores Christiana religio. Sed tempore persecutionis ingruente, & superba paganorum tyrannide Christiani nominis dignitatem cõculcante, totus fere Christianæ religionis cultus longo iam tempore euanuerat. In toto igitur tempore Sarracenorum, & longo etiam tempore post restitutionem fidelium, veneranda Beati Apostoli tumba, nullius Christiani accessu frequentata, fruticum syluarumq; spissitudine mansit diutissime cooperta, nulliq; vsque ad tempus Theodomiri Iriensis episcopi fuit reuelata aut cognita. Sed quando omnipotenti Deo placuit ecclesiam suam laborantem visitare, & eius aduersitatem in prosperitatis tranquillitatem conuertere, statim tempus suo potenti imperio mutauit, Regnũ Hispaniæ transtulit, & gentili superstitione per regionem Hispaniam conculcatam & prorsus annullatam Christi sui fidem inibi suscitauit. Ante autem illius pestis expulsionem, Mirus bonæ memoriæ Rex, diuina dispensatione regni sceptra suscipiens, primus Pontificales sedes per Hispaniæ prouincias, iuxta Romanæ ecclesiæ normam, diuina gratia inspirante constituit, & Andream in episcopum eligens, Iriensis cathedræ primitus sublimauit. Hinc equidẽ hos infra scriptos ordine successisse legimus, quorum nullam profecto præter nomina notitiam habemus. 2 Dominicum, 3 Samuelem, 4 Gotomarum, 5 Vincibilem, 6 Felicem, 7 Hildiulfum, 8 Seluam, 9 Leosindum siue Theosindum, 10 Enulam alias Benulam, 11 Romanum, 12 Augustinum, 13 Honoratum, 14 Hindiulphum. Prænotatis autem episcopis fertur successisse Theodomirus, eadem cathedra diuina dispensante gratia sublimatus. In cuius tempore diuinæ maiestatis omnipotentia Occidentalem ecclesiam, sepulchro tanti Apostoli reuelato, visitare & illuminare dignata est. Qualiter autem reuelatum fuerit, sequens pagina patefacit. Quidam namq; personati & magnæ autoritatis viri, præfato episcopo retulerunt, luminaria in nemore quod super beati Iacobi tumbam diuturna vetustate excreuerat, nocturno tempore ardentia multoties vidisse, ibiq; angelos sibi frequentius apparuisse. Quo audito ipsemet ad eum locũ, vbi illi se talia vidisse asserebant, accessit, & luminaria in prædicto loco ardentia propriis oculis procul dubio aspexit. Diuina igitur inspiratus gratia, præfatum nemusculum festinanter adiit, & diligentius circunspiciens, quandam domunculam marmoream tumbam intra se continentem inter syluas & frutices inuenit. Qua inuenta, Deo gratias referens, Casti Regis Ildefonsi qui tunc in Hispania regnabat, præsentiã incunctãter adiuit, eiq; rem vt audierat, & propriis oculis viderat, veraciter notificauit. Ipse vero tantę audientiæ gaudio diffusus, citato calle has partes intrauit, & ad honorem tanti Apostoli ecclesiam restaurans, episcopium Iriensis sedis in hunc locum qui Compostella dicitur, multorum episcoporũ ac

Dei seruorum, nobiliumque virorum autoritate, atque priuilegio regali commutauit. *An. Dom.*
Hoc autem sub tempore Caroli Magni factum esse, multis referẽtibus audiuimus. Theodomirus vero episcopus tanto fidentius oculos mentis ad cœlestis patriæ considerationem erigebat, quanto frequentius beatum Iacobum, post basilicam sibi factam, miraculis & virtutibus coruscare conspiciebat. Spe ergo cœlestium prædìtus, aliquanto interiecto tempore, vitam securus effudit finali sorte interueniente. Hæc ad verbum ex Historia Compostellana, cuius mihi copiam Salmanticæ fecerunt integerrimi atq; ornatissimi Collegæ Collegii S. Saluatoris, cui ego Collegio propter antiquam erga me beneuolentiam plurimum debeo.

Zuleima & Abdalia patrui Halihatam, quos diximus ab Ixeca pulsos Hispania, audita morte fratris, cum exercitu hostili ex Africa in Hispaniam transierunt ad inuadendum imperium noui regis. Quo non segniter obuiam eunte, alter illorum occisus est cum bona parte exercitus, alter in fugam versus: paulo post vltro se in fidem nepotis dedit, & magnis illius beneficiis vsus est. 799.

Mortuo Garsia Ennico, secundo Suprarbrorum in Nauarra Rege, successit Fortunius Garsias, qui regnauit annis tredecim, & ducta vxore Galindi Aragoniæ Comitis filia, Aragoniæ Comitatus titulum accepit, vti iam dictum est. Regnauit annis tredecim. 802.

Hoc anno aiunt Carolum accepisse cladem illam insignem apud Roncis vallem, in qua multa Galliæ nobilitas cecidit: sed ea clades ita varie ab autoribus refertur, dum alii dicunt in accessu factam, quando Hispanos qui Alfonso regi regnum ipsi deferenti refragabantur, oppugnatum venit: alii gestis in Hispania rebus, in reditu offendisse. Vt vt est, illud inter omnes scriptores tam Hispanos, quam Gallos constat, Carolum Magnum in saltibus Pyrenæis insigni clade affectum, cæsis aliquot ducibus ipsius, in quibus Rolando Caroli ex sorore nepote, & aliquot ex iis quos Franciæ Pares appellant, vt ait Robertus Gaguinus, atque amissis omnibus impedimentis bellicis. Præcipua opera in eo conflictu fuisse dicitur Masilli regis Cæsaraugustæ, cuius etiam Paulus Æmilius mentionem facit, & Bernardi Carpiensis. Hic nepos erat Alfonsi regis ex Ximena sorore, quem illa ex furtiuo cõcubitu Sanctii Comitis, interposita tamen coniugii fide, suscepit. Quod quum Alfonso regi innotuisset, rem indignam grauissime ferens, sororem in Parthenonem abdidit, Sanctium in arcem Lunæ vinctum conclusit, vinculorum & vitæ terminum eundem constituens. Bernardum apud se pro filio eduxit, cuius admirabilis in re bellica virtus, multis magnisq; præliis frequenter enituit. Eodem anno, vel potius superiore, Sarraceni qui Toleti habitabant, immodica fœlicitate insolentes, & dulci (vt inquit ille) fortuna ebrii, aduersus Halihatam Miramolinum suum insurrexerunt, iussa illius detrectantes. Quod quamuis ægre esset regi Barbaro, tamen aduersus populum præpotentem astu potius agendum ratus, quam vi, misit eo Oscensis ciuitatis præfectum, hominem apud illos gratiosum, à quo regerentur, omnem rebellionis causam ab illis in præfectos suos transferens, tanquam qui à religione officii sui declinarent. Per quem præfectum non admodum absimili techna rebellionis autores puniuit, & reliquos metu imperata facere coegit, atque olim Tarquinius Superbus Gabinos per Sextum Tarquinium filium subegit. Misit enim illuc filium Abderamenem cum exercitu, qui cum se ad bellum Christianis inferendum venisse simularet, in arcem intromissus quam præfectus ille in medio vrbis per fraudem construxerat, quo loco postea D. Christophoro ædes ædificata est, primores per speciem conuiuii ad se vocatos, dispositis ad eam rem apparitoribus, trucidari fecit ad quinque millia. Quorum infortunio reliqui perterriti, veniam supplices poposcerunt, ac deinceps in fide & officio permanserunt. Rem totam fusius Rodericus Toletanus prosequitur in Arabum historia, & post illum in Chronicis Alfonsus decimus. Nobis summam rei velut adumbrasse sufficiat. Eodem anno duo Arabum duces diuisis exercitibus in Galleciam populabundi venerunt, sed Alfonso rege non segniter agente, occisi, non solum repulsi sunt. 809.

Fortunius Garsias, tertius Suprarbrorum in Nauarra rex, fato concessit, post quem regnauit Sanctius Garsias annis 20. Hic se appellauit regem & Comitem, multaque aduersus Sarracenos præclara gessit, & bonam Nauarræ partem à Barbarorum tyrannide sibi vendicauit: demum ab eis in prælio, dum incautius in hosteis irruit, occisus sine hærede decessit. Bernardus Carpiensis dum multis magnisque obsequiis regem sibi deuinxisset, & illum in variis dubiisque præliis tantum non ab hostibus oppressum liberasset, obnixe orauit eum, vt patrem ipsius vinculis solueret. Quod cum constanter sibi negaretur, se à fide regis alienauit, & cum aliquot viris primariis sanguine fi- 815.

An.Dom. biiunctis,in Saldaniam ditionem suam secessit,vnde crebris excursionibus ditiones Regis non leuibus incommodis affecit.

816. Mahometes quidam Emeritensis, Abderamenem Halihatæ filium fugiens, in fidem Regis Alphonsi receptus est,& terras,vbi habitaret, accepit: sed post biennium reuersus ad ingenium,violauit fidem,neque ita multo post perfidiæ pœnas capite luit, cæsis quinquaginta millibus Sarracenorum.tantum enim exercitum collegerat.

817. Mauri suburbii Cordubensis opibus suis freti,nouis rebus studere cœperunt, sed mature ab Halihata oppressi resipuerunt.

819. Sarracenis mutuo bello implicitis, Christiani Barcinonem occupant. Ad quam recuperandam dum Halihatas, pace cum patruis suis composita, se compararet, morbo correptus interiit. Reliquit filios nouendecim, filias vero viginti nouem. Post eum regnauit Abderamen filius eius,qui instituit,vt apud Mauros filii patrum hæredes essent. Nam ad eum vsque diem, fere defunctorum bona ad fratres, & aliquando etiam ad alienos redibant,omissis filiis.

820. Barcino iterum à Sarracenis recepta.

824. Alphonsus Castus iam animam agens, coram se Regem declarari ac salutari fecit Ranimirum,Veremundi Regis diaconi filium,quum alioqui regni successio ad Bernardum Carpiensem nepotem suum ex sorore Ximena lege rediret.Mox ipso defuncto,atque Oueti ad diuæ Virginis,quam ecclesiam ipse construxerat,sepulto,regnauit Ranimirus annis sex,mensibus nouem.Qui quum principio regni in Castella veteri quę Bardulia olim nominata est, matrimonii causa abesset, Nepotianus Comes Palatii regnum collectitio exercitu inuasit. Cuius rei factus certior Ranimirus, haud segniter se ad opprimendum hostem comparauit,quem prælio victum & captum erutis oculis in monasterium detrusit.Ranimiro regnante,fato concessit Theodomirus primus Compostellæ episcopus, cui sepulchrum B.Iacobi reuelatum diximus. Successit ei Athaulfus vir sanctus, qui populũ sibi commissum diuini verbi pabulo quanta potuit vigilantia pauit. Ex historia Compostellana.

825. [A]nno regni secundo Sarraceni à Ranimiro per legatos petierunt, vt tributum Christianarum virginum, quod Mauregatus annuum promiserat, ex pacto solueret, si pacem cum eis ratam esse vellet. Ranimirus re cum primoribus regni communicata respondit, se tam indignis pactis stare nolle, atque adeo ne pacem quidem illorum velle. Quod vt re ipsa comprobaret, conscripto iusto exercitu, agros illorum vastare cœpit Anagatum vsque.Sed & hostes cum numerosissimis copiis obuiam profecti,ancipiti prælio cum Ranimiro conflixere, tantisper dum nox pugnam diremit. Christiani beneficio noctis periculo erepti,in locum editiorem (Clauigium dicebatur) se receperunt, vbi de rei euentu soliciti, noctem totam lachrymis & precationibus transegerunt, opem diuinam toto pectore implorantes.Mox Regem somno oppressum D.Iacobus Apostolus in somnis iubet de exitu pugnæ securum esse, victoriam Christianorum haud dubie fore, se Apostolum Iacobum esse, cui tutela Hispaniæ commissa sit, cuius propitium numen postero die in prælio experturi sint:tantum animis ab omni vitiorum inquinamento,salutari confessione expiatis, & sacrosancto corporis Dominici sacramento communitis, ad conflictum postridie spe pleni procederent. Rex insomnium episcopis & magnatibus commemorat,qui tam faustum omen læti accipiunt, atque Apostoli iussa diligenter facessunt. Mox se ad prælium alacribus animis comparant, tam certo pignore freti, Dei ac sancti Iacobi numen inuocantes, tantamque in Sarracenos stragem edidere, vt supra sexaginta millia Barbarorum in acie cæsa sint. D.Iacobus in eo conflictu equo candido, vexillo niueo, & in eo cruce rubea conspicuus apparuit. Rex Calagurrim & nonnulla alia municipia atque arces finitimas recepit. Ab eo tempore receptum est Hispanis,in præliis omnibus, præcipue si cum infidelibus ac paganis res est, Dei ac diui Iacobi numen implorare, quod ipsis pro militari tessera est. Ranimirus ne ingratus esset Apostolo pro tam insigni beneficio, de communi præsulum ac nobilium consilio statuit, vt pro singulis boum iugis, certa tritici mensura, qua in soluendis primitiis vtuntur, & de singulis vini modiis altera vini singulis annis Diuo Iacobo solueretur. Quod hodie quoque nonnullis in locis soluitur, & votum appellatur,idque vere:nam communi Regis,præsidum,magnatum,ac plebis consensu perpetuo votum est, cum durissimis execrationibus, si quis in posterum violaret. Præterea vt in spoliis ac manubiis diuidundis ecclesia D.Iacobi in sortem veniret, atque vnius equitis numero esset. Extant de ea re literæ ipsius Regis Ranimiri, datæ Calagurri mense Maio,vel secundum alios,Iunio,quo mense victoriam hanc consequutus videtur, in quibus hæc omnia,quo diximus modo, referuntur, & voti institutio atque confirmatio de-

tio declaratur. Quæ literæ singulis annis in ecclesis metropoli Compostellanæ subiectis vulgo recitantur. Quin & Paschalis Rom. Pontificis literas Apostolicas vidi, anno Pontificatus sui quarto datas, quibus ea vota confirmat. Eodem tempore Dieghus Valera ordinem militiæ diui Iacobi institutum ait, quamuis F. Alfonsus Venerus principium illius circa annum Domini millesimum centesimum sexagesimum ponat, in qua opinione est & Raphael Volaterranus, & post illum Antonius Nebrissensis. Sed ego illis nequaquam accedo, ac Valerianam opinionem magis probo, tum quod eo tempore iusta instituendi causa fuerit, tum quod diploma regis Fernandi primi vidi, & exemplar eius penes me habeo de institutione monasterii S. Spiritus Salmanticæ, in quo & huius ordinis, & magistri illius, & commendatariorum multa mentio fit, quemadmodum suo loco patebit. Porro Ferdinandus hic cœpit regnare anno Domini 1020. vel secundum alios, 1017.

Magna Normannorum classis in Galleciam appulit. quæ cum hostiliter omnia vastaret, Ranimirus obuiam profectus, magna illos clade affecit, & septuaginta naueis incendit. Reliqui Hispalim profecti, depopulati omnia, magnam inde prædam egerũt. In quodam libro vetusto reperi, tempore Ordonii centum naues Normannorum in Galleciam venisse, & post triennium ad suos rediisse. 827.

Domitis hostibus, domestica seditione Ranimirus agitatus est. Siquidem Alderedus & Piniolus (alii Primalum, alii Priamum appellant) Comites ac proceres palatii cum septem filiis, regem nefaria coniuratione regno deturbare conati sunt, sed non respondente euentu, oculi Alderedo effossi, alter cum filiis morte mulctatus est. 828.

Ranimirus fato concessit, sepultus Oueti, filios reliquit Ordonium & Garsiam ex Vrraca vxore religiosissima fœmina, quæ ecclesiam D. Iacobi & Sancti Saluatoris multis magnisque muneribus prosecuta est. Inter multa & præclara Ranimiri decora, hoc non in vltimis laudum ponendum est, quod fratrem Garsiam tanta pietate & beneuolentia semper complexus est, vt eodem cum ipso numero & autoritate esset. Regnat post eum filius eius Ordonius annis decem, & ex vxore Momadona quinque filios sustulit, Alfonsum regni hæredem, Veremundum, Nunium, Odoarium, & Froilam. Hic principio regni Vascones rebelles ad obsequium suum subactos redegit, & Mauros ditionem ipsius infestantes magna vi depulit, ac ciuitates Tudem, Asturicam, Legionem, Amaiam, Patriciam, habitatoribus frequenteis reddidit. Apud hunc regem Athaulphus tertius Compostellæ episcopus, vir sanctus & pius, à quatuor ecclesiæ suæ seruis de crimine pessimo delatus est. Qua re audita rex magno furore percitus, ac tam nefandum crimen in episcopo detestatus, Athaulphum ad se vocari iussit. Qui die sancto Cœnæ Domini quum in curiam venisset, recta in templum operaturus sacris profectus est. Cumque à suis admoneretur, vt prius regem adiret, respondit in templo maiorem esse regem qui prius salutandus esset. Demum peracta re diuina, vt erat sacris indutus vestibus, recta ad ædem regiam profectus est. Rex vero taurum indomitum à canibus venaticis irritatum, in sanctum præsulem immitti iussit, vt qui tanti criminis reus deferebatur, impetu ferocissimi tauri dilaniaretur. Sed taurus, facto ab Athaulpho signaculo sanctæ crucis, mansuetissimus ad eum accessit, & cornua in manibus eius, tanquam si exemptilia habuisset, dimisit, atque in syluam, vnde adductus erat, rediit, itaque sanctus Dei illæsus euasit. Rex vero & qui cum eo erant primariæ nobilitatis viri, conspecto tam insigni miraculo ad pedes ipsius prociderunt, & sceleris sui veniam supplices poposcerunt. Ipse autem iuxta Apostoli doctrinam pro malis bona reddens, benigne condonauit, atque eadem hora pontificatui suo nuncium remittens, in Asturiarum solitudines repudiato mundo soli Deo vacaturus secessit, vbi exemplum sanctæ conuersationis aliis relinquens, aliquam multis post annis naturæ debita persoluit. Ex historia Compostellana. Rodericus Toletanus hoc plusquam centum annis posterius ponit, & attribuit Veremundo secundo, quem ait eo plus fidei habuisse delatoribus Athaulphi, quod filius esset Comitis Gundisalui, à quo Sanctius rex veneno sublatus fuit. Præterea subiungit Athaulphum, Rege insalutato, postquam delatores diris execrationibus deuouisset, discessisse atque in itinere tertio post die defunctũ. Sed res ita se habet, vt nos ex historia Compostellana & alio libro peruetusto retulimus, in quo tamen libro reperio, quod regi maledixerit. Toletani errorem sequutus est rex Alfonsus & alii post eum. 831.

Muza Abenheazim origine quidem Gothus, sed professione Sarracenus, contra Abderamenem Hispaniæ Miramolinum & Cordubæ regem insurrexit, & Cæsaraugustam, Oscam, Tudellam, Toletum occupauit. quibus ciuitatibus non cõtentus, in Cataloniam populabundus expeditiones egit, quin & in Galliam vsque hostili agmine processit. Quo rerum successu elatus, Hispaniæ regem salutari se iussit. Mox Albaidam vrbem Ordonii 832.

An. Dom. regis expugnat, & muris ac propugnaculis egregie munit. Quod vbi cognouit Ordonius, nihil cunctatus, ad recipiendam vrbem & exturbandos Barbaros profectus, vrbem obsidione cinxit: cumque opem obsessis laturus aduentaret Muza, Ordonius copiis suis bipartito diuisis, partem ad continuandam obsidionem reliquit, partem contra Muzam duxit. cum quo signis collatis cruentum in Sarracenos certamen edidit, ex quibus cæsa equitum duodecim millia, & in iis Garsias Muzæ gener, peditum infinita prope multitudo. Muza tribus vulneribus grauiter saucius, fuga mortem euasit. Lecta spolia auri, argenti, & omne genus alterius supellectilis ditissima. Lupus Muzæ filius, Toletanæ vrbis præfectus, se in fidem & clientelam Ordonii dedit, multis & amplis illius ornatus beneficiis, operam vicissim regi fidelem & strenuam in variis contra Barbaros præliis præstitit.

835. Ordonius Cauriam & Salmanticam expugnauit, occisis eorum regulis, & infinita Sarracenorum multitudine, partim cæsa, partim in captiuitatem abducta. Eodem anno, Fortunio Garsia Suprarbrorum in Nauarra rege à Sarracenis, vt diximus, occiso, interregnum fuit quatuor annorum, de quo vide quæ notauimus in catalogo regum Nauarræ. Eodem fere tempore Abderamen plateas ac vias Cordubenses lapideo pauimento strauit, & per tubulos plumbeos ex montibus aquam in ciuitatem duxit, eam quæ hodie scaturit prope templum summum, quæ illorum Mesquita, vt diximus, erat.

839. Ennicus Arista populari suffragio electus rex, vnctus & coronatus, primusque rex Nauarræ, sed certis conditionibus, appellatus nimirum vt in eos æquis legibus vteretur, atque vt iudex esset medius inter regem & populum, si quid controuersiæ oriretur, isque Aragoniæ Iustitia appellaretur. Arista cognominatus est ab ardore bellandi, regnauit annos 31. Mortuus est Abderamen, & reliquit quadraginta quinque filios, & quadraginta duas filias. Suscepit imperium paternum Mahometes filius & regnauit triginta quinque annis, vt ait Toletanus, vt vero Rases annis 34. & mensibus sex: nec audiendos puto, qui triginta nouem annos illi tribuunt. Cuius initio regni, Toletani contra ipsum rebellarunt, implorato auxilio Ordonii regis, qui filium illuc cum non pœnitendo exercitu misit. At vero Mahometes contra illos mouens, insidiis opportuno loco dispositis, ipse cum paucis in conspectum venit. Quod conspicati Toletani, contempta paucitate portis se effundunt, atque in hostem ruunt. Qui simulata fuga, vbi clausum & circumfusum insidiis hostem habuit, versis signis, omnibus inuadendi signum dedit. Tunc Toletani graueis leuitatis suæ pœnas dedere, cæsa Toletanorum tredecim, Christianorum octo millia.

841. Ordonius Oueti podagra periit, sepultus ad diuæ Virginis, relicto magno sui desiderio. Regnauit post illum Alfonsus tertius cognomento Magnus, annis quadraginta sex. Quatuordecim erat annorũ, quum regno inauguratus est. Cuius initia regni Froila quidam Veremundus turbauit regno inhians. qui dum rex in Alabam Cantabriæ prouinciã se recepit, comparaturus exercitum, à senatu Ouetensi ob tyrannidem occisus est. Oppresso aduersario, Alfonsus rex ad suos reuersus, magno cum honore receptus est, mox Sublantiam ac Ceiam muris ac turribus communiuit, atque habitatoribus frequentauit. Deinde Comes quidam nomine Eilo ad inuadendum regnum animum adiecit, & Alabenses ad rebellandum incitauit, sed aduentu regis territi Alabenses meliora polliciti, veniam consequuti sunt, Comes in catenis Ouetum ductus est.

842. Duces Sarracenorum duo Imundar & Alcaman Legionem oppugnatum venerunt, sed magna virtute repulsi sunt. Alfonsus Magnus vt vacuus aliis curis Sarracenos commodius debellare posset, cum Nauarris & Gallis fœdus coiit, atque ex nobilitate Gallica vxorem duxit Amelinam, quæ posterius Ximena dicta est, ex qua suscepit quatuor filios, Garsiam, Ordonium, Froilam, Gundisaluũ, qui fuit Archidiaconus Ouetensis. Quæ hic ponuntur in Chronicis regis Alfonsi, de Pompelone à Mahomete Miramolino obsessa, & Fortunio rege capto, & post viginti annos soluto, deque Fortunii viuacitate, quippe qui centum viginti quinque annos vixerit, quia Chronicis Nauarræ & Aragoniæ ex diametro repugnant, neque temporum ratio respondet, consulto prætermitto, quum tamen Rodericus Archiepiscopus Toletanus quem Nauarrum fuisse affirmant, in historia Arabum hoc ipsum memoria proditum reliquerit.

843. Alfonsus Magnus præterquam quod pietatis studio thesauros paternos in ecclesias & pauperes erogauit, etiam ecclesiam diui Iacobi quæ terrea prius erat, lapide quadrato construi iussit, & columnis marmoreis exornauit.

844. Toletani fines Christianorum hostiliter depopulantes, profligati sunt. Bernardus Carpiensis qui omnibus his præliis interfuit, quum frustra sæpe rogasset regem, vt patrem ipsius solueret, grauiter commotus, in territorio Salmanticensi, in colle quodã arcem com-

cem com-

cem communiuit, quod Carpium appellatum est, à quo & ipse Carpiensis dictus est. Ex quo regios fines frequentibus excursionibus infestos reddidit, eoque angustiæ regem adduxit, vt ad pacis conditiones descendere coactus sit, patremque ipsius se redditurum promiserit, si ipse Carpium regi dederet. Accepit conditionem Bernardus, sed Comites missi ad soluendum atque adducendum patrem, iam fato functum inuenerunt. Rex tamen etiam mortuum adduci iubet, atque ita compositum, vt viuus videretur, ipse quoque in occursum eius cum Bernardo prodiit. Qui cum patrem defunctum reperisset, fortunam suam detestari ac deplorare cœpit, qui & patre orbatus esset, & arce sua Carpiensi. Rex ait, non esse locum lachrymis, alia consilia quæreret, & regnis ipsius quam primum cederet. Ita ad Gallos profectus dicitur, atque ab illis magnifice susceptus Bernardus Carpiensis, vir maximis viris comparandus, si fortuna virtuti respondisset. *An. Dom.*

Alfonsus rex Conimbricam à Sarracenis obsessam liberauit. 859.

Ennico Arista defuncto, Nauarræ regnum iniit Garsias Eniecus filius ipsius, vir non minus integritate vitæ, quam armis præstans, qui vxorem duxit Vrracam, fœminam primariam, cum qua iam grauida ac partui vicina, dum incautius per montes iter faceret, nec opinato hostium insultu oppressus, fortiter pro fide dimicans interiit. Regina quoque letali vulnere in vtero confossa periit, illæso tamen infantulo. Accidit vero, vt iam digressis Barbaris nobilis quidam cui Gueuaræ nomen fuisse affirmant, ad eum locum forte accederet, & infantem per vulnus manum extendentem & velut eluctantem conspicaretur. Miseratus vtriusque vicem, cæso matris vtero eduxit infantem, ac domi suæ diligenter eduxit, quod non sine testibus factum est, vt quando res ipsa posceret, facto fides constaret. Regnauit hic Garsias annis 30. iis tamen alii nouem detrahunt, quibus ego magis accedo. 860.

Alfonsus Toletanos crebris excursionibus eo redegit, vt trium annorum inducias magno redimere coacti sint. Eodem fere tempore ecclesiam sanctorum martyrum Facundi & Primitiui magnifice construxit, quam posterius Sarraceni diruerunt. 864.

Hoc anno, nempe æra nongentesima quarta, decessit ex hac vita sanctissimus Compostellæ præsul Athaulphus, cuius vitæ integritas & innocentia eo miraculo diuinitus probata est, quod superius anno octingentesimo trigesimo primo retulimus. Infula vero cum qua sacrum illo die celebrauit, tantæ virtutis extitit, vt si quis alicui iusiurandum daturus, illam indueret, & forte periurus esset, ea exui nequaquam valeret. Sisnandus huic quartus illius ecclesiæ successit episcopus, adeo labori sanctæ prædicationis intentus, vt despectis secularium rerum negotiis, contemplationi totus inhæreret. Is vitam ac sanctitatem decessoris sui mente repetens, ardenti pietatis studio in Asturias se contulit, & sancti viri corpus Compostellam translatum, cum summa reuerentia sepeliuit. De quo Sisnando suo loco plura dicemus. 866.

Hoc anno excessit è rebus humanis Mahometes Miramolinus Hispaniæ, secundum numerum Alfonsi decimi. Toletanus & Rases aliquot annis posteriorem ponunt. Reliquit 34. filios, & 20. filias. Hic cum forte die quodam in horto regio deambularet, & quidam de astantibus diceret, Quam amœnũ viridarium, quam pulchra dies, quam iucundum seculum, nisi mors omnia disturbaret: Erras, inquit rex. nam nisi mors esset, ego nequaquam regnarem. Ex Archiepiscopo Toletano. Successit filius eius Almundir, qui regnauit annis duobus secundum Toletanum, secundum Rasen vero anno vno, sex menseis, dies quindecim. Reliquit sex filios, filias septem. 874.

Post mortem Almundir, Abdalia in fratris locum receptus, regnauit annis viginti quinque. 876.

Rex Alfonsus ecclesiam Sancti Iacobi, quam nouam, vt diximus, construxerat, reditibus annuis, auro, argento, gemmis preciosis, vestibus sacris locupletauit, eandem Ioannis octaui autoritate consecrari fecit. Cuius consecrationi ac dedicationi interfuerunt episcopi sequentes: Vincentius Legionensis, Gometius Asturicensis, Hermenegildus Ouetẽsis, Didacus Tudensis, Egila Auriensis, Sisnandus Iriensis, Recaredus Lucẽsis, Theodesindus Britoniensis, quorum ciuitates iam à Christianis possidebantur. Preterea Ioannes Aucensis, Dulcidius Salmanticensis, Iacobus Cauriensis, Faustus Conimbricensis, Ardimirus Lamecensis, Theodemirus Visensis, Guimagus Portugallensis, Argimirus Bracarensis, Heleca Cæsaraugustanus, quorum ciuitates partim à Sarracenis occupatæ, partim desertæ erant. Episcopi vero partitis sibi territoriis, in diœcesi Ouetensi, vitam vt poterant, exigebant: vnde olim Ouetum ciuitas episcoporum dicta est, vt annotauit Archiepiscopus Toletanus, apud quem lib. 5. cap. 17. extat exemplar literarum Apostolicarũ 877.

An. Dom. Ioannis Octaui, de consecratione ecclesiæ S. Iacobi. Huius rei mentio fit etiam in historia Compostellana. Sed in alio libro peruetusto inueni, quod consecrata fuit æra nongentesima vigesima septima, quinto Nonas Maii, hoc est, anno Domini octingentesimo octogesimo nono. Sed eo iam tempore Alfonsus Magnus ad superos migrauerat ex hac vita. Proinde suspicor numerum æræ vitiosum, & legendum æra nongentesima decima septima, hoc est, anno Domini octingentesimo septuagesimo nono. Eodem fere tempore ecclesia Ouetensis, auctoritate eiusdem Ioannis Octaui, rogatu Alfonsi regis, metropolitana facta est, quod nullus esset in Hispania metropolitanus episcopus. Nam reliquæ ciuitates quæ metropolitanæ quondam fuerunt, Barbarorum graue iugum trahebant. Bracara etsi multo ante Sarracenis erepta, tamen in congeriem versa lapidũ, vt ex archiuis eiusdem ecclesiæ constat, ne episcopũ quidem, nisi titulo tenus, habebat. Quæcunq; vero ecclesiæ Bracarensis erant vsque ad muros ipsius ciuitatis, Rex Ordonius, superiorne, an aliquis ex posterioribus, ecclesiæ D. Iacobi donauit. Paulo post sub eodẽ Pontifice Compostellanam ecclesiam metropolitanã factam aiunt, rogatu Caroli tertii regis Francorũ, qui Caluus cognominatus est. Ita fere qui de Sanctis Hispaniæ scripserunt, cuius rei miror nullam extare mentionem, neque apud Tudensem, neque apud Archiepiscopum Toletanum, neque in Chronicis regis Alfonsi. Gerundensis episcopus autor est, Emeritensis ecclesiæ metropolitanam dignitatem primum in Ouetensem, deinde in Compostellanam fuisse translatam, immunitate tamen Ecclesiæ Ouetensi concessa. Laurentius à Padilia qui inter cæteros superioris opinionis autor est, addit circa annum Domini centesimum vigesimum supra millesimum, à Calixto Papa eius nominis secundo, quæcunque Emeritẽsis ecclesiæ iurisdictioni subesse solent, in Ecclesiam Compostellanam translata fuisse. Sed de hac re vide, quæ superius in capite de recentioribus episcopatibus scripsimus.

884. Alfonsus rex Zamoram profectus, filium Garsiam in vincula coniecit, quod matris instinctu, & soceri Munionis auxilio, contra ipsum hostilia moliretur, ac regno inhiaret. Quæ res cæteros filios, vinculis fraternis grauiter exacerbatos, in ipsum vehementer excitauit. Zamoram siue Zemoram hic rex Alfonsus instaurasse atque à Mauris obsessam liberasse, & hoc nomen ex euentu militis vaccam nigram vocantis (eas enim armentarii vulgariter moras appellant) imposuisse dicitur, & in ea templum S. Saluatoris condidisse. Sed Florianus aliam huius nominis rationem ponit. Affirmat enim Zamoram quæ olim Sentica dicta sit, post Arabum vastationem Medinam Zamorrathi ab eis appellatam, atque ea voce ciuitatem Turquesarum significari. Nam Medinà accentu in vltima ciuitatem sonat Arabibus: Zamorrathi lapis Cyaneus est, quem Turquesam vulgo dicimus. Ideo autem sic ab illis appellatam arbitratur, quod scateant rupes omnes in toto tractu Zamorensi vena lapidis Cyanei. Idem affirmat hanc ciuitatem à Ferdinando rege, Sanctii & Alfonsi patre, instauratam, postquam fuit ab Almanzore & incendiis consumpta & funditus diruta. Alii etiam huius nominis etymologiam dare volunt, & adhuc sub iudice lis est.

886. Alfonsus filiorum persecutionibus grauiter pressus, eaque molestia defungi cupiens, regnum Garsiæ filio cessit, ipse Compostellam orationis causa ad visitanda beati Iacobi limina profectus est, postea semel atque iterum expeditiones secundas in Sarracenos fecit.

887. Alfonsus rex vita bene peracta, & regno laudabiliter administrato decessit ex hac vita Zamoræ, inde Asturicam delatus, non multo post tempore translatus Ouetum, ad diuæ Virginis conditus est eodem monumento cum vxore Ximena, quæ tamen viuum maritum debita pietate prosequuta non est. Successit patri Garsias primogenitus, regnauit tribus annis, qui initio regni contra Arabes in expeditionem profectus, graui illos damno affecit, capto illorum regulo Ayola, qui tamen custodum incuria effugit. Demum nulla alia re insigni gesta Zamoræ fato concessit, nullo relicto hærede, inde delatus Ouetum, ibique sepultus est.

890. Post eum regnauit frater ipsius Ordonius secundus, annis octo, mensibus sex. Hic patri similis multa præclara gessit, & eo adhuc superstite, hostili agmine in Bæticam vsque profectus male Barbaros multauit: deinde initio regni Talabricam obsedit, & occisis qui obsessis suppetias venerant, hostibus pariter & vrbe potitus est. Postea cum duce Cordubẽsi & rege Tingitaniæ ad diui Stephani in ripa Durii collatis signis, gloriosa victoria triumphabundus ad suos rediit. Non multo post, contra Emeritam ducto exercitu, Lusitaniã adeo ferro atq; igni vastauit, vt Lusitani desperatis rebus, inducias magno redimere coacti sint. A qua expeditione Legionẽ magno cum honore reuersus, ecclesiã cathedralem

lem quæ prius extra ciuitatem erat, in palatium ipsius ciuitatis propter Sarracenorum insultus, de concilio Fruminii episcopi & aliorum præsulum transtulit, atque in honorem diuę virginis dedicauit. In qua ipse à duodecim episcopis regio diademate fuit insignitus.

Garsia Enieco rege Nauarræ occiso in conflictu, vt supra diximus, octodecim anno- 891.
rum interregnum fuisse aiunt, tantisper dum Sanctius Garcesius Auarca educaretur, qui tamen anni Sanctio Garcesio adsignandi sunt, alioqui male respondet annorum calculus. Cum igitur Nauarri & Aragones indictis comitiis Iaccam ad creandum regem conuenissent, nutritius Garcesii adolescentem peronatum, & rusticis indutum vestibus, magnatibus exhibuit, Garsiæ Enieci filium & legitimum regni successorem affirmans. Cuius rei fides cum prolatis monumentis constaret, omnes inopinato atque incredibili gaudio perfusi, magnis gratulationibus, faustisq; acclamationibus regem consalutarunt, qui à peronibus quibus vti consueuerat, quas Auarcas Hispani appellant, Auarca cognominatus est. Vxorem habuit Thodam siue Theodam, ex qua Garsiæ Sanctii, Vrracæ, Sanctiæ, Mariæ, Velasquitæ, quam alii Blancam appellant, pater fuit, regnauit annis triginta sex, deinde multis rebus aduersus Sarracenos præclare gestis, ex hac vita decessit, sepultus ad Diui Ioannis à Pegna.

Rex Cordubensis tot Ordonii regis in suos expeditiones indigne ferens, cum maxi- 893.
mis copiis in Galleciam vsq; venit, cum quo ancipiti prælio conflixit Ordonius, sed tandem multis vtrinque cæsis, æquo Marte discessum est. Idem non multo post, conuocata infinita Sarracenorum etiam ex ipsa vsque Africa multitudine, Nauarræ fines hostili agmine ingressus, omnia ferro ac flammis miscere cœpit. cui cum imparem se Nauarræ rex videret, auxilia regis Ordonii poposcit. Nec ea cunctanter præstitit Ordonius, sed ad vallem Iuncariam hosti obuiam factus, prælium impigre commisit, in quo Deo ita volente, Sarraceni superiores fuere. De qua re, quæ Resendius noster ex libris, opinor, ecclesiæ Compostellæ olim descripsit, hic adscribere visum est. Ea habent ad hunc modum. Ordonius rex in valle Iuncaria victus ab Abderamine Miramolino Hispaniæ & rege Cordubæ, multis vtrinque cæsis, & duobus episcopis captis, Dulcidio Salmanticensi & Hermoigio Tudensi, & Cordubam in diros carceres abductis, quorum Hermoigius impatiens ingrauescente ætate ac pertæsus, Pelagium sobrinum suum pro se obsidem dedit, tantisper dum reuersus ad suos, captiuis missis illum redimeret. Cuius pulchritudine captus Abderamen, per iocum illum tangens, & lasciuis blandimentis sanctum & pudicum iuuenem vel in sectam suam nefariam, vel nefandos amores pellicere dum tentaret, Tolle canis, inquit Pelagius, & scissa veste ostendit se malle pro Christo mori, quam vitiis inquinatum viuere. Cumque tyranni lenocinia nihil aduersus illius constantiam proficeret, amore in furorem verso, imperat ministris, vt forcipibus ferreis strictũ membratim scindant, atque in flumen proiiciant. Quod illi mandatum non pigre facientes, ab hora diei tertia vsq; ad vesperam, non dicendis crudelitatibus in eum debacchati sunt. Tandem amputatis tibiis, brachio, manibus, ceruice, in fluuium pręcipitarunt, ex quo Christianorum diligentia extractus, sepulturæ datus est. Caput in cœmiterio S. Cypriani, reliquum corpus ad S. Genesii sepultum est. Passus est die Dominico, hora decima, septimo Calendas Iulii, Iesum Christum semper inuocans, natus annos XIV. menseis sex. Hactenus ex commentario Resendii. Passionem huius sanctissimi martyris heroico carmine descripsit Rhosuita, virgo nobilis de gente Saxonica, quæ per ea tempora floruit, sed rem paulo aliter refert, nimirum quod Abderamen collecto exercitu in Galleciam profectus, & victoria potitus, 12. Comites cum Principe ceperit, & aliis pacto precio dimissis, Principi tantam imperauerit pecuniæ summam, vt soluendo nõ esset. Quare ipsum duris constrictum vinculis, Cordubam secum adducere parauit, sed filius Pelagius senectutis & conditionis paternæ misertus, persuaso patre, vicaria seruitute ipsum redemit, & captiuus Cordubam ductus est. De cuius pulchritudine cum nunciatum esset Abderamini, impurus homo nefando illius amore exardescens, adductum ad se adolescentem blandimentis in amorem sui pellicere conatus, cum adeo nihil proficeret, vt osculum porrigenti pugnum Pelagius impingeret, iussit furiosus tyrannus, vt funda machinali trans Bætim fluuium eiaculatus scopulosis rupibus illideretur. Ex quo periculo Dei gratia cum euasisset, regis iussu gladio percussus, martyrii coronam accepit. Corpus in aquam proiectum à piscatoribus inuentum, ac Christianis magno venditum, & religiose sepultum, plurimis claruit miraculis. Sic illa martyrium huius sancti refert: sed neque Princeps captus est, neque Pelagius principis filius fuit. Verum non mirandum, si tam procul distanti, res aliquanto aliter quam gesta est, relata fuerit, quum alioqui summa rei eodem redeat.

An. Dom. Ordonius hac offensione magis irritatus quam territus, instaurato exercitu regiones
896. Barbarorum ingressus, magnam in illos cædem fecit, plurimaque illorũ oppida sibi subiecit. Vnde præda onustus Zamoram reuersus, quantum voluptatis ex tam felici conceperat expeditione, tanto mœrore affectus est ex morte vxoris, quam defunctam reperit. Sed tot belli decora, fraus illa obscurauit, qua Ordonius Comites Castellæ Nunium Ferdinandum, & Almondarem Album cum filio huius Didaco ac Ferdinando Ansuri, publica fide per speciem colloquii euocatos, primum in vincula coniecit, deinde neci dedit. Habuit hic tres vxores, Geloiram siue Eluiram, Araguntium ex Gallecia, quam repudiauit, Santinam siue Sanctiam, Garsiæ Enieci Nauarræ regis filiam. tandem Zamoræ rebus humanis sublatus, sepultus est Legione in ecclesia cathedrali.

898. Ordonii regnum Froila frater inuasit, eoque annum & menses duos potitus est. Hic ex vxore sua Muninadonia liberos sustulit Alfonsum, Ordonium, Ranimirum, & alium ex concubina, cuius nomen silentio obliteratum est. Nihil hic laude dignum gessit. Filios Olmudi viri nobilis innocentes morte affecit, & fratrem eorum Fronimium, Legionensem episcopum, exilio insontem multauit. Tandem lepra percussus vitam ingloriam finiuit, sepultus Legione, cuius morte Legionensis episcopus suæ sedi restitutus est. Hoc tempore Castellæ prouincia propter scelus Ordonii regis in Comites suos admissum, à fide regum Legionensium defecit, atque ex nobilitate sua duos iudices communi consensu creauit, quorum alter de rebus ciuilibus, alter de bellicis cognosceret. Ii fuere Nunius Rasura, auus Ferdinandi Gundisalui, primi Castellæ Comitis, & Flauius Caluus, abauus Roderici Diaz à Biuar qui Cidus cognominatus est. Nunius Rasura Castellæ veteris fines Pisorgam siue Pisoricam fluuium posuit, qui eam à regno Legionensi disterminaret. In codice quodam admodum vetusto reperi, hunc Ordonium regem duos episcopatus, Mindoniensem & Legionensem instituisse. Quod de Mindoniensi facile crediderim: sed Legionensem restituit, non instituit. Nam Legionensis episcopatus in antiquis conciliis plurima fit mentio.

899. Froila defuncto, quia filii Froilæ nondum per ætatem regno maturi erant, regnum à proceribus aulæ Alfonso quarto, Ordonii regis filio, delatum est. Quod quum per annos quinque & menses septem administrasset, leuitate magis quam pietate ductus vitam monasticam ad diui Facundi professus, regnum fratri Ranimiro cessit, postquam ex vxore Ximena, filia Sanctii regis Nauarræ, Ordonium Malum sustulisset. Verum post pœnitentia ductus, quum ad regnum amissum aspiraret, à Ranimiro perpetuo carceri mancipatus est. Alii tamen, inter quos Lucas Tudensis, Alfonsum hunc & Ranimirum Froilæ filios fuisse affirmant. Quibus ego magis accederem, nisi iidem dicerent filios Froilæ, quia Alfonso fauebant, pariter cum illo excæcatos.

905. Ranimirus frater, Alfonso oculis orbato atque in carcerem recluso, regnauit annos vndeuiginti, menses duos. Hic pœnitentia ductus eorum quæ in fratrem & nepotes admiserat, monasterium Diuo Iuliano sacrum non procul Legione condidit, in quo illis quamdiu vixerunt, omnia necessaria benigne ac pie suppeditauit, vbi & sepulti sunt, simul cum regina Ximena, Alfonsi quarti vxore. Principio regni, fines Toletanorum infesto agmine ingressus, Madritiũ cepit & muris nudauit, ac spoliis onustus cum magno captiuorum grege ad suos reuersus est. Qua re offensi Sarraceni, magnis copiis Castellam inuadunt. Quod quum Ferdinandus Gundisaluus, magnus ille Castellæ Comes, qui tum forte Castellæ dominio cum titulo Comitis inauguratus fuerat, Ranimiro regi nuntiasset, ille nihil cunctatus Comiti se iunxit, ac iunctis exercitibus copias Arabum apud Oxomam ciuitatem fundunt fugantq;, multis tamen illorum occisis. Hinc factũ dicit Tudensis, vt Castellani iterum se in fidem regum Legionensium dederint. Postea cõtra Cæsaraugustam dicti principes coniunctis copiis profecti, Regulum Abenaiam imperata facere coegerunt, & se suaque omnia in fidem & clientelam Ranimiri dedere. Sed ille præsenti metu ac periculo liberatus, fidem violauit, & Abderamini Miramolino cui iam ante sacramento militari obstrictus erat, iunctus, cum illo ad vastandam Castellam venit. Sed ad Septimancas fusi, die festo sanctorum martyrum Iusti & Pastoris, qui est octauo Idus Augusti, cecidere Barbarorum, secundum Tudensem & Toletanum, octoginta: secundum Pet. Ant. Beuterum, triginta millia. In Toletano manu scripto ponuntur septuaginta millia. Abenaia captus, Abderamen cum viginti tantum equitibus fuga sibi consuluit. Reliqui capti apud Alfondigam oppidum, quo se receperant. Hoc tempore fuit eclipsis solis per horam integram.

915. Sarraceni hortatu & fauore duorum magnatum Legionensium, Ferdinandi Gundisalui & Didaci Munionis, per ripam Thormis agrum Salmanticensem ingressi, omnia

longe lateque depopulati sunt. Quod Ranimirus indignissime tulit, non tam ob Barbarorum insultum, quam quod suorum clientum instinctu factum esset. Proinde Barbaros male multatos in fugam conuertit, nobiles vero carceri mancipauit, quos tamen paulo post metu seditionis soluit, sed prius iuratos, se constanter ac fideliter in amicitia & obsequio eius permansuros. *An. Dom.*

Hoc anno Abderaminem Miramolinum Hispaniæ, & Cordubæ Regem regnum inijsse aiunt, nimirum anno Arabum trecentesimo: verum hoc ratio historiæ non patitur. Nam iam aliquot ante annis res gessisse, præter alios omnes, etiam ipse Archiepiscopus Toletanus, ex quo hæc annotauimus, testatur: nisi velimus dicere, ipsum patris auspiciis ea gessisse. sed ne hoc quidem verisimile videtur, neque vllum eius rei testimonium in autoribus apparet. Regnauit quinquaginta annis. 918.

Hoc anno, secundum historiam Compostellanam, fato concessit Sisnandus quartus Compostellanus episcopus, cuius tanta fuit fama sanctitatis, vt Ioannes Papa, opinor, decimus (nam audiendi non sunt, qui decimum tertium fuisse dicunt) per literas & tabellarium proprium se precibus ipsius commendauerit. Mortuus est autem senio confectus. In cuius obitu, voces auditæ sunt angelorum canentium, Veni electe Dei, & intra in gaudium Domini tui. Hic ecclesiam S. Iacobi amplificauit, & duo monasteria Compostellæ condidit, quorum alterum etiam hodie D. Martini dicitur, eo consilio, vt si quis ecclesiæ seniorum sub regula ac disciplina D. Benedicti, criminum sordes pœnitentiæ lachrymis expiare vellet, opportunitate loci non destitueretur. Extruxit & ptochodochium, vel potius gerontocomium, quod Louium S. Felicis appellatum est, quia in illo S. Felicis reliquiæ reconditæ erant: vt quicunque ex familia ecclesiæ Compostellanæ senio grauarentur, illuc se ad quietem tanquam emeriti conferrent, & ecclesiæ facultatibus alerentur. Præterea quotquot reperire potuit ex genere eorum qui sanctum episcopum & auunculum ipsius tam nefanda proditione apud Regem detulerant, regio decreto & autoritate ecclesiæ Compostellanæ, ad obeunda seruilia ministeria in perpetuam seruitutem tradidit. Successit illi Gundesindus quintus Compostellanus præsul, & Comitis cuiusdam filius: sed hic dum mundo quam Deo magis deditus esset, vitam non satis pio fine clausisse dicitur. De qua re mater eius matrona pia, graui confecta dolore, & de anima filii vehementer solicita, ante aram beatissimi Iacobi Apostoli diuinam misericordiam dies noctesque non destitit implorare, & fletibus, precationibus, ieiuniis, eleemosynis sibi demereri, interposito diui Iacobi patrocinio, donec quadam nocte in templo eiusdem Apostoli, vocem hanc audiuit: Scias filium tuum hac nocte ad electorũ societatem admissum fuisse. Ex historia Compostellana. Gundesindo subrogatus est Hermigildus sextus Compostellanus episcopus, de quo quæ in historia Compostellana legi, quia mihi non solum notatu digna, sed etiam ad exemplũ pertinere visa sunt, ad verbum hic transcribenda duxi. Ea sunt huiusmodi. Hermigildus in episcopum electus, post electionem prauis desideriis huius præsentis exilii deditus, dum vixit, iniquitatis dominio mentis colla submisit. Cum autem paulo ante diem sui exitus vehementi ira commoueretur, cuidam viduæ vnam vaccam cuius lacte se filiosq; suos pascebat, auferri præcepit. Altera ergo die ei cum militibus suis inter epulas sedenti, dapifer suus vnum ex intestinis illius vaccæ, quod Galleco vocabulo Duplicia nuncupatur, in scutella argentea inter alia fercula apposuit. Ipse vero dapum diuersitate iam distentus, atq; nectaris liquore ingurgitatus, cum priori morsu appositæ dupliciæ quam comedere voluit, medio ventris, eis qui intererant videntibus, crepuit. Postquam autem sepultus fuit, monumentum eius combustum fuisse, à quamplurimis audiuimus, & etiam ipsius combustionis signa propriis oculis ipsi conspeximus. Hæc ibi. In alio libro antiquo legi, quod œconomus huius episcopi, vaccam illam accepit à vidua octo filios habente. Quæ cum ad pedes Pontificis cum lachrymis se proiecisset, nullam consequi misericordiam potuerit. Reliqua respondent, sed illud adiicitur, quod Hermigildus iste præsul lumbos præcinctos non habuerit. 920.

Ranimirus vltimo regni sui anno Talabricam in regno Toletano obsedit, cui dum 923.
Sarraceni resistere conantur, ad duodecim fere millia cæsi, septem millia capti sunt. Confectis his bellis totus ad pietatis studia conuersus, monasteria aliquot condidit: primum Legione iuxta Palatium regium, in quo Geloiram siue Eluiram filiam suam, ex regina Tarasia, Garsiæ Tremuli Nauarræ Regis sorore, Deo dicauit: alterum Diuo Andreæ Apostolo, & Diuo Christophoro sacrum, ad fluuium Ceam: tertium in honorem sanctissimæ Virginis, in ripa Durii: quartum in valle Ornæ, quæ nunc dicitur Destriana, inquit Toletanus, Diuo Michaeli dicauit: Filium Ordonium Vrracæ, Ferdinandi Gundisalui Castellæ Comitis filiæ, matrimonio iunxit.

An.Dom.

924. Ranimirus Ouetum orationis causa profectus, in morbum fatalem incidit. vnde Legionem delatus, & sacramentis ecclesiasticis pie communitus, abdicato quod à fratre susceperat regno, atque in hæc verba prorumpens cum lachrymis: Nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc: Dominus mihi adiutor, non timebo, quid faciat mihi homo: mox animam autori suo reddidit. Sepultus Legione ad Diui Saluatoris, quod monasterium filiæ suæ, vt diximus, construxerat. Patris defuncti regnum excepit Ordonius tertius, quem Sanctius frater auxilio Regis Nauarræ auunculi & Ferdinandi Gundisalui Castellæ Comitis fretus, regno deturbare conatus est. Sed consiliis non succedentibus, Ordonius rem tam indignam iniquo animo ferens, Vrracam vxorem Comitis filiam repudiauit, eique Eluiram superduxit, ex qua suscepit Veremundum Podagricum, regnauit annos quinque, menses sex. Mortuus est Zamoræ, sepultus Legione ad Diui Saluatoris. Huius tempore Regis, Almanzor Sarracenorum dux bellicosus, & primariæ post Abderamenem autoritatis, cum exercitu numeroso contra Castellam venit, cui Ferdinandus Gundisaluus Comes, nihil animo fractus, obuiam ire constituit, & animatis suis qui numero tantum trecenti erant, dum cæteri ad expeditionem se comparant, ipse venatum profectus, atque aprum ardentius sequutus, ad monasteriolum Diui Petri, quod in ripa Aslantiæ fluminis vepribus ac dumetis obsitum latebat, forte delatus est. Quo cum peruenisset, religione motus loci, preces deuotas Deo cum lachrymis obtulit, patriam & se suosque omneis illi ex animo commendans. Mox à Pelagio monacho sancto ad pauperem cœnam inuitatus, totam noctem in precationibus & lachrymis traduxit. Postridie vero ab eodem Pelagio de fœlici euentu prælii certus, alacrisque ad suos reuersus, magno animo in hostes ruens, tantam in illos cum tam exiguis copiis stragem dedit, vt vix Almanzor ipse cum paucis effugerit. Quo tam felici successu lætus, & spoliis diues reuersus ad suos, Pelagium monachum cum sodalitio suo multis magnisque beneficiis cumulauit. Hoc fere tempore Burgensem ciuitatem à Comite Didaco, cognomēto Porcello, conditam aiunt: sed F. Alfonsus Venerus conditionem siue instaurationem illius multo antiquiorem facit, nempe anno octingentesimo septuagesimo quarto. Ordonius Comiti Castellæ reconciliatus, auxilia illi mittit, quibus Sarracenos in ripa Durii ad Diui Stephani oppidum fudit.

927. Sanctius Auarca Rex Nauarræ fatali morte peremptus, siue (vt aliqui produnt) à Comite Castellæ in acie occisus, in quo conflictu & ipse Comes letali vulnere affectus fuerat, obiit multis rebus præclare gestis. Cui successit filius eius Garsias qui Tremulus cognominatus est, quod in primo congressu præliorum contremiscere, & toto corpore perhorrescere sit solitus, quum alioqui in ipso conflictu fortissimus esset, & omnium maxime intrepidus. Michael Ritius temulentum cognominat, nescio an ipse satis sobrius. Forte tremulenti vocabulum quod apud scriptores alios inuenit, quo & Raphael Volaterranus vtitur, vitiatum putauit. Hic omnibus virtutibus egregio Principe dignis cumulatus, maximas sæpe de Barbaris victorias consequutus est, & regnauit annis triginta quinque, tametsi Marinæus Siculus tantum viginti octo ponat. Vxorem duxit Constantiam, fœminam primariæ nobilitatis ex Asturiis, ex qua Sanctium Maiorem sustulit, qui dictus est Imperator Hispaniæ, sepultus ad diui Ioannis à Pegna.

929. Ordonio tertio successit Ordonius quartus, filius Alfonsi quarti, cui Ordonio malitia sua & cognomentum Mali indidit, & regnum pariter cum vita ademit. Siquidem à Sanctio Crasso prope Cordubam occisus dicitur. Huic nulli adscribuntur anni, quia neque legitimus regni successor, & alioqui tam malus, indignus iudicatus est qui in Regum catalogo poneretur. Sanctius qui à mole saginæ qua prægrauabatur, Crassus cognominatus est, filius Ranimiri, & frater Ordonii tertii, regnauit annis 12. Qui tantæ pinguedinis impatiens, quum ad eam leuandam nihil intentatum reliquisset, ex consilio Garsiæ Regis Nauarræ, ad Abderamenem Miramolinum & Cordubæ Regem facta cum eo pace profectus, atque honorifice susceptus, inter experimenta medicorum quorum erat apud Abderamenem magna turba, virtute cuiusdam herbæ curatus, atque ad maciem deductus est. Postea reuersus, magna ab eodem auxilia accepit ad recuperandum regnum quod Ordonius Malus auxilio Comitis Castellæ inuaserat. Sed Ordoniu[s] audito aduentu Sanctii, vt erat animo degener, desperatis rebus ad Comitem soceru[m] suum fugit. Nam Comes Castellæ, filiam suam Vrracam ab Ordonio tertio repudiatam nuptum illi dederat: sed perspecta eius ignauia, simul & filiam ademit, & illum finibus su[is] exclusit.

931. Almanzor memor acceptæ cladis, & maculam tantam abolere cupiens, non solu[m] collecta in Hispania, sed ex ipsa vsque Africa euocata, tanquam pro communi asseren[da]

rei

religione, infinita Barbarorum multitudine, vaſtandam Caſtellam venit. At Ferdinandus Gundiſaluus Comes cum quadringentis quinquaginta equitibus & quindecim millibus peditum obuiam profectus, maiori eos quam prius clade affecit. Continuatum eſt per tres dies prælium, niſi quantum nox interualli reficiendis corporibus dedit. Poſtremo die diuus Iacobus in acie viſus Chriſtianis laborantibus opem ferre. Quod Pelagius monachus iam fato functus, in ſomnis Comiti futurum prædixerat. Nam Comes priuſquam tam ancipiti prælio ſe committeret, ad monaſterium Diui Petri, de quo iam diximus, Pelagii precibus ſe commendaturus acceſſerat. Quem vt cognouit mortem obiiſſe, ægre animo affectus, ab eodem in ſomnis confirmatus eſt.

Taraſia Regina Legionenſis, Sanctii Auarcæ Regis Nauarræ filia, capitali odio in Comitem Caſtellæ incenſa, quod patrem ipſius occidiſſet, cupida vindictæ, per ſpeciem beneuolentiæ perſuaſit illi, vt Sanctiam Garſiæ Tremuli filiam, neptem ipſius ex fratre, vxorem duceret. Quod coniugium cum Comiti haud aſpernandum videretur, illa fratrem Garſiam Nauarræ Regem clam per literas hortata eſt, ne occaſioni vlciſcendæ mortis paternæ deeſſet, Comitem illuc ad petendam Sanctiam filiam eius ex pacto iturum, ne inimicum elabi è manibus inultum permitteret. Paruit conſiliis ſororis Garſias, & contra fidem datam Comitem in vinculis duriter habuit. Quod quum Sanctia Comiti ſua cauſa contigiſſe cognouit, oblita ſui ſexus, oblita dignitatis, animo ſumpto pluſquam viri li, acceptaque coniugii fide, Comitem carcere eductum in Caſtellam magno ſuo periculo ſequuta, & matrimonio iuncta, memorabile in omne æuum amoris ac fidei coniugalis exemplum fuit. 932.

Garſias Nauarræ Rex, tanquam ablatæ filiæ vindicaturus iniuriam, infeſto agmine in Caſtellam venit, ſed commiſſo prælio captus, quod Comiti fecerat, viciſſim paſſus eſt. Verum paucis poſt menſibus, vinculis filiæ precibus ſolutus, in regnum ſuum reuerſus eſt. Cæterum de his rebus in hiſtoria Nauarræ nulla fit mentio. 933.

Comes Caſtellæ à Legionenſi Rege vocatus ad comitia, tametſi fraudem præſagiret, 936. tamen potiorem fidei quam ſalutis ſuæ rationem ducens, ſeptem duntaxat comitatus equitibus, eo profectus eſt. Quo quum perueniſſet, nihil fefellit euentus expectationem ſuam. Mox enim in vincula duci iuſſus eſt, atque in catenis adſeruari, inuidia ſtimulante. Quæ res cum male Caſtellanos haberet, Sanctia Comitis vxor per omnia ſui ſimilis, imo vero hac in re ſeipſa ſuperior, maritum quoquo pacto liberandum duxit, & peregrinantis induta perſonam, Compoſtellam proficiſci religionis ergo finxit, factoque per Legionem itinere, primum copiam vidēdi mariti ſibi fieri poſtulauit, deinde petiit, vt ea ſaltem nocte ſine catenis eſſet. Rex per omnia ſatisfaciendum voluntati tantæ matronæ duxit. At illa poſtridie antelucano, mutatis cum marito veſtibus, vicaria captiuitate illum liberauit. Cumque Comitem iam eſſe in tuto arbitraretur, Regi nunciat ſe in carcere teneri, rogare, vt ſolueret, neque durius quicquam in fœminam regiam & cognatam ſuam conſuleret. Rex vbi dolum ſenſit, primo ſtomachari, mox admirari conſtantiam ac virtutem Sanctiæ, poſtremo laudata illius in maritum pietate, cum honorifico comitatu iuſſit ad Comitem deduci. Ita bis maritum ſingulari pietate maximis periculis liberauit Sanctia, digna cuius laudes omnes libri perſonarent.

Hoc ferme tempore Sanctius Rex Caſtellam quam Ferdinandus Gundiſaluus in feu- 937. dum tenebat, ex fœdere liberam eſſe iuſſit, propter æs alienum cui ipſe ſoluendo non erat. Per eoſdem fere dies Rex Sanctius, renouato cum Abderamene fœdere, miſit ad illum Velaſcum epiſcopum Legionenſem cum aliis legatis qui peterent ab illo corpus Pelagii martyris, de cuius glorioſo martyrio ſuperius diximus. Quod poſt mortem illius Legionem allatum, a filio Ranimiro maxima cum veneratione depoſitum eſt in theca argentea, in monaſterio quodam quod Rex ea gratia conſtruxerat.

F. Alfonſus Venerus memoriæ prodidit, hoc anno ignem è mari ortum, in diuerſas 939. Hiſpaniæ parteis Zamoram vſque diffuſum, multa Hiſpaniæ oppida incendio conſumpſiſſe. Huius tempore Regis, Sarraceni Legionem obſediſſe dicuntur, ſed magna virtute repulſi, re infecta inglorii deceſſiſſe.

Sanctius Gallecos rebelles domuit ad Durium vſque, cumque Comitem quendam 940. Gundiſaluum bello petiturus videretur, ille rebus ſuis timens, ſupplex ad Regem venit, ſeque & ſua omnia illius fidei dedens, ad omnia imperata ſemper præſto ſe fore pollicitus. Sed aliud ore ac fronte præ ſe ferebat, aliud pectore celabat homo impurus. Nam poſtquam illi iam fides apud Regem erat ſynceræ veræque amicitiæ, omnis diuini atque humani iuris oblitus, venenum domino ac Regi ſuo in pomo miſcuit. Quod vbi Sanctius hauſiſſet, mortem imminere ſentiens, Legionem properauit, ſed tertio poſt die in

An. Dom. itinere obiit, ſepultus Legione iuxta patrem, ad Diui Saluatoris. In libro quodam vetuſto reperi, Sanctium Regem cum Portugallenſis regionis Comitibus ſub iuriſiurandi vinculo, firmæ pacis fœdus cõſtituiſſe. In quo libro Gundiſaluus qui venenum Regi ſuo miſcuit, non Comes, ſed Conſul appellatur. Vbi quæ de Regis morte legi, tacenda non putaui. Fides penes autorem libri ſit. Dicitur vero ibi Regina (Gudo appellatur, niſi mendoſus eſt liber) maritum in itinere dum Legionem tẽderet, defunctum in ripa Minii honorifice ſepeliuiſſe, in monaſterio de Caſtrelo (ita enim ibi legitur, ſed mẽdum ſuſpicor) vbi cum ipſa Dei obſequio ſe cum aliis deuouiſſet, & ſabbathis omnibus Deum pro Regis anima deprecaretur, Sanctium, maritum quondam ſuum, ante altare proſtratæ apparuiſſe, duabus catenis vinctum, totidem diabolis hinc inde tenentibus, atque hortatum vt perſeueraret orare pro eo: recte enim facere. Poſt quadraginta deinde dies quos ipſa in ieiunio & fletu & eleemoſynis tranſegerat, rurſus ſabbato die oranti ante altare viſum, albis ornatum veſtibus, & pelle quam ipſa cuidam ſacerdoti in eleemoſynam pro anima Regis dederat, ac teſtatum iam ſe à dæmonum poteſtate liberum, & nonnulla de paradiſo atque inferno loquutum diſparuiſſe. Quem cum ipſa vellet amplecti, nec poſſet, partem pellis tulit, quæ ad diui Stephani in ripa Sili delata, atque in pelle ſacerdotis deeſſe inuenta, miraculo fidem fecit abbati & cunctis monaſterii monachis, qui rem oculata fide ſunt experti. Huius tempore Regis, Abderamenem Miramolinum & Cordubæ Regem mortuum tradunt. Cuius mortem Toletanus in hiſtoria Arabum aliquot annis poſteriorem facit, nempe anno Arabum 350. hoc eſt, anno Domini 968. nam ſuperius primum annum illorum, anno Domini ſexcenteſimo decimo octauo poſuimus. Sed ſuſpicor Toletanum eſſe deprauatum. Regnauit poſt eum Halihatan filius 16. annis, menſibus duobus.

941. Defuncto patri ſucceſſit in regno Legionis & Aſturiarum Ranimirus tertius, quo potitus eſt annis 25. Huius primo anno Normanni duce Gũderico Rege ſuo, claſſe centum nauium in Galleciam ingreſſi, totam regionem, præcipue circa Compoſtellam, miſere depopulati ſunt, omnia igni ac ferro deuaſtantes, etiam Siſnandum archiepiſcopum Cõpoſtellanum occiderunt. Cumque iam præda & captiuis onuſti, ad naues in patriam redituri properarent, à Comite Gundiſaluo Sanctio pręter opinionem oppreſſi, vna omnes cum Rege ſuo occidione cæſi, pœnas impietatis in Deum atque Apoſtolum eius diuum Iacobum dederunt: claſſis quoque eorum tota igni immiſſo conflagrauit. Siſnandus iſte qui à Normannis occiſus eſt, Hermigildi ſucceſſor fuit, & ſeptimus Compoſtellæ præſul qui propter crebras Normannorum & aliarum gentium incurſiones, Compoſtellam mœnibus ac turribus cinxit, & vallo ac foſſis communiuit. Sed cum nobilitate ſua fretus (erat enim Menendi Comitis filius & Gundeſundi epiſcopi nepos) tyrannũ verius quam epiſcopum ageret, & facultates eccleſiaſticas parentibus & quibus libebat, immoderate largiretur: à Rege Sanctio in carcerem tenebroſum datus eſt, & Rodoſindus Cellæ nouæ monachus illi ſuffectus, octauus Compoſtellanus epiſcopus. Sed mortuo Sanctio, Siſnandus vinculis ſolutus, armatus Compoſtellam feſto natalis Domini eſt ingreſſus, atque in dormitorium vbi ſanctus epiſcopus cum aliis ſenioribus & eccleſiaſticis viris de more quieſcebat, ſtricto in Rodoſindum gladio caput illi dormienti præcidere voluit. Rodoſindus ad tumultum expergefactus, nihil animo turbatus, hæc illi verba dixit: Qui mihi mortifero gladio Siſnande minaris, mortifero gladio violenter confodiaris. Mox epiſcopatu cedens, ad monaſterium, tanquam ad portum tranquillitatis ſe recepit, vbi poſt aliquot annos vita ſancte exacta, obdormiuit in Domino. Anno ſequenti, Normannorum aduentu Dominica quadrageſimæ nunciato, Siſnandus eos Fornellos vſque ſequutus, & prælio adortus, ſanctiſſimi Rodoſindi maledictionis ſagitta percuſſus, occiſus eſt. Ex hiſtoria Compoſtellana, vbi dicitur hoc contigiſſe æra milleſima decima ſexta, hoc eſt, anno Domini 988. Sed numerus æræ procul dubio vitiatus eſt. Eodem anno hominem exuit Ferdinandus Gundiſaluus, primus Comes Caſtellæ, atque eidem perpetuo honore celebrandus, ſepultus ad diui Petri, quod monaſterium ab Aslantia flumine cognominatum, ipſe ædificiis & poſſeſſionibus amplificauit. Succeſſit patri Garſias Ferdinandus, & ipſe acerrimus religionis Chriſtianæ & Caſtellæ vindex. Præfuit Caſtellæ annis plus minus vno & quinquaginta. Primum illius prælium fuit cum Barbaris, ad Gormatium oppidum. In quo prælio res notatu digna contigit. Nam Comes Garſias die quodam cum Sarracenis acie conflicturus, ad rem diuinam audiendam cum templum adiret, forte aderat Ferdinandus Antolinus, vir præter antiquam nobilitatem, veræ virtutis obſeruantiſſimus, cui pro more erat nunquam egredi templo, donec finis officiis diuinis imponeretur. Comes peracto ſacro, cum ſuis ad ineundum prælium proficiſcitur. Ferdinandus

Anto-

Antolinus orationi corpore pariter ac mente inhærens, nihil eorum quæ gerebantur, animaduertit, cum interim famuli qui cum equo & armis pro foribus astabant, vt est querulum famulorum genus, domini moram incusarent, ignauiæ non religioni adscribentes. Sed Deus Opt. Max. qui suos nunquam negligit, serui sui pietatem & innocentiam memorabili miraculo confirmauit. Nam dum ille precationi totus vacat, alius, nempe genius eius bonus, effigiem ipsius indutus, tam strenue res in eo conflictu gessit, vt omnes Ferdinando Antolino illius diei victoriam acceptam ferrent. Cumque finito prælio quæsitus non inueniretur (nam ille & re cognita, metu infamiæ se absconderat) apparuerunt in equo & armis illius omnia vulnerum vestigia, quæ ille ipsius personam indutus, in acie visus est accepisse. Quæ res & miraculum fecit insignius, & ipsius innocentiam ac pietatem magis illustrauit, nec vano documento demõstrauit, quanto plus aduersus hostium impetus syncera precatio & pura animi pietas, quam bellica virtus aut armorum strepitus possit. Quæ de vxore Garsiæ Argentina, alterius nuptias incesto adulterio sequuta, ad quam ipse vindicandam iniuriam peregrini habitu in Galliam profectus sit, quæque de Sanctia illius Argentinæ priuigna, cuius ope vxorem perfidam cum adultero occiderit, & eandem Sanctiam vxorem in Castellam duxerit, in historia quam vocant generalem, referuntur: fabulosa esse arbitror, vel ex eo, quod Frater Alfonsus Venerus, citans partem testamenti ipsius ex archiuis ciuitatis Burgensis, vxorem eius Oniam appellat. Præterea addunt, dum abesset hic Comes ad vindicandam eam iniuriam, Sarracenos cum numeroso exercitu Castellam ingressos, territorium Burgense longe lateque depopulatos esse, & monasterium Diui Petri à Cardenia solo æquasse, occisis in eo ducentis monachis, simul cum Donno Sanctio abbate ex ordine atque instituto Diui Benedicti, quos Deo hostiam sanctam & acceptabilem obtulerunt. Horum tamen martyrium Frater Alfonsus Venerus anno octingentesimo trigesimo quarto fuisse affirmat. Vt vt est, illud cõstat, monasterium ab hoc Comite instauratum, quod preterea trium insignium virorum sepultura nobilitatum est, Flauii Calui Iudicis Castellæ, Garsiæ Ferdinandi Comitis, de quo nunc agimus, & Cidi Roderici Dias. Huius tempore Comitis nobilitas Castellæ aucta est. Nam quum tempore patris ipsius trecenti, vt plurimum, equites nobiles fuissent, regnante Garsia quingenti atque etiam sexcenti fuerunt.

An. Dom.

Hoc anno Abderamen Halihatan Rex Cordubę mouit duodecimam persecutionem in Christianos dictos Mozarabes, de cuius vocabuli ratione iam dictum est. Hæc persecutio tantum in Hispania facta est. Edixit vero Abderamen, vt quicunque Christiani viuerent in ditione Maurorum, vel abnegarent fidem Christi, vel morte pœnas luerent. Quo tempore pro fide Christi Cordubæ passi sunt Aurelius, Georgius, Felix, cum vxoribus Natalia, Crescentia, & Liliosa, mense Augusto. In oppido Bosca prope Nageram pro asserenda fide Christi gladio percussæ sunt, mense Octobri, sorores germanæ Nunilio & Alodia, quarum corpora dicuntur in Italiam delata, adseruari Bononiæ. Breuiarium Hispalense dicit sequenti anno passas. Eodem tempore passus est consimile martyrium Beatus Victor, natus in oppido Cereso Burgensis diœceseos, qui precibus suis patriam à decennali Barbarorum obsidione liberauit, sacris suis concionibus multos apostatas & Sarracenos ad Christi fidem conuertit. Corpus eius in municipio Villorado cum maxima veneratione colitur. In eadem persecutione martyrii coronam adepta est S. Eurosia virgo, cuius corpus colitur in Iacca, Aragoniæ ciuitate primaria. Sunt qui eodem tempore fuisse dicant martyrium ducentorum monachorum ordinis D. Benedicti, cum Abbate Sanctio, in monasterio Diui Petri à Cardenia, cuius martyrii paulo ante meminimus. Hanc persecutionem aliqui ponunt anno octingentesimo quinquagesimo primo, sed non recte, vt mihi quidem videtur. 950.

Hoc anno, aut circiter, quantum ex ordine historiæ colligere possum, mortuo Halihatam Miramolino Rege Cordubæ, successit filius eius Hissen, & regnauit annis triginta tribus, mensibus quatuor. 952.

Anno regni decimo quarto Ranimirus vxorem duxit Vrracam, & per ætatem (nam quinquennis erat, quum regno inauguratus est) insolentior factus, matris amitæque cõsiliis obsurdescens, Comites Galleciæ contra se exacerbauit. Qui impatientes iniuriæ, Veremundum Ordonii filium, Compostellæ, vbi educatus fuerat, Regem creauerunt. Itaque regnum in duos diuisum, bellis ciuilibus atque intestinis maximo malo publico exardere cœpit, quæ per biennium durauerunt. Semel collatis signis dimicatum, sed æquo Marte, neutro victoria inclinante, discessum est. Veremundus iram fratris fugiens, ad Almanzorem se contulit. Lucas Tudensis autor est, multos ex vtraque parte desideratos. 955.

An. Dom.

962. Mortuo Garsia Tremulo successit Sanctius Maior, qui posterius dictus est Imperator Hispaniæ, de quo suo loco plura dicemus, regnauit annis 54. Eius exordium regni hoc anno posui, quamuis alii posterius ponant: quia priuilegium citat Galbertus monachus hoc anno factum, in quo se Regem appellat.

963. Circa hæc tempora Pelagius, Comitis Roderici Velasquii filius, ex Lucensi factus est nonus Compostellanus episcopus. qui cum seculari potentia & natalium splendore fretus, multa gereret officio suo indigna, & maiores ac seniores honoribus moueret ac deprimeret, iuniores atque indignos sublimaret: à Veremundo quem Galleciæ proceres Ordonio infensi, Regem sibi constituerant, episcopatu pulsus est, atque in illius locum subrogatus Petrus de Monsorio, abbas monasterii quod ante altaria vocabatur, à Beato Sisnando constitutum. Hic episcopus tanta vitæ sanctitate, tam religiosis moribus omnibus præluxit, vt Veremundus eius virtutibus commotus, Compostellanæ ecclesiæ, quicquid aliorum episcoporum temporibus amiserat, præceperit restitui. Interea Rodericus Velasquus & pater Pelagii episcopi cum cæteris Consulibus huius prouinciæ, Sarracenos cum duce eorum Almanzore in Galleciam euocauerunt. Qui Compostellam profecti, maiorem partẽ parietis ecclesiæ S. Iacobi diruerunt, intacto tamen sacratissimo ipsius altari. Cæterum Apostolus, ne se tantum scelus inultum abstulisse gloriarentur, tanto eos dysenteriæ morbo percussit, vt plurimis morbo consumptis, pauci in patriam reduces fuerint. Almanzor vbi tantam suorum cladem vidit, suos dicitur consuluisse, quisnam ille esset tantæ internecionis autor. Qui responderunt, vnum ex discipulis filii Mariæ virginis ibi sepultum. Quo ille audito, pœnitentia rerum gestarum ductus, fugam quam maxime potuit, accelerauit. Sed in itinere repentino correptus morbo, apud Medinam Celi, vbi sepultus est, animam in sinum Mahometis infœliciter tradidit. Rex continuo pietate motus Compostellam venit, & ecclesiam Apostoli dirutam, Petro episcopo adiuuante, instaurauit. Qua post instaurationem consecrata, Petrus episcopus obdormiuit in Domino. Successit illi Pelagius Didaci, qui propter superbiam, interueniente Dei iudicio, à principibus terræ ignominiose eiectus est. Huic Vimara frater successor fuit. Sed & hic dum prætextu religionis non Deo, sed commodis suis seruiret, siue casu, siue proditione, in Minio demersus est. Post quem rexit Compostellanam ecclesiam alius quidam ex familia Vimaræ, cuius nomen literis proditum nõ inueni. Hic à Veremundo Rege propter scelera sua vinculis traditus est. Hæc omnia ex historia Compostellana.

965. Ranimirus morbo correptus obiit Legione, conditusque est in monasterio Destrianæ, cuius iam mentio facta est: decessit vero sine liberis. Proinde regni successio ad Veremundum Ordonii tertii filium lege rediit, qui regnauit annis septemdecim. Interea Alcoraxis Rex Hispalensis Portugalliam totam infesto agmine depopulatus est, atque in Galleciam trãsgressus, Compostellam vsque peruenit, ac ciuitatem diruit. Propter quod piaculum simul omnes tam atroci infirmitate cœlitus percussi sunt, vt nulli aut perpauci superstites in patriam reuersi fuerint. Veremundus Rex multas virtutes quibus præditus erat, hoc vitio deformauit, quod delatoribus plus nimio attentas aures accommodaret. Idem Veremundus duabus sororibus incesto cõcubitu se miscuit, ex quarum altera sustulit Ordonium, ex altera Eluiram. Postea duxit vxorem Velasquitam, ex qua Christianæ pater fuit, quæ nupta Ordonio Cæco, Ranimiri Regis filio, peperit Alfonsum, Ordonium, Pelagium, Alfonsam. Alfonsa vero ex Pelagio diacono Froilæ filio enixa est Comitem Petrum Ordonium, Pelagium, Munionem, matrem Comitis Sueri ac fratris eius, & Tarasiam Comitem, qui Infantes Carrionis appellati sunt (Infantes appellant Hispani Regum filios & nepotes) quia mater eorum Carrionis domina erat, in qua vrbe templum D. Pelagio ædificauit. Post repudiata Velasquita, Eluiram adulterino connubio sibi sociauit, ex qua Alfonsum ac Tarasiam suscepit. His principis peccatis tam nefariis Deus infensus, acerrimum Christianis hostem excitauit, qui proprio nomine Mahometes Ibne Abẽhamur dictus est. Sed quia Hissen Miramolino adhuc puero adiutor datus est, Alhagib appellatus fuit, quod perinde sonat, ac si proregẽ dicas. Penes hũc summa rerum erat: Hissen vero etiam adultus nomine ac titulo tenus imperabat. Hic cum bellicosus esset, Almanzorẽ, hoc est defensorẽ se iussit appellari. Viginti sex annis imperium exercuit. Quo annorum spacio bis & quinquagies Christianorum fines ingressus, & magna eos clade affecit, Legioni, Castellæ, ac Nauarræ formidabilis. Huius metu Christiani corpora sanctorum Pelagii, & Froilani episcopi, & Regum defunctorum, Legione atque Asturica in Asturias transtulerunt, præsagientes id quod accidit, Almanzorem sequenti anno ad expugnandam Legionem venturum. Quam obsedit, & captam portis ac turribus nudauit. Quo tempore Gulielmi Gundisalui Comitis Galleciæ præstans ani-

animi virtus apparuit. Cui cum grauiter ægrotanti periculum vrbis nunciatum esset, lectica se ad eam partem, vbi maxime laborabatur, armatum deferri iussit, atque ex ea vrbem per triduum fortissime defendit, neq; minus fortiter pro patria mortem oppetiit. *An. Dom.*

Rodericus Velasquez, vir apprime nobilis genere, sed animo degener, instinctu Lambræ vxoris, in odium Gundisalui Gustii leuiri sui & septem filiorum qui Infantes Laræ siue de Salas dicti sunt, inflammatus, patrem cum filiis Sarracenis prodidit. Pater nihil suspicans mali, per speciem legationis cum epistola proditrice, Bellerophontis instar, ad Almanzorem missus, quum iussus esset occidi, Almanzore tantam perfidiam detestante, in carcere seruatus Cordubæ, atque ibi liberaliter habitus est. Filii cum nutritio Nunio Salido simulata expeditione, in Barbarorum insidias deducti, atque à Roderico auunculo, cuius hortatu eo profecti erant, destituti, quum viuos se dedere Sarracenis nollent, magna in illos edita strage, fortiter omnes occubuerunt. Capita Cordubam delata, & patri in carcere ostensa, calamitatem eius geminarunt. Sed Almanzor misertus vicem Gundisalui Gustii, eum muneribus ornatum liberum ad suos remisit. Verum non inultum tam nefarium scelus fuit. Siquidem pater ex Maura quadam eius obsequio destinata, quę credita est Almanzoris soror, filium sustulit cui Mudarræ Gundisaluo nomen fuit. Hic adultus euasit in virum strenuum & patris iniuriam ac fratrum necem fortiter vltus est, occiso Roderico Velasquez: postea Lambram post mortem Garsiæ Comitis Castellæ, cui illa sanguine iuncta erat, viuam combussit. 969

Almanzor, vastata Lusitania, populabundus in Galleciam transiit Compostellam vsque, quam ciuitatem miserando deformauit incendio, ipsum quoque sanctissimi Apostoli venerabile sepulchrum violaturus, nisi fulmine repentino deterritus fuisset. Campanas minores in symbolum victoriæ abstulit, quæ in Mezquita Cordubensi pro lampadibus essent. Sed non inultum tam impium sacrilegium extitit: siquidem totus fere exercitus dysenteria extinctus est, cui malo qui superfuere, peste perierunt. Almanzor victoriam ingloriam & calamitosam domum retulit. De hac re & obitu Almanzoris paulo ante diximus. 975

Almanzor collectis maioribus copiis, rursus ad vastandam Castellam venit, cui Reges Legionis & Nauarræ coniunctis viribus obuiam iuerunt, & cōmisso acri prælio quod noctis interuētu diremptum fuit, ad eas angustias Almanzorem redegerunt, vt turpi fuga sibi suisq; consulere coactus sit. Quæ res tam ægre illum habuit, vt paucis post diebus, tantæ ignominiæ impatiens, inedia vitam finierit. Successit illi in administratione rerum (nam Hissen Miramolinus adhuc in viuis agebat) Abdemelic filius, qui superuixit patri annis sex, mensibus octo. Superius ex historia Compostellana diximus, Almanzorē, dum à templi Compostellani vastatione, suis fere omnibus dysenteriæ morbo amissis, fugeret, apud Medinam Celi vita defunctum. Alii hæc quæ modo diximus, referunt de morte ipsius. Sequatur prudens lector, quod magis arriserit. Illud tamen non tacebo, historiam Compostellanam multo antiquiorem Tudensi & Roderico Toletano, & apud me maioris esse autoritatis. Quin & Lucas Tudensis autor est, Almanzorem dysenteria periisse, decimo tertio quam Christianos afflixerat anno, & addit illum ter & quinquagies contra Christianos mouisse. Postea sibi non constans, hæc repetit quæ modo diximus, & dicit apud Medinam Celi mortuum. Fieri potest vt & alii eo tempore duces Arabum Almanzores sint appellati, pręsertim quum virtutis ac dignitatis cognomentum fuerit. Abdemelic rursus cum exercitu Legionem venit, ad diruenda illa quę pater intacta reliquerat: sed à Garsia Comite Castellæ magna virtute repulsus, nunquam postea Christianos bello lacessere ausus fuit. 981

Hispania maxima siccitate & rei frumentariæ angustia laborauit. Eius rei causa fuit, quod Rex falsis delationibus captus, Gudesteum siue Gudestinum Ouetensem episcopum, sede sua exturbatum, in vinculis haberet. Quem vt solutum sedi suæ restituit, mox terra pluuiis irrigata, & magna omnium rerū vilitas sequuta est. Eodem anno Veremundus qui à podagra qua grauiter torquebatur, Podagricus appellatus est, extremum vitæ diem clausit, peccatis pœnitentia expiatis, in oppido Berizo, vbi sepultus, paulo post à filio Legionem translatus, & communi cum vxore Eluira monumento conditus est. 982

Post patris obitum regno inauguratus est Alfonsus quintus, eoq; functus annis 27. & iam adultus vxorem duxit Geloiram siue Eluiram, filiam Menendi Gundisalui Comitis Gallecię & vxoris eius Maioris, à quibus educatus fuerat: ex qua Veremundum regni hęredem, & Sanctiam Ferdinandi Magni vxorem, filios habuit, per quam morte fratris regnum Legionense regno Castellæ vnitum est. Hic Alfonsus sororem Tarasiam renitentem atq; inuitam, Abdaliæ Sarracenorum apud Toletum Regi nuptū dedit, pactus ab eo 983

An. Dom. auxilia contra Regem Cordubæ. Verum cùm Abdalia virginis florem delibare vellet,
neque monentem, ne virginem Christo desponsatam vitiaret, alioqui non inultum fore,
audiret: repente grauissimo correptus morbo, quum de vita se periclitari sentiret, illam
multis muneribus cumulatam, Legionem ad fratrem remisit. Quæ in parthenonem D.
Pelagii se conferens, & inter monachas nomen professa, reliquum vitæ sanctissime tra-
duxit.
987. In Chronico quodam perantiquo hæc verba reperi: Æra 1025. Almazor Iben Amer
cepit Conimbricam tertio Calendas Iulii, & sicut à multis senibus audiuimus, deserta fuit
annis septem, postea reædificauerunt eam Ismahelitæ, & tenuerunt eam annis septua-
ginta. Hæc ibi. In Alcobaciensi quoq; codice hæc verba reperi: Almanzor cepit Colim- 1
briam æra 1025. quarto Calendas Iulii. Quod quanquam non conueniat cum numero
annorum quem sequuti sumus, tamen annotandum duxi. Diximus enim sequuti histo-
rias vulgatas, Lusitaniam ab eo vastatam anno 985. quin & alii triennio ante factum aiunt.
Imo vero Rodericus Toletanus Archiepiscopus sibi ipsi non constat. Nam in historia
Gothica ponit mortem Almanzoris, quo tempore nos posuimus: in Arabum historia, an-
no Arabum 367. qui cadit in annum Domini nongentesimum octogesimum quintum.
Abdemelic rebus humanis sublato, successit in principatum Abderamen frater eius, qui
ob malitiam & vitia quibus inquinatus erat, nondum exacto quinto mense, à suis occisus
est. Hic autem erat trigesimus tertius annus imperii Hissen, quo anno multis ad impe-
rium Arabum aspirantibus, ipse deturbatus est: Zulema vero auxilio Sanctii Comitis Ca- 2
stellæ, tandem regno potitus est, cum magna strage Barbarorum. Sed & ipse paucis inter-
iectis mensibus, ab Abmohadi regno exutus est.
988. Dissidium inter Garsiam Castellæ Comitem & Sanctium filium exortum, magnam
Barbaris sæuiendi in Christianos fenestram aperuit. Quam occasionẽ tam opportunam
non negligentes, Abulam, Cluniam, ac Diui Stephani municipium occuparunt. Cuius
rei indignitatem non ferens Garsias Comes, cum iis quos secum paucos habebat (nam
Castellani in diuersa studia scissi erant) in hosteis ruit, quumque propter paucitatem suo-
rum vincere non posset, fortiter pro patria pugnans captus est, & plurimis iisque letalibus
affectus vulneribus, ex quibus paucis post diebus expirauit. F. Alfonsus Venerus ponit
mortem eius anno 995. Successit in eius locum Sanctius filius, omnibus egregii principis 3
dotibus ornatus, qui patris mortem grauiter ferens, nihil sibi duxit antiquius, quã vt eam
primo quoq; tempore vlcisceretur. Proinde cõuocatis auxiliis Legionensium & Nauar-
rorum, graueis expeditiones in Toletanos & Cordubenses ac maiores prædas egit, queq;
deprædari non poterat, ferro ac flammis depopulatus est. Corpus patris à Sarracenis
redemptum, ad D. Petri Cardeniensis honorifice sepeliuit. Huic mater amore cuius-
dam Principis Sarraceni flagrans, eiusq; nuptias ambiens, venenatum poculum parauit,
ne quid obstaculi esset tam scelerato cõiugio. Quod quum ipse animaduertisset, matrem
adegit, vt poculum quod filio miscuerat, ipsa hauriret. Sic ipsa suo nocens exemplo periit.
Cuius rei pœnitẽtia ductus, Oniense monasterium condidit, atq; ab Onia matre sic cog-
nominauit, eique monasterio filiam suam Tigridiam præfecit. In quo & ipse vita defun- 4
ctus sepeliri voluit. Hoc monasterium ex parthenone, paulo post, monachorum diui Be-
nedicti regulam profitentium habitaculum factum est.
1002. Apud Arabes multis imperium sibi vendicantibus, & aliis alio inclinantibus, intesti-
na seditione grauiter per hos annos laboratum est.
1003. Alfonsus Rex Legionensem ciuitatem instaurauit, & Regum defunctorum corpora
quæ Arabum metu in Asturias asportata fuerant, Legionem referri iussit, atque ad Diui
Ioannis Baptistæ, quam ecclesiam ipse condidit, sub altari Diui Martini reponi. Cordubę
post Hissen regnauit Zulema, post hunc rursus Hissen, quo iterum expulso, Hali, post Ha-
li Cazin, simul cum Abderamene. Sed Abderamen à suis desertus, atq; in prælio contra 5
Granatenses occisus, soli Cazin imperium reliquit. Post hunc Hiaias, post Hiaiam Abde-
ramen mense vno, diebus septendecim. Deinde Mahometes quidam anno vno, mensi-
bus quatuor. Post hunc Hissen annis duobus, diebus quatuor, postea expulsus. Postremo
quidam Humeia magna iuuenum caterua stipatus, regem se salutari iussit. Cumque sui
monerent, vt tempori cederet, totam ciuitatem intestina seditione misceri, ac proinde
vitæ periculum imminere: Hodie, inquit, me Regem agnoscite, & cras, si lubet, interfici-
te. Quo non homines impellit ambitio! atq; hic regni Cordubensis finis fuit. Ab hoc
enim tempore, vt quisq; Arabum potestate ac fauore plebis præstabat, ita imperium &
regium titulum alibi atq; alibi vsurpabat.
1010. Alfonsus Rex dum Viseum in Portugallia obsidens, die quodam incautius sine armis
vrbem

vrbem circunlustrat, sagitta in scapulis letaliter ictus, vitam finiuit: vnde soluta obsidione Legionem delatus, iuxta patrem ac matrem sepultus est. Veremundus tertius patri successit, regnauitque annis decem, cuius præcipuum studium extitit in oppidis, ecclesiis, ac monasteriis quæ à Sarracenis diruta erant, instaurandis. Vxorem habuit Tarasiam, Sanctii Castellæ Comitis filiam, ex qua sustulit filium Alfonsum, qui puerili ætate decessit.

Mortuo Sanctio Comite Castellæ, filius Garsias paternum principatum excepit, vix dum natus annos tredecim. Qui dum ad Veremundum Regem proficisceretur, ducturus vxorem Sanctiam Veremundi sororem, Legione secundum aliquos in porta ecclesiæ S. Saluatoris, à filiis Comitis Velæ siue Vegilæ, quem Ferdinandus Gundisaluus Comes propter insolentias principatu suo exterminauerat, atque apud Barbaros exulare compulerat, per proditionem occiditur. Qui letale vulnus dedit, Rodericus Vela, siue Vegila, susceptor Garsiæ ex sacro baptismi lauacro erat. Fuere vero tres tanti sceleris autores, Rodericus, Didacus, & Eniecus, quos Sãctius Maior Rex Nauarræ, diris exemplis apud Monzonem oppidum trucidauit. Idem Sanctiam Veremundi sororem ac Garsiæ Comitis sponsam, filio suo Ferdinando despondit, per quam regnum Legionis regno Castellæ iunctum est. Mortuo Garsia Comite, Sanctius Maior Rex Nauarræ, nomine vxoris suæ Eluiræ, vel secundum alios Maioris, quæ Sanctii Comitis filia erat, dominium Castellæ accepit, seque non Castellæ Comitem, sed Regem scripsit. Atque ex eo tempore non Comites, sed Reges Castellæ appellati sunt. 1011.

Sanctius Castella potitus magnas expeditiones in Mauros egit, quos Cordubam vsq; persequutus, magnis cladibus affecit: vnde gloriæ plenus & spoliis onustus domum triumphabundus reuersus est. Sed vt nihil est ab omni parte beatum, tanti triumphi lætitiam domestica funestauit calamitas. Contigit enim vt Sanctius in militiam proficiscens, equum quem habebat vt præstantissimum, ita charissimum, Reginæ solicite commendaret. Nam id temporis propter continuos bellorum motus, & nec opinatos Sarracenorum insultus, tam Reges quam nobiles, equos & arma eodem quo thalamum loco habebant, ne mora esset, quin audito classico, continuo in procinctu essent. Absente patre, filius Garsias è tribus natu maximus, pulchritudine illectus equi, copiam illius à Regina matre fieri sibi poposcit. Mater in petitionem filii prona concessit, sed monita mox à præfecto vel domus regię vel equorum, quem Petrum à Sesse nominatum ferunt, molestum id Sanctio fore: quem prius equum filio concesserat, negauit. Quare Garsias graui succensus ira, suspiciones in matrem atrocissimas atque ab omni pietate alienissimas concepit, matrem alterius secretis monitis filii preces posthabuisse, non de nihilo esse, quod præfecto equorum, quam filio suo primogenito gratificari maluerit. Vnde hæc nisi ex clandestina cum illo consuetudine nasci? Deinde quæ tam nefarie suspicabatur, mox ira stimulante, vera sibi esse persuadet, & matrem cuius etiam sontis famam omni studio tueri debuerat, innocentem adulterii ream apud patrem, vbi primum reuerteretur, agere constituit. Et vt delationi fides constaret, Ferdinandum fratrem in societatem sceleris pellicere conatur. Sed Ferdinandus atrocitate rei perculsus, primo scelus adeo nefarium detestari, deinde fratrem à tam execrandis consiliis dehortari, quorum ipsa quoq; recordatio esset horribilis: postremo cum surdo caneret, monere sua illa vt ita misceret, ne ipsum admisceret. Sed Garsias fratrem vrgere non destitit, donec iureiurando se astrinxit, saltem non proditurum scelus fraternum. His dolis instructus & furoris stimulis exagitatus, matrem nihil minus cogitantem, falsissimi criminis apud patrem accusat. Perculsit res inopinata Regis animum, idque eo magis, quod Regina nullam vnquam sinistri rumoris in se fabulam dedisset. Cumque hinc Reginæ celebrata pudicitia & integra semper fama crimini fidem detraheret, illinc filius non de nihilo matris nomen de adulterio delaturus videretur: Rex diu animo suspensus neutro satis inclinauit, donec rogatus ea de re Ferdinandus, magis non affirmauit, quam negauit. Tum vero Rex grauiori suspicione ac dolore commotus, Reginam in vinculis diligenter adseruari iubet, ipse rem omnem ad nobilium & magnatum concilium defert, & quid ea de re faciendum ipsis videatur, rogat. Omnium communi sententia statutum est, vt regina vel armis aut legibus se suamque pudicitiam tueatur, vel ignibus incesta tradatur. Sed quum nemo inueniretur qui vel armis vel iure contendere cum Regis filiis auderet. Ranimirus Sanctii Maioris (vt Aragonensium rerum scriptores contendunt) ex alia vxore (vt alii affirmant) ex concubina filius, misertus nouercæ vicem, de cuius innocentia iam propemodum sibi constabat, causam illius defensurum se præter omnium opinionẽ profitetur, & fratres ad singulare certamen prouocat. Cæterũ dum causæ discutiuntur, dum omnia ad duellũ 1012.

An.Dom. neceſſaria comparantur, forte monachus quidam, vir ſpectatæ virtutis, & magnæ apud omnes ob vitæ merita autoritatis, filios Regis clam aggreditur, ac propoſito Dei formidando iudicio, & atrocitate rei ob oculos poſita, declarauit, quam ab omni humanitate ſit alienum, matrem falſo accuſare: quam certa atq; ſeuera Dei vindicta eos maneret, quã cito ſint perituri qui matris innocentiæ atrociſſimi criminis labem aſperſerint, niſi mature reſipiſcant: hoc dedecus non ad Reginam tantum pertinere, ſed ad ipſum etiam Regem, atque adeo ad Hiſpaniam totam, cuius ſtatum iam profligatis hoſtibus quietũ, tam nefando ſcelere perturbaſſent. His atque aliis rebus propoſitis, ita illos commouit, vt peccatum ſuum multis cum lachrymis ac ſuſpiriis ſint confeſſi. Mox patris genibus aduoluti, veniam ſupplices deprecati ſunt. Rex condonaturum ſe negauit, tãtiſper dum veniam à Regina matre, quam adeo crudeliter offenderant, impetrarent. Quin ſi ius ſuum ipſa perſequi vellet, eodem illos affecturum ſupplicio, quod illi lege ſtatutum erat. Porro Regina tum Regis & multorum nobilium, & præcipue monachi illius precibus mota, tum vero filiorum ſuorum lachrymis ac ſingultibus, & animo materno victa, veniam hac lege dedit, vt Ranimirus Aragoniam cum titulo Regio virtutis ſuę mercedem acciperet: Garſias tanti ſceleris auctor, Caſtellæ, hoc eſt, regni materni hæres ne eſſet. Quod cũ omnibus, etiam filiis placeret, ipſa Ranimirum cui ſæpe benedixit, filium ac legitimum hæredem ſibi adoptauit. Atque hoc regni Aragonum initium fuit. Sed ſicut virtus Ranimiri præmio donata eſt, ita non inultum tantæ impietatis facinus extitit. Nam Garſias poſterius à fratre Ferdinando in prælio fuit occiſus, vt latius ſuo loco declarabitur. Sanctius Maior certior factus quod virgines Deo dicatæ in monaſterio Onienſi, non duceret vitam profeſſione ſua dignam, conſilio ſuorum & autoritate ſummi Pontificis, monachis Diui Benedicti regulam ſeruantibus dedit, miſſo prius in Galliam Paterno ſacerdote, viro probatæ vitæ, cum aliis duodecim viris religioſis, ad monaſterium Cluniacenſe, qui ritus omneis & diſciplinam regulæ Diui Benedicti diligenter perdiſcerent. Quibus reuerſis monaſteriũ Diui Ioannis à Pegna dedit. Monaſterio vero Onienſi prius Garſiã quendam præfecit Abbatem, deinde fama ſanctitatis B. Inachi motus, qui in montoſis Aragoniæ locis vitam degebat ab omni mundano ſtrepitu procul ſemotam, quum per nuncios nihil proficeret, ipſe eo profectus inuitum ac reluctantem ad ſuſcipiendum Oniẽſis monaſterii regimen abduxit. Quam prouinciam vir ille diuinus ea vitæ integritate ac ſanctimonia exegit, vt inter ſanctos merito relatus fuerit. Idem Rex Palentiam inſtaurauit, atq; ibi eccleſiam cathedralem in honorem S. Antolini condidit, multiſque poſſeſſionibus ac priuilegiis donauit, atque inter cætera, vt epiſcopus etiam Comes eſſet. Inſtaurandæ vero ciuitatis & eccleſiæ Palentinæ hanc fuiſſe occaſionem ferunt. Cum Sanctius Rex venationi operam daret, forte aprum ardentius inſectatus, ad locum vſque perſecutus eſt, vbi olim D. Antolini eccleſia fuerat. Sed Rex totus in aprum intentus, ac religionem loci nõ animaduertens, dum altari acclinantem traiicere venabulo parat, brachium ſibi diriguiſſe ſubito ſenſit. Mox cognito errore ſuo, ante altare proſtratus, Dei miſericordiam ac S. Antolini opem tantis cum lachrymis implorauit, vt confeſtim brachii vſum receperit. Pro quo beneficio, ſimul & expiando delicto ſuo, eccleſiam Palentinam magnifice pro tempore extructam, dignitati priſtinæ reſtituit, & Palẽtiam ipſam ex ſylua ciuitatem frequentem fecit. Habuit hic Rex quatuor filios ex diuerſis vxoribus, Garſiam, Ferdinandum, Sanctium, Ranimirum. Quibus regna ſua diuiſit, & Garſiæ quidem dedit regnum Nauarræ: Ferdinando, Caſtellæ: Sanctio, quem alii Gundiſaluum appellant, Vaſconiæ ſiue Suprarbrorum: Ranimiro, Aragoniæ, quæ ad id vſque tempus Comitatus, non regni titulo, ſicut Caſtella, cenſebatur. Hic Sanctius Hiſpaniæ Imperator appellatus eſt, redactis ad eius imperium omnibus Hiſpaniæ ditionibus, quæ Chriſtiani nominis erant. Eum duas habuiſſe vxores lego: alteram Vrracam, ex qua fortaſſe Ranimiri pater fuit: alteram Eluiram ſiue Geloiram, Sanctii Caſtellę Comitis filiam, quam alii Maiorem appellant. Ex qua Caſtellanæ hiſtorię ſcriptores duos filios ſuſtuliſſe ſcribunt, Garſiam & Ferdinandũ: Aragonenſes tertium addunt, Sanctium. F. Galbertus Fabritius eum Caiam habuiſſe teſtatur vxorem ex nobilitate Aragoniæ, ex qua ſuſcepiſſe Ranimirum. Sed ſi hoc verum eſt, tres habuerit vxores neceſſe eſt, quum idem diploma huius Regis ponat, in quo Regina Vrraca ſubſcribit. Sanctii Comitis filiam, cum qua Caſtellam dotalem accepit, nemo ſcriptorum quos ego quidem vidiſſe meminerim, Vrracam appellat. Sanctii Maioris mortem alii anno 1016. alii 1017. alii 1018. alii 1020. ponunt: nobis in tanta autorũ diuerſitate nihil pro comperto affirmare licet.

Orta inter Regem Legionenſium Veremundum & Ferdinandum Regem Caſtellæ diſ-

discordia de finibus regnorum,eo creuit, vt vtrinq; ad arma ventum sit:collatisq; signis ad Carrionem fluuium, Veremundus in acie ceciderit,atq; eius morte Ferdinandus Rex Castellæ nomine vxoris Sanctiæ,quæ Veremundi vnica soror & hæres erat,Legionis accessione locupletatus sit.

Ioannes Vasæus candido Lectori S.

HActenus priorem tomum prosequi visum est, in quo ne te offendat Lector charissime, quod in annorum subducendo calculo à vulgatis autoribus nonnihil variatum sit. neq; enim sine vetustissimorum codicum autoritate factum est. Quamquam alioqui differentia hæc, vbi maxima, quatuor annorum, aliquando trium, nonnunquam duorum annorum, aut etiam vnius est. Eam ex eo natam arbitror, quod Pelagii regnum alii ab anno supra septingentesimum decimo sexto, alii decimo nono auspicantur. Ego numerum quem primum in Isidoro Pacensi, vetustissimo earum rerum quæ circa excidium Hispaniæ contigerunt, scriptore, deinde in aliis antiquissimis Chronicis reperi, perpetuo tenore sequutus sum. In rebus Nauarræ & Aragonum quia inexplicabilis annorum confusio erat, eum numerum seruaui, non qui verissimus esset, sed qui vero proximus videretur. Reliqua fere cum aliis consentiunt, nisi quod quædam quæ fabulæ plus habebant quam historiæ, consulto resecui. Præterea sicubi à receptis Chronicis dissentio, grauium virorum autoritate, quæ dico, cōfirmata sunt. Quem laborem meum qui certe maior fuit quam quisquam facile æstimare possit, si gratum tibi fuisse cognouero, sedulo curabo, vt reliquam Chronici partem propediem habeas. Vale candide Lector, & fruere.

IDEM EIDEM.

CVM primum hoc opus excudi cœptum est, non ignarus, quam fallax & labilis sit humana memoria, quam multa soleant etiam intentissimos oculos & maximam hominis diligentiam fugere, præter alios amicos, etiam oraui virum grauissimum atque eruditissimum Didacum Neilam, canonicum Salmanticensem, vt totam hanc lucubrationem accuratius perlustraret, & deposita paulisper amici persona, censoriam virgulam sumeret, ac si quid erratum vel à me vel à Typographis, si quid obscure vel ambigue dictum, si quid denique quod scrupulum lectori quocunque modo facere queat, reperiret, id obelisco vel iugularet, vel saltem notaret. Dedit vir humanissimus hanc operam amico non solum libenter, sed etiam bona fide atque accurato iudicio, & paucula quædam deprehendit, quæ te, lector amice, si non offendere, certe remorari posse videbantur. Ea in gratiam tuam subiectis annotatiunculis partim explicare, partim elimare volui, ne non tibi per omnia videar satisfecisse. Vale & hanc quoque diligentiam meam boni consule. *Pag. 576. lin. 34. Galliæ Togatæ erat non Italiæ*] Non ignoro Patauium Plinio in decima Italiæ regione poni, & Italiam eidem à Varo fluuio incipere : sed veterum opinionem sequor, quibus Gallia Cisalpina prouincia erat extra Italiam, & Rubicon fluuius Galliæ Cisalpinæ siue Togatæ atque Italiæ terminus. Quod ex autoribus antiquis clarius est, quam vt probandum sit, ne ipso quidem Plinio refragante, Rubiconem quondam fuisse Italiæ finem. Si cui tamen hoc non placebit, pro Italiæ, legat, Latii. *Pag. 595. lin. 12. Calpen & Abylam*] Pomponius Mela ipsos montes columnas Herculis appellat, idque bis, nempe lib. 1. cap. 5. & lib. 2. cap. 6. Sed ego Diodorum Siculum sequutus sum, qui libro quinto scribit, Herculem peragrata maiori parte Africæ, ad Oceanum qui est ad Gades, peruenisse, ibique positis ab vtraque continentis parte columnis, cum exercitu in Hispaniam transiisse. In qua opinione est & Pindari interpres Græcus, quamuis post vestigatos ibi Geryonis boues positas dicat, vt etiam annotauit in Chiliadibus Erasmus. Seruius quoque scribens in vndecimum librum Æneidos, columnas Herculis legi dicit in Ponto & in Hispania. Apud Strabonem longa de hac re disputatio est : sed tandem Diodori sententiæ magis accedit. Ptolemæus ambigue loquitur ad hunc modum, Calpe mons & columna. Quod tamen de veris columnis quosdam intellexisse, testis est prima Africæ tabula, in qua ex vtraque freti Herculei parte columnæ appictæ sunt. Plinius ad Pomponii Melæ sententiam magis inclinare videtur. *Pag. 596. lin. 19. Palantiæ ac Palentiæ*] Palantiam ad Turiæ ripam non procul Valentia, & eius ruinas adhuc extare scribit Petrus Antonius Beuter. Sed & Ptolemæus illic, nempe in Edetanis, Palantiam fluuium ponit, sed oppidi non meminit. Alioqui Palantia censetur eruditis, quæ nunc Palentia. *Pag. 622. lin. 3.*] Huic annotationi videtur addendum Antonium Sabellicum locum dedisse illi errori. Nam subinde D. Dominicum Calagurritanum appellat. *Pag. eadem lin. 50. Dertosanus*] Dertosam, Ilerdam, Tarraconem in Aragonia posui, non quin fatear esse in Cataloniæ principatu quem ab Aragoniæ regno Cinga fluuius, Lucano cognominatus rapax, ad

Fragæ oppidi pontem disterminat: sed cum videam eum etiam principatum ab autoribus neotericis Aragoniæ vocabulo censeri, sequendos eos duxi, adductus præcipue autoritate Gerundensis Episcopi, scriptoris non omnino pœnitendi, qui ait ad hunc modum: Cathedrales Aragoniæ Helna siue Helena, Gerundensis, Segobricensis, Maioricensis, Dertocensis, Vrgellensis, Ilerdensis, &c. *Pag. 656. lin. 20. Pompelonensis*] Non diffiteor hanc ciuitatem esse Hispaniæ, non Galliæ, quippe quæ metropolis est regni Nauarræ. Sed quia D. Hieronymus aperte Gallum affirmat, neque obscure Pompelone natum declarat, nihil mutare libuit. Nisi forte aliam Pompeius in Gallia vrbem condidit, cuius rei nulla extat mentio. *Pag. 666. lin. 19. Tyrrheni*] Ita Iornandes, qui non dubiū, quin Tyrrhenum ostium, quanquam improprie & nimis large sumpto vocabulo, appellat fretum Herculeum, scilicet vbi Tyrrhenum mare exoneratur in Oceanum. *Pag. 681. lin. 29. Hoc anno Mahometem*] Ita de Mahomete memoriæ prodiderunt Hispanicarum rerum scriptores, inter quos Tudensis, & Resendius in vita S. Isidori quam in Eborensi breuiario posuit. Ex aliis vero scriptoribus non modo in Hispaniam, sed ne in Africam quidem venisse videtur, quam aliquanto post ab eius successoribus occupatam aiunt. Cæterum quum hi tantum ea de Mahomete scribant, quæ potentiam nactus & opes gessit, fieri potest, vt priuatus adhuc in Hispaniam ad tentandam fortunæ aleam venerit, præsertim quum quos sequutus sum autores, initio prædicationis suæ hoc factum affirment. Ego iudicium huius rei in medio relinquo. Præterea Sabellicus & alii autores, Calipham Mahometis successorem appellant. *Pag. 676. lin. 20. Cum patruis suis*] Lege, cum reliquis hostibus. Alioqui si Chronica Regis Alfonsi sequimur, historia sibi ipsi repugnat, vt ex anno septingentesimo nonagesimo nono patet. Atq; hæc hactenus.

CHRONICI IOANNIS VASÆI BRVGENSIS ADPROBATIO, SIVE PVBLICVM DE eo clarissimorum totius Hispaniæ & Lusitaniæ virorum testimonium atq; iudicium.

HOc opus prius in Portugallia iussu reuerendissimi Cardinalis & Serenissimi Principis D. Henrici Infantis Portugalliæ, & in omnibus regnis ac ditionibus Regis fratris sui, summi de fide Catholica iudicis, fuit examinatum Eboræ (vbi & lucubratum) ab admodum Reuerendo D. Emanuele Sancto, episcopo Targensi ac sacræ Theologiæ Doctore grauissimo, & approbatum. Postea vero etiam Valladoliti mandato Serenissimi D. Maximiliani Boemiæ Regis, à viro vndecunque doctissimo, Ioanne Genesio Sepulueda, oratore, philosopho, Theologo consummatissimo, & Caroli Quinti Imperatoris historiographo: qui non solum probauit, sed etiam multa in eo se reperisse scitu digna, & ad veram Hispaniæ laudem pertinentia, chirographo suo testatus est.

LECTORI S.

EXemplaria quibus vsi sumus, præsertim Granatensia, adeo deprauata erant, vt plurimis in locis intelligi non potuerint. Nos igitur, quod in hoc genere scriptorum tutius esse duximus, iis quæ typographica videbantur vitiis sublatis, in cæteris aut nihil, aut certe perpauca mutauimus: ac ea cuique pro suo iudicio corrigenda reliquimus. Quod quidem facile erit ei cui tempus & libri suppetiuerint: nec id sine fructu fieret. Nam qui hosce nostros scriptores vel cum Diodoro, Ptolemæo, Strabone, Mela, Plinio, & cæteris quos citant autoribus, Gerundensem præsertim cum Liuio, Salustio atque Cæsare: vel ipsos inter sese, & præcipue cum Vasæo contulerit, maximam interdum diuersitatem, & errata fortassis nec pauca, nec leuia deprehendet: quæ tamen immutare noluimus, ne temere à nostris autoribus discessisse videremur. Sic, exempli gratia, pag. 17. versu 50. *Scalabiscus* legendum ex Ptolemæo: p. 28. versu 23. *Belonem* ex Mela & Plinio: p. 83. v. 26. *P. Iunius*, & ibid. versu 33. *Caius Catinius*, ex Liuio: pag. 126. v. 36. *Vllam*, & ibid. v. 43. *L. Iunium Patiecum*, ex Hircio de bello Hispaniensi: Sic collato loco qui est pag. 19. v. 33. cum eo qui habetur pag. 325. versu 20. hunc illo longe emendatiorem comperies. Sic Toletanum pag. 788. versu 19. & 39. intelliges ex Vasæo pag. 688. v. 10. & 19. Idem in reliquis experiri poteris, vbi libuerit. Rursus, ex ipsa rerum serie numerum annos Domini denotantem sæpius emendaueris. Vt pag. 149. v. 3. rectius legeres *D C X X X V.* Nam ab hoc capite vsque ad trigesimum quintum vbique scribendum *DC*, & à trigesimo quinto vsque ad primum tertiæ partis, *D C C.* non *D C C C.* Sunt etiam aliqua, quæ licet à librariis commissa videantur, maluimus tamen coniecturam nostram de iis tuo iudicio submittere, quam certum

certum quid pronuntiare. Pagina igitur 13.v.20. *Tarraconensi* legendum videtur. pag. 27. v.21. *in Asturiis*. pag. 32. v. 46. *vocauit, ad*. pag. 34. v. 43. *Rhodiis*. pag. 34. v. 41. *vrbis*. pag. 36. v. 41. XII. p. 139. v. 8. *sæuiit*. p. 311. v. 35. *diuturnis*. p. 163. v. 10. *apud Ieremiam*. p. 609. v. 13. *admoneri*. p. 623. v. 6. *aliquanto*. p. 679. v. 10. *confessum*. pag. 697. v. 1. *filiam, &c. actam*. Deponentia quoque pro passiuis, actiua pro deponentibus, nominatiui absolute positi pro ablatiuis cõsequentiæ, nominum & in primis propriorum exoticorumve variæ scripturæ & inflexiones, adiectiuorum comparationes, phrases, aliaque eius generis inusitata, Lector, occurrent: sed quæ tanta non sint, vt rebus ipsis quidpiam detrahant. Quæ vero nostram diligentiam effugerunt, hæc sunt. Pag. 53. v. 43. lege *considere*. pag. 120. v. 3. *ære*. pag. 148. v. 30. II. pag. 169. v. 55. *Et Palat*. p. 187. v. 19. *inuitis*. p. 612. v. 12. *Agrippa*. p. 633. v. 42. *concilia*. Porro Gotthos & Gotthorum ab initio scripsimus, autoritatem Suidæ secuti: postmodum vero Gothos & Gothorum, inducti maxime Athaulphi regis epitaphio, quod est apud Vasæum pag. 660. v. 41. vbi prima in Gothorum corripitur. Sed parum interest, vtro modo scribatur. Tu vale, & nobis bene precare.

LAVRENTII VALLAE, PATRITII ROMANI, DE REBVS A FERDINANDO ARAGONIÆ REGE GESTIS LIBRI TRES.

Procemium.

INgraui diligentique historia rerum gestarum quanta sit vel scriptori difficultas, vel lectori vtilitas, etsi plerique conditores oratoriæ artis, quæ historiæ mater est, atque historici ipsi librorum suorum principiis testantur: tamen detrahunt nobis philosophi quidam, & ii permagni ac peruetusti, cum multum in prima, tum plus in posteriore parte, anteferentes historico poetam, quod dicant illum propius ad philosophiam accedere, quia in generalibus versetur, & propositis factis exemplis in vniuersum præcipiat: vt Homerus, qui non tam superiorum virorum gesta narrat, quam quo modo futuri boni sapientesque efficiantur, instituit. Historicum enim tantum narrare qualis vnus quispiam, aut alter fuerit, veluti Thucydides, qui gesta Periclis, Lysandri, aliorumque nonnullorum sui temporis scribit. Ita primas partes tribuunt philosophis, secundas poetis, tertias postremasque historicis. Ego vero cum huic nequaquam opinioni assentiar, tamen poetis multo plus quam illi faciunt, tribuo, adeo vt eos aut comparem philosophis, aut anteponam: sed non continuo historicis præferam, ac ne fortasse quidem conferam. Decet enim opus quod aggrederis, libero ore defendere. Itaque primum poetas cum philosophis, deinde cum historicis, tum hos ipsos cum philosophis componam. Principio si quid momenti antiquitas habet, vt certe habet, poetæ philosophis, imo sophis antiquiores fuisse reperientur. Siquidem Homerus atque Hesiodus non modo ante Pythagoram, qui primus philosophus, sed ante illos quoque septem qui sophi, id est sapientes, vocati sunt, extiterunt. Quod si in eadem materia & hi & illi versantur, profecto apparebit plus esse penes priores quam posteriores autoritatis, laudis dignitatis. An non in eadem materia vtrique versantur? Quid enim habent hi qui se studiosos sapientiæ vocant, quod poeta non tractet? nonne Empedocles, Aratus, Lucretius, Varro de naturalibus ac cælestibus disputarunt? non Vergilius de aruis, vinetis, arbustis, animalibus, animisque etiam defunctorum, adiuncta physica ratione, cecinit? non multi de medicina versibus conscripserunt? Quid autem quod ad moralem pertinet, Satyri aliud quam disputando, præcipiendoque mores informant? ad quem ipsum finem Tragici, Comici, cæterique poetæ, sed sub persona tendunt. Nam de Dialectica scribere versibus, quodammodo ineptum sit, vtpote dura quadam scientia & aspera: quanquam non defuerunt, qui & de hac, & de cæteris liberalibus artibus poemata panxerint. Quare quisquis est, qui poetas, non dico in numero philosophantium non ponat: sed cur existimet minus iis qui se peculiariter philosophos appellant, hoc nomine dignos esse? qui etiam priores philosophari cœperunt, & vbi ab istis differunt, melius philosophantur. Habet enim institutio illa sapientiæ sub persona miram quandam autoritatem, & quasi maiestatem,

cum eximia modestiæ laude coniunctam: vt apud Homerum cum legimus quid egerunt dixeruntque, Nestor, Agamemnon, Priamus, Hector, Antenor, multo magis ad virtutem incendimur, quam ex vllis philosophorum præceptis. Adeo ipsum quoque autorem tacita quadam caritate complectimur. Nam præcipere aliis velle, fere odiosum est, quod arrogantiam & tumorem animi olet. Mens enim nostra sublimis ac superba, vt rectam præceptionem tanquam à sapientiore dedignatur accipere, sic eidem oblique per exempla & blande subeunti acquiescit: cum præsertim illa velut pictura personarum, & spem inducat animo, & stimulos æmulationis incutiat. Ex quo Horatius non tantum suo iure, sed vere de Homero loquens, poetas vno eodemq; in loco, non modo philosophis comparat, inquiens,

Rursus quid virtus & quid sapientia possit,
Vtile proposuit nobis exemplar Vlyssem. *verumetiam antefert, cum inquit:*
Qui quid sit pulchrum, quid turpe, quid vtile, quid non,
Plenius ac melius Chrysippo & Crantore dicit.

Quod si vel pares vel potius superiores philosophis censendi sunt poetæ: reliquum est, quare non sint historicis maiores, ne dicam pares, ostendant. In quo illud pro nostra in poetas beneuolentia donamus, historiam non fuisse poesi priorem: etsi prior fuit. Nam vt apud Latinos priora sunt annalia quam poemata: sic apud Græcos, & Dares Phrygius, & Dictys Cretensis, si vere fuerunt, priores Homero extiterunt. Nec fieri potest vt poetæ figmenta sua, non in rerum gestarum veritate, velut fundamentis ædificent. Nam ne quid de antiquis historicis dicam, quorum est Trismegistus, quem Mercurium putant, certe Iupiter in columna aurea, vt esset monumentum posteris, gesta sua perscripsit. Sed hoc, vt dixi, donamus, satis habemus demonstrare, cum idem sit propositi historico quod poetæ, vt prosit, 2
etiam delectet, nimirum tanto robustiorem esse historiam quanto est verior. At non versatur circa vniuersalia. Imo vero versatur. nulla enim alia causa huius operis est, quam vt per exempla nos doceat. Vnde à Cicerone his verbis laudata est: Historia testis temporuus, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuncia vetustatis. An est quisquam qui credat admirabiles illas in historiis orationes vtique veras fuisse, & non ab eloquenti ac sapienti opifice personis, temporibus, rebus accommodatas, quibus nos eloqui & sapere docerent? quid in eius natura personarum grauißima testimonia, quid laudes, quid vituperationes, quid multa alia doctrinæ atque sapientiæ plena? nonne in vniuersum præcipiunt? Neque vero si solam, vt sic dicam, cutem rerum respiciamus, semper poesis tendit ad vniuersalia. Nam Pindarus, Simonides, Alcæus, aliique Lyrici singulorum laudes, & quidem viuentium, ne dicam mercede, cecinerunt. Elegiacos & eorum similes transeo, qui suos amores plerumque tractaue- 3
runt. Et contra Xenephon magis optimi Regis effinxit, quam veram Cyri exposuit vitam. Nam de AEsopo taceo, qui fabellas prosa oratione composuit. Pudor me tenet & reuerentia Homeri atque Vergilii, plura de hac re exequendi. Ideoque iam historiam comparabo cum istorum qui nobis litem intentant, philosophia, quorum nemo merus professusque philosophus comparandus est, neq; Homero Græcus, neque Vergilio Latinus, imo ne Salustio quidem, ac Liuio, nonnullisque aliis historicis. Etenim quantum ego quidem iudicare possum, plus grauitatis, plus prudentiæ, plus ciuilis sapientiæ in orationibus historici exhibent, quam in præceptis vlli philosophi. Et si vera fateri non piget, ex historia fluxit plurima rerum naturalium cognitio, quam postea alii in præcepta redegerunt, plurima morum, plurima omnis sapientiæ doctrina. Siquidem historicos philosophis priores fuisse docuimus. Et si diuinorum quoque hic facere mentionem volumus: & Moses historicus, quo nemo prior scriptor extat nec 4
sapientior: & Euangelistæ, quibus nihil sapientius, nil aliud quam historici sunt appellandi. Verum vt contra gentiles gentilium documentis agamus, sicut superius fecimus, ita hic ad extremum, eam partem vbi quæstio est, Quintiliani testimonio confirmemus, qui ait: Neque ea solum quæ talibus disciplinis continentur, sed magis etiam quæ sunt tradita antiquitus, dicta & facta præclare & nosse, & animo semper agitare conueniet. Quæ profecto nusquam plura maioraque, quam in nostræ ciuitatis monumentis reperiemus. An fortitudinem, fidem, iustitiam, continentiam, frugalitatem, contemptum doloris ac mortis, melius alii docebunt, quam Fabricii, Curii, Reguli, Decii, Mutii, aliique innumerabiles? Quantum enim Græci præceptis valent, tantum Romani, quod est maius, exemplis. Vbi sunt qui vtilitatem historiæ cauillantur? quam maiorem quam in philosophia esse, & ratione & autoritate conuincimus. Postquam de vtilitate satis diximus, superest vt aliquid adhuc, quæ pars prima à no- 5
bis proposita erat, de difficultate dicamus. Oportet in historico esse, præter ipsam mirabilem quandam & multis sane dotibus exaggeratam scribendi scientiam, alia multa sine quibus non posit suum munus implere: primum in cognoscenda re, solertiam, acumen, iudicium. Nam quotus quisque gerundis rebus, qui scribit interfuit? Qui vero interfuerunt, ii nō modo, si à diuersis partibus steterint, inter se dissentire solent, sed etiam si ab eisdem. Raro namque eadem res à pluribus eodem modo narratur, partim studio aut odio: partim vanitate, cum aliqua quæ scire poterat, nesciens videri vult scire, vel non vult videri nescire: partim credulitate, cum aliis quibuscunq; referentibus temere credidit. Vix enim fieri potest, vt vnus omnia quæ in re gerenda contingunt, sensibus suis perceperit. Nonne igitur ad huiusmodi veritatem eruendam historico opus est non minori accuratione ac sagacitate, quam aut iudici in de-

n deprehendendo vero ac iusto, aut medico in prævidendo morbo atque curando? Deinde vbi non a-iena, sed tua notitia niteris, tuumque ipsius testimonium profiteris, quantæ curæ ac diligentiæ est ef-ficere, ne illi parti cum qua eras, vt Timagenes & Dicæarchus in historia Alexandri, vt Xenophon in historia Cyri iunioris, vt Oppius Hirciusve in historia Cæsaris, fauere videaris? Nam de his qui de suis ipsorum gestis scripserunt, non attinet dicere hoc tempore, neque de iis qui olim ab aliis scriptas histo-rias retractant tantum atque expoliunt: non veri, vt quibusdam placet, dicendi historici. Postremo quanta est opus ad hanc rem fide, atque constantia, ne quid maleuolentiæ, ne quid inuidiæ, neque ter-rori: rursus ne quid gratiæ, ne quid spei, ne quid precibus, ne quid ambitioni, ne quid autoritati tri-buas: vtique cum de tua, aut de paulo superiore memoria scribas, & de his quibuscum viuis, aut de eo-rum parentibus ac necessariis? In quo haud dubie & poetis & philosophis historici sunt anteponendi. Hæc nos in vniuersum ad commendationem historiæ historicique satis est esse præfatos: de præsenti au-tem materia, aut de me priuatim dicere nihil sane visum est. Sed quoniam de Hispano rege locuturus sum Ferdinando, qui primus è Castella regno Aragoniæ potitus est, aliquid de ipsa Hispania altius re-petam.

LAVRENTII VALLÆ DE
REBVS A FERDINANDO ARAGO-NIÆ REGE GESTIS LIBER I.

EVROPAM tertiam orbis terrarum esse partem, fere traditum est: eamque A-frica haud multo maiorem. Nonnulli fecere mediam, Africa illi subiecta, eorũ qui tertiam volunt. Quidam non secundam magnitudine dicunt es-se, sed primam. Nos vero receptam opinionẽ, & plurium autoritatẽ de nu-mero sequentes, sicut magnitudinis quæstionem in ambiguo relinquimus, quia parui refert hic de ea pluribus dicere: ita palmam Europæ tribuimus in omni prope genere dignitatis. Quod nisi & planum esset, & aures Latinorũ Græcorumq; assentiren-tur, multis doctorum hominũ testimoniis demõstrarem: nunc publica persuasione, com-muniq; consensu contentus sum. Ipsa autem Europa nusquam aptius cenuenientiusq; in-itium sumere dicenda est, quam vbi primum se ab Africa dirimit, non flumine aut mon-te, vt alibi fit, sed freto Oceani & mediterranei maris, hoc est in Hispania: quam caput Eu-ropæ, & si illa trium dignissima est, caput orbis terrarũ fateri licet. Ex quo pleriq; in descri-bendo orbe, ab Hispania veluti à capite inceperunt. Neque est, quod aliqui dicãt mundi caput in oriente esse, pedes vero in occasu, ad quem vergit Hispania: plusq; inesse dignita-tis vbi lux oritur, qnam vbi tenebræ. Nam si cœli cardinẽ, & vt Græci dicunt, polum, con-sideremus, qui septentrio est: profecto nõ caput pedesq; spectandi sunt, sed dextera, à qua occasum, & sinistra, à qua ortum constat esse. Neque idem dici de antarctico polo in con-trarium potest. Si enim proprium rotæ est circumagi in dextrum, nimirum arcticus caput erit, in cuius dextrũ, nõ antarcticus, in cuius læuum mundus rotatur. Verum sicut ad cœ-lum Hispania, qua vergit in occasum, in dextra esse censenda est, ita ad ipsum orbem ter-rarum, quia certissimum est caput Europæ, caput nominari potest, nihil obstante eo, quod de dignitate orientis opponitur. Nam nullius rei principium est suo fine præstan-tius. Neque alibi prius oriuntur tenebræ, quam vbi prius orta est lux. Et in oriente vt dies, ita nox prior est, vt ab eis etiam tenebræ venire videantur. Oriens videt primum solem quasi florentem, occidens postremum quasi fructiferum. illi dant lumen, nos ac-cipimus: ab illorum hospitio prodit, à nostro excipitur: de iis ad nos, de nobis ad eos commeat. Sed superuacuum est de hoc cum orientalibus contendere, qui nullum cer-tum locum, vbi apud eos pars orbis tertia recte incipiat, possint ostendere, vt nos in Hispania facimus: quam iure meritoque caput debere dici Europæ terrarumque, pro-bauimus. Hanc Romani cum rerum potirentur, in duas diuisere prouincias, citerio-rem, vlterioremque: quarum vtraque suas regiones certis distinctas finibus ac vocabu-lis habebat, quæ hodie pene mutata sunt, vt necesse habeam, cum præsentibus futurisque hominibus scribam, non priscis nominibus vti, sed nostro seculo ac iam longa ætate v-sitatis, si ab omnibus legentibus intelligi velim, vt veteres quoque ipsos video factitasse. Nam & hæc & cætera loca fere diuersis subinde vocibus appellata sunt. Et vetus sermo nihil aliud est, quam vetus loquendi consuetudo. Quis enim in Italia in qua sumus, pro his vocibus quibus vtimur, intelligat nuncupantem Brutios, Lucanos, Samnites, Campa-nos, Volscos, Equos, Hernicos, Vmbros, Ethruscos, Gallos, Boios, Insubres? vt admirari soleam, vnde factũ sit, quod regionũ prope omnium sint immutata nomina, cum vrbibus

ſua fere conſtent. Itaque in hac re non vetuſtatis autoritatem ſequar, ſed noſtrorum temporum conſuetudini obſequar. Sed in hac ipſa conſuetudine opus eſt iudicio. Nam vt Florentiam potius dixerim quam Fluentiam, & Ferrariam quam forum Arrii, & Papiam quam Ticinum, & vrbem Caſtellum quam Tifernum, & alia multa: ita non Ianuam ſed Genuam, non Cumas ſed Comum (nam Cumæ iuxta Baias non extant) non Barcinonam ſed Barcellonam, nō Siciliam niſi inſulam, quam Homerus vocauit ſuo iure Trinacriam. In ſuperioribus enim etſi autoritatem ex libris repetere poſſumus, eam tamen conſuetudo diuturna ſuperauit: in poſterioribus autem vſus loquendi cum ipſa autoritate ac vetuſtate conſentit. Igitur Hiſpania cuius partes regioneſque magis quam vrbes alia ſortitæ ſunt nomina, non tam quinque in regna diuiditur, quam quinque regibus paret, Caſtellæ, Aragoniæ, Portugalliæ, Nauarræ, Granatæ. Multo omnium latiſſimum eſt Caſtellæ, quod obuerſum fere oceano, duobus veluti brachiis Portugalliam Granatamq; complectitur, ſiniſtro Granatā in mediterraneo mari, dextro Portugalliam, quod eſt multo longius. Nam Vaſcones Galliamq; attingit, quæ nunc à Germaniæ quadam gente, Francia dicitur: res omnibus, niſi Hieronymus tradidiſſet, futura ignota. In Caſtella ex omnibus potentiſſima eſt Iſpalis, quam vulgo Sibiliā dicunt: in Portugallia Oliſippona. Quod nomen ab iis corrumpitur, qui velut ab Vlyſſe Vlyxbonam dicunt, neſcientes Vlyſſis illius viri nomen, ſed ſic à Latinis eſſe corruptum, præterea Vlyſſem illuc non nauigaſſe, poſtremo hanc vocem, ſi Græcam originem ſectari libet, ab equis ductam. Ibi enim à multis eſt Græcorum Latinorumq; traditum, equas Fauonio qui idem Zephyrus eſt, flanti obuerſas tempore certo concipere, eumq; partum eſſe perniciſſimum, licet triennium non excedat. Opinor Homerum ſecutos, qui iugales Achillis equos ad Oceanum Zephyro patre genitos tradit. In Granata vrbs eiuſdem nominis, quæ regioni nomen dedit, olim vocata. Ab interno autem mari ſecundum Carthaginem incipit regnum: quæ ab vrbe Valentia, ſicut de Granata diximus, nomen accipit, quia caput regni eſt, omnium Hiſpaniæ vrbium, vt fertur, amœniſſima, olim Romanorum colonia, poſtea non minima ex parte Cathalanorum. nam vtriuſq; gentis proprie eadem eſt lingua, finitimæ alioqui, iunctiſque littoribus, quorum tractus parum differunt. Sed in mediterraneis multo plus poſſidet Cathalonia, cuius metropolis quidem eſt Terracon, celeberrima vero Ilerda, validiſſima autem atque pulcherrima Barcellona. Eius finis ex altero latere ad montes Pyrenæos extenditur, & ad Narbonenſem vſque prouinciam quæ nunc vulgo tantum prouincia dicitur, licet non ſeruatis vſquequaque limitibus. A tergo autem harum duarum ſedet Aragonia veluti maxima natu, & primigenia ſororum, à qua proprie rex appellatur. Cuius metropolis eſt Cæſarauguſta, vbi reges ab eius archiepiſcopo, qui primus regni dicitur, diadema accipiunt. Horum lingua ſimilior eſt mediterraneis Caſtellanis, à quibus magna ex parte cinguntur, quam Cathalanis aut Valentinis. Et de origine quidem horum nominum, non putarem faciundum, vt redderem cauſam, niſi quædam de ea literis tradita ſcirem, quæ mihi non plane probantur: ea tamen iudicio aliorum relinquam. Atque vt de Cathalonia de qua vetuſtior eſt narratio, quam de Aragonia (nam de Valentia quæ nomen antiquum obtinet, nihil quæritur) prius dicam: aiunt fuiſſe Rogerium quendam cui cognomen erat Cathalo, ad debellandas Hiſpanias à Carolo Magno miſſum cum magno exercitu ac flore Galliarum, eumque cum vix quidpiam Hiſpaniæ ſubegiſſet, breue intra tempus morbo extinctum, cum ſumma poſt eius obitum pernicie ſuorum. Vnde parum veriſimile eſt, ab hoc viro prouincię nomen impoſitū, quam nō ſubegerit, & à qua quodammodo ſubactus ſit. Non enim calamitatis acceptæ, ſed partæ gloriæ teſtimonio debet nomen eſſe prouinciæ. Quapropter non me pœnitet eius ſententiæ eſſe, vt hoc nomen non recens ſit, ſed admodum vetus, cum legamus certe apud Plutarchū in vita Sertorii, vrbem quandam egregiam illic fuiſſe, nomine Cathalonem, & eius incolas, Cathalonios nuncupatos. Quod autem latius ſit propagatum id nomen, nō eſſe mirandū, nonnulla ſunt exempla documento: vt ea ipſa quorū modo memini, Valentia, Granata, Francia. Et Aprutium apud veteres vna vrbs erat, quam vulgo Teranum vocant, vbi adhuc reliquiæ antiquitatis extant, cum dicitur antiſtes Aprutinus. At nunc non vrbem modo, ſed ingentem quoq; prouinciam complectitur. Et Campaniam à Capua dictam, multos autores habemus. de veteri Campania loquor, quæ nunc terra laboris, id eſt culturæ, dicitur, non de ea, quæ cur ita vocetur, non aliā quam ignorationē puto fuiſſe cauſam, quemadmodū illā Italiæ partem quę olim Græcia maior dicebatur, vocare Siciliam. Quid alia longius quęrimus? ipſa Aragonia, de qua dicere ſecūdo loco propoſuerā, ſi iſtis credimus, appellata eſt à fluuio quodam eius nominis, qui illic ortus Iberū influit. In cuius vicina loca, Chriſtiani vim hoſtium deuitantes fuga, ſe receperant. Ego vt de hac ſecunda ſatisfa-

ciam

etiam, non satis implet apud me nominis fidem, aut tantulus fluuius, aut talis causa: ideoque malim dicere aliunde descendisse illam vocem, vel ex eo quod legimus apud Ptolemæum fuisse populos quos Iberus interfluit, nomine Aurigones, nempe vbi media Aragonia est. Nam confutare eos qui dicunt Terraconem, quasi terram agonū, & Vrgellum, quasi vrgens bellum, & Barcinonam, quasi barcam nonam, aliaq; ridiculæ etymologiæ, Græca, Latinaq; ac Barbara miscentes, ineptum sit: satis superque falsitas se ipsa confutat. Quod genus sunt ea quæ de Hercule in Hispania narrantur, que ne longius reprehendam, sat erit Plinium audire qui de naturali historia ait: Vniuersa autem quæ de Hercule, ac Pyrene, vel Saturno traduntur, fabulosa in primis arbitror: quæ iterum appellat portentosa Græciæ mendacia. Hæc nos tot verbis disseruisse de iis regnis, in quibus nostra materia versatur, non fuit alienum. Superest quinta & minima pars, regnum Nauarræ, cuius præcipua vrbs est Pompelon, partim Hispanis aliis, partim Ausetanis, Vasconibus, Aquitanisque circundatum: ideoque sicut Aragonia, nulla sui parte pertingit ad mare. Vbi nonnihil mirandum est, quod tam parua regio per se cum exiguis aliquot aliis populis, suam linguam habet adeo abhorrentem à cætera Hispania, vt non magis abhorreat Hebræa, vel Græca. Nam & Granatensium, quæ & ipsa discrepat, vt hæc lingua, non alia est, quam Syrorum, Afrorum, Maurorum, à quibus angusto traiectu diuisi sunt, & à quibus leges & instituta ceperunt. Reliqui enim Hispani, etsi differunt sermone, tamen ita, vt Itali inter se, vt Galli & Germani differunt. Cæterum horum quatuor Christianorum Regum, præter Portugallensem, alii ex eadem stirpe, id est, ab eodem auo progeniti sunt, qui fuit Rex Castellæ tantum, vt cæteri maiores, nomine Ioannes. Is duos filios ex vxore Helianora, Petri filia, sororeque etiam, ex matre, Ioannis & Martini, qui tres gradatim Reges Aragoniæ fuerunt, Heinricum & Ferdinandum genuit, moriensque regnum Heinrico primigenio per manus tradidit. Hic cum esset in omni virtutum genere cuicunque optimorum Regum par, in bellica laude maioribus respondere non potuit, incommoda semper ac prope perdita valetudine. Quo minus ei prosperitas corporis in fratre impigro iuuene, & generosi ac regii animi grata erat, minusque hominem ob id fraterne tractabat. Quod ille moderate ferens, quantum licebat, se à regia frequentanda abstinebat, & quia in belli artibus celsioribusque virtutibus non dabatur, in his mediocribus suam indolem ostendebat, affabilitate, liberalitate, consiliis dandis, re familiari augenda, liberis erudiendis, corpore exercendo. Brutus auunculi odium, suspectas virtutes habentis, simulata deuitauit insania. Maioris tamen operis est, illud aperta virtute deuitare, & odium pariter & inuidiam vincere. Augebat autem suspicionem Regis (nihil est enim Regum animo suspicacius) quod videbat fauorem studiumque populorum propensum in fratrem, non modo quod optima valetudine, quod tanta animi indole erat, verumetiam quod prouentu filiorum fœlix videbatur. Nam Rex aliquandiu prolem cum non sustulisset, tandem Mariam sustulit, quam certe tres quatuorue filii Ferdinandi, ætate antecedebant: Alfonsus qui postea in regno Aragonum patri successit, Ioannes qui Nauarræ regnum adeptus est, Henricus qui magister sancti Iacobi, & Sanctius qui magister Calatrauæ fuerunt. Nam Petrus multo minor cæteris fuit, tanto iunior Maria, quanto maior Helianora sororibus, quarum altera fuit regina Castellę, altera Portugallię. Ita Rex, aut orbus, aut vnicæ pater, & fratris & populorum animum, tum sibi, tum filiæ pertimescebat. Ideoq; proceres omnes ac ciuitates iureiurando adegit ad profitendam illam regni hæredem, futuramq; Reginam. Hanc deinde adhuc intra infantiæ annos Alfonso, prout licebat per ætatem, despondit, adductus quidem, ne regnum paternum in externam familiam delaberetur, neue fratrem populosque irritaret, ascito sibi pro genero homine peregrino, sed tamen non ex minima parte propter mirificam in Alfonso puero (erat enim quam illa maior quinq; annis) indolem & incredibilē gratiam, à Deo commodiorem filium sibi optare se non posse dicebat. Enimuero Alfonsum non in ea modo ætate puerili vterque parens, sed quoad vixerunt, vnice certatimq; dilexerunt, amarunt, complexi sunt: ita vt alii liberi (res enim erat minime obscura) etiamsi excellenti omnes indole, tamen nihil essent ad Alfonsum, non minus ob alia charum, quam quod filius foret. Ea erat in vsu & consuetudine benignitas, suauitas, probitas: ea in sermone prudētia, moderatio, iocunditas: is in rebus agendis vigor, ea magnitudo animi, is contemptus pecuniarum, appetitusque amicitiarum & glorię. Quę omnia & decor oris, & membrorum concinnitas habilitasque condiebat. Ea denique in parentes pietas, obseruantia, crederes nihil eum magis studere, quam vt illis gratum facere posset. Hanc ipsam obseruātiam pietatemque in Regem quoque transtulerat. Ex quo per causam sponsæ familiarius eo Rex arctiusque quam patre vtebatur, & vt generum Regis, imo & regni successorem,

prȩcedere volebat. Sed profectò raro reſpondent euenta propoſitis noſtris, vt intelligere poſſimus, conſilia humana vtiq; diuina ratione ſuperari. Alter fratrũ ſperat ſe relicturum Mariam ſuam Caſtellȩ Reginam, cũ alter frater qui nõ ſperabat, ſuam Mariam relicturus eſſet. Ille putat ſe hos coniuges regni ſui facturum hæredes, & hic qui non putabat, ſui facturus erat. Nam non ita multo poſt, Regina concepit, & filium edidit, cui Rex impoſuit nomen quod fuerat patris. Huic puero etſi iure naturæ & paterna voluntate debebatur regnum, tamen filiam non aliter quam primigeniam, quod nomen proprium eſt eius cuius futura ſucceſſio eſt, pater vocari præcepit, & teſtamento cauit, neutiquam alium filio, ſi orbus liberis decederet, quam ſororem ſuccedere. Verum nato regni hærede, etſi filia plurimum videbatur amiſiſſe, plus tamen eius ſponſus, cui iam deſperandum erat non modo regnum, verumetiam ſponſæ coniugium Rege defuncto. Nam quomodo Reginam collocaturam eſſe nuptum filiam priuato potius viro, quam vel alicui ex Britannia quam nunc Angliam vocant, principi, vnde ipſa traheret originem? In quod poſtea periculum deuentum eſt, atque adeo de nuptiis actum erat, niſi puella alium virum ſe quam Alfonſum accepturam pernegaſſet. Et hoc iam declarato Aragoniæ Rege Ferdinando, nedum ideo adhuc priuatam vitam agente non metueretur, ſed quemadmodum præter ſpem Alfonſo regni ſucceſſio obuenerat, iterumque præter opinionem de manibus exciderat: ita ad poſtremum præter ſpem opinionemque regnum aliud adeptus eſt, vt iam tunc à pueritia varietatem fortunæ, quam pleraque vita expertus eſt, auſpicaretur. Sed de Alfonſo poſterius late dicendum erit, nunc ad patres reuertamur. Non fuiſſe autem abhorrentem ab re bellica Henrici Regis animum, vel ex eo patet, quod affecta valetudine comparauit exercitum quem aduerſus Granatenſes educeret, atq; eduxiſſet, niſi grauante morbo celerius opinione hominum exceſſiſſet è vita. Hanc certe ſecum tulit laudem, quod pro religione bellum ſuſcipere deſtinaſſet. Reliquit autem & filii & regni autores, tutoreſq; ſecundum Reginam, treis ſibi maxime ſpectatos: Sancium Rodericum Daualos, præfectum militiæ, quo ſine controuerſia nemo erat illa tempeſtate apud Regem, nec integrior, nec ſtrenuitate præſtantior: Petrum Valaſci & Rogerium Lopizum Stuenigam. Ei defuncto vbi Ferdinandus cum omni cœtu procerum regio more iuſta perſoluit, reliquum erat, vt is qui futurus eſſet Rex, voce præfecti militiæ nuncuparetur. Quem autem is nuncupauerit, inſtituto patriæ pro Rege habetur, & eius vocem cæteri cum læto clamore excipiunt. Sed hic tunc quid ageret hæſitabat, etſi regnũ puero datum volebat. Monebatur autem cum ſuo ipſius iudicio, tum procerum populorumq; fremitu. Non enim eſſe ex vſu regni expectare donec anniculus adoleuerit, ſi modo adoleſcere, daretur, cum Ferdinandus iam adultus præſto ſit: expectare qualis puer ille ſit euaſurus, cum aſſit is, qualis voto expetendus eſſet: committere regni gubernacula regiis ſatellitibus, & eũ qui ſit Rege, patre, fratre, regali animo clarus, excludi à paterno regno, ac ſubiici cum tanta ſobole regii generis libidini tutorum, vt per ſpeciẽ adminiſtrationis in exilium agant, in carcerem coniiciant, in necem cum omni ſtirpe præcipitent, quo ipſi impunius tyrannidem occupent, vel fato vel fraude extincto pupillo, vt florẽtiſſimæ domus familia breui tempore omnis in nihilum recidat. Præſtare igitur vt Ferdinãdus ſuccedat in regnum, illudq; poſtea Marię primigeniæ fratris, Alfonſoq; primigenio ſuo, quos prius iurauerant populi in ſe regnaturos, per manus tradat, aut Ioanni, ſi dignior qui regnet videbitur. Hæc atq; huiuſcemodi verba exaudiens præfectus, vt tenebat manu vexillum, ſtabatq; ante Ferdinandum atque omnem cœtum, vti ſe omni inuidia exolueret, Quem, inquit, me iubes filii Regis Ferdinande nuncupare Regem? te ne, an Alfonſum, an Ioannem? Fecit hac interrogatione, quod ipſe erat in aliena, illum in ſua ipſius cauſa arbitrum. Hic reſponſum illud omnium ſeculorum memoria dignum, & vox æternis literis dedicanda: ac neſcio an niſi in fabulis ſimile factum, aut par inueniri queat, ſacro quodam rebus humanis exemplo, vt diſcerent homines plus pietatem officiumq; in ſuos eſſe quam regnum. Cuius tamen rei fama per omnes ferme terras, non minus quam pro merito eſt peruagata. Tot cauſis, tanta occaſione, tanto hominum conſenſu, ad tantam ſpem vocatus, non integritatem animi flexit, non conſilium diſtulit, non vocem proferre dubitauit. Sed protinus, Ecquem, inquit, alium nũcupabis quam Ioannem? Quod ſi non audes, me imitare ipſum: aſſumpto in humero infantulo, ſicut erat ſtatura ſublimi, ex loco ſuperiore exclamauit: IOANNES EST REX. dicite omnes, REX IOANNES. Quam vocẽ admirati vniuerſi & ipſi ſubſecuti ſunt clamantes identidem, REX IOANNES. Ita Ferdinandus hac conſilii celeritate, non dato hominibus ſpacio deliberandi, rapuit eorum excuſſitq; iudicium. At tacite defuncto Regi exprobrauit inconſultam ſuſpicionem, qui talem fratrem, ſe quoque meliorem, non belle tractaſſet: ac nequid de animo eius in dubium reuocari queat

queat, omne reliquum vitæ tempus declarat Ferdinandum non aliter perseuerasse quam inceperat. Postea vero quam suæ fidei ac virtutis sub oculis omnium tale specimen dedit, insequentibus diebus cum videret apparatum belli solutum iri, quod nemo vnus ad eam rem administrandam satis idoneus putaretur, neq; proceres qui ex aliis nationibus, in honorem religionis ad id bellum conuenerant, decorum sibi ducerent, sub iis tribus aut eorum aliquo militare, se ducem pollicitus est. Atq; ita volentibus gaudentibusque cunctis, summa gerendi belli ei defertur. Cui se comitem iturum cum ingenti necessariorum manu promisit Sanctius Rogeus episcopus Palentinus, non indecorum sibi existimans pro religione arma tractare, vir maximi animi, maiorisq; & consilii & fidei. Hoc communi amico nisi Ferdinandus ac regina inter se transigunt, vt dimidium regni, qua parte ad hostes obiectum est, velut fiduciarium ditioni ac procurationi Ferdinandi cedat, suumque munus sit rem bellicam administrare: cætera quæ extra periculum posita sunt, reginæ obtemperent. Interea Rex barbarus qui contra se parari bellum acceperat, postquam de languore, mox de obitu regis certior factus est, defunctum se periculo existimans, inceperat iam nonnihil de cura remittere. At vbi delectum Ferdinandum ducem comperit, vel magis timuisse dicitur, quod non per alium, vt rex fuerat, sed per se esset bella gesturus: illoque ætatis ac virium flore ostentaturus virtutem, quoad posset per occasionem, vt se dignum auo, dignum patre, dignum fratre, dignum etiam regno, indicaret: annixurus quoque vt sibi & autoritatē, & potentiam compararet. Igitur ad transmarinos reges mittit, vt primo quoque tempore traiiciant auxilia, & omni humana ope iuuent Hispanam circuncisionem aduersus incredibilem Christianorum multitudinem. In ea enim re positum decus generis religionisque, ne aut in seruitutem redigantur, aut sacra, ni trucidari malint, mutare cogantur. Etenim hunc regem transmarini sacrosanctum & sentiunt, & nominant, quod pro tutela religionis oppositus est contra vim Christianam, in ceruicibus suis imminentem. Ipse quammaximas potest, equitanis peditanisq; copias cogit, omnes aditus, qua venturos hostes suspicabatur, intercepit intercidit ve, præsidia disponit, oppida, castellaq; fossis, aggeribus, propugnaculis, turribus, stationibus munit, omniq; & tormentorum & telorum genere instruit. Nostro autem imperatori maiorē multo belli molem fore, si transmarina mittantur auxilia, videnti, prima curarum fuit classem comparare, atq; eam ad rationem temporis instructam habere. Itaque episcopum Palentinum, & Laurentium Zuarem, magistrum sancti Iacobi, & generum eius Garsiam Fernandum, secundum à magistro, quem magnum commendatorem vocant, cum maxima copiarum parte præmittit. Ipse Ispali ad maturandam classem aliquot dies consumit, quid faciendū sit, præfectum (is fuit Ioannes Henrix) docet. Summa hæc fuit, non minus pecuniam ad hostes, quam equos, arma, milites subuehi prohiberet. Nam his corpora aduersariorum armantur, viresq; adduntur: illa nostrorum animi plærunq; tentantur, & velut exarmantur, & nostræ rationes in discrimen perniciemque deducuntur, vt postea re ipsa compertum est. His confectis, Ferdinandus cum reliqua parte exercitus venit ad castra quæ erāt posita ad Setanillium, quod oppidum in media conualle, imminentibus vtrinque rupibus collibusque, despicitur. Ab vtroq; latere extra teli iactum, & licet in depresso loco sedeat, tamen in edita aliquantulum & circuncisa petra situm est: flumine cuius idem quod ipsius est nomen, petræ radices subluente pene circumfluū: deniq; & natura & opere egregie munitum, ad orientem Granatæ vergens. Et iam appetebat solstitium æstiuum. multum enim temporis exequiis apparandis, consiliis habendis, rebus componendis, extractum erat Ibi pro situ loci, quoniam cæteris tormentis parum profici videt Ferdinandus, turrim quæ muro admoueretur, excitare instituit: magnū opus & laboriosum, quippe ab eo loco expugnanda vrbs, qua tantum aditur, qui locus non minus celso muro ac turribus, quam reliquus ambitus amne tutus est. Interea cum turris, musculi, vineæ, cæteræq; machinæ, vt cuique datum negotium est, fiunt: Ferdinandus præter quotidianas expeditiones, cum eadem copiarum parte cum qua venerat, oppida duo, Prineam & Pegum, paucis diebus expugnat: erant enim parua. Tum oppidum Zaram aggressus, positis ante portam castris asperrime oppugnat, magnoque cum periculo, multisq; cum vulneribus quotidie dimicabatur, & vtrinque nonnulli cadebant, cum nostri primum replere fossas, deinde arietibus muros subruere, postremo scalas admouere: illi contra his omnibus nostros prohibere niterentur, nec nisi tormentis res atque omni genere missilium agebatur. Sed oppidani tinctis veneno sagittis vtentes, nostros ad vsum veneni vicissim compulerunt. Tandem hinc machinis discussa muri parte, illinc ariete subruente turrim, intra tricesimum diem, ex quo die obsidere cœptum est, deditionem facere cogun-

tur, vt cum binis vestibus demigrent. Erant autem ad tria millia permiscui sexus ætatisque. Vrbs militibus in pretium laboris & vulnerum diripienda conceditur: transcribunturque ibi incolæ, eisque ager Princanus, Peganus, Zaranus, pro cuiusque conditione ac merito diuiditur: sed ita vt nemo Agarenam linguam teneret, pro colono admitteretur, nequando sermonis commercio Christianis ac barbaris intercederet consuetudo, quippe ad proditionem facilima occasio. Hos Granatam versus abeuntes, & propter vxores, paruulosque liberos, ac senes, tardius iter facientes, Didacus, Demanus Adelitus, comparata omni Almuganeorum manu, de quo genere hominum postea dicemus, profectus à castris Setanilliis, quæ aberant decem millibus passuum, assecutus est in angustiis quibusdam, & ad vnum omnes occidit, siue odio gentis, siue prædæ spe, quod crederet eos aurum ferre, siue vlciscendæ iniuriæ alicuius gratia, siue alterius persuasu in victoris inuidiam. Eum reuersus Ferdinandus cum ad pœnam deposceret ac primos sociorum, interponebant plerique preces, vt veniam daret, quorum aliqui eo impensius absolutum optabant, vt inuidiam in Ferdinandum conflarent, qui tantum captiuorum è manibus dimisisset. Hoc autem negante se veniam dare posse, nisi fama periclitari vellet, ac fidem datam rupisse, responsum est à multis partibus, non permissurum exercitum, sanguine Christianorum, canibus illis parentari, resque iam ad seditionem spectabat. Ferdinandus qui sciret multos adesse qui inuiderent, multos qui odissent, multos qui ob factiosam potentiam nō possent à se, vtpote recenti duce, in officio teneri, pronuntiauit, Didacum sociosque se donare quidem capitis impunitate, sed non tamen crimine absoluere ac quantum in ipso esset, vnum Didacum ignominia notare, vt cum omnibus quæ peccauit hac leni multatione decidat. Iam tum apparebat contumaces nonnullorum esse animos, & gloriæ ducis aduersari. Sed huic eo tempore opus erat dissimulatione & lenitate, non ira aut sæuitia. Dum hæc in mediterraneis aguntur, præfectus classis duas triremes dimittit, quæ si quas in traiectu barbarorum naues viderint, intercipiant, vt quid apud hostes agitur, explorent. Illæ paucis diebus biremes duas Maurorum, cursum in Hispaniam tenentes, nocte insequuntur: quarum altera quæ pergere ausa est, cum tota nocte elusisset, demum albente cœlo in potestatem triremium venit, & se cum socia missas dicit, nuntiatum quam ad diem præsidium expectaretur, percunctatumque vtrum semel rex Granatensis mitti auxilia vellet, an quod tutius, per partes & furtim: altera vero conuersa velificatione, eo vnde venerat relata, nuntiat mare obsideri ab hostibus, quot autem nauibus inexploratum habere, duas se tantum Liburnicas obuiam obtulisse, cæteras putare in occulto esse, sociam non dubitare à duabus interceptam. Hæc vbi hostis accepit, non per partes, sed semel tota classe agendum ducit, & eo diligentius naues instruit ornatque, quod Hispanas iam in salo esse audiebat, quas fallere toties in traiectū non posset. At nostræ continuis postea diebus prænauigantes omnem illam Africæ oram, vt certius rem explorent, comprehensis aliquot nauicularíis negotiatoribus, discunt accelerari nauium apparatum quæ in Hispaniam subsidio mittantur, ac duas & viginti triremes iusta magnitudine, ac iusto numero militum, quatuor eadem forma, sed grandiores cum sexagenis singulas electissimis equis. Hoc explorato nostræ confestim ad suum locum reuersæ, lembum iterum cum secundo nuncio ad præfectum mittunt, qui rem doceat. Præfectus non ita multis diebus cæteras naues in salum deducit, ad eundem forte quo hostiles erant numerum, paratisque iam antea rebus omnibus instruit armatque: ad hæc complures onerarias cum commeatu ampliore, nequando mittendum pro eo longius foret, cumque machinis, si qua ad mare oppida expugnanda essent. Comitabantur autem has quamplura nauigia minora. Nec diu postquam transitum obsidere cœperant, expectatum est. Nam vix sexto die, duæ Liburnicæ nostrarum quæ procul magis quam cæteræ à freto aberant, sub ipsum solis ortum conspicantur classem hostium non longius à se quam duodecim millibus passuum, nec à terra quam bis tantum. Datoque protinus quod conuenerat signo, sociæ venire festinant ad transitum, quia hostium proras tendere vident, occupant, leuatisque armamentis, ac suspensis remis, parati expectant, vt aut retro tendere, aut priusquam littori appellant, cōserere manus cogantur. Et iam erant dimidio fere, quam ab initio viciniores hostib. modo quiescentes, modo lente remigantes, atq; interim, ita præfectus iusserat, circiter iam horam diei secundam cibum sumentes. At Maurus cum ad primum conspectū totius classis aliquantū vela demisisset, nonnihil vel in deliberando, vel in præparando se ad bellū, cursum repressisset, nauigationē deflectit, eo consilio, vt triremes ab aliis seiungat quæ subsidio remorum carerent, ne cum tot pariter nauibus sibi sit dimicandum. Ita complicatis

velis

velis in aduerſum pene ventum, ſecundum terram remigare pergunt. Præfectus cognito dolo, alio inuicem dolo vtendum putat, confeſtimque & quam maxime poterat, furtim ſtrenuiſſimum quenque ex aliis nauigiis in trireme accitum, iubet occulte quieſcere, nauigiaque ipſa de induſtria ſegnius ſequi, quaſi ſubſequi nequeant: dehinc cæteris præcipit, cum ſignum dabitur, non niſi remiges, quo multitudo diſſimuletur, exclament, veluti ſumpto animo, quia illi fugere videantur. Vehementius autem à noſtris qui aſſequi cupiebant, quam ab illis remigabatur, qui & hoſtes fatigare volebant, nec ipſi cum triremibus pugnam detrectare, ſi aliter eo quo tenderent, peruenire non poſſent. Cum iam prope tribus ſtadiis noſtri abeſſent, niſi ſicut erat conſtitutum, clamorem tollunt. Illi omiſſis remis vela faciunt, conuerſiſque proris Malacam petunt. Noſtri quoque idem faciunt, breuique tempore à ſuis remotiores, quam ab hoſtili terra, hoſtem adipiſcuntur. Tum ille, prout præceptũ ſibi erat, ne à latere, aut à tergo noſtris nauium feriretur, quantum poteſt, obuerſis proris aduerſas proras excipit, imbre ſagittarum ad ipſum incurſum vtrinque in alteros emiſſo. Mox coniectis ab Hiſpano in quamcunque dabatur Africanorum nauem, ferreis manibus, res non tam ſagittis ac iaculis, quam pilis iaculiſque gerebatur, vtriſque non modo pro gloria, imperio, libertate, vita, ſed etiam pro religione annitentibus. Addebat non leues illis ſtimulos, quod in conſpectu ſuorum, & de eorum quoque ſalute ac libertate pugnabant, quos auxilia diu expectantes deſertum iri nefas videbatur. Sed Hiſpani & robore, & numero, & religione ſuperiores, magnam multitudinem barbarorum trucidant, plurimique in hoſtilem claſſem inſilientes, paſſim cædunt, capiunt, mergunt, aquis late cruore infectis. Tandem aliquot nauibus expugnatis, cæteri effuſa fuga terram petunt, areniſque proras impingunt, malentes vitæ quam claſſi famæque conſulere. Ita victi atque exuti, quia victores atque inſtructi nequibant, Granatenſibus auxilio venerunt. Hę naues partim ab ipſis, ne à victoribus retraherentur, concrematæ ſunt, partim à noſtris, quod eas extrahere non poſſent, cum ex turri Carbonaria, quæ eſt in littore Malacæ (illuc enim impactæ ſunt) defenderentur. Decem ex omnibus, aut in pugna, aut in fuga, cum ſuis remigibus, nautis, militibus, atq; omni armatura captæ ſunt: præterea duæ hippagines integris equis ornamentiſque. Nam totidem ex omni claſſe, cum rem inclinare vidiſſent, occupatis aliis atque ſatagentibus, fugæ ſe mandauerant: quas poſtea claſſis Portugallenſis cum Septam oppidum in anguſtiis freti poſitum inuaſit, repertas in ſicco, deduxit vacuas atque abduxit. Rex Granatenſis vbi accepit ab auxiliariis ſuis prælio nauali male pugnatum, quoſdam non ex infimo loco viros ex noſtris corrũpit auro, quos ſciebat animo alieno à duce eſſe. Abſtinebo nominibus eorum, quos enim nemo pro certo peccaſſe conuicit, malignum ſit à me veluti certi criminis cõdemnari, & quos dux ipſe putauit ſubticendos, ego quoque ſubticebo. Verusne rumor an fictus fuerit, ii quos rumor tetigit, ipſi viderint: ſatis certe dedecoris ſuſtinuere ex ea infamia. Crediti enim ſunt ita rotas axeſque quibus turris innitebatur, per certos homines vitiaſſe, vt ad primum ſtatim motum turris ſubſideret. Hoc ſatis ad impediendum atque eludendum illius anni conatum eſſe videbatur, ita vt in reliquum tempus inferre bellum Ferdinandus, aut non auderet, aut non poſſet, aut minus commode poſſet. Turrim autem reficere etiamſi cordi eſſet, ſi perfidia ſociorum non diſſuaderet, ſi temporis ſpatium pateretur: tamen rem frumentariam qua maxime laborabat exercitus, non permiſſuram exiſtimabant. Siquidem multo exilior expectatione hominum illa æſtate meſſis fuerat, & exercitus ex dimidio erat maior quam pro commoditate, adeo multitudo ipſa nonnunquam, ne victoria potiamur, in cauſa eſt. Ferdinandus vt lætus ex nauali victoria, bonæque ſpei ac fiduciæ plenus, cum iam machinæ ad finem perueniſſent, ita ſolicitus ob penuriam rei frumentariæ, non prius de expugnatione oppidi, vbi nonnihil dura proponebatur dimicatio, agendum conſtituit, quam milites animo ac corpore refeciſſet præda ingenti boum atque ouium. nam ſubtractus militibus cibus, non modo membris vires, ſed etiam animæ quæ magis quam corpus pugnat, vis ſubtrahitur. Paſcebatur autẽ ferme omnia pecua Granatenſium in valle Cartanæ, triginta à Setanillio millib. paſſuum. Hanc omnem multitudinẽ ſi poſſit, aut quantam maximã poſſit (erat ad triginta millia capitum bouini pecoris, & quinquaginta ouium) vt abigat, negotiũ dat Laurentio, & Garliæ, quos ſupra diximus. Illi cum quatuor millibus equitum leuiter armatorum, totidemq; peditum profecti, quinque & viginti milliaribus confectis, noctu in valle quadã altis coarctata montibus, ſilentio ſede capta quieſcunt, ac de quarta vigilia, recentibus equis, iter peragunt, relicto ad cuſtodiendas montium fauces præſidio duum milliũ peditum: non quia eadẽ via reuerti conſtituerent, ſed vt ab hoſte conſpecti, ii qui montes inſediſſent, ſpeciem præberent prædatoriæ manus illac reuerſuræ, ignari tamen ipſi con-

filii ducis sui. Sed in difficili re domestici quoque celandi sunt, & perinde atque hostes fallendi: præclareq; cum exercitu ac populo agitur, si dum maiori parti bene consultum sit, minori male consulitur. Quanquam non defuit ad eripiendos è periculo socios cura, postquam prius consilium fortuna approbarat. Facto ex improuiso in greges armentaque Laurentius incursu, spatii satis ad cogendam prædam habuit, priusquã ingens manus hostium in apertis campis eum posset inhibere. Plurimi vel viso præsidio, vel ex aliorũ voce cognito, esse ad introitum vallis qua prædones venissent, illuc qua cuique proximũ est recurrunt, vt reuertentem cum præda hostem intercludant, exuantque. Laurentius interea collocatis in medio armentis gregibusq;, longiore via, sed tutiore, castra versus cursum intendit: oues quas sequi nequibant, præter paucas quas aut in equis, aut in humeris occisas discerptasque socii ferebant, omnes omisit, iubens suos illis parcere, tanquam aliquando commodius prædæ futuris. Ambo autem cum maiori equitatus parte curabant, in postremis Laurentius & Garsias, leuia cum insequentibus assidue certamina conserentes. Et cum aliquantulũ processissent, vt ab se insequendo hostem cohiberent, & sociis, sicut coniectura colligebant, aut circumsessis, aut circumsedendis suppetias irent: Garsias cum dimidio postremi equitatus redit, eos qui ad insequendum properabant, in via fundit fugatque, & ad socios admissis equis peruenit, iam satagentes, & fraude locorum ab hostibus circumuentos. Sed conspecto equitatu qui iam subibat vallem, opinatus hostis adesse omnes cum præda, vndiq; per decliues colles cum clamore decurrit, transitu prohibiturus. Idem quoque nostri qui relicti fuerant, arbitrati, & à præsenti periculo nonnihil relaxati, recepto animo & ipsi descendunt, breuique suis iunguntur. Hic in ea valle acre prælium surgit, illis quasi præda traducenda esset annitentibus, nostris angustias discrimenque sensim inter pugnandum euadentibus. Garsias dum in mediis telis versatur, sinistra ei veru transfoditur. Tandem multis acceptis vtrinque vulneribus, aliquot ex nostris, multis ex altera parte interemptis, se in tutum recepit, siue quod hostis subsequi prædam putaret, quam recuperare malebat, quam cum istis abire volentibus periclitari fortunam belli, siue quod ad eos qui abigerẽt pecora, redire censeret magis ex vsu esse. Sed iam illi quoq; tuto abibant. Ita vtriq; diuersis ex locis sub idem fere tempus, tertio quam profecti sunt die, qui fuit Iouis, in castra hora pomeridiana peruenerunt. Ea carne se exercitus illa nocte quam peruigilem comessando atque perpotando traduxit, in præteritum pauit, reseruatis in duos insequentes dies iocinoribus, quod diceret iocinora apud eos pro carne non esse. Compluribus diebus ea sagina refecto exercitu, cum iam omnia in procinctu essent Ferdinandus primo die, productis musculis, fossam exteriorem repleri imperat, quo possit muris admoueri turris. Sed maiore negotio secunda fossa altero die oppleta est, oppidanis non modo missilibus, vt priore die fecerant, impedire conantibus, verum etiam eruptione facta, securibus, ignibusque. Virtus tamen militis, & spes oblata diripiendæ vrbis, omnia impedimenta vincebat. Tertio autem die cum omnes copiæ in armis essent, paratis machinis, aliis ad subruendos muros, cum hilari vociferatione turrim quam extruxerant, qui iussi erant, moliri cœperunt. Ea ad primum statim conatum succumbentibus axibus, mox rotis, tota subsedit, & cum magno metu periculoque eorum qui & desuper & prope erant, reddito sonitu pependit, acclamantibusque ad subsidium plerisque, ii qui inclusi erant, prodire festinauerunt. Ad quem tam inopinatum vtrique parti casum nostri stupere, dolere, pudere, inter se lamentari, detrimenti tantum quod accipiebant, dedecusque, ac queri proditionem, & mussitare, quisnam autor proditionis fuisset. Exulcerabat quoque hanc indignationem lætitia obsessorum, qui ex tanto ac tam præsenti discrimine erepti, animos tollebant, ferocioresque, quasi vicissent, se ostentabant, Deum pro ipsorum causa pugnare iactantes. Nam numen adfuisse, non casum, aut fraudem intercessisse existimabant. Omnino nusquam magis impie atque inexpiabiliter proditio grassatur, quam in bello contra religionis hostes. Vbi quæ sibi successerunt prospera scelere nostrorum, ea diuinitus euenisse interpretantur, regente proditionem in posterum quoque tempus, eo qui ad prodendum nostros solicitauit atque induxit. Ex quo fit, vt tam prompto illi animo in bellum ruant, cupidiores interdum inferendæ plagæ quam cauendæ, quod persuasum habent, se & occisores & occisos in bello magnam apud summum Deum mercedem adepturos. Perculsus tanto casu Ferdinandus, adhibet in consilium fidelissimos quosque, & ad eos refert, quid consilii sit ineundum. Dura inibatur ex omni parte ratio. Inquireret sontes, quos magnos viros esse suspicabatur. At ne Adelittum quidem potuerat vlcisci. Reficeret turrim. At magnum dispendium, & vt in fame magis ac magis inualescente, in dies militum contumacia propo-

proponebatur. Rediret infecta re. At non aliorum culpa, sed ducis argueretur. Tunc Sancius episcopus, Ego, inquit, Ferdinande à sapientibus viris accepi, vbi necesse est aliquid fieri, aut contra, vbi quid fieri possibile non est, ibi nullum relinqui consultationi locum. Nos Setanillium obsidemus, fames nos obsidet, & quidem arctius. cum qua nisi quacunque ratione decidimus, vereor ne nos ante expugnet, quam à nobis oppidum expugnetur. Quod si quis morbus aut pestilentia in tuo exercitu contigisset, profecto de mutando loco, atq; recedendo non dubitaremus. Nunc fame in nobis orta idem facere dubitamus? plus quam pestifero morbo, & quæ ad maiora scelera homines inducit quam vllus morbus. Deficit nos res frumentaria, nec suffici aliunde potest. Cedamus igitur necessitati, & quod effici nequit, non instemus efficere. Neque est quod istum discessum putes tibi deformem fore. Tu terra mariq; victor redis, tu breui tempore maiora multorum opinione fecisti, tu quantum in te est oppidum hoc expugnasti: quod in manū tuam non venerit, id non tibi, sed temporibus, sed sterilitati, sed perfidiæ sociorū assignandum est. Pro re comperta habes dolum versatum esse in turri subruenda, & pro comperto habeas licet, neq; aliter in reliquum tempus expectes, non iam in turri, sed in tuo capite. An huc vsque progredi contentam sceleratorū audaciam censes? Erras si minoris audaciæ putas hoc fecisse, quam tibi venenū dare. Viuo rege cum procul abesses à rebus agendis, tamē multos patiebaris inuidos, & qui te perditū vellent: quid eos nunc facturos suspicaris quos maiorem ipsorū spe potentiam gloriamq; adeptus offendis ac torques? In quos si inquirere cœperis, quamuis non tantū in his præsentibus crimen esse arbitror, seditionē in castris excitaueris, iocundūq; hostibus spectaculū præbueris, & extremum huius militiæ actū fœdaueris, plus habiturus apud populos detractionis ex asperitate vltionis, quam beneuolētiæ & laudis. Relinque itaque eos qui te, qui nomē Hispanū, qui religionē læserunt, hominū iudicio rumoriq; puniendos. Quod si neq; penuria rei frumentariæ neq; sociorum perfidia nos manere permittit, & satis magna cum gloria redimus, quid agendū est, nisi vt te domū recipias, comparaturus in proximū annum, & fideliorē tibi, & commodiorē numero manum? Hæc vbi Ferdinandus audiuit, iussit in quartū diem profectionē pronuntiari. Interea ne læta omnino profectio esset hostibus, circuniectos agros ferro igniq; vastari, quibus ob spem potiundi oppidi hactenus parcitū erat. Tertio die fumantibus quoquo versus ex incendio Setanillianis agris, profectus cum omnib. copiis Ferdinandus vbi in campum Mauri peruenit, vnde omnem exercitum subiicere oculis poterat, iniit numerum militum recensuitq; (quod in aduentu non fecerat) equitū ad triginta, peditum ad sex & octoginta millia. Quod vbi egit, partem missam fecit, partem ad certa loca hybernaturam dimisit. Atq; ita diuersis itineribus, vt cuiq; aut cōmodum, aut imperatum fuit, discessum est. Dimissis copiis Ferdinandus ad curanda opera pacis animum intēdit, & vbi apud populos principesq; venerabilis magis atq; charus iustitia ac sapientia effectus est, bellum reparat, coacto exercitu non ex potentissimis ducibus, magna quemq; manu sequente, sed ex medio ordine hominum, probatos, nō multos ducentium, cum minimo lixarum calonumq; numero. Nam hoc genus castra auget, non aciem. Ideoq; multo maior hic quam superior fuit exercitus: sed tanto vtilior, ad sedecim tantum millia equitum quadraginta peditum. Rei quoque frumentariæ (nam insequens annus fertilis sane fuit) ita prospectum est, vt nulla in parte Hispaniæ minor quam in castris, aut penuria, aut caritas esset. Classis autem eo anno nulla in salo, præter duas naues speculatorias, fuit. Nam barbaro aliam reficiendi aut consilium non fuit, aut fiducia defuit. Verumtamen per omne interim tempus, Africani principes in Hispaniam clandestino traiectu militem atq; arma summiserant, prouidentes rei Hispanæ, si rursus bellū à Ferdinando inferretur. Hic cum Ispali hyemasset, iam vere ineunte, edicit omnibus decurionibus, tribunis, præfectis copiarum, vt in diem certum præsto sibi essent ad Eisam, quod est oppidum finitimū hostibus. His interea diebus Helianora vxor, rarissimi exempli mulier, quotidie antelucana diligentia, nudis pedibus, duarum tantum familiarum comitatu, visebatur ire ad ædem diuæ Mariæ, cognomine custodientis: quia maiorum memoria delapso illic in puteum infantulo quodam, ad inuocationem matris mota matre Domini, succreuit ad oram vsque putei aqua, & incolumem filium matri restituit. Hanc in ipso digressu maiorem in modum anxiam Ferdinandus cohortans, Quid tu, inquit, vxor tantopere solicitudine mei te affictas? Deus quem semper religiose coluimus, & causa optima propter quam nunc in expeditionem eo, & apparatus belli, & fides sociorum promittunt me tibi cum victoria reuersurum. Ex quo te bono animo esse, & non demisso decet, ne maritum in hostes euntem infausto prosequi omine iudicare. Nam desiderium mei solabere aspectu colloquioque communium liberorū. Ex quibus Alfonsum abs te, ne ægrotū animum exulcerem,

nolo abducere, fraudoque me ipſum voluptate, vt tu ea fruaris. Caueq; ſi me amas, ne liberi noſtri ex tuo mœrore mœſtitiam contrahant. Qualis enim aſpectus eſt matrisfamilias, talis & totius familiæ eſt. In qua cohortanda, ac curanda, ſuſtinebis etiam vires meas, & in hac te militia exercebis, cum ego pro religione, pro gloria domus, pro amplitudine veſtra, in alia militia ago. Tu vero mi Alfonſe, etſi iucundiſſimum mihi erat indulgere tibi cupienti tyrocinium ſub patre duce, tamen ne matrem ſolicitudine tui maceres, apud eam manebis, donec rebus proſpere ire incipientibus, illa te venire permittat. Interea perge, vt facis, dare operam virtutibus, & in primis affectum quem mihi præſtabas, in matrem confer. Cito autem, vt ſpero & opto, te è caſtris accerſam, quo particeps ſis paternæ laudis. Hæc locutus, filios deinceps amplexus oſculatuſque, abiit cum flore copiarum vexillis præcedentibus, quorum primum habebat imaginem Domini noſtri in cruce pendentis: alterum matris eius, cum angelo Gabriele conceptum Spiritus ſancti annuntiante: tertium ſancti Iacobi: quartum erat regni: deinde reliqua. Atque hoc ordine à cætero exercitu exceptus eſt, vbi cum pauculis diebus ſtatiua habita eſſent, Anticheram verſus quæ ad Aquilonem Granatæ vergit, caſtra mouit. Cumque in agrum hoſtilem peruentum eſt, magna vis ferarum excitata eſt ex conſuetis locis propter diutinam, vt fit in bello, deſuetudinẽ ruſticorum ab agris. Quæ feræ ab agmine armatorum in quod inciderant, fugientes, cum in aliud & ſubinde aliud incurrerent, fugatæ atque exterritæ hominum vociferationibus, tandem conficiebantur, aut viuæ præſertim defeſſæ fugitando, in poteſtatẽ multorum manuſq; veniebant. Cum aues etiam multæ, tantis vndiq; vocibus inuicem ad capiendam venationem adhortantium confuſæ attonitæque, ac toties reuolando defatigatæ, aut haſtis in aere percutiebantur, aut manibus humi capiebantur. Hunc in modum milites ludibundi victoriam ob id prædamq; augurantes, vt eſt illa natio auguriis dedita, in conſpectum Anticheræ venerunt. Eſt autem id oppidum ad radices collis accliue, cuius arx ſaxo extructa in decliui ſupercilio vrbi imminet, diſcluſa ab altiore colle qui perpetuis montibus ad iuga Granatæ excurrit. Mediam vallem proxima petra fluuius magnis gurgitibus erumpens ſecat, intra teli iactum vtrique colli vicinus, & muros, qua parte in plana ſe porrigunt, radens flexo alueo. Dicebatur aliquando à ſuperiore colle veniſſe auxilia Anticherenſibus, cum obſiderentur, eoque non redactos in deditionem, cum cibis iam armiſque defecti eſſent. Hunc locum cum imperator in primis occupandum duxiſſet, epiſcopus ſibi id negotii deſumpſit, eumq; foſſa primũ, & vallo in ſequentibus diebus, per otium muro, ac materia ad ſtaturã hominis circundedit. Idem fecit in inferioribus Ferdinandus munitionibus, quantum dabatur mœnia concludens, crebra nunc huc nunc illuc oppidanorũ eruptione opus diſtinente. A tergo partim iuncti carri claudebãt, partim foſſa & vallum. His confectis, aquatione & fluuio oppidanos prohibere conſtituit. Nam intra muros, vnus puteus tantum eſſe non ignorabatur, & is amarioris aquæ, quales fore cæteros, ſi plures fodere oppidani tentaſſent, credibile erat. Quotidie autem acre prælium conſerebatur, nec interdiu tantum, ſed noctibus quoque, cum illi porta quæ ad flumen fert, egreſſi aquarentur. Et auertere quidem curſum fluminis imperator volebat, ſed plurimus proponebatur labor, ac plurimorum dierũ: verũ malebat milites in alio exerceri opere. Itaq; de ſecunda vigilia, præparato ceſpite ac materia, ante portam, in citeriore ripa aggerẽ iaci iubet, ac ſtationẽ muniri, collocatiſq; tormentis cum ſagittariorum cohorte, egreſſu portæ oppidanos prohibuit. Qua ex re actũ de ſalute obſeſſorum erat, niſi magiſtra inuentionis neceſſitate à ſuperiore aluei parte, ſuffoſſa tellure, aquam deriuaſſent, quæ curſum, ne res deprehenderetur, nõ perferret. At ne qua via furtum hoſtibus ſuboleret, totis noctibus de muro carrucis ad capita vectium conſertis, quibus funes ad vaſa alligati inerant, aquabant. Interea laborẽ aſſiduo excitabatur machina, duo de viginti carris impoſita, proceram ſcalam ſuſtinens, pronam nonnihil atq; pendentem, vt ſtante extra intimam foſſam, machina procumbens, ſcala ſeſe in muros, aut in turrim vſque porrigeret, lata ab imo ad ſummum decem pedes, ita ſublimis vt in ea centum armati poſſent inſiſtere. Subterque intra machinam, quaſi in equo Troiano, totidẽ alii latebant, poſt illos priores, ſi turris obtenta eſſet, aſcenſuri cum miniſtris, rebuſq; ad expugnationem, ad refectionem, ad curationẽ vulnerum plagarumq; neceſſariis. Duæ præterea minores vtrinq; machinæ, quaſi comites, ſenis innixæ carris, ex vtraq; ſingulis ſurgentibus trabibus, inſtar naualium malorũ, quæ caueas in vertice, & vt nunc in nauibus fieri videmus, velut capita ferebãt, recepturas quaternos arcuballiſtarios, iã delectos, & inter omnes præcipue inſignes, quorũ ſinguli ictus ſingulis aureis donabantur, ita vt bini tenderẽt per vices, bini ſagittarent: ne quem in muris non modo conſiſtere, ſed ne membrũ quidem proferre permitterent. Fuit autem conſilium ducis, non ad conſummationem machi-

machinam perducere,sed animos hostium oculosque fallere facta in speciem machina, vt cum compendio temporis,tum incolumitati suorum consuleret alio genere expugnationis. Ideo enim ratio agendorum cuniculorum (hoc enim genus expugnationis instituebat) & breuis & tuta habetur, quod hostis nullam ex aduerso oppugnationem præparat,& incautus,& nonnunquam dormiens opprimitur. Sed acri est opus diligentia,ne insidiæ deprehendantur,vt tunc diligenter prouisum erat. Siquidem ædificatio turris auocabat hostis animum ab omni alia defensione, & humus è cuniculis egesta post eam lignorum molem commode latebat,& sonus suffodentium ad strepitum fabrorum non exaudiebatur. Et cuniculi quidem à principio vni erant,mox in diuersa tendebant: vna via quæ ad turrim effodiendam,altera quæ intra mœnia euaderet, vt pariter succensa ac collapsa turri,& à cuniculis erumperetur,& ab exterioribus irrumperetur. Sed vt quotidianis deprehendimus experimentis, maximas plurimasque opportunitates corrumpi ac perdi vel minimis causis,ita ibi vsu venit. Nam quidam ex iis qui in statione ripæ excubabant,forte totum diem in defodiendis cuniculis insumpserat,intempesta autem nocte cum ad vicem vigiliarum excitaretur à socio,& quia surgere nolebat,increparetur, irato ac maiore sono vocis excusauit defatigationem,quia illo die solem non vidisset defessus, ac defodiens in sepulchro stans,non iacens,humatusq; cum nondum homo desiisset esse, & cum effodit cuniculos, ipse cuniculus factus esset. Ea vox à quodã qui muros eregione custodiebat, excepta est, vt sunt acrioribus auribus qui magis timent, statimque ad magistratus delata. Nec mora, cæteris omissis summa cura,nunquam intermisso opere, ad cuniculos tertia nocte,quo tempore à nostris cessabatur,peruenerunt, eosque quantum proxime caput ipsum poterant,obstruxerunt,& adhibitis custodiis, opus subterraneum destitui coegerunt,& aliud vt sic dicam supramurale maiori studio peragi. Et iam peractum prope erat,cum barbarus rex dicitur propediem non modo se obsessos liberaturum iactasse,sed etiam obsidentes oppressurum. Sic enim fore,vt non modo quod è fide regis erga suos aqua,telis,& nonnihil cibo defectos,sed etiam quod dignitate faceret, & venerat in spem hanc, propter immensam hominum quam præter aduectitiam ex omni regno collegerat. Nam satis constat eam ad decem millia equitum,& centum & viginti millia peditum fuisse,vix vllis impedimentis,vllisque calonibus ac lixis, complurium mulierum comitatu:quæ cum in via castrisque cibos,tum in prælio potum subministrarent. Adeo nemini virorũ vacabat fere nisi pugnare. Addidit etiam facto superbiam barbarus:noluit ipse huic expeditioni præesse,quod diceret ab re esse, regem nisi aduersus regem exire in bellum. Quasi vero non sint non solum alii principes interdum maiores regibus,ideoque regaliores,vt olim Romani imperatores. Sed certe qui obsidet alterius regnum,ipso rege obsesso non inferior censendus est. Ferdinandum enim Infantem esse Castellæ,ideo aduersus hunc duos Granatæ se mittere Infantes. Metu fortassis hoc fecit,quod videri voluit fecisse consilio. Semper enim vitia nostra honestatis aliquo velamento prætegimus. Infantes autem in omni Hispania regis filii vocantur. Quem morem,vt alia plurima,suspicari libet sumptum esse è vetusta Romanorum consuetudine, apud quos,vt Hieronymus prodidit,filii etiam grandes à parentibus infantes vocitabantur. Nisi forte referimus ad Græcos, quorum studia fuisse in Hispania reperio,qui indistincto vocabulo filios puerosque appellant παῖδας, sicut vxores quoque atque mulieres γυναῖκας: quod fieri in pleraque Hispania agnoscimus. Hebræi quoque filios iam adultos & viros,vt Dauid Absalonem,appellabant pueros. Et sane puer ab infante parum distat, cũ infans etiam puer nominetur. Infantum igitur aduentu palam facto,per transfugas quosdam Christianos perculsi sunt animi nostrorum,tum tanta multitudine, tum quasi fato datum esset,vt dum in eo esset,vt caperetur vrbs,tunc ipsi necesse haberent ab vrbe recedere. Quos imperator exhortandos existimans, aduocata concione, in huiusmodi verba habuit orationem. Quæ res vobis commilitones mei solicitudinem ac metum incutit,eadem mihi gaudium,siquid mihi creditis,pariter & spem facit, spem inquam celerioris maiorisque victoriæ. Gaudium quidem,quod video nihil subesse proditionis in nostro exercitu. Non enim tentaret fortunam belli hostis,si sperasset se, vt superiore bello, animos aliquorum posse corrumpere. Itaq; & meæ fœlicitati & vestræ virtuti gratulor,quod vestra pectora ne solicitare quidem ausus est. Spem autem,quód deleta semel hostium acie,oppidum hoc continuo in manus veniet,cætera subsequentur, cursus victoriæ ad Granatã vsque perueniet. Neq; vero interest vestræ virtutis,quos ex omni mihi numero delegi,quosq; aduersus Cyri,aut Darii,aut Xerxis exercitum educere auderem, extimescere hanc regis Granatensis tumultuariam manum, & ex ignauissimis quibusq; collectam,turbaq; non viribus aut scientia militari fidentem,atq; ex maxima parte inermem,neq; tam ad pugnandum,quam ad terrendum,aut aliquid per occasionẽ faciẽdum

miſſam, cui ne rex quidem ipſe credere ſe auſus eſt, ſine commeatu, ſine impedimentis, ſine bellicis tormentis. Quæ ſi nos triduum intra caſtra contineamus, diſſoluatur ac redire cogatur. Sed Deus prohibeat, vt illi nos in caſtris velut obſeſſos qui obſidemus cernant, & terrere videantur. Neque ego multis mihi, ſed fortibus ac bene armatis copiis opus eſſe duxi, cum liceret multis vti. Mihi credite, ſi aliæ nunc domo nobis auxilio copiæ adueniant, & meo & veſtro nomine aduentum earum, dolorem auſum dicere, etiam miſſas facerem. Quæ enim laus eſt imperatori atque eius locis qui gloriæ ſtudeant, ſi non arte bellica vincant ac virtute, ſed numero? Potitur is quidem imperator atque exercitus in hunc modum præda, ſed quæ generoſis animis multo dulcior eſt, gloria caret. At ego vos non modo ad maiorem gloriam voco, ſed ad maiorem etiam prædam. Sicut enim cum maior numerus vincit, nonnulli exortes lucri ſunt, ita cum vincit minor, omnes afficiuntur emolumento. Nam quod quidam dicunt, ſe moueri, quaſi fatale ſit nobis, cum ad expugnandam vrbem ventum ſit, expugnationem ipſam impediri. Id vero inane & ridiculum eſt, quaſi vero res ſemper eodem ordine eant, cum plerumque videamus ire diuerſo. An non ſuperiore bello expugnaui Zaram? non alia nonnulla oppida? Ergo non eadem illorum quæ Setanillii fortuna, ita neque erit iſtius. Ecquid ſimile in eo atque in hoc bello? in quo plurimi affuerunt qui nunc abſunt, aſſunt plurimi qui tunc aberant. Ad hæc in illo fames, proditio, item naues vtrinque multæ, terreſtris hoſtium exercitus nullus fuit: in hoc eſt affatim ita victus, fides procerum militumque, naues vtrinque nullæ, & vtrinque terreſtres copiæ. Quare ſiquid ſimilitudo aut diſſimilitudo facit, quoniam plurima hic atque illic diſſimilia ſunt, diuerſum finem hunc ab illo fore credamus, confidamuſque in eo ſub cuius imagine in acie ſtabimus. Ideo Setanillii potiendi ſpe nos fruſtratos eſſe, vt probata deo noſtra conſtantia, adauctaque illorum ſuperbia, aperto bello nobiſcum congreſſos fundamus, cum ſumma & illorum calamitate, & noſtra lætitia, vtilitate, gloria. Quæ cum ita ſint, iſtum indignum virtute veſtra metum, & iſtam ſuperſtitioſam opinionem deponite: nihilque aliud niſi de fortitudine, de laude, de victoria, de præda, & ante omnia de Deo cogitetis. Ego quod ad me attinet, dabo operam ne in duce veſtro conſilium atque induſtriam deſideretis. Hæc vbi dixit, animoſque omnium alacriores factos cognouit, iubet vt in poſterum diem parati ſint ad expeditionem, neve quis caſtris longius exeat, donec de itinere hoſtium compertum ſit. Nam vulgabatur iam hoſtem mouiſſe. Sub veſperum exploratores quoquo verſum dimittit, qui renuncient, qua ex parte illum aduentare aut videant, aut audiant. Noctu nihil certi explorari potuit. Prima luce alii alibi quoſdam equites ſe procul vidiſſe nunciant, & ipſos vt credebatur, vel ad explorandum, vel ad fallendum deſtinandumque miſſos. Aſcendente iam die ac caleſcente, cum imperator cibum maturius capi præcepiſſet, vnus ſpeculatorum, ſubditis calcaribus, anhelanti equo, & ipſe anhelans caſtra intrat, & vt cuique obuius fit, nunciat hoſtes aduentare, non quidem à ſe viſos, ſed quos ex puluere venire intelligat, per buccam Aſini (hoc nomen faucibus eius montis eſt) tranſituros. Ad quem nuncium imperator ſigna canere iubet, & omnes in armis eſſe, & in ſua quemque ſtatione, equiteſque protinus ad vexilla cum equis præſto eſſe, ſimulque Petrum Pontium Marreſanum, ſane ſtrenuum decurionem dimittit ad certius explorandum, quantæ copiæ, quo in loco caſtra poſituræ, aut quid acturæ, & hæc renunciare epiſcopo, qui maxime obnoxius venturis hoſtibus videbatur, quique ſecundus à duce habebatur. Ipſe ſuſpicatus aliquas hoſtium turmas longius in ipſo aduentu excurſuras, gratia prædandi vel iumenta, vel pecora, vel homines, cum maiori equitatus parte circuit caſtra, ex idoneo loco illos aggreſſurus, intercluſuruſque, atque in tergis hæſurus. Sed tanta celeritas hoſtium fuit, vt priuſquam hic eo quo intendebat euaderet, ad ſuperiora caſtra peruenerint. Nam ſimul ac Petrum Pontium viderunt, ſiue continuato quem inſtituerant curſu, ſiue ob eum ipſum velut exploratorem magis moti, laxatis habenis virum inſequuntur, aliique ſubinde atque alii, vt quiſque maxime effuſo curſu perſequi poterat, vt ipſi pro nuntiis eſſent: vſque adeo vix ſatis ſpatii Petro fuit ad ſe coniiciendum in clauſtra portæ caſtrorum quæ petebat. Ibi pugna non iuſta acie incipitur, decurſantibus atque obequitantibus munitiones barbaris, ſiqua tranſitum facere poſſent, aſſidue aliis ſuper alios applicantibus. Epiſcopus cum ſua manu pro munitionibus acri animo pugnans, non ſinebat quempiam egredi equitum ſuorum, donec imperator adueniſſet, aut iuſſiſſet. Sed cũ aliquandiu nihil auxiliorum, neq; à duce, neque ab inferioribus caſtris mitteretur, nihilque ei præciperetur, ſibi per ſe præcipiendum putauit, ſumptoque è re præſenti conſilio, antequam hoſtium & numerus & audacia increſceret, conſcenſis equis, receptoque in medium peditatu, vtraque porta cum clamore erumpit, incautoſque ac diſperſos inuadit'

dit'

dit,& impetu ipſo atq; impreſſione loco nonnihil mouet, mox etiam propellit: ibiq; paulum prælium hæſit, & iam prope æquo Marte dimicabatur, nec diu res Chriſtianorum erat futura ſuperior, niſi qui in inferiorib. caſtris erant equites, cognito prælio, cum quinq; cohortibus ſuperueniſſent, credentes & imperatorem ipſum verſari in pugna. Barbaris quoque non modo equites ſubinde auxilio veniebant, ſed iam pedites aderant, & vterq; Infans adeſſe videbatur, alter peditum adhortator: collatoque pede copiæ pedeſtres manus conſerebant, & contempta Chriſtianorum paucitate, Maometam ſe in manibus habere victoriam, alacri vociferatione teſtabantur. Interim accepto & clamore & nuncio, imperator iubet nunciari iis qui ad caſtra ſunt, relicto quod ſatis ad præſidium eſſet, cæteros citiſſime ferre ſuppetias ſuperioribus caſtris. Ipſe eodem quo conſtituerat itinere, ſed maiore occaſione quam ſperauerat, quaſi ex occulto in barbaros equites, renouato clamore è latere incurrit, aciemq; ipſo impetu auertit, & labentibus ab equo plurimis in fugam conuertit. Noſtri qui modo laborabant, addito animo inſtant cedentibus, miſſiſq; à duce ad pedites auxilio equitibus, eadem illic fortuna pedeſtris certaminis fuit. Proculcabantur iam pedites, non à noſtrorum modo equis, ſed etiam à ſuorum, cum in latus magis quam retro propulſi eſſent primo incurſu. Iam omnis ex inferioribus caſtris exercitus ſe proiecerat, & alibi effuſa, alibi confuſa fuga, petentem tuta hoſtem inuenit. Hic vndiq; barbarorum ingens cędes, paſſim arma abiicientium, ſiue vt leuius fugerent, ſiue vt minus ad cædendum prouocarent victorẽ. Ita arma quæ & ad protegendum dominũ, & ad feriendum hoſtem inuenta ſunt, in contrarium vſum mutabantur, quod neque dominos protegebãt, & vt illi ab hoſte ferirentur, niſi abiecta faciebant. Iam nemo aliorum de inferenda aliis morte, ſed de ſua vitanda cogitabat. Ipſi quoq; Infantes vt Ferdinandũ, omiſſis aliis, inſtare cum delecta equitum ala ſibi ſolis cognouerant, eximia pernicitate equorum vſi ſunt, in quammaxime vtili re poterant, non in quammaxime ſpecioſa, ſalutẽ laudi prælata, tanto turpius inter ſuorum fugam, anhelitum, lamentationes euntes, quanto ſplendidius paulo ante aduenerant. Erat operęprętium videre in tanta hominum multitudine, quæ terga dabat, aut proſternebatur, non vnum armorum colorem, ſed vnũ veſtimentorum, aut duos. Siquidem non alia veſte amicti erant, quam rubra venetaue, aut ex ambobus diſcolore. Multi de rupibus vel à turba arctante deiiciebantur, vel ipſi ſe deiiciebant, quorum alii nuda humo diffracti, alii cotibus lacerati, alii vepribus confixi innexiq; viſebantur. Multi ſe ferarum ritu in dumos abdebant, & cum manus hominũ vitant, eo ſe immergunt, vnde ſine hominum ſubſidio emergere non poſſint. Nullus in ſeruitutem acceptus, nulli pepercit ferrum, niſi mulieribus quæ cum in via, tum vero in caſtris, & vltra caſtra captæ ſunt. Nam ipſo victoriæ curſu, caſtra nondum munitionib. cincta, capta direptaq; ſunt, licet parũ plena eſſent. Nec longius illinc proceſſum eſt, & quod anguſtiæ quædam ſubeundę erant, & quod plurimi in colligẽdis ſpoliis ferendiſq; captiuis equis ſubſtiterant, & quod parum iam ante noctem profici poterat, & laborẽ extrahi in noctem multam, in media hoſtium terra, parum tutum videbatur. Nam ſæpe occaſio rei bene gerendæ victos ad ſpem victoriæ inuitat, & extrema victoriæ negligẽtius adminiſtrata, calamitatem victoriæ afferunt. Id potius quod ſupererat temporis, viſum eſt expugnationi dandum Cocciæ oppidi, quod in faucibus ipſis buccæ Aſini ſitum eſt. Oppidani quibus denunciatũ erat, niſi ſe dederent, extrema paſſuros: ſi dederent, cum omnib. quæ quiſq; ferre poſſet, abituros: primũ ſe imperata facturos negauerunt, deinde vbi tantam manum circumfundi viderunt, ſe obtemperaturos dixerunt. Quibus reſponderi iubet imperator, quandoquidẽ non ſtatim paruerunt, ſe non relinquere eis niſi veſtimenta: ſi in punctum temporis in pertinacia perſtiterint, ne libertatem quidẽ relicturum, nec de nece etiam fore ſecuros. Hoc terrore permoti ſeſe dediderunt, oppidum vero militib. ad direptionem conceſſum. Tunc ſemel data vitæ venia hoſtibus, & quia multum funiculi apud captiuas repertum erat, quoſcunq; iam barbarorum capiebant, præſertim aut latitantem, aut aſperitate veprium circumuentum colligabant, poſcentiũ miſericordiam, & vltro manus in habitum eorum qui vincuntur, componentium. Res mira dictu, quibus vinculis alligatum hoſtem ſe tradituros ſuis fœminis promiſerant, iis vinculis ipſis inſpectantibus eiſdem fœminis alligati ſunt. Ideoq; iuſte videbantur, vt vincirentur, non trucidarentur, orare: quod etiam impetrauerũt, poſteaquã iuſtitia ſuæ cauſæ innotuit. Dux profligato barbaro exercitu, oppido recepto, præſidio impoſito, illinc primis tenebris rediit, ac præeuntibus cereis & latera viæ paſſim incendentibus, vt qui vagi palanteſque perſequendis hoſtibus abierant longius, veſtigia nanciſcerentur, in caſtra peruenit. Capta ſunt ſigna militaria ad duo millia, candida ferme omnia. Vnum præterea Granatæ, cuius in medio pictum erat granatum (ita enim malum punicum vulgo vocant) hians &

phœnicea grana exerens. Numerus autem captiuorum cæsorumque magis à suis quam à nostris initus est, desiderataque sunt, vt eorum confessione compertum est, ad triginta millia virorum, quingentasque mulieres, quæ ob contumeliam quæ illi sexui fit, magis illis doluere, quam totidem viri ex nostris. Nonnulli ex castris episcopi, vix plures ex aliis, nec sane multi vulnerati. Cuius victoriæ cum magnam laudem episcopus, magnam fortitudo militum retulit, tum multo maiorem ipse imperator, qui & ante rem militem animasset, & in re nihil ad superandum hostem reliqui fecisset. Ipse tamen fœlicitati suæ suorumque, hoc est fauori diuino, victoriam se debere præcipue dicebat. Paucis postea diebus, cum odor cadauerum æstiuo calore adiutus, infestaret castra, non modo præsenti fastidio, sed etiam periculo imposterum pestilentiæ, dux præcepit, vt tracta vnco & in aceruos collecta succenderentur. Ex quo intellectum est, quod diuturna desuetudine dedicerāmus, non plurimis lignis opus esse ad cremanda humana cadauera, præsertim vt tum erant solibus incocta, & adipibus qui defluebant, nonnihil alimenti flammæ præbentibus. Ossa tamen promiscua atque inhumata manserunt, ne rogum similem priscis hominibus sortirentur. Quorum ideo cremabantur corpora, vt ossa cum cineribus legerentur ad sepeliendum. Horum vero is exitus fuit, vt primum vita, deinde vestitu qui deformitatem operit, tum carne, postremo sepultura, etiam apud inferos quiete viduarentur. Sed per eosdem dies quibus hæc ad Anticheram geruntur, duæ aliæ pugnæ diuersis in locis eodem prope modo gestæ sunt, sed hoc diuerso, quod sicut hic castra nostra hostes, ita illic aliena oppida nostri adorti sunt, infelici & ipsi euentu, nisi fortuna affuisset. Sed quod aliquanto prius fuit, prius narrabimus. Quatuor oppida sunt finitima Antigheræ, quorum nomina sunt, Humeda, Baieza, Graen, Chesada. Horum incolæ circiter ad tria millia, ex sexta parte equestres, cum fama exisset, non modo bellatores, sed omnes qui per ætatem arma ferre possent, etiam fœminas Granatenses isse in expeditionem, constituunt in illorum agrum facere incursionem, & à muris vsque prædas abigere: nunquam enim se tantam occasionem, nec habuisse, nec habituros: itaque læti alacresque proficiscuntur. Res primo prospere ire, neminem prædatoribus obuiam cum armis se ferre vident, pastores & eos raros ad primum incursum diffugere, pecora relinquere, vnum salutis suæ auxilium ponere in arduis murisque subeundis. Sic hesterna calamitas (nam pridie profligati fuerant) omnes perterrefecerat. ita securius ingentem prædam cogunt, abiguntque retro qua venerant. Re autem palam facta in vrbe per eos qui euaserant, & ipsi Granatenses è turribus prospiciunt prædones, & quia in diuersam à castris viam abibant, non esse de numero victorum coniectura colligunt, sed finitimos per occasionem ad prædandum solicitatos. Igitur ne finitimis quoque ludibrio essent, raptim armis sumptis, ad quinque millia peditum, quingentosque equites, hostem vestigiis insequuntur, fessosque & ad radicem montis stratos, partimque dormientes sub noctem nanciscuntur, incautos aggrediuntur, non paucos trucidant. Cæteri semisomni, qua cuique proximum est, diffugiunt, fere duo millia in montem ascendunt, à quo nusquam nisi eadem via descensus esset. Hostes quia & ipsi, & equi de via fessi erant, cum illuc cursu venissent, satius putarunt differre per noctis tempus, expugnare eos qui iugum montis ascenderant, cum præsertim sine pugna sese dedituros crederent: aut si hos vellent omittere, greges abactos non sinere per noctem pascere, sed defatigatos ad nouum laborem impellere, non erat ratio. Sicque dispositis qui obsessos, & qui pecora in pascuis distributa custodiant, cibum quem poterant, deinde quietem capiunt, lucemque expectant, tunc quid consilii iucundum sit, deliberaturi. Tubicines autem cum fremitus hostium ac tumultus ab altera parte misceri cœpisset, & cum iis multi alii ad trecentos numero infrenatis protinus equis fugam intenderunt, beneficioque noctis elapsi sunt, sed aliorsum quam in patriam versus. Verum cum equos inedia ac labore confectos, & præsertim nocturno ignotoque itinere adigere vix possent, delituerunt in colle quodam, equis in prato vt quiescerent pascerentque alligatis. quibus de tertia vigilia receptis conscensisque, vbi longo ambitu montem circuissent, obuium habent quendam, nomine Petrum Mendociam, adolescentem, maioris quam pro ætate, & animi & consilii & roboris, vt ipse declarat exitus. Hunc alii seu quod parcerent, seu quod diffiderent ætati, secum educere recusauerant. eam contumeliam non tolerans adolescens, atque ira plenus, in sequenti nocte, adhuc intempesta, cum aliquot equitibus prædatum domo egressus est, affirmans se facturum periculum an illa in ætate vir esset. Qui cum ad montem vbi ciues obsidebantur, appropinquaret, iam iam pro prædatore futurus præda, deo amico obuius fit trecentis illis, cognitaque ex aspectu eorum fortuna, paucis rem gestam docetur: hortantes eosdem vt secum festinato rediret,

ret, ipſe è contrario vt ſecum potius irent, huiuſmodi oratione perſuaſit. Audite quæſo amici pauca. nam rem vobis honeſtam, vt ſpero, atque vtilem proponam, quam eligatis licet, ſi placuerit ſociis. Ac ciuibus noſtris nihil reliqui eſt, vt audio, quin aut fame abſumantur, aut hoſti ſe dedant. hoc detrimentum quantum ſit, ipſi videtis. Quibus ſi opem non ferimus, cum liceat, mortis eorum aut ſeruitutis: ſin ferimus, vitæ libertatiſve autores erimus. At quomodo ferre opem licet? eodem quo patrem meum ſimili in caſu ſociis tuliſſe, ex ipſo ſæpe audiui, quod referre temporis anguſtiæ non ſinunt: tamen ſimilitudinem ex meo conſilio cognoſcetis. Circueamus hunc collem, vnde à ſociis videri, ab hoſtibus non videri poſſimus, & dum vicini erimus, ab ea parte quæ ad caſtra fert, tubæ atque cornua bellicum canent, ſine vllo noſtro clamore, ne paucitas fortaſſe prodatur. noſtri intellecto dolo & ipſi auxilium ab imperatore miſſum venire ſimulantes, quippe neceſſitas cogit omnia audere, præcipiti curſu ferentur. Qua noua audacia fidem faciente has tubas eſſe aduenientium ſociorum, illi vt ſpero terga dabunt, aut certe noſtros abire permittent, retro ſe recipientes in tutum. Neque vero ſtrenuos viros eſſe hos exiſtimare debetis, etſi vos fugauerunt. Cuius rei hæc documenta habeo: quod ſoli omnium, tanquam minime ſtrenui, in vrbe relicti ſunt: quod niſi noctu vos, niſi incautos dormienteſque inuadere auſi non ſunt. At certe reliquiæ ſunt profligati exercitus. Namque heri propius ſolis occaſum, rumor de victoria imperatoris domi maximus erat, quod iam iſtos, ſi de numero illorum non ſunt, reſciſſe oportet. Vtrouis tamen modo tales ſunt, quibus paruus terror maximum metum incutiat. quod ſi tantum ad deſcenſum noſtrorum ſummouebuntur, ciues noſtros è pernicie eripuerimus, nullo noſtro cum periculo, & ingenti cum gloria. Si, quod magis & opto & ſpero, perculſi metu atque exanimati, longius fugam capeſſent, aut in prima fuga opprimentur, cum maiori gloria & gratia erimus ſocii prædarum participeſque victoriæ. Quare agite, quod bene vertat, & meum conſilium, & me ducem ſequamini. Hæc locutus pergit: alii, crederes non inuitatos, ſed imperatos, vno omnes animo ſequuntur. Ille antecedebat, fungens ſpeculatoris officio, atque illis qui erant in iugo ſe oſtendens. Non enim ea nocte præ ſolicitudine illi ſomnum ceperant, mirabantur tamen quid rei futurum eſſet, & iam diluculum erat, cum ad exitum ſupinæ vallis quæ ad hoſtes ferebat, cernentibus ſociis, circiter duo ſtadia ab hoſtibus, ventum eſt. Ibi tubæ cornuaque cecinere bellicum. Et ſocii iandudum dolo percepto, omnes ſtrictis gladiis, reddito clamore, decurrunt, ſemiſomnos attonitoſque inuadunt. Illi duplici clamore & clangore circumuenti, prius quo fugiant, quam quo tela ſumant, circumſpiciunt, fugientium terga Chriſtiani cædunt, ſimulque Mendocia ex vociferatione fugientium inſequentiumque, quo in ſtatu res ſit coniectans, in apertum prodire feſtinat, magis ac magis tubis concrepantibus. vbi conſpicatus fugientes, cum comitatu pariter inſequitur. Tandemque multis mortalibus trucidatis, multis captis, maiorem calamitatem reddunt quam acceperunt, & prædam non modo deſperatam, ſed multo etiam ſpe ac voto maiorem reportant. Ita hominis quem vt necdum virum in ſocietatem admittere noluerant, virtute liberati ſunt, & victi victoriam conſecuti. Nec vero maligni in agnoſcendo beneficio fuerunt, facta illi poteſtate, quæcunque vellet eligendi, aut ſi mallet, omnia ſumendi: qua tamen vti noluit, niſi prædam ad arbitrium ſuum partiendi. Ex qua tertiam partem ſibi tubicinibuſque ac ſociis quos reuocauerat, diſtribuendam adiudicauit: reliquas virilibus partibus inter ſe diuidendas cenſuit, quoniam par periculum, labor, audacia extitiſſet. Atque in hunc modum gnare acta opera, pleni prædarum, ac læti, præterquam quod aliquot è ſuis amiſerant, reuertuntur. Sed tantus fuit propriæ ſaluti metus, ea recuperata, vt minor de aliena morte dolor ſentiretur. At centum numero deſiderati ſunt, cæteri aut ad victoriam ſuorum è latebris prodierunt, aut, quæ minima pars fuit, per dumos, colles elapſi, triſtem nuncium domum reportauerant, ita vt iam pro deploratis omnes eſſent. Quo magis & lætus & admirandus eorum reditus cum præda fuit, vnum Mendociam in cœlum tollentium, quaſi ſingularem ducem, quem domi pridie pro non idoneo adhuc milite reliquiſſent ac reſpuiſſent. Altera pugna non ab oppidanis, ſed à caſtrenſibus viris incepta eſt. Erat in caſtris eques quidam nomine Ioannes Mars Sceretenſis, quondam Agarenæ ſuperſtitionis, impiger iuuenis, viribus animo reſpondentibus. Hic hortatus ſodales ſuos, vt in agrum Malacanum incurrentes, agerent prædas, ad centum homines quos paupertas audaces faciebat, coegit. Profecti cum iam octo millibus paſſuum ab vrbe abeſſent, ſub lucem trecentos, vt colligi poterat, equites ex aduerſo ſe ferentes conſpiciunt, moxque

conſpiciuntur inuicem, parua iam vtroſque dirimente intercapedine. Cæteros, quod ſe deprehenſos arbitrarentur, fugere volentes, Ioannes oratione retinuit, & vt hoſtem quoque inuaderent, induxit. Socii, vt ipſe veſtri aduentus, & vt ſors tulit, veſtri periculi autor ſum: ſic meum eſt, veſtri reditus ac veſtræ ſalutis curam habere, non ſolum meæ. Si locus hic vbi ſumus ſatis apertus ad fugam eſſet, ſi ſatis etiam diſtantiæ ab hoſtibus, nimirum non tam ferox temerariuſque ſum, vt pugnam moramue ſuaderem. Nunc cum & locum ceperimus anguſtum, quo veniremus occultius, & hoſtis non abſit longius quadringentis paſſibus, vt opinor recentioribus quam nos equis, quam ſpem ſalutis tantam ponimus in vna celeritate equorum? A feſſis plus quinque & viginti millibus paſſuum remetiendum eſt. Quos iſti incompoſitos ac diſſipatos inſecuti, vt quemque primum aſſequentur, trucidabunt, & vt eorum habeo animum, vſque ad vnum. Non enim firmiores noſtri equi, aut, vt dixi, recentiores ſunt ad perferendum curſum. Modo tres quatuorue illorum qui plures nobis ſunt, ſi pernicibus equis inſideant, inſtabunt fugientibus, terga cædent, & aut morari compellent, aut ritu ouium caprarumque mactabunt ſinguli plurimos. Vt renouemus in nobis ea quæ de Rolando Arnaldo in hac regione geſta memorantur, qualia fuiſſe Hectoris, Æneæ, Achillis, aliorumque priſcorum, frequenter audiui. Ex quo non mortem defugiemus, ſed honeſtam mortem refugerimus. Eſt autem honeſta mors in pugna, non in fuga, ad quam mortem fortior vos hortari auſum, ſi nihil aliud ſit reliqui: nunc etiam ſpes ſalutis ac victoriæ oſtenditur, ſi fortunam belli tentemus. Sæpe enim pauciores vel conſilio, vel virtute, vel quod maximum eſt, neceſſitate, ac deſperatione vicerunt. Magna res eſt proponere animo, aut vincendum, aut mortem dedecuſque atque omnia extrema patienda. Sæpe infirmiores feræ quæ in aperto ſingulas robuſtiorum ferarum fugiſſent, cum ſe incluſas viderunt, contracta rabie, aduerſus plures inſurgunt, & nonnunquam eiulare & fugere compellunt. Ego vidi vulpem vnam, vulneratis pleriſque canibus, euaſiſſe. Nos ergo tot vulpes cum rem noſtram in anguſto videamus poſitam, paulo plures canes extimeſcemus inuadere, ſi incolumes & cum laude volumus euadere? quid, quod noſtrum adiuuat fortuna conſilium? ſi inuadimus, ſpeciem præbebimus, nos partem inſidiatorum eſſe, non totam manum. Neque enim compertum habent numerum noſtrum. Videtis vt lente cunctanterque veniunt, vt duos longius præmiſerunt explorandi cauſa, & ipſos hæſitantes & circumſpicientes. Audendum igitur antequam certum explorent, & tanquam fiducia ſociorum qui lateant, feroces ſimus, ferociter irruamus. Victoria imperatoris noſtri omnia facit eis formidoloſa, nobis audenda. Vnde aut victores cum præda & gloria redibimus, aut certe honeſtiſſimam mortem oppetemus. Quam nefas eſt appellare mortem, fruituros apud parentem vitæ vita æterna. Speroque in Ieſu Chriſto qui me de priſtina mortalitate ad ſpem æternitatis reuocauit, eum hanc meam ſpem non fruſtraturum, atq; eius inuocato nomine, feror in ſuos hoſtes. Hoc dicens adacto equo, in duos antecurſores, & iam proximi erant, infeſta haſta dirigit curſum. Illi propere terga dant, cæteri Chriſtiani inſequuntur. At barbari qui ad reſponſum exploratorum ſuſpenſi erant, viſa eorum ſubita fuga hoſtiumque incurſu turbantur, & inter pugnæ fugæque conſilium commiſcentur, & aliis terga dantibus, alii perterrentur, atque ita iam omnibus in fugam verſis Chriſtiani irruunt. Sed poſtremi non tam cito vertentes terga, quippe qui rem non videbant, vt in locis non admodum latis, impedimento erant prioribus fugere volentibus. Sic data facultas eſt Ioanni ſociiſque cædendi, ſternendi, capiendi, quanquam nulli fere curæ erat capere, niſi prius bene multos ex maiore turba quam ipſi eſſent interemiſſent. Nec deſtiterunt inſequi, donec & propius vrbem erant, & plus dimidium hominum conciderant. Paucisque captiuis, ſed pleriſque equis captis, ad caſtra reuertuntur, equis qui aut ſaucii aut afflicti ſubſequi nequibant, ne hoſti profuturi eſſent, ſubneruatis. Ad horum ingreſſum admirabantur omnium oculi, vnde tot ſine vectoribus equos, tot eorum ſtrata. Nam multi terna quaternaque ſtrata atque ephippia geſtabant. Quærebant nonnulli, vel ioco, vel ſerio, an ſocios cum equis amiſiſſent. Reſpondit quidam, immo interrogate equos ipſos, & ornamenta ac veſtes, quoſnam ſocios amiſerunt. Ioannes etiam facetius, vt ſumus in victoria faceti & dicaces: Nos vero in nemore ſumus venati, & quot animalia noſtras manus effugerunt, non perdidimus, perdidimus quot non effugerunt: hæc ſola nec effugerunt, nec perdidimus. Et hæ quidem noſtrorum in oppida hoſtium incurſiones, totidem ſunt illorum circa caſtra munitioneſque noſtrorum aliquanto poſteriores, quaſi & ipſi audendum ſibi eodem genere exiſtimarent. Sed mirum profecto fit mihi cogitanti, omnem quæ per id tempus tentata eſt incurſionem, fuiſſe non minus infauſtam quam temerariam. Sed temeritatem Chriſtianorum in bonum, Maometanorum vero in malum

lum deduxit Deus. Prior autem ad eos pertinet, de quibus me promisi dicturum, Adelitos, Almoganenosq;. ita hos appellat ea Hispaniæ pars, vbi hæc sciētia, si ita appellanda est, viget: quorum alteri sunt duces ac velut magistri, alteri comites ac discipuli. Horum ars ac peritia est, ex volatu auium, ex voce, ex ferarum occursu aliarumq; rerum plurimarum, ariolari quid boni malique sit euenturū: deq; auguriis omnibus prognosticis habent libros diligentissime scriptos, horum vt dixi magistri. quæ opinio vsque ab Homero vtique iam superioribus nata temporibus, apud plerosq; poetas, historicos, philosophos, sibi fidem vendicauit, multique de ea scripserunt, partim qui assererent, partim, quorum de numero ego sum, qui improbarent atq; refellerent. Est alia horum peritia quam compertissimā probat experientia, inuestigare transitus, non equorum modo iumentorumque, sed hominum quoq;, per vestitam, per nudam, per duram humum, per lapides, per saxa, per cotes, vt nec numerus eorum qui transierunt, vnquam fere eos fallat. Ideoq; non segniter ac tarde, sed vt venaticos canes dicas, quibus si Latine sit nomen dandum, nullum decentius dari queat, quam inuestigatores, cum in vestigiis vestigandis exerceantur. Quos si mihi permittam ita appellari potius, quam eo prope rusticano nomine, non sim insolentiæ accusandus. Habenda enim ratio est decoris in loquendo, cum vtique accurate scribimus. Quod si hoc conceditur, illud multo magis concessum iri necesse est, quos vulgo Caballerios vocant Græci (de his quoque nunc pariter mihi dicendum est) eos vocare equerios, ne eorum sequamur errorem qui verba Vlpiani scribentis de iure ciuili, male accipientes, vocant milites. quod nomen eorum proprium est qui militāt, præsertim sacramento illo militiæ obligati. Nec id posset aliæ rei adaptari sine maxima perturbatione librorum qui & scripti sunt, & scribentur. Ideoq; eruditiores in hanc significationem eo nomine non vtuntur, quod tamen cum emendare conantur, in simile vitium incurrunt. Qui quia caballerius à caballo dicitur, quasi rusticitatem hanc soni reformidantes, pro eo equitem substituunt. Sed cum eques habeat suam significationem apud omnes autores, sicut miles in eandem quam modo diximus, si aliter accipimus, quam fert consuetudo librorum, incidemus in pertubationē. Quare quis non videt rebus nouis esse accōmodanda noua nomina? vt veteres, à quibus præcepta habemus, & exempla sumimus, factitarunt. Nec nos non minimum operæpretium est esse præfatos: nunc equerios sine reprehensionis metu dicemus. Hi numero centum fuerunt, inter primos eius ordinis, nonnulli aduenæ ex Africa, cæteri indigenæ, qui se apud regem deuouerant, nunquam reuersuros ad cōspectum illius, nisi præclarum aliquod aduersus Christianos facinus edidissent: incitati, vt colligi potest, non modo regis charitate, sed æmulatione gloriæ quorundā ex Christianis, qui decem millibus passuum à castris stationē tuebantur, tum ne quis transeuntem commeatum intercipere posset, tum ne quis domum se reciperet, trecēti numero iureiurando adacti, se locum nullo terrore deserturos: & quia in mentibus militū, & fere omnium plus valet pœnæ metus quam religio, pœna addita, vt si eques desereret, armis equoq; exueretur: sin pedes, certo plagarū numero inspectantibus sociis cæderetur. Hos barbari equerii cum viribus freti, tum improuiso aduentu, sperabant se oppressuros, interceptaque re frumentaria, stationem retenturos, dū nec aut rex auxilia misisset, aut sibi alias manere conducibile visum esset. Obseruato itaq; tempore per occultos transuersosque tramites, vno tantum contento qui cibum ferret mulione, veniebant. Cum inuestigatores eorum iter numerumque odorati, mittunt breuiori via ad stationarios nuntium, docentq; quid acturi sint: ipsi coacto raptim suorum globo, vestigia insequi instant, & vbi sub oculis fuit hostis, quam occultissime poterant subsequuntur, vt lateant credentem se latere alios, fallantque cum fallit. Iamque ad torrētem equerii peruenerant, cum pauci in statione quæ supra vlteriorem ripam posita erat, interlucerent. Hic ex composito ab iis qui à tergo & à fronte erant, velut in deprehensos, simul exclamatum est. Quo ancipiti terrore consternati equerii, quia conuertere retro cursum difficile erat, & plures sequi equites, quam in statione equestres esse vident, ire pergunt, & in alueum se demittunt, tanquam per aduersam ripam cum aliquantum processissent, viam inuenturi. quæ multum eos fefellit opinio. Nam vbi paulo plus quam iactum sagittæ per glaream procurrissent, offendunt rupem, ex qua torrens cursum quoties habet, in præceps cadit. Ibi subsistentes equerii circunspectant attoniti, & consilii inopes, à fronte rupe, à tergo ponte qui inflato torrenti imponi solebat, per stationarios deiecto, ab vtroque latere ripis, & eas hoste premēte interclusi, & vt se dederent, nisi perire mallēt, vndique exaudientes, & infesta ac suspensa tela cernentes, dixerunt se dedere: iussique non descendere ab equis, sed se longa cunctos serie colligare fune quem victores deiecerant. Ita iuncti ex alueo processerunt, scutis ex corio factis, qualibus Mauri semper atque Afri sunt vsi, ad sinistram partē

ephippiorum appenſis, lancea ſubter dextrum femur iacente. Atque ita cum inauratis calcaribus, aliiſque equeriorum inſignibus, cum magna exultatione ducentium, quod hoc ſua arte potuiſſent, ad imperatorem perducuntur. Quo ille ſpectaculo ita magnos riſus excitaſſe fertur, vt vix vnquam ſit viſus riſiſſe hilarius, dixiſſeque circunfuſis inueſtigatoribus, ac præ victoria gloriabundis, quoniam puderet captiuos in illo cultu conſpici, exuerent, & eum ſibi haberent: ſignificans per luſum, illorum ſpolia ſe dare dono iis qui cepiſſent. Venio nunc ad poſtremam barbarorum incurſionem. Domuerat per eos dies imperator circunferendo arma, partim terrore, Cozam, Sebar, Alzanam, Maram, aliaque nonnulla oppida. Hoſtes ob id timentes Antidonæ, quæ abeſt ab Antichera millibus paſſuum decem, & vt illi loquuntur duabus leugis, magno cum comitatu militum illuc rem frumentariam ſupportauerant. Nec eo contenti, fiducia vicini receptus allecti ſunt ad tentandam excurſionem, ſi quid prædæ abigere poſſent, fortaſſe quod audiuerant viderantve multa iumenta paſcere aliquot ſtadiis longe à caſtris. Paſcebant autem illa, quod aut macriora, aut quod minus valida, aut quod minus neceſſaria dominis eſſent, aut releuandi ſumptus, vt fit, gratia in loco herbido ad præterfluentem amnem nomine Gorzam. In hæc illi, & in cuſtodes, ſi quos nacti ſunt, impetum faciunt. Sed eos vt primum contendere in caſtra verſus proſpexit noſter ſpeculator, ſignum fumo fecit quo noſtri excitati, armis repente ſumptis, prouolant. Inſidebat ſpeculator in petra, inter vtranque vrbem pari interuallo, nomine Pegna amatorum, hoc eſt Petra amantium. Huius nominis cauſam, quia non iniucunda auditu eſt, ſatius eſt perſtringere quam omittere. Iuuenis quiſpiam (nomen non traditur, nec patria, ſed tantum natio, quod eſſet Hiſpanus) ſeu bello, ſeu latrocinio captiuus, Granatæ duobus tribuſve annis ſeruitutem ſeruiuit, vtente domino ſua opera in rebus vrbanis atque domeſticis. Filia capta tum forma, tum lepore linguæ, tum liberalibus moribus adoleſcentis, hominem illexit, & ipſum mutuo flagrantem ſpecie puellæ & elegantia. idem cum viderent, nec in præſentiarũ liberam ſibi eſſe conſuetudinem, nec diu futuram, cum alter ſeruus eſſet, altera nobilis: præterea periculoſam vtriq; rem atque capitalem: conſtituerant per occaſionem ambo fugere. Sed adoleſcens honeſtius, quod ipſe ad ſuos, à ſuis illa abibat, niſi religionis ratio conſtitit, quod ne credam, ſequentia inducunt. Profecti cum ad petram perueniſſent, feſſaq; mulier requieſceret: ecce pater cum aliquot comitibus, omnes equis vecti, citato curſu inſequebantur. Amantes quod vnum ad tempus erat præſidium, per petræ cautes rependo in cacumen euadunt. Pater puellæ cum applicuit, frendens atque terribilis, imperioſis, contumelioſiſq; verbis, iubere vt confeſtim deſcendant, non deſcendentibus minitari, extrema ſe in illos exempla editurum. Cæteri admonere, hortari, cum virum, tum præcipue puellam, vt ad pedes domini, patriſq; ſe abiicerent, miſericordiam magis quam vltionem experturos, ne iratũ magis exacerbarent. Illis nec imperata, nec admonita faciẽtibus, delapſi omnes ab equis, in petram alius alia parte, non minus manibus quam pedibus enitebantur. Iuuenis contra è ſuperno obmoliens ſaxa, & omnia arma aduocans, euulſis glebis ſtipitibuſq;, nunc huc, nunc illuc ab aſcendẽdo deterrebat. Eo metu ab incepto deſiſtentibus, pater exæſtuans mittit vnũ ex comitibus ad acceſſenda ex vicino vico auxilia, maximeq; ſagittarios. Quibus continuo accurrentibus, videntes obſeſſi ſe captum iri, hoc eſt omnia ſuppliciorũ contumeliarumq; genera paſſuros: quid verborum lachrymarumque ediderint ignotum eſt. Certe arcto inuicem complexu, &, vt credibile eſt, oſculantes, ſeſe deiecerunt ab ea parte quæ ad patremfamilias ſpectabat, atque in eo complexu perlati extinctique ſunt. Fertur omnes qui aderant, pręter ſenem illum, & qui mox audierunt, vtriuſque fortunam fuiſſe miſeratos, nonnullos etiam iacentibus amplexiſq; illachrymatos, quos non prius amor quam vita defeciſſet, vt defuncti quoq; voluntario illo complexu inter ſe adhuc amare teſtarentur. Ibi ſene inuito, ambo, ſicut erant veſtiti conſtrictiq;, ſepulti ſunt, & petræ ob eam rem nomen inditum. Huius euentus etſi nonnihil me quoq; miſeratio ſubit, tamen miſericordia indignos ob id fuiſſe apud Deum exiſtimo, quod & puella amores ſuos videtur, non religionem ſecuta, & iuuenis audacior fuiſſe cum rapina ad ſe vendicandum in libertatem, quam prius ſine rapina, quę cauſa, vt iter ſibi tardius, & perſecutores acriores, & minorem ſpem veniæ pararet, extitit. Præterea neuter in extremis ſuis rebus bene de Dei bonitate ſenſit. Ab hoc loco prædam agentes barbaros, noſtri quicquid in medio ſpacii & curſu emenſi, premere incipiunt, vrgentque illos, ſenſim ſeſe in tuta recipientes. Tandem non procul à muris, vndique aggreſſi fundunt, cæduntque ad duo millia hominum, ac multis captis, receptaque præda, ita incolumes reuertuntur, vt duo modo deſiderati ſint, pauci vulnerati. Paucis poſt hæc diebus turris deambulatoria perfecta eſt: in qua eo plus temporis cõſumptum eſt, vt ne quid vlla ex parte, qua-

lea-

le alias contigit, accidere posset. Oppidani qui iam pridem muros ciliciis, storiis, centonibus, stragulis, culcitris ad medium vsque contexerant aduersus sagittas bombardasque nunc etiam propugnacula contabulant, & omni humana ope verticem suæ turris muniunt, & contra aduentum nostræ hinc atque hinc tormenta disponunt. Sed aduersus quidem hæc, vtpote cum cernerentur, à nostris prouideri poterat. Verum non plus inapertis præsidiis spei ponentes oppidani quam in occultis, hunc in modum constituerunt fallere contignationem: quæ media in turri sua erant, diruunt, ac totum id quod vacui erat, sparto, stupa, cannabo, & aliis quæ facile ignis corripit, explent ac referciunt, relicto foramine instar fenestellæ paulo infra turris coronam, vnde erumpens incendium scalam nostram sese porrigentem comprehenderet. Et successit astutia, si succedere est ad modicum tempus fauere fortunam, quo grauius rursus affligat. Imperator primum iubet, quanta erat latitudo machinarũ, in fossam quæ castris proxima est (nam tres erant) suum aggerem deuolui ligonibus, bidentibus, marris. Mox mediam lignis minutioribus ad oras vsque compleri. Ea oppidani noctu egressi incendunt. In sequenti die, puluere ac ruderibus, non sine certamine, locus idem cætero solo æquatus, productisq; musculis, multum de aggeribus tertiæ fossæ in ipsam deiectum, non propter machinæ commoditatem, quæ hanc fossam non erat transitura, sed quo pedites procurrere ad succendendas portas possent. Tertio quam hoc factum est die, imperator sub exortum auroræ signa canere imperat, & omnes in armis esse, vt die incipiente vrbem, quo cuique loco præceptum est, corona cingant. Qua hora ipse equo vectus, apparatum telorum instrumentorumque ad implendas iungendasque pontibus fossas, scalas, dolabras, aliaque huiusmodi recognoscit, milites nunc omnes, nunc nominatim aliquos adhortatur admonetque virtutis. Hos cum obambulasset, iubet omnes, antequam machinæ promoueantur, bombardas ictus emittere, ne siquid propugnaculorum discusserint, hosti spatium sit ad reficiendum. Sub hæc machinæ promotæ sunt vsque ad laborem tertiæ fossæ, & dum scala iamiam, demisso ponte, tactura cacumen hostilis turris esset: oppidani ignem turri suæ immittunt, cæteraque spiracula obstruunt, vt omne incendium per vnum illud foramen erumperet. quod incendium angusto exitu iaculatum, globosque flammarum longe, lateque, ac sursum spargens, in scalam pontemque turbinem suum fert, & eos qui insistebant, non modo ardore vexat, sed etiam superantibus flammis prospectu priuat. Ibi triste spectaculum cum lympathi milites præsenti ardore amburerentur, & ne scala cremata, deorsum ruerent, timerent, & nec satis consilii ad redeundum esset. Ad hæc oppidani præter cætera missilia, lapides bombardarum nostrarum quos ex omni vrbe collectos in turrim subuexerant, deuoluebant, cum magna strage eorum qui in scala insistebant. Sed protinus cognito periculo machina retracta est, & cum pons à turri cui admotus erat, recedit, iam semiustulatus excussus est, atque altera parte sese deflexit, nonnullosque incendium ac lapides armis non ruinam deuitantes, deiecit, cum magno inspectantium suorum gemitu. Quorum corpora nisi reciperentur, non se cibum imperator gustaturum iurauit. Sic nostri magno ardore inter tela ac saxa sub muris cadauera receperunt, eaque cum cæteris honorifice sepulta sunt, ipso duce comitante funeris pompam. Erant enim viri tum alias præstantes, tum vero eo tempore ob insignem animi magnitudinem delecti. Quod si post hanc acceptam calamitatem, copiæ illæ non antea subsidio vrbis venissent, haud scio an dux suos à suscepta persuasione reuocare potuisset, non esse fatale, Anticheram vt Setanillium expugnabilem nostris esse: frustra tentata aquæ subtractione, cuniculis, turri, qualis fortuna aut peior in acie contra tot barbarorum copias timeretur. Nunc victoriæ superiorum dierum eos succumbere animo non sinebant, & vltro quidam alios timidius sentientes increpabant. Ad hæc honos ab imperatore defunctis habitus, & exhortatio, ac præmiorum pollicitatio erigebat. Paucos intra dies scala refecta est, & aduersus incendium tabulata, quibus scala substructa erat coriis crassioribus, amphimallisque aceto maceratis intecta, atque asseribus latera munita, interque scalam ac pontem, in modum cataractæ interposita ianua, quæ in tempore posset aperiri, claudique contra saxa, quæ superne deiecta per scalam deuoluerentur. Octauo die cum iterum producenda machina foret, hora diei tertia, dum iam cibum iussi cepissent milites, Ferdinandus his verbis est adhortatus. Quod superiorib. diebus impedimento fuit cõmilitones, id emendatum satis est, vt ipsi videtis. Quod reliquum est, non nisi in vestra manu positum est. Neque vero tantum in turri spem ponimus, quanquam in ea maximam, aliter non nisi qui per hanc ascensuri sunt, alloquerer. Sed ab omni parte vrbs capi potest, cum vndiq; oppugnatur, dum cæteri scalas muris admouebunt, dum portas alium vel locum subruent, si illuc recurret hostis, minus negotii iis qui in machinis sunt, exhibebi-

tur, si aduersus hos vehementius pugnabitur, facilior aliis ad ingrediendam vrbem erit occasio. Sic vniuersi mutuo auxilio eritis, & forte qua minime speramus, vt aliquando scimus euenisse, expugnatio incipiet. Raro eodem euentu res sequitur, ad quem consilia direximus. Ideo omnia in ipsa rerum administratione sunt exploranda, vt si quid in quo fidebamus spem destituat, id compenset aliud, in quo minus fidebamus, vt venator facit, qui dispositis per diuersa loca retibus, interdum plus prædæ nanciscitur vbi minus opinabatur, vbi magis sperabat, ibi aut minorem spe, aut nullam venationem nactus. Vobis vero nunc minime præcipites fossæ sunt, iam semiopple tæ superioribus diebus, multisque in locis pontibus stratæ, iam prope ad ipsos muros iter est. Vindicate ergo acceptam nuper turpitudinem, reddite hostibus vicem, vlciscimini socios quos incendium, saxa, ruina extinxit. Docete nullo in genere pugnæ vos inferiores istis esse. Pauciores multo cum essetis, non dolo adorti, non noctu, non magna belli arte, tantum hostium exercitum qui vos adoriebatur, sola virtute superastis, nunc pauciores eorundem superare nequibitis? Hic videbitur ille vester ardor, quem multis in certaminibus iam ostendistis, hic operam suam is nauabit, cui dux, cui nomen Hispanum, cui laus, cui religio curæ erit. Non tanta res hic, quanta in acie nuper agebatur, agitur: sed ob famam, ob vindictam sociorum, ob satisfactionem iracundiæ prope dixerim maior. alio bello ad expugnandum Setanillium venimus, infecto negotio recessimus: nunc ad expugnandam Anticheram venimus, quam ô si, quod horret animus, & lingua vix audet fari, non expugnauerimus, quidni infecto negocio victi non victores discedemus? Auferte igitur tantum dedecus à vobis, à patria, à me, & quod præcipuum esse debet, à nomine Christiano. Nam si nullo periculo ac nullo sanguine nobis mors constaret, quid tandem meriti apud Deum compararemus? Itaque quia nonnulli ex nostris perierunt, siue quis periturus est, non est quod deterreamini. Si enim isti in sua superstitione nixi, si cæteris in bellis homines mercede conducti, propositis periculis non coercentur, eo deformius erit vos, tot aliis accedentibus causis, deterreri. Vos vero qui scalam ascensuri estis, sigillatim hortari habeo, à quibus maximus terror hosti est, & vnde principium victoriæ nasci debet, ne lapides obsint, ianua interposita obstat: ne incendium lædat, coriis, centonibus, asseribus prouisum est. Nunc vestrum est strenuitate ac celeritate vti, vt cum nostra machina superet hostium turrim, vos eos pro turri pugnantes superetis, facto in eam protinus impetu, ne illis vestra mora & animum addatis, & spatium detis ad tela in vos ingerenda. Tu Didace Ferdinandi Dechines cape hoc vexillum regium, quod tibi in manus trado, facitoque vt memor sis hoc à me suspiciendum esse, aut super hostilem turrim sublime, & ventilante aura vibrans, aut à turri eadem prono vertice suspensum, quorum altero nihil speciosius nobis, altero nihil deformius accidere potest. Hac oratione habita, omnes ad munia sua diuisit, dispositisque mox vniuersis, machina processit, & cum tempus affuit, deiecta cataracta, multos eorum qui pro turri stabant, ruina sua compressit, eodemque temporis puncto prorumpens flammarum è foramine procella (repleuerant enim eadem materia turrim) in scalam fertur, nec vulgari igni, sed incendiario agebatur, cui aqua resisti non potest. Is ignis coria ac cætera madentia adeptus, siue ipso humore aleretur, siue repelleretur, cum horrisono strepitu in cœlum quo sagittæ mitti nequeant, assidue ferebatur, conuoluens flammeas pilas, humano capite maiores. Interea Didacus vix bene delapsa cataracta, inauratum longeque refulgentem clypeum sinistra præferens, dextraque vexillum sustinens, crepitantibus toto corpore missilibus, in turrim primus desilit, vel fortior quam octauo die alii fuerant, vel felicior. Hunc alii à tergo insequuntur, strictisque telis in reliquos inuadunt. Illi tum casu suorum, tum nostrorum audacia territi, breui certamine edito per ligneum pontem qui turrim muro iungebat (nam lapideum diruerant) propere delabuntur, eumque vbi transiere, funibus suspensum soluunt, qui partim decidit, partim ad parietem turris hærēs pependit, ne victores in muros, atque inde in vrbem possent descendere. Sic interclusis, nec hostem lædere, nec sociorum multos in angustum locum recipere dabatur, etsi assidue succedebant. Cæteri qui sequebantur, non cum viris, sed cum flammis pugnabant, quas præparato ad hunc casum aceto cohibere nitebantur, subinde coria, cilicia, ligna perfundentes. Videres alios cum vasis plenis ascendere, alios cum inanibus descendere, alios implere, alios porrigere, vbiq; festinari, vrgere, hortari vocib. clamoribusq;, vt fit in domorum incendio, cuncta misceri, cæteris prope ad tale spectaculū euentumq; intentis. Nec hos, ii qui in muris erant, magnopere infestabant, à nostris sagittariis prohibiti, adeo totus labor ad machinam erat, nec de vrbe, sed de machina expugnanda res esse videbatur. & qui obsidebant obsessi, & qui obsidebantur obsidere, & qui expu-

expu-

expugnabantur, expugnatores ſuos expugnare. Etiam nonnihil timebatur, ne durante incendio ſcala labefieret. Iam etiam qui in turrim euaſerant, ſibi metuebant, ne calore ſolutus fornix decideret, vtique ruina pontis concuſſus, & multitudine grauis eorum qui aſcenderant, neſcii nullum eſſe in muros à turri deſcenſum, & reuerti per ſcalam flagitioſum ſane exiſtimabant, & in eos vndique ab oppidanis ſagittabatur. Hoc vnum interim præſtabant, ne prope turrim in muris hoſtis conſiſteret, vt non tantopere ſocii ab acceſſu portæ arcerentur: ne tamen clandeſtino aditu alimenta ignibus ferrentur, impedire non poterant. Imperator ob id anxius circuire muros, & hortari omnes, vt qua cuique proximum eſſet, ad mœnia ſuccederent, quo certamen à machina turrique aliquantum auerteretur. Sed cum obequitat, animaduertit foramen quoddam in imo muro, paululum ſupra ſolum, quo ex foramine, ad magnitudinem pene hominis capacem, aquæ pluuiæ ex vrbe profluere ſolerent. Percontatus ex quodam qui in vrbe diu fuerat diuerſatus, fit rei certior. Ergo impigris viris negotium dat, vt foramen refringant, ac ſubeant. Ipſe in diuerſum ab illo locum, quo hoſtem falleret, omnem transfert molem belli, & ſe de induſtria adhortatorem militum oſtendit. Illi interim patefacto latius muro ſubeunt, alioſque furtim atque alios admittunt, donec conflato ingenti globo, per vrbem ad portam turris procurrunt, multos trucidant, fores refringunt, qui foris ſunt & ipſi adiuuant. Sed vndique concurrentibus oppidanis, acerrimum intra muros prælium oritur, & dum de poſſeſſione vrbis certatur, muri deſeruntur ab illis, à noſtris occupantur. Tandemque reuulſis portarum foribus, victores Chriſtiani infunduntur, atque vndique barbaros aggreſſi, in medio interimunt, domos diripiunt, eaſque dominorum ſanguine aſpergunt, nulli ex puberibus vita reſeruata eſt, multi in templum, multi in arcem confugerunt. Sed multo magis præſes arcis, quam Deus præſes templi implorantibus opem tulit. Nam & auidius noſtri rapinæ gratia ad templum properarunt, & locum illum magis conſentaneum talibus victimis exiſtimauerunt. Natabat omne humano cruore pauimentum, & gemitu morientium templum mugiebat, & à morientibus mortuiſque veſtitus detrahebantur. Multi nec opinantes domi ſunt oppreſſi. Horum vnus etiam texens, qui cum audiſſet vrbem expugnatam, non obſerauit fores, non fugit, non etiam ſurrexit, ſed tanquam fieri non poſſet, texere perſeuerauit, atque ita ſedens telam ſuam, antequam detexta eſſet, ſanguine ſuo tinxit. Qui vero in turri ſtabant, ne expertes prædæ eſſent, accepto fune ſeſe demiſerunt. Imperator quoque ſimul atque patefactam portam vidit, cum prætoria cohorte infeſtis ſignis intrauit, adhuc durante prælio, cuius conſpectu, ſiquid adhuc in oppidanis erat animi ad pugnandum, cecidit, nonnullique dum victorem fugiunt, ad pedes eius procumbentes vita donati ſunt. Mulieres etiam complures cum paruulis liberis accurrentes, quod vitæ ſuæ timerent, certis hominibus commendatæ ſunt: imperatumque præconi, vt cum tumultus direptionis reſediſſet, ediceret, nulli mulieri vim afferri, quæ Chriſtianam ſe fore polliceretur. Quæcunque autem talis fuerit, daturum ſe operam, ne impudicam eſſe neceſſe eſſet. Sic itaque in media platea Ferdinando, obuiam venit Didacus Ferdinandi, ſcuto ita confoſſo, ſagittiſque hirſuto, atque ita lacerato, vt vix nouæ plagæ locus foret, longeque grauiore pondere quam ab initio fuiſſet. Hic vltro porrigenti gratulabundam dextram imperatori, nominatimque compellanti: Ego, inquit, imperator, imperii tui memor, turrim occupaui, hoſtem deieci, vexillum ſtatui. Sed profecto mira res accidit, infeſſam hoſtibus turrim conſcendimus, ea potiti deſcendere nequiuimus. Quod difficilimum factu putabamus, facile fecimus: quod autem facile ac pronum, ad id hæſimus, & interrupto, velut in fluuio, ponte, curſus victoriæ ſubſtitit. Verum vt hinc ex inopinato fortuna tibi aduerſata eſt, ita alia ex parte præter opinionē propitia fuit, volens omnem hanc victoriæ laudem penes te vnum eſſe. Cui reſpondens imperator, Equidem victoriam hanc, vt decet nos ſentire, refero Deo acceptam, & ſecundum Deum tibi, qui quantum abs te expectaui, abunde præſtitiſti. Ideoque tuum præmium ſuo in loco eſt. Direpta vrbe caduceatorem ad eos qui in arce ſunt, mittit, habere illos in oculis exemplum, qualia, ni ſe dedant, paſſuri ſint. Eiſdem petentibus triginta dierum inducias, & niſi intra eos rex auxilia miſiſſet, dedituros arcem ſpondentibus, incolumi tamen libertate ac fortunis, non plus quam bis ſeptem dierum induciæ impetratæ ſunt. Ad quam diem cum nihil auxiliorum ab rege ſummiſſum eſſet, arcem dediderunt, fortunaſque priuatas capere permiſſi ſunt, facta etiam eis poteſtas eundi quo vellent. Qui Granatam abiere, iis ducentorum equitum præſidium ad certum locum deducendis præfecit: ſiqui in Caſtellam mallent, iis non defuturam commodam conditionem promiſit. Atque ita pars ad ſiniſtram per medium equitum qui deducturi erant, Granatam verſus

abiit, pars in exercitu remansit, humane ab omnibus & benigne tractata. Antichera incepta obsideri, oppugnata, expugnataque, & arx dedita, atque omnia egregia facinora gesta sunt ab imperatore Martis die, quod eum diem existimaret, Marti hoc est bello, dedicatum, non exactissima quidem ille ac plane sapienti ratione, sed tamen vt rebus Martiis excusata. Oppidum à Christianis sacerdotibus expiatum est, & nouis incolis qui modo Agarenam linguam nescirent, cum agro diuisum: datumque negotium vt muri resarcirentur, qui multo magis intrinsecus quassati, ad assiduos bombardarum ictus, quam foris viscebantur, sexto quam domo profectum est mense. Ibique certior fit de rebus Aragoniæ. Nam antea de morte Martini regis nuntium acceperat, eamque rem sedulo suppresserat, ne quid aut hostibus spei, aut suis curæ iniiceret. Alfonsum quoque filium post victoriam de Granatensibus, quotidie literis orantem vt se in castra accerseret, iussit expectare propediem aduentum patris, cum quo in Aragoniam iturus esset. Igitur ex nuntiis intelligens res Aragoniæ, nisi eam propius accederet, non recte habituras, eo proficisci constituit, aduocatoque procerum consilio, in hæc verba disseruit. Re bene ac feliciter gesta proceres, exacta iam æstate, appetit autumnus, vt quicquid ante hyemem agi posset, id non magni sane momenti esse censendum sit. At maximi momenti est curam in res Aragoniæ me intendere, meo pariter & publico nomine. Iam primum plærosque vestrum audisse reor, auunculum meum Martinum regem diem suum obiisse, anno vertente post mortem Martini filii, quem ego cum classe venturum ad hoc bellum, sicut vterque promiserat, sperabam. Ex quo primum præsidio, deinde consobrino, tum auunculo priuatus sum, duobus regibus, nulli principum nostra memoria secundis. Horum morte regnum Aragoniæ ad me, tanquam cæteris proximiorem, pertinet, vt semper à consultis viris accepi. Sed id mea absentia ne vi occupetur, summopere verendum est, & vt ad me perfertur, non via iudiciorum aut iuris, sed factionibus, potentia, armis agitur. Quod si pro iustitia sua annitentes qui litigant, tamen ægre obtinent quod postulant: quid futurum de non annitente putandum est, inter tot competitores? & in aliis litibus plærumque satis est habere bonam causam, bonumque iudicem: & in lite de regno contra improbitatem aduersariorum, male nobiscum agitur, si in sola & causæ & iudicis bonitate spem ponimus. Armis ac potentia contra hostem armatum potentemque opus est. Itaque siquid apud vos gratia mea valet, quæso mihi vestro consilio vires huius belli aliqua ex parte illuc transferre liceat, vt populos ad recte iudicandum nostra authoritate inducamus: cum præsertim hæc res non modo ad beneuolentiam mei, ad honoremque iustitiæ spectet, sed etiam ad amplitudinem regni, ad gloriam Hispaniæ, ad incrementum religionis. Etenim si alius quam ego rex Aragonum creetur, inter quem ac regem Castellæ, vt memoria patrum scimus accidisse, discordia ex qua bella oriuntur, incidat: an speramus occupatos nos duplici Marte, ex vtrisque hostibus victoriam reportaturos? Hoc ego, ne si occulta quidem fuerint odia, nedum si aperta, sperauerim futurum. Quid si non simultas, sed inuidia suberit? quæ nonnunquam magis ad nocendum valet, quam vllus affectus: & odia conciliationem recipiunt, inuidia nullo pacto conciliari potest: & hoc peius nocere solet, quo magis ex occulto grassatur. Quid si metus? an aliquid est, quod maiores aut crebriores causas habeat ad male cogitandum? Castellæ regnum in omni Hispania maximum est: hoc cætera ne dicam oderunt, inuidentque, certe metuunt, & ab eo sicut infirmiores quadrupedes volucresve à leone aut ab aquila cauent. Nam rex Aragonum etsi præpotens est, ac maris, vt aiunt, dominus, tamen eius vires multo minores fama sunt. Quod enim Sardiniæ regnum male pacatum, ac prope nominis Catalani inimicum, adiuuaret Aragoniæ regem bella gerentem cum rege Castellæ? Quid Sicilia? quæ vix didicit iugum ferre alienigenarum, quæque, vt audio, iam nunc non satis quieta est. Omnis igitur vis atque omne robur regis illius residet in Hispania: quæ Hispania cum nostra nequaquam est comparanda. ex quo necesse est humana imbecillitate metuat potentiorẽ. Ideoque inter eos reges fere conuenit, veluti conspiratos, & inter se ament, regem Castellæ vel destructum, vel diminutum vellent. Quid si accedat auaritia, omnium vitiorũ magistra & parens? an si affulserit spes Aragoniæ regi aliquo portu oppidove regni Granatensis pro mercede potiendi, speratis fore, vt non inueniat causas, cur ab hoste contra nos stet in bello? Quid? si hæc omnia, aut certe plura subsint, odium, inuidia, metus, spes: quo tandẽ tempore existimatis regnum hoc in nostram potestatem esse venturũ? Quod nostra ætate hoc incommodi vsu non venit, propinquitas regum Aragoniæ cum nostra domo, in causa fuit. Ea iam extincta, in pristinum dissidium primo quoq; tempore redibitur: ne autem redeatur, vna ratione effici potest, vt hæc duo regna sanguine cohæreant,

hoc

hoc eſt,vt ego rex illius regni declarer. Quod commodum nimirum tanto plus erit, quam fuit rege Martino,Ioanne,ac Petro,quanto ego coniunctior ſum huic genti, quam illi fuerunt. Vnde conſociatis viribus vtriuſque regni, nullo negotio barbarum perdomabimus, vt breui tempore duo regna alia noſtræ genti ſubſint, quod nunquam fando eſt cognitum,nec de reliquis quoque duobus ſit deſperandum Ita quod in primis opto, & quo nihil mihi videre eſt longius,omnis Hiſpania Chriſtianis principibus obtemperabit. Quare veſtrum eſt probare ſententiam meam,ac cauſæ fauere,quicunque publice quidem amplitudinem laudemque & religionis & patriæ amatis,priuatim vero dignitatem meam,potentiam,gloriam iuſtitia & induſtria quæſitam,non ſine aliqua ratione veſtrorum commodorum qui de me eſtis benemeriti, quos multo prolixius remunerare ac magnificentius potero rex quam priuatus. Nullum enim ex omni mea felicitate vberiorē fructum percipere me arbitrabor,quam dum iis quibus debeo gratiam, & quidem cumulatiſſimam,referam. Hęc Ferdinandus. Cæteri pro ſe quiſque approbare conſilium & laudare. Tum Sancius Palentinus epiſcopus: Ego imperator adeo non aduerſor ſententiæ tuæ,vt niſi tu occupaſſes,iſtud ipſe pro mea in te fide & beneuolentia, tibi conſilium daturus fuerim. Age igitur Deo bene iuuante,regnum quod, vt ego quidem ſentio, tuum eſt,capeſſe. Caſtellanum multis ad te deferentibus,quia tuum non putaſti,capeſſere veritus es. Nam vt nulla quantauis occaſione ad præripiendum alterius regnum debemus allici,ita nullo labore nulloque periculo abſtineri à noſtro aſſerendo. Nec quicquam abiectius eſt homine qui paruo accedit animo ad vendicandum hæreditarium regnum. Quod ſiquid ob id laboris,difficultatis,ſumptus,periculi ſubeundum ſit,non obtinenti certe contendiſſe turpe non erit;obtinenti autem eo glorioſius,quod pene ſua induſtria comparaſſe regnum iudicabitur. Et ſane præſtabilius eſt regem ſe facere, quam ab alio fieri,nec alteri fortunam ſuam,ſed ſibi debere: & cum paternum nominas regnū, nominare etiam regnum tuum, quod non per manus traditum ſit,ſed manu partum ac receptum. Quare ſi tuis vis eſſe ſimilis,caue committas,vt nullum tēpus interponas,quin regnum quod & ſucceſſione,& quod in rege primum duco,virtute tuum eſt, ab iniuſtis hæredibus ac regnare indignis eripias,& tibi quātū humana ratio valet,aſſeras. Ad quod vires meas quantulæcunq; ſunt,meam operam,ſedulitatē,ſtudium, induſtriam, officium polliceor ac defero. Deniq; nunquam te ab iſto propoſito, dum de iure iudicatum ſit,reuocare tentabo. Huius orationem aliis maiorem in modum laudantibus, & ſe ad ſimilia præſtanda ſingulis pollicentibus,magis confirmatus Ferdinandus,diſceſſum in diem tertium edicit. Quo die cum iam milites præſidio vrbis impoſuiſſet, vna cum armorum cibariorumque copia,plenus gaudii ob victoriam, ac ſpei ob futurum regnum,ex Antichera receſſit,tertiiſque caſtris cum parte copiarum Iſpalim domumque peruenit, cum quibus copiis propius Aragoniam iret, cæteras in ſua domicilia redire iuſſit. Quæ autem poſthac conſecuta ſunt,ne ſubnectamus facit,quod multa,vt tempore priora ſunt ſic ordine præuertenda, quæ hactenus non attigimus, ne ſeriem rerum cohærentium quæ eodem in loco geſtæ ſunt,interrumperemus, duo quodammodo hiſtoriarum corpora confundentes,idque ſæpius, ſi ſuis quæque temporibus acta redderentur. Nunc peractis illius Hiſpaniæ geſtis,ad alterius Hiſpaniæ narrationem animum conuertimus, & de Granata per Caſtellam,velut pedibus, in Aragoniam Cataloniamque tranſimus, nouam materiam principiumque ſumpturi,non repetito temporis curſu, ſupra hunc ipſum,de quo nunc ſcriptum eſt,annum,ſed annum non eiuſdem nominis. Quippe is de quo proxime locuti ſumus,eſt poſt milleſimnm quadringenteſimum ab ortu domini decimus,à quo vero nunc ordiemur,nonus.

LAVRENTII VALLÆ DE REBVS A FERDINANDO ARAGONIÆ REGE GESTIS LIBER II.



Oc anno Martinus Siciliȩ rex, Martini Aragoniæ regis filius, apud Calarim, post ingentem de Sardis victoriam, receptaque complura oppida, paucis diebus febri extinguitur: febri non contracta ex æstiuo tempore, quo in omni Sardinia graue cœlum est, quia nondum media æstas erat: non aquarum noxio halitu, quia Calaris à stagnis quæ multa sunt in ea insula, non admodum infestatur: non ex intemperie cœli, aut contagione, quia nemo suorum ægrotauit. Quo magis inopinata mors eius tum sibi tum sociis fuit, eoq; luctuosior, vtique in illo & virtutis flore & ætatis. Tertium enim & tricesimum annum agebat, æqualis Ferdinando, aut anno maior, infœlici quodam omine, si quid omina sunt, ante patrem factus rex, quasi ante patrem vita defuncturus. Nec magis nomine suo lugendus, quam patris, cui vnicus erat iam senescenti: neque tam ætate, vnum nanque & quinquaginta annos natus erat, quam habitu corporis, obesi nimium ac præpinguis, & veterno grauescentis. Accedebat his & ætatis & corporis incommodis quaterna: malum in primis gaudio lætitiaq; curandum. Sic affecto nuntius de morte filii affertur, ex quo quantus patrem mœror dolorq;, quanta item perturbatio populos peruaserit, sibi quisq; natura & experimento duce subiicere potest. Omnium tamen cogitatio ac sermo erat, quisnam regi futurus hæres destinaretur. At ii qui apud regẽ amplissimi erant, partim illius beneuolẽtia, partim vt suæ ipsorum potẽtiæ cõsulerent, quo tales apud filiũ, quales apud patrẽ forent, & forsitan tutores relinquerentur, non ita multo post exequias, suadẽt vt primo quoq; tempore capiat vxorẽ. nam olim iam regina decesserat, quæ fuerat Comes Iuriæ. Consulendũ enim regno, consulendũ regio generi, consulendum etiã reliquæ ætati, quam cum vxore liberisq; traduceret iucundiorem. Rex autem etsi multis rationib. aduersabatur, quod senescens, quod inutili corpore, quod ægrotus esset: tamen vt potissimum obiiciebat, non esse opus coniugio, cũ nepotem haberet Fœdericum iam infantiæ annos egressum, qui maturior ad successionem, quam qui postea nascerentur, foret, qui sibi non alio quam filii loco esset. Sed cum illi præferrẽt filium nepoti, legitimum illegitimo, plures vni, certum in multis liberis, quam incertum in vno, tandem acquieuit: nec præcepit, vt ab aliis vxor prospiceretur sibi, sed ipse per se, inter duas adulescentulas quæ sub vxore domi creuerant, aliquandiu hæsitauit, ambas forma insignes, & summo loco natas: Cæciliam Iacobi Comitis Vrgellensis sororem, & Margaritam neptem Ioannis Comitis Pratensis. nam Petrus pater mortem obierat. Sed vt erat prudentissimus rex, si cepisset vxorem Cæciliam, vidit fore, vt frater illius se viuo quidem regem agere vellet, ita animo regnũ conceperat: mortuo autẽ, per fas perq; nefas ad se populos contraheret. Preterea, nequid in auũ nepotemque machinaretur. His rationibus vel solis, vel summis adductus, Margaritam præeligendam putauit, non sola formæ præstantia, vt quidam nimis iuuenili animo & quasi amatorio opinantur, nec vt simulatum est, quod medici magis hanc ad conceptus idoneam iudicarent. Vix mensis à nuptiarum die intercesserat, cum legati ab rege Ludouico venerunt. Ludouicum etsi nonnulli regem fuisse negant, tamen regem appellabo, quia multi fuisse regem affirmant cum quibus quam cum illis excusatius atque humanius est peccare, nescientem ab vtra parte peccetur. Hi legati ab rege Franciæ quoque venisse dicuntur, quo maior legationi adesset autoritas. Eorum primus fuit episcopus Conserranensis, qui orationem habuit, illa tempestate inter suos omnis iuris diuini humanique consultissimus, denique eloquentissimus. Nam ita constat inter eos qui affuerunt, nullum se literate loquentem, eloquentiorem, nec ante nec postea audisse. Quam tamen orationem, nemo eorum qui laudant, memoria tenet ad verbum, sed sententias aliquas & præcipua capita, quæ commodius in oratione regis, ne bis dicantur, à me ponentur. Hic cum cerneret regem subinde orationi suæ, vt putabat, indormientem, oculis conniuentibus, capiteq; demisso sterteret, intersistebat. Rex contra, cognoscens cur interquiesceret, iubebat eum pergere: non enim se dormire, etsi clausis oculis sterteret, aut si corpus præ morbo dormiret, non tamen dormire animum. Atque hoc sæpius facienti, inquit: an tuæ orationi indormierim, an inuigilauerim, & ex mea responsione intelligas licet. Itaque vbi loquendi finem fecit episco-

piſcopus, Quinque, ait, capita continet tua oratio,quorum ſingulis eodem ordine reſpondebo. Primum quod me ſalutaſti verbis Ludouici regis tui,mihi affinis, agnoſco egregiam erga me illius beneuolentiam,quod profecto mutuum fit, nec minus eum mihi fateor eſſe cordi propter ſua in me officia, fidem, amorem, quam propter affinitatem. Quod autem ſecundo loco nunciandam mihi duxit victoriam ſuam qua potitus eſt aduerſus Ladislaum, in hoc quoque fecit amice, cum ſciret me non mediocrem de ſuis proſperis voluptatem eſſe capturum,quam & illi & mihi propriam perpetuamque opto. Nec minus in eo quod tertium fuit,amorem ſuum erga nos declarauit, quod quemadmodum me victoria ſua gauiſurum ſperauit, ita ſe meam cladem dolere oſtendit,miſſo ad me ſapientiſſimo viro qui conſolaretur,quæ profecto conſolatio talis eſt, vt quemuis paternum mœrorem mitigare poſſet,qui modo tantus non eſſet,quantus hic meus, qui filium,& virum,& vnicum,& regem,& cum omni virtute,tum in patrem charitate prædittum,& orbum liberis,amiſi. Vtcunque tamen & miſeratio amici grata eſt, & conſolatio ſapientis nonnihil moleſtiæ leuauit. Precarique habeo cœleſtem regem,vt regem amicum hoc vulnus quo ego ſaucius confectuſque ſum, non ſinat experiri. Nam quod quarto loco poſuiſti, longa oratione executus,ſucceſſionem, ſi ſine liberis deceſſero, ad vxorem eius filiumue pertinere: iſtud vero mihi non conſtat: tu quoque velut in dubia re,multa verba feciſti. Ideoque non eſt,vt accipiam puerum ac matrem eius,ſicut poſtulaſti,cum & ipſe verbis euangelicis reſpondere poſſim, Quod iuſtum fuerit dabo vobis. Ais ideo mihi accerſendum Ludouicum puerum, vt iam nunc in noſtra regia, & inter populos velut futurus rex,aſſueſcat, percepturus mores, linguam,diſcrimina perſonarum,ingenia regionum, ne poſtea cum res poſcet, rudis ad gubernacula regni accedat. Hoc ego multis de cauſis,ne agam,deducor. Primum quia huiuſmodi præiudicio non faciam iniuriam aliis qui vobis in ſucceſſionis iure non cedunt. Si enim vobis acquieſcã, quid aliud quam vobiſcum ius hoc facere pronuntiem? Deinde ſi quis alius in iure ſuccedendi,aut ſit,aut fiat,aut naſcatur potior vobis,qui tandem honor iſtum puerum conſequetur quem à vobis honoratum vultis, ſi ab adita atque adminiſtrata regni poſſeſſione dimittatur,& velut expellatur? Non enim deeſt qui ſe potiorem vobis putet, non deeſt qui fieri poſſit,non deeſt mihi ſpes ſuſcipiendæ ſobolis, confidoque clementiæ Dei, quod ſicut afflixit me,faciens de patre orbum,ita vulneri meo medicabitur, de orbo faciens patrem,ex hac dilectiſſima mihi coniuge (aſſidebat enim ei regina) & certe vterq;, quantum in nobis eſt,enitemur vt parentes ſimus (ad quod verbum cum ambo ſurriſerunt,tum vero cæteri arriſerunt) Medici quoque ſpem faciunt,qui aiunt facilius ex homine prouectioris ætatis,ac puella,quam ex vtroq; adoleſcente filios gigni. Et nihilominus quod gaudium oculorum huius meorumq; erit,ſi in hac auiditate atq; in hac ſpe tollendæ prolis,videmus domi verſari alienum puerum,quaſi noſtri verſari regni,id eſt noſtræ orbitatis hæredem,haud dubie infauſtum omen & acerbum augurium. In quo non parum miror affinem meum,eiuſq; ſubrequiro prudentiam, qui ſub ipſis pene nuptiarũ auſpiciis de ſucceſſore meo agendum putauit,nec de ſucceſſore tantum,ſed de adoptiuo quaſi nec duxiſſem vxorem,nec vellem ducere,aut ex ducta liberos (quod omen Deus auertat) non eſſem ſublaturus. Quod tamen ſi non continget,alienuſq; mihi ſucceſſurus eſt hæres,quid mea magis refert,aut quid prius antiquiuſue debet videri, quam proſpicere regem proceribus ac populis meis, ex quo iuſtum imperium, firmum præſidium, perpetuam pacem nanciſcantur: proceribus inquã meis ac populis,quorũ ſanguine partim in Sicilia,partim in Sardinia recipienda,ego & filii vſi ſumus. Quorum pleriq;,aut liberos,aut parẽtes,aut fratres,aut alio modo propinquos deſiderãt,pro domus meæ amplitudine amiſſos. Neq; enim minus regiũ puto,populos ſuos,& præſertim de principe optime meritos,poſt obitũ ſuum recte gubernandos curare,quã viuentẽ recte gubernare. Ex quo teſtificatũ relinquam apud omnes iudiciũ meum,vt ſi domeſticus mihi hæres nõ fuerit,ii ad quos pertinebit,ſequantur meã defuncti vel rationẽ vel autoritatẽ. Neq; vero quod vltimo loco poſuiſti,abnuo veſtrã poſtulationẽ,vt permittã cauſam de ſucceſſione iã nunc quoq; agitari. Non enim ita delicato animo ac parum forti ſum in obeũda morte, vt de ſucceſſore meo diſputari,etiã tam recẽter à nuptiis,pati æquis auribus nequeam. Filius meus facit,vt hæc pati poſſim,& mortem non multo plus timeam cauſa mea, quam optem. Nihilque eſt quod magis vitam meam oblectet, quam futuræ prolis ſolatia, ſiue mas ſiue fœmina futura eſt. Nam vt tu vis, quod facile paſſus ſum te dicere, in paterno regno ſi mas filius defecerit, fœmina poteſt ſuccedere, & quidem ante omnes mares qui regem coniunctiſſimo gradu non attingant. Idque tu ita præſenti conſtantique animo affirmaſti, vt præſentius atque conſtantius affirmaſſe viderim neminem.

Siquidem de fortunis omnibus atque capite vis dimicare, ſi quis naturali iure vel ſcripto demonſtret, hoc introductum in Aragoniam eſſe, fœminam in regnum non poſſe ſuccedere. Iſtam ego te ſponſionem facere non ſinam, militaribus magis viris decoram, quam literatis, ne dicam pontificibus. Placet itaque in commune referri ad conſultos, de iure competitorum, quidnam de ſucceſſione regni mei diuinum ius humanumque decernat. Ipſe quoque dum per occupationes licebit, præſidebo huic cauſæ. Multo enim præſtat me viuo ſoſpiteque, ac diſceptatore, diſcuti litem iudiciis ac verbis, quam me vel defuncto, vel morbo ætateque affecto, vi & armis. Hæc locuto rege, diſceſſum eſt. Mox cum in cubiculum rex introiiſſet, multuſque de his rebus, ab iis qui circumſiſtebāt, dum ſermo haberetur, Vtinam, inquit Guilielmus Moncada, rex ex te prolem ſiue marem, ſiue fœminam primo quoque tempore videamus, quæ & viventi patri, ac diu ſit iucunditati, & defuncto ſuccedat. Cæterum ſi (quod abſit) aliter Deo cordi ſit, non video quin Ludouicus puer in ſuccedendo primas habeat partes, qui nepos ſit ex filia regis Ioannis fratris tui, hoc eſt, quin ipſa Iolans eius mater, regnum quod fuit patris aſſequatur. Non vereor enim loqui de iure competitorum apud te, non tanquam regem, ſed tanquam diſceptatorem ac iudicem, vt te ipſe feciſti. Nam qui debent regis eſſe potius hæredes quā liberi? Atqui filia ex liberis eſt, & cum ſola fuerit, locum liberorum implet. Hæc niſi tu frater extitiſſes, regnum paternum adipiſci debebat. quod ſiquid ſexus impedimento eſt, etſi nihil hoc impedire volunt, en filium pro ſe tibi nobiſque offert, ex matre Catalanum, cui ius ſuum hæreditarium cedit. Atque dicenti, plerique qui intermiſſo ſtrepitu colloquendi, ſilentium tenuerant, aſſentiebantur. Tum Bernardus Centellias: Immo vero iuſtius multo debetur ſucceſſio Iacobo Comiti Vrgellenſi. Nam iſta fœmina cum alleget nobis puerum, plane fatetur ad ſe regnum peruenire non poſſe, eadem ratione qua nec patris potuit eſſe hæres, cum ſola ſuperſtes extitiſſet. Quod ergo ius ipſa non habet, id profecto alteri tradere non poteſt. Itaque excluſis fœminis, inter mares eſt diſquirendum, quis regi ſit proximus. Is ſine controuerſia erit Comes Vrgellenſis, cuius pater qui proxime eſt mortuus, eodem auo, quo tu progenitus es patre Ioanne, qui ſucceſſurus Alfonſo regi erat, niſi Petrus pater tuus maior natu fuiſſet. Nunc (quod tamen Deus non ſinat) deficiente Petri ſanguine, ad fratrem ſeu fratris liberos redeat regnum, ſicut ad te rediit paternum regnum, fratre defuncto. Quod ſi quid momenti habet fœmineus ſexus, adeſt vxor Comitis, filia patris tui, vel patri ſucceſſura vel fratri, quæ certe tibi coniunctior eſt, quam fratris filia. Itaque quod ſexus adimit, id ex viro, cui & ipſi ius eſt, in ſucceſſione ſupplebitur, atq; ita ambo coniuges, mutuo auxilio innixi, iuſtitiam omnem hæreditatis implebunt. Tum Bernardus Villalicus, Recte, inquit, Bernardus Centellia locutus eſſet, ſi in eodem pares non haberet, atque vt ego ſentio, ſuperiores. Nam ſi placet ad priores patrum redire, certe prior eſt Alfonſus Dux Gandiæ, & frater eius proſocer tuus rex, Comes Pratenſis, patre Petro, auo Ioanne Rege, qui fuit tuus proauus patruo Alfonſo, auo tuo. Ita eodem te illi contingunt gradu, quo tu Comitem Vrgellenſem: ſed tanto venerabiliores quam ille, quanto propius accedunt ad tuos maiores, tantoque digniores qui ſuccedant, quanto proximiores iis regibus ſunt, vnde quaſi ex fonte regni origo emanauit. Eo quidem magis quod hi ſuccedent Ioanni auo, ille vero Alfonſo proauo. Nam quod ais de vxore, tantum tibi reſpondeo, eam non modo ex non regina, ſed etiam ex nondum vxore genitam eſſe. Sibyllam enim qualis antequam regina fuerit, omnes ſcimus. Feret autem hæc rex me dicentem, vel quia, vt inquit Bernardus Centellia, in hac cauſa iudex eſt, vel quia loquor ea quæ grata debent eſſe noſtræ reginæ, cum ob alia, tum vero ob hoc quod ago cauſam aui ſui, vel fratris aui. Hæc dicenti Villalico, nemo audientium nec aſſenſus eſt, nec contradixit. Tum Rex, Equidem, inquit, ſi locus hic iudicandi eſt, iudicarem aliquid inter hos quorum cauſas egiſtis. Sed quid attinet de his pronuntiare, cum ſit adhuc alius competitor, qui vereor ne iſtos omnes excludat. Ferdinandus Infans Caſtellæ, natus ex Helianora mea ſorore, non dico natu maiore quam hæc eſt ex Sibylla nata, ſed ex eadem matre, qua ego ſum genita. Dux autem Gandiæ, & proſocer meus, ac Vrgelli Comes, mares illi quidem ſunt, ſed eos in eadem pono conditione, qua fœminas. Nemo enim ſic in regno, aut vlla in hæreditate ſuccedit, quod de progenie ſit illius à quo primum hæreditas profecta eſt. Nam hoc modo ad eos deferretur hæreditas regni, qui ex vetuſtis priſciſque regibus oriundi ſunt: ſed non ita eſt. Verum ſicut interciſa fontis vena, atque alio deriuata, totus prioris curſus alueus aqua priuatur, ita tota progenies eius, qui ſemel à ſucceſſione paterni fontis excluſus eſt, in perpetuum exareſcit, nec niſi aliquo flexu redeuntem è latere aquam recipere poteſt, hoc eſt, dum

cur-

cursus iterum interruptus, in proximum canalem deriuatur. Id fit, dum rex aut quicunque rerum dominus sine liberis decedit, eius regnum ac bona lege naturæ ad proximum quenque defertur. Nam cum res sint vltimi domini, non autem superiorum, qui suum ius in alterum transmiserunt: nimirum vt quisque maxime coniunctus huic erit, ita plurimum iuris in succedẽdo sibi vendicabit. Quod cum ita sit, non quis proximus sit superioribus regibus Alfonso, Petro, Ioanni quærendum est, sed quis mihi cuius regnum est, & in cuius alueo postremus defluit regni riuus. Proximior autem mihi nemo est ea quæ ex iisdem parentibus genita est, & eius filius præponendus est mihi fratris mei nepoti, cęterisque qui me longiore propinquitate contingunt. Nam quod dicitur, fœminas non succedere, id intelligitur, quando & mares proximi sunt. Dux autem Gandiæ, & Comes Vrgelli, tot à me gradibus remoti, non sunt mihi proximi: & Iolante fratris filia, ac Isabella sorore, Helianora est mihi proximior. Ego illud vobis affirmare possum, nullum eorum quem cupitis, regem magis ex vsu regni fore, quam Ferdinandum. Sed vos studia partium trahunt: quid autem conducibile vobis sit, non peruidetis. Habetis igitur testificatum iudicium meum, si quid forte de me aliud factum sit, prius quam res disponantur. Verum magis quam pro valetudine corporis, hodie & audiendo, & loquendo laboraui. Et hoc quidem grauissimi ac sincerissimi regis testimonium fuit, quod non modo per vrbem Barcellonam, in cuius suburbano prædio hæc gesta sunt, sed per omnes nationes eius ac prouincias demanauit, magnamque Ferdinando autoritatem comparauit. Cæterum rex etsi hæc & sentiebat & dixerat, tamen omni diligentia, cura, autoritate, gratia, precibus, pollicitationibus, nepoti suo studebat. Nam delectis iudicibus, per omne cognoscendæ causæ tempus nihil reliquit, quin ius successionis Fœderici esse declararetur, & eo quotidie impensius, quod assidue magis ac magis liberos se gignere posse desperabat. Sunt enim qui dicant, nullo pacto, nec medicorum arte, nec multifariis machinis potuisse eum vel concumbere cum muliere, vel puellæ virginitatem demere: licet mater aliæque nonnullæ fœminæ velut ministræ puellæ adessent, licet viri quoque aliquot auxilio regi essent, qui ventre quasi appensum per fascias à lacunari pendentes, quibus tumor proni ventris cohiberetur, demitterent eum sensim in gremium puellæ, ac sustinerent. Sed hæc verecundius forsitan in silentio reponuntur. Commendabat igitur Fœdericum memoria patris, studium aui: sed hæc omnia vitium natalium apud iudices corrumpebat. Ideoque longe fauorabiliores erant Ludouicus & Comes Vrgelli. Illum commendabat nomen patris, amicitiaque cum Rege Aragonum, & mutua hospitia vtriusque gentis. Adhæc respectus matris, quæ proximi regis filia in oculis & consuetudine virorum mulierumque Cataloniæ adoleuerat, auia cum regina Iolans, quæ præsens modo veteres amicos, pro filia, pro nepote, modo veteres amicos clientesque mariti obsecrabat, vt memores essent defuncti regis beneficiorum. Hunc gratiosum faciebat, quod ex virili stirpe regiæ domus, quod iuuenis, quod eximia specie corporis, quod præsens, ipse non pro alio, sed pro sese singulos prensabat, orabat, donis promissisque implebat. Itaque apud iudices, non minus ambitione quam disceptatione agebatur. Quod Ferdinandus vbi per suos comperit, legatos ad regem mittit, orans ne permitteret in iudicio suffragiis potius, quam legibus agi. Rex illum recte dicere, & æqua postulare, respondit, seque daturum operam, vt res ordine irent. Verum hoc pręstare non poterat, quia ipse in primis eo vitio laborabat, si vitium appellandum est, & non pietas, pro vnica spe familiæ suæ anniti, vt nepos in regno succederet. Qui postquam animaduertit nihil sibi spei fore in iudicio (nam hoc ei iudices confitebantur) iussit illos extrahere tempus, nec quicquam de iure competitorum palam facere, donec ipse alia ratione mentes populorum conciliaret. Alfonso rege præsidente lata lex fuerat, nequis illegitimus in regno succederet, ita nunc se præsidente, per populos præsentes, quibus idem liceat quod superioribus, exceptionem vnius obtinere, non vi aut imperio aut autoritate, sed cum miserabili aspectu, vtpote collocato ad gremium orbi regis populo, tum summissa oratione, darent hoc senectuti suæ, darent orbitati, darent precibus ac lachrymis, sinerent se cum hac lætitia diem suum obire, quod relinquat nepotem hæredem, ne exulceretur hoc quoque dolore altero vulnere, quo non minus affligetur, quam ex illo quod filium perdidit. Illo enim amisisse filium, hoc amissurum esse regnum. Darent meritis suis qui Siculum regnum Aragonico adiecisset, darent meritis filii qui Sardiniam amissam Cataloniæ non parua ex parte restituisset, darent vnico duorum regum filio; iuuenis, qui mortuus est: senis, qui nisi impetrat, cito comes illi futurus sit. Non enim præponi illegitimum legitimis se postulare, sed eum pro legitimo esse. Qui cum alii nulli potiores sint, nulli iniuriam facturus est, neq; plane esse illegitimũ ex patre cœlibe,

ac matre innupta genitum. Hoc si in priuatis semper valuit, multo magis debere valere in regibus, quos sola contentos vxore esse, vix postulandum est, & in bellis aut longinquis regionibus agentes, vt vxores habeant fieri non potest: neque exclusos à successione fuisse filios ancillarum Iacob, neque eandem causam Salomoni obstitisse, quo minus ad regnum tolleretur, cum tamen non modo non solus, qualis Fœdericus, sed ne primus quidem ex Dauid liberis esset, & alia plurima omnibus ex gentibus huius generis exempla. Atque quo facilius honestiusque peruinceret, vt est ingeniosa charitas, vidit operæpretium fore, natales nepotis emendari per summum pontificem. Neque enim id difficile factu, & hoc effecto non ausuros, etiam siqui minus vellent, populos aduersari regi roganti pro eo qui iam illegitimus non esset. Erat autem summus apud eos pontifex, affinis pueri, matrisque consanguineus, Petrus de Luna, nomine Benedictus. Ad hunc rex Dertusæ agentem scribit, rogans vt Barcellonam, captato tempore, quasi per causam alterius negotii, ne res patefieret, se conferret. Interea Comes Vrgellensis è diuerso non minus & ipse laborabat, vel ob hoc solicitior quam rex, quod ille alteri, hic sibi consultum volebat. Et cum Cataloniam iam suarum partium existimaret, quod in ea natales, domum, potentiam, clientelas suas ac patris auique haberet: Valentiam quoque multis officiis, largitionibus, studiis deuinctam sibi reddidisset, vt vix constaret, ab vtris magis obseruaretur, Villaragutis, atque Centelliis, quæ sunt duæ illic summæ atque diuersæ inter se factiones. Tamen nihil actum esse censuit, nisi idem in Aragonia, vbi caput rerum est, effecisset. Sunt autem in Aragonia nomina factionum, Luna, & Vrrea. Lunam iam sibi conciliauerat, ascito sibi Antonio Luna, qui tunc principatum factionis obtinebat: diuersam vero factionem non modo ob odia partium infensam habebat, sed etiam quia studeret Ludouico competitori in regno, autore ac duce Garsia Heredia archiepiscopo Cæsaraugustano (erat enim is beneficiarius domus Franciæ. hoc profecto pessimum est in petitione regni, quod nemo iuri, omnes amicitiæ fauent) secundum hunc propinquo eius Egidio Roizæ, Aragoniæ gubernatore: cuius filius Ioannes in Herediam familiam fuerat adoptatus. Ex quo fauor Ludouici propter summos magistratus in Aragonia plus pollebat. Hos Comes vbi blanditiis promissisque pellicere se posse desperauit, excogitauit quo modo illorum diminueret potētiam, suorum adaugeret, simul se dominum causæ constitueret. Postulat ab rege vt in Aragoniam gubernator delegetur, qui magistratus soli regis primigenio tribui solet: contendit cum alia quædam esse ex vsu prouinciæ, tum vero illud ex vsu regii fisci, si rationes iam compluribus annis repetantur rerum administratarum. Rex etsi nihil minus volebat, quam Aragoniam velut arcem regnorum, ab hoc regnum affectante occupari, & quasi eum adoptasset hoc magistratu, exire famam, simulque sine causa sincerissimum ac prudentissimum virum à magistratu amouere: tamen admonito Comite, caueret quid ageret, postulata concessit, neque id magnopere inuitus, tum sperans illo absente, commodius cum Papa confectum iri negotium nepotis, tum volens conciliari maiora in Aragonia homini odia, quo minus temeritas prospera esset. Dat itaque ad gubernatorem atque archiepiscopum clandestinas literas, vt aduersus Comitem iure suo vtantur, nullam tamen de literis ipsis, vt saluus sit pudor regiæ sinceritatis, mentionem habeant. Comes diuulgato rumore, se iam pro indubitato haberi successore ab rege, cum magistratus qui soli primigenio regis indulgeatur, sibi indultus sit, cum magno apparatu Cæsaraugustam venit, stipatus omni factione Lunensi, poscitque se admitti in possessionem. Ei gubernator prætorque quem iustitiam vocant, atque archiepiscopus, cum cæteris suæ factionis intercedunt, negantque illi ex lege præsidem licere esse, nec regem velle reuocare legem quam non possit, sed impudicitiæ Comitis non ausum refragari, ne hominem odisse diceretur, ita tamen id concessisse, quatenus ratum lege esset, ac populi admitterent, nunc nec legem admittere, nec populos. Hic multa altercatio, mox seditio, dehinc res ad manum vocatur, quotidieque leuia prælia, prope ciuilia conseruntur. Ex quo sunt qui dicant, à quo homine primum excitatum est, & iis regionibus bellum intestinum, in eius domo subuertenda, tandem esse restinctum. Pauculis diebus superuenit Ioannes Ferrandis auxilio patri, auunculo, partibusque, cum magna armatorum manu: vrbemque ingressus, ante pugnam commissam, Comitem è foro domum fugat, dumque expugnare domum aggreditur, ille per posticum quod ad flumen fert, cum cæteris abiit. Sunt qui habitu dissimulato, ac sine comite, nec equo sed pedibus fugisse dicant, quod falsum esse compertum habeo. Illud quoque non minus falso dici, ab rege præceptum illis literis, vt Comitem interficiendum curarent, quod non modo abhorret à vero, sed etiam à regis ingenio mitissimi ac iustissimi, & qui sæpe dixerit, nolle se regni ius auferre ei cuius foret, nec si centum alia sibi regna adeptum iri exi-

existimaret, meminisse se Christianum esse, cuius æternum regnum foret, si recte egisset: rursusque æternum supplicium, si praue. Si cito relicturus esset hoc regnum, petiturusque illud, cur insolito scelere commacularet manus pro alio quem vellet hæredem, cum ne pro se quidem commaculaturus esset? Regnum sibi eripi non posse, post sua fata, eius fore cui Deus destinasset: prophetare tamen audere, qui non via iuris, sed factionibus dolisq; regnum affectaret, eum ad regnum non esse peruenturum, Comitem significans. hæc respondit iis qui suadebant: non enim deerant, qui suaderent vt Comitem tolleret. Ille ex Cæsaraugusta fugatus Aragoniaque, in Cataloniam Ballegerium domum suam sese receperat, non reuersus Barcellonam: siue ob euentus indignationem pudoremque: siue quod vitaret vrbem nonnihil pestilentem, quam rex quoque deuitauerat, primum habitans in prædio suo cui nomen Pulcher Aspectus, de quo supra dixi, deinde in habitaculis monasterii in Valle Donzellæ, non procul à muris: siue ne interesset pompæ legitimationis Fœderici, nam & ab iis qui cum papa Barcellonæ erant, susurrabatur, & Siculorum legati præ se ferebant, qui omnibus precibus obsecrantes regem, vt eis regem præficeret Fœdericum, ex Siculo rege, & de Siculis optime merito, & ex matre Sicula, & in insula ipsa genitum, confessionem ab eo expresserant voluntatis, qua erat auus in nepotem: siue vt vitaret suspicionem sceleris quod ab eo per vxorem & matrem creditur admissum. Referam non omnibus rem notam, nec passim diuulgatam ob Comitis, vt creditur, tanquam futuri regis vel metum vel gratiam: sed tamen inter domesticos, à quibus ego accepi, viris bonis & grauibus, agitatam, & prope compertam. Dicitur Comes pro deplorata habuisse spem suam, si legitimatio fieret per summum pontificem, deinde per Aragonenses, exceptio vnius Fœderici in lege quæ est contra illegitimos lata. Ad quod ipsum quasi de publico consensu venisse gubernatorem, proxime audierat. Omnium enim rerum certior quotidie fiebat per vxorem & matrem, quæ per causam propinquitatis ne pedem quidem ab regina discedebant: quam etiam studiosam causæ Comitis reddiderant, & ab ea Centelliam familiam vnde ipsa materno genere erat, conciliatam habebant. Hæ mulieres die Iouis, ante diem Dominicum solennibus legitimationis destinatum, quæ erant futuræ Calendæ Iunii, vesperi dicuntur anserem saginatum quem opipare concinnarant, assum regiis ministris porrexisse, per speciem demerendæ reginæ, vt regem & adipibus & quartana torpidum ad Venerem procreationis gratia excitarent. De quo ansere vbi comedit rex, statim vehementi dolore stomachi conflictari cœpit ac lamentari, moxque ardentissima febri insecuta, signaque & maculæ quædam in defuncti corpore (secundo autem die defunctus est) apparuerunt: quanquã potuerunt esse signa pestilentiæ. Nam quod dubium est in tanta re, id ego nolo fieri mea asseueratione certum. Omnes enim fere ex eadem domo, post regem vel peste vel febri extincti sunt, quales etiam plurimi ex ciuitate. Potest & id in causa regis fuisse, non malitia, sed simplicitas mulierum atq; stultitia, quæ quotidie citra medicorũ conscientiam, cibariis ad Venerem quam ad salutem aptioribus inferciebant virum, vnguentisq; oblinebant. Siquidẽ defuncto rege, & domo, vt fit, à fœminis subito derelicta, est inuenta cellula his cibariis vnguentisque differta. Vtcunque res administrata sit, certe Comes in morte regis præter cætera hanc spem secutus dicitur, quod gubernatoris munus inuitis inimicis administrare posset, cum id per legem defuncto rege non prohiberetur: aut saltem impunius archiepiscopum cæterosque de medio tollere, vt nihil sibi posthac superesset impedimenti. Cui rei euentus ipse testimonium dedit. Vt autem ad rem redeam, vbi totam illam noctem rex per æstus atque cruciatus insomnẽ duxisset, cum illuxit, legati Barcellonæ multique proceres lectulũ circumsteterunt, multi mortiferam sentientes, & inter se consusurrantes, sed in horas magis ac magis ad extrema vitæ spiritus properare videbatur. Cum interea mater Comitis atque vxor regem adeunt, rogantque vt nunc saltem in ipso extremo vitæ tempore Comitem declararet regni successorem. Non respondenti, atque vt solebat, sed alio somno subdormitanti, apprehendit matrona vestem à pectore, atque inquit, filii mei est regni successio, filii mei, quem tu succedere vetas contra fas iusque. Ad quam ille inspiciens, Ego, inquit, ignoro istud, & ita esse non credo. Simulque Guilielmus Moncada, & vnus legatorum, retracta manu à brachio fœminæ, admonuerunt, vt reuerentius tangeret regem. Postridie deplorata iam eius salute, ne maturius præfocaretur, constituunt in sella, amictum tenui tantum amiculo, ac dispectoratum. erãt enim soles æstiui. Illuc eum complures adierunt, & iam quasi defunctum lamentabantur, & in primis Siculi legati, Fœdericum sibi regem dari, cum fletu lachrymisque poscebant. Quibus rex ingemiscens, verbis ac vultu quantum poterat, commendauit. Tum legati Barcellonẽses nequid responsum regis fortasse scrupuli moueret imposterũ adhibitis tabellionibus in-

terrogarunt, iuberetne eius regna esse cui iure deberentur: ita se iubere respondit. Praeclarum profecto responsum, vel quod mulieribus, vel quod Siculis, vel quod Barcellonensibus reddidit. Primum quidem liberum, ingenuum, ac præfractum, sed sine bile atq; indignatione: alterum vero molle atque affectus plenum, sed ita vt iustitiæ magis quam affectui se parere ostenderet: vltimum autem simplex ac solidum, vt nihil petendum sibi existimaret, nullo competitorum in succedendo populis proceribusq; commendato. Iam omnis familia per domum propemodum lymphata ferebatur, iam cubicula illa quæ nuper ornamentis, mulierum symphoniis, atque omni iucunditatum genere exultauerant, deseruntur, denudantur, & velut ad hostium aduentum, aut si Erynnis inuasisset, lugubria videntur ac feralia, cunctis partim occultius, partim apertius emigrantibus. Quorū vnus fuit Egidius Aragoniæ gubernator, qui intelligens quam infestos haberet inimicos, per causam dormiendi, meridie cubiculū suum intrauit, & mutato habitu cum regio cōfessore Barcellonam abiit, rumorq; fuit, conatos esse quosdam in domo regis vincula ei iniicere. credo hanc opinionem ex eo ortam, quod Comes certis hominibus negotium dederat, vt ei vincula iniicerent, captumque ducerent, aut necarent. Nam Barcellona, cum eo venit gubernator, plena armatorū erat, ex maxima parte eorum qui Comiti studebant, & intrantes vrbem, perque viam euntes, ciuitas sciscitabatur, an rex adhuc spiraret, an ibi gubernator Aragoniæ adesset? Quo maturius ille tantopere se quæri ab inimicis cognoscens, sibi delitescendum putauit. Atque ea nocte, cum secus atq; consuetudo ferebat, clausæ forent portæ, audiebat è domo in qua latebat, in propinqua vbi multi versabantur armati, colloquentes, admirantes, quærentes, vbi est gubernator? quid de eo factum est? quo abiit? Hic autem vbi multa iam die apertæ iam portæ essent, non equum, sed nauigium conscendit, Paniscolamque quæ sibi amica erat, se contulit. Hæc retuli, vt quam violento ad affectationem regni fuerit animo Comes Vrgellensis, appareat. Nunc referam id, quod an veneni, an pestis, an alterius rei signum sit, medici viderint. Quod ipse qui vidit, quid fuerit se scire negat, idemque regem veneno periisse non credit. Is est Borra scurrarum eximius, quatuor & octoginta hodie natus annos, necdum à scurrando vacans. De quo nequis miretur me facere mentionem, in tanta fuit apud complures semper reges dignitate dicam, an opinione, an beneuolentia, vt eum in libris meis fastidire non debeam, quem reges nullo quamlibet serio in negotio fastidierunt: cum præsertim, quod apud vulgi opinionem valet, plurimum diues sit, adeo vt ad centum millia aureorū profiteri possit. Vir profecto natus ad exprobrandum literarum scientiæque ac sapientiæ studiosis, qui doctrinam non veri contemplatione, non summi boni fine, non ipsa virtutum laude, sed pecunia, & vmbratili populorum honore metiuntur. Ad hos quotidianum Borræ conuitium pertinet dicentis, plus se & pecuniæ & honoris comparasse, dum stultum agit, quam qui literarum & sapientiæ studiosi vocantur. Quod cum audiunt plæriq; literati, ornatumque hominis regalem vident, & erubescunt, & dolent, & si vera fateri volunt, etiam inuident: nimirum infra omnes scurras, histriones, mimosque detrudendi, male meriti de liberalibus artibus, quibus inuidiosam volunt esse vitam scurrilem. Hic igitur Borra de numero erat eorum qui suis rebus, non sibi timerent, in quibus absportandis cum aliquot horis districtus fuisset, tandem ad conspectum rediit regis. Cui ille vix suppetente voce, Vnde, inquit, domine Borra, qui tandiu abfuisti? Hic simul vt rem dissimularet, simul vt regem cupidum suauis alloquii, si posset, hilaritate afficeret: Ego vero, inquit, è vicina vinea redeo, vbi nescio qui hinnulū meum per caudam ad ficum suspenderant, quasi ficos furto edisset, qui nondum maturi sunt. Ad hanc facetam vocem rex cum arrisisset, mox animam celerius agere cœpit. Borra, vt erat ex aduerso, videbat vmbram quandam breue loci spatium occupantem, paulatim à medio ventre ascendentem, prout anima cōtinenter inferiora relinquebat. Id viderit ne, an videre visus sit, an cōuexitas aliqua corporis obumbrauerit, fides penes oculos eius sit. Vbi ad guttur euasit, & ipsa euanuit, & rex animam efflauit. Ita Martinus rex, vel diutinæ quartanæ languore, vel tunc grassante morbo, vel incommoda habitudine corporis, vel infando veneno, vel inconsultis vxoris medicamentis, vel mœrore amissi filii, vel horum plærisque excessit è vita, omnium Aragonię regum & potentissimus (nam nullus ante eum Siciliam tenuerat) & vltimus ex familia Comitis Barcellonæ, in quem regnum Aragoniæ transierat, filia regis quæ patri successerat, in matrimonium accepta. Ex quo mirari habeo, quid in mentē venerit illi regi atq; Aragonensibus populis, velle non licere in regnum succedere fœminæ, cum ex hac regina & vir Catalanus in regiam dignitatē conscenderit: quæ res etiā nationi gloriosa est, & Aragonia maiorem in modum maiestatē suam propagauerit, adiecta ei quasi appendice Catalonia, quæ viribus ad illam sesquialtera est. Siquidem cum rex Aragoniæ

ragoniæ nuncupatur, Cataloniæ quoq; princeps subintelligitur, hoc est quod ambarum vnus idemq; rex, sed ab vna quæ sit dignior, nuncupatur. Quare haud dubitem dicere regem illum, suæq; ætatis homines qui contra fœminam decreuerunt, fecisse quod sui maiores non faciendum existimauerunt. Mortis Martini nonnullæ res, vt creduntur, prænuntiæ fuerunt. Eodem mense fuit eclipsis lunæ toto sydere obductæ, circiter horæ spatium: item terræ motus semel, cum mane surgeret, iterum cum poculum à pincernæ manu accepturus esset. Cumq; dixisset, Mors magni alicuius viri terræ motu significatur: inquit ex intimis quidam, Nunc nostræ timeo parti: ad eum rex, Ego non sum magnus, vbi adest maior? maior me papa est, de illo igitur terræ motus loquitur, non de me. Erat autem tunc Benedictus Barcellonæ, ipse vero eodem in prædio suburbano. Itaque visus est minus soluisse audientibus quæstionem terræ motus, quam innodasse. Ex quo animi suorum magis anxii esse cœperunt. Nam in tota Hispania non modo Benedictus qui sub vmbra regis latebat, sed nemo alius cum Martino erat comparandus. Corpus defuncti à medicis curatum, & ad tricesimum vsque diem in publico reseruatum est, vt ex omnibus regnis homines conuenientes agnoscerent. Sed maiore cura reginam Comes asseruandam curauit, vt vix miseræ cubiculo pedem liceret efferre: verbo quidem, quod diceret dubium esse, an grauida è rege foret: re autẽ, quod vereretur, ne ex altero postea concipiens, è rege se concepisse mentiretur. Siquidem & apud iuris consultos, & apud physicos recepta opinio est, incertum tempus esse pariendi, & in vndecimum vsque, & interdũ in tertiumdecimum mensem extrahi partum posse: & hæc quidem domestica sunt. Publice autem post defunctum sepultumq; regem patefacta est magis apertis studiis ianua, & omisso iudiciorum ordine, pro se quisque impensius quotidie parare arma, clientes contrahere, concire cuiusq; generis homines, suas partes augere, consultare cum suis, nec domestica tantũ, sed externa etiam auxilia accersere, donare, polliceri, nihil remittere: magisq; ac magis in dies ad vim spectare res videbatur, & regnũ eius fore qui plurimum posset. Poterat autẽ plurimum tunc Comes Vrgellensis, Fœderico morte aui prope destituto, & per ætatem magis adhortando, quam adhortante, Duce Gandiæ non per se, sed per alios auxilia rogante, Ludouico & Ferdinando extra regnum proculq; agentibus: vt Comes ex quatuor competitoribus, duorũ qui aderant iam victor esset, duorũ qui aberant, alterum non timeret, quem nemo fere priuatũ defenderet, alterius cuius adiutrix factio Vrrea esset, propediem victor videretur. Adeo iam de capiendis regiis insignibus, appellandoq; se rege deliberabat. Quod vbi resciuere Cataloniæ vrbes, summopere dissuaserunt, amissurum ea via illum omne suum ius, omne hominum studium, nec à Catalonia sed ab Aragonia incipiendum esse. Cataloniam quidẽ studiosam eius semper fore, verum tantam labem minime subituram esse, vt regem ipsa & prima & sola faciat, contra suas & quidem maiores natu sorores. expectaret quid eligendi iudices pronuntiarent. Iam concilium, quod illi parlamentũ vocant, cogi ex omnibus prouinciis in Calatauibio. Sed hoc illi molestum erat, quod res in Aragonia, quod archiepiscopo autore, quasi nauis gubernatore, administrarentur. Quid enim sperandũ sibi de brachio ecclesiastico (quatuor enim brachia in Aragonia faciunt) cuius caput sit archiepiscopus, competitoris studiosus, sui inimicus, cum quo Benedictus papa faciat, vt omnia communi abbatorũ consilio geri videantur? Quid de nobilium equeriorumq; cum gubernator prætorq; tam sibi infensi, quam archiepiscopo obnoxii sint, cum alter affinis, alter gener illi esset? Quid de brachio ciuitatum, quod vocant regale, quorum plærique superiorum vel autoritatẽ vel gratiam sequuntur? Eo quidem magis, quod dabat operam archiepiscopus, vt concilium Cæsaraugustam transferretur: idque recte ac iure fieri per suos papa asseuerabat. Quod si fieret, multo meliores fore partes Ludouici intelligens Comes, vtriq; minatus est: archiepiscopo se pro pileo pontificali impositurum cassidem ignitam: papæ rasurum esse verticẽ non aqua, sicut fieri solet, ante perfusum. Interea quotidie cædes seditionesque per prouincias fiebant, nec cuiusquã autoritas aut potestas ire obuiam poterat: nemo satis alteri credere, nemo obtemperare, ipsa capita inter se diffidere, ac digladiari. Vsq; adeo iam in contemptum venerant exteris. Siquidẽ in Sicilia, de quo postea dicemus, Bernardus Caprera res nouas moliebatur, & insulæ regnum affectabat. Cuius non minor metus incessit animos eorum qui bonum publicũ & gloriam Aragoniæ curam habebant, quam quis Aragoniæ rex esset, cum plus damni fieret, alienata Sicilia, quam quolibet competitorũ rege facto. Igitur omnia plena motus, timoris, turbationum, ac periculorum, & velut in tempestate multorum ventorũ, cum inter nautas non modo litigatur de gubernando, sed etiam pugnatur. Huc accedebat, quod Ludouicus suasu archiepiscopi, quo maior causæ suę esset & autoritas & gratia, miserat ad fines Cataloniæ copias militũ, nuntiosq; ad conciliũ,

qui hortarentur ad iuſtitiam, nihil metueret, præſto eſſe copias aduerſus perturbatores ordinis iudiciorum & iuris, nec defuturas pecunias. Idem facit Ferdinandus, non ignorans à Ludouico non minus illa in fauorem fieri iuris priuati quam publici,& contra Comitem factionibus armiſq; cœlum ac terras miſcentem, autoritate armorum eſſe agendum. Ferdinandum quantum fauor in aduerſarios propenſus lædebat, tantum recens gloria rerum geſtarum commendabat, quod mari terraque victor rediſſet,quod imperium Caſtellæ ampliaſſet, quod pro re Chriſtiana fortiſſime ac fœliciſſime dimicaſſet, quod niſi ad expediendam litem de ſucceſſione veniſſet,prope iam regem barbarum debellaſſet: & de eo quotidie magis ac magis homines fauorabiliter & ſentiebant & loquebantur. Ex quo animaduertens Comes, iam duos externos competitores in dies maiorem ſibi autoritatem comparare, idque archiepiſcopi opera, facinus exequi feſtinat,& quod minatus fuerat, perpetrare. Itaque Antonio Lunæ negotium dat,vt hominem per ſpeciem colloquii euocatum obtruncet. Erat autem Antonius etſi diuerſæ factionis, tamen perfamiliaris archiepiſcopo, ac pene cliens. Nam annuis quaſi ſtipēdiis ab eo donabatur,& eodē menſe ſeptingentos aureos Aragonicos acceperat. Id dicitur feciſſe archiepiſcopus, quod cum fuiſſet tutor Ioannis Ferrandis,fraudarat pupillū dimidiata hæreditate,eamque in Blaſcum qui gentilis atque agnatus ſuus erat, tranſtulerat,indignū exiſtimans tantam generis ſui hæreditatem, totam in alienum deferri, nulla ei qui ex ipſa domo eſſet relicta portione. Is cum poſtea cerneret Ioannem erecto ac ſublimi animo virum, Blaſcum vero ſegniori ac longe imparem, vidit fore, vt ſe defuncto, ac nedum quidem defuncto, Ioannes Blaſcum hæreditariis bonis exueret. Ea re præſidium homini infirmiori aduerſus potentiorē in diuerſa factione comparauit, propinquum ſuum in contraria acie ponens, ducem hoſtium intra ſua caſtra verſari patiens ac volens, vnde mortis ſuæ origo defluxit. Et poſtea cum rerū merita neſciamus,iudicia diuina mirari ſolemus. Enimuero hanc quam retuli cauſam, pauciſſimi notam habent. Neq; ego nunc de iudicio Dei in vniuerſum pronunciaſſe intelligar. Scio equidem iuſtos ſæpe multatos infortunio fuiſſe, & iniquos ſecundiſſima fortuna vſos. Sed nonnunquam ſapientiſſimi non longe abſunt à coniectanda Dei voluntate, cum patrem ille aut dominum agere videtur. Archiepiſcopum è Calatauibio reuertentē,atq; in oppido Almuma agentē, Antonius ait ſe adire velle colloquii gratia. Etenim ſæpe eum pro familiaritate interuiſebat, collocatiſque ad inſidias in proximo nemore ducentis equitibus haſtatis, & ex parte magna loricatis, ipſe cum paucis armatis procedit. Nam armati tum omnes fere qui ex factionibus profeſſi erant,incedebant,ac præmittit è vicino ad archiepiſcopum, qui dicat ſe ad colloquium venire. Eo hic nuntio lætatus, tanquam aliquid quo gauderet ab amico auditurus,conſcenſo mulo,obuiam egreſſus eſt, decē duodecimve comitibus: Nam feſtinantia plures vndique conuenire non ſciuerat. Ille tardius de induſtria iter faciens, plus duobus ſtadiis procul à muris archiepiſcopum excepit. Cumque ſe mutuo ſalutaſſent, hic illum filii,ille hunc patris nomine: Ecquid,inquit Antonius,eritne rex Comes Vrgelli? Nō me viuo reſpondit. Ego,inquit, aut te capto,aut mactato. Mactato reſpondit fortaſſe, captiuo nequaquam. Atque hæc dicenti frenoſq; flectenti Antonius colaphum in medio ore incuſſit,arreptoq; protinus gladio, caput ferit, refugientem cæteri vulnerant, ſubinde caput muli,vt ab inſtituto curſu auerterent, percutientes. inter eos Antonii armiger, qui vnus lanceam gerebat, ea ſubtus brachium adducta, incurrens præcipitauit è mulo, atq; ita iacentem contrucidarunt,manumque inter cætera vulnera amputarunt. Ita is qui diadema imponere regis debebat, imperio eius qui diadema ſperabat, teterrima morte eſt affectus, vltores angelos relinquens, ne vnquam in ſellam regiam illi daretur aſcendere, per quem ſummi in regno antiſtitis corpus fœdiſſime confoſſum laceratumque iacuiſſet. Ideoque ſtatim diuinum, ſi recte æſtimemus, numen apparuit. Nam ſi tantum animi ad inuadendam vrbem illis, quantum ad aggrediendum facinus fuiſſet, haud dubie ſublata lis erat,& oppreſſa factione Vrrea, Comes regiam dignitatem vel extorſiſſet, vel impetraſſet. Nunc ſceleris, non voti, compos effectus eſt, dum hoſtem debilitatum mancumque magis de fuga, quam de vltione cogitaturū putat, tam procul poſito Ludouico, à quo peterentur auxilia: nec in mentem venit ei, plæriſq; animalibus auctiora arma in fuga eſſe,& ingenium ex neceſſitatibus creſcere. Dato hunc in modū ſpatio inimicis ad ſibi conſulendum, illi tamen illatæ iniuriæ dolore, tum inferendæ metu, ad proximum ac magis validum Ferdinandi, de cuius iure bene quoq; ſentiebant, præſidium confugiunt, longe decepta aduerſariorum ſpe, qui à ſemel ſuſcepta cauſa in aliam deſciturum hoſtes nō ſuſpicabantur: ignari plus poſſe odium quam beneuolentiam, & dolorem quam gratiam, & cupiditatē ſe ab atroci iniuria vlciſcendi, quam alieno honori inſeruiendi. Blaſcus quoq; qui

qui ingresso Antonio opem tulisset, nunc ingressus cum potẽtia aliis opem ferre, nisi sceleratissimus videri vellet, & à bonis cadere, coactus est. Ferdinandus intelligens ex vna re tria sibi commoda fore, quod partes suæ roborarentur, quod competitorum qui validissimi erant, alter debilitaretur, alter hostes supra caput acerrimos habiturus esset, non grauate auxilia misit. Periit autem archiepiscopus anno circumacto, ab obitu regis eodem mense. Cuius morte solutum concilium est Calatauibii, & postmodum conuentus prouinciales agi incepti, ab Aragonensibus in Alcamitio, à Valentinis in Tragera, à Catalanis Dertusæ, quod hæc oppida finitima sunt aliis duabus prouinciis. Quo difficilius fuit, inter distractos conuentus, maturè deliberari, cum præsertim quotidie maiora conferentur in Aragonia certamina, gubernatore volente prouinciã in officio tenere ac quiete, Comite, accersitis è Vasconia & trans montes copiis, annitente reliquias aduersæ factionis euertere, & suam rebus gerendis præficere. Tandem post aliquot menses, per conuentus vniuersos, hoc est, per terna brachia, Valentiæ & Cataloniæ, ecclesiastica, patritia, plebeia, vltra quatuor illa Aragoniæ quæ diximus, locus delectus est in Aragonia, oppidum Capsa, mandatumque gubernatori vt dispositis præsidiis armatorum, curaret nequid respublica detrimenti caperet, quoad interregnum duraret. Ibi cum alia multa, tum vero de iudicibus deligendis tractabatur. Interea Comes non eadem qua in Aragonia, sed non multum dissimili iniustitiã, par propemodum sui fauoris ac partium naufragium fecit, Valentiæ primum abalienatis à se Centelliis, deinde suæ factionis propugnatoribus Villaragutis profligatis. Materies calamitatis hinc ortum accepit. Ioannes Balliera præses quem & ipsum gubernatorem vocant, ita infesto ferebatur animo pro Villaragutis contra Centellias, vt non gubernatoris sed carnificis munus se crederet accepisse, nullum opportunius vel vltioni vel iniuriæ tempus ratus quam illud interregni demens atque insipiens, qui non intelligeret neminem vehementius delinquere magistratum, quam qui personam præsidis gerit, & quod multo magis est, etiam regis qui vita excessit: tunc etiam præses nulla ex parte suus, sed totus ciuium, totus reip. est, & quasi canis in ouili sine custode, cum magis vigilandum latrandumq; pro grege est. At iste insito partium odio pro cane lupus effectus, aut peior lupo canis, absente pastore partem gregis, qui colorem etsi Centellianum habebat, non tantum fugabat, sed trucidabat quoque, ad quadraginta numero, & eo amplius. constat honestos homines per fas perq; nefas, vel suspendisse, vel securi percussisse. Adhæc vicos oppidaq; Centelliarum, asperitate iudiciorum exhaurienda curauerat. Hæc cum ad Comitem deferret Bernardus Centellia, qui princeps familiæ erat, quotidieq; comploraret: ille negligentius lentiusque ferre videbatur, nec curare, etsi videri volebat iniuriam propulsandam, videlicet quod vereretur præsidem cui addicta plebs erat, offendere: atq; eo remissius agebat, quod Villaraguti Lunis, & Centelliæ Vrreis in Aragonia responderet. Sic expressa necessitas Centelliis, ab eodem implorare auxiliũ, à quo implorasse atque impetrasse Vrreas videbant: eo facilius quod regina Margarita, conciliatrix fauoris, aliena à Comite erat, vel ob contumeliam acceptam, vel ob suspicionem regis extincti. Simulque indignum ducebant, cum de iure competitorum ambiguum esset, Comiti contra alios adesse. Missis itaque ad Ferdinandum, item ad Vrreas nuntiis qui auxilia implorent, Gilbertus Centellia Bernardi frater, cum bene magna clientum manu in agrum Valentinum incursionem facit, & ad sex millium capitum promiscui pecoris, quæ erant Ioannis Villaraguti subgubernatoris, abigit, dicens illum per corruptelam iudiciorum, cum ex aliis, tum vero ex Centellianis vicis, eum pecorum quæstum fecisse. Ad hunc coercendum Valentini magistratus tum publico tum priuato nomine equitatum, quo ipsi non multo vtebantur, à Comite accersunt. Ille confestim quadringentos equites Vasconum mittit, Raimundo Pereliofo præfecto, inter primos Catalanorum procerum, forti ac strenuo. Sed ii fere sub idem tempus applicuerunt ad oppidum, cui nomen est Castellioni, ad flumen Borrianam, quo Ioannes Ferrandis applicuit, cum septingentis equitibus Saguntum, quod nunc vocant Murum veterem, quam vrbem Centelliæ suæ factionis studiosam tenebant, pene mediam inter Castellionem atque Valentiam, hinc quatuor, illinc sex leugis distantem, atq; vtrinque transitu prohibentem. Nam à dextro latere perpetui montes ad mediterraneam Hispaniã porrecti, nisi plurium dierum circuitu Valentiam ire vetant: à sinistro oppidum Puteoli, & alia loca natura atq; opere munita, facile transitũ intersepiunt. Adhæc inter Saguntum Valentiamq; interiectæ paludes, vtiq; hybernis auctibus laxiores, vt tum erant: vix tamen intercapedinem litoris ad transitum relinquebant. Quas angustias maris ac paludis obsidere aduersus Valentinos transituros, vt colligi coniectura poterat, constituerant. Horum vtrorumque aduentu percepto, præses Valentinus fremere ac furere, quod auxilia hostibus venissent, sua

peruenire non possent, & quod inimicis non modo impune esset læsisse, sed etiam ad vl teriorem iniuriam animus facultasque accessisset, & quod gubernator Aragoniæ in alie nam prouinciam aduersus alterum gubernatorem per contemptum arma misisset. Tot i gitur irritatis causis, iubet in posterum diem omnes qui per ætatem valetudinemq; pos sent, qui arma haberent, præsto sibi essent in foro armati: vt primum socios ad Castellio nem reciperent: deinde vicos ac prædia Centelliarum atq; sociorum igne ferroq; vasta rent. Eadem nocte ad Ioannem Ferrandis atq; Castellanos qui cum eo erant equites, cita tissimo cursu superuenit Comes Castri cum cohorte fortissimorũ iuuenum à Ferdinan do missus, ne quid factio atq; arma Comitis Vrgellensis in Valentiæ finibus perturbarẽt. Vbi illuxit, populus Valentinus sub armis, ad duodeuiginti millia peditum ac ducentos equites, ad locum pręsto fuit, maxima ex parte inuitus, quod & bellum ciuile detestaretur, & quod Centellianæ factionis plæriq; studiosi essent, quos præses præcipue arma sumere imperauerat, tum vt experiretur quam obedienter imperata facerent, animaduersurus in contumaces (nam capitale edixerat, si quis eorum non adesset) tum ne vrbem diuersæ factionis hominibus relinqueret, si tantum suos eduxisset. Hæc est conditio tyrannorũ, aut tyrannis similium, vt suis ciuibus nec absentibus nec præsentibus satis confidant, etsi confidere necesse habent: ideoque plærumq; cum res in periculum vocatur, ab alterutris cladem accipiunt, vt nunc videmus contigisse. Nam cum iis copiis gubernator sub signis vbi ad angustias venit, videt procul instructos ex aduerso hostes, magis illos quidem ad intercludendum iter paratos, quam inuadendum. Erant enim pauci, ac pene nulli ad tantam multitudinem, sed spes seditionis hostilis, & fiducia equitatus, & victoriæ pretium excitabat animos. Bernardus, iussis subsistere suis, progressus in medium, iubet aliquos è diuerso in colloquium mitti. His missis. ait: Nihil minus se cupere, quam aduersus patriã bellum gerere. Ideo nulla dum arma intulisse, vltum priuatas iniurias esse, etsi nõ satis pro indignitate vltum, vlturumq; si inimici iniurias facere pergant, cohibere vim, non afferre, velle rogare illos, vt à lædendo temperent, satis habentes quod ciuitatem arbitrio suo moderentur, parumper expectent dum rex declaretur. nolit esse ciuilis belli causa, in quo vtrauis pars vincat, vtrisque si patriam amant, esse doliturum, se agnoscere ciues suos, amicos, propinquos. Deniq; cogitaret præses non tam hostili animo omnes qui secum essent, pugnaturos contra nomen Centellianum quam Castellanos, atq; Aragonenses contra Bellerianum, se quidem cum paucis domesticis esse, & sociis qui plures sunt ac pugnacissimi, vt è cæde reuocare non possit: illum vero cum multis etiam inuitis, quibus bello commisso, vt pugnent, imperare nequeat. Hæc vbi magistratus audiere, signum timoris interpretati sunt, ob idque ferociores effecti, non pactionibus agendum esse respondent, aduersus exules & patriæ proditores, sed gladiis. Se regem esse, quoad regni controuersia est, proinde aut se permittãt ei qui pro rege est, aut pugnam capessant. Ille tum magna voce exclamat, ne interpretarentur se diffidentia virium illa loqui, sed patriæ charitate, prouiderent prius quam gladii stringerentur, ne tristem eum diem & infaustum patriæ redderent. Et cum nonnulli à magistratu iussi obstreperẽt ac conuiciarentur, tamquam tempus terenti: Deum (inquit) qui ex alto intuetur, testor, & vos homines qui adestis, & te tabellio, vt mihi publicus testis sis, inuitum me ac coactum ad pugnandum descẽdere cum ciuibus meis. Vos tamen amici, quos istic mihi plurimos esse scio, quæso ne committatis, vt amici vestri aut vos feriant, aut feriantur à vobis. Sunt qui opinentur illum dolo ad colloquium venisse, vt sereret inter hostes discordiam, plurimiq; à pugna se vel abstinerent, vel subducerent, prout factum est, sed ipsorum malo. Ego sicut doli incertus sum, ita illud certum habeo sacerdotum testimonio, Bernardum maluisse & amicis consultum esse, & patriæ, quam dimicatum. Post hæc verba ad suos regressus, renuntiat quid vltro citroque dictum sit. Socii concepta ira atque spe venientibus occurrunt, & qua in parte volitare præsidem cernunt, cum robore equitum impressionem faciunt. Locus angustus pauciores adiuuat, aliquandiu acerrime, & præcipue inter equites dimicatur. Ibi duo ex primoribus Castellanorum equitum cadunt cum aliquot sociorum, sed eo acrius cæteri ingerunt, & præsidem ob regalia vestis insignia conspicuum circumsistunt, atque obtruncant, plurimosque comitum adiiciunt, cæteri in fugam vertuntur: pedites quoque qui circa ducem pugnabant, quia hostem à tergo adoriri non poterant, & ab alia equitũ manu confertisq; peditibus distinebantur, aliquantũ sustinuere certamen, sed minus acri animo, quod multos sociorum non periculo, sed spectaculo adesse cernebant, quasi pugnandi eis propter angustias copia nõ esset. At vbi ducem cum multis obtruncatum, cæterosque equites fugientes cognouerunt, & ipsi in fugam vertuntur, miscenturque cum aliis qui manus non conseruerant. Sed Castellani qui Centellianos & Villaragutos non

inter-

interhoscerent, vt in quemque incidebant, promiscue sine discrimine feriebant. Illi qui cum sociis stante acie ferrum non strinxerant, non profligatis sociis stringere cogebantur. Sed quis aut vincentium ferociam, aut fugientium ignauiam, reprimere potest? Cadunt igitur Valentini ex omni genere ac sternuntur, versisque in fugam omnibus terga cæduntur, nec fuga eis saluti erat, cum equitatum hærentem tergis euitare non possent. Videres itaque hos in altum mare, illos in limosam paludem, velut in castra penetrantes, & dum tutiora ab accessu equorum petunt, in voragines ac depressa labentes, nec fere præ armorum pondere emergentes. noua vbique facies, insolitus tumultus ac clamor. eodem tempore terrestre prælium tam angusto in loco gerebatur, ac cædes fiebat, mari palude, ac interiecta inter hæc terra, tribus diuersis locis continenter cruore imbutis. Nec omnes gladio mors absumebat, sed etiam aqua multos, & vtroque genere. Quod nisi Bernardus & Ferrandis intercessissent, hinc ferrum suorum compescentes, hinc Valentinis iter fugamque patefacientes ac præeuntes, insignis inter paucas calamitas eo die Valentinis accepta esset. Perierunt tamen ex iis illo prælio, & postea ex vulneribus ad quatuor millia virorum. Cæteri quos neque mare, neque palus, neque gladius hausit, fuga se in vrbem receperunt, & ni duo ii quos dixi obstitissent, veriti vrbem direptum iri, victores cum victis in portas irrupissent, & quod incredibile videatur, tanta ciuitas ac tam frequens à tantulis copiis direpta fuisset atque euersa: eoque missis in vrbem Bernardus aliquot ex suo numero principibus amicorum, ipse Saguntum se recepit, cum paucis captiuis aduersæ factionis. Cæterum neque hanc humanitatem in ciues suos, neque superiorem pugnæ deprecationem, tantæ laudi tribuo Bernardo, quanto dedecori illam immanitatem atque sæuitiam, quod reuertens iussit amputari caput præsidis, ac præfixum hastæ tradi filio puero quem ceperat, in vrbem vsque gestandum, vt in altissim postmodum trabe suffixum pro trophæo statueret. Neque enim sic crudelitas inimic vlciscenda est, vt crudelior ipse iudiceris. Adeo minus immane facturum fuerat filium super paternum cruorem iugulasse, quam religiosum illud patris ac filii pignus polluisse, ac ludibrio habuisse. In sequentibus diebus à populo Valentino acciti Centelliæ, magistratus ex corpore suo creant, remque publicam ad se omnem transferunt: mox Castellanos accersunt, ire ad ciuitatem vt suspicabantur iratam formidantes. Sed ii ciues necesse habebant aliis veniam dare, qui sibi ipsis ab eisdem victoribus veniam precarentur. Raimundus audita pugna fertur dixisse, se agnoscere fortunam Comitis, cuius ducum alterius tardum ac timidum consilium in Aragonia fuisset, alterius repentinum ac præferox Valentiæ. Nam si diem horamque certaminis cum Raimundo præses communicasset, in eam cladem ventum non esset. Sed videlicet nimia fiducia, quæ frequenter potentiores partes euertit, præsidem in ruinam impulit, & priuatam & publicam. Itaque Raimundus vnum præsidem incusans ac detestans, infecto negotio rediit. Porro victoria hæc longe plurimum, non dico momenti, sed autoritatis contulit causæ Ferdinandi, coegitque iudicia maturari, antequam omni ex parte intestinis bellis prouinciæ vexarentur. Delecti itaque sunt nouem iudices, ex singulis prouinciis terni. Imparem enim numerum ad finiendas vel lites, vel consultationes, Hispani multo commodiorem existimant: & id temporis non poterat sententia pro aliquo competitorum ferri, nisi à sesquialtera parte iudicum, immo singularum prouinciarum: quippe cum necesse esset, duos ex singulis prouinciis iudices conuenire. Prouincias appello parum proprie, quæ sunt tantum gentes à populo Romano victæ, sed ego vsitatum vulgo morem sequor, quia tria regna, vt mallem, dicere non possum propter Cataloniam, quæ regnum non est, par tamen duobus regnis. Non ab re fuerit, & nomina iudicum & qualitates referre, vt posteritas sciat, quos viros tantæ rei præficiendos ex suo quoque corpore consilia tanta existimauerint. Ex Aragonia quidem delecti sunt, Dominicus Ramus episcopus Oscensis, quem postea Ilerdensem, ad extremum archiepiscopum Terraconensem, eundemque cardinalem scimus nuper diem suum obiisse, post omnes collegas illius iudicii, in quo ipse sedebat primus: de cuius scientia, vita, autoritate dicere, parum attinet, cum iudicia hominum, hoc est, honores habiti, testimonium dicant. Franciscus Aranda, vestitu ac barba horridiore, quod videlicet renuntiasset rebus humanis, aloqui ita accommodatus ad domos principum quibus diu præfuerat, moderandas, vt nusquam non & in consultandis, & in administrandis rebus ac maturandis, primas obtinuerit partes, idque sola naturæ bonitate atque ingenii dotibus, citra vllam scientiam, ac citra vllas propemodum literas, vt appareat ex homine natiuis bonis excellenti formari potius præcepta sapientiæ, quam ex præceptis sapientiæ formari hominem excellentem. In quo illud præcipue admirabantur, cum quasi pater esset,

vt quaſi tutor potentiſſimi cuiuſque,tam modico exiguoque contentus foret : ideoque libertatis miræ,ac nemini obnoxius erat. Berengarius Bardeſſinus,quo neminem neque illius neque huius temporis iuriſconſultum in Hiſpania ſenes meminerunt maioris autoritatis fuiſſe,& perinde ad tantas opes perueniſſe. Ex Valentia , Ferrarius dominus Cartuſiæ,non tam ſcientia (erat enim in iure ciuili perdoctus) quam conſcientia optima, prudentiaque,ac grauitate ſingulari inſignis. Vincentius Ferrarius eius frater , ordinis prædicatorum,cuius admirabilis in concionando laus ad exteras vſque nationes eſt peruagata, princeps haud dubie ſui temporis oratorum duntaxat illiterate loquentium,& ſi vera memorantur,miraculis clarus,& ante & poſt obitam mortem. Petrus Bernardus, iuris ita peritus,vt Valentiæ nemini poſtferretur,vita quoque caſta & integra. Ex Catalonia,Franciſcus Sagarriga Terraconenſis archiepiſcopus , cum doctus ſane in ciuili ac pontificio iure,tum vero ita facundus,vt ei primæ partes in eloquentia tribuerentur , & qui non minora ornamenta naturæ ad facunde pronuntiandum:quam epiſcopus Conſerranenſis cum in contentionem veniſſent,iudicatus eſt habere. Bernardus Vallis ſiccæ,quem non tanti faciebant , quod in iure ciuili nulli ſuorum foret ſecundus , & in dicendo ſane admodum valeret,quanti quod plæraſque cauſas gratis defenſitabat :neque ex patrociniis potentiorum fauores,neque ex humiliorum gloriam captabat. Guilielmus Gnaſpes vir,vt in Hiſpania literis ſatis eruditus ac cultus,atque ex omni Barcellona, cum prudentiſſimus tum ſinceriſſimus iudicatus. Hi iudices quo primo die ingreſſuri iudicium erant, corpus domini inſpectante populo communiter acceperunt. Deinde continuos triginta dies , præter feriatos, partium aduocatos audierunt,quoties & quandiu cuique libuit dicere. Libellos,diſputationes,cæteraque in ſcriptis probationum genera ſeorſum ſingula accipiebant. Reliquam diei partem in conſultando ſoli conſumebant. Poſtea vero quam nihil cuiquam libitum eſt verborum ac ſcriptorum proferre, concluſi ſunt in oppidi arce , hac lege vt illinc prodire fas non eſſet , niſi rege declarato. Qui ſermones ab iis inter ſe habiti, vel ante quam includerentur, vel vbi incluſi ſunt, an multum an parum,nihil ne dubitatum diſſenſumque ſit,incompertum mihi eſt: quia nec aliquis deprehendit , & ipſi nihil interceſſiſſe diſſenſionis ſignificauerunt , ſiue quod ita fuerit , ſiue quod ſuæ grauitatis cenſuerint eſſe conſiliorum arcana reticere , ſiue quod morem Hiſpanum cuſtodierint , quo nefas habetur , poſt euictam à ſenatu ſententiam mentionem de his facere qui ab ea ſententia quæ ſuperata eſt,ſteterint , & nihilo minus parui intereſt ſcire quid intus quæſitum ſit,cum ſciamus quid propalam declaratum eſt. Octauo die quam ſe concluſerāt,qui fuit profeſtus diei qui celebratur in honorem principis apoſtolorum menſe Iunio,conuocatis partibus ad ſententiam audiendam , iudices in loco edito ante valuas templi conſederunt. Gradus autem templi qui multi ſunt,& ſtatim plateam ac tecta omnia, vnde proſpici iudicium poterat, omnis ætas ſexuſque repleuerat,clauſiſque portis armati muros ac vicos,nequid turbæ fieret,tuebantur. Tum Vincentius à cœtu collegarum ſurrexit,ſuggeſtumque pro gradibus poſitum , & ad populos obuerſum conſcendit,atque oratiunculam habuit quā dignitatem quandam ſententiæ compararet, tum inſtrumentum in quo ſcripta erat ſententia,capit aperitque. Pendebant ab vno omnium ora,menteſque inter ſpem metumque ſolicitæ. Non ſic ad exſpectationem pugnæ ſuſpenſi ſunt animi eorum qui de turribus domibuſque populares ſuos cum hoſtibus decertantes proſpectant. Nunquam poſt hominum memoriam tanta cauſa in iudiciis verſata fuerat. Nemo non illuc ſuos affectus tulerat,nihil ſane quiſquam ſuſpicabatur,nihil de futuro diuinare poterat,omnia proſpera cupiditas, omnia improſpera timor ſubiiciebat. Ipſe quoque pronuntiator cum partem primam ſententiæ recitaſſet, & ad nomen regis aduentaret , ſubinde magis expectationem hominum ſuſpendebat, interloquens : Ecquem putatis iam Regem veſtrum eſſe ? quo maxime gaudebitis, qui maxime optandus eſt. Et cum aliquoties interfatus ardentem attentionem magis incendiſſet: Infantem Caſtellæ Ferdinandum recitauit Regem declaratum. Ad quod nomen tantus exultantis turbæ clamor excitatus eſt , plæriſque aſſurgentibus ac diſcurſantibus, vt reliqua recitationis pars non fuerit exaudita, præſertim militaribus vndique vocibus tubiſque ac cornibus,præterea bombardis obſtrepentibus. Dicta ſententia, ad tres conuentus nuntii cum literis quæ rem docerent,miſſi ſunt,ad Calatauibium, ad Tregeriam, Dertuſamque. Qui ſimul vbi re cognouerunt Ferdinandum eſſe Regem , Accipe dixerunt,literaſque paſſim per vrbes dimiſere,legatoſque ad excipiendum Regem è Caſtella Aragoniam ingreſſurum delegere. Poſtridie quam Rex declaratus eſt , cum audiret Vincentius,ad eumque referrentur voces nonnullorum cauſantium , non indigenam Regem, qualis Comes Vrgelli futurus erat,ſed alienigenam factum, eodem in loco oratio-

tionem habuit, dicens: vbi de iure successionis quæsitum sit, ibi non esse causam, cur de persona mentio haberetur. Nam Comes Vrgelli cuius vicem nonnulli dolerent, tantum abesse vt comparandus fuerit cum Ferdinando, vt iureiurando interposito & teste conscientia collegarum iudicatus sit à duce Gandiæ in succedendo superari. Quod autem ad personam pertinet, esse Ferdinandũ matre Catalanum, Comitem Vrgelli Lombardum, illum patre Rege ex eadem natione, qua Reges Aragoniæ, dignitate vultus ac corporis tanta, vt sit nulli secundus, & quasi ad regnandum natus. Animo autem ac virtute, siue inter suos, siue inter hostes, vt si morem prudentium quorundam populorum sequi liceret, non minus eligendus ad regnum fuerit, quam per iudicium successionis declarandus, quæ laus nequaquam vlla ex parte in Comite agnosceretur. Quare non modo æquo sed etiam libenti animo, Regem sibi diuinitus datum expectarent atque exciperent. Et alia in hanc sententiam plura, quæ tamen insitos atque impressos diu affectus, & ab iis natam opinionem non potuerunt omnino excutere. Per vniuersas tamen vrbes tam libentibus auribus nuntius declarati Regis exceptus est, vt omnes fere sibi hunc inter competitores Regem optatum speratumque fuisse videri vellent. Valentiæ quoque vix bene obductis cicatricibus, vniuersi clausis tabernis officinisque lætitiam tot diebus celebrarunt, vt iubendi fuerint per magistratum, omissis feriis ad opera reuerti. Ferdinãdus primum per publicas literas certior factus se Regem declaratum, deinde legatos ad excipiendum ingredientem regnum suum delectos, & ad se iter habentes Aragoniam versus contendit. Cumque ad fines regni aduentaret, legati Aragoniæ Valentiæque introgressi nonnihil Castellam obuiam Regi, ex equis delapsi sunt ac manum deosculati: Cataloniæ vero intra fines substiterunt, neque ingrediente Aragoniam Rege ex equis descenderunt, quorum ego neutros neque reprehendere, neque alteris præponere ausim. Nam priores illi officiosum existimarunt non excipere Regem suum, velut ex limine domus, sed prodire in viam, & obuiam progressos introducere, habito maiore honore, quam qui paribus haberi solet. Pares enim ex equis sibi dextras porrigunt. Posteriores vero magis consentaneum putarunt, non egredi in alienum, sed ex solo patrio Regem in possessionem regni admittere, neque descendere ab equis nouo exemplo, quod superioribus regibus sciebant non fuisse factitatum. Sunt enim varii mores hominum variæque sententiæ, suis quæque defensoribus tutæ atque honestæ. Rex tamen horum nulli manum porrexit, sub humero sinistro admouit, præterquam Francisco Clementi episcopo Barcellonensi, qui fuerat patriarcha Hierosolymitanus, quem quia nouerat suæ partis cupidissimum fuisse, suauiatus est. Atque ita communiter legati cum ingenti ex omnibus regnis manu procerum Calatauibium, mox Cæsaraugustam deduxerunt. Vbi non multos dies est commoratus, dum pacificaret interposita sua autoritate dissidentes, neque regis existimauit munus esse, meminisse iniuriarum quas priuatus accepisset, & odiorum quæ aduersus se nonnulli gessissent. Nam qui priuato hostes extitissent, postea regi non hostes sed clientes esse, & quibus prius ipse infensus fuisset, post regium nomen, patronum, tutorem, patrem esse debere, nec præterita sed sequentia delicta cognoscere. His in concordiam reuocatis, idem de Valentinis qui ibidem aderant, etsi nonnulli saluum sibi ius esse quo semper illa natio vsa est, inter se belligerandi postulabant, effecit. Nemo enim gerere inimicitias æquum sibi censebat, cum videret regem suas deposuisse, & in neutros se propensiorem ostendere, paratum & passos & inferentes iniuriam vlcisci. Est quidem hic apud illius gentis proceres mos, siue æqua siue iniqua ratione introductus, impune inter se certamina conserendi, quo pugnaciores reddantur, si belli terror à duobus potentissimis regibus ingruat, vtrunque latus prementibus Franciæ, atque Castellæ. Sed regiæ potestatis fulgor quoties audet, ac iusta causa subest, gliscentia hæc simultatum certamina quasi nubila repellit & discutit. Forte iis diebus dum hæc geruntur, Alfonsus Regis primigenius, vix adolescentiam ingressus, cum isset venatum, nactus est eximia magnitudine aprum, quem, vt velocissimo equo vehebatur, præcipue vrgebat, cupiens aut solus occidere, aut primus ferire. nec procul aberat Iberus longe maximum Hispaniæ flumen, Cæsaraugustæ muros præterfluens. Huc aper seu casu, seu vti in locum iam sibi antea notum, cursum intendit, perque ripas atque inuia se demittens, aquas ingreditur. Alfonsus à tergo instans, ac iamiam feriens, eadem ripa & semita consequitur, ac ne tam insignem prædam, hoc est tam insignem cum laude victoriam, quam in manibus habebat, amitteret, & ipse adacto equo flumen intrat, immemor quantum periculi adiret, natantemque feram natanti equo infesta vrget hasta, quasi illam posset in tam rapido fluuio capere. Hoc spectaculo Bernardus Centellia (eius curæ commissus adolescentulus erat) exanimatus, reuocare pergentem clamoribus

cum non poſſet, ipſe quoque cum aliis nonnullis aquas ineunt, magis verentes infamiam destituti filii regis, quam vitæ periculum. Ille inter natandum quoa[illegible], ferire conatus, in vlteriorem ripam euaſit, atque illinc aliquandiu perſecutus, ſtrenue occidit, & maximi apri, & maximi fluminis victor. Rex vbi reſciuit, inter cogitationem periculi, & admirationem facti, nec indignationem nec lætitiam oſtendit, nolens neque ſtrenuitatem reprehendere, neque audaciam nimiam adiuuare. Hac ex indole Alfonſus futuræ magnanimitatis ſpecimen dedit, ſicut patientiæ ac manſuetudinis ex eo quod egit poſt ea diebus. Conceſſerat rex venatum, non tam ex more, quam vt Petrum ex filiis minimum circiter nouem annos natum, venationibus, vt ſic dicam, initiaret. Atque vbi bona diei parte, & ſuos & filiorum oculos animoſque multifaria venatione pauit, iuſſit filium ad tenerum adhuc aprum, canis morſu retentum, ſauciumque accedere, atque illum haſta ex equo ferire, vt tanquam præda à ſe capta lætus vigorem animo præſumeret. Cum in hoc occupatus eſt puer, & multi cum riſu hilaritateque exhortantes, vt fit, circumfunduntur, & vt ſpectaculo interſint immiſcentur, indigniſſima res contigit. Equus cui inſidebat Bernardus Centellia, Alfonſo, vt diximus, datus cuſtos, tanquam Achilli Phœnix, calcem magna vi incuſſit adoleſcenti in exteriori parte genu ſiniſtri. neſciebat ille calcitroſum eſſe equum, quippe quem commodato forte eo die accepiſſet. Ad eum ictum Alfonſus non exclamans, neque ingemiſcens (pudebat enim à dolore vinci) tantum ad plagam appoſuit manum, & repreſſo gemitu, diſſimulare magnitudinem mali conabatur: ſed pallor inſecutus & rigor, & quod iamiam collapſurus videbatur, dolorem ingentem periculoſamque plagam indicabant. Tum inter amplexus multorum qui accurrerant, ex equo humi depoſitus cum eſſet, pro loci opportunitate vulnus obligabatur, multiſque in extremo adoleſcentulum eſſe muſſitantibus, aliis circumfrementibus, aliis nuntiatum regi qui nonnihil aberat, euntibus: fuerunt qui Bernardo ſuaderent vt fugam capeſſeret, ne aduenientis iram Regis opperiretur: ſolus frater ne faceret, diſſuaſit. Fore enim vt velut noxium ac ſceleris conſcium, multi ſequerentur etiam Regis iniuſſu. Nam quiſquis fugit, alios quodammodo inuitat ad inſequendum, à quibus vel retrahendus eſſet cum dedecore, vel puniendus in fuga, ob facti vltionem. Siquidem impune eſt peccaſſe iis, qui vt Regi gratificarentur, alios offenderunt. Rex audita re cum attonitus accurriſſet, fremenſque diceret, Vbi eſt qui primigenium meum mihi peremit? ille reluctans dolori, vultu ac voce erectiore quam pro viribus, Nihil eſt, inquit, periculi pater, nihil mali erit, ſolent huiuſmodi contingere, equus me non homo percuſſit. Hæc verba velut pro amico timentis, extenuarunt & apud patrem & apud cæteros culpæ atrocitatem. Quanta autem hæc fuerit animi præſtantia fortitudoque declarat quod aliquot diebus per extremos dolores ſine vlla recreatione iactatus eſt, deſperantibus iam medicis quin plagam ſacer ignis corriperet, niſi ſuperueniſſet chirurgicus quidam Ferdinandus Alfonſi, vir dignus, vel hac vna curatione, qui literis memoriæque mandetur. Recepta ſalubritate filii, Rex Dertuſa, vbi ſe tenebat papa, deinde Ilerda ſtudiorum nutricula, Barcellonam peruenit, ibique concilium generale prouinciæ Catalonię indicit. Necdum ſe Regem Siciliæ appellari volebat, priuſquam illius poſſeſſionem recepiſſet. affectabat enim regnum Bernardus Caprera, nomen ac ſpiritus aui referens, qui ornatiſſimam Genuenſium claſſem bello vicit & cepit. Huic quidem ſpem faciebat, quod per mortem Martini Aragonia inteſtinis bellis laborabat, quod in Sicilia neminem neque potentiæ, neque factionis, neque autoritatis maioris ſciebat, adhæc quod erat prætor inſulæ, quem magiſtratum iuſtitiarum vocant. Nam Blancam Regis Nauarrenſis filiam, quæ fuerat vxor Regis Martini filii, vt fœminam contemnebat, eamque vt ſpoliaret ac ſe augeret, autoritate priua tam videri volebat. quod defuncto Rege cuius partibus fungebatur, exauctorata eſſet. Se autem cum antea, tum vero nunc eſſe ſummum magiſtratum, & ad quē ſpectet mode rari prouinciam. Neque vero ob id modo aduerſabatur reginæ, vt primus ipſe ac ſolus magiſtratus eſſet, quo facilius regnum occuparet, ſed vt illam quoque in matrimonium acciperet, quo maiorem ſibi autoritatem compararet, ad regium nomen aſſumendum. Faciebat præterea ſpem vicinitas Ladislai, autoritaſque alterius ſummi pontificis, ſi plures eodem tempore poſſunt ſummi pontifices eſſe. Nam tunc de pontificatu contendebant, Benedictus, Gregorius, Ioannes. Colorem autem iuris præbebat, quod defuncta ſine liberis Maria Siciliæ regina, regnum ad Martinum eius virum non poterat peruenire, nec deinde ad Martinum patrem, eoque illum Regem eſſe debere quem ſibi Siculi ipſi delegiſſent. Cogitabat & aliam apud ſe ipſum cauſam, quod ſi Blancam in matrimonium accepiſſet, vendicaret ſibi ob hoc quoque regnum, quod Blanca Mariæ, vt propinquæ ſuccederet. Siquidem Maria proneptis fuerat Regis Nauarræ ex filia, quæ

fuit

fuit prima vxor Regis Petri, vnde vxor Regis Fœderici mater eius genita erat. Ex quo intelligi licet, quod præpostere Bernardus ageret, veluti alienam à regno Siciliæ Blancam insequebatur, cuius hæreditario iure regnum sibi destinabat asserere. Hac cogitatione qua fallere alios volebat, vt mea fert opinio, tam callidus, tam vafer vir non fallebatur. Neque enim eum fugiebat, multo proximiorem Mariæ fuisse Martinum patrem, vtpote auunculum, vti modo ostendi, pariter & consobrinum, cuius mater, soror Fœderici Regis fuisset, vtroque ex parente. Quod ius propinquitatis erat in Helianora regina Castellæ, cuius filius Ferdinandus eodem gradu propinquitatis contingebat hanc, quo Martinus, qui fuit vir suus vere Rex Siciliæ non modo viua vxore, sed etiam mortua, cum præsertim Siculi Regem, & ante mortem vxoris, & ea mortua agnouissent. Sed Bernardo si regno reginaque vxore potitus esset, quantulumcunque ius satis sibi fore videbatur. Hoc in loco mihi consideranti Mariam quæ patri in regno successit, Martinum vel alterum, vel vtrunque, qui in ius fœminæ successor fuit, Bernardum qui tenui hæreditarii regni apud fœminam filo, velut anchora nauem spei suæ firmabat: subit admiratio de Aragonensibus, qui nolebant propinquos Regis ex fœmina in suo regno succedere, cum velint suos hoc eodem iure succedere in alieno. Itaque sic, ne alia repetantur, Ferdinandus in regno Aragoniæ potuit succedere, quo modo Martinus in Siculo. In hoc, sicut dixi, Bernardus non fallebatur, fallebatur in eo quod multo maioris haberi debet & erroris & detrimenti. Erat ei in optatis eximia singularisque Reginæ pulchritudo, & in tam dubiis rebus atque arduis amare vacabat, aut vacare videbatur: cum potius optandum foret, illam minus speciosam esse, hoc est minus superbam ac fastidiosam, vtique viro nec iuueni nec formoso. Ea propter si propalam in matrimonium peteret, extimescebat ne respueretur, neue factum suum non satis idoneo colore tegere posset: quippe qui credi volebat, velle insulam in officio tenere, donec in Aragonia inter regnum. Constituit itaque dolo atque insidiis rem tractare, si id parum procederet, blanditiis ac promissis, ad extremum adhibere terrorem atque vim. Tenebat se per id tempus Regina in vrbe Catina, vbi arx inter primas tuta, & mari vicina est, sed diuersabatur fere in propinquo monasterio cum sanctimonialibus, quod nullarum esset quam illarum consuetudo, vel aptior viduæ fœminæ, vel ad famam honestior. Hoc in loco Bernardus eam comprehendere cum parasset, illa seu admonita a suspicantibus, seu certior facta à scientibus, in arcem furtim concessit. Qua de re Bernardus maiorem in modum dolens, non modo quod deceptus spe foret, verumetiam quod vehementi conflagraret inuidia, qui dolo in Reginam vteretur: misit ad eam qui de colloquio agerent. cupere enim se purgare inuidiam & suspicionem ab illius animo adimere. Nec abnuit Regina. Verum quia parum fidei vterque alteri haberet conuentum est, vt illa de puppi triremis, hic de ponte, quo littori nauis iungitur, sermonem faceret. Ille post multa verba quæ ad purgationem facti attinebant, dicitur intulisse coniugii mentionem, & ad ea turbato vultu Regina subiecisse, Hui senex scabide, nec plura his, auertensque se iussisse Raimundum Torres (is erat dominus triremis, solusque aderat) retraheret longius à terra triremim. Is protinus imperans remigibus in altum referre nauim coegit Capreram conantem excusare præsentem orationem, cum præterita facta male purgasset, propere desilire de ponte, ne in mare cum ipso ponte decideret. Hic vero pernegabat postea se de coniugio appellasse Reginam, ideoque nec eam fastidiose respondisse: sed hanc sibi contumeliam ab inimico impositam, qui magis vt incommodaret ei quem oderat, illic triremim habuisset, quam vt Reginæ gratificaretur. Quæ dicenti non defuissent, qui crederent, etsi sciebant nauem adhuc stante eo in ponte reductam fuisse, nisi quæ insecuta sunt indicassent, non modo affectasse vxorem, quo facilius honestiusque regno potiretur, sed etiam corpus adamasse. Erat enim vir alioqui in primis mulierosus, vt nescires Martem ne magis an Venerem coleret. Lapsus hac iterum spe, & per contumeliam elusus abiit indignans ac minabundus, se monstraturum illi quã inconsulte ageret, quæ recusaret cum summo magistratu consilia in publicam salutem agitare, potiusque cum aliis priuatis hominibus consultaret, & seorsum haberet conciliabula, cum iam priuata esset. Itaque comparatis copiis, partim vi, partim minis, partim auctoritate ciuitates plurimas ab illius ditione ad suam transfert. Idem propediẽ facturus de Syracusis videbatur. Quã vrbem nõ vt regiã, sed vt peculiarẽ, traditamq; sibi pro vitæ dignitate, Regina cordi habẽs magisq; quã cæteras amittere verita, illuc se cõfert, accersitq; Sanciũ Doris Egidii, de quo supra diximus, filiũ præfectumq; classiariũ, quẽ vulgo Almiracũ vocant, quod sciebat simultates gerere cum Bernardo Caprera, vt rationem iniret, qua tam violẽto viro queat obsistere. Is cum ad eã vna cum subpræfecto in arcẽ venisset,

Bernardus ſe ratus,vt dicebat,matrem cum pullis vna capturum eſſe, eodem accurrit cum ſeptingentis equitibus,ac mille peditibus, arcemque prætergreſſus vrbem inuadit, ac nemine repugnante,tum propter metum,tum propter gratiam ac factionem recipit: comitibus Sancii qua potuerunt fuga elapſis, quos Sancius in arcem admittere noluit, quod re cibaria admodum tenui vtebantur. Vix recepta vrbe, Bernardus arcem obſidere atque oppugnare inſtituit,prætendens vrbem quidem redigere ſe voluiſſe in ſuam poteſtatem,quo teneret in officio,donec de iure Regis in Aragonia diſquireretur: arcem vero obſidere,non tam ob Reginam quæ nonnihil ab officio recederet, quam ob Sancium capitaliſſimum ſuum,qui cum ſemper alias in ſe male cogitauit,tum maxime id temporis poſt reconciliatam gratiam arma contra ſe ſumpſit, & aduerſus præſidem conſilia cum primoribus de adminiſtrando bello agitat. Eſt autem arx, Marchettum vocant, in iis anguſtiis, quæ porthmos Græce dicuntur, quaſi limite quodam inter continentem, vt ſic dicam, & vrbem pene inſulam, & ſic olim vocabatur, cum non vrbs, ſed tertia pars vrbis eſſet. Has anguſtias duo portus coarctant, maior minorque. ſupra maiorem arx poſita eſt, breui muro cum porta arcem portumque iungente, ab altera parte longiore muro, & ſine porta, ad minorem portum producto. Ita nemo terreſtri itinere vrbem aut ingredi aut egredi poteſt, niſi per portam arci ſubiectam. Eam portam cum repentino aduentu Bernardus occupaſſet, cuſtodiri iuſſerat, dum vrbem vel cepiſſet, vel deſperaſſet, neue fortaſſis re infecta, confecta hoſtes commodam fugam nanciſcerentur. Vtraque itaque frõte terræ occupata, arcem & ab vrbe, & à continente munitionibus cingit, ſtationes extruit, præſidia diſponit, oppidanis ſeu voluntariis ſeu inuitis nunquam intermiſſo labore adiuuantibus, ac nequa nauis à portu maiori (nam id à minori propter anguſtum aditum non timebatur) ſubuenire poſſet, vtraque caſtra ducto ſuper aquas ponte committit, machiniſque erectis ac tormentis ſaxa iaculantibus, obſeſſos quotidie oppugnat, ne noctibus quidem ad quietem datis, & quod minime decebat amatorem (honos ſit auribus) fimum ac peiora fimo, quæ teterrimum odorem remittunt, ſæpius quam ſaxa in arcis tecta iaciebat, nolens deeſſe fortunæ, vt dictitabat, votis ſuis aſpiranti. Etſi paucorum dierum cibos eſſe obſeſſis ei compertum erat, tamen nihil longius videbatur, quam vt Reginam quam cupiebat vxorem, ac tantopere amabat, & Almiracum quem nec minus oderat, & ſuis conſiliis aduerſum præcipue timebat, redigeret in ſuam poteſtatem, id eſt, antequam Rex in Aragonia conſtitueretur, ipſe ſe Regem in Sicilia faceret. Huic tantæ rei conficiendæ & liuor & perfidia, ſi ei credimus, impedimento fuerunt: ſi cæteris, auaritia: &, vt ipſe arbitror, irreligio. Siquidem laudes eius hæc duo præcipue vitia fœdabant, ſacrorum contemptus, ac tenacitas. Quorum alterum numinibus, alterum hominibus in primis inuiſum eſt. Quanquam in eo non fuerunt illæ virtutes quæ amabilem reddunt, humanitas, affabilitas, comitas, clementia, largitas, magnificentia: ſed quæ venerabilem, atque interdum horrendum, ſeueritas, auſteritas, tolerantia laborum, inediæ, algoris, æſtus, vigiliarum, multatio ſontium ac negligentium ſegniumque, & his ſimilia. Erat in eiſdem caſtris Ioannes Moncada, frater Antonii Comitis Darnonis, cui poſtea in paterna hæreditate ſucceſſit. Hic cæteris quidem in rebus Bernardi partes fouebat, ſed in oppugnanda Regina diſſentiens, cum verbis hominem à ſententia reuocare non poſſet, clam armatis ſociis, ſalutato duce, ac retinere conante, erupit è caſtris; nonnullis qui cæteros quoſcunque poſſent ad ſimiliter agendum ſuaderent relictis. Ad eum ſe in tutiora inſulæ loca recipientem, Sanciani confluunt, itemque alii qui melius de re Catalana ſentiebant, & rebus nouis Bernardi infenſi erant; atque paucis diebus ex compoſito ſub exortum auroræ Raimundus cum ſua triremi ante portum Syracuſanum præſto fuit, & Ioannes Moncada cum trecentis equitibus, totidemque peditibus ligones dolabraque ferentibus, caſtra inuadit, foſſas implet, vallum reſcindit, præſidium deiicit, atque in ipſa caſtra irrumpit. Cumque vndique ad arma conclamatur ac diſcurritur, & vt quiſque primum tela ceperat, ad periculum properat: Ioannes obuios quoſque ipſo impetu propellens ac ſternens, ad pontem peruenerat, triremi ad tumultum excitata, atque ad conſtitutum locum feſtinante. Sed ii qui in vlterioribus caſtris erant, raptim ſumptis armis, cum auxilium alteris caſtris ferunt, in ipſo ponte Ioanni occurrunt. Ibi pugna oritur, paucis ad prohibendum tranſitum ſufficientibus: & nox, & anguſtia loci, & ſuſpenſa ſuper aquas machina, pedeſtribus quam equeſtribus aptior, ancipitem magis atque horribiliorem pugnam reddebat. Ad hæc à tergo magis ac magis atrox certamen accendebatur. Cum interim Bernardus in medio ſuorum volitans, alios vt arma capiant, alios vt dimicent exhortans, multos caſtigans atque increpans, nulli ſatis fidens, atque vbique inſidias ſuſpicans, omnia ipſe munera obibat. Ioannes è diuerſo, nunc ad primos, nunc ad medios

nunc,

nunc ad postremos recurrebat, iam eos qui ad vlteriorem partem pontis obstiterāt, summouerat, ac multi suorum peruaserāt: nec magno distabant inter se ipsi duces spatio, cum Ioannes Bernardum agnoscit. erat enim sine galea, & linteum, sicut è cubili surrexerat, circundatum capiti gerebat. Tunc Ioannes exclamat ad socios, vt eum solum peterent, cuius caput linteo cernerent obuolutum. Atque ita à plurimis Bernardus petebatur, & fortasse summum discrimen adiisset, nisi cognita re linteum abiecisset, paulumque donec galeam caperet, declinasset atque latuisset. Ibi reuersus ad pontem prælium maiore manu suorum iam senescens ac languidum redintegrat: & cum omnis moles belli in pontem contrahitur, pons ipse soluitur, multosque mortales maiori quidem cum metu quam cum noxa in mare exposuit, sed maiori dolore damnoque Reginæ, quam eorum qui de-[illegible]. Quippe eo ipso tempore quo trepida illa ad descendendum in pontem, & in [illegible] triremim accingitur, pons interruptus est, atque ea præcipue parte qua descenden-[illegible]erat. Sic enim tabulata ac trabes disiectæ atque euersæ sunt, vt quasi dedita opera ex-[illegible] ad euadendum in triremim intersepserint. Sed patefacta porta muri ab auxiliaribus [illegible] vlteriora transierant, vtique adiuuantibus nauticis, & iis qui in arce erant, cæteri [illegible] portam non fugiendo, sed se recipiendo ingressi, potiuntur vlterioribus castris, in vrbem aut quocunque poterant plęrisque Capreranis militibus qui in iis castris fuerant, fuga tendentibus. Cæteri aut capti sunt, aut ad veniam petendam, priusquam caperentur, se contulerunt. Simulque Syracusani superueniunt: qui vt Bernardum iuuissent, si vincentem reperissent (nam superiores in bello adiuuare tutius est) sic meliorem nacti Reginæ conditionem, se illi (nec mentiebantur) auxilio venisse dixerunt. Atque ita soluta obsidio, recuperata vrbs, & regina sine trepidatione in nauem imposita est: Sanciusque ne quam ansam præberet Bernardo ad reginam propter ipsorum simultates offendendam, cum Ioanne sociisque abiit ad suam & reginæ iniuriam vlciscendam. Et dum hic atque ille ad roborandas pro se quisque vires elaborant, legati interim è Catalonia Drepanum appulsi sunt, missi ad reconciliandum Bernardum cum regina & Sancio, consulendumque regno, nequid tale in Sicilia, quale apud eos, aut deterius accideret. Venerat autem regina iam Panormum, tenebatque se in domo regia, quæ dicitur illorum lingua Hostenum, posita super littus maris, à fronte vero ad caput ingentis plateæ & fori, qua ad mare exitur, quodam aperto prospectu, nunc quantum ipsum forum ac campus est, fornicibus in speciem muri prospectum intersepientibus, in quorum pene extremo porta est, quæ nonnunquam vehementi Aquilone vndis alluitur. Hac in domo, tantaque in vrbe, qua nulla populis in ea insula frequentior est, nihil sibi timebat regina, præcipue post aduentum legatorum. Atqui Bernardo ea vrbs maxime opportuna insidiis, quod illic nihil caueretur, videbatur: nec domus inopportuna, quod remota à frequentia vicinorum esset, & legatorum aduentus securiorem & magis indiligentem redderet, & alioqui maturandum erat, antequam quod suspicabatur, à legatis iuberetur. Itaque compositis insidiis, omnia itinera obsidet, nequis reginam admonere, aut legati se prius adire possent. Nulli illo triduo ab oppidis Bernardi quæ illic multa possidebat, iter Panormum versus patuit: eoque Petrum Martini, qui postea fuit scriba portionis, nuntium legatorū iubentium triremim quæ ad Panormum esset, primo quoque die ad se venire, duobus diebus & dimidiato apud se retinuit in oppido Alcamo. Sed nimirum fraudis ac sceleris plærunque comes est aduersa fortuna. Si nuntio per eum licuisset eodem die Panormum peruenire, proxima nocte triremis dominus è statione soluisset: nunc ea triremis prædam è faucibus lupi hiantis ac iamiam rapientis eripuit. Enimuero tertia die sub meridiem profectus, intempesta nocte Panormum furtiuo aditu ingressus est, nec tamen ciuitatem fefellit. Nam ad eius aduentum, vt insolito tempore, strepitus tumultuantium excitatus est, & clamor aliorum alios inclamantium, & vbi erat plus timoris, vociferatio aut trepidantium, aut adhortantium, & necesse est maiorem videri sonum in silentio noctis. Multi nomen Capreræ compellabant, non ex suis, sed ex aliis qui hominis milites agnoscebāt. Ita notitia rei ad reginam peruenit. Illa se magis, quam vrbem inuadi intelligens, exanimata è cubili prosilit, domus multo magis quam vrbs muliebri metu ac lamentatione confunditur, ne spatium quidem illis vestiendi datur, cum pro sua, tum vero pro dominæ pudore solicitis. Timor ipse ac festinatio satagentibus ad celeritatem impedimento est. Seminudæ igitur atq; neglecto capillo è cubiculis erumpunt, & inter primas regina, quod consilium ineant, quo se conferant, ignorant: & cum mature facto opus est, in ipsa calamitatis impendentis fuga hæsitant. Iamq; inter deliberationē ac festinantiam, velut ex incendio per gradus lymphatæ, in viam se proiecerant, cum in mentem venit vicinę triremis. Nam arcium altera, quam longa vrbs est, distabat, altera mari adibatur. Ibi capto

consilio,& iam magis ac magis in vrbe tumultuari audiebãt, succincte & repressa lamentatione, cursum capessunt, & campum quanta nunquam celeritate, & prope vno spiritu transmittunt, perque portam egressæ, inter quas velocissimam aiunt fuisse reginam, vt quæ maxime timebat, aquas ingrediuntur, subductis supra genua vestibus, nec reformidantes, aut vadi altitudinem, aut humoris algorem, cum tempus anni adhuc hybernum esset, sed vt quæque prima veniebat, secura maris & frigoris intrabat. Etenim fuga ipsa tam effusa, maiorem illis imaginationem hostis, velut in tergis earum hærentis, impresserat. Dignum profecto risu spectaculũ, si cui ridere in tali casu vacaret, & alienum periculum turpitudinemque spectare voluptati foret. Mulieres crinibus pene passis, nocturna tantum veste indutæ, aut altera quoque circumuolutæ magis quam amictæ, & inter eas regina vt dignitate, sic celeritate præcipua, quasi pro corona currentes in stadio, d[illegible]catæque ad femora irrupere in mare pene glaciatum. Sed huius timoris, turpitu[illegible], risus, frigoris, & cuius auidus erat captiuitatis, Bernardus postea pœnas vicemqu[illegible] soluit. Ibant per mare non ausæ vocare nauarchum, ne ab hoste exaudirentur: pau[illegible] muli quibus regina nonnullæque aliæ innitebantur, vocatum nauarchum orabant, [illegible]riclitantibus adesset. Statimque ille à vigilibus qui rem videbant, admonitus, obu[illegible]a veste, è cubiculo stupefactus exiliit, iussitque remigibus admouere triremim, & deiecta scapha reginam cæterasque tanquam è naufragio attonitas exanguesque excepit. Cum hæ triremim, Bernardus in domum ingreditur, compertaque ad nauem fuga reginæ, execratus diem, En, inquit, tertio manus meas effugit: atque ita indignabundus ad cubiculum reginæ perrexit, intrauitque. Vbi cernens cubile turbatum, quale solet ad subitum timorem relinqui: Perdicem, ait, perdidi, sed nidum teneo: protinusque depositis vestibus, vt adhuc erat tepidum subit, ac per totum se volutans, & subinde spiritum per nares trahens, significabat more venatici canis ad lustrum feræ, ipso se odore delectari. Tanta ei fuit inter maximarum rerum conatus cura amoris, tanta etiam intemperantia, vt quod in primis dissimulatum oportuit, & quod antea pernegauerat, id nunc detegeret atque fateretur. Sed opinor posteaquam prope iam deprensus esset, fauorabile sibi apud eam ducebat, si amator videretur. Illa sequentibus diebus ad Soloentum deuecta est, oppidum in dextro littore Panormi positum, decem millibus passuum remotum. Legati interim, quia triremis tardius opinione veniebat, terrestri itinere Panormum veniunt: quos Bernardus quotidie inani spe pascens, reginam nunc blanditiis, nunc terroribus adoriebatur, adeo vt arce Panormitana, quæ palatium dicitur, castris circundata, Soloentum se conferret, ostentans se reginæ vti strenuum in equitando, & amari dignum: cum tamen, vt constat, robustius equitaret quam decentius. Iam nemini pro ambiguo erat, eum & reginam coniugem, & regnum petere. legati quoque, caueret quid ageret, monebant. Sed ille contumaces rebellesque cohercere, è dignitate sui magistratus esse respondebat, esse ex suis hostibus qui cum principibus Italiæ fœdus inierint. Ita quod suum crimen erat, quo magis abesse ab eo videretur, vt sunt peruersorum hominum artes, alteri prior obiectabat. Verum tunc animus regni affectator apparuit, vbi declarato rege Ferdinando, ab incepto non destitit. Tandem Antonius Moncada cum suis, tum vero copiis Sanctii, sed vt dicebat, auspiciis reginæ, tanquam summi in insula magistratus, obuiam venit, ac per nuntios agit, vt à Panormitanæ arcis obsidione discedat, quas vrbes, quæque oppida recepit, restituat, eam superiorem agnoscat. Ille se responsurum per se ipsum, renuntiare iubet, legatosque subsequutus, cum maiore copiarum parte occurrit, cumque aliquamdiu instructa acie vterque stetisset, neutri incipere certamen, cum ambo in loco tuto essent, visum est. Paucis diebus, siue proditione Vasconis cuiusdam, vt sui dictitant, siue calliditate hostis, dum partem valli qui extra muros est, circuit, ac stationes recognoscit, improuiso hostium aduentu circumuentus est, & cum aliquantisper gladio se in orbem tutatus esset, captus. Itaq; qui capere reginam conabatur, qui coniugio, qui amori, qui regno acquirendo operam dabat, iam tantum de amittendis bonis, de seruitute sua, de morte cogitabat. Traditus enim in manus Sancii, ductusq; in castellum cui nomen Mota, atque ibi ab inimico in cisternam vacuam demissus est. Nec ita multo post ad immensam pluuiam laxatis cadurcis, tanquam fortuito id accidisset, cum ex imperio factũ esset, riui in cisternam defluebant, eamq; replebant. Bernardo identidẽ vociferante, auxiliumq; implorante, nemo ei domesticorũ respondebat, tanquam obstrepẽte eorum auribus pluuia, ne audirent, & ad alium quendam locũ quo imber penetraret, occupati essent, donec innatante iam lectulo, non procul à vitæ periculo erat. Tunc quidam veluti tunc primũ audisset, ab ore cisternæ respondet, ac festinabundus domino nuntiat, qui miseranti similis, propere succurri imperauit. Educitur è pro-

fun.do

fundo lacu, obſcuraque teſtudine Bernardus, modo Siciliæ regulus, veſte, capillo, toto corpore madenti, & hoc, vt vix credibile videatur, ex pluuia. Atque hic fuit horrendi carceris exitus, ſed in locum tranſitus omni carcere grauiorem, etſi non grauior eſſe videbatur, ita res ei abominanda contigit. Aliquot adulatus diebus homini à quo cuſtodiebatur, vbi ſibi factum eſſe familiarem beneuolumque exiſtimat, tentat pretio corrumpere, daturum ſe, ſi liberetur opera illius (vt ſolent qui vita periclitantur) montes aureos, in præſentia antequam illinc pedes efferat, mille aureos. Cuſtos reſpōdet, ſe ea nocte deliberare velle, idque ſpatium dari impetrat. Rem confeſtim ad Sancium defert, iubetur vt mane petenti annuat, pecuniamque in manum tradi ſibi curet, cæteraque quæ agenda ſint docetur. Mane deliberatum ſibi eſſe vt adiuuaret calamitoſum, iurat ſe, vt Bernardus excogitarat, è feneſtra turris eū per funes demiſſurum. Eo die pecunia per amicos clanculum affertur, pernumeraturq;. Proxima nocte, de tertia vigilia ſummiſſo fune caligis cōplicatis, nulla amictus tunica demittitur, cuſtode, vt validius conturbaret miſeri conſilium, vrgente ad deſcendendum, tanquam anxius eſſet, ne in fuga deprehenderetur. Ille noctis pariter & timoris tenebris confuſus, dum celerius quam manus ferunt, lubrico fune delabitur, adaptatis ad id retibus induitur, & ritu feræ caſſibus captæ, hæſit: ita vt nec ſeſe deiicere, etſi præceps caſus erat, poſſet, nec receptus in feneſtram vllus daretur. Si ferrum ad manum fuiſſet, mortem fortaſſis ſibi ipſi conſciſſet, ſed mors id loci pudenda quoque erat, atque inimico iucunda, & auiditas iniuriæ aliquando vlciſcendæ, contumacem vitam ad perpetienda dedecora faciebat. Nocturnum frigus, & poſtea ſolem adurentem corpus nō ſenſit, cum animum magis dolor vreret. Non tam è tenebris ciſternæ produci in lucem optauerat, quam nunc è luce reduci in tenebras. Ita totum diem retibus inuolutus, ac plane irretitus, tanquam Mars in adulterio Veneris, ridiculum ſimul, ac miſerandū plurimis ſpectaculum fuit. Cuius turpitudini hic quoq; cumulus acceſſit, vt cum ad tranſitum notorum atq; honeſtorum virorum faciem vellet auertere, prohiberetur, ne illis poſteriora oſtenderet: nec quod cibo ac potu caruerit eo die doluit, ſed quod ea quæ niſi remotis arbitris decore non fiunt, præſentibus arbitris facere non licuit. Receptus veſperi eodem vnde fugerat, ſi fugiſſe eſt è carcere in laqueum incidere, aliis quoq; ludibriis non caruit: donec rege Ferdinando poſcente per legatum ſuum vinctus productus eſt, ac legato traditus, à quo ſolutus ad regem protinus in Cataloniam Barcellonamq; ſe contulit, & in priſtino apud illum honore habitus eſt. Hunc exitum habuit conatus occupandæ Siciliæ Bernardi Capreræ. Cui ſi res proſpere ceſſiſſet, haud minus inter Hiſpanos Italicoſq; bellū excitaſſet, quam olim pro eadem inſula inter Pœnos atq; Romanos, aut Athenienſes Lacedæmonioſq; exarſit. Recepta itaq; inſula, rex Ferdinandus Siciliæ quoque regem ſe nominari voluit. quod antea noluiſſe, haud in poſtrema equidem magnanimitatis parte poſuerim. Nam quas res nec poſſidemus, nec poſſidere contendimus, eas non belle, nec generoſe titulotenus vendicamus. Quas vbi adipiſci contingit, tunc erectus atque ſublimis animus, facti ſui & apud ſe & apud alios percipit vberrimum fructum.

LAVRENTII VALLÆ DE REBVS A FERDINANDO ARAGONIÆ REGE GESTIS LIBER III.

INTER competitores Caprera etſi non fuit numeratus, tamen numerari poteſt in vno duntaxat regno. Non enim minus eſt petere regnū bello, quam iudicio. In quo fortunam Ferdinando, ſicut in cæteris, fuiſſe propitiam cognoſcimus, quod Caprera victus, non victor fuit: haud tamen ex competitoribus aut primus aut poſtremus fuit, quem Ferdinandus ad genua ſua procumbentem viderit, ſed ſecundus. Siquidem primas partes, vt vir integer ac paci conſulens, cum ſumma omnium laudatione præſumpſerat Dux Gandiæ. Nam quod Comes exemplum Ducis non imitaretur, amici excuſabant morbum, in quem incidiſſe credibile erat, tum propter mœrorem fruſtratæ ſpei, tum quod ſe, quaſi lucem inuiſam haberet, aſſidue intra cubiculum tenebat, vbi per ſpeciem mœroris ac morbi conſilia coquebat. Quod Catalani ſuſpicantes, veriti nequid ille rerum nouarum moliretur, conſulendum & publicæ quieti & priuatæ hominis dignitati ac ſaluti putauerunt. Cuius vicem alioqui dolebant, quod

infinitos sumptus fecisset, nec pro dignitate in posterum posset viuere, nisi ad dissoluendum æs alienum,& ad repigneranda oppida adiuuaretur. Hanc æquam atque humanam causam existimantes, ex communi Catalanorum voluntate primores Barcellonensium regem adeunt, orantque vt olim competitoris sui conditionis misereatur, non eum contra regem, sed pro se omni conatu pugnasse, esse regiæ munificentiæ nobilissimum virum, quem non culpa, sed casus, aut potius virtus afflixerit, & pecunia subleuare, & honore augere, & alia in hanc sententiam. In quibus faciliores aures regis quam Comitis, vt contumax in agnoscendo rege non esset, habuerunt. Miserant enim ad eum quoque legatos. Tandem grauibus amicorum consiliis obtemperans, dimisit ad regem treis legatos, Raimundum Perilios, Franciscum è Villanoua, & Dalmaum Cicereram, qui pro absente iusiurandum offerrent de fide regi præstanda. Quibus vicissim rex spopondit, se habiturum in eo honore Comitem, vt medius inter regios filios sederet, primigenio ac secundo præcedentibus, magistro sancti Iacobi, & magistro Calatrauæ, Petroque eum sequentibus: indulta quam in primis poposcerat licentia, vt si nunquam in conspectum regis veniret, fraudi non esset. Ad hæc luiturum æs alienum quod ille contraxerat, & oppida quæ oppignerauerat, adiecturumque in compensationem sumptuum quos fecisset, sexaginta millia aureorum, necnon alia & ornamenta & adiumenta. Parum constat, an integra fide Comes Ferdinandum regem agnouerit, promissaque admouerit, an tempus extrahi voluerit, dum rei agendæ adesset occasio. Nam neque vllus honos satis se dignus videbatur, qui regnum animo conceperat, & hæc pecunia nihil esse ad illam quam erogauerat, quæ tanta fuit, vt eam nemo vnquam putasset tam cito faciendis sumptibus fuisse perituram. Habuerat ille à patre relicta scrinia aureis argenteisque pro regionum diuersitate numismatis referta: & quod fando vix cognitum est, malleo cuneata, idque non auaritiæ modo, sed lusus ac contumeliæ gratia. Hospites enim qui permulti ad eum familiariter diuertebant, sciscitabatur cuiusnam generis pecunia indigerent. Respondentes eius generis, vt in quam quisque prouinciam iter haberet, adducebat ad scrinia, & quantum vellent, capere iubebat, frustraque conantes capere deridebat, & hos sibi de amicis iocos comparabat, nouo genere dissimulandæ auaritiæ, iactandarumque opum: quod haud ab re diuinitus esset castigandum. Successitque filius qui breui exinanitis scriniis obæratus viueret, & ex iis nihil sibi nisi curas mœroresque contraxerit, & ad extremam quoque perniciem. Verum dum ita transactum esset inter regem & Comitem, iamq; concilium fieri cœptum, Fœdericus puer qui & ipse fuerat cõpetitor, idemq; Comes Lunæ, vrbẽ ingressus est, eo apparatu, vt vix elegantiori Martinum patrem, aut Martinum auum fuerit aditurus. Trecentos enim equites ad numerum arcium quibus singulos præfecerat, ducebat, & quod inuidiosius est, vexillum permixtis Aragoniæ ac Siciliæ signis, & ad regii vexilli magnitudinem, sericis quoque fimbriis Valentino artificio adornantibus. Hunc in modum per mediam vrbem splendido velatus sagulo, lente ac triumphantis ritu equis euntibus ferebatur, quacunque transibat maribus ei fœminisque bona precantibus: nonnullis illachrymantibus, vltroque miserantibus desiderio parentum regum, nonnullis etiam dicentibus: Hic erat, hic esse debebat, hic vtinam foret rex. Ille apparatus pompæ apud mentes eorum, atque illa ætas puerilis fauorem conciliabat. Res leuis atque inanis, perinde atque illa facerent ad promerendam regiam dignitatem. Sed vulgus vt ex imperitis atque inconsultis plærisque constat, sic imperite plærunque iudicat & inconsulte, vt desinamus mirari, siquid quod diuinitus accidat, mirandum est, quod sæpe nos Deus plectit nescientes quid petamus. Præsentibus nunquam contenti sumus, absentia ducimus potiora, eisdem vbi potiti sumus, diuersa desideramus. Hunc si auus instituisset hæredẽ, causarentur se pro rege puerum sortitos, vt tutorum plurium non principis vnius arbitrio seruiendum sit, eumq; rescissis legibus illegitimum, matre Sicula, nec ea regis concubina, sed vulgatissimo scorto, ne incredibile sit esse suppositum. Nec intelligebant se conflare his vocibus inuidiam puero, sua alioqui sponte sibi inuidiam conflanti, eo fastu apud regem, cui vt in recenti regno, necesse erat omnia esse suspecta. Verum non puerũ (quid enim delinquere puer potest?) seuerus censor castiget, sed magistros atque autores, qui dum populis ostentare regii pueri excellentiam volunt, principi prodiderũt, cui nihil æque inuisum est, ac munus suum honoremq; ab altero vlla ratione vsurpari. Neque id ad leniendam insolentiã satis fuit, quod filius regis defuncti fuisset, quod præsentis propinquus esset, quod summo quoque pontifici affinis & charus. Nemo enim sic alieno honore gaudet, vt illo iacturam sui facere velit. Ideoq; melius cum puero actum esset, si cætera sic summisse gessisset, vt ipsam regis adorationẽ. Nam vbi ad ianuã regiæ peruenit, ex equo delapsus, ante ipsam ianuam

niam genu posuit, iterum ad aulæ hostium, tertio ad fores conclauis in quo rex eum excepturus sedebat, postremo ad pedes regis. Cui rex assurgens dexteram porrexit, eumque amplexatum exosculatumq; ori suo admouit, osculumque mutuum dedit. Deinde percunctatur, quid ita sero venisset. Ille, quod in apparando comitatu tẽpus triuisset, respondet. Nec multis verbis vltro citroq; habitis, iubet vt apud primigenium cœnaturus maneat. Ille inuitatum à propinquis fœminis in domum aui se esse, ac promisisse ait: cum idem postridie excusasset, tertio die apud primigenium laute acceptus est. Cumq; secundum prandium omnes pueri regi præsto fuissent, rex sermonem intulit de sumptu domestico, quæsiuitque à puero, quid ita magnos sumptus faceret in tanto comitatu alendo. Ille vt puer respondet, nullum ob id se facere sumptum, sed eos pro se vnumquemque, cum sit singularum artium magistratus. tot enim, inquit, habeo oppida castellaq;. Admiratus rex tum tantam pueri potentiam, tum suas, vt regis, tenues opes: Tu vero, inquit, fœliciter, honeste, atque ipso rege regalius; cæterique tui ordinis quibus sua iura constant, quorum nemo non ex suis oppidis plus multo percipit quam rex proportione ex suis, vt haud dubie vectigalia nostra ad nihilum redacta sint, idq; tum negligentia regum, tum fraude ac perfidia subditorum. Olim Comes Barcellonæ percipiebat ex Catalonia librarum quadringena millia, nunc piget ac pudet, quantum percipimus, dicere, pene precario regnamus. Nec mihi in dubio est nostram autoritatem apud alios reges non satis amplam haberi, & quodammodo contemni, cum auxilia bellorum aliarumque rerum magnarum à populis nostris corrogare habeamus, deque eorum arbitrio pendeamus. Certe cum paternum regnum, & hoc inuicem considero, illic regnum videtur, hic procuratio esse: & postea aiunt præter cæteras gentes, Catalani se fideles esse in regem. Equidẽ nolim quicquam detractum de laude meorum populorum, sed vtinam verius quam gloriosius dicerent. Nam si recte æstimemus, sibi fideliores esse quam regi, reperientur. non dico quia non est causa cur rebellent, vt fit apud illos qui onera ab regibus imposita ferre nequeunt, veluti decem tribus Israel quæ à Salomone desciuerũt, & alii multi, & hodie in Italia præcipue, sed quia regem suum patrimonio exuunt, quod nulli alii populi faciunt, vt in hoc sint, pace Catalanorum dictum sit, fideliores appellandi. Atque si qui rebellent, ideo rebellant, vt ius suum retineant: hi vero idcirco à rebellando abstinent, vt ius regium præripiant. At enim aiunt se ab regibus illa coemisse: taceo quantum fraude interceptum est. Quis ignorat nunquam reges ea vendituros fuisse, nisi pecunia ad necessitates indiguissent, nec aliter à populis auxilia impetrare potuissent. En fides in principem admiranda. non habent aurum quo illius necessitates subleuent, habent quo dignitatem exhauriant. Et ego de bonitate atque humanitate populorum loquor, qui non vetiti sed sponte autoritatem regiam nec imminuerent, nec paterentur imminui. Nunc etiam vetantur lege, in quam iurauerunt, qua sancitum est, nequid regi liceat de patrimonio alienare, & si quis ab eo quippiã vel emerit, vel pignori acceperit, eum continuo proditionis crimẽ incurrere, vocarique apud Aragonenses traditorem, apud Catalanos baram. Verum nisi propositum animi mei præripiat mors, regni decus profligatum pessundatumque instaurabo atque restituam: nec desinam dum ostendam, absit inuidia dicto, non minorem regio nomini per me quam mihi per regium nomen obuenisse dignitatem. Quid enim attinet externa comparare, si interna non reparas: & alios redigere in seruitutem, si domum tuam non asseras in libertatem? Ego pro ampliando filii fratris regno bella gessi, pro asserendo meo ipsius segnior ero? Sed nondum rescindendi vlceris tempus est, vt nuper Cæsaraugustæ cognoscere licuit, cum in vectigali aduectitii vini tam acres, vt aiunt, publicæ libertatis exhibuere se defensores. Experiar apertius vbi eorum tam celebrata in regem fides, vbi bonitas, vbi iustitia? Est quidem optandum, vt quod postulamus, non grauentur: sin minus, & asperis & mollibus medicamẽtis vtemur. Certũq; est mihi, si ius meum neque extorquere, neq; impetrare potero, paterni regni pecunia redimere, vt nõ imbecillior sim ego regni propugnator, quam cæteri oppugnatores. Hæc inter domesticos atq; intimos locutus, vbi in alios sermones diuertisset, iubet Fœdericum, vt vexillum illud quod tulerat, afferri mandet. Nam cupere alterum simile fieri sibi, quod exquisito quodam modo elaboratum esset. Ille protinus læte atq; hilariter afferri imperat, nihil vitii subesse suspicans. Allatum rex contemplans, laudare artificium, laudare materiam, dicere non aliud sibi velle. Deniq; accersito vexillario qui simile conficeret, impetrat à puero facili ac volente accommodari ad exemplar imitandum. Opifex vt erat iussus, eo exemplo vexillum fecit, sed transuersa fascia coloris Veneti, quæ indicaret, consueto apud magnas familias more, illegitimos natales. Rex id ad se postea perlatum, tradi Fœderico præcepit, & quidẽ cum elogio, quod illud Ferdinando, hoc Fœderico dignum esset. Sed edoctus puer

à suis, fasciam illam ignominiæ esse argumentum, nunquam postea nisi album gessit, & breue vexillum: haud clam testatus, ægro se ferre animo, regis castigationem & contumaciam aduersus summum imperium, vel præsumens vel detegens. quasi vero tolerandum id regi fuerit, quempiam sibi regios honores vendicare, & eum præsertim qui videri poterat hoc facto testari, ad se regni spectare successionem. Cæca omnino res est ambitio, & præposteris vtitur plerumque consiliis. Nostram dignitatem anxie tuemur, retinereque ad vnguem, vt dicitur, volumus: alios, ne dicam tanto superiores, suam retinere non patimur, atque dedignamur. Ego Ferdinandum sicubi vnquam, in hoc certe loco regem egisse confirmo, magistris pueri qui peruerse docerent, magis quam puero reprehensis. Qui si sapuissent, non vlteriori contumacia iram regis irritassent, nec animum tenerum atq; obnoxium vanis opinionibus imbuissent. Ergo qui ex nimio fastu populi studia plaususque captauerat, ab ipso censore plausibus studiisque spoliatus est, nemoq; non, præcipue prudentum ac bonorum, censuram probauit atq; laudauit. Paucis diebus dum hæc gesta sunt, alia censura rex vsus est aduersus Comitem Vrgellensem, quam nonnulli asperiorem aliquanto fuisse volunt. Sed vt ita sit, profecto tantula res non impulisset animum ad rebellionem, nisi ægrotum atque corruptum. Habebat hic odio capitali Ioannem Raimundum Comitem Cardonæ: occulte quidem, quod cum iureiurando se deuouisset, neminem alium se habiturum pro rege quam Comitem Vrgellensem, tamen iusiurandum rescidisset: propalam autem cum alia multa, tum quod castella nonnulla occupasset, quæ Comitis Vrgellensis essent. Ea de re fecialem, quem Araldum vocant, Barcellonam mittit, indutum veste, pictas conscriptasque habente proditiones inimici, qui vniuersam vrbem perequitans passim, vt quosq; honestissimos haberet obuios percunctaretur, nunquid Ioannem Raimundum Cardonæ Comitem nossent. Respondentibusq; se nosse, oraret primum inspicerent, perlegerentque quæ ipse ferret, deinde renuntiarent homini, se vocari verbis Iacobi Comitis Vrgelli ad singulare certamen, rege cum cæteris principibus certamini præsessuris, & alia huiusmodi ludibria. Quæ cum fecialis exequeretur, fremere multi, alii gaudere, alii dolere, prout quisque animo affectus erat, tota deniq; ciuitas mota rei nouitate, omnis sexus ætatis, cōditionis, nihil aliud loqui ac quærere, & regis expectare iudicium. Ille vbi rem resciuit, iubet Araldū comprehendi, denudatiq;, & [illegible] transisset pictus inscriptusq;, eadem vrbis parte virgis cædi, ipsum corpus pro [illegible] plagentibus atq; scribentibus, talemq; remitti ad herum, siue rei indignitate motus quod se præsente tantum licentiæ temeritati daretur, pessimo in posterum exemplo, siue quod iniuriam Comitis Cardonæ mallet vltam pœna leuissimi hominis, quam bellū inter duos proceres excitari, siue nollet, si forte ad certamen venirent, præsidere, cum eo quod hunc proditionis, id est iurisiurandi non seruati arguere videri poterat adhuc residere regios spiritus in pectore arguentis. Id ego etsi rei militaris periti quidam negēt fuisse fas regi facere, quia iure gentium sancti sunt feciales, tamen iure riteq; fecisse existimo. Non fecialium numero hi homines habendi sunt, qui pudore neglecto & alieno & suo, non certamen indicunt, sed ignominia afficiunt propter quam iure certamina cōmittuntur. Verecunda debet actio esse iure prouocantis, vel ob hoc, ne iniuria prouocare videatur. Hanc contumeliam sui nuntii plus quā ægro animo tulisse dicitur Iacobus, non æstimans quanto ægrius ferēda fuit ea quam ipse faciebat. Sed in affecto corpore atq; languido, exigua offensa magno momento est ad letiferum languorē. Quanquam haud scio, an hunc colorem apud homines quæsierit ad rebellandum. Enimuero faciebat ei animos Henricus regis Angliæ filius, vir iam tum bello singularis, qui nuper in Galliam intestino bello laborantem transierat, auxilio futurus partib. Comitis Aureliani. Itaq; seu iam antea cum illo composuerat, seu nunc primum composuit, Ilerdam duodecim millibus passuū à Ballagerio distantē, improuiso aduentu cōstituit noctu occupare, corruptis è plebe quibusdam, qui portam adulterinis clauibus aperirent. Fert autem ea porta ad Ballagerium, a quo, vt mos in plærisq; vrbibus est, nomen accepit. Dabat etiam proditioni opportunitatē, quod ea pars vrbis ædificiis sane infrequens est. Neque vero magna in potienda re dimicatio proponebatur, cum plurimas clientelas, multos ex nobilitate beneficiarios, non paucos è plebe obæratos haberet. Itaque constituta nocte cum duobus millibus peditum ex dimidio leuiter armatorum aduenit, certos hortos, vt sunt ibi fere parietibus horti circundati, adulterinis quoque clauibus apertos intrat, illinc missis qui proditores in muris stantes aduentus sui certiores faciant. Porta reseratur ac longo ordine succeditur, & iam quadringentorum numerum, qui ingressi fuerunt, expleuerant: cum interim res incredibilis mirandæque nouitatis contigit, & quæ numen aduersum intercessisse testetur. Qualia quoties olim cōtingebant, Deum ipsum è cœlo delapsum esse poetæ finge-

ingebant. Tubicen quidam qui haud procul ab ea porta habitabat, loco parum celebri, quo licentius caneret, forte ea ipsa hora surrexerat eius rei gratia: qua solent qui sæpius bibunt, quod genus est in primis tibicinum. Vtque sunt leues atque improbi, per noctem inflare tubam cœpit, ita vt erat nudus (nam messis iam instabat) & socium qui in arce excubabat prouocare. Ille nihil moratus, ne probior sodale foret, prouocanti respondet. Dumque ad huius cantum prouocator subinde requiescit, sentit è vicino tumultuari, & discursare armatos. Enimuero extimuerant qui erant introgressi, ne res deprehensa esset, & inconsulte atque cum strepitu ad portam se recipiebant, volentes propius à suis quam ab oppidanis abesse. Nox, & sceleris conscientia, & timor si agnoscerentur, & fortuna vt videbatur aduersa, debilitabat animos. Re noua perturbatur tubicē, in locum vnde commodius prospici poterat porta, conuolat, cernitque armatos, non tantum audit, & luna pernox erat. Animaduertens itaque vrbem suam, nisi iamiam succurratur, ab hoste captum iri, ac fortasse direptum: non ad ensem, lanceam, clypeumque, sed ad vtilibra, vt in illo casu, arma, tubam recurrit, atque eum sonum quo populus exercitusve ad arma conclamatur, inflauit, eo quidem audacius quod sciret socium, eumque ex magis celebri loco ciuitatem excitaturum, prout factum est. Ad horum amborum terribilem sonitum ciues conclamant, punctoque temporis in vias procurrunt. Dalmaus quoque Murus citato agmine scholasticorum, cum multis luminibus de vertice vrbis in forum venit, ciuibusq; se iungit, & facto cuncti globo ad portam feruntur, sonum clangentis sine intermissione tubæ sequentes. Nemo fere Ilerdensium est, ac pene in omni Catalonia, quin propter intestinas etiam priuatorum discordias, arma domi habeat, saltem gladium, lanceam, pugionem, clypeum: nec domi modo, sed ad latus fere, atque in manu. Siquidem in concilia de communi re consulturis, & in templa oraturis, arma portare vitio non datur. Horum impetum non ausi sustinere qui introierant, repelluntur, cum interim Comes audito tumultu, rapto cætero agmine aduolat, & quia dolus improspere cesserat, vi conatur irrumpere, cumque aliquandiu tentasset, frustra fuit. Tandem oratione blanda amicam ciuitatem appellans, ac merita commemorans, & plura pollicens, responsum accepit, se nihil nisi vt ab Ilerdensibus capi possit, loquendo manendove proficere. Sic ille veritus abiit, atque præ impotenti ira messes Ilerdensium ferro igniqne corrupit, ex quo acerbissimum in se ciuitatis illius odium concitauit, credique meruit idem in vrbe si potitus esset, fuisse facturus. De proditoribus autem conuictis confessisque supplicium sumptum est. Proditione infœliciter tentata Comes eo frequentiores nuntios missitare ad principes confœderatos, vt quamprimum auxilia mittantur, occupandum esse, antequam Rex compararet exercitum. Et iam hæc res animos omnium non modo Catalanorum, verumetiam finitimorum erexerat. Erant enim & ipsi finitimi sua sponte cupidi rerum nouarum, & ingentibus promissis à Comite pellecti. Et confitendum certe est, plurimum in ea re egisse fortunam, quæ & Comitis imprudentiam, & Regis virtutem redderet insigniorem. Per idem enim tempus defuncto Angliæ Rege, filius ad capessendum regnum in patriam nauigauit, relictis quibusdam præfectis qui magis promitterent magnum quam mediocre in præsentia auxilium ferrent. Ea de re finitimorum principum ardor atque audacia refrixit, præsertim cum tantam è diuerso diligentiam Regis, tantum consilium, tantas vires animaduerterent. Iam primum Rex comperta defectione Comitis, bellum cæteris rebus præuertendum sibi existimauit, sed non ita vt concilium tanta cura coactum dissolueret, aut suspensum teneret. Verum cum & belli administratio, & pacis consultatio præsentiam suam desiderarent, maluit bellum sibi desumere, vbi non cū suis, sed cum hoste res esset, consultationi, vbi minus periculi versabatur, vicarium præficere Alfonsum filium. Huic adolescentulo ad tātam rem magis deerat autoritas dignitatis, quam animi prudentia. Ideoq; Ioanne Ferrandis, & Guilielmo Moncada ad conciliū referentibus, vniuersi Alfonsum, quibus solennib. petierat, pro primogenio acceperunt, id quod nunquā Catalani alteri Regis filio dūtaxat vniuersi & publico consilio præstiterant. Rex interea dum maiores copias parat, Franciscum Herillū cum mediocri manu ad coercendos Comitis conatus præire iubet, simulque ad extrema regni, qua transituros hostes suspicabatur, expeditos milites dimittit, finitimos principes monet ac territat, ne quibus peregrinis copiis in regnum suum præbeant transitum. Tanta autem fuit diligentia in mittendis nuntiis, quo cuncta explorata, prouisa, cauta forent, vt eodem die responsa acciperet ab his qui longius sexaginta millibus passuum abessent, non ignarus antiquius esse atque præstantius arcere bella, quam gerere. Postquam de transitu hostium intercludendo, retinendisque in officio finitimis, curam egit, post mediam æstatem, iam cæteris oppidis quæ Comitis erant, vel in fidem acceptis, vel in deditionem

redactis, Ballagerium, vbi se hostis tenebat, castra mouit, oppidum situ & opere & arce tutissimum, præter oppidanos defensum mille & quingentis peditibus, trecentisque equitibus. Qui quotidie nunc hac nunc illa porta egressi, cum obsidentibus, vel castrametantibus, vel castrametatis, certamina conserebant. Erant Regis copiæ ex Castellanis Catalanisque promiscuæ, ad octo millia peditum, quatuor equitum. Sed acrius certamen erat machinarum, præcipueque bombardarum, quæ vtrinque prorumpebant: plurium tamen è castris ac maiorum, quarum nonnullæ erant & vastitate & violentia mirabiles. Atque quo crepitus horribilior, & ictus perniciosior foret, omnes non eodem momento, sed pene puncto temporis laxabantur, ad quarum impulsum puluereus ex discussis parietibus fumus diu in arce visebatur. Sunt qui vxorem Comitis per nuntium orasse Regem affirment, prægnanti parceret, nam fœtum ex matris pauore ad sonum percussorum parietum atque tectorum in vtero subuerti, cum amborum vitæ periculo: Regemque respondisse, eligeret quam vellet arcis partem, in ea tutò mansuram, prohibitis illuc tendere ictus, qui machinas temperarent, sed ea lege, ne cum viro communiter vteretur: nec illam voluisse accipere huiusmodi conditionem, velut impiam ac turpem, sibi omni periculo acerbiorem. Non enim in periculis modo, sed in morte quoque viri nolle ab eo separari, nec quicquam sibi iucundum, nisi cum illo commune, cuius incolumitatem cuperet sua calamitate depacisci. Sunt qui dicant eos qui in muris erant, quotidie probra iecisse in Ferdinandum, nec eum, sed Iacobum Regem appellasse. Sunt qui velint per quosdam induciarum dies, in Regem transeuntem è muris multa missilia coniecta, duobusque confossum telis, cui insidebat equum concidisse, Rege supra collapso, illosque quasi victores exclamasse, extinctum Ferdinandum, Regemque Iacobum regnaturum, nec vllis præterea verborum abstinuisse contumeliis. Ob quod tantum periculum, tantamque iniuriam, simulque ob violatam fidem, iurasse Regem, Iacobum non impune esse laturum: statimque cunctas incendi machinas iussisse, vt ne nocturnæ quidem quieti parceretur, licet purgante Comite per vxorem: quippe hæc ad Regem commeare & tractare inter vtrosque cœperat. Nam postquam Comes ex multis qui ab Anglicis præfectis mittebantur internunciis, vnum aut alterum ægre peruenisse ad se cognouit, eosque fortius quam tutius hortantes, non putauit extremum sibi tempus, etsi pene extremum erat, expectādum, ne nullus relinqueretur apud hostem veniæ locus: cum præsertim in dies singulos, per causam dimicandi, sui milites ad Regem transirent, tum eodem metu commoti, quo Comes ipse, tum quia stipendia, quod primum apud militum animos est, sponsionibus ac precibus magis quam rebus soluerentur. Multum etiam spei in vxore, quod matertera Regis esset, ponebat: multum in proceribus, & inter primos in duce Gandiæ, qui in castris aderat, apud Regem summæ & autoritatis & gratiæ, qui pro amico & propinquo, & nobilissimo viro officiosè laborabat, ac mutua mandata perferebat. Sed Rex intelligebat illum frustratum omni spe ad deditionem descendere, & aliquantum in alienis precibus, nihil in sua causa confidere, quod vrbem nocturnis insidiis occupare voluisset, quod finitimos principes ad arma solicitasset, quod externos Reges, quantum in ipso esset, in Cataloniam adduxisset, quod denique se Regem facere, eiectoque Ferdinando, constituisset, præter ea quæ ex Ballagerio, vel factis, vel dictis iniuriose fecisset. Nec immerito iram Regis summopere verebatur, maioremque esse culpam, quam quæ facilem veniam, aut leuem pœnam mereretur. Impetratum tamen est, vt nihil in vita, membrorumque iacturæ pateretur, cætera & ipsum conspectum, & ipsam diem impetraturum amici asseuerabant. Sunt qui addant, Regem promisisse materteræ, proceribusque orantibus, nec diutinam captiuitatem fore, nec extra regnum. id magis vulgatum est, quam constat, & ab Rege magis non denegatum poscentibus, quam promissum. Progreditur igitur Iacobus è natali oppido, suaque domo, sed iam non sua, qui suus iam ipsius non esset, equo sedens, mœsto magis quam demisso vultu, coma ac barba flaua, gladio, qualis heroum mos fuit, pendenti ex humero, oculis omnium in eum intentis ac fortunam miserantibus. Cui iam portam egredienti obuiam fit miles quidam, nondum obducta ingentis cicatrice vulneris quod pro illo pugnans in capite acceperat: & vt erat ipso corporis habitu miserabilis, opem orat, ne militem suum plagæ morbo, fami, nuditati, tanquam immanibus feris conficiendum, relinquat. Huic Comes, Tu quidem recte, sed ego te miserabilior, qui nō modo nihil quod dem, sed ne me quidem metipsum habeo. Quid loquor? agedum miles, habeo quod dem. gerebat loricam hamis contextā, non consertam, non paruæ pecuniæ, eam protinus sibi detractam militi dedit, cūctis qui aderant talem fortunam in tanta virtute prope deflentibus. Vbi ad conspectū Regis venit, in angusta sedentis sella, extra iactum lapidis ex equo descendit, genuq; posuit, paulumq;

lumq; progressus, iterum adorauit, tertio non procul ab Rege cum adorasset, nec Rex assurgeret, nullumq; dum signum clementiæ in vultu ostenderet, erumpebant omnib. lachrymæ gemitusque ac singultus, cogitantibus, qua è spe, & in quam recidisset, cui genua submittenti ad pedes sedentis in regia sella paulo ante competitoris, in tanto procerum amicorum cœtu, ne salutationem quidem aut clemẽtem vultum impetrare fas esset: cum præsertim regis Petri filia, eademque matertera ad pedes sororis filii aduoluta, muliebribus precibus veniam marito precaretur. Rex commotos assistentium ac flentes vultus intuens, Prospexisset sibi, inquit, mature, & non ad vltimum obstinationis peruenisset, nũc postquam venenum in nos omne consumpsit, ad clementiam venit, voluntas tamen eadẽ perstat quæ fuit. Cui detur iterum grassandi materia, iam denuo de nostra pernicie cogitabit. Necessitas hoc ab eo officium expressit. Volũtati igitur quæ nulla neq; erga nos, neque ad bonum & æquum est, nihil debemus: necessitati, quæ promisimus, abũde præstabimus. Vlteriorib. autem beneficiis nos ita subito in eum vti, mores sui dissuadent, ne nobis iterum officiat bene fecisse, & anguẽ gelu enectum nostro lare refocillasse. Meis tamẽ morib. quam istius potius vtor, & mihi quam ipsi ero similior. Tu vero Aluare ducito tecum hũc in aliquod pro sua dignitate tentoriũ. Hic finis conatuũ Iacobi Aragonii fuit, vt minus deformis quam Bernardi Capreræ, ita multo miserabilior: quippe ex tanta regni assequendi spe, ex maximis opib. ex ingenti populariũ atq; optimatum fauore, vulgata iã fama velut Regis futuri, in perpetuũ carcerẽ ergastulumve cõiecti. cuius calamitatis hæc quoq; accessio fuit, vt quem adire nunquã, etiã si ab eo cum summo honore excipiendus esset, cõstituerat, Regem videre nõ sustinens, eum victus captiuusq;, & quod extremum malorum est, omnis spei vacuus adorauerit. Tertio mense quã obsideri Ballagerium cœptũ est, & oppidum & dominus in deditionẽ venerunt. Finisq; bellis atq; certaminib. in omnibus quæ Regi Aragonum parent regionib. impositus est. Eadem in castra maiorum in Italia rerum allatus est nuncius: Ladislaum Regem Neapoli vel febri, vel veneno paucis dieb. quã illuc lãguens applicuerat, demortuum esse. Is simul ac Ferdinãdum audierat declaratum Regẽ, legatos miserat, qui gratularentur: præterea de fœderatione cõtra Ludouicum cõmunem amborum hostem ageret. Ferdinãdus vbi gratias egit, quod legatos ad gratulãdum ille misisset, quod ad fœderationem attinet, amicitiã, inquit, Ladislai charã quidem sibi esse & expetendã, fœderationem vero aduersus Ludouicum inire, non esse suę æquitatis. Filium illius cõpetitorem suum fuisse, hostem eum nunquã: nunc sublata æmulatione, agnoscere se vtrumq; & amicum & propinquum. Quorum pater consobrinæ vir esset, filius ex consobrina eadem natus, promptioremq; se esse ad amicitiam inter ambos Reges conciliandam, quam ad inimicitiam fouendam. Suadere vtrisq; ne toties in fortunarum vitæq; veniant aleam, ne vrbes suas absumi euertiq; velint potius, quam aliquantulum de suo iure decedere. Nihil pace iucũdius, nihil bello esse tristius. Quod autem ad se ac regnum suum pertineat, magis è commodo suo fore, vtrumq; Regem, aut vtrumq; habere aut facere sibi amicum, neutri fauẽdo, hoc ipso, vt neuter offendatur, quã alteri fauendo, alterum inimicum. De Ladislai virtutibus vitiisque dicerem, nisi res longius à proposito nos retraheret. Huic successit Ioanna fato quodam intra breue spatium, tot regnis ad fœminas recidentibus, quemadmodum paulo post contigit de regno Nauarræ, quod postea Ioannes Ferdinandi secundus ab Alfonso filius, matrimonii iure sortitus est, cum Neapolitanum sperauisset. Nam de coniugio cum Ioanna regina conuenerat, ad quam cum se deferret maritus, in ipso itinere vxorem nupsisse accepit Iacobo Comiti Marciæ, viro in primis strenuo, & qui sub Ferdinando in vtraq; expeditione aduersus Granatenses militauerat. Huius facti culpam nescio an ipsi adscribã, aut suasoribus qui in Gallicanam quam in Hispanam gentem propensiores, Gallicum virum præeligere coegerunt, infausto atque infelici euentu, tum ipsis coniugibus, tum reip. Neapolitanorum. Hunc semper exitum habent quæ ab infandis illicitisque inceperunt. Verum id me maxime angit atque afficit, quod iram diuinam aut non intelligunt homines, aut post interiectum aliquod tempus obliuiscuntur. Vti nunc reginæ sui ciues suaserunt, moxque dissuaserunt, vt Ioannem Regis filium virum acciperet, sic iterum Alfonsum vt adoptaret filium, deinde abdicaret. Magna tamen criminis portio penes ipsam quoque fuit, nullorum minus amantem, quam maritorum, aut filiorum, in alterum fratrum fallacem vxorem, in alterum pessimam matrem. De qua cum multa in sequentibus libris dicenda sint hæc pauca attigisse sit satis, ad significandam temporum memoriam. Nunc eodem vnde discessimus reuertamur. Confecto bello, Rex ex Ballagerio digressus, specie prope triumphantis in Aragoniã, Cæsaraugustãq; versus iter intẽdit, diadema accepturus, maior etiã ac venerabilior quam abierat. Nam prius populi sui strenuitatem eius tantum audiuerãt,

nunc etiam præſentes cognouerant. Exoratus ab Ilerdenſibus qui maxime victoria ea exultabant, vt illac tranſiret, non tranſiuit ſolum, ſed etiam apud eos manſit compluſculos dies. Vbi Alfonſus peractis iam conuentibus, patri occurrit, atque ita Cæſarauguſtam peruenerunt. Conuocati autem ad ſolennia coronationis ſunt, veneruntque ex omni ferme Hiſpania proceres. Portugallenſes ſoli, præter Granatenſes, non affuerunt, quod alieno à Caſtellanis animo eſſent: quorum Rex alioqui haud dubie, ſicut Rex Nauarræ, regalibus feſtis ceremoniiſque affuiſſet. Conſtat inter omnes qui illi feſto vel præfuerunt, vel interfuerunt, nec vidiſſe nec audiſſe celebriores ſplendidioreſque pompas atque ceremonias. Ideoque de ea ſatius eſt tacere, quam parum dicere, ne aut longiores ſimus, aut non pro dignitate perſtringamus. Augebant autem iucunditatem ſolennitatis, quod quinque filii circa patrem viſebantur, quorum medius inſpectante omni cœtu, patrem, priuſquam regali chriſmate tingeretur, cinxit enſe equeriatus, vtpote præditus illa dignitate, quod magiſter equeriorum ſancti Iacobi eſſet. Nondum enim Rex equerius erat, quales alii multi, quorum & Rex Petrus auus eius, fuerunt, & talem prius quam Regem neceſſe eſt eſſe. Sed aiunt eum qui creatus eſt Rex, poſſe ſibi ſuapte autoritate tribuere illam autoritatem. Hæc eſt recepta hominum opinio, hæc militarium virorum velut ſanctio, quaſi quiſquam ſibi ipſi queat eſſe autor, ac ſe ornare dignitate, aut ſi habet, eam prærogatiua Regii culminis opus ſit ab altero quoque accipere, aut ſacroſancta maieſtas quæ ritu ſacerdotum vngitur, vnde Chriſti vocantur, neceſſe habeat poſt hæc titulo equerii decorari, exili, friuolo, & ex ignorantia nato auſim dicere. quod pace cum aliorum, tum præcipue regum dictum ſit, contumeliam regiæ maieſtati faciunt, qui hanc dignitatem, ſi hoc nomen meretur, ſuſcipiunt: non ſecus atque ſi ſupra diadema ſertum ex roſis floribuſque ſuſpenderent. Poſtquam Rex ab epiſcopo Oſcenſi, quia Cæſarauguſtana ſedes vacabat, archiepiſcopi partibus fungente, vnctus coronatuſque eſt, deducitur ab omni illa celebritate è templo per vrbem ſub vexillis, primum in domum regiam, deinde in idem templum, in quo noctem illam peruigil armatuſque iuxta vexilla, accenſa ingenti vi cereorum, venerabunde religioſeque permanſit. Poſtridie Alfonſum primigenium Gerundæ principem creat, quæ eſt peculiaris dignitas eius filii qui patri in regnum eſt ſucceſſurus. Hic quoque die quidem cum mirifica pompa per populos ſuo diademate coronatus obequitauit: nocte vero iuxta vexilla peruigilium egit. Cæteraque haud admodum magna, nec ita digna memoratu, ſatius eſt omitti. Eodem anno legati à Sigiſmũdo qui concilio Conſtantienſi præerat, vt Romanorum imperator, venerunt, poſtulantes vellet certum locum & tempus conſtituere, in quo poſſent vterque de republica Chriſtianorum, quæ ad ſummum pontificatum pertinent, communicare. Eadem mandata habebant ad Benedictum, itemque ad Regem Caſtellæ. Rex animaduertens totum pondus hoc ſuis humeris incumbere, non modo quod vtriuſque regni vnus ipſe gubernaculum teneret, ſed etiam quod Benedictum ad vnitatem eccleſiæ ſolus adhortari poſſet, & prope impellere, legatum ad imperatorem miſit, quem habuit honoratiſſimum Ioannem Iſceri dominum, ex vetuſta regum ſtirpe, & in literis humanitatis ex omni Hiſpania nulli ſecundum: idque quod mirabile ſit, ſine præceptore. ea eſt vehementis ingenii, & immortalis memoriæ felicitas. neminem ne ex iis quidem qui omnem operam atque omne tempus in ſtudiis ponunt, videre mihi contigit, in quotidiano ſermone abundantiorem veterum teſtimoniis præceptiſque referendis. Auget etiam admirationem, quod corpus athleticum, decorque vultus ab omni eum ſtudio reuocare debuiſſet, niſi ab ineunte adoleſcentia, non excellere literis puduiſſet, quem nemo nec genere, nec opibus, nec corporis atque animi dotibus, ex ſua gente antecelleret. Huic mandatum eſt, non modo vt locum tempuſque atque alia imperatori nota faceret, ſed etiam vt eum eximio comitatu deduceret Perpinianum. Hunc namque locum delegerat, vbi certior factus eſſet, papam Regemq; illo ſe contuliſſe. Vbi legati imperatoris functi legatione apud Benedictum, in Caſtellam iter intenderant, Rex à papa per nuntios petit, quem ad locum diemq; libeat in colloquium vtrunq; conuenire. Reſponſo accepto, Moreliam, id nomen eſt loco, ſed anticipato die venit, quaſi officii gratia papam excepturus. Enimuero modeſtioris animi habetur præſtolari nos eum qui par maiorve ſit nobis, quam velle vt ille nos præſtoletur. Id papa iniquo ſane animo tulit, interpretatus ſe tanquam ad ſuperiorem videri veniſſe, cum Rex ad papam vt inferior venire debuiſſet, nec excuſationem vel officii, vel ignorantiæ volebat accipere, vſque adeo vt vicario eius qui dixit, Diſcite à me qui mitis ſum & humilis corde, profeſſa dominatur ambitio. Multæ ſunt latebræ in pectoribus humanis, atque abditi receſſus. Id ipſum fortaſſis obtendebat papa, vt aliqua ratione poſtulatis Regis non acquieſceret: itaq; re infecta digreſſi ſunt. Iterum poſt dies complures, cum

papa

papa in oppido cui nomen est sancto Matthæo ageret, illuc eum adiit, persuasitq; vt Perpinianum vna se conferrent, ne causam suam absentia, veluti diffidentia damnare videretur. Contendebant autem de papatu in tria membra lacerato, ac tria capita diducto: Benedictus, qui Clementi: Gregorius, qui Innocentio: Ioannes, qui Alexandro successerat. Sed cum prius celebrare nuptias primigenii decreuisset, impetrat ab eodem, vt Valentiã ad sanctificandos coniuges proficiscatur. Extructoque mirifico apparatu atq; omnifaria pompa quæ cum die coronationis certaret, aduenit Sancius episcopus Palentinus ducēs sponsam, pronubus & velut parens puellæ, cum Henrico Infante qui pro Rege Castellæ Perpinianum pergebat, cumq; omni nobilitate Castellana, eam benedicens & suo & matris, à qua vices acceperat, nomine, sponso tradidit. Quos ambos dehinc summus pōtifex vt moris est sacerdotum, in templo multis cum ceremoniis sanctificauit atq; deduxit. Exornauit autem lætitiam nuptialem, tum anni tempus (sub extremum enim veris erat) tum natiua soli cœliq; temperies, pene ad nuptias contrahendas nata. Siquidem liquet nusquã in omni Hispania vrbis sitũ esse clementiorem. Quod indicant cum alia multa, tum vero horti non tantum citris consiti, sed etiam citreis parietib. viuente materia conclusi: vt dubites horti ne sint, an ædes. Nam cum nihil aliud insit quam arbores frugiferæ atq; felices manu positæ, institutæ, digestæ, quid nisi horti dicēdi sunt? Rursus cum audis extrinsecus esse parietes, intus autem aulam, conclauia, curiã: item sacella altaria, sedilia canonicorũ, thronum episcopi, & cætera huiusmodi, non aliud quam ædes esse succurrit. Sunt enim parietes ex truncis citriorũ confecti, & tamen frondibus vestiti, vt perspici introrsum nequeant, ne dum intrari. Ita cũ rami adolescunt intorquētur atq; inflectuntur, ita insiti atq; inserti, consiti atq; conserti coalescũt, vt omnes rimæ expleantur, vt nihil vacui relinquatur, vt pariter firmitatis ex truncis, & decoris ex frondibus ratio constet. Eodem pacto introrsum quæ enumeraui composita sunt, clericis per se, laicisq; deseruiētia. Pauimentum laterculo quadrato, vitreatoque ac picto constratum est: vt non alias apud Elysium sedes beatorum, in nemoribus lucisque poetæ sint imaginati: nec aliæ quodammodo in paradiso terrestri innocentium hominum futuræ fuerint. Hi horti intra muros Valentiæ sunt: proxime eis amœnitate sunt, alteri extra pomœrium, secundum regiam domum quã pōs fluuium amplectens, vrbi pene coniungit. Celebratio hæc per quindecim circiter dies extracta est. Post totidem ferme dies, ne qua gaudia sine calamitate aliqua traducantur, sicut raro tristia sine aliquo solatio sunt (sic enim nos Deus admonet subinde, & nostræ fragilitatis, & suæ clementiæ) accidit vt Rex sicut sedebat cũ domesticis colloquens, subita defectione corporis delaberetur, & inter assistentium succurrentes manus aliquandiu intermoreretur, rumorq; in vniuersa non solum domo, sed vrbe quoq; vulgaretur, repētina morte subtractum. Medici, vt in extremo casu opitularentur, acciti, dicuntur se occultasse præ metu, neve in præteritum negligentiæ, neve in præsens inscientię pœnas luerent. Laborauerat quidē Rex ex renibus, vir alioqui prospera ac vegeta valetudine. Subitum autem morbum pituitæ volunt incurrisse ex assidua mãsione sub dio per noctem: ad hæc frequentiore edulio cucumeris cuiusdam, quem vocant malignanum. Accitis tamē indigenis medicis, fomenta adhibita sunt aliæq; curationes: atque ita reuixit. Postero die post acceptam potionem cum melius haberet, gratulabantur ei nonnulli, quod hunc in modum vaticinio defunctus esset. Etenim fertur quidam siue ex prægnosticis corporis præsagiens, siue oraculo aliquo instinctus (nam astrologiæ prædicere mortes non tribuo) dissipasse famam, nondum exacto quadriennio Regem vita defuncturum. Rex tamē neque prophetanti plane crediderat, neq; nunc magnopere consolantib. acquiescebat: plus suæ conscientiæ de valetudine sui corporis fidei habebat, quam in vtramq; partem aliorum verbis. Vbi aliquantulum conualuisse visus est, hærebat in dubio, an appetente atq; instante tempore Perpinianum se conferret: an Alfonsum pro se mitteret. Atque vt ipse ambigebat, ita diuersæ erant suadentium sententiæ, vel potius voluntates. Pauci namque in consulendo quod sentiunt, plærique quod cupiunt, loquuntur: vt non sine causa Regis prudentia præstare cæteris debeat, cui non satis sit displicere quæ dicantur, nisi etiam quo animo dicantur. Nam frequenter consilium quod alioqui optimum videbatur, deprehensa consulentis obliqua voluntate, autoritatem perdit, ac velut inane contemnitur. Non attinet affectus causasque omnium qui consulebant, ac mysteria proferre: tantum quid suaderent, & quibus rationibus adduci se dicerent, satis est attigisse. Alii hortabantur ad constitutum locum ire, ne imperatorem, ne summum pontificem, ne concilium senatumque Christianorum, ne gloriam suam contemptui haberet. Alii rursus adhortabantur, nunc rogantes ne quid saluti suæ anteferret, parceret domui quæ ex sua vnius vita penderet: nunc admonentes nihil transigi, nisi incolumi salute posse, nemini magis

quam pro viribus esse præstandum,excusare licere suam cuique incommodam valetudinem,cum præsertim id per alios recte administrari possit. Rex verecundia tactus,ne in tanto theatro vbi papa & imperator digladiaturi essent,incusaretur, quod filium adolescentem quam se interesse maluisset,honestatem saluti præposuit,si salus honeste negligi potest. Facto igitur profectionis suæ papa certiore per complures antea dies, ne rursus quod in Morelia contigit,vsu veniret,cum omni familia mare ascendit. Nam neque reginæ tam affecta valetudine virum non comitari fas erat,& cum plæraque per Alfonsum in patris vicem administranda essent, inhumanum videbatur vxorem puellulam nuper ductam,domi solam in vrbe peregrina relinquere. Profectæ autem sunt eodem aliæ duæ reginæ Iolanta & Margarita Glores,humanæ conditionis exemplum. Nullæ enim fœminæ infœlicius viris orbantur quam reginæ sine communibus liberis. Iunior grandiori comes iit veluti matri, cum Sigismundo acturæ de cōcilianda amicitia,ineundoque fœdere inter generum & Ferdinandum,ad recuperandum illi regnum Neapolitanum. Rex prope omnem suæ ditionis oram quam longa est emensus,pluribus diebus aduersa tempestate vsus est,& cum altum tenere nollet,sed quo minus iactaretur, terram legeret, eo diutius iactatus est. Transierat autem iam æquinoctium autumnale,atque ita vexatus, vt per omne tempus quo fuit Perpiniani,decubuerit,nec vnquam equo vectus sit,ægreque aduenienti imperatori obuiam processerit. Nam papa (vt diximus) anteuerterat. Quod si Ferdinandus officiose & ex sua Cæsarisque dignitate egit, vt certe egit,quod illum præuenit,prudentium relinquo iudicio,an idem sit de illa Moreliana antecessione sentiendum. Quantum autem certaminis fuerit Perpiniani inter multos canes ac vetulam vulpem,& prælongum est relatu,& à nostro nonnihil opere alienum. Cuius viri quantus animo vigor,quanta viuacitas fuerit,hinc fides documentumque accipi potest, quod iam ab omnibus fere destitutus quos sibi affuturos sperauerat,die quodam septem horis disputationem extraxit. Defatigatisque audiendo omnibus, ac plærisque iam abeuntibus, dicere perseuerauit citra signum vllum defatigationis,cum maior esset septem & septuaginta annis. Nitebatur autem probare tum verum se papam esse,tum si renunciandum ob commune commodum foret,in se vno nonnullisque Romanis canonicis quos ipse nuncupasset,consistere summi pontificis electionem. Nam se vnum omnium esse indubitatum cardinalem,ab indubitato creatum papa: cum cæteri qui se eodem nomine appellarent,creati essent tempore schismatis,vt incertum sit,an veri sint cardinales,& ob id an rite deligere summum pontificem possint. Aduersus hanc orationem multis iam annis commentatam meditatamque,cum Rex eodem recideret (quid enim interer at an nulla ratione vellet abdicare se papatu,an vlla) hortabatur Rex vt concordiæ ecclesiæ, vt saluti animarum,vt conscientiæ consuleret: commonefaciebat Alfonsus (nam is quam pater ad eum frequentius ventitabat) vt trepidationem animi,vt corporis periculum, vt præsentem & apud posteros futuram infamiam deuitaret: minabatur imperator suam vniuersalisque concilii censuram: obsecrabant amici ac familiares, vt certa commoda, quamuis minora,quam incerta quantumlibet magna,siqua modo magna superfint,præponeret. Non deesse spem recuperandæ dignitatis: quippe in tanta virtute ac literatura, qua non modo præstaret iis qui de papatu secum contenderent,sed prope nemini cederet. certe summum cardinalem,& secundum à papa futurum, si alius fieret. Post quem defunctum aliam spem fore,habiturum legationes perpetuas, quibus pene par summo pontifici esset. Afferebatur ab omnibus exemplum Gregorii ac Ioannis, quorum vterq; pontificatu se abdicare vel spondebat,vel cogendus esse dicebatur. At ille qui annuum papatum mallet,quam longissimam vitam priuatus viuere, quique iam dediscere non posset alium quam papam agere,cætera neglexit præ vmbra illius nominis. Itaque infecto negotio,ac principibus legationibusque desertis,Colibrium abiit, ibique mare conscendit,ac Paniscolam petiit. Hoc loco Rex insignem atque maiorem multo quam videatur rem fecit, quod illum pro conuicto pronuntiari præcepit,neminemque ex suis & Regis Castellæ prouinciis ad Petrum Lunam,sed concilium Constantiense rerum sacerdotalium gratia pergere. Nam se autorem ille cogendi concilii de Rege declarando, se deligendorum iudicum principem,se iudicii maturandi ducem,se vt iudices ita sentirent atque auderent,effectorem fuisse,dicebat. Nec id omnino falso prædicabat. Qua spe fretus non existimauit fore,vt ab eo Rege desereretur,de quo tam meritus esset. Sed is qui neglecta valetudine ad diem venisset, vt de iure papatus disquireretur, non potuit animum inducere post cognitam huius vel iniustitiam vel obstinationem, vt criminis tanti particeps ei esset: voluitque hominem huiusmodi veluti sectione aut adustione sanare,ne totus interiret. Duo quoque familiarissimi illius atque eloquentissimi viri, Vincentius

Ferra-

Ferrarius, & Philippus Malia: alter Perpiniani decretum regis aduersus Petrũ quondam Benedictum, notum populis fecit: alter pro legato Constantiam missus est. Quare ausim affirmare, Ferdinandum regem ad vnitatem ecclesiæ plus quam cæteros principes, etiam quam ipsum Sigismundũ contulisse. Ille vt concilium in sua vrbe ad finẽ perduceretur, vehementer annixus est: hic (vt cætera transeam) pontificatũ ex vrbibus suis exemit, amicissimum ac de se optime meritũ virum à sede domoq; sua eiecit, & omnem prope Hispaniam concilio & ignoto summo pontifici donauit. Quarto demum mense ab omnib. Perpiniano discessum est. Qua in vrbe omni eo tempore victum gratuitũ imperatori legatisque præbitũ, & cuncta non carius mercatos fuisse homines, quam prius cõsueuerant, minora sunt, quam vt in tantis rebus memoranda sint. Reuersus illinc Ferdinandus rex itinere terrestri ob tædium maris, nondum desæuiente hyeme, Barcellonam peruenit, extenuato corporis habitu præ diutino morbo, cuius ortum ignota causa attulit, incrementũ nauigatio, accessionẽ cura laborq; rerum cum imperatore ac papa componendarũ, mœror quoq; ex discessu tam obstinato amici, & necessitate sua, qui primus eum quodãmodo ferire gladio regio coactus est. Addita sunt ad extremum ex ira atq; indignatione ægritudini alimenta, & morti calcaria. Orta est ira atq; indignatio ex re quam animo quidẽ iam pridem præuiderat, sed asperiorẽ opinione sua expertus est. Et alioqui ægroti hominis, vt corpus, ita animũ grauius afficit omnis offensa. Paucis diebus quam Barcellonam venit, cum se nihil sane ex morbo conualescere animaduerteret, dixit inter domesticos se in animo habere Castellam petere: primum vt in cœlo ac solo natali maturius ad bonam valetudinem rediret: deinde vt negotia regis pueri recognosceret, atq; ordinaret: tum vt Granatẽse bellũ necessitate intermissum instauraret, cum propter superiores causas, tum vero vt eo parto, atq; in manus Ioannis regis tradito, viciſsim ab eodẽ grandi pecunia adiuuaretur ad luendum regni sui patrimoniũ. Sed multo magis esse ẽ sua tũ dignitate tũ vtilitate, si citra alterius opem, & mutuo acceptam pecuniam, sola autoritate à suis populis quod suum esset recuperaret. Itaq; aptius tempus esse ad rem tentandã, priusquam in Castellam iret, ne res ipsa diutunitate obdurescceret, neve pecuniam hanc nisi ea indigeret, cogendam curaret. Quæ cum cogi commode nisi se præsente non posset, necessarium erat eodem iterum se redire, si obstinatos ad restituendũ gratis patrimonium regium populos suos intellexisset. Nam quod se absente per alium isti ad hoc ipsum adducerentur, non erat sperandum. Voluit igitur à minimis tentare Barcellonensium animos. Siquidem vt minimũ est, si pretium æstimes, regem vectigal pendere ciuibus suis: ita maximũ, si rei indignitatem, præcipue in emundis obsoniis, cuius vectigalis immunes sunt clerici, atque olim nobiles erãt. Quæ res adhuc in controuersia est. Et contigit forte prima pugna cum lanio, à quo regius dispensator obsonium mercatus, in soluendo pretio cum portionẽ illam vectigalis non connumeraret, primum lis, mox clamor, postremo atrox tumultus exoritur. Res hinc ad regem, illinc ad senatum magistratusq; defertur. Omnia vtrobiq; ira, solicitudine, querimoniis, minis implentur. Rex iubet accersi principẽ magistratuum senatorumve, quos consiliarios vocant, numero quinque. Quorum princeps est, qui sæpius cæteris eum magistratũ gessit: vocaturque consilii caput. Is erat Ioannes Ceuillerius, qui veluti ad mortem vocatus, cum detrectare non posset, inito concilio inter primores ciuitatis, iussus est bene sperare: si periret ipse, se parentaturos ei sanguine omnium qui apud regẽ essent. Neminem, si moriendum sit, honestius vnquam aut mortuum, aut vindicatũ esse. præstaret patriæ generosam animi indolem, redderet cæteros suo exemplo ad capessendam virtutem alacriores. Nullum veterum Romanorũ præclarius fuisse facinus: hoc quoq; æternæ memoriæ literisq; mandandũ. Hæc tametsi excitabant animum, tamẽ magis ad non pereundum confirmabat, quod clausis tabernis videbat magnam partem populi in armis esse, & magistratibus operam suam polliceri. Disposita itaq; rẽ familiari, cõditoq; testamento, occlusis hostiis ac fenestris domus, extincto igni, sedentibus in pauimento vxore atq; filiabus, prosequentibus aliquantulũ collegis, ac cæteris veluti damnatum destinatumq; inspectantibus ac miserantibus, ad regiam pergit. Iam magis ac magis tumultus inualescebat, iam vulgus passim fremere audiebatur, & se inuicẽ acuebant, nec exhortatores ex primoribus vsquam deerant. Ipsi etiam magistratus palam consiliariorũ regis culpam hanc esse dicebant, ideoq; si male cõsultum sit in principem consilii publici, neminem ex his qui cum regẽ sunt, cædem vitaturum, præter vxorem ac primogenitum. Nam hæ tres personæ apud eos sacrosanctæ habentur: Rex, regina, atq; successor in regno: quanquam ille Gerundæ per eos dies agebat. Vbi peruenit Ceuillerius ad ianuam cõclauis, vbi ab rege expectabatur, pulsat ianuam. nam ministros in prima aula (vt moris est) reliquerat. Ianitor semiaperto hostio, quis esset interrogat, an Ioannes Ceuillerius.

Hic aliquid fauoris ex nomine magistratus acquirere volẽs, cõsiliarius, inquit, sum ciuitatis. an Ceuillerius? ciuitatis inquã consiliarius. Respõde an Ceuillerius. Respõdeo quod cõsiliarius. Responde quod rogo: nam alium quã Ceuilleriũ intromittere iussus nõ sum. An me intromitas, an excludas, in tua est manu: ego cõsiliarius vnus, sed pro omnib. sum. Ideoq; parui refert interrogare de nomine. Hæc cum ille ad regẽ detulisset: Aperi, inquit, Ceuillerio. Ex pertinacia enim se Ceuillerium esse confitetur, & contumaciam qua mecum vsurus est, in istis verbis quæ dixit hactenus, præfert. Cum ingressus est hic, & regem adorauit: Quo mihi, rex inquit, istam adorationem tanquam regi, quem cogis veluti subditum pendere vectigal, & quidem subditum tibi tuisq; collegis? Nam cui tributum vectigalq; penditur, nisi his qui pendi cogunt? Vos ergo me ad hanc seruitutem cogere potestis? vos regem vestrum tributarium vectigalemq; facere vultis? vos regiam maiestatẽ vestro, si nomen meretur, magistratui obnoxiã addictamq; videri non erubescitis? Quod (ni vos reges, nõ ego, aut superiores rege estis) monstri profecto ac prodigii simile, regem ciuibus suis pendere vectigalia. Episcopus, abbates, priores, canonici, & quicunq; sunt ordinis clericalis, immunitate hac fruuntur. Nobiles pro eadem recuperanda litigant: nam olim fruebantur. Nos reges infra nobiles, infra humilimos quosq; clericorum, quatenus ad immunitatem huius vectigalis pertinet, erimus? Non afferam è regno patris mei, non ex aliis huius ætatis exempla. Certe Lacedæmonii apud quos bini reges erant, & magis perpetui consules quam reges, ita parum in vrbe, multum in bello poterant: voluerunt illos huius contumeliæ exortes esse. Taceo gentilia. Quis vnquam Hebræorum regum aliquando vectigal audiuit pependisse, & non potius regi vectigalia esse pensitata? Non id nunc postulo, vt mihi illa pensitentur, quanquam & possem, sed vt regiæ dignitatis ratio constet. Neq; enim de pecunia res est, de qua si certaretur, pudendum vobis erat tantulũ sumptum regi vestro non gratificari: sed de pudore meo, de autoritate huius sedis, de fama apud exteras nationes. Quibus rebus cum vos tantopere aduersemini, quid aliud nisi cupidos esse significatis nostræ turpitudinis, dedecoris, infamiæ, sine vlla vestra, si saperetis, laude ac dignitate? Et cum decorum vobis pulchrumq; ducatis regem vestrum afficere contumeliis, tamen de vestra in regem fide atq; charitate apud nos aliasque nationes gloriamini. Dedecus potius vestrum ac contumaciam perfidiamq; confiteamini. Licet & vobis persuasistis, hæc indigna mihi toleranda esse. Ego regnum filii fratris propagaui, ego statum clericalẽ, quantum per vnum regem præstari poterat, direxi, schismate ex Hispania exploso, meum ipsius ius negligam? ac maiestatem regiam ab improbis, ne vi magis videat vos quam ratione velle cohercere. Nec ignoro id vnum quod responsuri sitis: sed istud commodius vbi abs te prolatum fuerit (vt spero) confutabitur. Quare datur tibi potestas pro te respondendi tuisq; collegis. Tum Ceuillerius, Recte tu quidem rex, quod ais vnum esse quod responsurus sum, & id quod opinor diuinas. Sed hoc ipsum vnũ magni sane momenti, & quod in te cõformidasti attingere. Scis enim te iureiurando adactũ promisisse conseruaturum nostra priuilegia, nec aliquod eorum rescindere conaturũ. Idem superiores reges vt promiserunt sic excoluerunt. Quos cur nolis imitari rex, sed potius damnare, iusiurandumq; tuum polluere, ac promissa tua facere irrita, magnopere miramur, & tua pariter ac nostra causa dolemus: tua, qui (cum bona venia dictum sit) iniuste facis: nostra, quibus iniuria fit. Ex quo pariter optamus tuam honestatem & nostram vtilitatem incolumem esse. Neq; indignum duxeris rex clarissime, te pro nostra in principẽ nostrum obseruantia à nobis vel admoneri vel rogari, vt & pudori tuo & quieti tuorum populorum cõsulas. Sed ego plus quam vnum pergo dicere, nec de iure tantum loqui videor, sed etiam (quod absit) consilium dare. Quare id vnum quod inceperam dicere, pro nostro iure dictum sit, vectigalia reip. esse, non tua, eaq; cõditione nos te regem accepisse, teq; iureiurando interposito rata nobis hæc fore recepisse: ideoq; nos sanctius (iterũ pace tua dictum sit) certare quam te. Verum quid ad tuam honestatem pertineat, ipse videris. Id tamen quod meum est, ac meorum collegarũ, testatum apud te volumus, vt quantum coneris, intelligas, citius nos vitam quam istam libertatem tibi concessuros. Neq; enim honestior ac gloriosior nobis obitus contingere potest quam pro libertate, pro ornamentis, pro amplitudine patriæ. Nec minus nos defunctos celebrabunt ciues nostri quam suos celebrant Athenienses atq; Romani: tametsi, quod maximũ est, merces nostra apud Deũ veluti martyrũ (martyres enim sunt qui veritati ac iustitiæ assunt) nobis proponitur. Quo magis, vt bonos & Christianos decet, quod facere nolebam, admonere te habeo. Prospicito quo progrediaris, neve innocentiæ tuæ ciuitatis ac tuorũ saluti male consulas. Non enim moriemur, si moriemur, inulti. Cum hæc rex audisset, conuerso ad assistentes vultu, Quanta versatur, inquit, in pectoribus humanis vesania: qui sub vmbra iustitiæ nõ intelli-

gunt

gunt patrocinium se auaritiæ vanitatique præstare, & si pro ea pereant, non temerarie ac furiose perire, sed fortiter. Refers mihi non modo Athenienses Romanosque, sed etiam martyres: quasi tu pro honesto, pro vero, pro religione contendas, qui ne pro patria quidem verba facis, sed pro scelere, perfidia, superbia. Quo de periculo nunc agitur? & propter quod tantas rerum verborumq; procellas cietis? Credo templa spoliantur, innoxii homines ad necem suppliciumq; rapiuntur, ærarium denique, ne dicam grauiora, compilatur: pro quo conseruando tantum concitari tumultum deformissimum erat. Vectigal carnis similiumque ne rex pendat ciuibus suis, id vos tantopere commouet? in hoc salus & amplitudo patriæ vertitur? pro hoc tibi mortem oppetere honestissimum ac gloriosissimum est? hoc te Atheniensibus, hoc te Romanis, hoc martyribus similem faciet? O rem inauditam, regem suum in seruitutem ciuium suorum redigi velle! Id vero pulchrum, laudabile, & immortali gloria dignum est? An non hæc abiectissimorum hominum contumacia est, atq; ambitio, & Luciferi arrogantia? qui dicit, Ponam sedem meam ad Aquilonem, & ero similis altissimo. Iam posuistis vobis sedem ad Aquilonem, iam similes mihi estis, & nisi fallor etiam maiores. At enim iureiurando adacti sumus ad promittendum. Vos adegistis? an mihi erat integrum nolle iurare ac promittere, cui proponebatur conditio? Si regni possessionem vellem, iurandum pariter ac promittendum. Quid si non promittam? Rex non ero. Videtis quonam modo promittere cogitis, ac iurare, immo peierare. Peierare enim est, non ex animi sententia iurare. Cuius tamen rei penes vos culpa est, nulla penes me. Ego enim id me præstiturum promisi (neque aliter licebat) quatenus iustum sit. Nũc regni leges quas iuraui de cõseruando patrimonio regis, hoc me præstare prohibent. Quas infringere, quam istud iusiurandum, maius crimen est. Nam de superioribus regibus quorum culpa aut necessitate in hoc deuẽtum est, nolo dicere. Non enim regum nomina, sed egregia facinora habent autoritatem. Illi nauem hanc ad suum iudicium moderati sunt: ego qui nunc eius clauum teneo, non exemplum, sed rationem sequar. Iuraui: si recte, seruandum est: si secus, corrigendum. Neque enim iusiurandum est quod nec ius, nec iurandum est. Sed quid ego aduersus hunc disputo qui non modo rationibus, sed minis mecum agere ausus est, & tumultum ciuitatis & cædem meorum ostendere? Hoc plus est quam vectigalis iura defendere. Secede paulisper in conclaue illud interius. Ille vbi introiit, vt postea retulit, circumferebat oculos, si quem laqueum, si quem gladium, si quem humorem vbi præfocaretur, si quam fenestram qua præcipitaretur, videret. Omnia imaginabatur, omnia timebat, omnem sonum strepitumq; horrebat, tanquam nex sibi iamiam inferretur: & verba regis apud se voluẽtem aduentus sui pœnitere inceperat. Interea rex cum cæteris consultabat. Omnes obsecrabant, præcipue Garaus Ceruellio præses Cataloniæ, Guilielmus Raimundus Moncada, Bernardus Caprera, ne quid in consiliarium ciuitatis male consuleret, neve præsentem furorem plebis imperitæ magis irritaret. daret rei spatium, nondum adesse maturitatem. Quod nunc negãt, id vltro postea delaturos. Motum plebis esse torrenti similem, qui ad breue tempus inflatus perennibus aquis concitatius fertur, mox æstum ac feruorem perditurus. cogitaret quod ipse perspicere poterat. necdum tãtum beneuolentiæ contractũ esse inter se & gentem Catalanã, vt onus hoc libentibus animis possent accipere. Eius rei causam esse, quod aliter quam fert eorum consuetudo, parum se familiarem præbuerit, ob ingentes fortasse curas atque occupationes tot regnorum. Additum quoque est, non esse tentandum quid facere audeant, qui primigenio dicere ausi sunt die quodam in dissensione de supplicio sontis cuiusdam, nondum exiccatum esse atramentum, quo exarata sunt instrumenta declarationis de successione, & præter leges moresque iam fieri. Ignorabat id rei ipse rex. Namque eo in tempore in castris agebat. Qua audita vehementer commotus iussit euocari Ceuillerium, ad certam se mortem euocari opinantem. Atque ei prope exangui, & timorem ipso vultus habitu atque incessu declaranti, inquit: Quid ita mortis metu apud te ipsum non videris esse, qui tibi pulchram ac gloriosam contra regem tuum mortem ducis? Ne timeto, viue, vt collegis tuis atque ciuibus respondeas, vectigalia vestra vobis incolumia esse, meque cedente ab hac pugna penes vos quidẽ esse victoriam, sed non tamen de me triumphaturos. His dictis Ceuillerius abiit, veluti qui de mediis hostium telis ægre elapsus est. Quem timorem magna apud ciues gloria compensauit. Et sane si pro patria contendisse dicendus est, eximiam magnanimitatis meruit laudẽ. Hunc subsecuti sunt, Garaus præses, & Guilielmus Moncada, vectigalq; ex suo pernumerauerũt, ne regẽ illi qui sibi solui vtique volebant, soluere coegisse viderentur. Postero die rex, nullis præter domesticos pręmonitis, ex vrbe excessit, lectica vectus. Id cum palam factum est in ciuitate, partim lętabantur quod tanta tempestas sedata esset: partim vicem regiæ dignitatis

dolebant, quod tali à suis ciuibus contumelia afficeretur, succensebantque superbiæ atque auaritiæ magistratuum: partim, & hi plærique omnes, dolebant vicem suam, qui permagnis quæstibus ex regis absentia fraudarentur. Enimuero quemadmodum in præsenti certamine ciues fauebant causæ ciuitatis, ita puostquam resedit feruor animorum, ad repentinum turbati regis discessum, æquam fuisse causam eius affirmabāt. Mittunt ergo qui orent, ne discedat ab eorum solo, neve hunc in modum declaret infenso se in suam ciuitatē animo esse, futuros se in officio, pensaturos obsequiis aliis, si quid offendisset. Hic cum regē circiter sex millia passuum extra murum nacti essent, breui responsione remissi sunt. Sunt qui dicant eum respondisse, si rediret, vt petebant, illorum malo rediturum, & si viueret, Barcellonam castigaturum. Sed nō perinde compertum est, vt pro vero queat affirmari. Et si dictum est, non nisi inter intimos dictum, vt aliquo potius familiarium vicem regis indignantium dictum est, atque ab aliis exceptum: ideo non ita pro magno habitum. Vbi ad Aqualatam venit, quod oppidum Barcellona abest paulo plus itinere diei, grauius ęgrotare cœpit. Quem ad locum accurrit Alfonsus filius, nam Petrus aderat: duo, secundus ac tertius, in Castella cum patruele degebant: Sancius paucis antea diebus, sed pater ignorabat, calculo decesserat paterno morbo. Hunc Deus ita præmisit, vt mortuum patrem in alio seculo exciperet, iucundus ac gratus post mortem, qui moriens nullum illi doloris vulnus inflixisset. Magnum itaque patri morienti solatium fuit, nescisse Sancium defunctum: sed maius, affuisse Alfonsum. In huius ore, in huius alloquio, in huius pietate acquiescebat, huius se præsentia existimabat diutius viuere, huic illud mirabile, quod 2
non ab omnibus æque ac magnum est ponderatur, testimonium reddidit: Ex septem liberis nulli magis obitum suum doliturum esse, quam Alfonso qui defuncto patre foret regnaturus, ideoque si non primigenius extitisset Alfonsus, huic quantum in se esset, regnum relinqueret. Extracta est valetudo duos circiter menses, eoq; omnis nobilitas suorum regnorum atque Castellæ non ad id modo oppidum confluxerat, sed ad vicina quoque. Nam cuncti sedulitatem atque officium suum declarare studebant, non tantum regi, sed filio. Ibi testamentum condidit. Legata plurima reliquit, religiosa plæraque, ita vt non suppeteret pecuniæ quas relinquebat. Ante se mortuum stipendiorum quæ domesticis atque officialibus quocunque ex tempore debebantur, pernumerari voluit, & ab illis ipsis certior fieri an pernumerata essent. Hæc atque cætera quæ ad animæ salutem, ad 3
domus incolumitatem, ad regni stabilitatem pertinebant, vbi prouidit, inter suorum colloquia atque amplexus ad extremum vsque halitum plane loquens, velut in soporem solueretur, animam efflauit, quarto nonas Aprilis anni sextidecimi post millesimum quadringentesimumque. Cuius obitu præmaturo magnam non solum Hispania illa, verum etiam nomen Christianū iacturam fecit. Nemo enim regum Ferdinando maturius Granatam, ne dicamus Africam, subegisset. Siquidem constituerat non magis numero quam delectu militum Aragoniæ atq; Castellæ Granatam vrbem obsidere, binis è regione positis castris, vnis Aragonum, alteris Castellanorum, vt certatim pro gloria gentis vel religionis dimicarent. Sed nonnunquam optimi principes culpa populorum ab æterno iudice subtrahuntur. Nam magis subditorum quam sua eum viuere intererat. Cuius fere 4
vita, sicut in plærisque licet, ex iucundis sane fuit tristibusq; permixta. Etenim Ferdinandus rege patre ortus fuit, sed illum ante tempus amisit. Ornamenta sortitus est animi corporisq;, sed ea apud fratrem minus fauorabilia fuerunt. Felix fuit prouentu liberorum, sed ob hoc liuore proximorū perstrictus. Vidit filium regis generū, sed ne spe laberetur extimuit. Rursus, vt à malis incipientes in bonis desinamus, in administratione regni ac belli à fratre præteritus est, sed amicorum præsidio sua virtus non est destituta. Proditus ad Setanillium, sed aliis victoriis cladē compensauit. Ad Anticheram sæpe frustratus, ad extremum voti compos effectus est. Rursusq; regnum hæreditarium sperauit, sed multis difficultatibus est iactatus. Adeptus est possessionem regni, sed rebelles cum magno status sui periculo compescere necesse habuit. Diadema cum tanto pompæ splendore accepit, nu- 5
ptiasq; celeberrimas filii vidit, sed subito morbo decubuit. Aspexit Cæsarem in domo sua & papam, regiam opem auxiliumq; deprecantem, sed contumacia suorū exulceratus est. Ita quicquid ex iusto vitæ spatio superesset, vt multa læta, sic multa fortassis tristia fuisset expertus: veluti illud quod ex quinq; filiis, quasi dexteræ digitis, vnum iam se perdidisse rescisset. Quod si quemadmodum à sapientibus dictum est, acerbiora sunt aduersa, quam iucundiora prospera, dicamus præclare cum Ferdinando esse actum, quod viridis adhuc & in media ætate excessit è vita: cum præsertim hoc secum gaudiū tulerit, quod tribus regibus proximis denegatum erat, vt filio regnū per manus traderet, ne dicam tali filio, quali nemo vnquā meliore gloriatus est. Fuit autē Ferdinandus natura sane sublimi, ab omni

tamen

tamen remota fastu: animo fidenti atque intrepido, sed aduersus iustitiam veritatemque demisso ac pusillo. In contumaces nocentesq; vehemens, sed erga eos qui allegarent necessitudines, paupertatē, morbum, ætatem, aliasque misericordiæ causas clementissimus. Amator bellicæ gloriæ, sed ita vt pacē præoptaret. Liberalis inter primos, sed non nisi religionis ac meriti causa in admittendis ad intima domus turbis procerū, & exercenda familiariter cum plurimis cōsuetudine non ita facilis, vt reges superiores extiterant, sed qui nunquam claudi fores voluerit his qui se indigerent, & in cœtu aut in itinere faciendo, si quem non facile posse accedere videbat, iuberet homini viam aperiri, & ad loquendum hortaretur, comiterq; & audiret & responderet. Ab obscœnitate non factorū modo, sed etiam dictorum ita abhorrens, vt pene nimius putaretur. Cibi viniq; nullo paratu ad gulam, sed ob dignitatem personæ magnifico ac splendido. Veneris incredibi temperantia, &, vt affirmabant, intra matrimonii sanctitatē. Nam vt incertū est, cum alia eum fœmina post coniugium habuisse vsum, ita nulla non nocte cum vxore cubasse compertū est. Neminem domesticorū patiebatur scortum in domum ducere, licet cuncta vt resciret flagitia domestica, fieri non poterat. Si resciebat, præsenti pœna plectebat. Forte die quodam cum apud eum inter familiares controuersia foret atq; altercatio, vter præstantior in bello extitisset, Hector an Achilles, interuenit Ioannes Ferrandis, quæsiuitq; quænam tanta omnium altercatio esset: nemo enim non alterutri parti aderat. vbi controuersiam audiuit, Absit, inquit, optime rex in hoc apud te quæri patiaris, & fortissimū omnium & longe præclarissimū Hectorem cum fœdo ac flagitioso Achille comparari. Qua admonitione adductus rex, edixit, si quis domi suæ Achillem nominaret, continuo eum nunquā reuersurum explod erent. Caste quidē rex ac religiose: sed Ioannes imperite sane atq; indocte, homo quidē grauis probusq; ac strenuus, sed idiota. Apud Homerū quidē qui hæc scripsit, longe abhorrent Achilles ac Patroclus ab omni suspicione flagitii. Quorum alter non modo Hectorem, sed omnes Troianos, auxiliaresq; principes atq; exercitus, solus fugauit, & nisi dii obstitissent, contrucidasset, ita vt ne vnus quidē fuerit superfuturus: alter qui aliquātulo maior natu erat, aut par Hectori fuit, aut fortior. Qualis fuit etiā Agamemnon. Nam Aiacem atq; Diomedem fortiores Hectore fuisse, qui eundem poetam sumpserunt in manus, non ambigunt. Itaq; in hoc errore non qui accepit, sed qui dedit consilium, reprehendendus est. Fuit enim Ferdinandus parum excultus literis, sed vt illo seculo, & vt in Hispana nobilitate, non indoctus: doctorum tamen mirifice fautor, & suorū ad studia hortator. Nulli domesticorū salarium numerari voluit, nisi qui testimonium à sacerdote attulisset eo anno se esse confessum, & corpus ac calicem Domini cōmunicasse. In honorem beatissimæ virginis ad Anticheram instituit, vt fasciam albam, quam stolam vocant, transuersam ad pectus cum hydria la volentes ferrent ab institutore impositam, certa lege ieiuniorum ac precationū. Execrantium numina punitor acerrimus. Aleatores vt pestes exosus. Nil enim boni viri adesse existimabat aleatoribus & blasphemis. Pro absentibus & quos ipse misisset, quam pro his qui aderant diligentior: quippe qui scripta eorum nomina in priuato quodam libello habebat, & quoties quippiam vacaret, quod conferendū esset, ad illud tanquam ad ephemeridem se conferebat. Nec petentibus statim beneficia indulgebat, sed duo hæc prius animaduertebat, an alteri indultū esset, & an alius dignior. Nihil intercedente pecunia contulit: nam eius minime auarus. Auxitq; pecunia sua quam è Castella aduexerat, Aragoniam, Valentiam, Cataloniam. Ideoq; ægre ferebat non posse munificentiam consuetam exercere in tanta prouentuum exiguitate ex suis regnis: solitus dicere, non agere regem qui non plus quam posceretur, donaret. In patrimonio regali tuendo tenax: quod qui alienarēt, aiebat inimicos potius sibi parare quam amicos, quia ex subditis illos quosdam regulos faceret, semper solicitos ac suspicantes eorū iura licentiamq; iri deminutū. Statura fuit supra iustam, aspectu graui ac suaui, colore candido, satis plenis membris ac satis robustis. Elatus autem est maiori funerum pompa quam quispiam omnis memoriæ Aragonum rex, inter proceres prope totius Hispaniæ, maioriq; & tempore & viarum spatio. Plus enim triginta millibus passuum ab Aqualata remotū est templum sanctæ Mariæ ad Populetum, vbi reges Aragoniæ sepeliuntur. Ita Ferdinandus rex non in sepulchra regum Castellæ suorum maiorum, sed in regum Aragoniæ illatus est. Illinc nemo regum qui ex ea familia fuit, abest, præter Ferdinandum: & hic nemo rex adest, præter hunc eundem ex aliena familia.

LAVRENTII VALLÆ HISTORIÆ DE FERDINANDO ARAGONVM REGE FINIS.

AELII ANTONII NEBRISSENSIS, EX GRAMMATICO ET RHETORE HISTORIOGRAPHI REGII, RERVM A FERDINANDO ET *Eliſabe Hiſpaniarum feliciſsimis Regibus geſtarum, Decades duæ.*

EIVSDEM AD CLARISS. HISPANIARVM, ATQVE VTRIVSQVE SICILIÆ, INSVLARVMQVE MARIS NOSTRI moderatorem Ferdinandum diuinatio in ſcribenda hiſtoria.


NON *possum non magnifacere tuum de me iudicium, clarissime Princeps, quod ex tanta doctissimorum virorum copia, qui per omne ditionis tuæ imperium diffusi sunt, me potissimum delegeris, cui immortalia tua gesta Latino sermone describenda mandares. Vereor tamen ne hoc tuo delectu habendo tale aliquid tibi euenerit, quale Alexandro Macedonum Regi. Ille namque, vt scis, post superatam omnem Asiam & AEgyptum Magni cognomen adeptus edicto publice vetuit, ne quisquam ex coloribus imaginem suam pingeret, nisi Apelles, nemo ex typis æream duceret, nisi Lysippus, nemo in anulorum vsus gemmis insculperet, nisi Pyrgoteles: cum essent illi tres quisque in sua arte eminentissimus. Hoc nimirum famigeratus ille vir faciebat sapientissime, ne quisquam opifex artis imperitia quicquam ex vera facie deprauaret. Quod si fuisset Alexander tam solers in nominandis autoribus qui literis mandarent res ab eo gestas & victorias, quibus totum prope orbem terrarum illustrauit, quam fuit in deligendis artificibus qui lineamenta & corporis ductus effingerent, nihil profecto in tanto Principe desideraretur quod ad summam hominis conditionem pertineret. Sed quandoquidem ita fit: vt nihil vnquam natura omni ex parte absoluerit (tanquam cæteris non sit habitura, si vni cuncta concesserit) ille cui neque ingenium, neque doctrina, sed neque rerum vsus defuit in cunctis artibus quæ sunt homine libero dignæ, vna tantum in re legitur fuisse deceptus. Ex tanta nanque poetarum, historicorum oratorumque copia, quibus tunc abundabat Græcia, vnum Chœrilum delegit qui res à se gestas carmine describeret, cum esset omnium sui temporis poeta ineptissimus, inuitans etiam illum proposita laboris mercede, pro singulis versibus aureo Philippo, magni ponderis moneta, quam pater Philippus percuti iusserat. Hæc sunt à me clarissime Rex tam multis repetita, non quo velim me Apelli comparare ad depingendos fortunæ tuæ successus incredibiles, non Lysippo ad exprimendas ingenii tui dotes innumeras, non Pyrgoteli ad scalpendas figendasque posteritatis memoriæ animi tui virtutes. Non commemoro nunc illas quæ sub fortunæ dominio positæ sunt, potentia, victoria, felicitas, in quibus nemo te fuit superior: non illas quæ sunt hominis propriæ, qua homo est, temperantia, fortitudo, mansuetudo, liberalitas, comitas, in quibus etiam priuatos excellis: sed illas quæ sunt Regum propriæ, magnificentia, magnitudo animi, clementia, iustitia, seueritas, grauitas, in cunctos mortales beneficentia, rerum omnium sub fortuna positarum contemptus. Quod vero Celsitudo tua me præ cæteris delegerit, cuius humeris tantam rerum molem imponeres, non deerunt qui existiment, te non minori fuisse in errore, quam fuerit Alexander, cum nemo sit, qui non iudicet me multo esse Chœrilo inferiorem, quippe qui fuerit posteritatis iudicio poeta non contemnendus. Sed Alexandrum in tanta doctissimorum virorum multitudine qui tempestate illa floruerunt, non delegisse optimum, quis non possit iure reprehendere? Tu vero Princeps inuictissime, quos habebas Onesicritos, quos Callisthenes, quos Clitarchos, quos Aristobulos, quos Ptolemæos quos alios complures viros eruditissimos itineris tui comites, vt in deligendo historiographo non facilis esset ista deliberatio? Sed quod apud nos huiusmodi viri non facile reperiuntur, in Italiam puto eundum fuit, vt Angelus Politianus, vt Picus Mirandula, vt Hermolaus Barbarus, aut ex iis qui supersunt, vt Antonius Flaminius, vt Aldus Romanus inde adsciscetur.*

retur. Non tamen opinor satis tuto peregrinis hominibus historiæ fides concrederetur, Italis maxime, nullius rei magis quam gloriæ auaris. Inuident nobis laudem, indignantur quod illis imperitemus, coniurarunt inter se omnes odisse peregrinos, nosque Barbaros opicosque vocantes infami appellatione fœdant. Quodque M. C. ad filium de Græcis scribit, possumus & nos de Italis dicere, quandocunque gens ista nobis literas dabit, omnia corrumpet. An qui Latinæ linguæ alterum lumen Quintilianum, qui Silium Italicum, quos Hispanos fuisse constat, qui alios complures, non veriti legem Fanniam de plagiariis, extorquere conantur, pure ac sincere Hispanarum rerum historiam prosequentur? Quid? quod res nostræ non minus ignotæ sunt illis quam nobis Italicæ, atque vt est in adagio illo vulgari: Multo callidior est insipiens domi suæ, quam sapiens alienæ? Sed esto, æque illis ac nobis res Hispaniæ sint notæ, vtri magis ex animo res ipsas scribent, illi qui simulatæ cuiusdam libertatis amore regium nomen odere, regumque imperia detrectant, an nos qui sine Regibus degere nescimus, qui religiose Reges salutare consueuimus, de quorum salute non minus quam de nostra soliciti sumus, quos non minori obseruantia colimus quam ducem suum apiculæ? Et quoniam, vt inquit poeta, vitiis nemo sine nascitur, optimusque ille est, qui minimis vrgetur, vter vitia mitiorem in partem nominabit, qui diligit, an qui negligit? Pater qui strabonem filium amat, pætum vocat, varum, eum qui sit vatia siue compernis. Apelles ille nunquam satis in arte pingendi laudatus, cum Antigoni Regis imaginem pingeret, qui altero lumine orbatus erat, catagrapham, id est, obliquam fecit, vt quod corpori deerat, picturæ potius deesse videretur, tantumque ab honestiori parte ostendit, cum posset totam ostendere. Erit itaque historia tanquam pictura, pulchra extollet, turpia, si tolerabilia sunt, dissimulabit, si latere non possunt, mitiori vocabulo nominabit, fallatque potius vitium specie virtutis & vmbra, quam is qui sit fortis, à timido vocetur audax, ab audaci timidus. Atqui dicet quispiam, prima historiæ virtus est, vt vera narret. Sit ita sane: sed si paululum est à veritate declinandum, quia non est cuiusque medium assequi, tutius atque magis ingenuum in fauorabiliorem partem declinare. Quando igitur ab Italia his rationibus excludimur, forsan ex Pannonia, aut ex Germania, aut ex Gallia suppetias implorabimus? Quid si apud nationes illas non minus literatorum hominum penuria est, quam in Hispania? Quid igitur in tanta rerum difficultate faciendum fuit? Nimirum, vt si optimi non possunt, eligantur tolerabiles aut minus mali. Hæc forsan causa te Princeps sapientissime in mediocris literaturæ hominem impegit. Qui si non sumus ex prima classe, possumus tamen in secunda censeri, & si non possumus magnitudinem rerum gestarum stylo exæquare, at certe conabimur, vt imbecillitatem nostram atque ingenij paruitatem studio ac diligentia compensemus: etsi Latinas literas in Latio non didicimus, nec in Sarmatia quidem, sed in Bætica, quæ (vt inquit Strabo) prima omnium Hispanorum se in Romanos ritus & linguam transformauit: etsi Romanum sermonem Romæ non didicimus, nec Lilybæi quidem, sed Bononiæ, vrbe scilicet omnium bonarum artium altrice. Neque adeo à Musarum fonte abhorremus, vt non simus corriuales Columellæ, Canio, Silio, Hænæ, duobus Senecis, vnicoque Lucano, aliisque poetis Cordubensibus, quamuis scribat Cicero pingue quiddam illos & peregrinum sonare. Quid? quod his in rebus quas scripturi sumus, aut ipsi interfuimus, cum gererentur, aut ab iis qui interfuerunt, accepimus: & quasi diuinarem fore, vt aliquando hanc operam nauaturus essem, ita omnia inquirebam, omnia explorabam, omnia notabam. Vale Princeps clementissime, quo sospite nunquam res Hispana detrimentum patietur. Ex municipio Complutensi ad idus Aprilis, anno salutis Christianæ M D I X.

AELII ANTONII NEBRISSENSIS, EX GRAMMATICO ET RHETORE HISTORIOGRAPHI REGII, AD BENEVOLVM CANdidumque lectorem, vt Ferdinandi & Elisabes Principum auspiciis præclare res gestas legat, exhortatio.



VLLVM fuit tempus, candide lector, in quo res Hispanæ ab idoneis scriptoribus magis illustrari cuperent, quam illud in quo nostra respublica Ferdinando & Elisabe Principibus administrata est. Nunquam enim ad ætatem nostrã Hispania finitimis, nunquam longinquis nationibus arma circumtulit, quin potius è diuerso semper exterarum gentium præda fuit. Atq; vt à cataclysmo illo ingenti exordiamur, in quo totus orbis terrarum aquis obrutus est, ac præter illas octo animas quas literæ sacræ commemorant, omne mortale genus intercidit: Iubal siue Tubal (nam de nomine inter autores non satis constat) primus in Hispaniam venit missus à Noa, quem Berosus Chaldæus Ianum patrem interpretatur, sub quo diluuies illa 2
fuit memorabilis. Is Iubal regnare orsus est in Hispania anno post diluuium circiter centesimo quinquagesimo, ante salutem vero Christianam supra bis millesimum centesimo septuagesimo, regnauitq; annos centum quinquaginta quatuor. Cuius anno centesimo sextodecimo ipse Noa venit in Hispaniam, vbi duas vrbes condidit Noelam & Noegam, priorem in Gallicia, quam ex nomine nurus suæ Iapeti vxoris cognominauit, alteram in Asturibus, dictam ex nomine alterius suæ nurus Chami vxoris. Iubali successit Iberus, ex cuius nomine dicta putatur Iberia atq; Iberus amnis. Cui rursus Iubalda, à quo mons Iubeda cognominatus, qui postea dictus est Aucensis supra Burgos triginta millia passuum, in quo sedem regni sui fixisse autor est Berosus. Atq; ita deinceps ex eadem familia Reges alii successerunt, de quibus alibi differemus, & quo ordine apud Celtiberos rerum potiti sunt. Curetes præterea Iouis educatores Gargoro duce ex Creta in Iberiam venere, qui Tartessio saltu occupato qua- 3
tuor millibus passuum à Calpe Tartessi, quæ postea cognominata est Carteia regnauerunt, vnde totam prouinciam moderati sunt. Eo in saltu bellum contra gigantes per ea tempora gestum est, quod, quemadmodum poetæ dicunt, postea in Thessalia fuit finitum. Gargoro deinde successit Abydus ex filia nepos, atque deinceps alii Reges ex eadem familia, donec ad Arganthonium ventum est, quem regnasse annos octoginta, vixisse autem centum quinquaginta autores sunt Anacreon, Herodotus, Strabo, & ex Latinis Cicero, Valerius, Plinius, aliiq; complures. Ante excidium Troiæ, annos prope ducentos, quo tempore Israeliticum populum iudicabat Debora cum Baracho, qui fuit ante salutem Christianam annus millesimus circiter quadringentesimus, Dionysius, qui & Liber pater est cognominatus, cum exercitu in Hispaniam venit, non tam dominationis cupiditate, quam vt parem gloriam reportaret ei quam ex superata India retulerat. Itaque victor nullum aliud sui aduentus apud nos vestigi- 4
um reliquit, quam quod in Bætica inter æstuaria Bætis fluminis Nebrissam patriam meam condidit, quodq; ex Lysia itineris sui comite ac socio Lysitaniam appellauit, atque vt in aliis multis, ypsilo verso in u vocalem, postea cognominata est Lusitania. Eodem præterea tempore Zacynthii & ipsi quoq; Herculis comites ex Zacyntho maris Ionii insula, non procul à Cephalonia quam superioribus annis exercitus noster expugnauit, Hispaniam petiere, qui Sagunto vrbe condita, Dianæ quam ex patria secum aduexerant, templum insigne construxerunt. Cuius religione inductus Hannibal cum oppidum expugnaretur, iussit parci & templo & iis qui se in templum receperant. autor est Plinius, qui etiam addit, adhuc suo tempore durasse trabes ex iunipero, quibus templi contignatio erat contexta. Post Liberum patrem annos prope centum sub tempus Gedeonis iudicis Israel Hercules, quicunque tandem ille fuerit, Hispaniam illustrauit, qui superato Geryone victor in patriam rediit, Ceretanis viæ suæ 5
comitibus relictis, qui Pyrenæi montis radices incoluerunt. Nam quod de Pyrene nympha ab Hercule compressa Silius Italicus prodit, tanquam fabulam Plinius excludit. Illa vero quæ de Caco siue Caio monte, & de Hispano, Liberia, Pyrrhoque dicuntur, à nugiuendo quodam fabulatore conficta sunt. Troia euersa, ex Græcorum reliquiis complures eodem quoque tempore in Hispaniam nauigarunt, atque in primis Diomedes Tydei AEtolorum Regis filius, qui post excidium Troiæ cum comperisset AEgialam vxorem à Cilleboro Stheneli filio adulteratam, præ pudore in Italiam migrauit, conditaq; in Appulia vrbe Argirippa, atque inde in Hispaniam prouectus Tyden in Gallicia vrbem ex nomine Tydei patris sui dictam fundauit, populosque inter Minium & Lethen fluuios rexit, quos nomine corrupto pro Graiis, hoc est, Græcis, u litera interiecta Grauios dixerunt. Sub idem quoque tempus

Teucer Telamonis filius, atque Aiacis frater, quos pater ad bellum Troianum miserat ea lege, vt alter sine altero non rediret, mortuo Aiace cum à patre in patriam non reciperetur, in Cyprum nauigauit, vbi Salamine vrbe condita in Hispaniam prouectus, Carthaginem nouam, quæ & Spartaria cognominata est, à fundamentis excitauit, quam postea Hasdrubal Carthaginensium dux restituit. Teucri etiam comites Hellen & Amphilochus in Galliciam inde profecti duo condiderunt oppida ex suis nominibus appellata. Vlysses præterea in decennali illo suo errore Hispaniæ exteriores lustrauit oras, vbi Olysiponem vrbem ex suo nomine cognominatam fundauit, atque ibi Mineruæ quam peculiariter colebat, templum erexit. Autor est Asclepiades Myrleanus, qui in Turdetania prouincia Bæticæ litterarii ludi magister fuit. Is monumenta quædam de Vlyssis errore in templo illo se vidisse commemorat, parmas suspensas, & aplustra, rostraque naualia. Per idem tempus, quemadmodum scribit Silius Italicus, Astur auriga Mennonis, quem Titonus ex Auriga genuit, in Hispaniam quoque nauibus est appulsus, vbi Asturicæ vrbi à se conditæ atque Asturibus nomen ex suo nomine communicauit. In eandem quoq; Hispaniam Iberes Asiæ populos Albanis Colchisq; finitimos venisse, autor est M. Varro. Sunt tamen qui dicant nostros in Asiaticam Iberiam penetrasse, quod est consentaneum ei quod in parte superiori de Ibero Rege scripsimus, vt in dubio relinquatur, vtri populi alteris nomē indiderint. Ex Asia quoq; in Hispaniam nauigauere Phœnices octingentis annis ante Christianam salutem, quo tempore maris imperio potiti sunt. Causa vero huc nauigandi fuit mercium permutandarum ratio, auri maxime & argenti & æris, quæ ex incendio Pyrenæi montis fluxisse autor est Diodorus Siculus. Condiderunt etiam in ea nauigatione vrbes quamplurimas in insulis Hispaniæ adiacentibus, vtrasq; Baleares, hoc est maiorem minoremq;, vtramq; Pityusam, id est, Ebusum & Ophiusam, & in Oceano exteriori Gades Herculis cognominatas: in continenti quoq; in nostri maris ora Mellariam, Malacam, Hexos, Abderam. Ex Phocide inter Atticam & Bœoticam regione penetrauerunt in Hispaniam Græci, vrbemq; in collimitio Bæticæ & Tarraconensis prouinciæ fundauerunt Castulonem, ex nomine Castalii fontis in monte Parnasso, à quo Musæ Castalides cognominatæ sunt. Ex eadem vrbe Hannibal vxorem duxit Himilcen, ex qua natus est illi Aspar in obsidione Sagunti. Massilienses etiam à Phocensibus oriundi Emporias Indigetorum vrbem, & à qua non longe Rhodii Rhoden, condiderunt. Lacedæmonii quoq; Laconimurgos & Laconium in Bætica, & alterum Laconium in Lusitania posuere. Venere præterea variis temporibus Persæ, Massagetes, Sarmatæ, Celtæ, qui per omnem Hispaniam oppida complura excitarunt. Annos circiter tercentos ante Christianam salutem Gaditani cum terra mariq; florerent, atque illorum potentia inuidiosa foret, à finitimis bello lacessiti suppetias à Carthaginensibus petierunt, qui non modo consanguineis supplicibus opitulati sunt, sed & Hispanis bellum intulere. Qui deinceps cum validiori exercitu Barcam, deinde Hamilcarem duces suos miserunt. Hic per annos nouem magnis rebus gestis in insidias ab hostibus illectus occiditur. In huius locum Hasdrubal gener est substitutus, qui & ipse octo annis omnem Hispaniam vsque ad Iberum amnem Carthaginensium ditioni subegit, & fœdus cum Romanis renouauit, vt Iberus finis esset vtriusq; imperii, Saguntinis qui in parte Carthaginensium erant exceptis propterea quod eo tempore in societatem Romanorum fuerant recepti. Sed & Hasdrubal à seruo, qui vt mortem domini vlcisceretur, occisus est. In eius locum Hannibal Hamilcaris filius Imperator ab exercitu salutatus succedit, qui Sagunto expugnata, quod reliquum fuerat Romanorum, suo imperio adiecit. Circa ipsa belli Punici secundi initia, Cn. & P. Scipiones in Hispaniam cum exercitu à Romanis missi, primo aduentu magnam prouinciæ partem in studia partesq; Romanorum flexere. Sed illis occisis cum omnia essent incerta, nemoq; inueniretur qui succedere illis vellet, P. Scipio P. Scipionis nuper occisi filius, qui postea Aphricanus est cognominatus, imperium sibi depoposcit, atq; in Hispaniam profectus exclusis Carthaginensibus vniuersam populo Romano restituit. Atq; ita sub Romanorum dominatione fuit ad Gothorum, Vandalorum, Alanorumq; tempora annos propemodum sexcentos. Hos Roderico vltimo Gothorum Rege fugarunt, atque Hispaniarum possessione spoliauere Pœni Mauriq; qui totam fere aut magna ex parte per annos circiter septingentos quinquaginta tenuere, quoad nostra ætate ductu atque auspiciis optimorum Principum Ferdinandi & Elisabes pulsi sunt, atq; Hispania tota sibi ipsi restituta est. Quod vero Plato in eo dialogo qui Timæus inscribitur, atq; iterum in volumine quod de bello Atlantico scribit, Atlantes ex Erythea insula Hispaniæ adiacenti per Galliam Italiamq; cum magno exercitu omnia populantes inuasisse Athenas, atq; tandem ab Atheniensibus fusos deletosq;, totum hoc commentitium videri potest, quanquam Plato, non vt fabulam, sed quasi veram historiam se narrare testetur. Nam neque quæ sit Erythea insula Gadibus contigua ego video, neq; alios Atlantes noui, nisi qui sunt in Aphricæ continenti: nisi forte, quod refert Plinius, in totum abstulit terras mare quod nunc Atlanticum dicitur. Illud præterea quod in historia quam vocant generalem, vulgo legitur, venisse in Hispaniam nescio quos Almonides, nemo arbitror dicet mihi, qui sint illi, aut quid egerint, aut quo postea concesserint. Quin potius ausim affirmare, nunquam fuisse tale genus hominum, sed totum fuisse confictum ab aliquo fabularum concinnatore. Nisi forte quisquam velit dicere, sumptum esse illud ex Ouidio, qui in quintodecimo transmutationum volumine

scribit Mycilum Alemonidem ex Græcia in Italiam penetrasse, ibique Crotonem vrbem condidisse, licereque historico atq; poetæ, vndecumque accepta materia, suum opus contexere. Nam quod Diodorus Siculus scribit accolas Sicoris fluminis Hispani qui agrum Ilerdensem rigat, venisse in Siciliam atq; ex suo flumine Sicaniæ nomen illi indidisse, cui Seruius quoq; Grammaticus astipulatur, quid? si magis credi oporteat Solino & Martiano, qui à Sicano Rege ante belli Troiani tempora eo nauiganti vt regnaret, dictam fuisse putant? Sed esto, Hispani Sicoris accolæ venerint in Siciliam, hæc erit rara auis in terris, nigroq; simillima cygno, quemadmodum ab hinc annos ducentos aut non multo amplius Tarraconenses ad imperium eo acciti sunt, & ab hinc duo de septuaginta Alphonsus eorundem Rex fortunatissimus, huius nostri Ferdinandi Regis patruus, Neapolitanorum atque Appulorum regno potitus est. Sed vnde obsecro tanta ignauia nostrorum animos occupauit, vt per tot annorum volumina non modo non lacessierint bello exteras nationes, sed neq; se ipsos ab hostium incursu tutati sint. Quo minus ignoscendum nobis est, quod non arma, non equi, non commeatus, non reliqua belli instrumenta, non denique animus ad propulsandas atque etiam ad inferendas iniurias deest. Quid? quod ea est regionis natura, vt ab omni latere munita sit, hinc mari nostro, illinc Atlantico atq; Britannico, atque vbi continenti adnectitur, arduis præruptisque montibus inaccessibilis. Hispaniæ, inquit Florus, nunquam animus fuit aduersum Romanos vniuersæ consurgere, nunquam inferre vires suas libuit, neque libertatem suam tueri publice, alioqui ita vndique mari Pyrenæoq; vallata est, vt ingenio situs nec adiri quidem potuerit. Sed antea à Romanis obsessa est, quam se ipsa cognosceret, & sola omnium prouinciarum vires suas, posteaquam victa est, intellexit. Hæc Florus. Vnde igitur tam graui torpere passa est sua regna veterno? An quia gentes exteræ aut soli malignitate, aut finium angustia laborantes, cum nouas sibi quærerent sedes, audita cæli clementia atq; terræ fertilitate eo se contulerunt, cum è diuerso indigenæ omnium rerum copia affluentes nullam haberent causam quæ illos cogeret patriam deserere? An quia cæteræ nationes quantumuis liberæ, ducibus suis in bello haud grauate obtemperant, facilimeq; sub disciplina militari continentur? Ex quo fit, vt milites neq; tam crebros commeatus petant, neque sint aut emansores, aut stationum suarum desertores. At Hispanis ea est animi peruicacia, vt neque cupiditate aliis imperitandi, neque communis libertatis defendendæ causa, neq; vitæ dulcedine persuasi alteri quam Regi suo parere velint. Quare euocati non facile conueniunt, coactiq; diu perstare nequeunt. An quia cæli vertigine impulsuq; syderum ab ortu ad occasum lege quadam fatali regna transmutantur? idq; experimento haud dubio videmus, quod cum ex paradiso voluptatis qui ad Orientem solem à Deo plantatus est, primi parentes egressi genus homi- 3
num propagassent, prima monarchia in Assyrios, & ab Assyriis in Medos, & a Medis in Persas, & a Persis in Macedones, & a Macedonibus in Romanos, & a Romanis in Gallos Germanosq; cum cæli conuersione translata est. Nunc vero quis est qui non intelligat, quanquam titulus imperij sit in Germania, rem tamen ipsam esse penes Hispanos Principes, qui Italiæ magnæ partis atq; maris nostri insularum domini iam moliuntur bella in Aphricam transmittere, atq; missis classibus cæli motum secuti iam pertingunt insulas Indorum populis adiacentes. Neq; eo contenti, alterius orbis magna parte explorata parum abest, vt Hispaniæ atq; Aphricæ finis occiduus cum orbis terrarum fronte orientali adiungatur. Sed vt ad nostri sermonis exordium redeamus, vides amice lector, quantæ se nobis res describendæ offerant, non modo bella, quæ fuerunt necessaria ad stabilienda regnorum fundamenta cum Lusitanis, vt Hispaniæ daretur vnum caput, cum Pœnis & Gallis ad consuendos resarciendosq; sinus 4
qui fuerant auulsi, cum Italis ad augendas imperii vires, cum Indorum insulanis ad propagandam Christiani nominis religionem. Quid illa domestica? repurgasse religionem, vindicasse reip. vectigalia, hoc est, regale patrimonium, ius suum cuiq; reddidisse. Vides, inquam, quam longe lateq; pateat rerum scribendarum campus, vt quanquam natura neget, ipsa tamen materiæ amplitudo, indulgentissimiq; Principis nostri fauor, ingenii vires perquam exiguas excitare possit.

AELII ANTONII NEBRISSENSIS, REGII HISTORIOGRAPHI, EXCVSATORIA PRÆFATIO, IN QVA ENVMERAT *difficultates quæ ſcriptorem rerum geſtarum, tam Hiſpanarum quam Hiſpanienſium, ex locorum perſonarumque & aliarum rerum temporis noſtri nominibus conſequuntur.*

SCRIPTVRO mihi res Hiſpanas atque Hiſpanienſes, quæ Ferdinādi atque Eliſabes Principum auſpiciis geſtæ ſunt, ingens quædam ſylua occurſat, immenſumque aperitur opus, & quod ab vnius hominis integra ætate perfici non poſſit, nedum ab homine præcipiti iam ſenio confecto. Et quanquam ſunt multa quæ mentis meæ aciem perſtringunt, nihil tamen eſt quod me magis à ſcribendo deterreat, quā locorum atque hominum propria nomina, quæ maiori ex parte vſq; adeo ſunt aſpera & dura, vt nullo cultu molliri, nulla diligentia poſſint manſueſcere. Acceſſit altera non minor difficultas in nominandis Latine publicis magiſtratibus, cum in plæriſque alia ſit noſtro tempore forma reip. quam ea quæ

Hoc in loco in Nebriſſenſis autographis deſideratur folium, quod ab improbo aliquo ſuffuratum non dubito.

riſſima omnium fœminarum, atque proinde omni immortalitate digniſſima huius nominis tertia Hiſpaniarum Regina. Frāciſcus Noianus in Sicilia Cephalœditanus epiſcopus & Antonius Geraldinus Apoſtolicæ ſedis logotheta, viri pangendis carminibus omniumque qui apud nos peregrinati ſunt (Petrum Martyrem meum ſemper excipio) eruditiſſimi, atq; ingenio propemodum ſingulari, in epigrammatis ad eandem Reginam ſcriptis Eliſabetam vocabant, quam appellationem ipſa non diſſimulanter auerſabatur. Baptiſta Mantuanus adhuc licentius alludens ad nomen Didus, Eliſam dixit adiecto Belæ cognomento. Alii ex Euangelio cognominem Zachariæ vxori Eliſabet vocitabant. Quid ſi nos non Eliſabet, non forma declinabili extenſione vnius ſyllabæ Eliſabetam, nō Eliſam Bellam, non corrupto nomine Iſabelam, ſed Eliſaben cum doctiſſimorum virorū vſu ex declinatione Græca dixerimus. Nam cum ſit hæc vox origine Hebraica, eius literatura ex Hebræo fonte petenda eſt. Duas omnino huius nominis fœminas in ſacra ſcriptura legimus, alteram in veteri Teſtamento, filiam Aminadab atque Aaron ſacerdotis vxorem, alteram ex qua, vt Euangeliſta ſcribit, Zacharias Ioānem Baptiſtam genuit, quæ prioris illius Eliſabes quaſi gentilis nomen referebat, cum præſertim fuerit ex eadem familia. Vxor, inquit, Zachariæ fuit de filiabus Aaron, & nomen eius Eliſabe. Sic enim debere ſcribi, & non per t exile, vt Græci, vel per th aſpiratum in fine, vt Latini ſcribunt, ex Hebraica literatura manifeſtum eſt. Interpretaturq; Dei mei iuramentum, ſiue Dei mei ſeptima, ſiue Dei mei ſaturitas. Sabe namq; per ſin ſcriptum, iuramentum ſiue ſeptem ſignificat, per ſame vero, abundantiam, ex Hieronymo, Remigio, Samuele Talmudiſta, omnibuſq; Hebræis. Vnde tamen ſiue t exile, ſiue th aſpiratum in hoc nomine irrepſerit, alibi diſputauimus. Nos vero interim cum plæriſq; viris doctiſſimis Eliſabe accentu in penultima acuto eademq; breui ex Græcorum regula proferemus, quæ etiamſi ſit breuis ex Græcorum regula, vltima exiſtente longa non patitur accentum in tertiam à fine ſyllabam transferri.

Tertia difficultas à magiſtratibus.

TERTIA difficultas acceſſit à nominibus Principum, magiſtratuumq;, & officiorum, ex eo quod apud antiquiores aliæ fuerunt rerumpublicarum formæ quam ſint noſtro ſæculo, atque proinde alii magiſtratus, cum præſertim ex ariſtocratia Romanorum Latinæ appellationes in regiam gubernationem ſint transferendæ. Sed ſunt quædam nomina Latina, quæ ex æquo Hiſpanis reſpondent, vt Regi, Rei: Duci, Duque: Comiti Cōde. Quædam cum ſint multa, atque proinde videantur eſſe diuerſa, in idem tamen recidunt, vt qui Regum temporibus fuit Tribunus celerum, ſub Conſulibus fuit Magiſter

equitum,ſub Imperatoribus Præfectus prætorio,is magiſtratus à noſtris dicitur Capitan de la guarda,cum alioqui Præfectus prætorio ſit prouocationum Iudex. E diuerſo idem nomen aliquando variis accommodatur officiis, vt præſes, ei qui præſidio tenet arcem, Alcaide vero Punico vocabulo Hiſpani vocant,& ei qui vrbem, ſiue caſtellum,ſiue mõtium iuga,vel fauces,ſiue locum alium armis tuetur, Capitan de guarnicion vulgo dicitur.Qui præterea Hiſpane dicitur Corregidor,ſi vrbem ſiue municipium præſidio tenet, præſes eſt:ſi rem fiſci agit,procurator.ſi tantum iuri dicundo præeſt,prætor: ſi vice regis fungitur,proconſul.Sunt etiam vocabula,quibus nihil in altera gubernatione reſpondet, vt ei quod eſt Dictator ſiue Cenſor apud Romanos,nihil reſpondet apud nos,& ei quod eſt apud nos Marques aut Almirante, nihil reſpondet apud Romanos. Quare in huiuſmodi rebus nomina fingenda ſunt, vt illum appellemus Marchionem, quaſi à marcha, hunc claſſis præfectum,aut ſi te magis Græca delectant,Nauarchum ſiue Architalaſſum dicere licebit. Nam Archimarinus,quo aliqui vtuntur,neque Græce neque Latine diceretur,cum nullum ſit nomen quod ex duobus peregrinis componatur. Atque idem de aliis rebus eſt faciendum quæ non conſtant natura, ſed hominum arbitrio cotidie immutantur.Ex hoc genere ſunt veſtes,arma,naues,vaſa,inſtrumenta machinæ. Trecenti, aut non multo plures anni ſunt,ex quo inuentum eſt hoc tormenti genus, quam vocant bombardam,& in eo genere multæ diuerſitates. Sed cum res nuper inuentas non poſſis Latine dicere,fingenda ſunt nomina, vt quod vir quidam doctus nimis audacter de Oſtia Tiberina dixit:Tunſa iacet bombis ardentibus Oſtia,&c. Alii ſulphurarias aut nitrarias machinas,aut aliquid tale fingere auſi ſunt. Nam ſclopetra quod à ſono dicatur, hoc eſt,ab ſpiritu illo ſonoro qui ex buccarum perflatarum compreſſu erumpit, haud dubium eſt.Cum ſit igitur à nobis omnium quæ ſcripturi ſumus,reddenda ratio, illarum maxime quæ poſſunt lectorum vel auditorum aures offendere,viſum eſt,anteaquam rem ipſam aggrediamur,cauſas attingere, cur in eiuſmodi nominibus præter aliorum communem vſum tanta licentia vſi ſimus,ne ſit nobis neceſſe, in medio operis curſu in hæc, tametſi non penitus aliena,diuertere:atque imprimis de iis quæ ad locorum rationem, hoc eſt ad coſmographiam pertinent.

Deſcriptio totius Hiſpaniæ.

HISPANIA ab omnibus lateribus pelago abluitur,niſi quatenus ab Oriente, qua eſt anguſtior,aquarum diuortiis Pyrenæi mõtis à Gallia diſtinguitur. Is à Veneris templo,quod eſt promontorium prope Illiberos,initium capit.inde in ipſam Hiſpaniam,hoc eſt,in Caurum ventum incumbens porrigitur, deſinit in ora ſeptentrionalis Oceani ad OEaſonem. Vnde ipſius Hiſpaniæ ſeptentrionale incipit latus, tenditque in Zephyrum, id eſt,occaſum æquinoctialem per Vaſconum,Cantabrorum, Aſturum, Callaicorumq; littora,terminaturque in Nerio Artabrorum promontorio. Ab eo latus occidentale inchoatur,rectaque in Auſtrum per Callaicam Luſitanamque oram ad ſacrum promontorium tenditur,deinde per Bæticæ littora hyemalem ortum verſus ad fretum Herculeum contrahitur.Inter Calpen Hiſpaniæ & Abilam Aphricæ promontoria Oceanus ab occaſu influit terras,quæ ante Herculem,quemadmodum eſt in fabulis, fuerant continentes.Atque ita nouo Noſtri maris nomine Hiſpaniam à læua, à dextra Mauritaniam Tingitanam relinquens,ortum æquinoctialem,& quo vlterius procedit, magiſque Europam vndis obruens,dum ſe per Bæticæ atque Tarraconenſis prouinciæ oram meridionalem explicat,Hiſpaniam contrahit ad promontorium ſiue templum Veneris, vnde paulo ante illam fecimus exordium capere. Atque in hunc modum longior quam fuerit eius latitudo,& iuxta Pyrenæum non modo confini Gallia, ſed anguſtior ſe ipſa, quemadmodum inquit Strabo,exhibet nobis imaginem pellis vaccinæ in ſolo explicatæ. Interiora Hiſpaniæ in tres partes diuiduntur,in Bæticam, Luſitaniam, Tarraconenſemque. Hæc citerior,illæ ambæ vno nomine Hiſpania vlterior vocitantur. Bætica à ſeptentrione terminatur Ana fluuio:ab occaſu Atlantico Oceano,qui interiacet Anæ oſtium fretumque Herculeum:à meridie mari Noſtro, quod eſt inter fretum & Charidemi promontorium : ab oriente vero terminatur linea quæ protenditur à promontorio eodem per Caſtulonem,cuius veſtigia hodie monſtrantur,quindecim millibus paſſuum occidentem æquinoctialem verſus à Biatia,deinde recta ad fluuium Anam, vbi eſt oppidum quod Oretania vetus cognominatur.Luſitania à ſeptentrione terminatur amne Duria, ab ipſius oſtio,qua erumpit in Oceanum Atlanticum flumine aduerſo,ad pontem qui eſt è regione ad Septimancas.Ab occaſu terminatur pelago Atlantico quod eſt inter Duriæ

atq;

atque Anæ fluuium. A meridie habet latus quod diximus à septentrione Bæticam habere. Ab oriente terminatur linea recta, quæ ducitur ab Oretania veteri ad pontem Duriæ,qui nunc est contra Septimancas. Quod reliquum est Hispaniæ complectitur prouincia Tarraconensis, quæ habet terminos à septentrione Oceanum Britannicum, ab OEasone ad Netium siue Artabrorum promontorium: ab occasu littus quod est inter idem promontorium & Duriæ ostium in Atlantico Oceano, & latera orientalia quæ diximus Bæticam & Lusitaniam habere. A Meridie terminatur latere quod à septentrione dedimus Lusitaniæ, & nostri maris ora, quæ est inter Charidemi promontorium & Veneris templum. Ab oriente habet Pyrenæos montes, quibus diximus Hispaniam à Gallia disterminari. Ex iis quæ dicta sunt, conuincitur error illorum qui eam quæ nostro sæculo Portugallia dicitur, Lusitaniam appellant: cum Lusitania latius pateat, quippe quæ complectatur Caurium, Castra Cecilia, Castra Iulia, Placentiam, Abilam, Salmanticam, & eam quæ nunc Ciuitas Roderici nuncupatur. Atq; è diuerso pars illa Tarraconensis prouinciæ, quæ interiacet Duriam & Limiam, qui alio nomine Lethes quoq; vocatur, Portugallensium regi contributa est, quam tamen in historia Lusitanorum regem nominauimus, ita tamen vt per totum eius potissimam partem intelligamus. Eadem præterea ratione qui nomine corrupto nuncupatur Aragoniæ rex, Tarraconensium regem semper in historia diximus, cum alioqui Tarraconensis prouincia præter Bæticam & Lusitaniam, omne quod reliquum est Hispaniæ contineat, apud antiquissimos tamen Romanos Tarraconensis tantum vocabatur portio illa breuis quæ citra Iberum amnem erat, dicta à Tarracone eiusdem regionis vrbe nobilissima. Neque sunt audiendi qui furore quodam Bellonæ perciti diuinant, aut illa quæ somniarunt, dicunt se pro comperto habere, quod Aragonia dicta sit ab Arago nescio quo flumine, appellato sic ex eo, quod Hercules quo tempore in Hispaniam venit, ad ripas eius amnis aras erexit, ad quas egit pecudes sacrificaturus: itaque dictus Arago ab ara & agendo, vnde sit postea ductum Aragoniæ nomen. Hæc speciosa dictu sunt, si autore aliquo vel mediocri defendi possent. Quæ vulgo nunc Andaluzia, Gothorũ temporibus à Vandalis habitatoribus Vandalia nuncupata, ea putatur esse quæ fuerit apud Græcos & Romanos Bætica, & nos totam Bæticam Vandalia contineri dicimus, sed non idcirco tota Bætica est Vandalia. Nam Murgi, Mentesa, Vbeta, Biatia, Tarraconensi prouinciæ cedunt, quæ tamen sub Vandalia cõprehendũtur. Portio illa quoq; Bæticæ, quæ protenditur inter Anam fluuium montesq; Marianos, quę Magistratibus diui Iacobi & Traiano ponti contributa est, à nemine in Vandalia connumeratur. Quare & nos non omnia dabimus antiquitati, sed neq; semper incertũ vulgus sequemur: fugiemus tamen, quoad fieri poterit, barbaras appellationes, sequemurq; voces sermoni Latino vsitatas, etiamsi tantundem non valeant. Itaq; Portugallensium regem Lusitanorũ potius appellabimus, & Aragonensium regem potius Tarraconensium, & Nauariorũ potius Vasconum, & Castellanorum potius Hispanorum, non ignorantes Lusitaniam & Tarraconensem & Vasconiam latius patere. Apud antiquissimos sub Hispaniæ nomine continebatur Narbonensis prouincia Neumasium vsq; & Auenionem, deinde sub Romanis principibus contracti sunt fines ad Pyrenæum. Atq; iterum Gothi reges ad terminos illã priscos extenderunt. Vnde & in cõciliis quæ sub Gothorum principibus in Hispania sunt habita, Narbonenses, & Bessenses, & Carcassenses, & Carpentoractenses, & Helenenses, & Beterrenses Episcopi nomina sua in decretis subscripserunt.

De montibus Hispaniæ.

INTER Hispaniæ montes Pyrenæi altitudine cæteros excedunt, cognominati, vt Silius Italicus in primo Punicorum volumine scribit, à Pyrene nympha Bebrycis Indigenæ principis filia, quam Hercules illac traiiciens violato iure hospitii vitiauit. Aut si quis non admittit poetarũ fabulas, quemadmodum Plinius, qui tertio libro naturalis historiæ scribit totum illud de Pyrene fabulosum esse, credat Diodoro Siculo, qui libro sexto bibliotheces prodit, dictos Pyrenæos esse à pyr vocabulo Græco, quod Latine vertitur ignis, quo montes illi diu conflagrarunt. Hi, sicut in superioribus dictũ est, posteaquam à templo Veneris ad OEasonem disterminarunt Gallias ab Hispania, per Cantabros & Astures maritimos porrecti occidentem æquinoctialẽ versus in Gallecia tandem euanescunt. Iidem præterea montes ab ortu solis in occasum porrigunt brachium per mediam Hispaniæ longitudinem paribus interuallis, ad eos quos diximus protendi per oram maritimã ab OEasone in Galliciã. Hoc Pyrenæi brachium distinguit Hispanos, vt hi vocentur Citramontani, illi vero Vltramontani, terminaturq; ad in ora Lusitaniæ occidentali. Est & Iubeda mons, quem Saltũ Aucensem hodie vocant, ab Auca vrbe antiquissima vnde

incipit, cuius vestigia cum nomine adhuc visuntur iuxta Villam Francam, oppidum supra Burgos circiter viginti passuum millia. Dictus est autem hic mons Iubeda à Iubalda Iberi regis filio qui à Beroso Chaldæo ibidem regnasse traditur. Hic mons ab Auca protenditur meridiem versus æque distanter Pyrenæis montibus, arcens Iberum amnem ne fluat in occasum, quo cætera Hispaniæ flumina maiora influant in mare occidentale. Mons quoque Orospeda initium capit non longe à noua Carthagine, tenditque in occasum per nostri maris oram maritimam tangens Illiberos, Malacam, Arundam: deficitque tandem in Atlantici maris ora contra Herculis Gades. Mariani montes incipiunt à Tygensi saltu, porriguntur que occasum versus per mediam Bæticam, euanescuntq; in mari Atlantico. Hos Ptolemæus corrupto nomine Temerianos vocat pro Marianis. Sunt & alii complures Hispaniæ montes, sed vt brachia siue articuli superiorum quatuor sunt, aut per se colles potius dicendi, quam montes.

De maximis fluminibus Hispaniæ.

FLVMINA, quemadmodū & montes, crebro memorantur in historiis, propterea quod sunt à natura posita quasi fines regionum æterni, per quos in cognitionem multarum rerum perueniemus. Quare visum est de amnibus Hispaniæ qui maxime principes sunt, aliquid delibare, & in primis de quo Lucanus, *Qui ferit Hesperiam post omnia flumina Bætis*. Hic ortus in Saltu Tygensi non longe à Castaone fluit in occasum, atq; ab Andugaro Bæticam mediam secat, & prouinciæ nomen imponens, eius vrbes nobilissimas Cordubam, Italicam, Romuleamque quondam Hispalim vocitatam præterlabitur. Hæc à Pœnis deinde Ispilia, & à barbaris postea inuersis literis prioribus, & p in b mutata, Sibilia dicta, nunc Seuilla nominatur. Tandemq; per vnum ostium exit in mare iuxta municipium quod Luciferi templum ab antiquis dicebatur. Olim hic fluuius duo habuit ostia, quorum alterum quod erat meridionalius, oblimatum est cum alueo eodem pertendente à Nebrissa per Astam coloniam ad Turrim Capionis. Ex quibus facile soluitur illa dubitatio quæ solet harum rerum curiosos mouere, & meipsum plærumq; ambiguum reddidit. Cum Strabone, Ptolemæo, Mela, Plinio, omnibus cosmographis autoribus, Nebrissa & Asta colonia inter æstuaria Bætis positæ sint, qui potuit fieri, vt hodie non paucioribus quam octonis passuum millibus à flumine distent? Nimirum, quia vt statim dixi, alueus ille qui Nebrissam & Astam præterfluebat, oblimatus est, sic tamen, vt illius vestigia hodie visantur cum æstuariis atq; diorygibus manu factis, vt inquit Strabo, ad exportandas scaphis & lintribus fruges ex agris in vicinas vrbes. Sed quemadmodum à Bæti fluuio Bætica nomen accepit, ita ab Ibero amne vniuersa Iberia cognominata est, qui vnus ex omnib. Hispaniæ fluminibus in Austros defluit, cum reliqui omnes ab ortu in occasum delabantur. Cuius rei causa altius mihi nunc repetenda est. Per medium totius orbis cogniti ab ortu Solis ad occasum porriguntur excelsi montes, quasi dorsum quoddam terræ, ex quo omnia prope flumina oriuntur partim ad septentrionē, partim ad meridiē. Hi montes dum per Indias tendunt, appellantur Caucasus: cum per Syrias, Taurus: cum per Ciliciam, Amanus. Tum duo porrigit brachia, alterum per Isthmon interiacentem sinū Arabicum atq; mare Nostrum, deinde per mediam Aphricam procurrens vsq; ad † maris Atlantici promontorium. Alterum præterea brachium porrigit per montes incognitos, qui iunguntur montibus qui diuidunt Thraciam à Macedonia, qui deinceps respondent alpibus Italiæ, à quibus per omnem longitudinem surgunt in Apœninum. Tum per Cemenos montes medias Gallias pertendentes applicantur Pyrenæo, à quo, quemadmodū paulo ante diximus, porriguntur montes qui Hispaniam diuidunt per mediam longitudinem, desinuntque in ora maris Atlantici iuxta † Lusitaniæ oppidum. Cum itaque omnes fluuii capitales ex causa superius tradita partim in septentrionem, partim in meridiem delabantur, sola Hispaniæ flumina fluunt ab ortu Solis ad occasum, euntq; recta in Atlanticum pelagus, præter Iberum amnem, qui, vt diximus, à Septentrione labitur in Austrū, ab Iubeda monte prohibitus ire occasum versus. Anas igitur in agro Laminitano prouinciæ Tarraconensis ortus, nunc se in terræ cuniculos mergens, nunc in stagna refundens, quemadmodū paulo superius dictū est, ab Oretania veteri secundo flumine Bæticā à Lusitania disterminat, præterlabiturq; Ceciliam Gemellinā, Emeritam, Pacemq; Augustam Lusitanię vrbes præclaras, factoq; flexu anteaquam in Atlanticum pelagus exeat, per duo ostia non procul à † effunditur. Tagus in Celtiberia Tarraconēsis regione ortus Carpetaniam secat, deinde Talabricam præterfluit, & à ponte quem nunc Archiepiscopi vocāt, Lusitaniam diuidit mediam, atq; non longe ab Olyssipone in Atlanticum erumpit Oceanum. Hic à Poetis aureas arenas in mare traditur voluere, quod non omnino fabulosum est, cum cernamus nunc in eo bracteolas aureas per medias arenas interlucere. Durius

amnis

amnis oritur in Pelendonibus prouinciæ Tarraconensis, fluitq; in meridiem quoad perueniat Numantiam vrbem Celtiberorum clarissimam, deinde flectitur occasum versus, præterfluensq; Cluniensis conuentus oppida nobilissima à ponte qui situs est è regione ad Septimancas, Lusitaniam à Tarraconensi determinat, per Turrem sellarum, Taurum, & Ocelum, tandem exit in Oceanum Atlanticum iuxta vrbem quam vocant portum Callaicorum. In Lusitania flumen est Munda in eadem ortum, exitque in Oceanum quoque occidentalem. Est & in Bætica ciuitas eiusdem nominis, iuxta quam Cæsar Pompeii liberos superauit, bellisque ciuilibus finem imposuit, quamquam sunt qui accipiant vrbem pro fluuio, & fluuium pro vrbe, cum inter flumen & vrbem intersint centum parasangæ, aut non multo minus. Limiam Galliciæ flumen, quod antiqui Lethen, hoc est, obliuionis appellauere, & Minium amnem quoque insignem eiusdem Galliciæ, quem Poetæ dicũt voluere in pelagus arenas aureas, id quod de Tago diximus. Et de amnibus Hispaniæ magis insignibus hæc dixisse sufficiat, nunc de regionib. populis, vrbibusq; differendum est.

CÆTERA DESVNT.

ÆLII ANTONII NEBRISSENSIS, HISPANARVM RERVM FERDINANDO REGE ET ELISABE REgina gestarum, primæ Decadis Liber primus.

Præmittit quædam necessaria ad sequentis historiæ declarationem.

CAPVT I.



NRICVS huius nominis tertius Hispaniarum rex, qui ex longa valetudine Valetudinarius est cognominatus, cum obiret diem suum, Ioannem bimulum fere puerum quem ex Catharina filia Ducis Ioannis ab Alencastro Britanni susceperat, sub tutela eiusdem Catharinæ vxoris ac Ferdinandi iunioris natu fratris, hæredem regnique successorẽ ex testamento reliquit. Qui cum ad pubertatis annos peruenisset, vxorem duxit Mariam patruo atque tutore suo Ferdinando genitam, ex qua Enriquum primogenitum procreauit. Hæc postea quam vita functa est, alteram superinduxit Elisaben, Ioanne Ioannis Lusitanorum regis filio natam: ex qua duos suscepit liberos, Elisaben matri cognominem, quæ postea Hispanorum auspicatissima regina fuit, & Alphonsum, qui inter ipsa statim regni exordia morte immatura interceptus est. Cum vero institutum nobis sit, Ferdinandi atque Elisabes vxoris historiam Latino sermone prosequi, pauca de Enriquo & Alphonso fratribus repetenda sunt, vt ostendamus quo iure, vel quo potius nomine ad Hispanæ reipublicæ moderationem peruenerit, & qua via Ferdinandum prouinciæ Tarraconensis atque insularum nostri maris regem designatum coniugio sortita est. Enriquus ab Enriquo illo primo huius nominis quartus Hispanorum rex, Ioanne patre defuncto regni administrationem iniit, qui sub ipsa regnandi initia optimum principem gessit. Nam & aliquot expeditiones in Mauros Bæticæ inquilinos fecit, & regni populos ciuitatesque in summa tranquillitate continuit. Hic cum adhuc princeps esset (sic enim vocant Hispani filium regis primogenitum, qui omnium procerum & ciuitatum populorumque iureiurando futurus rex designatur) Blancham Ioannis Nauariæ atque deinceps Tarraconensium regis filiam duxit vxorem, sed ab illius nuptiis se continuit, siue impotentiæ suæ conscius, siue ex alia quadam ratione incognita. vnde ingentes sequutæ sunt querelæ atque dissensiones, altero in alterum sterilitatis causam reiiciente: donec controuersia ad summum Pontificem deuoluta est, qui facta partium disquisitione, illos ad certum tempus lege coniugali soluit. Facto itaque diuortio Enriquus alteram superinduxit Ioannam Eduardi regis Lusitanorum filiam, ex qua nihilo magis quam ex priore liberos genuit. Cumque apud omnes Hispanos atque exteras quoque nationes con-

ſtaret regis infœcunditas, idque multis experimentis virginum corruptarum, natu grandiorum, atque mulierum etiam vulgo proſtitutarum omnibus teſtatum eſſet, quinto anno poſtea quam conuenerant, regina præter omnium ſpem deprehenſa eſt concepiſſe: neque fuit qui dubitaret illam à quodam ex regis amicis adulteratam, cuius nomen honoris cauſa etiam nunc tacendum eſſe decreui. Sunt qui opinentur regem ipſum ex cacozelia per manus, vti aiunt, in manus amico potiundam tradidiſſe. Quæ res cum non ſolum apud regni primores, ſed etiam apud infimæ conditionis homines certo certior eſſet, indignitate rei omnes permoti regem aduerſari deteſtarique: reginam vero non diſſimulanter odiſſe, quod virum tam inſigni macula dedecorauerit: ipſum vero tanti ſceleris autorem violatæ fidei publicæ atque proditionis inſimulare. Non defuerunt interea præſules & religioſi atque ordinis equeſtris boni viri, qui tum ſermone præſentes, tum per literas abſentes regem hortarentur, ſuaderentque fœtum illum male ominatum turpique ex adulterio conceptum ablegaret aliquo, vbi lateret æternum: atq; eadem via & regis ipſius ignominia dilueretur, & regni pernicioſa illa fax intercideret. At rex ſecum reputans reginæ conceptum non poſſe celari, atque proinde ſi partus cuiuſcumque alterius nomine exponeretur, magnum dedecus inde ſubeundum, nullum exhortationibus monitiſque amicorum reliquit locum: quin potius quicquid regina peperiſſet, decreuit tollere atque pro ſuo educare. Peperit itaque filiam, cui inditum eſt nomen Ioannæ, quæ multorum poſtea malorum cauſa fuit.

Ioanna Enriqui deſignatur Princeps, eaque abiurata Alphonſus ſubſtituitur ſalutaturque rex, ex partium diſsidio pugnatur, vinciturque Alphonſus.

CAPVT II.

REx cum putaret ſe turpitudini ſuæ quaſi velum quoddam poſſe prætendere, ſi puellam profiteretur ex ſe genitam, ſimul etiam vt ſuæ virilitatis argumentum aliquod relinqueret: ex primoribus regni alios pollicitationibus, quoſdam etiam præmiis, nonnullos quoq; precibus, complures & minis, cum quibus etiam & ciuitatum municipiorumque procuratores inducens eo rem deduxit, vt ſuppoſititiam illam recens natam pro vera filia iureiurando principem regnique hæredem ex Hiſpanorum conſuetudine deſignarent: id quod eſt Madriti geſtum. Quæ res cum publice tranſigeretur, à plæriſque tamen ſecreto reclamatum eſt, dicentibus ſe iuſto terrore compulſos peieraſſe, propterea quod regis potentia eſſet illis tunc formidoloſa. Qui non multum poſt tempus conſcientia tanti facinoris adacti, remque ipſam profeſſi palam à rege deſciuerunt, miſſis oratoribus qui dicerent illi, ſe nolle ſtare iuriiurando quod eſſet ab illis extortum, aut minis, aut illicitis pactionibus: quin potius illum per ſuperos, perq; maiorum ſuorum manes, & per ipſius regni maieſtatē obteſtabantur, puellam vel ipſo teſte atq; iudice ex fœdo concubitu genitam abdicaret, ablegaretq; aliquo vnde nec nomen ad Hiſpanos vnquam redire poſſet. Petiere inſuper vt Hiſpanæ reip. proſpiceret, ne quid detrimenti pateretur: quod fieri non poſſet facile, niſi Alphonſum fratrē natu minorē declararet principē hæredē regniq; ſucceſſorē. At rex permotus ſiue conſcientia, quæ valet pro mille teſtibus: ſiue quod verebatur, ne proceres atq; populi, niſi id faceret, ſe ab imperio ſubducerent: ſiue quod intelligebat, vno omniū conſenſu fratrē expeti, qui ſibi ſuccederet: oratoribus reſpondet, quandoquidē iuſta & honeſta petebāt ſe illorū precibus velle acquieſcere: id quod eſt ab eo factū ė veſtigio. Nam & Alphonſum fratrē principē ſibi ſucceſſorē regniq; hæredē declarauit. Quæ res omnibus omnium ordinū viris qui modo erāt pacis & quietis amatores, iucundiſſima fuit. Nā ex ea principis hæredíſq; nuncupatione pax Hiſpanæ reip. haud dubie promittebatur. Cum deinde rex cœpiſſet omnia ex arbitrio paucorum agere, quippe qui erāt illi voluptatū adminiſtri, idq; regni primores ægre ferrēt, cum vellēt alioqui rerū nouitatē experiri, publica vtilitate neglecta, & quiſq; ſua cōmoda ſecutus, diſſidiū fecere. Nam & altera pars Alphonſum principē deſignatū ſalutauit regē, dicens non eſſe parendū homini tam molli & effœminato, tamq; rerū gerendarū negligenti & ſecuro, & qui neque proprio decori parceret, neq; publicę tranquillitati proſpiceret. Quare apiū exemplo eum qui ſit deterior ex duobus regibus, neci dedendū, ignauumq; fucos pecus à præſepibus arcendū. Altera vero pars Enriquum ſecuta excuſare, quod eſſet rex, & ab illo quidē vnctus in regem, cuius manu cor regis eſt, & per quem reges regnant. Quodque ſi ex ea cauſa rex eſſet abdicandus, quod male rem gereret, non eſſet tolerabilior illa gubernatio, in qua puer vndecim annorū, cuius ætatis tunc erat Alphonſus, regnaturus erat: atteſtante

testante scriptura sacra, Væ terræ illi, cuius rex est puer. His se vtraque pars rationibus tuebatur apud multitudinem, re autem vera secreto sua quisque commoda sequebatur. Nec tamen erat animus vtrisque bello decernendi, quam cunctando vtriusq; regis potentiam infirmandi, quo facilius possent deinde pro sua libidine regnum inter se partiri: id quod postea experimento compertum est. Sed cum vtraque pars exercitus cogeret, atque opportunam castris sedem exploraret, Vlmetum simul contenderunt: siue quod locus ille tali situ est, vt qui eo potiretur, meliorem esset belli conditionem habiturus: siue quod fatalis ille campus moliebatur tradere victoriam regi qui potiorem videbatur causam habuisse, exemplo illius pugnæ quæ eodem in loco Ioanni regi de Ferdinandi liberis victoriã dederat. Congregatis igitur vtrinq; copiis, cũ de conditionibus pacis non posset conuenire, neque fieri, quin signis collatis dimicaretur, victoria penes Enriquum mansit. Quod vero ea pugna citra voluntatem primorum fuerit, ex eo facile cõiectare licet, quod victores in persequendis belli reliquiis non perstiterunt. bellum namque non tam finire quam protrahere volebant. Cum essent in procinctu acies, diceretque quispiam, Nullane ratio inueniri potest qua prælium hoc possit dirimi? Optime, facetus quidam homo respondit. Qua nam inquit ille. At hic rursus, si alter exercitus aufugerit.

Alphonsus obit, illiusque partes hortantur Elisaben sororem, vt regni sceptrum arripiat: quod illa recusat.

Capvt III.

ALphonsvs acie superatus sub tutoribus illis qui sibi in bello fuerant adiutores, vixit annos tres, obiitque diem suum Chardeniosæ, agri Abilensis exiguo pago, in pestilentia illa infami quæ per id tempus grassabatur. Erant autem ea tempestate cum illo qui suarum partium studia fouebant, Alphonsus Charillus Archiepiscopus Toletanus, Ioannes Patiequus qui ex Marchione Villenati Magister militiæ diui Iacobi Spathiferi fuit, Aluarus à Stunica Comes Placentinus, qui deinceps fuit Areuacorum Dux, Alphonsus Pimentellus Comes Beneuentatus, atque alii complures omnium ordinum viri principes. Qui ex morte sui ducis animo consternati, formidantes Enriqui regis auctam ex victoria potentiam, quem probris & maledictis per literas perq; acclamationes sæpe lacessierant, nullum aliud sibi præsidium ab irato rege inueniebant, quam si in demortui fratris locum Elisaben sororem quæ eodem tempore atq; in eadem erat vrbe, substituerent, reginamq; salutarent. Sic enim posse & factionem suam confirmare, & cõmissorum impunitatẽ assequi, cum esset præsertim regis filia atq; soror vnica, ad quam non minus hæreditariũ regni ius, quam ad Alphonsum fratrem germanũ pertinebat. Adeunt itaq; illam, & dicta acceptaq; salute, Alphonsus antistes Toletanus cui reliqui omnes primas orandi partes dederant, huiusmodi fere sermonẽ habuit. Si apud Deum immortalẽ vota nostra valuissent, optima Princeps, & tu iucundissimo fratre tuo nunc fruereris, & nos haberemus regẽ quem sequeremur obseruaremusq;. Sed quando superis ita visum est, vt ille raperetur, ne malitia forte mutaret mentẽ, aut quia placita Deo anima illius, tu sola nunc restas altera spes atq; vnica lux, quæ possit Hispanæ reip. tenebras illustrare. Quanta reipublicæ labes ab Enriquo fratre orta est, ex eo tempore quo supposititiã illã, & quam simulabat esse filiam, hæredem reginamq; futuram etiam iureiurando procerũ interposito designauit, optime nosti. Sed fuit tempus illud primũ tolerabile. Postea vero cum neglecta regni administratione, omni voluptatũ genere affluens per quosdam impuratos contubernales vniuersa negotia exequeretur, iurisq; & iniuriæ nullum tum esset discrimen, coacti sumus quasi in demortui regis locum regem alterũ nobis sufficere, qui illius negligẽtia rem perditã instauraret. At nunc illo acerba nec indigna minus morte perempto, quid reliquum est, nisi quod bonum, fœlix, faustumq; sit, vt regni gubernacula suscipias, fessisque rebus atq; luxatis operam tuam opemq; accõmodes? Neq; est quod oblatam à nobis conditionẽ recuses, nisi mauis te ipsam, tuosq; ciues ire perditũ. Nam si tu, ad quam regni successio ex iure manu consertũ pertinet, non arripis occasionẽ, vide ne frater auctus hac quoq; parte quam nos tibi tradimus, totam regni molem in subdititiam illam tui æmulam transeat. Hæc Toletanus præsul, cui reliqui primores sunt assensi. At illa ex recenti fratris obitu in mœrore ac luctu degens, paululũ lachrymis & cogitatione morata, paucis tandẽ respondit. Ego venerande Pręsul, vosq; principes mihi charissimi, volũtatem istam quam geritis erga me, admodum laudo, atque proinde magnifacio, & si quando mihi dabitur facultas, gratiam vobis cumulatissime referam. Sed qualis antehac mihi animus fuerit, quemque in præsentiarum habeam, quia, vt intelligo, vobis perspectum non est, breui

ostendam. Quo tempore frater meus idemque germanus mihi dulcissimus vobis adiutoribus rerum potiebatur, quia discorditer cum Enriquo fratre communi viuebat, nullo modo poterat mihi placere status ille reipublicæ. Nam quis sanæ mentis probaret fraternas acies, alternaq; bella ꝓfanis decertare odiis? quis fas & nefas misceri, legesq; & iura violari? Quæ omnia ex bicipiti gubernatione illa sequebantur. Sed quoniam sic fata voluerunt, vt ex duob. alter alteri cesserit, nō censeo amplius repugnādū esse diuinæ voluntati, quæ bis iam manifestissimis argumentis declarauit, quid nos sequi debeamus, semel cum victoriam, atq; iterum cum fratri vitam abstulit. Quod si vos, ô amici Hispanæ reipublicæ cura tangit, illud potius curate, vt res ad illius imperium deferatur, cui Deus ipse deferendum esse iudicauit. Sed quia non modo omnium ordinum consensu, sed etiam ipso qui ab aliquibus dicebatur esse pater, iudice, abdicata est illa quam dicitis mei æmulā si me Ioannis regis filiam, si dignam tanto nomine putatis, efficite per ipsum regem, perq; reliquos Hispaniæ proceres, vt res Hispana in alienam familiam illegitime non transferatur, sed post fratris obitum ad illam deuoluatur, cuius potior videbitur esse causa.

Agitur de concilianda Elisabe regi fratri, & Archiepiscopus Hispalensis negotium suscepit.

Capvt IIII.

His rationibus commoti proceres abierunt, abdubitantes quam potissimum viam insisterent. Quos ancipiti consilio distractos Ioannes Patiequus Magister equestris ordinis sub diuo Iacobo merentis in hunc modum allocutus est. Quæ sit magnanimæ huius puellæ mens, sapientissimi viri, quod consilium videtis: quam non libido regnandi, non odia in partis aduersæ studiosos flexerunt, eam nos miremur oratione in sententiam nostram non potuisse impelli? Credite mihi ô proceres, magnum quiddam hęc indoles promittit. Non est puellæ huius ingenium vulgare. Nam quis illius rationes quibus nunc vsa est, confutare aut refellere potest? Quis enim non videt reipublicæ, atque etiam nobis ipsis magis conducere pacem, ad quam nos illa hortatur, quam bellum quod vtrisque perniciosum est? Nā timor ille noster à rege quē ostēdimus, facile sedari potest vel per ipsam regni participem factam sororem, cuius ea est prudentia, vt vel vno verbo nos possit facere illi beneuolos. Quid? quod ego pulcherrime noui regis ipsius ingenium? in media iracundia, etiam minima excusatione placabilis est. Quare sententiam meam ego breui vobis ostendam. Sororem censeo fratri conciliandam ea conditione, vt ille solus imperio potiatur, illa vero si fuerit superstes, in regni administrationem succedat, idq; ex gentis nostræ consuetudine, procerum procuratorumque totius Hispaniæ iureiurando sanciatur. In Magistri sententiam omnes pedibus manibusque tunc ierunt, quod videbatur æquabilior, & cui nemo possit obsistere, tametsi non erat illis ignotum ipsum iampridem cogitasse de reditu in gratiam cum rege, quippe qui cotidie apud omnes testaretur, prædicareturque illum vnicum benefactorem suum, seque omnium fortunarum suarum illius esse debitorem. Ex quo factum est, vt omnes factionis illius socii, atque ille imprimis, cœpissent agere de concordia inter fratrem & sororem. Is namque autor fuit, vt Alphonsus Fonseca Archiepiscopus Hispalensis, vir bonus atque dicendi non imperitus, & qui vtriusque partis esset amicus, regem adiret, atque imprimis ab illo venia petita, de pacis conditionibus ageret. Qui vt erat homo ad res agendas natus, non grauate negotium suscipiens regem adit, apud quem huiusmodi sermone vsus est. Cum in constituendo rege, clarissime Princeps, omnia virtutum genera sint necessaria, & quæ possint illum, & bonum virum facere, & sapientem: duæ tamen iure videntur primas sibi vendicare sedes, clementia & iustitia, quæ solæ possunt efficere mortales proxime ad Deum accedere, qui & ipse clementissimus iustissimusque est. His duabus ita moderatur orbem, vt in suis operibus nunquam altera sine altera reperiatur. Pars illa, optime rex, quæ fratrē tuum sequebatur, forte sibi persuaserat se à tua Celsitudine duriuscule tractari, quod videbat te propensiori quodam modo amicis quos tibi priuatim delegeras, indulgere, quodque beneficia quæ consueuerunt à regali beneficentia proficisci, non peruenirent ad illos pro dignitate. Sed esto partim inuidia, partim indignatio illos à te alienauerit, iam pudet eos pigetque facti, iam fatentur se & tuo Marte, & diuina sententia victos. Erit igitur clementiæ tuæ, & illos facere tibi obsequentes amicos, errata illis condonando, & iustitiæ, si regni tui vires sparsas recollegeris, composuerisq; rerum statum præsentē, & deinde futuræ trāquillitati prospexeris. Quod vtrumq; vno tuo singulari beneficio in remp. efficies, si sororē iam prope vno omniū consensu principē nō modo expectatā, sed animo quoq; designatam,

gnatam, tu tibi illam fucceffuram,regnique legitimam hæredem declaraueris: atque eadem via te ab omni moleftia liberabis,omnefque primores obnoxios tibi facies,& rebus Hifpanis quietem pacemque in longum relinques,efficiefque vt mifericordia & veritas obuient fimul,& iuftitia & pax ofculentur fe. At Rex tametfi erat illis non diffimulanter iratus,à quibus hæc petebantur,benigne tamen patienterque Archiepifcopum audiuit, refponditque fe die poftero illi refponfa daturum,atque ita illum in hæc verba dimifit.Erant familiares atque amici Regis fecti in factiones duas,altera quæ ftudebat Regis forori,altera quæ partis fuppofititiæ illius filiæ fuftinebat.Qui audita legatione cum intelligerent Regis ingenium flexibile,atque paruo momento poffe huc vel illuc impelli, regem aggrediuntur, tentantque rationibus ad rem accommodatis,quæque pars in fententiam fuam pellicere.Qui adulterinæ Regis filiæ partes tuebantur, dicebant veniffe tempus in quo Deus traderet hoftes in manus fuas,quando fpoliati duce,atque confilii inopes, nefciebant quo fe conferrent,nifi ad eum quem re & verbis læferant.Reuocaretque in memoriam,quo pacto ab imperio fuo defciuerunt,atque contra diuina & humana iura creato fibi Rege,armati etiam in acie contra fuum verum Regem decertauerint. Meminiffet quæ probra & maledicta in vulgus fparferint, atque etiam ad principes exterarum gentium fcripferint ea quæ de maieftate regia confinxerunt prædicaueruntque, quibus etiam fcorta & proftibulæ meretrices abftinerent.Quare huiufmodi hominum generi, non modo veniam non effe dandam,aut in gratiam recipiendos,verum etiam bello perfequendos,exagitandofque ad extremas mundi oras,quo abluerent commiffa, dignafq; pro fuis fceleribus pœnas reportarent.Exaggerabant præterea hominum fuperbiam, vel impudentiam potius,qui cum debuiffent petere veniam fupplices,poftularent fuo arbitrio defignari debere principem regnique hæredem, imponentes legem quam victores victis imponere confueuerunt. At pars altera,fiue quod diffidebat Regis ingenio,quod erat magis pronum ad ocium atque focordiam, quam ad decertandum vindicandumque bello iniurias,fiue quod intelligebant regni hæreditatem ad fororem pertinere, fiue quod videbant mala impendentia nullum effe habitura finem, nifi frater & foror redirēt in gratiam,obteftabantur Regem,vt ex hoftibus faceret amicos illos qui antehac fibi obftiterant,fimul etiam fororem fibi beneuolam faceret,declararetque illam principem regnorumque futuram hæredem,fi foret fibi aliquando fuperftes. Erant qui fuaderent illi omnia fuperiora per fimulationem effe facienda, quoad foror in poteftatem fuam redigeretur.poffe enim tunc illam alicui externarum gentium principi matrimonio locare, atque eadem via tradere filiæ,fiue putatiuæ,fiue ex fe genitæ,regnum, quod à maioribus fuis receperat.

Regem dubium in Elifabes partes Andreas Caprarius proniorem facit: ftatuunturq; pacis conditiones.

CAPVT V.

EX tā variis fententiis Regē ancipitē,dubiumq; quid faceret,Andreas Caprarius quem Magifterio domus præfecerat,& cui ex omnib.amicis magis fidebat quā nulli alteri, hunc in modū eft allocutus. Etfi intelligo,clariffime Rex,me apud Celfitudinē tuam nō habere tantū autoritatis,vt audeā te aliqua de re admonere,eft tamen fidei meæ & obfequii quod tibi debeo,teftatū apud te relinquere,quid ego fentiam de hoc negotio quo tē implicitū effe video.Audiui nuper ex quodā viro doctiffimo qui fe philofophum profitebatur,fcriptū effe apud Platonē,tantum quemq; in fua rep.debere contendere,quantum ciuibus fuis perfuadere poffet.Nam quemadmodum patri,fic etiam patriæ non effe vim inferendam. Omnibus regni primoribus fimul & vulgo, atque omnium ordinum viris perfuafum eft,hanc quam Regina vxor tua peperit,non effe ex te genitam,idq; factum eft illis probabile argumentis,quæ nos amici tui qui fæpe cum populo difceptamus,nulla ratione poffumus diffoluere.Si tibi animus eft,quam cupis credi tuam effe filiam,regni hæredem relinquere,tota erras via.Nam eft nemo qui non indignetur parere illi,ad quē regni fucceffio iure nō pertinet.Quod fi viderint te arces munitionefq; & caftella præfidio firmare,atq; amicis tuis credere,vt poft obitum tuum filiæ tradant,hoc eft patriæ vim afferre,hoc eft contendere plus quam effici poffit,hoc eft Gigantum more,contra fuperos pugnare,voluntatiq; diuinæ obfiftere.Neq; imperio tuo fubditi magis id patientur,quam fi velis illos in manus infidelium tradere.Si refpublica Hifpana loqui poffet,non aliud opinor diceret,quam quod ego nunc fentio,effe videlicet ignofcendum illis qui pro fratre tuo contra te arma fumpferunt, qui forte non tam offendendi tui caufa, quam vtilitati

publicæ prospiciendi id fecerunt. Deinde sororem tibi conciliandam, tractandamque proinde ac si esset filia ex te genita, quandoquidem ita Deus voluit, vt tu sine prole decessurus esses, illique regni successionem volens nolensque decernas. Hac enim via omnes tibi fatebuntur esse debitores, tibique libentissime obtemperabunt, tu summo ocio & tranquillitate frueris, res Hispanæ in dies magis magisque efflorescent. Pro quibus in rempublicam meritis illud præmium tibi dabitur, quod omnibus qui commissum sibi imperium conseruauerint, adiuuerint, auxerint, à Deo propositum est. In hanc sententiam quæ ex altera parte timorem intentabat, ex altera ocium pollicebatur, Rex facillime acquieuit, iubetque vocari Archiepiscopum, cui respondet, velle se reipublicæ & communis vtilitatis causa condonare illorum errata qui ab imperio suo desciuerint: velle præterea sororem sibi conciliare, atque in principem regnique successtricem cooptare, modo illa in sua verba persancte iuret suo iniussu nuptum ire mortalium nemini. Suscipit Archiepiscopus se & illorum quibus est concessa venia, & sororis designandæ Principis, & Hispanæ totius reip. nomine immortales gratias agere pro tam mansueto benignoque ingenio. Tum agi cœptum de conditionibus pacis, ictumque fœdus est in hæc pacta conuenta: Imprimis, vt soror princeps designanda, & Ioannes Patiequus Spatharius Magister, & ex reliquis qui in eadem causa fuerunt, qui vellent, regalem curiam frequentarent, quo per omnem Hispaniam reditus in gratiam atque concordiam illustrior esset: quodque Rex intra quatrimestre tempus Reginam ex furtiuo illo concubitu filiam dimitteret in Lusitaniam, curaretque per pontificem cum illa diuortium facere, quandoquidem cum fœdus coniugale cum illa inierat, ad præfinitum tempus fuere legibus soluti, experiundi tantum gratia in vtro esset gignendi defectus, cum alioqui permanendum illi esset cum priori vxore: tum demum, vt in alimenta sumptusque nouæ principis decerneret stipendiaria oppida cum iurisdictione, ex vrbibus Abilam, Optum, Molinam, Vbetam, ex municipiis Methymnam campestrem, Vlmetum, Ascalonem. Ipsa vero Princeps iurauit stãtibus his conditionibus, nisi per Regem fratrem liceret, se nemini mortalium nupturam. Constitutum est præterea ad præfinitum diem, vt Rex & soror conueniret in æde ac cœnobio diui Hieronymi, quod est ad locum quod vulgus Guisandi tauros appellat.

Enriquus & Elisabes soror conueniunt, rursus designatur princeps, & Ioanna regina fugit.

CAPVT VI.

ERAT ea tempestate Rex in oppido quod ipse plurimum frequentabat, antiqui Carpetaniæ Mantuam vocabant, nostra ætas Madritum nominat. Soror vero Abilæ morabatur. Quæ accepto Regis responso conuocatis primoribus, cum primum potuit, venit Zebreros comitatu virorum principum frequenti, inter quos erant ex ordine ecclesiastico Toletanus & Hispalensis Archiepiscopi, & Enicus Manriquus præsul Cauriensis. Ex ordine vero militari Magister diui Iacobi, & Placentinus, Beneuentanusque, & Osorninus, Comites, aliique complures vtriusque ordinis principes viri. Rex vero ex Madrito profectus, venit ad Cadahalsum, qui in agro Ascalonitano pergrandis est vicus. Locus in quem constitutum est se conuenturos, distabat vtrinque interuallo pari. Quo posteaquam conuenerunt, seque inuicem salutarunt, Rex benigne ac comiter sororem longo post tempore visam breuiter allocutus est. nam cætera dixit, se in aliud tempus reseruare. Tunc accedens diui Iacobi Magister, genua Regis amplexus, pauca pro se atque pro cæteris qui in eadem causa fuerunt, est locutus, partim excusans, partim confitens suum atque aliorum errorem, pollicens suo atque sociorum nomine compensaturos se obsequiorum crebritate pristinas offensiones, si quid fuisset in quo læserint regiam maiestatem. Erat in ea conuentus celebritate ad hoc ipsum inuitatus Antonius Venerius Apostolicæ sedis legatus, idemque Legionensis Episcopus, & qui deinceps fuit Conchensis præsul, atque S. R. E. Cardinalis. Is petente ipso Rege absoluit, atque relaxauit à priori iureiurando illos omnes qui iam pridem Madriti iurauerant principem regnique hæredem futuram illam quæ falso dictitabatur filia Regis. Atqui Rex ipse declarauit extemplo imperii successionem, hæreditatemque, ac regni dominium ad sororem pertinere, quemadmodum & antea Alphonsum fratrem futurum Regem designauerat. Quo intercepto in superstitem vnicam sororem hæreditarium ius esset deuolutum. Nam quæ sua dicebatur esse filia, illam abiurabat, abdicabatque perinde atque alienam. Iurauitque euestigio in Apostolici legati verba, se hanc vnicam sororem regni hæredem agnoscere, & præter

eam nominē,atq; hāc hæredis inſtitutionē declarationēq; ſub eodē iureiurando affirmauit ſe nunquam per ſe aut per alium quempiam interpellaturum.Idemque coegit omnes omnium ordinum viros,ſummates & infimates,qui aderant,iureiurando ſancire. Per edicta quoq; præcepit,vt omnes ciues,oppidani,municipes,& populi ſuo imperio ſubditi idem ſecum iurarent,atque ſi contingeret,ipſum è vita priorem excedere,haberent illam certam,legitimam,& indubitatam Reginam. Edixit præterea, vt omnes ciuitates, oppida,municipia mitterent procuratores ſuos Ocaniam, vbi futurus erat conuentus procerum,in quo de ſtatu reipublicæ decerneretur. Per idem fere tempus Ioanna Regis vxor quæ mittenda fuerat in Luſitaniam, ex certis quibuſdam cauſis poſita eſt ſequeſtro in poteſtate Archiepiſcopi Hiſpalenſis,qui tradidit illam adſeruandam Petro à Caſtella ex ſorore nepoti ſuo,in arce quam ipſe ædificauerat munitiſſimam Alahegiis. Egregia interea coniux, quo mariti dedecus magis teſtatum eſſet cunctis, oculos in adoleſcentem coniecit,& non multos poſt dies comperta eſt ex eo prægnans, neque eo contenta, auſa quoque eſt ingens facinus. Agit cum adoleſcente, vt illam per muros noctu deducat.Compoſita re cum fefelliſſet cuſtodes primum,deinde circitores & vigiles, lapſa per funes,atque erepens,tandem veredo impoſita duce adultero poſtridie Butracum venit, quo in loco erat Ioanna filia quam ex furtiuo concubitu genuerat, obſeruabaturque publice ab Enriquo Mendoza Tendillano Comite. Exactis diebus paucis,Rex cum ſorore principe cæteroque procerum comitatu venerunt Ocaniam, procuratores quoque ciuitatum & municipiorum eodem conuenerunt, quemadmodum per Regis edicta illis fuerat imperatum,qui & ipſi procuratorio nomine iurarunt ſe habituros illius ſororem loco principis hæredisque, & poſt eiuſdem obitum pro vera, certa, legitimaque Regina.

Agitur de coniugio Eliſabes principis cum Alphonſo Luſitanorum rege, & cum Ferdinando Siciliæ.

CAPVT VII.

ALTERA vero pars quæ Vlmetano prælio Enriquum Regem ſecuta fuerat, indignabatur,quod non fuiſſet habita ipſorum ratio in illa Regis Principiſque concordia: nihilominus tamen partim illuc acceſſere, partim miſere procuratores ſuos, qui vtrique illud idem iureiurando ſanxerunt. Hi fuerunt Marchio ſanctæ Iulianæ, Comes Pharius,Epiſcopus Secontinus,aliique complures eiuſdem factionis. At Rex, ſiue Magiſtri Spatharii ſuaſu,ſiue quod ipſe per ſe natura erat varius & mutabilis,nihil eorum exequebatur, de quibus cum ſorore tranſactum erat, quin è diuerſo per literas egit,vt Alphonſus Rex Luſitanorum qui tunc orbatus erat vxore,peteret coniugio ſororem principem deſignatam,eoque venit Archiepiſcopus Olyſſiponenſis cum literis,& mandatis, & procuratorio ipſius Regis nomine. Archiepiſcopus Toletanus è contrario laborabat illam iungere Ferdinando Regi Siciliæ,ac Principi hæredi Ioannis Tarraconenſis Regis. Qui,vt poſſet commodius atque citra vllam ſuſpicionem peragere negotium, conceſſit Hyppepos ditionis ſuæ municipium,cœpitque exequi rem per Gutterrium Cardenium ipſius Principis ſtructorem, vt ſpretis Luſitanorum Regis conditionibus, acquieſceret potius Regi Siciliæ. Rationes autem quæ poſſent illam in Siciliæ Regem pellicere,atque è diuerſo à Luſitanorum Principe deterrere,complures fuere,ſed illa imprimis quod Enriqui fratris conſilia eo tendere videbantur, vt ſororem extra regni limites ablegaret, nulla dignitatis habita ratione,dum modo efficeret quod cupiebat,id eſt,quo poſſet cōmodius ſubditiuam filiam in regni ſucceſſionem ſubſtituere.Ex quo illud efficiebatur,vt quoniam Luſitanorum Rex haberet ex priori coniuge filium hæredem, ſi ſuſciperet ex ea liberos,relinqueret eos exhæredes: ſin minus ſuſcepiſſet,ipſa nihilominus maneret indotata. At Rex Siciliæ idemque Tarraconenſium Princeps deſignatus,qui necdum vxorem duxerat neque liberos procrearat,non modo poſſet habere filium qui ſuccederet in gubernationem,ſed etiam poſſe fieri,vt auitum regnum cum regno dotali coniungeretur. Accedebat ætatis æqualitas,quæ ad animos conciliandos valet plurimum, cum alioqui Luſitanus eſſet natu grandior. Eo quoque accedebat, quod ſi res in diſcrimen eſſet ventura,vt inter duos Principes armis decerneretur de regni poſſeſſione, quod Rex Siciliæ idemque Tarraconenſium Princeps habebat in Hiſpania ex primoribus complures ſanguinis propinquitate coniunctos, qui cuperent ipſum potius quam alienum regnare,& qui ſi vires ſuas cum ipſius Principis viribus coniunxiſſent, facile poſſent ſubmouere,atque ſemel ex Hiſpania æmulam illam atque in ipſius regni perniciem genitam

eradicare. His suasionibus apud Elisaben Principem Gutterrius vtebatur. Quas illa seci reputans, simul etiam quod videbat fratrem Regem nolle stare pactis conuentis, neque tradere illi vrbes & municipia, quemadmodum inter eos conuenerat, sed illud imprimis quod frater nihil aliud moliebatur quam ipsam ex Hispania pellere, atque perinde regni successione spoliare, facile assentiebatur structoris admonitionibus: sed pudebat illam publice fratris voluntati obsistere, qui per se atque per amicos instabat, vt in hoc sibi obsequeretur, promittens (vt aiunt) maria & auri montes. Quare vtriusque partis rationibus obtusa, & dubia quid potissimum sequeretur, tandem respondit se huius deliberationis curam omnem ad Hispaniæ proceres velle deferre, precata Deũ imprimis, vt quod reipublicę foret vtile, sibique honestum, id illis animum induceret. Sed cum vtraque pars instantius vrgeret, atque intelligeret plærosque omnes ex proceribus atque infimæ mediocrisque conditionis hominibus in Siciliæ Regem propensiores, Olyssiponensi Archiepiscopo respondit, velle se hanc rem tam grandem, & quæ non tam sua quam omnium communis esset, cum Hispaniæ primoribus commentari: atque ita demum re cum omnibus communicata, se per oratores summam totius negotii missuram Lusitanorum Regi. In hæc verba Archiepiscopus est dimissus. At illa secreto per structorem Toletano præsuli respondet, si per primores proceresq; regni sibi liceret, se facturam quod ille tam instanter efflagitabat.

Enriquus à pactis conuentis discedit, atque in Bæticam profecturus Comiti Placentino Areuacum cum Ducis titulo dono dat.

CAPVT VIII.

CÆTERVM Rex cum videret omnes conatus cogitationesque suas in cassum recidisse, veritus ne se inuito soror nuberet, cui minime ipse vellet, cœpit agere cum amicis quo pacto illam posset in vincula coniicere: idque fecisset, nisi timeret ne proceres ab eo desciscerent, illamque bello vindicarent. At Toletano præsuli factus est infestior, tanquã autori conciliatorique matrimonii sororis cum Rege Siciliæ. Succensebat praeterea illi, quod ad pristina sua errata hic nunc cumulus accessisset maximus, in re præsertim quæ sua omnia interturbaret consilia. Itaque cum pararet cohortes quæ illum comprehenderent, suspicio fuit Magistrum Spatharium fecisse Præsidem omni de re certiorem, monuisseque vt caueret sibi. Idque faciebat non tam quod Archiepiscopus erat sibi aut amicus, aut sanguine propinquus, quam quod secreto fouebat alterius partis primores, vt ex illa cunctatione discordiæ in dies crescerent, vnde sibi putabat magnas fieri posse fortunæ accessiones. Quare cum ad conflictum erat veniendum, nunquam sinebat alteram partem euadere superiorem, sed subleuabat semper partem quæ esset abiectior. His artibus & alterutra pars & illius ope indigebat, & ipsius potentia cotidie augebatur. Rex cum neque blanditiis, neque precibus, sed neque minis posset sororem in sententiam suam attrahere, neque auderet illam in vincula coniicere, statuit ad tempus dissimulare, atque in Bæticam proficisci, vt conciliaret sibi vrbes, & municipia, atque illius prouinciæ primores qui Alphonsi fratris factionem aduersam secuti fuerant. Et quo id facilius assequeretur, extorsit à sorore literas quibus significaretur cum illo reditus in gratiam, neque alia ex causa ipsum illuc proficisci, nisi vt res vtrique communes agerentur. Profectusque est cum illo Magister Spatharius aliique complures ex primoribus. Princeps vero vt daret inferias, iustaque persolueret Alphonso fratri defuncto, profecta est Areuacum municipium illud ornatissimũ, quod decretum erat in sumptus Elisabes Reginæ ipsius Principis & Alphonsi Regis matri. Tenebatur autem præsidio à Placentino Comite, qui veritus ne Princeps illum excluderet, atque municipium sibi præsidio muniret, egit per Spatharium Magistrum, vt Rex donaret ipsum & municipio & Areuacorum Ducis cognomine. Magister vero reputans si rem perageret, eadem via & Regis potentiam debilitari, simul etiam & Comitem Placentinum qui eo tempore inter Hispaniæ proceres eminebat, apprehensa municipii possessione in ea tantum re implicitũ fore, egit cum Rege, vt donaret illum & municipio, & municipii titulo sub Ducis nomine. Quod Rex fecit non grauate, siue vt sorori negotium facesseret, siue quod erat ingenio facilis ad euertendum regale patrimonium. Hanc largitionem tam profusam omnes omnium ordinum viri ægrę ferebant, partim inuidia, quod videbant Comitem Placentinum in dies fieri potentiorem, partim quod regiæ vires huiusmodi largitionibus minuebantur, partim etiam quod Reginæ viduæ miserebantur calamitatem, cum illud vnicum suæ viduitatis subsidium eripiebatur. Princeps itaque ab Areuaco pulsa, contulit se Abilam, vt defuncto fratri parentaret.

taret. Ludouicus interea Gallorum Rex factus certior regnorum Hiſpaniæ ſucceſſionem ad Eliſaben Ioannis Regis filiam eſſe deuolutam, ſimul etiam peti coniugio à duobus Principibus ſibi ex factione publica infenſis, quod illorum erat vterque confœderatus Britannorum Regi, veritus ne ab altero illorum duceretur vxor, atq; proinde partis aduerſæ vires augerentur, & ſuæ decreſcerent, ſtatuit mittere legatos qui peterent illam cõiugio Caroli fratris ſui Aquitaniæ Ducis. Erat autem legationis eius princeps S. R. E. Cardinalis. Cum interim Princeps obtunderetur cotidie rationibus, vt in alterutrum ex duobus competitoribus flecteretur, ecce legatio à Gallorum Rege aduentabat. Erat illa tempeſtate Eliſabe Princeps in municipio Matricali, quod quemadmodum de Areuaco diximus, erat decretum Eliſabes Reginæ matri. Quo poſteaquam oratores acceſſere, dataque eſt illis copia Principis adeundæ, cum aſſiſterent aliquot ex optimatibus qui illam aſſectabantur, Cardinalis hanc orationem habuit.

Cardinalis oratio, in qua Eliſaben Carolo Gallorum regis fratri coniugem petit, cui excuſans ſe illa reſpondet.

CAPVT IX.

NISI Galliæ regnum atque Principum Hiſpaniæ vetus amicitia & fœdus æternum apud omnes nationes teſtatum eſſet, atque iam inde à multis illuſtribus officiis confirmata ſocietas, poteram ego clariſſima Princeps multa nunc commemorare quæ ad eã rem pertinerent. Sed in hac cauſa de qua oratores aduenimus, nolo proſit nobis fuiſſe Gallos Hiſpanis ſemper amicos atque ſocios, idemque ſemper de re communi ſenſiſſe. Non nobis proſit Celſitudinis tuæ competitores ſemper fuiſſe aduerſæ factionis, ſemperque Britannorum Regi confœderatos. Nolo commemorare nunc immortales inimicitias & incurabile odium inter vtroſque populos confirmatum multis ſtragibus hinc inde acceptis. Illa tantum proſequar quæ ſunt propria huius cauſæ, vt competitorum meritis detur tantum victoria. Petit connubia tua Luſitanorum Rex, petit Rex Siciliæ, petit Aquitaniæ Dux. Conſultatio tibi eſt, quis ex tribus ſit deligẽdus. Luſitanorum Rex omnino excluditur, & quod eſt natu grandior, & quod habet filium hæredem, vnde quot tuæ dignitati ſequantur incommoda, facile eſt videre, querelæ propter ætatum diſparilitatem, quod filii à patre futuri eſſent exhæredes, quod inter Luſitanos & Hiſpanos ſemper eſt ſimultas, atq; vtriuſq; partis alterius contemptio. Atqui Siciliæ Rex tametſi ætate floreſcit, noſter tamen illi non cedit & corporis elegantia, & ingenii acrimonia, & animi ſapientia. Sed neque eſt illi potentia inferior. Neque enim Aquitania aut ſoli benignitate, aut fortunis, aut tractu cœli, prouinciæ Tarraconenſi cedit. Eſto tamen ſint vtriq; omnia paria, non valebunt in electione hinc amicitia, illinc inimicitiæ paternæ & auitæ? nõ ſummus conſenſus maiorum huius cum Ioanne patre tuo, cum quo illius pater ingentes egit inimicitias? Quod ſi apud eos qui vita exceſſerunt, aliquis eſt rerum noſtrarum ſenſus, nihil magis oblectabit vtriuſque Regis defuncti manes. Quare quemadmodum in vita ſe ipſi dilexerunt, ita & poſteri ſui in eadem maneant charitate. Quid quod hac via & frater iratus tibi reconciliabitur? idque Rex Ludouicus curabit atq; conficiet. Aut ſi tibi pro regni poſſeſſione fuerit cum æmula diſceptandum, vnde tibi certius, vnde firmius ſubſidium putas venturum à Luſitanorum Tarraconenſiumve principibus, an à Galliarum Rege potentiſſimo? Quare vt vno verbo legationis huius mandata colligam, Rex Gallorum offert tuæ præſtantiæ coniugio belliſſimum fratrem, viribus ingenioq; præſtantem, patrimonio ampliſſimo præditum, cuius maiores cum maioribus tuis vixerunt in ſumma concordia: quo pignore & antiqua fœdera renouabuntur, & vtriuſq; regni vires cotidie magis magiſq; inualeſcent. Idq; vt facias, non ſolum te vehementer rogat, tibiq;, oblitus ſe Regem, ſupplicat, atq; eo nomine omnia quæ poſſidet, non modo vtenda, ſed etiam abutenda permittit. Ad hanc Cardinalis orationem illa reſpondet, recordationem auitæ amicitiæ atq; ſocietatis antiquæ fuiſſe multo iucundiſſimam, & ſi quando rerum Hiſpanarum potiretur, ſe curaturam vt idem fœdus vinculis firmioribus ſanciretur. Simul etiam dicebat ſe agere Ludouico Regi gratias immortales pro eo animo quem erga ſe reſq; ſuas oſtendebat, quodq; dignam exiſtimaret, cui fratrem matrimonio coniugi peteret: ſed ſe ea de re omnem curam in regni proceres optimateſque reieciſſe, quandoquidem ſibi nõ eſſet pater qui patrimonium fundaret, neq; frater qui vtriuſq; parentis curam ſuſtineret. Rogabat præterea Cardinalem, vt ſe apud Regem excuſaret, quod nõ fuerit in poteſtate ſua, vt illius voluntati obſequeretur, quoniam hæc deliberatio iam nõ ex ſua, ſed ex optimatum conſultatione pendebat. In hæc verba oratores dimiſſi, re infecta domũ redierũt.

Elisaben quid faceret dubiam, structoris impellit oratio vt Ferdinando Siciliæ Regi nubat: celebranturq́; nuptiæ.

CAPVT X.

AT Princeps non tam à competitoribus iam efflagitabatur, quam ab ecclesiarum præsulibus, religiosis, optimatibus ciuitatum, regni primoribus, domesticis ac familiaribus, vt ex tam longa deliberatione tandem decerneret, cui potissimum vellet nubere: quanquam plærisque omnibus videretur Siciliæ Regem esse cæteris præferendum. Id etiam vt faceret, Enriqui fratris amici ac familiares clam admonebant. Adiurabant etiam obtestabanturque illam, vt prospiceret rebus Hispanis, quæ proculdubio tendebant in interitum, nisi daret operam, quemadmodum ex se prolem relinqueret. Sed imprimis structor ille suus qui hac de re sæpius cum illa familiariter loquebatur, cogitans secum hunc esse virginum morem, vt præ pudore nolint facile connubio præbere assensum, his illam verbis adortus est. Scio ego, clarissima Princeps, cum de maritandis virginibus agitur, non ad ipsas, sed ad parentes, ad propinquos, ad tutores, atque ad ipsos in quorum potestate sunt, adiri solere: tuæ vero Celsitudini omnia hæc propinquitatis vincula sors ademit. Pater qui hac de re imprimis consultare debuit, obiit diem suum. Mater quæ secundas post illum debuit obtinere partes, vni tantum viduitatis suæ dolori indulgens in luctu ac mœrore degit. Frater qui debuit vtrique succedere, te indotatam regno spoliare nititur. Familiares & amici restant soli, qui non sine lachrymis tibi supplicant, ne stabiliendi regni quod tuæ posteritati relinquas, tantam occasionem oblatam amittas. Hoc te Prælati omnes ecclesiastici obsecrant, hoc primores populi, hoc regni proceres, hoc ciuitatum optimates, hoc omnes omnium ordinum Hispani, conscientiam tuam testantur, ne fraudes illos legitimis successoribus, ne finas regnum Hispaniæ in alienam transire dominationem, ne des locum, vt frater à te vera indubitataque hærede, in subdititiam atque ex turpi concubitu genitam transferat imperium. Vides te à tribus potentissimis Principibus peti, decerne quis illorum tibi magis animo sedeat. Quod si te pudor impedit, quo minus edas nomen, dicam ego quod sentio, ex illis omnibus magis tibi conducere Siciliæ Regem, eundemque Tarraconensium Principem, est tibi coæuus, est robore atque animi virtute præstans, habet regnum tuo confine, habet in Hispania tua propinquos à viribus & diuitiis præpollentes. Proh Deus immortalis, quid dubitas vno verbo tot bona, tot commoditates, non modo tibi ipsi, sed tuis omnibus atque vniuersæ Hispanæ reipublicæ præstare? His verbis Princeps iam victa, Quando, inquit, omnibus ita visum est, me debere assentiri coniugio, non credo id sine quodam numine atque diuina prouidentia euenisse. Quare vos ô amici efficite quod videbitur è republica debere fieri, neque amplius hac de re sententiam meam expectetis. Quicquid enim de me statueritis id ratum, firmum, gratumque habebo. Sed huius meæ voluntatis facite imprimis certiorem Archiepiscopum Toletanum, qui huius mei sensus semper mihi fuit autor. Quem ego certo scio, cum acceperit hunc nuncium, peculiari quodam gaudio gauisurum. Archiepiscopus certior factus his de rebus, venit Fontiueros Abilensis agri vicum pergrandem, quo se iam Princeps è Matricali oppido profecta receperat, atque inde profecti sunt Valladolitum, vbi tunc erat Archithalassus Fredericus Regis Siciliæ maternus auus, aliique complures ex regni primoribus, qui eo conuenerant ad sponsaliorum pacta conuenta nuptiarumque lætitiam celebrandam. Rex ipse Siciliæ idemque Tarraconensium Princeps venit tandem comitatus Petro Manriquo Comite à Triuinio, qui deinceps fuit Dux Naiarensis, atque ex prouincia Tarraconensi aliis quamplurimis proceribus optimatibusque. Longum esset enumerare, qui complexus & quanta gaudia vtriusque partis fuere. Nihil illustrius illo die Hispania vidit, in quo nuptiæ tantorum Principum celebratæ sunt. Nemo enim fere fuit qui non lætitia gestiret, non exultaret, non Deo gratias ageret: non municipium, non ciuitas, quæ non supplicationes ludosque publicos decerneret.

ÆLII ANTONII NEBRISSENSIS, RERVM HISPANARVM ATQVE HISPANIENSIVM Historici, Decadis primæ Liber secundus.

De epistolis Ferdinandi & Elisabes Principum ad Enriquum regem missis.

Capvt I.

NVptiis fœliciter peractis, instauratisque repotiis, visum est Principibus facere omni de re certiorem Enriquum regem, atque per literas excusare, quod illius iniussu nupserit soror. Missæ itaque per honestos viros literæ cum mandatis in hæc verba. Enriquo Hispaniarum regi, fratrique pientissimo, Elisabe Princeps eademq; soror bene agere. Non sum ignara te mihi succensere, quod iniussu tuo regi Siciliæ nupserim. Sed cum audieris causas rationesque quæ me id facere coegerunt, facile opinor placaberis. Nam si aliqua in re culpa est, illam non mihi, sed tibi ipsi imputabis. Scis humanissime rex (neque enim te latere potuit) quali animo fuerim erga te, cum Alphonsus frater regium sibi nomen assumpsit, & quam mihi dissidiū illud displicebat, quamq; detestarer inter duos fratres decertari de regno quod alter possidebat, alter si foret superstes, possessurus erat. Scis præterea post illius obitum, quam sine cunctatione vlla regnum quod mihi ab aduersariis tuis offerebatur, abdicauerim, dicens te superstite nō licere regnare. Adhuc nihil est in meis operibus quod tibi displicere possit. Iussisti me venire quo tu volebas, declarasti me Hispaniæ Principem, fecisti quod iure debuisti facere, tametsi ob id factum magnas tibi habeo gratias. Pollicitus es te intra quatuor menses repudiaturū vxorem, si vxor appellanda est, quam neque per iura diuina neque humana tibi habere licebat, missurumq; in Lusitaniā cum filia tali matre digna. Pollicitus quoq; es te mihi traditurum in sumptus oppida quædam vectigalia. Acta transacta omnia, iuraui stantibus his conditionibus, te inuito me nupturū nemini. Posses tu me eo nomine periurii accusare, si fecisses illa quæ te facturū mihi promisisti. Nunquid repudiasti vxorem? nunquid ablegasti illam cum filia? nunquid tradidisti municipia & vrbes, vnde hoc inane principatus sustinerem? Omitto cætera quæ sunt omnibus nota, quo me nitebaris obtrudere, alteramq; quasi in demortui locū substituere. Quādo igitur tu mihi nō prospexisti, prospexi egomet mihi. Conscientiam tuam recole, comperies me fecisse nihil cuius pudeat pigeatve. Sed omnia hæc omissa faciamus. Mihi nunc idem est animus qui fuit semper, te diligere vt fratrem, te colere vt patrem, te obseruare vt regem, precarique Deum immortalē, vt quam diutissime viuas. Quod si tu aliud cogitas, aut me cupis regni hæreditate mihi per leges debita spoliare, iniurius es in me, conquerar apud regni proceres, & apud optimates ciuitatum, cōtestabor vicinos reges, deferam querelam meam denique ad Deum immortalem. Hæc sunt, quæ putaui ex cordis mei penetralibus depromere, vt animi mei sensum tibi declararē. Quæ sequuntur, meo atq; dulcissimi coniugis mei nomine rogo, vt quæ gesta sunt, boni consulas, probesq;, nosq; ambos in filiorum numerum adoptes, vitæque necisq; ius penes te sit, perinde ac si ex te essemus procreati. Vale. At Siciliæ rex in hunc modum. Etsi decretum mihi fuerat non dare literas ad illustrissimam Dignationem tuam, quod mihi foret compertum, quali animo esses in me, coniugemque meam, eamdemque sororem tuam, non potui tamen non obsequi voluntati illius, cui nihil denegare possum, quæ me admonuit, vt aliquid omnino ad te scriberem. Sed impræsentiarum quid aliud debeam scribere non occurrit, nisi vt petam ab humanitate tua obtesterque, vt quæ facta sunt te absente, æquiori animo feras, quoniam Deo imprimis auspice, & cunctorum deinde summatum infimatumque consensu facta sunt. Neque te iniquorum consilia transuersum agant, qui sua commoda, non tua & quæ reipublicæ sunt, requirunt. Scis, opinor, optime Rex, quos significem. Quod si tibi animo est alienos tueri, non idcirco tuos abalienare debes, & si nobis volueris esse pater indulgēs, & nos erimus tibi filii obsequentes, & si fueris nobis rex mitissimus & nos erimus tibi clientes obseruantissimi. Cætera per amicum ac familiarē meum Petrū

Vaccam qui isthuc cum his literis ac mandatis proficiscitur, commodius loquemur. Cui vt Dignatio tua fidem habeat, vehementer oro. Vale. At rex vt erat natura incertus animi, siue Magistri illius Spatharii suasu, cuius arbitrio agebat omnia, non literis, non mandatis, non viris qui ad eum fuerunt missi, respondit aliud quicquam, nisi velle se ad eam rem consultandam conuocare regni proceres, vt ex illorum consilio daret responsum quid facturus esset.

Magister Sancti Iacobi agit per literas cum rege Gallorum, vt Carolus frater Ioannam Enriqui filiam ducat vxorem.

CAPVT II.

AT Spatharius Magister qui ægerrime tulerat matrimonium illud, dies noctesq; nihil aliud moliebatur, quam quemadmodum impediret labefactaretque successionem illam Principum qui iam omnium ordinum consensu fuerant adiurati. Angebat callidissimi hominis spiritum, quod ex illarum nuptiarum fœdere dissoluebatur patrimonii sui fundamentum, quod ad illum deuenerat ex iactura Infantium. sic enim appellant Hispani filios regum post primogenitum, qui posteaquam adiuratus est successor atq; regni hęres, dicitur Princeps. Filii namq; Ferdinandi illius qui Ioannis regis fuerat tutor, atque ex tutela fuit adscitus ad Tarraconensium ac Siculorum insularumq; nostri maris imperiũ
Infantes sunt cognominati. vnde & Gentilitii agri qui hodie à Mendocinis possidetur, 2
Infantatus appellatur. Igitur cum Enriquus Princeps adhuc ab Ioanne rege patre suo dissideret, hic Ioannes Patiequus autor fuit, vt pater cum filio rediret in gratiã, vt ex ea concordia vtriusque copiis viribusq; coniunctis Ioannes Nauariorum rex, idemq; pater Ferdinandi huius Siciliæ regis & Tarraconensium Principis, cum Enriquo fratre, qui & ipse fuit vnus ex Infantibus, regno pellerentur, spoliarenturq; Gentilitiis hæreditatibus, quæ illis ex testamento Ferdinandi patris obtigerant. His regno pulsis fugatisque bello, bona publicata sunt, ex qua bonorũ publicatione Marchionatus Villenensis Ioanni Patiequo cessit, quem deinde transtulit in filium primogenitum hæredem. Magistratus quoq; ordinis Cisterciensis à Calatraua cognominatus, quo fuerat multatus Alphonsus Ferdinan-
di regis Tarraconensium filius, eodem iure, siue iniuria, ad Petrum Geryonum eiusdem 3
Ioannis Patiequi fratrem deuolutus erat. Qui cum videret Hispaniæ regnum per illas nuptias ad regem Siciliæ peruenturum, veritus ne postliminii iure Marchionatus & fratris Magistratus ab illo repeterentur, nihil omittebat, nihil intentatum relinquebat, quo minus omnia interturbaret, cœlumque ac terram misceret. Itaque secreto mittit literas ad Ludouicum Galliarum regem, hortans illum, vt mitteret petitum connubio Ioannam quæ dicebatur Enriqui regis filia, fratri suo Carolo Aquitaniæ Duci, qui iampridem fuerat repudiatus ab Elisabe Principe, quemadmodum in libro superiori diximus. Per idem tempus Enriquus rex erat in oppido quod vocant Methymnam ad campum, emporium illustre Hispanorum. Atqui rex Galliarum qui ex petitione illa passus fuerat repulsam, i-
ratus Elisabæ Principi, & quod sibi atque fratri suo cõducere videbantur huiusmodi nu- 4
ptiæ cum Ioanna Principe altera designata, atque iterum si opus esset designanda: mittit oratores, quorum princeps fuit idem Cardinalis S. R. E. quem superius dictum est venisse ex simili causa petitum Elisaben principem. Erant cum Enriquo rege Methymnæ complures ex regni primoribus, sed imprimis Magister Spatharius, Archiepiscopus Hispalensis, Episcopi Secontinus & Burgensis, Rodericus Pimentellus Comes Beneuentanus. Quo cum venisset Cardinalis, honorificeq; esset exceptus, vsus est eadem prope oratione qua in petenda Elisabe Principe antea fuerat vsus, commemorans Gallorum atq; Hispanorũ regum antiquam amicitiam, sociosque penates, quod fœdus dicebat nunc arctiori vinculo posse cõnecti, si regis filia traderetur coniux Duci Aquitanię. Ostentabat prætere-
ea Gallorũ regis potentiam, si inter duos principes de regni possessione decernendum fo- 5
ret. At rex Enriquus, & quod sorori erat infensus, & à Magistro Spathario pulcherrime subornatus, non habita iurisiurandi ratione quo illã principem declarauerat, non curans quod ex tam turpi facinore multa sequerētur mala: respondet se libentissime velle facere, quod petebatur, seq; daturum operam, vt quamprimũ fieri posset, filia princeps regniq; hæres à cunctis iuraretur. Et ne res aliqua ex causa interpellari posset, dixit se statim velle exequi quod spondebat. Itaq; comitatus quibus dictũ est proceribus, & Gallis oratoribus, cœpit tendere iter Burracum, vbi erat Ioanna iunior cum Ioanna matre. Quæ aduentante rege profecta est in occursum cum filia virgine iam nubili, ad quatuor millia passuum

stipa-

ſtipata ex primoribus Marchione Sanctæ Iulianæ, & Comitibus Clunienſi, & Tendillano, aliiſq; compluribus ex eadem familia viris nobiliſſimis. Atque ita in medio agro vtrique conſiſtentes, proh pudor Hiſpani ſanguinis, illi iidem qui ad Tauros Guiſandi, atq; iterum ad Ocaniam Eliſaben iurauerant Principem, nunc eandem abiurarunt, atq; in eius locum Ioannam antea abiuratam, regnorum Hiſpaniæ Principem hæredemq; iureiurando rurſus ſanxerunt, perinde ac ſi, vt clauus clauo, ſic iuramentũ periurio refigeretur.

Sponſalia Caroli cum Ioanna celebrantur, & Enriquus literis Ferdinandi & Eliſabes Principum incuſatur.

CAPVT III.

O Tempora, ô mores! ſtrenui milites illi & duces qui ſub priſcis regibus fuere, cum pro religione atque pro republica multum ſanguinem fudiſſent, equum & arma merebant, qui regni fines propagabant, pauca agri iugera quaſi magnũ virtutis ſuæ præmium aſſequebantur, ſic Hiſpana reſpublica in dies creſcebat. At noſtri proceres pro iuriſiurandi contempta religione præmia petunt. Alius perfidiæ ſuæ precium vrbem paciſcitur, alius municipium, alius arcis præſidium, vnde iniquam poſſit exercere dominationem agroſque populetur, alius tertias decimarum ad commeatus limitaneorum decretas, alius ex decimis regalibus decies centum millia dipondium annua, alius vicies, alius tricies, alius Epiſcopatũ, alius Magiſtratum, & quiſq; pro ſui ſceleris magnitudine debitam mercedem. Quod niſi ciuitates & populi ſibi ipſis conſuluiſſent, ſeq; integros venturis Principibus reſeruaſſent, actum erat de pulcherrima Hiſpanorũ republica: nullam certe hodie haberemus. His tranſactis, Cardinalis procuratorio nomine Ducis Aquitaniæ & noua Princeps ſe inuicem coementes, ille promiſſis arris, hæc ſpe regni dotalis, ex more antiquo, & Romanæ eccleſiæ conſuetudine, ſponſalia contraxerunt, ſignatæ tabulæ, dictum fœliciter, ingens cœna ſedet, nihil aliud defuit, niſi vt iaceret gremio noua nupta mariti: inde Segouiam regiam vrbem profecti, vnde Cardinalis cum cæteris oratoribus collegis dimiſſus eſt. Et populi, ciuitateſque, & optimates, immo vero optimus quiſq;, audita ſponſaliorum celebritate, quaſi iam Galli tranſcenderent Pyrenæum, & ex altera parte cogerentur exercitus ad decertandum armis ciuilibus, ita miſerabantur fortunam Hiſpaniæ, ita flebant omnes caſus impendentes, & quæcunq; ſolent in bellis inteſtinis accidere. Erant tamen plærìq; omnes in Ferdinandum & Eliſaben animo propenſiores, oderantque in dies & regem & Magiſtrum, tanquam omnium impendentium malorum autores concinnatoreſq;, ſed Magiſtrum imprimis, qui nouam Aquitanorum Ducis ſponſam curauit, vt in poteſtatẽ ſuam redigeretur, quo pignore vti atq; abuti poſſet regia poteſtate pro arbitrio ſuo. Quo nuncio ad Ferdinandum Eliſabenq; Principes delato, cum intelligerẽt omnia iam ad arma ſpectare, cõſtituerunt antea quam aliud quicquam molirentur, obteſtationibus ipſum regem ab incepto deterrere. Qui ſi nolet abſiſtere, illum diris imprecationibus execrari, tanquam artificem & fontem malorum quæ inde prouentura forẽt. Literæ autem in hunc fere ſenſum ſcriptæ. Superiori anno miſimus ad Celſitudinẽ tuam literas cum mandatis, in quibus cõtinebatur excuſatio, quod te incõſulto iniimus fœdera coniugalia, quodque id non eſt à nobis peractum eo animo, vt regiam Dignationem tuam læderemus, quin potius vt liberius illi obſequeremur, inſeruiremuſq; non tanquã alieni, ſed vt filii obnoxii atque obærati, cuius animi noſtri certa quędam pignora nos daturos eſſe pollicebamur. Reſponſum eſt certi nihil potuiſſe nobis reſcribi, niſi re communicata prius cum quibuſdam ex regni primoribus quos Celtitudo tua erat ad hoc ipſum conuocaturus. Quod reſponſum expectantes nihil interim omiſimus eorum quæ probos atque obtemperantes filios facere decuit, tum honorifice de humanitate tua, & loquentes, & ſentientes, tum etiam alios ad illud idem faciendum exhortantes. Teſtes ſunt complures ciuitates & municipia, quibus ſuaſimus, vt tibi tuiſque iuſſis obſequerentur, atq; imprimis ornatiſſimum hoc oppidum Valladolitum quod à Celſitudine regia plane deſciuerat. Quod ſi aliud officium noſtrum deſideratur, parati ſumus illud crebritate obſequiorum reſarcire. Erit itaq; tuum iubere, noſtrum vero iuſſis obtemperare. Cum vero ſupplicationis noſtræ oraculum expectaremus, non modo nihil reſponſum, ſed etiam facti ſumus certiores te animo in nos hoſtili excitare exteras nationes genti noſtræ inuiſas in perniciem euerſionemque reipublicæ Hiſpanæ, quodq; ægrius ferimus, id non tam arbitrio tuo, quam ſuaſu quorumdam hominum, qui neque tuum obſequium, neque publicam vtilitatem, ſed propria commoda ſequuntur. Nam quæ alia potuit eſſe cauſa tantæ nouitatis poſt iuratam à te imprimis, deinde à cunctis ſummatibus & infimatibus, re-

gni succeſſionem nobis per iura diuina & humana debitam, cum præſertim nihil omiſerimus eorum quæ filios erga parentes facere oportuerit? Quod ſi nos, cum eo ſimus animo, non impetramus tanquam à patre, at liceat nobis obtinere tanquam à bono viro iuſtoque iudice, vt ius noſtrum non amittamus. Id autem quo pacto libere poſſit fieri, nos hanc rationem excogitauimus, niſi alia potius tuæ videbitur prouidentiæ. Conſtituatur municipium natura arteque munitum, idque teneatur præſidio quatuor ex regni primoribus, ex vtraque parte duobus, qui ſub fide publica præſtent ſecuritatem de ſuo iure diſceptantibus, atque etiam ipſis iudicibus de cauſa decernentibus. Eo conueniant omnes omnium ciuitatum Hiſpaniæ procuratores, & viri religioſi probatæ fidei, iidemque doctiſſimi quotquot in regno parari poſſint, qui perſancte imprimis iurati ſe decreturos quod ex iure decernendū eſſe cenſuerint, audiant rationes quas vtraque pars pro ſuo iure tuendo attulerit. Quorum ſententiæ ex hoc tempore nos ſtaturos pariturosque, neq; vnquam prouocaturos pollicemur, cui diſcrimini cauſam noſtram ſubiicimus, ne ciuilibus atque peregrinis armis diuini cultus obſeruatio intermittatur, & regni tranquillitas perturbetur. Atq; vt ad breuiorem numerum iudices redigantur, ſimul etiam, vt ſuſpecti reiiciantur, liceat vtrique parti quinquagenos, aut centenos, aut quotquot viſum fuerit, ex omni numero reprobare. Quod ſi, vt plærunque fit, inter ipſos iudices non conuenerit, eſt Petrus Veraſcus Comes Pharius vir bonus, idemq; ſapiens, vel vtriuſq; partis, vel potius omnium conſenſu huiuſmodi iudicatus. Is cum quatuor viris religioſis, quatuor ordinum prælatis, beatorum Franciſci, Dominici, Hieronymi, Cartuxenſis, qui & ipſi iureiurandi addicti pro arbitrio ſuo atque conſcientia decernant atq; componant inter partes quid ſequi, aut quid fugere debeant. Quando igitur non ſine vlla doli ſuſpicione ſubmittimus cauſam noſtram iudicio talium virorum, petimus obteſtamurq; per ipſum qui eſt iudex viuorum & mortuorum, ſcrutans corda & renes Deus, ne deneges nobis id quod nec infimo cuiquam ex tuis ſubditis denegare potes. Quod ſi neq; hoc quidem impetramus, ipſam cœli pietatem quæ talia curat, imploramus, quæ diſtribuit cuiq; pro meritis, his præmia, illis pœnam. Nos plane omni ſcelere immunes erimus, tibi omnia reip. atque diuini cultus detrimenta imputabuntur. Vale. Ad hæc omnia rex nihil reſpondit aliud quam ipſam potius ſororem fuiſſe autorem omnium malorum quę ex illo connubio prouentura erant, quando ſe inuito, immo etiam prohibente, auſa eſſet maritum ſibi quærere. Mala igitur omnia quæ ominabatur, in ſe ipſam, atque in eos quibus talia placebant, potius eſſe retorquenda.

Sepulueda, Arunda, Agreda, Turdeſellæ municipia Ferdinando & Eliſabæ Principibus ſe dedunt.

Capvt IV.

At Principes habito regis reſponſo, quo tutiore in loco eſſent, ex Domnis contulerunt ſe Methymnam ad flumen Siccum, quod municipium erat Hiſpaniarum Archithalaſſi, ibique aliquot dies manſerunt, expectantes quid rex interim moliretur. Magiſter vero ille Spatharius cui nihil vnquam ſatis fuit, petiit à rege artis ſuæ ſtipendium Sepuluedam municipium ornatiſſimum, quod ſibi atque poſteris ſuis hæreditario cederet iure. Quod rex non grauate, quemadmodum & alia huiuſmodi multa conceſſit, paratus etiam donare quicquid per improbitatem ille auſus eſſet petere. Id fuit initium, vt vrbes, oppida, municipia, caſtella, & arces, non habita vlla regis ratione deſciſcerent, quando videbant patrimonium regale tam facili ex cauſa diſſipari. Sepuluedani itaque facti certiores de municipii ſui alienatione, munire oppidum vallo & foſſa, reficere muros & pinnas, diſponere pluteos & propugnacula, intendere tormenta & machinas, parati vitam pro libertate paciſci, macti virtute, quos non validiſſimus hoſtis, non iniqua regis iuſſa & interminationes flectere potuerūt. Sed quia deerat illis tam præclari facinoris autor, adſciuerūt ſibi Principes, ad quos videbāt eius oppidi quemadmodum aliarū omniū rerum poſſeſſionem ex iure peruenturam. Qui nuncio accepto, ne amitterent occaſionē, accurrerunt. Itaq; in hunc modum oppido ſunt potiti, atq; ex eiſdem oppidanis diſpoſito præſidio profecti ſunt Complutum, vbi erat Archiepiſcopus Toletanus, ibiq; per aliquot dies morati ſunt. Per idem vero tempus Arundam ad Durium municipiū pulcherrimū, quod erat decretum Ioannæ reginæ ſumptibus, pulſis qui eiuſdem reginę nomine res adminiſtrabant, ſe quoque Principibus dediderunt. In eorundem quoq; poteſtatem venit Agreda municipium item celebre, quo rex donauerat Ludouicū Cincinnatum Comitē Methymnæ celi. At oppidani quanquam ex hoſte detrimenta multa pertulerāt populatis

agris

agris & parte oppidi ambuſta, nihilominus tamen ſe in libertatem vendicarunt. Per idem quoq; tempus caſtri Inui præſes, qui longe lateque per vias publicas, perque agros vicoſque graſſabatur, præſidio occupauerat oppidum Turdeſellas ad Durium flumen. Id hac ratione venit in Principum poteſtatem. Erat Alphonſus Quintanilla vnus ex familiaribus Eliſabes Principis, vir ingenioſus & prudens, & cuius opera poſteaquam Principes rerum potiti ſunt, fuit in repub. ſingularis. Is egit cum quibuſdam oppidanis, vt deceptis vigilibus & circitoribus, oſtenderent aditus per quos Principũ milites auxiliares in munitiones penetrarent. Re compoſita Princeps ipſe cum Duce Albanorum intempeſta nocte bipartito agmine oppidum adorti ſunt, alteri à Durii fluminis parte ſecreto ſcaphis cymbiſque inuecti, alteri à parte fluminis aduerſa, tandemque admiſſi oppido ſunt potiti. Præſes vero per tenebras fugiens in caſtrum Inui ſe recepit. Hæc quatuor municipia venerunt in ditionem Principum anno à natali Chriſtiano milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſecundo.

De morte Caroli Aquitaniæ Ducis. Laborat quoque Henriquus, vt det filiæ ſponſum Alphonſum Luſitanorum regem, & deinde Enriquum Enriqui filium.

Capvt V.

ANno inſequenti Carolus Aquitaniæ Dux, cui auibus ſiniſtris Ioannam filiam putatiuam, immo nec putatiuam quidem, Enriquus rex deſponderat, veneno extinctus eſt, cum eſſet OEaſone Vangionum Aquitaniæ municipio nobili. Fuerunt qui opinarentur à Ludouico fratre Gallorum rege perpetratum id facinus, propterea quod ſentiebat cum Ducibus Britannorum Burgundiorumq;, acerrimis hoſtibus regis, aliiſque quamplurimis qui in illius perniciem coniurauerant. Qui nuncius cum ad Enriquum regem perueniſſet, doluit plus quam pro materia, cum præſertim hominis ingenium eſſet, vt ille doleret nihil quod ſoleat homini dolorem incutere. Itaque excluſus illa ſpe aliam viam aggreſſus eſt. Agit per nuncios cum Alphonſo Luſitanorum rege, vt conueniant ad Pacem Auguſtam, quę ciuitas eſt in collimitio vtriuſque regni, commentaturi ſcilicet de rebus ad vtriuſque regis vtilitatem ſpectantibus. Igitur conſtituto loco & tempore conueniunt ad præſcriptum. Qui collocuti inter ſe quædam communia, paucaque ad rem pertinentia, cætera quæ ad ſponſalia conducebant, egerunt per amicos & familiares. Petebat Luſitanorum rex arraboni ſiue pignori earum rerum, quę ſpondebantur, certas quaſdam vrbes, & municipia, & caſtella, arceſq; in limitibus vtriuſq; regni: id quod Enriquus nullo pacto præſtare poterat, propterea quod illius vires & potentia erat iam perexigua, atq; multo minor autoritas in alienandis maxime rebus quæ ad regale patrimonium pertinerent. Quare nihil eſt effectum iis de rebus propter quas eo conuenerant. Fuit ſuſpicio Luſitanorum regem declinaſſe coniugium illud propoſitis conditionibus, quas intelligebat adimpleri non poſſe, re autem vera alias fuiſſe cauſas: ſiue quod diffidebat iuri neptis ex ſorore, eo quod iam erat diuulgatum reginæ ſororis adulterium, neque poterat ſalua conſcientia huiuſmodi vxorem ducere, cuius dos iniuria foret repetenda: ſiue quod intelligebat dari ſibi acerrimum competitorem Siciliæ regem, qui præter ſuas vires quæ erant alioqui ſatis validæ, haberet in regno de quo certandum erat, complures ex primoribus ſanguine & affinitate propinquos, atq; alios complures amicos, ad hæc ipſius regis Siciliæ propria. Quid quod iam præiudicata atq; adiurata erat regni ſucceſſio Eliſabæ Principi ab optimo quoque viro, atque vrbium populorumque procuratoribus? Itaque ex ſuperioribus cauſis colligebat, non tam dari ſibi eo nomine vxorem regno dotatam, quam bellum quod in perniciem ſuam ſuorumque complures annos videbatur duraturum. Atque infecto negotio digreſſi ſunt. Excluſus ea quoque ſpe Enriquus rex, iniecit animum alio. Erat Enriquus Ioannis Tarraconenſium regis ex Enriquo fratre nepos, quem poſteaquam ex vulnere quod Vlmetano prælio acceperat, diem ſuum obiit, perinde atque filium ex ſe genitum educarat. Huic Enriquus rex deſtinat deſpondere quam volebat nuncupari filiam, vt inter patrueles de regno dotali diſceptaretur, agitque per Rodericum Pimentellum Beneuentanum Comitem, qui erat Enriquo propinquus arctiſſimo ſanguinis vinculo, vt aſciſceret illum ex Tarraconenſi prouincia, expoſita cauſa cur inde venturus eſſet. Factus igitur à Comite certior omnibus de rebus, non accepto, neque petito à patruo rege commeatu, properat ad regni ſpem, tametſi ſciebat, cum patruele ſibi fore decertandum, cuius aduentus Enriquo regi fuit iucundiſſimus.

Magister sancti Iacobi disturbat Ioannæ sponsalia cum Enriquo Enriqui filio, obtinet Madriti arcem, petitque Segouiensem.

CAPVT VI.

INTER Spatharium Magistrum & Comitem Beneuentanum illius generum erat non obscura simultas ex eo, quod cum esset Comes in ipso articulo magistratum illum assequendi, socer quibusdam cauillis anteuertit negotium, ac veluti ex generi manibus extorsit dignitatem quæ post regiam in Hispania habetur omnium prima. Videns itaq; Magister Comitem fuisse autorem euocandi Enriquum alioqui propinquum suum, veritus ne si ad regni fastigium aliquando peruenisset, inde sibi labes aliqua suboriretur, contulit se ad artes consuetas, cœpitque disturbare nuptias, cum præsertim sponsa foret in potestate sua. Cumque rex instaret perducere rem ad id quod iam diu concupierat, Magister causabatur inimicitias cum genero, atque proinde cum Principe futuro, petebatq; à rege arcem Madriti, quo posset tuto in curia permanere, quandoquidem rex municipium illud frequētare consueuerat. Arx illa tenebatur præsidio ab Andrea Caprario, quem rex præfecerat domui suæ villicum, & cui ex amicis fidebat plurimum. Is semper fuerat autor reconciliandi Magistrum regi, iam inde ab eo tempore quo desciuerat, sequebaturq; partes Alphonsi fratris, & Magister ipse fatebatur se eo nomine multum villico debere, sed in hac re quæ sibi esset tam conducibilis & opportuna, non debere illum, dicebat, sibi obsistere, cum præsertim aliis in rebus quæ ad illius vtilitatem honoremque pertinerēt, posset illi gratificari. Quod si animus erat, qualem se esse profitebatur, ex lege quæ de amicitia est a philosophis constituta, negocium erat dimetiendum. Ea est, quod amicus debeat reddere amico, si ex ipsius paruo detrimento sequantur amico grandia commoda: & quæ poterant esse maiora quam sui capitis securitas? quæ proculdubio sponderi videbatur arce illa occupata, militisque sui præsidio munita. Sed nihil villici preces, nihil officiorum commemoratio, nihil querelæ atque parum grati animi incusationes valuerūt, quin Magister ex præcepto regis arce potiretur. Qui factus voti compos nihilominus nuptias interturbabat, causatus iterum pericula quæ sibi inde tam à genero quam à futuro Principe impendebant, neque satis illi esse ad sui capitis incolumitatem tutandam Madriti arcem, nisi etiam Segouiensis adiungeretur, propterea quod illud quoque oppidum & maiori quidem anni parte Rex frequentaret se autem non posse consistere, nisi vbi Rex senatusque regius & curia esset. Quod si impetraret, se daturum operam pollicebatur, quemadmodum ex Regis voto omnia conficerentur. Cæterum Rex intelligens se delusum Magistri dolis & quod post traditam illi arcem Madriti petebat rursus Segouiensem, quam si traderet, suspicabatur pari ratione aliud quicquam petiturum, cœpit subindignari Magistro. neque enim id palam facere audebat, veritus ne si beneficium beneficio non cumularet, omni sua spe fraudaretur, & amicum qualitercunque fidum perderet, maxime cum in illius potestate filia esset, quam cupiebat Enriquo Infanti quamprimum collocare. In ea igitur perplexitate positus, dubiusque quid faceret, secutus est tandem aleatorum perditum illud consilium:

Sic ne perdiderit, non cessat perdere lusor.

Imperat præsidi, vt tradat Magistro arcem. Is erat idem Andreas Caprarius, qui cœpit illudere regis iussa, dicens nihilo magis Magistrum effecturum quæ pollicetur arce obtenta, eo argumento, quod qui vna in re fidem fefellerit, credibile esset & in altera simili pariа facturum. Inde Magistri cum regis villico inimicitiæ confirmatæ, neque id iam occultis odiis, sed palam, donec ventum est ad arma, Magistro nitente oppugnare arcē, præside non modo propugnare, sed ipsum oppugnatorem vrbe atq; suburbio pellere: id quod factum est, nec difficulter quidem. Nam & portæ vrbis, & templa, cæteraque munita loca tenebantur à præside, in quem oppidani erant propensiores, vti in bonum ciuem, potioremque causam defendentem. Magister vrbe pulsus, se Madritum contulit. Per idem tempus Petrus Mendoza Episcopus Secontinus à Sixto Pontifice huius nominis quarto creatus est S. R. E. Cardinalis sub titulo sanctæ crucis, vocatusque est deinceps Cardinalis Hispanus. Iisdem præterea diebus Michaelus cognomento Lucas, quem rex Comestabilem creauerat, per tumultum à Mentesena plebe armis obrutus est, in cuius locum sufficitur Petrus Verascus Comes Pharius, idemque regis cubicularius maximus.

De ad-

De aduentu Vicecancellarii Cardinalis in Hispaniam, & quod Enriquus redit in gratiam cum sorore Principe, & deinde frustratur.

CAPVT VII.

ANNO insequenti, qui fuit quartus & septuagesimus supra millesimum quadringentesimum, Rodericus S. R. E. Cardinalis Vicecancellarius cum potestate legati de latere venit in Hispaniam. Qui primo suo aduentu cœpit agere de concordia inter Enriquum Regem, & sororem coniugemque illius Principes designatos, quibus imprimis curauit Magistrum reconciliandum, quod intelligebat illum esse inimicitiarum caput atque interpellatorem pacis. Cæterum Rex cum videret ex ea cum Magistro reconciliatione consilia sua impediri, & ipse per amicos egit, quemadmodum Principes in gratiam secum redirent. Qui cum eius accitu venissent Segouiam, eos benigne excepit, atque verbo & opere illos honorifice tractauit. At Principes è diuerso se posthac Regi obsecuturos, neque ab illius voluntate deinceps vnguem transuersum declinaturos professi sunt, simul etiam se illi ostensuros dicebant, quibus præstigiis à quibusdam hominibus eluderetur, qui non ipsius Regis decus, non reipub. vtilitatem, sed sua propria commoda sequerentur. Hic reditus in gratiam Magistro permolestus fuit, cœpitque & ipse nouas aliunde amicitias quærere. Venit itaque Collarium, quod municipium erat Ducis Alburquerqueri (is erat qui putabatur à cunctis subditiuæ Principis alterius pater) agitque cum illo de moliendis rebus nouis contra factionis aduersæ partes, sed imprimis contra Regis villicum qui conatus suos in obtinenda Segouiensi arce impedierit. Interim homo callidus, & qui nihil vnquam intentatum, nihil inausum relinqueret, secreto Regem solicitat, si vellet omnia ex voto sibi succedere, filiamque sine controuersia cui destinarat, matrimonio tradere, atque proinde dum viueret, nullo interpellante regno potiri, atque post obitum certam regni hæredem filiam relinquere, vno facto hæc omnia facilime posse confici, si principes simul & Archiepiscopus Toletanus cum Andrea Caprario in vincula coniicerentur. Ex altera quoque parte Comes Beneuentanus qui summopere cupiebat propinqui sui cum subditiua Principe nuptias quamprimum confici, Regem ad properandum facinus extimulabat. Cæterum Rex homo natura quoquo versus impelli leuissimus, simul etiam maturandi filiæ matrimonii cupidus, neque minus Toletani præsulis puniendi auidus, non veritus fidei atque violatæ amicitiæ iura soluere, non abnuit scelus oblatum. Ad quod peragendum constitutum est, vt milites clam intra vrbem certis in locis disponerentur, qui signo dato erumperent ex composito, remque cōficerent. Non defuerunt qui Regi dicerent tam pessimi exempli facinus non attentandum. Posse enim fieri, vt ciuitates & populi indignitate rei permoti iudices assertoresque accurrerent, ipsiusque Regis capite lueretur, quicquid consiliarii pessimi delirarent. Certiores facti Principes omnium quæ aduersum se gererentur, Ferdinandus in castellum munitissimum Turocanum se recepit. Elisabe vero vxor tametsi admonebatur à cunctis, vt & ipsa quoque ad tempus secederet, voluit potius fortunam suam atque amicorum fidem experiri, magnoque animo, magnaque sui fiducia perstat in vrbe, curatque per Regis villicum cæterosque amicos fidos, portas, & templa, & vrbis loca munitissima præsidio firmari, ne quid detrimenti ab aduersariis capere posset. Rex cum videret se frustratum sua spe, cessit vrbem sorori, seque Madritum contulit, quem è vestigio secutus est Magister, vt odii stimulos acriores admoueret in sororem, coniugemque ipsius, atque imprimis in villicum Segouiensis arcis præsidem, tanquam in præcipuum excludēdi ab vrbe Regis autorem.

De castri Iuliensis arce Magistro sancti Iacobi tradita, deq; illius obitu, & concertationibus inter competitores Magistratus.

CAPVT VIII.

INTER vrbes & municipia quibus Rex Magistrum donauerat, fuerant castra Iulia, quod oppidum vulgo dicunt Trogilium, & ingenio situs, & ciuium opulentia in Lusitania nobilissimum. Eius arcem sub fide publica tenebat præsidio Gratianus quidam cognomine Sessius, qui nolebat Magistro possessionem cedere, quamquam esset id sibi à Rege crebro imperatum, causatus nescio quos sumptus quos in munitiones & milites pręsidiarios distribuisset. Qua de causa Rex eo profectus non potuit alia conditione Gratianum arcis præsidio extrudere, quam si hæreditario iure concederetur illi castellum

ſancti Fœlicis Callaicorum cognomento. Quo die tradita eſt arx cui Magiſter ſuo nomine tradi voluit, ipſe ex abſceſſu quodam pernicioſo in altera maxilla oborto diem ſuum obiit in vico ſanctæ Crucis, qui diſtat à caſtris Iuliis auſtrum verſus duodecim millibus paſſuum. Cum animam ſingultaret moriens, quærebat identidem ab adſtantibus, an Iulienſis arx præſidi ſuo iam eſſet tradita. Pulchra in morte cogitatio, atque vitæ exactæ ſimilima. Sed proh Deus immortalis, quam diſſimilis hic Epaminundæ illius Thebani, qui cum apud Mantineam quo prælio Lacedæmonios ſuperauit, pro patria pugnans vulnus illud letale accepiſſet, noluit ferrum ex vulnere trahere, quoad audiuit victoriam penes Thebanos eſſe, quærens quo in ſtatu res Thebana foret: hic vero quærit moriens, an arx iniuria & contra rempub. ſibi donata præſidi ſuo per manus, vti aiunt, tradita ſit. Sed neque qui precio arcem prodidit, ſuperuixit diu. Siquidem à Sancti Fœlicis ſui inquilinis, lapidibus per tumultum obrutus, pœnas ſuæ proditionis debitas exoluit. Ex obitu Magiſtri aliquot ſequutę ſunt ſimultates, atque Spathiferorum ordinis diſſidium inter duos acerrimos Magiſtratus competitores, Rodericum Manricum Parietinum Comitem, eiuſdem militiæ Commendatarium à Secura, & Alphonſum Cardenienſem prouinciæ Legionenſis commendatarium maximum. Cumque illius ordinis duę ſint prouinciæ, Legionis altera, cuius conuentus eſt ſub primore diui Marci, altera Caſtellæ, cuius conuentui præſidet primor Vclenſis, vterque ex competitoribus curauit ab altero Primoribus fieri conuocatione tredecim commẽdatariorum, ad quos Magiſtri electionem ex ipſius ordinis conſuetudine atque decreto pertinebat. Parietinus namque Comes conuocationem illam dicebat fieri debere ex antiquo ritu, à Primore Vclenſi: Cõmendatarius maximus è diuerſo, à Primore ſancti Marci, cum præſertim in ipſius ordinis conſtitutionibus eſſet definitum, comitia debere fieri in illius prouinciæ conuentu, in qua Magiſter diem ſuum obiret, obiiſſe autem deceſſorem in agro Caſtroiulienſi, qui proculdubio ad Legionis prouinciam pertinebat. In hac controuerſia ſuffragatoribus ab vtroque Primore conuocatis, vterque ex competitoribus eligitur, ſalutaturque Magiſter, Comes Parietinus Caſtellanæ prouinciæ, Commendatarius maximus Legionenſis. At parte ex alia Iacobus Patiequus Ioannis Patiequi deceſſoris Magiſtri filius, idemque Marchio Villenatium, dicebat patrem cum adhuc viueret, abdicaſſe Magiſtratum in manus ſummi Pontificis, ſpectaretque in dies Apoſtolicæ ſedis confirmationem, habereque ſui ſtudioſos fautoreſque nonnullos ex tredecim viris, atque imprimis Oſornini Comitis Caſtellanæ prouinciæ Commendatarii maximi ſuffragationem non contemnendam.

De institutione prima ordinis militiæ Sancti Iacobi, & quomodo deinde propagatus eſt.

CAPVT IX.

SED quando in Spathiferorum ordinis, ipſiuſque Magiſtratus, quæ dignitas poſt regiam apud Hiſpanos habetur prima, mentionem incidimus, neque ſatis conſtat inter autores, quo tempore, aut quibus initiis, & per quos fuerit tam inſignis militia conſtituta, viſum eſt hoc in loco quid hac de re pro comperto habeamus exponere. Sunt qui dicant hunc ordinem cœpiſſe ſub Alphonſo, cui foret cognomen Caſto, Chriſtianæ ſalutis anno circiter vigeſimo ſupra octingenteſimum. Sed neque produnt quis fuerit ordinis inſtituendi autor, aut quis illi tanta vectigalia donauerit, vnde tam numeroſus exercitus ali poſſit, aut quid tam longo temporis ſpatio per enſiferos equites ſit geſtum, cum nulla ipſorum in hiſtoriarum libris quos ego legerim, mentio ſit habita. Quantum vero ex priuilegiis huic ordini conceſſis colligere poſſumus, hæc militia videtur initium habuiſſe ſub Alphonſo Hiſpanorum Rege huius nominis nono. Extat in monumentis Alexandri tertii Pontificis maximi, anno Pontificatus ſui ſeptimo decimo, ſalutis vero Chriſtianæ ſexto & ſeptuageſimo ſupra milleſimum centeſimum, in fauorem ordinis priuilegiũ cõceſſum. In quo refertur fuiſſe in Hiſpania temporibus illis viros quoſdam nobiles ordinis equeſtris, qui ſe ipſos omniaque bona ſua Chriſti militiæ deuouerunt, profeſſi quoad viuerent, ſe geſturos bellum contra nominis Chriſtiani hoſtes Sarracenos, qui totam prope Bæticam magnamque Tarraconenſis prouinciæ partem occupauerant, tenuerantque per annos circiter quadringentos. Fuerunt autem ea tempeſtate equitum illorum facultates perquam tenues, quippe qui non multo plura quam viginti caſtella, & ea quidem munitiſſima poſſiderent, quæ ſubobſcuris nominibus in ipſo priuilegio numerantur. Per idẽ tẽpus Magiſter ipſe cui Petro Ferdinandi nomen erat, cũ plæriſq; ſui ordinis equi-

equitibus Romam profectus, suo atque suorum omnium fratrum nomine rem omnem cum personis Apostolicæ sedi subiecit, supplicauitque vt ab eadem in proprios ac peculiares filios admitterentur, traderetque illis viuendi normam: id quod est à pontifice factũ. Nam & illos in filiorum suscepit locum, & bona omnia sub Apostolicæ sedis patrimonio reposuit, normamque viuendi tradidit, quam deinceps in ordinem cum monitorio pœnali Magister Albertus S. R. E. Cardinalis vir plane optimus, atque eiusdem militiæ admodum studiosus, quam nostra quoque ætate recensuit confirmauitque Iulius secundus Pontifex maximus anno Christianæ salutis septimo supra millesimum quingentesimum. Ex paruo itaque illo principio per quosdam incrementi gradus eo potentiæ hic equestris ordo peruenit, vt nostro sæculo mille cataphractos equites bello armare possit, quas copias beneficio Principum acquisiuit, ob insignes res gestas in bello quod sine intermissione contra Mauros Bæticæ iniustos possessores ad hæc tempora gessimus. Nam & pugna illa memorabili qua Miramamolinũ superauimus, sub Petro Ario eiusdẽ ordinis Magistro singularem operam nauauit, quæ victoria parta est anno salutis duodecimo supra millesimum ducentesimum, Hispanorum Rege Alphonso nono. Atque deinceps Ferdinando Rege in oppugnatione Vbetæ, & Cordubæ perquam strenue hic ordo militauit, sed præcipue in obsidione Hispalensi, vbi Pelagius Corrigia cognomento, ensiferorum equitum Magister, firmissimum tenuit præsidium. Fuere deinde huius ordinis Magistri viri splendidissimi, quorum insigni opera in bellis Reges vsi sunt, quæ contra nominis Christiani hostes Mahumetis cultores gesta sunt. Vnde militia hæc diui Iacobi nomine instituta, ex præda hostium, Regumque beneficio, & Pontificum benignitate opulẽtiam, ex crebris victoriis immortalem gloriam consecuta est. Sed de ordinis huius origine atque regulæ primordiis fortasse plura hoc in loco, quam oportuerit, dicta sunt, cum de magnis rebus satius fuerit omnino silere quam pauca dicere.

De Marchione Villenate comprehenso & absoluto, & de obitu Enriqui Regis, eiusq; habitu & moribus.

Caput X.

Sed vt eo vnde digressi sumus, aliquando reuertamur, dum Iacobus Patiequus Magistratus obtinendi causa suffragatores ambit, simulans innocentiæ suæ fiduciam, sed re vera cupiditate quadam præcipiti, Osornino Comiti qui & ipse eo dignitatis aspirabat, se satis inconsiderate credidit, à quo ex insidiis quas parauerat, comprehensus, & in arcem commendati sibi oppiduli Fontis dominæ cognominati perductus, custodiæ adseruandus traditur. Cuius rei nuncius cum ad Regem esset delatus, magis quam pro materia, & quam Regem decebat, ægre tulit. Amabat namque præ cæteris omnibus amicis Marchionem, atque illa potissimum causa fuit Osornino Comiti eum comprehendendi, quod putabat illo pignore se habiturum magis propitium ipsum Regem ad magistratus consecutionem. Erat autem Rex licet natura & voluntate abstemius, lithanicus tamen & nephriticus & ileosus, quibus morbis eo tempore vehementius vrgebatur. Qui tametsi à medicis prohiberetur iter facere, intentantibus imminens periculum quod inde sequebatur, nihilo tamen segnius iter arripuit. Quem affectati sunt Cardinalis Hispanus, Comestabilis, idemque Comes Pharius, Marchio sanctæ Iulianæ, Comes Beneuentanus, Comes item Cluniensis, aliique complures ordinis equestris primores. Conuenerunt præterea eodem Archiepiscopus Toletanus, & Episcopus Burgẽsis. Qui omnes pro parte sua negocio insistentes, rem sic transegerunt, vt Marchio sub certis conditionibus tandem absolueretur. Cœptum est præterea ibidem agi, de concordia Regis cum Principibus, sed dum altera pars Regem placat, exulcerat altera, nihil est confectum. Rex vero cum in dies morbi conualescerent, nihil iam medicis promittentibus, Madritum rediit, vbi vita defunctus est, quinto decimo posteaquam eo concesserat die, qui fuit tertius ante Idus Decembris, anno à natali Christi quarto & septuagesimo supra millesimum quadringentesimum: regnauitque annos viginti, menses quatuor, dies duos & viginti: vixit annos quinquaginta. Depositum est corpus in cœnobio diui Hieronymi iuxta Madritum, deinde non multos post dies translatum est in monasterium Guadalupi, vbi cum moreretur se humandum præceperat. Inferias duxit, curauitque funus, & cum deponeretur cadauer, & cum transferretur, Cardinalis Hispanus, qui Mausoleum quoque illi, vt benefactori suo, simulachrumque faciendum locauit. Instituit præterea duorum sacerdotum collegium, qui bis illi cotidie parentarent. Testamentum quod cum solennitate, quemadmodum dicitur, fecerit, repertum est nullũ, nisi quatenus cũ moreretur, dictauit

pauca voluntatis ſuæ verba, quæ notis excepit Ioannes Ouetanus, cui ex omnibus Secretariis maiorem habebat fidem. In quibus continebatur tantum dare ſe conficiendi teſtamenti facultatem atque voluntatis exequendæ Cardinali Hiſpano & Marchioni Villenati. De Principe vero quæ diceretur ipſius filia putatiua, fieret quod ab eiſdem teſtamētariis & inſuper à Marchione ſanctæ Iulianæ & Areuacorum Duce & Comite Beneuentano faciendum decerneretur. Fuit ſtatura aliquanto procerior, corpore bene cōpacto, facie latiuſcula, naſoque complanato, citra deformitatem tamen. Delectabatur plurimum in venationibus, propter quas frequenter petebat ſolitudines & loca deſerta. Inſumebat multum temporis in Muſica, tum audiens cantores fidicineſque, tum ipſe per ſe fidibus accinens, & quidem cum vocis quadam ſuauitate. Erat mirum in modum ædificandi cupidus, vnde & arces complures muniuit, ædeſque ſacras à fundamentis excitauit, monaſteriaque conſtruxit, locupletauitque vectigalibus & donariis. Fuit natura clementior quam regnorum gubernatores decet, profuſior in largitionibus quam Regum magnificentia poſtulat, ſed præcipue in excipiendis exterarum gentium legationibus. Vtebatur veſtibus, neque ex precioſa materia, neque figura exquiſitiori, ſed qualibus mediocris conditionis ciues honeſte vti poſſent. Exercitum pergrandem alebat, tum prætorianarum cohortium, quæ ſemper exuberarent in armis, tum etiam euocatorum, quibus vtriſque ſumma fide ſtipendia ſtatutis temporibus reddi curabat, & hæc omnia vſque ad regni ſui annum decimum, in dies conualuerunt. vnde non ſubditis modo, verumetiam finitimis Regibus erat verendus, cum ſubito paulatim omnia defluere atque deinde in præceps ire cœperunt, alteroque decimo tantarum gloria rerum intercidit, vt ne veſtigium quidem illius vllum relinqueretur. Nam & amicorum ſuaſu, quæ prima labes mali fuit illi, prætorianas cohortes emiſit, quibus exarmatus cum voluptatibus ſuis indulget, primum ab iis quibus fidebat, deinde ab alienioribus contemptui ſimul & ludibrio haberi cœptus eſt, atque eo tandem calamitatis deuenit, vt ex publicis vectigalibus nihil aliud reciperet, quam quod per regni primores gubernatoreſque ciuitatum licebat. Quæ omnia fortiſſime patiebatur, non tam ex inſenſibilitate, cum alioqui natura eſſet ingenioſiſſimus, quam ex quadam ſibi innata animi æquitate, iocabaturque ſæpe in fortunam ſuam. nam fuit & in hoc emunctæ naris, ac perquam facetus. Cum aliquando inſimularetur quibuſdam de rebus quarum non erat ſibi conſcius, Miror, inquit, cur me non inſimulant quoque quod monetam ferio, quod de falſariis dici conſueuit. Cumque illius iuſſis non obtemperaret quiſpiam, non abibit mihi impune dicebat. nemo enim me vnquam læſit qui non è veſtigio debitas mihi pœnas exoluerit. Sed de vita & moribus plura, ſi contigerit nobis aliquando illius hiſtoriam latiori ſtylo proſequi.

ÆLII ANTONII NEBRISSENSIS, RERVM HISPANARVM ATQVE HISPANIENSIVM HIſtorici, Decadis primæ Liber tertius.

Eliſabe cum Ferdinando coniuge Rex & Regina declarantur, & ex primoribus, qui obſequium exhibuerunt, qui reſtitere contumaces.

CAPVT I.



QVo tempore Enriquus Rex vita defunctus eſt, Eliſabe Princeps agebat Segouiæ. Quæ cum primum facta eſt de obitu fratris certior, inferias illi iuſtaque magnificentiſſime perſoluit, ſeque Reginam declarari ſalutarique ab omnibus curauit. Nam coniux ea tempeſtate aberat, ex bello Ruſcinocenſi multis negociis in Tarraconenſi prouincia implicitus. Paucis enim menſibus ante Ioannes pater Perpiniana obſidione à Gallis oppreſſus, ſuppetias à filio implorauerat, qui comparato quam maximum potuit exercitu ex Hiſpanis Tarraconenſibuſque, tum grauis, tum leuis armaturæ militibus, patrem de facienda ſub iniquis conditionibus deditione

ne cogitantem, repentino suo aduentu obsidione liberauit. Segouienses ciues editissimo suggestu facto, quo omnium ordinum viri conuenerant, signa vexillaque regia sustulerunt, inclamantes identidem Ferdinandum Regem, Reginamque Elisaben iustos, legitimos, & indubitatos hæredes ac dominos Hispaniarum naturales. Ipsi deinde Reginæ in subiectionis argumentum ex patria consuetudine manus exosculati, sub fide publica iurarunt, se futuros illi atque suo coniugi subditos fideles, obnoxios, atque iussorum omniũ obtemperantes. Comes deinceps Beneuentanus, Marchio sanctæ Iulianæ, Dux Albanus, Comestabilis, idemque Comes Pharius, Beltranus Dux Alburquerquerus, Comes Triuinius, Architalassus quoque Alphonsus Enriqui ipsius Ferdinandi Regis auunculus, aliique complures regni proceres, optimatesque ciuitatum. Ac præterea ex antistitum numero imprimis Cardinalis Hispanus, idemque Archiepiscopus Toletanus, aliique Præsules eodem conuenerunt, qui Reginæ fidem quoque suam iureiurando simili obstrinxerunt. Quibus aliqua ex causa facultas veniendi non fuit, misere procuratores, qui suo nomine idem munus exequerentur. Qui omnes postea eandem fidelitatem se præstaturos Ferdinando Regi, persancte polliciti sunt. Is namque accepto nuncio rerum omnium quæ gerebantur, ad Reginam vxorem magnis itineribus contendit. Atqui alia ex parte Areuacorum Dux, Villenas Marchio, in cuius potestate adseruabatur Ioanna, quæ falso dictabatur Princeps, Magister à Calatraua, Vrenas Comes, Marchionis vterque patruelis, neque eodem venerunt, neque suos misere procuratores qui obsequium debitum Regibusque nuper creatis exhiberi solitum deferrent. Areuacorum namque Dux petebat Areuaci titulum, atque Ioanni filio Magistratum à Traiani ponte confirmari. Marchio petebat Marchionatum, quo Ioannes Tarraconensium Rex fuerat superiori bello ciuili spoliatus, verebaturque à Rege filio repetẽdum: insuper & vrbes, municipia, castella, vectigalia, quæ pater suus Ioannes Patiequus ex patrimonio regali fuerat depeculatus. His adiungebat Magistratum diui Iacobi quo pater fuerat perfunctus, debere sibi reddi, cum reliquis omnibus quæ sibi hæreditario iure obuenerant. Neque tantum ea efflagitabat quæ ad se pertinere diceret, sed quæ ad fratres, ad propinquos, ad clientes, ad amicos, quæ omnia, si Principes illis indulsissent, magnum regale patrimonium, atque proinde respublica Hispana detrimentum pateretur. At Principes interim tempori cedere, responsa in longum protrahere, dubios præmiis pollicitationibusque allicere, amicos honorifice alloquendo, comiterque tractãdo in fide retinere. In perduelles nihil noui decretum. Creati sunt quæstores maximi Gutterius Cardenius, quem superiori parte diximus fuisse matrimonii conciliandi autorem præcipuum. Gondisaluus Caconius, & ipse quoq; Reginæ antiquus familiaris: adiectus & tertius Rodericus Vlloa, qui & ipse Enriquo Regi fuerat quæstor quoq; maximus.

Legati ad Regem Gallorum mittuntur qui de fœdere confirmando & de Ruscinone cum illo agant: interq; Regem & reginam disceptatio.

CAPVT II.

ATQVI Rex & Regina vt aliquod specimen futuræ gubernationis ostenderent, sæuire iusserunt iustitiæ administros in grassatores, latrones, homicidas, depeculatores, reliquosque id genus facinorosos homines. Quæ res quemadmodum optimum quẽque ad bene de republica sperandum erexit, ita criminosos alienauit, coegitque scelerum suorum impunitatem quærentes se perduellibus adiungere. Horum cum esset magna copia, ex qua partes aduersæ videbantur inualescere, temperari iussum est ab hac iuris animaduersione, data maleficiorum impunitate ab ea die, in qua regni gubernacula inierunt. Ex antiqua præterea consuetudine obseruata inter Hispanorum & Gallorum Reges, vt cum eorum quispiam decederet, alter de illius obitu fieret certior, missi oratores qui Ludouico Galliarum Regi nunciarent Enriquum vita functum, fœdusque & antiquam societatem renouarent, simul etiam Regem admonerent, vt si amici, si boni, si iusti Principis munere fungi vellet, restitueret Ioãni Tarraconensium Regi Comitatum Ruscinonis, quem illi Gothalanico bello sub certis conditionibus oppignerauerat, quib. non obseruatis ad pristinum dominum debere reuerti. At Gallus accepto nuncio de Enriqui obitu aliquot sui doloris argumenta monstrauit, atque è diuerso de noua Regis & Reginæ successione oratoribus est gratulatus, velleque se libentissime antiqua fœdera instaurare respondit. Quod vero ad Ruscinonis Comitatum attinebat, dixit se nihil ex conditionibus oppignerationis immutasse, quin potius deberi sibi summam illam aureorum stipendii nomine quod bello Barcinonensi suus exercitus meruerat, velleque se mittere

iuriſconſultum qui ſuam cauſam tueretur, doceretque penes ſe debere pignus retineri, quoad ſtipendium ſibi redderetur. Venit itaque conſultus, cum Principes eſſent Valladoliti, diſputataque eſt cauſa in ſenatu regio, cumque nihil inter partes ea de re conueniret, decretum vt tam ad iuris diſquiſitionem, quàm ad fœdera renouanda mitterentur vtrinque oratores ad vtriuſque regni collimitium, qui procuratorio nomine rẽ omnem tranſigerent. Per idem vero tempus cum Rex & Regina Segouiæ agerent, cœptum eſt inter virum & vxorem de iure ſucceſſionis gubernationiſque diſceptari, non tam æmulationis diſſidiique cauſa, cum alioqui omnibus in rebus eſſet inter illos tanta concordia, quanta nunquam inter alios binos coniuges fuerit, ſed quod ea iuris diſceptatione proſpiceretur in futurum, ne regni adminiſtratio in alienam familiam tranſmutaretur, ſi filia ſuperſtite eademque hærede ſuccederet ex propinquis is qui eſſet ex conſanguinitate proximus, id quod in Gallia aliiſque in nationibus obſeruatur. Ex primoribus Hiſpaniæ qui erant Regi ſanguine propinqui, aſſeuerabant, quandoquidem Enriquus ſine prole deceſſerat, ſucceſſionem ad Ioannem Tarraconenſium Regem eſſe deuolutam, quippe qui eſſet Ferdinandi Tarraconenſis Regis filius, atque Ioannis primi Hiſpanorum Regis nepos, eodemque iure ad Ferdinandum huius Reginæ coniugem pertinere ſucceſſionem, regnique adminiſtrationem non quaſi dotalis, ſed quaſi hæreditarii. E diuerſo pro parte Reginæ obiicitur ex legibus atque Hiſpanorum cõſuetudine, Caſtellanorum præſertim, virili ſexu ex ſtirpe regia deficiente, fœminas eſſe legitimas hæredes, regnique idoneas moderatrices, afferebanturque exempla iam inde ab Infante Pelagio repetita, cuius filia Ormiſinda cum virilis ille ſexus liberos non haberet, in Legionenſis regni hæreditatem ſucceſſit, nupſitque Alphonſo qui Catholicus eſt cognominatus. Odiſinda quoque Froila fratre defuncto ſine liberis in eodem regno ſucceſſit, nupſitque Siloni. Eodem præterea iure Xanthia Ferdinandi cognomento Magni vxor ad eiuſdem regni ſucceſſionem peruenit, Veremundo fratre ſine liberis extincto. E regione etiam Caſtellæ afferebantur exempla, quod Eluira ex Vaſconum Regina hæreditario iure obtinuit Caſtellæ Comitatum, cuius filius Ferdinandus primus Caſtellanorum Rex fuit. Vrraca etiam quæ Raimundo Toloſatum Comiti primum, & deinde Alphonſo Tarraconenſium Regi nupſit, Caſtellani atque Legionenſis regni hæres fuit. Berenguela quoque, Enriquo fratre immatura morte Pallantiæ intercepto, regni hæreditatem adiit. Catharina præterea Britanni Ducis filia cum Enriquo primi Ioannis filio omnium ordinum conſenſu adiurata eſt Hiſpaniarum Princeps. Iidem è contrario aſſeuerabant, ex hiſtoriis nuſquam exemplum reperiri in Hiſpania, quod relicta hærede fœmina, ex laterali ſerie quiſquam in regni gubernationem adſciſceretur, quo iure Ioannes Tarraconenſium Rex omnino excludebatur. Quod vero ad regni adminiſtrationem attinebat, pro parte ipſius Reginæ obiectum eſt, ad eandem pertinere, ad quam & regni dominium pertinebat. Quod ſi quemadmodum legibus definitum eſt, regnum dotis nomine marito non poteſt tradi, neque gubernatio quoque. Nam quo iure qui rei dominus non eſt, aut regale patrimonium adminiſtrare, aut in bene merentes ex regio cenſu collocare beneficia, aut arcium pręſidia ſub publica fide alicui poteſt credere? Hęc partium concertatio, tandem hunc in modum compoſita eſt, regni hæreditatem ſucceſſionemque ad ipſam Reginam pertinere, tametſi fœminam, propterea quod eſſet vnica Ioannis Regis filia ſuperſtes à Regibus Caſtellæ & Legionis recto ſtemmate deſcendens, neque poſſe ad alium quemquam pertinere hæredem qui per lineam lateralem ab eiſdem Regibus deſcenderet. Definitum præterea ad eandem pertinere regni adminiſtrationem, in tribus præſertim illis quæ in parte ſuperiori memorata ſunt. Hunc itaque in modum rebus compoſitis, Regina his verbis Regem allocuta eſt.

Poſt diſceptationis definitionem oratio Reginæ ad Regem.

CAPVT III.

NIL opus fuerat ô iucundiſſime coniux altercatione tam longa, vbi tanta eſt animorum coniunctio. Nam ſi quemadmodum audiui ex quodam antiquitatum peritiſſimo, in ſponſalibus hæc fuiſſe verba ſponſæ ad ſponſum, vbi tu Caius, ibi ego Caia, hoc eſt, vbi tu dominus, ibi ego domina, cur mihi non liceat inde mutuari, vbi ego Regina, ibi & tu quoque Rex? qui cum ſis mihi coniux dulciſſimus, idemque dominus non modo meus, ſed rerum omnium mearum, quidquid ab his legum cõſultis decretum ſit, nihilo minus tu Hiſpaniarum Rex es, quam ego Regina, mihique hoc animo ſedet, æternumque ſede-

ſedebit, me atque omnia mea tuo arbitrio adminiſtranda permittere, cum præſertim futuri ſint nobis omnium rerum noſtrarum communes hæredes. Sed quando ita viſum eſt regni primoribus qui hoc negocium in controuerſiam deduxerunt, non ab re fuerit hanc iuris ambiguitatem, quæ aliquando in dubium venire poſſit, ex legibus & conſuetudine Hiſpanorum decidiſſe. Vides optime cõiux vnicam eſſe nobis filiam Eliſaben, ad quam, niſi quicquam Deus interim proſpexerit, regni ſucceſſio ex Hiſpanorum legibus pertinebit. Quod ſi quiſpiam ex regia ſtirpe ſtemmate recto non deſcendens aſſeret rem Hiſpanam ad ſe pertinere, quia vir: non ad communem filiam, quia fœmina: labefactaret profecto, aut, quod Deus auertat, forſan poſteritatis noſtræ ſeriem conuelleret. Quæ res quam ſit indigna vel miſeranda potius, nemo eſt qui non intelligat. Sed eſto, ſine vlla controuerſia rerum potiatur ex nobis genita, nubatque cuipiam externo Principi, num minus periculum inde ſequetur, ſi regnorum gubernatio in illum transferatur? Fieri namque poteſt, vt ille quiſquis eſt nobis futurus gener, arcium præſidia, publicorum vectigalium quæſturas, dignitates eccleſiaſticas, atque publicos magiſtratus ad eos ſit delaturus, non qui ſint Hiſpaniarum indigenæ, ſed qui exteri ac peregrini. Quare illa iuris deciſio, quod ad nos attinet, nihil profuerit, nihil nocuerit, ſed fuerit quaſi quoddam præiudicium ad ea quæ poſſunt aliquando contingere. Atqui rege intelligente quæ ſunt ab vxore perorata, non ſolum veritati conſentanea, ſed eſſe quoque iuſta & æqua, imperatum eſt ab vtroque, vt hac de re impoſterum non diſceptaretur, conſtitutumque inter eos, vt diplomata, & dicta, literæque publicæ ſub vtriuſque nomine ederentur, quodq; ſigilli characteres ſub Hiſpani Tarraconenſiſq; regni inſignibus fierent. In moneta quoque percutienda vtriuſque imago cum nominibus in typis excuderetur.

Villenatium Marchio & Archiepiſcopus Toletanus prætendunt cauſas à regis & reginæ obſequio diſcedendi.

CAPVT IIII.

DVM hæc Segouiæ geruntur, Marchio Villenatium literas cum mandatis ad regem reginamque mittit, quibus poſtulabat Magiſtratum ſancti Iacobi ſibi debere decerni, quo dicebat patrem ſuum Ioannem Patiequum adhuc viuentem ſe abdicaſſe, ea conditione, vt ſibi traderetur, quodque ſubditiua illa Princeps quæ ſuæ fidei credita erat, locaretur viro decenti, pro perſonarum dignitate conſtituta dote. Quorum vtrumque ſi denegaretur ſibi, ſe habiturum cauſam iuſtiſſimam, vt aliunde ſibi rebuſque ſuis proſpiceret, quaſi vellet interminari ſe facturum diſſidium cum reliquis primoribus earumdem partium ſtudioſis. Ad hanc Marchionis poſtulationem reſponſum eſt, tametſi Ioanna quæ falſo diceretur eſſe Princeps, non erat iis natalibus procreata, cum qua homines rerum nouarum cupidi poſſent in Hiſpania diſſidium facere, cum ſatis conſtaret non eſſe neque vnquam fuiſſe habitam Enriqui regis filiam, quodq; Magiſtratus iam eſſet partim in poteſtate Comitis parietini, partim Commendatarii maximi Legionenſis prouinciæ, quorum vterque fuerat de republica Hiſpana pulcherrime meritus: vt tamen res ad concordiam regniq; tranquillitatem perduceretur, ſibi placere Ioannam decenti marito collocare, libelloſq; ſupplices ad Pontificem maximum mittere, quibus peterent Magiſtratum eidem Marchioni à ſanctitate ſua decerni, ſed interim Ioannam ſequeſtro deponendam, ne ante aut poſt illius nuptias quicquam emergeret, vnde Hiſpana reſpublica aliquid detrimenti pateretur. Ad hæc Marchio reſpondit ſe non traditurum mulierem fidei ſuæ creditam mortalium cuiquam, niſi cui fidem ipſe haberet, cumque de ſequeſtre non conueniret, cœpit res in diſſidium tendere. Marchioni accedebant omnes qui ſcelerum ſuorum pœnas extimeſcebant, quique erant rerum nouarum ſtudioſi, ſed imprimis eiuſdem Marchionis fratres patrueles, omneſque illorum clientelæ, quæ per Hiſpanias longe lateque patebant. At Marchio interim per fidos internuncios clanculum agebat cum Alphonſo Luſitanorum rege, eodemque Ioannæ auunculo, vt neptem ex ſorore vxorem duceret, ſeque habere dicebat eiuſdem conſilii ſocios ex primoribus Hiſpaniæ tantam multitudinem, quæ ſufficeret rem inceptam conficere. Archiepiſcopus Toletanus qui vſque ad id temporis fuerat anceps vtras partes ſequeretur, audita Marchionis rebellione, cœpit prætendere cauſas quibus honeſte poſſet à regibus ad perduellium partes deſciſcere. Poſcit ab illis munera quæ diceret ſibi promiſſa iam inde ab eo tempore quo fuerant adiurati Principes, & quæ fuerant iam in benemerentes collocata, petit & alia cõplura, qualia ſolent ab iis qui occaſionem quærunt ab amicitia diſcedẽdi. Atqui rex memor obſequiorum, atque hoſpitalitatis, qua fuerat aliquando vſus apud illum, cœpit

hominem placare, tum datis præſentibus, tum futurorum pollicitationibus, tum honorifice compellando, tum communes mittendo amicos qui illum in fide retinerent, obteſtarenturque ne vellet ab officio deſiſtere. Ipſe præterea rex per ſeipſum eadem omnia exequebatur, etiam diuerſorium adeundo, quem honorem ad ea tempora alteri præſtiterat nemini. At ille nihilo magis flecti, aut ſententia ſua pelli potuit, quin immo quo magis rogabatur, eo obſtinatius in cœptis perſiſtebat. Neque fuit qui dubitaret, pertinaciæ ſuæ cauſam extitiſſe æmulationem quam non diſſimulanter gerebat cum Petro Mendoza S. R. E. Cardinale Hiſpano, cui ex omnibus rex & regina plurimum indulgebant, cum eſſet Archiepiſcopus alioqui natura factioſus, & qui plurimum delectaretur armorum ſtrepitu, familiaque nobiliſſimorum hominum ampliori. Atque ita cum neque blanditiis, neque precibus, neque pollicitationibus Principum vllum reliquiſſet locum, frendens, fremenſque, & minabundus ex curia diſceſſit, ſtimuloſque perduellibus faceſque ad bellum ciuile concitandum admouit. Non multos poſt dies rex & regina Segouia profecti Methymnam campeſtrem venere, petieruntque à Duce Albano eiuſdem municipii arcem quæ ipſius præſidio tenebatur, id quod ille haud grauate fecit. nam continuo arcem tradidit, cui Principes tradi iuſſerunt. Deinde Valladolitum iter facientes, ab oppidanis magnificentiſſime excepti ſunt, vbi per aliquot dies omnigenis ludis atque celebritatibus operam dedere. Veniebant præterea eodem ciuitatum populorumque procuratores qui antea non venerant, obſequium debitum ſub fide publica oblaturi, inualeſcebantque in horas cauſæ iuſtioris auxilia.

Marchio per literas Luſitanorum regem ad bellum capeſſendum hortatur, regiſque ad Marchionem reſponſum.

CAPVT V.

INTEREA Marchio non ceſſat ſolicitare quos ſecum ad ſtudia Ioannæ Principis trahat, ſimulque mittit ad Luſitanorum regem literas cum mandatis in hanc ſententiam. Iam ſibi exploratum eſſe, quemadmodum ex obitu Enriqui regis hæreditas cum adminiſtratione deuoluta erat ad Ioannam filiam, quam omnes primores bis iam iureiurando declarauerant Principem, regnique paterni hæredem vnicam. Quodque rex Siciliæ atque Eliſabe coniux, humano atque diuino iure contempto, rem Hiſpanam nihil omnino ad ſe pertinentem arripuerint. Ioannam ex ſorore ſua neptem, paterno atque auito imperio ſpoliatam, non habere alium quemquam ad quem cõfugeret quam ad ipſum, quippe qui eſſet ſibi auunculus, & quidem potentiſſimus, & qui poſſet illam ſolus ab iniuria vindicare. Obteſtabaturque, vt puellam omni præſidio deſtitutam, aut cum regno dotali vxorem acciperet, aut propinquitatis iure, vt legitimus tutor, non pateretur ab iniuſtis poſſeſſoribus bona illius occupari, idque fore factu facilimum, ſi compararentur vtrarumq; partium vires. Habiturum illum ex primoribus Hiſpaniæ belli firmiſſima robora, atque imprimis ſe fratreſque ſuos patrueles, Magiſtrum à Calatraua, atque Comitem Vrenatem, nec non ſororum ſuarum maritos, Gaditanum Marchionem, Alphonſum Aquilarium, Comitem Beneuentanum, Archiepiſcopum præterea Toletanum, Duceſque Areuaci atq; Alburquerqueri cum ſuis appendicibus, & clientelis, atque hi omnes hoſtes ex profeſſo infeſtiſſimi: quatuordecim quoque vrbes, quæ nihil aliud expectant, niſi ducem quem in bello ſequantur. Quod ſi ſemel Hiſpanorum regis ſibi nomen aſſumpſerit, atque in ipſum regnum potenter penetrauerit, complures alios ex Hiſpaniæ Principibus futuros qui declarent odia ſua in aduerſarios, quę nunc futuræ dominationis timore occultant. Adiungebat ſuperioribus, omnia Hiſpaniæ oppida in duas factiones eſſe diuiſa, quarum alteræ neceſſe erat vt Luſitanorum partes ſequerentur. Iam vero quod ad ipſos belli gerendi imperatores attinet, regis Siciliæ vires eſſe perquam exiguas, quippe qui eſſet in ſumma rerum omnium egeſtate, & in maximo ære alieno, & qui non modo non haberet, vnde poſſet ſtipendia militibus ſoluere, ſed neque ad ſumptus cotidianos pecunias, niſi emendicatas, aut violenter extortas. E diuerſo Luſitanorum regem habere exercitum robore ac numero firmiſſimum: habere pecuniarum tantam vim, quæ ſufficiat ad alendũ milites, quo ad res conficiatur: habere commeatus, cæteraque alia belli adiumenta. Cumq; ſemel per Hiſpanorum agros vel vnam excurſionem populabundus fecerit, fore vt ciues, oppidani, agricolæ, mercatoreſq; illum ſequantur, ſeque eius arbitrio ac fidei continuo tradant. Ad hæc Luſitanus, tametſi animo ſecum verſabat quãtum facinus aggrederetur, quamq; foret arduũ cum poſſeſſore in ipſis regni penetralibus decertare, reſcribit tamen velle ſe oblatam belli conditionem accipere, neq; tantum ex ſorore ſua nepti regnum aſſerere, ſed & illam

& illam cupere matrimonio ſibi complecti, ſeque ad breue tempus cum exercitu quam maximo poſſet, intraturum per mediam Hiſpaniam, qua ſibi via commodior videretur. Hortabatur præterea Marchionem ipſum, vt cœptis inſiſteret, & quod maximo animo inchoauerat, multo maiori exequeretur. Simul etiam ſcribit ad regni primores, ciuitatumque optimates, tam ſuarum partium, quam alienarum: ad illos, vt in fide retineret: ad hos, vt præmiis pollicitationibuſque ad ſtudia ſua pelliceret. Stimulabat eius animum repulſa quam fuerat paſſus ex eo tempore quo Eliſaben Principem coniugio petierat: regnandi præterea immoderata cupiditas, imperiique terminos pulchritudo prorogandi. Obſeruabatur illius animo, regni quod appetebat amplitudo, ſimul & opulentia, tantarumque gloria rerum. Sed anteaquam rem ipſam adoriretur, placuit experiri ſui regni proceres, & quali animo erga ſe forent explorare. Conſilio itaque ex omnium ordinum viris habito, ſuam illis mentem aperit. Qui omnes vno prope conſenſu pedibus manibuſque in regis ſententiam iere, ſiue quod intelligebant, id ſibi animo ſedere, neq; poſſe iam à propoſito dimoueri, ſiue quod illorum quiſque ſperabat, aut ex bello prædam ingẽtem, aut ex victoria dignitates ampliſſimas, aut ex rerum nouitate fortunarum ſuarum acceſſiones, quorum omnium eſſet in Hiſpania permagna facultas. Dicebant præterea non eſſe amplius hac de re conſultandum, ſed cum primum fieri poſſet, rem exequendam, anteaquam hoſtium vires magis magiſque inualeſcerent.

Luſitani regis per legatos obteſtatio, vt rex & regina iuri ſuo cedant, cui reſpondent.

CAPVT VI.

CERTVS propoſiti ſui Luſitanus, compoſitis belli gerendi conditionibus cum Marchione Villenate, cum Areuacorum Duce, cum Archiepiſcopo Toletano, cum reliquis omnibus earundem partium ſtudioſis, mittit ordinis equeſtris virum quendam nobilem, qui procuratorio nomine deſponderet ſibi Ioannam ex ſorore ſua neptem, cuius rei facit per literas certiores ciuitatum optimates, orbiſque Hiſpani proceres atq; primores. Mittit præterea oratorem Rodericum Soſium equitem auratum, qui diceret regi & reginæ eo ipſo tempore Valladoliti commorantibus, iam debere illis eſſe compertum Ioannam ex Ioanna ſorore ſua neptem fuiſſe filiam Enriqui regis legitimam, biſque iuratam Principem, regnique hæredem ſucceſtricemque bis declaratam, eoq; iure poſt obitum patris regni gubernationem ad eandem pertinere. Se autem conſtituiſſe illam ſibi coniugio copulare, rogareque illos obteſtarique, vt ſibi regni poſſeſſione cedant, & ne ſe inuito rem ad illos non pertinentem attrectare vellent. Et quamquam ſuo iure atq; futuræ coniugis nomine poſſet autoritate propria, hæreditaria bona inuadere, ſe tamen velle tantiſper à violentia temperare, quoad iure decerneretur, vtri debeat regni poſſeſſio cedere. Itaque debere illos quoque interim ſe regni adminiſtratione abdicare, & veluti ſequeſtro deponendam, donec compoſita lite, ex iure daretur bonorum poſſeſſio, cui dandam eſſe leges iuraque decreuerint. Quod ſi nihilominus perſtare obſtinate vellent, neque ab incepto deſiſtere, ſe ius ſuum armis vindicaturum, obteſtabaturque Deum immortalem, vt omnia mala in illius caput conuerteret cuius fuerit culpa perpetrata. Ad hanc Luſitani Principis legationem, rex & regina ex cõſultatione procerum qui eo tempore in curia manebant, reſponſum eſt ſe mirari, velle eum cauſam tam iniquam ſuſcipere, atque exulcerare vulnus antiquum, & quod iam cicatricem obduxerat, cum præſertim ſororis adulterium eſſet illi compertiſſimũ, neptiſq; ſpurcos natales vel ipſo teſte per omne Chriſtiani nominis imperium diuulgatos. Neq; tantopere mirarentur, ſi is qui huiuſmodi cauſam defenderet, eſſet temerarius quiſpiam, & nullius conſilii particeps. Rogabant etiam obteſtabanturque ne violaret affinitatis propinquitatiſque tot pignora ac præterea inter Hiſpanorum Luſitanorumque reges amicitiam, multis & illuſtribus officiis confirmatam: neq; auſcultaret hominibus perditis, qui non æquitatis amore, ſed propriæ vtilitatis cupidine ducti, aut ſuorum ſcelerum impunitatem quærentes, non illi obſequium, ſed negotium potius eſſent exhibituri. Meminiſſet etiam illos eoſdem fuiſſe qui per omnes Hiſpanias perque exteras nationes diuulgarint, hanc Ioannam non modo nõ fuiſſe, ſed neque eſſe potuiſſe regis Enriqui filiam, ob eamque cauſam deſciuiſſe à ſuo rege, comparatoq; exercitu collatis ſignis contra illum depugnaſſe: homines perfidos, qui quod nunc tuentur, antea impugnarunt, quod nunc abiurant, antea iureiurando ſanxerunt. Recordaretur quoq; illius temporis quo Enriquus rex offerebat illi coniugio hanc eandem Ioannam cum ſucceſſione dotali, ſeque noluiſſe conditionem accipere, non ob

aliam causam, nisi quod de regni hæreditate sibi non satis ex iure constaret. Quæ omnia si animo defæcato, omnibusque mentis perturbationibus libero perspiceret, non aggrederetur negotium quod esset cum vtriusque populi cædibus tot incommoda illaturum. Quod persistere vellet, neq; ab incepto desistere, id potius iure ageret quam iniuria, se paratos esse ius suum bonorum atq; proinde sapientissimorum virorum iudicio submittere. Nam quod ille de possessionis cessione dicebat tãtisper, dum de iure disceptaretur, neque iustum neque honestum petere. Sin vero potius ferro quam iure velit decernere, se curaturos, vt regnum quod Dei benignitate possident, viribus, & armis tueantur, imprimis Deum immortalem obtestantes, vt omnia mala quæ inde secutura sunt, in illorum autorem incentiuumque retorqueat. In hoc responsum Lusitanus orator dimissus est.

Rex & Regina Marchionem atque Archiepiscopum frustra tentant in officio retinere, atque vtraque pars se bello parat.

CAPVT VII.

REx vero & Regina ex postulatione Lusitani respõsoq; illius oratori dato perspicientes omnia iam esse hostilia, & ad arma spectare, nequid tamen intentatum relinquerent, decreuerunt admonere perduelles, obtestarique ne vellent mala malis accumulare, atque igni fomitem oleumque addere camino, non quo timide aut summisse agerent, sed vt ostenderent cunctis, sibi non placere bella ciuilia, neque suorum ciuium sanguinis effusionem. Mittunt itaque bonos atque prudentes viros, imprimisq; ad Marchionem, qui suaderent illi, vt aliquando in saniorem mentem rediret, reducerentque in memoriam, fuisse patrem eius qui fuerit primus autor desciscendi ab Enriquo rege ad Alphonsum fratrem, vnde quot Hispanæ reipub. detrimenta sint secuta, neminem esse qui ignoraret. Nunc vero filium patris vestigia insistendo, quid aliud esset, quam Patiequorum familiã ad Hispanorum perniciem Principum lege quadam fatali fuisse ortam? Videret ne maiorum suorum scelera ipse cum posteritate sua lueret, recordareturq; originis familiæ suæ, quæ pari ex causa Lusitaniam amisit. Quis enim ignoraret Patiequos fuisse Lusitanorum exules? Quod si res suæ in eo statu forent, vt reparari nullo modo possent, neminem mirari, si in occasu proprio decerneret omnia secum inuoluere. Nunc autem si velit, posse illum rupta, conuulsa resarcire. Velle namque ipsos publicæ vtilitatis causa omnia errata illi condonare, atq; obliuione sempiterna delere. Qui ad Archiepiscopum missi sunt oratores, nihil benignius retulerunt. Respondisse namq; perquam superbe ac minaciter, seque habere iustissimas desciscendi causas, quod non sibi debitus honor haberetur, quodque in alia fortuna promissis pollicitationibusq;, nunc in prospera fraudatus esset. Minabaturque ostensurum se nunc, quid esset Archiepiscopum Toletanum lædere. Exulcerabat hominis atrocitatem Ferdinandus quidam Alarconius, cui Archiepiscopus nimium indulgebat, vir superstitiosus, ac plane impostor, & callidus, seu versare dolos, seu certæ occumbere morti, quem Marchio subornauerat, præmiisque corruperat, vt se in familiam illam insinuaret. Atqui Petrus Acunia Comes Hemerocalios, idemque Archiepiscopi frater, cui fratris consilia non placebant, exhortabatur illum, atq; etiam liberius increpabat, quod ex causa tam leui tam insignem communi familiæ vellet infamiæ notam inurere, quodq; iustissimorum Principum gratiam, tot annorũ obsequiis collectam, occasione minima effunderet. Hoc ipsum familiares & amici, hoc ipsum orabant omnes qui bene consultum illi esse volebant. Sed qui obstinato animo semel obduruerunt, deteriores admoniti fiunt: quare neq; blanditiis Principum, neque fratris exhortationibus, neque amicorum consiliis locum reliquit vllum, neque magis incepto mouetur, quam si dura silex, aut stet Marpesia cautes. Ex insolenti Marchionis & Archiepiscopi responso grandis amicorum secuta est immutatio, non eorum modo qui suorum scelerum conscii nihil magis quam rerũ omnium perturbationẽ optabant, sed eorũ etiam qui antea putabantur esse pacis amatores. Nam viri religiosi, optimates, ciues, opifices, agricolæ, atq; fere optimus quisq; spemque metumq; inter dubii animo peiora verebantur. Omnes itaq; in duas factiones diuisi, suum quisq; ducem insequi statuit, Lusitanum illi, hi vero regem & reginam. Prima igitur prouidentissimis Hispanorum Principibus cura fuit scribere ad ciuitates, quo in statu res esset, hortariq; vt vrbes, oppida, castella, muris, fossis, aggeribus, vallisq; munirent, machinisq; instruerent, vigiles circitoresq; adhiberent, excubias exploratoresq; dimitterent, qui hostis consilia, quidq; moliretur, captarent. Ad primores quoque regni literas dederunt, quibus faciebant illos, & de Lusitani legatione, & de responso illi

illi reddito certiores. Hortabantur etiam eosdem, rogabantque, vt ad belli expeditiones, quod proculdubio impendebat, omnes essent parati. Interim Lusitanus audito Hispanorum Principum responso, simul etiam factus certior, quo animo in se forent Marchio, & Archiepiscopus, Areuacorumque Dux, atque eorum appendices, auxilia vndecunque potest sibi contrahit, & quam maximum potest exercitum comparat, Hispanorumq; perduelles admonet, ad certum diem sint in armorum procinctu, vt communi consilio atque ex composito vno tempore rem gerant.

Rex Valladoliti manet, & regina Toletum proficiscitur.

CAPVT VIII.

ERANT illa tempestate Valladoliti rex & regina, qui nuncio accepto de hostium expeditione, nihil amplius cunctandum esse rati, constituere, vt rex Valladoliti maneret prospecturus citramontanis regionibus, regina vero Toletum proficisceretur, vnde Bæticas aliasque vltramontanas Hispaniæ regiones in fide retineret, prospiceretque ne quid detrimenti paterentur. Fuerunt in comitatu illius Duces Infantatus, atque Albanorum, & Comestabilis idemque Comes Pharius. Tentauit regina ex medio itinere reconciliare sibi Archiepiscopum Toletanum, qui eo tempore Compluti morabatur, non quo putaret illius vires in alterutram partem magni esse momenti, sed familiaritatis antiquæ memor, atque obsequiorum illius erga se in superiori fortuna. Voluit & ipsa præsens hominem conuenire, blandiciisque ad pristinam familiaritatẽ reducere, sed verita est, ne ea res aut timori, aut maiestatis regiæ imminutioni tribueretur. Itaq; per Comestabilem decreuit experiri omnia, qui tametsi homo prudens, idemque singulari quadam facundia præditus erat, nihilo plus ex eo potuit exculpere, quam qui ad illud ipsum antea missi fuerãt, quam frater eius Comes Hemorocalius, quã alii propinqui & familiares, qui fere omnes, præter vnum Ferdinandum illum Alarconium quem diximus à Marchione subornatum, studebant ad iustiorem causam ipsum reducere. Atqui rex cum videret in huiusmodi temporum motibus omnia etiam tuta esse timenda, statuit ire Salmanticam, atque deinde Zamoram, vt illarum ciuitatum optimates, decuriones ordinis equestris viri, atque tribuni plebis iurarent iterum in sua verba, renouarentque fidem publicam quam sibi atque reginæ coniugi obstrinxerant, cum primum regnare cœpissent: id quod omnes præstiterunt, atq; imprimis Alphonsus Valentinus castrorum Metatus, qui Zamoranam arcem præsidio tenebat. Taurum vrbem noluit adire, quoniam illic omnia erant incerta. Etsi enim arx oppidi tenebatur à Roderico Vlloa regio quæstore maximo, regisque & reginæ perquam studioso: frater tamen illius natu maior, Ioannes Vlloa, disposuerat præsidia per loca vrbis munitissima, obfirmaueratq; contra arcem stationes latronibus armatis perpulchre instructas. Idem sæuiebat in ciues quos putabat suæ tyrannidi obstaturos. Nam & Enriquo rege suspendio adegit Rodericum quendam regium senatorem, atque pari supplicio extinxit alterum ordinis equestris virum, aliosque complures nobilissimos ciues quos dominationi suæ formidolosos existimabat, bonis spoliatos in exilium miserat. Is igitur timens scelerum suorum debitas pœnas, statuit ad Lusitanum desciscere, illique vrbem tradere, sperans se eo munere admissorũ impunitatem assecuturũ. Erat castri Inui pręses & ipse quoq; parium facinorum conscius, atq; grassatorũ latronumq; receptator, qui non satis fidens regis & reginæ fidei publicæ, atque promissis quibus illum non solum patratis criminibus donabant, sed etiam se multis illum beneficiis cumulaturos pollicebantur, deserta potiori causa Lusitano se adiunxit. Regina interim Toleti agens, ciuitatem populosque finitimos confirmat, Bæticæ colonias & oppida quæ illi ab initio obsequia sua detulerant, vt in fide permaneant hortatur, suspectos & dubios partim minis, partim pollicitationibus ad studia sua trahere conatur. In eos vero qui se hostes ex professo declararent, inimicitias bellumque gererent, Roderico Manriquo Comiti Parietino, qui se diui Iacobi militiæ Magistrum profitebatur, rei administrandæ negocium commendat. Ipsa Valladolitum ad regem proficiscitur. Alcaracium oppidum non ignobile, ex patrimonio regum Hispaniæ diuulsum, præsidio Marchionis oppressum tenebatur. Oppidani vero indignati parere domino qui non iuste, sed violenter in ipsos iniquam exerceret dominationem, de excutiendo ex ceruicibus suis iugo, deq; se in libertatem asserendo, seque suis Principibus dedendo agere incipiunt, arma corripiunt, arcem impositam vrbi obsident, Marchionis amicos, & qui ab illo iuri dicundo, aut vectigalibus exigendis præfecti erant, vrbe fugant, Parietinum Comitem orant, vt auxilio veniat, aut copias auxiliares ad conficiendum negotium mittat. At ille non impiger cum præsen-

tibus copiis accurrit, præclarum facinus illorum laudat, ſuamque operam ad id pollicetur, oppidanorum animos erigit, atque hortatur vt arcem obſidione arctiori premant. Qui nuncius cum ad Marchionem perueniſſet, contrahit copias quam maximas poteſt, tam ex ſuis, quam ex amicis, quam etiam ex iis quas Magiſter à Calatraua in procinctu habebant paratas, vt ſe Luſitano coniungerent. Cumq; ſatis magno exercitu ſe ad ſoluendam obſidionem accingeret, iamque aduētaret, oppidanos trepidantes ac dubios, iamque incepti pœnitentes, Parietinus Comes, vt magno animo ſint, neque ſe duce quicquam timeant, hortatur. Confirmauit illorum animos opportunus aduentus Alphonſi Fonſecæ oppidi Caucenſis & Alahegiorum domini, cum altero Alphonſo Fonſeca Epiſcopo Abilenſi, quos rex & regina miſerant cum expeditis cohortibus in ſuccurſum illorum qui arcem obſidione cingebant. Quo auxilio aucti, ſtationes extra vrbem, & in agrum ſpectantes, firmiori præſidio muniunt. Itaque Marchio à diſſoluendæ obſidionis cogitatione deſtitit, & in alias curas animum tranſtulit, atque imprimis oppida, & caſtella, arceſque ſuæ ditioni ſubditas munit, ne incolæ, Alcaracenorum ſecuti exemplum, ad hoſtes deſciſcerent. Ad Luſitanum præterea litteras mittit, nihil eſſe actum ſcribens, niſi properet, atq; ſuo aduentu opem ferat, parteſq; diſſipatas atq; conuulſas confirmet. Arcis præſes ſoluendæ obſidionis ſpe amiſſa, ſe cum arce Comitis fidei ex pacto cōuento tradit.

Marchio Luſitanum hortatur per literas, vt properet, & venit. Rex & Regina Luſitaniæ bellum inferunt.

CAPVT IX.

MARCHIO cum intelligeret poſſe fieri, vt alia quoque oppida, caſtella, & arces quæ pro illo ſtabant, Alcaracenorum exempla ſequerentur, literas ad Luſitanum dat, vt quam celerrime veniat, omnem bene gerendæ rei vim in celeritate poſitam eſſe ſcribit: quod ſi remiſſius agat, fore vt partium ſuarum feruor quem ſpes excitauerat, cum illius mora refrigeſceret. Ioannam vero Principem quam Enriquus moriens illius fidei credidit, ab Aſcalone in caſtra Iulia transfert, aut quo tutiori loco foret, aut ſi Luſitano nuptui tradenda eſſet, commodius inde duceretur. Luſitanus rex etſi iam paratus erat, vt viam ingrederetur, hoſtiumque fines armis inuaderet, Marchionis tamen literis excitatus, rem exequi feſtinat. Veniebant cum illo omnes regni ſui proceres, tam eccleſiaſtici, quam ſæculares, quorum & ex ordine equeſtri elegantiſſimus & ſtrenuiſſimus quiſque, ſed neque ſuperioribus inferiores cedebant, & armorum, & equorum, & ornamētorum apparatu, alii agros vendebant, alii oppignerabant, alii pretio viliori locabant. Atque vt eſt hominum genus ſuperbum & arrogans, ex ſumptuoſiori cultu facti arrogantiores, nihil non ſibi pollicebantur, & imprimis regis & reginæ fugam in ſuam Tarraconenſem, neque ſpectaturos vel minimum fortunæ euentum. Partiebantur inter ſe profugorum ſpolia, deinde oppida, municipia, caſtella, vicos, agros eorum qui fuiſſent Siciliæ regem reginamque coniugem ſecuti. Atque ita Placentiam perueniunt, quæ tunc ſub Areuacorum Ducis ditione erat: eodemque Marchio deduxit, quæ ſe Hiſpaniæ reginam profitebatur. Deinde in media vrbis area ſuggeſto rex & regina reſident, dataque & accepta fide ſponſalia contrahunt, acclamant lictores, & omnes qui aderant, vna voce, Viuant, Viuant Alphonſus Luſitaniæ rex & Ioanna Hiſpaniæ regina. Tunc nouorum Principum ex Hiſpanorum conſuetudine manus auerſas exoſculantur, fidemque ſuam illis iureiurando obſtringunt. Habitaque deinde conſultatione quo potiſſimum iter arriperent, Areuacum placuit, propterea quod & commeatu rerum omnium abundabat, & ad belli cum hoſtibus, paciſque cum finitimis res gerendas erat locus opportunus. Cæterum rex & regina cum accepiſſent nuncium earum rerum quæ Placentiæ geſta ſunt, atque hoſtes Areuaci, hoc eſt, in mediis regni penetralibus conſediſſe, ſeque Hiſpaniæ reges iuſſiſſe appellari, & ipſi quoque ſe Luſitaniæ reges appellari, atque Limitaneis in ipſam Luſitaniam bellum inferri iuſſerunt. A Paceauguſta viſum eſt Luſitaniam inuadere, atque in ipſis regni penetralibus Nodarum caſtellum expugnant, & regi reginæque Hiſpaniarum ſubiiciunt, qui arcis præſidium Martino cuidam Septempublicano ciuitatis Hiſpalenſis Viginti quatuor viro credunt. Is triennio in fide permanſit, Luſitanorum finitimos agros populatus, armenta pecudeſq; in prædam agens, captos, niſi qui ſe redimerent, in vinculis ſeruans. Cumque omnia hæc hoſtiliter exequeretur, nullius interim ſceleris generi etiam inter ſuos pepercit. Tandemq; Luſitano accepto precio arcē prodidit. Cumq; patria extorris in exilio eſſet, alteramq; proditionem moliretur, deprehendi timens, neſcitur quo profugus exilium mutauit. Alphonſus quoq; Monroius qui ſe Tra-

ſe Traiani pontis Magiſtrum profitebatur, alia ex parte Luſitanorum fines tranſgreſſus Alegretum cepit, bienniòque tenuit multa incommoda finitimis inferens. Tandemque à Luſitanis obſeſſus, cum non potuiſſet mitti auxilium, quo ab obſidione liberaretur, coactus eſt deditionem facere. Alphonſus præterea Cardenius Legionenſis prouinciæ Cõmendatarius maximus, & qui ſe ex parte Magiſtrum militiæ ſancti Iacobi profitebatur, ſexaginta paſſuum millia intra Luſitaniæ fines pergrandi equitatu coacto excurſiones maximas fecit, prædamque ingentem reportans, domum ſe recepit. In ea quoque Tarraconenſis prouinciæ parte quæ inter Durium & Limiam flumina Luſitaniæ contributa eſt, & ea Gallicię quæ è regione ad ſeptentrionem adiacet, nihilo ſecius excurſiones, populationes & latrocinia vtrinque aguntur, atque intra ipſos Gallicię terminos, Petrus Aluarides à Sotomaiori, qui pro Luſitano ſtabat, Tyden vrbem quæ ad Epiſcopum Tydenſem pertinebat, non magno negocio capit, iuſſitque ſe eius regionis Vicecomitem appellari. Atq; vt eſt genus illud hominum à labore in libidinem, & ab alienarum rerum abſtinentia procliue ad latrocinia & rapinas, poſt peractum bellum longo tempore apud eos mos ille perdurauit.

Luſitanus Gallorum Regem fœderat, Taurum & Zamoram capit, Hiſpanus copias parat, Luſitanum obſidet.

CAPVT X.

ALPHONSVS Luſitanorum Rex auctus ampliſſimis regnorum titulis, reputans ſecum quantam rem inchoaſſet, quodque ſine ignominia non poſſet iam ab incepto deſiſtere, præter illos quos in Hiſpania habebat ex profeſſo hoſtium ſuorum hoſtes, ſtatuit à finitimis auxilia ſibi aſciſcere, atque in primis à Gallorum Rege, cum quo ſciebat aduerſarium ſuum pro Ruſcinonis Comitatu repetendo belligerandi cauſas Tarraconenſium Principem eundemque Regem Siciliæ habere neceſſarias. Mittit itaque legatos ad Gallum, atque per illos oſtendit, quam iuſto titulo Hiſpaniæ regnum dotale poſſideat, ſe habere in ipſa Hiſpania ex primoribus partem maiorem potioremq;, & ad rem conficiendam nihil aliud deeſſe, quam fautorem moderatoremq;, cuius auſpiciis res tãta gereretur. Hunc eſſe vnum Gallorum Regem, & præter eum neminem Hiſpanos omnes æſtimare. Gallus ſuæ gentis vitio non ſatis conſtans in fœdere quod iam inde ab initio cum Rege & Regina contraxerat, in quo de Ruſcinonis Comitatu mentio facta erat, quem non reddere ſtatuit, iuratum fœdus abiurat, nouumque cum Luſitano icit, & quo expeditior eſſet ad bellum Hiſpaniæ inferẽdum, cum Eduardo Britannorũ Rege, qui bellum Galliæ illaturus ex Britãnia ingenti claſſe cum exercitu quam maximo mare traiecerat, is namque veniebat in primis vt Carolo Burgundionum Duci ſuppetias ferret, atque deinde vt ipſe per ſe auitas maiorumque ſuorum antiquas inimicitias perſequeretur. Tranſegit vero in hunc modum, vt induciæ in ſeptennium proximum conſtituerentur, Gallus Britanno centum coronatorum aureorum millia ſtatim daret, atque deinceps quotannis quinquagenos millenos, quodq; Gallorum Delphinus (ſic enim à Gallis appellatur quem Hiſpani Principem Regis regniq; hæredem vocant) Britannorum Regis filiam duceret vxorem. Liber itaq; in præſentiarum Gallus ab OEaſone Aquitaniæ oppido in Barduliã Hiſpaniæ regionem bellum infert. Ioannes Vlloa Taurum Luſitano tradidit, qui arcem expugnauit quæ pro Roderico Vlloa fratre ſuo quæſtore maximo Hiſpaniæ ſtabat, eidẽ Ioanni credit. Ioannem deinde Porrium qui Zamoranę ciuitatis per partem populi facile princeps erat, pollicitationibus allicit, vt vrbem ſibi tradat, generumq; ſuum † Hiſpaniæ Metatum qui vrbis arcem præſidio tenebat, ſecum inducat, vt ſuam factionẽ ſequatur. Magnam pecuniarum vim illico ſe daturum promittit, atque deinde poſt rem peractam agri Zamorani ad certum incolarum numerum vicis & caſtellis ſe illos donaturum. Quod cum Rex Ferdinandus perſenſiſſet, mittit ad illos nuncium, rogans vt in fide permaneant, neque iuſiurandum quo ſe ſibi Reginæque conſorti obſtrinxerant, cũ magna ipſorum infamia violarent, fideique ſuæ ingentia pręmia illos relaturos pollicetur. Quod ſi ad tenendam vrbem grandiori præſidio erat opus ſe miſſurum cohortes quæ illis viderentur ſufficere. Ad quæ Porrius reſcribit, ſatis præſidii in ciuibus eſſe, dolere vero ſe perfidiæ inſimulari, non ſe iis maioribus ortum qui talia facerent: nihilo minus tamen de proditionis conditionibus cum Luſitano agit, atque accepto precio vrbem illi prodit, ſecumque in eandem proditionem Metatum arcis præſidem trahit. Luſitani vexilla cum ſuis vulturibus attollunt, Regemque Hiſpaniæ cum vxore identidem inclamitant. Vrbe Rex potitus arcem eidem Metato credidit, pontis vero præſidium

Francisco Valdesio Ioannis Porrii ex sorore nepoti committit, atque Zamoranis rebus compositis Taurum ad Reginam coniugem redit. E diuerso Rex & Regina copias suas recensent, euocantque omnes quos ante monuerant, vt essent in procinctu, & parati ad bellum futurum, & qui equo merebant, suas immunitates ex antiquo Hispaniarum more promittit, & alios quoque propositis præmiis & honoribus prouocat. Conuenerunt præterea omnes ex omnibus oppidis, ciuitatibus, & municipiis totius regni, qui ab initio studia sua & obsequia obtulerunt, præterquam illi quibus alterius factionis duces negotium facessebant. Ex primoribus regni adfuerunt Petrus Mendoza Cardinalis Hispaniarum cum illius fratre Iacobo Furtato Infantatus Duce, atque ex eadem Mendozarum familia duo illorum fratres Enicus Lupus Tendillanus Comes, Laurentius Suarius Cluniensis Comes, Alphonsus Enriquus Archithalassus Hispaniæ, Garsias Aluarus Albanorum ad Tormim Dux, Enriquus Enriqui ad Alistam Comes, Petrus Verascus Hispaniarum Comestabilis idemque Comes Pharius, Rodericus Pimentelus Beneuentanus Comes, Petrus Manriquus Triuinius Comes, Petrus Osorius Asturicensis Marchio, Iacobus Sarmentus Salinarum Comes, Petrus Mendoza Montis acuti Comes, Ioannes Mãriquus Castaneti Comes, Gabriel Manriquus frater eius Osorninus Comes. Alii quoque summates & infimates Præsules, atque ordinis equestris mediocrisque conditionis & opibus censiti viri superioribus accesserunt. Dux à Methymna Asindica cum sibi affectis Hispalensibus, & Ægabrensis Comes non venerunt, sed neque fuerunt vocati, propterea quod alteri cum Marchione Gaditano qui Asindum opprimebat, alteri cum Alphonso Aquilario qui per fauorem populi omnibus omnium ordinum ciuibus imperitabat, erat dissidium. Qui proculdubio diuersarum partium habebantur, neque dubitabãt, quin Marchionem Villenatem atque totam factionem illam sequerentur, cum præsertim duę illius sorores vtrique essent nuptæ. Beltranus à Cueua dubius erat vtram in partem traheretur: hinc amor in supposititiam illam quæ vulgo putabatur esse illius filia, quod neque ipse inficiabatur: hinc timor, quod in huius belli discrimine victoria in Regem & Reginam videbatur esse propensior. Hi omnes quos enumerauimus, Valladoliti congregatis accesserunt, quos à Toleto Regina exciuerat, atque obiter quos à Segouia, & ab Abila locis finitimis coegerat, eumque exercitum cum Regis exercitu coniunxit. Placuit debere lustrari militum numerum, censaque sunt cataphractorum equitum quatuor millia, leuis armaturę octo millia, peditum vero ex Callaicis, Asturibus & Bardulis, Citraq; mõtanis ad triginta millia. Tot tantisque copiis Rex auctus distribuit exercitum in quinque & triginta cohortes, motisque signis ad Dorii dextram secundo flumine Taurum petit, vbi eo tempore Lusitanus erat. Qui cernens hostem & militum numero atque robore & populorum fauore longe superiorem, continuit se intra muros vrbisque munitiones, cessitque tempori, non ausus credere se campo Martique communi. Hispanus ad quinque horas in procinctu armorum ordinatisque cohortibus in medio campo stetit, expectans an Lusitanus quicquam auderet, velletque fortunam belli experiri.

ÆLII ANTONII NEBRISSENSIS, RERVM HISPANARVM AC HISPANIENSIVM HIstorici, Decadis primæ Liber quartus.

De nuntiis hinc inde missis, ac prouocationibus vltro citroque ad pugnam factis, deq; penuria quam exercitus noster est passus.

CAPVT I.



FERNANDVS vbi se frustra in armis esse, neque ab hoste copiam pugnandi fieri videt, Gomezium Manricum ad Lusitanum mittit qui hæc illi nunciaret: Meminisse eum debere, Rodericum Sosiam domesticum suum nuper à se missum postulatum, vti Fernandus atque Isabella eius vxor ex iis regnis quæ ad Ioannam eius neptem quam vxorem sibi desponderat, attinere diceret, egrederentur. Per quem eundem eos benigne placideque respondisse, mirari se, quod tantus Prin-

Princeps, tot egregiis artibus præditus, rem tam arduam aggredi, tamque iniustam petere vellet. Rogasse etiam se ne tantam seditionem cædium, incendiorum, non solum in Castellæ Legionisque regnis, sed in ipsa etiam Lusitania excitaret, vt armis relictis, æquitatis iurisque partes amplexus, ab eo incepto quod nulla ratione tutari poterat, desisteret. Quod cum minime facere voluisse, quin exercitu infesto eorum inuasisse regna, regioq; titulo abusum esse. Proinde Fernandum hæc in summa dicere, se instructis copiis ad oppidum suum Taurum eo animo opperiri, vt lacessenti quouis modo responderet. Petere se, vt ex tribus vnum, quod malit, Alphonsus eligat: primum, vt ex ea parte regni quam vi occupasset, regio etiam nomine quod perperam sibi arrogasset, abnegato, quam primum egrediatur: si quod autem ius sponsa eius sibi esse contenderet, causa coram summo Pontifice ageretur, quod is decreuisset, id vtrique parti ratum fore. Deinde, vt quoniam Alphonsus collatis signis cum Fernando se dimicare velle, professus esset, ne cunctaretur in pugnam descendere, nullam per eum moram fieri. Quod si neutrum placeret, quoniam opibus & copiis impar esset, ne tot homines innoxii duorum causa prælis & cædibus conficerentur, singulari certamine cum eo de regno certaret. Sperare Fernãdum Dei ope, quam iniuste Alphonsus id negocium aggressus esset, eo duello planum fore. Ad hæc Lusitanus per Alphonsum Ferreram respondit: Sibi ius esse Castellæ Legionisque regna repetendi, vtpote sponso Ioannæ Reginæ quam Enriqui Regis filiam hæredem esse constabat, cuique etiam tres regni ordines publico consensu simul & iureiurando patris regnum tradiderant. Quare postulare se iterum, vt Fernandus cum vxore sua Regina Siciliæ à Castella quam occupatam habebat, primum discederet, deinde placere sibi, vt coram Pontifice maximo ius suum vterque persequeretur. Nam quod ad pugnam ad quam Fernandus prouocat, attinet, se regni sui proceres vna cum copiis quas diuersis in locis diuisas haberet, quamprimum euocaturum, vt exercitu coacto in aciem descendat. Quod vero de singulari certamine Fernandus proposuisset, se id pro statu & communi salute omnium non detrectare, modo inter ipsos prius conueniat, qua ratione, & loci, & pugnæ inter vtrumque conferendæ periculum præstari possit, ne victor suo frustretur præmio. aliter enim frustra alterutrum victurum esse. Cuius rei firmitudinem alio modo obtineri non posse, nisi ab vtroque Rege Isabella simul & Ioanna, pro quibus ambo Reges in contentionem de iure regni venissent, obsides darentur. Quæ vbi Fernando nunciata sunt, videri sibi respondit, Alphonsum verbis non armis de iure regni certare velle, frustra etiam ea causari Lusitanum, cum iudex præsto non esset qui litem dirimeret, neque sibi honestiores validioresque causas defore, quod Enriquus Rex cum regni sui proceribus, approbante etiam rem summi Pontificis legato, Isabellam Principem hæredem declarasset. Accessisse item ex ciuitatibus Hispaniæ procuratorum omnium consensum iureiurando vallatum. Ad hæc Enriquum ipsum, paulo ante quam è vita decederet, conuentum Segouiæ agere decreuisse, vbi conuocatis totius regni magnatibus & ciuitatum procuratoribus, de more maiorum regnum Isabellæ confirmaretur. Eiusque decreti autores fuisse, cum proceres multos Castellæ Primates, virosque alios religione, consilio, litterisque præstantes: tum Marchionem Villenatem qui nunc pro Lusitano staret. Conscium etiam sibi Alphonsum esse, si ex animi conscientia loqui vellet, quam nullo iure ad regni petitionem Ioanna niteretur. Iam vero quo liberius inter eos singulare certamen fieri, & victor victoria facilius frui possit, quando per alios Reges aut nationes securitas ea præstari nequiret, & res in longum protraheretur, hanc rationem iniri oportere: vt duos pro se Castellanos Alphonsus, duos item Fernandus Lusitanos eligant, notæ probitatis & fidei viros, qui solemnibus sacramentis astricti, pari equitum numero ab insidiis & violentia campum certaminis tutum liberumque reddant, vt in tali re fieri solet. Paratum esse se, intra triduum, quod sua intersit exhibere. Indecorum enim esse tantis Principibus, negocium id in longius tempus differri. Quod autem de obsidibus Alphonsus peteret, indignum nimis esse Ioannam cum Isabella conferri, longe maximum inter vtramque esse discrimen, quod cum omnibus, tum Alphonso ipsi ignotum esse non poterat: daturum se tamen Principem filiã obsidem, & alia insuper quæ ad præstandam fidem idonea forent. Rursum Lusitanus, nisi Isabella obses deponeretur, omnia irrita sibi videri respondit. Nam etiamsi ipsi victoria obtigisset, bellum nihilominus aduersus eam iterum suscipiendum esse. Eo modo sæpe ab vtroque missis remissisque nunciis, vbi neque acie dimicare velle, & singulari certamini causas Lusitanum quærere Fernandus intelligit, prope oppidum Taurum ad Durium flumen castra locat: triduoque ibi statiua habita sunt. Quo tempore tanta commeatus inopia in castris fuit, vt ad decem denarios in eas mensuras annona peruenerit,

quæ pridie duobus aut eo minoris venundabantur. Quæ res indies magis ingraueſcebat. Nullum enim frumentum aliunde in caſtra ſupportari poterat. Ex iis namque oppidis & caſtellis quibus circa Taurum Luſitanus præſidia impoſuerat, eorum præfecti cum magna armatorum manu egreſſi, frumentatum euntes prælio laceſſere, prædas vndique agere, importata omnia intercipere, denique itineribus intercluſis noſtros frumento facile prohibere. Quod cum Rex animaduertiſſet, de ratione belli cum Ducibus conſultare cœpit. Nouerat enim, Luſitanum copia rerum omnium abundare, ſibi non commeatum modo, ſed pecuniam etiam deeſſe, vnde militibus ſtipendia perſolueret, aliaque ad vſum belli neceſſaria compararet. Præterea hoſtem obſidione premi non poſſe. Nam neque Durius vado tranſiri poterat, & vltra eum magna vi militum opus erat quæ egredientibus oppido Luſitanis obſiſteret, quorum magna manus cum Rege mœnibus continebatur. Nullaſque denique ad impugnationem pontis machinas habere. Placuit igitur, ne maius in exercitu detrimentum in dies fieret, caſtra moueri. Hoc autem cum militibus iis cognitum eſſet, qui ex ciuitatibus in auxilium Regis conuenerant, indignari primum quod cum tãtas copias Rex coegiſſet quibus facile bellum patratum iri omnibus perſuaſum eſſet, ita diſcederet, quin aliquid memoratu dignum egiſſet. neque enim eam poſthac tantam vim militum contrahendi copiam fore. Deinde culpam in magnates reliquoſque Duces transferre, quod ea Regi conſulerent, quæ non ex dignitate ipſius, ſed ex vſu atque dignitate ſua eſſent, qui non contenti ſeditionibus belliſque priſtinis, nunc denuo protrahendi belli cauſas quærerent, vt interim ab vtroque Rege fauorem & præmia emererentur, ſuiſque priuatis commodis conſulerent, & poteſtatem regiam imminuerent. Poſtremo aliquot eorum Regem ipſum adire, proceres criminari, quod fidem ei debitam non ſeruarent, quod aperte illi imponerent, quod ſuæ ipſorum vtilitatis potius quã dignitatis regiæ rationem haberent. Sibi ipſi Rex prouideret, ſe ad omnia quæ aggredi vellet, patranda paratos eſſe, Regem ſuum non deſerturos, quoad bellum conficeretur. Quæ cum magnatibus comperta eſſent, tumultus in caſtris oriri cœpit, his indigne ferentibus, quod à vulgo militum falſoque accuſarentur, dum ex commodo Regis atque è republica cuncta prouiderent, illis in ſuſpicione ſua atque accuſatione perſeuerantibus. Denique Rex vt qui vtrorumque fidem integram eſſe ſciret, magnatum qui vrgenti neceſſitati & damnis imminentibus occurrerent, militum qui magna erga Regem ſuum pietate affecti nihil non formidarent, nunc hos, nunc illos ſeorſum allocutus, magnates apud milites defendere, commeatum, rerumque aliarum inopiam excuſare, belli denique difficultatem oſtendere, ad hæc militibus gratias agere, fidem collaudare. Sic animis eorum ſedatis, non amplius immorandum ratus, caſtra confeſtim mouere iuſſit.

Rex & regina ex Segouienſi arce ærarium accipiunt, ex eccleſiis argenti dimidium. Villena & Requena capiuntur.

CAPVT II.

CONCLAMATIS vaſis caſtriſque deſertis, Hiſpanus Methymnam, atque ex Tordeſellis Regina eodem tendit, cœptumque eſt conſultari de conquirendis pecuniis vndecunque honeſte poſſent. neque enim erat vnde militibus ſtipendia ſoluerentur. Nã in ſuperiori militia iam exhauſtum erat ignotum illud argenti pondus & auri, quod Enriquus Rex in Segouienſi arce depoſuerat, quodque Andreas Caprarius arcis Præſes idemque eiuſdem Regis villicus Luſitano poſtulanti denegauit, Regique ac Reginæ vltro tradidit. Quo facto magnam ab illis gratiam iniit, & Marchionatu Moiano & perpetuo arcis præſidio atque aliis compluribus beneficiis donatus eſt. Cumque ex ſuperioribus bellis & ex præſenti rerum omnium perturbatione ciuitates & populi eſſent extenuati, non ſunt auſi ab illis mutuo petere, aut imperata exigere, ne exactio illa eorum animos alienaret, atque à ſe in aduerſarium transferret. Plæriſque omnibus viſum eſt, argentum quod erat in eccleſiis diuino cultui dedicatum, in præſentes vſus debere mutuo accipi, idque non eſſe nouum, ſed iam inde ab antiquis temporibus atque etiam in lege veteri vſitatum: vt pecuniæ & templorum vaſa quæ ornamenti cauſa fuerant donata, in huiuſmodi neceſſitates conuerterentur, quando & in ipſam ædium ſacrarum vtilitatem erogatio illa eſſet ceſſura, neque minus emolumenti prouenturum eſſe eccleſiis & monaſteriis, vnde argentum illud tolleretur, ex tranquillitate quam bene iuuante Deo ſperabant omnes, quam ipſæ ciuitates & populi ex pace quæ victoriam ſequeretur. Quid quod negocio confecto ſupererat tempus, in quo poſſent ablata multiplicato fœnore reſtitui?

Quod senatusconsultum cum ad Regem Reginamque delatum esset, principio auersati sunt atque à tali sacrilegio abstinendum esse censuerunt. Sed cum illos præsens necessitas vrgeret, neque instans periculum remedii moram pateretur, coacti sunt ad prouerbium illud quod est frequens in ore Hispanorum: In extrema necessitate res Deo etiam dicatas non esse nefas ex sacrario tollere. Constitutumque est, vt argenti dimidium tolleretur ex vasis quæ diuino cultui minus essent necessaria. Cautum est præterea ecclesiis, vt ex tricies centum millibus dipondium, quæ in belli auxilium ciuitatibus & populis imperata erant, solutio fieret. Quod ecclesiarum Præsules atque omnis clerus habita ratione temporum & regiæ necessitatis non grauate fieri passi sunt. Primoribusque monasteriorum diui Hieronymi in sua cuique prouincia ea cura demandata est, vt sine vlla fraude argentum illud aut tantum daretur, quantum fuerat acceptum. Interea Parietinus Comes qui se Diui Iacobi militiæ Magistrum dici volebat, & Ægabrensis Comes iussu Regis & Reginæ, Magistrum à Calatraua & Vrenatium Comitem fratrem eius, & vtriusque patruelem Villenatium Marchionem bello lacessebant. Atque imprimis ciuitatem Regiam quæ grandi præsidio violenter à Magistro tenebatur, in libertatem asserunt, in obsequiumque Regis & Reginæ reducunt. Deinde ex eo oppido municipia, vicos agros & castella quæ ditionis Magistri erant, bello vastant, aut à tributariis vectigalia exigunt. Quod negocium impedimento fuit ne à Magistro in auxiliũ belli Lusitano auxilia mitterentur, cum neque ipse ad Magistratus sui tuenda loca satis præsidii haberet. Comes deinde Ægabrensis ex certis causis in Bæticam suam se recepit, in Comitem Parietinum omnem rei gerendæ curam reiiciens. Ille vero ex ciuitate regia Vclesium se recipit, vt inde Marchionatus incolas infestaret, aut tributa exigeret. Sed incolæ, quod Lusitanos totamque factionem illam oderant, libentius Magistro quam Marchioni suo tributa reddebant. Villenates oppidani cum cernerent finitimis in locis regium Præfectum qui sibi cum exercitu subsidio esse posset, arcem obsidione cingunt, Marchionis clientes & amicos partim trucidant, partim bonis spoliatos oppido fugant. Ex Tarraconensi prouincia venere auxilio copiæ, quæ obsessos adeo coarctarunt, vt paucis diebus seipsos arcemque victori dediderint. Villenatium exemplum cæteri Marchionatus incolæ secuti, partim sponte sua, partim formidine in imperium se regium transtulerunt, sed omnes Rex & Regina in tutelam suam reposuere ea lege, ne vnquam à corona regia, vt aiunt, abalienarentur. Requenatis quoque arcis Præfectus, quam Marchionis nomine præsidio tenebat, cum intelligeret oppidanos de arce obsidenda cogitare, præuertit & ipse illorum conatus, arcemque Regi & Reginæ tradidit. His difficultatibus Marchio in angustias positus, nesciebat, quo se potissimum converteret. Angebant præterea illum reliquarum arcium suarum Præsides, vt mitteret pecunias, commeatus, & subsidia, quibus possent munitiones fidei suæ commissas propugnare. Coactus est igitur quidquid militum habebat per cætera municipia castella, arcesque suas dimittere. Non minori rerum omnium difficultate laborabant Magister à Calatraua eiusque frater Vrenatium Comes, & Dux Areuacorum, aliique eiusdem sectæ fautores, qui ex eadem causa non poterant Lusitano auxilia promissa transmittere.

Agitur de concordia cum Lusitano, sed frustra Burgensem arcem Rex obsidet, Regina Legionis Germanicæ turres.

CAPVT III.

ATQVI Lusitanus videns se ab iis destitutum quorum pollicitationibus moliri res nouas cœperat, simul etiam regni sui penetralia diripi, agros expilari, Nodarum & Alegretum teneri ab hoste, cogitans copiarum partem ad patriæ tutelam remittere, petit ab illis ex pactorum conuentorum formula, mittant quinq; mille illos cataphractos equites quos se missuros ad commune bellum administrandum polliciti sunt, incusans etiam illos quod non ante miserint, cum sæpe fuerint ab ipso requisiti. At illi non minori perplexitate confusi respondent, se habere in armis promissum exercitus numerum, sed eo esse opus ad tuendas vrbes, oppida, castella, & arces, quæ pro illo stabant. Se quoq; ipsos multis periculis obnoxios, rerumque suarum detrimenta cotidie pati, vt illum ad regni fastigium euehant. Quam temporis occasionem Cardinalis Hispanus arripiens, secreto litteras ad Lusitanum mittit, consulens, an placeret illi, vt cum Rege & Regina de concordia ageret, & quibus cõditionibus ea de re vellet agi. Ad quæ Lusitanus, cum cerneret se desertum ab iis quibus maxime fidebat, respondet sibi placere concordiam, seque in Lusitaniam suam rediturum, si cedatur sibi possessione Tauri & Zamoræ vrbiũ quas obtine-

bat,& Callaici regni,quæ omnia Luſitaniæ ſuæ anneɛteret.Petebat inſuper magnam pecuniarum vim,quas dicebat ſe in militum ſtipendia reliquoſque expeditionis illius apparatus diſtribuiſſe. Ad hæc Luſitani poſtulata per eundem Cardinalem magno animo Regina reſpondet,tametſi omnia ſub dubia etiamnum fortuna belli penderent,ſe tamen non permiſſuram,vt vel minimus vicus ex regno à maioribus ſuis accepto imminueretur,cum è diuerſo nihil magis animo ſedeat,quam quemadmodum imperii fines propagare poſſit:paſſuram tamen,vt pro redimenda Hiſpani orbis tranquillitate dependeretur illi tantum auri,quantum bonis viris vtriuſque partis æſtimatoribus videretur. Sed cum ea de re vltro citroque per honeſtos viros ageretur, neque ſatis inter partes conueniret,nuncius à ciuitate Burgenſi eſt allatus,qui diceret Ioannem à Stunica qui pro Areuacorum Duce patruo ſuo arcem præſidio tenebat,militum auxilio ad id miſſo eruptiones in vrbem crebras diu noɛtuque facere,ciues trucidare,prædas in arcem conuehere, iamque demolitum ex armorum vico ad tercentum domos,quæ fuerant arcis munitionibus proximæ,neque poſſe iam erumpentium impetus ſuſtinere, niſi quamprimum ſibi mittatur auxilium. Lodouicum præterea cognominatum Acunia Burgenſem Epiſcopum,qui & ipſe factionem Luſitanam ſectabatur, excurſiones longe lateque per agros facere,ad quas compeſcendas equitatum implorabant. Ad hunc nuncium principes grauiter commoti,curam animi quam acerrimam intendunt, vt ciuitati bene de ſe meritæ, & quæ totius regni caput eſſet,ſemperque habita fuiſſet,auxiliares copias quamprimum mitterent,quas Rex cum grandiori exercitu mox ſequeretur, qui arcem obſidione cingeret. Subſidiariiſque militibus dati Duces Alphonſus Arellanius, Comes Aquilarius, Petrus Manriquus,Xanthus Rogius,Stephanus Villacrecenſis. Qui cum primum in vrbem venerunt,ſtationes quam maxime poſſunt arci admouent, atque ædiculæ diuæ genitricis proximæ,quam vallo,foſſa,balliſtis,tormentis,machiniſque munierant,vnde facilius erumpere,commodiuſque ciuibus detrimenta inferri poſſent. Ex arce præterea per muſculos egreſſi agros populabantur, frumentatores lignatoreſque intercipiebant. Rex vero,quo in ſtatu res eſſet,factus certior,conuocato peditatu ex Aſturibus, Cantabris,Vaſconibus,finitimiſque populis,cum equitatu,quem pro tempore contrahere potuit,ſubſidio venire maturat. Venit quoque eodem Alphonſus à Villa formoſa Dux,ipſius Regis frater nothus:venit magnus Comeſtabilis. Iubet Rex ab intima extimaque vrbis parte muniri ſtationes,valloque ac foſſa duplici arcem ædemque illam ſacram cingi, ne cui aditus aut reditus pateret. Interim Regina quæ Valladoliti manſerat,à Germanica legione nuncium accipit, Alphonſum quendam cognomento Blancam, ſecreto agere cum Luſitano de tradendis turribus quas vrbi ſuper impoſitas præſidio tenebat.Illa vero nihil morata illuc proficiſcitur,ciues conuocat, arcis præſidem accerſiri iubet, petit ab eo ſibi tradi munitiones,quoniam è republica id eſſet. At ille cum tradendi moram faceret prætextu ſarcinulas exportādi,non antea permiſit à ſe abire, quam imperata exequeretur,Xanthoque à Caſtella munitionem traderet. Ordinatis deinde rebus ciuitatis Valladolitum rediit. Interim Rex non ceſſat parare ſcalas,balliſtas,tormenta,aliaſq; machinas quibus arcem oppugnaret,& quia ædes illa ſacra videbatur oppugnatu facilior,ſimul etiam quod ea capta obſidio anguſtius premeretur,iubet intendi machinas,atque quantum fieri poteſt, eccleſiæ admoueri. Inuadunt ædis munimenta omni genere miſſilium, ſcalas applicant,graduſque per ipſos nituntur propugnacula muri prenſare. At illi iam ſumma tenentes deturbant,oppugnatur propugnaturque vehementer, vtrobique cadētium gemitus,& plurima mortis imago. At Rex cum videret ſuorum cædem, quāquam multo maiora damna inferebant obſeſſis,quam ab illis accipiebant,iuſſit tamen receptui canere,itaque ab oppugnatione deſiſtere,vulneratos foueri,feſſos recreari. Ipſe vero pro concione omnibus collaudatis, Præclarum,inquit,facinus hodie geſtum eſt à vobis milites fortiſſimi,quod hoſtibus intra munitionum ſepta circunuallatis maiorem cladem intuliſtis quam vos acceperitis. Sed hoc vos conſolari poteſtis,quod illi contra patriam impia arma ſumpſerunt,vos pro patria in proditores inſurrexiſtis. Illos ſcelerum ſuorum grauiſſimæ pœnæ,vos pietatis veſtræ debita præmia expectant. Illos indelebilis ignominia,vos egregium decus manet. Nunc igitur re bene geſta ite domos,curate corpora,voſque oppugnationi craſtinę parate,quam non opinor expectaturos,niſi illos rerum omnium deſperatio agit præcipites. Erant in ædis præſidio viri circiter quadringenti,quorum magna pars cæſa,maior vulnerata, reliqua exantlatis laboribus defeſſa erat. Deerant præterea illis non ſolum fouendis vulneribus medicamenta,ſed etiam victui neceſſaria. Itaque timentes inſequentis diei futuram multo acriorem oppugnationem, cœperut de facienda deditione cogitare. Erat munitionis Præfectus Ioannes quidam Sarmentus

Bur-

Burgenſis Epiſcopi frater. Is paciſcitur cum rege ſuiſque vitam membrorumque integritatem, quod facile impetrauit, non quod rex victoriæ diffideret, ſed quod natura erat clementiſſimus, & quod volebat rem conficere minori ſuorum ſanguinis effuſione.

Luſitanus parat ſe ad ſoluendam Burgenſis arcis obſidionem, & Centifontani Comitis cum Luſitanis pugna tumultuaria.

Capvt IV.

AEdis munitione obtenta promouentur arci ſtationes, obſeſſi anguſtius laborant. Noſtris accreſcit potiundæ arcis fiducia, illis propugnandi deſperatio. Eſt in medio arcis impluuio profunditatis immenſæ puteus, vnica obſeſſorum aquationis ſpes. In hunc rex imperat à ſex partibus agere cuniculos. Quos cum hoſtes præſentiſcerent, cœperunt & ipſi tranſuerſarios effodere. Neque ſegnior in viſceribus terræ oppugnatio erat, quam in ſubdialibus. Sed eorũ qui obſidebantur, eo deterior conditio erat, quod numerus cotidie imminuebatur, creſcebat rerum omnium penuria. Eos tamen vnica fouebat auxilii ſpes quod à Luſitano expectabant, idq; cum viderent differri, mittunt litteras cum mandatis ad Areuacorum Ducem, ſignificantes, in quanta rerum omnium difficultate verſarentur, futurumque, vt non poſſent diutius obſidionem hoſtium ſuſtinere. Habebat Areuacorum Dux in ciuitate illa complures clientelas, tum per ſeipſum partas, tum à maioribus veluti hæreditario quodam iure ſuſceptas, ex eo tempore quo arx ſub fide publica fuerat ab Hiſpano Principe Stunicarum familiæ credita. Erat illius arcis præfectura non ſolum honorifica, ſed etiam firmiſſimum ſui patrimonii fundamentum, quod alioqui ab Aquilone in Auſtrum per totam Hiſpaniæ latitudinem diffunderetur. Is itaque cum accepiſſet, præſidiarios ſuos in tanta rerum omnium anguſtia verſari, dat eidem Ioanni Sarmento litteras cum mandatis ad Luſitanum, quibus facit illum omnibus de rebus quæ apud Burgos gererentur, certiorem: quodque ſi caſtellum illud, à quo, tanquam à capite, Hiſpaniæ regnum Caſtella eſt cognominata, in hoſtium poteſtatem deueniret, ſe non modo facturum grandem patrimonii ſui iacturam, ſed neque ipſum quidẽ facile regnaturum, ſi ex regni culmine deturbaretur: cum præſertim vtriuſque partis fautores, & qui ſe indifferentes continebant, in hoc vnum certamen oculos cõiecerint, ſpectantes, quem fortuna rerum ſequatur euentum, haud dubium, inclinaturos omnes ad victorem ſtudia ſua. Quare ipſum orabat obteſtabaturque, vt obſeſſis quamprimum ferret ſuppetias, niſi mallet hoſtibus cum regni poſſeſſione victoriam tradere. Stimulatus eo nuncio Luſitanus, reputans ſecum vera eſſe omnia quæ ab Areuacorum Duce dicerentur, tametſi habebat copias imminutas ex eo numero quem à principio belli ex Luſitania ſecum adduxerat, quod pars ſuorum deſiderio ex longa mora in patriam redierat, pars ex cœli mutatione morbo erat extincta, pars in tumultuariis quibuſdam pugnis profligata, ſtatuit tamẽ quantum poſſet exercitũ contrahere, opemq; obſeſſis ferre, anteaquam de facienda deditione cogitarent. Tauroq; profectus Areuacum ſe cum præſenti exercitu contulit, cui ſe Archiepiſcopus Toletanus & Villenas Marchio coniunxerunt, perpulchre aliquot inſtructas cohortes ſecum adducentes, eidemque non modo auxiliares manus, ſed etiam fidem ſuam iterum addixerunt, ſeque non agnituros alium Hiſpanorum regem atteſtati ſunt. Erat illa tempeſtate regina Valladoliti, quæ facta certior de aduentu hoſtis Areuacum mittit præfectos cum cohortibus ad loca finitima, Gutterium Cardenium quæſtorem ſuum maximum Methymnam ad campum, Ioannem Syluium Comitem Centifontanum Vlmetum, qui non paterentur Luſitanos libere per agros vicoſque excurſiones facere. At Centifontanus Comes iuuenili ardore commotus egregium aliquod facinus moliri non deſinit, rectaque Areuacum profectus, vbi ſe Luſitani cõtinebant, in condenſo quodam ſpineto inſidias collocat, mittit excurſores qui agros populentur. Quos ingentem præ ſe agentes prędã Luſitani facta ex oppido eruptione è veſtigio inſequuntur, quoad ventum eſt in inſidias. Vnde Comes prodiens iubet ſigna inferri, anteaquam ſubſidio augeretur hoſtium numerus, qui haud dubie erant adhuc multo plures. Militum ſententia fuit anceps. erant enim qui dicerent cedendum eſſe tempori, propterea quod omnia eſſent hoſtibus ſuperiora, numerus amplior, ex quiete peditũm equitum equorumque recens alacritas, à tergo ſubſidia in horas ſuccedentia: noſtris vero militum paucitas, ex noctis heſternæ laboribus corporum laſſitudo, auxiliorum præterea nulla ſpes. Quare canendum eſſe receptui cenſebant, anteaquam hoſtes ab exploratoribus cognoſcerent, non eſſe diſpoſitas, quas timerent, alteras inſidias. Alii dicebant turpem eſſe fugam, neq;

committendum, vt Lusitani aliquando possent dicere, Hispanos ab ipsorum conspectu fugisse. Dum tempus consultando teritur, iam vltimis nostrorum excursoribus primi Lusitanorum instabant, neque poterant pauci multorum impetum sustinere. Missi qui ferrent opem laborantibus, crescunt vtrinq; paulatim auxilia, donec totis viribus pugnari cœptũ est. Editur strages maxima. Comes vero cernens hostiũ auxilia increbrescere, suos vero partim occisos, partim vulneratos, partim ex multo labore defessos, in proximã se verrucam recipit, collectisq; ex pugnis reliquiis Vlmetum contendit. At Lusitani nõ incruenta victoria potiti, cum erepta ex hostibus præda spoliisque Areuacum rediere.

Regina Lusitanum Burgos euntem subsequitur, Pallantiaque residet. Comes Beneuentanus Baltanasii capitur.

CAPVT V.

LVSITANVS interim non cessat partium suarum fautores, vt ad præscriptum diem sibi adsint, conuocare, & quam maximis copiis ferre opem obsessis festinent, hortatur. Ipse cum Archiepiscopo Toletano & Marchione Villenati Pinnam fidelem, quod erat Comitis Vrenati oppidum, proficiscitur, vt illic auxiliares copias exspectaret. At regina eius rei facta certior Pallantiã ire properat. Erat in comitatu illius Cardinalis Hispanus, & Archithalassus, Comesque Beneuẽtanus, & alii complures Hispanorũ viri principes. Dimittitque exploratores & excubias, qui captent hostis consilia, vt quum primum iter arripuerit, faciant se certiorem, vt illum à tergo insequeretur, si Burgos ad soluendum obsidionem ire contenderet. Simul etiam, vt hostibus commeatus intercluderet, disponit præsidia in locis Pinnæ Fideli finitimis, inter quos erat Baltanasium oppidulum neque arte, neque natura satis munitum, sed muro semiruto, fossaque non bene eruderata. Hoc sibi Comes Beneuentanus præsidio suorum collocando deposcit, vnde multa incommoda hostibus inferre posset. Stationes in locis iniuriæ obnoxiis disponit, vigiles circitoresque distribuit, ne aduentu hostium repentino opprimatur, alioqui erat animo tam excelso, vt nihil à partis aduersæ copiis omnibus formidaret. Socii vero, clientes, familiares, & amici Comitem hortabantur, vt locum non multo negocio munitum desereret. Neque enim Lusitanos quieturos quoad illum ex munitione tam propinqua deturbent, idque haud difficulter effecturos, quando tot aditus oppugnationi paterent. Sed ille neque precibus neq; exhortationibus vllum reliquit locum, quin potius in incepto perstãs, excursores cotidie mittit qui populentur agros, pabulatores, lignatores, frumentatoresque intercipiant. Atqui Lusitanus videns se ab hostibus contemni, paucosque intra macerias parietesq; potius quam muros se continentes commeatus sibi intercludere, decernit castellum oppugnare, atque tam insigne opprobrium ex oculis tollere. Arripit iter nocte intempesta, atq; sub lucem per ruinosas murorum partes castellum agmine octipartito iubet oppugnari. Muri erant fornacei ex terra sine calce, quos longa dies & ruina cœli deiecerant, magnaq; ex parte per interualla nudauerant incolas. Eos aditus Lusitani inuadunt: Stationarii milites vigilum circitorumq; clamore excitati ad loca sibi designata accurrunt, seq; ab hostibus non tam muro quam acie defendũt. At Comes hortatur suos, quemque nomine proprio cum honoris præfatione appellans stationes circuit, laborantibus auxilia submittit. Hinc spes oppidi capiundi, illinc desperatio, si hostis admittatur, vtrorum animos irritat, neutris pedem referentibus. Editur vtrobiq; strages maxima, vis vi repellitur. Atq; ita partim instando, partim cedendo pugnatum est ad horas vespertinas. Bis Lusitani fuerant intra munitiones recepti, bisque sublato clamore Beneuentani hostem in murorũ ruinas deturbant. Sed tandem per muri partem diffractam irrumpũt Lusitani, obstantes impellunt, fundunt, fugantq; per vias, omnia disturbãt. Comes cum paucis ex suorum numero angiportum quendam occupat, vbi fortiter pugnans vulneratur, capiturq;. Lusitanus ea victoria spoliisq; superbus, cum Comite aliisque principibus viris quasi in pompa triumphali præmissis, Pinnam Fidelem rediit. Eam calamitatẽ rex & regina magis quam pro materia ægre tulerunt. Nam præter id quod Pimentelorũ familia est in Hispania facile princeps, Comesque ipse per se vir ingentis animi, atq; rei militaris peritissimus, talem amicum tamq; obsequentẽ suæ partis socium amisisse, non poterant non dolere. His duabus cladibus per præfectos acceptis, regina secũ reputans, hosti ex victoria elato creuisse animos, simul etiam quod rumor increbrescebat, illũ habere iter ad Burgensis arcis obsidionem soluendam, contrahit præsidia quæ per locos hosti finitimos disposuerat, vt cum primum ille castra moueret, ipsa è vestigio consequeretur, copiasq; suas cum mariti regis exercitu iungeret, aut ex communi consilio alter à fronte, alter à tergo ho-

go hoſtem ancipiti pugna diſtraherent. Rex quoque non ceſſat interea obſidionem vrgere, tormentis ac machinis munitiones percundere, cuniculos in arcem agere. At Luſitanus videns noſtrorum vigilantiam, alterius in obſidione premenda, alterius in auxiliaribus copiis vndique contrahendis, ſeque duobus exercitibus futurum imparem, ſi foret illi collatis ſignis cum hoſte decernendum: ſimul etiam, quod audiebat, Zamoranos velle ad hoſtes deficere, diuertit ab inſtituto itinere, vt Zamoram Taurumq; validiori præſidio firmaret, putans illas duas vrbes eſſe regni futuri vel maxima fundamenta, propterea quod erant & ciuibus frequentes & Luſitaniæ ſuæ confines, eoque conſilio Areuacũ rediit. Erat Areuacorum Ducis coniux Leonora ex Pimentelorum familia, Beneuentani Comitis ſoror patruelis, quæ illis temporibus non modo omnem Ducatus adminiſtratione ſuſtinebat, ſed etiam coniugis affectus moderabatur. Ea cum Luſitano agit, quemadmodum Comes cum ſociis qui in eadem fortuna fuerunt, ex fide quam victi victoribus dederant, ſoluerentur, ea conditione vt partis aduerſæ arma non iuuarent. Dantur obſides Comitis filius primogenitus, tria oppida ornatiſſima ſequeſtro ponuntur, Maiorica, Portellum, Villa alba, quæ Luſitanus firmiſſimo præſidio inſtruxit. Comes itaque ſolutus fide, tametſi magnis conditionibus inuitaretur, vt ſtudia ſua in Luſitanũ transferret, noluit acquieſcere, ſed in reliquum belli tempus medium ſequeſtremque ſe exhibuit.

Marchio amiſſa Ocania quam præſidio tenebat, Luſitanum hortatur, vt traiectis montibus ad Carpetaniam veniat.

CAPVT VI.

ANNO inſequenti, qui fuit à ſalute Chriſtiana ſextus & ſeptuageſimus ſupra milleſimum quadringenteſimum, in ipſo ſtatim anni exordio, Ocanienſes quibus Marchio grauiſſimum impoſuerat præſidium, cœperunt agere cum Centifontano Comite, cumque Ioanne Ripario qui eo tempore Toleti cõmorabatur, de tradendo per illos municipio regi & reginæ, modo ipſi ad tempus adeſſent cum exercitu. Atque imprimis oppidanos ob ſuſpicionem domo pulſos à Marchione reuocant, vnoque omnium conſenſu præſidiarios milites oppido pellunt. Accurrunt ex templo à Centifontano Comite ſubſidia, quem ſequitur cum Toletanis cohortibus Ioãnes Riparius. Regina eius rei facta certior oppidum Roderico Manriquo Spathiferorũ Magiſtro tradi iubet. Hoc nuncio permotus Marchio, ſimul etiam videns opes maximas & patrimonium quod à patre acceperat ampliſſimum indies minui, commeatum à Luſitano petit, & quam maximis poteſt itineribus in Marchionatum ſuum peruenit, vbi comperit omnia multo deteriori conditione quam ex nuncio acceperat. Vrgebat illum omni ex parte hoſtis acerrimus diui Iacobi militiæ Magiſter, nitebaturque paucis oppidulis quæ ſupererant, ſpoliare. In qua rerum omnium difficultate poſitus dat literas ad Luſitanum, commemorãs quanto ſtudio & fide ſit illius ſigna ſecutus, quodque ſibi pollicitus fuerit eo tempore quo illi vxorem nuptui tradidit, ſe pro illius capite ac fortunis dimicaturum, neque paſſurũ, vt quicquam detrimenti pateretur, non etiam ſi ſciret omnes vires ſuas fortunæ belli opponere: addebat inſuper, quod noluerit ſequi partis aduerſæ duces, quanquam magnis cõditionibus inuitaretur: nunc vero eo ſe calamitatis deueniſſe, vt parum abſit, quin non omne patrimonium à ſuis maioribus acceptum amittat. Quam iacturam non tam eſſe ſuam, quam ipſius regis, ad quem pertinebat ſuarum partium ſtudioſos tueri, atq; ſeruare incolumes. Itaque orabat obteſtabaturq; regem, vt cum exercitu copiiſque omnibus quamprimum Taurinos montes traiiceret, conferretq; ſe Madritum, quod oppidum cum arce ipſe præſidio teneret. futurum namq;, vt inde commodius aſſequeretur quod concupiebat. Erant namq; in ea regione Madrito proximi Archiepiſcopus Toletanus, atq; Magiſter à Calatraua, qui eſſent in tota prope Carpetania facile principes, ſuas quoq; vires non eſſe adeo exhauſtas, vt ex cæde quam eſſet hoſtibus illaturus, non ſequeretur ſanguis. Quod ſi Madriti vellet conſidere, fore vt Ocania imprimis recuperetur, atque deinceps Toletani, ac totius Carpetaniæ Luſitaniæq; proximę vrbes, municipia, & caſtella ſe illius fidei maieſtatiq; dedant. Eſſe prętere a in Bætica Marchionem Gaditanum, qui Aſindum armis & equis oppidum perquam nobile firmiſſimo teneret præſidio, & Alphonſum Aquilarẽ, qui Cordubam, qua nulla eſt in Bætica ciuitas equitatu frequentior, quaſi vnum è ſuis municipiis poſſideret, vtrumq; duarum ſororũ viros, vtrumq; rei militaris peritiſſimum. Eſſe alios complures, qui cum primum audierint ipſum cum præpotẽti exercitu in Carpetania cõſediſſe, declaraturi eſſent animi ſui ſenſum quẽ antehac occultauerint. Quod ſi ſuis rebus afflictis vltimæq; neceſſitati non opitularetur, neminẽ eſſe tam perditum, tamq; con-

ſilii inopem, qui vellet ſequi ducem cuius animum ſuorum cura non teneret. At Luſitanus exhortationes querelaſque Marchionis ad proceres ſenatumque ſuum refert, illorumque ſententiam exquirit. Omnibus viſum nullo modo illi montes eſſe traiiciendū, afferebantque rationes complures, cur illud neq; cogitandum quidem eſſet, atque illam imprimis, quod ſemper is habitus eſt Hiſpaniarum rex, qui poſſideret citerioris Hiſpaniæ oppida Valladolito & Methymnæ adiacentia, in qua ipſe obtinebat duas vrbes, & ſitu & ciuium frequentia munitiſſimas, atque Luſitaniæ ſuæ finitimas, Taurum, Zamoramque, quas haud dubie videbatur ire perditum, ſi præſidia inde transferret, aut cum exercitu longius diſcederet. Quid quod omnes interpretarentur illam non diſceſſionem, ſed fugam, cum eſſet hoſtis in conſpectu, iam iamque decernendum eſſet ferro, vtri Deus victoriam vellet tradere. Reſcribit itaque Marchioni, vt conſuleret interim rebus ſuis qua ratione melius poſſet, ſe daturum operam pollicetur, vt cum primum per temporis occaſionem poſſet, omnia damna reſarciantur, amiſſa reſtituantur, ſeq; illum amplisſimis beneficiis cumulaturum. Hoc Luſitani reſponſo conſternatus Marchio, cœpit animo fluctuare, occaſionemque, modo honeſte poſſit, ad regem, reginamque deſciſcendi quærit, modo ſibi amiſſa, ex quo Luſitanum ſequi cœpit, reſtituantur. Erat eo tempore Tauri Luſitanus, qui cum accepiſſet Zamoranos de prodenda hoſtibus vrbe cogitare, eo profectus coniurationem patefecit, quatuorque ex primoribus oppidanis deprehenſis non eſt auſus in illos iure ſuo vti, metuens ne per tumultum populus concitaretur. Regina quoque videns hoſtem à mittendis ad Burgenſem arcem auxiliaribus copiis deſtitiſſe, & ipſa Valladolitum rediit, præſidiaque, quam maxime poteſt, in vicinis locis diſponit, ne libere per agros vicoſque Luſitani vagarentur. Neque ceſſat interim blanditiis, donis, pollicitationibus, precibuſque aduerſæ partis ſectatores pellicere.

Zamorani pontis atque vrbis præter arcem Ferdinando facta deditio.

Capvt VII.

Erat Zamorani, pontis præfectus, quemadmodum in ſuperioribus dictum eſt, Franciſcus Valdeſius, qui fuerat quondam ipſi regi atque reginæ familiaris, & à quibus honoribus ampliſſimis atque muneribus fuerat donatus. Cum hoc agit regina, vt ſibi pontis munitionem tradat, adituſque in vrbem patefaciat. Non abnuit ille conditionem, cum Petro Mazarieco quem ipſe pontis præfecturæ ſubſtituerat, de re commentatur, qui cum eſſet vir bonus, idemque pacis amator, Franciſcum impellit, vt reginæ per omnia obſequatur. Conſtitutum eſt, vt rex ab obſidione Burgenſi adſciſceretur, ſine quo tantam rem non poſſe peragi exiſtimabatur. Neque enim ſola modo pontis munitio, ſed & tota ciuitas cum Luſitanorum Principe vna opera videbatur tradi. Huius conſilii perpauci fuere conſcii. Rex eius negotii factus certior, ſimulat ſe minus recte valere, & quo valetudinem ſuam commodius curare poſſet, velle ſe intra cubiculum ad paucos dies continere. Obſidionis curam fratri notho reliquiſque primoribus qui cum eo tunc erant, communicata re commendat. Ipſe cum duobus tantum ex familiariſſimis, de media nocte Valladolitum arripit iter. Nec latere potuit Luſitanum ea res, ſiue quiſpiam ſecretum prodidit, ſiue quod audiebat exercitus ab hoſtibus conuocari, ſiue quod multis ſuſpicionibus non nimium fidebat iam Franciſco illi Valdeſio. Quem iubet rex ad ſe accerſiri. Reſpondent ſui, abiiſſe neſcio quo. Statuit ea nocte ſiue dolo ſiue viribus pontis munitione potiri. Mittit Ioannem Porrium qui erat Valdeſii propinquus, atq; omnium conſiliorum ſocius, qui diceret Petro Mazarieco qui præſidio pontem obtinebat, aperiret pontis aditus, ſimulans ſe ea nocte milites trans flumen velle mittere qui hoſtium fines popularentur, re autem vera, vt intra munitionem recepti, præſidem cum præſidio loco deturbaret. At præſes id quod erat ſuſpicatus, reſpondet non eſſe illud tempus quo deberent armati intra arcem recipi, ſe tamen poſtridie ſub lucem imperata facturum. Quod reſponſum tametſi viſum eſt Luſitano ſuſpicionis aliquid habere, expectat tamen euentum rei propediem declarandum. Interea præſes ex immani lapide ducit alterum murum à parte munitionis interiori, quæ ſpectat vrbem, nunciumque ad Ferdinandum regem mittit, qui dicat conſpiratione̅ eſſe detectam, Luſitanoque eſſe in animo pontem oppugnare. Quamobrem properaret ferre ſuppetias, niſi mallet cum ponte ſpem omnem potiundæ vrbis amittere. Prima luce mittit Luſitanus Ioanne̅ illum Porriū cum equitibus centū cataphractis qui iuſſa exequerentur. Qui cum ad pontis primum acceſſiſſent caput, ſagittis, ſclopetris lapidi-

lapidibusque pulsi fugatique sunt, inclamatumque est à præsidiariis, Ferdinandum atque Elisaben se agnoscere Hispaniarum principes, at præterea neminem. Quæ vox cum ad Lusitanum perlata esset, ira percitus omnes ad arma vocat, ipseq; armatus adest, pontemque omni tormentorum genere oppugnari iubet. Milites vero partim indignatione, partim sui regis pudore, partim formidine commoti, testudine adacta, munitionis portas incendio corripiunt, putantesque nihil esse aliud quod aditus intercluderet, non sine maxima clade irrumpunt. Cumque negotium sibi iam confectum existimarent, offendunt alterum murum à parte munitionis interiori. Pugnatur vtrinque vehementer, hi vt vallum quod obsistebat demolirentur, illi vt vallum cum vita propugnarent. Lusitanos tamen ab incepto arcebat fumus ex incendio quod ipsi portis admouerant, quodque ex tanta ipsorum multitudine cum pauci pugnarent, plures vulnerabantur. nullum namque telum erat inane, cum ediuerso Pontani præter laborem sudoremque defendendi, nullum aliud detrimentum ab hostibus acciperent. Durauit ea oppugnatio à prima luce ad horam eius diei vespertinam, cum interim Lusitanus non suorum strage permotus, non quod tanto dispendio nihil proficiebatur, suos exhortari non cessat, quemque ex amicis nomine appellans, stimulosque admouens, increpans etiam segniores, quæ res illos haud dubiam in mortem adigebat. Atq; illum sic affectum Archiepiscopus Toletanus hunc in modũ alloquitur. Non est mihi ignotum clarissime rex, indignationem istam in proditores illos esse iustissimam. Sed quid opus est tanta sanguinis effusione, vbi nihil proficitur? Quod si te in vltionem ira præcipitat, non minus commiseratio in tuos reuocare debet. Audiui ego quendam ex numero illorum septem quos Græcia iactat sapientes, dicere solitum, victoriam non esse optandam quæ sanguine constatura esset. Quid igitur ille diceret de pugna quæ sine effectu cruore redundat? Vides quanta fiducia, vel constantia potius, patientiaq;, rebelles illi pontis munitiones tueantur. An putas id facturos fuisse, aut te præsente tale aliquid ausuros, nisi expectarent quam celerrime sibi auxilia missum iri? Noui ego hostium mores, neq; omissuros tantam sibi oblatam occasionem. Quod si à me, Princeps optime, sententiam exigis, censeo tempori cedendum, neque expectandum quoad hostes robore ac numero plures intra mœnia recepti sint, neque arbitror cum illis esse pugnandum per vrbis vias, per domos, perque religiosa Deorum templa, cum præsertim habeamus ipsos ciues nobis infensos, atque in partis aduersæ studia pronos. Lusitanus hac Archiepiscopi oratione persuasus iubet ab oppugnatione receptui canere, timensque ne quid per tumultum populus auderet, conclamatis vasis imperat suos omnes in armis excubare, comportatisque in arcem sarcinis, omnique preciosa supellectili, de media nocte cum noua coniuge Taurum proficiscitur. Quem secutus est Porrius ille Ioannes, veritus iram Principum, quos iampridem offenderat. Vix dum Lusitanus discesserat, cum euestigio Aluarus Mendozius cum exercitu per alteram portam vrbis ingreditur, Lusitanorumque reliquias per totam ciuitatem sparsas explorat, spoliat, comprehenditque, quorum bona pars se cum omni re sua in ædem recipit maximam. At Mendozius templum obsidione cingit, summisque viribus oppugnat: illi contra se acriter defendunt. Adest sub lucem ipsam Ferdinandus ipse rex, cum Archithalasso, Duceque Albano, aliisque principibus viris eiusdem causæ studiosis. Quos Lusitani cum cernerent intra mœnia receptos, cœperunt ipsi priores de deditionis conditionibus agere, vt sospites cum rebus quas possent comportare secum, dimitterentur. Quod rex clementissimus haud difficulter indulsit, & quod natura mitissimus erat, & quod nolebat in tam parui momenti negotio tempus consumere, cum præsertim ad arcis oppugnationem cui potissimum intendebat, ecclesia illa, quod arci proxima erat, plurimum conducebat. Lusitani facultate abeundi data, se cum bonis suis omnibus ad regem suum conferunt. Quos vt consolaretur, simulat fiduciam, simul etiam vulgo iactare cœpit, totum hoc regni potiundi negotium non constare capiendis amittendisque arcibus, castellis, aut vrbibus, sed vno prælio, in quo decernendum foret in Hispania regnaturis: mittitque continuo ad filium Lusitanorum Principem designatum literas cum mandatis, quibus imperat, vt omne Lusitaniæ robur in vnum exercitum contrahat, sibique quam cum maximis possit copiis, cum primum euocaretur, adsit. Rex vrbe potitus, Metati bona Ioannisque Porrii aliorumque rebellium publicat, atque imprimis murum vallo fossaque munitum inter arcem & vrbem duci iubet. A parte quoque vrbis extima vndecim munitissimas stationes disponit, firmissimisque præsidiis instruxit. Imperat præterea ex locis finitimis omnia tormentorum machinarumque genera comportari, & reliqua omnia parari quæ obsidioni oppugnationique futuræ vsui forent.

Burgenſis arcis obſeſſio continuatur, & quæ ab vtraque parte fiunt, exponitur.

CAPVT VIII.

DVm hæc ad Zamoram geruntur, Burgenſis interim arcis oppugnatio non ceſſat, ſed neque præſidiorum crebræ in obſeſſores vrbemque eruptiones, vnde crebri ab vtraque parte milites cadebant. Sed cum viderent obſeſſi ſuorum numerũ cotidie minui, hoſtium vero augeri, decreuerunt ſe intra munitiones continere, rem ſatis magnam ſe facere arbitrantes, ſi fidei ſuæ arcem commiſſam tuerentur. Quæ res obſeſſores admonuit, ſtationes arci ad iactum lapidis admouere. Ex qua vicinitate orta eſt ab vtraq; parte colloquendi familiaritas, illis iactantibus ſe in dies Luſitani auxilium expectare, idq; ſe pro cõperto habere, Gallorum quoq; regem aduentare cum ingentibus copiis, populaturumq; Vaſconum Cantabrorumq; fines, tandem longa obſidione feſſis opem laturum, quæ ſpes faciebat eos obſtinatiores, inclamitabantq; diu noctuq;, voce quadam Stentoria geminantes identidem Alphonſi atque Luſitaniæ nomen. At noſtri contra, O ſtulti, dicebant, qui ab vſque Luſitania expectetis auxilium in Cantabrorum finibus poſiti, qui in Gallorum leuitate ſpes veſtras poſueritis. O perituri, atq; temeritatis veſtræ pœnam propediem luituri, non pudet vos pro illis ſtare, quorum maiores maioribus veſtris ſemper fuere hoſtes? Ecquis putaret Zamoranos Luſitaniæ finitimos paucorum potentia oppreſſos ad nos deſciuiſſe, Burgenſes vero Caſtellanorum columen à ſuis Principibus Caſtellanis ad Luſitanos deficere? Reſipiſcite miſeri ciues, atque ad vos tandẽ redite, reuocate in mentem veſtram vulnus quod vobis cotidie obiicitur, ſub Ioanne primo horum Principum noſtrorum proauo acceptum. Qui cum Beatricis vxoris dotali iure regnaturus eſſet, vſq; adeo Caſtellæ Caſtellanorumque nomen illis fuit odioſum, vt potius ſint paſſi Magiſtrũ Auiſium, quamuis nothum & ex profeſſione fratrem religioſum, nihilque ad illum regni adminiſtratione pertinente, in Luſitania regnare, quam regem Caſtellanorum ipſis præſidere. Nunc vero vos cum habere poſſitis regem Caſtellanum Caſtellaniſque regibus procreatum, coniugalique fide cum vera indubitataque Ioannis ſecundi regis filia, legitimaque hærede, potius ſequimini generis inuiſi regem, præſertim coniunctum matrimonio vxori ex turpi adulterio conceptæ? Qui neque vobis auxilio eſſe poteſt, neque veſtris laboribus quos ipſius nomine exantlaſtis, gratiam referre, qui ex medio itinere, cum ad vos laturus auxilium properaret, noſtrorum Principum timore reuocatus Zamoram quaſi ex limine ad ſui regni latebras fugiturus ſe recipit, atque inde iterum pulſus Taurum, hoc eſt ad latronum ſpeluncam, potentiſſimus iſte rex veſter aufugit. Circumſpicite demum ô miſeri ciues, & cernetis bonam murorum partem tormentis machiniſque labefactum impendere, quæ ſi vos deſtituerit nudos, ſatiabitis, opinor, ſanguine veſtro inimicorum hoſtiumque oculos, atque vxoribus, natis, cognatis, affinibuſque ſpectaculum perquam triſte exhibebitis. Itaq; dum licet, ad victorũ potius clementiam miſericordiamque confugite. Mitiſsimi ſunt, erroribus veſtris ignoſcent. Neque vos ſolum vobis reique publicæ veſtræ, ſed & opes, dignitates, & omnia ornamenta veſtra reſtituent atq; etiam fortaſſe cumulabunt. His vocibus obſeſsi viſi ſunt paulum acquieſcere. Videbant namq; propemodum vera eſſe quæ ab hoſtibus dicerentur, atq; illud imprimis, quod muri pars maxima ruinam minabatur, quodq; auxiliorum nulla ſpes certa eſſet, quodque commeatus in dies minueretur. Erant tamen qui dicerent, potius illis eſſe parendum, quam faciendam turpem deditionem. Alii non poterant adduci, vt putarent ſe auxilio ab Areuacorum Duce deſtituendos, aut conſilio ſaltem, aut admonitione quid eſſet illis faciendum. Plærique tamen cenſebant non eſſe illis vltimam neceſſitatem expectandam, cum victor daturus eſſet, quas vellet conditiones, non quas victi peterent. Dum tẽpus conſultationibus teritur, pars muri ad longitudinem paſſuum viginti repente corruit, alterumque patefecit, quem illud ipſum metuentes, in ſubſidium ex terra fecerant, qui & ipſe cum tormentis pertundi cœpiſſet, alterius muri collapſi pars impediebat, quo minus ſolo æquaretur. At præſes animo iam conſternatus, quod neque muri poſſent illum ab hoſtibus dirimere, quodque præſidiarii milites partim vulneribus, partim languore, partim laſſitudine, atque ſimul omnes cunctarum rerum penuria laborarent, cœpit aſſentiri illis quorum ſententia fuerat, agendum eſſe conditionibus quibus ſe victori dederent. Conuocatoq; ad id Comeſtabili, cui rex diſcedens fratriq; notho ſummam belli commiſerat, pacti ſunt ſe tradituros arcem, ſi à rege reginaque vitæ incolumitate atque erroris venia & bonis amiſſis donarentur. Sub his pactis conuentis regina ex Valladolito accerſitur, illa properanter Burgos venit, arcẽ recipit, rebelles venia condonat

donat,illiſque bona reſtitui iubet. Compoſitiſque ciuitatis clariſſimæ rebus, Valladolitum redit,atque inde Tordeſellas, vt eſſet hoſti propior, ad incutiendum terrorem, capiandumque quid ille conſilii caperet, & qua ratione cum illo eſſet belligerandum. Per idem tempus venit eodem Petrus Stunica Ducis Areuacorum filius primogenitus, qui diſſidebat plurimum à via cui pater inſtiterat. Nam & ipſius obſequia in Regem Reginamque fuerant non obſcura,ſemperque de illis bene ſentiebat, honorificeque loquebatur,quod ipſum Princeps non latebat. Is,cum primum facta eſt Reginam alloquendi copia,cœpit exponere quanto ſtudio ac diligentia,quanta obſeruantia & pietate regalibus iuſſis obtemperauerit, quodque nihil vnquam reliquerit faciendum quod putaret ad ipſius Reginæ Regiſque ſtatum pertinere,eaque fiducia venire dixit, vt peteret patri veniam,ne filio plecteretur parentis culpa, ſi culpa dicenda eſſet, quæ ſenectutis delirio ſit commiſſa:addebat quoque id quod omnibus erat compertum, iam pridem illum fragilitatis propriæ conſcium, omnem rei domeſticæ curam adminiſtrationis ad vxorem quæ ſibi eſſet nouerca tranſtuliſſe. Ea quoque Ioannem filium ab Alcantara Magiſtrum ordinis Ciſtercienſis faceret,omne fas atque nefas, omnia iura diuina ſimul & humana miſcuiſſe, omne Ducis patrimonium, vt id conſequeretur,diſſipaſſe, omnemque totius familiæ ſtatum qui non ad illam,ſed ad ſeipſum pertineret, ſæpe maximis periculis obieciſſe. Nunc vero dicebat ſe veniſſe miſſum à patre qui illius nomine ſua omnia poneret in ipſius Reginæ poteſtate,vt omnibus rebus quæ ad ſe, quæ ad patrem, quæque ad nouercam pertinerent,pro arbitrio ſuo vteretur. At Regina tametſi ad condonandos errores erat paulo duriuſcula,tamen habita ratione ipſius Petri ad quem ſpectabat familiæ illius hæreditaria ſucceſſio, quodque pater ſenio confectus omnem domus atque voluntatis ſuæ adminiſtrationem ad vxorem tranſtulerat, quæ cupiditate quadam omnibus parentibus ingenita filios extollendi viam illam inuaſit,omnes venia condonauit,ſibique eo beneficio reddidit impoſterum obſequentiſſimos. Areuacum eo pacto recuperatum eſt,Ducatus titulo in Placentiam ciuitatem tranſlato. Magiſtratus Ioanni filio cum inſignibus & titulo confirmatus,quem ob ſuffragatorum diſcordiam,ad ſedem apoſtolicam conferendi iure deuoluto,ſummus Pontifex illi contulerat. Dictum eſt in ſuperiori parte Ludouicum Galliarum Regem cum primum Ferdinandus & Eliſabe regni adminiſtrationem adierunt,renouaſſe cum illis antiquum fœdus quod fuerat à multis annis inter Gallorum Hiſpanorumque principes obſeruatum. Sed cum poſtea vidiſſet inter Tarraconenſem Luſitanumque de regni ſucceſſione diſceptari, iniecit animum in Ruſcinonis Comitatum quem Ferdinandus à Ludouico petebat debere reſtitui, repudiatoque priori fœdere cum Luſitano fœdus nouum percutit.Quos cum videret bello implicitos,ratus illud eſſe tempus rei bene gerendæ,bellumque hoſtibus inferendi, compoſitis cum Britannorum Rege ſimultatibus, mittit OEaſonem armatorum quadraginta millia,qui Vaſconum fines Hiſpaniæ contributos ferro ignique vaſtarent, imprimiſque caſtellum & loci ſitu & hominum ſtructura munitiſſimum, fontem Rabiam noſtro ſæculo indigenæ appellant, quod in ipſo Hiſpaniæ citerioris Aquitanicæque Galliæ collimitio ſitum eſt, habens portum in ſeceſſu Britannici maris, atque à latere flumen nomine Alduidam, quod in Cantabrorum iugis erumpens, caſtellumque præterfluens, in ipſum portum influit. Itaque Galli traiecto flumine, quod per æſtus reciprocationem non erat difficile,vicos populantur, caſtellaque finitima diruunt. Erat ea tempeſtate Regina Burgis (nam Rex interea Zamoranam arcem obſidione premebat) quæ facta rerum omnium certior, mittit cum equitatu Iacobum Sarmentum Comitem à Salinis,cum facultate habendi delectus, conuocandique ad arma finitimos, & comportandi commeatus,faciendique alia quæ forent vſui ad bellum gerendum. Ipſa præterea mittit literas ad omnes Vaſconum Cantabrorumq; & Aſturum populos, vt cuncti ad regni fines ab hoſtibus tuendos confluant,ſeque Salinarum Comiti agglomerent. Ioannem quoq; Gamboam virũ rei militaris peritũ præſidio caſtelli præficit, qui cum mille delectorum militum indigenarum numero ingreſſus oppidum, foſſas eruderat, vallum,ſtationes, turres & murorum propugnacula ſcorpionibus, catapultis, tormentis, machiniſque inſtruit. Neque Galli ſegnius omnia quæ ad oppugnationem caſtelli erant neceſſaria,vndique comportant. Erant cum Gallis ex Vaſconum finitimis gregarii leuis armaturæ pedites complures,qui per anfractus,deuioſque tramites, calleſque occultos,in noſtrorum fines penetrabant,multaque detrimenta inferebant.Horum præfecturam gerebat Ioannes quidam cognomento Purgeta, vir ſtrenuus atque regionum illarum peritiſſimus, qui cum in vico fonti Rabiæ propinquo cum Vaſconibus ad

mille numero conſediſſet,indigenę ſtimulati, partim detrimentis quæ ab illo acceperant, partim quod videbant ſe à tam paucis contemni, collecta manu trium millium leuis armaturæ peditum,nocte intempeſta illos adoriūtur,& ſomno vinoque ſepultos, alios trucidant,alios fundunt,fugantque in Gallorum caſtra quæ non procul aberant. Domum in quam præfectus diuerterat,cum expugnare longum videretur,incendio corripiunt,ipſumque præfectum cum ducentis qui erant cum eo, comburunt, ſeque in fontem Rabiam ad ſuos recipiunt.Tribus millibus paſſuum ab oppido aberant Gallorum caſtra. nā bombardis,colubrinis,ſerpentinis,aliiſque ſulphurariis machinis propius accedere prohibebantur.Itaque ſtatuunt ducere foſſam decem pedum altitudinis,non rectam,ne oppidanorum telis vulnerari poſſent,ſed flectentes nunc ad dextram,nunc ad ſiniſtram. Id oppidani proſpicientes, & ipſi propugnacula contra foſſam opponunt, conſtituuntque non ex loco ſuperiori,ſed ex æquo foſſaque & vallo cum Gallis pugnare,quando loci anguſtia non his magis quam illis faueret.Murorum quoque altitudinem demoliuntur, ne ruinæ ex machinarum concuſſu labefactatæ,in ipſorum propugnatorum capita deciderent.Galli per foſſam illam tortuoſam,vallo & foſſæ caſtelli admotam,non tam oppugnabant,quam in medio veluti campo cum oppidanis confligebant. Ex vicis populiſque finitimis confluebat maxima hominum multitudo, qui ex arduis præruptiſque montium iugis in plana deſcendentes, pugna laceſſebant eos qui tuendis caſtris relinquebantur. pugnatur vtrobique.Galli pro caſtris,Hiſpani pro murorum defenſione,cadunt ab vtraque parte complures.Sed oppidanis creſcebat ſpes,quod laceſſiti non referebant pedem: Gallis deſperatio, quod cum maxima ſuorum clade parum detrimenti hoſtibus inferebant,quodque non poterant obſeſſis auxilia & commeatus intercludere,propterea quod per æſtus pelagi,naues non poterant prohiberi ad muros accedere:ipſi è contrario victus omniumque rerum inopia laborarent, quod ab Hiſpanorum claſſe commeatus ſibi importari vetarentur.Itaque cum dies nouem fruſtra,tumultuariis pugnis potius quam oppugnationibus conſumpſiſſent,OEaſonem redierunt,quod oppidum à fonte Rabia millibus paſſuum viginti abeſt.

Gallorum Rex à fonte Rabia ſuo exercitu pulſo,maiori apparatu obſidionem repetit.

CAPVT IX.

GALLORVM Rex indignatus tantas copias nihil effeciſſe,addit milites duceſq;, addit machinas omnium generum: iubet maiorem commeatus abundantiam comportari,ne ob eam cauſam,id quod antea fecerant,ab obſidione deſiſterent: imperat ne ab oppugnatione diu noctuque ceſſent,quoad negotium conficiatur. Nec minus interea Fonterabiani reditum verentes hoſtium,foſſas faciunt profundiores, muniunt vallos, propugnacula diſponunt,& ſtrenuiſſimum quemq; militem adſciſcunt. Regina quoque mittit eodem grauis armaturæ militum tres cohortes,quibus præficit Xanthum à Campo,Ioannem Lezcanum,Ioannemq; Salazarum, ſulphurariamq; ingentis magnitudinis machinam,aliaq; tormentorum genera,machinarioſq; præfectos,earum rerum peritiſſimos.Igitur cum nuncius attuliſſet,Gallos cum ingenti rerum omnium apparatu aduentare,oppidani magna ſpe attollunt animos,neque ſe intra munitiones continent, ſed machinas & tormenta extra muros diſponunt.Vtrinq; igitur miſſilibus telis,machinarumq; globis lapideis,plumbeis,ferreis,editur vtriſque cædes maxima, ſed Gallis multo maior, quod ex aperto pugnabant. Qui videntes ſuorum coaceruatas cadauerum ſtrages,caſtra reduxerunt ad vicum illum in quo diximus Ioannem Purgetam cum ſociis incendio cōflagraſſe.Is aberat à fonte Rabia quatuor fere millibus paſſuum. Die poſtero Galli negocium repetunt,volentes experiri,an poſſent caſtra propius oppidum metari. At oppidani anfractuum,diuerticulorumq;,& tramitum peritiſſimi,magnam hoſtium partem circūueniunt,atq; ex tutiori loco miſeranda cæde conficiunt,compluresq; cum ſpoliis machinas ceperunt. Galli ea clade conſternati in heſterna ſe recipiunt caſtra,dieq; inſequenti cautius exercitum mouent,vitantq; inſidias,perq; foſſam illam machinas oppido admouent,caſtraq; locant,neque potuerunt ab oppidanis arceri,propterea quod hoſtium numerus erat multo amplior,& ex laſſitudine diei heſterni fatigati ſtatuūt ſe intra munitiones continere,oppidumque modo tueri:atque ita per bimeſtre ſpacium,illi muros,hi caſtra machinis pertundunt,nonnunquam etiam tumultuariis ſe pugnis laceſſunt.

Rex

Rex obsidionem continuat, neq; à Lusitano lacessitus desistit. Tandem Reginæ suasu in certamen descendens, ille non sustinet.

CAPVT X.

Rex interim Zamoræ non cessat hostes obsessos vrgere, atque Metatum alia ex parte blanditiis pellicere, vt tradat sibi arcem, pollicens non modo erroris impunitatem, omniumque bonorum dignitatumque restitutionem, sed etiam maximorum præmiorum accessiones: ex parte alia præconiis & acclamationibus declarabat illum eosque qui cum illo sentirent, infidelitatis, proditionis, læsæque maiestatis reos. Illi vero contra suorum scelerum conscientia, nihil fidum sibi fore putantes, simul etiam quod in horas expectabant Lusitanum sibi auxilio venturum, perstabant inceptis, seque in summa rerum omnium difficultate, patientia obdurabant. Videns itaque Rex tempus longa obsidione teri, iubet machinas validiores aliaque necessaria futuræ oppugnationi comportari. Lusitanus certior factus, ingentis magnitudinis bombardas, aliasque sulphurarias, ligneasq; machinas Zamoram aduehi, omnes copias armari iubet, atque ipse proficiscitur contra, vt illas intercipiat. Exploratum namque habebat, hostis exercitum non esse tantum, qui obsidioni continuandæ, & machinarum subsidio posset sufficere. Itaq; alterum è duobus erat illi necessarium, aut machinas amittere, aut obsidionem soluere. Cumque à Zamora non amplius quatuor millibus passuum distaret, nuncium accepit, machinas omnes iã in hostium castra receptas. Ea spe Lusitanus delusus, mittit caduceatores qui dicant Regi, se venisse vt cum illo armis decerneret, medioq; illum campo expectare, nisi mallet sibi regni possessione cedere, seque in Tarraconensem suam cum coniuge recipere. Iuuenes, & strenuissimus quisq;, ac bello viuida virtus, eam conditionem oblatam libentissime accipiunt, pugnamq; alacri animo deposcunt. At Rex Lusitani mandata refert ad proceres, & quod responsum hosti redderetur, exquirit. Atque imprimis placuit rogare sententiam Comitem Albensem, cuius fides egregia in Principes, prudentia singularis, atque militaris disciplinæ admirabilis quædam solertia fuit. Is pro consuetudine sua, hac breui oratione est vsus. Maluissem ego clarissime Rex aliorum sententiam hac de re prius audire, quã dicere meam. Sed quando præter ordinem à Celsitudine tua iubeor, paucis pro ingenio meo absoluam, quid ego de præsenti negotio sentiam. Si nobis essent duo exercitus, optime Rex, vt altero posses obsidionem hanc continuare, & altero collatis signis cum hoste confligere, adhuc subdubitarem, an vtrumq; certamen nobis esset subeundum, propterea quod victoria propemodum parta fortunæ belli committeretur. Nunc vero neq; copiæ sunt tantæ, vt vtrique negotio sufficiant, neque vllo modo semel incepta obsidio soluenda est. Tu Regum clarissime cinxisti obsidione hanc arcem quæ ad hostes desciuerat Lusitanus cunctis artibus nititur obsidionem soluere. De hoc est inter vos certamen, vt tu perstes in cœptis, ille vero suis opem ferat, quod quia non potest recta efficere, aliam aggreditur viam. Lacessit te ad pugnam, quam si admiseris, ille assequitur quod vult, tu ab incepto desistis: ille fit voti compos, tu operam & impensam perdideris. Neque est quod quis posset obiicere, tibi non esse animum & vires ad decernendũ cum hoste, quãdo quidem non audes credere te campo Martique cõmuni. Immo vero tu, ô Rex, in medio campo stas, hostemque in omnes horas illius arcem obsidens expectas. Quod si tu nõ inuadis illum, cur ipse non inuadit te? Iam vero ex disciplina militari satis constat, illũ esse victorem qui perstat in eo quod semel cœpit. Tu niteris arcem oppugnare, ille vero arci opẽ ferre: de hoc inter vos nunc omnis contentio. Tu igitur victor, si perstas, ille victus, si quod profitetur, non efficit. Atq; vt vno verbo sententiam meam colligam, nullo modo censeo ab hac obsidione cessandum, quoad negotium conficiatur. Eo confecto, tunc poteris libere, quo velis, exercitum ducere, atque alias cohortes quę ad intercludendos hosti commeatus nunc sunt in præsidia distributæ, vt se tibi adiungant euocare. Conueniũt præterea ex obsidione Burgensis arcis copiæ, & quas indies expectas ab amicis tuis auxiliares, & tunc bene iuuante Deo poteris hosti facultatem pugnandi offerre. In hanc Albensis Comitis sententiam, quia videbatur tempori accommodatior, omnes pedibus manibusque ierunt. Per caduceatores vero responsum est Lusitano, si cordi illi erat acie decertare, veniret opem suis laturus, & à parte vrbis extima experiretur armis, vter exercitus foret superior. Nam Regi statutum esse in obsidione persistere quoad expugnaretur arx, pœnasque ab iis qui illam præsidio tenerent exigere. Lusitanus videns se delusum ea spe qua fuerat egressus, Taurum rediit, expectans Zamorensis obsidionis euentum, simul etiam & copias quas filius Princeps erat ex Lusitania ducturus. Complures interea

frumentatorum,pabulatorum,lignatorum,exploratorumque vtriusque partis occursationes atque pugnæ tumultuariæ fiebant,in quibus nunc hi,nunc illi euadebant superiores,nunc illatis acceptisque vulneribus mutua cæde conflictabantur. Vnum tamen prælium non est silentio dissimulandum,quod ab Hispania duce Aluaro Mendoza,à Lusitania Comite Pinnamacorio commissum peractumque est. Nam cum ad intercipiendos hostium commeatus hi à Tauro, à Zamora illi fuissent progressi,atque se in medio campo procul conspexissent,tanta ferocia inuicem irruerunt,adeoque obstinate pugnam ad horas quatuor produxere, vt neque iam eminus hastis & missilibus,neque cominus gladiis & pugionibus,sed pugnis & lacertis rem gererent neutri alteris cedentes,cũ ex quingentis vix iam ducenti superessent,qui possent arma tractare. Lusitanis demum fusis fugatisque,Hispani spoliis potiti sunt, ipsumque hostium ducem cum aliquot ex commilitonibus captum,Zamoram victores non incruenti deportarunt.Regina quæ eo tempore Valladoliti erat,cum accepisset Lusitani audaciam,vel potius temeritatem eo progressam,vt etiam Regem cõiugem fuerit ausus ad pugnam prouocare, verita ne ea fama studia populorum erga se alienaret,quod lacessitus ad certamen non descenderit, iubet euocari prætorianas cohortes,& eas quæ fuerant sparsæ per diuersa præsidia ad intercludendos hostium commeatus, Cardinalem Hispanum rogat, vt cum præsentibus copiis ad Regem proficiscatur. Ad quem dat litteras,vt det operam quemadmodum non intermissa obsidione detur è diuerso hosti pugnandi copia:id esse magnum momentum afferens,ad retinendos in fide animos illorum qui leui opinione ducti huc & illuc impelluntur.E Gallicia interim Petrus Aluarus Osorius Lemnius Comes misit cataphractorum equitum cohortem,peditatumque pulcherrimum ad duo millia hominum belli peritissimorum. Venit præterea Comes à Monte regio cum alteris copiis ex eadem regione. Instructis itaque stationibus paratisque reliquis quæ ad premendam obsidionem videbantur necessaria,placuit ire quæsitum hostes qui se in Tauri latebris continebant. Proficiscebantur acies instructæ sine vllis sarcinis,sine impedimentis vllis.Neque enim ibant ad ludicra feriati,sed expediti ad pugnam. Cumque iam abesset exercitus à Tauro duobus fere passuum millibus,missi sunt caduceatores qui offerrent hosti pugnandi facultatem. At ille videns se prælio imparem,conditionem oblatam noluit accipere, seq; intra vrbis munitiones continuit,nisi quatenus quidam armaturæ leuis equites vrbe egressi, tumultuarias quasdam pugnas proludentes inierũt.Hispanus vero cum per horas quatuor hostem in medio campo esset oppertus, iussit canere receptui,seque Zamoram ad continuandam arcis obsidionem recepit.

ÆLII ANTONII NEBRISSENSIS, RERVM HISPANARVM AC HISPANIENSIVM HIstorici, Decadis primæ Liber quintus.

Quod Ioannes Princeps ex Lusitania cum exercitu pergrandi ad patrem venit, qui suis atq; filii copiis, & Archiepiscopi cohortibus obsidionem Zamoræ parat soluere.

CAPVT I.



LVSITANVS cum videret se Burgensi arce Zamoranaque ciuitate exclusum, atque proinde illorum studia qui sibi fuerant autores alienos fines inuadendi,paulatim ad hostes deficere, euocat filium Lusitaniæ Principem,quem antea iusserat habere militum delectus,imperatque, vt cum exercitu quam maximo possit, ad se venire festinet. Qui patris iussui obtemperans, coactis ex omni regno equitum peditumque ad viginti hominum armatorum millia , qua potuit hostem fallere,magnis itineribus Taurum contendit, copiasque suas paternis auxiliariisque & gregariis coniunxit. Auctus itaque atque recreatus Lusitanorum recenti exercitu Alphonsus,putansque se habere satis virium ad decernendum acie cum hostibus,antequam belli

belli fortunam experiretur, mittit litteras ad partium suarum Duces, atque imprimis ad Aluarum à Stunica Ducem Placentinum, quem nesciebat, aut se nescire simulabat, ad hostes defecisse, nuncians venisse sibi ex Lusitania sua filium cum ingentibus copiis, velleque se hostem ex latebris in medium campum elicere, aut si prælium recuset, arctiori eum obsidione premere, quam ipse arcem obsideret. Sed quo firmiori exercitu rem conficeret, rogabat Ducem, vt sibi adesset, aut saltem cohortes suas mitteret. Venisse namq; dicebat tempus, in quo vel vno conflictu posset hostis profligari, & arx Burgensis cum reliquis suis ornamentis in suam potestatem redigi. Ad hanc Lusitani postulationem, Dux, Non pudet, inquit, Regem vestrum ab eo petere auxilium, quem in summa rerum omniũ difficultate deseruit. Inde quærat sibi suppetias, vbi non sit cognitum quo pacto Burgensis arcis præsidium reliquerit hosti trucidandum, nisi victoris clementia præsidiarios nostros, vtcumq; meritos, seruasset incolumes. Itaque se non agnoscere nũc alios principes, nisi à quibus acceperit beneficia, neq; alios habere hostes, nisi à quibus acceperit tantam rei familiaris iacturam. Accepisse autem à Ferdinando Rege, atq; ab eius consorte Regina, non modo vitæ securitatem, sed etiam patrimonii sui certam firmitudinem: ab illo autem venisse sibi complura detrimenta. Quare se illum pro hoste habiturum, siquidem ille hostis est habendus, qui nobis affert incommoda. In hæc verba Lusitani dimissus est nuncius. A Marchione Villenate reliquisque vltramontanis nihil copiarum potuit accedere Lusitano, propterea quod & ipsi erant eodem bello impliciti cum Regis & Reginæ præfectis. Constituit itaq; cum suo, atque exercitu filii, cumque auxiliarib. Archiepiscopi cohortibus (nam is solus cum Lusitano mansit) quærere hostem, non qua debuit via. Nam cum ciuitas ciuitatisque arx obsessa posita sit in ripa Durii, quæ pertinet ad prouinciam Tarraconensem, ipse de prima nocte exercitum per aduersam ripam secundo flumine adducit, & postridie à prima luce cum omnib. copiis ad pontis caput exercitus hostibus apparuit, contra quod stationes opposuit, ne per pontem quisquam ad sua castra posset accedere. Rex cum videret hostem interposito grandi flumine castrametatum, nõ poterat perspicere quid sibi vellet illa castrorum dispositio, aut quid sibi detrimenti, aut hostibus emolumenti afferre posset. Nam neq; poterat illac arcem obsidione liberare, neque suis commeatus intercludere, sed neque cum suõ exercitu, etiamsi cuperet, decertare. Erant tamen complures ex nostris qui cuperent per ipsas pontis angustias in Lusitanorum castra erumpere, sed ballistis & tormentis repellebantur. Consilium autem Lusitani postea fuisse compertum est, quod cum perspiceret se imparem soluendæ arcis obsidione, volebat captare aliquid fauoris ex rumore qui solet per vulgum spargi. Mittit namque literas ad partium suarum studiosos, atque etiam ad alieniores, quibus significabat se venisse Zamoram, cinxisseque Regem hostem suum obsidione, quem Deo propitio putabat se tenere conclusum, quoad caperetur, aut se in fugam proriperet. Neque solum fecit eum rumorem spargi in finibus Hispaniæ suæque Lusitaniæ, sed & dimisit tabellarios ea de re ad Galliarum Regem, ad Italiæ Principes, ad Imperatorem, ad summum denique Pontificem, quasi posset ex mendacio illo credulitateque falsa, quicquam vtilitatis sibi comparare, aut verbis & inani fama, non viribus & armis res foret decernenda. Ea fama tametsi vana, nonnihil Hispanos mordebat, quod ea ex parte vellet hostis honorem aucupari, vnde si campi libertas daretur, esset reportaturus malam crucem. Sed id multo ægrius Regina ferebat, quæ per id temporis Tordesellis morabatur. Mittit itaque Ducem à Villa formosa, & Comitem à Triuinio cum millenis equitibus, qui teneant præsidio fõtem Sabuci, & Alahegios, quæ oppidula distant à Zamora ex ea parte qua Lusitanus castra metabatur, vicenis millibus passuum, vnde commeatus hosti intercluderentur. Sed erat Lusitanorum conditio eo deterior, quod per mediam hyemem erat illis agendum sub dio, nudoque sub ætheris axe: nostris vero ex domibus & diuersoriis, si quando esset opus, ad pugnam exeundum. Cœptum est per quosdam honestos viros agi de concordia inter duos Principes, constitutumque vt Lusitanus secreto per noctis tenebras cymba traiiceret flumen, ad partem ripæ in qua Hispanorum Rex illum ad certam horam opperiretur, cumque hora constituta fefellisset vtrunque semel atque iterum, cessatum est ab ea commentatione, neque defuerunt qui interpretarentur, non sine diuina quadam prouidentia rem interturbatam. Eratque alioqui Reginæ in animo, quo auerteret mala quæ solent in bello contingere, cum Lusitano decidere ingenti summa auri & argenti, qua & Ioannæ Principi dos constitueretur, & in Lusitani exercitus stipendium pars consumeretur. Sed fata aliam quærebant viam, qua honorificentius & minori dispendio fieret tanti belli exitus.

Quod Luſitanus de mutandis caſtris cogitat, petitque inducias, quo id commodius agat.

Capvt II.

CVm eo in loco Luſitanus caſſo labore quindecim dies conſumpſiſſet, videretque commeatus ab hoſtium præſidiis interceptos, quodque alia ex parte aeris inclementia vexabat ſuos hybernantes ſub dio, ſtatuit mutare caſtra, ſeque in Taurum ſuam in hyberna recipere. Idque quo poſſet commodius exequi, excogitauit huiuſmodi commentum. Mittit noctu clam Aluarum Brigantini Ducis filium, atque Antonium Nunium iuriſconſultum percelebrem, qui procuratorio nomine conſtituant cum Rege aliquot induciarum dies, ſub eo prætextu, quod illo tempore poſſit agi de concordia inter ipſos Principes: re autem vera, vt ſine detrimento ſui exercitus poſſet caſtra relinquere, ſeque ad hoſpitia nota conferre. Qui cymba per flumen traiecti adeunt Regem, mandata exponunt, offerunt, petuntque certas componendi belli conditiones. Rex defert negotium ad ſuum illud auguſtius ſecretiuſque conſilium. Omnibus viſum eſt, neque iuſta, neque honeſta Luſitanum petere. Tunc ventum eſt ad id cuius cauſa venerant, vt daretur tempus quo poſſet agi de concordia: conſtitueruntque induciarum dies quindecim, quibus vtrique poſſent hinc inde libere commeare, conuentuſque ea de re fieri, tum etiam ipſius Reginæ quæ tunc aberat, ſententiã exquirere. Erant qui Regi ſuaderent concedendas inducias, eſſeque opus regium hoſti ſupplici petita condonare, cum vel eo ipſo ſe inferiorem fateretur. Quod ſi ea ex cauſa inducias petebat, vt ex eo loco tutius caſtra moueret, & illud quidem eſſe Regi perquam honorificum, ſi qui veniebat ſuis opem laturus, re infecta rediret. Addebant præterea Luſitanum eſſe in ſolo alieno, ſibique alioqui infeſto: faceretque indies ſumptus maiores quam ſua vectigalia cenſuſque paterentur. Quare neceſſe erat illius neruos indies debilitari, atque aut illi tandem turpiter eſſe fugiendum in patriam, aut cladem maximam accipiendam. At Cardinalis Hiſpanus, & quibus erat melior ſententia menti, nullo modo inducias eſſe concedendas decernunt, quas non alia ex cauſa hoſtis peteret, quam vt eo temporis interuallo tuto poſſet vaſa conclamare, impedimenta colligere, & cohortes ordine ſuo circuatas deducere. Quod vero altera pars dicebat, eſſe opus regium ſupplici poſtulata hoſti concedere: immo vero inquiunt eſſe animi degeneris atque demiſſi, ab hoſtis temeritate in tanta occaſione pœnas non exigere, qui ſit auſus caſtra caſtris conferre, non quidem medio in campo, iuſto exercitu, Marteque communi, ſed ſola fretus loci commoditate, atque dolis, quibus nõ virtus vera, ſed ſimulata fortitudo confidit. Quod vero illi dicebant, ſi hoſtis re infecta diſcederet, vel eo ipſo ſe inferiorem, victumque fateretur, neque vnquam poſthac vires reſumpturum: immo vero iſti ſubiiciunt, iam hoſtis aſſecutus eſt quod ab initio concupierat, diſſeminare per omnes Hiſpanias perque totum nominis Chriſtiani orbem, ſe habere copias quibus poſſet intercludere aduerſarium, qui tametſi arcem obſideret, ipſe arctiori obſidione premeretur? Qui rumor etſi vanus erat, nonnihil falſæ opinionis apud homines credulos rerumque nouarum auidos generabat, qui ex leuibus huiuſmodi cauſis, aut in officio perſtant, aut à fide publica deſciſcunt. Quare non eſſe diſſimulandam tantam hoſtis temeritatem, qui penetret in regna aliena, metetur caſtra, & tollat vbi & quando libuerit, atque dolo malo aucupetur honores falſos, vnde ſit ignominiam reportaturus. Quod ſi hoc eſſet in ipſis imperii noſtri limitibus dedecoroſum, neque vllo modo tolerandum, quin totis viribus in tanti facinoris vltionem iretur: quid non faciendum eſt in illum quem non puduit tumultuaria caſtra ſtatis legitimiſque caſtris opponere, non quidem campo explicito & aperto, & qua oportuerat ſuis inopia laborantibus opem ferre, ſed quaſi latro ex inſidiis rem gerens, occupatis anguſtiis, atque medio flumine interiecto, ne poſſet cum illo æquo Marte confligi? Quas ob res, inuictiſſime Princeps, ſi nos conſulis quid aduerſarii tui oratoribus ſit reſpondendum, non modo decernimus inducias non eſſe concedendas, qui pro arbitrio ſuo huc atque illuc caſtra mouendo nos deludat, ſed in eo potius inſiſtendum, quo pacto temeritatis pœnas debitas luat, ſimul etiam, vt qui ex falſis rumoribus ab illo ſparſis acceperant tuas copias ab illius tumultuario exercitu obſeſſas, cognoſcant non impune id ab illo attentatum, atque ſtultitiæ ſuę iuſta præmia tuliſſe. Nam quid opus eſt, inquiunt, inducias illi concedere, cui velit nolit caſtra deſerere, ſeque in latibula ſua, ſiue cedentem, ſiue fugientem conferre neceſſe ſit? Neque enim diu poſſunt durare quibus omnia ſunt aduerſa, caſtra in media hyeme ſub dio, detrimenta ab hoſtibus in horas illata, & quod omnium eſt difficilimum, commeatus intercluſi, atque proinde rerum

omnium

omnium penuria. Quod si tibi ô clarissime rex, atq; dulcissimæ coniugi animo sedet, pro communi vtilitate, id quod aduersarius petit, quodq; tuis omnibus nõ displicet, cum hoste decidere, modo pacis conditiones sint tolerabiles, præscribe illi tempus breue, intra quod negotium transigatur, ea tamen lege ne liceat illi interim loco vsquam discedere. Quæ sententia quia videbatur conducibilior, cum regi placuisset, iubet secundum eam per Cardinalem Hispanum oratoribus responsum dari. Quos in secretius altiusque consilium accitos, in hunc modum est allocutus. Quod regis vestri nomine postulatum est oratores nobilissimi, de componenda simultate hac inter Hispanos Lusitanosque, non omnino displicet religiosissimis Principibus nostris, neque illorum senatui prouidentissimo, modo interueniant pacis conditiones honestæ, non quæ paulo ante sunt à vobis expositæ, sed quas vtriusque partis ratio exigit. Nam quis non videt, quo in statu res Hispana, atque proinde Lusitana sit? Nos numero plures, atq; robore præstantiores, arcem vestram obsidione premimus, cui vos infirmitatis vestrę conscii aperto Marte suppetias ferre non audetis. Nos domi nostræ omnibus rebus abundantes rem gerimus, vos omni cõmeatus genere destituti in solo alieno fortunam lacessitis. Nos medio in campo expectamus hostem, vos veluti ex arce tumultuarias eruptiones facitis. Sed hac disputatione in aliud tempus omissa, Princeps noster iubet impræsentiarum hoc breuiter vobis dari responsum, regi vestro referendum: Si illius animo sedet, vt de pacis conditionibus agatur, & quoq; sibi placere dicit, quando tam prope sunt, vt internuncii crebro commeare, atq; in horas singulas ire & redire possint, constituatur breue induciarum tempus, in quo negocium transigatur. Alioqui, si de pacis conditionibus inter eos non conuenerit, se non permissurum, vt pro arbitrio suo castra mutet, bellumque de die in diem protrahat, quin prius experiatur, & sentiat vter illorum viribus & armis euadat superior. In hæc verba oratores dimissi, in castra redierunt.

Quod Lusitanus castra mutat, atque Hispani abeuntem persequuntur.

CAPVT III.

HOc responso Lusitanus accepto, cernens omnia sibi aduersa, loci importunitatem, inclementiam temporis, commeatus interclusos, statuit medio noctis silentio castra mouere, seque in Taurum suam recipere, & quia hostium excubitores pontisq; custodes non longe aberant, imperat omnia clanculum atque sine vllo strepitu expediri. Itaq; præmittit calones, lixas, cocos, & alia exercitus impedimenta. Ipse interea equites peditesque in suos ordines redigit, ac tempore noctis antelucano castra deserit, impedimentaq; Taurum versus subsequitur. At vigiles excubitoresq; sub primam lucem castra viris, equis, & iumentis vacua cernentes, regi nunciant hostes abiisse. Qui extemplo imperat omnes armari, atque per pontis angustias, qua maxima possint celeritate, in aduersa fluminis parte consistere, atque expectare, quoad dispositis ordinibus hostem insequatur. Obstabant erumpere volentibus non modo pontis angustiæ, sed & vallum fossæq;, & aliæ munitiones tum castris, tum etiã ponti à nostris prætentæ, obstabat etiam ipsa erumpere volentium festinatio, qui quo magis properant, eo magis retardantur. Alii tam longas moras non passi, per fluminis lapideos obices euadunt, aut flumen tranant, aut scaphis & lintribus traiiciunt, tanta erat cum hoste cõgrediendi libido, sed non potuit fieri quin in tanta difficultate transeundi bona pars diei laberetur. Et quia vt quisq; prior eruperat, ita hostẽ insequebatur, atque agmine incomposito procedebat, mittit rex Iacobum à Castris Cæciliis cum bis centum equitibus qui præuertant immorenturque temere incedentium profectionem, ipse interim cohortes ordinari iubet, atque imprimis prætoriam instrui ex contubernalibus, & regiis amicis purpuratis, ac familiaribus, quibus adiungit copias auxiliares, quas à Gallia Comes Lemnius, quas Salmantica, Vlmetum, Methymna, Valladolitũ, cataphractis equis atq; equitibus insignes. Huic præfecit Enriquum Enriquez regiæ domus œconomum maximum. Instrui quoq; imperat sex alias cohortes, quas ad dextram prætorianæ ordine suo disponit. Primam ductabat Aluarus Mendoza, quem rex & regina nuper Castri cognomento Xericii Comitem crearant, hanc quoq; sequebantur duo quęstores maximi Gutterius Cardenius, & Rodericus Vlloa: alteram cohortem ducebãt patrueles duo Alphonsus Fonseca Episcopus Abilensis, & Alphonsus item Fonseca, cuius oppida erant Cauca & Alahegi: tertiam Petrus Guzmanus: quartam Bernardus Francus: quintam Petrus Verascus: sextam Vascus Viuarius Gonsalui Salmanticẽsis Episcopi frater, viri nobiles, strenui, atq; rei militaris periti. Ad cohortis prætoriæ sinistram, Cardinalis Hispanus primam cohortẽ ducebat: alteram Garsias Albanorũ ad Tormim fluuium

Dux:tertiam Enriquus, Enriquez Albenſium ad Aliſtem Comes: quartam Garſias Oſorius,qui nepotis ſui Marchionis Aſturicēſis copias equeſtres pedeſtreſq; ad id bellum duxerat. Inter hæc duo cornua ſclopetarios,ſagittatores,haſtatos,velites, omnemq; peditatum collocat, atque ſic totum exercitum ſeruatis ordinibus iubet procedere, quoad ventum eſt ad anguſtias quæ media regione inter Taurum Zamoramq;,hoc eſt, decem millibus paſſuum, vtrinq; ſitæ ſunt. Has cliuorum arduitas flumini à dextra incumbentium atque à læua ipſius fluminis impetus facit, cum alioqui pars agrorum finitima ripæ plana ſit,latioreſque vias admittat. Et quia poſituri ſumus ante oculos inter potentiſſimos reges duos pugnam illam memorabilem, ex qua victor regnādi auſpicia erat reportaturus, non importune locus,vbi tanta res geritur,impræſentiarum eſt à nobis explicandus,cum præſertim à nobiliſſimis hiſtoriarum ſcriptoribus huiuſmodi locorum deſcriptio non ſolum particularis, verum etiam totius regionis nunquam ſit prætermiſſa.

Quod Numantia non eſt ea quæ vulgo dicitur Zamora, ſed Soria, aut vicus, in agro illius.

Capvt IIII.

POst exactam ſtudiorum meorum rationem, cum primū in Hiſpaniam ex Italia redii, offendi opinionem diſſeminatam non modo inter homines omnium bonarum artium ignaros, verum etiam inter peritos, atque inueſtigandæ antiquitatis curioſos, qui dicerent, aſſeuerateque ſtultitiam ſuam defenderent, Numantiam illam nobilem quæ per annos viginti Romanorum duces non ſolum ſuſtinuit, ſed pluries fregit profligauitque, eam eſſe quæ ſit noſtra tempeſtate Zamora:non alia ratione ducti, quam quod vulgus incertum & Neoterici quidam ſcriptores hoc dicunt, & quod antiquiſſimi coſmographi & hiſtorici ſcribunt Numantiam ad Dorium flumen eſſe ſitam. Sed ſi percunteris, qui ſunt autores illi quos iſti ſuæ peruicaciæ teſtes citant, obiiciunt neſcio quem Lucam Tydenſem, & Fratrem quendam Ægidium Zamoranum, atq; alios eiuſdem claſſis viros obſcuros,quos ego nunquam legi, neq; me non legiſſe pudet. Atque vt nos autoritate regia perterrefaciant, afferunt Hiſtoriam generalē, quæ ſit ab Alphonſo huius nominis decimo Hiſpaniarum rege perquam illuſtri,aut illius iuſſu concinnata. Sed quantæ ſit autoritatis imperita multitudo,aliis quoq; in rebus experimento cotidie diſcimus. Nam quod ad nouos attinet ſcriptores, ego non magis illorum dictis credam, quam illorum qui meras fabulas fingunt, aut ægroti veteris imitantur ſomnia. Quod vero de Alphonſi afferebant hiſtoria, nemo reperiretur hodie qui operis illius patrocinium ſuſciperet. Sed quid opus eſt in re tam manifeſta verbis contendere? Stant contra probatiſſimorum autorum teſtimonia,qui manifeſte oſtendūt,neq; ſub vlla dubitatio ne reliquūt, quid hac de re tenere debeamus, atque huius artis princeps Ptolemæus, qui Dorii fontes ad occaſum ſolis vergere facit,ſi ad Numantiæ ſitum comparentur,cum ſit Zamora illis occidentalior,atque per longitudinem diſtet à Numantia partibus quatuor, quibus in parallelo qui declinat ab æquinoctiali partibus duabus & quadraginta,in quo ſitę ſunt Numantia & Zamora, reſpondent circiter bis centum millia paſſuum, quæ diſtantia nunc propemodum reperitur inter Zamoram,& Numantiam,quam nos Soriam interpretamur, vel Garrai potius in agro Soriano, vicum antiqui adhuc pontis veſtigia ſeruantem. Eſt & alia ratio breuiter demonſtrans Numantiā non eam eſſe quæ ſit hodie Zamora, ex Strabone, qui Numantiam facit octingentis ſtadiis, hoc eſt centum millibus paſſuum, à Cæſarea Auguſta diſtare,& Antonini Pii itinerario duobus & nonaginta millibus, hoc eſt, octo minus. Atqui Zamora, inquiunt, ad Dorium ſita eſt, id quod omnes de Numantia dicunt.Eſto, ſed non ex eo colligitur eandem eſſe vrbem,cum alia complura oppida idem flumen præterfluat,ad dextram Septimancas,Turdeſellas, Taurum, & de qua nunc agimus Zamoram. Quod vel ex eo nouum eſſe putamus, quod neq; Gothorum temporibus, ſed neque Romanorum vſquam Zamoræ ſit mentio, niſi forte, quod aliis compluribus oppidis accidit, in Ocelum Dorii ſucceſſit. Sed vt eo, vnde digreſſi ſumus, tandem redeamus, qui Hiſpaniam in tres prouincias diuiſere, per Dorium amnem Luſitaniam à Tarraconenſi diſtinguunt, atque ita, vt fluuius ab ortu ſolis ad occaſum incedens Luſitaniam ad læuam, ad dextram vero Tarraconenſem relinquat, in qua poſita eſt Zamora, numeraturque inter populos quos antiqui vocabant Vaccæos. Hos à Vectonibus Luſitaniæ populis Dorius amnis diſterminat, atque vtroſque per pontem, de quo dictum eſt, ad commercia peragenda coniungit. Cumque Luſitanorum ſtatiua Tauri reſiderent, atque Zamoranæ arcis obſidio ex eadem fluminis parte fieret, oportuit illum qui ſuis laborantibus

opem

opem ferre volebat ſecundo flumine, atque eadem ripa exercitum ducere. Sed quia ſe, vel militum numero, vel robore, vel vtroque hoſtibus imparem putabat, Taurinum pontem traiecit, & quod ad dextram fluminis ripam faciendum erat, in lęuam translatum eſt.

Deliberatur à noſtris, vtrum in caſtra ſit redeundum, an potius hoſtis Taurum vſque perſequendus.

Capvt V.

CVm itaque ventum eſt in fauces illas, in quas paulo ante diximus coarctari viam quæ à Zamora Taurum ducit, quia non admittebat amplius quam binos aut ternos milites, ſubſtitit exercitus, atque in ſe conglobari cœpit. Regiq; nunciatum eſt hoſtes iam eo progreſſos, vt prius ſe poſſent in Taurum ſuam recipere, quam noſtros anguſtias illas euadere. Iubet itaque vocari proceres, cohortiumque præfectos, & quid pro tempore locoque faciendum ſit, exquirit. Quibuſdam videbatur redeundum eſſe in caſtra & diuerſoria nota, quoniam anteaquam tantus exercitus fauces traiiceret, iam foret nox, in qua nihil aliud ageretur, quam ſuos fruſtra vexare, & viros equiteſque fame ſitique confectos periculo exponere. Nam quod ad vulgi opinionem attinet, nemo futurus erat qui non diceret, & Luſitanum fugiſſe, & Hiſpanum eo vſq; perſecutum, quoad illum in latebras ſuas occultaret. Ad hæc Cardinalis, Nondum, inquit, ſatis liquet rex clariſſime, hoſtiſne fugiat, an agmine compoſito proficiſcatur, & quoniam adhuc neque exercitus noſter vidit hoſtem, neque ille nos, non deerit qui dicat, neque hoſtes fugatos, neque noſtros fuiſſe auſos abeuntes proſequi. Liceat itaque mihi per tuam Celſitudinem anguſtias illas euadere cum paucis equitibus, vt colle hoc ſuperato poſſim libere de hoſtium copiis iudicare, atque inde ea de re meam ſententiam dicere. Alioqui non auſim decernere, fugiant ne hoſtes, an potius læti exultanteſq; ſe in tabernacula ſua recipiant. Aſſenſus eſt rex Cardinalis ſententiæ, hortaturque illum, vt id quod decreuerat, exequeretur. At ille Petrum Guzmanum cum parte cohortis quam ductabat, acciri iubet, cliuumque faucium illarũ ſuperat, ad verticemq; montis peruenit, vnde Luſitanorum copias æſtimare poſſet quam facile. Videt omnia per ſuos ordines incedere, nihil turbulentum, nihil temerarium, nihil denique per tumultum fieri. Igitur ad regem redit, quæ viderit exponit, atque ſententiam ſuam præter aliorum opinionem dicit. Vidi (inquit) inuictiſſime rex, atque meis oculis contemplatus ſum Luſitanorum acies ordinatas incedere, magiſque expectare inſequentes quam fugere? An non Luſitanorum ſuperbia verbaq; magnifica ſunt omnibus nota? Pudet certe magna locutos cedere, atque timidiſſimo cuique aliquando redit in præcordia virtus. Eſtque credibile veroq; ſimilimum Luſitanum animo extimare quantum ſubiturus ſit dedecus, ſi hoſtem fugiat quem vltro ad certamen laceſſerit. Idq; nunc agit pedetentim incedens, vt poſſit aliquando dicere, ſe non fugiſſe, ſed medio in campo expectaſſe hoſtem, cum præſertim nemo fugientem poſſit vere appellare ab eo quem non videt. Quod ſi hoc ex loco noſtræ copiæ domum redierint, anteaquam hoſtem videant, atque ab hoſte videantur, relinquetur in dubio apud abſentes, eoſq; qui naſcituri ſunt, vter veſtrum ex hoc die victoriam reportauerit. Quid quod antehac ex militibus noſtris ſtrenuiſſimis, quiſque illum diem ſibi dari optabat, in quo decerneretur quæſtio illa inter Hiſpanos Luſitanoſque diu agitata, vtri forent viribus animiſq; præſtantiores? Quod ſi nunc in tanta occaſione ſubtrahantur à pugna, refrigeſcet profecto ardor ille, virtuſque inexercita languebit. Atqui dicet quiſpiam, ſi citra cruorem victoria ex hoſtibus comparari poteſt, quid opus eſt acies in pugnam committere? Immo vero rex optime, ſi hodie in fortunam prælii non deſcendis, bellum hoc de die in diem protrahetur, neque vnquam tuto in Hiſpania ſolus regnabis. Nunquam Cæſar imperium orbis obtinuiſſet, ſi non cum Pompeio conflixiſſet, nunquam Auguſtus monarchiam, ſi non cum Antonio, atque vt eſt in fabulis, cœlum ſuo ſeruire tonanti, Non niſi ſæuorum potuit poſt bella Gigantum. Sed vt vetera illa omittamus, non hoc in Hiſpania noſtra experimento ſæpe didicimus? Si Ioannes ſocer tuus non cum patre patruiſque tuis ad Vlmetum conflixiſſet, neque regnaſſet vtique poſtea ſecurus: neq; Enriquus coniugis tuæ frater regnum illud ſuum qualecumque continuaſſet, ſi non cum Alphonſo germano item fratre in eodẽ loco fortunam quoque belli fuiſſet expertus. Quid igitur reliquum eſt clariſſime rex, niſi vt bene iuuãte Deo tuiſq; ie auſpiciis hoſtem regni alieni affectorem inuadas? ex quo ſiue fugerit, trophæum, ſiue expectauerit, triumphum haud dubium ſis hodie reportaturus.

Quemadmodum exercitus vterque ſe parat ad pugnam.

CAPVT VI.

ATQVI rex cui non minus erat curæ ſalus & vita ſuorum, quam rei bene gerendæ voluntas, viſus eſt aliquantulum Cardinalis ſententiæ aſſentiri. Sed cum cerneret ſuorum omnium alacritatem, atque animi præſtantiam clamoreſque dari ſibi hoſtem depoſcentium, iubet exercitum anguſtias illas euadere, atque rurſus in ſuum ordinem redigi. Vocatiſque ducibus cohortiumque præfectis, admonet illos, vt magno animo ſint, memínerintq; verborũ quæ cotidie in aula iactabant, quoties de Luſitanorũ arrogantia temeritateq; ſermo exoriebatur, iubet deinde illos ad ſuam quemq; prouinciam bonis auibus ire, atque, vt rem bene gerant, hortatur. Illi in ſuam quiſque cohortem profecti, quid cuique faciendum ſit docent, atque ita euaſis faucibus eodem in ordine quo prius ſteterant, conſiſtunt, deinde agminatim hoſtem ſubſequuntur. Luſitanus cum intellexiſſet Hiſpanos aduentare, reputans ſecum quantum dedecus eſſet in fuga, potiuſque pulcherrimam mortem eſſe obeundam, quam turpe aliquid committendum, iubet ſtare acies, atque in hoſtem conuerti, & collatis ſignis cum illo dimicare. Pollicebatur illi magnam victoriæ ſpem, quod equitum numero erat ſuperior, atque hunc in modum diſponit exercitum. Cohortem prætoriam conſtituit ex amicis, & familiaribus, atq; aulicis purpuratis, ac præterea ex Hiſpanis viros quoſdam non obſcuros qui ſub illo ſtipendia faciebant, adiungit, quibus addit Comitem Pharium, qui & ipſe turmam equitum ex ſuis adduxerat. His omnibus præfecit Pereiram cohortium prætorianarum ducem. Huius ad læuam erat cohors quam Ioannes regis filius idemque Luſitanorum Princeps ductabat, in hac erat robur totius exercitus firmiſſimum. Hanc ſequebatur Eborenſis epiſcopi cohors, quibus duabus accedebat ingens ſtlopetariorum & ſagittatorum numerus, atq; diuerſorum generum tormenta, & machinæ carris impoſitæ. Ad dextram cohortis regiæ erat Pharii Comitis manus, ex ſuis atq; fratris Guimarani Comitis militibus ſtructa. hanc ſequebatur Archiepiſcopi Toletani cohors, poſt quam villæ regiæ montiſq; Sacri Comitum cohortes duæ. Peditatus omnis quatuor in partes diſtributus non procul à prætoriana cohorte ad fluminis ripam diſpoſitus erat. Tunc rex acciri iubet duces, primoreſq; exercitus, quos in hanc ſententiam dicitur allocutus. Quo in ſtatu res noſtræ ſint commilitones videtis, venit dies in quo decerneretur quæſtio illa inueterata inter vos aduerſarioſq; veſtros, vtri ſint armis animiſque potiores. Sumus numero non pauciores, ſuperamus equitatu, habemus cauſam pugnandi iuſtiorem, decertandum eſt cum illis quorum maiores à maioribus noſtris ſunt ad Aliubarotam ſuperati. Neq; obſtiterit, quod illi intra patriam, nos extorres: illi omnibus rebus abundantes, nos omni commeatu deſtituti ſumus. Neceſſitas hæc debet facere vos ad pugnam alacriores, & rabie concitatos in hoſtem ire præcipites, vt poſt victoriam bonis illorum iuſte fruamur, quibus nunc illi iniuſte abutuntur. Sic animati Duces à rege diſcedunt, ſuos quiſq; hortatur, vt forti magnoque ſint animo. Quæ præmia victores maneant, aut quæ victos detrimenta ſequantur, illis ante oculos ponunt. In hunc igitur modum exercitus vtriuſque cohortes militari gradu cõtra ſe inuicem tendunt, quoad ventum eſt ad ſpacium, vnde à ferentariis res agi poſſet.

De pugna inter Hiſpanos Luſitanoſque ad Taurum.

CAPVT VII.

INTERIM Alphonſus Fonſeca, quem diximus ad regis Hiſpani dextram ſecundæ cohortis præfectum, petit à rege dari ſibi primas certaminis ineundi partes, idem petit Aluarus Mendoza, idem alii eiuſdem ordinis, quibus erat incurrendum in Luſitanorum Principis aciem. Quibus rex, Immo ſimul omnes, inquit, inuadite, cuius agmen video equitatu peditatuq; confertiſſimum. Sex igitur illæ cohortes quas diximus ad Hiſpani dextram poſitas, ſigno vtrinque tubarum dato, in Luſitani Principis atque Eborenſis Epiſcopi cohortes ſignis collatis incurrunt, ſed magna pars tormentorũ globis ſtlopetarumque glandibus excepta, aut cecidit, aut ictibus ſaucia ex pugna diſcedit. Alii cum in hoſtiũ robur firmiſſimum incidiſſent, facile pulſi ſunt, ſeque partim ad cohortem prætoriam, partim ad cornus ſiniſtri cohortes receperunt. Igitur cornu noſtrorum dextro fuſo fugatoq;, in ſiniſtro quod erat ad fluminis ripam, meliori euentu pugnatum eſt. Nam cohors prætoria cum eiuſdem cornus reliquis cohortibus, hoſtem ſublato clamore inuadit, editur hinc atq; illinc magna ſtrages, pugnatum eſt ad tres horas nuſquam inclinante victoria.

victoria. Sed fortuna tandem cœpit aspirare nostris, atque hostem cedere cogit, quem neque pudor retinere, neque persequentium illata cædes, neq; Princeps suus integro adhuc exercitu ad pugnam reuocare. Itaq; fusi palantesque alii alia via Taurum petebant, alii se in flumen præcipites dabant, mortemq; timore mortis oppetebant, quorum cadauera secundo amni deuecta, postridie eius diei cum armis spoliisq; visa sunt. Illud pro certo compertum est, ex Lusitanis multo plures flumine absorptos, quam ferro cæsos occubuisse. Lusitanus cum fusas fugatasque cerneret copias suas, hostemq; fugientibus instare, neque subsidii quicquam à filio superuenire, ne in aduersæ partis armatos incideret, viam quæ Taurum ducebat, declinans, cum paucis dubia iam luce ad Castrum Inui tendit, vbi ab arcis præside suarum partium fautore excipitur, magnificeque tractatur. Captum est Lusitani vexillũ, cuius erat insigne vultur, sed Petri Verasci & Petri Vaccæ ignauia, quibus traditum est vt asseruaretur, ab hostibus postea est receptum. Vnde non sine causa inter Hispanos Lusitanosq; in hunc vsq; diem disceptatur, captum ne fuerit, an non vexillum illud regium. Illud certe inter vtrosq; satis constat, signiferum ipsum in prælio comprehensum, Zamoramque deuectum, armisq; spoliatum, quæ regis & reginæ iussu in Hispanorum regum conditorio, quod est Toleti in maximo diuæ Mariæ, vsque in hunc diem suspensa cernuntur. Capta sunt & alia quoq; octo signa, & cum antesignano complures alii viri nobiles. Eorum qui ex alterutra parte desiderati sunt, non potuit certus numerus colligi: fuisse autem cæsos multo plures, quam toto huius belli tempore, nemo vnquam dubitauit. Ex nostris vnus tantum captus est, Enriquus Enriquez Albensium ad Listim Comes, qui putans se non deserendum à suis, dum persequendi fugientes ardore fertur, ad Taurini pontis caput exterius vsque progressus est. Vbi circumspiciens an se quisquam ex suis sequeretur, à Lusitanis est comprehensus, Taurumq; perductus. Atqui Lusitanorum Princeps cernens patris copias fusas profligatasque, contrahit suam cohortem, atque locum editiorem occupat, vt fugientibus subsidium præstet. Et quamquam nocte iam aduentante dubiaque luce supererat animus quibusdam ex nostris Ducibus, cohortem illam inuadendi, non potuerunt in ordinem redigere equites peditesq; per omnem campum sparsos, partim in hostibus persequendis, partim in cadaueribus occisorũ spoliandis, instabatq; nox, in qua nihil insigne agi poterat, cum præsertim in horas pluuia increbresceret. Tum Hispanus cum intelligeret in campo nihil iam hostile, nihil infestũ, sed victoriam penes suos manere, iubet receptui canere, atque relictis Cardinale atq; Albanorum Duce qui campum colligerent, ipse per noctis tenebras, pluuiaque vrgente, ad inceptam obsidionẽ redire properat. Erat namq; suspicio, Lusitanum per alteram fluminis ripam copiarum partem potuisse præmittere, quæ stationes raris custodibus munitas disturbarent, & obsessis cum commeatu recentes armatos immittere.

Quid Lusitani fugati fecerunt Tauri rege suo amisso.

CAPVT VIII.

QVo tempore Lusitanus acies ducebat eo consilio, de quo in superioribus dictum est, reliquit Tauri Guimaranorum Ducem cum præsidio, ne interim oppidani ad hostẽ deficerent. Qui videns Lusitanos suos fusos fugatosque, inermes, cæsos, mutilatis membris truncos, atque interrogatos quo modo se Lusitanorum haberet, aut vbi esset, nihil certi respondere, suspicatus proditionis aliquid ab Hispanis subesse, iubet portas obstrui, muros turresque presidio firmari, ne cum Lucanis Hispanos quoque intra munitiones admitteret. Toletanus præsul, & qui sub illo militabant Hispani, & qui ex prælio fugerant Lusitani, Ducem orabant, ne de rege suo bene meritos excluderet, simul etiam à persequentibus imminere periculum dictitabant, si non intra mœnia reciperentur: vulneratique imprimis ad cælum vsque clamores tollebant, crudelitatem in se à suis exprobrabant. At Lusitanus Princeps posteaquam ex suis quos potuit, in suam cohortem recipit, Taurum repetit, & intra muros admissus Archiepiscopum deducit secum atque alios omnes in suum quemque diuersorium excipi iubet. Qui posteaquam partem suorum numero abesse comperit, vt erat ingenti animo, vix dissimulat regis amissi damnum, premitque altum corde dolorem. Sed quod magis illum torquebat, erat præsulis Toletani fides suspecta, atque aliorum Hispanorum qui in partibus suis merebãt. Nam quæ potest miserior esse conditio, quam illorum qui neque amicis audent confidere? Iubet itaque vulneratos curari, fessos recreari, mœstos bene sperare, atque in dubia fortuna ne deficiant, hortatur. At non Guimaranus Dux cui fuerat à rege custodia vrbis credita, potest se cõtinere, quin omnibus manifesta doloris signa depromat, prorumpit in la-

chrymas, pulſat pectus, comam vellit, veſtes dilacerat, atque in quoſcunque obuios deſerti regis inuidiam concitat. O degeneres, inquit, & ingrati, beneficiorumque immemores, vbi eſt Dux veſter? vbi Rex? vbi Dominus? vbi ſpecimē? vbi Luſitanæ reip. columē? Non potuiſtis ſeruare vnum, in quo ſalus omnium continebatur, vitaque omnium ſita erat? Non pudet vos venire, poſtque Ducem veſtrum deſertum proditumq;, hominum conſpectum intueri? Ab apibus ſaltem condiſcere debuiſtis obſeruare regem, quæ ductorem circumſtant ſuum fremitu denſo, ſtipantque frequentes, & ſæpe attollunt humeris, & corpora bello obiectant, pulchramque petunt per vulnera mortem. At non hæc illa ſunt quæ in pace quondam pollicebamini, in regis aula frequentes & officioſi, ſed nunc in prælio ignaui & deſertores. Itaque non ſolum facti eſtis læſæ maieſtatis rei, ſed etiam amicitiæ legem violaſtis, quæ iubet amicos in aduerſis, antea quam vocentur, adeſſe, in proſperis non niſi vocatos. Hæc & huiuſmodi mœſtus ac lugubris Dux iactitabat. Illi vero præ pudore, ſceleriſque admiſſi conſcientia, nihil reſpondebant, ſed fortunam ſuam lamentabantur, quæ illos tali in tempore obcæcauit. Sed Hiſpanos, atque imprimis præſulem Luſitanum, non tam res male geſta damnaque in prælio accepta cruciabant, quam quod relicta potiori cauſa, pro transfugis ab omnibus habebantur, & quod ab iis in quorum partibus erant, ſuſpecta fides haberetur. Dum hæc Tauri peraguntur, Luſitanus apud hoſpitem ſuum variis ſermonibus noctem producit, quid de filio, quid de cohortiū præfectis, quid de tanto exercitu ſit actum ignarus: & quamquam animi dolorem vultu diſſimulabat, ſtupor tamen illi omnem abſtulit mentem, quippe qui non ſtatim ſuos fecerit certiores, quo illum pugnæ tempeſtas appulerit. Sed iam primo diluculo reſpiciens, omnibus de rebus dat literas ad filium perferendas, quas deinde ſubſequitur ipſe, ſeque ſuis expectatum reddit. Hiſpanus interim exercitum victorem laudat, gratulantibus ſe hilarem benignumque exhibet, atque reginæ literas tantæ victoriæ nuncias mittit, quæ Turdeſellis eo tempore morabatur belli euentum expectans. Supplicationes itaque ſolenneſq; pompas decernit, puluinaria in tēplis iubet ſterni, ipſa nudis pedibus ex aula regia ad ædem vſque diui Pauli extra muros progreditur, laudans & magnificans Deum, atque gratias agens pro tantis in ſe, conſortemque ſuum, omnemque exercitum collatis beneficiis.

Zamorana arx capitur. Magiſter à Calatraua, & Vrenatium Comes à Luſitano deſciſcunt, à quo Toletanus diſcedit.

CAPVT IX.

INTEREA rex imperat obſidionem arctari, ſtationes & machinas arci admoueri, vtque ſe ad oppugnationem parent, voce præconis edicit. Quod Alphonſus Valentinus arcis præfectus cum videret à Luſitano nihil auxilii amplius expectandum, quippe quem acceperat in acie profligatum, agit per Cardinalem cui erat conſanguinitate propinquus, vt priſtinis erroribus ſibi condonatis, in obſequium famuliciumque regium reſtitueretur, dicebat velle ſe, omniaq; ſua, vitæ neciſque arbitrium regiæ maieſtati dedere. Cardinalis propinqui miſericordia commotus, excuſare apud regem ætatis leuitatem, omnem culpam in Ioannem Porrium illius ſocerum conferre, reſpondere pro illo fidelem deinceps operam perpetuamque in reges Hiſpanorum obſeruantiam. Annuit rex Antiſtitis tam bene de ſe meriti precibus, condonat adoleſcenti erratum, omnia bona reſtituit, arcem recipit, in quam Luſitanus precioſas veſtes, aurum, argentum, ac pulcherrima quæque domus ornamenta congeſſerat. Erant qui à rege peterent illa omnia ſpolii nomine in manubias redigenda, vnde reſarcirentur damna in eo bello à multis accepta. At rex neque ſibi quicquam inde accepit, neque aliis habendum ſibi permiſit, ſed omnia fide ſumma Luſitano reddi iubet. Accepta arce, validiorique præſidio commeatuque munita, Methymnam ad campum proficiſcitur, quo ſe venturam ad certam diem ex Turdeſellis regina conſtituerat. Comeſtabilis interea non minus apud regem & reginam laborat de conciliandis obſequio regio duobus egregiis fratribus, altero à Calatraua Ciſtercienſis militiæ magiſtro, altero Comite Vrenati, quos Villenatium Marchio patruelis natu maior ad Luſitani partes illexerat, & quo citius rem conficeret, deſpondet Comiti filiam, atque à principibus impunitatem erratorum pollicetur. Principes vero noſtri tametſi intelligebant ex ignoſcendi facilitate quantum mali ſequeretur, reputantes tamen ſi duos iuuenes ætate florentes, armis inſtructos, opibus copioſos ab aduerſario ſubtraherent ſibique obſequentes redderent, magnum fore momentum in vtramque partem, & ſuas augendi vires, & hoſtiles debilitandi, Comeſtabilis precibus acquieſcunt,

quiescunt, errata condonant, illosque deinceps suorum numero esse iubent. Toletanus quoque Archiepiscopus cum fieret quotidie certior, omnia quæ ad ipsum præsulatus ratione pertinebant iura impediri, atque oppida, municipia, castella, & arces partim à circumstantibus præsidiis vexari, partim deficere, aut de defectione cogitare, petit à Lusitano commeatum facultatemq; ad suos abeundi, antea quam noui quicquam molirentur. Petit præterea turmam equitum quæ illum comitetur, quoad se ad suos reciperet. Id cum Hispano Regi compertum esset, mittit Petrum Manriquum Comitem à Triuinio cum sua cohortisque prætorianæ parte, qui illum persequeretur, præhensumque ad curiam perduceret. Sed ille antea se Complutum, quod erat suæ ditionis oppidum, recepit, quam Comes eum consequi potuisset. Ea itaque frustratus spe, ad Regem Reginamque redit. Inter illos qui Lusitani partibus fauebant, erat Attenciæ arcis præses, natura hominumque labore munitissimæ, qui non contentus regiis vectigalibus quæ ex salinis opima percipiebat, finitimos populabatur agros, atque in remotiores quoque excursiones faciebat. Erat præterea terræ illius indigena Garsias quidam Brauus ordinis equestris, vir acer & strenuus. Is agit cum famulo quodam præsidis, vt qua nocte sortiretur vigiliam, ex muro demitteret funem, per quem scalæ sursum attollerentur. Quod cum ex voto processisset, scandit primus omnium Garsias ipse, tum alii centum instructi armis quos ad negotiũ peragendum duxerat, comprehensoque præside, vxore, omnique familia, potitus est opimis spoliis, quibus propter insignem viri operam in arce recuperanda, à Rege atque Regina donatus est. æstimata sunt spolia centum millibus ducalium aureorum. Idem Brauus paucis postea diebus oppugnat Camarenam. oppidulum id erat, quo se recipiebat Ioannes quidam Touarius, famosus alter latrunculus, atque viarum grassator insignis, qui & ipsi Lusitani partes sequebantur. Quibus duobus monstris è medio sublatis, pax regionibus illis restituta est.

Lusitanus redit in regnum auitum, petiturus inde Galliæ Regem: & quæ Madriti gesta sunt.

Capvt X.

Lvsitanvs cum videret se acie superatum, amissis duabus arcibus quibus plurimum fidebat, Burgensi ac Zamorana, debilem, & ab iis qui fuerunt autores tanti belli inchoandi, desertum, suarum quoque partium fautores indies minui, quid consilii caperet ignarus, huc atque illuc mentis aciem vertebat. Pudebat illum reditus in patriam quam iturus ad bellum peregrinum pecuniis exhauserat. Turpe putabat venire in conditiones quas victor hostis proponebat. Vires suas impares iam prælio expertus erat. Pecuniæ vnde nouum exercitum conduceret, aut stipendia præsenti solueret, non suppetebant. Placuit tandem ab externis gentibus auxilium petere. Sed vnde peteret, nisi ab eo cum quo nuper fœdus inierat, & qui pro Ruscinonis Comitatu repetendo, iam bis nostros bello lacesserat? Sed antea quam in Galliam proficisceretur, statuit Lusitaniam suam repetere, vnde facilius tutiusque nauigare posset. Itaque partem copiarum per arces, castella, & munitiones, quæ adhuc pro se in officio perstabant, in præsidiarias cohortes distribuit, partem secum in patriam reducit. Et quia interim Ioannes ille Vlloa qui sibi Taurum vrbem cum arce ad futuri belli vsum tradiderat, diem suum obierat, Marialbanorum Comitem in vrbe cum validiori præsidio relinquit, præsidiorumque præfectis edicit, vt quam diu ipse abesset, hostium agros populentur, ferro & igni omnia vastent, seque breui ex Gallia cum auxiliaribus copiis venturum pollicetur. Erant eo tempore Madriti, quod oppidum nos Carpetanorum Mantuam interpretamur, erant, inquam, duæ factiones, quarum altera cuius caput erat Ioannes Zapata, vir qui inter indigenas nobilis & factiosus Marchionem Villenatem sequebatur, qui non modo arcem, verumetiam totum oppidum firmissimo præsidio tenebat, cui præfecit Rodericum Castanetum Cifontani Comitis fratrem, pulsisque alterius factionis principibus, propterea quod Regis & Reginæ partes tuebantur, soli Marchionarii oppidum habitabant. Nam plebs sequitur fortunam, vt semper, & odit præsentem statum, & concupiscit nouum. Erat pulsæ factionis caput Petrus Nunius à Toleto, equestris ordinis vir. Is agit cum clientibus & amicis quos in oppido habebat quamplurimos, quemadmodum intra mœnia reciperetur, si maiores copias quam essent præsidiariæ conduceret. Communicat rem cum Petro Ario, atque vterque cum Duce Infantatus. omnibus visa est res digna, in quam omnes intendant neruos, putantes se in eo singularem operam non solum Regi & Reginæ, sed etiam vniuersæ Hispanæ reip. nauaturos. Dux Reginam consulit quid

ſibi in tali negotio faciendum eſſet. At illa, vt ad rem conficiendam totis viribus inſiſtat, non modo hortatur, verum etiam atque etiam rogat obteſtaturque. Mittit præterea ex cohorte prætoria tres cataphractorum equitum turmas, cum ſuis quamque præfectis, Iacobo ab Aquila, Ioanne à Roboribus, Ioanne item à Turribus: quibus imperat, vt Ducis iuſſa faceſſant, atque omnibus in rebus illi obtemperent. Dux igitur auctus copiis à Regina miſſis, ſimul etiam cum Petro Nunio, & Petro Ario, qui & ipſi magno poterant eſſe adiumento, cum omnibus ſuæ domus grauis & leuis armaturæ militibus rem aggreditur. Id cum Marchionis præfectus ſenſiſſet (neque enim tantus belli apparatus latere potuit) fugat ex oppido quos ſuſpicabatur partis aduerſæ fautores, plebem in partes regias procliuem minis terret, muros portaſque oppidi præſidio validiori firmat, ſubſidiarios milites opportunioribus in locis diſponit. Atqui Dux ea ſpe fruſtratus in oppidi ſuburbio metatur, oppidum arctiſſima obſidione cingit, commeatus intercludit, vt quos non potuit viribus expugnare, caperet fame. Iubet præterea cuniculos agere ad portam qua itur Guadalaiaram, cui præſidebat Petrus Aiala ex ordine equeſtri diui Iacobi commendatarius, qui ſuſpicatus id quod erat, portæ munitiones cum muri parte ſuffoſſas iam lignis incumbere, atque ſuppoſito igni non magno negotio ruituras, ne hoſtis irrumpens oppidum diriperet, atque factio extorris quæ inter obſeſſores merebat, in aduerſæ factionis partes acrius ſæuiret, cœpit agere cum Duce de tradendo oppido certis conditionibus, quibus præcipue de oppidanorum indemnitate cauebatur, illorum maxime quibuſcum erant inimicitiæ ex inueterato factionis aduerſæ odio. Duce igitur cum ſuo exercitu intra muros recepto, Marchionis præfectus cum omni præſidio ſe in arcem recipit commeatu, armis, tormentiſque munitiſſimam. Sed nihilo ſecius illam Dux arctiori obſidione premit, muſculoſque duplices à parte arcis extima ducit, atque viris, armis, machiniſque munit, vt non modo quiſquam ingredi aut egredi non poſſet, verum etiam ſi grandior exercitus aliunde veniret auxilio, nihil obſeſſis vſui eſſe poſſet. Alterum quoque murum duxit per partem quæ eſt inter arcem oppidanorumque domos, intermiſſis quibuſdam aditibus per quos tumultuariis pugnis ſe inuicem laceſſerent. Ibi cecidit Iacobus ab Aquila, vnus ex tribus illis Ducibus, quem diximus ad hoc bellum miſiſſe Reginam. Ceciderunt & alii complures viri nobiles, & obſcuri, tam ex obſeſſis, quam ex obſeſſoribus. Ex munitionibus præterea quas in agro Madritano inſederant Ioannes ille Zapata & Petrus à Corduba, cotidie fiebant excurſiones, incendia, cædes, populationeſque pecudum, & armentorum, vſque ad oppidi loca ſuburbana, quoad profectum eſt à Duce, vt certis in locis equitum præſidia diſponerentur, qui latrunculos illos paſſim exultantes in latebras ſuas cogerent ſe recipere, atque hunc in modum obſidio in duos menſes protracta eſt.

ÆLII ANTONII NEBRISSENSIS, RERVM HISPANARVM AC HISPANIENSIVM HIſtorici, Decadis primæ Liber ſextus.

Matricali Panhiſpanion celebratur, vbi cœptum eſt de ſocietate quam fraternitatem vocant, conſtituenda agi.

CAPVT I.



CVM hæc Madriti geruntur, curia, hoc eſt, Rex, & Regina, ſenatuſque regius, Matricali citra montes in Vectonibus oppido celebri erat. Ibi quoque Panhiſpanion, id eſt omnium ciuitatum municipiorumque Hiſpaniæ conuentus, agebatur, curias in numero multitudinis indigenæ appellant, in quibus cum aliæ res complures decretæ ſunt, tum vel maxime quod Eliſabe iunior vno omnium conſenſu declarata eſt Hiſpaniarum Princeps, atque hæres regnorũque ſucceſtrix, quod & iureiurando ſanxerunt ciuitatum municipiorumque procuratores, ſi modo pro-

les virilis Regi & Reginæ non contigisset. Cœptum est agi præterea de fraternitatibus, ita Hispani vocant populorum inter se societates, ad hoc potissimum institutas, vt latrocinia cædesque in viis publicis & agris perpetratæ vindicarentur, quæ mala in vrbes quoque & municipia vicosque tyrannorum arcibus subiectos adeo serpebant, vt domi forisque nihil esset tutum, sed vbique terror, vbique pauor, & plurima mortis imago, eoque miseriarum deuentum est, vt grassantibus sceleratis hominibus, nemo iam esset vir bonus, & pie iusteque viuendi cupidus, qui pro recuperanda libertate non libentissime dimidium fortunarum suarum non pacisceretur. Idque cum omnes vellent, omnes cuperent, deq; nulla re alia frequentius alter ad alterum loqueretur, quam de inueniendo tantis malis aliquo remedio, nemo tamen erat qui negotium assumeret, atque rem tam desperatam aggrederetur, & morbo tam pernicioso medicamentum aliquod inueniret. Primus omnium quasi signum aliquod ad bene de Hispana rep. sperandum sustulit Alphonsus Quintanilla, equestris ordinis vir nobilis, ingeniosus, acer, & vehemens, idemque fisci rationumque regiarum quæstor maximus. Hic ortus ex Asturibus montanis facile ostendit, summos viros in obscura quoque patria plærumque nasci, at è contrario ignobiles in patria illustri. Et quo maior tantæ rei peragendæ accederet autoritas, assumit sibi socium Ioannem Ortegam. Ambo Regem Reginamque conueniunt, quo in statu res Hispana sit commemorant, quid in tanta rerum omnium perturbatione debeat & possit fieri, demõstrant, hoc bonos omnes, hoc in commune populos exposcere, nil aliud deesse quam regiam facultatem, vt bene iuuante Deo negotium perageretur. Placuit iustissimis Principibus opportunus sermo, ad rem exequendam hortantur, autoritatem suam omnibus in rebus decernendis pollicentur. At illi oppidorum procuratores adeunt, mala quæ sustineant impræsentiarum, quæque in futurum expectent, ante illorum oculos ponunt, ex negligentia quot pericula impendeant, atque è diuerso ex prouidentia quot bona sequãtur, identidem repetunt. Sed quia de tanta re consulendi erant ii quorum procuratorio nomine res agebant, placuit constitui diem & locum, in quibus hæc disputanda essent. Locum in quem vndique confluerent, placuit esse Donias. Quo posteaquam ad constitutum tempus conuenerunt, cœptumque esset de re cuius causa venerant disceptari, alii aliud sentiebant, altercationibusque tempus consumebant frustra, & contentio illa eo tãdem est deducta, vt omnes in eo iam essent articulo, vt quisque ad suos re infecta rediret. Quorum dissensionem cum Alphonsus Quintanilla sensisset, videns omnes suos conatus cessisse frustra, ne quid inexpertum relinqueret, hac, aut non multum dissimili oratione, illos in concionem vocatos aggressus est.

Alphonsi Quintanillæ concio pro ineunda Hispanorum societate.

CAPVT II.

SI quisquam ex vobis est, viri Hispani, qui miretur, cur ego qui neque ingenio, neque doctrina, neque multa rerum experientia præditus desumpserim mihi, vel potius arrogauerim hoc dicendi munus, desinet profecto mirari, cum vitæ meæ rationes institutaque ab ineunte mea pueritia suscepta cognouerit. Ego, viri optimi, cum statuissem omne tempus meum in aula regia consumere, atque sine ęqualium meorum inuidia, obsequium meum infœlicissimo Regi primum, ac deinde inuictissimis his Principibus meis præstitissem, nunquam destiti cogitare, si qua in re Hispanis meis accommodus esse possem. Habeo huius animi mei testes cum alios quamplurimos, tum maxime ex vestro numero non paucos, qui ex me sæpe audierunt partim publice in huiusmodi locis verba facientem, partim priuate in sermone familiari, quam me hic status reip. non delectaret, in quo bonorum nulla aut certe perquam exigua ratio haberetur, malorũ vero passim grassaretur impunitas. Neq; id quidem Principum nostrorum vitio, quibus nihil iustius, nihil indulgentius, nihil humanius excogitari potest, sed temporum culpa, quæ non sinunt illos animaduertere in facinorosos, atq; pro dignitate bonos præmiis afficere, & quod ad commutatiuam pertinet iustitiam, ius suum cuique tribuere. Itaque cum nuper ego cum hoc collega meo honestissimo viro retulissemus ad illos de sermonibus quos de ineunda inter Hispanos societate Matricali habere cœpimus, per quam omnia in meliorem statum reformari possent, incredibile dictu est, quanta sint voluptate affecti, quanta gestierint lætitia, quanta nobis diligentia, studio, & cura commendarint, vt vobiscum de tanto tamque inopinato bono ageremus, operam omnem atque autoritatem suam polliciti, si quibus in rebus opus esset. Sed ad rem cuius causa huc venistis, redeamus. Negotium est quod non modo animos vestros à summo excitare, verumetiam ad facino-

roſorum hominum vltionem inflammare debeat. Agitur de priuatis facultatibus veſtris quas in agris, in paſtionibus, in mercaturis, in veſtris domibus habetis, quarum bona pars aut pactione aut vi ab his latronibus intercipitur. Agitur de amicorum oppreſſione, de filiorum integritate, de filiarum pudicitia, de vxorum caſtitate, de clientum veſtrorum incolumitate. Agitur de fiſco, regiiſque vectigalibus, quæ ſi non fide ſumma & ſine fraude exigantur, neceſſe eſt per capita ſiue cenſum veſtrum diſtribui omnia quæ ad illorum ſumptus neceſſaria ſunt. Agitur de veſtra omnium ſecuritate, qui neque per noctem domo egredi, neque per diem extra vrbium munitiones prodire audetis. Agitur de pietate, de religione, deque omni cultu diuino, quem videmus in dies refrigerari, atque in indubitatum tendere interitum. Quid igitur reliquum eſt viri Hiſpani, niſi vt bonis auibus ineatur ſocietas quæ tot nobis calamitates propulſatura ſit, totque commoditates paritura, quę dabit vitam cum tranquillitate iucundam, reſtituet virtutes quæ nos Deo atq; proinde hominibus faciant beneuolos, quæ nos ira atque proinde libidine ſuperatis, duabus animi peſtibus ingenitis, reddant nobis ipſis amicos? Et quoniam ſatis demõſtratum eſt hanc ſocietatem, ſiue illam libet fraternitatem appellare, debere fieri, ſupereſt vt oſtẽdamus, an poſſit fieri, & à nobis quidem fieri, ac pręterea facile & à nobis fieri. Nam de impoſſibilibus, aut ſimpliciter, aut à nobis fieri, quia in poteſtate noſtra non ſunt, nemo deliberat per ſe, neque alios in conſultationem admittit. Quod autem id de quo eſt præſens cõſulatio, poſſe fieri, & à nobis quidem fieri, & facile fieri, notius eſt quam quod demonſtrari debeat. Suppetunt namque pecuniæ, neque deeſt plæriſque omnibus conferendi voluntas, abundamus viris armiſque, neque opus eſt aliunde illa accerſere. Habemus autoritatem Principum qui noſtris inceptis fauent. Habemus cauſam potiorem, hoc eſt, iuſtam contra iniquos, quietis amatorum contra ſeditioſos, multos, & fortes viros contra paucos & ex ſcelerum conſcientia pauidos. Hoc experti ſumus in ipſo ſtatim initio, quo iuſtiſſimi noſtri Principes regnare cœperunt, cum iuſſiſſent in huiuſmodi homines acriter animaduertendum, id quod eſt Segouiæ geſtum. Mirum dictu, vno atque altero ad ſuſpendium adacto, repente omnes alii aufugere, neque vſquam deinde viſi ſunt. Qui ſtatus in hunc vſque diem permanſiſſet, ſi non Luſitanorum illa tempeſtas quietem noſtram interpellaſſet. Nam quid ego de ſocietatibus illis dicam quæ ſub Enriquo Rege fuerunt inſtitutæ, cum omnes viæ latrunculis & graſſatoribus eſſent obſeſſæ, cum viatores agminatim, ac nec ſic quidem iter facere auderent, nonne ad primam præconis vocem ſubito latuerunt? Durauit certe mos ille, quoad ipſi adminiſtri ſuis legibus abuſi ſunt, atq; ditionis ſuæ terminos tranſgreſſi. Ex quo neceſſe fuit ab Enriquo ſocietates illas diſſolui, quod certe nobis accidere non poteſt, quibus non eſt alia cura quam itinera pacare, latrocinia, furta, homicidia coercere, ac præterea nihil. Erunt fortaſſe nonnulli qui huic ſententiæ meæ obſiſtant, dicantque non poſſe iis de rebus facile conuentus fieri ex tam longinquis regionibus, aut ſi fiant, in conferendis ſtipibus non fore concordes. Erunt præterea qui dicant huiuſmodi ſocietates non poſſe diu conſiſtere, quod in aliis quoque huiuſmodi ſocietatibus factitatum ſumus experti. Et quos interim æquo iure coegerimus viuere, aut illi in quos fuerit acrius vindicatum, reddentur multo peiores quam antea fuerint. Immo vero ſi opus fuerit, non magna erit difficultas ſemel, aut bis in anno, per prouincias certis in locis conuentus aut nundinas fieri, quemadmodum paſtores menſtruas faciunt, quas vocant meſtas, atque etiam nunc annuas, quæ ſunt ſolenniores. Illi pro re tantum pecuniaria hoc faciunt, nos pro omni ſubſtantia noſtra, pro vita, pro libertate, pro religione non faciemus? Nam quod ad ſtipium collationem attinet, nemo eſt qui paruo ærę mercari nolit, quod alioqui ſit omni patrimonio redimendum. Nemo eſt qui cum hac de re ſum locutus, qui non geſtiat, qui non pruriat, qui non percupiat vndecunque depromere, æſtuare, extricare, quod ſit tanto operi erogandum. Quod vero nonnulli timent, ne ſi aliquando diſſoluantur iſtæ ſocietates, acrius inſurgant arcium præſides in ſubiectos populos, in quos antehac exercebant iniquam dominationem, qui receptabãt latrones, qui facinoroſos tuebantur: quin potius ſi nos intra ditionis noſtræ terminos cõtinuerimus, ſi nos nobiſmet ipſis non defuerimus, ſi condiderimus leges, quibus ſacrum hoc collegium ſanciatur, non modo non diſſoluetur, ſed manebit, æternumque durabit, quandiu peſſima hominum ſeges ſuborietur. An inter ciuitatis regiæ incolas Talabricenſeſque potuit per annos quamplurimos permanere qualiſcumque illa fraternitas ab hominibus obſcuris inſtituta, quæ tot commoditates per omnem regionem illam graſſatoribus refertam attulit, & vos Hiſpani, proceres illos ſaltem imitantes, non facietis in toto, quod illi fecerunt in parte? Expergiſcimini aliquando viri Hiſpani, & à maioribus veſtris ingentes animos concipite, quam iuſtam habeatis cauſam recogitate, cum quo hoſtium

genere

genere vobis res gerenda est intelligite, in facinorosorum hominum vltionem insurgite. Pro quibus meritis non solum in hac vita mercedem opimam laborum vestrorum consequemini, sed etiam in beatorum numero vestra nomina transcribentur.

Hispanorum societatis leges, legumque executores constituuntur.

CAPVT III.

POSTEAQVAM dicendi finem Quintanilla fecit, visi sunt omnes propemodum illius orationi atque sententiæ acquiescere, postulatumque est vna omnium voce, vt conderentur leges, quibus sacra societas illa sanciretur, atque stipis conferendæ statueretur modus, & militum numerus qui decreta exequerentur. Sed ne in ius regium contributio illa cederet, duraretque in æternum, cautum est, vt esset temporaria. Summa concilii ad Principes deuoluta est, & ab illis ad secretiorem illum augustumq; senatum, quo res Hispana gubernatur. Principio quod ad condendas leges pertinebat, data est facultas optimis quibusdam viris ex ordine equestri, atq; vtriusque iuris agendarumq; rerum peritis, numerus militum decretus bis mille equites, per classes vero stipibus distribuendis præfecti sunt viri boni, suarum rerum frugales, alienarum vero abstinentissimi. Constitutum est præterea collegium ex bonis prudentibusque viris, quos Hispani consueuere deputatos appellare. His præsidere voluerunt Lupum Riparium Carthaginēsem Episcopū. Nemo vnquam à principio putauit societatem illam tandiu permansuram, siue quod in primo illo triennio putabant à viarum latrociniis grassationibusq; posse Hispaniam purgari, siue quod populi grauate ferrent tam crebras fieri exactiones, siue quod antiquarū societatum exemplo, aliqua ex leui causa hæc quoq; posset dissolui. Constitutæ itaq; sunt ab initio tumultuariæ quædam leges, quippe quas putabant non longo tempore duraturas, sed qualescumq; illæ fuerint, nihilo minus confirmatæ sunt, additumq; robur, regiaq; autoritas, cum esset curia Matricali anno salutis sexto & septuagesimo supra millesimum quadringentesimum. Cumque postea ex triennio in triennium & deinceps societas illa propagaretur, & ex negociorum varietate cotidie noui casus emergerent, opus quoq; fuit nouo Principum remedio. Fuerunt autem casus, in quibus societas illa iuris dicendi exequendique iudicii facultatem haberet, quinque: primus in illos qui furtum, aut latrocinium, aut mortem, vulnusque, aut vim aliquam in loco deserto intulissent: secundus in eos qui illa eadem facinorosa in populo commisisset, perpetratoque scelere solum vertisset, in fugamque se proripuisset: tertius in eos qui aut fores effringerent, aut domorum parietes effoderent, aut incendia valuis apponerent, aut scalis admotis diætas noctu conscenderent: quartus in eos qui stuprum in cuiusq; ætatis, aut sexus, aut conditionis hominem inferrent: quintus in eos qui iuris iudiciiq; executores impedirent, quo minus rem demandatam exequerentur. Constituuntque, vt in omnibus ciuitatibus, oppidis, municipiis, castellis, vicisque grandioribus, bini pedanei iudices quotannis crearentur, & executor vnus, qui haberet facultatem iudicandi, determinandi, absoluendi, condemnandi, sententiamque exequendi, in iis duntaxat casibus quinq;. Si quid autem præter hos quinque casus legibus expressos emersisset, de quo merito dubitari posset, ad societatem ne illam, an ad ordinarios recurrendū esset, placuit rem integram ad ipsos Principes deferri, ex quorum arbitrio ea de re aut nouæ leges conderentur, aut si videretur, iuri communi definiendum relinquerent. His itaq; ordinatis omnes ciuitates, oppida, populique sanctam & salubrem illam fraternitatem inierunt, præterquam illi qui dominos priuatos habebant, veriti ne inde sibi exactiones geminas exigerent, vnas quas fraternitati, alteras quas priuatis dominis dependerent. Quæ res cum ad Comestabilem Hispaniæ delata esset, non modo non renuit, sed vltro illos qui dominationi suæ subditi erant, hortatus est, ne tam vtilem, iustam, honestamq; societatem recusarent. Huius exēplo reliqui omnes Hispaniæ proceres secuti sunt, neq; secutos fuisse postea pœnituit.

De Cantapetra Regis & Reginæ iussu obsessa, deq; Beneuentani Comitis liberatione.

CAPVT IV.

POST victoriam partam ex ea pugna qua in agro Taurino Dorii fluminis pugnatum est, Lusitani partes paulatim defluere, Regisque ac Reginæ procedere in melius cœperunt. Amissæ namq; munitiones quæ pro Lusitano steterant, ad Hispanos Principes

accreſcebant,& ii quibus autoribus ille tantum negocium inchoauerat,partim ſuis difficultatibus impliciti,partim fortunam ſecuti victoris,auxilia promiſſa non mittebant.Sola itaque Taurus cum paucis adiacentibus caſtellis & oppidulis in fide permanſit, inter quæ fuerunt caſtrum Inui,Septem eccleſiæ,Cantapetra,vnde Luſitani excurſiones crebras in agros finitimos faciebant. Quas vt compeſcerent, viſum eſt Principibus noſtris Cantapetram in primis debere obſideri,propterea quod & captu facilior videbatur,& ad res deinceps gerendas locus opportunior,& quod impræſentiarum latrones graſſatoreſque plura nocumenta quam aliunde inferebant, non ſolum in vicos agroſque finitimos Salmanticenſium,Methymnatium,Matricalenſium,ſed etiam in longinquiora loca, excurſiones populationeſque crebras facientes.Erat oppidum illud nō ingenio loci, quippe quod erat in planicie ſitum,non arte,neque hominum cura munitum,cuiuſmodi ſunt epiſcopia,hoc eſt epiſcoporum prædia,quorum vſus fructus non perpetuus, ſed temporarius eſt,& cum illorum vita terminatur,neque tam futuris proſpiciunt, quam præſentibus vtuntur fruunturque.Hoc tamen Luſitanus quanta potuit diligentia muniuit, atq; aggere,vallo,foſſaque præcipiti,& cuniculis rectis,tranſuerſiſque,& murorum cauis inexpugnabilem reddidit, ex equitibus peditibuſque addidit ſtrenuiſſimum quemque, quibus præfecit Alphonſum Petridem Viuarium,paris ſtrenuitatis & audaciæ virum.At noſter balliſtas, tormenta ſulphuraria,machinaſque eo comportari iubet,ſtationes à tergo & à fronte munitas diſponit,militeſque per illas diſtribuit, præfectoſque accommodat,quid cuique ſit agendum,præcipit. Contra caſtrum Inui Septemque eccleſias certis in locis præſidia diſponit,ad compeſcendas latronum excurſiones per agros, ne pabulatorum,lignatorumque,ac frumentatorum miniſteria interciperent, & quia neceſſe erat Regem ipſum Panhiſpanio quod Matricali agebatur,intereſſe,obſidionis curam Duci à villa Formoſa fratri notho, & Comiti à Triuinio commendat, ipſe itque reditque viam, toties quoties vtrobique illius præſentia opus erat.Nullum interea tempus ocio dabatur, quin ſtationarii milites ſtationes muris promouerent,machinarii tormentis mœnia quaterent,ſclopetarii glandibus, arcuarii ſagittis, fuſtibularii lapidibus obſeſſos laceſſerent. At illi contra eruptionibus crebris non ceſſant ex improuiſo ſecuros impetere, tumultuariiſque pugnis medio in campo cum illis decertare.Editur vtrinque cædes maxima, ſed in Luſitanos proportione multo maior,quia ex paucis numerus minuebatur, qui ſuppleri non poterat,niſi auxilia mitterentur. Scribunt itaque ad Regem ſuum,quo in ſtatu res ſit,certiorem faciunt,niſi ſupplementum cohortibus reficiendis mittat,non poſſe diutius obſidionem ſubſtineri,neque fieri,quin ſe aut victori dedant,aut ferro fameque mors oppetenda ſit.At Luſitanus receſſitis copiis quas habebat imminutas, tum ſuorum abitu, qui deſiderio domus ſine commeatu in patriam redierunt, tum morbis ex laboribus victuq; maligno,tum quod ex auxiliariis nemo apud eum remanſerat,cum non auderet ad ſoluendam obſidionem recta proficiſci,ad alias artes ſe contulit,exercitum ſtatuit in Salmanticenſem agrum ducere, vicos igni ferroque vaſtare,eo conſilio,vt noſter intermiſſa obſidione ſuis laborantibus opem ferret,& obſeſſis reſpirandi locum daret, & ad commeatus aliaque neceſſaria importanda,& ad permutandos bene valentibus ægrotos, vegetis integriſque feſſos atque vulneribus confectos.Erant qui Regi dicerent, huiuſmodi populationibus inſiſtere non eſſe opus regium,ſed latronum graſſatorumque : illud vero magnificum,generoſum,atque ingentis animi opus,ſuis laborantibus opitulari, in ſummis periculis poſitos media ex morte recipere. Quod ſi non ſuppetebant vires, vt cum hoſte ſignis collatis decertare poſſet,vaſtationem illam vicorum,agrorumque populationem,honeſtius tutiuſque per præfectos fieri poſſe dicebant.Erant qui ſuaderent, vt ad Gallorum Regis pacta promiſſaque recurreret, quãdo inclinatis rebus ac propemodum perditis non erat vnde ſubſidium maius certiuſque ſperari poſſet. Alii contra, leuitati Gallicæ non multum eſſe fidendum,cum præſertim quo tempore fœdus illud initum fuerat,Luſitanis rebus fortuna aſpirare videbatur,quæ nunc aduerſa refragaretur. His ſententiis Luſitanus incertus quid faceret,pergit,vt id exequeretur quod ab initio conſtituerat,in agrumque Salmanticenſem ducit exercitum. Quod vbi noſter comperit,cum parte exercitus Comitem à Triuinio mittit, qui Luſitani conatibus aduerſetur, ſeque cum Salmanticenſibus iungat. Id cum Luſitanus ex interceptis exploratoribus accepiſſet,ſimul etiam & Hiſpanum,cui non erat par,Comitem ſubſequi, reputans ſecum non eſſe è dignitate regia cum Comite pugnare,neque prudentis cum ſuperiore confligere, cœpit ſe paulatim in Taurum ſuam,hoc eſt in latebras notas,recipere.Sed ne ſuos in tanto periculo deſereret,cœpit cum victore de permutandis captiuis agere,vt ipſe Beneuentanum Comitem data fide abſolueret, oppidaque & caſtella quæ ſecreto data erant, redderet,

deret,noster Comitem Pinnamancorum liberum ex vinculis abire iuberet,obsidionemque Cantapetræ tolleret, ea lege, vt præsidiarii milites anno ab armis cessarent: id quod Pharii Comitis interuentu peractũ est. Beneuentano Comiti in damni accepti compensationem à rege & regina aureorum ducalium millia decem dono data, la corunna quoque ciuitatis cum portu iampridem illi facta,rursus cõfirmata est,imperatumq; arcis præsidi,vt illam Comiti traderet. At oppidani tametsi seditionibus intestinis erant discordes, ad hoc vnum facta conspiratione, arcem in Comitis potestate positam videntes, seque à regali corona alienatos,pro communi libertate acriter insurgunt, arcem obsident, terra marique oppugnant. Cæterum Comes ex familiaribus cognatisque, & amicis, ac gregariis militibus cohortes parat,quas in auxilium obsessis mittat. Oppidani vero ex instanti periculo facti acriores,obsidionem premunt, stationes à terra mariq; muniunt, diu noctuq; obsessis negocium facessunt. Comes deniq; cum eo quod semel intenderat, nihil proficeret,spe frustratus, cum oleum perdidisset & impensam, ab incepto desistit. At ciues magna cum sua lætitia ex Comitis seruitute in perpetuam se libertatem vendicarunt.

De profectione regis ad patrem, deque fontis Rabidi obsidione ab eodem rege obiter soluta.

CAPVT V.

CVM hæc apud Vectones in Hispania geruntur superiori, Ioannes Tarraconensium rex, huius nostri Ferdinandi pater, per literas sæpe cum mandatis filium pellexerat, vt cum sibi per instantium negociorum intermissionem liceret, veniret ad se commentaturus de rebus quæ ad vtriusq; commoda regnique gubernationem pertinerent. Erant eo tempore rex & regina Valladoliti. Sed rex vt patris voluntati obsequeretur, in Tarraconense regnum proficiscitur:regina vero Turdesellas cum præsenti exercitu, vt se Lusitani conatibus,si quid interea moliretur, opponeret. Per idem quoque tempus Gallorum rex fontem Rabidum obsideri iusserat, atque in Bardulos finitimos vicorum direptiones agrorumq; populationes fieri. Cuius rei accepto nuncio rex noster posteaquam patris desiderio satisfecerat,& rebus propter quas venerat ordinatis,ad Cantabrorum vrbem Victoriam venit, atque ex Asturibus, Bardulis, Cantabris, Vasconibus, superiorisq; Hispaniæ populis, ad quinquaginta peditum millia diuersorum generum armaturæ coegit,omniq; hoc belli apparatu ad fontis Rabidi obsidionem proficiscitur. Iam Galli de aduentu regis cum exercitu intellexerant, regemq; suum quid illis faciendum esset, consuluerãt,illisq; responderat,vt cederent tempori,seq; OEasonem reciperent, ibique hybernarent, vere proximo eandem obsidionem redintegraturi: nec secus atque sunt iussi, faciunt. Noster vero de Gallorum abitu factus certior, & ipse quoq; suas copias dimittit. Vtrosq; Bardulos,montanosque populos lustrat,imperio suo legibusq; obsequentes laudat, in criminosos animaduertit, totamque prouinciam pacatam relinquit, atque ad res inchoatas reginamque rediens, controuersias procerum ex regno Nauariæ obiter componit. Nam erant ex illis qui Pompeiopolim vrbem totius regni metropolim, aliaq; oppida & castella vellent illi tradere, atq; se ipsos omnesque fortunas suas illius fidei permittere. Quod rex auersatus renuit, Phœboq; ex sorore sua nepoti adiudicauit. Inter Lermatem Comitem, Petrumq; Peraltanum simultates composuit, & cum æternam pacẽ non posset,inducias temporarias indixit. Cardinalis interea pontificalis officii partes esse ratus operam suam interponere, literas cum mandatis ad Gallorum regem mittit, Hispanorum Gallorumq; antiquam societatem amicitiamq; commemorat, Bardulorũ officia in Gallos,inimicitias in Britãnos ex professo narrat, in quos nunc sæuire armaq; inferre iubeat, in illorum fauorem qui quondam fuerint illi hostes acerrimi. Rogat,immo obsecrat,obtestaturq;,vt à tanta rei indignitate se abstineat,neq; velit amicos veteres inimicis permutare. Nam quod ad Ruscinonis Comitatum pertinebat, non erat tanti, vt tam inueterata societas solueretur, cum præsertim si quid fractum aut dissutum erat, facile posset refici ac resarciri,si ad vtriusq; regni collimitium mitteretur vtrinq; viri boni & sapientes, quorum arbitratu & sententia lites contentionesq; sedarentur. Per eundem Cardinalis familiarem Gallorũ rex rescribit, non displicere sibi reditus in gratiam cum Principibus Hispanis,si conditionibus æquis negocium transigeretur, & Lusitani quoq; qui se illi commendarat, ratio haberetur. Ad perficiendam rem inchoatam vltro citroq; internuncius commeat remeatque, quoad ventum est ad illud, vt in annum induciæ constituerentur, quo tempore dissensiones inter Hispanorum Gallorumque reges transigerentur, ex qua transactione totus Lusitani conatus pendebat.

Parietinus Comes Vclesium capit, arcem obsidet, ac deinde in deditionem accipit.

CAPVT VI.

QVo tempore in Hispania superiori à rege nostro hæc gerebantur, Dux Infantatus in Carpetania Madriti arcem quæ adhuc pro Marchione stabat, iussu Principum obsidione cingebat. Comes Parietinus qui, vt sæpe dictum est, diui Iacobi Magistrum militiæ se profitebatur, Vclesium oppidum illius ordinis alterum caput proficiscitur, oppidoque potitus arcis præsidem hortatur, quando ratione Magistratus ad se pertineret, eam sibi traderet, & cum sæpe antea precibus, blanditiis, & pollicitationibus nihil profecisset, minis agere cœpit, & nisi pareat, se arcem obsessurum, neque quieturum, quoad illam expugnet, pœnasque ab illo exacturum quas proditores solent pendere. At præses vir constans fortisq;, nihilo magis quam antea mouetur, arcemq; armis & omni commeatus genere munit, seque ad omnem belli fortunam aptat. Cæterum Magister hominis pertinaciam cernens arcem obsidet, perq; bimestre spacium obsessos eo angustiarum redigit, vt iam & ad victum necessaria, & ad ægrotantium medicamenta, & ad vulneratorum remedia, omnia quibus erat opus, deficerent. Quo in statu sit res, Marchionẽ præses certiorem facit, & nisi quamprimum suppetias ferat, nullam esse moram quin qualicunque conditione faciat deditionem. Erat eo tempore Marchio Compluti cum Archiepiscopo Toletano, cuius vtriusq; idem erat sensus de re communi. Qui videntes ex illa arcis cum oppidulo amissione, quam magnum detrimentum sequeretur, ad impendentis ac futuri belli opportunitatem, simul etiam quod Lupus Vascus Archiepiscopi frater, atq; eiusdem factionis perquam studiosus, qui præsidio tenebat Optum ciuitatem finitimam, reddebatur infirmior, ex familiaribus, & amicis, propinquisque, & aliis eiusdem sectæ participibus cogunt grauis & leuis armaturę equitum ad tria millia, qui numerus multo superabat obsessores. Non potuit Magistrum latere tantus belli apparatus qui contra se fieret. Rem ad commendatarios, cohortiumq; præfectos, ac primarios viros refert, quæ sit eorũ sententia, exquirit. Omnibus visum tempori esse cedẽdum, neq; expectandum, vt tanta spes fortunæ belli committeretur. posse namque alio tempore obsidionem illam commodius repeti & tutius continuari. At Magister, vt erat natura ingenti animo, & ex magnitudine rerum quas gesserat, magnam sui fiduciam habens, fretus quoq; meliori causa, & cui nõ dubitabat diuum Iacobum cuius tesseram belliq; insignia gerebat, propitium fautoremque fore, obfirmat animum, commilitonibusque respondit se velle in obsidione præstare, vitamq;, si opus sit, pro laude atque maiorum suorum dignitate pacisci. Cum vidissent illum commilitones animo tam obstinato, vt neq; passum ab incepto retrocedere vellet, alacres operi se accingunt, fossas murorum eruderant, aggeres vallosq; erigunt, propugnaculis mœnium pinnisq; pluteos appendunt, stationes vero crebras vallo fossaq; munitas contra arcem disponunt, & fortissimo quoq; milite cõplent. Nunquam putarant Archiepiscopus & Marchio, Magistrum tantas copias expectaturum. Sed cum ad oppidi muros accessissent, stlopetarũ glandibus, scorpionumq; sagittis repulsi: per extrariam arcis portam, posticumq; admissi, in stationes agmine facto irrumpunt. Pugnatum est vtrinq; vehementer ab ortu solis ad occasum. Cadebant ex vtraque parte multi, sed à Marchionis & Archiepiscopi multo plures, propterea quod iniquitas loci hos impediebat, illos vero adiuuabat, & quia succincti venerant putantes Magistrum non expectaturum hostes, neque machinas ad oppugnandum, neq; victum ad permanendum, neque commeatum & necessaria ad arcem instruendam: opus intermittunt, atque in tempus aliud differunt, receptisque vulneratis & ægrotis, atq; in eorum locum validis robustisque suffectis, ad suos quisque reuertitur, intra paucos dies cum machinis, & tormentis, magnoque commeatu, grandioriq; exercitu redituri. Eodem tempore, quemadmodũ paulo ante diximus, Dux Infantatus Madritanam arcem regis & reginæ iussu obsidebat. Qui factus certior Toletanum Marchionemq; à Compluto Vclesium versus copias ducere, carrisque & plaustris numerosas grandesq; machinas magnamq; vim commeatus secum vehere, partem exercitus retinet ad cõtinuandam obsidionem, partem Magistro mittit in auxilium ad distribuendos Marchionis, & Toletani præsulis conatus, copiisq; Furtatũ fratrem præficit, monetq; quid illum facere oporteat. Ille, qua hostes venturi erant, locum opportunũ occupat, Magistrum de aduentu suo, & qua de causa venerit, certiorem facit. Ille vero refectus recreatusq; tam insperato auxilio, munitis stationibus tantum relicta obsidione cum reliqua exercitus parte auxiliaribus se cohortibus adiungit. Iamq; hostes aduentabant, iam se medio in campo mutuo cõspiciebant, neq; amplius inuicem aberant, quam quo telorum ictus

ictus poterant pertingere. Continuerunt se tamen, & neutri in alteros irruerunt: quia orto iam vespere non supererat lux ad decernendum armis. Itaque locum tutiorem ad pernoctandum vtrique sibi eligunt, ordinatisque cohortibus, in armorum procinctu vtrique expectant, quid alteri molirentur. Marchio vero & Archiepiscopus cum perspicerent se nō posse exequi id cuius causa venerant, nisi armis viam aperirent, veriti summam omnium rerum suarum fortunæ vnius prælii committere, sub ipsum mediæ noctis silentium in castellum quoddam quod pro ipsis stabat, neque longe aberat, se recipiunt, posteroque die sine vlla spe arcis recuperandæ Complutum rediere. Atqui præses præsidiariique milites cernentes se omni auxilio destitutos, neque in rerum omnium penuria posse diutius famem tolerare, deditionem faciunt, rebus propriis quæ ante obsidionem possederant, & vita quæ iam in potestate victoris erat, concessa.

Lusitanorum rex Tauro relicta in regnum suum redit, atque inde ad Gallorum regem proficiscitur, & quid illic egerit.

CAPVT VII.

LVSITANVS rex cum videret se delusum ab iis quibus autoribus tantum negocium susceperat, atque omnia cessisse aliter quam ab initio putauit, Marialbano Comiti arcis vrbisque Tauri præsidium commendat (nam Ioannes Vlloa ille qui sibi vrbem tradiderat, repentina morte interceptus erat) dispositisque præsidiis per castella & arces quæ pro illo stabant, ducta secum Ioanna e sorore nepte sua, Lusitaniam suam repetit. Diuq; secum reputans quam turpe illi foret non modo apud suos, sed etiam apud amicos & alieniores, quorum aures falsis rumoribus impleuerat, neque iam spes vlla esset reliqua, nisi in Gallorum regis fœdere quod pepigerat, pollicitationibusq; quas illi iureiurando sanxit, statuit iam non per literas, non per nuncios legatosque, sed per seipsum res suas agere, ordinataq; regni administratione classem armat, & omnibus ad viaticum necessariis implet, conscensa naue prætoria in Galliam Narbonensemq; nauigat, Massiliæq; vrbis portum subit, regemque Gallorum qui in Turonensibus turribus eo tempore morabatur, de suo aduentu certiorem facit. Gallus eo nuncio lætus, aut lætitiam vultu simulans, honorifice hospitem excipi benigneq; tractari iubet, & pro regia dignitate omnia ministrari. At Lusitanus iter suum eo dirigit, vbi rex Gallorum esse dicebatur. Rusticabatur autem eo tempore non longe à turribus Turonensibus, qui factus certior Lusitanum aduentare, oppidoque propinquum esse, mittit in occursum qui rogent dicantq;, vt ex nauigationibus viæque laboribus in oppido quiesceret, seque ad breue tempus venturum dicit, & venit quidem, dataque & accepta salute, se comiter atque honorifice alloquuntur tractantque, & multis verbis vltro citroq; habitis rerum suarum commentationem in aliud tempus differunt. Post aliquot dies Gallorum rex Parisios proficiscitur, quem subsecutus est Lusitanus, qui videns regem aliis negociis implicitum, sua vero quorum causa tam longam viam terra marique fuerat emensus, de die in diem protrahi, adhibet bonos & graues viros regisque amicos, qui exponant illi causam sui aduentus in Galliam, commemorentque ictum fœdus spemque auxilii quam sit pollicitus ad gerendum bellum contra communes hostes, ipsius regis, quo Ruscinonis Comitatum repetere audent, suos, cuius dotale regnum contra omnia diuina & humana iura retinent. Esseque tanti regis etiam si non de sua vtilitate ageretur, prohibere iniurias, subleuare lapsos, supplicibus opem ferre, atque regno expulsos in pristinum statum erigere: hoc esse regum opus honorificentius quam regnare. Quare oblitus se regem, genuaque amplectens orabat obtestabaturque, ne in causa tam iusta & honesta desereret, fortunæque regum misereretur, eorum maxime qui vim paterentur iniuste. Sed neque fortunas suas tam esse perditas vt non haberet regnum auitum adhuc incolume, atq; in ipso vnde summoueretur, vrbes, oppida, castella, proceres, viros principes ac primarios, quorū idem sit cum illo sensus de repub. Hispana. Ad rem tamen conficiendam vnum tantum deesse caput, ducem, moderatoremq;, cuius auspiciis omnia gererentur, eum esse regem Galliarum ac præterea neminem. Ad hanc Lusitani petitionem, ac potius promissi ac debiti exactionem, Gallus per eosdem internuncios respondet, non debere mirari Lusitanū, si homo tot tantisq; negociis implicitus ad res illius non respexerit. Sum (inquit) ô amici solicitus bellorum quæ mihi (vt videtis) impendent, alterum hinc à Burgundionum Duce, alterum illinc à Britannorum rege, quorum conatibus reprimendis binæ copiæ sunt comparandæ, quas iam oportebat fuisse conscriptas, præter eas quæ sunt O Easone cōtra Bardulos Hispaniæque superioris incolas, quibus erat sibi animus alias adiungere. Vt tamen causa pro qua

bellum erat gerendum fieret iuſtior, debere ipſum imprimis neptem ex ſorore iuxta conſuetudinem Romanæ eccleſiæ vxorem ducere. Alioqui neque ille poſſet eſſe rex, nec ſe illi poſſe iure opem ferre. Et quia intercedat illi cum ducenda vxore propinquitas ſanguinis, quæ eſſet impedimento quo minus iure poſſet fieri, ſupplicandum eſſe à ſummo Pontifice, vt illos à legibus ſolueret, quem prohiberet in iura connubii matrimoniumq; conuenire. Hoc regis Gallorum reſponſo Luſitanus non multũ lætus, exequitur tamen quod Gallus monebat. Literæq; ſupplices ab vtroq; ea de re ad ſummum Pontificem datæ, cœptumq; in curia de negocio diſceptari, neq; defuerunt vtriuſq; partis aduocati qui rem in ſummam difficultatem deducerent. Vrgebant Pontificem regis & reginæ Hiſpaniarum legati, dicentes ex illa diſpenſatione, ſi concederetur, ſequerentur multa detrimenta per omnem Hiſpaniam, cædes, latrocinia, agrorum populationes, viarum graſſationes, atque dari materiam vnde religio mortalium & cultus diuinus minueretur. Cumq; diſpenſationes huiuſmodi conciliandæ pacis & tollendarum litium contentionumq; cauſa concedi debeant, nunc concederetur in ſeminarium diſcordiæ ac ſimultatis, non modo ipſorum regum, ſed etiam ſummatum, & infimatum, & mediocris conditionis hominum odia, inimicitiæ, diſſenſiones orirentur, & quæ bello implicitos ſequi conſueuerunt. Inſtabant ex altera parte Gallorum regis legati & procuratores, dicentes iniuſte ſibi denegari quod aliis concedi ſolet, neq; regem ſuum ita meritum eſſe de ſede Apoſtolica, vt eius petitiones in caſſum cederent. Quibus Pontifex videbatur fauere, propterea quod opera Gallorum regis indigebat ad certas quaſdam res ad Cameram Apoſtolicam pertinentes. Tandem vicit vtilitas, diſpenſationem concedit, datq; Luſitano perferẽdam, ſecreto tamen, ne res aduerſariis nunciaretur. Interea Luſitanus ad Burgundiæ Ducem proficiſcitur, cum quo erat illi arcta ſanguinis propinquitas, experiri volens, ſi poſſet illum cum rege Gallo in cõcordiam reducere, quo facilius auxiliares copias à Gallo poſſet habere. Erat eo tempore Burgundionum Dux occupatus in bello quod cum Lotoringiæ Duce gerebat. Locutique inter ſe multa de conditione reditus in gratiam Ducis cum rege Gallo, Luſitanus partes negocii peragendi ſuſcipit, rediensq; Pariſios nuncium accipit de morte Burgundionum Ducis, in prælio quo pugnatum eſt cum Lotoringiorum Duce. Burgundiæ Ducatus propterea quod Dux ſine liberis deceſſerat ſexus virilis, ex Gallorum legibus ad coronam corpuſque regnorum Gallię deuoluebatur. Rex occaſionem ex morte Ducis Ducatus capiendi arripit, hoc vnum agit, Luſitanum dimittit, in Hiſpaniam vt redeat hortatur, ſeque confecto Burgundiæ negocio miſſurum maiores copias quæ ſe limitaneis coniungant qui erant OEaſone, pollicetur, Luſitanus omni iam ſpe fraudatus, eo miſeriæ fortunarum ſuarum deuenit, vt de religionis ingreſſu cogitaret, idque Hieroſolymis, vt eſſet longius, quam quo rerum Hiſpanarum nuncius peruenire poſſet, feciſſetque, niſi à familiaribus, atq; imprimis à Phario Comite qui illum in tota peregrinatione illa fuerat ſecutus, mutare ſententiam fuerat coactus. Tunc abeundi copia à Gallorum rege petita & obtenta, eadem via remenſo mari in Luſitaniam ſuam qua venerat, reuerſus eſt.

De Segouienſi arce dolo à Maledonato capta, & à regina rurſus in poteſtatem ſuam redacta.

CAPVT VIII.

ANDREAS Caprarius, quem in parte ſuperiori ſæpe diximus ſub Enriquo rege fuiſſe regiæ domus villicum, atque Segouienſis arcis præſidem, ex quo tempore Luſitanus in mediam Hiſpaniam irruperat, regi & reginæ familiariſſimus fuit propterea quod fortuna belli adhuc ancipiti, Luſitano relicto partes illorum ſecutus eſt, theſauroſq; regis Enriqui quos in arce ſeruandos depoſuerat, opportuno tempore illis tradidit. Quo facto ita Principum voluntatem demeruit, tantamq; ab illis gratiam inierat, vt non modo nihil ex iis quæ antea poſſidebat, immutarent, ſed illum poſtea multum beneficiis & honoribus accumularent, inter quæ arcis præſidium vrbiſque tutelam, &, quod grande pignus amoris erga illum & illius erga ſe fidei fuit, quod vnicã filiam Eliſaben iuniorẽ iam Principem deſignatam (nondum enim Ioannes erat natus) illi ad ſeruandam educandamque commendarunt. Erat Alphonſus quidam cognomento Maledonatus, cui Caprarius arcem ſui loco tenendam crediderat, quam poſtea Petro à Bouadilla ſocero ſuo Beatricis Bouadillæ vxoris ſuæ patri tradi iuſſerat. Maledonatus ſenſit eam honoris diminutionem, indoluitq; amplius quam pro materia decebat, habitaq; temporum ratione, in quo non modo ſceleris quod parabat, impunitatem aſſequeretur, verumetiam grãde aliquod ſibi prouenturũ, cœpit cogitare quemadmodum arcem prenderet, Eliſabenq; Principem

in poteſtatem redigeret, quibus obſidibus cum rege & regina, ſi poſſet, proditionis precium paciſceretur: quod ſi non liceret, ad Luſitanum confugeret. Erat illi tanta familiaritas in ea domo, vt ingrediendi arcem & exeundi facultas ſemper pateret. Fingit ſibi opus eſſe ſaxo quodam magno quod erat in arce. Id ſibi Maledonatus petit, ad neſcio quos domus ſuæ vſus, & cum vix a pluribus verſari poſſet, armat quatuor facinoris quod incipit conſcios. Arma fuerunt occulta, & quæ facile tegi poterant, cum præſertim ab illis nulla poſſet oriri proditionis ſuſpicio. In arcis portas irruunt, ianitorem trucidant, præſidem in vincula coniiciunt. Cuius ſatellites cum putarent tantum ſcelus non potuiſſe niſi à plurimis attentari, in turrim perpulchre munitam, vbi Eliſabe Princeps erat, ſe recipiunt. Cum illam proditores oppugnarent, nihilque proficerent, reliquas arcis munitiones & propugnacula occupant, & quia pauci erant ad tantam rem tuendam, ex ciuibus qui alterius erant factionis, complures admittunt. Ioannes Arius ciuitatis præſul, qui propter ſimultates, quas cum villico habebat, eo tempore aberat, ad rei actæ nuncium accurrit, ſeque vrbis primoribus agglomerat. Ciuitatis portas quæ à villico ſtabant, non magno negocio capiunt. Regina certior facta earum rerum quæ Segouiæ gerebantur, eo iter arripit. Iamque vrbi aduentabat, cum ciuitatis proceres, legatos ad illam in occurſum mittunt, qui ſupplicent illi ne admittat ſecum in vrbem Comitem Beneuentanū, quippe qui pedibus manibuſq; fauebat villico, eiuſq; vxori Beatrici Bouadellæ. Quod niſi prohiberetur vrbem intrare, poſſe fieri vt populus ira percitus aliquid auderet, quod in ipſius reginæ offenſam & villici atq; eius vxoris perniciem cederet. Ad quam petitionem regina reſpondet, iniquum eſſe quod Segouienſes ciues vellent imponere leges Principibus, quas ſubditis cōſueuerunt imponere reges, victoreſque victis. Ite igitur (inquit) atq; meis verbis dicite illis, vt deſinant inſanire, moliantur que aliquid quod poſtea in ipſorum caput retorqueatur. Hæc dicens, vrbem cum vniuerſo comitatu ingreditur, atque deinde arcem petit. Cumq; arcis pars à ciuibus teneretur, pars ab iis qui in auxilium villici præſidiſque confluxerunt, neq; ceſſarent miſſilibus ſe laceſſere: Cardinalis & Beneuentanus Comes, aliique quibus regina auſcultabat, ſuadebant illi vt arcis portas claudi iuberet, ne ſi furor populi frequentis arcem occuparet, pugna conſereretur, quam nemo, nec ipſa quidem, poſſet dirimere. At illa contra iubet omnes portas aperire, populumque admitti quantum arcis impluuium capere poſſet. Quos regina ex ſuperiori loco comiter allocuta, Dicite, inquit, ô amici, quis furor agitat vos, aut quid ſibi vult in media rerum omnium tranquillitate hic armorum tumultus? Si quid eſt quod in rem veſtram ſit, aut malæ tractationis aliquam habetis in villicum actionem, en ego adſum, quæ remedium ponam, neq; patiar à quoquam ex iis quibus iuſtitiam aut partem aliquam reipubl. adminiſtrandam commendaui, iniuriam fieri. Omnes vna voce conclamant, Excludatur villicus, cuius inſolentias atque ſuorum pati non poſſumus. At illa iubet omnes qui à ciuibus ſtabant, & qui ab Andrea Caprario, ex munitionibus pelli, eiuſque præſidium Gonſalo Aconi regiæ domus œconomo & quæſtori maximo ſub publica fide tradit. Ciuibus autem imperat, vt deputent certos, bonos, ſapienteſque viros, qui deferant ad ipſam, aut ad eos quibus ipſa cauſæ cognitionem commiſerit, querelas illorum quos Caprarius aut ſuorum quiſpiam læſerit. Ille vero innocentiam ſuam purgauit, & ſi quid obiectum eſt, & omnem culpam in ſuos reiecit. Nam compertum eſt poſtea, totum illud inuidia & maleuolentia quorundam nobilium eſſe conflatum. Quare regina & arcis præſidium & alia ornamenta dignitatis illi reſtitui iubet.

De Archiepiſcopi Toletani & Marchionis Villenatis cum rege & regina reditu in gratiam.

CAPVT IX.

QVANTA pertinacia & rebellione Archiepiſcopus Toletanus & Villenatum Marchio Luſitanorum regis partes ſecuti ſunt, in libris ſuperioribus demonſtratum eſt, eoq; fortuna illos deduxerat, vt nihil iam quærerent, niſi honeſtam viam ab officio male promiſſo diſcedendi, ſeq; ad melioris cauſæ principes transferendi. Spem vero omnem fiduciamq; rei conficiendæ magnam in rege Tarraconenſium habebant, qui de illorū reditu in gratiam cum rege & regina ſæpe egerat. Sed interim mittunt bonos prudenteſq; viros & religioſos, qui errata excuſent, pœnitentiamq; erratorum exponant, & petant veniam, voluntatemq; in poſterū intermiſſa obſequia emendandi declarent. Acta eſt cauſa diligenter apud regem & reginam per amicos, quorū orationi & precibus acceſſerunt literæ à Tarraconenſium rege qui cōficiendo negocio plurimū ſtudebat. At Principes no-

ſtri habita ratione temporis & fortunæ quæ in rebus bellicis plurimū dominatur, & paruo momento huc & illuc impellitur, deinde quod meminerant officiorum Archiepiſcopi, quæ apud ipſos fuerunt illuſtria, quo tempore in multarum rerum difficultate laborabat, & quod Marchio trahebat ſecum multas nobiliſſimaſq; familias propinquorū & affinium amicorumq; qui illum ſequebantur: ſtatuunt illos donare venia, vt hoc vno beneficio & rex patri, & regina ſocero obſequeretur, ſimul etiam vt illos ex hoſtibus amicos facerent, exequerenturq; Vergilianum illud quod fuerat Romanorum peculiare, *Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos*. Atq; vt beneficium beneficio cumularent, vectigalia & bona quorum vſu illis fuerat interdictum, reſtitui iubent. Sed & Lupus Vaſcus Archiepiſcopi frater Optum vrbem cum arce tradidit, tametſi ab Enriquo rege hæreditario iure fuerat ea donatus. Madriti quoq; arcem quam Dux Infantatus longa obſidione premebat, regis & reginæ arbitrio relinquit. Caſtrorum etiam Iuliorum arcem quæ Præſidi Petro à Beatia pro ſe ſtabat, ſequeſtro tradēdam Gonſalo ab Auila pollicetur, quoad ſibi ſatisfiat quibuſdam de rebus ex pacto conuento quod cum illo pepigere. His in hunc modum peractis iureiurando ſanxerunt, ſe permanſuros in fide atq; obſequio regis & reginæ, ſeq; pro hoſtib. habituros quos illi hoſtes eſſe, & pro amicis quos illi amicos eſſe decreuerint. Archiepiſcopus inſuper ad ſummum Pontificem ſedemq; Apoſtolicam dat literas de ſuo reditu in gratiam cum rege & regina, partim excuſans ſe quod fecerit tot mutationes in exhibendo ſuis Principibus obequio, partim accuſans pœnitentiamq; agens quod abiurata Eliſabe Principe ac deinde regina, quam antea iurauerat, Ioannam ſubditiuam Enriqui regis filiam iureiurando Principem reginamq; poſtea deſignauerit. Nunc vero ſe bonafide rediſſe in ipſorum gratiam quos læſerat, idq; aſſecutum non tam ſuis meritis, quam illorum ſingulari humanitate atq; clementia. Quare à ſanctitate ſua precabatur ſupplicabatq;, vt quod à ſe factum erat, boni conſuleret, atque in bonam partem acciperet. Per idem vero tempus Othomanus Turcarum rex trecentarum & eo amplius nauium Eubœam inſulam Bœotiæ adiacentem petit, & primo aduentu Storam & Baſilicon oppida non magno negocio expugnat, captaq; funditus delet, deinde Chalcidem vrbem nobiliſſimam obſidet, atq; poſteaquam triginta diebus oppugnat, tandem per totam noctem tormentis machiniſque muros quatiens, atque viciſſim militibus oppugnans, ſub lucem acrius inſiſtit, ſecundaque diei hora capit. Turci victores debacchati ſunt in omnem ſexum & ætatē, eo vel maxime irati quod in ea oppugnatione ingentem cladē acceperant.

ÆLII ANTONII NEBRISSENSIS, RERVM HISPANARVM ATQVE HISPANIENSIVM HIſtorici, Decadis primæ Liber ſeptimus.

Qua ratione Taurus ciuitas quæ pro Luſitanorum rege ſtabat, paſtoris cuiuſdam induſtria recepta eſt.

CAPVT I.



CVM adhuc per ea tempora rex eſſet cum Ioanne patre in prouincia Tarraconenſi, regina vero Segouiæ, quo venerat pacificandæ ciuitatis cauſa ex turbulenta illa ſeditione quam induxit Maledonatus, de quo dictum eſt in ſuperioribus: venit ex inſperato nuncius qui fecit ipſam ipſa lætitia lætiorem, Taurum vrbem in poteſtatem præfectorū uorū ve niſſe ſine vllo militum ſangune, ſine vllo diſpendio, ſine detrimento deniq; vllo. Quæ res in hunc modum geſta eſt. Paſtor quidam ouium Bartholomæus nomine, ipſius ciuitatis incola, venit ad Alphonſum Fonſecam Abilenſem Epiſcopum, dixitq; daturum ſe viam qua vrbs illa caperetur, ſi ei auſcultatum fuiſſet. Quonam, inquit, modo, Epiſcopus, aut vnde id compertū haberet? Ego, inquit, iam inde à puero paſtor ſum, qui in ſuburbanis paſcuis ſemper oues meas paui atque obſeruaui, frequenterq; illas egi paſtū in cliuum illum arduum, qua eſt ad murum aſcenſus adeo præceps, & anfractibus conciſis interruptus, vt nemo vnquam attentarit, nec reptando

ptando quidem per eum ascendere. Sed neque vnquam in vrbe fuit suspicio ea parte muros superari posse. Itaque Lusitani ab illa murorum parte securi non vigiles, non circitores, non excubias adhibent. Mittit Episcopus armatos decem expeditos cum pastore qui illum sequerentur, viderentque an esset credibile, posse fieri quod pastor promittebat se præstiturum. Eunt itaq; cum illo, & reptando ad murorum radices euadunt, ascendunt, descendunt, mediaque in vrbe consistunt, non canis, non gallus, non anser, non denique vllus mortalium strepitus auditur. Neq; id mirum, quod illa pars vrbis erat deserta. Redeunt itaq; ad Episcopum, quid viderint, quid senserint, immo quod nihil senserint, narrāt. Episcopus munitionum duces qui in locis finitimis erant, conuenit, qui in longinquioribus, per literas facit certiores. Omnibus placuit rem debere experiri. Mittunt itaq; sexcētum armatos qui pastorem sequantur, & quid agere illos oporteat, monent. At illi duce suo præuio reptando per cliui ardua eunt, qua possunt. Sed inter eundum venit illis in mentem, posse fieri vt opportunitas illa tantumq; rerum omnium silentium ex composito cum pastore fuisset factum, neque committendum, vt vnius hominis dicto, siue simplicis, siue subdoli, tantæ copię periculo exponerentur. Tumultuantibus itaque omnibus & quid facerent dubiis, Petrus Verascus, vnus ex iis qui partem copiarum ducebant, in hunc modum locutus est. Audite obsecro vos commilitones mei, esto, istam cautionem vestram laudo atque probo. neq; enim vnquam nocuit prospicere, vnde pericula possint ingruere, sed in hoc homine quo duce nunc vtimur, ego non video vnde suspicer dolum aliquem subesse. In eum statum res iam deducta est, vt nō possimus nisi magna cum ignominia negocio inexperto redire. Audendum igitur est, & aliquid fortunæ arbitrio relinquendum. Nam audaces fortuna plærunque iuuare solet, quemadmodum & timidum perdere, & ingens gloria sine magno labore atque periculo comparari minime potest. Cumque omnes hærerent inter spem metumque dubii, nescirent quid facerent, Antonius Fonseca adolescens animosus ætatis feruore percitus in muros tendit, sequitur illum Petrus Verascus, atque hunc Vascus Viuarius, puduit reliquos non suum quenque ducem sequi, neque cessatum est, quoad omnes in vrbem sunt recepti. Fuerūt autem hi sexcenti milites, reliqui omnes iussi sunt tenere locum qui erat contra certam quandam ciuitatis portam, vt cum illi fuissent admissi, hi quoque fracta porta reciperentur intra vrbem. Qui vrbem tenebant, in partes duas distributi, altera forum occupant, altera portam vrbis inuadunt, portarum claustra serasque refringunt, suos qui expectabant, admittunt. Prima coitio fuit cum Lusitanis, qui vrbem circumibant armati. Sed cum cognouissent omnia teneri ab hostibus, & ciues omnes putassent eiusdem facti conscios, cum Comite ac duce suo in arcem se recipiunt. Qui cum vidisset totam vrbem in potestatem hostium redactam, arce deserta se cum suis in castrum Inui recipit. At Maria Sarmenti Ioannis Vlloæ vxor arcem occupat, cumque notis & domesticis familiaribusque suis propugnat, non quo proposuerit sibi à Lusitanis aliquam spem, sed vt cum ipsa Regina meliori conditione arcis deditionem faceret. Ad huius rei nuncium Regina accurrit, vrbem magno omnium plausu atque lætitia ingreditur, ciuibus qui exulabant, bona restitui iubet, pastori qui tam præclari facinoris autor fuit, in alimenta hæreditario iure & quod ad posteros illius transiret, decreuit quantum ad honestum victum sufficeret, illum præterea omnemque illius posteritatem ab omni exactione liberauit. Maria Sarmenti quæ arcem tenebat, erat soror Iacobi Sarmenti Comitis Salinarum, qui in toto illo bello Regem Reginamque secutus, non vltimam operam nauauit, erantque multi alii affines & propinqui qui in eodem bello merebant. Hi susceperunt partes supplicandi pro illius vita fortunisque. Causasque supplicandi præferebant, quod erat fœmina, quod vidua, quod mariti causa omnibus inuisa, quodque omni tempore belli nunquam maiestatem regiam verbo læsisset. nam re qui poterat? cum esset in potestate mariti, quo nihil fuit importunius, neque minus suorum amicus: non post illius mortem, cum arcem Lusitanus occupauit. Nunc vero cum munitio illa videretur esse in eius potestate, illamque armis tueri, non esse causam, vt aliquid eorum quæ in hoc bello gerenda essent, impediret, sed vt fidei & misericordiæ illius se dederet. His precibus Regina commota, illius viduitati, & fratris Salinarum Comitis & affinium propinquorumque obsequiis omnem culpam condonauit, omnesque illius clientes domesticosque ac familiares scelere absoluit, arcem capit, munitionem molis quam in agro Taurino Ioannes Vlloa maritus vi atq; iniuria tenebat, Iacobo Benauidio metatori regio iubet restitui. Atq; in hunc modum ciuitate composita, omnibusq; rebus in ordinem redactis, Valladolitum proficiscitur. Nam eo Rex dicebatur esse venturus, vt reliquias belli omnes in illis locis conficerent.

Mortuo Comite Parietino Ferdinandus Rex pro Magistro creatur, & Lusitani bellum renouant.

CAPVT II.

EO tempore Regina nuncium accepit de obitu Roderici Enrici Manriqui Comitis Parietini, qui se Magistrum dici malebat Diui Iacobi. Nam partem illam Magistratus quæ pertinet ad prouinciam Castellę, possidebat. Accipit etiam Alphonsum Cardenium prouinciæ Legionensis commendatarium maximum cum multis cohortibus Vclesium properare, vt à tredecim commendatariis qui ex instituto illius ordinis antiquo soli habent ius nouum creandi Magistratũ, eodem iure & ipse crearetur, id quod ex ordinis instituto fieri deberet. At quia Regi & Reginæ omnes tres regni Hispani magistratus regio censui annumerare animus erat, quod & postea fecerunt: Regina vt instantis electionis comitia impediret, triduo Vclesium ex Valladolito venit, quo iam suffragatores illi tredecim conuenerant, quos Regina iubet aduocari, atque illos in hunc modum alloquitur. Scitis spathiferi immo vero cruciferi milites, quod Magistratus diui Iacobi ab initio constitutus est tuendæ atq; ex occasione ampliandæ religionis causa, & ad hos vsus tot oppida, tot castella, tot arces, tot munitiones à regibus, prælatis, à bonis viris & honestis sunt concessæ. Sed quoniam aliquando ad eosdem vsus hoc magistratu fuit opus, illis maxime qui cum Granatensibus Mauris bellum gerebant, autoritate sedis Apostolicæ administrationem eius inierunt, aut concedi filiis Regum primogenitis, aut viris illustribus procurarunt. Nunc vero cum sit nobis in animo, posteaquam Hispaniarum bella quieuerint, omnem armorum impetum in Mauros transferre, è repub. nostra esse duximus, vt interim Magistratus iste collocetur in Rege, quo facilius ab vno imperatore viribus aucto vniuersa res bellica gubernetur. Quod vero ad commendatarium maximum attinet, ego curabo vt boni consulat, & pro fide quam erga me regemque habet, non ægre laturus sit. Ad hoc vero perficiendum duas modo à vobis res peto: primum, vt suffragationem istam impræsentiarum differatis: alterum, vt ab Apostolica sede per libellos supplices petatis, vt pro Magistro, sine quo ordinis corpus esse non potest, det vobis Hispanorum Regẽ, quod non modo erit vnicuique vestrum vtile, sed & vniuerso ordini honorificum. Consilii huius sui commendatarium maximum facit participem, idque vt æquo animo ferat, ab eo petit, seque pollicetur si de iure suo experiri vellet, non obstaturam, quo minus ius suum persequeretur. Commendatarii quod à Regina sunt iussi, faciunt libenter. nam & comitia dissimulant, & à summo Pontifice pro administratione ordinis regem sibi deposcunt. Commendatarius vero maximus vtcumque Reginæ imperium acceperit, assensus est illi, & vultu hilari nihilo segnius ad bellum cum Lusitanis gerendum in suam prouinciam redit. Interim dum hæc Vclesii à Regina geruntur, Rex è Bardulia Taurum venit, recẽsitisque cohortibus quæ erant in stationibus & præsidiis contra castrum Inui, aliaque castella, & munitiones quæ pro Lusitano stabant, commendataque bellicæ rei summa Duci a Villa formosa fratri notho, & Comiti Phario Hispaniæ Comestabili, ipse Ocaniam proficiscitur, vbi Regina erat, & inde vterque Toletum se confert, vbi pro victoria toties parta & periculis euasis in bello Lusitano concepta vota persoluunt. Diui Francisci cœnobium, & templum illi annexum sub nomine diui Ioannis ædificant, & omnia quidem magnificentissime & pro dignitate regia absoluta. inde Madritum profecti accipiunt nũcium, per fines Pacis Augustę & ciuitatis Roderici duobus exercitibus Lusitanos in Hispaniam rursus hostiliter irruere, atque omnia ferro ignique vastari. Scribunt itaque ad Commendatarium maximum Legionensis prouinciæ, & ad Laurentium Suarium Comitem Emporitanum, quibus commendant tuendorum finium custodiam, cum facultate, quoties opus esset, euocandi ad arma omnes qui aut stipendia regia merebant, aut ex ea causa immunitatibus fruebantur. Fiunt vtrinque in aliorum finibus excursiones, agrorum populationes, mortalium captiuitates, vulnera, cædes, captiuorum venditiones permutationesque, & multo maiora facinora quam ab hostibus nominis Christiani fieri cõsueuerunt. Nec segnius in ciuitatis Roderici finibus res agitur. Nam ex munitionib. quæ pro Lusitano stabant erumpebant latrones grassatoresque eo audacius frequentiusque, quod audiebant Lusitanos intra fines Hispaniæ versari. Negocio itaq; in regium consilium misso, cum alii aliud sentirent, & à qualibet deliberationis parte pericula & incommoda sequerentur, placuit tandem, vt Regina in partem illam Lusitaniæ, quæ ad Pacem Augustam pertinet: Rex vero traiecto monte Tauro, contra castrum Inui & eiusdem factionis reliquos proficisceretur.

Fer-

Ferdinandus Rex castella quæ pro Lusitano adhuc stabant simul obsideri iubet.

Capvt III.

Cvm primum Rex Madrito in Methymnam ad campum venit, conuocatis fratre notho & Comestabili cum cohortibus, quibus illos præfecerat, de obsidendis castellis illis vnde tot mala oriebantur, animum intendit, & quomodo id fieri posset commodius, in consultationem mittit. Euocatisque equitibus peditibusque omnis generis armaturæ, ex ciuitatibus oppidisque finitimis, vno die quatuor castella, distributis cohortibus, obsidione cingi iubet, Alphonso Fonsecæ Abilensi Episcopo, & alteri Alphonso Fonsecæ Caucensium & Alahegiorum domino, & Vasco Viuario Salmanticensis Episcopi fratri, Cantapetræ negocium mandat, Septem ecclesiarum munitionem fratri notho, Cappularum Petro Guzmano, Castri vero Inui Ludouico Hemerobii Comitis filio, & Frederico Manrico. Paucis post diebus Cappularum præses, concessa sibi & vita & fortunis, deditionem fecit, præfectusque obsidionis illius ad castrum Inui ire iubetur. Dux à Villa formosa posteaquam Septem ecclesiarum munitionem bimestri tempore tormentis, machinis, crebrisque oppugnationibus afflixisset, adeo concussit, eoque angustię rem deduxit, vt tantum vita concessa cogeret obsessos in deditionem venire. Omnes latrocinio infames, atque sceleribus insignes, quos interim poterant intercipere, Rex iubet patibulo suspendi. Quo terrore perculsi qui Cantapetram præsidio tenebant, & ipsi de deditione facienda cogitare cœperunt, quod & factum est illis facultate libera in Lusitaniam suam redeundi. Solum restabat iam castrum Inui, in quod Rex transferri iubet totam belli & aliarum obsidionum molem, iussitque metari bina castra, altera ad Dorium flumen, altera in agro suburbano, quæ prohiberent ne terra aut aqua commeatus in oppidum importaretur. Post aliquot dies Regi videbatur oppidum debere oppugnari, quia ita erat omnibus necessariis instructum, vt longo tempore obsidio esset duratura. Erant qui oppugnationem illam in aliud tempus esse differendam censerent, quoad obsessorum vires & victui necessaria deficerent, & rumor ad eos perueniret, de sociorum deditione. E diuerso alii instandum esse oppugnationi dicebant, propterea quod instabat hyems, in qua neque milites sub dio hyemare, neque equi pasci, neque machinæ puluisque nitrarius defendi posset, quin corrumperetur. Capto vero oppido posse obsidionem arcis continuari, quoad caperetur à militibus facile tolerantibus sub tecto temporis iniuriam. Huic sententiæ Rex accedit, iubetque postridie sub primam lucem tormenta & machinas intendi, fossas ea parte qua oppugnatio erat ineunda, rudere atque materia compleri, testudines, pluteos, arietes, scalasque parare. Erumpunt obsessi hostesque accedere prohibent, missilibusque submouent. Pugnatur aliquando cominus, editur vtrinque cædes maxima, durat pugna per totum diem, quoad nox aduentans vtrosque dirimit. Postridie repetunt idem opus, atque deinceps idem faciunt vsque in decimum diem, quoad & fossæ sunt oppletæ, valli & propugnacula diruta, scalæ admouentur muris, quos præsidiarii fessi laboribusque confecti deserunt, atque in arcem moliuntur. Diu noctuq; pugnatur. Erant qui arcem præsidio tenebant, plures quam quadraginta strenui milites, & ex scelerum conscientia fortes, & qui nullum periculum formidarent. Rex hoc in statu obsidionem relinquens, cęteraq; præfectis commendans, Methymnam ad campum se confert res alias creaturus.

Rex Ferdinandus montis Leonis munitionem in agro Salmanticensi recuperat.

Capvt IV.

Erat Salmanticæ prætor maximus Garsias Osorius, is detulit ad Regem, Rodericum quendam Maledonatum ordinis equestris virum, eundemque Salmanticensem ciuem, tenere præsidio arcem munitam quæ ad ciuitatem pertineret, cognominatum Leonis montem, vnde in finitimos agricolas, pastoresque, atque in viatores interdum longinquius, iniquam exerceret dominationem, quem nihil puderet iura diuina & humana violare, non æquo iure cum suis ciuibus viuere, non maiores obseruare, non à minorum iniuria se abstinere. Accedebat his omnibus falsarii crimen, quod monetam autoritate sua feriebat, veraque permutabat, fugitiuorum denique receptator erat, & facinorosorum omnium asylum. Quod vbi Rex pro comperto habuit, cum paucis comitibus

Salmanticam iter arripit, ad prætorem clanculum diuertit, vbi ſit Rodericus ille Maledonatus requirit. Domi ſuæ aiunt cum aliis ordinis ſui eſſe. Conſcendit equum Rex, prætorem cum executore officiali ſatellitibuſque ianuam obſideri iubet. Atqui Maledonatus interclusam ſibi viam qua fugeret cernens, per ſolaria, tabulataque, perque tectorum imbrices elapſus, in diui Franciſci ædem ſe recipit. Rex imperat monaſterium obſideri, & niſi à fratribus dedatur, templi ianuas reuelli, atque ſi fuerit opus effringi. Egreditur cum fratribus ſacræ domus cuſtos, Regis genua complectitur, ſupplicat vt ignoſcat homini, vel ob eam cauſam, quod ad religioſam domum confugerit. Atqui Rex, vt erat ingenio facilis naturaque indulgentiſſimus, precibus fratrum commotus, hominem quantumuis criminoſum, vita condonat, modo arcem quam iniuria tenebat, regiæ poteſtati traderet. Fratres Regis iuſſa exequuntur, fugitiuum ex latebris produnt, cum Regis miniſtris in vinculis ducunt: quo arcem tradat, ducitur ad Leonis montem. Cui Rex quid ſuis dicere debeat, præſcribit. Ille ſuos ex arce ſub fide publica egredi ad ſe iubet, & Vos, inquit, ô amici, quo me mea traxerit fortuna, videtis, libertas mea in poteſtate Regis eſt, ſed vita in manibus veſtris. Nunc experiar an quo tempore vos mihi autoraui, præſtatis fidem quam mihi dediſtis, iidemque permanetis quos fore vos eſtis polliciti. Dicite hæc meo nomine vxori, atq; vt Regi ſuam arcem, quia iam mea non eſt, ſine mora tradat, niſi mauult & maritum perdere, atque omnem familiam noſtram proditionis ignominia æternum notari. Cæterum illi in arcem recepti, ſiue vxore volente, ſiue nolente, clamant ſe nolle arcem tradere, niſi magnis atque inſignibus donentur præmiis. Quod ſi Rex in præſidem ſæuierit, ſe facturos minantur, vt ille non inultus ad manes deſcenderet. Nam Luſitanorum res non vſque adeo erant deperditæ, vt non poſſent redintegrare bellum in Hiſpania, ſeque non adeo parui eſſe momenti, vt quo ipſi inclamarent, non & eodem ſtatera propenderet. Hæc & huiuſmodi verba ex munitione homines perditi blaterabant. Cumque iam vinctis manibus, & lugubri veſte, vultuque miſerando, eo loci deduceretur Maledonatus, vnde crudele ſpectaculum ex arce videri poſſet, iam iamque carnifex gladium ſtringeret, iugulique partem tentaret qua ferrum immergeret, clamabat identidem miſerabilis homo, perfidiamque ſuorum exprobrabat, ſed præcipue in vxorē querelas ſuas referebat. Hæc eſt illa fides, inquit, ô vxor, qua matrimonii fœdus iniuimus? hic amor, hæc pietas eſt illa quam te mihi exhibituram in proſperis & in aduerſis pollicebaris? Nunc demum experior, quanti viuum feceris, cum ſic morientem parui facias. Neq; me Rex iubet occidi, cum ſuum repetit, neque carnifex hic qui iuſſus ligauit manus, mucronemque iugulo intentat, ſed familiares & amici mei, ſed tu ſimul cum illis, quibus fortunas meas credidi. His vocibus qui munitionem tenebant commoti, deditionem faciunt, atque ex pacto præſidem ſuum à morte redimunt, ſibique libertatem abeundi quo velint à Rege impetrant. Arce tradita, & in Regis poteſtatem redacta, Rex Salmanticam, & è Salmantica Inui caſtrum regreditur obſidionis ſtatum reuiſendi cauſa.

Caſtrorum Iuliorum arcem quam præſes adhuc pro Marchione tenebat, Regina tandem obtinet.

CAPVT V.

REGINA Madriti à Rege quo tempore digreſſa eſt, fanum illud in toto orbe famigeratum, quod eſt ad amnem Lupi, religioſe adit, atque inde mittit vnum è ſecretariis ſuis ad Petrum è Biatia, qui Caſtrorum Iuliorum arci pro Villenatum Marchione præſidebat, atque vt ex pacto conuento quod cum illo factum erat, munitionem Gonſaluo ab Abila tradere ſequeſtro tenendam poſtulat, quoad Marchioni de certis quibuſdam rebus fieret ſatisfactio. Præſes per eundem ſecretarium reſpondet, ſe viuo nunquam in regiam poteſtatem arcem ſibi creditam eſſe venturam, non ſi ſciat ſe omnia perpeſſurum, quæ longo tempore obſeſſi perpeti conſueuerunt. Ad hoc præſidis reſponſum Regina quid faceret dubia, ne fruſtra inciperet quod exequi non poſſet, arcemque ſine effectu obſideret, mittit alterum qui blanditiis & pollicitationibus, præmiis & muneribus illum pelliceret. At ille multo durior factus non modo ab incepto non mouetur, ſed orat hortaturque Reginam, ne ad vrbem accedat, ne cogatur aliquid contra Celſitudinem ſuam committere, quod tamen ſui defendendi cauſa iure ſuo poſſit facere. Regina hoc reſponſo indignata, dignas tanta Principe iras concipit, omnis armaturæ milites conuocari, & ex eadem prouincia vbi res agebatur, finitimos acciri, parari omnia quæ

ad

ad obſidionem oppugnationemque forent neceſſaria, ipſaque ad caſtra Iulia proficiſcitur. Vbi quia expectata veniebat, apparatu magnifico, ſed maiori lætitia omnium eſt excepta. Igitur omnes qui è Bætica, & ex prouincia, locisque finitimis erant euocati, ad præſcriptum tempus eo conuenerunt. Quibus à Calatraua Magiſter qui cum Marchione patruele ſuo iam in Regis & Reginæ gratiam redierat, & Alphonſus Monroius qui ſe Magiſtrum à Traiani ponte profitebatur, ſe agglomerant. Acceſſerunt præterea proceres alii qui aut ſtipendia regia merebant, aut qui gratuitam operam in hoc bello nauare cupiebant. Machinarii quoque omnia tormentorum genera ex finitimis locis comportare iuſſi, cæteraque parari quibus erat opus. Tum Regina non iam blanditiis & pollicitationibus, vt antea, ſed comminationibus terrorem incutiens præſidem aggreditur, atque niſi pareat, ſe non ceſſaturam minatur, quoad illum proditionis atque maieſtatis reum peragat, pœnaſque debitas ſcelerum ſuorum pendat. Ad hæc pręſes Reginæ ſupplicat, vt iubeat Marchionem acciri, quem non dubitabat, imperata facturum, ſi Regina iuberet. Nam ſe qui autoratus obnoxiuſque illi eſſet, non debere nec poſſe facere, neminem eſſe quin fateretur. Placuit Reginæ conſilium, dat literas ad Marchionem, vtque ad ſe veniat, illum rogat, idque quod è re vtriuſque negotium futurum dicit. Marchio etſi non ignorabat, qua de cauſa vocaretur, tantumque præſidi ſuo fidebat, quod niſi ſuo iuſſu arcem traderet nemini, veritus tamen ne Reginæ indignationem in ſe concitaret, venit, & quod Regina voluit exequitur, præſidique præcipit, vt Reginæ iuſſis obtemperet. Regina arcis potita cum potuiſſet illam cuiuſcumque alterius fidei committere, nihilominus tamen Gonſaluo illi ab Abila, cui ex pacto cum Marchione vt diximus, ſequeſtro deponenda erat, credit, atque ex conuento cum Marchione vt ſatisfiat, certis quibuſdam bonis viris facultatem concedit. Inde ad caſtra Cæcilia itinere vnius diei proficiſcitur, vbi paucos dies immorata eſt, dum in oppidanorum iniurias animaduertit, læſiſque ſatisfieri iubet, dumque ædilitates & decurionatus, villicatumque oppidi conſtituit, qui magiſtratus quotannis ſuffragatorum punctis creabantur, & in comitiis oriebantur contentiones, & ex contentionibus cædes, & vulnera: immortale odium, & non ſanabile vulnus. Statuit deinceps vt non annui, ſed perpetui magiſtratus eſſent. Primi autem in hunc modum creati ſunt. Ex vtraque factione certi quidam viri ex ipſis nominati ſunt, ex his ſortiri iuſſi quis cuique magiſtratui cederet, & cui ſors contingeret, eius officium cum vita finiretur, atque deinde in eius locum is ſufficeretur, quem Rex & Regina, atque deinceps qui pro tempore regni culmen obtineret, ſufficiendum eſſe decreuerint. His peractis Regina Hiſpalim verſus molitur viam, quo eundi neceſſitas vrgebat.

Regina Hiſpalim adit, & quid illic egerit, multis verbis enumerat.

CAPVT VI.

CAVSA tam longam viam adeundi Reginæ fuit, quod lumen illud non modo Bæticæ, verum etiam totius Hiſpaniæ propemodum erat extinctum bello cum finitimis vrbibus, quæ alioqui ſibi fuerant contributæ, & quaſi vrbis metropolitanæ, hoc eſt matricis, filiæ & partita membra, Aſindum, Aſtygi, Carmonia, diſſenſionibus duorum eiuſdem ciuitatis qui totum populum in duas partes diſtrahebant, à Methymna Aſindica Enriquus Guzmani Ducis, Roderici Põtii à Germanica Legione Marchionis Gaditani. Nõ erat plebis à patribus diſſenſio illa, non ordinis equeſtris à ſenatu & plebe, non ſacrorum ordinum à profanis, ſed omnia totius corporis membra in factiones binas quæque partita, inter patrem & filium, inter virum & vxorem, inter fratres propinquos & affines diſcordiæ & ſimultates, hinc odia & inimicitiæ, quæ non ſinebant illos eſſe quietos. Latius adhuc ſerpebat malum, quod ſe ad aliarum ciuitatum ditionem extẽdebat. Nã Cordubæ duæ quoq; erant factiones, altera quæ Alphonſum Aquilarium Montillæ dominum, altera quæ Iacobum à Corduba Ægabrenſem Comitem ſequebatur, atq; hic ducem à Methymna Aſindica, ille Marchioni Gaditano fœderatus. Igitur Regina partem illam Bæticæ quæ non ſolum vectigalia Regibus pendere conſueuit ad belli ſupplendas neceſſitates, verumetiam ad ornamenta pacis extraordinarioſq; ſumptus ſufficit, Hiſpalim venit. Quæ ciuitas ex gentis illius conſuetudine ludos magnificentiſſime parat, vrbem ſertis & coronis, aulæis & tapetis, velis & cauſtis, fontib. aqua & vino ſcaruriẽtib. ornat, magnaq; omnium ordinum lætitia excipitur Regina omnium votis expetita, omnium precibus

à Deo immortali poſtulata. Deducitur deinde ad templum illud inſigne virgini Deiparæ dedicatum, ex conſortio cum diuo Clemente martyre atque Pontifice Romano, cui ædes illa fuerat à Ferdinando dicata, propterea quod in die illius feſti vrbẽ illam ex Maurorum poteſtate ceperat, atque ad Chriſtianam religionem reſtituit. Diua igitur Dei genitrice eademque virgine ſalutata, habitiſque gratiis pro tot tantiſque erga ſe coniugemque ſuum Regem beneficiis, ad palatia Regum perducitur, quæ fuerant à maioribus ſuis pauimento vermiculato, parietibus muſeacis, laquearibus cedrinis, in Pœnorum morem arte Punica conſtructa. Cumque ex itinere laboris per aliquot dies quieuiſſet à negotiis, audiſſetque ciuium querelas de ciuilibus criminalibuſque cauſis à multis temporibus nõ deciſis, iubet inſtitui ſeptimum quemque diem Veneris, in quo ipſa pro tribunali ſedens ius diceret. Sedebant ex altera parte præſules qui curiam comitabantur, & ex altera regii ſenatores & ciuilis pontificiique iuris periti ſſimi, ante ſe ſubſidebant tabelliones, ſcribæ, ſecretarii, & qui præerant à commentariis, aſtabant & qui inſignia regia præferunt lictores. nullæ dilationes, nullæ nundinæ, niſi in diem perendinum tergiuerſantibus reis conceduntur, ſi qua lis adeo implicita quæ non poſſet breui tempore finiri, delegabat diffiniendam alicui ex iuriſconſultiſſimis. Mirum dictũ, intra bimeſtre tempus omnes quę impendebant compoſitæ lites, aut per ſe ipſam, ant per illos quibus cauſę delegabantur. In ſceleratos facinoroſoſque, in depeculatores decoctoreſque, in adulteros & ſtupratores, in graſſatores & latrones animaduerſum eſt, præterquam in eos qui vertere ſolum, aut in exilium timore aufugerunt. At ciues cum viderent vrbem malefactoribus plenam, & eſſe neminem fere quem non labes aliqua tangeret, ſi iuſtitiæ rigor in vniuerſos ſæuiret, fore vt ciuitas deſolaretur, adiungunt ſibi Alphonſum Soliſium Epiſcopum Gaditanum, qui eo tempore pro Petro Mendoza S. R. E. Cardinale atque Archiepiſcopo Hiſpalenſi vicarium prouiſoremque agebat in illa eccleſia. Is cum magna populi multitudine ex omnibus ordinibus collecta Reginam adit, proque venia impetranda longam orationem habet, lociſque cõmunibus vtitur in cõmendanda iuſtitia & miſericordia, veritate & pace, ita tamen vt ſit propenſior in pacem & miſericordiam, afferebatque illud ex Pſalmographo: Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi, iuſtitia & pax oſculatæ ſunt: & de Samaritano, hoc eſt de Ieſu Saluatore noſtro, qui vulnerato à latronibus in quos inciderat, infudit vinum & oleum, ſed plus olei quod leniret dolorem, quàm vini quod excitaret: itemque illud, Vt ſitis filii patris qui in cœlis eſt, qui facit ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos. Quodque etſi nulla hominum ſocietas ſine iuſtitia diu ſtare non poſſet, tamen cum iam flagitia & facinora crebreſcant, iuſtitiæ munus reſtringendum eſt, niſi quatenus exemplo aliorum temeritas eſt coercenda. Sed quid facias cum omnes pariter in eãdem labem trahuntur? quid cum in eodem ſunt? Quid igitur faciemus, inquies, ô Regina omnium mortalium clariſſima atque proinde indulgentiſſima? Nimirum vt confugias ad ſententiam illam Poetæ quę iam abiit in adagium, Quidquid multis peccatur, inultum eſt. Nam ſi iuſtitia (inquit) gladium non expreſſerit, omnia in antiquam ſolitudinem redigentur. Audacius aliquid dicam optima Princeps, quæ hanc mihi copiam dicẽdi concedere dignata es. Si in hoc lachrymabili bello in quo cum Luſitanorum Rege nõ de gloria, ſed de ſumma imperii decertaſtis, inclinante iam ad vos victoria, omnia pro iure veſtro perſequi velletis, nonne incideretis in illud prouerbium etiam vulgo comprobatum, Summum ius, ſumma iniuria eſt? an non potius illam ſequeremini ſententiam Senecæ Poetæ tragici in Hercule furenti?

Si æterna ſemper odia mortales agent,
Nec cœptus vnquam cedat ex animis furor,
Sed arma fœlix teneat, infœlix paret,
Nihil relinquent bella. Tum vaſtis ager
Squalebit aruis, ſubdita tectis face
Altus ſepultas obruet gentes cinis.
Pacem reduci velle victori expedit,
Victo neceſſe eſt.

Adiecit tandem in peroratione miſerationis fomenta, quæ Reginam faciendæ iuſtitiæ cupidam compeſcuit, eoque deduxit, vt omnes donaret venia, omnique à crimine abſolueret, præterquam eos qui aut hæreſeos impietate, aut æris alieni debito erant obnoxii.

Ducis à Methymna oratio apud reginam contra Marchionem, & Marchionis excusatio.

CAPVT VII.

POSTEAQVAM priuatorum lites quieuerunt, duo illi principes duces, omnium malorum causa, inuicem se apud reginam criminantur, altero in alterum omnem culpam reiiciente. Dux à Methymna Asindica occasione arrepta priorem locum occupat, atque in hunc propemodum est allocutus. Quanta Guzmanorum domus obseruantia & fides erga Hispanorum reges decessores tuos charissima Princeps fuerit, quam illustria in vniuersam Hispanam remp. beneficia extent, neminem esse opinor, quem lateat. Nam vt omittam illa vetera, non est silendum quod prodigio simile videtur, vnde familia nostra nobilitata est. Alphonsus Petrides Guzmanus, qui præsidio Mellariam (eam existimo esse quæ nunc dicitur Tarifa) pro Sancio Hispanorum huius nominis rege quarto tuebatur, cum obsideretur à Ioanne regis fratre exule auxiliaribus copiis, Bellamarinorum regis Abeniuza copiis adiutus, admoneretur que vt munitionem traderet in Maurorum hostium potestatem, nisi mallet filium suum qui à Mauro rege in vinculis tenebatur, ante ipsius patris oculos trucidari, non modo arcem non tradidit, sed & per muros pugionem proiecit, quo filius confoderetur. Quo miraculo stupefactus hostis & filium iugulari iussit, & deditionis spe sublata obsidionem soluit. Illud quoque omnibus notum, quo pacto Enriquus Guzmanus Nebulæ Comes, secundus Ioannes Alphonsi primi Comitis eiusdem oppidi filius, idemque Alphonsi Petridæ Guzmani nepos, cum terra marique oppugnaret Gebeltaricum, à terra Ioannes filius pater meus, à maris Oceani parte ipse pater idemque auus meus classiariis oppugnatoribus, æstu superueniente vndis obrutus est, cumq; se in scaphã recepisset, potuissetq; incolumis euadere, dum misericordia pereuntium plures admittit quam nauigium potuisset sustinere, ipse cum omnibus periit. Quid de patre meo primo à Methymna Asindica Duce Ioanne Guzmano dicam? qua fide, qua constantia, qua vigilantia bello plus quam ciuili quod pater tuus gessit cum fratribus suis patruelibus Ferdinandique Tarraconensium regis patrui sui filiis, hanc ipsam vrbem defendit, cum reliquæ omnes ciuitates finitimæ ad illos defecissent? Qua fœlicitate, immo qua celeritate Gebeltaricum illam familiæ nostræ fatalem post centum & triginta annos à Mauris possessam recepit, Christianæque fidei reddidit. Sed nolo maiorum meorũ obsequia in reges suos debita commemorare (nam genus, & proauos, & quæ non facimus ipsi, vix ea nostra voco) sed tantum mea, quæ quia omnibus nota sunt, paucis perstringam. Quanta labes vniuersam Hispaniam inuasit, posteaquam Enriquus frater tuus gubernationis habenas remisit, seq; totum paucorum amicorum arbitrio tractandum dedit, nosti clarissima Princeps, omnes ciuitates siue volentes, siue nolentes, aliquem sibi ducem ex primoribus finitimis asciuerunt, maluerunt que tyrannorum impotentiam pati, quam suo regi seruire. Huic ciuitati duo imminebant qui de principatu parati erant decertare, ego, vt ingenue fatear, & Rodoricus Pontius Marchio Gaditanus, sed dispari ex causa: ego, vt patriam mihi charissimam conseruarem, atque in obsequio regi suo debito continerem, atque in eo statu quo illam à maioribus meis accepi, perstare suaderem: ille vero, vt quacunque ratione posset, eam labefactaret. Vterque quidem nostrum ciuis & indigena, sed qua pietate fuerimus in remp. Hispalensem, non dico me & illum qui in hæc tempora incidimus, sed mei atque illius maiores, qui fuerant contemporanei ciues ipsi sunt testes, cum mei semper coluerint hanc vrbem quasi matrem, illius vero tractauerint quasi nouercam. Et nunc vterque nostrum in suo studio permanet, atque maiorum suorum instituta persequitur. Omitto Enriquo rege quid vterque nostrum egerit, ego pro hac vrbe, ille contra. Sed posteaquam Celsitudo tua Hispanarum rerum potita es, facta regni diuisione per Marchionem Villenatem, ego prior pro vobis in hac vrbe signa acclamationemq; sustuli: ille vero siue scelerum suorum pœnas times, siue quod est ingenio rerum nouarum cupido, statim adhæsit iis ducibus qui primi sumpserunt arma contra vos Reges clarissimi, atque gubernationis vestræ initia interturbare sunt conati, & ipse quoque per se cum Lusitanorum Rege cœpit agere, quemadmodum illi hãc vrbem traderet. Habet Asindum equis & armis nobilem ciuitatem grandi præsidio oppressam, pulsis ciuibus qui illius audaciæ non obtemperabãt. Habet arcem cum oppido Alcala ad fluuium Iram in agro propemodum suburbano huius ciuitatis. Habet complures facinorum suorum adiutores & conscios, qui nihil magis spectant quam huius vrbis direptionem, atque imprimis Ferdinandum Ariam metatorem, qui Tarifam in freto Gaditano castellum munitissimum & Vtrariam pergrande municipium cum arce munitum tenet.

Quid autem hoc tempore cogitet, argumento est, quod neque per literas quicquam benignum ad Celsitudinem vestram scripserit quo se excusaret, neque nunc quidem, cum sit tam prope, obseruantiam suam erga vos declaraturus venit. Erit igitur iustitiæ tuæ regina clarissima, bene de te deque patria sua meritos præmiis afficere, male vero meritos male perdere, atque imprimis hanc ciuitatem vobis atque maioribus vestris obsequentem malis perniciosisq; ciuibus purgare, bonis autem pacisq; amatoribus quietam relinquere. Ad hanc Ducis orationem regina comiter & benigne respondet, obsequia sua erga regiam Celsitudinem & maiorum suorum benefacta in remp. Hispanam sibi esse gratissima, atque eo nomine se habituram rationem, vt non frustra fecerint ea quæ ex officio boni viri facere tenebantur. Quod vero ad Marchionem pertinebat, se ea causa potissimum Hispalim venisse dixit, vt illius vrbis statum componeret pacificaretque. At Marchio videns se eo fortunæ delapsum, vt si quid antea simulauerat, iam simulare non posset, cum præsertim nihil vnquam palam fecerit, quod posset dici factum in quo regia maiestas imminueretur, Hispalim venit vno tantum familiari comitatus, atque à ianitoribus in conclaue admissus, quo se iam regina receperat, suspicatus longa Ducis oratione & causa quæ videbatur esse melior persuasam, alia via se insinuauit, breuiterque illam sic allocutus est. En tibi regina, præpotens Marchio ille Gaditanus quem aduersarii mei apud te criminati sunt, in manibus tuis est. Veni non vt crimina illorum in ipsos autores retorquerem, delicatissimas aures tuas obtundens, sed vt in me ab illis obiecta purgarem, atque innocentiam meam ostenderem, quæ me securum facit, vt sine vlla fide publica huc venirem: veni inquam, non vt alios accusem, sed vt me ipsum à suspicione de me concepta excusem. Dicunt aduersarii mei me tenere armis oppressam Asindum & Alcala ad Iram fluuium, ex hoc loco faciam tradi cui Celsitudo tua iusserit. Quod si etiam iis quæ mei patrimonii sunt, opus est, ex hoc loco & tempore tibi trado, quãdo meipsum quoque tibi tradidi Quod vero ad suspicionem de me habitam attinet, si vllum fuerit repertum factum aut dictum in quo Celsitudinem vestram læserim, ecce me paratum vt læsæ maiestatis crimen tuæ Celsitudinis arbitrio luam. Quod si fui negligentior in declarando hunc animi mei sensum, hic ipse aduersarius meus fuit in causa qui mihi domi negocium facessebat. Hac Marchionis oratione regina placata ad tradendas munitiones illum omni crimine absolutum dimisit.

Quod Regina receptis munitionibus quæ ad Hispalim pertinebant, totam regionem illam pacauit.

CAPVT VIII.

NVNQVAM putarat Dux à Methymna Asindica Marchionem Gaditanum eo venturum, sed neque familiares amici opinati fuerant, quod obsequium exhiberet reginę, arcemque Asindicam traderet cui regina tradendam esse iuberet. Nunc vero cum viderent omnia cecidisse aliter quam existimarant, omnes spes suas inanesque cogitationes abiecerunt, atque se paulátim ad alia studia transtulere. Nam antea toti à spe belli gerendi contra Marchionem pendebant, seque locupletes facturos expectabant ex diuitiis agrestibus quas rustici, agricolæ, & pastores illius iussibus subditi possidebant. Nunc vero alios curare mercaturam, alios prædia colere, alios rem pecuariam exercere, & ex opificibus turbaque vrbana suam quisq; artem repetere. Itaq; arce Asindica à Marchione tradita Ioanni a Robreto & munitione Alcala ad Iram fluuium, imperat Duci à Methymna, vt Marchionis exemplo & ipse tradat munitiones quæ ad ciuitatem Hispalensem pertinebant, idque non est cunctatus facere, ne videretur in exequendis reginæ iussis segnior quam fuerit Marchio. Fuerunt autem munitiones trans montes marinos Fraxinetum, Arechium, Aracena, Alanisum, Constãtina: citra montes Nebrissa, Capita sancti Ioannis, Ponticulus, quibus præsidere iussit bonos viros ciues Hispalenses, qui modo fuissent alterutrius factionis exortes. Iussit quoque nomine suo Ferdinando Ariæ metatori qui præsidio Vtrariam tenebat, vt oppidum cum arce Hispalensibus redderet: Mellariam quoque quam iuniores in Tarifam commutarunt, restitueret Alphonso Enriquo Hispaniarum Archithalasso, cuius præsidium hæreditario iure ad illum pertinebat. Ad hæc reginæ iussa præmeditatus respondet, iniuste secum agi, si quod semel iure possedit, sibi inuito subripiatur, arces illas ab Enriquo rege sub fide publica Gonsalo Saauedræ patri suo perpetuo iure traditas, seque illius hæredem esse indubitatum: simul etiam præsidi qui pro illo Vtrariæ arcem tenebat, iubet vt se muniat tueaturque, polliceturque si regina obsidionem tentauerit, se tempestiue suppetias laturum. Arcis præses non minori animo iussa metatoris accipit quam illi fuit imperatum, parat omnia quibus opus erat ad se co-

ſe comiteſque ſuos propugnandos, qui & ipſi parati erant aut munitionem creditam tutari, aut indubitatam mortem oppetere. Regina hominum pertinaciam audiens iubet illos magna cum diligentia obſidione cingi. Cohortes prætorianas, & qui ex curialibus armati potuerunt, & eos qui ſponte ſua huic ſe neceſſitati obtulerunt, eodẽ mittit, tormentis & machinis muros quati præcipit. Atque ita per dies circiter quadraginta nihil prætermittitur eorum quæ inter obſeſſores & obſeſſos in obſidionibus fieri conſueuerunt. Igitur regina cum videret negocium in dies protelari, Guterrium Cardenium quæſtorem ſuum maximum mittit, vt quo in ſtatu ſit res, inquirat, & quibus eſſet opus, cognoſcat. Is cum primum Vtrariam acceſſit, præſidem hortatur vt deditionẽ faciat, antea quam reginæ indignationem in ſe conuertat: quod niſi faciat, atque potius fortunam quam rationẽ experiri mallet, ſe pro comperto habere illi breuiter eſſe pereundum. Ad hæc præſes cum diceret nullas ſe deditionis cõditiones velle audire, quin potius malle omnia perpeti quæ victi à victoribus perpeti conſueuerunt, quæſtor maximus videns ſe nihil proficere, neq; à peruicacia ſua hominem poſſe reuocari, oppugnationem à quatuor partibus parari iubet, eo tormenta, machinas, ſclopetras, & ſcorpiones, arietes, teſtudineſque intendi præcipit, atq; ſub primi lumina ſolis & ortus negocium incipi, quod ſine vlla intermiſſione ad veſperam vſque perdurauit. Cum ex vtraque parte plures cecidiſſent, neque iam obſeſſi oppugnantium vires ſuſtinere poſſent, cum recentes ex oppugnatoribus feſſis vulneratiſq; ſuccederent, neque obſeſſis requies vlla daretur, tandem victi ſuccubuerunt. Omnes cæſi, aut ad mortem vulnerati, præter duos & viginti, qui poſtridie Hiſpalim ad reginam in vinculis tranſuecti ſuſpendio vitam finierunt. Nam præſes imprimis pugnans miſerabiliter & digne iam perierat.

Quod regina dum eſſet Hiſpali, Ioannem peperit, qui fuit deinceps primogenitus Princeps atque hæres deſignatus.

CAPVT IX.

DVM hæc adminiſtrantur à regina Hiſpali, rex non ceſſat caſtri Inui obſidionem interuiſere, atque mittere in conſultationem frequenter, ſi quo modo arx illa, ſiue dolo, ſiue pactione, ſiue quocunque alio modo ſine viribus capi poſſet. Nam cum ratione ſitus oppugnatio foret periculoſa, velletq; rex non multo ſanguinis diſpendio negocium confici: reficit cohortes, præfectos inſtruit, ſtipendia militibus ſoluit, & cætera quibus ſe abſente opus eſſet, imperat fieri, ipſe ad reginam properat, in Bæticis rebus occupatam. Vbi cum per aliquot dies fuiſſent immorati, regina quæ ex longo temporis interuallo non pepererat, atque ea ex cauſa iam ſe inter effœtas numerabat, ex inopinato prægnans eſt inuenta, peperitque filium ſuum primogenitum Principem regnorum hæredem, expuncta Eliſabe iam ſeptenni, quam, deſperata virili prole, futuram Hiſpaniarum Principem iurauerant, atque ab aliis iurari fecerant. Natus eſt igitur Ioannes Princeps anno à ſalute Chriſtiana milleſimo quadringenteſimo duo de octogeſimo tertio, Kal. Iulias. Ingens ex eo nuncio ſecuta eſt lætitia per omnes terras Hiſpanorum Principum imperio ſubiectas, quoniam natalis ille tranquillitatem pacemque perpetuam omnibus pollicebatur. Illo eodem tempore Alboacen Granatenſium rex per legatos petiit inducias à rege & regina, reſponſumque legatis, induciarum conditiones placere, ſibi modo ſoluerent cenſum à Granatenſium regibus Hiſpaniarum Principibus pendi ſolitum. Legati rurſus miſſi eadem de re, quod ad exactionem cenſus pertinebat, reſpondent, reges illos qui ſoliti erant cenſum illum tributarium pendere, mortuos eſſe, neque iam in monetariis officinis cudebatur aurum & argentum, nunc vero non fabricari niſi ferreas cuſpides & ſpicula, quæ præfigerent hoſtibus quibus ſe ab exactione illa tributaria liberarent. At noſtri, tametſi reſponſum illud ſuperbia arrogantiaque plenum videbatur, quia tamen induciæ illæ vtriſque conducebant, & Luſitanorum temeritas & audacia pendebat adhuc, temporarias inducias concedunt. Reſtabat rebellionem vlciſci Metatoris Ferdinandi Saauedræ. Principio illius bona publicantur, ſpoliatur honoribus, declaratur perduellionis reus, mittuntur cohortes cum præfectis qui illum quærant, quæſitumque vndecunq; ad vltimum ſupplicium trahant. Sed cum eſſet vir nobilis, haberetq; complures propinquitatis & affinitatis iure coniunctos quorum obſequia in Luſitanorum bello fuerant illuſtria, vtcumq; merito venia donata, bona honoreſq; reſtituti, præſidium Tariſæ cum arce Alphonſo Enriquo Hiſpaniarũ Archithalaſſo reſtitutum. Petro Godoi qui tres Carmonenſes arces præſidio tenebat, imperatum, vt illas traderet, qui aliquandiu cunctatus dum rependi ſibi neſcio quos ſumptus exigit, tandem regis & reginæ iram veritus nulla condi-

tione tradit, traditaſque Guterio Cardenio quæſtori maximo ſub fide publica credunt. Commendatarius quoque maximus Legionenſis prouinciæ, qui Luſitano bello, quemadmodum ſæpe dictum eſt, inſignem operam nauarat, obſequiorum ſuorum fiducia petit à rege & regina, ſupplicatq;, velint ius ſuum in magiſtratus petitione ſibi ſeruari, ſe fuiſſe tredecim commendatariorum ſuffragiis creatum, Magiſtratu atq; totius ordinis conſenſu pro Magiſtro expeti, ſeque ita meritum de republica Hiſpana vt repulſam pati non mereretur. Regina vero etſi cupiebat dignitatem illam in regis capite collocari, tamen habita ratione commendatarii maximi tam præclare de ſe meriti, à rege petit, vt illi cedat, neque vllam eſſe rationem, vt in tam obſequentem amicum ingrati eſſe viderentur. Iubēt itaq; illū à tredecim illis ſuffragatoribus & totius ordinis conſenſu & vna omnium voce Magiſtrum creari, mittuntque libellos ſupplices ad Pontificem Max. vt electio illa Apoſtolicæ ſedis autoritate confirmetur, id quod eſt à ſummo Pontifice conceſſum. Quæſtor vero maximus in locum Magiſtri in commendatarium maximum eſt ſuſtectus.

Rex Victoriam proficiſcitur, vt cum Ioanne patre quaſdam res commentaretur, & inde Hiſpalim ad reginam redit.

CAPVT X.

PACATIS Bæticæ contentionibus, munitionibuſque receptis, rex animo reuiſendi patrem Tarraconenſium regem à regina digreſſus, ad caſtra Iulia venit, quorum arcem quam Gonſalus ab Abila ſequeſtro tenebat, in Xanthum ab Aquila, ciuem equitemque Abilenſem transferri iubet, præſidioque & neceſſariis aliis rebus inſtruit. Inde Victoriam recta proficiſcitur, quo iam pridem conſtitutum erat Tarraconenſium regem eſſe venturum, & quidem iam aduentabat. Cum filius in occurſum patri progrediens, iam congrederentur, filius patris dextram manu prenſans conatur illam exoſculari, atque ille diu reluctatus manum ſubducit, ſeque ad filii ſiniſtram locat. Cumque ad Tarraconenſis diuerſorium ſic veniſſent, Hiſpanus equo deſcendens patrem volebat in domum deducere. At ille, Abſit, inquit, à me atque à dignitate tua, fili chariſſime, vt cum ſis rex Hiſpaniæ, vnde mihi eſt origo, & cui omnes ex eadem ſtirpe propagati obſequium & obſeruantiam debent, ego ſim tibi dexter, & tu mecum ſiniſter, hoc eſt exterior incedas, atque ita pater filium comitatus eſt vſque ad illius diuerſorium, & inde ad ſuum rediit. Ortus eſt deinde ſermo inter Palatinos, vt fieri ſolet, an recte pater primas partes filio ceſſerit, & filius acceperit. Nam vterque rex erat, & Tarraconenſis hoſpes Hiſpani filii, atque idcirco maiori honore afficiendus, & iis accedebat, quod erat pater. At alii dicebant recte factum eſſe, quod tametſi reges erant, ſed tamen ita diſpares, quod filius ex toto, ex parte vero pater erat. Erat eo tempore præſens † vir iuris conſultiſſimus, & orator ſatis vehemens & probatus, atque antiquitatum & exemplorum memoria præclarus, qui ea de re conſultus ab hominibus iis de rebus ignaris reſpondit recte feciſſe vtrumque regem, & patrem qui filio primas conceſſerit, & filium qui acceperit: atque imprimis afferebat illud quod Q. Fabius Maximus conſul, cum pater proconſul equo vehens illi obuiam proceſſiſſet, imperauit lictori, vt iuberet patrem ex equo deſcendere, qui iuſſus paruit, filiumque collaudauit. Atque hunc tenorem vterque in deferendis alteri honoribus, per totos illos viginti dies quibus Victoriæ ſunt commorati, in ſedendo & aſſurgendo, in deducendo & reducendo, & cæteris in rebus omnibus in quibus vita humana prioris & poſterioris ordinem poſuit, ſeruauit. Igitur cum primum de re communi cœpiſſent inter ſe commentari, primum de regno Nauariæ conſtitutum eſt, vt decerneretur Phœbo ex filia nepoti regis Tarraconenſis, conſeruareturque in eo tanquam vnus familiæ regum Tarraconenſis prouinciæ, tametſi non per agnationem, ſed per cognationem eſſet ex eadem familia ortus. Decreta quoque ſunt multa alia ad regni Tarraconenſis, & Siciliæ, & inſularum noſtri maris adminiſtrationem pertinentia. Inde digreſſi, Tarraconenſis Tarraconenſem ſuam, & Hiſpanus caſtri Inui obſidionem reuiſit, quam offendit ex voto perpulchre inſtructam, & obſeſſos iam ad deditionem clamantes, & libenter iam de ſe dedendi conditionibus audientes. Erant enim iam & numero multo pauciores, & viribus exhauſti, atque omnium rerum quæ ad victum pertinebant, copia defecti. Cum enim res in eo eſſet ſtatu, vt facile tranſigi poſſet, cœptum eſt agi de arcis deditione, & rege cupido ad maiora eundi, & illis vltimum exitum timentibus ſic conuenerũt, vt præſes cum ſuis ſatellitibus boniſque liberi abirent quocumq; vellent,

lent, arcemque regis arbitrio relinquerent, traditamque demoliri atq; solo æquari iussit: illi vero in Lusitaniam transmigrarunt. His peractis rex Hispalim ad reginam proficiscitur, atque inde Cordubam ire cõstituunt, vt quemadmodum res Hispalenses, ita & Cordubenses, quæ eodem morbi genere laborabant, aduentu præsentiaque sua pacarent. Sed antea quam inde discederent, vt futuræ ciuitatis tranquillitati prospicerent, Marchioni postulanti vt liceret sibi per regiam potestatem æquo iure cum Duce à Methymna in patria communi viuere, responderunt non esse è republica Hispalensi, vt reditus in vrbem illi pateret. Quod cum Marchio ægre tulisset, vt ipso exulante æmulus in vrbe maneret, Duci quoque a Methymna idem imperarunt. Illis namque absentibus facile poterat ciuitas esse quieta, cum causæ disceptandi tollerentur.

DECADIS PRIMÆ ET LIBRI SEPTIMI FINIS.

Reliqui tres temporum iniuria desiderantur.

ÆLII ANTONII NEBRISSENSIS, AVTORITATE REGIA HISPANARVM ATQVE HISPANIENSIVM RERVM HISTORICI, in secundam Decadem, quæ est de bello Granatensi, PRÆFATIO, in qua ostenditur, neque Principibus Hispanis fuisse vnquam ad bellum inferendum vires maiores, neque hostibus ad propulsandum auctiores.

SEQVITVR *bellum Granatense, quod & temporis spacio, & expeditionum apparatu, & hostium robore, & locorũ difficultate fuit maximum omnium quæ post deletas Gotthorũ opes in Hispania vnquam gesta sunt. Superiorũ namque regum in Mauros expeditiones partim tumultuariæ, partim intercisæ multorũ annorum intercapedine fuerunt. At posteaquam semel Principes nostri bellum hostibus inferre decreuerunt, nunquam cessatũ est, quoad per cõtinentes annos prope decem omnia sunt confecta. Nulla propemodum interea quies data militibus, non in domibus suis, non in æstiuis, non deniq; in hybernis, quin potius prioris cuiusq; victoriæ finis, principium erat sequẽtis. Quod si te ad belli apparatũ conuertas, nihil defuit quod ad maximæ potentiæ vires ostentandas pertineret, non peditum, equitumq; cataphractorũ, non leuis armaturæ numerus incredibilis, non carrucariorum, mulionũ suffarraneorum, non calonum, lixarum, pabulatorũ copiosa multitudo, non tormentorum machinarumq; genus vllum, non commeatus vsq; ad satietatem terra mariq; aduecti. Nam quod ad hostes attinet, nunquam ad ea tempora res Maurorum fuerũt auctiores, & militum numero, robore, exercitatione armorũ, atq; ad exercitus stipendiaq; persoluenda ditiores. Ad septies mille stipendiarios equites è publico in belli procinctu semper habebant, præter euocatorum gregariorumq; innumeram multitudinẽ. Nam peditum tantus erat numerus, vt Granata ipsa in medio totius regni situ posita, neq; ad bellicos tumultus parata, vti ferebatur, solita sit per singulas vrbis portas, quæ numero erant septem, ferentariorum sagittatorumq; ternos millenos effundere viros. Quod vero ad publica vectigalia pertinet, ad stipendia militum persoluenda, arces muniendas, machinas aptandas, aliaq; ad tantum bellũ necessaria, si quis tractus illius angustias, & soli malignitatem, præruptaq; montium consideret, incredibile quod sum dicturus videbitur: dicam tamen nihilominus, septies centum mille aureos patrios regi suo Granatæ regnum quotannis pendebat, qui numerus ratione ponderis in ducales nostros aureos in decies centum mille excrescit. Vnde igitur dicet quispiam sub Principibus nostris tanta fisci diminutio regni illius facta est? Quia nimirum alia tributorũ ratio sub illorum regibus quondã fuit, quam nunc est sub nostris. Illorum imprimis agricolæ & pastores frugum pecudumq; regi suo pendebant septimas, quemadmodũ nostri sacerdotibus & ecclesiæ, atq; ipsi etiam tantum decimas. Illis quibus non erant filii, necesse erat regem ex asse relinquere hæredem, & quibus erãt pro virili portione cum illis cohæredẽ instituere. Quo præterea die nouellæ pecudes aut armenta cuiusq; signo inurebantur, tertiam partẽ valoris quanti æstimabatur, fisco annotabant. Iam vero ex portoriis, vecturis, delationibus, calumniis, innumeris exactionibus, incredibile dictu est, quantum regius census augeretur. At vero apud nostros nihil tale, aut si quid est, perquam modicũ est. Quare nihil mirandũ, si tantis copiis tantisq; rerum omnium facultatibus hostes freti, tandiu potuerunt Principum nostrorum potentiam sustinere. Sed bene quod tandem penes illos victoria fuit, qui erant, quemadmodum iure, ita & armis potiores.*

ÆLII ANTONII NEBRISSENSIS, RERVM HISPANARVM AC HISPANIENSIVM HIſtorici, Decadis ſecundæ Liber primus.

Enumerat cauſas, cur iuſte Hiſpani Principes bellum Granatenſibus Mauris intulerunt: & quemadmodum Zahara caſtellum in collimitio ſitum à Mauris captum eſt.

CAPVT I.



OMPOSITIS Hiſpaniȩ rebus, quemadmodum in ſuperioribus decem libris præſcriptum eſt, iam Principum noſtrorum fortuna laborabat in inueniendis cauſis quæ illos ocio ac longa pace indormientes excitarent. Etſi enim iam inde ab ineunte regni ſui exordio illa maxima cura eorum animis inſederat, quo pacto delere poſſent dedecus illud Hiſpaniæ, atque proinde totius Chriſtianæ religionis inſigne opprobrium, ingruentia tamen negocia non ſinebant illos de tanti belli magnitudine cogitare, cum præſertim ex ſuperioribus bellis atque rerū omnium perturbatione Hiſpana reſp. eſſet penitus labefactata. Et quamquam nulla belli iuſtior poterat videri cauſa, quam pro religione contra nominis Chriſtiani hoſtes arma corripere, cum aliqui philoſophi tradant, eos qui intellectu viget atque ratione, ſuapte natura Barbarorum eſſe dominos, atq; eodem iure bellum illis iuſte inferri poſſe: accedebant tamen aliæ propiores cauſæ, quæ non tam patiebantur noſtros tam longo tempore deſidere, atque illa imprimis, quod ab externis nationibus iampridem probro nobis obiiciebatur, quod non modo hoſtes in conſpectu noſtro, atq; ante oculos poſitos non ſubmoueremus, verum etiam crebris nos iniuriis vltro laceſſentes vix poſſemus ſuſtinere. Quis enim ab orbe noſtro tam remotus, atq; rerum noſtrarū tam ignarus erat, qui neſciret agrorum populationes, armentorū gregumq; cum ſuis paſtoribus direptiones, vicorum, caſtellorū expugnationes ab immaniſſimis hoſtibus illatas? Erat & altera cauſa quæ nos propenſiori quodā modo ſtimulabat, ea quæ maiorum noſtrorum ſocordia fuerant abalienata, quæq; ad nos hæreditario quodam iure pertinebant, iuſta clarigatione ac longi poſtliminii iure non repetere. Quid quod hoſtes cotidie magis magiſq; inualeſcebant, & in dies plura minabantur, atq; præclare nobiſcum agi putabamus, ſi æquo cum illis iure Hiſpanatū rerum imperio potiremur? Superioribus his cauſis acceſſit alia propinquior adhuc, quæ belli hoſtibus inferendi occaſionem adhuc faceret iuſtiorem. Nam Principes noſtri dum ſtudent bella inteſtina diſſenſioneſq; ciuiles componere, atq; piratarum graſſatorumque latrocinia coercere, ac præterea leges ferre quibus futuræ tranquillitatis paciſq; fundamenta iacerentur, permiſerant temporarias cum hoſtibus inducias fieri. Erat ea tempeſtate Maurorum rex Hali Abenhazan, vir in bellicis artibus apprime doctus, nec minus rerum nouarū cupidus. Is cum intelligeret noſtros aliis in rebus occupatos, factus certior Zaharam (caſtellum id erat media regione inter Aſindum Arundamque ſitum) negligentius cuſtodiri, ac præſidio eſſe vacuum, arripit occaſionem, & contra fas, iuraq; fecialia, ac induciarum pacta conuenta caſtellum noctu oppugnat, ac nō multo negocio capit, arcis præſidem præſidiarioſq; obtruncat, matres, virgines, viros, pueroſq; vinctos cum armentis & gregibus pecudum in ſpeciem triumphi ducens, arce caſtelloq; validiori præſidio munitis, victoriȩ ad ſuos recipit. Eo tempore rex & regina Methymnæ ad campum agebant, qui eorū quæ ad Zaharam geſta ſunt accepto nuncio, nihil cunctandum eſſe rati, omnia conſilia in hoſtes vertunt, arma parant, exercitus cōſcribunt, pecunias vndecunq; honeſte poſſunt, magna cum diligentia conquirunt, cum primū fieri poſſit, bellū hoſtibus illaturi, illa maxime fiducia læti, quod violati fœderis iuriſq; gentium nefas ab hoſtibus primum ſteterit. Et ne quid interea detrimenti limitanei paterentur, ſcribunt ad ciuitatum præfectos, ad arcium caſtellorumque præſides, & ad eos duces quibus prouinciæ Bæticæ, atque Murgitani regni ex antiqua Hiſpanorum conſuetudine finium tuendorum cura demandata eſt, vt excubent in armis, arces atque oppida muniant, limiteſque ſumma vigilantia tueantur. Alphonſo præterea Cardenio, equeſtris ordinis qui ſub diui Iacobi nomine dicatus eſt Magiſtro, per literas imperant, vt quam maximo poſſit equitatu Aſtygitanam coloniam inſideat:

insideat: alterius quoque militiæ à Calatraua Cisterciensis Magistro Roderico Tellio Gironi, vt Menteſiam præſidio teneat: omnibuſque in commune edicunt, vt non modo hoſtium excurſiones per agros compeſcant, verum etiam ipſorum fines populentur, ac ferro & igni vaſtatos reddant. Quæ omnia nihilo ſecius quam illis ſunt imperata, exequuntur.

Quemadmodum Alama duce Marchione Gaditano, & Iacobo Merulo ciuitatis Hiſpalenſis præfecto, expugnata & capta eſt.

CAPVT II.

DVM hæc per vtriuſque partis limitaneos aguntur, Iacobus Merulus quem Rex & Regina ciuitatis Hiſpalenſis prætoribus ſenatoribuſque aſſeſſorem dederant, atque impendentis belli neceſſitatibus præfecerant, agit per exploratores, ac ſemitarum diuerticulorumque viros peritos, vt pertentent oppidum aliquod, ſiue caſtellum hoſtile, ſi quo modo poſſit à noſtris intercipi. Paucis poſt diebus referunt Malacam vrbem maritimam ſegniter, atque mediterraneam Alamam negligentius ab hoſtibus obſeruari. Merulus rem omnem ad Rodericum Pontium Marchionem Gaditanum refert, atque vterque Petrum Enriquez prouinciæ Bæticæ præfectum in conſilium adſciſcunt. Cumque de alterutra vrbe petenda diutius conſultaſſent, placuit tandem Alamam debere peti, propterea quod videbatur expugnatu captuque facilior. Omnibus viſum facinus præclarum, atque omni laude digniſſimum, & in quod eſſet totis viribus incumbendum. Sed quia grandiori exercitu opus erat, hortantur alios proceres arciumque præſides, vt veniant ipſi, aut auxiliares mittant copias. Enriquum Guzmanum à Methymna Aſindica Ducem huius conſilii non fecere participem, ob antiquas ſimultates quæ illi cum Marchione Gaditano interceſſerant. Coiere ad negocium peragendum leuis armaturæ equitum ad tria millia, peditum aliquanto numerus amplior, qui per montium anfractus perque iuga valleſque depreſſas, noctu magis quam die iter facientes, non ſine magna difficultate perueniunt tandem nocte intempeſta in conuallem quæ aberat ab Alama paſſuum circiter duo millia. Trecenti ex omni numero ſtrenui milites iubentur ſequi duces itineris. Cumque vrbem propius acceſſiſſent, præmittunt excubias, vt captent quid apud hoſtes agatur. Referunt ab arcis parte omnia eſſe quieta, non circitorum exhortationes, non vigilum acclamationes, non denique vllum audiri ſtrepitum. Igitur per amicæ noctis ſilentium ſcalas muro exteriori admouent, ſcandit primus omnium Ioannes Ortega, qui ſe profitebatur ſcalarium, vir paratus in vtrumque facinus, ſiue rem cōficere, ſeu certæ occumbere morti. Sequebatur illum Martinus Galindus paris audaciæ vir, ab Aſtygi vrbe nobiliſſimus eques, ſed à quodam familiari ſuo inſtantis periculi admonitus locum cedit. Ille gradum occupat, qui ab ſcalario interrogatus, quis tu es, qui me ſequeris? Ioannes, ait, ille Toletanus. Subiicit Ortega, A Toleto in tanta re aliquid boni? Perge, inquit ille, nam paulo poſt experieris. Tum ſequitur Martinus ipſe Galindus, & poſt illos conſcendunt alii triginta, qui occupato exteriori arcis pomœrio tranſiliunt murum interiorem, vigiles ſomno ſemiſepultos trucidant, alioſque ex eadem arce auxilio ſubeuntes pari ratione conficiunt. In quo Toletanus ille, quemadmodum erat pollicitus, egregie rem geſſit. Capiuntur mulierculæ cum pueris, præſidiarii ex muro deturbantur. Noſtri arce potiti ſeras poſtici in agrum ſpectantis frangunt, ſocios in arcem ad ſe recipiunt. Oppidani qui in media vrbis parte ſiti, ſumma in pace ſecuri agebant nihil tale formidantes, terrore ſubito perculſi corripiunt arma, vt arci quamprimum ſuppetias ferant. Quam ab hoſtibus occupatam videntes, murorum turres & propugnacula, ciuitatis portas & templa præſidio muniunt, vias ad arcem ſpectantes vallo, & foſſa, beronibuſque occludunt, eoque ferreos arcus, ſcorpiones, baliſtas, ſclopetras, & alia tormentorum genera comportant, ſagittas, catapultas, phalaricas, glandes plumbeas, & ſaxeos orbes in arcis portam pariter intendunt, metuentes id quod erat futurum, vt inde hoſtes ad vrbem diripiendam erumperent. Augebat illis animum ad obeundos labores, quod ad paucas horas expectabant ſuorum auxilia, tum à caſtellis oppidiſque finitimis, tum etiam à Granata ipſa equitum peditumque egregia altrice, quæ non amplius quam triginta millia paſſuum aberat, & quæ vnius diei itinere poſſet longe maiorem exercitum auxilio ſubmittere quam noſter eſſet. Quod ipſum noſtros vehementer angebat: intelligebant namque, ſi eo die tota vrbs in poteſtatem ſuam non veniſſet, omnes ſuos labores fruſtra ſuſceptos, atque

postridie tantam hostium multitudinem superuenturam, vt neque arcem tueri, neque cum illis confligere, neque illorum impetus sustinere, neque se demum nisi maximo accepto detrimento posse ad suos recipere. Interim dum quid consilii capiant, duces exquirunt, Xanthus ab Abila Carmonensis arcis præfectus, vir nobilis, atque animi præceps, qui & ipse insignem equitum cohortem ductabat, Est ne quisquam ex vobis, inquit, viri fortissimi, qui me in hostes erumpere volentem sequatur? Aderat forte pari magnitudine animi vir Nicolaus Rogius, & ipse Arcuensis arcis præses, qui ait, Ego te, mi Xanthe, etsi nemo alius, sequar. Vnum & commune periculum, vna salus ambobus erit. Qui alios vt sequerentur exhortati, vix prima portarum limina attigerant, & in medio statim eruptionis conatu hostium telis obruuntur. Eorum cæde nostri animo consternati diffi- 1
dere rebus, incerti quid agant, quo se consilio ex tantis angustiis explicent. Visum est quibusdam arcem demoliri, seque ante quam hostes auxilio veniant, debere ad suos recipere. Sed Marchio, & prouinciæ Bæticæ præfectus, & Iacobus Merulus, & quibus erat animus præsens, ac bello viuida virtus, arcem nullo modo deserendam esse censent. Causabantur illi imprimis difficiles in vrbem aditus, hostium auxilio subeuntium in breui tempore aduentum, ac præterea rerum commeatus penuriam. Hi vero contendunt ab incepto nullo modo esse desistendum, & quando in arce capienda semel sibi bene cessit, vrgendos esse successus, atque viam inueniendam qua tota vrbs capiatur, & quo alacrius rem adoriantur, ciuitas diripienda militibus proponitur, vt quod cuique ex præda cesserit, extra sortem possideat, neque in manubias redigatur. Ita- 2
que placuit demoliri partem muri qui arcem ab vrbe dirimebat. Per vrbis ruinas nostri duce Marchione agmine facto erumpunt, alii per arcis partem, alii per muros, qua parte erant arci continentes. Alii domorum culmina conscendunt, alii parietes communes suffodiunt, pars viarum angustias obsident, pugnatur vndique vehementer, eminus telis, cominus gladiis. Hos prædæ atque victoriæ spes alit, illos vrbis amissæ desperatio agit præcipites, vtrosque auxiliorum aduentus acuit, nostros, vt ante hostium aduentum rem peragant, illos, vt partem vrbis captæ integram seruent, qua suos opem laturos receptent. Pugnatum est tota die ad vesperam. Mauri deinde paulatim pugna cedere, seque in templum quod non longe à muris erat recipere. At nostri, ne quid intra muros esset hostile, oppugnationem templi non differunt, testudines plu- 3
teosque parietibus admouent, arietibus limina quatiunt, apponunt incendia, obsessi tandem partim capiuntur, partim trucidantur. Atque ita nostri præda ingenti, & grandi captiuorum numero, & quod iam inde ab initio petierant, florentissima vrbe potiuntur. In Alama expugnata damnum Zaharæ ab hostibus illatum compensauimus, præterquam quod ad futuri belli momentum plus detrimenti in eius expugatione intulimus, quam in illius amissione accepimus, quod postea totius belli exitu intellectum est. Parua Zaharæ amissæ in limitibus præsertim accepta iactura, atque ingens Alamæ in hostilis regni visceribus illata, futuri euentus omen fuit, quod paruo nostrorũ detrimento dira calamitas atque pernicies erat hostibus accipienda. Quod & fanaticus quidam senex non dissimulauit, qui cum primum de Zahara expugnata nuncius 4
Granatam est allatus, Aut me, inquit, mea fallunt oracula, aut de regno Maurorum in Hispania quod per tot annos possederant, actum est.

Quod Granatensium Rex ex Alamæ nuncio cum ingenti exercitu venit, atque oppidum à nostris captum oppugnat.

CAPVT III.

EX Alamæ captæ nuncio ingens trepidatio Granatæ consecuta est. Principio nemo erat qui crederet nostros tantum facinus aggressuros, vt vrbem in mediis regni penetralibus sitam attentarent. Sed postea quam vnus & item alter rem certiorem facit, atq; 5
alius tantum arcem, alius partem quoque vrbis, alius totam vrbem captam nunciat, omnes in commune fortunam suam lamentari, lugere regnum quod tanto tempore possederant, breui periturum. Rex ipse tanti mali nuncio perculsus rem ad populi primores refert, quod possit esse tantæ calamitatis remedium exquirit. Placuit totis viribus incumbendum, vt quam primum suis laborantibus, atque in vltimo periculo constitutis, ex præsentibus copiis suppetias ferat. Deinde cum omni equitatu, peditatuque, atque tota regni mole laborandum, vt hostem in medii regni visceribus exultantem abigant. Missi itaque subsidio mille armaturæ leuis equites, qui postridie eius diei quam vrbs

capta eſt, ſub primam lucem viſi, muros bis terque obequitarunt, videnteſque omnia iam in hoſtium poteſtatem redacta, neque quicquam auxilii ſuis præſtare poſſe, redierunt. Rex interea ſcribit ad omnes omnium præfectos atque arcium præſides, vt pro negocii magnitudine cogant exercitus quam maximos poſſint, atque ad Alamam obſidendam quatriduo conueniant. Intelligebat nanque omnem ſpem vrbis recuperandæ in celeritate poſitam eſſe, antea quam hoſtes ſe validiori præſidio muniant, & maiores Chriſtianorum copiæ confluant, atque tormenta & machinæ cum grandiori commeatu eo comportentur. Qui nihilo ſecius quam ſunt iuſſi, ad locum tempuſque conſtitutum omnes conueniunt. Erat equitum ingens numerus, ſed peditum incredibilis multitudo, inter quos ſagittatores ſtloperariique complures. Caſtris poſitis conſtituunt ab omnibus ſimul partibus vrbem inceſſere, non diu, non noctu ab oppugnatione deſiſtere, vt noſtri ancipiti periculo diſtracti, atque vigiliis & laboribus defeſſi cederent. At duces noſtri multitudine hoſtium commoti nihilo ſegnius agunt, milites per murorum pinnas propugnaculaque partiuntur, cohortes quæ laborantibus opem ferant, certis in locis diſponunt. Ipſi per vrbis pomœria propugnatores hortantur, ne in tanto diſcrimine rem ſomniculoſe negligenterque agant. At hoſtes tametſi non venerant inſtructi machinis ſulphurariiſque tormentis, magno tamen animo, vel potius temeraria quadam deſperatione, muros vndique adoriuntur, pluteos ac teſtudines murorum radicibus admouent, fundamenta ſuffodiunt, arietant portas, ſcalas admouent, nullumque tempus intermittunt in quo non hoſtibus obſeſſis negocium faceſſant. At noſtri etſi numero pauciores erant, non modo ſuperfuit animus ad deturbandum hoſtes, verum etiam auſi portas erumpere, oppugnantes vltro inceſſebant. Cadebant ex illis complures, propterea quod auſu temerario, vel potius præcipiti quadam rabie concitati ad muros accedebant. Oppugnatum propugnatumque eſt oppidum eo die ſummis vtrinque viribus. Sed Mauri cernentes nihil ſe ea oppugnatione proficere, ſtatuunt flumen quod vrbem præterlabitur, per inciles foſſas diuertere. Noſtri vero ne aquationis vſus interciperetur, cum alioqui non eſſent in vrbe fontes, non putei, non ciſternæ, coacti ſunt pro aqua cum hoſtibus pugnam conſerere. Cumque ex vtraque parte complures caderent, non potuit effici quo minus hoſtes magnam fluminis partem alio diuerterent. Erat cuniculus ex vrbe pertendens ad flumen, aquationis vſui iam pridem ab oppidanis comparatus. Sed cum ex diuerſa fluminis ripa ſagittis & miſſilibus aquatores ſummouerentur, non potuit euitari, quin pro vſu rei tam neceſſariæ ab vtriſque diu noctuque pugnaretur, atque plures vtrinque caderent. Laborabant præterea noſtri aliarum rerum multarum inopia. Nã cum iam inde ab initio vrbs capta diriperetur, multitudo ignara conſiliorum, putans vrbem non eo expugnatam vt muniretur præſidio, ſed vt direpta dirutaque deſereretur, frumenta equis proculcanda ſpargunt, dolia & ſerias mellis & olei frangunt, atque corrumpunt alia quæ poſſent aliquando vſui eſſe futura. Duces noſtri in tanta rerum omnium difficultate poſiti ab vrbibus finitimis per literas auxilia petunt, proceres primoreſq; populorum ad ferendas ſuppetias hortantur, quanto in periculo ſint exponunt. Ducem à Methymna Aſindica ob memoratas ſimultates veriti ſunt commonere, ne rogatum facerent deteriorem ſibi implacatioremque, cum præſertim de tanta re illum à principio non conſuluerint. Ad Regem præterea Reginamque ſcribunt, quo in ſtatu res ſit, enarrant, atque vt copias auxiliares quamprimum curent mittendas, hortantur.

De auxiliaribus copiis cum commeatu obſeſſis miſſo, & quod Rex ex Methymna profectus magnis itineribus properat, vt negotio intereſſet.

CAPVT IV.

NVNCIO eorum quæ ad Alamam gerebantur ad finitimas noſtrorum ciuitates allato, omnes ſe incredibili ſtudio ad arma capeſſenda concitare, atque ſuis in tanto periculo poſitis ad auxilia ferenda cohortari. Sed imprimis Enriquus à Methymna Aſindica Dux, ſimultatum quæ illi cum Marchione Gaditano interceſſerant, aut obliuione ſempiterna memoriam delens, aut ad tempus diſſimulans, equites pediteſque aut ſuæ ditionis, aut ſua æra merentes euocat, amicos rogat, omnes in commune ad ferendam laborantibus opem accendit. Exponit præterea publice apud menſarios ingentem pecuniarum aceruum, vnde ſtipendia gregariis militibus perſoluerentur.

Atque in hunc modum quam maximo exercitu comparato, accedunt alteræ copiæ Corduba, Astygi, Hispali, Asindo, cæterisque oppidis & municipiis in hostium collimitio positis. Conueniunt præterea eodem Comes Ægabrensis & Alphonsus Aquilarius atque limitaneorum præfecti, qui omnes grandi rerum omnium commeatu, & qui posset sibi obsessisque sufficere, iumentis imposito, Alamam contendunt. Mirum tam breui tempore tantam equitum peditumque multitudinem potuisse vnum in locum conuenire, atque tanto omnium consensu tantaque animi alacritate ad præclarum facinus peragendum coniurasse. Erat ea tempestate Rex & Regina Methymnæ ad campum, qui nuncio accepto de Alama à nostris expugnata, & deinde ab hostibus obsessa, nihil cunctandum esse rati, cunctis viribus opitulandum esse interclusis decernunt, ad Bęticæ prouinciæ ciuitates, oppida, castella, arciumque præsides, & ad limitaneorum præfectos scribunt, vt sint in armorum procinctu. Ipse vero Rex quo die nuncium accepit, à Regina digressus magnis itineribus Cordubam contendit. Erant in illius comitatu Beltranus Dux Alburquerquerus, Petrus Manriquus Comes à Triuinio, Enicus Mendoza Comes quoque à Tendilla, quibus se deinde adiunxit Ioannes Siluius Cifontanus Comes, ex Toleto vrbe regia progrediens in occursum. Cumque peruenissent ad Amuzum (oppidum est id à Corduba distans septentrionem versus passuum circiter millia viginti) mittit literas ad Ducem Methymnæum, ad Comitem Ægabrensem, ad Alphonsum Aquilarium, & ad alios cohortium præfectos, imperans illis ne properent, seque expectent, velle se dicit ferendo subsidio interesse. Atqui duces qui iam intra hostium fines exercitum ductabant, cum grandi armorum commeatusque impedimento, putantes iam non esse integrum, sed neque tutum retrocedere, tum quod obsessi laborabant in summa rerum omnium inopia, tum etiam quod tantus exercitus non poterat diutius contineri, propterea quod ad paucos dies erat conductus, & paucorum dierum cibaria comportabantur, rescribunt ad Celsitudinem suam se voluisse illius iussis obtemperare, sed rem eo loci deductam, vt iam non sit in ipsorum potestate, vt saluis rebus possent repedare. Orabant obtestabanturque illum, quando aliud fieri non poterat, id quod fecissent, boni consuleret. At Rex nihilo segnius institutum iter peragit, quoad ventum est ad locum quem accolæ Pontonem magistri vocant. Vbi certior factus exercitum procedere, neque posse illum ob memoratas causas expectare, properabat tamen vt copias consequeretur, nisi periculi à finitimis hostibus imminentis admonitus fuisset. Itaque statuit Ramblæ rei euentum expectans immorari. Vbi vero postridie nuncium accepit de hostium fuga, deque Alamæ obsidione soluta Cordubam rediit, quo venturam esse Reginam conuenerat, cum qua de futuri belli ratione consultaretur. Constabat namque Granatenses Mauros, dum haberent hostem in agro propemodum suburbano, nunquam quieturos, sed neque cessaturos ab obsidione repetenda, quoad vrbem amissam recuperarent. Ex quo alterum è duobus erat necessarium, aut vrbem relinquendam, aut bellum esse continenter gerendum. Nam quod erat tertium, alternis mensibus tam grandem exercitum cogere, qui sufficeret ad commeatus importandos, infiniti cuiusdam erat sumptus, & vnde multo maius detrimentum nostri quam hostes acciperent.

Soluitur Alamæ obsidio, commeatus in vrbem importatur, Dux à Methymna cum Marchione ex antiqua simultate in gratiam redit.

CAPVT V.

MAVRVS deserta obsidione cum se Granatam recepisset, nostri summa rerum omnium inopia laborantes spem metumque inter dubii pendebant, cum speculatores nunciant auxiliares nostrorum copias aduentare. Erumpunt portis bipatentibus omnes, atque in occursum venientium hilares procedunt. Ruunt vtrique in amplexus & oscula, d cunt accipiuntque salutem. Hi percontari, illi narrare pericula gestiunt. Hos iuuat beneficia in tam bene meritos collocasse, hi conseruatores atque vitæ salutisque suæ autores venerantur. Iam Gaditanus Marchio acceperat quanta animi alacritate Dux à Methymna se gessit principem in contrahendis auxiliis, quantaque liberalitate in stipendio militibus persoluendo fuerit vsus, quantos præterea labores in ducando exercitu subierit, cum alioqui potuisset iure suo in aduersarii calamitate, aut lætari, aut saltem dissimulare. Ipse prior Ducem adit, atque post arctissimos amplexus dicta acceptaque salute huiusmodi verbis est vsus. Hic dies, clarissime Dux, mihique imprimis obseruande, controuersiis simultatibusque nostris finem imposuit, idemque spero initium dabit necessitudinis

tudinis,amorisque inter nos sempiterni. Nam & ego semper meminero beneficii à te hodie accepti,atque salutis quam tibi vni acceptam refero, & tu è diuerso cum de me cogitabis,de tua erga me benignitate memineris, & te meæ salutis autorem fuisse lætabere. Sed quando neque fortuna tua desiderat,vt tuis in me beneficiis gratiam referam,neque pro tui animi magnitudine id à me exigis, reliquum est, vt Deus immortalis & mens sibi conscia recti præmia digna ferant. Ad quæ breuiter Methymnæus Dux, Missa, inquit, isthæc fac perquam illustris Marchio. Neque enim decet in causa maxime religionis Christianæ bonos viros priuatarum simultatum meminisse,quin potius omnes offensas, si quæ hinc inde,aut illatæ,aut acceptæ sunt,condonemus patriæ atque nomini Christiano,æternaque obliuione sepeliamus. Nunc quando bene vtrisque cessit, genialis agatur iste dies,sitque inter nos gratiæ reconciliatæ testis sempiternus. Iungunt itaque hospitia, & quemadmodum est in adagio illo veteri, pares cum paribus facillime congregantur. Sed quid non mortalia pectora cogit auri sacra fames? Cernens auxiliaris miles hospitem suum seruis,ancillis,armis,omnique preciosa supellectili adauctum,cœpit inuidere, atq; alius alium mussans extimulare, Cur non, inquiens, & nos quoque ex præda pro virili portionem petimus,qui non minus in ferendo auxilio quam isti in capienda vrbe laborauimus? Neque enim minor est labor,quam quærere,parta tueri. Itaque cum postridie de relinquendo in vrbe presidio, deque reducendo exercitu à ductoribus ageretur, cœptum est non iam obscure,sed palam atque pro concione publica disceptari de præda inter præsidiarios subsidiariosque diuidenda. Hi namq; dicebant deberi sibi non modo partem spoliorum,sed & omnem prædam,quando vt ait poeta,

Non minor est labor,quam quærere,parta tueri.

An qui in summa rerum omnium difficultate atque angustia positi, iam iam in hostium potestatem venturi erant,aut cædem miserandam subituri,non dederent se cum suis omnibus bonis,vitæ salutisque suæ autoribus? pellem, inquit scriptura sacra, pro pelle dabit homo pro anima sua. Illud insuper addebant ex limitaneorum iure legibusque iam inde ab ipsa hominum origine obseruatis,qui in hostium potestatem deuenerunt, sui iuris omniumque bonorum suorum facultatem amiserunt, atque sui ipsorum dominium in victores transtulere. At vos, inquiunt, omniaque bona vestra, tam ea quæ antea iure possidebatis,quam ea quæ nunc ex belli huius manubiis obuenerunt, vestri iuris esse desiere,cum iam iam in hostium potestatem ventura essent, nisi nos auxilium tulissemus. Quæ igitur inuidia est,non concedere partem illis qui vobis omnia reddiderunt, vitam, libertatem,fortunasque omnes,tam iure antea possessas,quam nũc ex bello aduentitias? Illi vero contra, Immo, inquiunt, quæ æquitas, quod iure nostrum semel esse cœpit, quodque vigiliis,& laboribus,atque insuper vitæ periculo nobis accessit, atque in censum nostrum iuste numerari debet,nobis inuitis velle præripere? At liberastis obsidione detentos,aperuistis viam qua ciuibus vestris in patriam reditus pateret, fecistis quod ex iure diuino & humano facere debuistis. Nunc vero pro eo mercedem exigere, quod vltro bene fecistis, quæ humanitas est? immo quis pudor atque inciuilitas, beneficium semel bene collocatum exprobrare? His se stimulis atque iurgiis in rixam,& ex rixa se in pugnam prouocantes Dux à Methymna sic alloquitur. Quo pergitis ô commilitones mei, quis furor iraque mentem præcipitat? hoc tantum obsecro prohibete nefas, ne velitis pro parua bonorum fortunæ accessione tantam rei bene gestæ gloriam commaculare. Et quid aliud hostes nostri contra nos facerent, quam quod vos facere incipitis? Nunquid ea ex causa huc venimus, vt cum ciuibus nostris pugnam consereremus, an potius vt ex periculo & obsidionis angustia explicaremus? Sinite igitur, rogo vos, habeant illi parua atque minuta fortunæ bona, quæ sibi forte sua obtigerunt, dum modo vos beneficentiæ vestræ conscientia fruamini, quæ sola bonis atque sapientibus viris præmium recte factorum semper fuit iudicata. Hoc clarissimi deque omnibus bene meriti Ducis sermone mitiores facti milites auxiliarii cesserunt, puduitque illos incepisse quod non fuerunt consecuti. Tum exercitus parte cum omni commeatu quem importauerant, in vrbis præsidio relicto, cæteri cum Duce & Marchione in domos quisque suas læti redierunt.

Maurus Alamæ obſidionem repetit. Regina Cordubam venit: bellum Mauris apparatu maiori decernitur.

CAPVT VI.

GRANATENSIVM Rex audito Ducis & Marchionis ex Alama diſceſſu, obſidionem maiore belli apparatu repetit, atque die noctuque omni ex parte oppugnari iubet. At Iacobus Merulus Hiſpalenſis ciuitatis præfectus, & Martinus à Corduba ex familia Comitis Ægabrenſis, & Ferdinandus Carillus vir nobilis, qui relicti fuerant vrbis tuendæ cauſa præfecti, ſtationes diſtribuunt, vigiles circitoreſque partiuntur, & qua parte murus erat infirmior, ſtrenuiſſimus quiſque miles collocatur. Cumque per aliquot dies continuos omne tempus mutatis oppugnatoribus noſtros ad laſſitudinem vſque oppugnando defatigaſſent, ſtatuunt in matutino quodam diei crepuſculo, qua parte munitionis nulla erat ſuſpicio, ſcalas admouere. Iamque vigilibus trucidatis ad ſeptuaginta intra vrbem recepti erant, atque aſcendentium numerus magis magiſque augebatur. Ad clamorem teſſeræ noſtri excitati arma corripiunt, admiſſoſque intra mœnia hoſtes cædunt, fugant, atque impulſos ex muris deturbant. Actum erat de retinenda vrbe, deque omnibus qui illam præſidio tenebant, actum quoque de omni ſpe regni illius recuperandi quod per ſeptingentos annos hoſtes poſſederant, ſi non Hiſpanæ reip. fortuna vnum ex militibus poliendi cauſa atque aptandi ſpicula ſagittis peruigilem ſeruaſſet, qui hoſtium ſciens ſtrepitum, ſocios dormientes ad arma capienda excitauit. Fuit nobis tam fatalis ſagittarum ille politor, quam Romanis anſer ille Capitolinus, qui Senones mœnia ſubeuntes iamque pinnas murorum prenſantes primus omnium ſenſit, atque clangore ſuo vigiles propugnatoreſque excitauit. Maurus cernens ſe ea oppugnatione nihil proficere, obſidionem intermittit in aliud tempus, quo machinis, & oppugnatoribus, atque tota illius regni mole auctus, vrbem amiſſam recuperet. Regina interea quam Rex Methymnæ reliquerat, cum ad bellum quod cum Mauris gerebatur in Bæticam proficiſceretur, ad primores regni, ad ciuitates, & municipia, vnde poterat exercitus comparari, & ad euocatos qui regia ſtipendia merebant, literas dat, quibus omnes hortatur, vt ad certum diem ſint in armorum procinctu, & ſe cum Rege agglomerent, vt quam maximo fieri poſſit exercitu hoſtium fines adoriantur. Comeſtabilem quoque Hiſpaniarum accerſiri iubet, vt ſuperioris Hiſpaniæ citra Taurum montem pro ſe & pro Rege gubernationem commẽdet. Qui veniens & qua ex cauſa iuſſus ſit venire factus certior, hac vna in re dicit ſe cogi non poſſe, neque debere, vt Rege ſuo militante, atque cum hoſtibus rem gerente, Comeſtabilis in pace quietus & extra fortunam belli poſitus vitam agat. Non potuit Regina illius ad obſequium pronam voluntatem non laudare, laudatumque vt ſuum in bello munus exequeretur, ſeque, vt ad Regem quamprimum fieri poſſit, conferret, hortatur. Prouinciæ deinde adminiſtrationem in Architalaſſum Regis transfert, quem regii conſilii iureconſultis præficit atque prætoribus maximis, quibus in locis opus erat, conſtitutis, quam magnis poteſt itineribus Cordubam ad Regem proficiſcitur, niſi quatenus paucos dies dominicæ reſurrectioni dedicatos Toleti immoratur. Quo tempore Regina Cordubam venit, nihil aliud fere ad regium ſenatum verſabatur, quam de Alama capta quid eſſet decernendum. Erant complures ex ordine equeſtri atque ſenatorio viri rei militaris periti, quibus natura regionis & loci ſitus erat notus, qui Regi & Reginæ ſuadebant, vt demolirentur vrbem, quæ niſi magno totius Hiſpaniæ diſpendio retineri non poſſet. Nã cum eſſet in mediis hoſtium penetralibus ſita, eſſe opus quotannis quater aut quinquies commeatus importari, quod tuto fieri non poterat, niſi toties equitatus ingens cogeretur. Quare belli gerendi ratio potior videbatur, vt euerſa funditus Alama, conſilia verterentur omnia, quemadmodum Loxa poſſet capi, quæ minori ſumptu capta retineri poſſet. Sed quia ciuitas illa grandior erat, & quæ, vt obſideretur, maiore belli apparatu indigeret, quam pro tempore illo eſſet in promptu, in aliud tempus obſidionem eſſe differendam, cum præſertim illa tempeſtate Bætica rei frumentariæ penuria laboraret, fatiſque eſſet quod Rex cum præſenti exercitu commeatum importaret Alamam, ſiue placeret vrbem dirui, ſiue muniri, præſidiarios milites omnium rerum egeſtate laborantes eſſe recreandos. At Regina quę propagandi fines Hiſpaniæ ingenti cupiditate flagrabat, non probauit illorum ſententiam qui dicebant Alamam eſſe diruendam, nec vlla ex cauſa ceſſandum à gerendo bello quod ſemel inchoauerant, & cuius cauſa quo tempore aliis rebus eſſent impliciti, ipſa cum Rege illuc venerant. Et quando illud oppidum fuit primum quod ex hoſtium poteſtate in ſuam ditionem venerat, & vnde totius belli futuri auſpi-

auſpicia erant capienda, nullo modo eſſe deſerendum, ſed potius in eo laborandũ, quemadmodum caſtella, & oppida, munitioneſque finitimæ caperentur, vnde hoſtibus damna inferrentur, & Alamæ noſtræ quies tranquillitaſque perueniret. Huic reginæ tam piæ honeſtæque voluntati rex acceſſit. Tum regni proceres & qui aderant, & qui abſentes poſtea aduenerunt, aſſenſi ſunt, ſeque ad bellum quod impendebat, parant, atque alacri animo ſe ad arma accingunt. Rex cum proceribus qui aderant, & cum præſenti exercitu, Aſtygitanam coloniam petit. Fuerunt in illius comitatu ordinis eccleſiaſtici Petrus Mendoza Cardinalis Hiſpanus, qui poſtea ex Archiepiſcopo Hiſpalenſi fuit Toletanus antiſtes, ex eadem familia Iacobus Furtatus, ex epiſcopo Palantino Archiepiſcopus Hiſpalenſis, & Alexandrinus Patriarcha & S. R. E. Cardinalis: ordinis equeſtris Magiſtri, Alphonſus Cardenius militiæ diui Iacobi, Rodericus Tellius Ciſtercienſis militiæ à Calatraua, à ponte Traiani, hoc eſt ab Alcantara, Magiſter Ioannes Stunica non adfuit, quia ætate pupillari ſub patre Placentini Ducis erat poſitus: ex ſæculari militia Dux à villa formoſa regis frater nothus, Ludouicus Cincinnatus à Methymna cœli Dux, Ænicus Lupides Cardinalis Hiſpani frater Infantatus Dux, Beltranus à Cauea Alburquerquerus Dux, Petrus Veraſcus Hiſpaniarum Comeſtabilis, Rodericus Pontius à Legione Gaditanus Marchio, Iacobus Lupides Patiequus Villenatium Marchio, Alphonſus Tellius Vrenatum Comes, Iacobus à Corduba Ægabrenſis Comes, Petrus Manriquus à Triuinio Comes, Ænicus Lupides Mendoza Tendillanus Comes, Ioannes Siluius Centifontanus Comes, Guterius à Septo maiori Caietanus Comes, Alphonſus à Corduba domus Aquilariæ dominus: alii quoque ex equeſtri ordine viri principes, qui partim acciti à regina, partim rogati, partim ſponte, partim vltro venerunt. Nec defuerunt duo quæſtores maximi, Ioannes Chaconius, & Rodericus Vlloa: regii præterea cenſus & fiſci procuratores, domuſque regiæ villicus maximus Enriquus Enriquides. Tum luſtrato exercitu cenſi ſunt equites ad octo millia, peditum vero numerus amplior, ordinatiſque cohortibus ex Aſtygi colonia cum ingenti commeatu Alamam petit. Iacobum Merulum alioſque duces & milites qui cum illo erant, laudat, laudatoſque à præſenti militia ſoluit. In Meruli locum Ludouicum Ferdinandum Comitem à Palma ſufficit, & quadringentorum equitum cum ſuis ducibus præſidium illi relinquit, vrbem, quibus in locis erat opus, munit, atque omnium rerum copia quæ ſunt ad victum neceſſaria, in trimeſtre tempus inſtruit. Erant in ea vrbe tria Maurorum fana, Mezquitas illi vocant, quas ex profano ritu expiatas Cardinalis Hiſpanus regis & reginæ iuſſu Chriſtianæ religioni dedicauit: primam Dominicæ incarnationis nomine: alteram diui Iacobi Hiſpanorum patroni: tertiam Michaelis archangeli. Has regina vaſis aureis argenteiſque, veſtibus & aulæis, libris, cymbalis, tintinnabulis, & omnibus quę ad cultum diuinum neceſſaria ſunt, adornauit. Ipſa quoque religionis ardore commota, ſuis digitis textilia quædam velamina laborauit, quæ adhuc in templo illo primo manuum ſuarum monumenta extant.

Rex Granatenſium agros populatur, Loxam obſidet, atque obſidionem intermittit.

CAPVT VII.

HIs ad Alamam peractis, rex anteaquam Cordubam rediret, campos Granatæ adiacentes obequitat, agrorum fruges in herba metit, arbores ſuccidit, & omnia vaſta reddit. Interea regina non ceſſat alios principes qui regem non fuerant ſecuti, literis conuocare, vrbes, oppida, municipia, & populos, vt ſe futuro bello quod in Loxam parabatur, accingant hortatur. Ex omnibus quoque locis vndecunq; fieri poterat commodius, frumenta, vina, ſuccidia, reliquumque omnem commeatum in certum tempus locumque comportari, machinas quoque & tormenta, cæteraque omnia quibus ad obſidionẽ opus erat, aptari iubet. Interea Mauri cum intelligerent noſtros omni bellico apparatu in illorum perniciem coniuraſſe, & ipſi vires & conſilia quibus ſe tueantur arceantque noſtros, excogitant, aggeribus, foſſis, vallis, & propugnaculis, muris & pinnis, vrbes, oppida, & caſtella muniunt, in quanto ſint periculo tranſmarinos Mauros faciunt certiores, atque auxiliares ab illis copias & ad victum neceſſaria implorant. At Principes noſtri illorum conſilia præuertũt. nam ingenti omnis generis nauigiorum claſſe in freto Gaditano comparata, vtriuſque Mauritaniæ littora, portuſq; & ſtationes luſtrari iubent, ne quiſquam ex illis ad ſuos iuuandos tranſmeare, aut aliqua in re opitulari poſſet. Igitur rex cum exercitu quem regina parauerat, dum ipſe Alamam inſtruit, Granatenſiumq; agros

populatur, cumque omni commeatu quem vnum in locum comportari iusserat, ad alterum exercitum proficiscitur, atque vtriusque exercitus ordinatis cohortibus Loxam petit, atque inter olivueta suburbana, quæ in vallibus & collibus consita Singilis amnis præterlabitur, castrametari iubet. Erat prope vrbē cliuus ex Loxensium religione sancto Alboaceni suo dicatus, in quo propterea quod vrbi impendebat, & stationes in eo dispositæ videbantur posse hostium eruptiones cōpescere, & castra reddere tutiora, iubet rex considere Rodericum Tellium militiæ à Calatraua Magistrum, & Vrenatium Comitem illius fratrē, Gaditanum quoque Villenatemq; Marchiones, & Alphonsum domus Aquilariæ dominum, strenuos duces, & qui pulcherrimum equitatum peditatumque ductabant. Cæteros, pro commodo quemque suo, atque obsidionis quæ parabatur, tabernacula figere & tentoria collocare iubet. Erant in vrbe ad tria millia armatorum ex omni Maurorum numero delecta sub duce rei militaris experientissimo, Alatarum, hoc est Aromatopolam, illi vocabant. Hi eruptionibus crebris lacessebant nostros, multaque illis damna inferebant. Et quia castra erant anfractibus præruptisq; montiū m intercisa, non poterant sibi inuicem auxilia mittere. Quarto die posteaquam Mauri sūnt obsessi, bonam armatorum partem in insidiis collocant, partem in eos mittunt qui sancti Alboaceni cliuum insederant. Committitur pugna cum stationariis, atque his militibus qui erant in præsidio positi contra subitas Maurorum eruptiones, accurrunt subsidiarii, hostesque subeuntes in fugam compellunt, fugientesq; persequuntur immemores castrorum quæ sine defensoribus & deserta reliquerant. Interea ex insidiis Mauri prodeuntes ex altera parte cliuum conscendunt, castra oppugnant, capiuntq;. Quod cum nostris esset nunciatum, in castra iam capta redeunt, eos hostes ex vrbe insequuntur, nostri ancipiti pugna distracti, cum illis qui castra diripuerant, ad horam integram pugnant, quoad ex aliis castris auxiliaribus copiis subeuntibus hostes fundunt, fugant, atq; intra sua mœnia includunt. In ea pugna complures primarii viri ceciderunt, sed inprimis Rodericus Tellius à Calatraua Magister duabus sagittis confixus interiit. Cuius mors non modo regi & reginæ, sed quia curialium iuuenum erat princeps, vniuersæ iuuentuti flebilis fuit. Rex vero cum intelligeret, quanto in periculo essent, non modo ii qui Alboaceni cliuum, sed etiam illi qui alia loca insederant, cum neutri possent in hostium superuentu aliis auxilium ferre, statuit castra in locum tutiorem procul ab vrbe reducere, quoad geminatis copiis bina aut terna castra possit vrbi admouere. Neq; enim aliter poterat obsidio coarctari, quo minus obsessi socios auxiliares possent admittere, & ea quæ ad victum necessaria erant, in vrbem importari. Itaq; statuit postridie eius diei castra mutare. Sed antea quam præconis voce conclamari castra iuberentur, plebeii, & turbæ, & gregarii milites, & qui sub nullo certo duce militabant, cum viderent procerum tentoria reuelli, sarcinas & impedimenta in vehes aptari, cliuumq; Alboaceni ab insessoribus deseri, atq; ab hostibus occupari, suspicati auxiliares copias nocte hesterna intra vrbem admissas hostium numerū auxisse, omnem spem suæ salutis in fuga posuerunt. Non illos pudor retinuit, non desertorum castrorum ignominia, non timor, qui plærumque degeneres animos arguit, quemadmodū generosos fiducia ex periculo explicat. Supererat hosti animus ad persequendos fugientes, nisi rex equum conscendens procerum cohortes lustrasset, acies trepidantium stitisset, labentesq; animos in pugnam reuocasset. In eo conflictu Comestabilis tria vulnera in facie accepit. Dux à Methymna cœli equo deiectus, ab iis qui illum obseruabant, pugnæ restitutus est. Comes Tendillanus qui stationem habuit vrbis munitionibus proximam, præter modum telis hostium impetitus cessisset in interitum, nisi Franciscus Stunica qui patris sui Placentini Ducis cohortes ductabat, accurrisset, atq; in summo periculo positū vitæ pugnæq; reddidisset. Gaditanus Marchio illa die insignem operam nauauit, qui cum suis pugnans non solum hostes repressit, verum etiam cædem in eos ingentem edidit, atque in vrbis muros impegit. In hunc itaq; modum mulionibus, & lixis, calonibusque spatium atq; tempus datum colligendi sarcinas & impedimenta, iumentisq; & carris imponendi, nisi quatenus vehiculorum defectu magna rei frumentariæ copia est relicta. Regina earum rerū quæ ad Loxam non satis fœliciter gestæ sunt, facta certior, indoluit plus quam pro materia decuit, sed premens altum corde dolorem, spem vultu simulat, seque maiori animo erigit ad ea quæ restabant peragenda.

Maurus Alamam iterum obsidet, noster obsidionem soluit, vrbemque commeatu instruit.

CAPVT VIII.

QVI

QVI Alamæ præſidio cum Palmenſi Comite aliiſque ducibus à rege ſunt relicti, cum audiſſent Loxæ obſidionem ſolutam, regemq; copias inde mouiſſe, ex cuius captiuitate ſperabant ſibi faciliorem futuram militiam, nunc ex liberatione difficilem periculoſamque, quod pro comperto habebant, hoſtes non quieturos, quoad Alamam in ſuam redigerent poteſtatem: muſſantes inter ſe dicebant, non eſſe expectandum donec hoſtes venirent, eoſque obſidione cingerent, quin potius vrbem eſſe diruendam, ipſos cum ſpoliis atq; omni præda debere ſe ad ſuos tutioraq; loca recipere. At Comes & qui cum eo duces in vrbis præſidio erant, intelligentes quam ignominioſum ac turpe facinus eſſet, vrbem ſuæ fidei creditam deſerere diſſuadent hortanturque ne tale aliquid cogitarent, nunc precibus orant, nunc minis deterrent, nunc admonent, vt in regis aduentum rem integram reſeruẽt, neque quicquam interea de re ſtatuant. His rationibus milites confirmati obfirmant animos ad ſe vrbemq; ſibi commiſſam tuendam, aut mortẽ pulchram ſibi opperendam. Et ecce Maurus cernens Loxam obſidione liberatã, regemque noſtrũ cum exercitu ſe Cordubam recepiſſe, cum duobus equitum millibus, & ingenti peditũ numero Alamam inuadit, diu noctuq; oppugnat, noſtri propugnant, in eoq; dies aliquot inſiſtitur. Sed obſeſſos alimenta vireſque deficere, atque in dies propugnantium numerus minui, vigiliarum laborumq; viciſſitudo creſcere. Illos tamen recreabat reficiebatque vna, & ea quidem certiſſima ſpes, quod breui rex ſuppetias eſſet allaturus cum ingenti rerum omnium commeatu. neque illos ſua opinio fefellit. nam & ad conſtitutum diem venit, obſeſſores impugnanteſque fugauit, vrbem alimentis & aliarum rerum copia inſtruxit, duces militeſque feſſos recentioribus permutauit. Nam Palmenſis Comitis in locum, Ludouicum Oſorium eccleſiæ Aſturienſis Archidiaconum, qui poſtea Menteſanus Præſul fuit, virum probum ſuffecit. Hiſq; rebus peractis alteram per Granatenſium agros excurſionem facit, prædiorum villas, ſpeculatorumq; turres diruit, frumenta frugeſque in herba corrumpit, pecora armentaque abigit, paſtores agrorumque cultores in ſpeciem triumphi ante ſe captiuos agit, atque ſic cum integro exercitu Cordubam victor redit. Quanta eſſet Principum noſtrorum potentia, quantaque animi magnitudine bellum hoc inchoarunt, vel ex eo animaduerti poteſt, quod hoc eodem anno quater coegerunt exercitum, quam maximus poterat ex vniuerſa Hiſpania comparari, quater hoſtium fines hoſtiliter ingreſſi omnia illius regni penetralia proculcarunt. Vnde ſecuta eſt tanta rerum penuria quæ ad victum pertinent, vt niſi gens illa cibi parciſſima, vini abſtemia, frigoris caloriſque patiens, propoſitique tenax fuiſſet, vel ſola huius anni indigentia potuiſſet illos in ſui rerumque omnium ſuarum deditionem cogere. Sed neque in aduerſis deerat illis animus, non ſolum ad impetus noſtrorum ſuſtinendos, verum etiam cum magis afflicti eſſe viderentur, ad hoſtes laceſſendos ſupererat audacia. Oſtenderunt hoc in obſidione Canneti, quod erat caſtellum noſtrum in collimitio vtriuſque regni poſitum. namque dum hoſtes intra ipſorum fines omnia vaſtant populanturque, illi intra noſtros Cannetum oppugnant, capiunt, diripiuntque, & cum præda vtriuſque ſexus, atque omnis ætatis conditioniſque mortalibus, in patriam victores redeunt. Quid quod eodem ipſo tempore, cum inter patrem & filium de ſumma regni certamen eſſet, omneſque ciuium populorumque vires in duas factiones eſſent diuiſæ, quarum altera patrem, altera filium ſequebatur, neutra tamen à nobis in perniciem alterius auxilium petiit, ſed ipſi inter ſe priuatas inimicitias, nobiſcum vero vno omnium conſenſu conſilioque bellum publice gerebant? Nam cum pater in regni ſui primores quoſdam nobiles ſæuitiam exerceret, proximi & affines non auſi alium ſibi regem creare, filium loco patris delegerunt, ſtatueruntque in regni culmine, Granatã vrbe metropoli cum ſuis munitionibus illi tradita: pater regno pulſus Baſtam vrbem amicam ſe contulit. Inde ſimultates inter patrem & filium ortæ, atque inde cædes, morteſque, & odia conſecuta. Interea pater per temporis occaſionem Alambram vrbis arcem quæ pro filio ſtabat, admotis ſcalis intercipit, præſidioque munit, inde per vias publicas erumpit, ciues ſuas quiſque partes ſecuti vrbe in media vbique pugnant. Sed factio quæ filium ſequebatur, ſuperior euadit, aduerſarioſque tota ex vrbe fugat, Alambram captam recipit, ſuoque regi reſtituit. Et quamquam concordia illa diſcors hoſtium inter ſe victoriam noſtram ex illis per aliquot annos remorata eſt, fuit tamen eis tandem exitio vltimo, quo ſine multo ſanguinis diſpendio, minorique negocio ſe omniaque ſua, tam ſacra, quam profana, nobis tradiderunt. Sed quia iam tempus erat, vt rex & regina aliis quoque rebus proſpicerent, quam illis quæ ad inſequentis anni bellum pertinebant, antea quam è Corduba diſcederent, limitaneos duceſque limitaneorum certis in locis diſponunt, Petrum Comitem à Triuinio, quem paulo ante Anagarenſium Ducem creauerant,

Mentesanis finibus præesse voluerunt, Alphonsum Cardenium diui Iacobi militiæ magistrum in Astygitanis considere. His duobus maximis imperatoribus iubent cæteros Duces, Comites, Marchiones, & præfectos ciuitatum oppidorumque prætores, & arcium castellorumque præsides obtemperare, commendantque non solum vt fines ab hostium incursu tueantur, sed etiam vt pro temporis opportunitate hostem adoriantur, atque omnia ferro & igni populentur. His rebus ita compositis cum regina conualuisset è partu quo Ioannam regnorum postea hæredem successtricem fuerat enixa, cum rege Madritum proficiscitur.

Rex & regina Madriti Hispanas societates reformant, pecunias vndecunque honeste possunt, ærusçant, Nauariæ res nouas inchoant.

CAPVT IX.

PRIMA nostrorum Principum posteaquam venere Madritum, cura fuit reformandi atque in pristinum statum redigendi societates, siue (vt Hispanorum vulgus nunc loquitur) fraternitates, quæ pro viatorum securitate fuerant in Matricalensi Panhispanio constitutæ. Legum autem illarum quibus societates illæ fuerunt sancitæ, transgressores violatoresque multandos, aut repetundarum damnatos cum ignominia eiiciendos imprimis esse iusserunt. Procuratores deinde illarum fraternitatum ex omnibus prouinciis iussi in vnum locum conuenire. is fuit Pintum, quod est oppidulũ diœceseos Toletanæ. Ii detulerunt querelas earum rerum quæ vsquam in Hispania perpetratæ sunt. Quod facinus mansit impunitum: in eos vero præter modum est animaduersum, qui magistratus fraternitatis ærarium depeculati sunt, qui partem administrationis sibi commissæ negligentius exercuerunt. Dati quoque iudices qui repetundarum accusatos aut damnarent, aut absoluerent. Eisdem quoque data facultas rogandi nouas leges, atque abrogandi veteres, prout reipublicæ vtilitas exigere videretur. Et quia reconditum ærarium, neque fiscus regiusque census erat satis ad tantæ maiestatis molem sustinendam, statuunt, vndecumque honeste possent, pecunias ærusçare. Ab Hispanæ societatis procuratoribus petunt sedecim millia iumentorum, atque mulionum octo millia, qui iumenta omni genere commeatus onusta agerent, quo Alama instrueretur. A sede quoque Apostolica auxilium implorauere ad stipendia militibus persoluenda, tam iis qui contra nominis Christiani hostes in limitibus gerebant bellum, quam iis qui in certis Hispaniarum partibus, quæ nondum satis erant pacatæ, in præsidiis agebant, quam iis etiam quibus erat opus ad custodiam Principum, & quicquid decreuissent executioni mandandum. Ad supplendos hos sumptus missa est à Pontifice summo cum senatus Apostolici assensu facultas distribuendi centum millia ducalium aureorum per vectigalium ecclesiasticorum classes, vt in reditibus onerandis ex iustitia distributiua nemini fieret iniuria. Ex ecclesiæ quoque thesauro bullas mittit, quæ cruciferis in Christianorum hostes euntibus concedi solent, ea lege vt stipes ex fidelibus emendicatæ, non alia in re quam in ipso bello cum hostibus gerendo insumerentur. Ad extraordinarios vero sumptus à mercatoribus, opitecensibusque, & assiduis ciuibus mutuo accipiunt, quod ad certum tempus esset reddendum. Et quia regiæ domus inopia omnibus erat nota, ea contributio nemini visa est iniqua, cum præsertim illud mutuum quod impræsentiarum dabatur, suo tempore ad dominos esset rediturum. Per ea tempora nuncius regi & reginæ allatus est Phœbum Phœbi Nauariensis regis filium, atque Foxani Comitis pronepotem, ad quem regni successio pertinebat, in ætatis flore diem suum obiisse, ex cuius morte in Catharinam sororem regni hæreditas est translata. Ea in matris erat tutela. Cumque ad eas simultates quæ inter Gallos & Hispanos oriebantur, magnum esset momentum, in quas partes Nauariæ regnum cederet, quod dotis nomine tradendum erat ei quem Catharina maritum sortiretur, cœptum est in secretiori curiæ senatu agi, quemadmodum inter Ioannem Hispaniarum Principem & Catharinam Nauariæ reginam sponsalia fierent, decretumque vt ad hoc peragendum mitterentur legati ad reginæ matrem, qui illam de recenti obitu filii consolarentur, & de filiæ matrimonio cum illa agerent. Mittendas quoq; censuerunt copias quæ Nauariæ vrbes, oppida, castella, munitionesq; occuparent, firmarentq; præsidiis, vt pro nobis starent, si quod de matrimonio cœptum esset, transigeretur. Missus itaq; ex senatu regio Rodericus Maledonatus à Talabrica iuris consultissimus, qui legationis summam Nauariæ Principi exponit, quot & quanta inde commoda sequerentur, enumerat, enarrat præterea quanta honoris accessio Nauariæ reginæ fieret, si Hispaniarum Principi nuptui daretur. Ad quæ Nauariæ Princeps, tametsi

affectu

affectu Gallis quam Hispanis erat propensior, comiter tamen oratori respõdet, se eo nomine posse fœlicem appellari, si contingeret sibi Hispaniarum Principem sortiri generum, atque parentes illius regem & reginam, tot tantarumque rerum dominos, inter affines numerare. Sed ea de re inconsulto rege fratre suo, quicquam certi respondere, non esse honestum: illo tamen consulto se missuram regi & reginæ responsum ad ea quæ proposita legatio continebat. Atque ita legatus re infecta rediit. Interea Ioannes Riparius qui Hispanarum cohortium præfectus erat, missus in Nauariam, vt se iungeret Lerinatium Comiti cui regis spuria soror nupta erat, Pompeiopolimque & magnam illius regni partem affectu præsidioque obtinebat, vtque communi vtriusque consilio rem gererent, seque ad excipiendos Gallorum impetus pararent, si forte aliquid interea molirentur. Et ne inchoatum in Mauros bellum refrigesceret, & res in Nauaria inchoatæ cessarent, rex & regina prouincias inter se diuiserunt. Hæc superiorem Hispaniæ partem quæ Nauariæ finitima est, ille Bæticam est sortitus.

Rex in Gallicia mproficiscitur, contentiones inter Comites Lemnium & Beneuentanum componit.

CAPVT X.

ANTEA quam rex in Bæticam proficisceretur, res nouæ in Gallicia ottæ illius iter remoratæ sunt. Nam cum Ferdinandus à Cunia cui rex & regina illius regni gubernationem commiserant, inter cætera oppida & castella quæ superioribus annis a corona regia fuerant abalienata, in censum regalem redegisset, arcem quoque Augusti Luco impositam, quæ cum oppido ad Lucensem ecclesiam pertinebat, siue iure, siue iniuria, ditioni regiæ subegit. Erat Episcopi frater Petrus Aluarus Osorius Lemni Comes, Pontisque Ferrati dominus, atque illius regni totius omnium facile Princeps, qui spoliati fratris dolore commotus arcem obsidet, tametsi regis & reginæ præsidio teneretur. Quorum iussibus vt ab incepto desisteret, cum excusationes quasdam ineptas afferens non obtemperaret, ne illius audacia relinqueretur impunita, rex magnis itineribus in Galliciam contendit. Et quamquam inter eundum accepisset nuncium de arcis obsidione soluta, nihilominus ire pergit, sed anteaquam Asturicam vrbẽ accessisset, de Comitis morte certior factus est, ibiq; per aliquot dies substitit, quoad tumultus quosdam sedaret qui ex illius obitu oriebantur. Comiti Lemnio virilis sexus non fuerant liberi, præterquam vnus, qui viuo patre vnum tantum procreauit nomine Rodericum, & eum quidem spurium, quem auus hæredem instituit, isque viuens in bonorum possessionem misit, oppida, castella, arces, munitionesque tradidit. Mortuo igitur Comite Lemnio, Rodericus nepos aui titulum assumit, bonorum possessionẽ continuat, quem propinqui & affines, domestici & familiares, socii & amici quos auus habebat quamplurimos, atq; vniuersa propemodum Gallecorum iuuentus sequitur. Erat altera ex parte Rodericus Pimentellus Beneuenti Comes, cuius filio ex Comitis Lemnii filiabus vna erat desponsata, & quia filia erat legitima, Rodericus autem nepos spurius, & ex spurio filio natus, eodem iure asseuerabat omnia defuncti Comitis bona ad nurum suam pertinere, idque se non solum iure, sed etiam si opus foret, armis persecuturũ. Comes Lemnius se iure potiori esse, & quod bona ex aui testamento possideret, & quod natalium defectus per apostolicæ sedis literas iam esset suppletus. Itaq; cum alter iam possideret, alter de perturbanda possessione certaret, non experiri legibus, sed armis potius decernere maluerunt. Vterque suos conuocat, ad arma omnia spectant. Atqui rex quod ad bellum in Bætica gerendum properabat, ne inter duos illustres viros pugnandi occasionem relinqueret, paucos dies alios Asturicæ immoratus est. Iubet imprimis, vt Comites, vterque suos quos habebant in armis, domum quemq; suam remitterent, deinde vt ad se veniant, iusq; coram ipso persequantur, interponit inducias in tempus, quo lis tota componi posset, se redditurum cuiq; quod suum esset, pollicetur. Comites non secus, ac iussi sunt, faciunt. nam & quisque copias dimittit, ad regem venit, causamque suam apud illum defendit, aduersarii rationes impugnat. Rex litem arbitrio iudicum diiudicandam remittit, aliisque rebus ordinatis Madritum se ad reginam confert. vt quod antea decreuerant, alter ad bellum cum Mauris in Bæticam, alter ad id quod in Nauaria inceperant exequendum, proficisceretur. Et ecce interim ab Italia negotium aliud exortum est, quod tametsi honeste poterant dissimulare, noluerunt tamen, quibus in rebus auxilio esse possent, operam suam non interponere. Erat in armis vniuersa Italia, propter ignominiosam mortem Archiepiscopo Pisano à Florentinis illatam. Erant præterea duæ factiones, altera Pontificis & Venetorum, Florenti-

norum & Ferdinandi regis Neapolitanorum altera. His accedebant reliqui omnes Italiæ principes, & ciuitates quæ sub reip. forma gubernátur. Ferdinandi Florentinorumq; copiæ in agro Romano castra metantur, ciuitatem eo angustiæ deducunt, quam obsessi perpeti consueuerunt. Superuenit deinde Pontificis Venetorumq; exercitus, hostesq; ex improuiso adortus, fundit, fugatq;, castra diripit. Ferdinandus copias fusas recipit, bellumq; instaurat. Hinc cædes, agrorum populationes, villarum incendia per totam Italiam fiunt, neque erat vnde tantis malis remedium afferri posset, nisi Principes nostri partim obseruantia erga Pontificem, partim Ferdinandi regis cognatione, partim etiam populorum omnium misericordia permoti, componendæ discordiæ curam suscepissent. Mittunt itaq; oratores ad Pontificem maximum, ad Venetos, ad Florentinos, & ad alios principes, & ciuitates quæ illos sequebantur, rogantque vt relictis armis concordiæ potius & paci acquiescant, se velle inter vtrosq; de pacis conditionibus agere. Missi igitur legati Ioannes Gerundensis Episcopus, & Bartholomeus Berrius iuris legumq; peritus. Qui ab omnibus ad quos missi fuerant, comiter excepti, hos & illos ambiendo Principum nostrorum nomine, nunc exhortationibus & monitis, nunc precibus & promissis, ita omnium animos flexerunt, vt non solũ concordiæ paciq; faciendæ sint assensi, verum etiã regi & reginæ eo nomine per literas gratias agerent, quod illos ex tantis molestiis curisq; liberauerint. Missæ hac de re literæ breues à Pontifice, missæ & ab Apostolico Senatu, missæ quoq; à populi Romani gubernatoribus, ex vrbe Roma postridie Calendarum Ianuarii datæ, anno à salute Christiana tertio & octogesimo super millesimum quadringentesimũ. Paucis diebus postea quam negocium peractum est, in hunc modum, procuratoribus Principum vocatis in senaculum, Pontifex pacem pacisq; conditiones pronunciare facit, regis & reginæ legatos cæteris omnibus nudis capitibus, genibusq; flexis, sedentes pileatosque laudat, Principibusq; à quibus missi sunt, pro tam benigna opera gratias agit. Inter pacis conditiones vna fuit, vt bello spoliatis ablata bona redderentur. Venetorum procurator neq; venit vocatus, neque conditionibus acquieuit, ex quibus Ferraria Venetorum armis occupata Marchioni erat reddenda. Cæteri omnes in Venetos arma mouent, qui timentes in ipsorum excidium omnes Italiæ principes coniurasse, Turcarum societatem inire incipiunt, vt eorum auxilio & se tueantur, & reliquis omnibus non modo Italis, sed etiam Christi nomine signatis bellum inferant. Eosdem Turcas Neapolitanorum rex in Venetorum perniciem allicere tentat. Ad regem & reginam Treuentinum Comitem mittit, qui pro suscepto labore gratias agat, certioresque faciat, quemadmodum Veneti concordiam totius Italiæ auersati, cum Turcis societatem inire parant, vt Italiæ bellum inferant, atq; imprimis Siciliæ, insulisq; adiacentibus, quæ periculo maiori essent expositæ. Quare huiusmodi homines pro publicis hostibus habendos, quippe qui ex aliorum iactura viuant, atque cum aliorum detrimento vires suas augere conentur. Ad hanc Treuentini Comitis legationem rex & regina respondent, se Venetos Venetorumq; Ducem inter amicos numerare, neque illos adhuc fecisse quicquam cur essent ex amicitia semel inita submouendi, se tamen missuros ad Venetorum ciuitatem legatos, qui suaderent, vt modestius agerent, seque intra fines suos continerent. Quod si nollent assentiri, atque in meliorem viam redire, tunc se non modo illorum amicitiam abdicaturos, verum etiam illos pro hostibus habituros. Atque ita orator dimissus ad regem suum reuersus est.

ÆLII ANTONII NEBRISSENSIS, RERVM HISPANARVM AC HISPANIENSIVM HIstorici, Decadis secundæ Liber secundus.

De Canaria insula regis & reginæ auspiciis à Petro Vera duce expugnata.

CAPVT I.



QVASI deessent Principibus nostris domestica negocia quibus intenderent, ita nulli parcentes labori animum suum huc atq; illuc diuidunt, in partesque rapiunt varias, perq; omnia versant. Nam cum esset in manibus, atq; inter oculos haberent Granatense bellum, in quo tam de gloria, quam de summa impe-

imperii certandum erat, haberentque res in Nauaria inchoatas, quæ cum Gallorum Rege præpotenti erant implicitæ, curas tamen suas in alterum orbem mittunt, non modo sæculi nostri hominibus, verum etiam quantum suspicamur antiquis omnibus incognitum. Et quemadmodum in historiæ huius apparatu diximus, in oceano Atlantico qui Europæ atque Aphricæ latera occidentalia abluit, complures sunt insulæ partim adiacẽtes continenti, partim in altum remotæ: atque rursus, adiacentes duplices sunt, alteræ ad Europam, alteræ ad Aphricam pertinentes. De remotis Hispaniæ adiacentibus alias diximus, & fortasse dicturi sumus, nunc de adiacentibus Aphricæ littori occidentali, inter quas numerantur Canariæ, de quibus hoc in loco scripturi sumus, pauca dicenda sunt. Canarias à canum magnitudine dictas fuisse Plinius in historia naturali autor est, ex quibus Iuba Rex duos perduxit huiusmodi canes. A Græcis Fortunatæ sunt cognominatæ, de quibus tam poetæ quam historici multa fabulantur ad hunc locum minime pertinentia. Earum nomina Ptolemæus, Martianus, Plinius, atque alii autores, tam Græci, quam Latini explicant, sed quibus non possumus nomina reddere, quibus nostro tempore nuncupentur. Nam & antiqui eas nouerunt, earumque ambitus & incolarum mores descriptos reliquerunt. Sed qua ex causa illarum celebritas ex memoria hominum obliterata est, ignoratur, nauigationis defectu id esse factum credibile est. Illud certe constat, illarum notitiam ad nos peruenisse ab hinc annos circiter viginti supra centum, sub initium regni Ioannis huius nominis secundi, qui sub Catharina matre & Ferdinando patruo tutoribus regnare orsus est, anno à salute Christiana millesimo quadringentesimo quinto. Eo tempore Bethancor quidam Gallus, vt aiunt, natione, Infantis Regis tutores adit, ab illis impetrat facultatem explorandi maris Atlantici partem illam adhuc incognitam, quæ occiduum Aphricæ latus abluit. Is igitur siue quod ab iis qui ante illum nauigarunt, aliquid audierat, siue quod fortunam suam experiri voluit, paratis nauibus eo nauigare cœpit, atque in primam incidit, quam nostro tempore Lazarotam corrupte, pro eo quod est lanceam ruptam, siue fractam, aut ipse ex facto vocauit, aut ab aliis sic antea vocatam acceperat, deinde illi proximam expugnauit Fortem fortunam. Nam inter cognomenta fortunæ vnum est fortis, de qua Columella in horto:

Et celebres fortis fortunæ dicite laudes.

Varro quoque de lingua Latina, Dies, inquit, fortis fortunæ dicti à Seruio Tullo Rege, quod is fanum fortis fortunæ secundum Tiberim extra vrbem Romam dedicauerat. Has duas insulas Bethancorus in cultum vitæ melioris Christianamque religionem conuertit. Huius Bethãcori hæredes Hispalensib. quibusdã ciuibus precio mãciparũt, ex his deinde in alios, & ex aliis in alios, dominium in Ferdinandum Perazam, & Ferdinandum Ariam deuolutum est. Horum maiores Gomeram & Ferream non magno negocio expugnarunt, in eundemque cultum religionemque reduxerunt, nunc Guillelmus Paraza illas sub Comitis titulo possidet. Restabãt adhuc ex septem insulæ tres, Canaria magna, Teneriphion, & Palma, barbarorum quidem situ & inertia turpes, sed ingenio loci, & bonorum naturalium copia opulentæ. Has Rex & Regina cum vellent quasi prædia suburbana Hispaniis iungere, classem parari, armis commeatuque instrui iubent, Petrum à Vera, & Alphonsum Moxicam, viros strenuos, atque terrestris naualisque pugnæ expertissimos præficiunt. Insulam derepente inuadunt. Barbari se more suo præparant, non hastilibus ferro prætentis, sed sudibus præustis, non saxis & lapidibus ex fundis & fustibulis, sed lacertorum viribus, quasi ex ballista, aut tormento aliquo sulfurario contortis. Nullum oculis signum designabant, quod non telo contingerent. Iam vero ad excipiendos euitandosque ictus tanta erat dexteritas, vt teli venientis plagam sola corporis declinatione eluderent. Vidi ego Hispali, id quod mihi fuit miraculo, non ita cæteris qui illud fieri sæpe viderant. Erat quidam ex ea insula Canarius, qui in eodem vestigio sinistri pedis insistens, ab octo passibus volentibus illum saxo petere, se exponebat, fugiens plagam, nunc facta in alterutrum latus parua admodum capitis declinatione, nunc totius corporis subtractione, nunc alterna crurum permutatione venientem ictum fugiebat, tantoque periculo se toties percussori exponebat, quoties illi æreũ quadrantem porrexisset. Quod ad victum vestitumque pertinet, tanta cibi potusque parsimonia, tanta omnium membrorum nuditas, vt facile & in promptu habere possent omnia quibus ad propulsandas naturæ iniurias hominum fragilitas indiget. Cum huiusmodi hominum genere ducibus nostris habendum erat negocium. Quibus accedebat altera difficultas, ex inopia commeatus, qui longa nauigatione ex Hispania vsque aduehendus erat, & quod bellum non collatis signis gerendum erat, vt ex vno prælio breui

tempore victoria in alterutram partem declinaret, ſed quod expectandum erat, quoad hoſtis pugnare vellet, ita ſe in cryptas & cuniculos, in cauernas & ferarum latibula abdiderant, vt nulla arte, nullis viribus elici inde poſſent. Sed Principum noſtrorum fortuna, quorum auſpiciis res gerebatur, occaſionem attulit, qua negocium compendio finiretur. Erant in ea inſula Reguli duo, ex multis cædibus & iniuriis vltro citroque illatis ita diſcordes, vt nulla ſatisfactio poſſet illos in concordiam reducere. Ex his alterum noſtri duces ſibi conciliant, eiuſque opera vtuntur ad alterum Regem profligandum, atque ita paucis diebus tota inſula in Regis & Reginæ poteſtatem venit. Ciuitas qualiſcunq; tunc erat, in metropolim omnium ſeptem inſularum erigitur, in eamque ex Rubicone, quod erat Lanceæ ruptæ promontorium cum oppidulo, Epiſcopii ſedes transfertur. Rex cuius ope noſtri duces vſi ſunt, cum vxore Regina ad Principes noſtros Madritum miſſi. Adhuc duę aliæ reſtabant inſulæ debellandæ, Teneriphion & Palma, de quibus ſuo in loco dicemus, & quo pacto Alphonſo ab Auguſti luco rem gerente aliarum quinque numero, & cultu & religione acceſſerunt.

Strages noſtrorum in præruptis ad Malacham iugis accepta, Magiſtro diui Iacobi & Marchione Gaditano ducibus.

Capvt II.

Regem & Reginam ex tot tantiſque victoriis exultantes, ne ex continuis ſucceſſibus arrogantiores fierent, fortuna, vel potius diuina quædam prouidentia, dignata eſt admonere illos, vt meminiſſent ſe mortales eſſe, atque iuxta illud Pſalmographi, non in curribus, non in equis, ſed in nomine Domini eſſe fidendum. Hoc Regem admonuit, cum ad Loxam caſtra metatus obſidionem vrbis parabat, & perturbato exercitu rem inchoatam reliquit. Hoc iterum in memoriam illis reduxit illa calamitas quam ad Malacham ſuis in ducibus experti ſunt. Erat, quemadmodum in libro ſuperiori dictum eſt, in Aſtygitana colonia Alphonſus Cardenius, diui Iacobi militię Magiſter, quem Rex & Regina limitibus illis tuendis præfecerāt. Erat pręterea finitimis in locis Rodericus Pontius à Germanica legione Marchio Gaditanus. Hi ab exploratoribus facti ſunt certiores, eſſe montes non procul à Malacha mari noſtro impendentes, Axarquiam Mauri ſua lingua vocant, qui incolerentur ab agricolis & paſtoribus, vnde magna præda ex hoſtibus auehi poſſet. Eſſe præterea Malacham equitibus exhauſtam, & loca per quæ noſter exercitus permeare & remeare ſine vllo impedimento poſſet. Et quia ad loca penetranda exercitu grandiori opus erat, rem ad finitimos duces & præfectos rei militaris deferunt, hortanturque vt ad tam inſigne negocium peragendum omnes coeant. Hi fuerunt Ioannes Siluius Centifontanus Comes, qui prætoribus decurionibuſque populi Hiſpalenſis aſſiſtebat, Alphonſus à Corduba domus Aquilariæ dominus, Petrus Enriqui prouinciæ Bæticæ præfectus, Garſias Manriqui Cordubæ, & Ioannes Roboreus Aſindi prætores maximi, arcium quoq; præſides, & regii exercitus duces. Qui omnes cum ſuis, & cum ciuitatum & oppidorum populis quibus præſidebant, ex compoſito ad diem certum Antiquariæ, quæ ciuitas eſt in hoſtium collimitio, conueniunt, partim armati, partim inermes. Neque enim omnes bellum hoſtibus inferendi cauſa coierant, ſed alios res nouas videndi ſtudium, alios emendi vendendique, aut merces permutandi cauſa deduxerat, paucos Chriſtianæ religionis amor, aut ex re bellica honoris amplificandi cupiditas exciuit. Erat itaque non tam exercitus ad pugnam paratus, in qua plærunque pauci ſuperant multos, quam hominum quædam multitudo inordinata, numeroſitas, & frequentia, quæ impedimento ſibi eſſe ſolet. Et quamquam iam decreuerant, Axarquiam eſſe petendam, denuo cœptum eſt conſultari, in quas potiſſimum partes copiæ ducerentur. Nam erant qui dicerent Axarquiam eſſe confragoſam, atque præruptis montium anfractibus interciſam. Tandem placuit ire, quo illos fortuna ſua trahebat, hoc eſt, quo illos exploratorum error impegerat. Ordinatis igitur cohortibus primæ partes obtigerunt Alphonſo domus Aquilariæ domino, & prouinciæ Bæticæ præfecto, qui exploratores ſequebatur, poſtremos tuebatur militiæ diui Iacobi Magiſter, mediæ Comiti Gentifontano, quem Hiſpalenſes multi ciues nobiliſſimi comitabantur, Marchionique Gaditano cui Aſindenſes accedebant. Cæteri omnes in ternas has copias diſtributi, ab Antiquaria inauſpicatis auibus profecti, die inſequenti ad veſperam locum deſtinatum attingunt, & quia tanta hominum turba in tam longo temporis interuallo non potuit hoſtes latere, iam receperant ſe cum pecoribus & armentis in loca tutiora. Pylas fauceſque montium, & ſe-

& ſemitarum diuerticula occupant, armatiſq; muniunt. Copiarum noſtrarum primi in finitimos locos ſparguntur, villas vicoſque cultoribus vacuos incendunt, ſaltus ab armentariis paſtoribuſq; deſertos reperiũt. Extremorum equites quos Magiſter diui Iacobi ductabat, cum in confractuoſa quædam loca incidiſſent, neque ſe ſatis explicare poſſent, ex caſtello proximo quod Moclinetum appellant, erumpentes hoſtes inuadunt, turbatos atque quo ſe vertant incertos cędunt cominus, & ſaxis ſagittiſq; & telis eminus petunt. Magiſter ab anterioribus auxilium implorat. Accurrit Marchio cum equitatu quem habebat paratiſſimum, illoſq; ex anguſtiis in quibus hærebant, in patentiores expedit campos. Superueniunt etiam qui omnem exercitum ductabant principes, quid conſilii capiant in commune conſultant. Inter omnes conuenit, ſe ab exploratoribus & itinerum menſoribus fuiſſe deceptos, qui in loca illa deduxiſſent, vnde plus detrimenti quàm emolumenti eſſent reportaturi, relinquendam eſſe prædam quam pertenuem & exiguam collegerat, deniq; conſulendum eſſe ſaluti, quocumque modo poſſent. nam honeſte iam non poterant, cum illis tanquam in viuaria concluſis hoſtium arbitrio eſſet pereundum. Nã quid facerent bidui inedia confecti, diei noctiſq; laboribus & vigiliis defeſſi, ab hoſtibus vndique circumuenientibus interclusi? Superuenit aliud malum, quod fuit omnium perniciosiſſimum, quod in tenebris res eſſet gerenda, & in locis quos ipſi ignorabant, hoſtibus erant noti. Itinerum duces iuſſi vt exercitum, qua melius ratione fieri poſſet, ex illis anguſtiis in apertos campos perducerent, vbi aut collatis ſignis cum hoſtibus ſit pugnandum, aut vnde reducibus in domum cuiq; ſuam eſſet redeundum. At illi contra, ſiue quod iter ignorabant, ſiue quod illis Dei voluntas omnem mentem abſtulit, incipiunt ducere per arduum & ſaxis dumiſque cliuum inæqualem, qua non pediti, nedum equiti patebat iter. Iamq; oboriebantur tenebræ, cũ ſentiunt iuga montium, qua illis eundum erat, ab hoſtibus occupata. Regrediuntur itaque, & in vallem quam mediam torrens quidam præruptus ſecabat, inopes conſilii deſcendunt. Erant à tergo præterea montes in præcipiti ſtantes, atque vallibus impendentes, quos iam hoſtes occupauerant. Noſtri ancipites, & quo ſe potiſſimum verterent dubii, ſtabant attoniti, expectantes quid hoſtes facerent. At illi perpetem noctem clamoribus more ſuo montes & valles implent, crebros excitãt ignes, ſaxa rotatilia rupeſq; in hoſtes deturbant, atq; interim auſi cominus accedere, in illos, tanquam in ſignum poſitos, ſcorpionum ſagittas, ſtlopetarum glandes, fundarum & fuſtibulorum ſaxa dirigunt, neq; veniebat telum quod in caſſum mitteretur, atque ita ad mediã vſq; noctem nulla quies data. Cum Magiſter, Quouſq; degeneres patiemur pro hoſtium libidine, quaſi pecudes ad lanienam vinctæ, necari? At ſi deſunt vires, ô viri, non deſit animus ad aperiendam viam, qua nobis aut ſaltem ſalutem conſequamur, aut honeſtã mortem oppetamus. Et ſimul hoc dicens cliuum aſcendere cœpit, quem ſignis prætentis reliqui omnes qui ſub illo merebant, ſecuti ſunt, quoad ventum eſt ad montis iuga, quæ iam hoſtes inſederant. ibi pugnatum eſt acriter, compluresque vtrinque ceciderunt. In ea pugna cæſus ſignifer, ſignumque cum eo amiſſum, cæſus quoque Ioanne Oſornius ipſi Magiſtro arcta ſanguinis propinquitate coniunctus, cæſus & Ioannes Bazanus, & alii equeſtris ordinis complures viri nobiliſſimi. Marchio Gaditanus Magiſtri exemplum ſecutus duce itinerum altero, atque alia ex parte eundem cliuum conſcendit, atque incolumis in alterum montis decliue latus euadit, in eoque locum eligit, in quo ſubſidiariam diſponit aciem, qua & ſe tueretur, & eos qui ſequebantur palantes ſparſoſq; ad ſe reciperet. Magiſter vero ex montium iugis repulſus, ad eos duces qui ſe à tergo ſequebantur, adglomerat, & quod reliquum erat noctis, in excipiendis hoſtium telis conſumunt. Neque illis profuit in alteram ſe vallem recipere: nam & in eiſdem iugis hoſtes ſe medios interpoſuerunt, ne ſe Marchioni coniungerent. Qui tametſi iuga montium euaſerat, ocioſus non erat. Dum enim expectat illos qui à tergo ſequebantur, non potuit effici, quo minus cum hoſtibus eſſet pugnandum. Sed quæ potuit eſſe pugna, in qua ex altera parte vegeti & recentes, ex altera defatigati & laſſi erant? alteri alacres ex præſenti victoria, alteri ex accepta calamitate animo deiecti? In ea pugna Marchio tres fratres amiſit, Iacobum, Lupum, atque Beltrandum, duos quoque ex fratribus nepotes Laurentium & Emanuelum. Quibus vero ſuperfuerant vires, non illas ad pugnam, ſed ad fugam collegerunt: reliqui omnes aut cæſi, aut capti ſunt. Magiſter militiæ ſancti Iacobi, & Alphonſus domus Aquilariæ dominus, & Bæticæ prouinciæ præfectus, nacti priuos quiſque ſuos itinerum duces per loca teſqua & inuia, & qua neque hoſtes quidem ſequi poterant, incolumes euaſere. Centifontanus Comes in anguſto quodam loco deprehenſus cum aliquandiu paucis comitatus pugnaſſet, victoribus tandem ſe dedidit, captuſque cum Petro Siluio fratre ſuo in vrbem Granatam in vinculis eſt ductus.

Capti quoq; ſunt præſides arcium Antiquariæ, Moronis, & Aſindi, Bernardinus Manriquus, Ioannes à Pineto, & Ioannes Montiſaluus, & alii complures viri nobiles, quos erat infinitum numerare. Illud quoque non omittendum, quod ſuperat omnem fidem, binos aut ternos ex hoſtibus ante ſe duxiſſe in vinculis captos, ſenos, aut octonos. Quid memoro viros? Mulieres quoque ex vrbe Malacha egreſſæ ante ſe captiuos agebant, vt liqueat illud non hominum fuiſſe opus, ſed Dei, cuius officium eſt deponere potentes de ſede, & exaltare humiles. Id quod Lacedæmonius Chilon ſciſcitanti Æſopo quid Iupiter faceret, reſpondit, extollit mites, atque ſuperbos deprimit. Hic eſt Iupiter noſter, id eſt, iuuans pater, hic & ſol iuſtitiæ, qui vt ait Macrobius, fulgentia obſcurat, & quæ ſunt in obſcuro illuminat. Idem eſt Nemeſis, hoc eſt indignatio, qui virginis effigie contra ſuperbiam colitur.

Maurorum Rex iunior ab AEgabrenſe Comite, & regii miniſterii præfecto in pugna capitur.

Caput III.

Ex tanto mœrore & luctu recreauit refecitque gentem Hiſpanam Dei benignitas, ne acceptæ calamitatis deſperatione langueſcens ad inchoatum bellum fieret remiſſior, caſtigauit namque Hiſpanorum ſuperbiam, non vt animos ad pugnam remitterent, ſed ne per inſolentiam hoſtes contemnerent. Nam & pro nobis diuinum ſtare fauorem, vel his duobus argumentis demonſtratum eſt, quod, vt paulo ante diximus, ex vno atque ſimplici regno duos Reges excitauit, quodque nunc dicturi ſumus, alter illorum in noſtrorum Principum venit poteſtatem. Quis enim non videt, ex diſcordia illa patris cum filio factum eſſe diſſidium, vnde victoria noſtra de hoſtibus originem duxit? Saluatore noſtro prædicente, Omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur. Quæ res in hunc modum eſt geſta.. Ex duobus Maurorum Regibus, iunior qui patre potentior erat, cernens ſe apud ſuos, vel ex ea cauſa maiorem in modum amari, quod Chriſtianorum nomini eſſet infenſior, atq; belligerandi cupidior, quam maximum poteſt equitatum peditatumq;, tam ex ſua, quam ex patris factione comparat. Neq; ita enimdiſſidebant animis, vt non maius odium in Chriſtianos, quam ipſorum inter ſe eſſet. Itaque parato exercitu, quos potiſſimum fines hoſtium inuaderent conſultantibus, placuit in Cordubenſes & Aſtygitanos irruere, propterea quod ex ſuperiori ſtrage ad Malacham accepta, totus ille tractus erat equitum peditumque numero exhauſtus. Lucenam itaque, & Aquilare, caſtellaque finitima petunt, agros populantur, arbores frugeſque ſuccidunt. Nuncius ad Ægabrenſem Comitem venit, qui ex Vaena oppido ſuo pergrandi equitum peditumque ſemper habebat cohortes ad huiuſmodi repentinos caſus paratas. Is iungit ſe miniſterii regii præfecto, qui Lucenæ oppidi erat dominus, qui duo comparato, nolo dicere exercitu, ſed exercitus ſpecie in hoſtes eunt. Non credet poſteritas quod ego nunc ſcripturus ſum, ſed neque præſentes credent, ſi qui ſunt ad quos ſcripta mea peruenient, ſed neque ego crederem, ſi quis alius mihi narraret, ſed habeo mille teſtes qui mihi atteſtabuntur, quorum aliqui interfuerunt, alii ab iis qui interfuerunt, audierunt, aut ſi adeo ſunt curioſi, ab ipſis audire poſſunt. Si acie iuſta ſigniſque collatis fuiſſet dimicandum, cuique noſtrum cum denis, decem cum centenis, & centum cum millenis res fuiſſet peragenda. Mauri cum audiſſent noſtros aduentare, caſtra tollunt, equos conſcendunt, pedites Rex iubet ex armentis, pecoribus, & captiuis collectam prædam agere Loxam verſus, ipſe cum ſuis copiis expectat, an ſe hoſtes perſequantur, interdum pedites quos præmiſerat, ſubſequitur. Iamque tranſierat locum quem indigenæ Martini Condiſali torrentem appellant, qui ſex paſſuum millibus à Lucena diſtat, cum ſe hoſtes inuicem conſpiciunt, ſubſiſtunt vtrique. Mauri, quid noſtri auderent (nam contemnebant illos, quia multo pauciores erant) noſtri, quoad ſe pedites qui ſequebantur, ſibi adiungerent. Equites auxilio peditum aucti ex vtriſque agmine facto ſignis infeſtis inuadunt hoſtes, qui ex tribus equitum turmis vnam faciunt, quæ à tribus ducibus ordinaretur. Primus erat Rex ipſe, alter exequendi iudicii prætor maximus, tertius quem Mauri lingua ſua vocabant Alatar, hoc eſt Aromatarium. Qui barbaricum illud more ſuo inclamantes, quo etiam nos clamore, cum hoſtium vires extenuare volumus, vti ſolemus, excipiunt noſtros ex aduerſo venientes, tanto conatu, tantiſque viribus irruentes, vt neque primos quidem incurſus ſuſtinere potuerint. Hoc eſt illud grande miraculum, & quod aliis incredibile viſum iri præfatus ſum. Verſi deinde omnes in fugam dimiſſa præda vni tantum ſaluti proſpicientes. Aſt alia ex parte Alphon-

phonsus à Corduba domus Aquilariæ dominus, qui eo ipso tempore Antiquariæ morabatur, ad hunc nuncium cum præsenti equitatu superuenit, hostesque fugientes anteuertit, seque venientibus opponit in angusto quodam loco. Quos ipse à fronte, Comes Ægabrensis atque regii ministerii præfectus à tergo ferientes, magnam in illos stragem edunt. In eodem loco inuenta sunt postea mille hostium cadauera, præter illos qui passim fugientes ceciderant. Rex ipse captus, Alatar & duces alii hostium cæsi, atque ita victores nostri ex eo conflictu redierunt in morem triumphi, cum captiuis & præda quam ex hostibus auerterant, quæ in manubias redacta in commilitonibus distributa est. Rex ipse captiuus extra sortem Comiti donatus, apud quem honorifice atque pro dignitate regia tractatus est. Et ne tantæ rei gestæ monumentum aboleretur, à Rege & Regina Comitis insignibus additum est coronatum regis caput catenis vinctum, & in ora clypei vexilla nouem, quæ in prælio fuerant ex hostibus capta. Et quia eiusdem victoriæ ministerii Regis præfectus fuerat particeps, eadem insignia atque insigniorum ornamenta ab eisdem Prrncipibus & ob eandem causam illi communicata sunt.

Belli apparatus: census illorum qui cum Rege ad Granatensis regni populationem profecturi erant.

CAPVT IIII.

INTER cætera negocia quæ ad senatum regium cotidie referebantur, nihil erat frequentius, quam quemadmodum in Mauros bellum inchoatum ordine procederet, & quæ belli gerendi ratio imprimis esset ineunda. Cumque ea de re sæpe consultaretur, nulla potior inuenta est, quam vt ora maritima numerosa classe obsideretur, ne quid auxilii aut commeatus à Mauritania inueheretur, atque in finibus adhiberentur custodes, ne à terra aliquid alimenti ad hostes perueniret, aut per commercium, aut captiuorum redemptionem aut furtim, aut alio quouis modo. Tertium restabat, vt per omnia regni hostilis penetralia fierent agrorum populationes, villarum vicorumque incendia, arborum frugumque succisiones, vt qui sine multa Christiani sanguinis effusione expugnari armis non possent, fame cogerentur in deditionem venire. Dispositis itaque à terra marique custodibus, conuocantur omnes Hispaniæ principes, trium ordinum Magistri, Duces, Comites, Marchiones, Comestabilis, Metati, prouinciarum vrbiumque præfecti, arciumque præsides, vtque veniant cum suis cohortibus regia autoritate monentur, atque in diem locumque certum, vbi Rex esset, omnes conuenire iussi. Coierunt itaque in loco qui ab incolis appellatur Carectum, vbi facto censu, inuenta sunt equitum cataphractorum atque leuis armaturæ decem millia, peditum armatorum ad pugnam, ad succidendas arbores frugesque instrumentis rusticis armatorum triginta millia, fabrorum & machinariorum ingens numerus, mulionum, agasonumque, & carrucariorum, qui iumenta, asinos, bouesque agerent, quadraginta millia, præter lixarum, calonum, pabulatorum, frumentatorum, pistorum, coquorum, dulciariorum numerosam multitudinem, meretricum prostibularumque, & eorum qui exercitu nulli sunt vsui, sed magno potius impedimento, magnam turbam. Exercitus vero à Rege in hunc modum est distributus. Magistro militiæ diui Iacobi, & Marchioni Gaditano, & Alphonso domus Aquilariæ domino, & Ludouico Ferranti, qui postea fuit Comes à Palma, priores sunt commissæ partes: posteriores vero Hemerocallio Comiti, & Ioanni à Septo maiori Conchelli domino, & cohortium à Duce Infantatus missarum, & quas Dux à Methymna cæli misit, præfectis, & Martino Alphonso Montis maioris domino. Mediarum partium cohortes hunc in modum dispositæ. Primam ducebat Garsias Lupides Patellanus Cisterciensis militiæ à Calatraua Magister: secundam à monte regio Comes: tertiam Franciscus à Stunica præfectus copiarum quas Dux Placentinus pater, & quas eiusdem Ducis filius Cisterciensis militiæ à Ponte Traiani Magister misit: quartam Guterius à Septo maiori Caietanus Comes, & Fredericus Ducis Albanorum filius: quintam Dux Triciensis, cum iis qui sub illo merebant, & qui à Mentesa, & Vbeta, & Biacia venerant: sextam Dux Alburquerquerus, & Ioannes à Methymna Asindica Ducis filius, qui ducebat copias ab Enriquo patre missas. In subsidiaria cohorte quæ aliis omnibus maior atque firmior erat, Rex ipse medius ibat stipatus mille equitibus, quingentis cataphractis, totidemque leuis armaturæ, qui ex cohorte prætoria Regis & Reginæ fuerant delecti. Hanc ducebat Iacobus Lupides Patiequus Villenatium Marchio. Signum vero regium præferebat Alphonsus Siluius. nam Ioannes Siluius cuius hæreditario iure illud erat munus, Granatæ

in vinculis adſeruabatur,ex clade quam ad Malacham accepimus, quemadmodum in ſuperiori parte dictum eſt,captus. Ex alia quoque parte pedites cum ſuis centurionibus in cohortes diſtributi locos opportunos tenere iuſſi,balliſtas, & tormenta, aliaſque machinas obſeruabant equites pediteſque, ab Hiſpali, & Corduba,atque Aſtygitana colonia,& reliqua omni Bætica miſſi.Copiis hunc in modum ordinatis ventum eſt in locum quem Indigenæ Equitum collem appellant,vbi ea nocte ſubſtiterunt. Poſtridie eius diei hoſtium fines ingreſſi,prope Illoram oppidum arte & ingenio loci munitiſſimum caſtrametati ſunt,oppidani ex munitionibus erumpunt, & cum primis ex cohortibus noſtris tumultuariam pugnam prætentant.Sed noſtrorum viribus impulſi cedunt, inſequuntur noſtri,atque vtrique ſimul oppidi ſuburbia intrant.Inde quoque hoſtes repulſi,in caſtellum arcemque ſe recipiunt, vnde ſagittis teliſque petebant eos qui frumenti areas mœnibus propinquas incendebant. Inde quoque tormentorum ſaxeis orbibus,& ſtlopetarum glandibus,miſſilibuſque fugantur,atque ita incendium peractum eſt. Et quia oppidum expugnari non potuit,incenſa quoque ſuburbia, miſſi quoque à Rege Comes Ægabrenſis,& domus Aquilariæ dominus,qui cum parte exercitus Montis frigidi caſtellorumque agros vaſtarent. Atque ita non modo Illora & Illoræ finitima prędia igni ferroque corrupta ſunt, ſed & omnia quæ intra quatuor millia paſſuum erant, in cineres fauillaſque abierunt.

Tagara oppidum capitur, Alama commeatu inſtruitur, Tendillanus Comes præſidio ſufficitur.

Capvt V.

His rebus ad Illoram Montemque frigidum peractis,caſtra mutantur in locos, vnde poſſent maiora detrimenta hoſtibus inferri. Nam quacumque tantus exercitus procedebat,non ſolum pedites ad hoc munus deſignati,vt runcinis,falcibuſque meſſoriis & fœnariis,atque ruſticis ſecuribus,omnia arborum genera frugeſque vaſtarent,ſed & ipſe caſtrorum tractus omnia ſternebat,& milites è caſtris egreſſi, villas, vicoſque finitimos, & molas aquarias,molendinaque dolabris demoliebantur. Erat Tagara oppidum non minus quam ſuperiora munitum,quod inter Alamam & Loxam poſitum, noſtris perniciosum,hoſtibus vero accommodum.Hoc iubet Rex oppugnari. Fabri lignarii & ferrarii operi ſe accingunt,teſtudines,arieteſque,pluteos,vineas,turreſque ligneas aptant,oppugnatores ab omni parte machinas muris admouent, atque murorum fundamenta rutabulis & bidentibus ſubruere tentant. Extra muros, & intra mœnia vehementer laboratur,neque vllum interea telorum ceſſat genus,oppugnatores balliſtis & tormẽtis, propugnatores cæmenticiis lapidibus, & ollis ſulfure ac pice plenis, & admoto igne ardentibus rem ſuam agunt. Obſeſſi tandem noſtris inſtantibus cedunt,atque deſerta murorum defenſione,in caſtellum arcemque ſe recipiunt,oppidum hoſtibus diripiendum relinquunt.Capto oppido cœptum eſt deliberari de arce oppugnanda. Erant qui dicerent abſtinendum eſſe ab oppugnatione,propterea quod muri erant craſſiores,atque ſignino opere ex calce & arena compacti,neque aderant ſulfurariæ machinæ ita grandes, quibus tam ſolida materia dirui poſſet. Alii dicebant admouendas eſſe machinas, atque tentandum putres ne eſſent muri,an ita firmi,vt præſentes machinæ non poſſent illos demoliri. Placuit Regi arcem debere oppugnari,propterea quod tanta erat vtriuſque ſexus & ætatis multitudo,quæ eo ſe receperat,vt deficientibus alimentis breui cogerentur ſe dedere. Iubet itaque arcem à quatuor partibus oppugnari,Magiſtro militiæ diui Iacobi, & Marchioni Gaditano,& domus Aquilariæ domino primam commendat:Tricienſi Duci, & Ludouico Ferranti Palmæ Comiti alteram : Garſię Ferranti Manrico cum copiis Cordubenſibus tertiam:Ferdinando Veraſco qui Ducis Infantatus copias ducebat, alteram ex turribus quæ pro arcis porta ſtabat oppugnandam committit. Quiſque illorum quibus ea cura demandata eſt,eodem temporis momento negocium capit, pugnatur, propugnaturque pro viribus ab vtriſque. Durat ea pugna ad horam diei nonam. Vulnerati ex vtraque parte complures viri nobiles,inter quos Enriquus Enriqui Regiæ domus maximus OEconomus.Intermiſſa eſt ea oppugnatio,quod vtrique erant defatigati, vt amplius durare non poſſent. Poſtero die repetita eſt oppugnatio tam acri & vehementi conatu,ac tam frequenti grandine telorum,vt Mauri non valentes impetum ſuſtinere cœperint cum oppugnatoribus de deditione agere. Induciæ in paucas horas datæ, quoad negocium cum Rege tranſigeretur,& ſub fide publica miſſus illorum ſacerdos (Alfaqui vo-

vocant illi) qui ipſorum nomine regi arcem traderet, ſi vellet miſeris vitam atque libertatem cum bonorũ retentione concedere. Vitam rex facile concedebat, libertatem & bona condonare noluit, propterea quod auſi ſunt bis oppugnationem expectare. Et erant Mauri qui dicerent mortem potius oppetendam, quam vt ſe ſine vlla conditione dederent: alii nihil excipientes, & regis miſericordiam ſpectantes, volebant ſe dedere. Interea noſtri cum intellexiſſent hoc diſſidio vires hoſtium atque animos defeciſſe, inſtant oppugnationi, irrumpunt in arcem, repugnantes trucidant, nihil reſiſtentes capiunt, bona diripiunt. Præda regis arbitrio pro cuiuſque dignitate & rei bene geſtæ merito diſtributa, arcem cum caſtello & oppido placuit dirui, atque ſolo adæquari. Inde rex cum exercitu Alamam proficiſcitur, quam triginta mille iumentorum vehibus inſtruit quibus commeatus importabatur, atque vrbis præſidio milites mille, partim equites, partim pedites reliquit, quibus præficit Enicum Lupidem Tendillanum Comitem, commendatque vt non modo arcem tueantur, ſed & pro temporum occaſione hoſtibus etiam bellum inferant.

Granatenſium agrorum vaſtatio, atque regis in Cordubenſem coloniam reditus.

CAPVT VI.

INSTRVCTO Alamæ penario, & vrbis munitionibus refectis, omnis cura regis in vaſtandos Granatæ agros traducitur. Illa enim fuit cauſa, cur tanto exercitu, tantoque rerum omnium apparatu, hoſtium fines ingreſſus eſt, vt vrbem quæ erat totius hoſtilis regni caput, & ciuitatem metropolim ad alimentorum præcipue inopiam redigeret. Erat Granata quemadmodum in Decadis huius præfatione diximus, tanta equitum peditumque armatorum multitudine referta, vt niſi pergrandi noſtrorum exercitu illa vaſtatio agrorum ſine magno periculo fieri non poſſet. Ex Alama igitur profecti, non modo ſternũt obiter omnia quæ in via aut viæ proxima erant, ſed etiam longinquiora, quæ à dextris ſiniſtriſque intra quatuor millia paſſuum ab vtroque latere continebantur, vt erant vici, villæ, armentorũ ſtabula, magalia pecorum, ſpeculæ, & turres, quo ſe paſtores & agricolæ temporibus dubiis atq; ſuſpectis recipiebant. Die tertia poſtea quam ab Alama diſceſſerunt, in oppidulo Alendino quod à Granata quatuor millia paſſuum diſtat, caſtra figunt. Eſt illud oppidum ad radices Oroſpedæ montis poſitum, contra collem Niuoſum, ab eo ſic dictum, quod niuibus ſemper obrutus eſt. Ager illius in circuitu oliuis, & vitibus, atq; omnium generum arboretis conſitus, vbi non ſunt arbores, ſata omni frumentorum genere, atque leguminum, & panici, culta ſunt. Hæc omnia rex iubet ſuccidi, & ſterni, atq; lumariis & meſſoriis falcibus meti. Dum hęc à peditibus fiunt, equites, vt illos à quocumque ſuperuentu ſecuros reddant, certis in locis diſpoſiti tumultuarias pugnas cum hoſtibus exercent, qui deinde armatorũ peditum auxilio aucti oppidum irrumpunt diripiuntque, & frumenti areas oppido propinquas igni corrumpunt. Die inſequenti rex cum omni exercitu cohortibus ordine ſuo diſpoſitis ſuburbanos Granatæ agros populabundus inuadit, atq; proxime vrbem cum ſubſidiaria cohorte tota die ad veſperam vſque cõſiſtit, dum arborum meſſiumq; ſtrages conficeretur. Et quia totus ager ille foſſis incilibus, atq; voraginoſis aquæ ductibus interciſus eſt, quorum diuerticula noſtris incognita, hoſtibus explorata erant, certis in locis præſidiarias cohortes exponit, quæ vni ſuccidendarum arborum meſſiumq; ſtudio intentis pericula prohibeant, ſecuritatemq; præſtent. Populatione itaq; agrorum peracta hoſtes cum viderent ſe nulla ex parte calamitatem illam prohibere potuiſſe, ad alias ſe vertunt artes, aquarum incilia perturbant, fontes veneno corrumpunt, pontones, & omnia quæ noſtris vſui eſſe poterant, intercipiunt. Peracta igitur agrorum vaſtatione ex voto atque regis ſententia, iubet mutari caſtra. Et cum adhuc tempus ſupereſſet, in quo aliquid fieri poſſet, quod ad bellum inchoatum noſtris conduceret, hoſtibus nocumento foret, deficiente tamen commeatu earum maxime rerum quæ ad victum pertinent, coacti ſumus domum quiſq; ſuam repedare. Rex igitur Cordubam petit, vbi ſtipendia militibus, atq; arborum meſſiumq; ſucciſoribus pactam mercedem perſolui iubet. Mauri cum viderent ſe omni ex parte circumuentos à mari claſſe ingenti, à terra crebris præſidiis, regni penetralia ferro igniq; deſolata, mittunt ad regem legatos, qui pollicerentur ſuo atq; regis ipſorũ nomine ſe reddituros quotannis vim maximã Granatenſium aureorum, atque in eius tributi pignus impræſentiarum ſe daturos obſides nobilium filios, atque ex regio ſanguine procreatos. Rex negocium in quo de re tanta agebatur, ad reginam refert, quæ eo tempore in Cantabris Victoriæ morabatur, intenta

rebus quas in Nauaria inchoarat,& quæ ad prouinciæ illius adminiſtratione pertinebat. At regina tametſi nihil magis optabat, atque ab immortali Deo precabatur, quam vt videret diem, in quo vrbe Granata & Granatæ regno potiretur, ad regis conſultationem reſpondet, non placere ſibi vllas hoſtibus inducias concedi. Sed quia multa ſimul reſtabant peragenda, non modo in Hiſpania, ſed cum finitimis Nauarienſibus, & Gallis,cum quibus de Ceretaniæ deque Ruſcinonis Comitatu iam pridem lis pendebat, atque de Nauaria quoque ſpectabatur, non diſplicere tamen temporarias hoſtibus inducias concedi,dum modo ſequeſtro deponerēt arces & caſtella, quo pignore tributum illud quod ſe reddituros quotannis pollicebantur, eſſet certum, neque dubia fide ſoluendum. Nam quod de obſidibus dicebant, apud illos qui non multi obſides faciunt, nihil certi afferebat. De caſtellis & oppidis ſequeſtro deponendis non placuit hoſtibus, ſed neque regi & reginæ de dandis obſidibus conditio.Res itaque infecta manſit, & reginæ iuſſu quæ in huiuſmodi rebus erat ſcrupuloſior, imperatum, vt fines diligentius vtique obſeruarentur, & quod in redimendis captiuis nullum fieret commercium, vnde aliquid alimenti hoſtibus accederet: quin potius ipſa patiebatur ex re ſua pecuniarum partem contribui, quam huiuſmodi in rebus colluſionem aliquam cum hoſtibus fieri.

De reddenda libertate Maurorum regi iuniori deliberatur, & primo quod non ſit reddenda.

CAPVT VII.

CVM adhuc rex Cordubæ & regina in Cantabris Victoriæ moraretur, Maurorum regis iunioris mater, & qui factionem illius ſectabantur, miſerunt legatos qui agerent cum rege noſtro, quemadmodum rex qui apud Ægabrenſem Comitem in vinculis erat, donaretur libertate,quam non gratis, ſed ingenti precio dicebant ſe velle redimere: imprimis perpetuo obſequio ſui ipſius, & illorum qui ſe in Granatæ regno ſequebantur: deinde certo aureorum vectigalium numero, qui tributi nomine quotannis Hiſpanorum regibus penderetur:tum Chriſtianorum qui in Granatæ regno captiui erant, certo quoque numero eorum quos rex ipſe nominaret. Rex audita legationis ſumma, dat literas ad Ægabrenſem Comitem, vtque ducat, aut mittat ad ſe Maurorum regem, petit. At ille non grauate iuſſis regis obſecutus,regem captiuum deducit. Laudatur Comes,atque honorifice ab Hiſpanorum rege accipitur, gratiaſque illi agit, quod tam impigre illius voluntati obtemperarit. Regem captiuum Martino Alarconi Porcunatis arcis præſidi adſeruandum tradit, ipſum regem afflictum videre noluit, quoad decerneretur quid de illo ſtatuendum eſſet, ſed bene vt de ſe deque regina coniuge ſperaret, illi nunciari iuſſit, vtque interim hac vna ſpe captiuitatem ſuam conſolaretur. Ad hæc tam benigna regiæ voluntatis oracula Maurus reſpondet, ſe non poſſe ſub tantis ac tam beneficis Principibus in luctu atq; mœrore eſſe, & quod vna tantum res in calamitate ſua dolebat illi, quod videretur nunc neceſſitate compulſus facere id quod, cum eſſet liber, ſummopere concupierat, hoc eſt, ſubiicere ſe illorum poteſtati, vt ab illis acciperet regnum Granatenſe, quemadmodum auus paternus ſuus illud acceperat ab immortalis memoriæ viro Ioanne Hiſpanorum rege ſecundo, ſocero ſuo, atque reginæ ſuæ conſortis patre fortunatiſſimo. Et quia regis præſentia aliis compluribus in locis deſiderabatur, non modo in rebus quas regina in Nauariæ finibus inchoauerat, ſed etiam in iis quæ in prouincia Tarraconenſi per vrbium præfectos atque ciuitatum gubernatores adminiſtrabantur, antea quam rex ex Bætica proficiſceretur,proſpiciens bello quod cum Mauris acceptum atque deinceps gerendum erat, diſpoſuit, quibus in locis oportebat, limitaneorum militum cohortes, quibus præfecit & duces qui fines ab hoſtium incurſibus tuerentur, & quoties illis videretur, bellum inuicem inferrent. Quod vero ad regem Maurorum iuniorem attinebat, retulit ad ſenatum, qui tunc frequens erat, non ſolum ex togatis ciuibus, atque ciuilis & pontificii iuris conſultiſſimis, ſed eccleſiarum etiam prælatis, & totius Hiſpaniæ principibus viris.Mauri regis procuratores pro libertate illius iudicanda offerebant, quemadmodum paulo ante diximus, perpetem Hiſpanorum regibus ſucceſſionem, & aureorum quotannis duodecim millia, & ex captiuis Chriſtianis qui in Granatenſi regno inuenirentur, tercentum eorum quos rex noſter nominaſſet. Daturos quoque ſe impræſentiarum pollicebantur obſides, filium vnicum regis legitimum cum aliis Maurorum illuſtrium filiis, eorum ſcilicet qui eſſent factionis eiuſdem ſtudioſi. Poſtulabant etiam captiui regis nomine auxilium ad ea expugnanda oppida & caſtella, quæ poſt captiui-

tatem suam ab illo desciuerant ad regem seniorem patrem suum, idq; nisi mature fieret, alios ex desperatione suæ libertatis illorum exempla secuturos. Sententiæ procerum, atq; infimatum etiam, ea de re fuerunt variæ. Alii dicebant nulla conditione reddendum esse qui semel in vinculis teneretur: alii contra, non modo reddendũ esse libertati, verum etiã auctum præmiis & honoribus dimittendum, afferebantq; vtriq; rationes quibus sententiam suam tuerentur. Eorum qui priorem defendebant, princeps erat diui Iacobi Magister, qui post longam in senatu regio disceptationem huiusmodi apud regem habuit orationem. Tria, inquit, sunt, clarissime rex, quæ veniunt in dubitationem, quoties de bello hostibus inferendo deliberatur: primũ de genere belli: alterũ, quibus mediis conatus nostri victoriam consequantur: tertium, quo pacto ea quæ victoria nobis peperit, quam diutissime conseruari possint. Genus belli est ita iustum & honestum, vt nullum magis esse possit, ita vtile & necessarium, vt nullo modo sit dissimulandum. Nam quid honestius excogitari potest, quam pro Christiana religione contra nominis Christiani hostes arma induere? Quid iustius, quam repetere armis ea quæ iniuste nobis fuerunt erepta? Quid magis necessarium, quam aduersarios nostris iugulis intentos funditus perdere? Quid vtilius, quam fines nostros propagare, atq; hostium limites compescere? Sed hac de re nulla mihi cõtrouersia est cum iis qui huic meæ sententiæ refragantur, idem sentimus, in eodem statu causæ sumus, de hoc omnis contentio est, sit ne reddendus libertati Rex captus, an potius æternum in vinculis retinendus. Ex his duobus vtrum sit impendenti bello conducibilius, nunc disceptamus. Est autem hoc bellum cui nunc insistimus, non ita difficile, vt sit extimescendum, non ita facile, vt sit contemnendum. Quare pro belli magnitudine non omnia, neq; ab omnibus auxilia sunt quærenda, sed ea tantum quæ nos honeste iuuare possunt. Nunc autem pensitatis vtriusq; partis viribus, omnia sunt nobis potiora, militum numerus copiosior, corporis atq; animi vires multo alacriores, belli gerendi duces præstantiores, machinæ & quibus hostes petantur, & quibus nos ab hostibus tueamur, magnitudinis & multitudinis incredibilis apparatus. De exitu vero huius belli quid illi timeant, & quid nos speremus, vel hoc est argumentum maximum, quod sæpe tentarunt emere pacem, vel saltem inducias, pollicentes maria, & montes auri, atq; tributi nomine perpetuam seruitutem. Quam oblatam conditionem quasi turpem reiecistis, quia vobis erat in animo non per partes, sed totam simul extinguere gentẽ Mahumeticam ex Hispania. Et quid prodest, postea quam hoc bellum inchoatum est, tot fecisse belli apparatus, tot expeditiones, toties congregasse populos, tot adiisse labores & pericula, si nunc in medio rerum conatu negocium infectum relinquitur? Quod si hunc regem quem in vinculis habetis, iuri suo restituitis, omnia hæc perdidimus, vt de nobis dici possit illud quod est in Græcorum prouerbio: Oleum perdit & impensam, qui bouem mittit ad ceroma. Atqui, inquiunt isti, pro libertate sua offert duodecim millia aureorũ annua. Dicat mihi obsecro, quanta portio est hæc ex summa illorum millionum quæ in hoc superiori biennio exhausta sunt in huius belli sumptus? non dico ex vectigalibus regiis & fisco, ex mutuis & exactionibus, impositionibus & tributis, ex cruciatis & Apostolicæ sedis subsidiis, sed ex violenta conuocatione & delectu ciuitatũ, oppidorum, ex coactione angariarum & perangariarum, per omnes totius regni populos. Atq;, vt iam veniam ad vltimũ ex tribus illis quæ proposui me dicturũ, quomodo possint quæ in bello parta sunt, quam diutissime retineri, quæro ab istis, si captiuo regi libertas redditur? an cum libertate etiã pars illa regni quam nunc possidebat, condonanda est? & altera pars contra quam gesturus est bellũ, cui cessura est? illi ne, an vobis à quibus in auxiliũ belli copias petit? Respõdebitis, opinor, quod vtraque pars vobis est cessura, quoniam semel seruitio suo libertatem emit, &, vt iurisconsulti dicunt, quicquid seruus acquirit, domino suo acquirit. Ita ne ô cæci fidendũ est libertati alicuius, quam necessitas dedit? Omnis seruitus violenta est. nihil autẽ est violentum quod diutius permanere possit. Cum viderit se liberum, dicet se non teneri reddere quæ necessitate coactus pollicitus est se daturũ. Est igitur vero quam simillimum, quod libertus hic vester non nobis, sed sibi ipsi militabit. Quid quod neutra Maurorũ factio isti obtemperabit? Non quæ patrem sequitur obseruantia suæ religionis & obsequii quod illi debent, non quæ ipsum sequitur, cum eum viderint deuinctum regibus qui alienam religionem sequuntur. Atque, vt vno verbo sententiam meam tibi, ô clarissime rex, ostendam, ita sentio, bellum hoc prosequendum esse, regem captiuum retinendum esse in vinculis, ne ex hoste vno, & eo quidem senecta ætate confecto, nobis faciamus duos integros, & geminatis viribus robustiores: neque in libertate nomine tributi pendant vobis quantum & quandiu ipsi volent, sed in seruitute, & sub munitionibus vestro præsidio instructis, reddãt quotannis quantum Celsitudo vestra reddendũ esse statuerit.

Marchionis Gaditani oratio, quod rex Maurorum iunior sit reddendus libertati.

CAPVT VIII.

EORVM qui in senatu regio partem alteram tuebantur, sentiebantq́; captiuum regem libertate donãdum esse, princeps erat Rodericus Pontius à Germanica legione Marchio Gaditanus, qui hac de re iussus à rege sententiam dicere, huiusmodi habuit orationem. Ex tribus rebus quas Magister militiæ diui Iacobi vir perquam illustris proposuit, de prima nullum est mihi cum illo certamen. nam de bello hoc prosequendo quid ego in secretiori senatu vestro, atque hoc in loco publice, & aliis in locis cum familiaribus meis & amicis priuatim dixerim, tu es mihi testis clarissime rex, & illi quibuscum hac de re sæpe sum locutus. De quo nunc disceptamus, videndum, atque imprimis discernendum, an ex miserandi huius regis captiuitate Celsitudini regiæ, si detineatur in vinculis, aliquid honoris accesserit magis, quam gloriæ & veræ laudis accederet, si libertate donaretur. Fuit quidem regiæ maiestatis vestræ, ab vno atque altero ex subditis regem hostium prælio superari, captiuum in pompam triumphi duci, sed in vinculis detineri, per Deum immortalem obsecro, quid habet honoris? Quid quod apud genus hoc hominum non est ita sanctum ac venerabile nomen regium, quemadmodum apud nos? itaque pro libidine atque leui ex causa reges abdicant, proscribunt, occidunt, atque in eorum locum alios sufficiunt. Quod si in viuos & incolumes, atque in sua potestate constitutos hoc audent, quid non in captiuos facient? Et vt ex eis exempla petamus, ab eo quod sæculo nostro fecerunt hoc ipso rege capto, quem nunc in vinculis habemus, plæriq; omnes suæ factionis ad regem patrem desciuerunt, obliti & nominis, & fidei quam suo regi obstrinxerant, vt Celsitudo vestra existimet, se non habere captiuum regem, sed ex media plebe obscurum hominem. Sed videamus nunc, & æqua lance perpendamus, quid vtilitatis ex hac regis captiuitate nobis accrescat, aut è diuerso quid detrimẽti ex eius libertate. Dum inter se pater & filius diffidebant, atque de principatu belligerabant, vterq; negocium nostrum agebat, vterque nobis militabat. Neq; enim erant tantæ illorũ vires, vt & nobis resistere, & inter se decertare possent. Nunc vero posteaquam iunior hic rex captus est, & in vinculis tenetur, ex duobus ad monarchiam res est redacta, maius negociũ nobis accessit quam prius erat, quoniam duplices illorum vires in vnum corpus coierunt. Quid igitur, inquies optime rex, tu faciendum censes? nimirum vt redintegretur discordia inter patrem & filium reges, & se mutuis vulneribus conficiant, vt non sit nobis cum vno duplici bellum gerendum, sed cum altero ex duobus, quorum alter pro nobis militans faciat aduersarii nostri partem debiliorem. Restat nunc suspicio illa & timor, ne pater & filius nomina pietatis, & naturæ pignora inter se redeant in gratiam. Hoc inter priuatos passim fieri solet, inter reges vero nunquam, si semel regnandi dulcedine inescati sunt. Quoties legimus, non solum apud poetas, sed etiam apud historicos, partim externos, partim domesticos, patres à filiis regno eiectos in exilio vixisse? Nam fratres à fratribus vulgare est, vsq; adeo, vt, quod ait poeta, nulla vnquam potestas consortem patiatur. Quare pater & filius nunquam cessabunt inter se certare, ille de regni possessione tuenda, hic de patre ex regni culmine disturbando. Alenda est igitur inter eos discordia, atque non solum hic dimittendus, sed etiam si potest fieri, tertius aliquis submittendus, vt si vnum è tribus sors interceperit, nunquam desint regni competitores. Neque multi faciendum est quod de rebellione isti formidant, si non permanserit in officio. nam & ingrati crimen apud illum manebit, si fidem violauerit, apud te vero beneficentiæ, atque magni animi opus immortale, cuius nunquam pœnitebit. Simul etiam & eodem facto apud omnes gentes potentiæ magnitudinẽ ostendes, cum audiuerint, regi cum quo bellum gesseris, dedisse libertatẽ, & in regni partẽ restituisse. Duabus igitur in rebus vno opere te cæteris præstare monstrabis, quas antiquitas Ioui tribuebat, quas & nos Deo nostro viuo & vero tribuimus, optimum & maximum appellantes, optimum propter beneficentiam qua erga cunctos mortales vtitur, & maximum propter omnipotentiam quæ non per partes, vt cætera, sed per omnia se extendit. Per beneficentiã igitur captiuum donabis libertate, per potentiã non timebis rebellionẽ. Dicant igitur nunc isti qui huic meæ sententiæ aduersantur, vtra sit fauorabilior, & magis ad pulchritudinẽ honestatemq; accedens, mea, in qua dico regem captiuum libertate donandũ, an sua, in qua dicunt in vinculis ac seruitute detinendũ. Cumque tria sint genera bonorum, propter quæ omnes omnia faciunt, vtile, iucundum, & honestum, quæ vtilitas prouenit ex vnius non regis iam, sed hominis in seruitute & vinculis positi captiuitate, cuius neq; tu possis vti opera, neq; sui precio redimere? Quæ voluptas ex eius vinculis? an stridor ille catenarum, & manicarũ, compedumq; strepitus delectat?

Quæ

Quæ pulchritudo & honestas, vt te iuuet benefecisse, & benefactorum frui conscientia, atque vnde spectare possis gloriam immortalem? Hæc Marchionis sententia plærosque mouit, non solum ex partis suæ studiosis, sed ex iis etiam qui antea refragabantur, atque imprimis rex ipse visus est propensior in eandem sententiam. Sed quia Magistro aliud videbatur, & plures quoque illi assentiebant, placuit rem integram ad reginam referri. Quæ respondit, non displicere sibi quæ Marchio sentiebat, præsertim cum de captiuorum redemptione ageretur, & quod maiorum suorum exemplo multi Maurorum reges olim illi fuerint subditi atque tributarii. Iussus itaque rex iunior venire Cordubam, regis nostri ad genua supplex cum dextram manum auersam exosculari vellet, eamque vt porrigeret, ab astantibus admoneretur, propterea quod subditus & tributarius, Facerem, inquit, rex noster, si in illius regno mihi faciendum esset, nunc vero in nostro, quia hospes est, & libertate donatus, comiter atque honorifice tractari oportet. Factus igitur ex seruo libertus, conceptis verbis iurauit se staturum pactis conuentis rerum omnium quæ transacta fuerant, atque intra certum tempus omnia executurum, atque ita liber, & multa supellectili & vestium ornamentis donatus in regnum suum rediit, ex cohorte prætoria adhibitis custodibus, qui illum in patriam prosequerentur, incolumemque reducerent.

Maurorum regis senioris copiæ à Palmensi Comite ad Lupariam turrim deletæ.

CAPVT IX.

MAVRORVM rege iuniore dimisso, ordinatisque rebus quæ ad limites Bęticæ tuendos, & ad bellum hostibus inferendum pertinebant, rex è Corduba profectus iter suum ad reginam tendit, quæ per id tempus Victoriæ in Cantabris morabatur, atque obiter illustrauit fanum illud per omnes Hispanias celebre, quod ad amnem Lupi diuæ matri Deiparæ dedicatum est, in quo nouendialibus vigiliis ex nostro religionis more operatus est. Interea Mauri qui regem seniorem sequebantur, cum audissent iuniorem impetrasse à rege nostro non modo inducias & pacem, sed etiam copias in auxilium contra partes illas quæ patrem sequebantur, ad odium quod antea illius habebant ex publica simultate, accessit aliud ex religione, dicentes illum rem impiam atq; nefariam, & contra Mahumeti legem fecisse, quod cum Christianis fœdus percusserit in perniciem suæ gentis. Sed & plærique illorum qui eum antea sequebantur, suæ religionis amore ducti ab illo ad seniorem regem defecerunt. Cumque audissent regem nostrum ad superiores Hispaniæ partes profectum, coegerunt totas Granatensis regni vires, & vno omnium consensu ex equitibus & peditibus facto pergrandi exercitu, statuunt Bæticæ nostræ fines inuadere, populari agros, & ferro atque igni omnia vastare. Erat genus hominum tam ex Christianis, quam ex Mauris, qui prædandi atque homines capiendi studio semitas obsidebant, atq; inde in viatores, & pecudum armentorumq; pastores, & rusticos agrorum cultores grassabantur, Almogauares lingua Punica vtriq; vocant. Ex iis Christiani septem fines hostium transgressi, dum ex vertice quodam montis interdiu speculantur, quo in loco noctu grassarentur, ex specula prospiciũt Maurorum copias agminatim procedentes contra limites qui ad Hispalim & Asindum pertinent. Hi omissa speculatione cui erant intenti, partiti inter se locos, quo quisq; illorum esset iturus, vt nostros certiores faceret de hostium superuentu, alius ad Ludouicum Portucarrerium Palmæ ad Singilim dominum eo tempore ac postea Comitem, alius ad Astygitanam coloniam, alius ad Asindum, alii ad arcium præsides & cohortium præfectos eunt, illosque monent, quo proficiscantur, & quid essent facturi. Palmensis Comes eiusdem rei finitimos duces facit certiores, vt cum præsentibus copiis in certum locum coeant, ipse cum amicis, & familiaribus, atq; domesticis suis, & aliis qui se illi agglomerarãt, pergit in occursum, eo quod suspicio erat hostes esse venturos. Qui tripartito exercitu pylas faucesque montium peditum præsidio munierunt, ne postea occupatis à nostris, confecto negocio reditus in patriam intercluderetur. Equites in partes diuisi duas, altera ad agrorum excursiones populationesq; missa, altera quæ firmior erat, in insidiis collocata est. Excursiones in Vtrariæ agros faciunt, per camposque sparsi prædas agunt. In eos Portucarrerius cum sociis & commilitonibus exercitum mouet, in eosque palantes irruit, ipsi se ad insidias recipiunt. Nostri cedentibus instant, quoad ventum est ad insidias. Et quia in partes duas erant diuisi, in anteriore Moroni & Vrsinæ oppidorum præsides, & cohortium Magistri à ponte Traiani, & Hispanæ societatis præfecti, in hos insidiarum subsessores erumpunt. Pugnatur æquo Marte ab vtrisque, fractisq; hastis iam cominus gladiis & pugionibus res agebatur. Superuenit Portucarrerius cum recentibus copiis, & non magno negocio hostes in fugam vertit, atq; in

duas partes diuiſos, alteram perſequitur, altera in Marchionem Gaditanum caſu incidit, cum ad hunc nuncium auxilio veniret Aſidenſibus, & ſuis comitatus. Cæſi ſunt complures ex hoſtium principibus, & capta ſigna quindecim, quæ Portucarrerius cum huius victoriæ nuncio miſit ad reginam, quæ eo tempore in Cantabris agebat. Fuit tanta omnium lætitia ex eo nuncio, vt publice ſint decretæ ſupplicationes, candelæ, & funalia per vrbis vicos accenſa. Regina vero tanti facinoris autorem, eiuſq; victoriæ ſocios collaudat. Vxorem Palmenſis Comitis veſte auro intertexa donat, qua in feſto Magorum quos vulgus appellat reges, quotannis vteretur, vt illius diei in quo tanta res geſta eſt, ſempiternum aliquod monumentum relinqueretur. Nec multos poſt dies Marchio Gaditanus cum ab exploratoribus accepiſſet, Zaharam caſtellum, quod in belli huius initio diximus à Mauris captum, exhauſtum eſſe incolis, & negligentius obſeruari, atque non difficulter capi poſſe, Portucarrerium eundem adſciſcit, & ex Aſindo atque finitimis vndecunque potuit, equitatum ſibi adiungit, perque mediæ noctis ſilentium Zaharam proficiſcitur. Iuxta muros ſecreto quodam loco armatos decem ponit, & poſt illos proxime alios ſeptuaginta, ipſe autem cum reliqua manu non longe in inſidiis latet. Sub primam lucem dimittit aliquot ex peditibus qui per campos graſſarentur. Ex caſtello erumpunt equites ad ſeptuaginta (neque enim plures erant) quos ſequuntur vigiles, & circitores, & qui nocte heſterna in ſtationibus fuerant, murorumque cuſtodiam deſerunt. non enim putabant interdiu caſtellum oppugnari poſſe. Interea ex militibus noſtris vnus ſcalas munitionibus admouet, murum ſcandit, quem decem illi ſequuntur, quos diximus, partemque muri occupant, pugnamque cum caſtellanis conſerunt. Accurrunt reliqui ſeptuaginta, atque vnam ex portis capiunt. Qui ex caſtello eruperant, cum audiſſent hoſtes intra munitiones admiſſos, ad mœnia ſe recipiunt, quos inſequuntur qui latebant in inſidiis, & cum fugientibus ſimul caſtelli portas intrant. Caſtellani in arcem coeuntes obſidentur, & quia plures erant, deficientibus alimentis diu in obſidione durare non poterant, ex pacto arcem Marchioni tradunt, ipſis autem abeundi quo vellent permiſſa libertas. Atque ita caſtellum nuper amiſſum Marchionis induſtria receptum eſt.

Tendillani Comitis in vrbe Alama ſtratagema inſigne, atque aliæ res ibidem geſtæ.

CAPVT X.

HOc in loco reſtat nobis narrandum ſtratagema illud inſigne, quod non ſolum per omnem Hiſpaniam celebratur, ſed per vniuerſum nominis Chriſtiani orbẽ circumfertur. Autor illius atque inuentor fuit Enicus Lupides Comes Tendillanus, quem rex & regina præfecerant cohortium præſidio quas ad Alamam tutandam reliquerant. Is cum primum huius negocii adminiſtrationem ſuſcepit, milites nimia ſolutus licentia coercuit, atque imprimis Scipionis Æmiliani, & Q. Metelli exempla ſecutus, aleatores & ſcorta, popinas & cauponas, & cætera exercitus impedimenta è caſtris ſuſtulit, ipſos milites in ſtudiis equeſtribus pedeſtribuſque exercuit, in Granatenſes agros, quoties dabatur occaſio, excurſores atque exploratores mittebat, neq; vnquam ipſe quieſcebat, neque hoſtes quietos eſſe patiebatur. Tantumq; terrorem Mauris finitimis incuſſerat, vt neq; ſuburbana prædia excolendi tempus locumq; daret, neque ſaltem intra cubiculum ſomnos perpetes ducere liceret. Hyems illa quæ præceſſerat, fuit pluuioſa, muriq; putres ebibebãt imbres ex ſtillicidiis cadentes, cum ſubito cõpagibus ſaxorũ ſolutis corruerunt, magnamque vrbis partẽ nudam reliquere. Quod ſi caſus tantæ calamitatis ad hoſtium aures perueniſſet, actum erat iterum de Alama, multoſq; per annos regni illius excidium immoratum fuiſſet. Ex illa murorum ruina tantus terror milites præſidiarios omnes inuaſit, vt ex deſperatione nihil iam niſi de fuga & de vrbe deſerenda cogitarent. Sed bene quod Dei benignitas ducis mentem excitauit, atq;, vt ait Poeta, Duris vrgens in rebus egeſtas, & illud: Ingenium mala ſæpe mouent, & illud quoque: Et labor ingenium miſeris dedit. Iubet itaq; Comes Tendillanus qua parte murus ingentem feneſtram patefecerat, conſutis linteis prætendi muri ſpeciem, tam ſimilem vero, vt procul aſpicientibus nulla videretur eſſe differentia inter verum & aſſimulatum. Et ne quis transfuga proderet hoſtibus quid intra vrbem accidiſſet, iubet diligentius portas & poſticos cuſtodiri, ne quiſpiam temere intraret, & egrederetur, aut mœnia tranſiliret. Iubet interea partem muri lapſam ſubſtrui non opere tumultuario, ſed ex calce & cæmenticiis lapidibus multo firmius, quam antea fuerat. Sæpe hoſtium exploratores venerant captantes ex occulto quid apud noſtros ageretur, ſæpe etiam excurſores equites vrbem obequitabant, nunquam tamen ſenſe-

senserunt quicquam in ea parte murorum fuisse immutatum, non colorem, non speciem non quicquam aliud vnde ruina illa posset percipi. Cumque rei pecuniariæ inter milites maxima esset difficultas, propterea quod stipendia suo tempore non soluerentur, neque de futura solutione certam haberent fidem, conuocatis omnibus dixit se habere pro certo, quod pecuniæ ad stipendia soluenda iam essent à Celsitudine regia decretæ, seq; non modo indies, sed in horas singulas spectare illas, quare vt bono animo forent, hortatur, pollicetur que se daturum interea non veras, sed imaginarias pecunias, quibus inter se rerum venalium commercia exercerent, fidemque suam interponit vmbratiles illas pecunias veris se redempturum. Ex charta igitur panucea facit schedulas sua manu atque subscriptione signatas, quibus imponit nomina, precium quantum queque sit valitura, quasdam vocans numos aureos, quasdam argenteos, quasdam æreos, & in vnoquoque genere plures differentiæ, puta asses, semisses, trientes, quadrantes. Iubet vt nemo suppositicias illas pecunias recuset. Ex illis fictitiis pecuniis stipendia militibus persoluta sunt, & per illas emptiones venditionesque factæ: tanta fuit Comitis autoritas atque reuerētia. Idem quoque sumptu suo in Alcala regia vrbe Pharon erexit, constituitque vt per noctem perpetem funalia arderent, quo captiui ex vrbe Granata elapsi fugam erigerent. Hoc anno Ludouicus huius nominis vndecimus Gallorum Rex Ambasiæ diem suum obiit, cui successit Carolus octauus. Hoc eodem anno Ioannes Lusitanorū Rex animaduerti iussit in Vergancensem Ducem, de quo suspicio erat cum aliis ex eiusdem regni nobilibus in Regis necem conjurasse. Tres illius fratres in exilium missi, Lusitanorum Comestabilis, & Comes Pharius, & Aluarus à Lusitania, qui postea fuit Hispaniarum Regis & Reginæ senatus princeps.

ÆLII ANTONII NEBRISSENSIS, HISPANARVM AC HISPANIENSIVM RERVM HIstorici, Decadis secundæ Liber tertius.

De Ruscinonis & Ceretaniæ Comitatu reddendo, & legationibus hinc inde ea de re missis.

CAPVT I.

LVDOVICVS, de quo in fine libri superioris diximus, cum moreretur testamento suo iussit, Ruscinonis, & Ceretaniæ Comitatus Ioannis Tarraconensium Regis hæredibus restitui, & qui viuens nec Ioanni viuenti, neq; illo vita functo Ferdinando filio hæredi reddendum curauit, idem morti proximus, conscientia teste coactus, legitimis dominis reddi iubet. Fidemque publicam soluens, mittit literas ad eos qui arces præsidio tenebant, vt transferrēt possessionem in illos quos Rex & Regina Hispanorum Principes nominassent. Interim Ludouicus moritur, quibus negocium demandatum erat accepto nuncio de Regis morte, executionē differunt, quoad Carolus Rex Ludouici successor consuleretur, an quicquam noui ea de re vellet decernere. Qui per literas iubet executionem testamenti & restitutionem illam debere protelari, quoad de integro eadem de re deliberaretur quid fieri iure deberet: mittitq; oratores ad Regem & Reginam, qui patris obitum, & suam in regnum Galliæ successionem nunciarent, dicerentque sibi gratam fore societatem atque amicitiam maiorum suorum cum Hispanorum Regibus ab antiquis temporibus obseruatam, & vt ipsi quoque, si ipsis videretur, inuiolabiliter obseruarēt. Cui legationi à Rege & Regina responsum est, se dolere, atque ægre ferre obitum clarissimi Regis patris sui, tum quod erat amicus atque fœdere sibi coniunctus, tum etiam quod erat vir bonus, atque sociorum & amicorum socius & amicus, & quod magis in Rege laudandum est, iustus ac timens Deum. Quod tamen eum relinqueret filium, qui patris mores imitaretur, amicosque & socios conseruaret, atque in officio retineret, eo nomine se gaudere dixerunt, seque breui missuros legationem oratorum, qui partim de obitu patris Regem consolarentur, partim congratularentur illi de noua regni successione, simul etiam, vt antiquum fœdus cum illo renouarent, & vt

quod pater moriens de Ruſcinonis & Ceretaniæ Comitatibus legauerat, executioni mãdaret. In hæc verba oratores dimiſſi redierunt. Nec multo poſt miſſi legati duo, Ioannes Riparius vir domi & militiæ inſignis, & cum eo Ioannes Arius vnus ex regiis ſenatoribus, & qui poſtea fuit Epiſcopus Segobienſis, qui cum literis & mandatis, ſimul etiam & publicis inſtrumentis, atque facultate faciendi omnia quæ Regis & Reginæ nomine facienda eſſent. Erat eo tempore Gallorum Rex Turoni, quas noſtro tempore vocant turres in Turonia, quo cum veniſſent, publice legatio expoſita eſt, atque omnia peracta quæ in mandatis habuerant. Ad quam legationem Rex ex ſcripto reſponderi iubet, ſibi omnia eſſe grata quæ Regis & Reginæ Hiſpaniarũ nomine fuerunt expoſita. Quod vero ad Ruſcinonis & Ceretaniæ Comitatus attinebat, quia inde videbatur inſtaurandæ ſocietatis & amicitiæ fundamentum pendere, reſpondet ſine vlla conditione ſibi placere fœdus cum Hiſpanorum Regibus, quemadmodum à maioribus ſuis ſemper fuerat percuſſum. De Comitatibus vero Ruſcinonis & Ceretaniæ reddendis, ſibi non conſtare quo iure poſſideret, atque ſi è poſſeſſione cedendum ſibi foret, aliam rationem futuram cum Hiſpanorum Regibus, eorum ſcilicet qui Caſtellæ appellantur, atque aliam cum Tarraconenſium Rege qui per Reginam coniugem Hiſpaniæ dotalis regno ſucceſſit. Quare ea de cauſa dicit ſe miſſurũ legatos viros bonos, & legũ iuriſq; peritos, qui cauſam omnem cum Hiſpanorum iureconſultis diſputent atque decidant, quid vtrique parti ſit faciendum: quo minus antiquum fœdus inter Hiſpanos Galloſque violetur. Hoc reſponſo noſtris oratoribus dato, quia videbant negocium cuius cauſa venerant, in longum tempus differri, neque vnquam habiturum eſſe finem, ſtatuunt conteſtari Regem ipſum, regiumque ſenatum, atque illius regni triplicem virorum ordinem, vt quoniam per ipſos ſtaret, quo minus antiquum fœdus, & Hiſpanorum Gallorumque ſocietas inſtauraretur, neque iuſtam eſſe cauſam, cur rei effectus impediretur, immo prætextum non reddendi Comitatus illos quos iure diuino & humano reddere tenebantur. Igitur coram omni populo, atque imprimis ipſius Regis procuratoribus obteſtati ſunt ipſum cœli numen, & ſi vſquam iuſtitia eſt & mens ſibi conſcia recti, deinde ipſum Regem, atque alios omnes qui partem aliquam publicæ gubernationis ab illo acceperant, vt quicquid detrimenti ex ea cauſa alterutri regno accidiſſet, in caput illorum recideret qui tantorum malorum occaſionem dederint. Simul etiam obteſtati ſunt reum fore mulctarum quę ſunt fœderis violatoribus impoſitæ, præter iuriſiurandi contemptam religionem, quæ ſolum Deum habet vltorem. Ad hanc oratorum conteſtationem Gallorum Rex iubet reſponderi illud idem quod antea reſponderat, cum primum ea de re fuerat poſtulatus, ſe velle & quidem libentiſſime ſtare pactis conuentis, & antiquo fœderi quod maiores ſui pepigerant cum Hiſpanorum Regibus, illis tamen quos appellant Caſtellanos, Ruſcinonem vero & Ceretaniam quæ Gothalaniæ prouinciæ erant contributa, non pertinere ad Caſtellam, cum qua fœdus ab antiquo percuſſum erat: nihilo minus tamen ſe miſſurum legatos pollicetur, qui in ipſius Regis & Reginæ curia quæſtionem illam diſceptent decidantque, atque deinde fœdus ſanciant atque confirment. Atque ita oratores infecto negocio cuius cauſa venerant, dimiſſi ſunt, atq; à Rege digreſſi redierunt.

Oratores à Gallorum Rege dimiſſi cum reſponſo dubio de confirmando fœdere.

CAPVT II.

GALLORVM Rex reputans ſecum ex reſponſo quod Hiſpanorum Principum oratoribus dederat, nihil aliud ſequi, quam inter duos potentiſſimos Reges diſſidium in vtriuſque regni perniciem, tentauit oratores placare muneribus atque imprimis Ioannẽ Riparium, qui legationis erat princeps. Nam cum illa fœderis antiqui renouatio fauorabilior eſſet Gallorum Regi, propterea quod in regni nouitate nondum regnandi fundamenta iecerat, multaq; reſtabant illi peragenda, vt tuto regnare poſſet, rogabat illum, vt apud Regem & Reginam ſuum illud reſponſum quod dederat, leniret interpretareturq;, vt qui nihil aliud magis cuperet quam illorum beneuolentiam ſocietatemq; : & quod de Ruſcinone & Ceretania reſponderat, in bonam partem acciperent: & quoniam cum Rege & Regina gratia & autoritate tantum valeret, laboraret, quemadmodum fœdus illud inſtauraretur, atque pro virili ſua parte inter vtroſque Principes autor eſſet pacis. Et quo magis illum oppigneraret, mittit laborati argenti tot vaſa, quibus abaci plures inſtrui poſſent. Et per ſtructorem ſuum qui argentum illud detulerat, rogabat, vt munuſcula ſua nõ ſperneret, ſed tanquam pignus & monumentum amoris ſui erga illum ſeruaret ; daturus

multo plura si rem inchoatam perficeret. Ioannes Riparius reputans secum id quod futurum erat, nunquam fœdus illud bona fide percutiendum esse, remque eo venturam, vt non bono & æquo, sed armis decernenda foret, noluit Regis munera accipere, non superbia, aut quod Regem contemneret, sed ne vllum beneficium apud se maneret ab illo profectum, cum quo publicas inimicitias paulo post exerciturus esset. Hoc Gallorum Rex ægerrime tulit, neque potuit vincere oratoris contumaciam, quamquam iterum atque identidem misisset rogatum, ne munera sua sperneret. Rex & Regina cum ex responso Gallorum Regis intellexissent, rem omnem ad arma spectare, mittunt cohortes ad Gothalaniæ, & Ruscinonis, & Ceretaniæ fines, incipereq; iubent, ex ea parte bellum inferre Gallis. Pendebant adhuc ex alia parte inimicitiarum causæ, quod Gallorum Regis ex sorore Nauariæ Regina neptis, quam Hispaniarum Regina cupiebat matrimonio iungere Ioanni primogenito suo Principi, causata ætatum disparilitatem, nupsit Ioanni Labritensium domini filio. Natione & animi affectu Gallus erat, neque dubium, quin bello Gallico inchoato Gallum sequeretur, atque per Nauariæ fines daret Gallis aditum in Hispaniam hostiliter penetrandam. Visum est Regi & Reginæ, atque belli gerendi cõsilio præfectis, occupare, præsidioq; munire in ipso Nauariæ regno castella, & munitiones aliquas quæ pro illis starent. Munierunt itaq; Tutelam, castellum arte & natura firmissimum, atq; finibus custodiendis præsidia disposuerunt, ne dum Ruscinonense Ceretanumque bellum gereretur, aliquid detrimenti ex ea parte Hispania acciperet.

Rege & Regina absentibus bellum cum Mauris per Hispanos proceres continuatur.

CAPVT III.

QVAMQVAM Rex & Regina cum eodem hoste duobus maximis bellis essent implicíti, altero Ruscinonensi pro vendicando Comitatu quem amiserant, & altero Nauariensi, quod putabant ereptam sibi partem illam Hispaniæ, quam ex corpore auulsam dotis nomine, pro certo habebant, in suum corpus redituram, magis tamen stimulabat illos, quod bellum cum Mauris inchoatum intermittebatur atque refrigescebat. Et ne duces per quos bellum postea erat gerendum, longa desidia torpescerent, scribunt, atque per literas hortantur illos, vt aliquid agant interea quod ad bellum postea gerendum conducat, vtque agrorum populationibus & incendiis intendant, neque hostes in pace quietos esse sinant. Proceres itaque Hispani se ipsos inuicem hortati cum quam maximis possunt copiis Cordubam conueniunt, atque inde profecti Antiquariæ campos petunt. Vbi exercitu lustrato censa sunt equitum sex millia, peditum vero ad millia duodecim. Qui omnes vno omnium consensu belli gerendi maximos duces deligunt Magistrum militiæ diui Iacobi, & Marchionem Gaditanum, & Alphonsum domus Aquilariæ dominum. Qui tres exercitus in cohortes distribuunt, & quid cuique sit agendum ordinãt, castra nebulonibus & scortis, aliisque impedimentis purgant. Partes exercitus priores sortiuntur domus Aquilariæ dominus, & regii ministerii præfectus, & Portucarrerius Palmensis Comes, & prætorianarum cohortium præfecti Ioannes Almaraz, & Ioannes Merulus: posteriores vero Commendatarius maximus à Calatraua militiæ cum Asindensium & Astygitanorum, & Carmonensium Ducibus. Medias vero partes obtinebant Magister militiæ diui Iacobi, & Marchio Gaditanus, & Martinus à Corduba, & Ferdinandus Carillus. Hi tres cohortium prætorianarum duces, exercitibus hunc in modum ordinatis, campos Malacitanos populabundi inuadunt. Ex equitibus certis in locis præsidia disponunt, ne pedites, dum sata, segetesque, & messes sternunt, dum vineta, oliueta, ficeta, atque aliorum generum arboreta succidunt, aliquid detrimenti paterentur. Hoc imprimis factum est in agris ad Aloram adiacentibus. Hoc deinde ad Choini, & Cazarabonellæ, & Sabineti, & Cartimæ vallibus, quibus in locis non defuerunt equitum peditumque pugnæ tumultuariæ, ad Cartimam præcipue, vnde pro hortorum suburbanorum defensione equites cum peditibus ex castello erumpentes, cum priori exercitu nostro ausi sunt pugnam conserere, sed tandem repressi, castellique muris impacti, hortorũ defensionem suburbanaque ædificia hostibus diripienda reliquerunt. Inde in Pupianæ agros arboretaq; pergentes paria fecerunt ad Alauendinum vsque, cuius incolæ cum ducibus paciscebãtur se daturos captiuos omnes Christianos quos in vinculis habebãt, dũmodo arborib. parceretur: fecissentq; duces, nisi quod arborũ succisores per agros sparsi iã prope omnia corruperant, in humumq; deiecerant. Pars quoq; exercitus trãs Cartimitanos montes traiecta. in Pupianæ, & Churianæ, & Tympanitidis turris agris quicquid

frugiferum inuentum eſt, ferro ignique vaſtauit. Dum hæc intra regni Granatenſis viſcera gerebantur, claſſis ex Hiſpali & Aſindo è regione ad Malacam ad noſtri maris oram maritimam acceſſerat omni genere commeatus onuſta, vnde refocillato exercitu tota belli moles in Malacitanos campos incubuit, omnia diſturbat, nihil relinquit intactum ex iis quæ agri procreant, quæ boues arant, quæ homines ædificant, omnia, inquam, humi ſtrata iacent, totumque negocium intra dies quadraginta peractum eſt. Inde in Antiquariæ prata redierunt intra dies illos quadraginta, atque inde domum quiſque ſuam repetit, admoniti tamen prius omnes, vt ad certum tempus locumque conuenirent, vt cum Rege quem breui venturum eſſe expectabant, Granatenſes agros populaturi redirent, ſimul etiam vt Alamæ penarium quod iam exhauſtum eſſe putabatur, omni commeatus genere inſtruerent.

Rex & Regina Turiaſſonam ad Tarraconenſium conuentum peragendum proficiſcuntur.

CAPVT IIII.

DVM hæc in partibus diuerſis aguntur, Rex ex Bætica, & Regina è Bardulorum finibus profecti Victoriam eodem tempore conuenerunt. Et quia inſtabat dies, Turiaſſonæ celebrandus erat Tarraconenſium conuentus iam pridem inſtitutus, Rex & Regina ſimul eodem peruenerunt. Conuenerunt preterea omnes regni primores, ciuitatumque & municipiorum procuratores, partim ſponte ſua, partim euocationibus admoniti. Pro Rege & Regina fiſci procuratores in conuentu propoſuerunt, ærarium regium, & pecunias regiis ſumptibus decretas, exhauſtas eſſe, impendere quoque multa quibus opus eſſet ad bella quæ neceſſario gerenda erant cum Gallorum Rege pro Ruſcinonis & Ceretaniæ Comitatibus, cum Mauris pro Granatæ regno vendicando, & vnde ſtipendia ſolui poſſent prætorianis cohortibus, ſine quibus regni ſumma conſtare non poteſt. Procuratores quoque ciuitatum & populorum detulerunt querelas ex iniuriis à potentioribus illatis, & legibus in iudicio non ſeruatis, & fori conſuetudine obſoleta. Succreſcebantque in dies negocia, quæ non videbantur finem habitura, & bellum cum Mauris inchoatum ex populationum intermiſſione redintegrabatur, quæ ſuperioribus annis per Aprilem menſem fieri conſueuerant, qui iam maiori ex parte lapſus erat. Statuunt itaque curialia illa negocia quæ ſuboriebantur, in aliud tempus differre, conuentumque illum tantopere expetitum incipiunt ſoluere. Cumque duo maxima bella iam inchoata eſſent, alterum cum Gallis, & cum Mauris alterum: cœptū eſt in ſenatu regio deliberari, vtrum potius exequerentur. nam duo maxima bella ſimul adminiſtrari poſſe non videbatur. Regina quæ nihil magis præ oculis habebat, quam Mahumeticum nomen ex vniuerſa Hiſpania tollere, Bæticamque prouinciam ex limitanea mediam facere, huic bello intendendum eſſe dicebat: Rex vero pro Ruſcinonis & Ceretaniæ Comitatu retinendo potius laborandum eſſe, quanto iuſtius videbatur, ſua repetere, quam inuadere aliena. Simul etiam dicebat, ſemper fore occaſionem Mauros bello laceſſendi, at Gallos, nulla vnquam fuit maior, cum Rex puer, & ſub tutoribus eſſet, multiſque in regni nouitate negociis implicitus. Pro vtraq; parte non deerant rationes, vtrum bellum foret proſequendum, ſed cum omnes cernerent Reginam tanto belli contra Mauros gerendi ardore inflammatã, plærique illius ſententiæ acquieſcebãt. Sed ne omnino videretur voluntati Regis aduerſari, hanc rationem excogitauit. Quid, inquit, ô coniunx dulciſſime, ſi Deo iuuante vtrũque poteſt fieri? partiamur copias, tu cum tuis Tarraconenſibus, & Valentinis, & Gothalanis, & Hiſpanorum Caſtellanorumque aliquot cohortibus Gallicum bellum procurato, ego bellum cum Mauris tanto ſumptu, & impẽſis, & laboribus inchoatum proſequar. In hanc Reginæ ſententiam vtraque pars pedibus manibuſque abierunt. Rex ad peragendum Turiaſſonæ conuentum manſit. Regina vero Bæticam verſus iter tendit, quam Petrus Mendoza Cardinalis Hiſpanus eſt proſecutus. Qui cum Toletum aduentaſſent, Toletanus Clerus Cardinali obuiam proceſſit, atque illum admonuit, vt conſuetudinem ab antiquis temporibus obſeruatam non perturbaret. Ea erat, vt cum primum illius eccleſiæ antiſtes vrbem ingrederetur, ſenatores, & equites, & ex ciuibus nobiliſſimi, & legum iudiciique adminiſtri, illum equo, aut mula, aut alio vehiculo inſedentem pedites ſtiparent, atque in templum vſque deducerent, vbi ſtipite crucis adorato in templi adyta penetraret. Regina intelligens negocium quod agebatur, Cardinalem pompam illam recuſantem rogat, vt munus ſuum exequatur, atque per ipſam non eſt, quo minus conſue-

tum

tum morem non perturbet. Absit à me, inquit ille, ô Regina omnium, quæque fuerunt, clarissima, vt aliquis honor sit mihi alius potior, quam vt liceat Celsitudini tuæ præstare obsequium debitum, & à tuis subditis exhiberi consuetum. Et quæ potest esse perniciosior consuetudo, quam quæ faciat me minus obsequentem illi cuius munere mihi constat quicquid habeo, quicquid possideo? Frangatur itaq; potius inepta hæc consuetudo, quæ iubet me ingratitudinis crimen incurrere, quam vt quispiam possit dicere, quod Cardinalis Hispanus vel vno temporis articulo fuerit Regina sui honoris autore vno gradu superior. Quod si opus est, in huiusmodi rebus consuetum morem obseruari, aliud tempus erit, in quo sine mea ignominia & pudore possit hæc ciuitatis consuetudo retineri, & simul hoc dicens regalis mulæ habenas prensat, atque in vrbis portas agit. Tres igitur dies quibus resurrectionis dominicæ Pascha celebratur, Toleti feriatos ducunt. Quarto deinde die iter in Bæticam continuatur, in Oretaniamque tandem perueniunt. Lustratisque Mentesa, Biacia, Vbeta, Castulone, & Andugaro vrbibus, deprauatos illarum ciuitatum mores emēdauit, talos, & taxillos, tesseras, pyrgos, turriculas, fritillos, atq; huiusmodi fortunæ ludicra, aleatoresque omnium generum sustulit, atque in alea se exercentes à prætoribus & iustitiæ administris animaduerti grauiter iussit. Mirum dictu quod breui tempore vix reperiebatur, qui se vidisse talis quempiam ludere, diceret, cum antea in cauponis, in popinis, in tabernis, in cellariis vinariis nullus esset ludus frequentior. Inde Cordubam Regina proficiscitur, quo iusserat conuocari omnes qui superioribus annis ad bellum hoc gerendum vocari consueuerant, & postea nomina sua dederunt.

Rex Turiassonæ in conuentu manet, & Regina Cordubam proficiscitur, & Alora capitur.

CAPVT V.

REx qui Turiassonæ ad conuentum peragendum manserat, cum videret se nihil proficere in eo, quod postulauerat suppetias ad bellū pro Ruscinonis & Ceretaniæ Comitatu vendicando, intelligens in bellum quod Mauris inferendum erat, præsentiam suā desiderari, deserto conuentu Cordubam ad Reginam proficiscitur, quo iam Hispaniæ proceres conuocarat. Machinas quoq; oppugnatorias, & sulphuraria tormenta parari iusserat, à Gallia vsque & Germania machinariis accersitis. Erat præterea vehiculorum tanta multitudo parata, quanta opus erat ad onera importanda, tum commeatus, tum machinarum, & quia Rex non putabatur esse venturus, Regina Cardinali rei militaris summam commendat, ducemq; maximum creat. Sed cum Rex superuenisset, omnia consilia sunt immutata, cœptumq; denuo consultari, quod belli genus inchoandum esset. Alii dicebant insistendum esse in eo quod semel inceperant, in agrorū scilicet populatione, pascuorum direptione, vicorum villarumq; vastatione, quæ iam hostes ad summam prope inopiam redegerant, atque adhibita nostri maris acriori custodia, & à finibus prouiso ne quid alimenti ad eos perueniret, vt res breui conficeretur, nihil aliud opus erat, quam vt interiores agri vastarentur. Alii dicebant genus illud hominum nō esse, quales cæteri sunt mortales, sed tenui victu, nullo vini vsu, inediæ & sitis, frigoris & caloris, & aliarum naturæ iniuriarum patientissimi, & qui huiusmodi essent, longam obsidionem passuros cum longo obsessorum dispendio. Rex & Regina rationibus quæ pro vtraque parte referebantur perspectis, Aloram imprimis debere obsideri censent, propterea quod inde plura nocumenta nostris finibus ingruebant, & capto oppido tutius inde poterant regni illius interiora vastari. Posse autem facile capi, non erat dubium, considerata murorum & munitionis fragilitate, & machinarum numero & magnitudine. Et ne consilium hoc Aloræ petendi ad hostes perueniret, secreto paucis cōmunicatum est, atq; rumor in vulgū spargi iussus, quod tota belli moles in Loxam parabatur. neque enim putabant Aloram posse vilis viribus expugnari. Igitur cohortes more solito ordinatæ, simulantes atque prædicantes se Loxam petere, subito in suburbanis Aloræ consederunt. Oppidani trepidantes nihil omittunt, quod ad se tuendos pertineret. Rex machinas certis in locis disponi iubet, turres & muros saxeis orbibus tundi, neq; cessatum est à tormentorum lusu, quoad turres duæ cum parte muri intercepta repente corruunt. Interea Mauri citra murum qui ceciderat, tentarunt alterum ducere, sed sagittis, & stlopetis, & minorum machinarum ictibus repulsi non potuerunt opus perficere. Sed attoniti & amentes defensione deserta præsidem suum hortantur, contestanturque, vt se atque oppidum quam meliori possit conditione Regis misericordiæ dederet. Iamque parabatur oppugnatio ea parte qua muri turresque ceciderant, iam plutei & scalæ, iam arietes & testudines, iam turres ligneæ ciconiæque muris admouebantur, cum tres Mauri perfugæ ad

Regem veniunt,quo in ſtatu ſint hoſtes,narrãt,ſi vita & bonis mobilibus donentur, nullam eſſe moram quin ſe atque oppidum dedant pollicentur. Rex per interpretem iubet oppidanis conditionem ſe dedendi:illi præſidem,velit,nolit,deditionem facere compellunt. Captum eſt oppidum vndecimo Kalendas Iulias,anno Chriſtianæ ſalutis milleſimo quadringenteſimo octogeſimo quarto, Chriſtiani captiui qui erant in oppido, à Rege ſunt redempti,fanum quod erat hoſtium Mezquita,in honorem atque nomen diuæ matris Dei incarnationi dominicæ dedicatum , præſidium oppidi cum ducentis equitibus totidemque peditibus armatis Ludouico Portucarrerio Comiti Palmenſi commendatum eſt,murorum turriumque ruinæ inſtauratæ, Mauri ſub fide publica iuſſi abire quo vellent.

Cartimitanæ vallis populationes,& ad Cazarabonellam clades accepta,& Caietani Comitis occiſio.

CAPVT VI.

CAPTA Alora Rex iubet inde caſtra moueri in vallem Cartimitanam, præmittitque Gaditanum Marchionem cum parte exercitus,in qua fuerunt equitum duo millia, peditum vero par numerus. Cui vallem ingreſſo incolæ oppidi Alozainæ occurrunt, ſe atque omnia ſua bona profitentur velle Regi dedere, modo recipiat eos in fidem atque tutelam ſuam. Marchio negocium ad Regem refert. Rex reſpondet, vt illos ſuſcipiat,fidemque publicam nomine ſuo cum illis interponat,modo ſtent promiſſis de fidelitate & obſequio Regi præſtando. Rex cum vniuerſo exercitu in eiuſdem vallis oppidum munitiſſimum Cazarabonellam tendit,quam obſidione,quam poteſt arctiſſime,cingit. Equites ex oppido erumpentes inter prædiorum ruſticorum macerias & diuerticula nota cum noſtris locorum ignaris tumultuarias pugnas conſerunt,cadunt ex noſtris complures non magno hoſtium detrimento. Cohortium præfecti videntes ſuos extra ordinem palantes fuſoſque imprudenter ruere,iubent canere receptui,minuſque audientes,atque nimio pugnæ ardore inflammatos,reducere in ordines cum vellent, & ipſi quoque in idem periculum incidere. Atque imprimis Guterius à Septo maiori Caietanus Comes, qui dum ſuos colligit,atque in ordinem reuocare nititur, ex ſagitta lethale vulnus accepit. Agebat annum ætatis quartum & vigeſimum, dederatque ſui magnum ſpecimen, qualis futurus eſſet vir,cum in adoleſcentia fuerit iuuentutis facile princeps. Fuit eius mors cunctis lachrymabilis,ſed præcipue Regi & Reginæ,non ſolum propterea quod in ætatis flore generoſus adoleſcens cecidit, ſed quia inſtantis belli ſucceſſum retardauit. Nam & ex eius morte hoſtibus accreuit animus, & noſtris imminutus eſt, tantaque fuit vnius hominis iactura,vt qui paulo ante ſe dediderant,ſtatim rebellarint, & qui ſe dedere parabant,deditionem facere recuſauerint. Facta eſt tamen nihilo minus agrorum vaſtatio,ita vt per totam vallem Cartimitanam colligendæ frugis nulla ſpes relinqueretur. Cumque omnibus viſum eſt, per id temporis nihil reſtare quod agi poſſet, placuit domum redire,& ipſo quidem Rege non aduerſante. At Regina, quæ tota pendebat ex ſpe atque nuncio rerum quæ in exercitu agerentur, noctéſque & dies non ceſſabat mittere arma,commeatum,pecunias,& alia quæ ad bellum proſequendum videbantur neceſſaria,cum audiſſet Regem cum omni exercitu redire,iamque in Antiquariæ campis caſtra metatum,mittit literas cum mandatis,ſcribens ſe mirari,cum anni tempus adhuc ſupereſſet,in quo aliquid agi poſſit,cur rei bene gerendæ occaſionem relinqueret: & quando exercitum haberet paratum,& machinas, & alia omnia quæ ad bellum continuandum erant neceſſaria,aut Granatenſes agros popularetur,aut oppidum aliquod obſideret, aut aliquid inuenirent,in quo milites exerceret,ne longa inertia torpeſcerent. Puduit Regem atque proceres in ſtudio belli contra nominis Chriſtiani hoſtes gerendi ſuperatos fuiſſe à Regina, turbatiſque iam ordinibus , atque militibus ex parte dimiſſis,cohortes reuocant,in ordinemque reducunt,atque in Granatenſium agros redeunt, & quod ex ſuperioribus populationibus relictum fuerat, vicorum & villarum arbores frugeſque ſuccidunt,domorum tectorumque ædificia demoliuntur: Dilarumque oppidum ad radices niuoſi montis poſitum,& Vrigarum,& Aciliam,in ſuburbano Granatæ ipſius poſita, direptioni exponunt,frumenti atque panici areas comburunt,molas aquarias,partim longinquas,partim vrbi proximas diſturbant. Et ne ex vrbe erumperent qui in populatores agrorum arborumque ſucciſores graſſarentur, Rex cum cohorte prætoria contra vrbis portas duobus ab vrbe paſſuum millibus ſtetit,quoad negocium confectum eſt. Ex alia

parte

parte regina hortata fuerat, atque rogarat Ducem à Methymna Asindica, & Ægabrensem Comitem, vt dum rex ad Granatam moraretur, non essent ociosi, sed hic contra Loxam, & ille contra Simonam hostium fines inuaderent. Qui reginæ iussis obtemperantes pro virili parte quæ illis contigit, nihil omiserunt intactum quod hostibus vsui esse posset. Atque rebus vtrobique in hunc modum gestis, recentem commeatum, quinquies mille iumentorum vehes quas regina miserat, rex Alamam importari iubet, & pro Tendillano Comite Guterio Patellano præsidio vrbis supposito, Cordubam petit cum integro exercitu, quoad regina consuleretur, nunquid vellet opus aliud incipi antea quam in domum quisque suam dimitteretur.

Septenilum oppidum expugnatur, & Arundenses campi vastantur, atque rex & regina Hispali agunt hyemem.

CAPVT VII.

AT regina cui nullum tempus erat gratum, siue iucundum, quod non in bello cum Mauris consumeretur, & cur, inquit, hæc anni pars vltima sic præteribit iners, quo minus aliquid agatur? Sed quid potissimum ageretur, non satis constabat, visumque est tandem plærisq; omnibus, Septenilum oppidum cum castello in finibus vtriusque regni positū debere tentari, quo expugnato, & fines nostri ex ea parte pacabantur, & hostium interius fierent angustiores. Igitur rex cum exercitu, cohortibus, quemadmodum superius dictum est, ordinatis, è Corduba profectus, Marchionem Gaditanum cum duobus equitum millibus & conuenienti peditatu præmittit, qui vt fieret certior, quo in statu oppidani essent, curauit ex pastoribus & rusticis aliquos comprehēdi, à quibus accepit, nullos esse hospites, sed castelli tantum incolas & habitatores, qui tamen putarentur ad mœnia munitionesq; tuendas posse sufficere. Fixis deinde tabernaculis, machinisque & tormētis suis in locis dispositis, machinarii & tormētorum præfecti opus suū aggrediuntur, perq; dies tres noctesq; continuas non cessant maioribus tormētis turres murosq; quatere, minoribus vero intra muros saxeos orbes passim intorquere. Principio cum obsiderētur, cœperunt cum nostris pugnæ simulachra conferere, sed cum viderent se non esse numero pares, & sagittarū ictibus, & stlopetarū glandibus ex paucis in horas pauciores fieri, statuunt continere se intra munitiones, portas oppidi non solum obserant, sed structili opere ex lapidibus & mortario claudunt. Cumque intellexissent parari oppugnationē cui non poterant resistere, cum viribus & armis non sufficerent, cœperūt de se dedendi conditionibus agere. Quod facile impetrarunt, quoniam ex direptione præda tenuis erat, & non tanti æstimāda, vt vel vno die tantus exercitus vno in loco immorari oportuerit. Iussi sunt igitur ex conditione, vt bonis suis suffarcinati abirent, datis custodibus qui illos ad Arundæ vsque terminos deducerent. Rex oppidum ingressus murorum ruinas instaurare iubet, oppidi præsidium cum ducentis equitibus Francisco Enriquez commendat, quos armis & alimētis instructos relinquit. Ipse cum exercitu, cohortibus ordinatis, Arundam quæ octo millibus passuum inde aberat, ciuitatem equis & armis nobilē, & quæ illo tempore Asindum, aut Astygitanam coloniam, animis & viribus æquabat, contendit. Potuisset q; vrbem obsidere, sed quia instabat hyems, satius esse duxit, non tentare quod effici fortasse non posset, agros tamen & omnia prædia rustica & vrbana populatus, demolitus est. Rex itaque ex Arunda, & regina ex Corduba ad certum diem Hispali conueniunt, vbi hyemem illam totam permanserunt, non solum regni gubernationi prospicientes, sed etiam ad insequentis anni bellum quod erat cum Mauris continuandum, expeditionem parantes. Sed neque limitanei qui Alamæ, & Aloræ, & Septenili in præsidiis erant relicti, fuerunt interea feriati, in fines hostium excursiones cotidie populationesque faciebant, & quibus poterant in rebus regi Mauro iuniori suppetias ferebant.

Hispanæ societatis conuentus Orgazii agitur, in quo aureorum triginta millia per tributarios sparguntur.

CAPVT VIII.

SOCIETATIS Hispanæ non solum Alphonsus à Quintanilla, & prouisor à villa Franca inuentores, quibus rex & regina autoritate sua curam demandauerunt, ad omnia quę ad illam pertinerent, sed & procuratores hoc ipso tempore instituerunt facere conuentū. Cumq; de loco non conuenirent, omnibus tandem placuit esse Orgazium oppidū à Toleto distans Austrum versus passuum millia circiter viginti. Conuenerunt eodem Dux

à Villa formoſa regis frater nothus, qui tunc dux erat maximus militum, illorum ſcilicet qui ſocietatis Hiſpanæ ſtipendia merebant, & Alphonſus Burgenſis Conchenſis Epiſcopus, qui eodem tempore regii ſenatus erat princeps. Inter cætera quæ in eo conuentu ex primoribus inſtitutis emendata ſunt & de nouo ſancita, Alphonſus Quintanilla nomine regis & reginæ expoſuit, id quod omnibus erat notum, quam exhauſtum eſſet publicum ærarium, & res fiſci in quanta eſſet egeſtate, quot præterea ſumptus emergerent cotidie, qui nulla euitari poſſent ratione, niſi totius regni ſummã perditum iri vellet. Quod ſi rem ſaluam Hiſpanam eſſe cupiebant, opus eſſe, vt non ægre ferrent, ſi per omnes Hiſpaniarũ tributarios populos exactiones pecuniariæ ſpargerentur. Cumque de ſumma diſceptaretur, quantum eſſet exigendum ad præſentem neceſſitatem ſupplendam, placuit aureorum ducalium triginta millia debere exigi, quibus opus erat ad perſoluendas iumentorum diurnas mercedes, ad inſtruenda armis & alimentis oppida in mediis hoſtium penetralibus relicta, quibus imprimis proſpiciendum erat. A cæteris autem rebus quæ videbantur impræſentiarum non ita neceſſariæ, iuſſit regina ſuperſederi, ne exactiones continuarentur, ſimulve exigerentur.

Quod Ioannes Luſitanorum rex Ducem Auiſeum patruelem ſuum occidit.

CAPVT IX.

SVB idem tempus Ioannes Luſitanorum rex Ducem Auiſeum patruelem ſuum propria manu confodit. Cauſa autem occidendi ex anno ſuperiori pendebat, quo tempore iuſſerat exerceri quæſtionem contra Ducem Guimaranenſem læſæ maieſtatis reum, quem damnatum iure capitali ſupplicio puniri fecerat, atque illius fratres & propinquos, amicos & familiares exilio mulctari. Ex eo inquam tempore Ducis propinqui & amici cœperunt minus familiares ſe regi exhibere, obſequia conſueta, & debita, minus obedire: rex non ita beneuolum ac familiarem ſe illis præſtare, inde querelæ & detractiones, atq; in regem maledicta paſſim diſſeminare. Non potuit regem latere, quæ illi minus prouide in vulgus ſpargebant, patefacta eſt illi tandem coniuratio, aut certæ cõiurationis ſuſpicio. Ea erat de rege occidendo, deq; in eius locum ſufficiendo Duce Auiſeo, qui iam quaſi rex ſalutabatur, ambiebatur, neq; immaturos honores adoleſcens imprudens abnuebat, iam ſe coli, obſeruari, atq; adorari patiebatur. Neque deerant adulatores, hoc eſt blandi inimici, neq; Aſtrologi, & Mathematici, qui ex geneſeos horoſcopo illi regnũ portenderẽt. Harum rerũ factus certior rex, qui alioqui adoleſcentem diligebat, quod frater illius erat patruelis, quod vxoris frater, quod adoleſcens annos vndeuiginti natus, ſecreto apprehẽdit illum, quaſi filium monet, ne aſſentatoribus credat, ne ſe decipi ſinat, ætatemq; ſuam conſideret, quæ tota pendet ex ſpe, cum pauca expertus nouerit. Sed cum ille in eiſdem artibus permaneret, rex magnanimus in adoleſcentem ſuccenſus, non poterat iam iram à multo tempore diſſimulatam retinere. Cum igitur aliquando vidiſſet illum familiariter, vt ſolebat, cubiculum regium ingredientem, ſtricto pugione bis terque petit, humiq; porrectum extendit, dicens: Siccine, ô proditor, te putabas pro rege tuo regnaturum. Nunc morere, atque affer nuncium Guimaranenſi Duci, quo in ſtatu coniurationem ab illo inchoatam relinquas. Sæuitum eſt deinde in illius coniurationis ſocios, ſepultæq; ſunt conſpirationis illius omnes reliquiæ. Ad tanti facinoris nuncium quem rex & regina Hiſpali acceperant, non ſunt facti penitus certiores, quo pacto res geſta eſt. Nam erant qui dicerent, Ducem non occiſum, ſed in vinculis aſſeruari iuſſu regis, atque de illo quæſtionem exerceri, quemadmodum de Guimaranenſi Duce rex fecerat. Miſerunt itaque legatos qui Luſitani acerbitatem in Ducem patruelem ſuum temperarent lenirentque, ac ſuaderent nullam vnquam de morte hominis cunctationem eſſe longam. Quod ſi iam de illo actum erat, nihilo minus Beatricem defuncti Ducis matrem ſuo nomine conſolarentur. Oratores fuerunt Enicus Manricus Legionenſis epiſcopus, & Gaſpar Fabra ex Tarraconenſi prouincia ordinis equeſtris vir nobilis. Qui quanquam apud regem oratorio nomine functi non ſunt, alterum tamen quod in mandatis habuerunt, ſunt executi, atque mortui Ducis matrem pro tempore & pro materia ſunt conſolati.

Rex iunior ex Almeria fugatus ad Hiſpanos ſe recepit, & frater illius iunior inuentus domi trucidatur.

CAPVT X.

IN ſuperiori libro ſcriptum eſt, cauſam iunioris regis dimittendi fuiſſe, vt cum ſeniore de ſumma regni certaret, vtq; mutuis odiis, cædibus ſe vterq; cõficeret, & nobis inter ſe decer-

decernentes militarent. Sed multo aliter postea euenit, quam à principio putabamus. Etsi enim inter patrem & filium de principatu magna erat simultas, & quæ nullum esse habitura finem videbatur, maior tamen fuit suæ religionis amor, qui non passus est auxiliares Christianorum copias in alterius factionis partes admitti. Quare iuniore rege libertati suæ restituto, quia videbatur non sibi, sed libertatis autoribus regni culmen affectare, ex beneuolo suis factus est infensior, neque iam fidei quicquam apud suos habere. Sola Almeria, siue volens, siue nolens, in officio mansit, atque inde auxiliaribus copiis nostrorum adiutus, gerebat bellum aduersus alterius factionis partes, quod ipsum fecit illum suis magis inuisum. Interea Mauri cum viderent, regem seniorem annis & laboribus fessum, rem bellicam negligentius administrare, alium sibi ducem eligunt, ipsius regis senioris fratrem Baadilum nomine, cui totius regni habenas commiserunt. Hic cœpit solicitare Almeriæ sacerdotes quos illi vocant Alfaquies, atque multa pollicitus per religionem suam rogare, vt sibi viam aperirent, qua possent iuniorem regem capere, quippe qui iam non Mahumetæus, sed Christianus erat, Christianorumque sectator. Sacerdotes conditionem accipiunt, atque ex potentioribus oppidanis alios sibi adiungunt, tempus locumque constituunt, quo & quando Baadilus sit venturus. Venit itaque cum equitatu peditatuque, quanto ad rem perficiendam opus erat. Tradita est illi ciuitas. Rex iunior cum quæreretur, furtim elapsus est. Frater illius minor in domo regia est inuentus, qui cum aliis eiusdem factionis sectatoribus cæsus, trucidatusq; est. Atque ita ciuitas in potestatem regis senioris venit; sed coactus tandem est, se regni administratione abdicare, & Baadilus frater pro rege salutatus habitusque est.

ÆLII ANTONII NEBRISSENSIS, HISPANARVM ATQVE HISPANIENSIVM RERVM HIstorici, Decadis secundæ Liber quartus.

Insequentis anni millesimi quadringentesimi octogesimi quinti apparatus belli.

CAPVT I.

Etsi omne tempus illud quo rex & regina Hispali fuerunt, (fuit autem semestre) consumptum est in administratione reip. tum animaduertendo in eos qui partem sibi commissam negligentius administrarũt, tum in eos qui ob ius dicundum repetundarum postulabantur, in legationibus præterea audiendis quæ à diuersis partibus orbis mittebantur: nullus tamen in aula Principũ frequentior erat sermo, quam de bello quod anno instanti, qui à natali Christiano erat millesimus quadringentesimus octogesimus quintus, gerendum erat. Hoc in senatu publico, hoc in illo secretiori qui ad rem procurandam institutus est, hoc in tota curia agebatur. Iam in locis publicis, in priuatis, in ecclesiis, in monasteriis, in viis, in plateis, in compitis, in tabernis, & popinis, de nulla alia re sermo oriebatur, quam de belli expeditione quæ parabatur. Anno superiori cum exercitus dimittebatur, omnes fuerunt admoniti, vt in annum sequentem primo vere in procinctu armorum essent parati, atque vt Cordubæ adessent iussi, hoc secundo ac tertio in huius anni initio factum est. Omnes ad prædictum tempus locumque conuenerunt, perinde ac iussi sunt, & multo quidem quam antea instructiores. Iam machinæ, & tormenta sulfuraria, & lignea per omnem hyemem parata erant: iam carri & plaustra, boues & iumenta conuenerant, neq; aliud deerat quam dux qui tantam belli molem moderaretur. Sed non defuit. nam ad præscriptum tempus rex & regina cum omni sexus fœminei prole regia, & ex regni primoribus qui regiam curiam frequentabant, Cordubæ adfuerunt ad idus Aprilis. Exercitu in vnum locũ congregato in tanta procerũ totius Hispaniæ celebritate maius certamen erat de ostentãdis opibus, & potentia in corporis cultu, & sumptu cotidiano, in culina & penu, omnium generum epulis vndecumque petitis, vt cõuiuia sumptuosiora pararent, quam de armorũ cura

quis pulchrior in armis appareret, quis equum mollius agitaret, quis cursu pedestri reliquis præstaret. Rex & regina per honestos & religiosos viros procerum principes rogarunt, atque obtestati sunt vt ab eiusdmodi inordinatis sumptibus temperarent, potiusque intra modum, & parcius quam sumptuariæ permittunt leges se gererent, quam eos qui dignitate inferiores erant, malo exemplo corrumperent. Hoc Principes ipsi faciunt, imprimis vno aut duobus ferculis in cœna contenti. Hoc reliqui proceres imitantur, aut si affluentius conuiuia exercere volebant, luxuriæ suæ pudebat plures abhibere testes. Mirum dictu, omnes certatim frugalitati operam dare, modestius mensas struere, minores abacos apponere, exoletorum numerum minorem mensæ adhibere. eorum qui funalia per noctis tenebras præferrent, longus ille ordo ad duos, aut tres, vt multum, reductus. Hic mos præferendi funalia per multos dies durauit. Fuit deinde inter belli duces contentio, vt instantis anni bellum inchoaretur. Omnibus fere placuit Malacam debere peti, neque regi consilium displicuit. Sed prius alia oppida expugnari, opus esse, quo tutius itinere terrestri in castra commeatus importari possent, & pabulatores liberius per campos pabularentur. Tentatum est castellum Montis frigidi furtim capi, si quo modo per tenebras id fieri potuisset, sed frustra id tentatum est. Erant qui dicerent obsidendum esse castellum, ne quid à tergo relinqueretur hostile. Alii vero dicebant castellum illud non esse tanti, vt tantus exercitus in tam parui momenti materia deberet immorari. Placuit itaque regi, totam belli molem inde promoueri in maioris negocii oppidum aliquod obsidendum.

Cartima & Coinum castella munitissima obsidentur, & Benaniaquex oppidum diruitur.

CAPVT II.

CVMQVE duo essent castella inter se proxima quæ ratio exigebat debere oppugnari, anteaquam Malaca obsideretur, & proceres atque rei militaris periti duces, vtrum prius oppugnandum esset, inter se decertarent (Coinum & Cartima ea erant) Quid prohibet, inquit rex, quando copiæ supersunt, vtrumque castellum obsideri? Hoc placet omnibus, quia regi placuit. Mittit itaque Magistrum militiæ diui Iacobi, & Hispaniæ Comestabilem, & Alphonsum domus Aquilariæ dominum, & Portucarrerium Comitē Palmensem, qui Cartimam obsidione cingant. Simul etiam ex alia parte Marchionem Gaditanum, & Comitem Cluniensem, & Furtatum Mendozam, cum Cardinalis Hispani cohortibus, & præfectum Bæticæ mittit, qui eodem ipso temporis articulo Coinum obsideant. Rex ipse in vtriusque castelli conspectu medius castra metatur, vnde vtriusq; obsessoribus quoties opus esset, posset auxilia submittere. Postridie eius diei obequitauit duo illa castella, captans vbi commodius castra collocaret. Cartimitanæ vallis incolæ qui anno superiori intercedente Marchione Gaditano Hispanorum regum obsequio se dediderant, deinde ad Coinum accepta clade rebellarant, nunc fortuna iterum mutata, eadem qua prius perfidia se iterum dediderunt, causati quod non in potestate sua fuerit in fide permanere. Benamaxichum vocabatur oppidum, quod huiuscemodi deditii incolebant. Quos rex benigne allocutus, muneribusque affectos hortatus est, vt essent constantes in obsequio, neque se, vt antea fecerant, tam cito mutarent. Quod si minus possent facere, saltem se medios atq; sequestres inter vtrosque seruarent, quoad omnis illa regio in Christianorum ditionem redigeretur. Agros illorum interea & saltus, sata & arboreta, rustica & vrbana prædia iussit non attingi, neque aliter tractari quam si Christiani essent, atque in hunc modum incolumes dimissi sunt, atque proinde fœlices, si conditionem oblatam seruare voluissent. Sed non steterunt promissis, factique sunt multo quam antea deteriores, tum admittendo suos, tum arcendo nostros. Quod vbi regi compertum est, iubet oppidum oppugnari, expugnatumque dirui, in viros qui ex oppugnatione superfuerant, passim sæuiri, ex primoribus oppidanis octo supra centum patibulo suffigi. Cætera multitudo ex omni sexu & ætate sub hasta venum data, atq; in manubias redacta est. Quæ res quemadmodum Benamaxichi gesta est, per interpretes iussa denunciari Cartimæ, Coini, Mundæ, & in castellis omnibus & oppidis finitimis. Per eosdem quoque interpretes totius vallis incolas omnes admonuit, vt se regis clementiæ dederent, neq; vellent vltimam experiri fortunam, atq; omnia perpeti quæ victoribus in victos facere collibuisset. Benamaxitanorum exemplum poterat vicinos populos mouere, sed illi nihilo secius perstant, seque pro vita ac libertate tuenda periculis omnibus exponunt. Rex igitur partem exercitus, & tormentorum, ac machinarū ad eos mittit qui Cartimam obsidebant, partē

ipſe ad Coini obſidionem retinet. Coinum præter munitiones quas arte ac natura validiſſimas habet, vndique cinctum eſt arborum denſis atque confragoſis nemoribus, aggeribus & maceriis præruptas vias, incilibus foſſis vorticoſos riuulos facientibus, vt difficile ſit peruium, niſi indigenis, & quibus itinerum diuerticula nota ſunt. Huic rex iubet admoueri ſtationes, quam poteſt arctiſſime, oppidani quam longiſſime poſſunt à muris arcere. Hinc ab vtraque parte tumultuaria pugna conſerta, mox & ſtataria. Tum ſtationes fixæ roborantur. Tormenta & machinæ ſuum opus exercent, murum ac turres extrarias crebris ictibus quatiunt. Neque ceſſatum à murorum concuſſione, quoad magna pars cum ſuis turribus cecidit, latuſque apertum hoſtibus reliquit.

Coinum fruſtra oppugnatur à noſtris, Gomeritis adiuuantibus Coinates, ſed tandem vtrique ſe dedunt.

CAPVT III.

EST in Mauritania hominum genus bellicoſum, qui non ſibi, ſed mercede conducti aliis populis bella gerunt, Gomeres appellant, nomen, vt videtur, deductum à Gomer filio Iapheth, de quo in libro Geneſeos, & in Paralipomenis. Et niſi Ioſephus in antiquitatibus, & Hieronymus in Hebraicis quæſtionibus, poſteritati Iapheth tribuerent incolatum Aſiæ, & nominatos à Gomer Iapheth filio primogenito ſcriberent fuiſſe cognominatos Galatas, qui procul dubio populi ſunt Aſiatici, videri poterant Gomeritæ, à Gomer filio Iapheth fuiſſe cognominatos. Sed hi de quibus hoc in loco loquimur, non ad Gomer filium Iapheth, ſed ad Phuth filium Cham filii Noæ referuntur, quibus partes Libyæ ceſſerunt habitandæ. quare hi Gomeritæ non à Gomer filio Iapheth, ſed à Phuth filio Cham, ſunt cognominati Phutei. Ab his Gomeritis quos diximus Libyam incolere, appellatur noſtro tempore Velez la Gomera, & vna ex quinq; inſulis Fortunatis la Gomera. Eo igitur tempore quo obſidebatur Coinum, ingens multitudo Gomeritarũ, quos diximus Mauritaniam incolere, fretum Herculeum traiecere, non tam vt ſtipendia inter ſuos mererent, quam amore religionis inducti, & Mundæ, quod diximus caſtellum Coino proximum, conſedere, captantes occaſionem obſeſſis Coinatibus ſe addere ſocios. Id quod regem noſtrum non latuit. Nam quid potuit latere vni tantum obſidionis curæ inuigilantem, ne quiſpiam ingrederetur, aut egrederetur? Quare cuſtodiis alios cuſtodes adhibuit, excubias extra caſtra per tramites & diuerticula ſemper habuit. Sed nihil eſt audaciæ atq; temeritati imperuium. Ex Gomeritis namq; vnus, Si quis, inquit, eſt viri fortiſſimi, quẽ Coinatum fortuna moueat, me ſequatur: & ſimul hoc dicens ſequentibus aliis compluribus in medios cuſtodes irruit, viamq; vi aperit, & ad horam Coinates ex compoſito facta eruptione ſtationes noſtrorum inuadunt, alios trucidant, alios fugant, ſuos intra mœnia recipiunt, atq; tam præſenti opportunoq; auxilio adiuti animum ad ſe acrius tutandos erigũt. At rex Gomeritis intra muros receptis nihilominus oppugnationem parari iubet, pluteos & teſtudines aptari, arietes & ciconias muris atque ruinis murorum admoueri. Primas oppugnationis partes Duci Anagarenſi & Beneuentano Comiti mandat, atque alios qui ſuccederent, ordinat. Dumque alia ad oppugnationem opportuna parantur, quidam ex prætorianis cohortibus milites impatientes moræ Duce Petro Alarconio ordinatam oppugnationem præuertunt, per murorum ruinas irrumpunt, intra muros recepti cum obuiis quibuſque pugnant, omneſq; in fugam conuertunt, quoad in late patentem quandam viam eſt deuentum, vbi ſe Gomeritæ cum pluſculis oppidanis agglomerauerant. Ibi pugnatum eſt acriter, atq; ex noſtris complures ceciderunt redintegrante pugnam ſępius Petro Alarconio. Qui cum à ſuis admoneretur, vt ſe à pugna ſubtraheret, Non, inquit, ea de cauſa in hoc certamen deſcendi, vt quiſpiam poſſet dicere Alarconium vidiſſe terga hoſti vertentem. Atq; ita cum paucis circumuentus fortiter dimicans confoſſus eſt. Cecidit & Tellius Aquilarius vir nobilis, & qui ſe in armis ſæpe oſtentauerat. Cæteri in fugam conuerſi adiuuante magna ex parte muliercularum manu, quæ ex ſolariis & feneſtris iactu lapidum, tegularum, & vrceorum, ſingularem viris operam nauarunt. Atque hunc in modum hoſtes mœnibus excluſi ſunt, oppidi oppugnatio deſerta eſt, ſed non ceſſatum interea à murorum concuſſione, & ſaxorũ ingentium iactu per totum oppidum nihil intactum relinquentium.

Hactenus in Nebriſſenſis archetypis & protocollis inuentum eſt, cætera incuria quorundam & fucorum rapacitate, nihil aliud rimantium quam quomodo autorum lucubrationibus inſidientur, perierunt.

ÆLII ANTONII NEBRISSENSIS, EX GRAMMATICO ET RHETORE HISTORICI REGII, DE BELLO *Nauariensi libri duo.*

Præfatio de antiquitate, nomine, & situ regni Nauariensis.



NTER *Gallos Hispanosque, gentes belligerandi cupidas, natura ingenii humani conscia Pyrenæi montis præcipitia posuit, vt vtrique populi se intra fines suos continerent. Sed quo non penetrat hominis ambitiosa temeritas? Ecce Gotthi Narbonensem Galliam Hispaniæ annectunt, profugique à gente vetusta Gallorum Celtæ permiscent nomen Iberis. Sed omittamus nunc illa vetera, non videmus ætate nostra partem Brachatæ Galliæ Tarraconensi cõtributam? non vidimus nuper factionis Gallicæ principi Nauariam seruientem? Tametsi diuersa fuit ratio alteris in alterorum solo permutatis finibus aberrandi. Neque enim Gallia Narbonensis sub Gotthis tantum principibus Hispaniæ portio fuit, verum etiam sub Romanis, atque ante Romanorum tempora totus ille tractus Hispaniæ annumeratus est. At Nauariam, quis æquus rerum æstimator iudicet, ab Hispania posse disiu[illegible] An cum natura voluerit nos à Barbarorum incursu præruptissimorum montium obiectu esse tutos, pateremur hostes intra patriæ nostræ regiones debacchari? Quam ob causam hæc cura magnanimæ illi viragini Elisabæ Hispaniarum reginæ semper insidebat, quemadmodum angulus ille à toto suo corpore diuulsus, vel permutatione, vel dotis nomine, vel alia quacunque honesta ratione in formam pristinam redigeretur: semperque Horatianum illud in ore habebat:*

O si angulus ille Proximus accedat, nostros qui fœdat Iberos.

Nam præter iungendi pulchritudinem, verebatur ab ea parte nunquam Gallos esse quieturos. Hoc bis per oratores egit, & quidem summa diligentia, atque etiam iniquis conditionibus attentauit, vt Catharina Phoxensis Comitis filia vnica, atque proinde illius regni hæres Ioanni filio Hispaniarum principi nuberet, atque eadem via dotale regnum in suum corpus rediret. Sed fortuna in omnibus aliis indulgentissima hoc vnum illius fælicitati denegauit, quippe quæ alia via tantæ rei gloriam dulcissimo coniugi reseruabat. Vtrunque tamen Nauaria illa quæ antea fuerat abscissa, iam nostra est, nobis cessit, in censu nostro numeratur. Sed priusquam dicamus quo iure, quibusque viribus in nostram venerit potestatem, pauca nobis de nomine, de situ, de natura regionis præmittenda sunt. Nauaria nomen est nouum, nuperque excogitatum, dicta quantum assequi possumus coniectura, quod Hispani vocant Nauas camporum areas planas, arboribusque purgatas, quæ tamen habeant in circuitu syluas, dumetaque fruticosa, & inde Nauaria fortasse dicta loca quæ complures habeant huiusmodi Nauas. Hanc regionem fere incolunt Vascones, in quibus ista numerantur, Pompelo imprimis regionis caput, quam Strabo Pompeiopolin vocat, sic dictam, quod sit à Pompeio Magno, aut eius nomine condita, quo tempore contra Sertorium in ea regione bellum gessit Metello missus adiutor à senatu. Est & Iturissa, & Alantona, & Cascantum, & quæ iampridem nobis cesserant Tricium, Lucronium, & Quintiliani oratoris patria Calaguris. Terra tum pecori, tum agricolationi apprime fertilis, & quamquam Pyrenæo apposita, longe tamen Celtiberos, & Bardulos vtrinque finitimos, & aeris clementia, & solis benignitate superat. Habet Nauaria in Galliam Aquitaniam duas tantum pylas, hoc est portas, siue aditus, alteram per Runcatas valles, alteram per vallem Runcetanorum. Ronzas, hoc est runcas, Hispani vocant vepreta runconibus instrumentis succisa. Vnde vtræque valles illæ, quæ non aliam quam runcationis culturam admittunt, runceta possunt recte appellari, & populi huiusmodi locorum incolæ Runcetani. Vtrunque aditum Benearnensis Galliæ regiuncula excipit, dicta à Benearno oppido, quod Antonino Pio autore distat à Cæsaraugusta millia passuum centum duodecim, atque à summo Pyrenæo eadem via millibus passuum sex & triginta. Sed antea quam de bello Nauariensi scribere incipiam, quia video complures dubitare, frequenterque disputare, quo iure Hispani Nauariam inuaserint, iuuasamque subegerint, pauca de huius belli iure hoc in loco dicamus.

ÆLII ANTONII NEBRISSENSIS DE BELLO NAVARIENSI LIBER PRIOR.

De iure gentium, & diuino, atque humano, quo Hiſpani orbis moderator Nauariam obtinuit.

CAPVT I.

ETSI regni propugnandi libido non omnino caret vitii ſuſpicione, cum Reges magis debeant fines tueri ſuos, quam inuadere alienos: ſit tamen aliquando, vt neceſſitate cogantur bellum ſuſcipere, quod eſſet alioqui iniuſtum, atque proinde nefarium. Hinc eſt illud Auguſtini in quarto de ciuitate Dei volumine, Belligerare, inquit, & perdomitis gentibus dilatare regnum, malis videtur fœlicitas, bonis neceſſitas, ſed quia peius eſſet, vt iniurioſi iuſtioribus dominarentur, non incõgrue iſta neceſſitas facit ex cauſa aliqua iniqua iuſtiſſimam. Vnde factum eſt, vt iniquitas illorum quibuſcum bella iuſta ſunt, regnum adiuuerit, vt creſceret. Itaque Romani iuſta bella gerendo imperium ita magnum acquirere potuerunt, quia ſortiti ſunt hoſtes iniuſtos, quibuſcum bella iuſta gererentur. Atque ita cauſas ex cauſis trahendo, eo vſque peruenerunt, vt totius noſtri orbis imperio potirentur. Nunquam enim hoſtibus bellum indixere, niſi per legatum facta imprimis clarigatione, deinde per ſacerdotem fecialem denunciatione, dirarumque imprecatione. Quare nihil mirandum eſt, ſi rector, idemque mundi arbiter, qui dat adimitque regna, in cuius manu cor Regis eſt, & per quem Reges regnant, abſtulit mentem Nauariorum Regi, indurauitque cor illius, vt noſter belli gerendi cauſam haberet iuſtiorem, atque proinde membrum illud abſciſſum in ſuum corpus reſtitueretur. Neque iniuria id, quod aduerſarii putant, ſed per leges diuinas & humanas, pontificias & ciuiles, perque ius ipſum quod natura omnia animalia docuit, quodq; per omnes gentes ita diſſeminatum eſt, vt nulla ſit natio tam barbara, atque à communi ſenſu tam abhorrens, quæ non illi naturæ legi acquieſcat, vt arma tenenti omnia det, qui iuſta negat. Nam quid iniuſtius excogitari poterat, quam ad iuſtum bellum proficiſcenti negare aditum, viamque ex iure gentium cunctis mortalibus communem? Cum præſertim de regni indemnitate illi ſatis caueretur. Quid? non ex lege diuina quæ naturali conſentanea eſt, Moyſi præcipitur, vt inuadat, ac deinceps poſſideat regnum Seon Regis Amorrhæorum, propterea quod denegauit filiis Iſrael tendentibus in terram promiſſionis tranſitum per fines ſuos? Miſit, inquit ſcriptura in libro Num. Iſrael nuncios ad Seon Regem Amorrhæorum, dicens: Obſecro vt tranſire mihi liceat per terram tuam, non declinabimus in agros, nec vineas, non bibemus aquas ex puteis, via regia gradiemur, donec tranſierimus fines tuos. Qui concedere noluit, quin potius exercitu congregato egreſſus eſt obuiam in deſertum, & venit in Iaſa, pugnauitque contra eum, à quo percuſſus eſt in ore gladii, & poſſeſſa eſt terra eius. Tulit ergo Iſrael omnes ciuitates eius, & habitauit in vrbibus Amorrhæi. Eadem prope atque eiſdem verbis ſcribuntur in Deuteron. In primo quoq; Machabæorũ volumine, Iudas, inquit, ex Galaaditis ſuperatis rediens victor in terram Iuda venit vſq; Ephrõ, & hæc ciuitas magna, & munita valde in media via ſita, & nõ erat declinare ab ea dextra, vel ſiniſtra, ſed per mediũ iter erat. Et incluſerũt ſe qui erãt in ciuitate, & obſtruxerũt portas lapidib. & miſit ad eos Iudas verbis pacificis dicẽs, tranſeamus per terrã veſtram, vt eamus in terrã noſtrã, & nemo vobis nocebit, tantum pedibus trãſibimus. Et nolebãt eis aperire. Et oppugnauit ciuitatem illam tota die, & tota nocte: & tradita eſt ciuitas in manu eius, & peremerunt omnem maſculum in ore gladii, & eradicauit eam, & accepit ſpolia eius, & tranſiuit per totam ciuitatem ſuper interfectos. His itaque huiuſmodi exemplis manifeſte oſtenditur, quæ ſit Dei voluntas transformantis imperia, & mutantis regna, qui indurat cor Seon Regis Amorrhæorum & Ephronitarum, vt horum ſpoliis Iudas potiretur, & illorum ciuitates Iſraeliticus populus iuſte poſſideret, ſub illo prætextu, quod negauerunt id quod iure gentium erat commune,

ſicut fluminis aqua, aeris ſpiritus, ſolis lumen. Quid ſi ex cauſa aliqua nobis occulta voluit Deus Nauariam materno rem gerente auo, à Ioanne in Carolum, hoc eſt, à Gallis ad Hiſpanos reducere? & quæ alia potuit iuſtior eſſe cauſa, quam quod regnum iniuſte acquiſitum iuſte amitteretur? Nam quis ignorat Blancam iuniorem Ioannis Nauariæ ac deinceps Tarraconenſium Regis ex Blanca vxore filia Caroli procreatam, quæ fuit Enriquo huius nominis Hiſpanorum Regum quarto nupta, ac deinde repudiata, veneno interceptam à Leonora ſorore, eiuſque marito Foxenſi Comite, vt ad ipſos regni ſucceſſio perueniret? id quod in illos male vertit. Nam intra dies quindecim poſteaquam ſibi regium nomen adoptauit, miſerabiliter & digne periit. Sed ex ea & Comite Phoxenſi natus Gaſtonus, & ex Gaſtono Phœbus pater non diu vixerunt. Sed & Phœbus Phœbi filius in ipſo ætatis flore raptus eſt, ſuperſtite Catharina ſorore, qua ſiniſtris auibus Ioanni vltimo Nauarienſium Regi nuptui dedita, dotale regnum ad Hiſpanos ſuos redactum eſt. Non vides quam veridice in hac familia expenſum eſt, quod in Exodo Hebræorum legislator eſt interminatus? Ego, inquit, ſum dominus Deus tuus fortis Zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios vſque in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me. Illud quoque ex libro Sapientiæ: Degeneres, inquit, ſtolones non agent radices altas, neque ſtabile firmamentum collocabunt. Per leges quoque Pontificias & ciuiles Ioannes Nauariȩ Rex vere potuit regno ſpoliari, ex eo quod ſchiſmaticus, & ſchiſmaticorum fautor, atque proinde hæreticus læſæque maieſtatis reus, atque eodem iure inteſtabilis ipſe, & omnis eius poſteritas gentilitio regno mulctanda, quod vtriuſque iuris conſultiſſimi doctores multis argumentis, & rationibus, exempliſque probant, ex eo quod in ſequentis hiſtoriæ contextu narrabimus.

Quod Nauariæ Rex fuit ſchiſmaticus, quia Gallorum Regis ſchiſmatici fautor.

CAPVT II.

LVDOVICVS Gallorum Rex more gentis ſuæ homo leuiſſimus, non contentus ſe intra pelliculam ſuam, hoc eſt intra regni ſui fines, continere, animum in Italiam iniecit, & quia intelligebat cum multis negotium ſibi gerendum, quærit ex Italiæ principibus amicos & ſocios, non optimates ex ciuitatibus, non iuſtos oppidorum dominos, ſed quos audiebat violentam in ſubiectos exercere dominationem, quos rerum nouarum cupidos norat, quos denique ex profeſſione hoſtes eccleſiæ Romanæ ſciebat. Torquebat tamen illum talia molientem Iulius ſecundus Pontifex Max. patrimonii eccleſiaſtici vindex acerrimus, idemque fortiſſimus propugnator, quem ſolum videbat conatibus ſuis obſtaturum, ac præterea neminem. Agit cum Georgio S. R. E. Cardinale Rotomagenſi tempeſtate illa vtcumque de Pontifice merito, in Gallia tamen legato à latere, homine ambitioſo, nec minus res nouas moliendi cupido, vt cum reliquis apoſtolici ſenatus conſcriptis patribus quos ambire poſſet ipſe per ſe, quoſque antea Rex ipſe pecunia muneribuſque corruperat, indicant Pontifici œcumenicum concilium, crimina intendant, teſtes ſubornent, qui dicant ſe vidiſſe quod non viderint, per quæ cogatur pontificatu ſe abdicare rigidus ille patrimonii eccleſiaſtici defenſor, vt in eius locum adoptetur quiſpiam, qui omnia ex Galli Regis arbitrio faciat. Ex omni patrum numero quinque tantum ad ſe pellexit. Nam alii omnes in officio apud Pontificem permanſerunt, quos prouentibus eccleſiaſticis, ſi quos habebant in Gallia, mulctauit, Gallis omnibus qui ſub ditionis ſuæ imperio erant, Romana curia interdixit, edicto quoque iuſſit, ne apoſtolicis literis quiſpiam obtemperaret, ex eccleſiæ ſubditis amicis & ſociis quos potuit ſibi conciliauit, quos non potuit, pro hoſtibus habendos eſſe cenſuit, atque hunc in modum ſchiſmate, id eſt, diuiſione facta, inconſutilem illam noſtri Saluatoris tunicam, hoc eſt eccleſiæ vnitatem, lacerauit, quam neque ſatellites quidem & Chriſti carnifices ſoluere ſunt auſi, ſeque publicum hoſtem profeſſus Eccleſiæ Romanæ apoſtolicoque ſenatui bellum indixit. Interim Bononia capitur à Pontifice, pulſa Bentiuolorum familia, quibus miſeranda ciuitas miſeram ſeruierat ſeruitutem. Flaminiæ quoque ciuitates ad eccleſiam pertinentes Venetis iniuſte poſſidentibus detraxit. Ferrariam præterea, quam & Mutina ſequebatur, ex manibus Alphonſi ducis per cenſuras apoſtolicas iam extorſurus erat, ſi non hæc dira peſtis negocium interpellaſſet. Ferrarienſes namque atque proinde Mutinenſes nihil aliud ſperabant, quam ſiue iure, ſiue iniuria dedere ſe Pontifici, atque ab Alphonſo decidere, qui non modo in ciues ſæuiſſimam tyrannidem exercebat, ſed & tributum

butum,& tributariam obedientiam Pontificibus debitã denegabat. Sed cum iam securis ad arboris radicem admoueretur, ad quem Alphonsus confugeret, nisi ad fugitiuorum receptatorem, ad tyrannorum propugnatorem, ad facinorosorum hominum singulare subsidium? Igitur Pontifex, quod iure non poterat, viribus assecuturus Bononiam venit, vt ex proximo rem gerat. Eo senatum apostolicum conuocat. Adsunt omnes præter paucos illos nigri genii notatos cauterio. Et ecce Gallorum Regis præfectus qui Mediolanum præsidio tenebat, Bononiam venit cum exercitu, vrbem obsidet cum suo Pontifice, tormentis machinisque oppugnat, atque fortassis rem peregisset, nisi exercitus Hispanus à Neapoli, duce Fabricio Columna Pontifici suppetias tulisset, coegissetque Gallos se in Mediolanum suam recipere. Sed alia ex parte Gallus ecclesiæ hostes fouere non cessat, Bentiuolis Bononiam extorribus exercitum tradit, qui, dum Pontifex Rauenæ ageret, recepti in vrbem à proditoribus quibusdam Bononiensibus, omnia sacra & profana, diuina & humana miscuerunt, arcem munitam à Pontifice sumptu immodico demoliuntur, statuam æream Pontificis nomine dicatam deturbant, subiectisque ignibus confundunt, ecclesiæ insignia radunt, in quorum loco Gallica reponunt edicta, præconia, iudicia, omnia Galli regis nomine fiunt, in curiales amicasque Pontificis partes sæuiunt. Interea Cardinales illi qui ad ecclesiæ hostes transfugerant, non concilium, sed concilii vmbram simulant. Nam quis appellarit concilium, quod capite, quod pedibus, quod corpore, quod anima, quod spiritu denique viuificante caret? Pontificem citant, alios nostri orbis Principes conuocant, terminos intra quos sint conuocaturi præscribunt, de summa vniuersalis ecclesiæ decernere statuunt. Locum placuit esse Pisas, tempus Kalendas Septembris, vtrunque tamen frustra. Nam & Florentini prohibiti sunt Pisas accedere, & cum loco tempus quoque. Pontifex interea non cessat illos ad ecclesiæ vnitatem hortari, ne sint tantorum causa malorum commonefacere, præscribit terminos, primo quinquaginta dierum, deinde quindecim, deinde octo intra quos resipiscerent, & ad meliorem sensum redire possent, & ne quid fraudis subesse suspicentur, interponit fidem publicam, cuius sponsorem offert ipsum senatus apostolici consensum. At illi admonitionibus his facti multo deteriores, Pontificis indulgentiam interpretantur timorem, & à crimine maiores sumunt animos, multoque pertinacius insistunt cœptis. Igitur Pontifex ira percitus, quando longa patientia nihil proficit, gladium ex Petri manibus corripit, in rebelles contumacesque stringit, honorum insignibus expoliat, dignitatibus ecclesiasticis, beneficiis omnibus mulctat obtentis, & ad obtinenda posthac inhabiles & indignos facit: ipsos atque ipsorum fautores schismaticos, atque proinde hæreticos declarat, bona publicat, ad huius sententiæ executionem Christianos Principes inuocat, atque imprimis nostrum, vt ecclesiæ causam tueatur. Qui tametsi eo tempore in Africi belli expeditione implicitus erat, atque in ipso Herculeum fretum traiiciendi articulo intentus, nihilominus tamen respexit ad Petri nauiculam fluctuantem, & omissa in aliud tempus Africa, & exercitu quem in Mauros parauerat, classe comparata, equitum peditumque bonam partem in Italiam mittit, seque vt Neapolitano præsidio iungant, ducibus atque cohortium præfectis imperat, vt si qua in re fuisset opus, voluntati Pontificis obsequerentur. Antea tamen Gallum, quocum non modo affinitas, sed etiam fœdus arctissimum erat, vt ab ecclesiæ iniuria se abstineat, ne hostes illius foueat, ne se sceleratis immisceat hominibus monet, initam cum illo amicitiam commemorat, quæ necessario soluenda erat, si ille contra ecclesiam, ipse pro ecclesia staret. Itaque franguntur fœdera, rumpitur amicitia, affinitas, quia vinculo arctiori conglutinata erat, dissolui non potuit. Bononia interim Pontificis iussu à nostris obsidetur, Galli Bentiuolis auxilia mittunt, & quia indies augebantur, cessere nostri, illi Rauenam obsident, nostri dum obsessis auxilia ferunt, non potuit euitari fatale illud, simul & lachrymabile prælium, in quo propius fuere periculo qui vicere. Nam & victoria tandem apud Gallos permansit, non illa quidem incruenta, sed vti aiunt Cadmea, quippe in qua multo plures ex hostibus quam ex nostris ceciderunt. Ex victoria Galli vitio gentis suæ facti insolentiores Rauennam oppugnant, expugnatamque diripiunt, in omnem sexum & ætatem bacchantur, non templis, non ędibus sacris, non Christo dicatis virginibus parcunt, tantumque Italiæ vniuersæ terrorem iniecere, vt de vrbe deserenda iam Romani agerent, idque fecissent, nisi magnitudo animi atque præstantia Pontificis, trepidantes & attonitos, & iam nihil aliud quam de fuga cogitantes in vrbe retinuisset, deque rep. Christiana bene sperare iussisset. P. Cornelius Scipio nondum Africano similis, qui post Cannensem cladem, cum ex reliquiis Canusium plures perfugissent, deque deserenda Italia nobilissimi quidam adolescentes deliberarent, stricto super capita consultantium gladio iurauit

ſe pro hoſte habiturum, qui non in ſua verba iuraſſet, effecitq; vt omnes iureiurando aſtringerentur, nunquam ſe Italiam deſerturos. In hęc diuertimus, vt oſtẽderemus, quod præter ius illud naturale ac diuinum, etiam per leges pontificias & ciuiles debuit regno mulctari Nauariæ Rex, quod per literas apoſtolicas identidem admonitus Gallum ſchiſmatis concinnatorem noluit deſerere.

Quod Hiſpanus Rex Chriſtianos Principes hortatur ad bellum contra ſchiſmaticos gerendum, regemq; Nauariæ dubium ſolicitat.

CAPVT III.

IGITVR Hiſpani orbis moderator, cernens Gallorum rabiem magis magiſque ſæuire, illorum furori nihil iam poſſe obſiſtere, concutit illud conſiliorum pectus fœcundum, & qua via peſtilenti occurrat morbo, dies nocteſque cogitat, ſtatuit hoſtis vires quas videbat in dies augeri, in partes diſtrahere. Enriquum Britannorum Regem, eundemque chariſſimum generum, ad quem ex iure Aquitania Gallia pertinebat, vt Ducatum bello repetat, hortatur, auxilium pollicetur, vtque iuſtior eſſet repetendi cauſa, apoſtolica intercedit autoritas, qua Gallum Aquitania priuat, Britannoque occupandam exponit. Ex alia parte Maximilianum Cæſarem conſocerum ſuum, atque Caroli maximi Burgundionum Ducis ex filia nepotis tutorem ſolicitat, vt ab vtriuſque Germaniæ finibus Gallum adoriatur. Italiæ reſpublicas quæ belli euentum ancipites expectabant, ad ſocietatem inuitat. Mittit itaque Britannus copias ſuas, quæ in collimitio Baſtulorum Aquitanorumq; conſiderent, quibus vt ſe Hiſpanorum exercitus iungeret commodius, per Nauariam iter aperiendum erat, cuius Rex in Gallorum partes videbatur eſſe propenſior, ſiue quod natione Gallus erat, ſiue quod patrimonii ſui bona pars in Gallia erat, quam, ſi ſequeretur Hiſpanorum ſtudia, videbatur amiſſurus, cum alioqui eſſet Principis noſtri beneficiarius. Nam quis ignorat, cum inter Phoxenſes dominos, primum patrem, ac deinde filium, ac ex parte alia Ioannem Labritenſis domini filium, de Nauariæ regno, iure viribuſque certaretur, haberetque vtraque pars ſuos fautores, Phoxenſes Gallum, Labritenſis Hiſpanum, noſtro ſtudio Ioannem obtinuiſſe regnum? & eo nomine quæcumque fortuna ſequeretur, adiuratiſſimus Hiſpanorum cliens eſſe deberet. Igitur ne quid detrimenti exercitus noſter per alienos fines incedens pateretur, petit à Ioanne certa quædam pignora, quæ ſiue volentem, ſiue nolentem cogant in fide permanere, & quæ ea eſſent quærenti, tres arces reſponſum eſt, Stellam, Amaiam, & ad Pyrenæi Galliam ſpectantis radices ſanctum Ioannem, poſt negocium peractum reddendas: interea tamen apud ſequeſtros deponerentur Hiſpanos, viros nobiles & ingenuos, qui fide publica interpoſita pacta conuenta ſeruarent. pollicetur præterea noſter, ſe redditurum Arcos & Guardiam oppidula duo, quæ quondam Nauariæ regno fuerant contributa, indemnitatem inſuper, quacunque regius exercitus progrederetur, protectionem quoque ſi Gallus bellum in Nauariam intentaſſet vnquam. De arcibus illis tribus ſibi placere Ioannes reſpondet, de ſequentibus non placere, niſi facerent indigenæ, dumque tempus de die in diem protrahit, ſecreto Gallum omnibus iis de rebus facit certiorem, ſibique vt auxilia mittat, quam primum etiam atque etiam implorat, Hiſpanos eſſe in armorum procinctu, ſibiq; viam ferro aperiendam, ſi non ſit qui obſtet, non eſſe dubium. Nuntius earum rerum quæ in Hiſpania geruntur, ad Pontificem perfertur, cogit conſcriptorum patrum frequentem ſenatum, bono animo vt ſint hortatur, ex Hiſpania, vt quondam ſæpe, ita & in præſentiarum perditæ rei ſpectandam eſſe ſalutem dicit. Quare iuuandus eſt (inquit) optimus ille Princeps, in communes bonorum omnium hoſtes noſter vterque ſtringendus eſt gladius, atque dum ſęcularem alterum acuimus, interim ſpiritualem alterũ in ſchiſmaticorum ceruices intentemus. Conſultant itaque patres conſcripti, quid nam ſit de Nauariorum Rege decernendum, ſit ſenatus decretum, in quod omnes pedibus manibuſque eunt, declaratus eſt ſchiſmaticus, atque proinde hæreticus, quia identidem admonitus pertinacius agebat, & ſe iam non obſcure Gallum profitebatur, mulctatur regno, & omnibus fortunis, non modo ipſe, ſed & vxor, & filii cum omni poſteritate ſua, in Hiſpanum omne ius regnandi transfertur. Gallus interim omnes copias ſuas contrahit, & quas in Italia in præſidiis habebat & quas in ſtatiuis, aliaſque in Germania conſcribit, Ioanni ſuo quamprimũ poſſit auxilium laturus. Sed dum ille moratur, noſter negocium peragit. Intelligens namque belli momenta in celeritate magis quam in militum robore poſita eſſe, Fœderico à Toleto Albanorum ad Tormim duci conſobrino ſuo inſtantis belli ſummam commendat,

dat, præfectumque exercitus maximum, siue (vt more nostro loquar) ducem generalem facit, quid illi faciendum sit edocet, vt quam celerrime Nauariæ fines inuadat hortatur, vt rem gerat strenue monet, & quia nullum esse bellum iustum nouerat, nisi quod rebus petitis antea denunciatum sit & indictum, ne quid inexpertum relinquat, sæpe monitum adhuc monendum esse dicit. Per Metatum qui in curia nostra pro Ioanne procuratorio nomine oratorem agebat, nunciat, nisi è vestigio petitas arces, in quos vsus dictum est, traderet, se omnia rapturum quæ citra & vltra Pyrenæum ad illum pertinerent. Atque in hæc verba orator dimissus est. At Nauarius his admonitionibus nihilo melior factus, interea Gallum solicitat, atque si vult saluis rebus adesse, properet auxilium ferre: neque iam simulationi locum esse denunciat, se ab Hispano pro hoste haberi, hostem cum ingēti exercitu in limitibus esse, neque inuadendi regni occasionem intermissurum, quod omni præsidio vacuum esse optime nouerat.

Nostrorum militum numerus censetur, & qua via Pompelo cum magna regionis parte capta est.

Capvt IV.

ERant in exercitu nostro, partim ex stipendiatis militibus, partim ab Hispanis proceribus ad hoc bellum missis, cataphractorum equitum mille, & mediocris armaturæ mille quingenti, peditum vero ad sex millia, qui omnes ex imperio Regis conuenere Victoriam sic appellant Bastulorum vrbem in Nauariæ collimitio sitam. Igitur Albanus iussu Regis qui tempestate illa Burgis morabatur, exercitum educit, equites grauis armaturæ in centurias distribuit, singulis centuriones præficit, leuioris armaturæ equites per suos duces partitur, pedites præterea in suos ordines dirigit. Hos comitabatur tormentorum machinarumque vis maxima, iumentorum quoque ac commeatus pro militum numero copia satis magna, atque hoc belli apparatu Nauariæ fines ingreditur. Nauaria iam inde à multis sæculis in duas factiones diuisa est, Agramontanorum alteram, ex qua Ioannes ipse Rex erat, alteram Beamontanorum, ex qua erat Ludouicus Comes Lerinas idemque Nauariæ Comestabilis, atque Regi nostro non modo affinitate, verum etiam quadam singulari beneuolentia coniunctus. Huic Albanus primas exercitus nostri cohortes tradit. Nam eo tempore ob antiquas cum Rege suo simultates apud nos agebat regno extorris. At nunc in patriam reduci minutula quædam oppida & castella, quæ antea fuerant in illius clientela, nulla vi coacta se dedunt, alia præ timore in deditionem veniunt. Albanus non dedititiis modo, sed etiam dubiis parcendum esse iubet, neque in alios quam in perduelles contumacesque sæuiendum esse præcipit: quæ Albani Ducis modestia magno fuit momento ad res alias conficiendas. Cumque nihil offendisset hostile, & quod progredienti posset obsistere, quinis castris peruenit ad locum qui ab ipsa totius regni capite Pompelone distat passuum millibus octo, vnde vrbs ipsa facile perspici poterat, illic metari castra iubet, præterea quod locus erat tum pabulationi, tum aquationi, tū lignationi commodus. Ioannes interea cum videret fortunas suas eo angustiarum deductas, vt neque iam fallere hostem posset, neque Gallum deserere integrum sibi videretur, statuit dotale regnum dulcesque relinquere sedes, non ausus hostem domi spectare, omnemque recuperandi regni spem in Gallorum leuitate posuit. Quærentibus vero ciuib. suis quid illos vellet facere, si hostes ingruerent, vt se tuerentur quandiu possent, respondit: sin minus, tempori cederent, salutique consulerent, dummodo scirent se breui rediturum cum multo grandioribus Gallorum copiis, quam essent Hispanæ. Atque triduo ante discessit, quam vrbs dederetur. Atqui oppidani cum cernerēt se præsidio destitutos, & a Rege suo desertos, atque ex alia parte hostem cum exercitu in campo medio exultantem, cum fortuna mutant & fidem. Mittunt itaque oratores ex populi primoribus, qui cum victore de conditionibus deditionis agerent. Qui perhumaniter ab Albano excepti mandata exponunt, petunt multa, vt pauca ex multis accipiant. Post longam concertationem, Albanus in pauca verba sententiam colligit. Non solere, inquit, victoribus victos dare leges, sed ab illis datas accipere. Ite igitur & vestris ciuibus hæc dicta reportate, aut mihi extemplo sine vllis conditionibus se tradant, omnia sacra & publica in manus meas permittant, ipsi cum libertate fortunis priuatis fruantur: aut si non placet illis hæc conditio, sciant se passuros omnia quæ in vrbium expugnationibus accidere solent, omnis ætatis & sexus cædes, sacrarum priuatarumque rerum incendia, bonorum omnium direptiones. In hæc verba oratores dimissi, promissa minasque Ducis ad suos perferunt. Et ne

tempus in cassum abiret, atque interea hostis rem suam peragerer, Albanus instandum esse ratus, postridie eius diei signa tolli iubet, copias omnes suas explicat, atque in suos ordines redigit, vrbem versus agmine infesto tendit. Cumque propius accessisset, tantum terrorem oppidanis incussit, vt mulierculæ & pueri è muris manus tenderent supplices victoris misericordiam implorantes. At proceres nihil iam de Gallico subsidio spectantes eosdem oratores remittunt, se velle Ducis imperata facere dicunt, modo illis diecula cõcedatur, non quo tam breui tempore auxiliares è Gallia copias spectarent, sed quo se possent apud reliquos mortales, atque imprimis Regi suo excusare, quod neque momento quidem temporis hostem sustinuerint. Castris itaque in suburbio positis, tota illa nox in vigiliis perpes agitur, ne quid hostis ex loci occasione moliretur. Die insequenti qui fuit Dominicus, idemque diui Iacobi Zebedæi festo celebris, atque alia ratione magis adhuc celebrandus, quod erat annus Hispani iubilei à natali Christiano millesimus quingentesimus duodecimus, magistratus ex vrbe progrediuntur, atque omnium ciuium nomine se fortunasque suas omnes Ducis fidei dedunt, stetque vt promissis pactisque conuentis, orant obtestanturque. At ille nihil moratus vrbem ingreditur, inque ipso portarum limine in verba vnius ex primoribus procuratorio nostri Principis nomine iurat, se atq; proinde Regem suum, cuius auspiciis atque imperio rem gerebat, obseruaturum priuilegia, immunitates, libertates tum publice, tum priuatim à Regibus suis antea concessas, neque passurum aliqua ex parte infringi, temerari, violari, quin potius si in fide permanserint, aliis multo maioribus præmiis cumulaturum. Tum portarum claues in argumentum possessionis illi concessæ, atque hunc in modum ciuitas primaria cum omni regione contributa, præter admodum pauca, Hispaniæ suæ annumerata est, cum fuisset per annos circiter sexcentos (vt ab Enico Arista incipiamus) per indigenas, aut aliunde ascitos Reges gubernata.

De toto Nauariæ regno cum Pompelone pacato.

CAPVT V.

ALBANVS ciuitatis statu composito, præsidiisque quibus in locis opus erat dispositis, nuncios ad reliqua oppida, vicosque, & castella, & munitiones, ac pagos mittit, quid Pompelonenses fecerint, illis exponi iubet, vt matricis ciuitatis exempla sequantur admonet, idque per lictores, præcones, tibicines agit. At illi siue nunciorum contemptu, siue quod indies Regem suum cum auxiliaribus copiis expectabant, siue quod nondum quid essent acturi constituerant, inducias consultationi tempusque petunt, nuncios inanes dubiosque remittunt. Dux vero instandum esse ratus, dumque per hostes licet, nihil impacatum relinquere, alios autoritatis maioris viros mittit, qui perduellibus nuncient, nisi se intra paucas horas dedant, obsidesque deditionis pignora mittant, proscripturum se illorum capita, publicaturum bona, omniaque direptioni daturum minatur: alioqui se non minori facilitate illos suscepturum quam Pompelonenses. Ad has Ducis minas pollicitationesque permoti omnes statuunt se dedere, sub eisdem conditionibus quibus se metropolitanæ ciuitatis incolæ dediderant. Fuere autem oppida & municipia hæc fere, Elumberri, Sanguessa, mons Regius, Amaia, Olitum, Taphalia, Tutela, præter arcem & Runcitanos Escuanosque, qui præruptissimorum montium atque locorum ingenio freti, turpe duxerunt non spectare belli euentum, neque se venturo cum auxiliis Regi suo reseruare. Hispanus interea non cessat copias submittere, Nauariensemque exercitum augere, non modo ad præsidia municipatim distribuenda, tuendosque regni fines, verum etiam ad prosequendum Regem profugum, qui dicebatur ex Benearnensibus, Vasconibus, Transpyrenæis copias parare, aut quibus se tueretur, aut quibus amissi regni fines inuaderet, quando Gallorum suppetiæ immorabantur. Cum Runcetanis vallisque Salazariæ incolis agit, vt se muniant tueanturque, se velle apud eos Gallorum auxilia spectare dicit. Albanus à Rege suo admonitus Antonium à Cunia Zamoranum Episcopum ad Ioannem mittit, qui illi suadeat, vt resipiscat tandem, atque Hispanis partibus adhæreat, neque omnem suam spem in Gallorum auxilio ponat. Quod si fecerit, se habere in mandatis, futurum vt regnum restituatur: sin aliter sit animatus, videat ne omnia quæ sua causa sint prouentura, in autoris caput retorqueantur, & dum partem recuperare nititur, amittat & totum. Dum ad hæc peragenda orator properat, in media comprehensus via atque non satis modeste habitus est. Dubiumque fuit, iussu ne Regis, an Benearnensium perfidia sit factum, qui natura immanes non legibus humanis & diuinis, sed neque legi naturæ, atque proinde iuri gentium astricti sunt. Sed quod à Rege tam fœdum facinus sit impe-

imperatum non caruit suspicione, quod iuris humani violatores clarigatione iusta postulatum non reddiderint, neque Episcopus in libertatem restitutus, sed precio ingenti redemptus est. Eratq; in animo Duci exercitum in autores violati iuris inducere, nisi quod Tutela, Olitũ, Taphalia, Stellatesque iam cum præside suo consentientes, cum audissent Ioannẽ cum Valestribus quibusdam populis montium prærupta occupasse, cœperũt hærere, atque se ancipites in belli euentum reseruare. Sed noster ne quid hostile à tergo relinqueret, substitit, vindictamque in aliud tempus distulit, conuersusque ad rebelles, siue dubios, omnia parauit, atque in statu firmiori relinquit. Antea vero quam exercitum duceret, siue in Regem profugum, siue in Rũcetanos Escuanosque, siue vt se Britannis coniungeret ad cõmune bellum gerendum, libuit experiri Pompelonenses animos, & quali fide in absentem futuri essent, prætentare. Coactis itaque in diui Francisci æde, huiusmodi apud illos orationem habuisse dicitur.

Albani Ducis ad Pompelonenses oratio, atque iurisiurandi de futura illorum fidelitate extorsio.

CAPVT VI.

SI apud ignotos sermo mihi faciẽdus esset, ciues Pompelonenses, possem ego vobis nunc commemorare, non Principis nostri res præclare gestas, quæ adeo notæ sunt, vt cum admiratione per totum orbem terrarũ circumferantur: non potenti æmulo ac competitore superato, dotalis regni membra diuersa in suum corpus redacta: non bonam Hispaniæ partẽ à Pœnis per multa sæcula possessam, quasi longo postliminio Christianæ religioni redditam: non classes armatas in Periœcos, in Antichthones, in Ascios missas, superatosq; alterius orbis incolas, quos nemo vnquam attigerat, sed neque audierat quidem, aut suspicatus fuerat: nõ purgatam religionem, pulsis aut regeneratis Hebræis, Mauris reconciliatis, pseudochristianis atq; omnium ordinum simulatis falsisq; fratribus in meliorem statum reductis. Quæ adeo sunt illustria, vt non modo vobis qui propemodum adfuistis, verum etiam cunctorum mortaliũ oculis sese quotidie ingerant, adeo stupenda, vt nulla vnquam ex hominum memoria delere possit obliuio. Sed hæc omnia fuere partim inauditæ cuiusdam fœlicitatis, partim singularis ac pene diuinæ prouidentiæ. His tamen omissis, quod ad vos magis pertinet, quis vnquam fuit Rege nostro iustior? quis clementior? quis æquitatis bonitatisq; obseruantior? Sed hæ virtutes regiæ sunt: quid illæ priuatæ? liberalitas, comitas, affabilitas, cum maiestatis grauitate semper in vultu hilaritas. Quis igitur se non putet beatum à tali principe gubernari? atque etiam beatiorem, cui liceat conspectu propiore frui? De titulo forsan dubitatis, doctoribus ciuilis ac pontificii iuris consultissimis credite, bonis viris atque religiosis credite, ipsi deniq; vniuersali ecclesiæ atq; Apostolico senatui credite, qui Regem vestrum schismaticum, hæreticum, Apostolicæ sedis hostem publicum, atque reum læsæ maiestatis declararunt, bona publicarunt, primo occupanti, atque nominatim Principi nostro concesserunt. Aut igitur totum hoc orthodoxæ fidei nomen est inane, aut Rex vester diis & hominibus inuisus, infamis, intestabilis, ex Christianorum communione segregãdus est, cui si quis est qui adhæreat, qui faueat, qui Regẽ putet, qui Regẽ nominet, similis illi est, atq;, vt Apostolus ait, cõmunicat operibus eius. Atqui dicet quispiam ex vobis viri Pompelonenses, quis unquam audiuit Regem, & eum quidem Regem qui superiorem non habet, vocari in ius, inauditum causaq; indicta condemnari, regnoq; spoliari? quasi nouum sit, & nũc primum ad aures vestras peruenerit à summo sacerdote Reges mulctari regno, atq; imperio Imperatores? Non Zacharias Pontifex Childericũ Gallorum Regem abdicare se coactũ, atq; religionem ingredi compulsum, propterea quod in iure reddendo negligentior erat, regni culmine deturbauit, inque illius locum Pipinum substituit? Non idem Põtifex Desiderium Longobardorũ Regem nouissimum, eundemq; ecclesiæ hostem regno priuauit? Non Stephanus secundus huius nominis Pontifex Constantinum, & Leonem oriẽtis imperio deiecit, propterea quod in ecclesiæ causa imploranti auxilium denegauit? Non Innocentius tertius Othonem quartum huius nominis Imperatorem imperio deturbauit, quod Fœdericũ Siciliæ Regẽ impotentius persequebatur? Non Inocentius quartus eundẽ Fœdericum vtraq; Sicilia & imperio mulctauit, propterea quod Apostolicis præceptis non obedierit? Longum esset alios complures ex summorum Pontificum catalogo depromptos memorare, qui ex causis etiam leuioribus Imperatores, Reges, Principes, ex sũmo rerum fastigio deiecerunt. Quid? non & in veteri testamento sacerdotes & prophetæ Reges impios, principesq; iniquos, regnorũ administratione aut mulctarunt, aut mulctandi causa fuerunt? Sic per Samuelem prophetam Saul Rex regno excidit, sic per Ioiadam

Pontificem Athalia Regina, Sic per Hieremiam Sedechias, sic per Heliam Achaz, sic per Danielem Nabuchodonosor, & Balthasasar Chaldæorum Reges, sic alii complures ex causa simili non solũ regno, sed & vita priuati sunt. Et dubitat quispiam omnem animam Deo esse subiectam, cui ipsomet testante data est omnis potestas in cælo & in terra? an de successoribus ambigitur, deq; potestate illis communicata? non est opinor quispiam ita demens, vt hoc dicat. Consulite igitur in medium ciues optimi, & quo in statu res vestræ sint, considerate. Rex meus tam armis, quam iure & causa potior est, ad vos non pertinet cum illo de iure certare, curam hanc in duos reiicite, arma deponere victori expedit, victo necesse est, cui semel vinctas manus dedistis, eidē & animos dedite. Noluit Ioannes vobis esse Rex, nolite & vos illi esse subditi. Nam quod de auxilio dicebat sibi à Gallorum Regē mittendo, cur non & hic vobiscum expectauit, & qui pro tali tantaque vrbe non perstitit, pro qua tandem se periculis exponeret? Et quoniam Principi meo est in animo se Britannis coniungere, & bene iuuante Deo communi bello arma in Aquitaniam transferre, atq;, vt vos in medio Hispaniæ regno tranquilla pace fruamini, Benearnenses, atque Transpyrenæos, Vascones armis debellare, nequid interea per ocium moliamini, exigit à vobis fidem publicam iurisq; iurandi sanctissimam religionem, vt quod vobis fœlix, faustum, fortunatumq; sit, iam non Galli, sed Hispani, non solum amore, sed etiam pietate deuincti teneamini: quod erit vobis non minus vtile, quam iucundũ, Regi certe nostro quam gratissimum. Ad hanc Albani orationem postulatum est, vt in diem perendinum responsum differretur, idq; supplicibus est concessum. Igitur primores populi communicata re cum ciuibus suis, redeunt ad diem constituum, referuntque in mandatis, placere omnibus in cõmuni se victoris legibus subiicere, atq; in illius verba iurare, se præstaturos omne obsequium quod subditi regibus debent, modo liceat illis infame vasallorum nomen effugere. Hispanorum namq; vulgus inter subditum & vasallum hoc distare putat, quod subditus antiquis & consuetis tantũ legibus moribusq; obsequitur, atq; iuris dicundi magistratibus paret: at vasallus quicquid domino suo libitum fuerit, sine vlla exceptione paratus est excipere. Ad has supplicum voces Albanus, Non æquum, inquit, postulatis viri Pompelonenses, qui victori modum imperandi præscribere vultis. Quod nisi extemplo abiurata pristini Regis vestri fide, in verba Hispani iuratis, vos illius fide permansuros, quandiu rerum vestrarum potietur, experiemini profecto, & quidē breui, quid victor armatus idemque iratus possit. At illi videntes tergiuersationi suæ nullum locum esse relictum, abiurato priori Rege, conceptis verbis iurant, se deinceps Hispanos atq; Hispanis Principibus dedititios fore, obtestantes ipsum Ducem, vt dictis promissisq; staret, id quod est à Rege postea confirmatum.

Quod pacata vrbe Dux Albanus Pyrenæum transilit, vt se Britannis agglomeret.

CAPVT VII.

DVx Albanorum cernens maiorem rei bene gerendæ vim in celeritate & occasione, quam in robore numeroq; militum consistere, cum præsertim ex vultu verbisque omnium alacritatem videret, statuit trans Pyrenæum bella transmittere vt totius negocii reliquias conficeret, seque deinceps Britannorum castris adiungeret, qui iam in Aquitaniæ finibus metabantur, vt omnium deinde consilio vterq; exercitus Aquitanicũ bellum administraret. Præmittit itaq; equitum tres turmas, peditum vero ad tria millia, quorum præfectis imperat, vt Pyrenæi angustias, qua per Runcatas valles iter in Gallias patet, occupent, sanctiq; Ioannis castellum cum arce ad montis radicem positum, quod iam inde ab initio belli nostris cesserat, validiori præsidio firment. Castellani namq; præsidiariis non penitus obtemperabant, quin potius cum Transpyrenæis obsidere moliebantur. Erant præterea Escuanorum, Runcetanorumq;, & Salazarensium valles, quæ aliquatenus culturam patiuntur, non satis pacatæ, ad quarum incolas, ne quid à tergo lateribusq; detrimenti inferrent, partem exercitus mitti iubet, qui non magno negocio rem confecit, & cum obsidibus in castra se receperunt. At in Garritanæ vallis incolas acrius sæuitum est, tum quod Hispaniæ iugum non facile patiebantur, tum etiam vt aliis exemplo essent, quãta illos pericula manerent. Quo terrore finitimi omnes perculsi pars in tutiores montium recessus fugerunt, pars victorum arbitrio paruere. Accessit quoque nostris castellum nomine mons Gelarus, opera & industria † Villalbani centurionum præfecti. Qui cum audisset Gallorum copias aduentare, paulatimq; Saluaterræ quod est oppidum † in dies increbescere, vt hostem longius submoueret, castellum expugnat, validissimoque tercentorum

torum militum præsidio, triumq; centurionum præfectura munit. Quo cum auxiliares Galli accessissent, facile à præsidiariis repulsi sunt. Erat in animo Hispanorum moderatori confecto bello Aquitanico Ioanni Regi omnia restituere, si ad meliorẽ sensum quandocunq; rediisset, qui cum Locronium venisset, vt futuri belli necessitatibus prospiceret, accepto nuncio de Zamorani præsulis præhensione, atque vi contra ius gentium illata, dignas tanto Principe concipit iras, totusq; in vltionem iuris religionisque violatæ insurgit. Atque imprimis concionibus crebris imperat publicari, declararique schismaticos, Ludouicum Gallorum Regem, illiusque impietatis adiutores fautoresque, ac nominatim Nauariorum Regem, qui iam non dissimulanter se hostem ecclesiæ profitebatur. Intelligensq; omnia iã ad arma spectare, bello prius hostibus indicto paulatim copias Albanorum Duci submittit, tum ex euocatorum numero, tum ex curialium euocatorumq; iuuentute, qui mira animi alacritate Gallorum vires experiri cupiebant. Igitur Albanus cum perspispiceret copias suas in dies augeri, relicto in vrbe castellisque præsidio, quantum esse opus intelligebat, exercitum Pyrenen versus mouet, primaq; castra die altero metatus est ad Burgetum, quo in loco fuerat olim pugna illa memorabilis, in qua sub Alphonso Hispanorum Rege cognomine Casto, cum Mauritanorum auxiliaribus copiis, duodecim illi Pares in toto orbe decantati cum Imperatore suo Carolo Magno profligati sunt. Vbi per aliquot dies immoratus, dum tormenta & machinæ per montium cliuos rupiumque anfractus præcipitiaq; trahuntur, dum commeatus & impedimenta vndique comportantur, dum ex militibus tardiores emansoresq; expectabat, tandem Pyrenæos saltus, atq; aquarum diuortia transgreditur, quo die ad sancti Ioannis castellum peruenit. Postridie eius diei de suo aduentu Britannos certiores facit, quas ducat copias, bellique apparatum exponit, omne Nauariæ regnum Hispanis cessisse, nihil restare peragendum, nisi quod ad Britannos ipsos pertineret. Hortatur illos, vt copias simul iungant, Aquitaniamq; inuadãt, Vaionamque imprimis, ne quid à tergo relinqueretur hostile. Erant in Britannorũ exercitu sagittatorum ad octo millia: manus robore atq; animo præstans. His accedebant ex auxiliaribus Germanis hastatorum sclopetariorumque sexcenti, qui si se Hispanis agglomerassent, atq; vno consilio rem gessissent, nemo dubitabat, non modo Vaionam breui tempore expugnari potuisse, sed victrices copias nihil prohibiturum, quin intra paucos dies in agro Burdegalensi metarentur. At Britanni mandatorum sui Regis immemores, cœperunt inter se tumultuari, atque in varias sententias abire. Alii nanque instantis hyemis inclementiam causabantur, in qua nihil memorabile agi poterat, aut quod futuro bello conduceret, alios redeundi in patriam amor rapiebat, alios futuri euentus belli solicitabat. Erant qui opinarentur, cohortium præfectus atq; exercitus duces à Gallo pecunia corruptos cessisse militum voluntati, alii suspicabantur ex incerta quadam causa à suo Rege clanculum reuocatos. Quare vno omniũ summatum atq; infimatum consensu respondent, temporis importunitati obsequendum esse, atq; in patria commodius hybernaturos, quam sub pellibus, & in tabernaculis, in solo alieno: pollicentur tamen se cum primo vere ad inchoatum bellum redituros. Datoq; responso naues conscendunt, seque in Britanniam recipiunt. Albanus vero audito Britannorum responso, statuit sancti Ioannis arcem castellumq; munire: montem vero Gelatum quia non facile præsidio teneri poterat, ne eo hostes aliquando potirentur, dirui soloq; æquari iubet. Post Britannorum nanq; discessum erat illi in animo, non tam alienos fines inuadere, quam Nauariæ regnum pacare, pacatumque tueri.

Quod Gallorum copiis Ioannes Rex auctus ad vrbis se obsidionem parat.

CAPVT VIII.

INTERIM Gallus accepto nuncio rerum quæ inter Hispanos Gallosque vltro citroq; gerebantur, quodque Britanni se in patriam recepissent, quod præterea Hispani illius copias longe à Nauariæ finibus submouerent, decernit maiori belli apparatu negocium facessere, turpe existimãs Regem qui sua causa regnum amiserat, in pristinum statum non reducere. Igitur præsidia quæ variis in Cisalpinæ Galliæ locis disposuerat, ad se vocat, ex Alpinis quoq;, Taurinis, Sueuis, atq; Germanis ad octo militum millia conducit, leuis armaturæ equites Epiroticos complures adiũgit, machinas vndecunq; potest comportari iubet, & quia Hispanus per præfectos rem gerebat, ipse quoq; summam belli Delphino commendat. Dephinum Galli Regem designatum appellant, quemadmodum Hispani Principem, hoc est, qui in demortui Regis locum successurus est. Addit & alios duces qui

Delphino obſequantur, Dom. Palizam, Dom. Borbonium, Dom. Dilautre, viros nobiliſſimos, & qui copias ingentes ductare conſueuerant. Quibus belli gerendi rationem in hunc modum præſcribit, vt ad certum diem omnes ad limites conueniant, ſeq; Ioanni Regi, copiiſque illius quas ex Benearnenſibus Vaſconibuſque contraxerat, ac præterea limitaneis qui regni fines tuebantur, aliiſque earumdem partium ſtudioſis adiungerent. Quibus in eundem locum ad conſtitutum diem coactis, viſum eſt ſummo duci debere imprimis exercitum luſtrari, cenſaq; ſunt grauis, & leuis, mediocriſq; armaturæ peditũ ad viginti millia, ſclopetariorum, haſtatorumq;, & ſagittariorum par numerus: ex equorũ præterea trãſuectione probatorum equitũ ad quatuor millia Gallorum cõſuetudine multiplicata. Tum copiæ ad hunc modum partitæ, Ioãni Regi, cui adhibitus eſt Dom. Paliza Comes, Germanorum duo millia, Vaſconum Benearnenſiumq; peditum quatuor millia, atq; equites mille decreti. Dom. Borbonio, atq; alteri Dom. Delautre decernuntur ex Benearnenſib. Vaſconibuſq; decem millia, quibus adduntur equites quadringẽti. Reliquas vero copias Delphinus ſibi retinuit. Rex igitur Ioannes per Runcetanorum valles copias ſibi creditas ducens, obiter caſtellum obſidet, cui præſidebat Valdeſius cohortis prætoriæ præfectus, cum peditibus qui nuper in caſtris ſeditionem fecerant. Oppugnatur caſtellum vehementer ea parte qua facilius captu videbatur, ſed nõ minori animo à præſidiariis propugnatur. Poſtridie vero eius diei maiori conatu, Germani præcipue, rem adoriuntur, & tripartito agmine muros inuadunt. Ibi Valdeſius quid alios facere oporteret demonſtrans, duabus tragulis perfoſſus occumbit. Ex cuius cæde negocio non magno caſtellum capitur. Seditioſi milites illi paſſim trucidantur præter paucos qui ſe in arcem receperant, quin & ipſi facta deditione armis ſpoliati euaſere. Ex alia vero parte Borbonius cum ſuo conſorte Bardulorum fines depopulantur, vicos ferro igniq; vaſtant, atque ſancti Sebaſtiani oppidanis & finitimis tantum terroris incutiunt, vt ſatis habuerint ſe defendere, nedum Hiſpano exercitui ſuppetias ferre. At Delphinus Ioannem regem per literas monet, vt quando ſemel illi bene ceſſit, Pompelonem recta copias ducat, ſe Albanorum Ducem, quocunq; ſe receperit, obſeruaturum, curaturumq; ne ſuis laborantibus auxilio eſſe poſſit, ipſe vrbẽ obſidione premat, experiaturque an in ſuis quondam ciuibus priſtinus amor obſeruantiaq; reſideat. At ille metatus eſt caſtra duodecim prope millibus paſſuum ab vrbe, ibiq; biduo moratus expectabat, ecquid ciues Pompelonenſes cauſa ſua molirentur. Quod ſi è veſtigio vrbem propius copias admouiſſet, quia non ſatis firmo erat pręſidio munita, potuiſſet, & ſuis ad res nouas moliendas animum addere, & non magno labore hoſtem ex toto regno fugare, cum præſertim ſtatim ad ſuum aduentum, Stella, Olitum, Taphalia, ſigna pro eo ſuſtuliſſent.

Quod Dux Albanorum ex Tranſpyrenæis montibus Pompelonem ſe recepit.

CAPVT IX.

SED interim Antonius Fonſeca alter ex duob. maximis quæſtoribus, vir domi militiæq; peritus, & qui in re bellica fortunam ſemper habuit obſequentem, cohortibus aliquot Hiſpani Regis iuſſu comparatis, per noctis ſilentium mira celeritate ſuperuenit, oppidaque iam abalienata nobis reſtituit, atq; obſidib. acceptis præſidio firmauit: ipſe vero cũ reliqua cohortium parte ſe in vrbẽ recepit. Sed neq; Stellates diu in fide permanſere. nam & præſidio excluſo ad Ioannem deſciuerũt, & acclamationibus crebris perfidiã ſuam teſtati ſunt. Neq; violati iuris pœna fuerũt immunes. Frãciſcus namq; Beamõtanus Nauariẽſis Comeſtabilis frater collecta indigenarũ manu de repente ſuperuenit, portã occupat, oppidumq; ferro, igni, & direptione vaſtandũ exponit, defectionis autores partim gladio cædũtur, partim ſe in arcẽ recipiunt, quam ille obſidione, quã poteſt arctiſſime, cingit, mœniaq; firmiori quam poteſt præſidio munit. Albanus præterea cum videret Gallorũ copias in dies augeri, ſuas vero quotidie imminui, ſtatuit non decernere cũ hoſtibus æquo Marte, ſigniſq; collatis, ſed aut ex occaſione, aut ex loco ſuperiori. Itaq; relicto præſidio in ſancti Ioãnis caſtello, quod ſolũ Tranſpyrenæum à nobis ſtabat (nam mons Gelatus, ne hoſtes eo potirentur, iam in flãmas cinereſq; abierat) ſtatuit iugo montis ſuperato Pompelonẽ totius regni columen ſe recipere, vt benèque tutari, in qua vna re totius belli ſumma victoriaque vertebatur. Quod ſentiens Delphinus Ioannẽ Regem monet, vt Hiſpanorũ ſummo Duci, quem erat credibile per Runcatanas valles profecturũ, ſe à fronte opponeret, ſeq; à tergo perſecuturum hoſtem pollicetur, vt ancipiti diſcrimine circumuallatus, & dubius quo ſe potiſſimum verteret, cum ſpoliis victoriam hoſtibus cedat. At ille tametſi inſtans periculum intelligebat, diſſimulat tamen, ac ſpem vultu ſimulans, nullumque timorem præ ſe ferens, cum magno tubarum, muſicorumque inſtrumentorum, & bellicarum machinarum ſtrepitu, ſub meri-

dem

diem castra mouet, ac primo noctis conticinio ad Burgetum considet, postridie vero duodecim millibus passuum confectis, altera metatur castra ad locum quem incolæ Risonam appellant. Vbi ab exploratoribus factus est certior ab eo loco duobus tantum millibus passuum Regem cum Dom. Paliza distare, esseque illis in animo à tertia noctis vigilia copias mouere, atque montium portas occupare, qua patet descensus ad agrum Pompelonēsem. At vero Albanus intelligens periculum instans, eoque se necessitatis deuenisse, vt alieno tempore atque ex inferiori loco esset illi cum hoste maioribus copiis aucto decernendum, cum præsertim Delphinum à tergo instaturū putaret, à secunda noctis vigilia magno cum silentio castra mouet. Et ne abeuntes hostis persentisceret, recta via prætorias per montium diuerticula, perque anfractus condensaque syluarum, copias ducit, donec superatis Pyrenæi iugis in loca plana descenderunt. Fonseca interim factus certior earum rerū quæ in vtrisque castris gerebantur, simulat se per noctem velle eruptionem facere, atque Ioannis Regis castra de improuiso inuadere. Hortatur secreto fortissimum quenque, vt se ad tam præclarum facinus paret, sic tamen, vt simulatio ad hostes per exploratores perueniat, qui rem quasi veram Regi nunciant. At ille superuentus hostium nocturnos reformidans, vigiles, circitores, excubitoresque maiori cum diligentia disponit, atque in statione omnes manere iubet. existimabat nanque vrbanas atque castrenses hostium copias ex composito castra sua inuasuras. Atque ita delusus de intercludendis hostibus portisque occupandis oblitus est, tandem sensit dolos, cum intellexit Albanum Ducem copiasque Hispanorum reduces se in vrbem recepisse. Sub idem tempus Hispaniarum moderator, regii ministerii præfectum, quem postea Marchionem Comariensem creauit, cum cohortibus mittit, qui stellatis arcis obsidionem premeret, atque diu noctuque oppugnaret, quoad in deditionem veniret. Intelligebat nanque magnum in eo belli momentum versari, si antea quam Ioannes posset obsidionem soluere, in potestatem Hispanorum arx venisset. At præfectus rem non somniculose gerens, tormentis, machinis, crebrisq; armatorum oppugnationibus, eo angustiarum arcis præsidem deduxit, vt coactus sit pacisci, nisi intra paucos dies à Rege suo obsidione liberaretur, se arcem cum suis omnibus munimētis traditurum. Ex pacto igitur arx tradita magnam nostris spem, maiorem hostibus desperationem attulit.

ÆLII ANTONII NEBRISSENSIS DE BELLO NAVARIENSI LIBER POSTERIOR.

Quod Rex Ioannes spe sua fraudatus maiores copias contrahit.

CAPVT I.

IOANNES Rex cum videret omnes suos conatus multo aliter cessisse quam putarat, non tam fortunam suam quam negligentiam propriam incusans, missis à Delphino duobus alteris Germanorum millibus, ad vrbis se oppugnationem parat, copiasque suas vrbi primum ostentans, vt ciuibus animum adderet res nouas moliendi, non longe ab vrbe castra disponit, interque metandum nostri voluerant castra turbare, pugnaque tumultuaria quid hostes auderent experiri, nisi dux tuēdis potius mœnibus, quam extra muros pugnandi tempus illud esse admonuisset. Partitur itaque milites per stationes, certisque in locis præsidia disponit, quibus fortissimum quemque ex proceribus præficit. Lumina per compita domorumque omnes fenestras accendi iubet. Ex factione Agramontanorum quos putabat suspectos, vrbe pellit, vtque hostium fidē exploraret, sub medium noctis silentium, subornat tumultus simulati conscios, qui ad arma vocent, qui hostes iam murorum culmina prensare dicant, atque tota castra in vrbis oppugnationem ruere: iubet itaque signa moueri, tubas & cornua bellicum canere. Accurrit quisq; ad stationem sibi destinatam, ibi oppidani quem animum apud res Hispanas haberent, facile ostenderunt, fideique suæ argumentum ingens dederunt, quod armati Hispaniam identidem inclamitantes, quid sibi faciendum esset à Duce flagitabant, nec ab armorum concussione cessatum est, quoad tumultus simulatio est detecta. Postero die Ioannes Rex è castris copiarum partem educit, ex vrbe præterea strenuissimus quisq; eruptionem facit, ex quo non potuit effici, quin animosi iuuenes cum paris animi iuuenibus congrede-

rentur. Ibi Salmator quidam ex nostris, Gallum equitem cataphractum, qui aliis duobus altero equite, & altero pedite comitatus, sese in armis ostendebat, solus inuadit, hastaque in sinistrum humerum impacta, illum equo deturbat. Ibi Pinnalosa ex cohorte prætoria eques nobilissimus, vnum ex equitibus Epirotarum aggressus, cum se ille ad alios gentis suæ decem recepisset, illo omisso alium ex eodem numero, qui procerior videbatur, hasta medium transfixit, cumque instarent cæteri, vt pudorem suum & commilitonis cædem vlciscerentur, noster ex illorum medio elapsus paulatim se ad suos incolumē recepit. Die insequenti Ioannes iterum cohortes per vrbis suburbana explicat, spectans an per seditionem factionis suæ ciues aliquid noui molirentur. neq; enim adduci poterat, vt existimaret ciues suos in tam præsenti auxilio quieturos. Erat inter amicos regios ex Vasconibus vir nobilis, idemq; auratus eques, qui genere, diuitiis, animiq; ac corporis robore præstantior aliis videbatur, sed vt in eiusmodi fortuna plærunque contingit, superbus, arrogans, iracundus, atq; animi præceps facilius cedit, Baronem Alimacum cognomine appellabant. Cumq; Regis præsentia suos in pugnam accenderet, nostriq; impetum multitudinis non sustinentes, sub vrbis mœnia, vallum, munitionesque se reciperent, puduit Vasconem digna modo atque indigna locutum, non aliquid egregium de se præstare. Isque alios qui à tergo sequerentur hortatus, equo calcaribus incitato, in medios hostes haud dubium periturus incurrit. Vbi à duobus peditibus excipitur, equoque deturbatus facta deditione tentauit se tribus aureorum millibus redimere. At pedites vindictæ magis quā aureorum cupidi, superbum illum atque arrogantem, & adhuc plura miserabiliter pollicentem trucidarunt. Sunt qui dicant Nauariensis Comestabilis iussu propter antiquas cum illo simultates occisum. Huius cæde alii deterriti paulatim pugna excessere, seque iam non patriæ assertores & vindices, sed hostes professi agros populantur, vicos diripiunt, omnia profana sacraque miscent.

De suburbani agri à Gallis facta vastatione, & de prima vrbis oppugnatione.

CAPVT II.

ERANT in suburbano agro sacrarū virginū templa duo, alterum Encratis martyris, alterum diuæ Claræ nomini dedicatum. In hoc potissimum Barbarorū impetus apparuit. Alii namque sponsarum Christi stupro incumbunt, alii cellarum penetralia rimantur, alii stricto ense necem æedituis virginibus minantur, nisi auri argentique defossa vasa indicent, alii frangunt, diruunt, resupinant quicquid illis fit obuium. Sed illud sacrilegium non est silentio prætereundum, quod à trecētorum Germanorum præfecto commissum est. Neque enim contentus sanctuaria profanasse, adyti fores effringit, argentuum sacratissimi corporis Christi conditorium rapit, atq; irreuerenter hostiam illam viuam Deoque placentē in medio altari sistit. Cumque ab æditua templi increparetur, quod tā inhoneste corpus Domini Deique nostri attrectaret, Hic, inquit, non Germanorum, sed Hispanorum Deus est. Sed piaculi huius vindictam iustum Dei iudicium in aliud tempus distulit, illud tamē non dissimulauit, quod ab altero Germano commissum est, qui cum sacrarii alterius fores effregisset, hostiamque quasi profanum cibum deuorasset, conditorium ipsum auro argentoq; adfabre cælatū, in priuatos vsus conuertisset, non multo post distento paulatim ventre medius crepuit, communicata scilicet cum illo proditoris Iudæ pœna, quandoquidē in mūdi Saluatorem par fuit vtriusque sacrilegium. Sed quid in hominibus obscuris, & sine nomine immoramur? audi facinus indignum clarissimi viri, qui erat filius nothus domini Labritēsis, idemq; Ioannis Regis frater. Is quasi rem diuinam auditurus venit in templū, peractoq; sacrificio accedit ad sacerdotem, sacerdotalibusq; vestibus illum spoliat, vasa sacra quibus sanguis corpusq; dominicum ministratur, diripit profanatq;. Meminerat, opinor, verbi domini quod in Exodo præceperat: Non apparebis, inquit, in conspectu meo vacuus. At hic qui ad rem sacram inanis venerat, dum vacua pudet redire manu, vasa sacra, vestesq; sacerdotales, quasi spolia ex hostibus refert. Hæc omnia in conspectu atque ante oculos ipsius Regis fiebant, qui tamen, siue volens, siue inuitus, dissimulabat. Cumque videret tempus tantum direptionibus dari, tentauit iterum vrbem oppugnare, atque iterū experiri ciuium suorum fidem, expectans an in tali tempore aliquid pro se auderent. At illi siue præsidii metu quod suis capitibus imminebat, siue quod fortunam victoris secuti iam non dissimulanter, sed ex animo à Gallis ad Hispanos desciuerant, à fide his data non discessere. Repulsus igitur inde non sine magna suorum strage, non ad priora castra, sed ad alia quæ longius ab vrbe aberant, se recepit. Vbi per aliquot dies immoratus fortunam suam lamentabatur. videbat namque milites auxiliares, tum etiam suos, nō tam vrbis capiendæ, quam prædæ cupidos

pidos diem ex die protrahere,magis tamen angebat rei pecuniariæ atq; proinde commeatus difficultas,ſed imprimis quod hyems impendebat, in qua ſi ſemel exercitus diſſolueretur,non facile poſtea cogeretur. Statuit itaque ſemel de ſumma regni decernere, vrbemq; totis Gallorum Germanorumq; viribus oppugnare. Quam ob cauſam alteras à Delphino copias machinaſq; oppugnatorias implorat,ipſe interim ſcalas,ligneas turres,pluteos,arietes,teſtudines,vineaſque parat,totuſq; in futuræ oppugnationis imagine verſatur. At dominus Paliza qui conſtantiam Hiſpanorum optime nouerat, quippe qui ex Neapolitano bello bis erat expertus Hiſpanorum robur animiq; vigorem,ſuadet Regi,ne adoriatur negocium, quod efficere non poſſit, etiamſi omnis Gallorum ſudor in eo vno opere diffundatur: quod ſi aliter ille eſſet animatus, ſe tamen habiturum eſſe rationem militum qui ſuæ curæ demandati eſſent,neque permiſſurum,etiamſi cupiant,vires ſuas in caſſum effundere. His ducum altercationibus vltro citroque agitatis, conuenit inter eos,vt Rex cum ditionis ſuæ militibus,hoc eſt,Benearnenſibus, Labritenſibus,Phoxenſibus,Tranſpyrenæiſq; Vaſconibus primas partes occupet,ſe autem cum Gallis Germaniſq; ſubſidio futurum,ſiue obſeſſis animus ſuperſit facta eruptione in hoſtes ingruere,ſiue, quod erat credibile, Hiſpanus moderator ſuppetias obſidione laborantibus ſuis mitteret.

De apparatu partis vtriuſque ad diei inſequentis oppugnationem propugnationemque.

CAPVT III.

FAMES interea non minus obſeſſores quàm obſeſſos vrgebat, atque vtroſque præcipitabat negocium omne in compendium mittere, obſeſſos, vt ſe ex obſidionis expedirent anguſtia, obſeſſores, vt capta vrbe ſpoliis onuſti ſe in patriam aut in hyberna reciperēt. Rex itaque alteris Germanorum copiis à Delphino auctus, atque tormentis machiniſque munitus,vrbis oppugnationem parat, totuſque in hanc vnam cogitationem fertur, non tam vt recuperata ciuitate potiretur,quam vt animus ex ciuium ſuorum ſanguine ſatiaretur. Agricolas, paſtoreſque, & omnem ruſticam iuuentutem in ciuium perniciem natura propenſam conuocat, illiſque vrbis direptionem proponit. Quod oppidani formidantes ducem obteſtabantur, ne exponeret illos irato Regi trucidandos, neve vxores liberoſque rapi, bonaque diſtrahi ſineret. Quare illius genibus obuoluti ſupplicabant Hiſpanum Regem faceret certiorem, quo in ſtatu res Pompelonenſium eſſet, mitteretque quamprimum ſuppetias quæ ſufficerent hoſtem ex Hiſpaniarum finibus propulſare, hoc ad illius fidem pertinere, quando ſemel ſe in illius poteſtatem patrociniumque dedidere. Ad hoc Albanus, Ego, inquit, ô amici, ſi fidem veſtram exploratam haberem, ſupereſt mihi animus præſentibus copiis vrbem hanc, vtcunque munitam, non ſolum defendere, ſed etiam in medio campo cum hoſtibus ſignis collatis decernere. Nunc vero ſatis habeo propugnare, quod illi totis viribus oppugnare contendunt. Sed vos interim bono animo eſte, quieſcite, atque defenſores veſtros pro vobis mœnibuſque veſtris decertātes ſpectate. Hoc Ducis ſermone ciues confirmati, nihilominus tamen ad Hiſpanum Regem literas dant, hoſtium vires & quid ab eis timeant, exponunt, vt fortunarum ſuarum miſereatur, orant obſecrantque. Igitur Hiſpanus ne rem fortunæ beneficio relinquat, exercitum ex Cantabris, Bardulis, Aſturibus, lociſque finitimis cogit, alios qui longius aberant euocari iubet, aut vt in armorum procinctu ſint, hortatur. Præſentibus copiis Tricienſium Ducem præficit, atque ſuperuenientibus, vt ſe illi agglomerent ad certum diem locumq;, imperat, Ducem, vt quamprimum laborantibus opem ferat, hortatur. Qui quam celerrime poteſt, ad Reginæ pontem, quem locum miniſterii regii præfectus præſidio tenebat, recta proficiſcitur. Dumque auxiliares copias expectat, nuncios Albano Duci mittit, qui dicant ſe miſſum à Rege cum exercitu, laturum ſuppetias illi pro vtriuſque arbitrio, proinde faceret ſe certiorem de belli gerendi ratione, modo, loco, & tempore. Adhæc Albanus reſcribit, vt coacto exercitu in eodem loco reſideret, ſe illi ſignificaturum tempus, quādo illius ſubſidio foret opus. Eſſe vero è rep. Hiſpana expectare, quid interea hoſtes molirētur. Neq; enim dubitabat prope diē oppugnaturos vrbē, ſed nihil inde periculi impēdere: ea ſibi erat fiducia ex militū ſuorum alacritate. Cumq; iam oppugnationis dies cōſtituta inſtaret, cōperit ex trāsfugis & exploratoribus, qua ex parte hoſtes vrbē inuaſuri eſſent. Ea erat ſtatio Antonio Fonſecæ quæſtori maximo decreta, propterea q; murus è vetuſtate putris, atq; proinde ruinoſus erat, neq; in tam præcipiti neceſſitate à quouis alio facile muniri poſſet, cum propter nimias illius opes, amicos, & clientes, tum etiam propter ſingularem quandam viri ſolertiam ex rebus bellicis comparatam, in quibus iam inde ab ineunte adoleſcentia non ſolum

interfuit, verum etiam præfuit quam ſæpiſſime. Is itaque partem muri quæ ab æde diui Iacobi protenditur ad portam qua itur ad diui Franciſci templum, aggere, foſſa, valloq; muniri iubet, atque paris longitudinis latitudiniſq; decem pedum alterum murum opere tumultuario intra mœnia ducit, quem ex terra pauita trabibuſq; contexta, beronibuſque harena oppletis, & culcitris præmunit. Hunc imitatus Petrus Lupides Patellanus, in ſtatione ſua munitionem alteram erigit inter flumen vrbiſq; muros, complexus molam quæ faceret vrbis propugnacula firmiora. Alii præterea partem muri ſibi deſignatam fulciunt, erigunt, inſtaurant, propugnaculiſque prætexunt. Igitur Rex coacto exercitu, infeſtiſque ſignis ad vrbem recta proficiſcitur, & quam proxime poteſt caſtra metari iubet. Poſtero deinde die qui fuit feſtus, diuæ Catharinæ nomine relatus in faſtos, cũ prima luce machinæ ſulphurariæ, non contra quæſtoris maximi ſtationẽ, vt putabatur, ſed é regione ad murum qui Oſormini Comitis filio Garſiæ Manrico fuerat demandatus, viſæ ſunt. Neque toto eo die ceſſatum eſt à torquendis ſaxeis orbibus, quoad bona muri pars cum ſuis munitionibus ſolo æquaretur. Sed pro muro putri, beronibuſque caducis, firmiſſima armatorum acies ſucceſſit. Nam cum commendatarius maximus pro muris ſe hoſtibus oſtendiſſet, puduit aulicos iuuenes non protegere virum, qui maiori negocio reſeruãdus erat. Sed illos ſuperueniens dux, è loco tam periculoſo iuſſit ſecedere, atq; hoſtem potius inter muri ruinas expectare monuit, quam ſe tormentorum ictibus imprudenter obiectare. Sed nox ſuperueniens certamen in aliud tempus diſtulit, requieſq; data eſt, non tam ſomno, quam reficiendis muris, munitionibuſque reponendis.

De ſecunda oppugnatione vrbis à Gallis facta, & è diuerſo de Hiſpanorum propugnatione.

CAPVT IV.

DIE inſequenti omne tempus in quatiendis mœnibus contritum eſt, non tanto impetu quanto ſuperiori. Nox deinde quæ præceſſit oppugnationis diem, barbaro more, tota conuiuiis, compotationibuſq;, ludis, iociſque, & iubilis, cantilenis; & clamoribus acta eſt, certatim omnes ad Regis prætoria concurrunt, & viciſſim Dom. Paliza tabernacula frequentat. Alii primos ſibi ſcalarum aſcenſus depoſcunt, alii ſe ſigna poſituros inter murorum ruinas pollicentur, alii ex Hiſpanorum manibus arma detracturos, alii denique niſi, confecto negocio in caſtra non relaturos pedem. At Rex è diuerſo iis qui primum ſigna in vrbem retuliſſent, millenos aureos ſpondet, qui primi, qui ſecundi, qui deinceps manibus ruinarum ſumma prenſaſſent, gradatim præmia proponit. Dom. Paliza barbam permulcẽs manu, At ego, inquit, prædico vobis ô milites, neminem veſtrum ad nos rediturum, ſi promiſſa tentatis efficere. Cum primum illuxit, præconis voce omnes ad arma citantur, ſeq;, vt oppugnationi parent, edicto monentur. Quæ vox cum primum in vrbe audita eſt, omnis ætas, omnis ſexus ad pomœria munitioneſque concurrunt. Neque enim armati ſolũ ſtationes ſibi decretas & deſignata ſubſidia occupant, ſed & ſenes emeriti ac pueri imbelles contos & ſudes conuehunt, atque pro viribus ſuis quiſque ſaxa trabeſque comportãt. Mulierculæ ollas, ahenaque caldaria, feruenti oleo, reſina, pice, ac ex lixiuio cinere plena parant, quæ propugnaturi in muros ſubeuntiũ capita fundant. Atqui Dux Albanus murum qui partim dirutus, partim conquaſſatus erat, ne qua pars ductoris præſentia teſtimonioq; orbaretur, tripartito diuidit, vnam Antonio Fonſecæ quæſtori maximo, alteram Ferdinando à Vega diui Iacobi commendatario maximo commendat, tertiã ipſe ſibi retinuit. Cumque ſtrenuiſſimus quiſque primas inſtantis periculi partes ſibi depoſceret, ne præſcriptus ordo turbaretur, iubet ſuum quemque locum, ſibi iam inde à principio conſignatum tenere, deinde tria diſponit ſubſidia quæ viciſſim laborantibus à prima fronte ſuccedãt. Prętoriam vero cohortem in medio collocat, quæ in vtramque partem proſpiciat, à fronte ſi quo in loco eſſet opus ſubſidio, & oppidani aliquid à tergo molirentur. Quibus rebus ita ordinatis dum hoſtis incurſum omnes expectant, vt forti, magnoque, & præſenti animo eſſent, hortatur. Aliis Hiſpanorum victorias de Gallis habitas narrat, quas nuper in Italia, quas annis ſuperioribus in Bardulorum finibus ad Fõtem Rabidum, & ad Salſulas in Gallia Narbonenſi obtinuerãt. Repetebat aliis Alfonſo Rege cognomine Caſto, Carolũ Magnũ cum ſuis duodecim Paribus in eo ipſo loco fuſos, fugatos, profligatoſque. Admonebat præterea, ne terrerent eos Germanorum vaſta corporis moles vultuſque truculenti, meminiſſentque potius, quod hiſtorici de illis produnt, habere cognationem quandam & ſimilitudinem cum ſuis niuibus, quæ frigore rigentes calore reſoluuntur, & quemadmodum primi eorum impetus maiores eſſent quam virorum, ita & ſequentes, poſteaquam caluerint,

rint, esse minores quam fœminarum. Dum hæc intra muros geruntur, Ioannes Rex copias suas explicat, atq; ex amicis, familiaribusq;, & palatinis purpuratis tercentum deligit, quibus ex Gallorum primoribus in Regis gratiam complures annumerat. Hi sequebantur purpureum signum quibusdam aureis baltheis variegatum. Hos obseruabant ex Transpyrenæis Vasconibusq; sagittatores, sclopetariiq;, & velites ad octo peditum millia, post quos Germanorum sex millia procedebant. Extremas exercitus partes cum tribus cataphractorum millibus Dominus Paliza tuebatur, ne quid à tergo auxilia nostra molirentur, oppugnatorumq; ordinem interturbarent. Ad vtrumq; armatorum latus, Benearnensium Labritensium, Phoxensiumq;, & gregariorum hominum multitudo erat, quæ scalas, arietes, testudines, aliaq; oppugnatoria instrumenta comportabat. Cumq; bona diei pars iam esset peracta, armatiq; omnes in procinctu essent, machinarii simul tormenta in partem muri librant, quæ in hoc fuerat reseruata, vt cũ ictibus cõcussa rueret, nudata vrbe hostes irrumperent. Ea cum ingenti fragore subito cecidisset, tercentum illi qui se Regis obsequio deuouerant antesignanum suum secuti fossam euadunt, munitionesq; subeunt, & ruinarum fastigia manu presant, pila, hastasq; ferro acuto præfixas, contos, bipennesque secures in hostium ora prætendunt. Hos Germanorum quoq; altera cohors sequitur, non tam propositi à Rege præmii spe ducta, quam gloria inferendi signa sua in vrbem. At contra Hispani arma armis, signa signis obuia conferunt, ferri aciem acie retundunt, manus manibus, brachia brachiis, pectora pectoribus impellunt. Nec vllum interea cessat telorum genus, non scorpionum sagittæ, non fustibulorum, fundarumq; lapides, non sclopetarum glandes plumbeæ, non machinarum saxei orbes contorti. Erat stans in præcipiti turris propugnaculum, quod tormentorum ictibus concussum repente corruit. Huius fragmenta multos ex nostris obruunt, sed Commendatarium maximum imprimis, Villalbanumq; Chiliarchum, quorum insignis opera huius diei fuit. Similis ruina oppressit Petrum Manricum, cui semianimi ex pugna subtracto Ioannes Ramirus Cisterciensis ordinis à Galatraua eques religiosus successit. Neque quæstoris maximi sudor latere potuit, qui nunc militis, nunc ductoris, nunc hortatoris officio functus, suam atq; aliorum stationes lustrans, voce manu, & autoritate multa simul faciebat, frequentius tamen requirens partem muri sibi creditam, in qua ingens erat fenestra, quæ vrbis penetralia hostibus denudabat. Eam igitur quia faciliores aditus ostendere videbatur, summis viribus oppugnant, sed non minoribus à nostris propugnatur. Cumq; neutri alteris cedere statuissent, edebatur interim magna vtrinque cædes. Neque iam nostri pro mœnibus, atq; superiori ex loco rem gerebant, sed intercepto muro quasi in medio posuit Deus omnia campo, daturus tandem victoriam causæ meliori. Tum Galli cernentes se nihil proficere, atque plura vulnera accipere quam inferre, paulatim pugna excedunt, atque in tabernacula pedem referunt humeris portantes duo de viginti insignium virorum cadauera relictis in media fossa duobus signis, quique illa obstinate pertinaciterque tuebantur numero prope cẽtum immortui hærentes, atque illa cõplexi. Interea Rex accitis notariis dictabat epistolas quas ad Reginam, ad finitimos principes, ad amicos tabellariis daret, quibus faceret illos certiores rerũ omnium quæ ad Pompelonem gerebantur, neq; restabat quicquã apponendum, nisi qua die, quotaque hora fuisset vrbs capta. Sed cum vidisset omnes negocio infecto se in castra recipere, alios fessos diloricatis armis, alios vulneratos, alios timore, aut morte futura pallidos, audissetque sua causa tot amicos, familiaresque cæsos, flens, eiulansque, pectusque plangens, Agnosco, inquit, fortunam meam, eoque miseriarum me adductum, vt nulla possit me fortuna facere fœlicem.

De Germanorum pollicitatione Regi facta, & de duobus Germanis qui minabundi ad Ducem venere.

CAPVT V.

REGEM sic afflictum affectumq; Germanorum primores conueniunt, bono animo esse, deque suo regno bene sperare iubent, pollicentur se die postero negociũ suscepturos, effecturosque quod aliorum ignauia non esset factum, ac tradituros se per manus vrbem cum suis ciuibus, vt se de illorum sanguine ad satietatem vsque vlcisceretur. His pollicitationibus recreatus refectusque Rex, illis gratias agit, illorum fidei fortitudinique se atque fortunas suas commendat. Re omni perdita, & complorata, quicquid acquisierit in illorum potestate futurum pollicetur. Igitur Albanus, cum cerneret hostes intermissa pugna secedere, quasi victor, vtq; suos animaret, alienisq; terrorem incuteret, iubet tympana cum cymbalis tintinnabulisque pulsari, tubas, cornuaque, ingensque classicum edere, &

quasi

quasi victos ac fugientes clamoribus prosequi. Sed anteaquam in prætorium se ille reciperet, murorum interrupta minasque inuisit, ac refici instaurarique iubet, fossas & pomœria eruderari, mœnia quoque eo diligentius adseruari, quo propius hostes essent, atque male gestæ rei pudore magis iratos. Vulneratos deinde consolatur, fortes laudat, atque omnes comiter benigneque affatur. Die insequenti, qui fuit Christo à mortuis resurgenti dicatus, Hispani pro mœnibus in procinctu armati stetere, expectâtes Germanos acrius quam in hesterna oppugnatione incessuros. Sed cum ad multam diem omnia in castris quieta vidissent, in alias curas animum conuertere. Alii muni tiones reficere, alii arma infibulare, præpilare hastas, spicula producere. Pars iuuenum quæ pugnandi erat auidior, portis erumpit, pugnasque tumultuarias conserit. Erant inter eos ex Hispani Regis amicis & familiaribus, Ioannes Albion ex Tarraconẽsi prouincia eques auratus, qui sclopetariæ glandis ictu perfossus subito corruit, magnumq; moriens amicis quos habebat quamplurimos, desiderium sui reliquit. Primis deinde tenebris ecce duo ex Germanorum primoribus, tibicine mil tari præuio, ad Nauariensis Comestabilis stationem recta tendunt, velle se cum duce commentari nonnihil dicunt, quod in rem communem exercitus vtriusq; foret. Albanus quamquam statuerat nullam conditionem audire quæ ab hostibus offerretur, iubet tamen illos admitti atque dicendi quid sibi velint facultatem dat. Tunc alter illorum qui procacior videbatur, huiusmodi sermonem habuit. Credo ego, clarissime Dux, Germanorum mores, ex quorum numero nos sumus, dignationi tuæ notos esse, qui tametsi non sibi, sed illis militent, à quibus sint mercede conducti, non tamen fide minori ac diligentia bella gerant, quam si aut de imperio, aut de suo capite res ageretur. Venimus huc ad octo armatorum millia virorum conducti à Rege Gallorum in auxilium Nauariæ Regis. Quem maioribus Regis vestri viribus regno pulsum, viribus quoque restitui vult Gallorum Rex, cuius causa regnum amiserat. Quod vero antehac multa sunt facta quæ Regis vestri maiestatem offendunt, id nobis displicet, sed non aliter fieri potuit, quam factum est. Nunc vero cum res in eo sit articulo, vt Hispanorum audacia cum suo duce pœnas suæ peruicaciæ mox sit luitura, venimus rogatum atque admonitũ, ne velitis experiri extrema illa quæ victi à victoribus armatis iratisque perpeti consueuerunt. Nam quid spei reliquum est Hispanis numero paucis, fame confectis, muro, fossa, valloque nudatis, omnique auxilio destitutis, contra Germanorum tot phalanges armis instructas, corpore vegetas, atque in hoc deuotas, vt aut rem inchoatam efficiant, aut obstinate mortem oppetant? Suscepimus vero legationis hoc munus non cuiusquam iussu, sed sponte nostra, vt animum nostrum vobis declaremus, & quod nos in simili fortuna positi faceremus. Quid illud esset quispiam diceret: nimirum cederemus tempori, atque victori herbam porrigentes veniam peteremus. Quo in statu res vestræ sint, videtis, quæ vos pericula maneant, circumspicitis. Vna salutis spes reliqua est vobis, si vos sine vlla conditione victoris arbitrio dedideritis. Mites atque benigni sunt duces nostri, ex fortuna sua metientur vestram, omne ius belli vobis remittent, atque incolumes abire sinent, armis tantum aliisque ornamentis spoliatos, quæ vobis etiam (ea est illorum mansuetudo) forte condonassent, nisi in prædam manubiasq; Germanorum iampridem fuissent ab ipso Rege designata.

De Ducis responso Germanis dato, & de obsidione relinquenda Gallorum consilium.

Capvt VI.

Atqvi Dux noster, tametsi erat natura placidus, atque ineptiarum huiusmodi contemptor ac derisor potius, subiratus tamen his Germani verbis, Vana, inquit, spes vos, ô Germani, tenet, qui ex animo vestro putatis Hispanos, nisi cibo potuque ad satietatem vsque refectos, languidius arma tractare. Nesciebatis Hispanos in fame similes esse lupis, quos improba ventris exegit cæcos rabies, per ignes, per tela, per hostes, cibũ, si desit, quærere? Quod si numero pauciores, fameque debilitatos, atque hostium cæde fessos, interceptisque muris nudatos nos putabatis, cur cessastis hodie occasionem arripere, sociisque vestris cæsis, fusis, fugatisque opem ferre, atque in oppugnationem inchoatam succedere? cum præsertim bona diei pars superesset, in qua possetis auaritiæ vestræ cupiditatem explere. Quod si feriata vobis hæc dies fuit, crastina experiri potestis, an Hispanos vires defecerint, idque vt faciatis rogo vos, sitisque primi, in quos, quicquid virium nobis restat, effundamus. Hi nanque commilitones mei dedignantur iam ignauos hostes sibi dari, neque præberi materiam, vnde possint egregium aliquod facinus edere. In hæc verba illos dimisit, interminatus ne posthac, aut illi, aut alius quisquam huiusmodi nugas ad se perfe-

se perferant, sed aut veniant armati perfidiæ suæ pœnas luituri, aut victi supplicesque à victoribus veniam petentes. Nam quod egregius Poeta de populo Rom. scriptum reliquit, Hispani possunt sibi iustius vsurpare:

Parcere subiectis, & debellare superbos.

Hoc responso ducis tristes, ac demisso animo Germani in castra redeunt, Hispanorumq; alacritatem vigoremque animi sociis exponunt. Fames interea magna, magisque indies extra intraque muros crescere, vtrosque cogebat armis decertare, atque finem bello imponere, sed Regem acrius vrgebat, quem non modo commeatus & pecuniæ deficiebant, quod hyemis impotentia instabat, verum etiam quod ingentes copiæ ab Hispano Rege mittebantur, quæ suppetias Albano duci ferrent: quæ si semel intra vrbem reciperentur, omnis spes sua in ventos esset abitura. Supplex itaque Germanos rogat, vt stent promissis, fidem seruent, nihil spei sibi iam esse relictum nisi in illorum fortitudine, hostium spolia ciuiumq; bona illorum potestati tradit, protestatur nihil sibi ex ea victoria nisi sanguinem ciuium expetere. Pœnituit Germanos tam temere operam suam fuisse pollicitos, tamque arduum ac difficile negocium suscepisse, puduit tamen illos promissa non reddere. Respondent itaque perendinum in diem vrbem captam se per manus illi tradituros, aut omnes ad vnum in medio opere pulchram mortem obituros. Huius tam perniciosæ pollicitationis Dominus Paliza factus certior, in tabernacula Germanorum tendit, illorumque præfectos ac centuriones in vincula coniicit, atque insuper ignominiosis verbis increpat, quod se inconsulto rem tam inconsideratam improuisamq; attentarent, vnde non solum ipsi miserabiliter & digne perituri essent, sed & suo duci imprudentiæ, atque rei male gestę notam inurerent. Quod si tale aliquid posthac vnquam admiserint, per Galli Principis genium iurat, se in ipsos capitaliter animaduersurum. Deinde in Regis prætorium tendit, quem cum se pugnæ aptantem offendisset, acerbius quam regia dignitas sustineret, increpat illum, temeritatisque illi crimen obiicit, quippe qui tētet in cassum vires effundere, atque florētissimas copias internecioni hostibus dedere. Quod si tam præceps animi & consilii erat, vt suum tempus fortunamque non agnosceret, idque penitus volebat, vt rei perditæ se suosque omnes adderet, se tamen non passurum, vt exercitum sibi à Rege commissum hostibus sine causa trucidandum obiiceret. Sed neque censebat diutius in obsidione permanendum, cum iam hyems impenderet, famesque indies cresceret, nec esset vnde commeatus in castra satis commode comportari posset. Multi sermones cum Rege Regisque familiaribus in hac disputatione consumpti sunt. Sed Rex tandem inuitus cessit consilio Dom. Palizæ, placuitque postridie obsidionem soluere, & sub primam lucem vasa conclamare, signaque tollere.

Quod Galli soluta obsidione discedunt, quo die Dux Triciensis cum auxiliaribus copiis venit.

CAPVT VII.

IGITVR nocte insequenti à quarta vigilia, dum tormenta machinæque carris aptantur, binæ acies factæ ex omni equitatu peditatuque, quasi ad pugnam paratæ in procinctu steterunt. Principio nostri putarunt Gallos se ad oppugnationem parare, quam erecto & alacri animo expectabant, sed cum illos vidissent in diuersum paulatim secedere, omnes subito portis ruinisque murorum erumpunt, hostesque insequentes ad pugnam lacessunt. At illi relicta machinarum parte, & quicquid exercitus inualidum, vulneribusq; aut morbo confectum erat, negligentes, compositis ordinibus beneficio noctis se in tuta receperunt, finemque insequendi nostri imposuere, qui propterea quod pauciores erant, & perturbatis ordinibus, quantum quisque poterat, hostes insequebantur, ne quid detrimenti per noctis tenebras paterentur, in vrbem sunt regressi: id quod gestum pridie calendas Decembris, qui est diui Andreæ nomine relatus in fastos. Postridie vero huius diei prima luce Galli copias suas in ordinem redegerunt, steteruntque in procinctu quasi pugnaturi, siue vt suos aberrantes ex fuga reciperent, aut si nostri persequerentur, vt pugnarent, si ex loci opportunitate facultas daretur, vel vt tutiores in fines suos abirent. Eodem die paulo ante solis occasum Dux Triciensis cum auxiliaribus copiis ad vrbem accessit. erant in comitatu illius regalis ministerii Præses, quem diximus Reginæ pontem insedisse, Dux Secobriensis Hispani Regis fratris patruelis, Dux à Villa formosa, Dux Lunensis, Marchio Aquilarius, Comes ab Acuto monte, Comes à Ripa Gorza, & reliqua fere omnis regalis curiæ iuuentus. Quos sequebantur equites mille quingenti, armis, auro, purpuraque fulgentes. Peditum vero generis omnis armaturæ numerus fuit sex millium, quos

ductabant Gometius Buitronus. Martinusque Auindanius, & Rengiphus. Crescebat indies auxilium quod ad Reginæ pontem cogebatur. Sed Dux veritus, ne nostri fame, vulneribus, morbis, vigiliis, laboribusque confecti, Gallorum vegetam atque recentem multitudinem sustinere diutius non possent, cum præsentibus copiis, atq; quam maximo potest commeatu, in auxilium properat. Cuius aduentus etsi omnibus in commune fuit iucundus, ciuibus tamen longe magis, qui Regis irati sæuitiam in se domosque suas pertimescebant: Albano tamen Duci non satis cõstabat, fuerit ne gratus, an potius molestus. Dolebat namque solidam sibi gloriam eripi, quam nemo cum altero quocunque libenter patitur esse communem: quique animi magnitudine præcellunt, libentius se fortunæ periculis exponunt, quam rei bene gerendæ gloriam cum altero participent. Itaque sæpe Ducem Triciensem per literas & nuncios hortatus est, ne ferret suppetias, ni accersitus, sibi satis præsidii esse, non solum ad propulsandas ex vrbe hostium oppugnationes, sed etiam ad erumpendum, atque medio campo collatis signis confligendum. Hos animos illi dabant Hispaniæ lumina, quæ in suo erant comitatu, & qui maioribus sæpe rebus non solum interfuere, sed etiam præfuerunt: atque in primis duo fulmina belli, Antonius Fonseca quæstor maximus, & Caucensium & Alaheiorum dominus Ferdinandus à Vega Cõmendatarius maximus à Castella. nam alter à Legione Germanica tantum huic negocio interfuit. Coronarii quoque Centurionum præfecti Villalbanus & Rengiphus, quorum opera compluribus aliis in rebus fuit insignis, sibi ipsis hoc tempore non defuerunt. Sed neque Petrus Lupides Patellanus cum gentili suo Ioanne Patellano, Ludouicus quoque à Corduba Comarensis Marchionis filius, atque alter Ludouicus à Cauta, Petrus & Ioannes ambo à Cunta cognominati, Iacobus Rogius, atque eodem cognomẽto Rodericus Diaz, Petrus Manricus, & Manricus quoque Garsias Comitis Ossormini filius, Iacobus Merulus Ioannis filius animos atque nomen cognomenq; aui referens, Ioannes & Garsias vterque à Vuloa cognominati, Comestabilis, Nauariensis, Francus Bramontanus, Ioannes Carrenus, Alphonsus Carillus, Petrus à Tapia, Ioannes à Castella, Aluarus à Luna, Iacobus à Vera, Sanctius à Leiua, Manuel Benauidius. Nam quid ego Petrum Marchionem à Villafranca magni ducis filium inter cæteros memorem? qui per vestigia patris idem hoc tempore silebitur, atque aliàs meritis laudibus non fraudabitur. Quid alios complures eiusdem ordinis viros? quos infinitum erat memorare, quorum fiducia nihil erat quod magnanimus Dux sibi non polliceretur, victoriam ex hostibus maxime, quam præ manibus habebat. Vtcunque tamen erat animatus, agit hospitem lætum, Ducemque aduentãtem longe ab oppidi portis excipit, atque data acceptaque salute in templũ Misericordiæ, quod erat extra muros, quam honorificentissime potest, illum collocat. Copias vero auxiliares eadem castrametari iubet, qua paulo ante Germani insederant. Hic dies, quo & Galli soluerunt obsidionem, & auxilium nostris superuenit, fuit calendarum Decembris.

Quo pacto Galli in fugam conuersi, iterum vrbem obsidione cingere simulant, deque nuncio per feciales ab illis misso, ducum nostrorum responso.

CAPVT VIII.

POSTRIDIE vero eiusdem diei, Galli qui nostris insequentibus trans fluminis põtem se in loca tutiora receperant, prima luce in campo radicibus montium adiacente cohortibus ordinatis apparuerunt. Cumq; iam ab vrbe quatuor millibus passuum abessent, nostrique putarent, illos nihil nisi de canendo receptui cogitare, derepente vrbem versus redierunt, incertum qua ex causa. Sed quia trahas, claustraque, & carros præmiserãt, non erat dubium, illos substitisse primum, ac deinde regressos, vt sui exercitus reliquias colligerent, atque præcedentium impedimentorum terga redderent tutiora. Interim Dux noster non cessat Bardulos, & Vascones, Cantabrosque exhortari per nuncios, vt vias corrumpant, atque arborum ramis fossisque & aggeribus faciant imperuias, atque hostes fame ac frigore confectos ex superiori loco incesserent. Sed Galli cum intelligerent nostros non esse numero pares ad decertandum Marte dubio, puderetque illos huius belli principio magna pollicitos, nunc inglorios abiectosque discedere, decreuerunt subsistere. Atque vt velamen aliquod pudori prætenderent, disponunt acies, cohortesque in ordinem redigunt, mittuntque feciales ad Duces nostros, qui decernendi locum tempusque indicant, quod ipsum fuit argumento, illos non militum numero, non animi robore, non vlla alia re, quam commeatus victusque penuria ab vrbis obsidione destitisse. Ad hanc fecialium contestationem vterque Dux alterum rogat, vt respondeat, comiterque in collegam

partes

partes suas reiicit. Sed vicit tandem Albani Ducis vrbanitas. Erat autem Dux Triciensis, cum de rebus bellicis ageretur, paulo liberior, ne dicam iactantiorem. is cum alias multa facete & ex more suo solitus esset arroganter dicere, in expeditionis huius initio, duo potissimum illius dicteria circunferuntur. Nam cum Gallorum Rex Hispanorum paupertatem exprobrans diceret, Non amplius illos in hoc bello duraturos, quam dum emendicatæ stipes stipendio militum soluendo sufficerent (hoc male salsus Rex dicebat, alludens ad pecunias, quæ ex sedis apostolicæ indulgentiis ad belli Mauritani sumptus exigebantur) Quid, inquit Triciensis Dux, nostra refert, armis an calathis hostium ora contundamus? Calathis nanq; solent mendici stipes, frustaq; & quadras panis rogatas excipere. Cumq; illi rursus Albani Ducis auxilio proficiscendi Rex noster multa benigne polliceretur, seque summissurum non solum copias commeatumque rerum omnium quæ sunt ad bellum necessariæ, sed etiam pecunias stipendio militibus persoluendo necessarias, cepit subcinere carmen illud quod est in ore omnium: *Vamos nos dixo el mi Tio a Paris essa ciudad.* Ac si diceret, nisi me copiæ militum, commeatus, stipendiaque deficient, nulla per me mora erit, quin victor Parisios vsque perueniam. Igitur nunc libertate vsus fecialibus respondet, se non ea causa venisse, neque id sibi à Principe a quo mittebatur, mandatum vt collatis signis decerneret, sed ad hoc tantum, vt obsessam vrbem firmiori præsidio muniret. Neque enim, inquit, de eo nunc certamen est, vter exercitus medio in campo sit armis superior, sed ex duobus Principibus vter Nauariæ regno potiatur, in eoque nunc victoriæ momentum consistere, vt ille victor sit, qui semel parta defenderit possederitque: ille victus, qui prætendit hostem possessione deturbare, nec tamen, quod aggreditur efficit. Quod si Gallis, inquit, tantum animi superest, vt velint nobiscum armis experiri, expectent aliquos dies, dum Hispanorum copiæ quæ me sequūtur à tergo, in vnum locum conueniant: tunc se cum collega suo non modo in agro Pompelonensi, sed in mediis campis pugnandi copiam daturos. Hoc per feciales responso accepto, Galli è vestigio, vt erant in armorum procinctu iter arripiunt, rectaque se in patriam atque ad suos recipiunt.

Quemadmodum Dominus Paliza Ioannem Regem de regno recuperando diffidentem consolatur. Ducumque nostrorum de persequendis hostibus consultatio.

CAPVT IX.

Rex interim Ioannes qui vsq; in tempus illud spem metumq; inter dubius atque animi pendens fuerat, nunc iam, cum videret suos, atq; illos maxime quibus plurimum fidebat, & in quibus omnem dignitatis recuperandæ fiduciam collocauerat, non solum vrbis obsidionem deserere, sed etiã sic abire, ac si eo nunquam essent redituri: non vt antea spem vultu simulans, premens altũ corde dolorem, non fortunam suam lamentis questibusq; incusans, sed præ nimio dolore omnem tristitiæ imaginem facie ac vultu præferebat, vrbemq; nunquam amplius videndam, dotalesq; agros identidem respiciens, attonito similis hærebat. Quem sic affectum Gallorum Dux maximus Paliza multis exemplis ex historia, multisq; rationibus ex cõmuni vita depromptis, consolari nitebatur. Sed ille tanquam ægrotus iam deploratus, ac de salute desperans, nulla medicorum fomenta admittebat, neque se aliqua ratione curari patiebatur. Nam quid faceret dotali regno expoliatus, atque re male gesta patrimonio orbatus? idq; non tam aduersa fortuna, quam sua culpa: quippe qui nescierit inter duos Reges potentissimos se mediũ sequestremq; præstare aut si non posset vtrumq;, alterum ex illis saltem demereri. Atqui Duces nostri cum viderent hostes nihil iam nisi de reditu in patriam, domosq; suos, atq; diuersoria nota cogitare, quid in tali tempore facto opus esset, inter se consultant. Albanus palantes, fusos, & fame ac frigore confectos ad internetionem vsque persequendos esse dicebat, neque rei bene gerendæ occasionem tam certam, tam facilem, tam honorificam, gloriosamque omittendam esse. Triciensi vero dissimulandam esse hostiũ fugam, neque illis instandum, ne ex desperatione cogerentur pugnam redintegrare, vnde est notum illud carmen:

Quondam etiam victis redit in præcordia virtus.

Afferebatq; multorum exempla, qui necessitate compulsi ex victis euasere victores. Referebat præterea Pyrrhi Epirotarum Regis præceptum illud memorabile: Hostibus fugientibus non esse pertinaciter instandum. Petebat Albanus à Triciensi ex exercitu quem vegetum recentemq; ductabat, aliquot equitum turmas, peditumque cohortes, quæ hostem abeuntem insequerentur. nam suas causabatur partim vigiliis, partim morbis laboribusque confectas. At ille cui non placebat consilium illud de insequendis hostibus, di-

cebat, se non ea causa venisse, vt medio in campo confligeret, sed vt obsessis, atque vltima necessitate & angustia positis opem ferret. idque à Rege sibi inprimis fuisse mandatum. Atque hunc in modum alter ab altero digressi sunt, Triciensisque Lucronium cum suo exercitu ad Regem redit, Albanus vero in ciuitate iam quieta pacataque permansit, quoad illam ordinaret, atque per manus traderet, cui Rex tradendam esse decreuisset. Sed ne hostis intrepidus securusque sic impune abiret, mittit literas ad viros principes qui erant finitimi his locis, per quos Galli Germaniq; iter faciebant, hortaturque illos, vt fugientibus negocium facessant, neque sinant illos sic quietos abire. Qui non segnius quam imperatum est, iussa exsequuntur. Nam & Gongoræ dominus trecentos ducens equites, agmina sequebatur, neque præ frigore ac fame consequi cessat. nam prima luce adortus, partim cæsis, partim captis, cum ducentis equitibus spoliisque militaribus per medias vrbis portas viasque publicas victor regreditur. Ex altera quoque parte Lizari dominus cum tercentum peditibus expeditis extrema Gallorum agmina insecutus inuadit Germanos, quos machinis asseruandis Galli præfecerant. At illi cum viderent Bardulorum omnes populos in vnum coiisse, impetumque illorum non posse sustinere, glandiaria tormenta in eos dirigunt, igneq; iniecto instantes glandibus perturbant, ipsique per fumum sulphurariasque tenebras elapsi, per anfractus syluarumque diuerticula fugiunt. Quos vbi Barduli aufugisse intellexerunt (nam in principio subesse insidias aliquas suspicabantur) machinas inuadunt, iumentisque tenuiores reportandas imponunt, maiores vero plaustris carrisque trahendas applicant. At non mediocri negocio in vrbem aduehunt, non sine quadam triumphi specie. nam & armatorum peditum ingens multitudo præcedebat, & non minor sequebatur acclamantium vno ore: Io Triumphe. Quod gestum est idibus Decembris, hoc est, postridie eius diei in quo Diuæ Luciæ festum celebratur, anno à salute Christiana millesimo quingentesimo duodecimo.

ANTONII NEBRISSENSIS HISTORIARVM FINIS.

DE

DE REBVS GESTIS A FRANCISCO XIMENIO CISNERIO, ARCHIEPISCOPO TOLETANO, LIBRI OCTO, AVTHORE ALVARO GOMECIO:

NVNC PRIMVM IN GERMANIA RECVSI: quibus inſcriptiones aliquot Tarraconenſes ex hiſtoria Hiſpanica Ludouici Pontis adiunctæ ſunt.

Omnia ſtudio IOAN. SAMBVCI PANNONII, Cæſ. Maieſt. conſiliarij & hiſtorici.

IN EFFIGIEM CLARISSIMI VIRI FRANCISCI XIMENII Toletani Præſulis, Simonis Cugnæ Riberæ, Luſitani, epigramma.

Qui ſtupet ex humili me perueniſſe cucullo,
Præſulis ad culmen, Cardineumq; decus,
Adiunctumq; ſagis ſceptrum, Libyamq; ſubactam,
Totq; Deo, & Muſis templa dicata ſacris:
Virtutes potiùs ſtupeat, quibus orbis, & omnis
Ceſsit honos, tituli, purpura, regna, duces.

PHILIPPO II. HISPANIARVM REGI CATHOLICO ET POTENTISSIMO,

doctor Agorreta Rector, & Academia Complutensis, perpetuam felicitatem optat.



A EST temporis natura, Philippe magne, vt res hominum quanlibet præclaras, paulatim cæca obliuionis caligine inuoluat: contra cuius iniurias nullum aptius excogitari potuit remedium ad rerum diuturnitatem, quàm vt à disertis viris scriberentur. Hac enim litterarum arte diuinitus inuenta, factum esse videmus, vt quæ multis seculis à nostra ætate sunt remota, in oculis hominum recentia versentur. Scimus, multa eruditorum hominum monumenta quotidie in lucem prodire, quæ tuo nomini augustissimo dicata, approbationem & laudem consequuntur: sed nullum inter ea esse existimamus, quod maiori merito sub tanti regis patrocinio in manus hominum venire debeat, quam hi libri, qui tuæ maiestati à nobis offeruntur, & dicantur. Nam cum nostræ gentis magnorum virorum tum facta, tum dicta dignissima sint, quæ apud exteras nationes celebrentur, nulla quidem certe digniora videbuntur, quæ sempiternæ memoriæ commendentur, quam quæ Franciscus Ximenius Cisnerius, Archiepiscopus Toletanus, & Hispaniæ Cardinalis gessit: siue quis illius viri fortunam, siue incrementa per gradus, siue animum ad maxima quæque natum, siue egregia eius facinora mente complectatur. Curauimus ergo diligenter, ne Ximenii gesta amplissima, & dignitatis plena, ab hominum memoria euellerentur: quod necessario euenturum videbamus, ni, antequam monumenta, quæ apud priuatos homines erant, aut animam qui rebus ipsis interfuerunt agerent, ab interitu literarum ope vindicarentur. Præcipua vero nobis cura fuit, vt quantum pro virili cauere possemus, nulla, aut perpauca essent, quæ cordatis viris in hisce libris, non quidem verbosis, aut ineptis, quibus omnis ratio otii, & negotii, illius magni viri, & post hominum memoriam clarissimi constat, displicere possent. Suscipe igitur rex Philippe qua soles fronte, munus hoc quod tibi offerimus: quo præter vulgares illas historiarum vtilitates, innumera de rebus gerendis documenta his tuis temporibus pernecessaria continentur. Multa hîc Philippi aui tui, & Caroli patris inuenies, nonnulla etiam tua præclarissima facta attinguntur, vt quæ sunt pro dignitate à tuis historicis conscribenda: sed inprimis multa proaui tui Ferdinandi Catholici recensentur, cuius consilia Ximenius plurimum iuuit: nihil enim vnquam eo inconsulto rex ille sapientissimus tentandum esse duxit. Iam vero quæ per Ximenium Hispaniæ præfectum gesta sunt, & quanta eius contentione & periculo, duris illis temporibus regia maiestas seruata fuerit, quoniam longa narratione in his libris explicantur, non est cur nunc repetamus. Illinc tua maiestas aperte colliget, quantum Ximenio debeatur: qui post tot insignia beneficia, quibus vniuersam Hispaniam affecit, & quotidie afficit, omnium fere magnatum odia subierit, dum regnum stabilire regi Carolo adhuc puero, & absenti laborat. Hæc si pro merito considerentur, mirabitur nemo, quod has literarum sedes omni indulgentia rex potentissimus foues, iure & virtute tutaris, & omni studio vt indies sint illustriores curas. Experta est nuper hæc Academia quanti illam facias, cum illorum audaciam, qui eius libertati insidiantur, tua authoritate compressisti: & literarum studiosos suo iure & legibus frui, qua polles maiestate, iussisti. Ingentes tibi gratias agit hæc tua Academia: cur enim tuam non dicamus, cuius tu patronus Optim. Maxim. à Ximenio appellatus es? & quæ in medio regnorum tuorum sita, Hispaniæ tuæ ornamento est maximo? Gratias, inquam, tibi agit, quod tua tutela & præsidio contra criminatores maleuolos, in literarum otio gratissimo, honestissimis disciplinis omnem operam dat. Quis enim nescit, omnibus scholis publicis, quotquot homines memoria vel scripto repetere possunt, immunitates complures à principibus viris, & pontificibus maxim. fuisse semper concessas? & inter eas primarium locum tenere, ne qui sua nomina militiæ literariæ dederunt, alibi quã sub Academiæ iudice litigare cogantur? Quæ immunitates & priuilegia si infringerentur, nec iuuentus ita frequens ad literarum studia conueniret, nec animus inquies ea securitate disciplinis

vacare

vacare posset, quam harum rerum natura postulat. Neque enim minus silent sapientiæ artes inter molestissimas imperiosorum hominum lites, quam inter bellicos tumultus. Pro tali igitur, & tam magno beneficio, hoc quod possumus diligenter præstabimus: vt hæc nostra literaria respub. sacris semper studiis sit occupata, & tales in eis progressus faciat, vt quoties reipubl. vsus postulauerit, multi viri præsto sint, qui votis tuæ maiestatis satisfacere possint: quod hactenus in rebus arduis abunde præstiterunt, quando eorum doctrina est requisita. Vale Rex potentissime, quem Deus ad defensionem Christianæ reipubl. diu nobis saluum & incolumem seruet.

ALVARVS GOMECIVS CASTRVS TOLETANVS, AD HORVM LIBRORVM LECTOREM QVOS DE GESTIS Francisci Ximenij Cisnerij, Archiepiscopi Toletani, & Hispaniæ Cardinalis, scribebat.

SÆPE mecum demiratus sum lector optime, quæ esset hæc tam sapientissimorum hominum Complutensium negligentia, vt amplissimi viri qui hanc illis Academiam condidit, præclara facta paulatim intermori sinerent: & cum tot felicissima ingenia in eloquentiæ studio Complutii florerent, scriptorem rerum, splendoris & gloriæ plenarum, ab Academia non curari, aut multos passim non inueniri, qui vltro laborem scribendi subirent. Ergo cum hoc mecum assidue voluerem, subiit animum meum mira quædam cupiditas Francisci Ximenii res gestas scribendi: non quidem compendii alicuius gratia, sed vi quadam, & impulsu fatali. Nam hic animi affectus, statim vt Complutum veni ad honestas disciplinas cognoscendas, me mirifice tenuit, creuitque mecum ad hanc vsque ætatem. Illud tamen me semper male habuit, quod nec vnde res scribendæ sufficerentur, nec otium ad eas pro dignitate tractandas erat. Sed postea Deo viam parante, Bernardino Alcaracio, scholástico Toletano, viro humanissimo, & opibus in vrbe sua pollenti, Toletum sum vocatus. Vbi cum ad Ioannem Vergaram qui Ximenio à secretis fuerat, doctrinæ & dignitatis causa, quæ vtraque in eo homine suprema fuerunt, assidue venirem, & de prudentia, magnanimitate, cæterisque Ximenii virtutibus sæpenumero tractaremus, tandem homini, quamuis senio & morbis atrocissimis vexato, eam scribendi cupiditatem inieci, vt de Ximenii rebus illustrandis cogitare cœperit. Ergo primo illo animi calore, exordia tanti principis, & incunabula adeo luculenter scripsit, vt etiam si id breui chartarum numero explicuerit, multum tamen Vergaræ debeamus qui res à paucis cognitas, & in ea fortunæ conditione quam Ximenius priuatus tenuit positas, tam diligenter è tenebris eruerit. Magnum me fecisse operæpretium arbitrabar, quod ad rem tam difficilem capessendam eius animum permouissem: nam profecto dignum rerum suarum scriptorem vir clarissimus nactus erat: sed ardore illo ob morbos ingrauescentes extincto, toto quod postea vixit triennio nihil omnino scripsit: non quod voluntas illi deesset, sed quod mentis alacritas, quæ rebus huiusmodi conscribendis pernecessaria est, mortis vicinitate euanuerat. Postquam vir ille, longiore vita dignissimus, viuere desiit, Academia Complutensis, quæ ad rem procurandam, sibi posterisque suis gloriosam, sese demum excitauerat: mihi, quem ex Vergaræ communicatione, quo pacto res vniuersa tractanda esset, nosse arbitrabatur, operosam illam scribendi curam demandauit, quanquam nulla ex parte cum illo sim comparandus. Susceptis igitur Vergariæ commentariis, reliquisque monumentis, quæ ad eam rem parauerat, ad Didacum Lupum Aialam, templi Toletani vicarium me contuli. Fuerat is in Ximenii familia à puero educatus, & crescente ætate maximis negotiis præpositus, quare gestorum ferme omnium certissimam notitiam ab eo me habiturum existimabam. Neque me fefellit opinio: nam literarum fasciculos complures mihi obtulit, quibus non solum ea continebantur, quæ cum Rege Ferdinando de Oranica expeditione conuenta fuerunt, & quæ à Ximenio gesta sunt, sed etiam quæ cum Carolo apud Belgas agente Ximenius regnorum gubernator per arcanas notas tractauerat: vnde sapientis viri consilia, cogitationes, & sensus licet cognoscere. Nactus sum, & Vallegii canonici Seguntini, qui Cardi-

nali Ximenio à cubiculo fuerat, commentarium Hiſpano ſermone de rebus Ximenii, diligenter quidem ſcriptum, ſed vltra Philippi in Hiſpaniam aduentum non eſt progreſſus. Hunc commentarium Andreas Cueſta doctor theologus, qui poſtea Epiſcopus Legionenſis fuit, è Nauarra deferendum ad me curauit. Incertum erat à quo Cueſta ſuſcepiſſet: donec cum ad hiſtoriam edendam, Academia Complutenſis regii ſenatus, de more, approbationem curat, vir ampliſſimus & clariſſimus Didacus Spinoſa, qui ad Senatus regii & Inquiſitionis præfecturas, quas noſtri præſidentias vocant, aſſumptus fuit, & nuper magno eius merito Cardinalis Hiſpaniæ, & Epiſcopus Seguntinus creatus eſt, ſuum eſſe dixit, ſibique reſtitui petiit: ſed poſteaquam in Academiæ ſcriniis aſſeruari cognouit, liberali animo dono dedit. Venit etiam in meas manus commentarius autographus Floriani Ocampi, regii hiſtorici, de Ximenio, quem ille ad Vergaram vulgari ſermone miſerat, cum hanc hiſtoriam ſcribere meditaretur. Dedit etiam Academia Complutenſis, ſi qua ad hanc rem facientia monumenta habuerat: nonnullique viri ex Ximenii aula, qui adhuc ſupererant, permulta retulerunt, quæ quamuis literis mandari non poterant, tamen ſi à nobis ignorata fuiſſent, multum gratiæ noſtra hæc hiſtoria fuerat amiſſura. Porro annales Laurentii Galindi Carauaiali, quibus vir grauiſſimus, rerumque illarum cum primis particeps, quinquaginta ferme annorum memoriam complexus eſt, haud vulgariter meam operam iuuerunt. Hæc te ſtudioſe lector neſcire nolui: vt tibi ratio conſtaret noſtri laboris, & ſcires nihil temere à nobis creditum, nihil ad gratiam, aut odium alicuius confictum hiſce libris contineri, ſed omnia inueſtigata & eruta ex publicis actis, epiſtoliſque regum, & Ximenii, & ex magnorum virorum ſcriptis, quæ recenſuimus. Poſt opus vero conſcriptum, vſus ſum candidiſſimo iudice Franciſco Varga, viro doctiſſimo & integerrimo, multorumque negotiorum vſu prudentiſſimo, qui poſt impetratam à Rege Philippo II. vitæ quietem in Ciſlenſi ſeceſſu, attentiſſime hos libros audiuit, & amice monuit, ſi quid erat quod animum offenderet. Et vt ingenue fatear, multa eius conſilio ſunt addita, multa immutata, multa etiam expuncta. Huic tantæ noſtræ diligentiæ & curæ, acceſſit approbatio Ioan. Paccii Caſtri regiæ hiſtoriæ ſcriptoris, cui ſupremus ſenatus hanc noſtram hiſtoriam explorandam & corrigendam dedit: quam adeo attente perluſtrauit, vt non modo ea quæ muneris ſui erant, ſed ſi quid oſcitanter, aut improprie dictum, ſi quid parum apto loco collocatum, ſi quid delicatas aures erat offenſurum, inſigni candore & eruditione animaduerterit. Vale.

ALVARI

ALVARI GOMECII TOLETANI, DE FRANCISCI XIMENII CISNERII, HISPANIÆ CARDINALIS ET ARCHIEPISCOPI TOLETANI, VITA ET REBVS gestis, Libri octo.

LIBER PRIMVS.



CISNERIS, haud ignobili municipio in regno Legionensi, antiqua gens Ximeniorum est: in qua honestissimi, & immunis conditionis homines permulti fuerunt, nonnulli etiam equestri dignitate, de more nostro, aucti. Nam Gonzalus Ximenius Cisnerius cognomento Bonus, ad Villaizar Cisnerorum suburbanum, in æde virginis Mariæ sepultus est. Huius sepulcrum candido è marmore constructum, & clypeus appensus, satis demonstrant hominis nobilitatem. Est enim clypeus quindecim tetragonis (quos nostri iaqueles vocant) depictus, & Bandæ baltheo in transuersum diuisus. Sunt autem tetragoni gentis Ximenæ insignia: Banda vero, ordinis equestris à rege Alfonso XI instituti: ad quem non nisi nobiles admittebantur. Sunt circum illud Sacellum gentilitia quædam prædia ad Ximenios pertinentia: quibus & eius delubri, & sepulchri cura est. Quos autem liberos, quamve sobolem Gonzalus ille bonus reliquerit, posterorum incuria incertum est. Hoc saltem ex vetustis membranis anno MCCCXCVI. scriptis constat, Ioannem Ximenium Cisnerium, Ximenii Archiepiscopi proauum, sodalitatis titulo sancti Iacobi quæ adhuc Cisneris durat primum abbatem (sic enim præfectos sodalitatum vocant) fuisse: ad quam viri duntaxat nobiles admittuntur. Hi vero socii statis quibusdam diebus Gonzali Boni manibus parentant: vnde eam sodalitatem à Ioanne Ximenio fuisse institutam populariter creditur. Nam à Gonzalo Bono genus Ioannem ducere, cuncti municipes pro certo habent, cui Toribius filius fuit. In æde Diuo Petro sacra Cisneris, est sepulchrum Ioannis familiæ commune, intra ædiculam probe cōstructam, in qua Franciscus Ximenius Archiepiscopus sacra hebdomadaria constituit, reditibus ad eam rem necessariis sua pecunia cōparatis. Toribius Ioannis Ximenii filius tres liberos procreauit: Garsiam, Aluarum, & Alphonsum: à quibus duplex Ximeniorum familia processit. Siquidem Garsias, & deinceps eius posteri antiquos adhuc Ximeniorum penates possident: nā cum maior natu esset & ingenio (vt aiunt) difficili & præfracto, generoso tamen præditus, fratrib. amandatis, gentilitia prædia sibi asseruit. Is primarium locum quoad vixit Cisneris obtinuit, summis quibusq; municipii honoribus functus, filias viris nobilibus elocauit: Nā Garsias eius filius, quē virilis sobolis vnicum suscepit, Benedictino ordini initiatus, primum Pinciano cœnobio Prior, Monti deinde Serrato abbas præfuit: cuius in sancti Laurentii, ad Garsiæ patris Sacellum, monumenta nonnulla cernuntur. Ex Maria quæ maior natu fuit, Ioanna procreata est, Garsiæ Villaroello matrimonio iuncta: qui in Africam cum Ximenio Archiepiscopo traiecit, non ille quidem Castorlanus præfectus, sed manipulorum quorundam in ea expeditione ductor. Hæc Ioanna vtpote Gonzali Boni hæres, quosdam eius sepulchri violatores, qui aurata calcaria, aliaq; item militaria ornamēta subripuerant, diris, de more Christiano, deuouit, & sacris arcuit. Villaroellus ex Ioāna vxore Mariam suscepit, quę Sanctio Brauo, viro nobili nupta, Brauū peperit, virum sane præstantē, & manu strenuum, cuius rei signa permulta dedit aduersus Mauros pro Rep. dimicans: qui Garsiæ Ximenii Archiepiscopi patrui domū in præsentia tenet. Aluarus & Alphonsus, duro Garsiæ fratris ingenio cedentes, Campēsi regione relicta, in transmontanā sese contulerūt. Verum Aluarus post Garsiæ fratris mortē Cisneros repetens. in partē sortis paternæ ablatæ, Garsiæ domum sibi vindicauit, qua tamen postea sponte Ioānæ cōsobrinæ cessit: nam nullos hic liberos procreasse traditur. Alphonsus vero, à quo Ximenii Archiepiscopi causa, multo illustrior familia deriuatur, Turrilacunæ forte subsistens, cum coactiones numarias curaret, quæ ex Romani Pontificis condonationibus regis fisco debebantur, virginē honestam, bonis prognatā cuius forma captus est, vxorem duxit, quæ Maria vocabatur. Ex hac Franciscum Ximenium maiorem natu, Ioannem & Bernardinū sustulit. Franciscus de quo agimus, die lustrico dum sacro fonte tingitur, Gonzalus dictus est, Alfonso (vt opinor) patre, illius Gonzali Boni

maioris sui memoriam sic conseruare cupiente: sed hoc nomen postea, religionis Franciscanæ cui se addixit causa mutauit. His rationibus adducti nonnulli, ex vetusta & illustri Cisneriorum gente, quæ (vt ex nostris monumentis constat) plurimis & splendidissimis familiis, aut principium, aut claritatem dedit, eum originem ducere affirmant. Nam Didacus Fernandus Mendozius, in libello quem de stemmatibus, & nobilium in Hispania familiarum insignibus edidit, scriptum reliquit, Cardinalem Gonzaluum Mendozium iure quodam propinquitatis incitatum, Ximenium tam studiose prouehendum, & ornandum curasse. Nam vt genealogi nostri testantur, Didacus Furtatus Mendozius, Almirantus, Leonoram Garsiæ Lassi Iunioris, & Metiæ Cisneriæ filiam vxorem duxit, ex quibus Inachus Santillanæ Marchio nascitur, Petri Gonzalui Cardinalis pater. Nos tamen apud grauissimum præsulem Ximenii clarissimam virtutem, plusquam vllum cognationis vinculum valuisse pro certo habemus. Hunc igitur parentes, iam inde ab ipsis incunabulis ecclesiastico ordini dedicatum, honeste, & sancte educauerunt: puerilibusque literarum rudimentis domi institutum, ad grammaticæ præceptores Complutum miserunt, qui ibi etiam id temporis habebantur non ignobiles. Quod propter loci vicinitatem, mihi verisimilius videtur, quam quod in Vallegii commentario legimus, Roam scilicet, Sirueletani comitis oppidum, ad patruum sacerdotem missum, qui illum paulo post in Cuellaris oppidi gymnasium, quod in eo tractu multis retro annis percelebre fuit, ire iussit. Aluarum illum Vallegius forte innuit, quem nullos liberos habuisse diximus. Sed is sane (vt existimo) errat: nam nec Aluarum sacerdotem fuisse scimus, & Ximenius puer à parentibus in domum Garsiæ Ximenii missus est, qui Aluari & Alfonsi minorum natu frater fuit. Hinc, vbi satis in eius disciplinæ cognitione promouisset, Salmanticam florentissimam omnium doctrinarum Academiam rediens, ciuilis, Pontificiique iuris studiis operam non inutilem, neque infelicem dedit. Nam & priuatim haud multo post tempore domi suæ ius docuit, & paternum sumptum collecta ex auditoribus stipe leuasse dicitur, sibique laudem et ingenii & industriæ peperisse. Ad optimarum vero artium, ac diuinarum in primis literarum cognitionem propensissimus, quicquid temporis ex iuris studio subducere poterat, theologiæ impertiebat, non grauatus etiam in publicis philosophiæ, theologiæq; scholis operam dare magistro Roensi celeberrimo tunc harum doctrinarum professori. Ergo iuris curriculo peracto, in patriam reuersus, ex parentis Alphonsi authoritate, qui forenses causas procurabat, Romam contendere statuit, peruulgato nimirum omnium mortalium affectu sese à dira egestatis tyrannide vindicandi. In ea peregrinatione, cum in latrones semel atque iterum incidisset, viatico, veste, ipso etiam quo vehebatur equo despoliatus, apud Aquas Sextias iter susceptum sistere coactus est, donec commodum præteriens Brunetus quidam, qui eius Salmanticæ contubernalis fuerat, pecuniam mutuauit, & in communis itineris societatem (vterq; enim Romam contendebat) admisit. Dum Ximenius Romæ causis sese actitandis exercet, morte patris nunciata domum continuo rediit. Certe matris viduitati, & fratrum orbitati commode se posse subuenire arbitrabatur, si saltem Pontificium diploma impetraret, cuius vi & potestate sacerdotium aliquod inter suos indipisci posset: literas vulgo expectatiuas vocant. Harum igitur literarum quas obtinuit authoritate, Archipresbyteratum Vzedæ oppidi, tunc forte vacuum factum occupauit, sacerdotium quidem minime opimum, sibi tamen cum natalis soli vicinitate, tum iurisdictionis, quæ ipsos etiam Turrilacunenses amplecteretur, dignitate peropportunum. Is sacerdotia vindicandi modus, apud omnes Episcopos inuidiosus est, quod iure suo fraudari videantur: vnde quibus ad resistendum minor vis est, vel inuiti cedere coguntur. Cum Alphonso Carrillo Archiepiscopo Toletano, homine potentissimo & cerebroso, negotium fuit tractandum, qui domesticum quendam sacerdotio statim præfecerat. Quare grauissima Antistitis offensione contracta, & captus, & custodiæ traditus, in penitiore Vzedanæ arcis turri, quæ ipsi deinde Archiepiscopo facto pro gazophylacio fuit, non sine vinculis tenebatur. Hunc inter cæteras custodias mœstum & conticentem, non ignobilis conditionis sacerdos, eius oppidi ciuis, qui in vinculis etiam erat, perhumaniter solatus, sic finem dicendi fecisse dicitur: Depone mœrorem, quo angeris, vir optime nam in hoc ipso quo teneris vinctus cubiculo, Ioannes Zerezuella Aluari illius magni Comestabilis frater, grauioribus vinculis constrictus, acerbiorem custodiam passus est: cui ad Pontificatum Toletanum assumto rerum præteritarum & iniquæ sortis memoria iucunda fuit. Quin postquam tuæ frontis probitatem, totiusque corporis dignitatem sum contemplatus, talem tibi rerum commutationem futuram animus mihi iam dudum diuinat. Egit illi gratias pro tam blando sermone Ximenius: sed duriora principia esse dixit, quam vt exitum tam felicem essent habitura. Non defuerunt aliquot huiusmodi prædictiones

dictiones

dictiones, & ostenta, quibus eius futura magnitudo quantum curæ immortalibus esset, prædiuinari, animaduertiq; potuit: quæ profecto non commemorassem, nisi id exemplo summorum historicorum a me fieret: & à viris grauissimis relata mihi essent qui id n n semel à maioribus suis audiuisse affirmauerunt. Quare non verebor suis locis aliqua interserere, quæ illum non humano aliquo fauore, aut cæca fortunæ temeritate, sed potius diuino consilio & nutu ad tot res amplissimas gerendas destinatum fuisse ostendunt. Ab hac Vzedanæ arcis custodia, haud ita multo post ad arcem oppidi sancti Torquati, publicum fontium sacerdotum carcerem translatus, complures ibi dies detentus, vna sacrarum literarũ lectione duram fortunæ, in qua versabatur, conditionem tolerabat: donec Archiepiscopus per Bondiani comitis nepotis sui vxorem tandem exoratus, abiecta cessionis spe quam de iure sacerdotii extorquere à capto conabatur, liberum hominem abire permisit. Ille conceptam semel Antistitis indignationem veritus, ne quæsita, vt fit, non tantum expectata occasione, rursus erumperet, solum vertere statuit, atque ab vniuersa illius ditione ipse se exilio spontaneo multauit. Quocirca composita cum capellano maximo ecclesię Seguntinæ mutua sacerdotiorum permutatione, Capellaniam quam maximam appellant, ecclesiasticæ dignitatis titulo insignem, adeptus est, sed nonnullo, quod vberioris prouentus esset quam Archipresbyteratus, annuæ pensionis onere prægrauatam. Ioannes Vallegius aliter facta hæc fuisse dicit: nam ei statim vt à Salmantica in patriam peruenit, Alphonsum Carillum, eius virtute cognita vltro sacram Turrilacunæ Talamancæ, & Vzedæ præfecturam detulisse: postea tamen Archipresbyteratus Vzedani causa, quem sibi sine Carrilli authoritate ex summi Pontificis diplomate vindicauerat, simultate orta, in vincula (vt supra dictum est) coniectum, clam deinde exolutum, Romam ad ius obtinendum petiisse: indeq; lite composita reuersum, permutationem illam fecisse. Sed quoniam hominem officiosissimum id inconsulto hero facturum fuisse, verisimile non est: & leuioris momenti res illa erat, quam vt fido ministro Carrillus indignaretur: placuit Florianum Ocampum, & Ioannem Vergaram sequi, qui de eo dissidio ita vt diximus prodiderunt. Sed vtcunq; ea gesta sint, Seguntiam Ximenium petiisse constat: vbi ita integre vitam instituit, vt ab omnibus bonis eius amicitia certatim ambiretur: inter quos familiarissime vsus est Ioanne Lupo Medinensi, Almazani Archidiacono, viro singulari morum probitate, atq; rerum gerendarum prudentia prædito, tum etiam opibus & authoritate pollenti: cui iam tunc author Ximenius fuit eius Collegii literarii condendi, quod in suburbio Seguntino ius Academiæ publicæ tenet. Qua in re, non obscurum sane documentum dedit, animi ad literas prouehendas propensi, secumq; tale aliquid meditantis, modo fortuna par votis offerretur. Fuit per ea tempora diuinus quidam in multis ad extruendas Academias per Hispaniam ardor: nam partim pacis beneficio inuitati, quæ perinde atq; vernum tempus in arboribus flores, ita hæc omnes bonas artes aura quadam indulgenti euocat: partim Dei Opt. Max. consilio, barbariem & ignorantiam ab Hispania relegare iam parantis, Franciscus Aluarus Toletanam erexit: Magister Rodericus à sancta Ælia, qui dictionarium ecclesiasticum composuit, Hispalensem: Fernandus Talabricensis Hieronymianus, primus eius vrbis Antistes Granatensem: quam Daualus successor & collegio, & reditibus adauxit. Quin & aliquot postea annis, adhuc eodem studio in quorundam animis durante, Mercatus Abulensis Episcopus, in mediis Cantabrorum montibus Onatinam: in Bætica Gironius Vreniæ regulus Vrsaonensem: Alexander VI. Pont. Max. Valentinam: sed ferme inter primos Complutensem Ximenius. Ergo cum is Seguntiæ ageret, iam vitæ & diuitiarum modo constituto, totum sese ad diuinarum literarum studium conuertit, adhibito etiam Hebræo præceptore perdiscendæ Hebraicæ, Chaldaicæque linguæ desiderio: nam à ciuilibus & forensibus studiis adeo natura sua abhorrebat, vt multi serio affirmantem audiuerint, quicquid illius disciplinæ pectore concepisset, se si fieri posset, libenter euomiturum. Interea Petrus Gonzaluus Mendozius Cardinalis, qui & Seguntinus Episcopus erat, magna hominis fama permotus nihil tale cogitanti, aut ambienti vicariam detulit vniuersæ diœcesis administrationem. Quod ille munus quanta potuit contentione recusauit, & deprecatus est. Sed cum Antistes potentissimus acrius instaret, & vrgeret, subiit tandem onus ne illius authoritatem cõtemnere videretur. Susceptum igitur munus tanta animi moderatione prudentiaq; gerebat, vt vniuersi facile intelligerẽt, neminẽ inuenire posse, qui ab omni vel auaritiæ vel insolẽtiæ labe magis abhorreret. Quo factũ est, vt ab Antistite suo plurimi fieret, & sacerdotiis nõ contẽnendis augeretur: & simul maiorẽ bonorũ omniũ beneuolentiã comparauerit. Nam Alphons. Sylua Cifontanus comes, ad Granatensẽ expeditionẽ profectos, dum egregie pugnat à mauris est captus. His

ergo Granatæ cum intra custodias haberetur, Ximenium quem præstare vitæ integritate sciebat, ditioni suæ vniuersæ præfecit, remq; publicam, & familiarem, eius fidei & tutelæ commendauit. Cum itaque Seguntiæ, in litibus ecclesiasticis iudicandis cæteris omnibus abunde satisfaceret, sibi vni tantum displicebat: nimirum mens diuinis assueta rebus quæ ab illo vitæ strepitu in tutissimum otium se iam receperat, haud ferre poterat tempus ferè omne rebus sordidis impendi. Quare suas meditationes, & assidua cum Deo colloquia suspirabat: non tamen reperire modum poterat, quo se à suscepto munere extricaret, & in pristinam libertatem assereret. Cœpit ergo monachatum cogitare: nam hæc sola via Ximenio reliqua videbatur, qua & Cardinali Mendozio satisfaceret, & sui voti compos esset. Cum rem ad amicorum quamplurimos detulisset, illorum nonnulli haudquaquam pari spiritu afflati, magnopere hominem ab eo consilio dehortari, ac deterrere conabantur. At ille cum obfirmato in ea sententia animo, hanc viam liberatorem nostrum Christum Opt. Max. commonstrasse diceret, qua illum expeditius mortales sequerentur: amici diuinitus hanc homini mentem datam intelligentes, minime quidem repugnandum rati, de sacerdotiis quibus præerat cum eo agere cœperunt, vt ad Bernardinum eius fratrem natu minimum deferri, operam daret. Vagabatur tunc temporis adolescens, nec satis constabat vbi nam locorum ageret. Prouidendum ergo dicebant, qua fieri posset, ne egestate oppressus, vt qui & parentum iampridem auxilio, & nunc fraterna ope destitutus esset, malis artibus victum quæreret. Ille dictis amicorum cedens, successores sacerdotiorum ipsos constituit, fratrem interim illis commendans, modo idoneus esse videretur. Domesticis rebus vtcunq; compositis, Diui Francisci instituto, quod ex toto potissimum monachismo delegit, sese mancipauit. Cum vero eius ordinis monasterium nuper Toleti à catholicis regibus Ferdinando & Isabella conditum, synceræ & antiquæ religionis cultu florere audiret, illius se sodalibus adiunxit. Elapso vero tyrocinio quod probationis annum vocant, huic se vitæ instituto professione soléni addixit, assumpta (vt diximus) Francisci appellatione, quo in nomen quoque ipsum, haud minus quam in familiam adoptatus videretur. In Vallegii commentario legi, Mendozium Cardinalem ægre quidem tulisse priuari se, suamq; Episcopen integerrimo vicario: & nonnullis quibus cum familiariter agere erat solitus dixisse, magnum virum Ximenium esse: & augurari se, ab illo cœnobio ad præclarissimam aliquam dignitatem abducendum: quod si eueniret, in magnum cessurum totius Reipub. Christianæ emolumentum. Hoc prudentissimi viri dictum in hominum memoriis hæsit, & rei euentus veram esse vulgaris Græci versus sententiam docuit: Bene qui coniiciet, vatem hunc perhibeto optimum. Toleti igitur monachus factus, tanta continuo, tamq; præclara veræ pietatis documenta dare cœpit, vt breui maximam de se sanctissimi viri opinionem excitarit. Sed offendebat hominem quietis & tranquillitatis percupidum, celebritas loci: quo frequens & virorum & fœminarum turba variis de rebus interpellantium quotidie confluebat. Ergo vt ad solitudinem quandam mitteretur magnis precibus obtinuit. Quare in angustam quandam perpaucorum sodalium domunculam, non longe à circumfusa frequentium castaneorum sylua Castanetum vocant, amandatus est. Hic ille iam voti compos factus cælestem quandam vitam cœpit meditari: satagebat corpus inedia, & labore, & vigilia attenuatum, animi imperio subigere: mentem precatione, lectione, & contemplatione exercitam in sublime tollere. Inuitabat ad hoc, præter loci silentium, ac solitudinem lucus quidam vicinus tam proceris & densis arboribus, vt vix inter nitentis solis dubium lumen per meridiem admitteret. Hic sese ille penitissime recondebat, vno duntaxat diuinarum scripturarum codice comitatus: vbi post mentem sacra lectione refectam, precationibus intentus, nunc positis genibus, nunc herbido solo recumbens, totus à sensibus propemodum abstractus, in supernam regionem ferebatur. Multo post tempore humanis negotiis redditus, hanc solitudinem solebat requirere: & sub aureis laquearibus positus, tuguriolum quod ad vitandas cœli iniurias hoc loco construxerat, sæpenumero suspirabat. Illinc nonnunquam à sui ordinis magistris Toletum euocabatur, quo ille inuitus, sed tamen veniebat. Mirum quiddam accidisse fertur dum aliquando hoc iter faceret. Erat illi vir comes Sanctiacus, sui ordinis monachus, vir integritate vitæ ac simplicitate Christiana insignis: cum multa nocte Aiofrinum non longe à Toleto oppidum peruenissent, in frugibus ad triturationem paratis recumbentes indormierunt. Euigilauit Petrus, & Ximenium inclamans, Te nunc (inquit) ô pater Archiepiscopum Toletanum venerabar, galero etiam rubro insignitum: Deum optimum Max. precor, vt insomnium à se, vt credo, missum verum efficiat. Ximenius autē nihilo ob id cōmotior, dormi (ait) obsecro: nam hæc sunt mera somni ludibria. Hoc memoriæ

moriæ mandare libuit, tum propter Sanctiati sanctimoniam, tum propter ostenta, quæ Ximenii potentiam præcesserunt. Sed ille nullis diuitiis Castaneti secessum cõmutasset, quo tamen haud ita diu frui potuit: nam Franciscani ordinis mos est, vt subinde monachi sedes mutent. Verum eius votis Deo fauente, æqualis facta est permutatio: commigrare enim iussus est in perpusillum aliud monasterium, quod à proximo salicto Salzedam nostri vocant, nec amœnitate, nec solitudine Castaneto inferius. Ibi multo incultiorem & horridiorem vitam agebat: nam & vino abstinuit, & herbis aqua elixis, vt mitiores essent, ad cibum vtebatur. Sed neque hoc quidem viuendi genus diutius sequi, vt proposuerat, permissum fuit: breui siquidem illius monasterioli Guardianus (vt vocant) factus minus illi licuit vt instuerat viuere. Hoc munus inuito & recusanti datum, summa cum laude, in primis verò tam nullo supercilio gerebat, vt monachos exemplo potius quàm imperio in officio contineret. Nam & infirma quæq; ministeria sibi vltro assumebat, & nonnunquam aliorum operam præstabat tam lubenti animo, vt omnes pro virili anniterentur, sese ita gerere in muniis demandatis, vt Ximenius necesse non haberet ipsorum etiam res agere: vsque adeò verum est vim acrem imperandi esse, si ductor ipse præcedat. Quocirca contra prioris instituti sententiam, rebus iam gerendis intendere actionis industriam animi contemplationi coniungere, operam omnem suam foras quoque ad res extremas curandas perducere coactus fuit. Enim vero pugilem Deus hactenus in vmbra exercitum, in mediam ecclesiæ arenam parabat immittere: quem è latebris illis syluestribus hac potissimum ratione produxit in lucem. Erat hoc tempore Petrus Gonzalus Mendozius Cardinalis, qui ex Seguntino Episcopo Hispalensis Archiepiscopus, ac deinde Toletanus factus fuerat, in summa apud reges catholicos authoritate & gratia: Isabellæ vero reginæ supra fœmineum captum prudentissimæ in primis carus. Erant autem priores reginæ partes in administratione regnorum, quæ iure hæreditario ad illam peruenerant, quam mariti: quamuis vtriusque primæ esse viderentur. Igitur cum regina Granata vrbe non ita pridem è Maurorum potestate recepta, in Castellæ regnum discedere pararet: huius Mendozii Cardinalis fidei ac diligentiæ commisit, & summopere commendauit, vt quempiam spectatæ religionis & probitatis quæreret, qui ipsi ab arcanis confessionibus esset: nam qui eam operam hactenus reginæ præstiterat Fernandus Talabricensis Hieronymianus eximia sanctitate vir, ex Abulensi Episcopo, nuper Granatensis Archiepiscopus factus, aula relicta in vrbe sua remanserat, anno M. CCCC. XCII. quo hæc sunt gesta. Cardinalis qui nimis solicitam hac de re sentiebat esse reginam, non esse dixit opus longa indagine: habere enim se hominem illi ministerio ad vnguem factum atque formatum. Ergo illi Franciscum Ximenium, suum olim Seguntinum vicarium, tunc vero Salzedæ Guardianum, suis coloribus accuratissime depingit: se tamen vereri affirmat, ne homo priscæ seueritatis & sanctimoniæ, suam illam contemplationem quietam, & vitæ modum quantumuis incultum, velit conditione alia mutare. Regina Cardinalis sermone permota, quem sciebat non temere, qua erat prudentia, quenquam laudare solitum, flagrare cœpit studio hominem videndi, atque alloquendi familiariter; quare Cardinali mandat, vti illum aliquam ob causam accersat. Ximenius per literas Cardinalis accitus, quanquam ægerrime à secessu illo Salcedano diuellebatur, tamen ne optimo patrono deesse videretur, ad illum in regium comitatum venit. Vbi communicatis quæ Cardinalis voluit negotiis, à regina deinde, tanquam per occasionem vocatus, iniectis variis sermonibus prudentissima fœmina Ximenii animum interrogando & percontando elicere satagebat. ille regio conspectu, alloquiove, nihilo commotior factus, vultu atque habitu corporis sedatæ mentis compositionem præ se ferente, tum oratione ipsa sapientissimis sententiis plena, quæ vera est latentis animi imago, facile reginam in sui admirationem adduxit, & conceptam de se opinionẽ impleuit. Post aliquot dies rogatus est, vt reginę esset à cõfessionibus: quod onus ea se respõdit conditione subiturũ, si regiũ comitatũ sectari non cogeretur: se quoties sua opera regina indigeret venturũ eius iussu, mox tamen rediturũ in suũ cœnobiũ: nec aliud multis precibus à Ximenio impetrari potuit. Magna tunc erat Ximenii fama apud omnes Hispanos, ob eius integritatem, & sanctimoniam. Nam regina apud maritum, cæterosq; viros prudentes, non cessabat Ximenii dotes laudare: reperisse se hominem dicens omnibus pietatis, religionis, & sapientiæ numeris absolutum. Certè Petrus Martyr regum catholicorum historicus, qui styli ruditatem rerum à se traditarum fide egregiè compensat, in epistolis scribit, eum ex abditis syluis extractum, vultus pallore, & ob vitæ asperitatem totius corporis obducta macie, Paulum, aut Hilarionem, eremi incolas post tot secula in lucem retulisse magnamq; sui apud regios comites admirationem concitasse. Relictis enim

Seguntinis sacerdotiis, fortunaque nequaquam aspernanda, in semotam solitudinem secessisse, & eum viuendi rigorem deliciis, quas aulici tantopere consectantur, prætulisse, haut vulgariter mentes hominum commouit. Nec dubitat Petrus Martyr ipsum Augustini acumine, Hieronymi abstinentia, Ambrosii seueritate exornare: Addit præterea ab eius sodalibus iactatum fuisse mentis plerunque veluti excessu, aut cum cælitibus ipsis collocutum, aut certe rebus ipsorum contemplandis occupatum, sensuum quendam stuporem & alienationem subire solitum. Illud etiam à viris doctis memoratur: cùm de itinere lassus esset, consedisse propter aquæ riuulum: cuius comes inediam minus ferens (nam vterque erat impransus) modo non animam videbatur agere. Qui dum Ximenius vt vires colligat hortatur, & vt in memoriam Dei prouidentiam, & curam quam habet de vilibus etiam passeribus, reuocet, vidisse fertur purissimum panem petræ quæ riuulo imminebat, impositum: quem inter se partiti, & aqua sumpta, quod itineris superabat conficere potuerunt. Cum ergo Ximenius in magna esset apud reginam authoritate, atque omnia fere Reipublicæ negotia de eius consilio & sententia gererentur: accidit vt Ioannes Tolosas magistratu Prouinciali, qui & perampla dignitas est, & per triennium durat, se abdicaret: erat enim vir à negotiis alienus, & contemplationi supra quam credi potest deditus. Vnde Ximenius à concilio sui ordinis in cœnobio Franciscanorũ quarto à Burgis lapide, in Tolosatis locum absens suffectus est: quanquam monachi veriti fuisse perhibentur, ne homo rerum istarum nequaquam appetens, magistratum qui illi mandabatur, recusaret. At ille quod paulo ante cum reginæ nullas operas debebat, omni ratione depulisset, perlibenter accepit: vt occasione huius muneris, quod assiduas habet occupationes, haud ita frequenter ad reginam & aulam venire cogi posset. Sed nihilo rarius ob hoc ab illa accersebatur: in cuius sinum non solum occultas animi noxas quas in Deum commiserat, sed quicquid publica aut priuata negotia molestiæ aut solicitudinis incusserant, familiariter & amice effundebat: quæ cum semper maximis de causis in illa fortuna oriantur, necesse est, vt mole sua eos etiam quibus cum communicantur, obruant: aut saltem ingenti solicitudine & tumultu eorum animos impleant. Quocirca quantum fieri poterat ad reginam itiones vitabat. Cum itaque vtriusque Castellæ prouincia, tam quæ cis montes, quam quæ vltra est, Ximenio visenda, & peragranda esset (erat enim amplior quam nunc est ministri Prouincialis administratio) multæque res examinandæ & describendæ essent, monachum aliquem quærere cœpit, & ætatis vigore, & ingenii dexteritate præditum, quem in laborum partem assumeret. Qua de re dum Compluti forte moraretur, & cum Ioanne Marquina Complutensis monasterii Guardiano sedulo ageret: peropportune (inquit) hoc mihi vt curem mandas: nam non ita pridem adolescens quidam huc à Toleto aduenit, qui in nostrum sodalitium per me cooptatus præclaram indolem præ se ferre videtur: nam & viuido ingenio, totiusque corporis vegeta natura, omnia industriæ & virtutis munera, ni male coniecto, mihi pollicetur: prorsusque iis rebus quibus ipse in præsentia tractandis indiges, apparet aptus: pulchris enim literis, celerique tractu manu minime torpenti scribit: vnum est tamen cur à nobis diuelli doleamus, quod cum voce & artis musicæ peritia excellat, magnam noster chorus iacturam est facturus. Nam totam pueritiam inter pueros templi Toletani ministerio dicatos egit: post vero in quoddam Collegium migrauit, quod Franciscus Aluarus Toletanus scholasticus in horum puerorum gratiam domi suæ instituit, antequam Academiam Toletanam conderet, vbi latinas literas discerent. Permotus Marquinæ sermonibus Ximenius, ad se Franciscum Ruizium (hoc enim erat adolescenti nomen) quamprimum duci iubet: cuius liberali aspectu delectatus sibi sodalem delegit, & ad vitæ finem retinuit: eiusque fidem & vtilem operam in rebus maximis & grauissimis expertus, primum quidem Mirobrigæ Episcopum, Ciuitatensem nostri dicunt, postremo Abulensem faciendũ curauit. Igitur Ximenius in suscepto munere strenue gerendo totus occupatus, eo quo priuatus solebat apparatu singula prouinciæ contubernia lustrabat: hoc est, vnico duntaxat sodale viæ comite, & asello quo & sarcinæ nonullæ portarentur, & defessus nonnunquam sodalis veheretur: ipse enim religionis suæ tenax, nisi ægritudo aliqua cogeret, semper iter pedibus conficiebat. Ostiatim ab vtroque petebatur cibus, nisi illum nonnunquam ex itinere male habentem Franciscus Ruizius vt quiesceret moneret, sibique eas partes concederet, orabat. Nam Ximenius ad hanc rem plane ineptus, plerumque domum vacuus redibat, & oleribus tantum vescebatur. Quocirca Ruizius si quando acrius de mendicatione facienda contẽderet, hisce verbis obiurgare solebat: Quin tandem non sentis ô pater, minime te ad has operas esse aptum, aut genitũ? non omnib. omnia diui cõcesserunt. Tu precib. & meditationi vacato: & mihi hanc mendicãdi prouinciã relinque. Aliquando dũ Bæticam ex officii ratione perlustraret, ad fretũ Herculeum

leum,vbi Calpe mons est,quem nunc Gibraltarum ex corrupta Arabica nomenclatione appellant,appulit. Hic & Africæ terræ conspectu inuitatus, & quod iam diu desiderio teneretur eo traiiciendi,quod & diuum Franciscum fecisse didicerat, cœpit de nauigatione cogitare. Ardebat Ximenius miro quodam desiderio transmarinis hominibus Christum annunciandi,paratus supplicia & mortem subire. At quoniam per viros religiosos certior factus fuerat,fœminam ordinis sui cultricem(ex his quas vulgo Beatas vocant) ibidem esse, vitæ & morum sanctitate claram,& quæ diuorum præsentia sæpenumero frui crederetur: captato extemplo fœminæ colloquio, ad eam rem quam animo conceperat eius sententiam prius requisiuit. Deterruit hominem vates mulier,& vt à proposito desisteret effecit:seruari enim eum ad res maximas perficiendas dicebat, in quibus grauiora certamina sustinenda forent, quam si inter barbaras & Punicas nationes versaretur. Retardatus Beatæ dictis sententiam mutauit: & è Bætica rursus ad Reginam quæ illum per literas vt mature ad se veniret rogabat,in Castellam rediit. Accidit per id tempus ad reginæ votum de Ximenio apud se diutius retinendo, peropportuna occasio: cœperat enim ille summo studio cum Regina agere, vt quod iam olim à Regibus nostris tentatum erat, atque minima ex parte confectum,per delectos quosdam censores perficiendum curaret, qui corrigendis atque in veterem disciplinam reuocandis omnibus omnium ordinum per totam regiam ditionem,tum virorum,tum fœminarum monasteriis,animum intenderent. Obsoleuisse omnem vbique prisci monachismi sinceritatem ingemiscebat: maxime vero apud suos Minoritanos,quibus vt nascentibus arctior quondam & sanctior disciplina fuerat,ita collapsis,& degenerantibus altior casus atque turpior contigerat. Nam præter vitæ licentiam, quæ sane labes communis per id tempus religiosis collegiis propemodum esse videbatur,pleraque illorum sodalitia aduersus tam commendatam illam à diuo Francisco paupertatem,prædia vbique cum rustica,tum vrbana, vectigaliaque,& census obtinebat. Huius instituti qui erant,conuentuales fratres, & claustrales passim dicebantur. Hi pleraque omnia magnifica,frequentissimaque incolebant Hispaniæ monasteria: illi verò, quos propter accuratiorem ordinis sui obseruationem fratres obseruantes appellabant, pauca quædam,eaque exigua cœnobia obtinebant. Per speciem autem huius censuræ, quam illi visitationem vocabant,hoc Prouincialis Ximenius agebat,vt conuentualium fratrum domus vel prece,vel pretio,quacunque demum arte atque astutia in obseruantium potestatem traducerentur. Ei negotio,quoniam cum opulentis & potentibus aduersariis contendendum erat,cum se imparem esse videret,reginæ fauore decreuit vti,atque longius solito apud illam morari:quæ ea de causa Ximenio longe beneuolentior & æquior erat, & ipse competitoribus terribilior, & formidolosior. Quod sane consilium pietatis quidem plenum,grauissimarum tamen dissensionum atque turbarum fuisse causam constat. Nam & statim in Archiepiscopum Toletanum assumptus,nondum ea de causa Prouinciali præfectura abdicata,cum adhuc acrius potestate auctus instaret de claustralibus illis reformandis, exortus est quidam Laurentius Vacca, sancti Spiritus monasterii Segobiensis commendatarius,qui prætextu Pontificiæ concessionis,sibi facultatem esse asseuerabat, quoscunque vellet conuentuales in sancti Spiritus libertatem asserendi: hoc est arctam Minoritanorum disciplinam in suam quandam laxiorem commutandi. Is sanctissimos Ximenii conatus diplomatibus Pontificiis eludebat. Nemo erat licentiæ paulo amantior,qui non apud illum rationem inueniret, qua semel susceptam religionem abiiceret, seque ab excommunicationis vinculo exolueret. Itaque fiebat, vt quantum vigilantissimus censor ad priscam sanctimoniam sodales suos diligenti studio reuocare niteretur, tantum ille commentitiis priuilegiis ad petulantiam & immodestiam deflecteret. Qua de causa ab optimis & religiosissimis principibus Ximenius impetrauit,vt is salua summi Pontificis authoritate,qua præter fas & ius abutebatur,per regios lictores in vincula coniiceretur: ibique tantisper pœnas læsæ religionis daret,donec susceptum negotium Ximenius conficeret: remque omnem è Reip. Christianæ vtilitate,suique ordinis integritate componeret. Laurentius tamen è vinculis aufugiens Romam ad Ascanium Sfortiam Cardinalem contendit, quem patronum quondam habuerat: vt eius præsidio cum seuerissimi hominis indignationem vitaret,tum in regum nostrorum gratiam rediret:qui Ximenii studia tantopere iuuantes,non nisi per magnos intercessores placari posse existimabat. Suscepit illum benigne Ascanius: deque eius innocentia facile sine aduersario persuasus,literas fauoris plenas ad reges dat:& Petrum Martyrem Mediolanensem virum doctum, & in rebus gerendis strenuum,per epistolam rogat,vt suo nomine Ximenium adeat: detque operam, vt si patria tandem Laurentius propter summi Pontificis recte administratam concessionem carere debeat,saltem ablata per summam iniuriam supellex,& intercepti ex facultatibus suis

fructus illi restituantur. Inuitus id Petrus Martyr fecit, qui probe rem omnem, vt erat, cognouerat: ne quid tamen in officio cessaret, Ximenium adiuit, eique Ascanii mandata exposuit. Ad quem Ximenius (vt idem Martyr in epistolis scribit) contracta & obducta fronte conuersus, hominem (inquit) Petre Martyr, qui tam sancta regum decreta ausus fuerit rescindere tueris? minatusque in reginæ odium venturum si verbum amplius pro eo faceret, abire iussit. Hoc idem vt actum fuit, ad Ascanium Martyr rescripsit: simulque ipsum à patrocinio Laurentii Vaccæ, qui tanta inuidia apud nostros laboraret, dehortatus est, multa obiter de Ximenii sanctimonia, grauitate, & prudentia commemorans. Processerat iam biennium, & eo amplius, ex quo Ximenius à Cardinali Mendozio Toletano præsule accitus ad reginam venerat: qui difficili correptus morbo, relicta aula in vrbem Guadalfajaram, natale solum, coactus est secedere. Post dies aliquot morbo ingrauescente, Reges qui in Cismontanis æstatem consumpserant, cum salutem hominis præstantissimi, sibique multis maximisque de causis carissimi, propemodum deploratam comperissent, ad Transmontanos visendi illius causa venire constituunt. Annus M. CCCC. XCIIII. ad finem vergebat, quando illi recta Guadalfajaram veniunt, vbi decumbentem familiarissime salutarunt, beneque sperare iusserunt. Quod si quid humanitus accideret, suam operam & authoritatem sunt polliciti ad res omnes, quæcunque illi curæ cordique essent, conficiendas. Cardinalis augusto illo tantorum Principum conspectu exhilaratus, post actas officiosissime regibus gratias, submotis arbitris multa cum ipsis de rebus ad rem publicam pertinentibus egisse, multa item quæ sibi videbantur vtilia, pro sua erga illos pietate, atque fide, moribundus consuluisse dicebatur. Ex quibus tria potissimum fama vulgauit. Primum, vt pacem cum Francorum rege omni ratione perpetuo conseruandam curarent: deinde, vt serenissimum iuuentutis principem Ioannem filium, quem imperii sui successorem fore sperabant, Ioannæ illi quam excellentem vocabant, quæ Alphonso Portugallensium regi pacta de Castellæ imperio certauit, matrimonio iungerent: postremo, quod magni referre putaret, vti mediocris conditionis hominem, modo aliis integritatis, prudentiæ, grauitatis, & doctrinæ dotibus præditus esset, in Pontificatum Toletanum sufficerent: quod item posteris vt idem facerent, inuiolabili exemplo demandarent: eam esse, inquiens, eius sedis amplitudinem, & potentiam, vt haud tuto committeretur cui & natalium splendor, & numerosæ familiæ patrocinium esset. Afferebat autem in exemplum, quantum molestiarum Alphonsus Carrillus eis exhibuisset, regi Portugalliæ adhærens. Habere eos virum omnibus numeris ad eam dignitatem obtinendam absolutum, Franciscum Ximenium Franciscanorum sodalium Prouincialem, quem sibi demortuo successorem darent. Verum è duobus primis alterum Ferdinandus, vt docuit euentus, aspernatus est: nam dum Gallicam potentiam suæ dignitatis æmulam vidit, nihil minus in animo habuit, quam pacem cum Gallo firmare: quod non sine graui reipublicæ incommodo ad hæc vsque tempora accidisse vidimus: donec per Philippum pronepotem huius nominis II. Hispaniæ regem potentissimum, non solum fœderibus, sed Isabellæ Vallesiæ Henrici II. Gallorum regis filiæ felicissimo coniugio, pax ingenti vtriusque regni lætitia diutissime duratura inita fuit. Alterum vero ita reginam male habuit, quam in sceptra Hispanica, ex Ioannæ illius excellentis repulsa, ius habere certum erat, vt hominem alioqui prudentem, sibique non vulgariter carum, palam desipere ex morbo iactauerit. Tertium tamen, quod ad imperii conseruationem pertinere videretur, auidis auribus suscepisse dicuntur. Quanquam rogatus postea à regibus Ximenius quid de ea re sentiret, longe aliam sententiam sibi esse dixit: neque enim alium decere magis ad amplissimum Pontificatum vocari, quam hominem tam stemmatibus, quam propinquorum & clientum familia clarissimum. Nam præter Hispanorum erga reges suos obseruantiam, qua semper illos colunt, postquam regia potentia tot amplissimorum regnorum incrementis adaucta est, minime verendum esse, vt vllos vnquam motus Archiepiscopi Toletani sint concitaturi. Ex altera autem parte perdifficile sibi videri, hominem humili fortunæ assuetum, & innutritum, repente eum animum posse suscipere, qui ad tantam rem pro dignitate gerendam aptus esset. Quare reginæ suadebat, vt Didacum Furtadum Tendillani comitis filium, ex eadem etiam Mendoziorum familia, Petri Gonsalui Cardinalis ex fratre nepotem, qui Alexandrini Patriarchæ titulo condecoratus, pontificatum Hispalensem obtinebat, aliis qui eum ambiebant reiectis, Toletano præficeret: id enim è reipublicæ vtilitate multis de causis esse videbatur. At Cardinalis digressis regibus, anno insequenti paucos post dies naturæ concessit, vir sane omnibus modis magnus. Nam præ-

ter clarissimum tum natalium, tum fortunæ, tum dignitatis splendorem, quæ in illo ornamenta summa erant, incredibilem animi sublimitatem cum pari morum facilitate, elegantiaque coniunxerat: vt merito locum in Republ. summo proximum ad supremum vsque diem tenuerit. Post eius ergo mortem, cura continuo reges incessit Archiepiscopum Toletanum sufficiendi: nam Petri Gonzalui Cardinalis hominis prudentissimi de ea re sub mortem sententia eorum animis infixa remanserat. Rursus Archiepiscopi Toletani authoritas tanta semper apud Hispanos fuit, vt si quando de rebus ad Rempubl. pertinentibus ageretur, is statim post regem sententiam diceret: nihilque vnquam illo inconsulto, aut rogatum aut decretum sit: Vnde & maximus regni Cancellarius, & Pontificum Hispanorum primas ingenti potentia & dignitate iam olim creatus, adhuc his titulis suo iure nominatur. Nam quamuis antiquus ille splendor, quem quondam tenuit, non omnino perierit, tamen multum ex prima quam obtinebat potestate amisit: & longe infra illam maiestatem est, qua nostri illum maiores exornarunt. Idcirco Toletanæ Ecclesiæ sacerdotes, quamdiu ius designandi apud eos fuit, anxie & solicite despiciebant, qualem virum ad eam rem deligerent. Itaque aut homines virtute præstantissimi, aut maiorum natalibus clari, ad amplissimam dignitatem assumebantur. De Gotthorum temporibus, post cladem illam quam ab Arabibus Hispania sustinuit, & qua omnia ferme rerum antiquarum monumenta perierunt, nihil est quod certum tradi possit: quanquam ex conciliis Toletanis constat, sæpenumero viros ex Gotthico sanguine illustres Toletanæ sedi præfuisse: quibus & concilia cogendi, deque rebus sacris tractandi frequentem vsum fuisse, accepimus. Postea tamen Gotthico nomine & Christiana gente per Africanos Arabes ex Hispania ablata, præter paucos qui in montibus Asturum & Cantabrorum diuino beneficio ad patriam recuperandam, religionemque reducendam sunt seruati: Alfonsus VI. Hispaniæ rex anno M. C. LXXVII. XV. calendas Ianuarii, sexto post mense ab expugnata Toleto, conuocatis regni principibus, Archiepiscopis, & Abbatibus, permultisque aliis piis, & religiosis viris, Bernardum hominem Gallum, pietate, morum innocentia, animi magnitudine, & prudentia commendatum, quem non ita pridem Alfonsus ex Gallia, vt sanctorum Facundi & Primitiui monasterio præesset, accersiuerat, Toletanum Antistitem creauit: & vrbi clarissimæ ac totius Hispaniæ principi Pontificatus in Hispania primatum restituit: Vrbano secundo Pontifice maximo ad regis efflagitationem libenter concedente. Postea vero rex idem oppidis multis, arcibus, villis, opulentisque prædiis Pontificiam dignitatem locupletauit. Igitur tanta illico Antistitis Toletani authoritas fuit, vt Bernardus ex Hierosolymitana quam instituerat expeditione Toletum Roma rediens, viros quos ex diuersis Galliarum partibus literis & moribus exornatos secum adduxerat, ferme vniuersis Hispaniæ ecclesiis præficiendos episcopos curauerit. Ex his Raimundum quem Vraniensi ecclesiæ præposuerat, successorem in Toletana habuit: cui Alfonsus Rex Oretano tractu expugnato, eorum locorum ecclesias Toletano Pontificatui adiecit, parte quoque vectigalium quæ ad regem pertinebant, religiose & liberaliter concessa. Tres aut quatuor huic successerunt, quorum plerique Bernardi comites fuerunt, vt ex cognominibus colligere licet, neque enim alia monumenta supersunt, quos sola morum probitate & doctrinæ opinione ad eam dignitatem euectos fuisse, credibile est. Nam paulo post viris ex primaria Hispanorum nobilitate Pontificatum amplissimum ambientibus, non nisi regum filiis, aut cognatis cedebat. Siquidem duos Sanctios, alterum Castellæ, alterum Aragoniæ regum filios, non longe ab ipsis principiis ad id sacerdotium electos esse legimus. Quod cum serie perpetua, præterquam in paucis quibusdam, vsque ad Franciscum Ximenium, de quo agimus, obseruatum sit: in eam amplitudinem Pontificatus Toletanus creuit, vt regibus non ita grata iam esset tanta Archiepiscoporum potentia. Quas ob res Ferdinandus, & Isabella, reges catholici, huic dignitati virum qui nobilitate, & clientela valeret, noluerunt præficere. Sic ergo Archiepiscopatus Toletanus ad homines mediocris quidem fortunæ, sed virtutis & probitatis spectatæ quasi postliminio deuenit. Atque ita Petro Gonsaluo Mendozio vita functo, cum diu reges secum deliberarent, quem in demortui locum sufficerent, nam & Didacus Mendozius Archiepiscopus Hispalensis totius nobilitatis studiis ei succedere ante alios contendebat: Regina (vt Ximenius postea referebat) Ioannem Belalcazarem ex Astuniga familia, qui non ita pridem Belalcazario principatu relicto, Franciscano ordini se addixerat, designare voluit: Rex certe pro filio Alfonso Aragonio Cæsaraugustano Antistite vehementer laborabat. Sed posteaquam vxorem virilis animi fœminam, ne-

que precibus, neque blanditiis, neque odio denique in suam sententiam pertrahere potuit, facile totam eam curam ex animo reiecit. Regina vero cuius arbitrio res conficienda erat, quamuis Ioannis Belalcazaris, de quo diximus, sanctimoniam ante oculos haberet: cum nullius ex optimatibus familiam tanta potentiæ accessione augere vellet; variis consiliis fluctuabat. Sed tandem in iurisconsultum quendam Oropesam nomine, regium senatorem, animus inclinauit, virum sane præstanti morum integritate atque grauitate præditum, qui ætate iam fessa domesticæ quieti veniam à regibus impetrarat. Hunc ergo regina communicato cum Ximenio prouinciali consilio Archiepiscopum Toletanum designare statuit. Quare suo apud Pontif. Maxim. legato per literas mandat, vt suæ nominationi apostolicam authoritatem more maiorum interponendam curaret. Verum haud ita multo post religiosæ mulieris animo est obortus scrupulus, quod Prouincialis viri optimi rationem nullam habuisset, quamlibet ab eiusmodi honoribus abhorrentis. Nam qui procul ab omni ambitione sunt, & nulla imperandi aliis cupidine ducuntur, ad magistratus, præfecturas, munera denique omnia obeunda, vel inuitos esse pertrahendos optime nouerat. Huic errori opportune succurri posse videbatur: nam Romæ habendus erat ea de re non semel legitimus Patrum senatus, & ob frequentiam negotiorum credibile erat non defutura impedimenta, quæ priorem designationnm morarentur. Igitur misso magnis itineribus veredario, legatum suum regina mutatæ sententiæ admonens, Franciscum Ximenium prouincialem designari iubet Antistitem Toletanum: eiusque designationis sancitam authoritatem & literis Apostolicis (quas breues vocant) præscriptam, magna ad se celeritate perferri, iusto diplomati expediendo dilatione, vt fieri solet, impetrata. Romæ igitur negotia ex sententia reginæ processerunt: cum interim omnia inscio Ximenio, secreto gererentur. Sunt qui Oropesam oblatam dignitatem, quod ei gerendæ imparem sese arbitraretur, constanti animo renuisse dicant. Erat iam dum hæc confecta sunt, ad solenne quadragesimæ ieiunium anni M. CDXCV. deuolutum tempus: quare necessario Madritum, vbi Regina aderat, Ximenius venit, qui illi à confessionibus erat: & postquam muneri suo satisfecisset, in spei cœnobium, quod Ocannæ est, discedere parabat: quo sacris interesse posset, quæ solenni Christianorum ritu, in memoriam dominici funeris celebrantur. Iam Franciscum Ruizium sodalem admonuerat, vt asellum, quo vehi solebat, sterneret: simulque aliquid herbarum condiret, ne impransi viam ingrederentur. Sed insperato, dum hæc moliuntur, Castellus vnus ex cubiculariis reginæ ad Ximenium venit, & priusquam discedat ad Reginam maturet, iubet. Doluit ille eo nuntio accepto, veritus ne quid, tempore præsertim tam sacro, impedimenti accideret. Continuo ergo ad Reginam adiuit, sese quanto ocyus posset explicaturus. Regina Romani Pontificis literas tunc allatas, post sermones aliis de rebus, ex consulto primum iniectos, in manus tradidit: & videto, inquit, quæso quidnam hisce literis summus Pont. sibi velit. Prouincialis ad primam statim inscriptionem, quæ sic à tergo erat (venerabili fratri nostro Francisco Ximenio electo Toletano) vehementer commotus, depositis continuo in reginæ gremio obsignatis literis, & nihil ad se pertinere inquiens, de scabello surrexit: atque nulla, vt solebat, expectata missione, vultu admodum conturbato ad sodalem abiit. At regina, qua erat grauitate, dissimulandum interim rata, dum scilicet interiecta temporis morula animum hominis rei nouitate perculsum redderet sedatiorem, abire in præsens facile permisit, petita tamen priusquam cubiculo egrederetur ab eo facultate, quicquid literarum illud erat resignandi. Paulo post Henricum Auricium Villadæ dominum, regisque auunculum, eiusque familiæ præfectum, & Aluarum Portugallium regii senatus præsidem, summa viros dignitate, ad prouincialem mittit, qui peterent ne vel Reginæ quæ illum tanti faciebat, vel Pontificis Maximi, cuius in ipsum imperii ius esset, authoritatem contemneret: quin vtriusque voluntati, imo diuinæ potius vocationi facilem se dictoque audientem præberet. Simulque alia in eam sententiam adderent mandat, quæ ad hominis ingenium emolliendum facere viderentur. Illi suscepto negotio ad monasterium venientes, cum comperissent prouincialem iam dudum inde profectum, Pintum versus contendere, citatis equis eam viam ingressi, hominem cum duobus sui ordinis sociis ad tertium ab oppido lapidem consequuntur pedibus iter facientem: reductumque paulisper è via, post multum sermonem, vltro citroque habitum, huc tandem perpulere, vt relicto itinere quod instituerat, Madritum reuerteretur. Igitur cum & reginæ, & procerum omnium hortatu precibusque rogaretur, vt delatam dignitatem capesseret, fortem omnino animum atque inuictum

præstabat, semper propositi sui tenax: adeo vt Gutterius Cardenas è reginæ intimis, Ximenium aliquando de ea re compellans dixerit: Non est pater cur nos suspensos teneas: nam si annuis, Archiepiscopi Toletani ratione: siue renuis, magnanimitatis tuæ, & religionis causa, manus tuæ sunt à nobis deosculandæ. Reges paulo post Burgos deuenerunt, quo allatæ sunt literæ Pontif. Maxim. ad Ximenium prouincialem, quibus illum non modo hortabatur, sed pro suo in eum iure imperabat, vti Pontificatum Toletanum, cui rite præfectus esset, omni posthabita mora acciperet. Hic ille nihil amplius repugnandum ratus animo dolenti & inuito se ceruicem submittere altissimo iugo, post sex ferme menses quibus hac de re controuersum fuerat, professus est: nihil tamen dubitabat, quin Deus Optim. Maxim. qui ineundi tanti muneris author fuisset, obeundi quoque adiutor esset futurus: illud semper excipiens, si nullis conditionibus, nullave pensione prægrauatam eam dignitatem darent. Nam sinistris quibusdam rumoribus sparsum fuerat, eius mediocritati quemuis sumptum sufficientem fore, quocirca prouentibus modicis, qui tamen idonei essent, contentum, regibus qui magna & religiosa meditabantur, reliquis qui superfuissent libenter cessurum. Non ideo indignati aut offensi sunt reges: quinimo incredibile dictu fuit, quanta regum animos, procerumque omnium lætitia peruaserit, quod ab eo tandem impetratum fuerit, vt Archiepiscopus Toletanus, hoc est, inter regni primarios authoritate & opibus primus esse non recusaret. Tanta est virtutis vis, & tam potens verus potentiæ honorumque contemptus. Digressi Burgis paulo post reges cum Turiassonem nobilem quondam Romanorum coloniam, & nunc regni Tarraconensis non obscuram vrbem, venissent: ibi Franciscus Ximenius Archiepiscopus designatus in diui Francisci æde magna celebritate, astantibus etiam regibus, v. Idus Octobris (qui dies Franciscanis sacer, octauus à diui Francisci festo numeratur) solenni ritu inunctus, consecratusque est. Sacris vero peractis confestim ad reges accedens, illorum dextras per speciem deosculandi de more appetens, non tam (inquit) quod beneficio vestro reges inclyti, Archiepiscopus factus sum, vestras exosculari manus velim, quam quod eas mihi vos confidam porrecturos esse officii mei adiutrices: vt tandem mihi liceat in cælo archiepiscopi locum mereri. Reges contra quod ille per speciem regii cultus fecerat, re ipsa religionis ergo facientes, & post vniuersi qui aderant proceres, eius manum venerabundi sunt deosculati. Deinde omnium aulicorum congratulantium comitatu, ingenti quoque quacunque præteribat populi plausu, in domum suam reductus est. Mittit illico per totam diœcesim Toletanam præstantes viros, qui oppidis, arcibus, & præsidiis nouos custodes & præfectos designarent, quorum fidem verbis conceptis Antistiti per iusiurandum de more astringerent: cæterosque omnes, tum sacri tum profani fori ministros, donec sibi per otium lustrare liceat, quam idoneos & strenuos præficiant. Est enim ingens numerus in hoc pontificatu honorum, præfecturarum, & munerum, quæ temere quibuslibet, propter oppidorum celebritatem, nunquam committuntur. Erat illi quoque prouidendum de perampla cum dignitatis, tum opulentiæ plena, Castorlæ præfectura, quam Petrus Furtadus Petri Gonzalui cardinalis frater eo viuente semper obtinuerat. Quocirca cum reguli quidam ex Mendozia familia ad Ximenium venissent, reginæ nomine (vt aiebant) rogantes, vt Petrus rursus per eum præficeretur, ne cogeretur priuati habitu ab administratione prouinciæ discedere: futurum enim perquam iniquum, neque ingratitudine insigni cariturum, si Gonsalui quondam patroni immemor, cuius nempe authoritate & testimonio in tam sublime fastigium conscendisset, fratrem modo dignitate deturbaret, qua Golsaluus illum decorauerat. Solent reges dum rogant cogere, nec tam id precibus videbatur agi, quam imperio. At Ximenius excelsi animi, quem diu intra syluas obscuras presserat, aperta iam documenta exhibens, renunciare Reginæ iubet, se quod petitur nequaquam facturum. Potero (inquit) rursum ad priuatam vitam & humilem cucullum, vnde inuitus abstractus sum, redire, neque enim vnquam hanc dignitatem ambiui: cæterum Toletanum Pontificatum mutilum, aut gleba vna imminutum nunquam profecto suscipiam. Audita voce tam constanti, ad reginam reguli cum responso redierunt, non tam Ximenii robur apud illam collaudantes, quam ingratum animum obiicientes: neque ea de re verbum amplius est factum. Post aliquot vero dies, cum nihil tale iam expectaretur, forte Antistiti aulam ingresso Furtadus obuius factus est: qui alio cum vellet iter diuertere, nam Ximenii conspectum, veluti ab eo læsus, vitabat: voce paulo altiore illum honorifice appellat, & Castorlæ præfectum salutat; addens se pro certo habere,

talem ſe regibus, Reipublicæ, & præſuli ſuo Toletano præſtaturum, qualem hactenus ſub fratre illuſtriſſimo. Hunc igitur quandiu vixit, in magno pretio & honore habuit, & Caſtorlæ imperio præeſſe voluit. Ergo tanta fortunæ dignitatiſque acceſſione, nouus antiſtes ceu nouus quoque homo factus, parem extemplo perſonam tanto faſtigio induere viſus eſt, nihil iam niſi ſublime & excelſum animo agitans: ſeu quod ita natura comparatum ſit, vt magni animi magnis honoribus fiant apti, ſed quod diuinitus huic ſane homini ad res magnas gerendas, vt cætera inſtrumenta, ſic quod primum omnium eſt, par animi robur & magnitudo data fuerit. Primum igitur diœceſi ſuæ conſtituendæ vehementer intentus, conſiliarios, ſeu aſſeſſores iuri dicundo, tum morum cenſores (quos viſitatores appellant) homines cum doctrina, tum vitæ integritate præſtantes vndique conquiſitos, ſibi aſciuit. Quod vero ad rem priuatam attinet, nullam ſane aut ſumptuoſi, aut magnifici apparatus rationem per id tempus habere, vnquamve habiturus videbatur: non frequentis familiæ, non pretioſæ ſupellectilis: quin priſcam illam ſanctorum pontificum frugalitatem, cum Franciſci ſui humilitate coniungere viſus eſt. Nam aſello quo ſolebat vehebatur monachis ſui ordinis aſſectantibus, aut ibat pedibus. Non argento menſam, non aulæis parietes ornabat. Totum porro annuum cenſum ſtatuerat ita partiri: vt ex parte dimidia præſentibus egenorum neceſſitatibus ſubueniretur; reliqua vero deductis cum familiæ, tum Pontificatus neceſſariis ſumptibus, in opera publica quæ religionis cultui prouehendo, iuuandiſque ſacrarum literarum ſtudiis neceſſaria eſſent, impenderetur. Totum ergo ſemiſſem pauperum vſibus deſtinatum Ioanni Cardennæ Burgenſi, viro Theologo, & antiqui moris homini, quem piis præfecerat largitionibus, vnica ſyngrapha decreuit, nulla expenſi ratione deferenda, in egenos diſtribuendum. Verum deinde ſuccedentibus maximorum ſumptuum occaſionibus, in primis vero graui ære alieno, ex effuſa in Granatenſes nouos Chriſtianos liberalitate contracto, ſemiſſis illius largitionem, ad arbitrariam diſtributionem redigere coactus eſt. Quod ſane conſilium in dies magis neceſſarium animaduertebat. cũ impoſitam ſibi tum moderatoris, tum pacificatoris publici perſonam, dubiis turbulentiſque Reipubl. temporibus, cerneret ſine magna pecuniæ vi ſuſtineri non poſſe. Ad familiæ quoque frequentiam, domeſticumque cultum, atque ornatum, paulo poſt Pont. Maximi hortatu pertractus eſt. Quam quidem mutationem quoniam eius æmuli, quos egregia virtus ſemper eſt habitura, leuitati animi eo tempore aſcripſerunt, non alienum ab inſtituto erit literarum exemplum, quas ad Ximenium Pont. Max. ea de re miſit, adſcribere: quod ſic habet.

Dilecto filio Franciſco, electo Toletano, Alexander Papa ſextus. Dilecte fili ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Sancta & vniuerſalis Eccleſia, ſicut te ignorare non putamus, ad inſtar cœleſtis Hieruſalem, multis ac diuerſis decoratur ornatibus: in quibus, ſicut in exceſſu præuaricando peccatur, ita in defectu nimium declinando erratur. Grata eſt Deo, & laudabilis cuiuslibet ſtatus condecens obſeruantia. Et propterea quicunque, præſertim prælati Eccleſiæ, ſicut in moribus, ita in habitu & inceſſu, ſtudere debent, ne nimio faſtu ſuperbi, neve nimia abiectione ſuperſtitioſi eſſe videantur, cum vtroque authoritas eccleſiaſticæ diſciplinæ vileſcat. Eam ob rem hortamur te, vt poſtquam te ſancta ſedes Apoſtolica de inferiori ſtatu ad Archiepiſcopalem dignitatem euexit, quemadmodum te in interiori conſcientia ſecundum Deum viuere intelligimus, de quo plurimum gaudemus, ita extrinſecus iuxta condecentiam ſtatus tui, habitu ſcilicet, familia, & cæteris ad dignitatis decorem conuenientibus te habere & obſeruare coneris. Datis Romæ apud ſanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die xv. Decembris, M. CD. XCV. Pontificatus noſtri anno IIII. Sic ergo Pontif. authoritate impulſus, cui minus audientem eſſe religio erat, vix tunc ſibi imperare potuit, vt familiam modice augeret, domum vtcunque ornaret, & lautiore denique vitæ cultu vteretur. Procedente tamen deinde tempore, animaduertens quantum ſplendor hic vitæ apud vulgus momenti habeat, ad vindicandum à contemptu publicæ perſonæ dignitatem, quam in pretio haberi permagni ad quietem publicam refert: non modo ad iuſtam familiæ frequentiam, menſarum magnificentiam, & elegantiam, ad omnis quoque apparatus gloriam amplitudinemque peruenit, ſed cultum etiam ſibi accerſiuit non incurioſum. Nam & holoſerica veſte ſuperinduebatur, & pretioſis pellibus, ſed præcipue leucophæis (quod veſti ſcilicet Franciſcanæ concolores eſſent) vtebatur. Longo poſt tempore dum Reipublicæ gubernandæ præeſſet, Beltranum Metinenſem regium apud nouum orbem ſenatorem, veſtem illi obtuliſſe aiunt, rariſſimis pellibus ornatam ex animalibus tranſmarinis, quæ tribus ducatorum aureorum millibus æſtimabatur. Retinuit quidem illam Ximenius domi per aliquot dies, ne videretur offeren-

rentem contemnere, sed paulo post ad Beltranum remisit morbi prætextu, quo postremo laborauit, quasi sibi parum commodus eo tempore eiusmodi cultus & necessarius esset. Mirum quiddam in illis pellibus fuisse traditur: nam si quando explicabantur, aut quouis modo agitabantur, suauitas quædam odoris ex illis afflabatur, quæ totum opplebat locum. Lectos item sericis & purpureis stragulis ornatos, cum tamen ille Franciscanæ regulæ ad vltimum vsque spiritum obseruantissimus fuerit, & sindones lineas semper respuerit: & sæpe à ministris deprehensus sit mollibus culcitris, & pretiosis pannis è lecto ablatis in nudis tabulis, aut humi somnum carpere. At in familiaribus, tam primo hoc tempore, quam deinceps recipiendis, maximum morum delectum habuit: nam & inculpatam vitam, omnique turpitudinis non modo labe, sed & suspicione vacantem exigebat. Pueros vero ingenuos ferculorum ad mensam ministros seuerissima disciplina continebat, pædagogo admoto qui illorum ingenia bonarum litterarum rudimentis excoleret: à quibus & ipse nonnunquam diurni studii operam exigebat. Familię porro vniuersæ, hoc ipso Pontificatus sui rudimento, non exigua pars ex Franciscanis sodalibus constabat. Decem quippe ex illis spectata probitate viros contubernales sibi delegerat, quorum societate religiosæ vitæ memoriam, & quoad eius fieri posset formam quoque tueri, perque eos sacra officii sui munera exequi destinarat. Quo fiebat, vt penes huius ordinis viros futuram iam inde partem maximam Pontificatuum, honorum, magistratuumque sacrorum omnes arbitrarentur: tanta erat Archiepiscopi in illos, tanta Reginæ in Archiepiscopum amoris & beneuolentiæ significatio. Vnde non vulgares spes sibi proposuerunt, non ii modo qui familiari illo Archiepiscopi vsu atque conuictu fruebantur, sed alii etiam eiusdem ordinis viri, insigni aliqua religionis atque doctrinæ opinione clari. Qui si apud aulæ primates, & authoritate & gratia pollerent, porrigente vtcunque manum Archiepiscopo, facile emersuri credebantur. Sed vtrosque sane sua spes fefellit: omnino enim Ximenius, seu quod religiosos homines longe ab humani ambitus scopulis retrahendos esse iudicaret, seu certo quodam alio consilio: nihil sane suis illis contubernalibus publicorum negotiorum vel communicabat ipse, vel ab aliis sinebat communicari. Interuentores vero, quales permulti rerum alienarum curiosi, & fumos vendere soliti, in aula regia esse consueuerunt, ad eos ingredi haud temere patiebatur: sed neque pedem in palatium inferre, aut inter proceres aulicos versari permittebat: adeo vt angustius, in Archiepiscopi ædibus agere, quam in suis cœnobiis viderentur. Cum viris ordinis sui primariis quoties familiares sermones conferre contigerat, nihil aliud quam de tuenda religionis disciplina, de continendis in officio sodalibus, de precationis, lectionisque frequentia, aliisque id genus exercendis pietatis studiis, non sine summa oris grauitate disserebat. Qua de re non vulgari inuidia apud monachos laborare cœpit, quasi ordinis sui ornandi parum studiosus: nec verebantur nonnulli sinistros sermones de nimia hominis seueritate in vulgus spargere. Accidit per id tempus, vt Franciscani ordinis summus magister (quem illi ministrum generalem vocant) ex vrbe Roma in Hispaniam muneris sui exercendi causa veniret. Nam quod quidam in hoc illum à Ximenii æmulis conspiratione facta accitum putant, quo illius opera ad facessendum Ximenio negotium abuterentur, affirmare nolim. Illud certe satis constat, homines sui ordinis ministri generalis aures grauissimis in Ximenium criminationibus onerasse. Nam insignem eius liuorem & maleuolentiam criminabantur: qui cum monachos doctrinæ & religionis laude præstantissimos facile posset in amplissimis dignitatibus collocare, maximo deinde vsui atque ornamento vniuerso ordini futuros, non modo ipsorum incrementis non faueret, sed & reginæ animum sua sponte ordini deuotissimum aliorsum deflectere, atque abalienare conaretur. Sed neque in fratrem suum vterinum Franciscano quoque ordini initiatum quem secum haberet, vlla amoris significatione propensum esse. Multa præterea in eius ingenium moresque indigne iacientes, quæcunque nimirum exulceratis animis odium, ob spes frustratas suggerebat. At ille homo quidem externus, rerumque nostrarum ignarus, & suapte Ximenio magnopere infensus (erat enim conuentualis) vita, & studio, facile tot calumniis irritatus, in Ximenii perniciem cœpit incumbere, palam & impotenter iactitans minime conquieturum, donec eum è fastigio quo indigne conscendisset, deturbatum, ad sordes pristinas reuocaret. Reginam ergo adit: & post paruam temporis à prima salutatione moram, eius attentione, tanquam de re magna dicturus, efflagitata, mirari se dixit, quonam consilio Franciscum Ximenium ad tantum honoris & potentiæ culmen prouexisset: cum nec natalium splendore moueri potuerit, nec doctrinæ opinione, cum omnium iuxta bonarum disciplinarum ignorans habere-

tur. Nam iurisperitiam in qua se exercuisse dicebatur, à limine tantum (quod aiunt) salutauerat. Iam vero eximiam quampiam prudentiam, rerumve gerendarum vsum, qui potuisset ex solis Seguntiensium sacrificulorum iudiciis, quibus breui alioqui tempore præfuisset, tam vberem tamque regiis negotiis tractandis accommodatam sibi comparasse? Quod si vulgata illa ac proinde fallax summæ sanctitatis opinio, qua supremos ipsos cælites proxime credebatur accedere, ad eum augendum ipsam impulisset, caueret hasce fictas sanctitudines, quæ nec horum temporum aut morum essent: satisque nobiscum præclare agi putaret, si vitam vtcunque innocentem præstaremus. Quod si mentis caliginem remoueret, satis magnum habere poterat argumentum animi leuis & inconstantis, quod non ita pridem in totius domus & familiæ ratione designauerat. Nam ab austeriori norma, quæ monachum decebat, ad sybariticum luxum traduxerat, non sine magna omnium reprehensione. Quod si vellet commemorare ingenii acerbitatem, rigidos, agrestesque mores, orationem asperam & insuauem, nulloque lepôre conditam, ad hæc pallorem accersitum, tristitiam & supercilium, tum demum intellecturam quantum à proposito aberrasset. Hæc enim omnia animi tumidi & arrogantis propria esse, non autem veræ sanctitatis indicia, vt regina existimabat. Nam syncera sanctitas suauis est, & mitis, placida, hilaris, & tractabilis. Quare non esse cur dubitaret, quin fucum suæ simplicitati plane factum fuerit. Nam quod delatum honorem tam longa ille cunctatione distulisset, vulpini hoc ingenii potius quam sancti indicium fuisse. Siquidem probi, nec dissimulatores viri, vt non ambiunt honores, atque magistratus, ita ritè atque incorruptè delatos modestè accipiunt, non tam præesse quam prodesse cupientes. Quare oportere quidem etiam atque etiam circunspiceret, qua nam tandem ratione tanto huic ecclesiæ Toletanæ vulneri mederi posset, nisi suæ existimationis, atque adeo etiam animæ salutis obliuisci potius vellet. Nam nihili hominem, ad ea se dignitate abdicandum adigere, cui par esse gerendæ nequeat, nihil profecto negotii esse. His permulta addidit conuitiorum & fœditatis plena. Ægre se iam regina continebat, quin procacem hominem, & inuerecundum, è conspectu suo rapi, atque exportari iuberet: verum quid suam maiestatem deceret memor, sese continuit. Ergo nihil aliud quam satisne sanus esset, ad verbosam eius orationem subiecit: & an qui cum loqueretur intelligeret? Hic ille acerbius irritatus, Satis (inquit) sanus sum, neque qui cum loquar ignoro, nempe cum Isabella regina, quæ pauculus puluis est, vt ego. Et simul consurgens foras furenti similis abiit. Multum Archiepiscopi causam iuuit generalis ministri tam effusa petulantia, quæ reginæ quidem iram & indignationem meruit potius, quàm gratiam aut assensum. Facile sapientissima fœmina intellexit, morbo illum animi stimulatum potius, quam certo vllo iudicio ductum, in tam illotum sermonem prorupisse. Interim Ximenius quanquam mature satis quid in ipsius caput minister ille moliretur amicorum indicio intellexerat, recti conscientia fretus, tantum abfuit, vt vel reginæ aures (id quod illi facillimum factu fuisset) duceret præoccupandas, aut certe post intentam calumniam, de apologia cogitaret, vt nec verbum vllum ea de re cuiquam facere sustinuerit: nec ministro quidem vllam offensi animi speciem præbuerit: quin singulari illum studio, mirificaque pietate colere, venerarique persistebat. Itaque omnia Ximenio moderate dissimulanterque ferente, facile totus ille sæuientis inuidiæ feruor contepuit, & paulo post in fumum euanuit. Porro quanquam nihil aduersus sodales illos suos, quos sibi domesticos elegerat, querelarum habere præ se ferebat, quos neque conscios quidem illius in se coniurationis fuisse existimabat, tamen vel æmulorum aliorum tædio, vel quod arctam viuendi normam istis displicere sentiebat, quæsitis occasionibus alium alio, in cœnobium quenque suum amandauit, tribus modo retentis, Francisco Ruizio, Didaco Camachio, & Didaco Villalano, qui Ximenio ab arcanis confessionibus, & à priuatis sacrificiis essent. Quibus leges pendenti in tabula præscriptas dedisse fertur, varias quidem illas, sed quæ huc tandem omnes tenderent, vt intra suum angulum abditi, ab omni negotiorum strepitu, & ab omni profanorum hominum commercio abstinerent. Hæc tamen tam rigida illis imposita viuendi conditio in causa fuit, vt ad honores emergerent, fauente non nihil Ximenio. De Francisco Ruizio diximus: Didacus vero Villalanus cum validis lateribus ad populum concionaretur, & aptus esset affectibus permouendis, regius concionator est factus, & in Abderitanũ deinde episcopũ assumptus. Quartus his annumerandus est Bernardinus Archiepiscopi germanus: nã nec morum ęquabilitate, nec iudicio satis sano erat prędítus. Hic n. vt supra commemorauimus, cum à Nauarra rediit opera Ximenii amicorũ, &

fratrem

fratrem Monachum factum rescivit, eidem ordini se addixerat. Sed non erat cuiquam illorum trium, quos Ximenius domi habebat conferendus: ac proinde fortunam infœlicem sortitus, verum esse satis declarauit, suam moribus fortunam vnumquenque fingere. De quo, quoniam fraternam indignationem commeritus, domo Antistitis per hæc ferme principia perpetuo pulsus miseram atque calamitosam vitam duxit, pauca præfanda sunt. Erat Bernardinus in monachatu haud vulgariter pius & religiosus, quamobrem fratri erat carior. Sub ipsa etiam Pontificatus tempora, non modo consiliorum particeps, sed & totius Pontificiæ familiæ primus, vt par erat, habebatur. Aiunt tamen in eo Ximenium desiderasse animi constantiam, circunspectionem, & in rebus tractandis prudentiam. Nonnunquam enim naturali quadam temeritate, non sanæ mentis dabat indicia: sed quicquid id erat, fraterna beneuolentia dissimulabatur. At cum ægre animi vitia contineantur, præsertim vbi paululum licentia accedit, Bernardinus insolentior factus, cum neminem sibi apud fratrem præferri pateretur, non solum Archiepiscopi amicis & ministris, sed ipsi etiam, dum omnia pro libidine tractare cupit, cœpit esse grauis. Nam quicunque eum, aut leui facto, aut dicto offendisset, domo Pontificia, fratre inconsulto, statim pellebatur. Quod si quid illum Ximenius obiurgaret, eadem erga eum libertate vti: grauibus verbis inuehi: eius œconomiam impudenter culpare: protinusque locum aliquo in propinquius cœnobium mutare: aliquotque dies conceptam indignationem absentiæ mora testificabatur. Mansueto animo ea omnia Ximenius tolerabat, & simul atque ira fratri deferbuerat, rursus ad se admittebat: nullumque amplius rei ante actæ verbum faciebat. Accidit tamen, vt aliquando iratior multo quam solebat Bernardinus Compluto Guadalfaiaram sese receperit: vbi bilis impetu vehementer agitatus, nulla fratris Archiepiscopi ratione habita, libellum quendam scripsit, quadraginta & amplius rerum capita continentem, quibus non modo Archiepiscopi mores, sed familiæ luxum & intemperantiam, & totius Pontificiæ ditionis sub Antistite fratre licentiam, falso & immerito taxabat. Ea cum Ioanne Viana probo homine, & sibi amico, cæterum fideli fratris ministro communicauit, dictitans quam primum occasio daretur, se libellum in manus reginæ traditurum. Nihil iniquius Ximenius (animo alioqui excelso) ferebat, quam si aliquid sinistrum apud reginam de se iactaretur. Id Viana cum Ximenio statim notum fecisset, illico per sedulos ministros agit, vt captus Bernardinus deferretur, & simul quæ scripsisse ferebatur. Ergo vniuersis thecis, & armariis eius reclusis, tandem libellus inuentus est: ipseque acerbæ custodiæ traditus, atque paulo post Guadalfaiaram deportatus: vbi indignabundus & animi impos biennio integro decumbens, contumaciæ quidem morbum concoquere potuit, ni etiam insaniæ vitio miser laborasset. Sanior tamen post illa factus, fratris læsi clementia implorata, rursus humanissime receptus fuit. Sed vt vulgo dici solet, qui semel bonam mentem amisit, haud facile curari potest. Ægrotabat Compluti Ximenius & aderat Bernardinus frater: accidit vero, vt tunc causa quædam apud Archiepiscopi iudices ageretur, Bernardinus vero in alteram partem adeo inclinauerat, vt litem suam fecisse videretur: Iudices enim ex suo arbitrio sententiam quamuis iniquam vt proferrent impulit. Id Ximenius euestigio resciuit, altera parte nimirum proclamante, & iudicum suorum sententiam rescidit, morbo interim ob indignationem adaucto. Hic insane Bernardinus fremere: & specie visendi fratris ad illum ingressus, multa primum conqueri cœpit, & quod ipse in nullo pretio apud eum esset: multa deinde iudicum nomine, quos graui infamia eo pacto notasset, prorsusque despicatissimos fecisset. Inualidus ob morbum Ximenii animus solitum in eo tolerando vigorem retinere non valens, acri illum oratione increpat: & vt taceat pro imperio iubet, alioqui statim in vincula coniiciendum minatur: Bernardinus puluinari quo caput Ximenii fulciebatur arrepto, os obturauit: & tanta vi guttur vtraque manu furibundus compressit, vt omni facultate ministros inclamandi adempta, qui in proximo cubiculo excubabant, modo non animam efflauerit. Bernardinus siue quod eum iam mortuum credidit, seu rei atrocitate deterritus, nec animi præsentia nefario sceleri absoluendo necessaria præditus, de cubiculo dissimulanter exiens, ministris ne strepitu dormientem excitarent admonitis, in obscuram latebram se proiecit, vnde rei euentum aucuparetur. Aderat inter ministros adolescens quidam Auellaneda, qui paulo quam cæteri attentior, vultum Bernardini immutatum conspicatus, vocem etiam titubantem, gressus inconcinnos & ferme vacillantes subnotauit. Ergo sinistri quippiam accidisse suspicatus, præsertim quod Ximenium & Bernardinum vicissim iurgantes audierat, suspensis passibus ad Archiepi-

ſcopi lectum accedens, ex vultus pallore, & ex frequenti ſuſpirio animo illum defeciſſe credidit: ſocios aduocat, & ad medicos accerſendos aduolat: qui id vi morbi accidiſſe exiſtimantes, quod medicæ artis erat, ſedulo faciebant, ſed vt in re ſubita & ambigua, velut ceſpitantes. Donec ille ad ſe reuerſus, nihil celans aut diſſimulans, fratrem palam incuſare cœpit, ſceleſtum, ſacrilegum, parricidam appellat: remque vt acta fuerat exponit. Sunt qui Bernardini furorem non ob ſententiam reſciſſam obortum fuiſſe dicant: ſed ſacerdotiorum quorundam cauſa, quæ cum à fratre petiiſſet, nec potuiſſet impetrare, eo tandem inſaniæ peruenit, vt fratrem ſtrangulare voluerit. Ergo Bernardinus per gnauos exploratores conquiſitus, Turrigios oppidum iuxta Toletum, olearum fertilitate celebre, compedibus vinctus abducitur: vt in humili tunc temporis cœnobio, vitam ſordidam, vt meruerat, traduceret. Quod in commune ab omnibus monachis curatum eſt, quibus Bernardini facinus indigniſſimum viſum fuerat. Taraſiæ tamen Auriqueſiæ matronæ ſanctiſſimæ benignitate, quæ Turrigiorum ditionem eo tempore tenebat, bona moleſtiæ pars ablata fuit, quam in cuſtodia pertuliſſet. Ab eo tempore tanto ille odio Ximenio fuit, vt nullius vnquam precibus ſimultatem depoſuerit: nec hominem amplius videre ſuſtinuerit, nedum alloqui, aut in familiam recipere. Amor enim quo vehementior aut coniunctior eſt, ſi iuſtis de cauſis aliquando lædatur, nunquam ad priſtinam charitatem redit, nec offenſione obliterata coaleſcit. Ferdinandus Rex longo poſt tempore vix à Ximenio impetrauit, vt mitius contra fratrem germanum præſertim abſentem ageret, eumque benigne iuuaret. Aſſignauit ergo Bernardino octogena numum millia in ſingulos annos, ea conditione tamen, ne vnquam in eius conſpectum veniret. Hunc ego Bernardinum extremam pene ſenectam agentem puer olim Compluti vidi, molli otio & genio indulgentem. Erat ſtatura procera, fronte perfricta, vultu mirum in modum rubro flammeoque, naſo prælongo, & incuruo, oculis introrſum reductis, totiuſque corporis firma quidem compactione, ſed macra. Auellanedæ vero ſedulitatem ſemper ante oculos Ximenius habuit: nam & adoleſcentiæ vitio ſæpius peccantem paterna emendabat indulgentia, præter ſeueritatis ſuæ conſuetudinem: & ne quid illi dum viueret deeſſe poſſet, benigniſſime prouidit. Sed vt ad initia pontificatus reuertamur: vt primum Eccleſia Toletana reſciuit Ximenium in Aragonia vbi tunc agebat inauguratum, legatos ad eum mittit Franciſcum Aluarum Toletanum, & Ioannem Quintanapalliam canonicos, illum iuriſconſultum, hunc theologum, qui illi totius Eccleſiæ nomine gratularentur. Quibus cum longum ſermonem habuit: & multa ſe dixit cupere denuo inſtituere, & multa corrigere, & in antiquum ſtatum reſtituere, quæ in rem communem eſſent ceſſura: ſed illud in primis, vt canonici & eorum ſocii, qui portionarii dicebantur, ad vitæ communitatem, quoad eius fieri poſſet, redirent, qui iam diu ad vitam ſecularem & vagam deſciuerant. Vt ſaltem altaris miniſtri, qui per hebdomadarum vices ſacra faciunt, illis diebus intra clauſtra templi continerentur, quo religioſius munere fungerentur ſuo: ſe vero vt bona domicilia extruerentur curaturum, quibus commode vti poſſent. Legatis vero diligenter mandat, vt id ad capitulum referant, & primo quoque tempore ea de re decretum faciendum curent. Legati quamuis rei difficultatem probe intelligerent, noluerunt tamen quid ſentirent aperire: ſed eius mandata ad capitulum bona fide relaturos, quemadmodum iubebantur, promittunt. Canonici vero per legatos de Antiſtitis ſui voluntate certiores facti, mirum quam fuerint rei nouitate & inſolentia commoti. Non tam quidem quod intolerandum videretur, tres illos ſacrorum miniſtros pauculis diebus intra ædem ſacram contineri, quam quod vererentur ne homo ſeuerus & reſtituendæ veteris diſciplinæ cupidiſſimus, qui tunc ſumma contentione agitabat, vt omnes omnium religioſorum virorum fœminarumque per vniuerſam Hiſpaniam ſocietates ad priſca viuendi inſtituta reuocarentur, dem quoque de canonicis ſuis cogitaret. Auxit illorum ſuſpicionem Ximenii ad præfectum fabricæ mandatum, vt ſuper interiori templi porticu, quæ impluuium viridario conſitum, ad mea vſque tempora cingebat, domicilia conſtrueret: in quibus multo plures quam illi tres ſacerdotes laxe habitare poſſent. Quare inito ſtatim ſecreto conſilio, Alphonſum Albornozium canonicum, qui & capellani maioris dignitate fungebatur, prudentem virum, & induſtrium, Romam ad Pontific. Maxim. aliis negotiorum cauſis prætextis, mittunt, qui præſentem eccleſiæ Toletanæ ſtatum capituli nomine tueretur: & Archiepiſcopum ſi opus eſſet, in ius vocaret, vt res nouas moliri deſineret. Sed Ximenius qui paulo poſt iſta reſciuit, non eſſe ceſſandum

ratus,

ratus, viatores, satellitesque, non sine authoritate regia statim in portum misit, qui Albornozium comprehenderent. Sed quanuis magnis itineribus profecti, nauim conscendisse, & plenis velis nauigasse repererunt. Sed Ximenius vir prudens & experiens, ita posse euenire ratus, vno tempore ad portum satellites, & Romam expeditissimam triremem mittit, qua viri sibi cari & strenui cum mandatis regiis vehebantur, qui Garsiæ Lasso, tunc apud Pontif. Oratori edicerent, vt quamprimum Albornozius appulisset, ablata in vrbem veniendi facultate, vinctum in Hispaniam remitteret. Lassus statim vt regias literas accepit, & rem totam intellexit, Ostiam contendit, vbi quinque dies Albornozii celeritatem anteuertit: tot enim cum esset ibi moratus, descendentem de naui vocauit ad cœnam. Vbi postquam de Hispaniæ rebus multa inter se collocuti sunt, regia illi mandata exponit: & Centurioni in custodiam traditus rursus in Hispaniam traiicere cogitur. Postquam Valentiam appulit, ad Attienzæ arcem translatus est, & tandem Complutum ad Antistitem deducitur: vbi totos fere duo de viginti menses partim vinctus, partim in libera custodia retentus fuit. Carceris molestiæ duriores Alborzonio exhibebantur, quam mitis Ximenii natura ferebat. Sed cum punitio potius regis nomine, quam suo fieret, non nisi regis intercessione dimittendum putabat. Solent etiam qui nouam aliquam potestatem ineunt, seueritatem quandam pene inexorabilem sub ipsa principatus initia exercere, quo asperi & formidolosi vulgo habeantur. Sic enim qui contumaci sunt ingenio, & nouarum rerum auidi, sibi cauere curant: & in officio facilius omnes continentur. Interea Ximenius Toletum profectus, vt se Albornozius sequeretur iussit: & cum illic relinquendus crederetur, rursus secum Complutum reduxit, vbi tandem missum fieri placuit. Vsus fuit Albornozius fidelissima opera Tamai eius ministri in maritimo itinere vinctus, & post etiam Compluti: adeo vt se maximam suæ calamitatis partem, in verbis & consiliis prudentis famuli deposuisse fateretur. Quare post omnes turbas sedatas iam liber, Tamaium gratitudinis ergo portionarium Toletanum faciundum curauit. Ximenius qui Tamai pietatem erga herum, & fidem ac sedulitatem à viris laudatis prædicari audierat, post Albornozii mortem, in familiam suam asciuit, & domus suæ præfectum esse voluit: ac canonicum Toletanum creauit, vt summum bene nauatæ operæ pretium. De statu ecclesiæ mutando, aut de sacrorum ministris intra ecclesiam continendis, mentionem nullam ab eo factam Vergara existimat. Ego Didacum Lupum Aialam aliquando dicere audiui, Ximenium in priuatis sermonibus, quos interdum ad canonicos habuit, de ea suspicione sese purgasse, qua ad regularem viuendi modum eos reducere velle insimulabatur. Quanquam nonnulli referunt, vsum illum aliquando ad hanc rem exemplo tenuissimi panni Leucophæi, quem canonici Ximenio obtulerunt, vt inde sibi vestem clericalem conficiendam curaret: tunc enim pannum laudasse, sed conditionem non probasse: vtcunque enim res caderent, sub Diui Francisci cuculla vitam viuere decreuisse se, dixit. Iubebat ergo, vt ipsi etiam canonici ad Augustini regulam se compararent & viuerent, quam multis adhuc cæremoniis referrent. Sed sibi propositum esse dicebat Heliæ verba vsurpans, non in igne, neque in commotione, sed in auræ tenuis placidissimo sibilo, hoc est, in lenitate & mansuetudine, omnia cum ecclesia sua tractare, & componere. De hebdomadariis autem ministris se non quidem præcipere, suadere tamen vt inter se ea de re agerent & tractarent, qua nihil sibi aut religiosius, aut sanctius videbatur. Ego vt his de rebus asseuerare nihil possum, ita ex ædificii perampla structura, & ex sermone cum legatis ecclesiæ in Aragonia habito, & ex portæ forma quam ad vicum crepidarium adaperuerat, suis & ciuitatis Toletanæ quæ adhuc visuntur insignibus ornatam, iam quæ iactabatur animi sui sententiam fuisse, coniicere licet: cæterum tumultus & turbas emersuras præuidentem, nihil amplius de vtraque re siue priuatim, siue publice Toleti egisse. Habitacula vero illa, magnifico atque sumptuoso opere constructa, in pontificalis palatii partem concessisse videmus. Post celebratum in Aragonia conuentum, & res omnes compositas, reges Almazanum oppidum in Castellæ limite situm peruenerunt. Sed rex paucos post dies, ad comprimendos Caroli Gallorum regis motus, qui in Gerundensium fines hostilia moliri nunciabatur, in Cataloniam rediit. Regina vero Burgos Ximenio adstante profecta est: vbi Lauretum oppidum septentrionalis Oceani portu celebre adire constituit, vt Ioannam filiam suam ad Philippum Austrium sponsum, Maximiliani Cæsaris filium, traiecturam ad naues deduceret. Sed cum itineris difficultas (nam per angustias quasdam & infestas montium salebras eundum erat) atque oppidorum vicorumque infrequentia tot homi-

num millia, qui reginam comitabantur, cum tanto præsertim apparatu & tot impedimen-
tis excipere non posset: Archiepiscopus, qui omnes omnium occasionum articulos ad ec-
clesiam Toletanam visendam captabat, idoneum tempus nactus, facile à regina impetra-
uit, vt sibi tandiu abesse liceret, dum illa Burgos rediret. Ergo Complutum Toletanorum
pontificum regiam sine vlla mora profectus, postquam se ibi ab externis negotiis feriatum
videt, ea solum in animo versabat, quæ ad boni pontificis partes bene agendas necessaria
esse arbitrabatur. Quocirca ecclesiam Toletanam inuisere, & conuentum sacerdotum
(quem Synodum dicunt) indicere, demum totam diœcesim circumlustrare cogita-
bat. Sed antequam proficisceretur, aream circunspicit amplissimis & magnificis æ-
dibus in studiorum collegium ædificandis aptissimam. Cum ergo in his designandis
cum architectis esset occupatissimus, regina quæ à Laurentano portu Burgos redierat,
Ximenii absentiam, cuius consilio multum se iuuari sentiebat, diutius ferre noluit,
& hominem ad se accersiuit: cunctantem vero & causas moræ nectentem, tandem oc-
casione instantium Ioannis filii nuptiarum cum Margarita Maximiliani Augusti filia o-
mnino ad se venire iubet: negabat enim principem iuuentutis, in tot tantorumque re-
gnorum spem natum, per alium quam per primatem Hispaniarum matrimonio iungi de-
bere. Ergo magna omnium celebritate, atque ordinum frequentia, nuptiæ coniunctæ
sunt III. nonas Aprilis, anno M. CCCC. XCVII. quibus ipse stipulandis & sanciendis in-
terfuit, & matrimonii solennia in conspectu regum religiose iuxta & splendide peregit.
Post hæc cum discessurum se iam ad cœpta negotia arbitraretur, miserando quodam ca-
su præter votum manere fuit coactus. Alphonsus Cardenas Gutterii Cardenæ filius, ma-
gnæ spei iuuenis, dum inter æquales in ludis nuptialibus, qui magnificentissimi ob prin-
cipes facti sunt, equum incautius admittit, dorso excussus corruit, & ceruice fracta, è
vestigio animam efflauit magno omnium mœrore. Erat Gutterius Cardenas reginæ per-
familiaris, & intimorum consiliorum particeps: vnde haud vulgariter ob eius calamita-
tem doluit. Alleuabat ægritudinem Ximenius pio & prudenti sermone: nec minus a-
cerbum Gutterii patris vulnus consolando leniebat. Postquam illa mœstitia nouis (vt
fieri solet) rebus subnascentibus excussa est: decreuerunt reges, terminos quibus Ca-
stella à Lusitania distinguitur visere, & obiter Pintiam etiam, & Metinam. Hæc Xime-
nio peropportuna occasio visa est Toletum proficiscendi, ad res sui pontificatus agendas.
Commeatu igitur à regina accepto, Archiepiscopus Complutum venit, & paucos post
dies Toletum de nocte accedere instituerat, fastidiens omnino apparatum illum, atque
fastum, quo noui Antistites primo aduentu vrbem inuehi consueuerunt. At cum id ci-
uitati vehementer ingratum esse intellexisset, eorum votis obsecutus est. Sed quo ma-
gis ille humanam gloriam fugitabat, hoc illa perseuerantius solidam eius virtutem seque-
batur. Neminem Toletanorum præsulum tanta frequentia, tanto ciuium studio & ap-
plausu exceptum esse comperimus. Est quidem illa ciuitas pontificum suorum obser-
uantissima, quos haud secus ac numen quoddam cælitus demissum solet venerari: sed
communibus Archiepiscopos colendi causis peculiares quasdam in Ximenio esse fama
vulgauerat, quæ hominum studia mirum in modum excitarunt, ad eius vultum & totius 4
corporis habitum propius contemplandum. Ergo vbi dies aduentus eius adfuit, cunctus
populus, omnis ætas, sexus, atque ordo, vt est vrbs frequentissima, per portas se effundens,
campos omnes qua venturus expectabatur, late compleuit. Vbi vero ad primum ab vrbe
lapidem Archiepiscopus appropinquare nunciatur, ornatissimus maximi templi clerus,
duplici agminis serie obuiam processit. Mulæ erant nitidæ & insignes, quibus singuli de
more sacerdotum Hispanorum sedebant. Præcedebant autem vnumquemque sui ante-
ambulones purpura fulgentes. Substitit Ximenius media via, quem omnes venerabundi
salutarunt, & deosculatis manibus omnia illi bona precabantur. Paulo deinde vlterius pro-
cedenti, præfectus vrbis cum omnibus imperii sui satellitibus, & clarissimus decurionum
ordo, cum primariis ciuitatis, quos viatores & accensi præibant, occurrunt: subsistentique 5
rursus singuli præteruecti felicem aduentum optabant, honorificis verbis appellantes. Hi-
storicus nostrâs Fernandus Pulgarus homo incorruptæ fidei, & sua lingua satis eloquens,
cuius historiam Antonius Nebrissensis latinam fecit, scriptum reliquit, fuisse solenne, vt in
primo pontificis Toletani in vrbem aduentu, præfectus vrbis cum suis administris, & ipsi
etiam decuriones vrbani post salutatum extra vrbem Antistitem, cum ad portam vrbis
ventum esset, dimissis equis pedibus irent, equitantem Archiepiscopum comitantes vsque
ad templum maximum: sed huiusmodi honore Petrum Gonzaluum Mendozium Cardi-
nalem Archiepiscopum Toletanum, in gratiam Isabellæ reginæ, in cuius comitatu vrbem
primum ingressus est, sponte abstinuisse. Verum siue hoc eo tempore in Gonzalui adula-
tio-

tionem primo ſit tentatum, ſiue re vera hoc officii genus Toletanis olim Pontificibus (qua erant maiores noſtri religione) delatum fuerit, ſeculo certe noſtro compertum eſt obſoleuiſſe. Ad portam igitur vrbis cum veniſſet Ximenius, tam conferta multitudo aditum obſtruxerat, vt nonnulli de vita fuerint periclitati. Iam vero poſtquam vrbem eſt ingreſſus, omnes feneſtras fœminæ puerique occupauerant: ſumma tectorum culmina inſidentium mortalium pondere laborabant: loca altiora omnia ſuſpenſis hominum veſtigiis tenebantur. Tam denſa denique vias turba compleuerat, vt vix ſumma ſatellitum apparitorumque contentione anguſtus trames procedentibus aperiretur. Sic tandem ad auguſtiſſimi templi veſtibulum, ampliſſimo ornatum apparatu, præcipitante diei veſpera peruentum eſt: ibi à ſacerdotibus, qui venienti obuiam proceſſerant, ſacro amictu velatis excipitur. Et poſt adoratam more maiorum ſacroſanctæ crucis pretioſiſſimam particulam, quam iam olim Eccleſia Toletana dono regum in theſauris aſſeruat, pro foribus aſtanti liber oblatus eſt, in quo eccleſiæ Toletanæ inſtituta, legeſque continentur: quas ille ratas ſe habiturum conceptis verbis pollicitus, in illas de more iurauit. Inde in templi adyta religioſo ſacerdotum concentu inductus, poſt habitam ſupplicationem ad aram maximam, in Pontificale palatium, quod in proximo eſt, deducitur. Tertio vero poſtquam aduenerat die canonicis in curiam ſuam per edictum vocatis, in hanc fere ſententiam verba feciſſe dicitur.

QVAM inuitus fratres chariſſimi, in hunc quem videtis dignitatis gradum aſcenderim, neminem veſtrum arbitror ignorare: quam vero immeritus illum occupem, nemo nouit præter me, qui ſub onere tam recenti gemere iam incipiam, & nutare. Quo magis equidem ſentio, non ab ipſo modo numine ſubſidium mihi ſummis precibus implorandum, ſed opem atque auxilium vndecunque, ſed à vobis in primis fratres obſeruandi, petendum eſſe, tanta in Deum pietate, tanta prudentia & virtute præditis: quorum votis & rogationibus ad numina cæleſtia, & conſilio in rebus gerendis, plurimum vtilitatis me capturum ſpero. Confido enim vos mihi omnem operam, conſilium, ſtudiumque præſtaturos, vt nõ in hac modo eccleſia, ſed in vniuerſa adeo diœceſi noſtra cultus diuinus augeatur, mores formentur, eccleſiaſticæ denique diſciplinæ vigor, ſi non omnino inſtauretur (hoc enim optare magis corruptiſſimo hoc ſeculo, quam ſperare licet) ad quandam certe priſcæ integritatis imaginem componatur. Cuius quidem voti me facile compotem futurum ſpero, cum vos in primis videam ad omne virtutis exemplum formatos. Æquum eſt enim, vt qui cæteris ſacerdotibus in ditione noſtra ſuperiores emolumentis & dignitate eſtis, morum quoque ſanctimonia ſitis. Quæ enim eruditio aut diſciplina ad veſtros ciues, qui à rebus ſacris profani ſunt, dimanare poterat, ſi vos officia veſtra contemneretis, opinionum diſſidiis laborantes? & non potius tum veſtium cultu, totiuſque corporis motu, atque geſtu, tum mutua inter vos pace, ſanctis colloquiis, & bonis operibus, interiorem hominem vere ſacerdotio dignum populo (vt facitis) oſtenderetis? Ego ſane, vt aperte vobiſcum agam, quoſcunque hac via ad cœleſtem Hieruſalem aſcendentes, de virtute in virtutem procedere animaduertero, horum profecto non modo conatibus adero, ſed commodis etiam, dignitateque augebo: ſi quis vero (quod abominor) terreſtrem Hiericho deſcendens, in latrocinia vitiorum, à quibus ſaucietur, inciderit, huius certe vulneribus, euangelici Samaritani exemplo, oleum ſuperfundam, & vinum: ſed ita vt multo magis ille olei lenitatem, quam vini ſit auſteritatem experturus: niſi vbi putre vulnus (quod Deus auertat) ſectione, vſtioneve indigebit. Nam nec ab hac quidem quamlibet inuitus temperare potero, cum intelligam quicquid in vobis huiuſmodi fuerit, à me vno apud ſupremum iudicem ſeueriſſime exigendum. Verum meliora profecto atque digniora de tam graui, tamque honeſto ordine, ſperanda mihi eſſe perſuadeo, aduerſus quem officiis potius & humanitate, quam ſummo iure mihi eſſe agendum video. Quoniam vero iam dudum meditor ſynodum ſacerdotum noſtræ diœceſis, rei eccleſiaſticæ conſtituendæ cauſa, Complutum indicere, magnopere vos hortor, vt legatos veſtros illuc mittatis, qui ex priſco maiorum inſtituto rebus gerendis interſint. Interim ſi quid vobis videbitur, in hac ipſa eccleſia, vel alibi per noſtram ditionem, matura cenſura indigere, magnam monitoribus ſum gratiam habiturus. Huic orationi cum per Decanum reuerenter reſponſum eſſet, diſceſſum eſt. Dati deinde dies aliquot procerum & ciuium ſalutationibus, à quibus quam poterat citiſſime ſe expediebat: nam volumen ſacrum in proxima menſa apertum ſemper erat, ad cuius lectionem, niſi quid eſſet ſerio tractandum, poſt primas ſtatim ſalutationes ſeſe conuertebat: quod cuiuis mediocriter attento, ne homini rebus grauiſſimis occupato negotium vltra faceſſeret, indicium erat. Habita eſt etiam non poſtrema ſupplicum libellorum ratio, pleriſque quidem eius generis [illegible] eſſet liberalitate potius, quam oratione vlla reſponden-

LIII

dum: quos in fasciculos dispositos, ad largitionibus præpositum mittebat, qui votis omnium suo arbitrio satisfacere curabat. ita fiebat vt numerosior in dies ab palatii limina petitorum turba conflueret: adeo sane vt constet, Archiepiscopum quo die vrbe profectus est flagitatorum multitudine exitu domus fuisse prohibitum, donec largitor prouido consilio iactatis, quos diuidendos parauerat, nummis, peruium iter fecit exeunti. Multa ergo ille Toleti, quibus ibi commoratus est paucis diebus, præclara constituit: multa composuit, tum ad cleri populique disciplinam, tum ad summi templi, cæterarumque ædium sacrarum sarta tecta, supellectilem, censum, totius denique diuini cultus splendorem pertinentia: quæ longum esset sigillatim persequi. Vnum tamen non omittam, propter exempli claritatem, & rei difficultatem cum primis memorabile. Offendebātur quicunque templum Toletanum adibant sacelli illius angustiis, quod Capellam maiorem vocant, vbi ara maxima solennibus sacris operandis erecta est: erat enim dimidio ferme quam nunc est angustior: quod delubri magnificentia indignum esse omnes iactabant. Porro vnica erat laxandi ratio, si sanctæ Crucis ædicula quæ illi continens est, sacello adderetur: quod facile factu erat diruto pariete medio. Erat autem ædicula illa regium opus venerandæ antiquitatis, veterum quos vocant regum tumulis percelebris: nempe Alphonsi septimi, qui Hispaniæ dictus est Imperator, & Sanctii huius filii cognomento Desiderati, & item Sanctii alterius ex Alphonso decimo geniti: præter alios regiæ stirpis principes viros, quorum illic manibus per proprios sacerdotes quotidianis inferiis parentabatur. Quare multis retro seculis nefas visum fuerat, de diruenda regia capella cogitare. At Ximenius re statim perpensa, ædiculam regiam capellæ maximæ iungendam, & regum reliquias ad eandem transferendas decreuit. Regiis porro sacerdotibus ædiculam aliam sacris suis faciendis assignauit, tanta quidem celeritate, vt sub ipsum discessum prefecto fabricæ negocium dederit rei primo quoque tempore conficiendæ. Verum huic decreto post Archiepiscopi abitum regii sacerdotes summa contentione intercedentes, rem ad capitulum detulerunt: patres obtestantur, ne suo se sacello exturbari, neu sacra clarissimorum regum sepulchra, quæ illi certa quadam religione ducti cineribus suis delegissent, violari paterentur. Patres quanquam Antistitis sui consilium cum ecclesiæ dignitate coniunctum esse liquido videbant, tamen ne Petri Mendozii Cardinalis Archiepiscopi monumentum, quod proxime dextrū summi altaris latus constructum erat, prolato altaris situ, longius relinqueretur, regiorum sacerdotum causam tuendam suscipiunt. Hactenus tamen vt per legatos reginam orarent, tantisper negotium differri vellet, donec ipsa in rem præsentem veniens, (expectabatur enim propediem in vrbem ventura) de re tota pro imperio constitueret: sperabant enim Cardinalis sui, cui tantopere viuenti fauisset, etiam sepulturæ rationem habituram. Regina cum capituli postulatis facile annuisset, paulo post in vrbem veniens, re oculis subiecta, Ximenii consilium laudauit. Ita regii sacelli spatium capellæ maximæ cessit: vbi ara maxima denuo constructa, & ingenti sacrorum signorum pegmate, quod ad summum vsque templi fornicem sublatum videmus, exornata: regii tumuli vtrinque in edito locati, summa quidem tum illorum dignitate, tum ædificii ipsius elegantia, atque decore, Mendocii vero Cardinalis monumentum longiuscule quidem ab ara ipsa seiunctum mansit. Verum id sane incommodum, honorificentissima regiorum monumentorum societate abunde pensatum est. Porro regiis sacrificiis ædicula non longe à Capella maxima attributa: quæ olim sancti Spiritus nuncupata, sanctæ crucis titulum in prioris sacelli memoriam suscepit. Archiepiscopus vbi Complutum venit, conuentum primum suorum sacerdotum celebrauit. Quo in conuentu multa è Reipubl. ecclesiasticæ vtilitate decreta sunt facta: quæ postea in secundo conuentu Talabricæ habito retractata & confirmata vulgauit. Eorum publicæ tabulæ quoniam ætatis iniuria interciderunt, atque ab insequentibus Archiepiscopis multa dissimulato nomine in ipsorum acta translata sunt: nonnulla referre, potissimum quæ viri pietatem & prudentiam declarant, non ab re esse existimaui. Sacerdotibus presbyteris facultatem eligendi sacerdotem dedit, ad quem occulta peccata deferrent, vicaria huic potestate data de quibuslibet commissis absoluendis, quorum ad se duntaxat ex legibus sacris cognitio pertineret: ne forte rem diuinam peragere volentes huius rei obice retardarentur. Quod sub id tempus persæpe contingebat, cum nondum tam multi Pont. Max. priuilegia ad id faciendum, vt nunc, adepti essent. Primariis sacerdotibus, (quos curas vulgo vocant) præcepit, vt singulis dominicis diebus post horas vespertinas (quas completorium vocant) campanæ sonitu, vicorum sibi subiectorum pueros ad Deiparæ Virginis salutationem conuocarent: ibique eos per se aut per æditUum, Christianæ religionis symbola edocerent. Quod ab eo tempore, non sine magno puerorum in Christiana pietate profectu, ad ætatem nostram perseuerat. Quoniam sacræ aquæ vsus, quæ pro foribus templorum est, negli-

negligentia passim interciderat, leuibus peccatis lustrandis more maiorum instituta & consecrata, vt cuncti ecclesias ingredientes ea se diligenter aspergerent, multa etiam proposita cauit. Iam quoniam sacra patina circunferri solet deosculanda, & peruersa quadam ciuilitate inductæ erant mutuæ rogationes, quibus prætermissis graues offensiones & inimicitiæ inter ciues exoriebatur: cauerat Alphonsus Carrillus, vt minister qui patinam gestabat, statim ac quisquam proximum rogare cœpisset, ad altare patinam reduceret. Ximenius quidem noluit cæteros osculo patinæ immerentes priuari propter vnius ineptam ciuilitatem, sed subito ad alium transire, nulla illius ratione habita: & vt sic fieret, graui multa contra ministrum & parochum indicta cauit. Forensium causarum diuturnitatem ex variis aduocatorum allegationibus proficisci certo sciens, quas in fraudem publicæ vtilitatis ob priuatum ipsorum emolumentum introduxerant, maximo sanctæ Synodi applausu sic ad certam breuitatem reduxit: ne quis in ditione sua iudex, siue is ecclesiasticus siue laicus esset, in leuioris momenti causis libellum vllum admitteret: sed de plano (vt aiunt) illas dirimeret & iudicaret. In reliquis vero, vt maiorum decreta seruarentur: & post vnum & alterum libellum, quibus causæ fundamenta ab vtraque parte concluduntur, positionum & interrogationum libelli secundum quos & ipsi litigantes iurati respondeant, & testes etiam qui producuntur quid sentiant declarare teneantur, & tandem vltimus libellus offerretur, qui & contrariorum dictis refutandis, & suorum confirmandis sit satis: vltra quem si vel denuo testes darentur, vel libellus porrigeretur, omnia essent reiicienda vt inepta. Quod si altera pars forum mutaret, exceptionemve aliam de nullitate (vt aiunt) opponeret, id intra octo tantum dies cognosceretur, & sexto post die sententia, quam interlocutoriam vocat, proferretur, & diffinitiua continuo post vigesimum. Decreuerant superioribus temporibus Archiepiscopi, vt sacerdos qui continuis quatuor mensibus sacerdotio abesset, eo statim priuaretur citra vllam allegationem: huiusmodi priuationem Ximenius abrogauit, & ad ius commune reduxit: facile enim prece, aut munere, aut gratia hæ pœnæ eludebantur, & sacerdos teste conscientia fructus perceptos suos facere non poterat. At nunc Tridentini concilii beneficio, his atque aliis incommodis obuiam itum est. Cæterum res duas cum primis vtiles & necessarias Ximenius primus tunc excogitauit: alteram, vt parochi librum in suis ecclesiis habeant, in quo nomina eorum qui lustrali aqua per baptismum expiantur, descripta sint, additis insuper patrum, & compatrum (quos vocant) nominibus, anno etiam, die, & mense prænotatis. Quo sane prouidenti decreto sceleratis multorum diuortiis occursum fuit: quos si quando legitimæ vxoris fastidium ceperat, falsis testibus subornatis compatratus prætextu, matrimoniis illicitis copulabantur. Quin & ad tutelarum curationes, ad sacros ordines suscipiendos, ad hæreditates & sacerdotia ineunda, ad milleque alios vsus posteri se iuuari sentiunt. Alteram, vt parochi, quadragesimali ieiunio ineunte, eorum nomina conscribant qui Christiano ritu confessiones arcanas, quibus tenentur sacerdotibus, fecerint: eaque ad Antistitem ipsum, aut ad Toletanum Complutensemve vicarios, vt ratio territorii exposcit, intra dies quadraginta teneantur deferre: sic enim Antistites certi esse possunt diuinis & pontificiis præceptis esse satisfactum. Iubentur etiam vt ab ipsis certiores fiant, si quid publici, aut noui reatus exortum sit, quod ipsorum authoritate corrigi debeat. Quæ duæ res magno cum ecclesiasticæ disciplinæ fructu adhuc in nostra diœcesi obseruantur, & inde ad alias deriuatæ sunt: nunquam vero sine ingenti iactura immutabuntur, aut intermittentur. Quædam vero circa pietatem diuis debitam religiose sanxit, secutus in plerisque Xisti IIII. Pont. Max. instituta. Diem præsentationis Dei genitricis Mariæ, II. calendas Octobris, solenni pompa, & festo apparatu coli iussit, XIIII. vero calendas Aprilis, eadem solennitate D. Iosephum virginis matris sponsum, vt coleretur, non solum sanxit, sed in calendarium Toletanum, in quo desiderabatur, referri iussit. Diui Francisci diem festum esse voluit, & sic in honore est dies eius habitus vsque ad Taueram Archiepiscopum Toletanum, qui in ordinem redegit. Iulianum Pomerium Archiepiscopum Toletanum, ob vitæ sanctimoniam, & eruditionem sacrarum literarum olim inter diuos relatum, sed temporum negligentia minus cultum quam vita inculpata & scriptis meruerat, calendario etiam Toletano vt adscriberetur curauit, & eius diem pridie nonas Martii sua in ecclesia celebrari. Hic præter diuinis de rebus volumina, scripsit etiam historiam de rebus gestis à rege Bamba sub quo ille vixerat, quæ in bibliothecis Hispaniæ asseruatur. His absolutis, ad publici vsus opera, quibus instituendis natura propensissimus erat, se conuertit: nam religiosas virorum fœminarumque domos, virginum maritandarum gynecea, studiosorum collegia construere in animum induxerat. Cum primis vero liberalium artium & diuinarum litterarum studiis, quarum ille semper amore flagrauit prouehendis, Academiæ Complutensis cœptum ędificium vrgendum esse putabat: cuius quis

dem augendæ ornandæque, adusque vitæ exitum, curam & cogitationem nunquam remisit. Dum hæc per Ximenium in diœcesi sua geruntur, monasticorum ordinum correctio, quam summopere vt fieret curabat, grauissimis vbique motibus ac seditionibus agitabatur: siquidem fratribus conuentualibus passim tumultuantibus, non pauci insigni nobilitate atque authoritate viri fauebant, cum aliis quidem de causis, tum hac potissimum, quod antiqua maiorum suorum sepulchra, sacellaque sumptuoso opere exædificata, atque annuis censibus aucta sacrorum ibidem perpetuo celebrandorum causa, in horum cœnobiis erant: quæ facile peritura existimabant, si fratres obseruantes, quibus censuum huiusmodi immobiliumque bonorum possessio interdicta est, conuentualium loco substituerentur. Necesse enim esse videbant, vt bona ipsa atque census aliorsum dilaberentur: illa enim partim fœminarum cœnobiis, partim fratrum obseruantium literariis collegiis instituendis applicanda esse vulgo ferebatur. Verum hisce difficultatibus in Hispania regia authoritate per Ximenium succurrebatur. Romæ autem, vbi præcipuus causæ vniuersæ cardo vertebatur, longe maiora impedimenta atque incommoda peruincenda erant. Proferebantur pacta quædam conuenta, olim inter conuentuales minoritanos, & fratres obseruantes † P. secundi, & Sixti quarti, Rom. Pont. authoritate firmata, quibus inter alia cauebatur, ne fratres obseruantes conuentualium fratrum cœnobia, domosve, aut alias possessiones etiam sedis Apostolicæ permissu reciperent. Aduersus illam conuentionem, in hac monasteriorum reformatione fuerant nonnullæ conuentualium domus Ximenii opera, dum reginæ à confessionibus esset, ab obseruantibus receptæ, & regulari obseruantiæ, veteribus earum colonis consentientibus vindicatæ: qui precibus & prǽmio illecti, domos suas obseruantibus reliquerant: idque nihil superiorum Pont. prohibitione obstante, Alexan. Sex. Pont. Max. authoritate probatum fuerat: & obseruantibus, vti domos & monasteria conuentualium, de habitantium fratrum consensu recipere, ac libere retinere possent, permissum. Qua ratione fiebat, vt ex conuentualium cœnobiis nonnulla ad obseruantium ordinem transferrentur. Id incommodum ne latius serperet, minister generalis, qui conuentualis erat, & perpetuo magistratu fungebatur (nam nunc per sexennium tantum retinetur) ab eodem Alexandro summa contentione impetrauit, vt in ea monasteriorum correctione minime liceret eam curam gerentibus, sine certis quibusdam adiunctis sociis conuentualis instituti fratribus, ab ipso generali ministro designatis, officio suo fungi. Hos igitur Roma missos cum à regiis correctoribus (quos reformatores vocant) contemptui haberi, nec vllam ipsis in eo ministerio authoritatem deferri intellexisset, Pontif. Maximum miris modis ad iracundiam prouocat, tanquam illius authoritati potissimum illuderetur: corrogatoque Cardinalium qnorundam fauore, qui conuentualium partibus studebant, edictum à Pont. Max. de amplissimi etiam senatus sententia promulgatur, quo vniuerso censuræ huius atque emendationis monasticæ negotio supersederi iubebatur: datis de ea re ad Catholicos reges, quorum authoritate res gerebatur, breuibus literis, quas regina ad se statim allatas ad Ximenium mittendas curauit: erant autem hoc exemplo.

Charissimis in Christo filiis nostris, Ferdinando regi, & Elisabeth reginæ Hispaniarum catholicis, Alexander Papa sextus. Charissimi in Christo filii nostri, salutem & Apostolicam benedictionem. Vt imponatur finis dissensionibus, & querelis quæ continuo afferuntur, à fratribus præsertim ordinis minorum sancti Francisci, propter commissam in istis regnis & dominiis vestris reformationem: pro qua à generali aliqui sui ordinis istuc transmissi, vt simul cum prælatis per nos ad id deputatis huic negotio intenderent, officio suo minime fungi permittuntur, & variis iniuriis (vt asserunt) se affectos conqueruntur: decretum fuit in consistorio, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium vnanimi consilio, vt tam ipsis transmissis fratribus, quam per nos deputatis huic reformationi commissariis inhibetur, vt in huiusmodi reformatione, & eius executione non procederent: sed supersederent. donec veritate per nos intellecta prouideretur, & aliud mandaremus. Quemadmodum maiestates vestræ ex litteris venerabilis fratris nostri G. Episcopi Portuensis Cardinalis Vlixbonensis, eiusdem ordinis vice protectoris, & dilecti filii Garsiæ Lassi Oratoris nostri, ad quas nos remittimus, plenius intelligent. Dat. Romæ apud sanctum Petrum, sub annulo piscatoris, die nona Nouembris, M. CCCC. XCVI. Pontificatus nostri anno sexto.

Hoc nuntio Ximenius maiorem in modum commotus est: facile enim vir prudens animaduertebat, hoc Pontificis interdicto quanquam in speciem temporario, illud potissimum agi, vt causa tota in prǽsens sopita, perpetua deinde dissimulatione extingueretur: hac enim via solet plerunque perplexis negotiis exitus inueniri. Sed vt erat ingenio acri, & ani-

animo magno, maximis ſemper difficultatibus ſeſe opponebat. Quare obice ardentior factus reginam adit, eamque à tam moleſto negotio propemodum abhorrentem confirmat: ſolitæque ſuæ conſtantiæ atque animi præſtantis vt ſit memor admonet: & ſummo ſtudio orat, atque obteſtatur, ne cauſam tam piam deſerat. Moleſtiſſimam haud dubie rem eſſe, odii, tædii, laboriſque pleniſſimam, ſed tanto perſeuerantius in eam incumbendum. Fieri enim non poſſe, quin tandem Chriſtus Opt. Maxim. tam ſancta conſilia eſſet numine ſuo fortunaturus. His verbis regina animum collegit, & Ximenio quicquid gratia & fauore ſuo apud Pontif. Maxim. effici poſſet, benigne promittit, dum modo negotii pondus ipſe ſubeat, donec ad optatum exitum perducatur. Hoc cumulatiſſime Ximenio de ſe pollicente, denuo rem vrgendam cenſet: & ſimul quid ſibi præſenti occaſione conſtituendum videretur, quid Romæ, quid alibi prouidendum exponit. Ximenii igitur opera, labore, & induſtria effectum eſt, vt ſummus Pont. interdicto illo ſublato, totam eam cenſuram & reformationem non modo exequendam decerneret, ſed Ximenio ipſi, vna cum Catanenſi Pont. internuntio, ac Giennenſi Epiſcopis ſtatim committeret exercendam. Sed tam arcto quidem mandato, quod aduerſariorum improuitati datum fuiſſe videbatur, vt non liceret vlli ex tribus Pontif. vicarium pro ſe conſtituere, ſed per ſeipſos mandatum exequi tenerentur. Hoc decretum cum prorſus inane eſſe animaduerteret (nec enim fieri poterat vt ipſe, eiuſve collegæ tot prouincias obirent, & tot adirent monaſteria) non conquieuit, donec vicarios pro arbitrio ſubſtituendi facultatem impetraret. Ita negotium procedere de integro cœpit, & diuina tandem ope compoſitis aut ſublatis maximis, quæ in dies exoriebantur, difficultatibus, tranſactum omnino eſt atque confectum: monaſteriaque omnia (paucis quibuſdam exceptis) ad eum quem cernimus obſeruantię atque religionis ſtatum reducta ſunt, tanta quidem Ximenii laude, vt inter egregia eius præclaraque facinora vnum hoc cenſendum ſane ſit maximum & clariſſimum: vel ob rei difficultatem, vel ob publicam vtilitatem, tanto ex hac religionis reformatione fructu percepto. Si quis monaſticam diſciplinam illius ſeculi in memoriam reuocare volet, aut aliarum hoc tempore nationum monaſteria cum noſtris conferre curet, facile intelliget veriſſima eſſe quæ diximus. Igitur hac tempeſtate quicquid in monaſteriis noſtris modeſtiæ, religionis, continentiæ, ſanctitatiſque eſt, huic viro referri debet acceptum. His difficultatibus incredibili quadam conſtantia euictis, ſentiens Ximenius ſibi cum huiuſmodi hominibus non ſemel, atque iterum eſſe colluctandum: qui ei prætentu pontificalium literarum, aut diplomatum, atque etiam Apoſtolici palatii officiorum aut præfecturarum, quotidie graues & moleſti futuri eſſent, ſeſe ab eius foro eximentes, atq; ad Pont. Max. cauſas ſuas pertinere proclamantes: ne qua ergo hinc viuendi licentia in diœceſi ſua emergeret, quam omnium virtutum generibus exornatam & illuſtratam cupiebat, ab Alexandro VI. aduerſus iſtorum immunitates ſumma Pontif. conſenſione, qui ſanctiſſimis Ximenii conatibus prorſus eſſe annuendũ iudicauit, breues litteras huiuſmodi obtinuit.

Venerabili fratri Franciſco Ximenio Archiepiſcopo Toletano, Alexander Papa VI. Venerabilis frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum ſicut nobis nuper exponi feciſti, in tuis ciuitate & diœceſi Toletana complures perſonæ eccleſiaſticæ fore noſcantur, quæ pro eo quod noſtri & Apoſtolicæ ſedis officiales exiſtant, tuam ordinariam iuriſdictionem eludunt, & videntes ſe non poſſe à te corrigi multa enormia committere non verentur: quæ nullatenus auderent, ſi à tua iuriſdictione ſe exemptos eſſe non cognoſcerent: nos volentes deſuper prouidere, fraternitati tuæ, de qua in his & in aliis ſpecialem domino fiduciam habemus, contra tales perſonas ſub prætextu huiuſmodi exemptionum iuriſdictionem tuam ordinariam effugere volentes, authoritate noſtra procedendi, & illos iuris remediis compeſcendi, omniaque alia & ſingula in præmiſſis, & circa ea neceſſaria quomodolibet & opportuna, faciendi, gerendi, & exequendi, quæ facere poſſes, ſi officiales noſtri, & dictæ ſedis non eſſent, plenam & liberam tenore præſentium concedimus facultatem: non obſtantibus præmiſſis, atque conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ, apud ſanctum Petrum, ſub annulo piſcatoris, die XXIII. Iunii, milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſeptimo.

Has cum ille gratas ſuſcepiſſet, partim earũ authoritate, partim regii fauoris auxilio, quod ſibi benigne quoties opus erat dabatur, ita in omni diſciplina & ſanctitate diœceſim ſuam continebat, vt homines denuo renati viderentur, & bellum omnibus vitiis indictum, priſcamque illam ſeueritatem rediiſſe: quæ probum vindicem adepta, animos hominum ad virtutem natos, etſi arduo & difficili negotio, tandem veluti poſtliminii iure in ſuam poſſeſſionem repoſuerit. Erat porro id temporis Ximenius ſic animatus, vt in palatina verſari aula, regiumve comitatum ſectari, è re ſua eſſe non arbitraretur, niſi maximum, atque eui-

dentissimum operæpretium sperari posset. Quare si quando ad reges ibat, protinus omnes id non sine magna Reipub. vtilitate fieri dicebant. Certe nihilo minorem publicæ administrationis curam gerebat, quam muneris Pontificii: omnia enim diligentissime circunspiciebat, ac perlustrabat: & quicquid in aulicis officiis, ciuilibus muneribus, iurisdicundi præfecturis, publicæ pecuniæ exactionibus, in vniuersa denique Reipubl. tractatione dignum emendatione videbatur, ad reginam extemplo referebat. Inter multa vero quæ ab ipso vtiliter, atque è Reip. commodo, curata hoc tempore atque confecta sunt, vnum Ioannes Vergara commemorat: quod vt perpetuam populis peperit felicitatem, ita perpetua laude tribuendum illi est magnæ virtutis testimonium. Vexabantur miseri populares toto Castellæ Legionisque regno, id est per vniuersam reginæ cathol. ditionem, durissima vectigalis exactione, quod alcabalam nostri vocant: ea est decima rerum omnium quæ venduntur, aut permutantur. Quod tributi genus proauorum nostrorum memoria ad tempus, & velut precario impositum, vt esset vnde rex contra Mauros tunc bellum gerere posset, posteriorum temporum patientia perpetuauit. Hoc vectigal multo fiebat grauius & iniquius magna publicanorum acerbitate atque auaritia, & innumeris præterea litibus, & calumniis ob merces omnino non professas, vel minoris professas, quam distractæ essent: adeo vt populis omnibus, non vno alioqui onere pressis, tam impudens expilatio intolerabilis prorsus videretur. Iam vero quibus aliquid pecuniæ ex vectigali, vel perpetua vel temporaria assignatione, vel stipendii salariive nomine, aut alia de causa authoritate regia attributum erat, vix id multo post tempore, & summa quæ debebatur accisa, recipiebant. Vsque adeo nihil à publicanis, decumanisque sine quæstu & munere priuatim annumerabatur. Horum autem rapacitati cum variis promulgatis legibus occurri tentatum esset, reprimi quidem in præsens, nunquam tamen omnino comprimi posse videbatur. Quin ex ipsis nonnunquam legibus atque sanctionibus grauiora (vt fieri solet) suboriebantur incommoda. Nam cum ad vitandas quotidianas lites de mercium pretiis disceptantium, lata lex esset, vt iuratis venditoribus crederetur: tanta paulo post deprehensa est periuriorum, quæ verbis conceptis apud iudices dabantur, frequentia, vt nihil iam vulgo vilius esset, quam iurisiurandi religio, nilve magis vsurpatum quam ipsius violatio. Fouebat vero publicanorum auaritiam ingens potissimum potentium generosissimorumque aulicorum numerus: qui partim vectigalibus illis locandis atque exercendis, partim illorum rationibus subducendis, conferendis, conficiendisque, luculentissimo salario præpositi, damno publico ditabantur. Tanti igitur mali à Repub. auertendi curam suscipiens Ximenius, adhibito in consilium Ioanne Lupo Cantabro, argentariæ coactionis callentissimo, rationem excogitauit, per quam eiusmodi vectigalia sine vlla deminutione ad fiscum peruenirent: & quæ ex eis concessa esset pecunia, in priuatorum hominum vsus cum fide & in tempore persolueretur. Igitur regia authoritate sancitum est, vt vniuersa annuæ pecuniæ summa (quanta videlicet id temporis ex decumanorum redemptione in fiscum recipiebatur) ciuitatibus, municipiis, oppidis, pro cuiusque frequentiæ, opulentiæ, & negotiationis modo distributa imperaretur: quæ per suos cuiusque populi coactores à singulis negotiatoribus, opificibus, venalitiis, propolis cogeretur, & regiis quæstoribus, aut ex horum assignationibus priuatis hominibus prompte numeraretur. Extraordinariis autem decimis quæ, vel externarum mercium nomine, vel ex venditionibus ciuium qui mercaturam non exercerent, fisco deberentur, redemptioni ciuium relictæ sunt. Ita ingenti populorum consensu atque plausu, publicam temporum felicitatem gratulantium, tota illa decumanorum, redemptorum, mancupum pulsa colluuie, quies publica, & velut libertas parta est: & vniuersorum illud periuriorum, vexationum, deceptionumque seminarium è Reip. visceribus stirpitus euulsum est atque deletum. Hactenus perseuerat hic cogendorum eiusmodi vectigalium mos (quem vulgus encabezamentum appellat) adaucta tamen pro temporum ratione summa, qui nullo vnquam tempore sine magno Reip. malo mutabitur. Hoc quamuis multo post à Ximenio fuerit constitutum, quando scilicet sub extremum vitæ curriculum regnorum gubernationi præfuit, vt ex litteris ipsius ad Carolum regem apud Belgas agentem satis constat, videtur tamen multo ante de hac re pertractasse cum Isabella regina: nam eius testamento, vt primo quoque tempore fieret, iussum est. Ergo re tam præclara ad Reip. vtilitatem constituta, in diœcesim Toletanam reuersus, ne familiæ suæ deesse videretur, quamuis eius rei curam inuitus susciperet, tamen de vxore Ioanni Ximenio fratri, qui secundus natu erat, quærenda inter familiares tractare cœpit. Oblata est autem honestissima conditio: nam Madriti Ioannes Zapata nuper è viuis sublatus, Petri Zapatæ Baraiarum domini, cognomento lusci, frater filiam nubilem Helionoram legitime procreatam, sub Mariæ Luxanæ vxoris tutela reliquerat, pulchritudine & genere præstantem. Igitur cum Maria

Luxa-

Luxana Archiepiscopi animum & potentiam consideraret, facile mulier prudentissima præuidit, si natam Ioanni Ximenio traderet, optime se illam collocasse omnibus visum iri. Matre ergo curante, & Archiepiscopo annuente, sponsalia sunt facta. Cæterum vt erat ab omni fastu alienissimus, statim post peractas nuptias, Turrilacunam vt frater cum vxore concederet, iussit: vbi in priuato loco, eoque Pontificiæ ditionis, & proprio vtriusque natali solo, frugalius & commodius vitam agerent. Atque ita per id temporis modicis quibusdam possessionibus Ioannem fratrem contentum esse voluit, quibus colendis occuparetur, nam cætera ad victum & familiam necessaria facile ex Archiepiscopi liberalitate suppeditabantur. Hic dum Turrilacunæ commoratur, tres ex Helionora liberos suscepit: Benedictum Cisnerium, Diui Bendicti die natum: & Ioannam, quæ Alphonso Mendozio, Cluniensis comitis maioris natu filio nupsit: & Mariam, quæ aliquot post mortem Archiepiscopi annis, Petro Zapatæ consobrino collocata est, cui postea Baraiarum possessio cessit, Petro Lusco, qui ei auunculus erat, absque liberis decedente. Benedictus qui in spem succedendi in caput gentis Cisneriæ, & familiæ nomen educabatur, in adolescentia liberaliter fuit institutus, & postea Petronillam Mendoziam primariam fœminam, ducis Infantatus ex sorore neptem, vxorem duxit. Huic Archiepiscopus magnam dotem dixit, attributis peramplis reditibus & possessionibus, peculiari Ximenii labore & industria partis, dum Oranum expugnat, & gubernationi regnorum præest: nam bona ecclesiastica, in vsus iure canonico designatos, nemo religiosius & solidius insumpsit. Helionora in ipso ætatis flore, Archiepiscopo superstite, fatis prærepta fuit, lachrymas & luctum marito relinquens. Erat insigni probitate & pudicitia: atque digna prorsus, quæ Archiepiscopi nurus esset. Benedictus literis Græcis & Latinis eruditus, magnam de se spem concitauit: erat enim ingenii acrimonia, & acumine mirabili præditus. Sed acutus ille & vehemens spiritus, qui raro sine furore prouenit, rebus gerendis parum aptum faciebat. Studiis literarum oblectabatur: & sæpe Madrito, vbi inter suos viuere constituit, studiorum causa Complutum diuertebat: vbi vt Academiæ patronus colebatur, & familiaritate doctorum hominũ gaudebat, in quos erat beneficus & liberalis. Lupum Alphonsum Ferreram politioris literaturæ professorem magnopere coluit, à quo dicendi artem studiose audiebat. Reges ob mortem immaturam Ioannis principis nimio mœrore pene obruti, sub mensem Nouembrem iam hyeme appetente, anno M. CCCC. XCVII. Valentia profecti, quæ ad pontem Tagi, quem Traiani vocant, in Lusitania sita est, Complutum veniunt, vbi tunc Ximenius aderat: cuius piissimis verbis modum regina lachrymis & ægrimoniæ posuerat: nam illam vt filii morte afflictam consolaretur non multo ante inuiserat. Quanquam ob Margaritæ abortum quam grauidam Ioannes princeps reliquerat, aulæ luctus fuerat renouatus. Hospitium in domo Pontificia simul cum regibus eo tempore Ximenius habuit, quod eius authoritati datum fuit. Sub finem April. anni insequentis Toletum reges concesserunt. Ximenius vero de sua diœcesi solicitus, synodum sacerdotum quam secundam indixerat, dum illi Toleti dimorantur, Talabricæ congregandam curat, & in ædibus sui hospitis Ioannis Aialæ, viri in eo oppido primarii, magna sacerdotum frequentia pie & religiose habuit. Nam singulis ferme diebus Ximenius pontificio ornatu sacra celebrabat: conciones que de rebus ad sanctam Synodum spectantibus, à viris doctrina & probitate claris habebantur: ob quas Gregorius Castellus iudex pontificius, magnam apud omnes gratiam, sed apud Ximenium potissimum iniuit. Ibi ea omnia quæ priore Synodo constituta fuerant, rursus approbata, & confirmata sunt: multa item de nouo adiecta. Ex quibus vnum cum primis egregium, & ad morum licentiam emendandam necessarium esse visum fuit: vt in futurum scilicet, singulis quibusque annis Synodus saltem semel haberetur. Sed siue humanarum rerum accidat conditione, siue potius negligentia nostra & culpa, nihil minus curamus quam quæ maxime ex nostro vsu sunt. Varia deinde negotiorum mole passim in Repub. gliscente, eiusmodi Synodi per eum cogi amplius nequiuerunt: neq; post hasce à Ximenio habitas, vlla ætas nostra, præterquam semel à Ioanne Trauera, conuocatas viderat. Sed per œcumenicum concilium Tridenti celebratum, magna Episcoporum & doctorum hominum frequentia, non modo cuiusq; Episcopatus priuatas, sed prouinciales etiam Synodos fieri sancitum fuit: quas cura & religione Philippi regis catholici, frequentes cogi & haberi in Hispania videmus.

LIBER SECVNDVS.

POst conuentus ſacerdotum celebratos,vulgatoſq; anno eius ſeculi M.CCCC.XCVIII.dum ſacris profaniſq; ſuæ diœceſeos rebus componendis Talabricæ totus intentus eſſet,reginæ quæ Toleti agebat,& Cęſarauguſtam proficiſci parabat,vbi ſolennes conuentus habendi erant de rebus permultis ad Reip.vtilitatem pertinentibus,literæ ſunt redditæ,quibus iubebatur, vt quamprimum reginam ſequeretur:cuius opera & cõſilium magno vſui eſſent futura.Paruit illico Ximenius, & Cõplutum quo reges iter contulerant,properat:vbi paucis diebus commoratus, in Toletana & Complutenſi præfectura,quæ in ſua diœceſi ampliſſimæ ſunt, duos grauiſſimos viros, Villalpandum,& Friaſium,vicarios conſtituit:& regium è veſtigio comitatum eſt ſecutus. Iter illi per Seguntiam neceſſario faciundum fuit,vbi prima pontificatus gerendi rudimẽta vicarius Petri Gonzalui Mendozii exercuerat. Sacerdotes Seguntienſes ad Fontem calidum,id eſt vico nomen,obuiam prodeuntes,primatem venerabũdi ſalutarunt: ſenes pręſertim,qui longæ ætatis beneficio quondam vicarium viderant. Ille omnes comiter ſuſceptos cupidiſſimos ſui dimittit.Nam qui hominum,quibus cum viuunt, tractandorum artẽ nouerunt,quoſdam ſtimulos,& plenos veri amoris impetus,ſuæ erga eos beneuolẽtiæ, relinquere conſueuerunt. Ventum eſt Harizam proximum noſtris limitibus Aragonię oppidum:vbi illuſtri apparatu à ſacerdotibus ſuſceptus,quamuis alieni regni ditionem ingreſſus,ſuiq; iuris in primis tenaciſſimi,crucem tamen,quæ de more patrum,Toletanum Antiſtitem celſa præcedit,illic quoque antecedere ſe iuſſit. Meminerat,Petrum Gonzaluũ Mẽdozium præclariſſimo elogio teſtamento declaraſſe , crucem argenteam, quam ſacro eccleſiæ Toletanæ ærario legauit,Granatæ olim in Alhambrana arce pro vexillo erectã, prima deditæ vrbis auſpicia demonſtraſſe:ſeque ſemper aut iter facientem,aut in vrbibus diuerſantem,per Compoſtellanam,Hiſpalenſem,Granatenſem, Cæſarauguſtanam, Tarraconenſem,Valentinam,aliaſque omnes diœceſes præceſſiſſe,vt primatus inſigne. Hæc honoris prærogatiua,regum,populorumq; conſenſu Toletanis præſulibus meritiſſime data eſt. Cum Cæſarauguſtam acceſſit,quo reges haud ita dudum peruenerant, voluit ſine vllo ſtrepitu vrbem ingredi,ſed proceres non permiſerunt. Nam inter alios, Alphonſus Aragonius catholici regis Ferdinandi filius, Cęſarauguſtanus Antiſtes,& Aragonię regnis gubernandis præfectus,humaniſſimis officiis Toletanum præſulẽ proſequutus eſt. Hic cum res graues incidiſſent,quibus tractandis Ximenii præſentia neceſſaria fuit,nulla in re quãtum prudentia valeret magis oſtendit,quam cum Iſabella regnorum hęres,in Emanuelis Luſitani coniugis cõplexu,qui illuc venerat vna cum vxore,poſt Ioannis principis mortem,regnorum ſucceſſioni ab Aragoniis deſtinandus,acerbiſſimo fato erepta fuit. Nam Aragonii Valentini,& Catalonii ingenti controuerſia in dubium vertebant,an ſucceſſio illorum regnorum,ad fœminam poſſet iure deuolui. Sed partus doloribus ſubito correpta,quorũ impotentiæ & vi infirma alioqui puella ſufficere non valens,animam efflauit. Quę,vt ſcriptores eius temporis teſtantur,longiſſima vita digna fuerat. Nam vt nomine,& vultu,ita quoq; animi dotibus matrem clariſſimam referebat,corpore tamen macro magis & gracili. Cum ergo è dolore grauiter laboraret,Ximenium acceſſi regina iubet,vt in tam graui diſcrimine parturientem religioſis dictis confirmaret,& ad omnem fortunæ caſum paratã faceret. Hoc ita prudenter Ximenius effecit,vt cum eam ex vultus coniectura morti proximã iam eſſe præſentiret,piiſſimis ſermonibus ſic mortem contemnendam eſſe perſuaſerit, vt hac vita mortali ſpreta ad Deum quamprimum euolare concupiſceret. Vix ex vtero prodeunte infantulo,animam in Ximenii manibus Iſabella emiſit,non indignantem aut mœrentẽ, quod ante diem in ætatis flore occumberet,ſed potius viri ſanctiſſimi monitis exultantem & lętam obnixe. In illa vltima vitæ reſpiratione,à Ximenio petiit,vt deſolatorum parentũ curam ſuſciperet:& ne quid ex ſubito caſu incommodi caperent,prouideret:nam eos procuſdubio tam graui ictu conſternandos eſſe certo nouerat. Fecit id ſedulo Ximenius:& cũ vtrunque parentem mœſtiſſimum offendiſſet,& Iſabellam apud Deum Opt. Maxim. agere profuſis lachrymis dixiſſet:tanta commiſeratio regum animos inuaſit,vt Antiſtitem bono animo eſſe iuberent:& ſe mortales eſſe,& mortalem genuiſſe dicerent, & ob temporis tranſacti vſuram immortali Deo gratias agere. Hic iam fronte confirmata Ximenius, cœpit apud eos de rerum mortalium inconſtantia grauiter diſſerere,bene actum eſſe cũ principe filia prædicans, quę è terrena poſſeſſione, & caduca, ad immortalem & cœleſtem tranſlata eſſet. Quod aperte declarabatur, cum ex dictis pietatis & ſanctimonię plenis,

quę

quæ moribunda protulit, tum ex rebus paulo anteactis, quibus mortem sciuisse aperte intelligebatur. Crebro enim fœminis palatinis dicebat, vna cum partu mortem quoq; sibi adfuturam. Quocirca priusquam tempus partus accederet, conscientiam suam diligenter excussit, & viros religione & sanctimonia claros assiduos sibi & frequentes adesse voluit: quibus cum multum sermonem de alterius vitæ mysteriis habuit. Quæ omnia etsi regum animis maiorem dolendi causam darent, quod se tali hærede priuatos intelligerent, eū tamen dolorem regibus cum multis aliis communem esse, Ximenius dicebat, quorum permultum intererat eam diutius superesse. Cæterum Deo Opt. Max. ea omnia curæ futura, cum præsertim editus in lucem infantulus vulnus maternæ mortis mitigaret, & animos res nouas meditantium contineret, beneque de omnibus sperare faceret. Nam vt naturali patrioque affectu eos concitari, nemini mirum videri deberet, ita quoque summæ sapientiæ & excelsæ cuiusdam virtutis esse, qualem omnes ab illis exposcebant, vulgares naturæ affectus superare, & potius animum ad æquitatem componere, quam se nequicquam affligere His, atque aliis sermonibus confirmati reges, optimo Antistiti pro tam beneuola & sapienti oratione gratias agentes, bonam doloris partem deposuerunt: atque nepotis in quē vniuersa regnorum successio inclinauerat, cura suscepta, non multo post lustralibus aquis aspergendum curauerunt, Michaelis nomine indito. Qui ex Ximenii consilio, lectica aureis stragulis exornata in complexu nutricum per totius ciuitatis vicos circumlatus est: quo nimirum mœror sedaretur, qui ex insperata Isabellæ principis morte, omnium animos occupauerat. Quanquam & hic quoque ferme biennio post, cum ex matris imbecillitate multum contraxisset: Granatæ obiit: & ad Ioannam maiorem natu filiam, quæ Philippo Maximiliani Imperatoris filio nupserat, hæreditas peruenit, fatis nimirum Carolum rerum imperio parantibus. Hac miserrima catastrophe Aragoniæ conuentibus solutis, in Castellam reges reuertuntur, & vna Ximenius Antistes. Quibus Ocannam nobile ac fertile oppidum in Carpentania aduenientibus, ille Complutum statim reuertitur: neque enim moram, sine aliqua maxima causa, in regum aula facere (quod superius dictū est) proposuerat. Decurrebat iam annus à Christo nato supra millesimum quingentesimus, sui vero Pontificatus quintus: quo tempore cum aliquid otii sibi fuisse concessum videret, quod secundo ab hinc anno meditari cœperat, de studiosorum collegio Compluti erigendo, omni opera vrgendum curauit. Nam tertio postquam electus est anno, qui quadringentesimus nonagesimus octauus eius seculi fuit, iam ille aream Compluti designauerat, totiusq; ædificii symmetriam, ex Petri Gumelii præstantissimi architecti arte adumbratam comprobauerat. Quod sane nobis argumento est, simul cum proposita pontificatus suscipiendi sententia, literariam domum ædificandam sibi proposuisse. Toto igitur semestri tempore in hoc intentus, pridie Idus Martias, hora ferme post meridiem quarta, cruce Franciscani cœnobii præeunte, & sodalibus religiose supplicationem facientibus, iacta sunt collegii diuo Illefonso dicati fundamenta. Quibus ille proscindendis adfuit, & antequā lapis primus poneretur, quod felix faustumque esset, puris precibus ad Deum fusis, auspicatissima oratione, & signo crucis locum expiauit, Geniumque Complutensem illustriorem fecit. Illic enim sub Sanctio quarto Castellæ rege, qui Ferox cognominatus est, Gonzalum II. Archiepiscopum Toletanum scholam condidisse certum est, eisdem immunitatib. præditam quibus Pintianum gymnasium: vt ex diplomate regio, quod Compluti adseruatur, satis cōstat. Nimirum situs hilaritas, & vicini fluminis amœnitas cum pari cæli benignitate, modo nō clamare videbantur sedes illas musis aptissimas esse. Ergo illico aurea & argentea numismata per Gonzaluum Zegri (qui tunc forte Ximenio comes fuit) fundamētis de more prisco sunt iniecta: & imaguncula palmi longitudine ex ære fusa, sacco, & cucullo Franciscanum monachum referens, dextro frontispicii latere, cōcauo loco post primum lapidem in fundamento est collocata: intra cuius cauum pectus pergamena charta (vt aiunt) inclusa fuit, Francisci Ximenii fundatoris, & Petri Gumelii architecti, & anni, mensis, & diei, quibus ea geri cœpta sunt, memoriam seruans. Mirum est hunc diem à sapiētissima Academia inter fastos suos repositum nō fuisse, & religione maxima celebratum: quemadmodū olim natales vrbium dies colebantur, & nunc dedicationes basilicarum & templorum colūtur. Cum præsertim exemplis innumeris eius diei felicitatem fulgere videamus, tam ingēti doctrinæ luce Hispanæ reip. & huic potissimum Transmontanæ regioni parta. Dum in Academiam cōstituendam Ximenius incūberet, & totus in re præclarissima esset, reges Granatā nuper è Maurorū ditione multis laborib. & ingenti virtute receptā, ad eam cōfirmandam, & in officio retinendam, prudentissimo cōsilio venerunt. Vbi cum multæ res passim occurrerēt, quæ regib. alioqui prudentissimis negotium facesserent, dubiosq; & suspensos tenerent, Ximenii præsentia necessaria visa fuit: cuius solertia & consilio ancipites illæ

res expedirentur. Quapropter ad reges illico venire iussus, quod tum gerebat intermittere coactus, vniuersæ fabricæ cura Balthanaso viro optimo & illarum rerum peritissimo commissa, Granatam venit: vnde reges post mensem Hispalim profecti sunt: Ximenius vero donec reuerterentur Granatæ mansit. Multa interea ad illius vrbis tranquillitatem, multa ad mutua Christianorum cum Mauris commercia, multa denique ad religionem ipsam spectantia excogitauit. Nam cum diuina prouidentia & beneficio, Ferdinandus Talabricensis Hieronymiani ordinis sodalis, vir sanctimonia & doctrina clarus, ad eius vrbis Pontificatum assumptus esset, facile Ximenius ab homine minime ambitioso obtinuit, vt concordibus animis de illorum salute inter se communicarent, eosque omni cura & diligentia ad Christi fidem reducendos curarent. Quod cum diligenter secum considerassent, hæc demum ratio ad id exequendum potior visa fuit. Vocatis primum ad se sacerdotum illorum principibus (quos illi Morabitos & Alfaquinos vocant) cum iis quotidie mansuetę & comiter de rebus ad religionem spectatibus disputare, nihil per vim cum illis agere, sed potius omni libertatis genere eorum animos sibi deuinciendos curare, quod & fecerunt. Nã partim sericeis telis, partim rubris pileis coccineo grano tinctis, quibus gens illa impense delectatur, non contemnenda summa comparatis, donatos à se dimittebant. Qui nuper igitur contempti & captiui esse videbantur, æqua libertate & splendore cum victoribus se frui cernentes, animis paulatim erga nostros conciliatis, Christi dogmata amplecti cœperunt: populoq; deinceps suadere, vt mendaci Mahometo abnegato, Christum verum Deũ sequerentur. Fuit id adeo prouidens & salubre consilium, vt intra paucos dies Alfaquinorum authoritatem turbæ secutæ, ad Baptismum petendum cateruatim conuolarent. Nam dies quidam inter fastos relatus est, quo plusquam tria millia hominum lustrali aqua expiata sunt. Quos cum non posset Ximenius priuatim singulos de ecclesiastico more tingere, decreuit asperforio vniuersos lustrare, quod mersionis simplicis locum habuit. Cœpta est fieri eiusmodi conuersio, xv. Kalend. Ianuarias anno Domini M.CCCC.XCIX. qui dies Gothicis temporibus, Recesuintho rege procurante, Angelicæ ad Deiparam virginem legationi, ex institutione Eugenii II. Archiepiscopi Toletani, nõ autem Ildefonsi (vt vulgo creditur) cõsecratus, religiosissime & persancte colitur. Cum hoc igitur auspicatissimo die bona quadam Ximenii fortuna, tanta res fieri cœpta sit, ingentis huius beneficii causa, quo resp. Granatensis tunc per eum affecta fuit, Deiparæ virgini, sub cuius tutela ecclesia Toletana est, solennia sacra cum Granatæ, tum Toleti eo die quotannis facienda curauit. Hæc nunc duabus his celeberrimis vrbibus magna senatus religiosi cura celebrari, & confici videmus. Bona pars Granatensis vrbis iam fidẽ Christi libentissimis animis susceperat, quando exorti sunt quidam contumaces & rebelles, qui paternarum traditionum nimis studiosi, dolentesq; priscam Maurorum superstitionem in Hispania funditus eo exemplo perire, populi animos crebris concionibus à Christianismo vehementer deterrebant. Hos omnes Ximenius, ne quid detrimenti nouellę illæ plantationes caperent, vinculis coercitos in custodia detinuit: & quod eius ingenio repugnabat, indignis modis tractari permittebat. Inter hos Zegri quidam, partim ob generis nobilitatem, partim ob egregias animi & corporis dotes, authoritate præstabat. Nam sermone hominum iactabatur, è patritia illius Abenhamaris familia, qui rhytmis vernaculis passim à nostris hominibus decantatur, rectam originem trahere. Is magnopere assidua contra suos increpatione Ximenii pios conatus retardabat. Qua de causa decreuit Ximenius, omni fere humanitate deposita, seuera in eum ratione animaduertere, & ei quem comitate & beneficentia nullo modo potuerat placare, atrocia remedia admouere. Data est cura cicurandi hominem Petro Leoni, Ximenii à sacris ministro, qui vere animo leonino præditus adeo fortiter in ea re se gessit, vt hominem alioqui ferum, & immani animi truculentia reluctantem, mansuetum & humilem reddiderit, prorsusq; Ximenii voluntati obtemperantem. Nam aliquot post dies, siue impotentia difficilis conuinctus, siue potius diuino ad id adspirante fauore, qui omnibus hominibus ad salutem præsto est, Zegri ad Alfaquinum Christianorum (sic enim dixisse memoria proditur) se deduci quamprimum postulat. Deducitur vinctus vt erat, & squalidus: qui à Ximenio petiit, vt quo posset libere eloqui, vinculis illum iuberet exoluere: neque enim quicquam pro rato habendum esse, quod ab homine captiuo compedibus & manicis constricto diceretur. Ille vinculis leuatis, continuo genubus volutatus, terram primum, deinde manum propriam, ex Maurorum ritu à prisca gentium adoratione dimanante, deosculatus, se velle fieri Christianum dixit: id enim sibi ea nocte manifesta visione ab Alà (ita enim Mauri Deum vocant) admonitum: seque diuinitus ad eam rem vocari certo scire. Quod tunc proculdubio se declaraturum esse confidebat, quando tale quippiam accidisset, vbi eius fides erga Christianos exposceretur: vt interim taceret, quantum momenti

menti ad rem quam in præsentia parabat Ximenius, sua ad Christum conuersio allatura esset. Sed næ ego ridens (inquit) stultus sum, qui aliunde momenta requiro, quam ab hoc tuo ferocissimo leone, cui si nostri semel committantur, nemo erit, qui non illico Christianus fiat. Hoc autem renidenti vultu, quasi subnotare vellet Leonis erga se acerbitatem. Lætior ea de re quam credi potest Ximenius, ablatis captiuitatis vestibus, totoque illo pædore absterso quem ex diuturna eaq; grauissima custodia contraxerat, veste coccinea & sericea indutum, ad sacrum fontem venire iubet. Vbi ille per baptismum reuiuiscens, nomen simul cum religione mutauit: & Gonzalum Ferdinandium Zegri se appellari voluit: quoniam olim adolescens, in latissima illa planitie quæ ante vrbem Granatam est, cum magno Gonzalo Ferdinandio, forti dimicatione & ancipiti certamine, manum conseruerat, viresq; ducis præstantissimi cum singulari humanitate expertus fuerat: & potissimum in gratiam optimi Antistitis, quem magni Gonzali amicum, ob eius excellentiam, esse sciebat: certe illum officiis non vulgaribus, in sui amorem pellicere curauerat. Qua de causa cum paulo ante Neapolim Gonzalus magna instructus classe iterum nauigaret, regnum illud è Gallorum faucibus, quod, irritis fœderibus factis, per vim & fraudem occupauerant, erepturus: itineri accinctus ad Ximenium venit: nihil prosperum sibi fore existimans, si Antistite optimo & sibi amicissimo insalutato oram soluisset. Commodissima accidit Ximenii consiliis hæc Gonzali Ferdinandi Zegri conuersio: nam simul atq; id vulgatum fuit, Mauri quibus prisca superstitio cordi erat, animis mutatis, Christianismo initiantur. Tantum potest vnius hominis apud populum authoritas, qui sua virtute & animi præstantia fidem sibi & amorem inter suos peperit. Quinquaginta millibus nummum in singulos annos à Ximenio Zegri donatus, non modo Christianæ religioni apud suos dilatandæ, sed & Reip. commodis augendis multis in rebus postea vsui fuit: quemadmodum in Ferdinandi regis catholici historiis traditur. Hoc successu exultans Ximenius, occasionem tam commodam vrgendam, & totum Mahumetanum errorem penitus ex animis illorum, quando opportunitas dabatur, extirpandum esse ratus, nihil illorum opiniones morabatur, qui inueteratam consuetudinem paulatim aboleri consultius esse censent: id enim tantum in rebus parui momenti, & vbi de animarum salute nō agitur, locum habere existimabat. Ergo Alfaquinis ad omnia obsequia eo tempore exhibenda promptis, Alchoranos, id est, suæ superstitionis grauissimos libros, & omnes cuiuscunq; authoris & generis essent Mahumetanæ impietatis codices, facile sine edicto, aut vi, vt in publicum adducerentur impetrauit. Quinq; millia voluminum sunt ferme congregata, quæ variis vmbilicis, punica arte, & opere distincta, auro etiam & argento exornata, non oculos modo, sed animos quoque spectantium rapiebant. Multi eis se donari à Ximenio petierunt, sed nemini quicquam concessum est. Ignibus omnia, publica in pyra, ad vnum exuri, preterquam aliquot ad rem medicam pertinentia, cuius gens illa, non sine magno profectu studiosissima semper fuit, quæ propter saluberrimæ artis dignitatem, ex incendio illo liberata, in Bibliotheca Complutēsi nunc seruātur. Hactenus quidem prospero cursu Antistiti nostro propositum successerat: & quanuis res difficillimas & grauissimas sit aggressus, incomparabili tamē prudentia, qua semper est vsus, omnes ex voto confecerat. Non deerant tamen quibus indignum esse videbatur, prorsusq; ab instituto Christiano alienum, quenquam per vim aut hujusmodi artibus, ad fidem Christi capessēdā adigere, cuius vnicus scopus mansuetudo est, & prompta in primis, ac syncera voluntas. Cum præsertim Toletanis conciliis, quorū tam celebris apud omnes Christianos authoritas est, seuere admodum sancitum sit, nemini vim ad credendum Christo inferendam. Cæterum ille consilium in ea re suum secutus fuit, pauloque post ad durissimum scopulum allidens, vt in rebus humanis quoties aliquid præclarū tentatur, parata semper inuidia est, quæ ardua quæq; negotia subuertit, milleque impedimētis obsistit, animi sui constantiā ostendit, quantumq; robur pectori inesset, in acerbissimo casu declarauit. Est in vrbe Granata locus, qui Albaizinus à Mauris appellatur, regio prærupta, & reliquæ vrbi imminens, & suis mœnibus ab eadem separata, quæ domorum plusquam quinq; millibus hab itatur. Illuc forte fortuna, quidā ex Ximenii familia venerat, cui nomē Salzedus erat, duob. ministris comitatus, ex iis qui pedites Ximenium præibāt. Hos Albaizinēses aliquot cōspicati, qui iam dudum priuata aliqua de causa Salzedo infensi erāt, verbis primū asperis & duris eos accipiētes, deinde obiurgatoriis, & contumeliosis, postremo vesanis, & furore plenis, mutuo sese cœperunt accendere, & in eam tandem rabiem deuenerūt. quæ mentis aciem & rationem obscurās, vulnera demū, & homicidia patrat. Pedites igitur duo illi ministri ferro sunt miserabiliter confossi, eademq; Salzedum fortuna secuta fuisset, nisi cōmodum se proripuisset, & Mauræ mulieris beneficio sub lecto occultus tantisper delituisset, quoad ille tumultus sedaretur. Sed nō ita facile sedari potuit, nā clamori-

bus hinc inde increbrescentibus, cum adhuc captiuorum pectoribus dulcissimæ libertatis imago obuersaretur, occasionem eiusdem recuperandæ sibi dari auide exoptantibus cœpit vniuersus Albaizinus concuti, & hinc & inde arma conclamari. Excita demum tota ciuitas est, & omnium animi ad res nouas erecti, nihil magis quam defectionem minabantur. Augebatur in singulas horas furor, quoque minus resisti poterat, eo maiores vires capiebat. Superuenit interea nox, quæ omnia incommoda auget, sed timori potissimum incrementa magna addit, animis bonorum vltro sese contrahentibus, & faciem illam tenebrarum formidantibus. Mali vero homines per noctis licentiam pudore ac metu liberi, citra vllius reuerentiam, impune quidlibet tentare audent. Quare illico vniuersi Granatenses, siue quod dissimulanter Ximenio tanquam suæ superstitionis euersori infesti, iram & odium iamdudum occultabant, siue potius quod ex eius familia suos illos riuales esse agnouerant, quibus cum nuper ad Albaizinum contentio habita fuerat, domum Ximenii obsidere instituunt: & quem paulo ante cantilenis per vicos celebrabant, liberalitatem eius prædicantes, quam in se demerendis nullis sumptibus parcens exhibuerat, nunc quæ vulgi leuitas est, mutatis animis domum eius cingunt, eumque è medio tollere volunt, aut certe vniuersam eius familiam, cui oppido quam indignati erant. Suadebant plerique Antistiti, vt turbarum furorem in tempore euitaret, protinusque ad Alhambram se conferret, id est vrbis Granatensis præsidium, vbi cohortis prætoriæ dux cum electissimis militibus ad tuendam ciuitatem excubat. Pium consilium refutauit Ximenius, indignumque sua grauitate duxit, sedes alio ea nocte mutare, cum præsertim periculum esset, ne eo absente in familiam sæuiretur. Idcirco ad omnem fortunam paratus, maluit communem euentum cum suis expectare, quam quicquam alienum sua constantia facere. Nox illa fuit terroris plena, totaque insomnis peracta est. Nam fidi famuli pro hero soliciti, herus contra illorum curam gerens, mutuis officiis sibi prospiciebant: nihilque esse in tanto metu remittendum arbitrabantur, quod ad salutem suam pertineret. Vt autem aurora diluxit, quoniam tumultus duraturi videbantur, Tendillano comite ad se accersito, qui Alhambræ custodiæ præfectus erat, ciuitatis curam magnopere commendat, atque suos prætorianos milites, qui ducenti plus minus habebantur, vt paratos in procinctu habeat. Ipse interim prudentia sua omnia tentare, nullum lapidem non mouere nunc Alfaquinos, nunc turbas alloqui, semperque nostris spes bonas ostendere, vt facile eos motus comprimendos, pristinamque vrbi serenitatem Deo Opt. Max. annuente restituendam esse crederent: quod tamen ante decimum diem factum non fuit. Neque enim, quamuis omnem diligentiam, omneque studium ille adhibuisset, ante id tempus pacari potuit. Tertio statim post coortam seditionem die, cum vellet Ximenius nuncium quam velocissimum ad reges mittere, quo de his omnibus quemadmodum acciderant edocerentur, iamque iter adornaret, accessit vir eius ciuitatis patritius Cisnerus nomine, qui se Æthiopem habere dixit, pedibus in singulos dies octoginta quatuor millia passuum, si opus esset, facile conficientem: cui si negotium demandaret, intra biduum reges proculdubio literas quas mandaret recepturos affirmabat. Facile Ximenius persuasus est, & Æthiope ad se venire iusso literarum fasciculum dat, quem in manus reginæ, aut si id minus liceret, Almazano regio secretario traderet. Digreditur omnia promittens Æthiops, qui, vt est hominum sordidorum ingenium, nihil suam existimationem reputantium, ad secundum, aut tertium diuersorium sese epulis & vino obruens, in sequentem diem iacuit. Quinque dies præterierant neque vnquam Hispalim quo mittebatur peruenerat. Accidit id periniquo fato Ximenio, sed vt nonnullis videbatur, commerito, qui misero homuncioni, & vt genus id hominum est, non satis mentis compoti, tantam rem commiserit. Quanquam ingens turbatio homini quantumuis constanti solet mentis dimidium eripere. Nam cum variis curis distrahitur animus, mirum non est si omnia non præcaueat. Peruenerat interea ad reges Granatensis tumultus fama, eumque multis partibus adauxerat, totam ciuitatem rursus in ditionem Maurorum venisse, & tam atroci & graui iacturæ Ximenium Toletanum antistitem occasionem omnem dedisse, dum studio nimis pertinaci Mauros, homines adhuc rudes, & traditionum suarum tenaces, nullis præmissis catechismis, aut doctrinis, subito vellet Christianos fieri. Stupor in primis reginam tenebat, quæ ferme iam rumoribus credens, de Antistitis sui prudentia dubitabat, cum ab eo nihil per tot dies renuntiari, nihil quod factum excusaret, aut afferri, aut scribi videret. Regem vero, cui tot ingentibus laboribus, tot difficultatibus, vrbis illius expugnatio constiterat, grauis quidam dolor occupabat, adeo vt iram conceptam non dissimulans, indignabundus ad reginam quæ Ximenium excusabat dixisse vulgatum sit. En tot maiorum nostrorum, & nostros triumphos, Hispanæ nobilitatis sanguine & sudore partos, ob Ximenii tui stultam peruicaciam, momento temporis

poris dissipatos,& euersos. Hæc regis tam iusta, vt tunc omnibus videbatur, increpatio eò mentem reginæ acrius pupugit, quoniam nondum coniugis animo excidisse sentiebat Alphonsi Aragonii filii honores præreptos, & Ximenii prælati iniuriam. Anxia igitur animi regina, literas doloris & querimoniæ plenas ad Ximenium quam primum dedit. Quas cū ille recepisset, tandē secum cogitare cœpit, quantum rebus detrimenti proueniret ex ignauis & socordibus ministris: si quidem impuri Æthiopis causa, laudē suam & authoritatem, in offensionē & contemptionem apud reges venisse animaduertebat. Qua de causa deinceps cauit, vt probos & strenuos homines, vel ad minima quæque negotia susciperet, hoc sępe numero inter familiares dictitans: Qui operam exactam in conficiendis negotiis captat, exactos etiam, ad ea ministros conquirat oportet, magnoque illos in pretio habeat. At qui facilè quoslibet sine examinatione ad ardua vel leuia tractanda ex æquo admittit, is plerunque rem malè gerit, nec habet quem accusare possit negligentiæ, pręter seipsum. Ergo vt regum indignationem, & conceptam iracundiam mitigaret, Franciscum Ruizium sodalem suum cum mandatis Hispalim ad reges misit, statim se illuc venturum promittēs rationem omnium illis redditurus, simul ac motus Granatenses resedissent. Adeò rem omnem Ruizius à principio eleganter edocuit, adeo singula per partes disseruit, vt regum animos, serie rerum actarum audita, leniuerit, & suo patrono priscam beneuolentiam restituerit. Post vero Ximenius Hispalim veniens, omnem præsentia sua, si qua remanserat, offensionem abstersit. Nam omne animi sui Consilium circa res Granatenses accuratius patefacit. quod se tantisper Reges cælauisse dicebat, ne quid sibi impedimento essent ad id opus quod parabat peragendum. Sumptibus igitur immodicis consideratis, quibus profusissimas largitiones in Mauros fecerat, & vitæ discrimine quod sustinuerat animaduerso, cùm nullius ad id authoritate, aut imperio cogeretur, aut vllum inde emolumentū, nisi vnicam Dei Opt. Max. gloriam & laudem captaret, non solùm omnis indignatio discussa est, omnisq; ratio offensionis abolita, verùm magnæ illi actæ sunt gratiæ, quòd rem tam difficilem animo primum concipere ausus, ad exitum tam felicem perduxisset. Nam cùm Albaizinenses læsæ maiestatis lege tenerentur, conditioque illis proposita esset, vtrum supplicium mallent, an baptismum: ad Christum omnes ad vnum sunt reducti, & simul quicquid in reliqua vrbe infidelis turbæ supererat. Quos omnes Archiepiscopus Granatensis, in partem gregis sibi commissi receptos, sedulò vt par erat, Ximenio adiuuante, Christianis mysteriis per singulos dies imbuendos perstudiose & sanctissime curauit. Sacris etiam missarum, cæterisq; diuinis psalmodiis, quæ ex antiquorum patrum traditione, in orthodoxis ecclesiis decantātur, eos interesse consuefaciebant. Sed quoniam Granatensis Archiepiscopus lectiones, quæ interdum ex veteri, aut ex nouo testamento, horis præsertim nocturnis occurrebant, vulgari eorum idiomate recitari passim demandabat, librosque excudi permittebat, qui adhuc ex eo tempore in nostram ætatem durāt, quibus aliquot missarum solennia, & nonnullæ euangeliorum partes in Arabicam linguam translata continentur, secutus vt credo, quod Paulus ad Corinthios scripsit, Ximenius qui Paulum longe aliter interpretatur, indignū esse, & penè par piaculo dicebat, margaritas ante porcos proiicere, hoc est, hominibus nondū bene in religione confirmatis sacra nostra irridenda, aut contemnenda proponere. Hac enim mundi senescentis calamitosa, & deploranda ætate, quando hominum vulgarium mentes tam longe ab illa puritate, quam Pauli temporibus retinebant, degenerarunt nihil minus conuenire, quàm sacrosancta illa, & non nisi à viris integerrimis & sanctissimis percepta oracula idiomatibus vernaculis vulgari, quæ indocti, vt Petrus Apostolus ait, ad suam perniciem detorquent. Nam talem esse vulgi naturam dicebat, vt obuium quodque & expositum contemnat, abditum verò & inaccessum in pretio habeat & reuereatur. Idcirco vt quæque gens prudentissima, fuit, ita quàm longe à mysteriis suis profanum vulgus & turbas arcuisse, quin & ipsum Christum, sapientiam summi patris, multa quoque non alia causa in parabolis dixisse afferebat, quàm vt à turbis imperitis absconderet, suisq; discipulis seorsum reuelaret. Placere quidem sibi eos sermone vulgari libros circumferri, qui ab hominibus piis scripti, aut optimorum exemplorum enarratione, aut ardentibus verbis, & grauibus rationibus, prudentique adeo, & maturo dicendi stylo animos prorsus deiectos excitarent, & ab his rebus, quę sensibus se offerunt, ad illa diuina contemplanda reuocarent, quales ipse in vulgus edendos, quamprimum esset otium, meditabatur, Cæterùm nouum & vetus instrumentum, in quibus multa sunt, quę doctum & attentum lectorem, castumque & pium hominem requirunt, tribus illis linguis asseruanda esse, quas non sine maximi mysterii causa carissimi filii capiti, in acerbissimo quod patiebatur supplicio, Deus opt. max. superponi voluit. Iam verò diuinans affirmabat, tunc demum magnam Christianæ religionis perniciem adfuturam, quando vtriusque testa-

menti oracula, in vernaculas linguas vulgarentur. Id enim pessimis quibusque vulgarium hominum ignorantia abutentibus, ad vniuersum catholicæ ecclesiæ statum labefactandum, paratam occasionem submini straturum: cùm nihil sit facilius, quàm stultæ plebeculæ imponere, sapientiæ præsertim opinionem sibi ex vulgatis mysteriis arroganti. His tam prudentibus Ximenii dictis, nonnihil ab eius consilii progressu temperatum est, quanuis eis, qui Talabricensi fauebant, visa sint paulò duriora. Cæterùm plusquam vellemus veracem Ximenii sententiam, rerum quas cerminus euentus, comprobauit. Magnę deinceps apud omnes venerationi Ximenius esse cœpit, siquidem tam graui affectus incommodo, & tam arctis angustiis circumuentus, neque ipse animo defecerat, neque se in latebras abdiderat, aut regum suorum conspectum fugerat. Porrò plus mentis acie videre, quàm solent homines, credebatur, quòd re ancipiti, neque planè confirmata, barbara ciuitate adhuc suum Mahumetum spirante, tanta animi contentione, vt Christi doctrinam amplecterentur, laborauerat & effecerat. Idem ferme consiliũ Fernandus Cortesius amplissimi imperii Mexicani expugnator, cuiuis antiquorum Imperatorum æquandus, siue longissimam, eamque difficillimam ad ignotas terras nauigationem, siue rerum gestarum magnitudinem consideremus, secutus proditur: qui incredibili audacia, & ingenti Christianæ religionis amore, simul atque vrbem aliquam in potestate ceperat, illico templa feruidus intrabat, & cunctis attonitis animique eius præsentiam admirantibus, aris dæmonum expiatis, eorumq; imaginibus euersis, Christi crucem reponebat: illamque adorandam prædicabat, vique adhibita, repugnantes nonnunquam cogebat. Ordo rerum à Ximenio gestarum me admonet, vt quid ad harũ gentiũ tunc repertarum salutem & vtilitatem, ab optimo antistite excogitatum sit, paucis exponã. Nonnullis antè annis, quàm hæc quæ modo dicebamus fierent, Christophori Columbi Genuensis solerti industria, incogniti orbis notitia ad reges nostros allata fuerat. Vbi cùm multa grauia & Chrstianis hominibus indigna per nostros duces, & centuriones, reliquumq; item Hispanorum militum vulgus, qui illuc cõmeauerant, patrari nunciarẽtur aduersus illas gẽtes, alioqui imbelles, & inermes, statim Ximenius, dùm Hispali apud reges moratur, cœpit cogitare, quo pacto his malis succurreretur. Nam cùm omnes illuc traiicientes, vnico tantummodo opum congerẽdarũ studio tenerentur, vnicaq; illa inexplebili auri cupidine, terras sub alio sole iacentes, quærerent, primò de deprædandis, & spoliandis miseris hominibus, & ni aurum proderet malè mulctandis, post de erudiendis, & Christo initiandis, maligna & perfunctoria cura agebant. Idcirco regibus Ximenius suasit, vt viros religiosos, sanctimonia & integritate vitæ præstantes, ad eam rem curandam transmitterent, qui solutioris vitę licentiam omnem comprimerent. Id statim religiosissimi principes effecerunt, & de Ximenii consilio & voluntate, cum cæteris viris, qui ex omnibus Hispaniæ cœnobiis electissimi conquisiti sunt, vnà quoque sunt profecti Franciscus Ruizius Ximenii comes, Ioannes Trassierrus, & Ioannes Robledus, omnes Ximenio carissimi, & intimi: quorum cùm ille probatissimos mores, & insignem eruditionem cum non vulgari pietate coniunctam abunde nosset, voluit magis humano affectui pro tempore cedere, quàm Christi nomini & gloriæ deesse. Multum enim interesse existimabat, per quos in tam barbaris tamq; latè patẽtibus terris fides prima plantaretur, & coleretur. Ex his Franciscus Ruizius, cũ cæli mutationem sustinendam parum firmo corpore esset, incommodissima valetudine vexatus, post semestre tempus, ad reges, & antistitem suum rediit, Francisco Boadillo Hispaniolæ præfecto, in custodia secum adducto, vt repetundarum reus ageretur, & variarum criminationum quæ aduersus illum opponebantur, apud regium senatum rationem redderet. His rebus confectis, & ad hunc modum ex voto compositis, quoniam ex Granatensibus molestiis cæterisque omnibus immodicis curis, quas ob reipub. commodum sponte subibat, permultum tædii & languoris Ximenius contraxerat, annuente regina, cui potissimum eius absentia molestissima erat, in diœcesim suam, à qua iamdiu abfuerat, rediit. Complutum Natalem Domini celebraturus venit, qui iam supra millesimum quingentesimus secundus numerabatur. Tamẽ antequam Hispali discederet, cùm aliquando diui Lazari Nosocomiũ, quod extra muros vrbis de more est, inuiseret, & ægrorum frequentiæ reditus impares esse intellexisset, vt tricena millia nummum in singulos annos compararentur, curauit: quibus eo morbo laborantibus aliqua ex parte subueniretur. Dum Compluti Ximenius moratur, Academiæ molem quam parabat adurgens, & põtificiæ suæ ditioni omni studio & cura ꝓspiciens, Alpuxarrẽses, qui mõtes niuosos vrbi Granatæ imminẽtes incolunt, partim Granatensibus indignati, quòd cæremonias patrias reliquissent, partim ne ipsi quoque ad easdem deserendas cogerentur veriti, præruptorum montium quos habitant natura freti, defectionem adorti sunt. Hæc res non mediocriter animos regum conturbauit,

bauit, nam in expugnanda prouincia, nullibi durius aut perculosius laboratum & dimicatum fuerat. Cuncti in Ximenium denuo fremere, eiusque rursus consilium improbare, quòd pertimescendæ illius seditionis causa & origo videbatur. Idcirco per literas à regina reuocatus rursus Granatam venire cogitur, operibus ædificiorum quibus intendebat, interruptis. Quò cùm iter studiosè faceret, antequam ad vrbem Granatam perueniret, omnem tumultum regis virtute sedatum fuisse, & Alpuxarrenses, totumque illum saltum habitantes, qui à colore Sierra Vermigia nostra tempestate, olim Orospeda Græco nomine propter tramites rupib. impeditos est appellatus, acri prælio & cruento deuictos, tandē Christi sacra suscepisse per amicorum literas agnouit. Cuius rei nuncio lætitia magna, vt æquum erat, affectus fuisset, ni Alphonsum Aguilarium, magni Gonzalui fratrem, in eo prælio occubuisse intellexisset, dum stationem quandam tempore incommodissimo tueri cōtendit. Nam noctis tenebris occupatus, & imbribus penè obrutus, miserabiliter montis faucibus interclusus, trucidatus fuit. Cecidit pugnans innumeralibus vulneribus confossus, & postremò immanissimi hostes eius cadauer in frusta dissecuerunt. Periit simul magna familiarium ac fidorum manus, qui vt illum defenderent fortissimè depugnarunt. Permultum ea victoria animos Ximenio obtrectantium placauit, qui totam illam querimoniam de Mauris ad sacra nostra coactis deposuerunt. Ximenium Granatam ingredientem reges benignissimè susceperunt: cui in Alhembrana arce, vbi Catholici reges diuersabantur, locus ad manendum est datus: omnique genere comitatis, & fauoris, liberaliter est tractatus. Dum igitur duorum ferme mensium spatio, arcanis grauissimisque de rebus cum regibus assidue agit, & cum nobiliorib. ex Maurorū gente hominibus, qui se hortante Christi religionem susceperant, libenter versatur, & fidei Christianæ ab eis rationē exposcit, in morbum grauissimū hac de causa (vt creditur) incidit. Est vrbs Granata non quidem à malo punico hiante dicta, vt vulgò creditur: nam Granata Maurorū lingua horreorum domus est, vt periti illius sermonis interpretantur, fabellam ad id peruetustam recensentes, de princ pe fœmina, quæ antiquæ Illiberis incola, ex cuius ruinis Granatam esse ædificatam volunt, sua illic frumenta recondebat. Tota vrbs quinque collibus assurgit: in medio Alcazaba, & Alhambra est, quæ ex altera parte turribus Vermigiis, ex altera verò Albaizino clauduntur. Hic in duo iuga diuisus, quintum monticulum ad septentrionem constituit: cui horti, quos Hinadamares vocant, iunguntur. Imminent vrbi montes perpetuis niuibus tecti, quos Serram niuosam vocant: Alhambra regiam & prætoriam cohortem, eiusque præfectum (vt suprà demonstrauimus) tenet. Quæ quoniam loco excelso posita est, ventis tenuibus assiduè perflatur. Ea verò Alhambræ pars, vbi Ximenius honoris causa à regibus manere est iussus, latis fenestris portisque patentibus aerem illum copiosissimum admittit. Vnde homo assiduis curis confectus, ac propterea corpore imbecillo, in ægritudinem grauissimam incidit. Quæ cùm longior videretur, parumque medici remediis vulgaribus proficerent: reges quos solicitudo incredibilis tenebat, lecto accumbentem salutarūt, & dulcissimis verbis consolati, & bono vt esset animo hortati sunt. Malè habuit humanissimam reginam, & Ximenii inprimis amantem, tanta virium in eo diminutio: idcirco digressa, agitare cum medicis cæpit, an habitaculi & loci mutatione eius saluti consultum iri crederent. Quibus in re ancipiti & parum cognita omnia tentanda esse suadentibus, regina per nuncios obnixè postulat, vt quoniam medici è salute sua id esse statuebant, quibus in capitis periculo non obtemperare piaculum est, mutatis sedibus Genalarifum adeat. Is est locus Alcazabam versus, extra Alhambram positus, viridariis & hortis amœnissimus, quò nimirum vernis temporibus exhilarandi animi causa Granatæ reges se conferre consueuerant: inde quod est prospectus iucundissimus in bonam ciuitatis partem, quæ intuentium oculos subiecta vrbe mira ratione & varietate oblectat. Paruit regiis mandatis Ximenius: sed neque ob hoc melius se habere sentiebat. Mensis vnus iam elapsus erat, postquam ille Genalarifum migrauerat: indiesque deteriori valetudine visus, morbo vires maiores assumente, marasmum grauissimum contraxit: in idque febris genus incidisse videbatur, quæ Græco nomine hectice appellatur: quoniam ossibus inhærens, consueta & familiari tabe vix sentitur, donec corpus exedit. Nihil medici interea inconsultum nihil intentatum aut inexpertum relinquebant. Regina ad illum, quod eximiæ cuiusdam beneuolentiæ indicium erat, iterum visendum anxia diuertit. Omni sermonum genere iacentem confirmat, beneque eum sperare iubet. Sed morbi importuni & sæui, principum hominum præsentiam non verentur: nihilque minus illis deprecantibus aut iubentibus, in mortalia corpora sæuire desinunt. Erat ferme ad maciem extremam redactus Ximenius, medicis omnibus nihil se amplius ad eius sa-

lutem præstare posse apertè profitentibus. Forte nobilis ex Mauris mulieribus fœmina Francisca nomine, quæ quondam Christi sacra, Ximenii lustrica aspersione, inter cæteros susceperat, & quam Zaualio sportularum & penoris præfecto, fidelissimo ex suis ministro, matrimonio collocauerat, dum ad multam noctem in Ximenii cubiculo intimorum familiarium colloquiis interesset, de eius valetudine inter se tractantium, ad Ximenium, illis astantibus accessit: & nosse se (inquit) Granatæ permultos rei medicæ peritissimos, qui nulli medicorum Christianorum cederent, sed potissimùm mulierem, hac de causa in magno pretio apud omnes habitam: quæ longææ ætatis beneficio edocta (erat enim plusquam octogenaria) sine vlla venarum sectione, & sine vllo pharmaco, solis vnctionibus morbos depelleret, corporaque in pristinam sanitatem restitueret. Quòd si eam liberet accersiri, non dubitabat, quin Deo fauente, salutem esset recepturus. Placuit Franciscæ oratio. Et quoniam salutis dulcedo magna est, etiam eius spes hominum animos mirè afficit: vnde cuiuis se medicum profitenti, quod viri sapientes iam olim annotarunt, incunctanter fides habetur. Sed non tam id facere exoptatæ salutis imaginem alii existimant (quanquam est omnibus ea suauissima) quàm sinistram opinionem de medicis vulgò conceptam plerunque temere se gerentibus. Neque enim multum referre existimatur, his aut hominibus imperitis, æquè vtrisque in tenebris errantibus, desperatam salutem committere. Accersita illico est vetula, quæ venis exploratis, & ventre pertentato, non esse medicis insultandum, dicit, si morbum periculo & difficultate plenum artis vi depellere nequiuissent: se tamen, Deo auxiliante, sub cuius tutela tantus vir spiritum ducebat, sperare ante octo dies ad pristinam salutem Ximenium reducturam, vnctionum duntaxat & herbarum beneficio. Vnum tamen interea præmii loco deposcere, vt id medicis insciis ageretur: qui authoritati suæ consulentes, huiusmodi medelas ab illiteratis hominibus profectas verbis atrocibus consueßent improbare: statimque ad artis suæ præscripta, pugnis quibusdam verborum, quarum illa imperita erat, omnem rem deducendam curarent. Quod etsi illa parum morabatur, remediorum suorum nempe conscia, permultum tamen ægrotantis interesse, ne quid ei scrupuli aut suspicionis ex illorum dictis suboriretur: quasi verò dona sanitatum, non magis numinis beneficio, quàm ope vlla humana compararentur. Æquum postulare visa est mulier: & ne quid deinceps medicis innotesceret, curatum est. Ergo per noctis tenebras iam omnibus digressis, sedula anus ad Ximenium veniebat: eumque nemine repugnante vnctionibus fouebat, leniterque oleo condito perfricabat: donec tandem assiduis medelis, intra octo dierum præscriptum tempus, fidem suam mulier liberauit. Namque omni febri liberum Ximenium hilaritati solitæ restituit: & qui se in lecto vix mouere poterat, iam pedibus ambulare gestiebat: quod per probam seruatricem facilè concessum fuit. Interim tamen dum firmior reddebatur, gestatione vti iubet: & antemeridiano præsertim tempore, qua flumen Darrus præterfluit, animi securus & tranquillus, vt aliquot spatia obambulans conficeret. Nam à maioribus longo experimento obseruatum erat, Darri auras adeò salutares esse, vt vel vnico earum remedio, sæpe ægri desperati conualuerint: & idcirco grabatis decumbentes, quando aliter fieri nequiret, ad ponticulum Darri educi solitos, qua iter ab Alhambra ad Alcazabam est. Est enim riuus alioqui aurifer, quod ipso nomine indicari ferunt, de auro in Darrum per Arabes mutato, barbarè nimirum prolata voce. Quod ego quamuis argutè excogitatum, non tamen esse verum existimo, sed fortasse Græca potius nomenclatura, quales multæ passim in vernacula lingua seruantur, Darrum quasi Diarrheon dictum, quòd inter Alcazabam & Alhambram fluat, vrbemque interscindat, ad differentiam Singilis fluminis, quod ad turres Vermigias per campum, qui à rege appellationem habet, ab vrbe distans nonnihil feratur. Cùm verò paululum vires confirmasset, vt quamprimum in patriam terram contenderet monuit, familiarium locorum beneficio pristinam salutem prorsus habiturus. Facta sunt omnia ex eius præscripto, nam illico adhortantibus regibus, Ximenius in Castellam profectus, antequam Complutum quò iter instituerat veniret, integra iam sanitate fruebatur. Ibi ergo patrii cæli indulgentia, & otii nunquam antea concessi beneficio, rursus animum ad cœpta opera conuertit. Sed quoniam in eum locum, ex omnibus reipubl. Christianæ Gymnasiis, bonas literas iamdiu ab Hispania exulantes reducendas, vt diximus, curabat, ad Complutum exornandum sese comparauit. Igitur viam illam, quæ maxima appellatur, rectitudine & longitudine conspicuam, cœno ex aquarum pluuiarum sordibus, quæ propter loci planitiem stagnabant, oppletam, lapidibus vniuersam sterni iussit, & medio alueo paulùm deprimi, quo aquæ præcipites sensim laberentur, illamque puram & vicinis domibus innocuam relinquerent. Hanc aliquot pòst annis Alfonsus Fonseca, tertius à Xime-

à Ximenio antistes, vir politioris vitæ, & totius elegantiæ gnarus, ad eam pulchritudinem, quam nunc cernimus, reduxit, ablatis ligneis columnis, & earum loco marmoreis substitutis. Aiunt tunc animum Ximenio fuisse viam illam maximam ad portam vsque Mantuanam continuare, omnibus ædificiis quæ sese obiter obiicerent dirutis, sed negotiorum multitudine, rerumque grauiorum interuentu, quod proposuerat nequaquam effecisse. Interea dum hæc gerebantur, Frãciscus Ferrera, Cõplutensis ecclesiæ abbas, qui quarto ferme antè anno Romã missus à Ximenio fuerat, de Academiæ Complutensis erectione cum Romano Pontif. acturus, vir sanè industrius, & ad congressum potentiorum aptus, obtentis literis, diplomatibusque illis quas breues vocant, ad eam rem conficiendam necessariis, ad Ximenium venit. Eæ partim Alexandri sexti, partim Iulii secundi indulgentia, omni benignitate, omnib. gratiis & fauore refertæ, liberalissimè concessæ sunt. Quas postea Leo x. ingeniorum & studiorum magnus fautor, incrementis multis confirmauit. Fuit enim Ximenius quo tempore vixit, summis pontificibus carus, tum propter summam in sedem apostolicam perpetuò reuerentiam, tum propter non vulgaria, in eosdum priuatim officia de quibus suis in locis dicemus. Sub hæc eadem tempora Philippus catholicorum regum gener, & Ioanna eius vxor, Fontarabiam, extremum Hispaniæ oppidum & Galliæ oppositum, quod priscum Olearsum fuisse creditur, peruenerant, literis accersiti, ob magna reipublicæ negotia. Philippus, vt prægnanti Ioannæ consuleret, iter per Gallias eo tempore facere instituit: vbi comiter per Gallum accepti, omnique regia magnificentia tractati, in Hispaniam dimissi sunt. Postquam Toletum principes nostros venire, vt ibi hæreditariæ successioni à populis Hispanis destinarentur, Ximenius literis reginæ certior factus est, quæ iam Toleti eos opperiebatur, continuò Compluti discedens Toletum, nouis principibus, cum cæteris omnibus Hispaniæ proceribus, qui illuc conueniebãt, reuerentiam exhibiturus venit, & aduentum faustum eis glatulaturus, qui tam longinquis regionibus emensis, Diuis iuuantibus, incolumes tandem in suam Hispaniam venissent. Per octo ferme dies, quibus Ximenius principes antecesserat, omnem curam intendit, vt senatus, populusque Toletanus, tanto imperio designandos principes, quàm splendidissimo posset apparatu ad se primò venientes exciperet. Fecit id sedulò officiosa ciuitas, regibus suis demerendis alioqui propensa: nam per omnes vicos, & vrbis plateas, publica lætitia certatim ab omnibus colebatur. Ximenius eo quo ingressi sunt die, qui anni millesimi quingentesimi secundi, septimus Maii numerabatur, pontificalibus ornamentis indutus ad templi vestibulum, intra portam indulgentiarum, vbi ara pro tempore extructa crucis signum rasili auro & mira gemmarum copia ornatum ostentabat, venientes opperiebatur. Postquam postrati crucem adorarunt, à Ximenio venerabundè sunt erecti & ad templi aram maximam deducti, vnde post preces ad Deum fusas, in regiam ad parẽtes profecti sunt Quinq; ferme menses Toleti ea de causa moratus Ximenius est, parum quidem aulicas delicias curans, cæteraq; hominum militarium oblectamenta, quibus per eos dies regius comitatus sese exhilarabat. Ergo intentionem ad ea conuertit, quæ iamdiu animo meditabatur. Intelligebat sanè vir prudens sacrorum voluminum lectionem, quæ Biblia Græco nomine passim appellantur, cũctis qui sacris initiati sunt, sed præsertim theologis maximè esse necessariam, nullibiq; magis eosdem illos rerum theologicarum studiosos dormitare, quàm in ea versanda tractandaq;, idque potissimum è trium linguarum ignoratione, prouenire Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ, quibus non solũ quicquid scitu dignum est in omnibus disciplinis profanis, est proditum, sed sacra omnia continentur. Diuinabat vir prudentissimus, in tanta hominum nostrorum inertia, diuinas literas negligentium, impios homines quamprimum exorituros, qui earum lectione armati, & ad suos affectus detorquentes, Christi ecclesiam ausu quidem nefario, & immani, à nostra tamen imperitia profecto, impugnare, & euertere tentarent. Quin antiquissima quæque Christianæ religionis tempora secum reputans, diuina prouidentia ita esse factum videbat, vt quemadmodum à prudentibus imperatoribus ex hostium, cum quibus dimicant, pugnandi natura, ratio & consilia sumuntur, ita quoque aduersus dæmonum artes, qui ingeniis humanis percallidè abutuntur, remedia quoque ex eodem fonte petenda esse. Christus enim opt. max. vnde omnis sapientia ad homines emanat, sanctos ecclesiæ Christianæ patres per quasdam doctrinarum vicissitudines, aduersus emergẽtes hostes conuenientibus armis prudentia sua instruxit. Ximenius, qui ex publica morum corruptela, ipsorumque adeo religionis principum immoderantia, vulpeculas aliquas in occulto nutriri coniectabat, quæ vineam mysticam cùm minus expectaretur demoliri tentarent, neque ad id aliunde comparato præsidio, quam ex sacrorum voluminum perperam intellectorum promptuario, non abs re timere cœpit, ne nostri imparati, & in vtriusq; testamenti libris peregrini & hospites depre-

henderentur. Magni igitur Origenis diligentiam imitatus, qui hexaplis illis decantatis omnes sacrorum voluminum, quæ tunc habebantur, translationes in vnum coniunxerat, editionem Bibliorum faciendam curauit. In ea veteris testamenti libri ternis columnis per singulas paginas sunt distincti. Prima Hebraicam lectionem tenet, media vulgarem, qua nunc vtimur, tertia versionem Græcam LXX. interpretum translatione etiam Latina illustratam. In margine verò inferiori, ne quid desideraretur, Chaldaica, quam vocant, paraphrasis subiecta est, Latina versione è regione apposita. At nouum testamentum Græcam lectionem quàm emendatissimam, & vulgarem translationem habet. Additum est postremum volumen Hebraicarum dictionum eruditum & copiosum Onomasticon, ab eius linguæ peritis valde laudatum. Id in aliquot bibliorum huiusmodi libris, quorundam incuria, qui eos asseruandos susceperant, non sine graui iactura, desideratur. Res fuit cum primis operosa, & magnifica, & quæ non modò tam ingentem principem, sed etiam ingentis animi virum, ad difficultates omnes euincendas rem tam arduam comitantes, requireret. Accersiuit continuò ad se homines vtriusque literaturæ peritissimos, Demetrium Cretensem natione Græcum, Antonium Nebrissensem, Lopidem Astunigam, & Ferdinandum Pintianum, Græcarum literarum & Latinarum professores, quorum scripta & studiosa monumenta passim nunc in manibus habentur: Alphonsum medicum Complutensem, Paulum Coronellum, & Alphonsum Zamoram, Hebræarum rerum consultissimos: qui cum olim inter suos publicas scholas fuissent moderati, tunc Christianæ fidei sacris ex animo susceptis, ecclesiæ orthodoxæ domestici & alumni essent, meritò ad tantum negotium à Ximenio sunt vocati: quod illorum virtuti, eruditioni & constantiæ, meritò est commissum. Cum his viris de suo consilio sermones confert, liberalissimè impensas promittit, & singulos præmiis propositis priuatim inuitat. Ante omnia festinandum admonet, ne, vt sunt res mortales caducæ, & fluxæ, aut illi patrono ad eam rem promptissimo, aut ipse tam accommodis adiutoribus priuaretur, quorum præsentiam & operam pluris quàm vllas pretiosas possessiones aut diuitias æstimaret. Accenduntur cuncti Ximenii verbis, & ab eo die, donec vltima manus fuit imposita, nihil est à viris eruditissimis cessatum. Conquisiti sunt vndique, vtriusque testamenti vetustissimi codices, ad quorum fidem castigatio excudendorum fieret, & vitiata loca sanarentur, & quæ dubia & obscura essent illustrata collucerent. Sed potissimum adiumento fuerunt Bibliothecæ Vaticanæ venerandæ antiquitatis apographi, quorum copia per Leonem X. Pontific. Maximum benignissimè Ximenio facta est, cuius iam tum magnificentiam demiratus, cœpit hominem in magno pretio habere: & eius consilium, quamuis in vltimis terris positi, quoties reipubl. Christianæ negotia postulabant, in rebus arduis requirere. LXX. tamen translationis explicatio, partim ab aliquot Academiæ Complutensis eruditis hominibus, qui iam tunc sub Demetrio & Pinciano præceptoribus in Græcis literis non vulgariter profecerant, partim à Demetrio, Pinciano, & Astuniga, adeò feliciter confecta fuit, vt nihil à LXX. interpretibus iuxta Græcam eruditionem sit dictum, qualia permulta apud eos habentur, quod à nostris in tanta breuitate fuerit prætermissum. Fuit inter hos ad hoc munus vocatus Ioannes Vergara, cui libri, quos vulgò Sapientiales vocant (vt ab eo sæpius audiui) explicandi sunt commissi: in quibus multa quæ in vulgata translatione difficilia esse videbãtur, in antiquam lectionem restituit: nihilque magis seni, cùm otio fruebatur, sibi dicebat in votis esse, quam librum ecclesiastici (quem Panaretum vocant) scholiis aliquot illustrare: sed tardauit præclarum institutum incommodissima valetudo. Durauit ab hoc anno, qui M. D. II. Christi nati fuit, annos continuos plus minus quindecim de sacris bibliis edendis cura: vt penè cum Ximenii vita, finem quoq; editio susceperit. Vbi si per partes narrandum esset quantum laboris exhaustũ sit, quantum tædii & fastidii deuoratum à viris illis operi præfectis, in exemplaribus excutiendis, quamque multiplici & ardua negotiorum mole Ximenius interim alio euocaretur, nimium profectò in eis dicendis immoraremur. At illud vnũ quod ad impensas à Ximenio in ea re absoluenda factas pertinet, reticendum nequaquam est. Septem Hebræa exemplaria quæ nunc Compluti habentur, quatuor millibus aureorum ex diuersis regionibus sibi comparasse, Alphonsus Zamora Hebræarum literarum professor, sæpenumero referebat: vt interim de Græcis & Latinis taceam, quorum illa ab vrbe Roma, hæc tum ex peregrinis locis, tum ex variis in Hispania bibliothecis, ab octingẽtis ferme annis characterib. Gotthicis scripta, magnis sumptib. Complutũ sunt delata. Iam verò Chalcographorum & scribarum salaria, doctorum hominum non vulgaria præmia, mercedes internuntiis propositas, quibus ad codices vetustos adipiscendos

vteba-

vtebatur, assiduam denique subministrantium cateruam, quam ad res quæ insperato emergebant expediendas sustentabat,& mille alia, quæ longum esset referre, si bene quis ratione subducta numeret,quinquaginta millium aureorum,& amplius, summam conficiet:quod & maiores natu frequenter dicere audiui. Hac tandem diligentia, & authoritate,& liberalitate,opus illud absolutissimum prodiit Leoni x. Pontif. Maxim. dicatum, cum in testimonium grati animi,tum quod vniuersa,quæ ad sacrarum literarum illustrationem pertinent,nemini magis quam Romano Pont.penes quem tota ecclesiæ Christianæ authoritas est,consecrari & offerri debeant. Opus mehercule miraculo par, & cuius tanta apud omnes qui vbicunque terrarum in sacris literis versantur,veneratio est, vt ad Complutensium bibliorum exemplum, quicquid aliubi excuditur, certatim reuocetur:& in sapientissimorum virorum scriptis, quoties de lectione sacra controuertitur, testimonia ab eisdem petita proferantur. Hoc ergo, quod diuini beneficii loco ego quidem reponendum arbitror,signo dato,mentes nostrorum hominum, atque adeo mortalium cæterorum, ad sacras literas tractandas sese conuerterunt,& velut ex longo veterno ad sacra mysteria perscrutanda euigilarunt:quæ,vt in procemiis huic operi per viros illos eminentissimos propositis,sapienter & copiose dicitur,multam lucem,ne vniuersam pene dixerim, ex linguarum cognitione, quibus vtrumque testamentum scriptum est, suscipiunt. Audiui Ioannem Brocarium Compl. excusorem, Arnoldi Guilielmi Brocarii filium, sæpenumero ad æquales dixisse, eo ipso die quo vltima manus à patre operis excusioni imposita fuit, se puerum eleganter vestitum cum vltimo bibliorum volumine ad Ximenium venisse: qui impendio lætatus ita cælum suspiciens acclamauit: Grates tibi ago summe Christe, quod rem magnopere à me curatam ad optatum finem perduxeris. Et ad familiares continuo conuersus, equidem (inquit) cum multa ardua & difficilia reipub. causa hactenus gesserim, nihil est amici, de quo mihi magis gratulari debeatis, quam de hac bibliorum editione: quæ vna sacros religionis nostræ fontes tempore perquam necessario aperit: vnde multo purior theologica disciplina haurietur,quam à riuis postea deductis. Non satis animi sui magnitudini Ximenius ingens hoc bibliorum edendorum opus esse arbitrabatur, adhuc alia secum voluebat,quæ morte præuentus absoluere non potuit.Nam vt Ioannem Vergaram, aliosque complures,qui eo tempore apud eum vixerunt, dicentes audiui, Aristotelicorum voluminum editionem parabat:vt singulæ paginarum facies ternis columnis distinguerentur: quarum prima græca Aristotelis verba emendatissime contineret:media vulgatam translationem: extrema vero nouam quandam, & liberiorem versionem: vt eis veluti commentariis, scriptoris alioqui difficilis, sensus abditi illustrarentur. Nam ad earum disciplinarum cognitionem, quas in schola sua tractandas proposuerat, eum quoque authorem pernecessarium esse intelligebat. Atque ad nouam illam versionem faciendam, viros aliquot in græcis & philosophicis literis doctissimos accersendos vndecunque curasse. Huic rei inter alios qui adhuc conquirebantur, Ioannes Vergara designatus est: qui diligenter latinos fecit octo de physico auditu libros, tres de anima, Metaphysices vero quatuordecim. Hi Toleti in templi maximi bibliotheca seruantur. At cum bibliorum editioni Aristotelica esset successura, atque illa nondum absoluta Ximenius è viuis sublatus sit, mortis præoccupantis iniuria, quæ semper viris magnanimis perinîqua & immatura accidit, præclari operis ingenti spe studiosos homines frustrauit. Verum hæc ad eruditorum virorum studia iuuanda esse videbantur. Illiterata vero & imperita turba, quorum maxima vbique copia est, ne vanis fabulis, aut Milesiacis historiis, quibus mores corrumpuntur, siue legendis, siue audiendis, intenderet: libros aliquot sanctimonia & pietate plenos,quibus ipse se olim priuatus oblectauerat, partim latine edendos,partim in linguam vernaculam per viros prudentes transferendos,eosque non sine magnis impensis vulgandos curauit. Hi sunt Catherinæ Senensis epistolæ, Angelæ Fulginatis,& Metildis opuscula,Ioannis Climaci gradus, Vincentii Ferrerii, & Claræ virginis cœnobitarum suorum viuendi instituta, Christi vitæ meditationes, quas Landulphus Carthusiensis scripsit,Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis vita:qui omnes, si Landulphum demas,cuius adhuc memoria recens est,propter excellentem vitæ puritatem,incorruptos & grauissimos mores,in diuorum numerum relati, scriptorum suorum pietatem commendant:veraq; documenta exhibent,quibus in tanta hominum peruersitate,& in tanta omnium viuendi licentia,ad arduam illam virtutis viam rectum iter dirigere possimus.Sed cum hi libri partim ab antistite per cœnobia diuisi,partim à bibliopolis euestigio distracti fuerint, paucissimi nunc inueniuntur, & sui pretium raritate adaugent.

At verò cùm diuinis cantibus obeundis muſici libri mutili & laceri in eccleſiis haberentur, veritus ne quando illorum inopia diuinæ laudes intermitterentur, quæ mirum in modum, illa præſertim ſimplici modulatione, quam Gregorianam vocant, piorum animos religione afficiunt, in membranis vniuerſam officii diuini ſeriem multis voluminibus excudi iuſſit, appoſitis etiam muſicis notis, quæ per ſuam diœceſim diſtribuit. Hæc ſi nunc excudenda forent, magnis ſumptibus & impenſis opus eſſet. Durant adhuc ex illis multa, ſed quæ ſenio & caſibus tandem conficientur, niſi alter Ximenio ſimilis exoriatur, qui eius veſtigiis inſiſtens in integrum ſarta tecta reſtituat. Ne quid tamen relinqueret quod ad publicã vtilitatem videretur pertinere, non ſolùm earum rerum ſtudia quæ diſciplinarũ difficultatibus peruincendis, rebusque grauiſſimis tractandis inſeruiunt, ſibi eſſe excitanda propoſuit, ſed etiam agrorum excolendorum, atque adeò vitæ ruſticæ vniuerſa exercitia. Nam quemadmodum illis ſtudiis animi paſcuntur, ita his corpora victum & ſubſidium percipiunt. Alterutris autem homines ſi occupentur, beatam vitam domi, foriſque agent. Tres fratres Talabricæ orti ſunt Ferreræ nuncupati, ingenioſi ſanè, & ſua quiſque eorum arte eruditus. Natu maior ſtudiis eloquentiæ deditus, oratoriam Compluti profeſſus eſt. Secundus muſicæ artis ſtudioſus, organis pulſandis in diui Ildephonſi delubro per Ximenium præfectus fuit. Tertius in rei ruſticæ ſcriptoribus legendis verſatus, in eamque exercendam natura propenſus, Geoponicæ artis callentiſſimus euaſit. De ea diligenter ſcriberet præcipit, præmiis etiam propoſitis, vt indocti & ruſtici homines, qui tunc agriculturam indigniſſimè tractabãt, aliquid vulgari lingua quod legerent & ediſcerent ad manum haberent, ne diſciplina honeſtiſſima periret. Hoc ille argumentum ita fœliciter tractauit, vt iure cum priſcis illis contendat qui græcè latinéve de ea re ſcripſerunt. Quanti verò fiant quæ ſcripſit, teſtimonio ſunt crebræ illorum voluminum editiones, noſtris nimirum hominibus ea ſemper auide exoptantibus. His igitur rebus, vt poto operæ & curæ leuioris, vſque in annum ab hoc de quo diximus quintum occupatus, aliud etiam conſtituit non ſine magna laude. Hoc de Mozarabum ſacris inſtaurandis fuit, cum Toleti ageret. Nam cùm per id tempus cæteri (vt diximus) aulæ proceres, totuſque regius comitatus ob publicam lætitiam, ludis diuerſis intenti eſſent, Ximenius ſui templi bibliothecam inuiſere ſtatuit, vbi complures codices venerandæ antiquitatis, manu præſertim ſcriptos, aſſeruari certior factus fuerat. Cæterum quoniam incommodo & iniquo loco poſitam deprehendit (nam & luce, & aura puriore carebat) libris itidem malignè inſtructam, cùm alioqui ampliſſimi reditus, quibus templi fabrica dotata eſt, illam vel Vaticanæ parem, vel ſi quæ aliæ celebres habentur, facili poſſent negotio facere: ſtatim de ea apparatiùs & copioſius ornanda, & in locum meliorem mutanda cœpit agere. Confeciſſetque ſanè vir celſi ſpiritus, quæ propoſuerat, niſi tot rerum grauiſſimarum cura eius animum eueſtigio occupaſſet. Relictus tamen eſt poſteris locus rempub. in re tam clara & magnifica iuuandi. Neque enim tam ingentis ditionis princeps, qualis Archiepiſcopus Toletanus eſt, ſolùm concionibus ad populum habendis, pueriſve ſacro oleo ex Chriſtiano ritu confirmandis & eleemoſynis diſtribuendis, aut vicis ſuæ diœceſeos peragrandis, templiſque inuiſendis, & id genus aliis, quæ certè magni momenti, eiuſque muneris ſunt, contentus eſſe debet: ſed excelſiſſima quæque concipere, expeditiones in Mauros adornare, littoribus noſtris ab hoſtium incurſionibus tranquillitatem parere, totius regni molem ſuſtinere, tumultuantes populos ſedare, reges vt præclara conentur adhortari, doctos homines & ingenia prouehere, diſciplinis nitorem reſtituere, rem literariam pro viribus iuuare, mores denique prauos corrigere, bellum vitiis omnibus indicere, eorumq; prorſus radices extirpare. Quæ omnia adeò cumulatè Ximenius præſtitit, vt ad ſummum faſtigium ea dignitas tunc perducta, inclinationem quam videmus minata videatur. Nam inclytam illam Toletanorum præſulum authoritatem, quorum nutu diuina & profana in Hiſpania gerebantur, ab hoc tam egregiè & conſtanter conſeruatam, ſucceſſores paulatim amiſerunt: non tam ipſorum (vt opinor) culpa, quàm humanarum rerum natura, quæ cuncta nouis rationibus ad ſenium paulatim perducit. Sed certè multa fuiſſe inueniet, qui res attentius conſiderauerit, quæ illam Ximenio magnitudinem pepererunt. Anna Caſtella, matrona prudentiſſima, & in noſtra ciuitate cum primis nobilis, tria potiſſimum numerabat: quòd ſolitos reditus Archiepiſcopatus nullis penſionibus acciſos percepiſſet: quòd Ferdinandum vices filiorum gerentem, vicarium potius principem, quàm proprietarium (vt aiunt) regem habuiſſet: cui nimirum tam neceſſariæ fuiſſent Ximenii operæ, quàm Ximenio regis fauor & beneficentia. Vltimò quòd his occaſionibus peropportunè oblatis, animum illi natura parem dediſſet, vt ſe ea fortuna dignum agnoſceret: proque dignitatis & rerum magnitudine, in eis omnibus, vt virum magnanimum decebat, ſe gereret.

ret. Quibus rebus tandem factum est, vt totius reipub. cura suscepta, ferme biennium rerum summæ præfuerit, vniuersis regulis & Hispaniæ populis nihil contra tentare audentibus. Sed ad Templi Toletani bibliothecam, quo illum venisse dixeramus, redeo: vbi cum singulos libros diligenter excuteret, de omnibusque certior fieri vellet, vt si quando vsus exposceret, haud eorum codicum inopia laboraret, forte ad quædam vetusta volumina in membranis Gotthicis characteribus scripta peruenit. Sed antequam ad ea quæ circa hæc volumina Ximenius gessit, dicenda accedo, pauca mihi de Gotthicis sacris narranda sunt. Gens Visigotthica (hoc est) qui occidentales dicebantur Gotthi, quo tempore Hispaniam pene vniuersam Honorii imperatoris permissu occupauit, cum esset Arrianæ impietatis dogmate infecta, tantam catholicis eius prouinciæ ecclesiis perturbationem inuexit, vt cultus diuini in varios ritus cæremoniasque diuisi fuerint: & neque inter orthodoxos quidem ipsos, vna vel sacrificandi vel horarias preces (quæ canonicæ dicuntur) psallendi consuetudo esset. Sed postquam vniuersa Gotthorum gens, Leandri & Fulgentii studio, post annum centesimum circiter quadragesimum ex quo in Hispaniam venerat, antiqua impietate abdicata, orthodoxam fidem vna cum suo rege Recaredo cupidissime accepisset: pace ecclesiis restituta, de sacris communi consilio constituendis agitari cœptum est: idque potissimum in vrbe regia. sic enim Toletum post aduentum Gotthorum, qui sedem regni illuc transtulerunt, cognominabant, cum antea (vt Rodericus Toletanus pontif. rerum Gotthicarum diligens scriptor tradit) à Vandalis, & Selingis, Germaniæ gentibus, qui vna in Hispaniam commigrarunt, Hispalis vrbs regia, & vocata & habita fuerit. Toleti igitur conuentu episcoporum indicto (quod concilium quartum Toletanum fuisse ferunt) patrum decreto sancitum est, vt in vniuersis Hispaniæ ecclesiis, preces priuatæ, missarum oblationes, & omnes publicæ psalmodiæ, vnico & eodem exemplo à sacerdotibus celebrarentur. Cura hunc ordinem instituendi Isidoro pontifici Hispalensi, summa tunc sanctimonia & doctrina claro, demandata fuit: Quanquam in hoc authores variant: nonnulli enim Leandrum Hispalensis ecclesiæ antiquiorem antistitem ei muneri præfectum asserunt, cui Isidorus comes datus fuerit. sed illud constat, ab Isidoro eum ritum Isidorianum officium fuisse nuncupatum. Perseuerauit in Hispanis ecclesiis hæc sacrorum religio, quâdiu res Gotthorum in ea floruerunt: hoc est centum viginti circiter annos, vsque ad miserandam illam calamitatem, cum per Mauros Arabesq́; vniuersa pene regio cæde incendiisque vastata, fusis, fugatisque Hispanorum copiis, in barbarorum ditionem venit. Cum autem in publica clade, vrbs quoq́; ipsa regia in hostium potestatem, idq́; ea conditione venisset, vt oppidanis liceret Christiano ritu, legibus, moribusq́; in ea viuere: quamuis pleraque ciuium multitudo spontaneum exilium Arabicæ prætulit seruituti, nonnulli tamen quibus patrii domesticiq́; lares cariores libertate fuerunt, conditione accepta, sub Arabum & Maurorũ imperio sacris suis retentis, in vrbe manserunt. Ergo eiusmodi homines quod Arabibus permisti viuerent, Mistarabes appellati sunt, & illorum ecclesiasticus ritus, officium Mistarabum. Quæ vox cum temporis diuturnitate, tum barbarorum lingua est corrupta, & in Mozarabum degenerauit, qua nunc vulgus vtitur. Igitur iis qui sic inter Arabes Toleti manserunt, sex ecclesiæ in quibus rem diuinam facerent à Mauris permissæ sunt, diuorum Marci, Lucæ, Sebastiani, Torquati, Eulaliæ & Iustæ numinibus dedicatæ: in quibus ritum illum Isidorianum, qui incolumi florentiq́; ciuitate in templis omnibus canebatur, captiua etiam quadringentos ferme annos conseruauerunt, quod Toletanum officium appellabatur. At vero vrbe ipsa diuina tandem benignitate, Alfonsiq́; regis Ferdinandi magni F. felicibus auspiciis recuperata, cum de sacris in ea instaurandis restituendisq́; ageretur, rex Ricardi Massiliensis abbatis suasu, & Constantiæ reginæ vxoris assidua instigatione, ritum sacrorum à diuo Gregorio olim institutum Toletano prætulit, quamuis populis clamantibus, vsum suorum sacrorum tot seculis inter medios barbaros conseruatum, per summam iniuriam aboleri. Quæ vero de singulari militum certamine, altero pro Gotthicis sacris, altero pro Gregorianis dimicantium, deq́; pyra in medio foro Toleti incensa dicuntur, in quam sacri vtriusque officii codices coniecti sunt, apud alios authores qui de ea re scripserunt explicatius, & vberius, legi poterunt. Sed tamen vt rex animos turbarum leniret adhuc sacra sua auferri frementium, cum in vrbe nuper recuperata inter varias basilicarum, fanorum, ædiumque sacrarum dedicationes, parœciales inprimis (quas vulgo parrochiales vocant) ecclesiæ regionatim constituerentur, ad quas populus rei diuinæ causa conueniret, suique limites per vicos domosque singulis definirentur, solis illis sex ecclesiis, in quibus Isidorianus ritus, vel inter hostes per tot annos durauerat, fines nulli præscripti sunt, sed sui cuique Mozarabes, illorumque posteri, vbi illos intra extrave vrbem in agro Toletano morari contingeret, immunitatibus, & priuilegiis non

vulgaribus conceſſis, pro parrochianis & tribulibus aſſignati fuerunt. Quandiu ergo illi Mozarabes eorumq; poſteri floruerunt, ſuam quiſq; eccleſiam, ſacraq; gentilia frequentarunt. Sed paulatim familiis deficientibus, ritus etiam ille deficere & Gregorianus ſenſim in ſex etiam illas eccleſias introduci cœpit. Tandem ergo factum eſt, vt non niſi paucis quibuſdam ſtatis, feſtisq; diebus, eo ritu in illis ſacrificaretur. Literarum verò Gotthicarum characteres Latinis noſtris non multum ſunt abſimiles: nonnulli enim eadem ſunt forma, alii verò diſſimili: quos per Gudillam quendam Epiſcopum, vnà cum fidei noſtræ rudimentis, genti Gotthorum traditos ferunt: qui primùm Gotthici, deinde Toletani, poſtremo Mozarabum appellati ſunt. Ferunt etiam veteris ac noui teſtamenti libros, in vulgarem Gotthorum linguam per hunc Gudillam translatos fuiſſe. Igitur cum ad ea volumina Ximenius veniſſet, de re tota (vt ſupra narratum eſt) edoctus, indignum eſſe & graue iudicauit, ſanctiſſimas priſcorum Hiſpanorum cæremonias à viris præclaris inſtitutas, & miraculorum teſtimoniis comprobatas, in tantam deſuetudinem veniſſe, vt iamiam interituræ eſſe viderentur. Cœpit rem altius conſiderare: & vt erat priſcarum cæremoniarum ſtudioſiſſimus, Mozarabum ritus inſtaurandi curam ſuſcepit: adhibitiſque viris quotquot extabant eius rei peritis, primum libros omnes quibus ſacra illa continerentur, Gotthicis characteribus conſcriptos, in vulgaris literaturæ formam redigendos, impreſſoriiſq; formis excudendos curauit. Quibus non ſine magna impenſa in exempla innumera vulgatis, ad extremam templi partem, occidentem verſus, in ædicula quæ corporis Chriſti dicebatur, ſacellum eleganti ſtructura ædificauit, in quo tredecim ſacerdotum collegium, adiunctis tribus miniſtris, inſtituit, quos Mozarabes ſodales appellauit. Hoc collegium idoneis prouentibus annuis inſtructum ſub capituli Toletani patrocinio conſtituit. Ipſis porro ſacerdotibus perpetuam horum ſacrorum curationem demandauit: vt eo ritu ſingulis dieb. ſacrificare, horariaſq; preces concinere ſolenne eſſet. Ad quos & ſex Mozarabum eccleſiarum ſacerdotia pertinere voluit: quæ quoties vacua eſſe contingeret, ipſi optare poſſent ſacerdotes, quibus illa Archiepiſcopus conferret: aliaſq; leges addidit, quas non eſt operæpretium referre. Sic ergo ſacra illa per Ximenium reſtituta, & ab interitu vindicata ſunt: in cuius reſtitutionis memoriam cenotaphium reparatori in medio ſacello honorifice erectum cernitur, impendente deſuper coccineo galero, Cardinalitii honoris inſigni. Per hæc tempora, cum nondum Toleti publica pauperum iuuandorum, qualis nunc eſt, cura increbuiſſet, duo mediocris conditionis homines, Hieronymus Madritus, & Petrus Zalamea, partim ſuis peculiolis, partim diuitum religioſorum erogationibus, ad quos ſtudiorum ſuorum rationem deferebant, aliquot ex afflictis, & ægrotis pauperibus, in vnum locum cogere, eiſque medicorum conſilio ſalutarem opem miniſtrare, miſeris viduis præſidio eſſe, orbitati pupillorum ſubuenire, milleque alia huiuſmodi opera pietatis plena, Deo ſubinde aſpirante, perficere cœperunt. Celebre ſtatim in vrbe noſtra eorum ſtudium eſt habitum, nec latuit vigilantem paſtorem: nam & frequenter de moribus ſuæ ciuitatis interrogabat, & de actis ſingulorum inquirebat. Vocari ad ſe Hieronymum iubet: cuius pietatem poſtquam ex variis ſermonibus cum eo habitis abunde cognouit, macte animi eum eſſe hortatur, & vt tam ſalubrem occupationem non intermittat, humaniſſime monet: videat etiam quibus in rebus ipſe viui eſſe poſſet, nam in eis omnibus ſe aut conſilio, aut authoritate, aut pecunia iuuaturum, ſuppetiaſque laturum: idque ſtatim re ipſa præſtitit: aliquot nummorum millibus ad pauperum curam Hieronymo datis. Mirum eſt, quantum roboris & efficaciæ ex hac Ximenii pollicitatione Hieronymus ceperit: illico enim ſodalitatem inſtituit, quæ tam publicis, quam priuatis egenorum, præſertim quos pudentes vocant, neceſſitatibus pro virili ſuccurreret: ita enim eos appellamus, qui oſtiatim mendicare erubeſcunt, & domi nimis anguſte, & arcte viuunt. Porro cum negotium ſuſceptum ex voluntate ſuccederet, Hieronymus ad Ximenium notitiam omnium defert: qui Complutum diſcedere volens, liberam facultatem Hieronymo & ſodalibus dat, quicquid in ea re vellent inſtituendi. Hieronymus de ſodalitatis conſecratione, deque eius legibus agendum ratus, conuocatis ſodalibus, primum ne quid ſine numinum tutela fieret, eam immaculatæ Dei genitricis conceptioni dedicarunt. Dein de communi omnium conſenſu ſancitum fuit, vt quoniam miſericors Hieronymi animus tantam rem exordiendi occaſio fuiſſet, qui de nocte ad pauperes quærendos vigilabat: poſthac ſingulis annis, à Calend. Nouembr. vſque ad finem Martii, duo ſodales cum ſodalitatis viatore, ſub noctem concubiam, per omnes vrbis vicos præeunte laterna obambularent: & quos ex vagis & egenis hominibus ſub dio alicubi pernoctantes deprehenderent, eos in ædem ſodalitatis deducerent. Quæ ſi fortè præ hoſpitum turba anguſtior eſſe aliquando contingeret, in alia publica pauperum hoſpitia deferrent, diplomate regio, quod ea

de cauſa

de cauſa eis conceſſum fuerat, grauia interminante, ſi quis præfectorum hoſpitium non recluderet. Deinde permulta alia inter ſe pepigerunt, omnia ad miſerorum opem ſpectantia. Cum igitur ſodalitatem ſuam, optimis & præclaris inſtitutis inſtructam Hieronymus eſſe videret, non ſtatim ad Antiſtitem contendit: nam vt res hominum & caducæ, & mutabiles ſunt, verebatur ne ille conceptus ſub initiis ardor paulatim intermitteretur: ſed toto ferme triennio, ſodalium, ſuæque conſtantiæ periculum facere voluit. Quod vbi proſpere ſuccedere conſpiceret, & animos omnium magis quotidie accendi, diuinam vim tandem ineſſe ratus, ſub annum eius ſeculi M. D. V. ad Archiepiſcopum Complutum venit, ſuæ operæ rationem redditurus. Ille hominis ſtrenuitatem demiratus, eius diligentia non vulgaribus verbis collaudata, quantam ex ea voluptatem ſuſceperit, priuſquam Compluto Hieronymus diſcederet, opibus peramplis donatis declarauit. Nam primum, quoniam ea tẽpeſtate ob ſqualidum & impluuium cælum, frugum inopia laborabatur, lectiſſimi frumẽti quatuor millia & amplius modiorum, ſodalitati in vſus pauperum diſtribuendos dedit. Hæc ſumma ob immane grani pretium admirationi fuit. Idcirco ſanctæ Dei genitricis cõceptionis de Ximenio anniuerſaria ſacra quotannis fiunt, ſodalibus ad cœnobium Franciſcanorum ſolenni pompa venientibus. Deinde quoniam pharmacis & medicamentis ad ægrotantium curam comparandis, vicena nummum millia, nongẽtos item frumenti modios in ſingulos annos quoad vixit contulit: Aſcenſionis dominicæ die, quo ille celebrem victoriam, Orano capta, ex Afris hoſtibus reportauit, in eodem cœnobio, ſolennibus ſacris laudes cælitibus & Ximenio offerunt. Rurſus quia tria millia nummum aureorum dedit, quibus paſcua miræ vbertatis non longe à Talabrica coempta ſunt, quæ nunc maximos prouentus reddunt, quotidieque nouis incrementis augentur, Calend. Nouemb. ac poſtridie eius diei, ſacris in æde propria Ximenio parentatur: deque ipſius præclaris geſtis apud ſodales frequentes concio habetur. Sed quoniam eius authoritate & nutu inſtitutio ſodalitatis facta eſt, & condonationes ſuas (quas indulgentias appellant) quo maiori religione ſodalium animos deuinciret, ille quoque conceſſit: in Auguſtinianorum cœnobio, ſub idibus Auguſti, ad aram virginis matris, quæ Gratiæ cognomen habet, in Ximenii memoriam feſtum diem concelebrant, ſtipe quinquaginta pauperibus tributa. Ædiculam, quæ iuxta domum Antiſtitis Toleti eſt, poſtico ad viam publicam adaperto, ſacris peragẽdis Ximenius tradidit: qua in diem præſentem ſodales fruuntur, nemine ex poſteris pontificibus aut reſcindente, aut ægre ferente. Annus eius ſeculi quintus elapſus iam erat, ſextuſque ferme ad finem properabat, quando Calend. Nouemb. ſodalitas Conceptionis Deiparæ titulo, in noſtra vrbe promulgata fuit: quæ deinde in hæc vſque tempora creuit feliciter Ximenii auſpiciis. In huius inſtitutionis monumentum, quarto nonas Octob. qui dies beato Franciſco religioſus eſt, huic diuo, tanquam Ximenii tutelari, ſodales ſacra faciunt: quinquaginta ſportulas totidem egenis diſtribuunt: & anniuerſario, funebribuſque hoſtiis Ximenii animam & cognatorum expiant. Porro ædiculæ pontificiæ traditæ gratia, ſacra per tria paſchata pro pontificibus Toletanis religioſiſſimo apparatu peraguntur: & ſingulis quibuſque hebdomadum ſabbathis, pro eorum ſalute ſub veſperam preces ad Virginem funduntur. Procedente deinde tempore, XVII. poſt anno, cum iam Ximenius viuere deſiiſſet, ad Adrianum qui in Hiſpania vice regis fungebatur, in Pontificem Maxim. per id tempus aſſumptum, Tarraconam Hieronymus venit: eaque omnia vt ſodalitati confirmaret, quæ Ximenius olim conceſſerat, deprecatus eſt. Adrianus Ximenii memor libentiſſimo animo præſtitit. Multi horum imitatione allecti, nouas ſubinde rationes in noſtra vrbe excogitare pergunt, quibus ciuium indigentiæ ſubuenitur, & peregrinorum neceſſitati prouidetur, omnium denique difficultatibus incredibili ſtudio conſulitur: adeo vt nullibi locorum, tot calamitatum quibus humana vita diuexatur, plura aut maiora remedia, quam Toleti eſſe certum ſit.

LIBER TERTIVS.

CVM hæc Toleti à Ximenio geruntur, principibus quos iam ſatietas ludorum ceperat, rurſus ad ſeriores cogitationes, reſque intermiſſas mentem conuertentibus, alius alio, quo eos priuata ac publica negotia vocabãt, diſceſſit. Nam Ferdinandus rex, quoniam Gallum ob detrimenta nuper à Gonzalo Magno illata vehementer, dolentem, delectus per Gallias vniuerſas, facere, exercituſque ad Salſas præſidium expugnandum parere, per ſuos exploratores certior factus fuerat: per mediam æſtatem Cataloniam contendit, Ruſcinenſem prouinciam confirma-

turus. Philippus & Ioanna patrem ſubſequentes, Aranſueſia nemora, non longè à Toleto diſtantia deueniunt: vbi innumera aprorum, caprearum, & ceruorum multitudo ſpatioſiſſimis ſeptis coercita, regiis venationibus oblectationem & copiam ſubminiſtrat: vnde ad Aragonios iter ſtatim facturi erant, ſucceſſioni regnorum deſignandi. At regina Madritum reuertitur: quoniam cùm non multò pòſt omnes eſſent in vnum conuenturi, peropportunā ſtationem regio comitatui oppidum id eſſe iudicabat. Ximenius verò Complutum profectus eſt, ſurgenti ſcholæ faſtigium impoſiturus, cui nuper dum Toleti commoratur, decies centies nummûm perpetuò percipiendum è prouentibus regiis comparauerat. Ea prima (vt aiūt) Academiæ largitio ab eo facta fuit: quod tam benignum & munificū principium ſpem ingentem ſtudioſis dedit futuræ propediem maieſtatis. Anni iam quingenteſimi ſecundi finis inſtabat, quando Ximenius Complutum venit. Sub initium verò quingenteſimi tertii, paulò poſt Calend. Ianuarias, Iſabella regina mutato conſilio Madrito Complutum & ipſa proficiſcitur. Nam cum proximo autumno inſalubris aeris cauſa in febriculam incidiſſet, viriſque aliquot primariis extinctis, interque eos Didaco Furtato Archiepiſcopo Hiſpalenſi, S.R.E. Cardinali, intra quintum duntaxat diem in oculis eius ſublato, non mediocriter turbata fuiſſet, Ximenii præſentiam ſibi vſui fore exiſtimauit. Nam & dolorem ob præſtantium virorum mortem conceptum ita ſe poſſe mitigare ſperabat, & ſapientiſſimi hominis alloquiis moleſtias quoque lenituram, quæ ſibi ingentes ſuboriebātur ob Philippi generi ſententiam, qui ad Belgas per medias Gallias redire tempore nimis importuno inſtituerat. Nam cùm cæli inclemētia bonam Philippi familiæ partem abſumpſiſſet, & in ea Archiepiſcopum Bizontinum (quod ille ægerrimè tulerat) vitæ ſuæ cuſtodem & magiſtrum, qui & ipſe quoq; intra quintum ab initio morbi diem, vt Furtatus, obierat: eo viro integerrimo & grauiſſimo mortuo, reliqui qui apud eum incolumes remāſerant, largitionibus (vt fama erat) Gallorum corrupti, quorum permultum intereat, vt illac iter eo tempore Philippus faceret, ad Belgas primo quoq; tempore maturandum adhortabātur. Igitur aut iſtorū ſuaſionibus incitatus, aut Ioannæ coniugis tędio affectus, quæ incredibili zelotypia ſtimulata acerba in eū erat, ea moleſtia liberari ꝓperans, xiiij. Cal. Ian. ſæuiente hyeme, Madrito ad Belgas diſcedere decreuit. Nullis itaq; reginæ dictis, nulla iniuriarum commemoratione, quas & in Maximilianum patrem, & in ſororem Margaritam commiſerat Gallus, dum illi nuptias Britannas per iniuriam præripit, & hanc Delphino pactam nihil reuerſus matrimonii tutelares diuos, domo pulſam repudiat: nullis Hiſpanæ reipub. tumultibus, quos neceſſario futuros prudens regina ab atauis ſigillatim repetens monebat, ni longam diuturnamque moram in Hiſpania ad gentis animos & mores cognoſcendos faceret, detineri potuit. Sed nec vxoris lachrymis, quæ cum partui propinqua eſſet, non dubium erat, quin mariti diſceſſu afflicta immaturum fœtum eſſet editura, quicquam eſt commotus. Illa enim regnorum immemor de viro tantum ſolicita erat: adeo vt noctu diuq; cogitabunda (quod eius temporis ſcriptores tradunt) verbum nullum niſi admodum coacta faceret. Vnum duntaxat cupidiſſimè audiebat, ſi quando mater conſolandæ cauſa, claſſem iam adornari diceret, qua maritum in Germaniam ſequeretur. quæ vt tātiſper obduraret rogabat, donec à partu eſſet libera: nam ſimul ac Fauonii ſpirarent, ſe eam ſtatim voti compotem facturam. Terra enim qua per eam anni tempeſtatem iter facere ad coniugem potuiſſet, aditum nullum patere: quando inimicorum armis loca omnia intercluſa eſſent. Has ob res ſupra modum anxia regina, inſalubris cæli euitandi prætextu, Ioanna filia ſecum aſſumpta, Complutum, vbi Ximenius agebat, ſe contulit. Vrit enim præcordia ægritudo animi compreſſa, & in anguſtias adducta mentem ſubuertit: nec alio medicamine facilius erigitur, quàm cordati hominis ſermone. Ille ergo primū tam matris, quam filiæ ægrum animum mitibus alloquiis conſolatus eſt. Deinde Ioannæ amorem erga coniugem apud matrem excuſauit, cui nimius videbatur: neque enim caris coniugibus quicquam eſſe in amore nimium. Quod vero zelotypia grauiter aliquando diſcruciaretur, minimè id mirum videri debere, cum ante alias pudiciſſimæ fœminæ eo ſoleant morbo laborare. Quibus enim caritas erga maritos languet, parum eiuſmodi querelas curæ eſſe: abſentiamq; eorum, omnemq; animi abalienationem non magnopere grauem eſſe. Quare cedendum tantiſper crudo vulneri, donec tempore cicatrix obduceretur, illaque abſentiam moderatè ferre diſceret, certiſſima ſpe concepta ad virum vere primo nauigandi, vt cupita præſentia frueretur, ſuiſque tandem votis ſatisfaceret. Deinde ad reginam orationem conuertens, ne ſe plus æquo affligat adhortatur: eam enim eſſe humanarum rerum conditionem, vt æquè reges & priuati homines ſolicitudinibus paſſim iactentur: nemineq; adeo felicē viuere, qui nō ex duob. illis doliis Homericis, partim læta, partim triſtia hauriat: ſemperque malorum menſuram fatali noxa ſuperexcedere. Regum verò eò fortunam

tunam eſſe miſeriorem, quòd in excelſo loco conſtitutis, nil eorum quę faciunt aut meditantur latere poteſt, aut in obſcuro eſſe: & quòd durioribus moleſtiis, vt pote res grauiores tractantes, quàm vulgares homines corripiuntur. Vnde virum illum impensè laudauit, cui cùm à rege ſuo quiduis optandi facultas data eſſet, dato (inquit) quæ voles ô rex, dummodo è tuis non ſit ſecretis. Patienter ergo naturæ leges ferret, ſeque hominem natam eſſe agnoſceret. Quod ſi quando voluptatem aliquam ex ſuſcepta filia percepiſſet, æquũ eſſe vt moleſtias & incõmoda patienter ferret, memor animi illius virilis, quem ſemper omnibus in negotiis præſtitiſſet. His atq; aliis habitis aſſiduè colloquiis, ita animum vtriuſq; confirmauit, vt quanuis rex, qui ex Aragonia ad eam febricula (vt diximus) languentem viſendam venerat, rurſus ad bellum parua facta mora Perpennianum, quò tota vis hoſtium inclinabat, redierit: & regina nihilo viri abſentia commotior, ſed potius pristinæ virtutis & dignitatis memor, delectus per totam Hiſpaniam facere, pręſidiariasq; legiones incredibili celeritate conſcriptas ad maritum Perpennianum mitteret. Interea tamen aeris intemperie per autumnum contracta nondum ceſſante Gutterius Cardenas Machedæ regulus, vir apud reginam magnæ authoritatis, atque omni ornamentorum genere ab ea decoratus, patricio ſancti Iacobi equitum ordini in citeriori Hiſpania præfectus, quem Legionis maximum commendatarium vocant, Compluti pridie Cal. Febr. fatis conceſſit. Hunc morti proximum cùm Ximenius viſeret, eius conſpectu valde eſt exhilaratus: & vt erat eleganti & acuto ingenio, nihil ſoliti vigoris in eo temporis articulo remittens, multum (inquit) ô Antiſtes, de tua hac officioſa humanitate obæratus de vita diſcedo: neque enim par eat vt è domo tua hoſpite inſalutato tam longum iter facturus proficiſcerer. Nam honoris & dignitatis cauſa, in domo pontificia vbi reges diuerſabãtur, locus quoque Gutterio datus erat. Perculſus eſt Ximenii animus ad ea verba, & cõmunis conditionis recordatio mentem hominis, alioqui grauiſſimi, ſtrinxit. Cæterùm prudenter diſſimulato dolore, vultuq; hilaritatem præ ſe ferente, vt religioni ſatisfaceret curauit: tabulasq; teſtamenti obſignaret, quas fallaci ægrotantium ſpe, nunquam ſe hanc lu[illegible]em relicturos exiſtimantium, imperfectas adhuc ſeruabat. Mœror eſt omnibus ob tanti viri mortem obortus: ſed multò grauior Iſabellæ reginæ, quam ſors iniqua variis modis exercebat: nihil enim acerbius ferebat, quàm fidis miniſtris priuari. Sed eum mitigauit Lucinæ benignitas: ſexto enim idus Martias, Ioanna facili partu Ferdinandum in lucem edidit: quem die Luſtrico Ximenius magna ſolennitate baptizauit, & aui nomen impoſuit, Naiarenſi, & Aſcalonio regulis compatribus, Mirandio verò patinam cum ſalino & calice præferente. At Ximenius Complutum ornandi & augendi occaſionem peropportunam nactus, vectigalium immunitatem Complutenſibus à regina petit, apud quos tantus eſſet princeps natus. Vt quoniam liberalibus diſciplinis in eo oppido domicilium parabatur, liberi quoque à regiis exactionibus perpetuò eſſent: ita enim breui futurum, vt locus inſigniter illuſtratus & adauctus, Hiſpanam iuuentutem ad ſtudia exercenda inuitaret. Facile in publica lætitia impetratum eſt: & in hunc vſq; diem ad beneficii impetrati monumentum, Complutenſis reſp. Ferdinandi cunas & crepundia ſeruat. Dum omni hilaritatis genere regius comitatus ob natum puerum Compluti ſe oblectat, caſus Ximenio inopinanti oblatus, eſt, quo animi ſui lenitatem declararet. Poſtquam reges Complutum venerunt, Ximenius ſilẽtium opinor captans, aula ſua alioqui capaciſſima relicta, longe ad Vaennæ cuiuſdam domum commigrauit: quæ in via maxima ad Guadalfaiaræ portam eſt. Ibi ſtrepitu inſolito interpellatus, quid rei eſſet miniſtros rogat: qui vinctum quendam capite plectendum à lictoribus duci reſpondent. Proceſſit ad feneſtram, & de crimine per lictores edoctus, ne vlterius procederet vinctumque ſolui iuſſit, vt quò vellet abiret: hoc ſacræ ſuæ dignitati pietatis ergò concedendum eſſe dictitans. Placuit omnibus Ximenii factum, eoque gratius & iucundius fuit, quod die hilaritatis & lætitiæ pleno, quo regius puer in hanc lucem editus fuerat, nece hominis quantumlibet noxii oppidum pollui & funeſtari videbatur. Igitur Compluti per vernum tempus morati reges, vbi per æſtatem quoq; fuiſſent, niſi immodici quibus oppidum illud infeſtatur calores, inſalubrem locum reddidiſſent: tertio enim nonas Iulias Ioannes Ciaconius Carthagini nouæ & Murgenſibus præpoſitus (quem noſtri patrio nomine adelantatum vocant) extinctus, non minori quàm Hutterius dolore Iſabellam reginam affecerat. Erat enim vterq; ei carus: nulliq; magis ad ſua conſilia intima admittebantur. Idcirco ſibi quoque non mediocriter timens, præmatura feſtinatione Compluto Madritum reuertitur. Ximenius vero Briocã proficiſcitur: id eſt ſuæ ditionis oppidum æſtatis ardoribus ferendis accommodum. Nam montanis in locis Septentrionem verſus ſitum, & gelidarum aquarum ſcaturigine abundans, æſtum multo leniorem facit. Qua de cauſa in antiquis monumentis reperitur, olim

Toletanæ ecclesiæ principales sacerdotes (qui dignitates dicuntur) proprias domos Briocæ habuisse, quo molestissima ea anni tempestate, non secus quàm Tybur Romani secedebant. De cuius oppidi principio, quaque item ratione ad Archiepiscopos Toletanos deuenerit, non grauabor quæ mihi cognita sunt referre: ne dum hæc sensim contemnuntur, rerum vetustarum quoq; memoria pereat. Cum Alfonsus Legionis rex, magni illius Ferdinandi filius, Sanctii fratris sæuitiam fugeret, regno pulsus ad Almeonem Maurorum regem Toletum profugus & supplex venit: vbi barbari principis benignitate vsus, nihil illi ad pristinam fortunam defuit, præter regium diadema. Et quoniam Maurorum conuictu offendebatur, locus in suburbanis hortis, qui regii dicuntur, ad habitandum est datus, qua Tagus angustissimis faucibus inter duos montes premitur. Gaudebat porrò ferarum venationibus, quare hanc de qua agimus Briocam, nulla tum temporis habitatione, præterquam turris ædificio insignem, à Mauro rege liberaliter donatam suscepit: vbi vniuersum venatorium apparatum hominesq; feras consectandi & figendi peritos, animi remittendi causa, habuit: vt quoties à bellis finitimorũ Arabum otiũ esset, quibus cum gratiã Almeoni rependens, assiduè præliabatur, venatione sese oblectaret. Postea Toleto totoque regni Toletani tractu, Dei beneficio sub ditionem suam redacto, regnum enim Castellæ iam mortuo fratre adeptus erat: cùm Bernardum ecclesiæ Toletanæ Archiepiscopum (vt diximus) præfecisset, pietatis erga Deum memor, cui apud barbarum populum diuersans vota captiuus sæpe nuncupauerat, inter cætera non ignobilia oppida quæ Rodericus Toletanus Antistes in historiis suis enumerat, Briocam etiam Archiepiscopo Bernardo donauit: vbi venatorũ illorum posteritas durauit, donec Ioannes tertius Toletanus Archiepiscopus, commoditatem loci contemplatus, diui Petri parochia ibi exædificata, municipium constituit. Quo quidem tempore factum existimo, vt ecclesiæ Toletanæ sacerdotes opportunitate loci allecti, ad æstiui syderis ardorem vitandum, qui non mediocris sub Toletano etiam cælo est, domos sibi construxerint, ad quas quotannis migrarent, donec subterranea sibi in vrbe domicilia petris durissimis perfossis, pararunt, additis etiam cisternarum deliciis, vnde Tagi aquam frigidissimam æstate hauriunt, quare Briocam ire superuacaneum putarunt. Huc cùm se recepisset Ximenius, siue quòd ab ingentibus Compluti caloribus ad frigidas auras subitò migrasset, siue potius quòd insalubris anni tempestas fragili corpori non pepercerit, grauiter Briocæ ægrotare cœpit, & tota ferme pontificia familia. Qua de causa sanctum Torquatum, suæ quoque ditionis oppidum, Complutensi cœlo propinquius, sed quod in edito monticulo sit, multo minus quàm Complutum æstuosum, cum suis commigrauit, vbi curandis corporibus intenti mirificè omnes recreati sunt. Interim regina ad eum crebrò nuntios mittebat, quibus de eius salute certior fieret, & illum de omnibus reipublicæ negotiis consulebat. Siquidem regina quò Ioannæ filiæ gratificaretur, nihil æquè ac de profectione ad Philippum cogitanti, Madrito Segouiam venerat: id est extremum Vacceorum oppidum, proximumq; Carpetanorum finibus, Traiani celeberrimo ponte, aut potius marmoreo aquæ ductu nobile: vnde ad Methinam Campensem progrediendũ erat, vt illic lentè ad Cantabricum Oceanum veniretur. Regina Segouiæ dum Ferdinandus coniux cum Gallo ad Salsas dimicat dimorante, Ioanna omnis moræ impatiens Methinam profecta est. Vbi cùm optatissimas literas à Philippo suscepisset, quibus vt ad se veniret inuitabat, nulla suæ dignitatis, nulla parentis ratione habita, quam bidui itinere visere quiuisset, subitò sarcinis conuasatis insalutata matre, comites ad profectionem conuocat: & regiæ maiestatis oblita è cubiculo quamprimum exiliens, moras si quæ trahi videbantur, castigabat. Eo die profecta esset, si per Ioannem Fonsecam Burgensem Antistitem, qui propter egregiam morum grauitatem custos ei à parentibus est datus, & Ioannem à Corduba oppidi præfectum licuisset. Quibus illa necem minata, cùm nihilominus intercedere persisterent, nuncii quamprimum ad reginã mittuntur, qui de his omnibus certiorem facerent, obserata interim Methinensi arce, vbi differuabatur, ne quid præcipiti deliberatione faceret. Ioanna verò cum irrita sua consilia videret totam illam noctem sequentesq;, donec mater festinabunda aduenit, sub dio insomnes in arcis cauædio egit. Qua de causa Ximenius, qui diutino morbo liberatus, natalem Christi celebraturus Complutum venerat, sub initium anni M.D.IV. Methinam à regibus accersitur. De cuius consilio, deque regum sententia, classis in Lauretano portu, quæ Ioannam ad Philippum traiiceret, apparatur. Illa vt omnia instructa fuerunt, Calend. Martiis (qui dies ob Tauricam victoriam, quam Lusitanis fusis Ferdinandus obtinuit, inter fastos, apud Hispanos est) è complexu mœstissimæ parentis Oceani fluctus emensura discessit. Ergo postquam in optatissimam terram peruenit, à marito Philippo amantissimè suscepta fuit. Sed cùm per id tempus puellæ cuiusdam amoribus Philippi animus

animus implicatus esset, quam secum comitem Ioanna adduxerat, zelotypiæ stimulis vehementer exagitata, criminationibus, iurgiis, & tragœdiis totam Philippi regiam impleuit. Et cùm ad eam per pellicis æmulos delatum esset, flaua puellæ cæsarie Philippum coniugem in primis captum fuisse, rabie concepta cæsariem statim abrasit: puellæq; miserabiliter insultans pulchram faciem vibicibus fœdauit. Indignatus amans adolescens, non iam amplius dissimulata ira, apertis contumeliis & atrocibus verbis, vxoris dicitur peruicaciam multasse, atque ab eius congressu dies non paucos abstinuisse. Hæc vbi regibus nostris, arcanis notis per fidos tabellarios renuntiata sunt, non mediocri dolore affecti, partim ob natæ intractabile ingenium, partim ob parum regiam in Philippo genero considerationem, vterque grauiter ægrotare cœpit. Nam rex in febrim tertianam incidit, regina verò in continuam: quare anxietate & morbo afflicti iacebant, dum alter de alterius salute solicitus erat. Nam & rex sui discriminis oblitus, medicos ne quid in regina curanda prætermitterent monebat: cuius si saluti consulerent, suæ quoque consultum esse crederent. Regina verò ad omnem strepitum intenta pauebat, assidueq; medicos intrantes adiurabat ne quid sibi de regis valetudine importuno officio mētirentur, quæ vna res morbū adaugebat. Interea Ximenius diem nullum intermittebat, quin vtriusque lecto assideret, omniaque diligenter circumspiceret, quæ ad eorum salutem pertinere videbantur. Rege in pristinam sanitatem restituto, fata in reginam inclinare videbantur: nam putridum & verecundum vlcus, quod ex assiduis ad Granatam equitationibus contraxisse aiunt, mortiferè serpebat. Veruntamen cùm id malum corpora per lentas moras depascere soleat: desperatam reginæ salutem, vtcunque tamen nouis subinde oblectamentis cuncti subleuare, & fouere nitebantur. Nam quidquid vnquam siue militiæ, siue domi præclarum accidisset, decumbenti recensebatur. Si qui illustris fortunę homines è Neapoli captiui mittebantur, vbi Gonzalus admirabili virtute inclytam operam regi coniugi, & reip. nauabat, ad se introductos recipiebat, & de hominis magnanimi, & sibi multis de causis carissimi gestis, cupidissimè percontabatur. Si qui etiam ex cæteris nationibus Hispanicarum rerum fama permoti, ad regiā eius maiestatem visendā diuertissent, tametsi vltimo morbo afflicta, eorum colloquiis nequaquā grauabatur, & humanissimis sermonibus susceptos, animi plusquam virilis in ea dotes admirātes à se dimittebat. Inter quos è Venetis hominibus Hieronymus Vianellus fuit, qui pede auspicatissimo in Hispaniā venit. Nam totius Africanę expeditionis, quam in Orano expugnanda Ximenius fecit, quamq; Ximenii suasu Didacus Fernandus à Corduba, ad portum magnū, quem Punica lingua Mesalcabir appellāt, occupandum paulò antè fecerat, id est totum huius hominis consilio factum. Hic cùm ad regū dexteras deosculandas Methinam venisset, crucem auri purissimi gemmis interlucentē reginæ obtulit: inter quas carbunculus, quam espinellam vulgus appellat, corrupto nomine pro spinthera, scintillas enim contra solem emittit, quales Plinius carchedonios masculos esse dicit, quorum singuli, modò factitii non sint, pretium mille aureorum nonnunquam exæquant. Is cùm ad Ximenium salutandum continuò venisset, annulum adamante selectissimo insignitum, quem apud se venalem habebat, Antistiti ostendit: de cuius pretio cùm Ximenius rogasset, quinq; millia nummum aureorum esse dixit: qui pretii magnitudine commotus, quanto (inquit) melius ea summa quinque millibus militum laborantium succurrere, nummo aureo in singulos collato, quam omnes Indicos adamantes possidere? atque ita Vianellum eo tempore dimisit. Tunc etiam Franciscani instituti sodalis, cœnobii quod Hierosolymis ob Christi Dei sepulchrum cunctis Christiani nominis cultoribus in summa reuerentia est, Guardianus, ad reges nostros ab Ægyptio Sultano legatus venit, nam is nondum Turcarum viribus euersus, adhuc Syriacis regionibus præerat, Hic monachus antequam Hierosolymis discederet, cùm tam longinquos terrarū tractus, totque sibi marium & montium spatia emetienda esse consideraret, supplex à Campsone Sultano petiit, vt discedenti Dominicum sepulchrum adorare & conspicere liceret, instar id sibi ingentis viatici ad tam difficile iter futurum. Est sacer ille locus custodibus & repagulis munitus, qui nisi euidentissimo emolumento maximoque operæpretio, inaccessibilis esse consueuit. Obtinuit id facilè homo professione religionis inops, & qui in solam Sultani gratiam tam laboriosam legationem capessebat. Quò cùm venerabundus aliquot cœnobii sui sodalibus stipatus intrasset, & debitam adorationem exhibuisset, tabulam marmoream in sepulchri fundo conspexit, longam pedes tres, latam vnum, liuidis maculis adspersam, vt è Chio marmore secta videri posset. Hanc etiam vt liceret tollere à Sultano impetrauit: quā in quinque æquales diuisit partes, & aris sacrosanctæ Eucharistiæ dedicauit, de more Christiano consecratas. Hasce aras secum adduxit, & inter Christianæ religionis supremos principes, magni id muneris loco suscipientes, distribuit. Nam Alexandro

sexto Pontifici Max. vnam: Bernardino Carauaiallo sanctæ Crucis in Hierusalem Cardinali, quòd eam veluti propriam possessionem titulo Hierusalem sibi assereret, alteram: Isabellæ reginæ tertiam: Francisco Ximenio Archiepiscopo Toletano quartam: vltimam verò Emanueli regi Lusitano, heroi omnibus modis incomparabili, & qui ad antarcticum vsque polum Crucis nomen studiosè dilatauerat. Fuit id donum reginæ gratissimum, eoque in primis exhilarata recreari visa est. Ximenius qui omnem animi sui voluptatem in sacræ synaxis celebratione collocauerat, vbi aram illam è Dominico sepulchro est nactus verè triumphabat: & per annos XII. quod illi tempus viuendi fuit, nunquam alibi præterquam in ea ara, diuina se Eucharistia refecit, Franciscanis sodalibus qui illū sequebantur, idem faciendi facultate cōcessa. Moriēs verò (vt ex testamēti tabulis apparet) ecclesię Tole- 1
tanæ dulce amoris monumentum & pignus, inter cætera pretiosa ornamenta legauit. Quo autem in loco reperta, & per quem ad ipsum allata fuerit, eius testamento, ne quid posset dubitari, declarari voluit. Dum Methinæ ob reginæ morbum complusculos dies Ximenius moratur, loci vicinitate monitus, de sacro funebri Cisneris, in maiorum suorum antiquo domicilio instituendo ad hunc modum egisse certum est. Annua vectigalia ex regiis in eo municipio prouentibus comparauit, quæ municipalibus sacerdotibus sunt tradita: vt in vestibus lineis, singulis quibusque dominicis diebus, pomeridianis horis, postridie verò antemeridianis, ad sancti Petri ædem, vbi Toribius Ximenii auus proprio sacello conditus est, maiorum manus expiare teneantur, & etiam ad sancti Laurentii, vbi antiquum Ximeniorum monumentum, sacello item peruetusto habetur. Durant Cisne- 2
ris adhuc hæc sacra, præterquam quòd vigesimo ab hinc anno, sacerdotes ad sacra facienda vestibus lineis indui desierunt, & neglecto Toribii sacello, ad aram maximam diui Petri sacra faciunt. Sartis tectis sacellorum curandis vectigalia etiam comparauit, Garsiæ Villaroellio quem postea Castorlæ præfectum creauit, administratione perpetua demādata. Sed postquam aliò domicilium mutauit eius posteri curam nonnihil remiserunt. Certè Academia Complutensis rei honestissimæ operam nauabit, si quæ Ximenius multis in locis in eius memoriam reliquit, perlustrari & ex testamento fieri curauerit. Priusquam Ximenius Methinam veniret, vt morbo liberatus fuit, Toletum ire voluit. Nam à principio sui pontificatus mirè concupiuit sacerdotum mores emendare, & in eorum acta & vitam inquirere. Fuerat quidem bis Toleti, sed nullam agendi occasionem 3
nactus fuerat. Nam primo in vrbem suam venienti, vbi omnia gratulatione & plausu strepebant, non tam asperitas emendationis, quàm felicitas compellandi conueniebat. Secundo verò regibus in eam vrbem ad res amplissimas conuenientibus, ac proinde diuersarum gentium turbis refertam, multò difficilior occasio offerebatur ad vitia hominum sacrorum inquirenda. Tunc verò cùm cogitaret ad eam rem perficiendā Toletum iter facere, reginæ mandatis id quo minus prosequeretur prohibitus, statuit quas per se non poterat officii sui functiones per vicarios administrare. In primis igitur in vitā moresq; sacerdotum ecclesiæ Toletanæ quæstionem decernit, quam Visitationem vocant: eamque doctori Villalpando vicario suo generali, vna cum Fernando Fonseca eiusdem ecclesiæ canonico, exequendam mandat. Incredibile dictu est, quam hoc decretum 4
grauiter molesteq; ecclesia tulerit: & quàm obstinatis animis se illi omnes opposuerint: citius se extrema omnia passuros clamitantes, quàm vt ab vllo præterquam ab ipso Antistite in ipsos inquireretur. Interposita est ad sedem apostolicam solennis prouocatio, censoresque communi consilio reiecti sunt. Qui ex canonicis sese acriùs opponebant, tres potissimùm esse videbantur, Sepulueda, Barzana, & Orticius cognomento Nuntius, quòd vices Pontificis Rom. in Hispania aliquando gessisset. Hos Villalpandus ex archiepiscopi præscripto comprehendendos curat, & Archiepiscopalibus municipiorum arcibus in custodiam tradit. Veriti sunt canonici ne Ximenius regiam maiestatem in ipsos irritaret: quare legationem ad reginam decernunt. Missi legati cùm in reginæ conspectū quæ id tēporis apud Methinam Campensem morabatur, admissi essent: Franciscus Aluarius eccle- 5
siæ Toletanæ scholasticus vnus ex legatis, cui cæteri ob prouectiorem ętatem, & insignem rerum peritiam dicendi locum sponte concesserunt, reginæ primùm beneuolentia ex eius singulari iustitia, & rei sacræ tuendæ studio prudenter captata, inuitos quidem & dolentes ad eam causam aduersus præsulem suum tractandum venire, se dixit: cùm præsertim ecclesia Toletana adeò suorum Antistitum obseruantissima semper fuisset, vt apud calumniatores & parum æquos homines in assentationis vitium verteretur. At quoniam insimulatos apud eius maiestatem se esse cognouerant, læsæ suum Antistitem obedientiæ quòd censores quosdam morum ab eo aduersus ipsos destinatos contumaciter & cōtemptim reiecissent, quasi vt nulla de vita actionibusque suis ratio proprio Antistiti constaret, niterentur, se ad eius præsentiam conuenisse contumaciæ crimen depulsuros. Neque

enim

enim sibi vnquam eum animum fuisse, censorium de moribus suis iudicium deprecandi: sed id duntaxat ne per vicarios leuiter,& languidè, remisseque, quod alias solent, in se censura fieret, sed potius seriò, & seuero iudicio, eiusmodi à tali Antistite antiquæ asperitatis homine, expectandum proculdubio erat. Nam eam esse capituli Toletani authoritatem, vt minimè deceret in illius sacerdotes ab alio quàm à suo põtifice inquiri. Quare eius maiores, qui illud religiosissimum templũ condiderunt, censoriam de ecclesiæ Toletanæ ministris explorationem adeò esse cum ipsius dignitate coniunctam semper existimauerunt, vt si aliquando per alium quàm per antistitem suum exerceretur, salua neutiquã consistere valeret. Ergo diuinum eius celsitudinis ingenium, summumque honestatis & virtutis studium, quod in illa præcipuè relucebat, obtestari, vt etiam atq; etiam consideraret, an crimini sibi imputandum esset, quòd acutum sui antistitis mucronem aduersus se stringendum peterent, ministrorum obtusum declinaret. Id enim in votis capitulo Toletano cum primis esse, pro certo haberet, antistitis sui fulmina, quantumuis formidanda & terribilia, vtpotè à viro veteris disciplinæ rigido exactore vibrata, cum graui potius cunctorum periculo subire velle, quàm cum omni venia & remissione ad examen ab æqualibus vocari. Qui si nihil aliud, certè æquales, & pares essent: & nihilominus, quod illorum pace diceretur, censoria seueritate indigerent. Veniret pastor in ouile suum, vt iuxta diuini vatis oraculum, infirmum solidare, ægrotanti mederi, confractum alligare, errantem in caulam reducere studeret: nec mercenariis functionem suam, euangelio reclamante, commendaret: eos extemplo omnium primos obsequentissimos experturus filios, & quod æquum & religiosum esset, officii sui studiosos adiutores. Alioqui persuasum haberet, quòd ipsi liceret præter fas & ius imperare, sibi vicissim licere non obsequi. Quòd si confidentius apud eius maiestatem viderẽtur loquuti, minimè id confidentiam esse crederet, imò magis constantem fiduciam, quam nimirũ ipsis atq; adeo fœlicissimo suorum temporum seculo, æquissimum planeq; diuinum eius celsitudinis imperium per vniuersam Hispaniam peperisset, in quo certissima spe, supremis iuxta ac infimis iure suo vti concederetur. Ob quæ minus ab ea in præsentia tolerandum esset, quòd ipsis itineri accinctis per antistitem factum fuisset: qui tres optimates & præcipuos viros ex amplissimo ecclesiæ Toletanæ ordine, tanquam sontes ad ergastula abduci iussisset. Quare similem fortunam metuentes, ad susceptum iter maturandum animos alioqui deiectos excitasse. Ad hæc regina partim solita grauitate, partim morbi causa coacta, paucis respondit. Ad aures suas peruenisse detrectatum ab ecclesia Toletana imperium pontificium: cæterum moris sui haudquaquam esse, priusquam rem totam cognitam compertamque haberet, festinare ad malè de quoque, nedum de tam graui societate, sentiendum. Libenter se capituli mentem intellexisse, dignam illam quidem viris bonis, ac religiosis: proinde bono animo essent, solicitudinemq; omnem deponerent, sperantes nihil de ea re statuendum, quod non sit è dignitate Toletanæ ecclesiæ futurum. Illis dimissis, cum regina probari sibi capituli causam Ximenio significasset: ille arrepta occasione, quamuis reginæ morbo, cui in omnibus adesse cupiebat, ad discedendum retardabatur, de profectione in Toletanam diœcesim agere cœpit, necessarium inquiens omnino esse, vt quod officium per absentem præstare nequiret, coram ipse exequeretur: nec posse animum religione exoluere, cum cogitaret tertium iam apud se destinauisse eam morum censuram facere, neque tamen id præstitisset. Regina iustam ab illo causam agi videns, perhumaniter veniam abeundi dedit, illud etiam adiiciens, quando ille à diœcesi sua tam ægrè abesset, daturam se operam, vt ipsa cum coniuge, totoq; adeo regio comitatu in Toletanam diœcesim quàm primum venirent. Sed mors reginæ promissa dissipauit, neque est amplius à Ximenio visa. Erant id temporis, qui existimarent, Ximenium suos illos censores, quos à capitulo reiectum iri non dubitaret, astuto consilio designasse, vt hac arte discedendi facultatem, quod euentus docuit, à regina extorqueret. Sed id verisimile esse non videtur, in tanto vitæ discrimine reginam ab homine illi deuotissimo relictam, præsertim causis ementitis. Tentauit nostris temporibus Ioannes Martinus Siliceus, cùm similem morum censuram exercere vellet, rem multò quidem minoris momenti, quam non valuit obtinere. Dicebat se quidem pro Ecclesiæ dignitate nemini in re tanta vicariam operam committere velle, sed per seipsum, semotis arbitris, ex dignitate vt sibi videbatur censuram peragere, vno duntaxat excepto, qui delationes omnium describeret. Hunc autem qui sibi à secretis erat, paterentur vice notarii aduocari. Obnixè renuit Toletanum capitulum, & ingenti contentione oborta, cum antistes suum notarium, capitulum verò suum deligendum contenderet: tandem Siliceus neutro assumpto ipse sibi notarius fuit. Hoc cum primis nostris amplitudinem, Siliceo humanitatem conciliabat: cum summus apud Hispanos præsul, in inqui-

rendis sacerdotum suorum peccatis notarii vices agere dignaretur: isque solus esset arcanorum erratorum conscius, qui si dissimulasset, ad alium non emanarent: sin punire aut omendare decreuisset, rectius id & honestius esset confecturus. Nonnunquam etiam cum scribendi laboris tæderet, capituli notario, suis omnino reiectis vtebatur. Igitur non sine graui animi mœrore quod optimam reginam tam graui morbo affectam desereret, post quatuor menses Methinæ actos, Toletum primo ad censuram faciendam, quæ tandem iuxta capituli voluntatem facta est. Complutum deinde redire cogitur: vbi & surgentis Academiæ opus, & Iusti templi structura, & bibliorum sacrorum editio, eius præsentiam videbantur requirere. Nam quamuis viri diligentia præstantes, quos rebus illis conficiendis præfecerat, omne studium & operam adhiberent, multum tamen patroni præsentia vrget. Nam si qua res est, in qua vetus habeat prouerbium locum, quod domini oculus multo nitidiorem equum reddit, quam hordeum, ea est certe ædificatio: in qua vere accidit quod de Amphione fabulantur poetæ, ad cuius vocem sine vllo labore lapides murorum locis, dolati & expoliti vltro reponebantur. Satis hæc aliquis existimasset, in quibus Ximenius absoluendis occupatus, ad aliarum rerum cogitationem animum quantumuis capacem non diuerteret. Est enim hominis prudentis minime montes montibus imponere gigantum more, sed suas potius vires metiri, animosque captum suum excedentes non expectata Nemesi coercere, comprimereque. At Ximenius, cui mentem humana mensura maiorem nascenti fata benigna tribuerunt, quam paulatim virtus comes adauxit, post Hieronymi Vianelli aduentum, qui omnes Africæ partes probe tenebat, & ad eius expugnationem propter maritimæ oræ cognitionem assidue hortabatur, bellum Africanum meditari cœpit. Sed interea dum regem conuenire posset, quo cum de hac re ageret, intellexit complures esse fœminas honestis natas parentibus, quarum pudicitia ob rerum penuriam periclitabatur. Quare religiosarum mulierum cœnobia passim per suam diœcesim condere necessarium esse iudicauit: vbi puellæ, quæ ob rem angustam illocabiles essent, aut quæ sponte sua à nuptiis abhorrerent, longe à virorum congressibus semotæ, Deo opt. max. dicatæ virginitatem perpetuo colerent. Nam quamuis multa eiusmodi loca, piis iam olim hominibus in re præclara studiose contendentibus, in Toletana diœcesi structa essent, annonæ indies caritate ingrauescente, mulierumque numero tripla (vt solet) proportione virorum supergresso, nihil in hac re amplianda vnquam fiet, quod nimium aut inutile dici possit. Ergo inter cætera ædificia quæ Compluti fiebant, ædem etiam sacrarum fœminarum erigendam curauit, titulo sancti Ioannis pœnitentis: cui collegium egenarum puellarum, nouitio ac prudenti inuento, sub nomine diuę Isabellæ adiunxit: quæ de illarum custodis voluntate (quam matrem vocant) & diui Francisci in eo oppido Guardiani consilio, iuxta præscriptas ab eo leges cooptatę, tandiu illic in omni disciplina & custodia degerent, donec lubricum ætatis prætergressæ, aut se diuino obsequio mancipari, aut nubere constituerent. Quod si in illam partem inclinarent, ad vota facienda citra vllius pecuniæ dotis nomine numerationem admitterentur. Si vero nuptiis indulgere mallent, viro frugi & probo collocatæ, dotem ex cœnobii prouentibus susciperent, quos ille vberes & copiosos grādi summa æris comparauit. Nam olim cum ministrum (vt dictum est) prouincialem ageret, nonnullarum virginum animos in cœnobiis degentium grauibus furiis diuexari intellexit, quod vt parum ingeniorum suorum consciæ, aut cognatorum coactæ authoritate, aut egestatis durissimo imperio se sodalitatis mysteriis addixissent. Quamobrem humanissimo consilio excogitauit, quo pacto sui exploratione habita, partim dotis erogatione facta, illis incommodis succurreretur. Curam hoc conficiendi Gregorio Fernando viro industrio, & probitate claro, in diuæ Mariæ templo, quod Compluti insigne est, beneficiario commisit: qui opere nondum absoluto è viuis discessit, seque illic tanquam in fundo à se culto, fidus colonus humari demandauit. Eius cœnobii institutio ob fructum in dies non mediocrem inde prouenientem adeo grata antistiti fuit, vt cum olim Toleti agens quingenta millia nummum eroganda in ea vrbe perpetuo reliquisset, quorum triginta, de virginibus dote cassis iam tunc solicitus, earum nuptiis deputari voluerat, ducenta vero ad miserorum hominum redemptionem, qui apud infideles captiui tenebantur, idque tabulis testamenti obsignasset, quas anno M. D. XII. condiderat, postea mutata sententia, anno M. D. XIIII. per codicillos resciderit, cœnobiumque alterum huic persimile Ioannis itidem pœnitentis cognomine, Toleti ex ea summa quotannis colligenda ædificandum, & tuendum cauerit. Addidit insuper nummorum decies centies ex ære ad priuatos vsus seposito continuo numerandum, cuius nempe præsidio res domesticis vsibus necessariæ, reliquusque omnis penarius apparatus beneficio fructuosissimo emerentur, cœnobiumque deinceps aduentantibus suo tempore prouentibus beatissima vbertate gauderet. Quod

ret. Quod si anticipata vectigalium solutione illa fuissent comparanda, totam œconomiæ rationem conturbassent. Cum postea Franciscus Ruizius Abulēsis episcopus patronimemor ibi sepeliri decreuisset, sacerdotiis quibusdam institutis per cœnobii matrem conferendis, pretiosa item donata supellectile, tum aulæorum, tum argenti & auri, & postremo cœnobio in hæredem nominato, factum est vt non solum egenæ virgunculæ in eo vitam honestissime traducant, quarum de causa id est institutum, sed ex vniuersa ciuitatis ingenuitate puellæ innumeræ, in id collegium suscipi ambiant, quæ aut parentum patrocinio orbatæ, aut propter formam solicitatæ, aut paterna domo ob nouercale dissidium pulsæ, iustum tempus nuptiarum expectantes, famæ illibatæ testimonio illic fruuntur. Hanc laudem tam insigniter Complutense obtinuit, vt ex toto eius regionis tractu illuc puellæ disciplinæ gratia confluant, nostrisque temporibus Philippus II. Hispaniarum rex inter cætera humanitatis, magnificentiæ, & sanctimoniæ exempla, quæ ab eo passim eduntur, eo vno abunde commendetur, quod aulicorum ministrorum filias, eorum præsertim qui in secūdo ministrantium gradu constituuntur, quinquaginta & adhuc amplius numero, in eo cœnobio studiose & pudice educandas curat. Regium profecto & præclarum opus, diuisque omnibus, sed Ximenio inprimis iucundum, qui clarissimis suis monumentis, tanti principis testimonio magnum decus & honorem addi cernit. Ergo ne hoc Complutense cœnobium illam quam diximus egestatem pateretur, si sumptus faceret ante prouentus perceptos: multis tum millibus nummum statim numeratis, tum frumenti modiorum, omnem ab eis solicitudinem abstulit, & tranquillitatem illam induxit, quæ ab omni profana cura sequestratis hominib. ad religionem cui se semel dicarunt tuendam, necessaria est. Vt interim illa non recenseam, calices, patinas, pretiosamq; crucem, quondam regum Aragoniæ delicias, ex argento purissimo: præterea culcitras, stragula, tapetia & aulæa, quæ ex omni sua opulenta supellectile, huic cœnobio Complutensi, testamento, & binis item codicillis legauit. Postquam hæc Compluti acta sunt, de Mozarabum officio, quod Toleti Melchiori Gurrizio Genuensi librorum impressori edendum demandauerat, & de multis aliis quæ ad ecclesiam suam spectabant acturus, Toletum proficiscitur. Officii Mozarabū libri tunc per illum in publicum dati, vt res omnes vsu consumuntur, nunc ita ferme iam exhausti sunt, vt volumen quod missale vocant, me vidente, triginta aureis Toleti constiterit. Nam ab omnibus doctis & piis hominibus, quibus huius officii notitia est, tam missale quam breuiarium certatim expetitur: ipseque adeo Paulus III. Pontifex maximus missis Toletum legatis ab ecclesia nostra officium hoc petierit: & Gotthicæ pietatis monumentum in bibliotheca Vaticana asseruari iusserit. Opus profecto vtrunque, siue sacrarum precationum grauitatem, siue hymnorum elegantiam, siue rerum gestarum per antiquos patres, & martyres, non vulgares historias quispiam consideret, magno in pretio & veneratione habendum. Vtinam aliquis exoriatur actorum Ximenii æmulus, qui sacra hæc Mozarabum volumina euulget rursus. Astunigam, Nebrissensem, Pintianum, & Coronellum, reliquosque sacrorum bibliorum curatores secum Ximenius Toletum adduxit. Volebat enim quoties sibi per otium facultas daretur, eorum studiis interesse, & sacrarum rerum difficultatibus enucleandis totum id temporis, quod à negotiis succidere liceret, impendere. Porro cum crebro ad illum tam Hebræa, quam Græca exemplaria ex diuersis locis, per conductos ministros, non sine magna impensa mitterentur, gaudebat viros earum linguarum peritos apud se habere, qui de certa librorum æstimatione & fide edocerent. Volebat etiam in re tam graui, quæ propter illius temporis ignorantiam, apud plerosque male audiuerat, sua præsentia & authoritate honestare, & à calumniantium criminationib. asserere. Illic ergo totam æstatem est dimoratus, partim egenis subueniendis, partim moribus emendandis intentus. Iam bona pars autumni transierat, cum nuntius ad eum citatis itineribus à rege venit, qui Isabellam reginam totius Hispaniæ, aut orbis potius ornamentum, vitali aura spoliatam VI. Cal. Decembris, Methinæ decessisse significabat. Quare Taurum oppidum quo se rex profecturus accingebat, quam celerrime posset festinaret: vt qui inter testamenti executores appellatus fuisset, reginæ sui amantissimæ, deque eo tam bene meritæ non deesset: cui iam munere viuendi cassa executionem postremæ voluntatis, tanquam fido amico commendauerat. Vt interea non commemoraret, quantum sibi remedium, & leuamen contra instantis doloris acerbitatem, eius præsentia esset allatura. Præscripsit etiam itineris conficiendi rationem, & profectionis diem: ne imprudens qua Granatam reginæ cadauer ex testamento deferebatur veniens, funus comitari cogeretur: quo facto omnes regis rationes conturbarentur. Vnum esse quod inuitus absque eius consilio fecisset, ob celeritatem quam reipublicæ vtilitas in eo negotio conficiendo efflagitare videbatur. Nam eo quo regina ob-

iit die, imo vix integræ horæ post eius mortem interiecto spatio, erecto pro tempore in medio nundinali Methinæ foro tabulato, regis Castellæ titulum solenniter deposuisse: & sublatis per Federicum Albæ regulum, more Hispano, vexillis, feciales præcones Philippum generum & Ioannam filiam faustis vocibus reges proclamari iussisse. Quod præclaro in primis & prudenti consilio factum est ad omnem calumniam affectati regni depellendam: quam factionis aduersæ reguli, qui Aragonio nomini infesti, vt quam primum ad regnum auitum discederet, adolescentis Philippi auribus occultis criminationibus assidue instillabant. Quod vbi Ximenio nuntiatum fuit, quamuis ad omnem animi ægritudinem dissimulandam exercitatissimo, lachrymæ pietatis in reginam indices obortæ sunt: & voce præter solitum lamentabili reginam eo tempore defecisse dixit, cuius nunquam similem sol visurus esset, siue animi magnitudinem, siue pectoris puritatem, siue religionis Christianæ cultum, siue iustitiæ curam, quam æque omnibus tribuebat, siue legum priscarum conseruationem, aut pro tempore condendarum studium, siue annonæ vbertatem diligentia sua vbique partam, quod in primis regium & populare est, considerare quispiam voluisset. Atque in hunc modum oratione de eius virtutibus inter familiares longiuscule producta, animum ex tristissimo nuntio afflictum nonnihil remisit, & sine vlla mora iusta itinera facere instituit: quibus Taurum, quæ antiqua Sarabis à nonnullis creditur, iuxta regis præscriptum perueniret. Erant ea tempestate hyberni imbres adeo magni & assidui, vt inter eos qui reginæ cadauer deferebant, agitatum & initum fuerit, illud Toleti deponere, donec cæli inclementia desæuiret, viaque facilis pateret. Nam itinera multitudine aquarum exundantia (si Petro Martyri fides habetur, qui funus sequebatur) maris vastitatem (sic enim ille ait) referebant: maioresque à se difficultates esse perpessas dicit, quam in longissima peregrinatione qua per Ægeos Ioniosque rugitus, in Africam Asiamque, deinde ad maximam vrbium Cairum, quam Memphim esse aiunt, legatus peruenit. Ximenius tamen haud propterea retardatus, iter per medias pluuias, pietate & fide laborem vincentibus, extemplo arripuit. Non est prætereundum quod in Gonzali Ouetensis commentariis reperi, occurrisse scilicet puellam custodem ouium feretrum reginæ ducentibus, quæ sciscitata cuius id cadauer esset, proh vitiorum (inquit) magnum triumphum: nam hodie è seuerissimis quibus coercita tenebantur repagulis, soluuntur. Cuius vox cum rerum euentum tam certum habuisset, vaticinii loco tunc est habita. Postridie eius diei, quo Ximenius Taurum accessit, in primo illo post reginæ obitum congressu adeo fortem animum, vereque regium Ferdinandus ostendit, vt obuius Ximenio ad cubiculi ianuam procedens comiter & hilariter exceperit, & manifesta signa exhibuerit lætitiæ, ob Ximenii præsentiam conceptæ: quod incredibili gaudio vniuersos qui aderant affecit. Nam hactenus rex in mœrore & lachrymis squalidus, consolationem nullius admiserat. Dum sedes antistiti deferebatur, rex nihilominus honoris causa stetit: quod à nostris regibus in Hispania, non nisi viris meritissimis, quorum prudentia & fides spectata sit, exhiberi, & id perraro, solet. Poterat hoc sane blandientis regis obsequium videri, Ximenium iam ea arte captantis ad nouos tumultus & rerum mutationes, quas ex Isabellæ reginæ obitu propediem futuras præuidebat, nisi iam olim frequentibus exemplis quanto eum in pretio haberet, quantumque eius dignitas sibi curæ esset, in omni oblata occasione declarasset. Memini, me aliquando de his rebus cum Didaco Lupo Aiala Ximenii intimo & fidissimo ministro agentem, audisse quid ab rege Garrouillis, municipio in Lusitania Cauriæ proximo, esset factum. Accersiuerat eo Ximenium rex, vt de principis filii morte reginam certiorem faceret, & piis verbis confirmaret. Meridiabatur Ximenius, custosque Didacus Aiala pro foribus erat. Rex Ximenium allocuturus insperato aduenit. Extemplo Didacus fores cœpit recludere, vt dormientem excitaret. Sed rex vetuit, & commodiori (inquit) tempore veniam. Ergo Ximenius tam honorifice à rege susceptus, ferme duarum horarum spatium semotis arbitris cum illo collocutus est, domumque corpus curaturus discessit: erat enim è proximo itinere admodū lassus. Eo digrediēte rex honoris causa extra cubiculum processit, & cum Ximenius se in genua dimitteret, quod se tā insigni comitate prosequeretur: rex etiā caput detexit, & hilari vultu dimisit. Sunt quidē hæc parua & minuta, sed à regib. apud nostros subditis exhibita, multū momēti & admirationis adferūt. Executores testamenti singulis fere dieb. conueniebant. Hi autē fuerūt, rex & Ximenius, Antonius Fōseca, & Ioannes Velasquides, Didacusq; Deza Archiepiscopus Palentinus, & Ioannes Lopides Cæsaraugustanus eius secretarius. Hi de rebus ad rempub. pertinentibus, magna cura & consideratione, inter se diligenter consultabant. Rex interim hilarior solito per oppidi vicos, Ximenio adhortante, obequitabat, & consuetis remissionibus paulatim mœrorem depo-

deponebat. Tunc fuerunt promulgatæ leges Tauricæ, quę Isabellæ reginæ prouidentia, ad reip. fœlicitatẽ, & ad lites dirimendas præsentissimum remedium, de Ferdinandi coniugis, multorumque in ea re peritissimorum virorum consilio, excogitatæ & adinuentæ sunt. Ex testamenti reginæ clausulis, tres sunt quæ potissimum ad regem pertinebant: & quarum cognitio ad ea quæ postea dicenda sunt necessaria videtur. Prima, vt Ioanna filia ab Hispania absente, aut laborẽ sua regna administrãdi recusante, aut minus id propter aliquã priuatam causam facere valente, Ferdinandus maritus rerum summæ præesset: donec Carolus ex Philippo & Ioanna maior natu filius, vigesimum annum ætatis attingeret. Nã de Philippo genero, aut quòd illi peculiariter infensa, quòd filiam indignè tractasset, aut quòd Hispanis rebus moderandis quarum instructum esse existimabat, nullam omnino mentionem fecit. Altera, vt in rerum à Ferdinando marito gestarum, & laborum in Granatensi prouincia expugnanda susceptorum memoriam, præmium decies centena millia nummum, nec non dimidiam ex nuper repertis antipodibus prouentuum partem, quoad vitam superi concessissent, quotannis perciperet. Tertia, vt trium opulentissimorum equestrium ordinum sancti Iacobi, Balatrauæ, & Aicãtaræ magisteriis, quæ indulgente Romano Pontifice magistrorũ officio abrogato, q; regiæ potẽtiæ æmuli tranquillitatem reipubl. læderent, Ferdinandus & Isabella reges non ita pridem sibi vindicauerant, per vitæ suæ tempus potiretur. Curauit enim vt administratione regnorum commissa, & tantarum opum prouentibus, nihil pristinæ mariti authoritati præter regium Castellæ titulum detrahi videretur. Proceres illi quibus Aragonium nomen infestum erat, Ferdinandi regis pręsentiam auersantes, ad hæc simulatque vulgata sunt fremere: Philippum, cuius ingenio parum propter ætatem callido, se abusuros sperabant, accersendum: Ferdinandum ad patria regna primo quoque tempore pellendum, vrgere. In hoc præ cæteris Emanuellus, qui diu apud Maximilianum Cæsarem Ferdinandi legatus fuerat, totis viribus incumbebat. Is enim siue patrimonii dilatandi causa, siue potius primas partes apud Philippum habendi cupiditate, simulatq; reginam obiisse intellexit, ad Philippum regem conuolauit: apud quem omni adnitebatur studio, vt nihil cum socero pacisceretur: sed vt is quàm primùm è Castella discedens ad hæreditaria regna, quibus deberet contentus esse, migraret. Nonnihil Ferdinandi pectus hac animorum & rerum mutatione infractum fuit. Et constans ille æqui & boni, vxore viuente, vindex, affectibus procerum nonnihil indulgere cæpit, & Aragonium secessum formidare. Neque tantum præteritorum temporum, rerumque gestarum ratio apud eum valuerunt, quàm præsentis status inuersio: quæ nimirum suas cogitationes de magnis negotiis absoluendis retardabat, comprimebatque. Quod dũ Ximenius adnimaduertisset, vir robusto & incorupto animo, omnem operam & curam pollicitus ad eius dignitatem tuendam, nutantem animum regis confirmat: virosq; aliquot spectatæ fidei ad Philippum generum mittendos adhortatur, qui eum Hispanicarum rerum rationem edoceant, & cupidos rerum nouarum regulorum animos detegãt: qui mutua rerum simultate, suis commodis seruire satagerent. Adolescentem rerum imperitum, nullosque veteratores aut vafros homines adhuc expertum, multò tutius in soceri fidem, qui horum hominum multos iam annos notitiam habeat, quique solam eius regiam maiestatem conseruare & augere intendat, quàm in eorum prædam venire, qui ex eorum discordia rerum suarum incrementa captant. Neque enim generum regem esse abnuere: in cuius rei testimonium, in medio mœrore & iustissimis lachrymis, eo ipso quo coniunx morte præerepta est die, regio se titulo spoliauit, nomine tantùm administratoris sibi in Castellæ regnis assumpto. Veniret ille modò cum Ioanna vxore, & experiretur non tantùm cupidum regnandi socerum esse, quàm pessimi delatores dixissent: qui velut furiæ facibus accensis, vtrunque curabant inflammare. Huic rei gerendæ pręficiuntur Lupus Conchillus, & Michael Ferrera Aragonenses iuuenes: ex quibus Conchillus priuatim mittebatur, vt quandiu Philippus apud Belgas moraretur, Ioannæ semper reginæ adesset, & quidquid rei secretioris filia cum patre Fernando tractare vellet, eo tantùm arbitrio fieret. His rebus ita constitutis dum omnia suspensa & in expectatione sunt, anni M.D.V. ferme tertia pars iam elapsa erat: Fernandus nihilominus administrationi reipub. intendere, & Castellani regni vtilitati, in cuius ille motibus comprimendis, & finibus amplificandis, tantum periculi & laboris exhauserat, prospicere. Ximenius verò à reip. negotiis parumper liber, qui religionis & diuorum eximius cultor, semper aliquid secum versabat, quod hunc tam pium affectum incenderet, in memoriam reuocauit diui Ildephonsi corpus Zamoræ asseruari, quam Senticam olim appellatam esse nonnulli existimant, & XVI. millibus passuum à Tauro distat. Incessit ergo illum mira quædam cupido visendi, & venerandi reliquias viri sanctissimi, qui & Deiparæ virginis munere & alloquio

perilluſtris eſt,& eccleſiæ Toletanæ pontificatum adeò integrè & vigilanter tempore duriſſimo, dum ſchiſmata & hæreſes vigebant, adminiſtrauit, vt diuinos ſibi honores inter diuos relato comparauerit. Dolebat Toletanam eccleſiam eo eſſe theſauro ſpoliatam,& nihil magis ex illa calamitoſa Hiſpaniæ vaſtatione,quam ſub Roderico vltimo Gothorum rege ſuſtinuit,in familiari colloquio deplorabat, quàm ſanctiſſimi Ildephonſi corpus, veſtemque ſacram,per virginem matrem cælitus ad eum deductam, quæ in Ouetana eccleſia eſt, à templi Toletani adytis per alienas ſedes exulare. Peropportunus ad eam rem gerendam Petrus Biuerus viſus eſt: tum quòd equeſtris ordinis Zamoræ ciuis eſſet, & in ſacerdotum ciuiumque ſenatu permultos cognatos, & amicos, quorum id opera & patrocinio fieret,habebat:tum etiam quòd intimus & carus Ximenio,optimam operam patrono erat nauaturus, vt voti compos fieret.Eius ergo authoritate & cura id duntaxat impetrari potuit,vt quàm diſſimulanter id fieri poſſet, Ximenius Franciſco Ruizio ſodale,& duobus à cubiculo miniſtris comitatus,totidemque anteambulonibus, Zamorã de nocte occultus veniret. Accipit ergo conditionem læta fronte Ximenius, gratiis pro tam ſedula cura Biuero actis. Cùm omnia iam apparata eſſent, ſubito Zamorenſes mutatis animis, ne ſe Tauro moueret per eundem Biuerum renunciant:neque enim de ea re tam arcano conſilio potuiſſe tractari, quin ad notitiam multorum dimanauerit: qui tam grauiter & moleſtè tulerunt, vt vniuerſa Zamorenſis ciuitas fortunarum omnium diſcrimen, ſuorumque ciuium internecionem ſubire parata ſit potius,quam facultatem vllam dare Ildephonſi corpus cernendi. Quæ autem tam ſubitæ mutationis cauſa fuerit, nihil pro certo compertum habeo: niſi quòd nonnulli ridicula & pro tempore conficta excuſatione, religione quapiam prohiberi ſe dixerunt: vocem ſcilicet humana auguſtiorem è penetralibus,vbi Ildephonſus aſſeruatur,prodeuntem audiuiſſe, quæ manes ſanctiſſimos ſolicitare vetabat. Sed veriſimilius eſt, potentiſſimi hominis & intrepidi ingenium timuiſſe, ne quid de poſſeſſione quondam ſua tentaret,aut graues lites intenderet ſanctiſſimis reliquiis conſpectis, quæ diuinum odorem vndiq; ſpirarent, vereq; illam puritatem retinerent, quam Ildephonſus olim in illo exuuio coluit. Experimento enim conſtare, eamq; eſſe rerum naturam, vt quæ ſub aſpectum veniunt acrioribus ſtimulis animos hominũ commouere ſoleant. Ægrè id Ximenius tulit,qui deluſus à Zamorenſibus videbatur: & illorum ſententia cognita,quantum (inquit) priuati hominis conditio principis fortunæ præſtat: Nam ſi ego detrito, vt olim ſolebam, ſacco indutus, ad Zamorenſium eccleſiam veniſſem, ſine vllo negotio, quod fruſtra rogaui eſſem aſſecutus. His dictis omnem deinceps huius rei curam proiecit,& rege Segouiam concedente, Tauro Complutum reuertitur: quanquam in quorundam ſcriptis reperio regi comitem ſemper fuiſſe, donec Ferdinandus & Philippus conuenerunt. Sed veriſimile non eſt,cùm tot res Ximenius Compluti interrupta reliquiſſet,difficultatis & laboris plenas, quib. abſoluendis eius præſentia neceſſaria erat. Interea reip. rebus è clancularìis conſiliis,& occultis congreſſibus, in lucem ſe efferentibus legati duo è Belgis venerunt, Philibertus Burgundius Veranius princeps,& Andreas Burgius patria Cremonenſis,Italo ingenio,& literarum ſtudiis clarus: alter à Philippo genero, alter à Maximiliano Cæſare Philippi patre, ad eas res omnes, quæ non mediocriter reip. ſtatum perturbabant, cognoſcendas & tractandas miſſi. His in primis mandatum erat, Emanuello aliiſq; Hiſpaniæ proceribus omni vi & ſtudio id contendentibus, vt Ferdinandus Caſtella cederet. Erat regi adoleſcenti & imperandi cupido facilè perſuaſum, ſpecioſam quandam ſeruitutem ſe ſub Ferdinandi tutela acturum, dulciq; illa regnandi libertate ſub ſoceri pædagogica diſciplina cariturum. Belgis verò, qui Philippo intimi erant, Hiſpanarum opum auiditate captis, ingentia lucra propoſita fuerant, ſi inter ſocerum & generum fœdus nullum iniri permitterent. Quas ob cauſas nihil aliud à legatis extorquêri poterat, quàm vt Ferdinandus Ioannæ filiæ patrimonio relicto, in ſua regna quamprimum diſcederet. Qua vna re tumultuantium regulorum ſtudia,cæterorumque omnium,qui nouis rebus inhiabant,mirum in modum augebantur,& gliſcebant. Dabant naturæ degeneris documentum, quòd impudenti inſultatione, regem de ipſis, & repub. optimè meritum, vellicabant & perpungebant. Quibus ille altiſſima patientia diſſimulatis, aut aliorſum quàm fierent acceptis, temporis ſucceſſus expectabat. Res enim ipſæ ſe demum proditure erant, & Philippus malo ſuo doctus ſententiam ſuam erat mutaturus. Sed ſubitò exoritur,quod non mediocriter Ferdinandi animum, quantumuis excelſum,& fortunæ ictibus ſuperiorem, debilitauit, & penè infregit. Lupus Conchillus, quem ad Ioannam reginam ſuprà fuiſſe miſſum demonſtrauimus, cùm eam de his rebus certiorem faceret, procerumque artes & conſilia declararet, quibus Philippum coniugem à patre Ferdinando abalienare conabantur, parentem per literas ſecretiores adhortatur, vt ſi

quid

quid apud eum carissimæ filiæ preces valerent,nullo modo ea regna desereret, quæ ipse vna cum Isabella matre,tot seditionibus & tumultibus nutantia, tot hostilibus armis vicinorum Maurorum impetita,securitate perpetua stabiliuerant. Quod si ad id,præter ius ex testamento reginæ Isabellæ, solennes tabulæ necessariæ essent, quibus facultas regni administrandi, donec Philippus in Castellam appelleret, daretur, se vel nolente marito quamprimum missuram. Quare curis & molestia liber degeret: nam simulatque in Castellam ventum esset,omnia ex eius sententia componenda fore. Has literas, Conchillus Ferreræ,quem supra consiliorum participem cum eo ad reginam venisse diximus,ad Ferdinandum perferendas dedit, quod nemo ad id exequendum aptior quam vir Aragonius videretur: qui & soli natalis communitate,& multorum beneficiorum causa, quibus illum cohonestauerat,Ferdinando regi obstrictus erat.Is autem siue timore deterritus, ne si res palam fieret,Belgis pœnas atroces daret,siue captandi Philippi cupidus,parum fidei & officii memor,rem vniuersam ad Philippum defert,eique literas in manus tradit. Philippus postquam mittendarum literarum & totius consilii authorem Lupum Conchillum fuisse intellexit: iracundia percitus, tanquam nefario in crimine & capitali fraude deprehensum,in tetrum carcerem detrudi iubet: vbi loci pædore & vligine caput intabuit, & defluuium capillorum passus,vitæ periculum subiit. Id medicaminis viribus, quo se petitum eo tempore aiebat,Conchillus accidisse arbitrabatur:atque ita in familiari colloquio senex olim iactabat,mentem sibi postea per interualla vacillasse. Nec Conchilli pœna Philippus contentus fuit:nam vniuersam vxoris familiam, Aragoniorum hominum, causariis missionibus atque adeo cæterorum omnium,quos ad Belgas venienti pater tradiderat, obdurato animo immutauit,paucis duntaxat retentis,quibus ne se inscio in Hispaniam scriberent,seuerissima admonitione edixit.Ferebatur etiam Philippus cum Gallorum rege Ludouico fœdus iniisse, ad deturbandum è Castella socerum si per vim aliquid tentasset. Nam Carolo Philippi filio Claudia Ludouici filia, maximis conditionibus despondebatur.Galli tamen proceres id non probantes, pacta cum Philippo conuenta mutarunt: & Francisco Angulemæ regulo,ad quem nisi Ludouico proles virilis nasceretur, sceptra de more maiorum pertinebant,elocata est:ne minoris Britanniæ successio,cum Claudia materni iuris & patrimonii hærede,ad Carolum postea deuolueretur.De his omnibus Ferdinandus certior factus,cum se peruersis corruptisque Belgarum studiis foris vrgeri cerneret,domi vero suorum ingratitudine & inuidia premi,minime esse malis cedendum ratus, Ximenium confestim accersiit,vt illum regulorum potentiæ opponeret, qui apud Belgicos legatos,in regis contemptum assidue versabantur:& vt cum eo conferret, quid super Conchilli vinculis esset agendum.Quod quamuis alta dissimulatione celauerat,animo tamen hærebat,præsertim postquam aperta simultate & odio rem agi vidit. Paruit statim Ximenius,regique suo tot difficultatibus & molestiis laboranti,deesse noluit. Venit citato itinere Segouiam, & regem monumentis gestarum rerum clarum, Castellæ Reipub. amantissimum,mansuetudineque morum commendabilem, cuius in omnes Castellæ regulos extabant merita,vno aut altero ex proceribus,qui aut propter sanguinis coniunctionem,aut propter intimam familiaritatem eius dignitatem tuebantur,comitatum inuenit. Cæteri enim(vt dixi)apud Philibertum & Andream legatos assidui,omni insultationis genere regi suo bilem mouebant. Ximenius insciis omnibus Segouiam ingressus, vt erat de via puluerulentus,antequam regem salutaret, legatos qui iam epulis paratis discumbere volebant,ad se quam primum venire iubet:res enim esse maximi momenti,quæ se festinabundum Segouiam venire coegissent:nec vulgare periculum emersurum, nisi in tempore succurreretur,omnemque moram quæ rebus gerendis semper nocuit, nunc perniciosam insanabilemque fore.Commoti sunt legati Belgæ,quamuis proceribus id extenuantibus,atque vt inanes terrores contemnentibus.Gratias igitur se Ximenio agere pro suscepto labore benigne respondent,& se à prandio ad illum venturos, & ex eius præscripto omnia effecturos,quæ ad remp.pertineant,promittũt.Instat Ximenius vt relictis epulis properent,neq; enim id genus negotium esse,vt dilationem vllam pateretur. Parent legati, & in regiam quo iam se ille contulerat veniunt.Egit primo de Philippi rebus prudenter satis & grauiter: & improbare se dixit, quod soceri probitati & candori diffidens, sese vulturibus deuorandum committeret, lupisque hiantibus prædam appararet. Deinde de Conchilli carcere, & Aragoniorum amandatione, rei indignitatem verbis etiam exaggerans, quod Philippus leuibus de causis tam grauia animi exulcerati signa aduersus socerum, de illo multis in rebus benemeritum dedisset. Quare nuncios per equos dispositos ad Philippum mittendos censet,per quos de Conchillo dimittendo, atque in pristinam dignitatem restituendo,cum illo agant. Nam si vlterius progrederetur,videret ne soceri animum ad-

uersus se irritaret:cui nihil aliud quàm reip. Hispanæ commodum curanti, non defutura esse optimatum studia, qui illum quantumuis Gallico præsidio & potentia instructum, donec sanius consilium reciperet,ab horum regnorū accessu prohiberēt. Attoniti ad tantam dictorum libertatem legati,& durum Ximenii ingenium cognoscentes, ne quid nouarum rerum in tam iusta indignatione, partim rex multitudini carus,partim antistes potentissimus molirentur, antequam dapes repeterent, nuncios cum literis ad Philippum miserunt de rebus per Ximenium tractatis: monentes vt omnia in melius mutaret,donec ipse in Hispaniam veniens,rebus pro voluntate compositis,sceptra teneret. Nūc verò Ferdinandum & Ximenium timendos esse,qui reip. commodis tuendis, eisque proculdubio studentes, ni eorum voluntati obtemperaretur, magno ad res gerendas impedimento futuri erant. Hæc postquam Philippo,intimisque suis renunciata sunt, cuncta ex Ximenii præscripto fiunt. Conchillus vinculis liber in dignitatem ablatā restituitur,& de fœderibus cū socero agitur. Ille vt erat perspicaci ingenio & prudentia præditus, nihil firmum fore eorum quæ tractarentur prædiuinās, dum hæc cum genero agit, Gallum ad amicitiam inuitantem, quanuis omnia superiora petentem,non abnuente Ximenio recepit. Ximenius ab hoc tempore vsq; ad regis Philippi mortem, & Ferdinandi in Hispaniam reditum, magna reip. vtilitate variis procellis per id tempus perturbatæ, nunquam à regio comitatu discessit. Mittuntur ad Gallum legati Cifontius comes,& Thomas Malfelitus Arogonii senatus præfectus: quib. authoribus, etsi iniquissimis conditionibus, fœdera tamen percussa sunt. Gallus iuri Neapolitano cederet, dummodo Ferdinandus Germanam neptem quanuis ipse ætatis multò prouectioris esset, vxorem duceret(erat enim duo de viginti annos nata)cui Ferdinandus rex maior erat auūculus: nam ex vetusta Foxiorum comitū familia paternum genus, maternum à regio Aragonum & Cantabrorū stemmate ducebat. Quod si germana absq; liberûm successione decederet, vrbs Neapolis atq; adeo vniuersa regni pars, quam Federico deturbato Hispanus & Gallus partiti fuerant, rursus in potentiam Gallorum veniret: atque in summam, vt videbatur, Hispanorum iniuriam, quibus fusi sanguinis,& ingentium laborum præmium, iure belli oppida quædam & vrbes hostium donata fuerant, rursus prioribus dominis totius defectionis authoribus, Aragonio nomini infensissimis, restituerentur. Post hæc quingenta aureorum millia decennio pēderentur, in singulos annos continuos quinquagena. Quæ etsi Ferdinandi authoritati, qui paulo ante de Gallo tot deuicto præliis triumphauerat, non mediocriter officiebant, & partā gloriam magna ex parte obscurabant, non reiicienda esse eo tempore visa sunt. Postquam hęc Philippus resciuit, indignissimè tulit: & cū se à Gallo delusum esse sentiret, ac soceri vires multum ea affinitate adauctas. quanuis indignabūdus pacem cum socero inire cogitur:& cum vxore in gratiam rediens, tabulas tandem ad eum mittit, quibus regnorum administrationi æqua cum ipsis potestate præficitur. Salmanticam interea Ferdinandus & Ximenius vna è Segouia venerant, vbi mense Decembri Ximenio nutiatum fuit, Petrū Furtatum Cazorlæ præfectum, Guadalfaiaræ è viuis decessisse. Eius prouinciæ cura quoniam ad eū pertinebat, statim viros strenuos & industros illic mittit, qui omnes præsidiarios custodes, iurisiurandi solenni religione post Furtati mortem iam exolutos, sibi denuo de more obstringerent,& publicæ tranquillitati prouiderent: ac vectigaliū prouentuūq; collectioni, quæ solent in huiusmodi rerum occasionibus rapacissimo cuiq; prædæ esse, diligēter & studiosè attenderent. Hac diligentia, qua in omnibus rebus tempore semper necessario est vsus, animos hominū quietos continuit: cunctosq; motus & seditiosas cogitationes è pectoribus eorum euulsit. Nihil vltra ea de re tunc constituendum esse existimauit, sagaci (vt nonnulli dicebant) consilio, vt negotio in posterum dilato, regi de se benemerito occasionem pro aliquo intercedēdi præriperet. Quanuis differre se aiebat hoc negotium in aptius tempus, quādo regis animus hilarior esset,& minus curis premeretur. Est verò Cazorla (siue magis Castorlā appellare libet, nā ita ab historicis nostris vocitari deprehendo) antiqua (ni fallor) apud Strabonē Catastaon: nā haud procul ab ea Segura mons est, quē argenteū vocat, vnde Bætis fōtes erūpunt:& adhuc nostra tēpestate plūbi & aliorum metallorū fodinæ sunt, quarum ēt Strabo meminit. Ea quoniā olim à Roderico Toletano Antistite, viro præter insignē, prout illa tēpora ferebāt, eruditionē,& in pace & bello claro, è barbarorū imperio liberata fuerat, Ferdinādo tertio Hispaniarum rege id benignissime cōcedēte, in Toletanorum pontificum ditionem venit: in quorum potestate trecentorum annorum & amplius spatium durauit, donec sub Ioanne Tauera, ad Camarasiū Francisci Cobi filiū trāslata fuit. Instabāt interea Ianuarii Calēdæ, nouaque omnia cū noui anni luce, qui supra millesimum D.VI. numerabatur, ex fœderibus inter reges ictis, nō siue magna bonorū lętitia sperabantur. Nec eos fefellit euētus: nā octauo idus Ianuarias, quo die Magorū ad

Christum

Christum natum adorandum aduentus religioſiſſime à noſtris colitur, publica præconum regiorum voce, concordia regis Ferdinandi cum eius liberis pronuntiatur. Quare regia deinceps diplomata Ferdinandi, Philippi, & Ioannæ nomen præferebant. Non deerant è ſenioribus ſiniſtri vates, qui longa rerum experientia, & grandis ætatis vitio, omniaq; in peiorem partem detorquerent. Nam in eum vſum tantiſper ſimulari dicebant, donec Philippus in Hiſpaniam ſe reciperet, & ſocerum in Aragoniam pelleret. Illam enim diplomatum præfationem in qua Ferdinandus prænominabatur, quem nullo in loco poſitum vellent, oppido quam ingratam Philippo & Belgis futuram. Ferdinandus ſtatim Segouiam rediit, vt venatione ſe oblectaret, cuius ſtudio & exercitatione mirum in modum recreabatur. Vere ineunte certior factus eſt, Philippum & Ioannam vela feciſſe, propediemque in Hiſpaniam appulſuros. Supplicationes pro eorum proſpera nauigatione ad diuos omnes ſuſceptæ ſunt, & non contemnenda nummorum ſumma per ſacerdotum collegia, & per ſacrarum virginum contubernia diſtributa. Quare Segouia diſcedens, Valleoletum (quæ antiqua Pintia eſt) proficiſcitur: vt Oceano propinquior, ſimulatque compertum habuiſſet Aſturum terram eos attigiſſe, qua è Belgis ſoluentibus veniendum erat, facile illis obuiam procederet. Illi interea maris inconſtantiam experientes, tempeſtatibus grauiſſimis iactati, VI. Calendas Maias magnum Calletiæ portum deuenerunt, olim Brigantinum, nunc Corunnam dictum, quaſi Columnam (Incolæ enim ſic turrim vocabant) non quod ibi ab Hercule ſecundæ columnæ, quod viri docti nonnulli crediderunt, eo in loco collocatæ ſint, decepti (vt opinor) fabella quæ inter noſtros circumfertur: turrim illam ab Hercule conſtructam, in qua ſpeculum arte quadam arcana poſuerit, in quo naues vel longiſſimo ſpatio diſtantes contemplari liceret. In tam ridiculam opinionem ignoratione vocum ſunt delapſi. Nam cum turrim ſpeculam vocarent, ſpeculum illi, quod diximus, confinxerunt. Sed quoniam hanc Auguſti turrim titulo eſſe memorabilem nonnulli authores tradiderunt, adſcribemus & titulum, qui ſeorſim ab ipſa turri inſculptus eſt, optima fide tranſcriptum.

MARTI
AVG. SACR.
G. SEVIVS.
LVPVS
ARCHITECTVS
A. F. DANIENSIS
LVSITANVS EXVL

Simulatque Ferdinandus reges aduentaſſe reſciuit, iuſtis itineribus Valleoleto Compoſtellam contendit. Poſt eum Ximenius viæ ſe dedit, primoque ipſo quo diſceſſit die, Villumbrale oppidum peruenit, ſuæ ditionis municipium, lampadum oleo templi Toletani à maioribus religioſe dedicatum, bis decem millia paſſuum Valleoleto diſtans. Quo pacto autem à Toletani Pontificis ditione longe ſepoſitum oppidum in ipſius poteſtatem venerit, non grauabor recenſere, quemadmodum in templi Toletani adytis ſcriptum deprehendi. Alfonſus octauus Hiſpaniæ rex, cui crux in aere ſe oſtendens victoriæ aduerſus Mauros ſignificationem certiſſimam dedit, Ferdinando Sanctio, qui regis abaco præfectus erat, ob ſedulam in munere ſuo obeundo operam, id oppidum dono dedit. Ipſe vero ſiue colonorum moleſtias non ferens, ſiue potius animi pietate inductus, quam Alda vxor, fœmina religioſiſſima fouebat, cum Roderico Ximenio Archiepiſcopo Toletano pactus eſt, ſe illi oppidum cum agris communibus traditurum, modo penſionis annuæ nomine, aureos denarios trecentos, & frumenti Toletani quinquaginta trimodios ſuſciperet, hi è Compluti prouentibus, illi è ſalinis Villinchonis, in ſpartario tractu pendendi. Hæc pacta Ferdinandus tertius Hiſpaniæ rex, Alfonſi octaui è Berengaria nepos, templi Toletani & Pontificatus eximius cultor, vt fierent benigne permiſit: & diplomate regio teſtatus eſt, ſe id municipium cum vniuerſa regiuncula ſubiecta, Toletanis pontificibus concedere, eo pacto quo Alfonſus eius auus Ferdinando Sanctio donauerat, qui ei à cuſtodia poculorum erat. Fuit hic Ferdinandus tam inſigni erga Deum pietate, vt inter omnes Hiſpaniæ reges Sancti cognomen obtinuerit: multiſque præliis cum Mauris conſertis, victor ſpoliis onuſtus redierit. Nam Cordubam, & Hiſpalim, clariſſimas vrbes, atque adeo maiorem Bæticę partem, diuina ope & auxilio è Maurorum tyrannide recepit. Huius optimi regis beneficio auguſtiſſima templi Toletani tecta debentur: quæ, cum adhuc per centum, & amplius annos, ex quo ea vrbs in poteſtatem Chriſtianorum venerat, Arabici delubri formam retinerent, miſerrimam illam Hiſpaniæ cladem probroſo quodam monumento referebant,

curante id Roderico Antistite, viro grauissimo & magnanimo, in eam faciem exædificata sunt, qua Christiani homines vti consueuerunt. Huic rei exordiendæ Ferdinandus rex, & Rodericus Antistes, præclaro exemplo auspices fuerunt, primos in templi fundamentis lapides venerabundi collocantes. Ea nondum quadringentorum annorum spatio, in eum fulgorem & maiestatem creuerunt, vt nihil illis augustius in toto Christiano orbe visatur. Nam paulatim ex religiosorum principum & piorum hominum liberalitate, ea sacrorum redituum portio quæ sartis tectis curandis cedit, octogies centena millia nummorum summam efficit. Altero postquam Ximenius accessit die publice sacris in templo interfuit: & quoniam agrorum squalore, & pluuiarum aquarum inopia, eo anno vniuersa Hispania laborauerat, hominum animi afflicti erant: placuit religiosissimo præsuli, post peracta sacra, vetustum quod extra oppidum est sacellum adire, quem omnes supplicantes secuti sunt, crucis vexillo (vt solet) præeunte & sacerdotibus in vestibus lineis vtrinque procedentibus, pluuiæ eliciendæ causa. Ea ingens & copiosissima antequam in oppidum rediretur effusa, & per plures dies continuata, non solum circum circa regionem, sed cæteras omnes Hispaniæ partes admirabili fœcunditate affecit. Hoc tantum beneficium Ximenii sanctitate à numine concessum, plerique dixerunt. Hinc ad Ferdinandum properauit: qui iam dudum in Calaciæ Lucensibus, ad Molinam oppidum, quam Ptolemæi Oliuam nõnulli esse dicunt, liberos Compostellam venientes expectabat. Hic aliquot dies Ferdinandus commoratus est: quod Philippus & Ioanna maris tempestate iactati, lente à portu procederent, & homo alioqui in omni negotio attentus, hac mora regulis parum beneuolis occasionem dedit, vt animum Philippi præoccuparent, & iuuenis incauti facilitate aduersus eum abuterentur. Nam quod in Belgis Emanuellus cœperat, cæteri omnes factionis suæ principes, nouis additis calumniis, perfecerunt. Regem præstantissimum, aut inuidia regni affectati onerabant, aut si id minus probare poterant, consortis esse impatientem criminabantur: & in animo habere, si prolem è Germana vxore suscipere contingeret, Castellanicis opibus Aragonensium potentiam adaugere, eamque nostris sceptris æqualem, aut æmulam facere. Philippus animo infensissimo Germanæ nuptias semper acceperat, quod eas in suum detrimentum & contumeliam esse factas crederet. Quare his tam opportunis criminationibus aures vsque adeo faciles dedit, vt Compostellam tandem accedens, quo Ferdinandus erat venturus, vt de rebus ad rempublicam pertinentibus cum genero ageret, non expectato socero, quamprimum inde discedere, alioque iter flectere, quam inter eos per legatos Fernandum Vegam, Calletiæ proregem, & Raimundum Cardonam conuenerat, instituerit, Ioannæque conspectum patri denegauerit, nihilque eorum quæ per præcones Salmanticæ sunt pronuntiata firmum ratumve habuerit. Itaque iter per montium pene inuiorum anfractus, ne sibi obuium socerum haberet, ad Aquascalidas (quod oppidum Orense nunc dicitur) quanta potuit celeritate conuertit. Id vbi Ferdinandus resciuit, doluit quod parum prudenter Molinæ commoratus, regulos apud generum non anteuertisset, de quorum ingenio & maleuolentia, nihil boni sperandum fuerat. Ergo dissimulato dolore, vt erat in aduersis tolerandis prudentissimus, de tam aperta generi contumelia Ximenio ad se accersito conqueritur: suamque negligentiam damnans, nonnihil etiam Ximenium de ea re culpat, qui cessantem non admonuisset. Ille vero minime in ea re defuisse respondit: & vt memoria repeteret rogabat, quoties admonuisset, vt armatus, & copiis militaribus instructus, res controuersas cum genero componeret. Nam regulorum animi nimium in Ferdinandum exulcerati, haud alia ratione refringi, aut in officio contineri poterant. Sed postquam ei durum & acerbum videri intellexit, vocem compressisse, nihilque amplius super ea re sibi tractandum existimauisse. Quare videret ipse, quid nunc tandem esset faciendum, vt fractis rebus succurreretur: libenter enim se omnia executurum. Conuenit inter vtrunq;, vt Ximenius quamprimum ad Philippum iret, eiusq; animo pertentato, daret operam vt omnem conceptam maleuolentiam ex regulorum rumoribus, deponeret: eiusq; animum leniret, & tractabilem, qua erat dexteritate redderet. Suscepit eius rei curam Ximenius, & ferme sub mensis Maii principium Molina profectus, Compostellam ad Philippum ibat: sed per nuntios, quos præmiserat, cognouit, Philippum Compostella discessisse, atq; via faciliori neglecta, iter impeditius (vt dixi) suscepisse. Doluit Ximenius, & quod nihil iã fieri à Philippo videbat, & quod bona spe esset frustratus. Nam sperabat Ferdinandum à genero opera sua Compostellam vocandum, atq; inde coniunctis animis Castellam bonis auspiciis ingressuros, & sine vlla æmulatione aut simultate, de rerum summa simul consulturos: hac vero publica mutuæ concordiæ imagine regulorum & vulgi animos conquieturos. Cæterum ea itineris muta-

mutatione palam fecerat, se socerum auersari & fugere. Quare nihil iam amplius prætexi poterat, quod Philippi alienationem excusaret. Dolebat etiam sibi occasionem præripi, ad religiosissimam sancti Iacobi ædem accedendi, vbi & sacra celebrare voluisset, & quouis pietatis genere diuum Hispaniæ tutelarem demereri. Cogitur Ximenius Orense diuertere, vt primo quoque tempore Philippum conueniret, gliscentemque illam simultatem coerceret. Iter per montes illos facienti vicus quidam occurrit, in cuius peruetusto & male sarto templo, diuæ Euphemiæ corpus asseruabatur: cuius præsens patrocinium innumeris per eam regionem editis miraculis, cum alii finitimi populi, tum præsertim accolæ Giguri, in quorum tractu Orense oppidum, & vicus ille est, frequenter senserunt. Ad eam visendam continuo Antistes venit: quam quoniam ob vici inopiam parum pro dignitate contineri comperit, ære suo ædiculam diuæ exædificari iussit, vbi ornatiori apparatu coleretur: quæ postea (vt audio) Orense translata est. Sedecim millia passuum vicus ille ab Orense aberat: & dum his rebus occupatur Ximenius, quantumuis postea festinantius solito iter fecerit, tamen Philippus & Ioanna anteuertentes Orensem peruenerant. Hoc ille moleste tulit: cupiebat enim Philippum, oppidum percelebre ingredientem, comitari. Igitur hora ferme diei sexta, reges intra oppidum sunt recepti: Ximenius vero sub noctis crepusculum, statim Franciscum Ruiz'um sodalem suum ad Philippum & Ioannam suo nomine salutandos misit, seque venisse nuntiaret, & tempus aptum ad colloquium peteret. Benigne Ruizium Philippus suscepit, & gaudere se dixit mirum in modum de Ximenii aduentu, & vt die sequenti ad se veniat iubet: cuius præsentiam sibi cum primis gratam futuram humanissimis verbis significat. Gauisi sunt etiam proceres aliquot, qui bonam spem conceperant, eius prudentia & grauissimo consilio controuersias inter reges componendas. Ergo Ximenius postquam sacris interfuisset, ad Philippum venit: qui accedentem omni honoris & comitatis genere, in omnium conspectu recepit. Nam præter primatis pontificiam dignitatem, cui omnem honorem reges nostri deferre consueuerunt, nouerat iam olim Philippus, quanta esset in eo amplitudo, quanta grauitas, & morum sanctimonia. Per duarum & amplius horarum spatium, sine arbitris collocuti, prandio interpellante sunt digressi. Cœpit illico Ximenii domus crebris procerum itionibus frequentari, quos ille omnes incredibili comitate accipiebat, quam prudentia sua ita cum innata seueritate coniungebat, vt nemo eo aut grauior, aut iucundior sit habitus, quanquam seueritati semper propior. Interea Philippum conuenire non cessabat, deque rebus cum Ferdinando componendis agere: in quibus omnibus postquam satis instructus Philippus fuit, easque cum intimis suis communicauit, ij erant Belgarum principes, Veranius, Laxaus, & Villas, & cum his Andreas Burgo, qui Philippo à secretis erat. Hi ergo iussi sunt ad Ximenium venire, regisque sententiam declarare. Factum est id pridie sacramentalium, idque ad multam noctem. In sequenti die bene mane, postquam diei religioni sacris peractis satisfactum à Ximenio fuit, penetrale ingressus, & cæteris digredi iussis, Vallegium ad se vocat: obseratisque cubiculi foribus, vt ad Ferdinandum epistolam scribat, imitato eius ad vnguem chirographo, iubet. Nam huius rei gnarus Vallegius, sæpe illum scribendi labore leuabat, quoties ad principes viros scribendum erat. Ergo epistolam in hunc modum dictauit: Se cum Philippo genero omni cura & diligentia egisse: intimos suos sæpius conuenisse: quibus regulorum animos aperuisset: vt intelligerent, nihil aliud quam priuata patrimonia ex regum suorum discordiis adaugere velle: & Ferdinandum virum optimum & de Philippo optime meritum, imo vero de tota Hispania, è medio tollere vellent: quoniam illorum voluntates & consilia percallebat. Quare diligenter viderent, ne regulorum versutia & astu circumuenirentur. Nam si blandis illorum dictis decepti, sese illorum fidei commisissent, re ipsa postea cogniturosˌ quam sana sint eius consilia. Quare rebus suis melius prospecturos, si Philippus sub soceri tutelam receptus, illi se totum crederet: qui longa rerum experientia edoctus, rerumque nostrarum abunde peritus, quid in Philippi rem esset percalleret, & quo pacto apud eos homines regia authoritas esset conseruanda. Neque enim aliud Philippum agere, qui socero repulso, se Emanuello & cęteris tradebat, quam si crus sibi proprium abscinderet, & eius loco ligneum, arundinaceumve supponeret. Socrus solere quidem nuribus infestas esse, propterea quod sexus imbecillitate pati nequeunt filios ab illis allici, quasi id sibi amoris detrahatur. At soceros semper esse generis beneuolos, eoque magis eorum res curare, omnique studio adaugere & prouehere contendunt, quod sic filiarum commodis, suæque posteritati prospicere certo sciunt. Eum vero potissimum affectum nunc in socero rege acriorem esse, qui virili prole destitutus, omnem spem in filia collocarat: cuius causa natura ipsa vrgente, &

propriis compendiis ita exposcentibus pro virili curaturus esset, vt Philippus quem asciuerat in filiæ coniugium, & sub cuius potestate, iure nuptiarum, tot principatus futuri erant, & nepotes item gignendi tanti imperii successores, sibi iam seniori, & corporis viribus ob ætatem ferme destituto, iuuenili robore adesset, & regnorum molem sustineret, soceri prudentia adiutus. Cæterum nihil apud illos, super hac re, tot rationibus effecisse: siue quod semper difficile fuit, opiniones quibus semel animus imbutus est euellere, siue quod plerique hominum malis consiliis maiorem fidem habent: & quod principes Belgarum certi essent, si in soceri gratiam Philippus rediret, primas apud illum partes se non esse habituros, totamque illam priuatarum vtilitatum conceptam spem in fumos abituram. Itaq; hanc sibi fenestram occlusam esse cum Ximenius vidisset, sese ad id tractandum conuertit, vt Ferdinandus in Granatensi regno, quod ipse tantis laboribus & sudore ceperat, regnaret. Esse adhuc gentes illas libertatis antiquæ, & superstitionis memores, semperque nouis rebus intentas: quare hominis præsentia indigere, cuius authoritatem & cōspectum vererentur, quique illos in officio contineret. Nemo vero ad eam rem eo rege commodior, cuius magna vi & bonis auspiciis tota illa regio subiugata fuit: & cui omnes montium & viarum aditus, omnesque locorum stationes notæ essent. Sed cum neque hoc ab ipsis impetrasset, qui in primis id sibi euincendum esse persuasissent, vt Ferdinandus è Castella discederet: alioqui Philippum, neque commode, neque tuto regnare posse: illis tandem conditionibus contentum esse oportuit, quæ in reginæ testamento continentur. Nempe vt ex bombycini opificii quæstu, qui Granatæ permagnus est, decies centena millia nummum quotannis caperet: & sancti Iacobi, Callatrauæ, & Alcantaræ, militarium ordinum maximis magistratibus, quoad viueret, frueretur: & noui orbis, qui eius & Isabellæ vxoris auspiciis patefactus est, redituum (qui tunc quinquagies centena millia nummum, aut aliquanto amplius erant) dimidiam partem sine vlla controuersia perciperet. Hæc pacta quamuis fortassis non aspernanda viderentur, non admodum sibi arridere Ximenius dicebat: sed quando aliter fieri nequiret, illis tandem conditionibus vt non omnino malis acquieuisse. A Philippo autem se non discessurum, donec socer & gener in conspectus mutuos venirent. Interea de omnibus rebus quæ illic gererentur, certiorem eum continuo facturum. Hæc postquam ad hunc modum scripta sunt, priuato signo quod diui Frācisci imaginem tenebat, epistola est obsignata, & Mirandæ cursori in manus tradita, vt quā celerrime posset Molinam contenderet, & regi traderet. Rescripsit ad Ximenium Ferdinandus literas amoris & beneuolentiæ plenas: in quibus pro tam sedula opera, qua tam facile & tam breui tempore, res tam difficiles & arduas confecisset, gratias agebat. Gratiora enim sine sanguine & tumultu mediocria illa sibi contigisse, quam per vim aut tyrannidis imaginem maxima quæque obtinere. Nam cum talis mortalium conditio sit, vt non nisi ićti (quod aiunt) sapiant, se iam quidem certe diuinare, Philippum tandem malis edoctum, eius operam non ita multo post sponte sua requisiturum. Dictum est supra, de Castorlæ præfectura post mortem Didaci Furtati à Ximenio prouisum, quoniam iactauerat, vt diximus, expectare se lætiorem in Ferdinando animum, multis de causis mœrente, & affecto. At res ipsa in præsentia indicauit, prudentissimum virum noui regis aduentum expectauisse, quo suam voluntatem confirmaret. Atque ita cum super ea re cum Philippo egisset, & aliquando Garsiæ Villaroello comite ad eum adiuisset, vt regis manum oscularetur iussit, qui illum Castorlæ præfectura benigne donasset. Erat Villaroellus Ximenio carus, multisque de causis perquam coniunctus. Nam Garsias Ximenius, de quo diximus, Ioanni Villaroello viro nobili, oppidi sancti Martini ad fontem domino, Beatricem filiam vxorem dedit: ex qua natus Garsias Villaroellus, de quo agimus, fuit: eo nempe cognationis gradu Ximenio propinquus, quem iurisperiti propius sobrino appellant. Hunc omni ornamento & honore decorare Ximenius instituit: partim quod in eo præclara indoles iam olim reluceret: partim quod Garsiæ Ximenio patruo, ita se referre gratiam existimabat, pro beneficiis quibus puer quondam ab eo affectus fuerat. Quin & moriens Archipresbytero nepoti legatum reliquit, erat enim Ximenius Vzedæ Archipresbyter, vt alias diximus. Philippus & Ioanna, quoniam lassitudinem ex mari contractam, nondum deposuerant, aliquot dies Aquiscalidis corporum curandorum causa se continuerunt. Huius vrbis situs in Cilicinis est, olim Amphilocopolis dicta, & deinde Amphilochia: nam eam Amphilochus, qui Teucrum ex Troia in Hispaniam est secutus, condidisse dicitur. Romani tamen Calletia deuicta Aquascalidas vocarunt, quod prope eam fons sit, cuius aqua tanta inflammatione perpetuo feruet, vt quibus ignis vsum expectare fastidium est, aut quos inopia vrget, illic oua, carnes, & obsonia percoquant. Sed præsertim vitularum capitibus radendis, quarum ea regio feracissima est, magno est vsui. Nam citra vllam co-
quo-

quorum molestiam, dicto citius ablatis pilis, coria pura relinquuntur. Thermæ inde saluberrimæ deriuantur, variis ægritudinibus salutares. Sueui, qui ex illa Scytharum gentium inundatione, vniuersam Hispaniam subiugarunt, ea Calletiæ parte post Romanos occupata, proprio idiomate Warmse appellare cœperunt: id est, lacum, siue flumen, aut fontem calidum (se enim particula aquam significat) quæ cognominatio paulum immutata adhuc durat. Quare non sunt audiendi, qui ab auri copia, quod ex proximo Minio fluuio colligebatur, dictum esse prodiderunt. Permulta in eo tractu sunt, quæ vrbem amœnam & nobilem faciunt: sed potissimum excellentis vini abundantia, fructusque varii arborum circum circa adnascentes. Hic cum aliquando ad templum maximum Ximenius venisset, quod Episcopo & Canonicis sodalibus exornatum est, multa perspexit, quæ raritate, & arte commendabantur: & inter alia signum Christi in cruce pendentis vetusta indigenarum religione venerabili, iam olim miraculis clarum, eiusdemque (vt ferebatur) artificis qui Burgis huiusmodi signum in Augustiniano cœnobio dicauit, hominũ cultu celeberrimũ: cuius illud apud Burgenses mirabile circunfertur, quod Iudæi domum pollicem crucifixi clam mutilantis, cruoris riuulus continenter fluens, manifesto indicio prodiderit. Locus in quo collocatum erat, non satis commodus Ximenio visus fuit: luce enim totus replebatur, vnde bona religiosi affectus pars detrahebatur. Quare sacerdotes qui eum comitabantur admonuit, vt in aliam sedem transferrent: quam ipse, omnibus approbantibus, designare grauatus non est. Viginti ferme dies Aquiscalidis commoratus Philippus, iter susceptum perficere contendit: constituerat enim Pintiam venire, atque inde Burgos: vt ibi publici conuentus haberentur, resque omnes per cuiusque ciuitatis procuratores & legatos, ex Hispaniæ vtilitate tractarentur. Sanabriam, altero postquam profectus est die, Ximenio eum comitante venit: cuius opera & industria curatum fuit, vt postquam iam cum Ferdinando conuenerat, in colloquium etiam veniret, & simultatis depositæ claram apud omnes significationem daret. Obtemperauit Philippus: sed quoniam gnauus aliquis vir necessarius erat, qui & tempus & locum colloquio aptum, & rebus tractandis modum & ordinem constitueret, Emanuellus peraccommodus videbatur. Sed ille rerum aduersus Ferdinandum actarum conscius, nolebat in eius præsentiam, nisi de sua salute tutus, venire. Dati ergo sunt obsides Fadricus Albæ regulus, & Antonius Fonseca, vir inter Vacceos princeps, qui Ferdinando intime cari, eum in omnem fortunam sequi decreuerant. Hi statim vt ad Philippum venerunt, missi ad Ximenium sunt: à quo humaniter & laute excepti, mutua inter eos lætitia, eam hilares noctem transegerunt. Interea Ferdinandus Sanabriam versus iter suscepit, quo Philippus recta venturus erat. Asturica, & Beneuentum in medio occurrebant, qua illi necessario transeundum erat: sed Pimentellus & Osorius reguli, quorum illa oppida erant, parum propensi in Ferdinandum, ne in ea reciperetur edicunt. Quod vt non multum Ferdinandus curauit, qui fortunæ mutationes prudenter ferebat, sic illis multum laudis detraxit. Cordatis enim omnibus iniquum & graue visum est, tantum subditis in eorum nuper dominum licere. Altero post datos obsides die, Philippus Sanabria, ad soceri colloquium, qui non longe aberat profectus est, magna regulorum multitudine, tam Belgarum, quam Hispanorum comitante. Præcedebat manus mille peditum Germanorum, acie ita probe apparata & instructa, vt prælii faciem plane referret. Subsequebantur sagittarii equites, inter quos Philippus vehebatur, sinistrum latus Emanuello, dextrum vero Ximenio claudente. Quatuor ferme millia passuum à Sanabria emenso, Ferdinãdus, qui totidem ferme è Riuo nigro progressus fuerat, obuiam fit, nihil bellicum aut infestum præ se ferens, sed vt rebus tranquillis & pacificis consueuerat, ducentis è suis stipatus, qui mulabus vehebantur, ense tantum accincti, & vittis puniceis, more patrio capita obuoluti, Hispanicisque palliis contecti, quæ Caputia vocant, parum ad pugnandum aptis. Qua sane specie innocentiam suam ita Ferdinandus apud omnes commendauit, vt qui vel ei iniquissimi erant, eo tempore fateri cogerentur, neminem vel prudentiorem eo rege, vel moderatiorem esse. Qui iudiciis & animis incorrupti erant, non solum eius prudentiam & modestiam laudabant, sed pessimis illis instigatoribus taciti indignabantur, quorum causa, Philippus velut victor insultans, socerum inermem armatus exciperet: cui ob Hispanæ reipub. conseruationem, totiusque suæ dignitatis amplificationem (vt interim affinitatis vincula taceantur, quæ paternis proxima sunt) multipliciter obnoxius erat. Paululum antequam in generi conspectum veniret, in proximo tumulo Ferdinandus resedit, vt ita locum prætereuntibus daret. Qui omnes eo reuerenter salutato, ordine suo recta procedebant: inter quos armati manipuli pilas ferreas tormentis contorquentes, de militum more salutarunt: & ad iactum lapidis promoti, erectis hastis (nam ita iussi fuerant) vtrunque regem circunstete-

tur. Ea sane res quæ ferme in cõtumeliã & dolorem ab eius æmulis excogitata videbatur, ampliorem Ferdinando dignitatem attulit. Sic enim factum est, vt proceres qui Philippum sequebantur, etiam qui Ferdinando irati erant, militaribus turmis interclusi, omnem reuerentiam vel inuiti præstiterunt, dum more regio eum salutant. Quos ille omnes comiter susceptos, nulla offensionis significatione data, renidenti vultu dimittebat. Inter eos veniebat Manricus Naiarensis regulus, thorace ferreo indutus, & vitta bombycina circumtectus, quem armiger sequebatur, manu item militum non contemnenda circunstipatus. Huic priuatæ cum Ferdinando rege intercesserant simultates: eoque magis sese hoc apparatu & Philippo commendari, & infestior Ferdinando existimari volebat. Quem ad se Ferdinandus accedentem leniter & blande subridens, Macte Manrique (inquit) esto hac animi præstantia, semper enim memor es tui, neque vnquam boni militis exemplum præ te ferre desinis. Notabatur enim passim Manricus elatioris & gloriosi animi. Ad quem ille, qualis qualis sum, talẽ Philippo & tibi me dedo. Garsias Lassus, qui apud Alexandrum VI. Pontific. Max. Legatus Ferdinandi regis fuerat, totam illam salutationem hilariorem & lætiorem fecit. Nam cùm regem salutaturus accederet, in eius humeros Ferdinandus brachia iniecit, & manibus leniter demulcens (inquit) Garsia tibi gratulor ob humeros latiores, & miror quod spatio tam breui multo obesior factus sis, eo dicto satis facere declarans occultorum armorum sarcinam, quibus vestitus erat. Omnis enim nobilitas sic præmunita veniebat, vt si quid forte Ferdinandus attentasset, parati omnes ad resistendũ essent. Prope iam ad cliuum in quo Ferdinandus constiterat Philippus accedebat, cum ille se mouit, & obuiam venienti processit. Philippus statim ac socerum conspexit, speciem se ab equo demittentis dat, & ad pedes eius se proiicientis. At ne id faceret Ferdinandus instat, & celeritate Philippum anteuertit, qui equo hærens detecto capite, manus deosculandas suppliciter petebat. Ferdinandus quantum ex mula licuit vniuersum complexus, caput & genas deosculatus est. Deinde mutuis alloquutionibus, quæ coniunctissimos animos indicarent, se salutauerunt. Hæc in vasta planitie quatuor millia passuum à Sanabria distanti, in omnium ferme Hispanorum regulorum conspectu gerebantur. Sed quo sermones commodius inter se reges cõferrent, in proximum sacellum, quod forte aderat, ad priuata colloquia secesserunt. Quos Ximenius & Emanuellus, cæteris semotis comitati sunt. Sed cum & ipsi quoque illuc cum regibus ingressi essent, neque id Ximenio placeret, qui longe ab eo colloquio Emanuellum ablegare cuperet, ad eum statim conuersus, qua erat frontis seueritate præditus, demus (inquit) principibus nostris colloquendi locum: nam est prorsus inurbanum, nos priuatis eorum sermonibus interesse velle. Quare tu hinc discedito: ego vero ad fores obseruans, ianitoris officium in præsentia præstabo. Nihil contra hiscere Emanuellus potuit, sed statim ad regulos digressus voluntati Ximenii satisfecit: qui obseratis sacelli ianuis, tertius apud reges in podio sedit, quod pastores & agricolæ considendi causa è terra construxerant. Per duarum ferme horarum spatium colloquuti sunt. Multa Ferdinandus expostulauit: quod sibi tam fideliter eius & reipub. vtilitatem procuranti, sine vlla ratione diffidisset, & potius fidem iis habuisset, qui priuatis commodis prospicientes, inter vtrunque discordias serebant. Cæterum, quando iam eo res loci deducta esset, vt sibi necessario è Castellæ regnis discedendum foret, videret quibus se hominibus committeret. Atque simul regulorum sigillatim mentione habita, vniuscuiusque ingenium patefecit: quantum cuique fidendum, quibusque artibus essent tractandi, rex prudentissimus, & earum rerum ob diuturnum vsum probe callens, magna animi solertia declarauit. Sed in primis hortatus est, vt Ximenium quem digito monstrabat, reuerentia & caritate, quæ patri debetur, prosequeretur. Vnum eum esse cuius incorruptis consiliis tuto posset credere, & omnes intimos animi sensus apud eum deponere. Quare ab eius sententia nunquam dissentiret, etiam si quæ mente ipse concepisset, potiora sibi viderentur. Multa enim esse, quæ prima specie inexpertis fugienda censerentur, aliquas tamen vt homines experientes facere consueuerunt, introspecta, longe alia videbantur, aliamque protinus faciem ostentabant. Eam autem rerum cognitionem, sacrumque per sapientiam vaticinium, non nisi post longum vsum, quem acris & attenta consideratio comitaretur, mortalibus contingere. Se iam diu Ximenii sanctimoniam, atque in rebus gerendis dexteritatem, multis experimentis cognitam habere: scireque se plerisque regulorum res suas priuatas magis cordi esse, quam regum suorum, aut publicas: quorum consiliis si obsequeretur, se non dubitare, quin tandem in eiusmodi rei familiaris angustias esset deuenturus, vt nemo per vniuersam eius ditionem, se vno esset calamitosior, aut miserior. Ita se facturum Philippus recepit, multaque se excusans respondit, quæ

ita tunc aut ſoceri præſentia commotus ſimulabat, aut ſic rem habere ſentiebat. In tam longa autem confabulatione, nec Ferdinandus Ioannæ filiæ præſentiam à genero petiit, nec contra Philippus cupidiſſimo patri obtulit: quod animi nonnihil offenſi claram Ferdinando & Ximenio ſignificationem dedit. Ergo omni comitatis & amoris ſpecie, regulis vidētibus, data, è ſacello digreſſi, ad proprias ſtationes, quæ non longe aberant, proficiſcūtur. Erant in agri illius finibus oppidula tria, duobus millibus paſſuum inter ſe diſtantia, quorum ignobilia & obſcura nomina præclariſſimorum regum congreſſus æternum celebrabit: ea ſunt Vime, Peque, Remeſal: in quæ Ferdinandus, & Philippus, & Ximenius corporis curandi cauſa diſceſſerunt. Horum nominum interpretatio ob Hiſpani ſermonis ambiguitatem, dicacibus hominibus cauillandi & ludendi locum dedit. Nam ſi quis nomina illa interpretetur, ſignificare videbuntur, vidi, peccaui, comas vellam. Quaſi reges pœnitētia ducti, quod in mutuum colloquium veniſſent, inde animis offenſioribus diſceſſerint: vt ſtatim perquam manifeſta ſigna ſunt data. Nam priuſquam inde pedem Ferdinandus mouiſſet, nuntium graue & permoleſtum à Philippo accepit, vt ſcilicet aliud iter quam Philippus faceret, ne in regione ſterili & incommoda, ſibi mutuo impedimento eſſent. Proinde Philippus Beneuentum, Villafafilam Ferdinandus eſt profectus: vbi variis ludorum ſpectaculis à Pimentello recreatus, per quindecim dies cōtinuos ſeſe oblectauit. Accidit, vt die quæ agitandis tauris dabatur Ximenius ad regem ſeſe conferret, ante cuius ædes maximus circus ad taurorum ſpectacula vndique concluſus, aditum peranguſtum Ximenio dedit: atq; ita paucis ſtipantibus (nec enim vniuerſus eius comitatus admitti potuit) lento, vt ſolebat, gradu per medium circum pergebat. Et quoniam ſole iam inclinante, omnes intentis animis commiſſionem ludorum expectabant, parum Ximenium tranſeuntem, quibus ea cura demandata erat, conſiderantes, taurum ferociſſimum emiſerunt: qui illico in Ximenii comites irruens quoſdam illorum male multauit: qui interempti proculdubio fuiſſent, niſi peropportune regia cohors in auxilium accurrens taurum vndique confodiſſet. Interea intrepido vultu, & gradu compoſito Ximenius perſeuerans, nullam animi commotionem præ ſe ferens, intra regiam ſe recepit. Quem vt incolumem Philippus vidit, num timuiſſet hilariter rogabat: ille vero negabat, ſemper enim bene ſperauiſſe de cohorte regia, præſto affutura. Cæterum ad Pimentellum conuerſus, iubeto (inquit) oppidi duumuiris, ne tantopere deinceps ſpectaculorum aut ludorum ſint auidi, vt prætereuntium incolumitatem negligant. Pimentellus ſubridens, poſtquam (inquit) publica præconis voce de tauro iam emittendo proclamatum eſt, ſibi quiſque ô Antiſtes, ſi ſapit, caueat. Hinc Pintiam Philippus recta contendit, quo item Ferdinandus, quanquam itinere diuerſo veniebat. Is cum Tudellam quæ ad Duriam flumen eſt acceſſiſſet, octo millibus paſſuum à Pintia diſtantem, Philippumque in villam Muzientem veniſſe intellexiſſet, quæ propior Pintiæ, quam Tudella eſt, ægre ferebat ſibi cum Ioanna filia colloquendi facultatem non dari, cuius vnius cauſa ſuæ dignitatis immemor, tot contumelias à Philippo genero, ſiue potius ab eius deprauatoribus, ſuſtinebat. Quare iterum in conſpectum ire cogitur, & generi animum, ſi quo pacto queat inflectere, Ximenio ſequeſtro pertentat. Eius quidem voluntati per quam inuitus Ximenius annuit: intelligebat enim nihil aliud ſic Ferdinandum facere, quam ſe deridendum inimicis proponere: & ſuam conſtantiam, & authoritatem quam olim in omnibus rebus retinere conſueuiſſet, obſcurare & deterere. Conuenit tamen inter vtrunque, vt quoniam niſi Emanuello adiuuante, nihil quod frugi eſſet confici poſſet, prius per Ferdinandum Vegam, qui Emanuello intime carus erat, neque à Ferdinando rege alienus, animus illius conciliaretur. Sed quanuis Vega id egregie curauerit, multaque illi præmia, & vberiores ex concordia vtilitates propoſuerit, ille tamen nihilo beneuolentior factus, animo iam pridem indurato reſpondit: Nolle ſe beneficium vllum ab Aragonio rege accipere: quare ne quid amplius obtundat: hanc eſſe ſummam, ſe quamdiu aliquid apud regem Philippum gratia aut authoritate valeret, nunquam paſſurum, vt Ferdinandus cum Philippo in Caſtella maneat, & ſimul ſceptra moderentur. Id quanuis Ferdinandus ægre tulerit, nullamque bonam ad res quas parabat ſpem eſſe videret, curauit tamen ſtrenue, operam Ximenio apud Philippum nauante, vt rurſus antequam Pintiam gener veniret, congrederentur. Id Ranedi ignobili vico quatuor millia paſſuum à Pintia diſtante, præſente Ximenio, circa nonas Iulias factum eſt. Durioris animi ſigna in eo congreſſu Philippus dedit: neque illum ſoceri authoritas, neque vlla Ximenii præſentia, à propoſito reuocare potuerunt, ſolum hoc vnum crebrius dictitantem; è reipublicæ vtilitate eſſe, vt quamprimum Ferdinandus è Caſtella diſcederet. Cui Ferdinandus: Quando ita (inquit) animo tuo ſedet, ego quidem in Aragoniā ibo, tu ne quid fœdera violes curato. Sic ergo filiæ conſpectu denegato, & omni

spe remanendi abiecta, in Aragoniam profectus est. Fadricus Albæ dux, & Bernardus Rogius Dianii marchio omnem cum Ferdinando casum subire prompti, fortunæ reflantis incursiones nihil sunt veriti: nam cæteris amicis regem deserentibus, hi non modo in Aragoniam, sed in Italiam quoq; , quo vtriusq; Siciliæ rebus prouidendis Ferdinandus properabat, secuti fuissent, nisi princeps prudentissimus prohibuisset. At Alfonsus Fonseca, Alfonsi Fonsecæ Compostellani Antistitis filius, cum Romam eo tempore priuatis de causis traiicere instituisset, demerendi Ferdinandum occasionem nactus, se illi comitem itineris dedit: & Neapolim officii gratia, cum eo appulit. Decreuerat (vt diximus) Ximenius, nunquã à Philippi comitatu discedere, donec eiusmodi turbæ & dissidia inter socerum & generum componerentur: sed multo magis id apud se constituit, postquam vidit absente Ferdinando, piaculum esse iuuenem regem in tam lubrica ætate, & dura rerum occasione, fidi consilii egentem relinqui. Proinde vigilantissimis vicariis gregis sui cura demãdata, quoad vixit Philippus, ei assiduus fuit. Si quid vero in sua diœcesi grauioris censuræ aut animaduersionis dignum emergebat, vt ad se deferretur iusserat. Dum reges Tudelę & Muzienti cõmorabantur, crinita stella (quam cometam vocant) in cælo visebatur, ad Arcton inclinans, quæ Muzienti villulæ imminere videbatur. Hanc ob rem varii sermones vulgo iactabantur: alii reipublicæ tumultum & bella ciuilia promittere: alii regi Philippo exitium. Qui vero melius de rebus sperabant, vim suam exercuisse ducebant, in Ferdinandi regis discessu. Æstatem ferme totam, in vicis Pintiæ proximis Philippus consumpsit: nam in vrbem ingredi pertinaci animo regina negabat. Tandem arte & astu effectum est, vt regina sub primum Septembrem Pintiam ingrederetur. Quod Pintianis gratissimum accidit, qui splendida pompa, & solenni apparatu, reges suos accipere expetiuerant. Dum illic commoratur Philippus, iurgium Mendozio Zenetensi cum Pimentello Beneuentano fuit: quod in tãtam simultatem creuit, vt vtriusq; familiares & propinqui ad arma concurrerent. Res erat cum primis formidabilis: nam Zenetensi Mendoziorum familia præsto aderat: Beneuentano autem, pleriq; proceres. Zenetensis partes inferiores videbantur: nam quanuis Didacus Infantatus dux, Bernardinus Cluniensis, Inachus Tendillanus, qui salutandorum regũ causa, eo tempore Pintiam venerant, Zenetẽsi suppetias ferrent, impares cæteris erãt. Modicum enim & inermẽ comitatum, qualis togatis conueniens erat, nihil tale timẽtes adduxerant. At vulgari Hispanorum parœmia non ab re inter nostros iactatur, nullibi magis panopliã requiri, quam in nuptiis & publicis ludis. Id cum Garsias Mendozius Matallanensis abbas sensisset, qui populo Pintiano carus, in eo oppido multum pollebat, Michaelis cymbalum pulsari iussit, quod nisi magna aliqua de causa fieri non solet, & Garsiam abbatẽ conclamari. Tanta populi armati multitudo ob has voces in Zenetensis domum, vbi Garsias aderat, confluxit, vt alterius factionis proceres manifestam perniciem timentes, de regis vt aiunt voluntate, qui se id non sentire simulabat, nuntios continuo ad Ximenium miserint: vt quamprimũ ad Mendocios egressus, seditionẽ gliscentem comprimendam curaret: qui multo ante Bernardini comestabilis suasu, ad id faciendum sese parauerat. Erat comestabilis Pimẽtello leuir & Mendoziis iam olim amicus, quare vtrosq; saluos cupiebat. Ximenius Cluniensis opera, quo cum amicitia intercedebat, ad hanc rixam componendam est vsus. Cui, è Zenetensis domo vbi populus tumultuabatur accersito, rei indignitatem, cladẽ imminentem, iustam regis indignationem grauibus verbis ante oculos proponit: & Pimẽtellum è populi furore, qui eius ædes iam frequens cinxerat, prudentia sua vt liberet, rogat. Ille mula qua forte vehebatur, in Pimentelli domum, tanquã vnus ex aduersariis venit, atque Pimentello suadet, vt obuoluto capite in mulã etiam desiliat, si salutem carã haberet. Quo facto extra vrbem illum abduxit, & populus est delusus Garsia approbãte. Erat Garsias Didaci ducis infantatus patruus Iunqueræ oppidi ad Guadalfaiaram dominus, cuius posteri gentilitiam adhuc hæreditatẽ Iunqueram tenẽt. Vix Ximenius has turbas pacauerat, cum ecce aliud euestigio oritur, quod ad se priuatim pertinebat: Gonsalus Gallecus, & Petrus Mercatus, è regii comitatus quatuor viris, Franciscum Ribã Compostellanæ diœcesis primis duntaxat sacris initiatũ, certã ob causam cõprehendi iusserunt. De ea re Alfonsus Fõseca Cõpostellanus antistes certior factus, Gonsalũ Vlloã iudicẽ ad eã rẽ à se legatũ ad eos mittit, qui ni ecclesiasticæ iurisdictioni Ribas restitueretur, regios quatuor viros de more Christiano à sacris arceret. Quod cum tandẽ Vlloa fecisset, illi ad Ximeniũ primatẽ prouocant: qui vt erat antiquarũ consuetudinũ religiosus obseruator, iurisq; sibi debiti maximus vindex, occasionẽ libẽter arripuit: obsoletãq; illã primatis antistitis potestatẽ auide amplexus, totã causam cõtinuo ad se deferẽdã curat: & per literas suas Cõpostellanũ ex iuris forma inhibet. Id adeo grauiter Compostellanus tulit, vt durissimo libello, acerbitate & cõtumelia referto, ad Ximenii literas responderit. Huius libelli exemplum Gaspar Quiroga omnium

mnium bonorum studiorum, sed potissimum antiquitatis cultor, qui ex regiis senatoribus vnus ad senatus Italici præfecturam nuper magna cunctorum approbatione assumptus est, copiam mihi benigne fecit. Pintiæ parum moratus Philippus, Burgos vt decreuerat petere contendit. In eam vrbem maxima totius ciuitatis lætitia septimo idus Sept. excipitur: Ximenio in eius vrbis vico, cui hortus regius cognomen est, Ioannis Orenzi nobilis mercatoris domus in hospitium datur. Igitur cum Pintiæ de rebus reip. agi cœptum est, nihil erat parui aut magni momenti, quod non Emanuelli consilio gereretur: cuius (vt diximus) apud regem, non sine magna quorundam inuidia, summa erat gratia. Id cum male Ximenium haberet, cui propositum erat Philippum æque omnib. carum reddere, occasionem sibi dari cupiebat, qua Emanuelli studia reprimeret, & ab eo regis animum nonnihil abalienare posset. Erat hoc cum primis difficile, sed vir intrepidi & ingentis animi, nihil ea difficultate deterrebatur. Hæc diuinitus optanti est oblata: nam cum Beltranus Saltus, vnus ex iis qui rationibus regiis præfecti erant, semel ad Ximenium cum libellis venisset, deq; eis omnib. familiariter cum eo ageret, diplomata quædam ostendit, quibus bombycini opificii quæstus, qui in Granatensi regno (vt diximus) peramplus est, & ex pacto Aquis calidis inito, curante Ximenio, Ferdinando cesserat, redeptoribus in decenniũ locabatur. Hoc sibi in manus tradi serena fronte Ximenius postulat: & omnib. inspectantibus medium disrupit, & fragmenta Vallegio eius cubiculario vt asseruet iubet. Ad Beltranũ vero conuersus, Hoc, inquit, Beltrane amicitiæ nostræ dato, quod nõ statim vt tibi caput amputetur, apud regem curo: cui tu fidei fractæ infamiã concilias, atq; in tam apertã simultatẽ cum sui amantissimo socero cõmittis. Tactus dolore ob eam rem Beltranus, omnẽ culpam in Emanuellũ, rationum regiarũ magistrum, reiicere: cuius sc. consilio & iussu, ea omnia cõfecta essent. Nimis graue præsentib. visum fuit, etiãsi nemo hiscere audebat, regia chirographa ad hunc modũ lacerari. Ximenius ne quem calumniatorib. calumniandi locũ daret, priusquam id aliunde Philippus resciuisset, se in eius conspectũ dedit: atq; aduentus sui causa declarata, quantum damni, perfidiæ, & turbationis ex illo chirographo esset emersurum, planũ fecit. Cœpit deinde apud eũ grauissime differere, quanta calamitas & pernicies rebus Hispanicis propterea immineret, quod peruersis quorundã consiliis, nihil ex æquo & bono fieret: parũ ei esse cognitas hominũ nostrorũ mentes. Quare nisi in tempore sibi caueret, non dubitare quin res eo esset deuentura miseriæ & calamitatis, vt nisi à numine aliquo, in integrũ restitui non posset. In præsentia vero nullum se præsentius remediũ videre, quã vt honesta ex causa Emanuellus aliquo amandetur. Durũ id esse Philippo videbatur: quoniã ita se illi, suaq; tradiderat, vt non sine magna molestia ab eo se posse explicari crederet. Cæterum quoniam Ximenii dicta, vtpote ex animo cum prudenti, tum syncero profecta, eius mentem altius penetrauerant, mandatorum Ferdinandi memor, se ipsi totum libenter committit. Multa in medium adducta sunt, in quibus Emanuellus foris occupari poterat: Sed tandẽ Ximenio visum fuit, vt Romã legatus mitteretur: id enim cum primis honestum esse, & q, nulla iusta ex causa recusari possit. Placuit Philippo, & propediem se id effecturum Ximenio est pollicitus: tamen in eius gratiam molestiam hanc subiret rogat, vt negotia secretioris consilii, quæ singulis diebus Veneris cum rege de more tractabantur, pridie eius diei cum eo communicarentur, & suam sententiam interponeret, quæ multum momenti omni in re esset habitura. Ingentes gratias Ximenius habuit ob conceptam de se opinionem, sed deprecabatur prouinciam, vt quæ inuidiæ cum primis esset exposita, & immensi laboris plena. At cum rex in proposito persisteret, & Ximenio nihil antiquius esset, quam publicis commodis quacunque data occasione consulere, tandem expugnari libenter tulit: atque ita deinceps vsque ad Philippi mortem, non sine magno suæ virtutis testimonio, regii senatus præfectus, cæterique proceres, qui ab arcanis erant, die Iouis ad eum veniebant: nihilque Philippus decernebat Ximenio inconsulto. Viuunt adhuc Toleti ex primaria nobilitate homines, qui hoc memoria tenent. Solent enim adolescentum, præsertim ingenuorum animis, ea virtutis & honoris siue insignia siue testimonia, quæ raro vel viris excellentibus dãtur, ob illam gloriæ, ad quam optimus quisque propensus est, cupiditatem, tenaciter hærere. Multum debilitari Emanuelli consilia ab hoc tempore cœperunt: ciuilior deinde, & modestior, non sine multorum lætitia, est factus. Crebro deinceps ad Ximenium venire omnemque illi reuerentiam deferre, simulque secum cogitare cœpit, de eo viro obsequiis demerendo, cuius virtutem & integritatem multo suis consiliis præstare intelligebat. Præsagiisse Emanuellum aliquis posset existimare, quod non multo post Philippo accidit. Nam XIII. Cal. Oct. sese oblectandi gratia in agrum eques processit, vbi equum admissum in gyros aliquot circumegit. Ea nocte, siue quod paulo antequam in campum prodiret, paruæ pilæ lusu, quo se crebro exercere consueuerat, delassatus, sudore oborto frigidam

bibiſſet, non expectata refrigerati corporis conſtipatione, ſiue alia de cauſa, in lentam febrim incidit, non ſine lateris affecti ſuſpicione. Petrus Martyr refert in epiſtolis, accepiſſe ſe à Martiano medico, ciue ſuo, & ſtudiorũ ſocio, Philippũ partim animi afflicti tædio, qui ſe circumueniri à proceribus ſentiret, prædamq; indies ſingulis fieri, partim mole curarum obrutum, eam ægritudinem contraxiſſe: nam & illum aliquando in ſecretiori cubiculo, ad hunc modum conquerentem audiuiſſe. Quis me in has coniecit miſerias, & ſpecioſo magni regis nomine grauatum in hanc rerum inopiam pertraxit? Méne vel meis ſtipatoribus & miniſtris, quos ſpe præmiorum illectos vix à Belgis reuelli, annua ſtipendia perſoluere non poſſe, quibus hæreditariæ tantũ ditionis meæ præſidio abunde ſatisfaciebã, & regifico ſumptu meam & vxoris familiã exhibebam? Vbi regem ægrotare Ximenius reſciuit, eius medicum Petrum Ianguam, ſua in arte percelebrem mittit, qui morbi qualitatẽ cognoſceret, & opẽ qua poſſet ferret. Belgæ medici ad regem ingredi omnino prohibuiſſent, ni Philippus certior factus adduci iuſſiſſet. Is ad Ximeniũ reuerſus, in ſummo periculo regem eſſe dicit: idq; factum Belgarum medicorũ ignoratione, qui planè morbi natura non perſpecta (abſceſſerat enim in ſiniſtrũ latus non parua ſanguinis infecti copia) venã ſcindere neglexiſſent. Se tamẽ ab illis irriſum eſſe cũ hæc diceret, vt qui Belgarũ temperaturam & habitum ignoraret. Quare curaret Ximenius quæ facto opus eſſent, vt in Philippi ſalute omnino deplorata. Igitur rumore in ſingulas horas creſcente, quo regem deterius multò ſe habere ferebatur, reguli frequentiores ad Ximenium ventitantes omnes rumuſculos ad eum deferebant, & priuatim multa cum eo tractantes rei euentum ſuſpenſi expectabant. Tandem IX. Cal. Octob. regem in vltimo vitæ diſcrimine eſſe paſſim vulgatur. Erat totius ciuitatis miſerrima ſpecies: cùm nemo, qui regem in adoleſcentiæ vigore, veluti florẽ decerptum, è medio tolli videret, à lachrymis temperare poſſet. Cõuenêre poſt meridiem in domum Ximenii vniuerſi principes, qui Philippi comitatum ſequebantur: vbi ad multam noctem, vt fieri ſolet, varia conſilia ſunt habita. Poſtridie eius diei, cùm lethali ſingultu pectus Philippi quateretur, & ſenſus ferme omnes moribundum deſtituerent, principũ conuentus apud Ximenium denuò factus eſt, de tranquillitate reip. ſtatim ſeruanda, quandoquidem res in eo ſtatu eſſet. Sic enim, quamprimum ille viuere deſiiſſet, regio funeri & reginæ conſolandæ tutò vacare poſſent. Erant in eo conſilio totius Hiſpanicæ nobilitatis viri primarii, Mendozius Infantatus dux, Velaſcus Friaſiorum princeps, equitum in Caſtella magiſter (quem Comitẽm ſtabuli, magnæ apud noſtros dignitatis vocabulo appellant) Henricus Methinenſiũ dux, qui in Vacceis ſunt, & Egurros nonnulli eſſe exiſtimant (hunc noſtri ob maritimæ oræ præfecturam, Almirantũ vocant) Pimentellus Beneuenti comes, Paciecus Aſcaloniæ dux, Cueuà, & Manricus, ille Alburqueciorum, hic Naiarẽſium dux, Rogius Dianii marchio, Aialas Fonſalitanus comes, Emanuellus & Fonſeca, rationũ apud regem ſummi magiſtri. Principio apud eos, de primario aliquo viro deſignando actum eſt, penes quem poſt mortem Philippi ſumma rerum eſſet: quandoquidem Ioanna regina parum (vt diximus) mentis compos, & Carolus filius adhuc ætate immatura, minimè eſſent tam lato imperio gubernando apti. Nonnullorum ſententia fuit, vt Ferdinandus ex itinere, quo Neapolim contendebat, quamprimum in Hiſpaniam accerſeretur, quem ad eam rem adminiſtrandam commendabant. Multi horũ ſententiis, ſiue quòd contrariæ factionis proceres Ferdinandi diſceſſu, odiis ſatisfecerant, ſiue quòd neminem ex æqualibus ſuperiorem habere æquo animo ferre potuiſſent, manifeſtis ſignis cœperunt adplaudere. Eſſet in eas inclinatum, niſi Pimentellus acerbiſſimè Ferdinando infenſus, indignabundus dixiſſet: Apage obſecro Hiſpani proceres, nihil veſtra virtute indignum decernatis. An quem nuper, quod nobis grauis & moleſtus eſſet, tanta animi conſenſione eiecimus, rurſus ad imperium imprudenter admittemus? An non videtis eum iniuriæ recentis memorem, noſtris capitibus inſultaturũ? & vt eſt animi ſenſus diſſimulandi & premendi peritiſſimus artifex, etiam ſi omnem lenitatem præ ſe ferat, atq; in principio comiter arrideat, tandem pœnas longè contumelia illata maiores, à nobis ſumpturum? Vobis quidem liberum erit quod libebit ſtatuere: ego tamẽ iam hîc in veſtro omniũ cõſpectu polliceor, priuſquã rex Aragonius Caſtellæ regna gubernaturus redeat, duo paria thoracum, quos apud me ad militares vſus ſeruo, conſtanti animo in bello detriturum. Eo Pimentelli ſermone reguli commoti, in eius ſententiam vniuerſi conſenſerũt. Quod cùm animaduertiſſet Ximenius, qui hactenus vt mentis eorũ exploraret in ſilentio ſeſe cõtinuerat, nihil amplius expectandum ratus, ne vlterius tacendo, illis tanquam Ferdinandi fautor, ſuſpectus foret, aduerſus quem poſt Pimentelli orationem omnes grauiter fuiſſe concitatos ſentiebat, tempori prudenter cedens, etiam ſi præter animi ſui conſtantiam, qui ſemper Ferdinandi partibus adhæſerat, quoniam reipublicæ nimis ſtudioſum, & iuſtitiæ obſeruantiſſimum eſſe cogno-

ſcebat,

ſcebat, ad hunc modum exorſus eſt. Non ſatis intelligo proceres, quæ vos cauſa diutius in hac re deliberanda detineat, cum veſtra amplitudine, & maiorum veſtrorum authoritate, qui vel regibus ſuis viuentibus ſeſe, quoties vtilitas reipublicæ poſceret, opponebant, indignum ſit, vt in præſenti ſtatu, quo niſi forte conclamatum iam eſt, continuo vt videtis regē carebimus, alium præterquam ex vobis ipſis, Hiſpano imperio curetis præficiēdum. Nunquam negabo Ferdinandum regem, longa rerum experientia edoctum, vel populis immaniſſimis regendis peraccommodum eſſe: Verum nō vſque adeò eius me amicitiæ tradidi, vt patrii decoris & dignitatis oblitus, non intelligam, non modò fruſtra, ſed etiam impie ab alienis præſidia peti, cum domi tot viris præſtantibus abundemus. Sat ille noſtrorum dum licuit curam regnorum geſſit: nam (ni fallor) per quadraginta annos rempublicā noſtram eſt moderatus. Suam ergo ditionem bonis auſpiciis deinceps curet: nam vobis non deerunt optima conſilia, vt Deo annuente, rebus ſuccurratis, regique veſtro ſua regna incolumia conſeruetis. Proinde omni alia ſublata cura, in id vnum incumbite, vt vnum ex vobis tandem deligatis, non dicam prudentia aut integritate aliis præſtantem (nam in hac parte cùm omnes his virtutibus inſtructi ſitis, errori locus eſſe non poteſt) ſed qui authoritate & gratia populis commendatus, maiori ab illis beneuolentia colatur. Nam & huic obtemperatiores erunt, & eius conſueta & amata voce, non ſecus atque equi generoſi fræno, in omnem partem facile flectentur. Ita eſt enim natura comparatum, vt non omnes parem gratiam apud populos obtineant: imo nonnulli ita à popularitate abſunt, vt ſine vlla certa ratione pleriſque ſint odio. Ego quidem certe quem elegeritis, non ſecus colam quam regem ipſum, cuius vicarias vices geret: & omni ope & conſilio adnitar, vt eum cęteri eadem pietate proſequantur. His præter expectationem à Ximenio dictis, ita principum animi demulſi ſunt, vt dici non poſſit quanta fuerint lætitia perfuſi. Metuebant enim ne tumultus populares excitarentur, ſi Ximenius cuius tanta erat potentia, Ferdinandum euocandum contēdiſſet. Quare de cōmuni ſententia decretum eſt, vt quoniam nemo erat, qui magis morum ſanctimonia, & authoritate, quàm Ximenius, apud plebem vniuerſam polleret, aut cunctis proceribus carior, vt qui nullis propinquitatum cognationibus cuiquam eorum obnoxius eſſet, is vnus ex omni optimatum & regulorum numero, reginę cuſtos, Carolique pueri protector deſignaretur, Comite ſtabuli, & Naiarenſium duce, quadam planè triumiuratus ſpecie, in communicationem conſiliorum aſſumptis: donec poſt Philippi regis mortem, procerum conſilio iterum coacto, quid eſſet deinceps faciendum decerneretur. Ab hora eius diei meridiana, vſque in mediam noctem protracti ſermones, Ximenio conſuetum cœnandi tempus abſtulerunt. Nam cum die qui ſequebatur, religionis cauſa eſus carnium interdictus eſſet, qui iam ex horologiorum ſono præcedenti diei ſucceſſiſſe videbatur, non licere œconomus putabat, apparatas carnium epulas apponere, Ximenium conſulere decreuit, qui quod parum credendum horologiis cenſeret (inter quæ raro conuenit, moderantium vitio) Accumbamus (inquit) intrepide, adhuc enim ad mediæ noctis terminum integram horam deeſſe non dubito. Hoc dicto conuiuarum animi fuerunt religione exoluti. Poſtridie eius diei Philippum vita functum Ximenio eſt nuntiatum: quod eius animum, vt par erat, vehementer afflixit. Sed poſtquam remotis arbitris dolori ſatisfecit, quanuis obfirmata facie in publicum progredi cuperet, non potuit adeo obdurare, quin magna mœſtiſſimi animi indicia vultu proderet. Poſtquam in aulam venit, reginam in penetralibus domus luctu & dolore pene obrutam, magna prudentia nec minori grauitate vſus, non quidem ne ſe affictaret ſuadebat, ſed cumulatiſſimas rationes addidit, cur à nemine in tanta calamitate eius fletus eſſet inhibendus. Cum vero doloris vim per lachrymas exhauſtum ſenſit, omnia conſolationis lenimenta piiſſimis & grauiſſimis verbis admouit. Pridie proceribus placuerat, vt Ximenius poſt Philippi mortem in regia maneret. Quare locus illi dignitate plenus in parte ædium anteriore eſt datus, qua in viam publicam proſpectus eſt. Totus is dies regis cadaueri calce & aromatibus condiendo, & plumbeis loculis apparandis datus eſt. Ipſe regiis veſtibus more patrio indutus, alto in lecto, oſtro & auro exornato compoſitus, ſceptris vtrinque iacentibus, & enſe ad pectus admoto, velut ſomno indulgens viſebatur. Liberum fuit per eum diem omnibus eius vultum, & quæ diximus ornamenta intueri, donec Miraflores Cartuſianorum cœnobium, quod modico a Burgis ſpatio diſtat, trāslatum cadauer eſt. Hoc ipſo mortis Philippi die Velaſcus, & Manricus, nam Ximenius pontificiæ authoritatis cauſa in palatio remanſit, equis vecti vrbem perluſtrarunt, & celebrioribus in plateis publica præconis voce omnes admonuerunt, vt nemo armatus obambularet, alioqui centum flagris cædendus. Qui enſem, pugionem, ſicam, aut cultrum ſtringeret, dextra mutilaretur. Sanguinem cuiuſquam qui effunderet, aut potentio-

ris alicuius familiam appellasset, capite plecteretur. Vt flagitiosi qui sese in domos regulorum recepissent, nemine vetante, illico extraherentur. Quod si quis priuatæ conditionis homo, eis vindex, aut fautor esset, flagris cæderetur: Reguli vero pecunia magna mulctarentur. Eius edicti promulgatione, ad turbas comprimendas non mediocre operæpretium factum est: nam regulorum animi, parum huiusmodi triumuirorum sanctionibus commouebantur. Postero die in secretius cubiculum Ximenius secedens, Vallegio vt solebat, quoties aliquid arcanum ad reges scribendum erat, ad se vocato, Ferdinandum illico per literas de omnibus, quæ post discessum eius acciderant, priusquam Barchinona solueret, certiorem facere instituit. Nam quantum ex breui transacti temporis mora, quæ à Ranedi colloquio ad eum vsque diem intercesserat, licebat coniectare, adhuc Barchinoni esse credebatur. Literarum autem hæc erat summa: Philippum celeri morbo magna omnium mœstitia præreptum esse, proceres inter se diffidere, & propter varietatem consiliorum, nihil esse certi quid omnino fieri deberet. Nam cum multi eorum æqualem dignitatis honorem tenerent, quenquam præferri grauiter ferre, & nouis rebus, vt iam olim consueuerunt studere. Ioannam reginam animi impotentia totam in mœrore & squalore esse. Proinde si quid regnorum quondam charissimorum cura, si quid filiæ desolatæ amore tangeretur, Italas res, quarum status quietus erat, in præsentia dimitteret, & protinus in Castellam rediret. Non se dubitare, vt humani affectus sunt, quin propter ingratas procerum nostrorum voluntates exulcerato animo hinc discessisset: cæterum eius esse magnanimitatis & prudentiæ, hisce rebus vel tantillum non commoueri. Quod si vereretur ne rursus ad eundem lapidem esset offendendum, sibique denuo cum proceribus rixandum, suam ipse fidem interponere, suamque opem simul polliceri, in Castellæ regnis eam tunc tranquillitatem habiturum, qualem nunquam vel Isabella coniuge viuente obtinuisset. Hasce literas obsignatas ad Ludouicum Ferrerium, qui Ferdinandi legatus apud Philippum mãserat, perferri iubet: quas ad suum regem per nuntium aliquem, qui mutatis subinde equis volet, perferendas curet. Interea Didacus Gueuara, qui Philippo à poculis fuerat, aliquot è regia custodia susceptis militibus, incertum quo è triumuiris iubente, à Burgis Simancas cum diplomate regio præpropere venit: quibus edicebatur, vt Ferdinandus puer Philippi filius, qui in eo oppido, sub Petri Nonnii Gusmani, Calatrauæ præfecti maximi educatione & custodia tenebatur, in oppidi arcem reciperetur, Gueuara, & militibus comitantibus, & etiam Gusmano sed cum paucis ministris, donec secundis tabulis quid esset faciendum à rege admonerentur. Sed Ramirus Gusmanus Petri præfecti ex patre nepos, qui Catanensis episcopus erat (vt Gonsaluus Ouetensis, qui illis rebus interfuit, scribit) diligenter & studiose Gueuaram reiecit: partim quod de Philippi morte Catanensis certus, tabularum fidem eleuaret, quæ octauo Cal. à rege signari tam firma manu, quam autographum præ se ferebat, non potuerant: partim quod longe tutius, & è reipublicæ vtilitate esse iudicaret, si Pintiam frequentissimum & nobile oppidum Ferdinandus iam tunc transferretur, ne in potentioris alicuius potestatem veniret, qui rempublicam interturbaret. Quod etsi ægre à Simancensibus impetrari potuisset, qui id in sui contumeliam fieri, vtpote quibus parum fideretur, interpretabantur: tamen Pintiani magistratus qui illic in regio tribunali publici iudices sedent, & magna apud nostros authoritate sunt, ad eos cum non mediocri armatorum manu venientes, & causas quæ ad hanc rem faciendam impellerent declarantes, tandem effecerunt, vt regius puer Pintiam commigraret, Gueuara honesta è causa reiecto. Datus est potior apud puerum locus CCCC. viris Simancensibus: qui ea conditione ipsum Pintiam venire concesserunt. Peropportunum id Catanensis consilium habitum fuisse Ouetensis testatur, nempe fidei in remp. plenum. At cum sit (vt diximus) ambiguum, cuius authoritate Didacus Gueuara Simancas venerit, ex his quæ postea anno XVII. acta sunt, factum id fuisse Ximenii iussu quispiam iure potest coniectare. Nam vt erat occasionibus præoccupandis promptus, eius illico pueri, à quo maxima pars quietis penderet, rationem non vulgariter habendam constituerat. Vnde fortasse quoddam seminarium animi parum in Petrum Gusmanum, totamque eius familiam beneuoli, Ximenio datum fuit, qui ea è re præfractos eorum mores notauerat: Adeo paruis de causis magnarũ rerum momenta amittuntur, facile humano animo ad sinistras opiniones concipiendas inclinante. In ea rerum mutatione proceres nimium soliciti, rursus eo die apud Ximenium in consilium veniunt. Erat iam numerus auctior Astuniga Beiarensi duce, & Astuniga Mirandæ comite, Cordubaque iuuentutis aulicæ magistro, & Villaroellio Castorlæ præfecto, multisque aliis in vnum confluentibus. Nam in rebus afflictis, quæ in commune ad omnes pertinent, etiam diuersarum factionum homines, & qui mutuo se oderunt, conuenire solent. Sed Velascus priscarum simultatum erga Manricum tenax, priusquam ad publica

erga Manricum tenax, priusquam ad publica tractanda accederetur, se hoc ab eis efflagitare dixit, vt Manricus cogeretur, iuxta leges & consuetudines Hispaniæ illi satisfacere, in quibus ab illo insigniter læsus esset: alioqui manu propria vindictam sumpturum. Multa ab alterutro vicissim sunt iactata, dum alter alterum proditionis insimulat, seque mutuò maledictis, partim veris, partim falsis proscindunt. Ximenius, qui si longius simultates procederent, graues fore tumultus videbat, Nondum (inquit) humatus est Philippus, & vos iam dissidiis studetis, quos multò magis deceret, concordibus animis mecum animaduertere, quo pacto reipublicæ suo rege orbatæ consulatur. Nam in Bætica (vt audio) Henricus Sidoniæ dux nouas turbas concitat, & parum honesto titulo innixus, Gibraltarum armatus obsidet. Idcirco vnus tandem de reginæ nostræ authoritate, rebus gerendis, & regio senatui præficiatur, cuius dictis omnes obediant: alioqui nihil vnquam bene administrabitur, sed omnia potius in manifestam perniciem ruent. Non potuit commodiori ratione, gliscenti discordiæ à Ximenio succurri, quàm Bætici motus mentione iniecta. Nam quod sibi quisque facilè condonat, in altero minimè ferendum esse censet. Vnum omnes è Ximenii sententia, designandum vnanimes proclamant, qui de amplissimæ curiæ consilio, vbi duodecim viri literis & authoritate insignes maiora subsellia tenent, reipublicæ prouideat, cui omnes sine prouocatione obtemperent. Ximenium autem sine controuersia eligendum esse censent, quo nemo esset ad eam rem aptior: Nam quanuis illi laboriosa prouincia esse videretur, qua tamen in rempublicam caritate erat, non dubitabant, quin id oneris libenter esset subiturus. Quo vero id commodius gereret, mille aurei annui, ex regio ærario, numerarentur, quibus impensæ publicæ fierent, & ipse sacris reditibus parceret, quos egenis subueniendis, & multis aliis caritatis operibus tam studiosè erogabat. Difficile id esse Ximenio videbatur, præsertim in tam diuersis regulorum studiis, tamen cùm intelligeret bonam eorum partem ad Maximilianum Philippi patrem è Germania vocandum animari, cui Hispaniæ regna, donec Carolus nepos adolesceret, gubernanda traderentur, veritus ne hac ratione Ferdinando regi, cuius præsentiam necessariam esse videbat, reditus ad nostros interciperetur, non duxit id muneris quantumuis molesti recusandum. Quare libenter se in illorum, & reip. gratiam, onus illud subiturum dixit. Nam quanuis ætate erat imbecilla, tamen Dei Opt. Max. auxilio & eorum consiliis adiutus sperabat se bonorum votis satisfacturum. Cæterum oblatam nummorum summam regio se fisco libenter concedere, eos enim prouentus diuino beneficio sibi contigisse qui peramplè tam egenorum subuentioni, quàm reip. adiuuandæ pares essent, cuius egestati & angustiæ viri boni succurrere tenentur, sed inprimis pontifices, nam reges semper se excipere. Vnum id tamẽ viderent, ne quid à se quispiam iniquũ peteret, aut per vim tentaret: illud enim nunquam concessurum, violentiæ autem crimen seuerissimè animaduersurum. Nam vt tunc ne ipse ad id munus assumeretur, in eorũ voce & potestate erat, ita si semel optaretur, nemini amplius iam liberũ fore eius volũtati, præsertim honesta conanti repugnare. Proinde iterum atq; iterum secum considerarent quid expediret, se enim nulla tanta necessitudine, aut amicitia cuiquam hominum obstringi, vt veri & æqui rationem, non sit semper potiorem habiturus. Grauior nonnullis Ximenii oratio videbatur quàm pro ipsorum voluntate. Cæterùm iusta dicenti omnes assenserunt, seque ea omnia præstaturos promiserunt. Abrogatum fuit ab eo die Triumuirale, de quo diximus, imperium, & omnia vnius Ximenii arbitrio tradita: qui partim regii senatus cura suscepta, eiusque numero, qui eo tempore imminutus habebatur, virorum præstantium delectu suffecto, partim communicatione de rebus omnibus, quæ serii aliquid continerent, cum proceribus habita, facilè omnes ad opinionem suam traxit, remq; publ. mirum in modum adiuuit. Sed quoniam paucissimos quosq; esse intelligebat qui honesti ratione ducti, meliora sequerẽtur & tuerẽtur, instructam aliquam armatorum manum, quæ ad omnem motum præsto esset, comparandum existimauit. Proinde Vianellum Venetum, de quo suprà diximus, cuius fidem, prudentiam, & bellicam virtutem egregiè probabat, accersiuit, & re diligenter cum eo communicata, stipendium annuum illi constituit, ob rei bellicæ curam, auri libram cum semisse. Ille verò quingentos leuis armaturæ milites magna celeritate conscribit, quos armis instructos extra vrbem in loca spatiosiora quotidie educebat, vbi exercerentur & ad quamlibet belli occasionem promptiores fierent. Sic nouarum rerum auidi à proposito deterriti in officio retinebantur, quanquam qui Ximenium minus amabant, seditionis id esse seminarium dicebant. Per totum septennium, & amplius fuerant Hispani, post Granatæ expugnationem, alta pace vsi, & omne armorum genus rubigine ob incuriam perierat. Quamobrem Ximenius, qui reipublicæ quietem in vnico armorũ præsidio collocabat, Gonsalum Reinosum nobilem è familia sua virum, ad Asturum ferra-

rias officinas, quæ non longe aberant, in Cantabriam mittit, vt mille è chalybe thoraces, hastas bis mille, & tormenta leuiora, quibus pilæ ferreæ contorquerentur, quingenta, ad se quanta posset celeritate adduceret. Interim reginæ, & palatii custodiæ prætorianam cohortem præficit, qua & ipse quoties necessitas exposcere videbatur, stipatus progrediebatur. Huius cohortis curam Granatensis prouinciæ præfecto demandauit, quem Adelantatum Hispani vocant. Is erat Alphonsi Cardenæ maior natu filius, qui cordatus & manu strenuus esse videbatur, patre, qui maximus erat ordinis sancti Iacobi commendatarius, ea de re gratias Ximenio non vulgares agente. Erant, vt diximus, qui cum nondum Ximenii virtutem & robur nossent, eius consiliis & actis detraherent, omnia vana quædam terriculamenta esse dictitantes. Hominis enim plane stolidi esse, ea tyronum manu quenquam magnatum posse compesci credere, si quid nouæ rei conaretur. At ille Dei opt. max. præsidio fretus, quem sanctissime semper coluit, & proprio animi vigore adiutus, quo ab omni ignauia & oscitantia erat alienissimus, adeo integre & magnanime se gessit, vt simultates regulorum admirabili prudentia consopiuerit, & externos motus qui per Sidoniæ ducem apud Gibraltarum, vt diximus, acciderant, diligentia insigni coercuerit. Nam diplomata à regina, quæ ob mœrorem mente aliquantulum læsa esse credebatur, & subscribere recusabat, extorsit: per quæ finitimis circumcirca regionibus, vt Gibraltaro laboranti succurrant, & Sidoniana obsidione liberent, ducemque ipsum capiendum quamprimum curent, edicebatur, præmiis etiam capienti non vulgaribus propositis. Dum hæc geruntur, nuncius de Philippi morte ad Ferdinandum regem missus, quem in Ebusa insula fuerat consecutus, literas lachrymarum & mœstitiæ plenas attulit. Dolorem quem de genero sublato conceperat, multis verbis exaggerat: Ximenio gratias pro beneuolentia & fide erga se agit: grauiterque & inique pertulisse dicit, quod non id, antequam vela fecisset, resciuerit. nam omnibus in aliud tempus reiectis negotiis, ad Hispanæ reipub. conseruationem, omnem suam curam conuertisset. Cæterum iam integrum sibi non esse, retro pedem referre: quandoquidem eius aduentus Neapoli vulgatus, omnium animos erexerat, vbi multa erant magni momenti agenda, quæ suam præsentiam requirebant. Quare fieri non posse sine maxima Neapolitanæ reipub. iactura, tanta presertim classis instructæ impensa facta, illuc non appellere. Se tamen fidem suam obstringere, ea negotia, quanta posset festinatione, confecturum, illicoque in Hispaniam reuersurum. Interea summopere rogare, vt quando non sine diuorum numine Hispanis regnis tempore maxime necessario datus esset, charitatis in remp. memor, rebus moderandis, vt quidem faciebat, sedulus incumberet: minimeque gentium aut mœrentem reginam, aut negotia nutantia desereret: crebrasque de singulis rebus ad illum daret literas. Ximenius suscepta huiusmodi epistola, tanta lætitia perfusus est, vt eam Velasco & Mendozio, nonnullisque aliis, quorum in remp. fidem multis rationibus exploratam habebat, ostenderit: qui pari gaudio affecti sunt. Nam rumores quidam incerti ferebantur, Ferdinandum Neapolitanis rebus, quæ factionum dissidiis impeditæ erant, non facile se explicaturum: difficilemque fore eius per ea tempora in Hispaniam reditum, quo magis qui diuersas partes tuebantur, de accersendo Maximiliano imperatore vrgebant. Non satis cauto consilio tam propera literarum ostensio à Ximenio facta videbatur. Nam cum Ferdinandi propositum ad diuersæ factionis homines emanasset, nimiam in eo redeundi cupidinem cauillantes traducebant: cuius nempe causa, suis sese inimicis submitteret, & propriis regnis externa anteponeret. Hi ergo cum eius præsentiam sustinere non possent, antequam Neapoli Ferdinandus se expediret, assiduis ad Maximilianum legationibus missis, eius aduentum impedire conabantur. Hoc cum Ximenius præsensit, denuo procerum consilio apud se coacto, multa adhuc esse in tanta mole regnorum dixit, quibus perficiendis haud parem se esse videbat. Nam cum reginæ causa, quæ mentis morbo ęgrotabat, non sibi plena potestas esset ad res omnes pro arbitrio gubernandas, necesse esse vnum aliquem rebus preficere, cuius illa aut presentiam vereretur, aut rerum vniuersarum curam, citra sententiæ mutationem, illi demandaret. Esse enim aliquot ecclesias, præsulibus suis eo tempore orbatas, non sine maxima religionis iactura. Eę erant Segouiensis, Placentina & Ouetensis: quibus pastores suos nō dari, piaculū erat. Iam tribunalia, quibus causæ religionis examinabantur, & vnde totius regni tranquillitas pendebat, non posse deteriori in statu esse. Quandoquidem Petrus Corduba Pliegianus Marchio, cōfractis vectib. carceris, in quo sontes religionis causa tenebantur, omnib. discedendi quo vellent libertatem dedisset, in maximum Hispaniam gubernantium opprobrium. Eius autem generis negotium id esse, vt nisi exempli seueritate, cęteri à re simili perpetranda deterrerentur, funditus reip. fundamenta subuerterentur. Vt interim taceret reginæ pręgnantis valetudinem: cui tum ob partus laborem, tum ob mentem affectam, nō

medio-

mediocre periculum immineret. At vero neminem huic rei, ſi recte iudicare vellent, aut ſocero Maximiliano, aut patre Ferdinando aptiorem futurum: quorum vterque cum propriis rebus occupatus eſſet, precibus erant eo tempore exorandi. Suam ergo ſententiam ſi poſcerent, eam eſſe, vt omnes ſimul ad reginam irent, ab eaque vel magna importunitate exculperent, vtrum è duobus comitem, moderatoremque ſceptrorum in Hiſpaniam venire vellet? Neque enim æquum eſſe ea inconſulta de tanta re aliquid decernere. Placuit vniuerſis Ximenii conſilium: atque inde ad reginam profecti, eius ſententiam ſuper ea re exquirunt. Illis ergo, quod regina poſt mariti mortem facere ſolebat, per feneſtellam ad colloquium admiſſis, acuta, prudentique oratione, qualem vix animo integro conſtantiſſimoque dixiſſet, ad hunc modum reſpondiſſe fertur: Eſſe ſibi in animo fixum, regni occupationibus liberam, viduali ſeceſſu vitam tranſigere: nam & ſibi moleſtiſſimas eſſe, neque ſe ſatis aptam eo muneri pro dignitate obeundo ſentire. Quod ſi Carolus ſuus ea foret ætate, vt è Belgis in Hiſpaniam traiiciens, regendi molem ſuſtinere poſſet, id eſſe cum primis ab omnibus optandum. At quoniam id fieri non poterat, magis patrem Ferdinandum, vt ad ſe veniret placere, cui rerum Hiſpanicarum notitia eſſet, quique hæc Caſtellana regna multis modis labefactata, maximis laboribus reſtituerat, & adauxerat. Maximiliano vero ſat negotiorum & curarum eſſe ex imperii Romani, quod ſuis humeris ſuſtinebat, pondere. Quod ſi illi, ex horum regnorum adminiſtratione, quorum mores & inſtituta parum nouerat, noua cura ſuperponeretur, proculdubio ſuccubiturum. At de epiſcopis prouidendis, eſſe quidem perquam neceſſarium, verum ſe fœminam rerum iſtarum ignaram eſſe: expectarent donec veniret pater, cui merita cuiuſque nota eſſent. Vrgente Ximenio, & cæteris proceribus, vt aliquot eorum, qui aderant, in conſilium adhibitis, id examen facere dignaretur, ne interea ex abſentia paſtorum, morum corruptela, & circa religionem errores varii exorirentur. Grauius fore arbitror (inquit) ſi paſtores gregibus regendis ineptos, aut inutiles delegero: nam fieri poteſt vt quiſque veſtrum priuatas amicitias habeat, quibus gratificari cumprimis ſtudeat. Inſtantibus vero, vt quando ita animo ſederet, ad patrem vt reditum maturet, ſcriberet: protinus ad mentis ſuæ inconſtantiam rediens, nolle ſe patrem Italis rebus occupatiſſimum in nouos labores coniicere, reſpondit: neque vt anni tempore incommodiſſimo ſeſe mari iactandum committeret. Quod ſi ipſis ſecus videretur, id à patre per literas expoſcant. Hoc reginæ reſponſo habito diſceſſerunt reguli, nihilque vltra de Maximiliano vocando, à contrariæ partis proceribus eſt actum. Andreas Burgo Maximiliani imperatoris legatus, ſemper in vulgus ſpargebat Maximilianum in Hiſpaniam venturum, quantumcunque regina prohiberet. Nam Petrus Martyr Andream ad eum de his rebus expoſtulantem dixiſſe ſcribit: id ſibi primum in mandatis eſſe, vt Ferdinandi reditum quoquo pacto poſſet impediret. Demirabantur plerique quodnam id eſſet delirii genus in regina, quæ tam commodis & prudentibus reſponſis regulorum conatus eluſiſſet. Quod ſi tabulæ ſubſignandæ traderentur, quæ ad reipublicæ vtilitatem pertinerent, etiam ſi à ſupplicibus per lachrymas peteretur, nihil tandem obtineri poterat. Qui melius id conſiderabant, mulieres natura ſuſpicaces eſſe aiebant, regina vero tunc atra bile exagitata, nullis ex ratione præſidiis adiuta, vehementius in id incumbebat. Nam ſiue Belgicæ pellicis (vt ferebatur) veneficiis, ſiue id morbi malitia acciderat, illa quidem imaginandi vi & memoria pollebat, at prudentia ad diſtinguendum res propoſitas, carebat. Hæc enim virtus ſanam & multo vſu edoctam mentem poſtulat. Cœpit inter hæc reginam Burgorum vrbis tædere: quare Ximenio ad ſe vocato, vt ſe, regiumque comitatum alio transferat petit, neque enim in ea ſe vrbe manere velle amplius, in qua Philippus mortem obiiſſet. Durum id eſſe Ximenio viſum fuit, qui vterum gerenti impendio metuebat: at inſtanti repugnare non licebat, cui pro ratione voluntas erat. Idcirco Ximenius vt illi ſatisfaceret, de procerum ſententia Pintiam eundum eſſe propoſuit. Eſt in medio itinere Torquemata oppidum, olim Porta auguſta vocitata, Benfetriale (vt à noſtris appellatur) municipium, quoniam nullius principis ſubiecta imperio, propriis legibus tantum gubernetur, ſeque eius protectioni pro voluntate tradat, quem magis beneficum patronum eſſe ſenſerit. vnde & nomen accepiſſe creditur. Eo peruentum eſt pridie dominicæ Natiuitatis, vbi reginæ placuit ſubſiſtere. Annus milleſimus quingenteſimus ſeptimus numerabatur, ſub cuius initium, XIX. Calendas Ianuarias, regina Catherinam Torquematæ peperit, quæ poſtea Luſitaniæ regi nupſit. Annus hic peſtilentia & annonæ caritate Hiſpaniæ vniuerſæ grauiſſimus fuit: atque ita cum Torquematæ morbus ille contagioſus cœpiſſet ſæuire, & aliquot regias ancillas in ipſo palatio abſumſiſſet: nulla Ximenii admonitione, qui crebro cum ea de hac re egit, inde pedem mouere voluit: ægram enim ſeſe dicebat, neque ſatis è partus labore viribus refectam. Ximenius de aliorum ſalute magis quam de ſua ſo-

licitus, regium senatum Pallantiam transfert: quem comitentur iubet, quotquot Torque-
matæ inhabitare commodè nequirent. Ipse verò cum aliquot regulis, quorum Velascus
primas partes apud illum obtinebat, reginæ semper assiduus fuit. Tunc è regio senatu a-
moti sunt, quos Philippus, instigantibus Belgis pecunia corruptis, incautè delegerat, illi-
que omnes rursus recepti, quos Ferdinandus ei muneri præfecerat. Quod siue id regina
præceperit, siue potius Ximenius ita reip. conducere arbitratus, suo consilio & procerum
fecerit, reginam sic iubere vulgatum fuit. Quod nonnullis ridiculum esse & inane videba-
tur, tantopere reginā de mutandis senatoribus solicitam credere, quæ Belgicos sacrorum
officiorum cantores immutari passa non fuerit, & annua stipēdia numerari, eorumq; ma-
ximam rationem haberi, iussisset. Hoc ipso tempore auiti Cisnerorum municipii Xime- 1
nius memor, quod & Benfetriale est, ad antiquos maiorum lares visendos profectus est, vt
Cisnerii tradunt. Garsiæ Ximenii domum ingressus, cognationis officia in tanto positus
fastigio non neglexit. Eam tunc domum Maria Garsiæ filia possessionum auitarum hæres,
nam masculorum successio defecerat, tenebat. Ximenium ad se venientem Cisnerii o-
mni apparatu & pompa excipiunt: eos ille contrà quid in reip. suæ vtilitatē se fieri cuperēt,
rogat. Qui, vt antiquorum hominum mos fuit, cùm in numerato non haberent quibus in-
digerent, vnius duntaxat incommodi, quo tunc impendiò vrgebantur, remedium postu-
lant. Vt quoniam per publicos ministros, quos Castellæ præfectus (quem Adelantatum
vocant) ad eos mittebat, assiduis iniuriis diuexarentur, apud regium senatum curaret, ro-
garunt, liceret ipsis municipales duumurios, ad suas causas & lites disceptandas, quotannis 2
creare. Hoc eius opera paulò pòst effectum est, & nunc etiam eo munere fruuntur. Pe-
stilentia igitur magis ac magis sæuiente, regina sub Aprilis finem de discedendo cogitare
cœpit: non longius tamen quàm per duo millia passuum ab eo loco progredi voluit. Est
villula quæ Furnilli vocatur, quà transeundum erat Pallantiam petentibus, vbi diuitis agri-
colæ domus reginæ arrisit, vt quæ perapte ædificata erat, & prospectu amœnissimo frue-
batur. Quare nulla Ximenii, neque aliorum procerum ratione habita, vlterius esse pro-
cedendum pernegauit. Qui cùm vt Pallantiam se conferret suaderent: viduam non de-
cere respondit, in magnificis oppidis, aut frequentibus vrbibus, moram facere. Præclaro
mehercle, & celebrando exemplo, modò ex sanæ mentis consilio id profectum esset. Dum
Furnillis morantur, varii tumultus è diuersis locis quotidie renunciabantur. Nam Me- 3
thinæ nobili emporio in creatione abbatis Methinensis, paulatim procedentibus iurgiis
inter eos penes quos creandi ius erat, ita ciues vniuersi mutuò exarserunt, vt armati medio
in foro multi se confoderint. Dionysius Castrus, Roderici Osorii gener, Lemiorum co-
mes, Ponferratam olim suæ ditionis particulam, tunc verò ob dissidia inter Osorium & Pi-
mentellum super ea re habita, per regem tanquam publicum protectorem & sequestrē ab
illorum iniuriis vindicatam, per vim præsidio imposito occupauerat. Vbeda ad priscas si-
multates rediens, Molinensibus Carolum, Cueuiis Ferdinandum appellantibus, qui iam
olim in ea vrbe fuerunt factionum capita, in armis erant, & multi vulnerati renuntiaban-
tur, Antonio Manrico vrbis præfecto, qui contrarius Ferdinandinis erat, ad id manifestam
(vt aiunt) occasionem dante. Neq; minori in seditione Abula & Toletum clarissimæ vrbes 4
esse ferebantur. Inachus Tendillæ comes Granatensem prouinciam in periculo esse per
nuntios declarauerat: quoniam milites qui oram maritimam tuebantur, ob stipendia non
soluta irritati, sacramento exolui poscerent: quorum multi non expectato exauthoramen-
to, stationes suas iam deseruissent. Hæc omnia Ximenium animi anxium & suspensum
tenebant. Nā partim ob reginæ obseruantiam, ad quā, quanuis nihil proficeretur, referēda
erant, partim ob proximum Ferdinandi regis aduentum, vt frequentibus literis pollice-
batur, illi omnia huiusmodi negotia integra reseruare statuerat. Neque enim satis tutum
esse sibi existimabat, quo tempore omnium animi ad res nouas erecti erant, nondum pla-
nè confirmata regendi potestate, sese tam grauibus causis immiscere. Sed quoniam eius-
modi erant, vt nec contemni, nec dissimulari possent, proceribus in consilium vocatis, quò 5
remedio incommoda quæ diximus propulsari quirent, tractauit. Visum fuit quantumuis
subitarium, aut pro tempore natum remedium interponeretur, magni momenti eo in ar-
ticulo futurum. Neque enim ea remedia tunc quęri oportere, quę vim mali penitus euellāt
sed quę tantisper dum Ferdinādus veniat, ne vlterius grassentur, impediāt. Quare Ximenii
curę, & prudētię, qui Velascū consiliorum socium assumeret, omnia relinquenda esse cen-
suerunt. Nam & Vbedam executores regii sunt missi, qui in seditionis authores capitali
pœna de more animaduerterent. Toletani & Abulenses, vt quiescerent, à seditionibus ces-
santes, magna interminatione, si secus facerēt, sunt moniti. Tēdillano libera potestas data est,

à coa-

à coactoribus cuiusuis ordinis pecuniam exigendi, eamque in milites suos erogandi. Sed quoniam sinistre de se suspicandi Tendillanus occasionem dederat, Molinenses eius fauore fretos, Vbedæ seditionibus studere, manifesto eius rei indicio, quod Antonium Manricum, de quo diximus, libenter hospitio Granatæ suscepisset: quo cum arcanos sermones habuisset, etiam atque etiam quid faceret caueret iussus est, & vt sese reipublicæ fidum custodem & administrum, maiorum suorum exemplo, præstaret. At in Lemiorum comitem, quoniam grauius delictum fuerat, Pimentellus Beneuentanus, & Fredericus Albæ regulus, qui ob affinitatem nuper contractam, in Castri perniciem conspirauerant, duces reipub. deliguntur. Hoc Ferdinandi regis exemplo factum fuit: nam ille apud Granatam occupatus, Roderico Osorio eadem tentanti, Pimentellum, qui cum Osorio de Ponferrata contendebat, callido quidem consilio opposuerat. Quanquam eo tempore Ponferrata, ab Osorio capta, non nisi regis præsentia recepta fuit. At nunc Pimentellus & Albanus coniuncti, cum validam militum manum conscripsissent, iamque in Castrum proficiscerentur: ille partim ob proximum Ferdinandi aduentum, partim quod si ferro decernendum esset, longe alias vires requiri, & longe alios apparatus faciendos esse sentiebat, se arma deponere, & omnia pro Ferdinandi arbitrio facturum ad Ximenium scripsit. Interea tamen se regis nomine Ponferratæ mansurum, omnesque motus Callaicos sedaturum, qui vt ea gens in martem est prona, non parum multi futuri credebantur. Ad quæ Ximenius paucis respondit: ni mature Ponferrata discederet, indeque præsidium militare educeret, non modo Albanum, & Pimentellum, quorum tamen virtuti multum fidebat, sed vniuersas Castellæ vires, ad eum perdendum statim concitaturum. Ille soceri periculo edoctus, quem vniuersis possessionibus ea de causa Ferdinandus priuauerat, confestim paruit. Dũ his reipub. negotiis distineretur, non deerant etiam priuata sacerdotiorum negotia in diœcesi sua. Nam cum Raneræ, quæ in Carpetania sita est, beneficio, quod Curatum vocant, de Ximenii voluntate Petrus Martyr præfectus esset: Bernardinus Mendozius, Didaci Mendozii Infantatus ducis frater, Guadalfaiarici tractus, in cuius solo Rainera est, Archidiaconus, literis quas vulgo expectatiuas vocant, ab Alexandro Pont. Max. olim impetratis, eam sibi præfecturam armis & vi vindicare conabatur. Quod multis de causis Ximenius ægre tulit: nam Alexandri, qui iam dudum obierat, illius modi priuilegia nihil tunc efficaciæ continere dicebat: quo prætextu sibi fraudem fieri, vimque locis sacris, suisque ministris inferri, non modo graue & inhonestum, sed flagitiosum & impium iudicabat. Idcirco literas expostulatrices ad eum dat, & a præsente Mendozio, vt fratrem in officio contineat eumque seuere increpet, exposcit: multisque verbis obsecrat, ne sibi ansam, aut occasionem dari ferat, sese propriis armis (hoc est sacrorum interdictis, & pontificia authoritate) vindicandi. Quod si ea negligeretur, esse sibi quoque militares copias, multo armatis satellitibus præstantiores, quos Bernardinus veluti in bellicum præsidium, in eius contumeliam in æde sacra Raneræ collocauerat. Optima monenti Mendozius paruit: atque ita se Ximenius ea molestia liberauit. Nihil tamen animum eius æque sauciauit, quam quod per eosdem dies Petro Cordubæ iuuenum regiorum præfecto in Africa accidit. Nam cum eius opera portus magnus, qui Maurorum lingua Mersalcabir dicitur, Carthagini nouæ in Hispania oppositus, in nostrorum potestatem venisset, eumque præsidio militari tueretur: aliquid egregium patrandi cupidine incensus, in interiorem Africam, cum tribus peditum millibus, aliquotque item cataphractis equitibus penetrauit: sed inauspicato prælio cum Mauris dimicans, pene omnes, hostium innumerata multitudine vndique confluente, sunt perempti. Quod magis ac magis Ximenii animum confirmauit ad expeditionem Africanam, quam iam diu secum meditabatur, suscipiendam. Dum his in Hispania curis Ximenius distringitur: Ferdinandus, quem vniuersæ Italiæ gratulationes, ipsiusque adeo Pontificis Maxim. Iulii II. honorifica per nuntios gratulatio, & ictum cum Ludouico Gallorum rege fœdus, iniuriarum obliuisci fecerant, à Neapoli, vbi omnia ex voto composuerat, in Hispaniam rediens, Sauonam Genuensium vrbem, ante diem quartum Cal. Iul. appulit. Eo Gallus neptis suæ visendæ prætextu, quam (vt diximus) Ferdinandus vxorem duxerat, venit: & multa de vtriusque rebus, quæ antea per sequestres & nuntios tractabantur, præsentes egerunt, Gonsalo Fernando cognomento Magno, & Antonio Palauicino Pont. Maxim. Legato tantum ad colloquium admissis. Digrediuntur reges animis coniunctissimis, & Gallo in sua redeunte, Ferdinandus prospero cursu in Laletaniam traiecit, quæ pars est Cataloniæ: vbi ab omni nobilitate officiosissime salutatus, receptus est. Deinde in Castellam diu cupitam profectus, ab vniuersis proceribus, qui ad illum festinatis itineribus conuolauerant, multis obsequiis & gratulationibus excipitur: qui

nullam interim offenſi aut alienati animi ſignificationem dedit, ſed omnibus benigne arriſit. Nam vel Emanuellum ipſum, cui multis de cauſis non iniuria offenſus eſſe exiſtimabatur, Naiarenſium reguli, quo cum amicitia ei intercedebat, cuſtodiæ cōceſſit. Quanquam vt erat Emanuellus animi ſagacis & prouidi, parum fidit Ferdinandi diſſimulationi. Sed dū ille aliis atq; aliis negotiis occupatur, decepto aut diſſimulante cuſtode, ſimulatque per occaſionem licuit, iter ad Belgas continuo arripuit. Quod paulo ante non expectato Ferdinandi aduentu, Villas, & Veranius, aliiq; nonnulli Belgarum principes fecerant, ſtatim ac Philippus obierat, ad Carolum Philippi filium confugientes. Quanquam ſunt qui ad regē Gallorum diuertiſſe dicunt, vt eius literis Ferdinando commendarentur: qui rerum ab illis geſtarum gnarus, Placet ſane (inquit) ad eum ita ſcribere, vt talem erga vos benignitatē exhibeat, qualem vos veſtris officiis promeremini. At regina vt patrem per nuntios aduentare reſciuit, quanquam nullo ſigno lętitiæ dato, in vltimos Caſtellæ fines venire voluit, ad excipiendum patrem, niſi Ximenii authoritate, qui ea de re Ferdinandi literis admonitus iam erat, prohibita fuiſſet. Proinde Furnillis relictis, Tortoles oppidulum non longe diſtās, nocturnis itineribus, vt ſolebat, proficiſcitur. Quam cum Ximenius nonnunquam admoneret, ne iter noctu, tempore ſane incommodiſſimo faceret: hoc eſt (inquit) viduæ fœminæ perquam decorum: nam ſole maritali ablato, ſolis lumen oportet fugiat. Atque ita facibus longo ordine præeuntib. & mariti feretrum cingentibus, viæ ſe de nocte dabat, nouo, neq; vnquam antea audito exemplo. Modicis itineribus Ferdinandus ad Ioannam filiam contendens, quod crebris regulorum occurſibus impediretur, quarto Cal. Sept. Tortoles venit: vbi patria quadam caritate illachrymans in mutuos filiæ amplexus effuſus, obortam animo lætitiam aperte declarabat. Illa vero, quod vix quiſpiam in tam pertinaci mœrore expectaret, lachrymas quidem nullas effudit, quæ illi poſt pellicem cum marito deprehēſam, nimia vi doloris, aruiſſe dicuntur: hilareſcentis animi ſigna non pauca, neq; obſcura dedit. Sermonibus vltro citroq; habitis, ad multam noctem euigilarunt, Ximenio duntaxat arbitro. Priuſquam colloquium dirimeretur, cæteris aulicis iam admiſſis, cum de loco regum habitationi apto agitari cœptum fuiſſet, & regina patrem rogaret, vt ſuo arbitrio illum optaret, & Ferdinandus eam curam honoris gratia in filiam reiiceret: tandem placuit, vt ſanctam Mariam Campenſem, oppidum ſatis celebre viginti millia paſſuum à Burgis diſtans, concederet. Nam & annonæ abundantia illic erat, & reginæ affectui mos geri videbatur. Inter cætera quæ dum in Italia Ferdinandus morabatur, cum Iulio Pont. Max. egit, hoc vnum ab eo efflagitauit, vt Ximenius vir omni laude cumulatiſsimus, atque maximæ authoritatis, vtpote Hiſpaniarum primas, in Cardinalium ampliſsimum ſenatum cooptaretur, cum Cardinalis Hiſpaniæ titulo, quem patrum memoria Petrus Gonſaluus obtinuerat, & aliquot ante annis Petrus Friaſius Vxamenſis Epiſcopus, ab Enrico tertio Hiſpaniarum rege, magno in pretio & honore habitus. Igitur cum id Ferdinandus Ximenio impetraſſet, ſecumq; ipſe inſignia tantę dignitatis aſportauiſſet, quod amoris in eum teſtimonium haud vulgare fuit, voluiſſet quidem, vt primo quoq; tempore magno apparatu & celebritate, Ximenius galero purpureo inſigniretur: ſed regina id pertinaciſsime vetuit, indignum eſſe viduitate ſua clamitans, quicquam lætum ſe præſente geri. Quod ſi id ita animo ſederet, diuerterent in aliquem proximum vicum, atq; ibidem meritiſſimum Antiſtitem, omni honore & hilaritate proſequerētur: ſe enim aurea & ſerica tapetia, & quicquid amplius ornamentorum ad eam rem neceſſarium eſſet, è gazophylacio regio depropturam, & quocunq; locorum conueniſſent, libenti animo miſſuram. Obtemperauit reginæ Ferdinādus, quamuis animo dolenti & perinuito: neq; enim tātam rē myſteriorū & religionis plenā, humili in loco & parū regii comitatus capaci geri voluiſſet. Accerſitus eſt è Pallātia vrbe Ioānes Rufus Pōt. Max. nuncius, nā regina (vt diximus) per vicos ignobiles & anguſtos diuerſante, illuc multi ex procerib. ſeſe cōtulerāt. Quoniā aūt ęſtatis calores nondū deferbuerāt, veſtes purpureę ex ſerico vndulato Ximenio ſunt apparatæ. Accidit aūt, vt cū ad eū viſendum Ferdinandus rex veniſſet, & ambo in domo Ximenii morarentur, nuncius Pontificius aduentaret, & iam in proximo eſſe Ferdinando & Ximenio nūtiaretur, voluit illico prodire obuiam rex, ſed eo vſq; ſe continuit, donec veſtibus purpureis Ximenius indutus ſeſe comitem regi adiungeret. Tanta fuit regi potentiſſimo comitas, & tanta præſuli optimo dignitas, vt neq; illum id honoris præſtare dedeceret, neq; hunc admittere. Oppidulū quoddam, quod in propinquo erat ad ea vſq; tempora obſcurum, incolæ Mahamudum appellant, ad ea ſacra celebranda pro tempore accommodum eſſe viſum eſt. Illuc cum rege ferme proceres omnes conuenerunt, & Ioanne Rufo ſacra curante, rubro galero Ximenius decoratur. Literæ vero ſummi Pont. ſuper ea re ad Ximenium miſſæ, quoniam tunc ſunt publice perlectæ, non abs re fuerit poſteris quoque in hiſce commentariis tradere: quas

nobis

nobis ecclesiæ Toletanæ sacerdotes ex adytis suis, vbi asseruantur, describendas obtulerunt. Nam Ximenius beneuolentiæ & officii causa, Toletum mittendas curauit: & priuata eius epistola, amanter de Pont. Max. collato in se beneficio certiores fecit. Rogat etiam vt supplicationes ad Deum haberentur, qui reipub. Christianæ in primis, deinde sibi felix & faustum esse annueret.

VENERABILI FRATRI NOSTRO FRANCISCO S.R.E. PRESbytero Cardinali, Iulius II. Pont. Max.

Dilecte fili, salutem & apostolicam benedictionem. Inducti præclaris meritis & virtutibus tuis contemplatione etiam carissimi in Christo filii nostri Aragonum, Siciliæ, regis catholici, qui hoc à nobis per literas & oratores instantissimè petiit, hodie in consistorio nostro secreto, S.R.E. Cardinalium consortio, & collegio te aggregauimus, sperantes quòd eidem S. R. E. cuius iam honorabile membrum es, vtilis eris & honorificus, illiusque authoritatem pro viribus conseruabis, & augebis. Datis Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris: Die XVII. Maii, M.D.VII. Pontificatus nostri anno quarto.

ACTVM est id, maxima omnium aulicorum lætitia, XIX. Cal. Octob. quo die Petrus Nauarrus, vir in bellicis rebus spectatæ virtutis arcis Burgensis præsidium, quod dux Naiarensium ibidem collocauerat, ad deditionem faciendam coegerat. Quanta autem ea cooptatio patrum purpuratorum approbatione, Iulio Pont. Max. rogante facta fuerit, literæ multorum, qui ex nostris eo tempore Romæ agebant declarauerunt: quarum mihi copiam eadem S. Ecclesiæ Toletanæ adyta suppeditauerunt, vt multarum etiam rerum aliarum, quæ huic operi necessariæ videbantur. Erat quidem Ximenii nomen vel apud exteras gentes iam celebre, sed conceptam de ipso opinionem non mediocriter regis Ferdinandi fauor & studium adauxerat: qui incredibili cura & voluntate, vt grauissimis quibusq; muneribus præficeretur contendebat. Quare post sacræ purpuræ dignitatem concessam, vt causis religionis examinandis supremi iudicis partes sustineret (quē Inquisitorem generalem vocant) à Pont. Max. obtinuit. Huius magistratus tanta authoritas & maiestas est, vt nemo sit quantumuis magnus, quem non liberè queat in iudicium vocare, meritasq; pœnas irrogare. Institutum est huiusmodi tribunal, magna totius regni consensione, ab Ferdinando rege de quo agimus, & Isabella vxore, procurante vt id constitueretur Petro Gonsalio Mendozio, qui tunc Episcopus Hispalensis erat, anno M.CD.LXXVII. & Xisto V. Pont. Max. approbante. Thomas Torquemata, ordinis Dominicani sodalis, & Segobiensi monasterio præfectus (quem vulgus priorem vocant) vir theologus, & vitæ sanctimonia clarus, ad hoc munus consilio Gonsalui Mendozii tunc fuit assumptus. Huius præclari, & sacri magistratus, cum statim Hispania vtilitatem maximam sensit contra iudaizantes, tum verò his calamitosis temporibus, contra tot sectarum pestem experti sumus incomparabilem, & nunquam satis pro merito æstimandam. Sed quoniam quo tempore Philippus rex in Hispaniam traiecit, sub Deza Episcopo Hispalensi, qui huic tribunali prę̨erat, & Luzero Inquisitore Cordubensi, magni motus Cordubæ exorti sunt, Petro Corduba Plegii Marchione causam quorundam hominum, qui de violata religione accusabantur, protegente: rex Ferdinandus id memoria voluens, multum referre intellexit, virum aliquem, qui authoritate, prudentia, & vitæ integritate polleret, ad tribunal grauissimum moderandum assumi. Nemo autem occurrit, qui omnibus numeris absolutior esset, & aptior ad tantum munus dignissimè exequendum, quàm Ximenius. Idcirco simul cum cardinalitio honore, huius magistratus moderationem ad eum deferri, à Pont. Max. postulauit. Hæc simul atq; impetrata sunt, illico Ferdinandus eum, autographa epistola, de vtraque re certiorem fecit: cuius exemplum, quod Franciscus Hispanię regis Philippi II. cubicularius minister, mihi benignè obtulit, hîc libuit adscribere.

FERDINANDVS REX

REVERENDISSIMO DOMINO PATRI CARD. Hispaniarum, Archiepiscopo Toletano S.



Vm tuam ingentem virtutem, cum insigni pietate coniunctam experimento exploratum habeam, & quanto in pretio & honore habendus sis cognoscam, teque ipsum quanto ampliorem dignitatem obtinueris, tantò maiori, tum religioni tum publicæ trãquillitati, non modò istorum regnorum, sed & aliorum præsidio futurum esse, mihi persuadeam, simul etiam cum quantum tibi debeam, frequenter memini, dedi operam, vt me id supplicante, è beatissimo patre nostro in S. R. E. Cardinalium numerum hesterno senatu cooptareris. Id tu obsecro beneficium suscipe eo amore, qualis in me ad impetrandum fuit. Ad hæc cum Archiepiscopus Hispalensis sese Inquisitoris generalis præfectura, quam in Castellæ regnis exercebat, per literas ad me datas abdicauerit, curaui etiam vt Pont. Max. ad sanctum hoc munus moderandum Reuerendissimam paternitatem tuam designaret. Porrò duo sunt, quæ mihi à te in præsentia petuntur, vnum vt pietati & religioni consulas, optimis quibusque viris, qui omnibus affectibus potissimum sint liberi, ad tanti muneris partes assumptis alterum, vt omni ratione, & diligentia, ne quid Archiepiscopi Hispalensis authoritati detrahatur, caueas. De quo etiam si te admoneri superuacaneum esse videam, mihi tamen de eius dignitate solicito, vt ita faciam mens suadet. Vtriusque rei testimonia ad te vt propediem mittantur curabo. Hactenus ad te non scripsi, quoniam à remis ad velum (vt aiunt) in procinctu semper fui at Deo, vt spero, iuuante, vltimo instantis S. Spiritus celebritatis die, vela faciam: nam me hucusque cupientem, maxima negotia retardauerunt. Vale, manu propria, Neapoli XV. *Calend. Iun. anno* M. D. VII.

HVIC grauissimo statim vt præfectus est muneri, tabulas publicas, quarum exemplum in Complutensibus scriniis habetur, per vniuersas Hispaniæ ecclesias dedit: quib. id potissimùm agebatur, quo pacto recens ad fidem conuersi, liberiq; eorum, & familia vniuersa in religionis reb. sese gererent, & qualiter sacris deberent interesse: & quib. item rudimentis & exordiis, paulatim ad Christianam fidem instruerentur. Rursus à quibus rebus cauendum esset, vtpote Iudaicis, & Mahometicis cæremoniis, maleficis ritibus, & magicis incantationibus, cæterisque omnibus superstitiosis actibus, qui à dæmonibus sunt inducti. Nam de blasphemiis, & nefariis vocibus, quibus homines impii diuos omnes, imò & Deum ipsum impetunt, quoniam legibus regiis seuerè vindicatur, id vnum additum fuit in his tabulis, suam quoque illos experturos indignationem. Hæc verò comminatio mirum est quantum momenti apud nostros semper habuerit. Quoniam verò seuera Luzeri animaduersio multorum animos turbauerat, primo quoque tempore de eo agendum ratus, curauit vt deposito magistratu, rerum a se gestarum rationem daturus, vt rei solent, ad se veniret. Fuit id cumprimis speciosum, & multis hominibus oppidò quam gratum. Testes sunt in medium producti, quorum ille opera aduersus innoxios vsus dicebatur. Ingentia causarum volumina, quibus damnatorum crimina continebantur, assidua Ximenii & aliorum iudicum cura, qui supremas in inquisitionis curia partes cum eo tenebant, lectitata & expensa sunt. Luzerus crebrò de omnibus interrogatus Burgos vinctus asportatur: ibique arcis præfecto sub arcta custodia asseruandus traditur. Sed re omni accuratè examinata, cum in illum animaduertendi causa satis idonea non inueniretur, liber tandem abire permissus est, & Hispali, in cuius vrbis templo maximo sacerdotium canonicus obtinuerat, diu priuatam vitam vixit. Priusquam huic volumini finem imponamus, commodum videtur, de Hierosolymitana expeditione, ad quam sub hoc tempus Ximenius Ferdinandum, & Emanuelem Lusitaniæ regem assiduis sermonibus non cessabat adhortari, nonnihil posteritati tradere. Nam vt ex literis Emanuelis, quæ in Academiæ Complutensis scriniis, regio signo, ceraque propendenti Lusitano sermone scriptæ seruantur, intelligere licet, anno sexto qui hunc antecessit, paulò antequam Hispaniam Philippus è Belgis appelleret, suadente & curante Ximenio, de fœdere inter Ferdinandum Hispanum, & Emanuelem Lusitanum, & Enricum Britannum feriendo agebatur: vt mutuis animis, & exercitibus, aduersus Saracenos proficiscerentur, Dominicum sepulchrum recuperaturi. Quanta in eam rem animi contentione Ximenius [illegible]deret, abunde Emanuelis verb[illegible] decla[illegible]: quæ fui[illegible] quantum potui

fideliter & circumscriptè apponam: quoniam nihil potuit honorificentius, aut præstantius in alicuius cõmendationem scribi à rege rerum gestarum gloria inclyto. Ferdinandi (inquit) soceri prudentia, cum excellenti animi magnitudine coniuncta, nosterque item & Enrici Leuiri ad hanc rem ardor & propensio, concorsque animorum affectus, diuino in primis fauore adiuuante, sine quo nunquam aliquid in terris præclare geritur, facilè me in spem ingentem erigunt, vota tua suum finem habitura. Quæ quantum ex literis tuis intelleximus, semper eò tendunt, vt Mahumetana secta deleatur, & omnes qui extra cœtum Christianorum sunt, dominico gregi tandem coniungantur, fiatque vnum ouile, & vnus pastor. Id autem fausta hac & felici expeditione, ita cumulatè euenturum speramus, vt propediem victoriis exultantes, sanctissimũ Christi corpus te ad sepulchrum dominicum sacra faciente, è tuis manibus socer & duo generi, magna lætitia & voluptate perfusi, genibus flexis sumpturi simus. Crede enim mihi, quòd pòst Ferdinandi regis ad hanc rem paratam voluntatem, cuius auspiciis mirificè confidimus, nihil meum animum magis confirmauit, nec confirmauit modò, sed altero tanto etiam adauxit, quam tuum ad hanc rem feruorẽ, diligentiam curamque intueri, sine quibus nihil eorum quæ à te prudenter singulis in rebus animaduertuntur, potuissent ad me perscribi: quæ mihi maximo argumento sunt Deo annuente prouinciam hanc assumi. Quare id tibi vnum persuadeas velim, multò magis mihi pretiosum & carum esse, te nobiscum huius expeditionis participem venire, quam si rex quispiam potentissimus, sese nobis socium adiungeret. Neque enim solùm opibus tuis, & authoritate, quæ neutiquam contemnenda sunt, præsidio nobis & vsui eris, sed augurii fortunatissimi spem præsentia tua semper suggeret. Nam id ex tua pietate, & quam perpetuò colis, morum sanctimonia pro certo habemus, nihil vnquam aduersum, aut triste eis, quibus cum verseris, accidere posse. Siquidem à viris sapientissimis accepimus, idque oraculis nostris testatum retinemus, Deum immortalem beneuolentiorem in eos esse, à quibus purè & religiosè, quemadmodum tu facis, colitur. Sæpe etiam ob vnius viri dignitatem & merita vniuersorum noxas condonari: quemadmodum è diuerso, ob vnius flagitium & scelus totam aliquando rempubl. euerti. In iis vero quæ ex longa consideratione, quã in legendis historiis adhibuisti, vbi de simili expeditione agitur, prudentissimè disseris, permulta sanè exempla recensentur, quæ parum alioqui animatos deterrerent, & promptos & paratos commonefaciunt & cautiores reddunt. Ea etsi nos quoq; iam prospexeramus, abs te tamen admoneri, grato & lubenti animo suscepimus. Nam & sententia nostra tuo calculo confirmata fuit, & ampliorem de ea re cogitandi materiam nobis obtulisti: vt quàndo coram de eis agendum sit, ea quæ nobis vsui sunt futura, accuratè expendere valeamus. Esset enim omni culpa dignus, qui ex aliorum periculis non saperet. At tu Antistes optime: planè curã non vulgarem præ te fers, ingentisq; tuæ solicitudinis non mediocre mihi testimonium præstas, cum eorum omnium, quæ ad hanc rem efficiendam conducunt, tanta sis cognitione instructus. Nec enim oræ maritimæ sinus, nauium stationes, & abditos in ipso pelago scopulos, quisquam est in oriente nauclerus, qui distinctius posset explicare. Iam quæ de belli gerẽdi forma à te dicuntur, ita aptè, & conuenienter, ita fortiter & robustè disponuntur, vt nihil aliud tractasse videaris. Idcircò quanuis hoc vltimum esse videamus, neque de eo prius disputandum, quàm cæteris omnibus (vt oportet) compositis, quid nos quoque de eo sentiamus, à te tam luculenter prouocati, breui sermone aperuimus. Hæc ex Emanuelis literis decerpta, satis demonstrant solicitum in primis Ximenii animum, de Mahumetana gente extirpanda: qui tanta diligentia, & sedulitate, trium potentissimorum regum concordiam ad eam rem perficiendam curaret. In hoc quidem negotio Emanuelis pietas mirificè enituit, magnam voluntatem, insignem fortitudinem, ingentem in Christo fiduciam præ se ferentis.

Qua tamen de causa ea expeditio non sit confecta, nihil certi quod scribam habeo: nisi quòd partim ex Philippi regis in Hispaniam aduentu, cuius occasione omnia mutari, & aliam (vt suprà diximus) faciem ostendere cœperunt, partim ex Iulii Pontificis Maximi cum Gallo dissidiis, in quibus apostolicæ sedi laboranti, subueniendum fuit, Ferdinandi & Ximenii conatus ad bellum sanctissimum suscipiendum impeditos fuisse par est credere. Præsertim cum multa deinceps ex eo fonte continenter acciderint, quæ domesticam tranquillitatem interturbarunt, & cunctam de bellis externis curam abstulerunt. Quam difficilè autem ad huiusmodi res conficiendas principum animi coire soleant, quantæque in ipsis difficultates subinde

oriantur, Francisci Vallesii Gallorum regis, prudens mehercle de hac re dictum, & sapienter & eleganter declarauit. Ille enim cum captiuus ad Imperatorem Carolum v. qui tūc Madriti erat, per Hispaniam, Alarcone, aliisq; primariis viris comitantibus, iter faceret, & Compluti meridiatus esset, cœpit victoris imaginem qui iam propè erat, mœsto vultu cogitare: & cum nihil iis qui adstabant loqueretur, Petrus Lassus, vt ægrimoniam discuteret, bono animo (inquit) esto rex, neq; te ad hostem venire existimato, sed potius ad principem mitissimum & humanissimum: in cuius postquam conspectum veneris, cuncta ex tua voluntate fient. Nam iam ego hinc concordiam inter vos clauibus trabalibus fixam, ortam video: qua non solum Christiana resp. cōfirmetur, sed Mahumetana secta deleatur. Nam Turcis tanto terrori eritis, vt paribus armis conspirantes, & cæteris Christianis principibus ad eandem prouinciam prouocatis, vrbē Hierosolymitanam sine vllo negotio expugnetis. Franciscus ad hæc respondisse fertur, longè maius negotium in conspirando Lasse erit, quam in expugnando. Prospiciebat enim prudentissimus rex, duos æqua potestate principes, quorum alter parem, alter priorem nequaquam ferret, difficilè mutuam consensionem habituros. Illorum ergo principum Christianorum discordiis nostrisque flagitiis, eas vires barbari sumpserunt, vt difficilior expugnationis ratio iam facta fuerit, quam pro Ximenii eo tempore opinione. Cùm tamen Franciscus rex, Academiæ visendæ causa in Ildephonsi ædem venisset, eumque rector, ac literarii patres, per omnes scholas circumduxissent, vbi singuli professores de suis disciplinis disceptabant: postquam attento & consideranti animo cuncta tacitus perlustrauit, Rem (inquit) Ximenius vester animo concepit, eamq; (vt video) absoluit, quā ego aggredi neutiquam ausus fuissem, veritus ne conanti effectus tantæ rei non succederet. Nā Parisiensis schola qua mea Gallia iure gloriatur, opus regum multorum est. Hoc sanè potentissimi, atq; erecti animi regis testimonio, illustri alioqui Academiæ, non mediocris commendatio parta est. Sed nos ad eius amplitudinem pro virili describendam, quandoquidem ita series historiæ poscit, Deo auspice, accedemus.

LIBER QVARTVS.

AD eam partem historiæ deuenimus, in qua nobis de Academiæ Complutensis principiis & institutis, & literatorum hominum subsidiis ad vitam ducendam, est agendum, & etiam de profectibus studiorum, quandiu Ximenius superstes fuit. Ergo postquam ille Cardinalitia purpura insignitus, & Inquisitor generalis factus fuit, rex Ferdinandus sub Octobris initium Burgos se contulit: neq; enim reip. negotia patiebantur, amplius eum per vicos ignobiles vagari, & ægræ filiæ, ac parum sibi constanti, cum publico omnium detrimento obtemperare. Regina verò cùm id intellexisset, nec quicquam illi repugnandum esse rata, ea tandem conditione annuit, si modò sibi liberum esset, apud Arcos oppidum quindecim stadiis à Burgis distans, cum Philippi coniugis feretro manere: neq; enim animo imperare posse, vt eā vrbem rursus inuiseret, in qua coiunx sibi dulcissimus fuisset ereptus. Cum rege Burgos Ximenius venit, fuitq; in eius comitatu ad extremum vsq; Augusti mensis insequentis anni. Quo quidem tempore, rex Petri Aquilarii marchionis Plegiani plectendi causā, quòd regium executorem irreuerenter & indignè tractasset, Cordubam profectus est. Ximenius verò à Compluto nuntium lætissimum accepit, scholam suam non ita pridem à nouis colonis habitari cœptam. exorsumq; Petrum Lermam Burgensem, quem ille Burgis paulò antè ea de causā Complutum miserat, librum Aristotelis de moribus, non parua scolasticorū frequentia, prout illa tempora ferebant, interpretari. Quæ quidem prima lectio, non sine felici bene in posterum de moribus Academiæ sperandi augurio, publicè est habita. Regis igitur absentia peropportunè Ximenius vsus, Complutum Academiam suam visurus venit. Die xxvi. mensis Iulii, Annæ Deiparæ virginis genitrici sacro, studiosorum iuuenum colonia à Salmantica Complutum Ximenii iussu deducta, diui Ildephonsi ædes faustis auspiciis, in totius Hispaniæ profectum, & commodū sempiternum, habitatura iniuit. Eorum verò nomina (neq; enim in obscuro fas est delitescant, qui tam præclaræ rei principiū dederunt) à maioribus hæc fuisse accepimus: Petrus Campus, Michael Carrascus, Fernandus Balbasius, Bartholomæus Castrus, Petrus Sanctacrucius, Antonius Rodericus, Ioannes Fontius. Qui omnes intra ædes Ildephonsi, sub eius diei crepusculum recepti, quas deinceps collegii nomine sumus vocaturi, triclinium escarium ingressi, quod peramplam

& satis

& satis spatiosam collegii sui maiestatem præ se fert, epulis hilares accubuerunt. Collegarum numerum triginta tres esse placuit, quibus duodecim sacerdotes, (quos capellanos vocant) sodales dedit. His idem vestitus, habitatio, & mensa communis est: omni reipublicæ cura hos liberos esse, nullumque ius suffragiorum per leges habere cauit: addita insuper causa, quoniam Deo dicati essent. Hi sacra singulis diebus in collegio peragunt, Ximenii conditoris, eiusque parentum & cognatorum, atque collegarum defunctorum manes, perpetuis parentationibus, statis quibusdam diebus, expiantes. Ægrotantium sodalium curam gerunt: pauperibus deputatas sportulas, atque reliquias epularum diuidunt. Duo ex his, qui capellani maximi vocantur, parochorum ius, ex summi Pontif. authoritate, in collegas tenent, cæterosque alios qui collegium inhabitant. Sunt alia officio & religione plena horum curæ commissa, quæ in Academiæ decretis continentur. Vnum tamen dicam lege benignissima à Ximenio prouisum esse: vt scholasticis sacerdotibus, quos inopia rerum necessariarum premit, non deesset vnde viuerent, sacra pro eius ac piorum defunctorum requie celebrantibus, certi reditus vt deputati essent iussit, vnde illis in singulos dies velut sportulæ darentur, ne à suis studiis cessarent. Postridie illius diei, septem illi viri collegarum primitiæ, peculiari sodalitatis vestitu, qualem nunc videmus, ornati, in publicum prodierunt. Is est talaris amictus, fului coloris, nulla parte adapertus, nisi qua caput profertur, & brachia per scissuras laterum exeruntur. Est autem qua ceruicem attingit, altiusculus, vt collum vndique vestiat, fibulis quatuor astrictus. Ab humero sinistro dependet vtrinque eiusdem panni & coloris fascia quædam, palmari latitudine, longitudine verò ferè amictum æquat: sed quæ retro proiicitur, in multò latius spatium desinit, spira quadam sinuosis plicaturis assuta. Hæc autem est veluti insigne collegii primarii, cæteris enim non licet sic vestiri. Hic ergo amictus adeò collegas condecorat, & speciosos reddit, vt quamuis illorum pleriq; satis matura non sint ætate, senatorum personam probè referant, planeq; digni esse iudicentur penes quos reip. literariæ gubernatio sit. Nam horum arbitrio & prouidentia, orbis ille disciplinarum nouis subinde luminibus clarus, perpetuò est circumuertendus. Pridie diuæ Annæ, qui dies Iacobo Apostolo diuo Hispaniarum tutelari sacer est, ab Ildephōsi sacello in Iacobi ædem, quæ tertiam parochiam Compluti constituit, quingentis ferme scholasticis comitantibus (is enim numerus, vt qui adfuerunt sunt testati, ex finitimis locis confluxerat) rudi pompa, si ad præsentem maiestatem respiciamus, at prout in illis initiis licuit, satis splendida, ventum fuit. Nam Petrus Lerma, quem Iusti & Pastoris abbatem Ximenius creauerat, & exiguus ille qui tunc erat canonicorum ac cæterorum sacerdotum in eo templo numerus, supplicationem sedulò curauerāt. Nondum in pileis laureatorum, tot versicolores apices præfulgebant, nec sceptrigeri regnum literarium, quale nunc est, ostentabant, & tamen Complutenses ciues impendiò hilares, faustum sibi diem non cessabant gratulari, ac veluti animo præsentire oppidi sui exorientem felicitatem. Qua de causa Ximenius pietatis & sacrorum, inprimis cultor religionis, legibus quas inter cæteras scholæ suæ tulit, in perpetuum cauit, vt eo die singulis annis literaria respubl. in eam ædem sacra factura frequens conueniret: ortusque sui ea ratione memor, ad nouam sobolem subinde educendam, & prouentus vberrimos præstandos sacri concionatoris voce concitaretur. Vbi priuatim regum Hispaniarum salutem & fortunas, deinde cæterorum quorum protectioni & fidei scholam suam commissam esse voluit, supplicibus votis Deo, & Iacobo Hispaniarum apud cælites patrono, commendandam demandauit. Statim igitur vt Ferdinandus Burgis discedens, quod circiter idus Iulias factum fuit, Cordubā est profectus, Ximenius opportunam occasionem nactus, sub Augusti finē Complutū venit: vbi collegii sui rebus consideratis, præclarisq; illis initiis perspectis, quib. ingens studiorum spes ostendebatur: illico viros doctissimos, partim Salmantica, partim Lutetia Parisiorū, quæ semper bonarū artiū emporium est habita, ad disciplinarū professionē accersendos doctores curauit: idq; tanta solicitudine & diligētia, vt ante Lucæ festū, quod sub idus Octob. celebratur: quodq; singulis annis studiis in Hispania per vniuersas scholas principiū dat, omnes ferme professores seu regentes (vt ille appellare maluit) cōuenerint. Theologicæ scholæ, quā nominalium eo tempore vocabāt, Gonsaluū Ægidiū Burgensem præfecit, ingenii peramœni virū, atq; varia doctrinarū supellectile exornatū: cuius tenacissima memoria adeò admirationi fuit, vt hac vna potissimū re ingētis opinionē doctrinę apud omnes cōparauerit: quāquam sunt qui mihi retulerint, eā memoriæ vim morbo grauissimo, postquā à Parisiis in patriam rediit, amisisse. Dedit suę memorię specimē, apud Ximeniū, cum Carolo Bouillo Samarobrino nō incelebri theologo disputās. Hic.n. cùm dictū diui Augustini, in patrociniū suæ opinionis citaret, nihil contra se facere Gonsalus proclamauit: nam præterquā quod non

in eo libro Augustini, quem Bouillus citauerat, ea authoritas continebatur, multa verba deesse dicto dicebat, quæ omnia protinus continuata serie recitans, memoriam aduersarie vacillare exprobrauit, quæ illi neque librum certum, neq; libri caput fideliter suggessisse: Hic ille est, inquiens, Bouille, quem tu non ita pridem, bonum in re literaria tyronem, inter iuuenes nostros appellasti. Bouillus ad hæc hominis doctrinam & memoriam miratus: non iam (inquit) spei bonæ tyronem te Gonsale, sed veteranum doctorem venerabor. Illicoque ad Ximenium conuersus, multis eum verbis commendauit. Quod gratissimum Ximenio accidisse, vultus & frõtis indicio declarauit. Eius aliquot carmina, memoria magis hominum, quam scripto vllo circunferuntur, & acuminis & iudicii plena. Scoti lectioni Clementem, sodalem Franciscanum, virum in illius authoris libris versatum, claramq; ex eius Cimmeriis tenebris & non contemnendam doctrinam, eruentẽ. Erat alioqui Clemens impeditioris naturæ, carebat enim ex temporali respondendi facultate, & frontis cõfusionem, rebus præsertim subitis, patiebatur. Quare raro quæsitores illos, quos columnares vocant, admittebat. Nam nonnulli lectione peracta, præceptorem è gymnasio theologico egredientem, & ad columnam quæ è regione est stantem, vanis nonnunquam interrogationibus, ostentationis potius gratia, quam vllius bonæ frugis, impudenter nimis interpellant, & obtundunt. S. Thomæ enarrationi, Petrum Siruellum Darocensem, indefessi in studiis laboris hominem, librisq; perpetuo adhærentem, cuius permulta scripta, quę passim inter philosophiæ studiosos publice edita circunferuntur, eius diligentiam & eruditionem non vulgarem indicant. Hunc ego puer iam octogenarius Compluti vidi, adhuc vigorem suum retinentem: cuius illud dictum in ore omnium tunc habebatur, nunquam à se diẽ suauius peragi, quam cũ populus tauroboliis, aliisve publicis ludis occupatus, ędes sibi liberas interuentoribus faciebat: solidus enim ille dies studiis dabatur. Nam quicquid tẽporis studiis non impertiebatur, perire existimabat. Penuria auditorum eius gymnasium semper laborabat. Cuius rei causam cum aliquando rogaretur, ad hunc modum (vt aiunt) respondebat: S. Thomæ doctrinam incomparabilem quidem esse, prorsusq; cubicis figuris persimilem, quæ vtcunq; iaciantur firmiter sedent, cęterum cibi solidi instar, nisi lento vẽtriculi calore percoquatur, nullum est corpori alimentum allatura: Id autem Hispanorum ingeniis repugnare, quibus omnis mora molestiam incutit. Logicæ, & Philosophiæ studiis Michaelem Pardum Burgensem, cuius in ea re eximia diligentia multis exemplis Parisiis innotuerat, quiq; dum vixit Gallicam illam viuẽdi libertatem sine vllius querela perpetuo tenuit: Antonium item Moralium Cordubensem, Ambrosii Moralii regii historiographi patrem, qui nunc in iuuentute nobili moderanda valde laudatur, virum tam philosophicis quam medicis studiis eo tempore celebrem, & cuius opera Ximenius persępe est vsus. Medicorũm scholæ Tarraconam, & Cartagenam, viros percelebres. Hunc ego Compluti familiariter cognoui, elegantia morum in primis commendabilem, vultusq; quadam hilaritate præditum, qua mire animos ægrotantium recreabat: atq; ea de causa principibus viris, ad quorum morbos curandos persæpe missus est, valde gratum. Hic dum Veranicæ, quod est Vacceorum oppidum, Delphino, & Duci Aureliensi Francisci Gallorum regis filiis, qui pro patre captiuo obsides sunt dati, Caroli v. imperatoris iussu, operam medicam pręstitit. Gręcæ linguę Demetrium Cretensem ex Italia accersitum, ac post eum Ferdinandũ Nonnium Pintianum: è quorum scholis Franciscus Vergara, Ioannis Vergaræ frater, Laurẽtius Balbus Liliensis prodierunt, viri eruditione & ingenio præstantes, veterib. illis sine iniuria vlla comparandi. Vnum tamen addam, quod Ximenii prudentiam maxime commendat. Nam dum legibus suis (quas constitutiones vocant) singulis professoribus quid agendum præscriberet, cautumq; esset, vt auditoribus deficientibus, stipẽdia item cathedrarũ cessarent, de Græcæ linguæ pręfectura sanciens sic ait: Quoniam Gręca lingua, Latini sermonis atq; adeo aliarum scientiarum fons & origo est, quiuis numerus auditorum, de quorũ indole & profectu bene speretur in ea, sufficiens esto. Pręuidebat enim vir prudentissimus, paucissimis semper quibusq;, quorum nempe animus ab studio lucri alienus, ad disciplinarum arcana rimanda promptus esset, Gręcæ linguæ cognitionem cordi futuram: atq; ita eius curandæ, & prouidendæ rationem, minime quidem quemadmodum in cęteris disciplinis ad auditores, qui perrari & negligentes futuri erant, sed ad Rectoris, & triumuirorũ (quos Consiliarios appellant) suffragia, pertinere voluit. Hebręæ linguæ Paulum Coronellum, de quo supra diximus, cum de bibliorum excussione tractaremus. Rhetorum gymnasio Fernandum Alfonsum Ferraram Talabricensem, hominem ingenio promptum, & extemporali facundia præstantem. Ferunt illum arroganti natura præditum, non dubitasse in omnem messem falcem mittere, deq; re omni literaria iudicium ferre: adeo vt aduersus Aristotelem libellum edere non erubuerit. Fuit quidem ille reprehensus à plerisq; Academiæ

miæ magiſtris,ſed ab Ægidio Gonſalo,& Bartholomæo Caſtro multo acrius,adeo vt ſenex rubore ſuffuſus,& æſtuans hæſerit. Rhetorum gymnaſio hoc priuilegium Ximenius dedit,vt ſemel ad id moderandum aſſumptus,perpetuā dum vixerit teneat præfecturam,niſi iuſtæ aliquæ cauſæ interuenerint,quæ illum gymnaſio decedere cogant. Nam in aliarum diſciplinarum ſcholis,vt profeſſores officio ſuo & munere diligentius fungerentur, voluit vt peracto quadriennio exauthorati, rurſus diſcrimen petitionis ſubirent, nouiq; iterum candidati haberentur.Proſpiciebat enim vir ſapiens,annis ingraueſcentib.ſegniores mortales natura fieri,& nulla re magis in officio perſtaturos,quam ſi æmulos paratos viderent, ſemperq; ancipitis euentus ſolicitudine tenerentur. Quid tamē ſecutus,diuerſum in Rhetorica fieri voluerit,mihi ſane certum non eſt:niſi forte,quod cōiectare licet, homini prudenti & rerum humanarum probe perito,exacte quidem cognitum fuiſſe,viros excellentes in omni re perraros ſemper fuiſſe,in eloquentia tamen longe rariores.Nam & perpaucos eo ingenio eſſe,qui multiplici diſciplinæ pares pro rei dignitate ſint,& magnam hominum partem lucri cupiditate in tranſuerſum raptam,potius artib.quæſtuoſis, quā eloquētiæ,cuius in præſentia neglectior eſt vſus,operam ſuam libenter impendere animaduertebat.Iuri ciuili ne vllus in Academia ſua eſſet locus,lege ſeueriſſima cauit: cur autem id fecerit,ſtatim dicemus.Iuri pontificio interpretando Lorancam quendam,& Salceum præfecit,homines quidem non admodum celebres,ſed qui rudimentis eius facultatis tradendis ſufficere poterant:quanquam poſtea legem de ea re ferens, viros in vtroq; iure præſtātes ad id munus eligendos eſſe voluit: vt ſi quæ inter Academiæ patres controuerſiæ, aut potius aduerſus remp.literariam orirentur,eſſent in ea iuriſperiti, qui non tantum profeſſorum munus implerent,ſed etiam conſulere & patrocinari poſſent. Libet legis ipſius aliquot in præſentia verba recenſere,vt intelligant omnes,quantum Ximenius auerſatus fuerit nimiam curam in iure perdiſcendo. Nam cum Theologica, & liberalium artium ſtudia ſuo tempore contemni videret,cumq; his linguarum cognitionem, hæc tria ante alia à iuuentute literarum ſtudioſa,in Academia quam condebat quæri voluit.Sed audiamus legis verba.Cum duæ celeberrimæ apud noſtros Academiæ habeantur,in quib. iuris vtriuſque ſcientia,magno cum fructu,& laude ingenti traditur, iuris ciuilis peritiæ in hoc gymnaſio locus non eſto.Ius pontif.eo vſq; tradatur,quatenus eius peritiam ad ſacros ordines in hac Toletana diœceſi ſuſcipiendos, noſtræ ſynodales conſtitutiones neceſſariam eſſe cauent. Duo profeſſores ſacrorum canonum,quam maxime docti & inſtructi haberi poterunt, in hoc noſtro collegio ſunto. Sic igitur ille cum alioqui his diſciplinis parum faueret, honeſtiſſimam cauſam prætexuit,quod vnam prætecierit, & alterius paruam rationem habuerit.Cum aliquando Ximenius apud eorum gymnaſium qui Philoſophiam naturalē profitentur ſederet,turbamq; ſcholaſticorum oculis circumluſtraret, conſpexit forte pontificii iuris præceptorem cum diſcipulis lectione peracta egredientem, & aſtantib. dixiſſe aiunt,Profecto ex animi mei ſententia vobiſcum actum eſt.Occupate ergo illa inferiora latibula,vt aliis mihi carioribus diſciplinis,hæc ſplendiora & illuſtriora loca relinquatis. In hac autem ſententia erat,non quidem contemptu illarum diſciplinarū, quas ſentiebat eſſe reip.neceſſarias,ſi vitio hominum non corrumpantur.Sed cum vir prudentiſſimus vtriuſque iuris cognitionem Salmanticæ,& Pintiæ doceri intelligeret,Theologiam vero iacere, hanc ſibi omnibus modis exornandam,& augendam propoſuerat. Singulis profeſſoribus, eo quem diximus delectu aſcitis,neceſſarium viſum eſt vnum aliquem creare, qui omnes in officio continere poſſet. Is autem opibus,& cenſu non exiguo,vt imperio & maieſtate polleret,indigere videbatur.Quamobrem diu ſecum Ximenius agitauit, an Salmanticenſis ſcholæ exemplo vnum è nobilib. adoleſcentibus, qui ſtudiorum cauſa Complutū conuenirent,rectorem conſtitueret,penes quem ſenatus cogendi,& ſalaria profeſſorib.diſtribuendi,& nouos præceptores in demortuorum locum,aut eorū qui docendi munere functi eſſent ſubſtituendi,ius eſſet.Præter hunc vero,etiam magiſtrum ſcholarum litib. audiendis,& ſontib. puniendis præficeret. An potius è collegis Ildefonſi vnum aliquem vtriq; muneri præficeret,qui annuo tantum tempore duraret.Videbat hac forma primarium illud collegium multum augeri, contra vero ſi hæc potentia in partes diuideretur, imbecilliorem & ſeditioſiorem futuram:præterquam quod iuuenem illum è nobilitate Rectorem probare non poterat, quod pari conditione omnes in ludo literario ſe exercentes viuere deberent:cæteris vero imperaturum longe aliam rationem ſequi oporteret,nec fieri poſſe vt ex æquo cum cæteris ageret.Scholarum vero magiſtrū,ſiue is eſſet Iuſti & Paſtoris ſcholaſticus,minus virium habiturum,quam tanto imperio conueniret:eſt enim Iuſti & Paſtoris templum longe infra Salmanticenſe,ſi quis reditus & opulentiam conſideret. His rationib. perſuaſus,Ildephonſi collegii Rectorem, dignum eſſe exiſtimauit, quē Academiæ

gubernandæ præficeret. Sic.n.& collegii ſui authoritati, & ſupremæ illi poteſtati conſultũ iri, ſibi perſuaſit. Nam cum in ſingulos annos ingentem pecuniæ ſummã, in Academiæ vſus impendendam penes ſe redactam habiturus eſſet, ſatis hinc illi neruorum ad tãtam dignitatem tuendam acceſſurum: & Ildefonſi collegis, quos maxime auctos eſſe cupiebat, authoritatem magnam conciliari: cum vnus ex eis ad præſtantiſſimam omnium dignitatẽ eligendus eſſet, cui omnes obtemperarent. Dedit tamen illi ex eiſdem collegis annuos triumuiros, quos proprio nomine conſiliarios appellauit, quorum ſolum ſuffragiis & ſententiis, ne ſemper eſſent à ſuis ſtudiis collegæ interpellandi, pleraq; negotia diſponenda forẽt. Quoties vero aliquid maioris momenti tractandum incideret, ad collegas referẽdum eſſe iuſſit, deq; omnium ſententia decernendum. Quod ſi id ad totius Academiæ vtilitatem attineret, maioribus comitiis agendum eſſe voluit: & ex omnib. diſciplinis eos dũtaxat, quibus inſigne magiſterii datum eſſet, ad ſenatũ per apparitores eſſe cogendos. Fuit hæc ratio ſatis idonea ad rectoris magiſtratum cohoneſtandum: nam illico magno in pretio haberi cœptus fuit, atq; æque cum ipſo Ximenio venerari. Nunc vero cum præter ſceptrigeros, lictorem, Quæſtorem, & Tabelliones duos, quos illi Ximenius per leges dedit, nouis ſubinde rebus in tanta amplitudine emergentibus, multi in dies miniſtri addantur: quoties extra collegium prodire rectori accidit, quod nunquam niſi grauib. de cauſis fit, nihil eſt eius comitatu honeſtius, aut dignius. Præfectus eſt primus huic ampliſſimo muneri, anno M.D. VIII. ſub Lucæ feſtum (nam eo tempore ad eum eligendum, ex Ximenii lege ſenatus cogitur) Petrus Campus, iuuenis iam tunc magnæ expectationis atq; ea de cauſa in collegarum numerum (vt diximus) aſſumptus. Huic præter ingenium, & morum probitatẽ, ſpecies digna imperio contigerat: ea.n. erat oris dignitate, atq; apta totius corporis habitudine, vt ad ſui venerationem facile omnes alliceret. Conſtituit etiam ad Pariſienſis ſcholæ exemplum, Academię Cancellarium, qui honorum titulos (quos vulgò gradus vocant) ſtudioſis tribueret, & ſimul cum quatuor viris, qui examinationi iuuenum in liberalibus diſciplinis quotannis præficiuntur, præſens eſſet: omnibuſq; literariis actibus iure ſuo intereſſet. Hũc Abbatem Iuſti & Paſtoris perpetuo eſſe voluit: vt maiori authoritate munus ſuum poſſet obire. Ad eam rem Petrum Lermam doctorem Pariſienſem Ximenius aſſumpſit, de quo latius alias dicemus. Compoſitis ad hunc modum quæ ad tradendas diſciplinas pertinebant, maximam ſibi ſuæ ſcholæ partem peractam arbitrabatur: quoniam id vnum eſſe ſibi perſuaſerat, vnde frequentia in primis ſtudiorum expectaretur, ſi viri in ſingulis doctrinis præclari Academiæ gymnaſia moderarentur. Nec ſua eum opinio fefellit, nam animorum illa contentio, in rerum primordiis ſemper exultans, tantopere ſtudioſos accendit, vt breui in tantam frequentiam Complutenſis Academia creuerit, quæ illã cæteris Hiſpaniæ ſcholis quanuis florentiſmis, æquauerit. Illico enim ex vniuerſis Hiſpaniæ partibus ingens numerus ſtudentium confluxit: & præceptores multitudine incitati nullis laboribus indefeſſi parcebant. Plurimum autem naſcenti Academiæ profuit benignitas indulgentiſſimi patroni, non ſine ſumma prudentia. Propoſitis enim præmiis, & obſeruantia priuilegiorũ, præceptores vndecunq; alliciebat, & miram ſcholaſticorum copiam. Nam vt conditores nouarum vrbium ſolent ſecuritatem ædificatis aſylis promittere, vt ciuium copia non deſit: ſic qui Academiam conſtruit, indulgentem eſſe oportet & in erratis nonnullis conniuentem. Conueniebant per ea tempora Complutum iuuenes ex diuerſis locis, qui tam ætatis feruore, quam noua libertatis, & gymnaſii aſſurgentis licentia, veluti pulli indomiti, primum in oppidi præfectum, ſonte quopiam qui ad ſuſpendium ducebatur ablato, deinde in regium executorem inſultantes, fabro argentario, qui Guadalfajaræ capitale quid cõmiſerat, ex eius manibus per vim erepto. Sed illud factum iuuenili ætati condonandum, vt riſu dignum, Ximenius eſſe dixit: hoc vero apud regem alioqui frementem ſapienter eleuauit: ſcholæ id eſſe ebullientis ſpumam dictitans, quæ illico eſſet feruorem repreſſura. Erat faber argentarius arte ſua celebris, ſacris poculis quæ Ildephonſi ſacello parabantur neceſſarius: vnde Ximenii voluntate magis quam vllo temerario ſcholaſticorum impetu ſeruatus à nonnullis dicitur. Ille autem alter, qui iamiam ceruicem laqueo præbebat, voce cuiuſdam ſcholaſtici fuit ereptus. Nam cum dixiſſet, quæ eſt hæc ô iuuenes ſtudioſi ſocordia, & animorum deiectio? Vobis ne præſentibus, & maxime hoc ſacro tempore, quod Chriſti funeri dicatum eſt, patiemini miſeri hominis cadauer pendere? ita ſunt animi omnium incitati, vt agmine in præfectum, lictores, & ſatellites facto, ſontem nihil tale expectantem liberauerint, & ad proximum diui Franciſci cœnobium duxerint. Id cum acerbiſſime oppidi præfectus ferret: nullamq; de illis vindictam poſſet ſumere, nam ſcholaſticorum adoleſcentum multitudo per momenti creſcebat: ſuadente Carolo Mendozio Ximenii cubiculario, qui Compluti certis de certis de cauſis tum temporis agebat, vnus è vinctis vulgo

ſatis

satis notus subito est raptus,& asino impositus publice verberatus, præcone proclamante scholasticum illum esse,& plecti ob seditionem paulo ante factam. Fuisset id priori casu atrocius,nam simul atq; præconem audierunt,illico iuuenes nihil rationis aut pensi habētes,eum iterum erepturi conuolant,cladem & incendium oppido minitantes, nisi hominem,qui verberatur,agnouissent,& imposturam sibi factam intellexissent. Quamobrem pacatis animis,risu in tanta turbatione oborto,singuli in sua se tecta receperunt: licet grauiter offensis oppidanis,quibus ea iuuenum insolentia,nimis terribilis, & formidanda visa fuit: sed Carolus Mendozius blanda oratione furentes deliniuit: deq; ea re ad Ximeniū scripsit: qui indulgentem patrem imitatus, cum se in eos acerbe vindicaturū rescripsisset, tamen non longo post tempore Complutum veniens, oppidanorum prudentia collaudata,qui insanis adolescentibus pro tempore cessissent, sese pro illis sponsorem dedit, nihil vnquam tale commissuros: idq; ita quandiu ille vixit, euenit. Florebat quidem his de causis Complutense gymnasium,maximamq; in dies expectationem dabat, bonas literas in Hispania reuicturas: Ximeniiq; pectus gaudium occupabat,cum iuuentutem contemplaretur,à qua veluti fœlici plantario fœcundissimæ arbores sperabantur, quarum mirabiles fructus breui per totam Hispaniam essent asportandi. Sed vt sunt res humanæ instabiles,subito accidit,quod animum Ximenii haud mediocriter afflixit. Nam viri illi præstātes,quibus munus docendi datum diximus,partim Ximenii fauore abutentes,partim Salmāticensis Academiæ pollicitis inuitati(verebantur enim Salmāticenses, ne sua schola nō ita floreret,si Complutensis tam insignes haberet professores) salaria sibi maiora dari poscebant. Id cum Ximenius,ad eos prouehendos alioqui munificus,indignum esse & impudens duceret,semper enim vir in promittendo parcus,bene de ipso sperarēt edixerat, cœpit animo nonnihil commoueri. Nulla enim re magis ingenui & liberales viri indignātur, quam suorum diffidentia,quos securos esse iusserant de suo in eos animo & voluntate,nec tamen cessant putide,& inepte,illorum mentem pertentare: suboritur enim fastidiū,quod paulatim amorem in odium vertit. Cum itaq; præceptores illi Ximenio displicerent, nondum integro sexennio exacto,omnes certatim, sed alius alio maturius, Compluto profecti,duro nimis & iniquo tempore nascentem scholam deseruerunt. Nam Gonzalus Ferrera Pintianus,aliiq; nonnulli,inter quos Alphonsus Cordubensis fuit, cuius in artibus liberalibus tradendis non vulgaris diligentia laudabatur,in Salmanticense gymnasium cōcessere. Sunt autem illos comitati complures iuuenes ingeniosi,& prouecti disciplinis: sed potissimum Gonsalum,cuius mira erat in docendo dexteritas,& extemporalis facūdia: quod acrius Ximenio bilem commouere potuit. Accidit etiam,vt Bartholomæus Castrus,cuius obiurgationem Ferrera sustinere non potuit,Ximenio propter eius virtutem & doctrinā impense carus,Romam discedere constituerit, spe magnarum rerum concepta, quamuis causam honestiorem obtenderet, linguarum videlicet, & literaturæ politioris amorem. Veruntamen cum parum Salmantica Gonsalo arrideret, placidis nondum culta disciplinis,& Alphonsus ob insolentiam scholæ Augustini cucullum induisset, Ferrera autem lepra importuna laboraret: Ximenius cum ista resciuit,Genius hic est(inquit) Complutēsis Academiæ,istorum facta iusta ratione vlciscens,qui meam liberalitatem & indulgentiam, tam superbis animis,sine vlla causa spreuerunt. Istorum vos casus iam vidistis: at sibi Castrus vt caueat moneo: nam nescio quid sinistrum mihi de eo mens præsagit. Non multis post mensibus ad Ximenium allatum fuit,Bartholomæum Castrum spe sua frustratum,& vrbis Romæ tandem tædio affectum,dum in Hispaniam Ostia soluisset, miserandum naufragium passum. Quod sane indicauit,quæ à pontificibus sacris dicuntur, vana non esse. Debilitatus nonnihil hoc euentu studentium ardor videbatur: veruntamē aureus ille Maronis ramus,nullibi magis quam in gymnasiis disciplinarum nascitur,vereq; de eo sapientissimus poeta cecinit: Vno auulso non deficit alter. Protinus .n. post illorum discessum indigenæ sunt præceptores suffecti,aliiq; deinceps successerunt,quorum opera & eruditione in eam claritatem & gloriam Complutensis schola prouecta est,quā nūc videmus. Hoc in loco de Fernando Balbasio,qui sexto rector fuit,pauca dicenda sunt,quoniā in eius magistratu nonnulla acciderunt,quæ cum Ximenii rebus videntur coniuncta,verecunde tamen & parce: viuit enim adhuc Compluti octogenario maior,viridi tamē & molli senecta, vniuersis literariis honorib. magna cum laude & dignitate functus. Ad eam ætatē sine vllis senectutis molestiis peruenisse creditur,ob placidā & mitem qua præditus est naturā. Hūc virum Ximenio carum fuisse permulta ostendunt: nam & opimis sacerdotiis illū honestauit,& postquā studiorū suorū curricula peregit,extremis Ximenii temporibus, ad eius familiā accersitus fuit,vt disputationib. theologicis interesset: quas ille post epulas singulis dieb. lōgiuscule,cū delectationis,tū valetudinis causa producebat. Nā homo regiis nego-

tiis occupatus, grauissimisq; rebus, hac vna duntaxat vtebatur animi remissione. Adeo enim semper sapientiæ studia amauit, vt huiusmodi quæstiones illi essent pro ludo, & relaxatione. Nec his tantum quæ publice habebantur contentus fuit, sed ad interius cubiculum horis præsertim nocturnis, priuatas quoq; commētationes addebat, viris illis literatis præsentibus, inter quos non ignobili apud Ximenium loco Balbasius est habitus. Is anno M. D. XIII. in rectoratus dignitatem Michaeli Carrasco successit: quo tempore Ximenius rebus Academiæ absoluendis Compluti agens assiduus instabat. Accidit aūt, vt Ferdinandus rex ob medicatas epulas, quas ei Germanam reginam, dum prolem discupit, propinasse fama erat, male habens, sub Calend. Ianuarias à Madrito profectus, Compluto iter faceret, in secessus illos amœnissimos Segouianos, vbi se venationibus oblectaret, procul ab aulico strepitu & interpellationib. negotiorum. Gratum id Ximenio & peroptatum accidit. Nam cū Oranicæ expeditionis causa nonnihil dissidii intercessisset, tam opportuno regis interuentu ad omne genus lætitiæ exhibendum sese comparauit. At quid libentius ab eo exhiberetur, quam nouæ Academiæ, & reipublicæ literariæ ostentatio? Quæ regi peræque ac Ximenio conditori voluptati futura erat, cum Hispaniam suam schola florentissima adauctā videret, quæ Parisiensis gymnasii æmula, illius laudem ad nos esset translatura. Venit igitur in Ildephonsi collegium Ferdinandus, Ximenio latus claudente, vbi magna totius populi literarii lætitia exceptus, singulas scholas diligenter perlustrauit, & professores studiose audiuit. Sed ædificiorum magnificētiam contemplatus, Ximenio qui prope aderat compellato, Omnia (inquit) mihi mirifice arrident: sed terrena hæc structura, operis æternitati, quā æquum est te animo concepisse, parum quidem videtur accommoda. Ad quæ Ximenius respondisse fertur: Ita est, ô rex, sed huiusmodi esse oportet opus hominis festinantis, & ne morte præoccupetur timentis. At ni mea mihi vaticinia blandiuntur, quam ego terrenam populo huic literarum studioso trado, ipse sibi marmoream conficiet. Neq; eum fefellit sua diuinatio. Nam postea anno XLIII. Io. Turbalanus rector, amplum illū orthographiæ prospectum, totamq; parietum seriem, quæ ab Ildephonsi sacello versus diui Francisci cœnobium protenditur, aliquot ex collegis reclamantibus, quibus & immodici sumptus displicebant, & terrena alioqui moles firma adhuc, & diu duratura videbatur, solo nihil cunctatus æquauit: quod rimulas aliquot in tam ingenti ædificio contemplatus, ruinam minari, aut iactauerit, aut pro certo habuerit. Satis constat dum parietes fornacei diruerētur, multa ferrea instrumenta, ob murorum duritiem, penitus confracta, & disrupta fuisse. Cœpit illico marmoreum opus assurgere, tam accurata fabrorum arte, vt non modo ædes æternas fecisse videantur, sed vario ornamento & sculptura insignes, & pulcerrimas. Verum est enim quod Pindarus cecinit, operis principio vestibulum quod à longe resplēdeat, apponendum esse. Interea rector patribus Academiæ stipatus, cum è collegio in regis occursum progressus esset, præeuntes eius sceptrigeros, rabduchi regii, qui & ipsi sceptra gerebāt, cōspicati, voce intentiori, vt sceptra submittant, aut deponant inclamant: neq; enim fas esse, vt præsente rege, cuiquam subditorum huiusmodi insignia præferrētur. At humanissimus rex, nihil ea de re maiestatem suam imminui sentiens, vt solito more procedant iubet: musarum inquiens illas ædes esse, in quibus fas poscebat, vt musarum sacris initiati regnarent. Præclarissimo id sanè exemplo factum fuit, non tamen summis principibus inusitato. Nam cum magnus ille Pompeius, vniuersi pene orbis triumphator, aliquando Athenas venisset, atque Posidonium Philosophum doctrinæ opinione eo tempore percelebrem inuisere instituisset, neque enim euocare ad se passus fuit, fores de more à lictore percuti vetuit, & fasces ianuæ submisit, sapientis hominis & eruditi reuerentia. Cum gratias Ximenius Ferdinando regi ageret, pro tam humana erga suam scholam comitate, honorificentiæ & splēdoris plena: Rector ad regis genua iam procumbens, manus osculandas suppliciter petebat, & libenter à rege exceptus, cum aliquid ab eo rogandus videretur, occasionem Rectorem suum honorandi Ximenius nactus minime eam auolare sinens, sic regi dixisse ferūt; Ni tibi, ô rex, molestum est futurum, edisserat rector tua in præsentia, quæ me absente in Academia gesta sunt: & tibi breuiter seriem studiorum recenseat, omnemq; aliam huius suæ reipub. rationem: mihi enim in res diuersas & multas distracto, minus ad id præstandū facultatis aut memoriæ est. Placuit regi humanissimo, vt rector medius incederet, sic enim melius quæ vellet referre, vterq; erat intellecturus. Narrauit ille diserte, quæ ad illud tēpus pertinere putauit, factis nonnullis in ambulatione spatiis ad prima ferme noctis lumina: vnde occasio rixæ inter scholasticos adolescentes, & regios pueros data est. Nam iam vesperascente, pueri regis cum facibus adesse iubentur, qui vt sunt mire petulantes, cœperunt acriter scholasticos iuuenes dicteriis impetere, & cauillis mordere: scholastici vero nec puerorum nobilitate, nec quod in regia essent familia retardati, totidem regerunt conuicia.

cia. Paulatim deniq; ad manus ventum est: & illis scholasticorum facies facibus vstulantibus, his vero fustibus & saxis se vlciscentibus, tantus excitatus est tumultus, & clamor, vt necesse fuerit rem omnem regi aperire. Qui quamuis ad animi motus compescẽdos, & dissimulandos, mire erat compositus, non potuit indignationem reprimere. Et ad Ximenium conuersus, hæc sunt (inquit) præmia meæ semper lenitatis. Nam si isti tui scholastici, cũ primum in regios ministros irreuerenter se gesserunt, fuissent vt merebantur multati, nõ peruenissent ad tantam impudentiam, vt me præsente, in meam familiam tam procaciter irruerent. Dum hæc à rege indignante dicebantur, patribus aliquot literariis curatibus, tumultus ille sedatus fuerat, sed potissimum Bernardini Comitis Cluniẽsis opera. Is enim scholasticis acriter increpatis, & aulicis pueris blande demulsis, qua erat inter vtrosq; authoritate, facile iras conceptas deliniuit: cunctisq; studiosis hominibus, non sine magna voluptate, illius viri pietate grauis imaginem retulit, qui apud nobilem poetam, vulgi sæuientis animos dictis regere dicitur. At Ximenius dolentis vultum præ se ferens, Inest (inquit) ô rex, & formicæ sua bilis: nemo est tam deiecto animo qui se vlcisci, nedum defendere non conetur: sed videt tua maiestas vt subito omnis tumultus est compressus voce viri vnius? Repressit animum rex, & subdolens quod puerorum rixa esset cõmotus, ad hilariores sermones se conuertit: & Academiæ magnificentia, & disciplinarum exercitiis collaudatis, in regiam se recepit. His ipsis diebus, Antonius Nebrissensis Salmanticensis scholæ odio, ad Ximenium quem olim deseruerat, vltro tanquam ad portum rediit, vt in Compl. Academiæ gremio, sine vllo tempestatis metu, quodcunq; æui superesset conquiesceret. Fuerat ad Salmanticensem scholam vocatus, ob mortem cuiusdam Petri Vitinnis, qui primariam grammaticæ cathedram, vt vocant, habuerat. Dignum sua eruditione esse putauit Nebrissensis, in luce illius Academiæ versari, & senectuti suæ consulere, amplissimo & perpetuo stipẽdio suscepto: nec enim dubitabat, quin in sua arte cæteris omnib. esset præferendus. Sed rem longe aliter euenisse sensit: nam cum duos haberet competitores, Ferreram senem, cuius à nobis facta est mentio, & Castellum, qui Ferreræ in eruditione nullo modo erat cõparandus, nedum Nebrissensi. vtrunq; tamen hic longo suffragiorum interuallo superauit. Ergo Helena, quam tres ambiebant, Castello cessit: siue is muneribus, siue pollicitationibus, siue aliis artib. puerorum animos, quorũ suffragiis statur, deceperit. Impatientissime hãc repulsam Nebrissensis ferens, ad Ximenium venit, & patronũ optimum appellauit: sibi deliberatum esse dicens, nunquam à Compluto pedem discedere, quod & præstitit: ibi enim obiit ingenti omnium mœrore, & honorifice sepultus est. Excepit illum Ximenius perhumaniter, & quinquaginta nummum millia, & quadringentos frumenti modios stipendii loco in singulos annos constituit: quod tunc habitum est amplissimum. Meruerat id, & multo maiora, hominis eruditio, cui Hispania debet, quicquid habet bonarum literarum. Ergo quamuis à Ximenio rogaretur vt sibi parceret, genioq; suo indulgeret, post tot in literarum studiis & peregrinationib. labores, non ideo optimus senex à publica bonorum authorum interpretatione cessauit, summa semper auditorum frequentia stipatus. Itaq; ab eo tempore Ximenius tantum honoris Nebrissensi habuit, vt semper illum honorifice appellauerit, & ad se venientem nunquam non exceperit vultu hilari: & quoties ab ædibus suis in collegium veniebat, ad officinam excusoriam, prope quam Nebrissensis habitabat, iter consulto flectebat, & cum eo è fenestra prospectante, longos interdum sermones habebat, vel de rebus quas inter legendum assequi non potuerat, vel de negotiis Academiæ. Sed hoc prætereundũ non videtur, displicuisse Nebrissensi locum quem Academiæ Ximenius quæsiuisset, idq; duplici nomine & quod insalubris ob vicinitatem fluminis & planitiem arcuosam esset (neq; enim probabat Platonis consilium, quo Academiam lyceo præferebat) & ꝙ ad ditionem pertinebat Pontificum Toletanorum, quibus cum assiduæ essent futuræ lites, & de iurisdictione, & de tribuendis beneficiis templi Iusti & Pastoris. His de rebus sub Epiphaniæ diem cum Ximenio per occasionem egisse aiunt: est enim solenne tunc principes viros domi suæ salutare, & boni ominis causa, felicẽ illis annũ nouũ optare: ꝙ clientũ præcipue officiũ est erga patronos. Nã cũ quæreret à Nebrissense, quid sibi de nascente Academia videretur, amplissimã & præclarã esse retulit. Sed duo illa quæ dixit desiderare, locũ sc. corporib. salubriorẽ, & ex patrimonio Ximenii, vt ad eius hæredes transiret. Commotum fuisse Ximenium his dictis constat: sed cum totã secũ rem, demisso, vt solebat, vultu considerasset, hoc tantũ respondit: Ego ô bone, hæc quæ vides fundamenta ieci, & curaui quantũ humana ratione caueri põt, vt sint perpetua, reliquũ est vt Deus opt. max. incrementum addat, & rem suã tueatur: vana enim est hominũ ædificatio, & solicitudo, ni Deus auspex & custos fuerit. Solebant quotannis maiores nostri oratione funebri, & publicis Academiæ exequiis, Nebrissensi, tanquã homini de vniuersa republica benemerito parẽtare, sed quo-

niam id negligentia obsoleuerat, anno M.D.LXII. per rectorem Didacum Lopidem Ocanensem ex patrum consensu decretum est, vt id deinceps instituto olim die instauraretur, venientib. in Ildephonsi æde cunctis Academiæ patribus, & studiosa literarum iuuentute. Qui vero secus fecissent, iurisiurandi violati, quod de rectori obediendo datur, tenerētur. Ergo postquā duo illi viri sunt à Ximenio constituti, Rector sc. & Cancellarius, principes Academiæ, penes quos rerum summa esset, illum annua potestate, hunc perpetua: videbat, hos satis esse eius opinioni facturos, si suo quisq; munere fungeretur. Animaduertebat etiā præceptorum diligentiam, & industriam, ex auditorum frequentia constare. Igitur ad iuuentutis in disciplinis incrementū, & ne copia alimentorū destitueretur, præclaram rationem excogitauit, quinq; tum tēporis collegiis institutis, quibus pauperes adolescentes, alii triennio, alii quadriennio alerentur. Nam cum multi ingenio, & natura ad disciplinas apto priuatarum facultatum inopia, indolem illam, quæ ad virtutis culmen euehere posset, vilibus & nonnunquā sordidis ministeriis, necessitate, grauissimo dæmone, cogente addicerent: ne id accideret, quinq; contubernia parari iussit, in quibus qui rectoris & triumuirorum suffragiis comprobati essent, tempus vnicuiq; designatum diuersarentur. Ædes igitur peramplæ exædificatæ sunt, quarū singulæ peculiari alicuius diui tutelæ sunt dicatæ, à quo & nomen acceperunt. Grammaticorum schola binas suscepit, alteras diuo Eugenio, primo Toletanorum antistiti consecratas, alteras diuo Isidoro Hispanorum indigenæ, ex Gotthico sanguine, cuius admirabilis doctrina multis in rebus rempublicam iuuit. Nam vt concilia in Hispania celebrarentur curauit, & libros cōplures summa doctrina & religione scripsit. Harum ædium singulis, virum morib. & doctrina præstantē præfecit: qui ternos grāmaticæ præceptores, ad puerorum institutionem per classes suas distinctos, conducit. Horum primus rudimentis tradendis, alter prouectioribus instituendis, tertius vtrosq; supergressis, ad elegantiorem rationem, priusquā ad alias disciplinas discedant, formandis, omni cura & vigilantia intendit. Eosdem Latinæ linguæ authores, in vtroq; Grammaticorū collegio, sex illi doctores publice interpretantur: partim vt ipsi mutua æmulatione excitētur, partim vt discipuli de eisdem sententiis inter se agere possint, & animaduertant an sui præceptores idem senserint. Hac collatione & ingenia exercentur, & videntur singuli binos audiisse magistros, & in re maxime necessaria & perdifficili, si quis rem vt par est consideret, non inutiles profectus faciunt. In his collegiis quadraginta duo adolescentes, ex aliorū numero desumpti, triennio aluntur: qui sæpenumero ab initiis illis, ad contubernia reliqua per gradus promoti, victa egestate, in viros magnos & præclaros euaserunt. Horum præceptores, xv. quoque die, vicissim tribus discipulis suorum magistrorum de rebus Grammaticis sententias defendentibus, aduersariis contra impugnātibus, in gymnasium quod maius ob capacitatem vocant, conueniunt: vbi multæ eius disciplinæ difficultates enodantur, pueriq; ex mutua contentione non mediocriter iuuantur. Quoniam vero ad cæterarū disciplinarum cognitionem, permultum interest bene pueros in Grammaticis institui: nullaque maior studiorum pernicies fit, quam si ignoratis linguæ Latinæ fundamentis, conetur quis cæteras disciplinas superstruere, quæ Latine traditæ sunt ab authoribus: hac quoq; in parte sapientissimus Academiæ conditor, curauit vt caueretur. Nam horum collegiorū præfectis, quoties adolescentibus ab vna grammaticæ classe ad aliam transeundum esset, quantum in grammaticis rudimentis profecissent explorare iussit: animosq; eorū non mediocri religione obstrinxit, ne immeritis & parum prouectis, ad maiora progredi concederent. Quod si ad alias disciplinas conscendēdum foret, rectori de examinatore creādo curam dedit. Huic muneri, Francisco Fontinouilla rectore, anno XLII. ab Academia condita, Alfonsus Matamorus Hispalensis, primū est præfectus, vir multiplici eruditione, & Latini sermonis puritate excellens vt ex libris quos hactenus edidit, omnes intelligunt. Hic vnus, ni cum podagra, aliisq; morbis assidue luctaretur, potuit & eloquentiæ studia mirū in modum prouehere, & Academiæ nostræ multo maiori esse ornamento. Dialecticæ & philosophiæ studiis, binæ itidem ædes cōtributæ sunt: alteræ diuæ Balbinæ dedicatæ, cuius titulus Ximenio cardinali facto datus fuit: hæ quadragenos octonos singulis quibusq; annis recipiebant, qui dialecticæ primo anno rudimentis, secundo Aristotelicis de ea re libris, ingenti præceptorum labore, assiduis exercitationibus, per pugnas literarias instituerentur. Alteræ sub diuæ Catherinæ titulo, ad quas tertio quoq; anno è diuæ Balbinæ collegio qui commigrabant, naturalibus & sapientiæ, quam postnaturalem philosophiā appellant, traditionibus pari cura per bienniū instruebantur: hi metaphysici, illi vero physici in Ximenii legibus vocantur. Sed in Balbinæ collegio viginti illi quatuor, qui Aristotelis dialecticæ operam dabant, alios qui rudimentis vacabant, anno antecedebāt: quo temporis spatio, & in Catherinæ metaphysici, physicos præcurrebant. Hac de causa priores illi, vt iam vete-

rani

rani, in ſecundos vt tyrones imperium exercebant: nec ob hoc vlla à principio diſcordia exorta eſt. Atq; ita cōtinua quadam conuerſione illis abeuntib. noui ſuccedunt: quod de pyris hortorum Alcinoi Homerus dixit. Nam quadriennio integro peracto, quod ſemper in cōtinuo curſu eſt, ad nouos præceptores ſtipendia cathedrarum quotānis redeunt. Perpetuo ſub Lucæ feſtū duo præceptores deligūtur, qui toto quadriennio in philoſophica ſchola inſident. Hac nimirum ratione efficitur, vt octo doctores in eadē ſemper area verſentur, qui logices rudimēta, aut Ariſtotelis de eadē arte inſtitutiones, aut libros de phyſico auditu, cęteraq; ad naturalem philoſophiam ſpectantia, aut primam philoſophiam, quam ſapiētiam vocant, incredibili æmulatione docēt. Sic autem octo, quos diximus, doctores diſtribuūtur, vt ſingulis quas numeramus diſciplinis, bini cōtribuātur: quos (vt dixi) regētes appellāt. Singuli duodecim adoleſcētes ex auditorib. ſortiūtur, qui ad has ſodalitates, de quib. diximus, pau pertatis cauſa ſuſcipiuntur. Hi ſuis periodis confectis, primo baccalaureatus deinde licētię titulis donātur: & poſtremo ad quadriēnii finē magiſtrali floſculo (ea eſt merces laborū) inſigniūtur. Cōgrediūtur etiā horum pręceptores, quindenis, vt grāmatici, quibuſq; Saturni dieb, ad ſua placita ſtudioſe tuēda. Ne quid vero otioſum habeatur, proximis poſt præceptorum cōgreſſum ſabbathis, Academia ſpectāte, præceptoribuſq; ipſis rē totā moderantib. diſcipuli quoq; de eiſdē diſputant. Tā ad illas, quā ad has diſputationes frequētiſſima cōuenit Academia: ſemperq; rector, & cācellarius, niſi qui dpiā magni momēti impediat, præſentia ſua diſputātium ingenia excitāt, & ſpectaculū dignius eſſe faciūt. Ædificata eſt & domus alia, titulo matris Dei, vbi ęgrotantes ſcholaſtici curentur: ſed anguſtior facta eſt architectorum negligentia, cum Ximenius vt laxitate cæteras domos ſuperaret iuſſiſſet. Culpabat enim quod in noſocomiis vulgo fit: nam eodem in cubiculo multi diuerſis morbis affecti, & plerumque contagioſis iacent: quos noxiis vaporibus viciſſim infici, & mutuis gemitibus affligi, & vicinorum morte conſternari dicebat: quare de ſecūda conſtruenda cogitauit. Fuit ea domus peropportuna occaſio, vt theologicum ſodalitiū de quo iam Ximenius ſermonem fecerat, felicibus auſpiciis inſtitueretur. Nam cum Ildephonſi ædes Theologis hominib. parata eſſet, iiſq; ſimul reip. literariæ cura demandaretur, nec eſſarium eſſe videbatur, collegiū aliud à reliquis ſeparatū cōſtituere, vbi aliquot iuuenes ſtudioſi, ab omni cura vacui, Theologiæ perdiſcēdæ liberius attenderent, indeq; in Ildephōſi cōmigrarent. Interea tamen dum id efficiebatur, nōnulli ad eam rem delecti ſunt, qui per aliorum contubernia hoſpites ſine certis larib. alebantur: donec ſexto ab Academia cōdita anno, Fernando Balbaſio rectore, hanc de qua diximus matris Dei domum, viginti quatuor ſodales ſunt tranſlati, quorum decē & octo Theologiæ, reliqui ſex medicinæ vacarent. Hoc genio adeo felici factum fuit, adeoq; in ea duarū pręclariſſimarū diſciplinarū ſtudia egregie tractātur, vt ſingulis quibuſq; quadriēniis (nam id tēpus ad cōmorandū datur) veluti quędam exactiſſima officina, bonos artifices educat, qui partim in Ildephōſi collegium ſuffecti, partim ad alias ſcholas, aut ad principes viros vocati, magno cū aliorū fructu doctrinæ ſuæ documenta proferant. Hic legūlatoris prudentia, antequam ad alia prætereo, notanda eſt: qui cum in eo collegio veluti ludū quendā inſtitueret, in quo Theologię & Medicinæ ſtudia per gnauos athletas, huic rei duntaxat deſtinatos, exercerētur: neminē ad id admittendū cauit, q̄ ad licentiatus (vt vocant) gradū, in liberalib. diſciplinis nō peruenisset: cū alioqui vel mediocriter in dialectica inſtructū in Ildephonſi ſuſcipi permiſerit. Satis enim ſua amplitudine hāc eſſe tutā vir prudēs pręuiderat: aut certe in tāta illius collegii maieſtate, nouis ſubinde negotiis emergētib, nōnullos requiri, qui nō tā literarū præſidio, quā rerū agēdarū dexteritate pollerēt. Poſteri tamē, quos lōga rerū experientia quid ſit factu cōducibilius docuit, neminem ad Ildephōſi admittūt, niſi probe in Theologicis verſatū, aut qui publice aliquā eius diſciplinę peritiā exhibuerit. Ne quid tamen Ximenius vir officii plenus videretur prætermiſiſſe, Franciſcani ordinis, cuius ipſe olim inſtituto ſeſe addixerat, inter hæc quoque ratione habita: intra collegium Ilde phonſi, dignitatis ergo loco per accōmodo, & ab habitatione collegarū diuiſo, ædes alias ædificandas curauit, vbi tredecim monachis, duobuſq; eiuſdem ſodalitatis miniſtris, victui neceſſaria prout in lege de hac re data habetur, ſuppeditantur: qui ordinis ſui multis exoluti laborioſis præceptis, vni literarum ſtudio vacāt. Dedit Ximenius in ea lege pietatis ſuæ egregium teſtimonium. Nam quoniā (inquit) huius religioſi collegii condendi conſilium ea de cauſa à me ſuſceptū eſt, ne diui Franciſci in hoc oppido cœnobium Academiæ occaſione, ita magiſtris prouincialibus iubentibus, ſcholaſticos ſodales habere cogatur, qui nimirum literariis exercitiis monaſterii ſilentium & tranquillitatē interturbent: ſi quando in eo vltra duos vel tres qui grammaticā diſcant, verſari contigerit, nunc tredecim illi è collegio pellantur: ac eorū loco laici ſacerdotes per rectorē & collegas ſufficiantur. At Academia in amplitudinem, quam

quam nunc habet,creſcente,ea legis pars mitiori ſententia correcta fuit.Nā ingens numerus monachorum literarum gratia ex vniuerſa Hiſpania in cœnobium recipitur. Credibile enim eſt,Deo eſſe pergratum,in vtroque hominum religioſorum cœtu ſapientiam vna cum pietate exerceri. Huic de quo diximus Franciſcanorum ſodalitio,Apoſtolorum Petri & Pauli titulum ob eam rationem dedit,quoniam vt ex Arteagæ epiſtolis,qui Ximenii procurator apud ſummum Pont.fuit,conſtat eo tempore quo Leo x.Pont. Max. xxxi. Cardinales creauit,conſilium Ximenio fuit de S.Balbinæ titulo mutando,proque eo baſilicæ Apoſtolorum Petri & Pauli intra vrbem aſſumendo:& quod is titulus ſummi honoris in vrbe eſſe ſoleat,& quod ea baſilica cœnobium Franciſcanorum,religione & dignitate præclarum eſſet. Is autem titulus anno eius ſeculi xvii. menſe Iunio, in eo ſenatu quo Cardinales ſunt creati,per Sum.Pont.Ximenio conceſſus fuit. Sed Arteaga, quod nihil certi de Ximenii ſententia ſuper ea re haberet,nihil voluit inconſulto patrono conſtituere. Quamobrem Pont. Max. proximo ſenatu eum honorem Cardinali Columnæ contulit: affirmabat enim,ſuo Ximenium contentum eſſe.Ximenius tamen ea de re ab Arteaga certior factus,ſe libenter admittere reſpondit,dum putat adhuc rem eſſe integram. Ob hoc ergo,illius baſilicæ titulum Franciſcanorum collegio,quemadmodum dialecticorum Balbinæ,tribuit.Cum poſt aliquot dies Arteaga Ximenii voluntate cognita, titulum baſilicæ apud Pont.Max.poſtularet,magiſtrum cæremoniarum adire iuſſus,libro in quo tituli Cardinalium prænotantur,producto,Cardinali Columnæ fuiſſe datum inuenit. Quare multū ob id cum magiſtro cæremoniarum expoſtulans, tandem re infecta domum abiit : adeo ſemper rebus paratis dilatio noxia fuit.Horum contuberniorum cura,rectori & triumuiris eſt commiſſa:neq; aliorum quam ipſorum ſuffragiis, ad ſodalitatum iura candidati admittuntur, præter nonnullos, qui patronorum Academiæ voluntate aſſumi debent, aut certorum hominum,aut ciuitatum,quibus Ximenius,vtpote ſibi caris,aut propinquis eam facultatem dedit.Suæ vero Academiæ patronos & vindices,quorum fauorem in rebus arctis & difficilibus Complutenſe gymnaſium imploraret, quinque potiſſimum eſſe voluit, Hiſpaniarum regem,ſanctæ Balbinæ Cardinalem,Archiepiſcopum Toletanum, Infantatus ducem,& Clunienſem comitem.Ratio autem ſatis conſtat,cur quos retulimus patronos nominauerit.Nam reges ſemper oportet propitios habere : Toletanum vero Archiepiſcopum,quod Complutum eius eſſet ditionis,& plurimum poſſet Academiam iuuare ſi literas amaret.iam vero è re Academiæ eſſe ſciebat,habere Romæ protectorem, qui apud Pontificem Maximum,ſi quando vſus poſtulaſſet,eius cauſam ageret,& ſimul titulum quē geſſerat,quodammodo illuſtrare voluit:Mendozios vero tam ducē,quam comitē, partim quia ob vicinitatem præſto eſſe poterāt Academiæ laboranti, partim ob affinitatem cum ea familia contractam.Factū eſt ergo tot collegiorū ædificatione,vt eorū veluti eſca adoleſcētes ſtudioſi illecti,frequētes in Academiā vndecunq; cōfluerent:nā vnius prębendę(vt vulgo appellatur)cauſa,quadraginta aut amplius ſcholaſtici cōueniūt.Idcirco cū eā peropportunā eſſe occaſionē Ximenius videret,ad cōtinuum incremētum & frequētiā ſuę Academiæ,vir prudentiſſimus ita ad verbū in lege de collegiis pręcepit.At ſi tātum incrementi Academiæ reditus ſuſceperint, quod præter has ſodalitates, alia adhuc collegia extrui poſſint, poſſeſſiones & cenſus emantur,atq; ad ſtudioſos iuuenes alendos,citra vllum præfinitum numerum nouæ ædes perpetuo inſtituantur. Hiſce igitur collegiis inſtitutis,vnde veluti per gradus,ad Ildephonſi aſcenditur, nouiſque ſubinde columnis, ſine vllo vnquam ruinæ metu,Academia fulcitur: præter aſſidua exercitamenta,quæ pro cuiuſque diſciplinæ ratione inter ipſos ſodales habenda legibus ſuper ea re latis ſancita ſunt, collationem titulorum(quos gradus appellāt)Pariſienſis Academiæ exemplo faciendam eſſe, duabus legibus,quæ de licētiis vocātur,ſanxit.Nā cum apud omnes Academias,quæ ſapientum virorum cōſilio conditæ ſunt,poſt abſolutos labores,qui in diſciplinis percipiēdis tolerātur,tituli quidam honorum propoſiti ſint,quibus veluti mercede & pręmio ſtudioſi iuuenes cōdecorati,maiorē authoritatem & celebrius nomen aſſequantur:Pariſienſis ſcholæ conditores æmulationem Heſiodicam probātes,in tribus potiſſimum diſciplinis,quæ magis difficiles & neceſſarię videbantur,Philoſophia, Medicina & Theologia,non quidem peracta doctrinarum curricula,quæ ſingulis diſciplinis abſoluendis propoſita ſunt,ſed vniuſcuiuſque viri laborem & induſtriam contemplandam eſſe cenſuerunt. Proinde in liberalibus diſciplinis,vno duntaxat confecto luſtro, eiuſdem claſſis adoleſcentes per viros doctiſſimos examinantur,& catalogus quidam pro cuiuſq; peritia cōſcribitur,omnium, qui ad eā rē nomina ſua dederūt.Exploratione autē peracta, Academię patrib.cęteraq; iuuētute pręſentib.graui præconis voce,ſuſpēſis accētibus catalogus quem dixi recitatur.In Theologia idipſum,ſed grauius & accuratius fit,& non niſi duobus luſtris peractis,in quorum ſecun-

do di-

do diuersis actibus (quos vocant) & conflictibus Theologicus miles publicè examinatur. Ergo adeo variis quæstionibus quas Theologi patres ex lege proponunt, pertentatur, vt necesse sane sit doctrinam non vulgarem sibi comparauerit, si aptè respondere velit, dignusque tandem illo ordine censeri, quo nihil habet Hispania nostra grauius. Sed cum omnes hi actus, sint ei qui patrum iudicium subit pertimescendi, illa certe actio quæ à collegii appellatione Alphonsina dicitur, vt Parisiis Sorbonica, longo interuallo cæteras vincit. Nam secundo quoque sub extremum Aprilem anno, ab hora ferme diei secunda, vsq; ad vndecimam protenditur. In hac qui sui periculum vt fiat poscit, longa quadam commentatione, eaque, prout quisque valet, eruditissima, placita sua antiquorum patrum testimoniis confirmat, multa etiam ex recentioribus adducit, si qui de illis quæ tractat scripserunt. Ingens silentium, & animorum intentio est, ad eum audiendum, donec finem dicendi facit. Ergo cum satis sibi visus est dixisse, difficiles quæstiones contentione acerrima explicantur: prorsusque, iuxta Menandri dictum, dies ille vel calumniam, vel gloriam, respõdenti parit. Liberi prorsus fiunt ab arena literarum athletæ Theologi vltimo secundi lustri anno, Calendis Nouembribus. Statim sub eiusdem mensis idus, nisi causa aliqua grauior retardet, in theatro congregantur: sic enim vocant locum in Academia capacissimum, quadrata figura, multis vndique septũ gradibus, tecto laqueato à cæli iniuriis tutum, multis tamen à superiore parte fenestris lucem admittentibus, per quas etiam prospicere licet, quæ in theatro geruntur. Nam & comœdiæ ibi recitantur, & orationes habentur, quæ frequentiam auditorum desiderant. Ergo ad hos in theatro (vt dixi) congregatos nuntium cancellarius mittit, qui longa & eleganti oratione, comitiorum diem, in quo licentiæ, vt vocant, gradum, ad Theologicum apicem obtinendum prope adesse nuntiat: atque de Theologiæ, deque competitorum laudibus oratione habita, epistolium singulis porrigit. Illi vicissim respondent, labores suos & vigilias enarrantes. Res est cumprimis spectaculo digna, magnoque vtrinque apparatu agitur: nam & nuntius scenici viatoris habitu, tubis hinc inde raucum incinentibus, à cancellarii domo in theatrum iter facit, cuius gradus omnes à confessoribus iam sunt occupati. In eius medio orchestra erecta est, vbi competitores stantes visuntur, causam suam studiose acturi. Postridie eius diei, totius Academiæ concursu, in ecclesiam Iusti & Pastoris conuenientes, illam præconis vocem inter spem & metum constituti, expectant. Nam rector & cancellarius, Theologiq; patres in secretiorem locum magna religione ingrediuntur, vt iudicium de competitoribus ferant. Ingens est interea populi studiosi solicitudo: nam prout quisque huic, aut illi fauet, ita varii rumores sparguntur: & quo nostri homines repulsam impatientius ferunt, eo acrius studiis diuersis incenduntur. Progreditur tandem ordine amplissimo Theologicus senatus, & post omnes cum rectore cancellarius, in manu catalogum coronandorum tenens. Prænotantur singuli progredientium vultus, vnde sæpe euentus diuinatur. Sed nonnunquam per arcanos amicorum nutus, competitores suam sortem intelligunt, & magnam solicitudinis partem deponunt. Hic rursus animi omnium eriguntur, competitoresque ipsi pallentibus genis ingeniorum iudicium, in quo qui velit cedere rarus esse fertur, tremebundi auscultant. Facto itaque per præconem silentio, animis ambientium, oratiuncula per cancellarium de more confirmatis, fusca voce, & trepidanti sono, catalogi seriem inclamare præco incipit: Sequitur ordo licentiandorum, in sacra Theologiæ facultate, & cætera quæ in eo decreto conceptis verbis, donec ad seriem ipsam deueniatur, dicuntur. Tubæ interim classicum canunt, totusque locus terrore plenus, præsentium animis stuporem incutit, mireque iuuenum mentes inflammat, ad similes honores cum dignitate & gloria consectandos. Ita quoque alternis annis & medici faciunt: sed eorum schola tam numero candidatorum, quam pompæ maiestate & apparatu, à sacro Theologiæ gymnasio, vt æquum est, vincitur. Iam statim ab ipsis Academiæ primordiis magnum quoddam odiorum seminarium, promptamque seditionibus materiam, eum ordinem titulorum fore apparuit. Nam cum Ximenius sexto ab Academia condita anno, in dies magis ac magis numero scholasticorum crescente, primum Theologorum catalogum recitare iussisset, volens sua præsentia rem grauissimam condecorare, & simul animos studiosorum iuuenum accendere, conuocatis ad se competitoribus, qui nouem tunc fuisse feruntur, in templum Iusti & Pastoris, promiscua scholasticorum & indigenarum multitudine, quæ ad nouum spectaculum frequentissima conuenerat, processit. Medius inter rectorem & cancellarium Antistes sedit. Duo è regione subsellia candidatis erant posita: è quorum posteriore in anterius, quod prope aderat, iuxta seriem à præcone pronunciandam sedendum illis erat: qui mos in hunc vsque diem durat. Contingit autem plerunque, vt qui studii antiquioris causa, in posteriori scamno primarium locum occupat, in anteriori po-

ſtremus ſedeat: quod grauiſſimum ignominiæ & dedecoris genus inter ſcholaſticos habetur. Ille ergo cui hoc accidit, pudore victus, lucem & hominum conſpectum vitat, donec paulatim dolor euaneſcit, dieiq; illius obliuio ſubrepit. Erat tunc competitoribus Ximenii præſentia, non minus dignitatis quam formidinis & anxietatis cauſa. Nec enim ſolum honoris certamen, ſed præmiorum & diuitiarum erat: quoniam res apud patronum gerebatur, à quo ſingulorum fortunæ pendebant. Primus ergo omnium applauſu, Ferdinandus Balbaſius vocatus eſt: qui etſi rectoratus præclare ante annum geſti, aliarumq; rerum ratione innotuerat, eo teſtimonio egregie commendatus, illam authoritatem quam ſupra diximus, apud Ximenium quoad vixit retinuit. Viuit adhuc optimus ſenex, Academiamque noſtram venerandis canis illuſtrat. Mihi certe ad has commentationes ex dignitate abſoluendas, Dei ſingulari beneficio ad hunc vſq; diem ſeruatus videtur. Erat igitur inter competitores quidam Valladarus, vir non contemnendus, & ſacri ſermonis egregius eccleſiaſtes, qui cum tardius quam pro eius opinione ad anterius ſubſellium vocaretur (octauus enim appellatus eſſe fertur) adeo grauiter moram illam tulit, vt totius corporis cõuulſionem ex concepto timore ſit paſſus, & tandem ad ſedem deſignatam occupandam ſurgens, madidum locum multa vrina reliquerit. Notauit Ximenius rem omnem, & inde digreſſus cum Theologis patribus egiſſe fertur de abroganda illius iudicii ſeueritate, aut in leniorem formam transferenda: variis ſententiis eorum quos ad rem differendam adhibuerat dictis. omnes fere non eſſe mutandum iudicii ordinem ſentiebant. Vnus Ximenius mitius eſſe omnino agendum putabat, & hanc ſententiam dixit. Si duo (inquit) cõpetitores duntaxat fuerint, ad ſecretam illam curiam, vbi patres Theologi cõgregantur vocati, iudicum ſententiam auſcultent, publice tamen ſimul appellentur: ſi vero tres, publice quidem primus vocetur, reliquis duob. ſimul appellatis: atq; ita pro numeri ratione, paucis aliquot per ſeriem vocatis, reliqui adeſſe promiſcue iubeantur. Vicit tunc Ximenii authoritas, negotiumq; Ioanni Raedo canonico Toletano commendatur, qui vnus ex iudicib. cauſarũ põtificalium erat, quos vulgo Rotæ auditores vocant: ſed morbo ex quo periit occupatus, cũ nihil ſuper ea re agere potuiſſet, Ximenio interea perſuaſum fuit, maximum momentũ ad excitandos iuuenum animos, in ea ſerie eſſe, & nõ ſine graui ſtudiorum iactura in aliam faciem aliquando mutãdam. Itaq; prudẽs antiſtes aliorũ cõſilium ſuo prætulit. Valladario tamẽ in cõtumeliæ ſuſceptæ ſolatium, opimũ ſacerdotium benigniſſime donauit. Fuiſſet ea Ximenii ſententia proculdubio aptiſſimum remedium ad molem diſcordiarum euitãdam, quam poſtea nõ ſine Academiæ detrimento ſæpe ſumus experti. Tot ergo collegiis ædificatis, & tot incitamentis ſtudiorum propoſitis, nihil iam ad lętiſſimam ex Academia meſſem, vbereſq; fructus reportãdos deeſſe videbatur. At Ximenius omnib. animantibus natura inſitum animaduertebat, vt de rebus ad viuendum neceſſariis cura quadam peculiari teneantur, quæ multo acrior humanis mentibus innaſcitur. Homines enim nõ ſolum præſentem victum curant, ſed de futura ſenectute ſoliciti ſunt. Ne igitur qui literarũ ſtudia ſectantur, hac cura de victu parando afflicti, minus diſciplinis vacarent: attentius cogitare cœpit, quanam ratione ſtudioſorum animis tam grauem ſolicitudinem eximeret. Cũ ergo ſuam Academiam ex viris theologis potiſſimum conſtare animaduerteret, quorum ſtudia ſunt magis ad pietatem & veram ſapientiam, quam ad vllum lucrum intenta: nam vt Dionyſius Vaſquius dicere ſolebat, ſacrilegio proximum eſt ex theologia opes expectare: non ceſſabat Ximenius hac de re inter familiares agere. Accidit vero vt cum Adriano Florẽtio Traiectenſi, qui poſtea Pont. Max. creatus fuit, loqueretur, inciderit mentio de Academia Complutenſi, & ſe Ximenius prandium quidem paraſſe ſatis opiparum ſuis conuiuis dixit, non tamen hactenus aſſecutum quemadmodum illis cœnam etiam daret. Quęſiuit Adrianus quid per cœnam intelligeret: cui Ximenius, Theologi (inquit) mei quandiu in collegiis quæ exædificaui verſabuntur, habebunt vnde viuant, ſed cum ſenuerint, aut cũ peractis ſtudiorum curriculis Academia relinquenda erit, nondum ſatis commodã inire rationem potui, vnde victum habere poſſint. Collaudauit Adrianus Ximenii curas ſemper ad bene merẽdum de ſtudioſis intentas, ad id tamen quod cogitabat Louanienſis Academiæ rationẽ peropportunam eſſe affirmauit, in qua Lamberti comitis beneficio, diui Petri templum religioſis & doctis viris præclarum, ſacerdotiis dotatum eſt, quæ in eius Academiæ magiſtros pro titulorum antiquitate diſtribuuntur: cuius & ipſe quoq; Adrianus Theologici tituli cauſa eo tempore Decanus haberetur. Tametſi initio cũ id gymnaſiũ per Ioãnem Brabãtiæ ducẽ, Antonii filium, anno ab orbe ſeruato M.CD.XXVI. cõditum eſt, nullus locus theologis fuiſſet. Pergrata fuit Ximenio Adriani ratio, viamq; illã cõmodiſſimã eſſe ſtatim iudicauit, & ad Compl. Theologorum indigẽtię ſubueniendũ, & ad ſcholę frequentiam adaugendam: præſertim cum pluſquam dimidiũ negotii, ſi vera vulgaris ſententia,

tia, ex Alphonsi Carrilli Toletani Archiepiscopi liberalitate confectum esset, qui huic rei peraptum principium dedisse videbatur. Is enim vt erat animo excelso, Iusti & Pastoris suo tempore parochialem Compluti ædem, quam olim pii homines in beatissimorũ martyrum memoriam, pauperem sane & humilem, prout illa tempora ferebant, exædificauerant, collegiatam (vt vocant) fecit, incitatus loci religione, in quo duo inclyti germani fratres pro Christi fide ceruices securi Romanæ supposuerunt, sæuientibus Diocletiano & Herculio Augustis in Christianos per totum Romanum orbem. Fuit autem hæc persecutio decima, vt scribit Eutropius. Seruatur adhuc à Complutensibus lapis prægrandis, illorum puerorum sanguine respersus: pueri enim erant, vix ad olescẽtiam ingressi, cum à Daciano prouinciæ præside vt ducerentur iussi sunt, & in campo, qui laudabilis (vt historię ecclesiasticæ tradunt) vocabatur, violatæ Romanæ superstitionis pœnas dederunt. Horum martyrum reliquiæ, annuente Pio v. Pont. Max. votis & efflagitationi Philippi II. Hispaniarum regis Catholici, ab Osca Aragoniæ vrbe, Complutum sunt translatæ. Quo nonis Martiis anno salutis humanæ M.D.LXIIX. desideratissimæ peruenerunt. Receptæque sunt incredibili Carpetanorum omnium lætitia, & nostræ Academiæ & Ecclesię, quæ iam olim Iusto & Pastori, magno illorum merito, dicata fuerat, memorabili apparatu, & pompa nobilissima. Ergo Carrillus à Sixto IIII. Pont. Max. facultate impetrata, viginti sex sacerdotes instituit, quorum septem vocantur dignitates, inter quas præcipua est abbatis: Ex XIX. autem qui superant, duodecim sunt Canonici, & septem portionarii. Templum vero male sartum, & muris fatiscentibus humileq; vt erat, reliquit, cum omnem curam ad cœnobium Franciscanorum exædificandum transtulisset, vbi se humari voluit. Eam igitur commoditatem ad Academiam tanta cum amplitudine adaugendam Ximenius nactus, à Leone x. Pont. Max. omni diligentia & liberalitate obtinuit, vt Compl. Academiæ, templum Iusti & Pastoris contribueretur, cuius sacerdotiis, quæ beneficia vocantur, rectore procurante, Theologiæ & liberalium doctrinarum magistri nullo impediente potirentur. Hac enim de causa aureorum nummorum centum & quinquaginta millia in Vzedana arce seposuerat, vnde decem & septem canonici sacerdotes, duodecim itidem portionarii postea sunt additi. Theologi ergo in Canonicos, Philosophi in portionarios, prout quisque in titulis præcesserat, per rectorem & triumuiros cooptati, à rege tandem assumendi sunt: ad cuius tutelam iure, quod patronatus vocant, ea omnia pertinere voluit. Templum autem ad Toletani imaginem, si licet magnis parua componere, spatiosis fornicibus extruendum curauit. Lucem, re nulla luminibus obstruente, sic admittit, vt mira sit semper totius fani hilaritas, quæ in templo Toletano desideratur. Ad serta tecta perpetuo conseruanda, plusquam mille nummos aureos in singulos annos reliquit. Inuenio in Artheagæ epistolis consilium Antistiti fuisse, vnam ex præbendis iuris Pontificii professori dare, ne Theologi sacerdotes ex iuris ignorantia causas perderent, sed haberent domi certum & fidelem patronum, quẽ possent consulere. At quo minus id fecerit, leges à se de rebus Academiæ datæ, in causa fuerunt. Nam iuris Pontificii professori ad absoluendam illius disciplinæ periodum, quadriennii tempus præfinitur: quo peracto, cũ sese munere profitendi abdicet, sacerdotio quoq; abdicari, quod alioqui perpetuum cõfertur, necesse erat. Nũc autẽ ad duodecim illas præbendas per Alfonsum Carrillũ institutas, pontificii iuris periti nonnunquam admittuntur. Nã cum Archiepiscopi qui Ximenio successerunt, Carrillana sacerdotia ad suã curã pertinere, cũ Academia strenue cõtendissent, regis opera tãdem pactum est, vt alternis per singulos mẽses imperiis, in demortuorũ sacerdotũ locũ, aut alio quouis modo ab eo tẽplo abeuntiũ, Toletanus Põt. siue Theologũ, siue iuris põtificii peritũ, qui aut apice doctorali cohonestatus, aut facultatẽ ad eũ obtinẽdum in aliqua ex quinq; Academiis cõsecutus fuisset (hę autẽ sunt, Parisiẽsis, Bononiensis, Salmanticensis, Cõplutensis, & Vallisoletana) Rector vero Cõplutẽses magistros, iuxta seriẽ titulorũ sufficeret. Trecenos nũmos aureos in annos singulos sacerdotes canonici, quinquagenos portionarii percipiũt, summã quidẽ non admodum amplã, verũ quæ literatis hominib. sit satis: nã mediocritas illis maxime est optanda, qui se sapiẽtię studiis addixerũt. Certe modicis illis prouentib. tranquille & beate vitam agũt, & sępe opulentiorem fortunam oblatam contemnunt. Est sane collegium illud omni dignum reuerentia, & à cordatis viris suscipiendum. Nam tituli quos tot laboribus pepererunt, & menta incana, & totius corporis macies, quam nimio studio contraxerunt, & habitus ipse nulla industria, sed sola sapiẽtia & virtute formatus, vel barbarorũ immanes animos ad sui veneratione flecterent. Carolus v. Romanorum Imperator, in quo præter cęteras virtutes, quæ in illo heroe fuerunt maximæ, hoc etiam posteritas semper est laudatura, quod bonis ingeniis & doctis hominibus plurimum detulit, cum aliquando Complutum venisset, & in eo templo sacris adfuturus, Cæsareum puluinar ad aram maximam

stratum offendisset, illo deserto ad chorum sacerdotum processisse fertur, interq; eos priuatus consedisse: eius diei hanc se perdere nolle gloriam dicens, vt tot eruditis & praeclaris viris etiam sit Carolus Cæsar annumeratus. Ad octauum idus Augusti, qui dies Iusto & Pastori apud nostros sacer est, Ildephonsi collegæ ad sacram ædem veniunt, alternique inter sacerdotes sedent, & sese inuicem contuentes, illi ob tales successores sibi gratulantur, hi virtutum illorum æmuli, ad illos exæquandos, aut si licuerit vincendos accenduntur: tacitisque animorum sententiis Laconicum illud carmen vicissim sibi occinunt, Nos fuimus olim strenui iuuenculi: præstantiores nos futuri olim sumus. Hi Canonici sacerdotes rectori per omnia obtemperant: cui tantum in eorum vitam inquirere licet: quod Archiepiscopis Toletanis inuidiosum semper fuit. Senatus doctorum Theologorum, quoties aliquid decernendum est, quod ad eorum gymnasium spectat, per rectorem cogitur: quod & in cæteris disciplinis, earum publicis professoribus & laureatis accersitis, fit. Interim rector priuatum cum solis Ildephonsi collegis, singulis semel mensibus, secundum Ximenii legem, senatum habet: in quo de iis quæ ad singulas disciplinas pertinent agitur, relatis per rectorem, quæ prius cum professoribus & laureatis tractata fuerant. Et si qui munera sibi commissa grauiter exercent, hoc in loco adauctis salariis cohonestantur: si qui vero remisse & negligenter, ni reprehensi sese excitauerint, iuxta Ximenii de electione professorum legem, sine vlla prouocatione seuerissime ordine pelluntur. Multa sunt adhuc ad reip. literariæ gubernationem sancte & prudenter à Ximenio instituta, de quibus dicere supersedeo, quoniam (vt dixi) non ita pridem publicis typis excusa sunt, vbi totius Academiæ mo- 2
res, & egregiam ex Ximenii effingentis studio imaginem, qui harum rerum voluptate ducitur, non sine animi delectatione contemplabitur. Sed nos ad Academiam nascentem redeamus, cuius is fulgor statim fuit, vt Hieronymiani gymnasii collegium, quod in suburbano Seguntiensi ius & priuilegia publicæ Academiæ tenet, collegæ ipsi, post mortem Ioannis Lupi Medinensis Almazani Archidiaconi, qui illud condiderat, Complutum transferre, & Complutensi Academiæ adiungere conarentur. Ximenius tamen migrationem illã, tametsi rationibus suis peropportunam, omnino prohibuit. Quod si quis causam requirat, Ioannes Vergara hanc fuisse scripsit. Fuit olim Ximenius Seguntiensis ecclesiæ capellanus maximus, & tunc huius Archidiaconi, viri singulari morum integritate atque prudentia præditi, familiaritate in primis vsus est. Indignum ergo esse amicitia inter vtrunq; vicissim
culta homo officiosus existimauit, si carissimi hominis memoria ex coniunctione Acade- 3
miarum periret: quod euenturum minime dubitabat. At Salmanticensis schola sui gymnasii solitudinem è diuerso metuens, Lunam iuris pontificii doctorem, & magistrum Ortegam philosophiæ professorem ad Ximenium legatos misit, qui ab eo obnixe efflagitarent, vt suam illam literariam remp. ad Academiam Salmanticensem transferret: vt è duobus tam celebribus & inclytis populis, vna tandem schola coalesceret, quæ non modo Parisiẽsem esset obscuratura, sed antiquæ Athenarum gloriæ æmula & æqualis euaderet. Meminisset quod ab Antonio Nebrissensi, homine doctrina & prudentia claro, non ita pridem, (vt acceperant) dictum esset, perpetuas fore cum Pontificibus Toletanis Academiæ Complutensi lites: & tempus tandem aliquando futurum, quando omnia eius decreta & leges, 4
aut Archiepiscopis ipsis curantibus, aut hominibus Theologis parum quid esset faciendũ prospicientibus, abrogarentur. Quod proculdubio euitaretur, si petitis annueret, & diuinitus oblata occasione vti vellet. Siquidem Salmanticẽsibus, ex iuris vtriusq; peritia, in qua id gymnasium florentissimum esset, consilium ad eos conseruandos non defuturum: & ob ditionem in ea vrbe regiam, nullam cum æmulis Archiepiscopis controuersiam, aut contentionem habendam. Quod si hæc fortasse contemneret, vtpote in temporis venturi ambiguitate posita, geniumq; suum pręstantiorem esse existimaret, quam vt quid tale vnquã timeretur, saltem loci situ insalubri deterritus, quod & Nebrissensem addidisse fama erat, sese exorari sustineret, desineretq; tandem, vnica duntaxat camporum amœnitate captus,
qua vernantibus agris spatiosa planities alliciebat, bonorum ingeniorum commune sepul- 5
chrum condere. Quod se non infausti ominis causa dicere aiebant, sed vt omnia obstantia tanto principi proponerent, & ad vnam vrbem sapientiæ ædificandam, quę parem nunquam habuisset, aut habitura foret, eius animum mouerent. Hoc autem vnicum eis propositum esse, vel ex eo cognoscere posset, quod pręter communis gymnasii ius, id enim ad publicam quietem erat necessarium, nihil amplius ab illo peterent. Ad eam Salmanticensium legationem Ximenius hoc vnum respondisse fertur: libenter se quidem conditionẽ accepturum, modo in ea intra vrbem planitie quę ad ędem Franciscanam est, suam sibi Academiam exędificare permitterent, quę Parisiensis instar, suo iure & rectore fruens, propriis legibus gubernaretur. Id Salmanticenses apertam esse repulsam intelligentes, re infe-
cta, ad

cta ad suos redierunt. Inter alia multa quæ sunt per Ximenium præclare suscepta & confecta, duo sunt in oculis omnium posita, Academia Complutensis de qua hactenus egimus, & bellum Africanum de quo nunc sumus dicturi. Visum est enim has duas res maximas eodem volumine complecti, vt quantum vir egregie cordatus, pace & bello valuerit, ex earum inter se collatione planum fiat. Sed vt fidem nostræ narrationi omnes habeant, aliqua de eius viri ingenio, & de causis quæ eum ad id bellum impulerunt, necessario præfanda esse duxi. Ita enim admiratio, quæ ex rerum magnarum narratione nascetur, apud homines prudentes est vanitate caritura, si veris rationibus se persuaderi intelligant, nihilque nos domi nostræ natum ad res exaggerandas afferre. Ergo Ximenium animo excelso & magno fuisse, nemo qui paulo accuratius gesta ipsius considerauerit, inficiari poterit. Nam vt cætera in præsentia non commemorem, quo tempore Academiæ construendæ & exornandæ intentus erat, & eam rem solum curare videbatur, longe diuersis curis distractus bellum etiam aduersus Africam meditabatur, deq; eius apparatu, instrumentis, & ordine, cum rege per certos homines, & per literas agebat, donec re ad effectum perducta, voti sanctissimi compos factus fuit. Nescires ad quam rem ille propensior natura esset, disciplinis prouehendis, & pacis muneribus obeundis, an potius bellicis studiis exercendis. Nam qui tot literaria monumenta de quibus egimus animo reuoluerit, qui tot librorum excusiones, tot cœnobia exædificata, tantam reip. in officio continendæ curam conspexerit, togæ proculdubio tantum cultorem fuisse credet. Ego tamen dum vniuersas eius actiones comparo, magis ad bellica exercitia à natura effictum esse iudico. Erat enim vir animi inuicti & sublimis omniaque in melius asserere conantis, & mirabili solertia à natura præditus: & qui persuasum haberet, non alia ratione animos humanos imperia aliorum laturos, nisi vi facta aut adhibita. Quare pro certo affirmare solebat, nullum vnquam principem exteris populis formidini, aut suis reuerentiæ fuisse, nisi comparato militum exercitu, atque omnibus belli instrumentis ad manum paratis. Dedit huius rei præclarum argumẽtum, cum Hispaniæ gubernandæ præfectus, hoc de quo agimus in primis cauit. Quo quidem tempore veteranos milites dixisse certum est, nunquam antea militares viros tanto in pretio vel honore habitos, aut stipendia certius ad diem illis fuisse numerata. Sed hoc nostrum de eo iudicium ex Africano bello certum esse, luce clarius (vt existimo) apparebit. Quod si illustriora monumenta sunt quæ ille ad pacem pertinentia reliquit, fecit id suæ vitæ institutum atq; sacri Pontificatus persona, cui nihil minus quam vulnera & cædes conueniunt, & totus ille tumultus quo Mars & Bellona gaudent. Quod si vitæ diuersum genus siue sors, siue potius Deus dedisset, summis ducibus fuisset proculdubio annumerandus. Sed nos ad huius belli causas explicandas veniamus. Venit in Hispaniam (vt dixi) Hieronymus Vianellus, vir industrius, & rerum Africanarum in primis peritus: sunt enim Veneti cum distrahendis, tum importandis mercibus, rebusq; aliis ad vitam vtilibus vniuersi intenti, & in cunctas fere orbis regiones penetrant, vnde multorum vrbes & mores notos habent. Is ergo cum Ximenii animum ad bellum contra Africam suscipiendum ex eius sermonibus propensum cognosceret, cœpit cum eo de portubus, stationibus, atque de vniuersa maritima ora, quæ Hispaniam spectat, agere: sed potissimum quanam ratione portus ille magnus, quem ea de causa Mersalcabir Mauri appellant, obsideri & expugnari posset. Gratissimi sermones hi Ximenio fuerunt, nam si is portus in potestate Hispanorum esset, facillimum aditum haberi sentiebat ad vniuersam Africam capiendam. Est enim ille portus vel ingentis classis capacissimus, nullibique in continua Africæ ora naues tutius aut commodius esse possunt. Atque vtinam principibus nostris, quos grauissima reipublicæ negotia hactenus solicitos habuerunt, liceat aliquando potentes vires suas in Africanã gentem conuertere: haud iis angustiis quibus in præsentia premeremur, nec cum Algerio prædone, aliisve ignobilibus piratis, quibus animos Turca tyrannus facit, tam ancipiti marte contenderemus. Quo mihi magis Ximenii conatus admirationi sunt, verè enim ad reipublicæ salutem & felicitatem natus, id vnum quoad vixit curauit, vt oram illam maritimam nostram faceret. Qua sane intentione regi Ferdinando, vt Bugiam & Tripolim caperet, Orano expugnata, author fuit: & Carolo v. Imperatori, vt Guletæ præsidium occuparet. At ea partim hostibus cesserunt, partim ne reliquis spoliemur quotidie timemus. Igitur Ximenius Vianellum consiliis suis peropportunum aduenisse videns, ad colloquia perhumanè inuitat, edicitq; ianitoribus, vt Vianello ad se venienti semper sit aditus liber. Ille igitur vt erat liberali ingenio, Ximenio operam in ea re suam sedulò præstitit. Nam & eorum locorum situm diligenti sermone declarauit: & quoniam eiusmodi descriptiones, nisi oculis subiiciantur, non solent omnino imaginationi nostræ quales sunt hærere, tabulam manibus suis peraccommode apparatam attulit, in qua conformatis è cera signis, oppidum

portui magno proximũ,& arcem iconicè (vt aiunt) finxit: tum deinde colles & monticulos,hisque ipsis subiectas valles,& viam,quà ad speculam, quæ facis dicitur,deueniebatur. Ea est in prærupto cliuo, quà nostris ascensus ad Oranum erat futurus. Locus ipse arduus est,& vndique rupibus inaccessis inuius,præterquã quibusdam angustiis,quæ ex forma,sedes ab incolis appellatur. Iuxta has specula quam diximus consurgit, quæ ex altera parte Oranũ, Mersalcabir ex altera prospicit,face continuò de nocte prælucente Græcorũ Pharis non admodum absimilis.Sequebatur statim Oranum vrbs celso quodam in colle posita,mœnibus,& turribus,ac loci situ munita,quæ mari altera parte alluitur,altera variis pomariis ac irriguis fontibus cincta,in sui cupidinem quemuis regem pellicere potest, nedũ Ximenium,quem iam fatalis ardor ad eam gloriam obtinendam incitabat.Est id Mauritaniæ celeberrimum oppidum , fuitq; olim mercatorum nundinis & commerciis clarum, soli felicitate Bęticæ nostræ par,cęli salubritate & temperie præstantius.Hinc factum est vt totius Europæ hospitibus frequens,in non mediocrem opulentiam creuerit,atq; Afris piratis occasionem præbuerit totam Hispaniæ oram diuexandi.Quin ipsi mercatores præsidium illic militare alebant,ad se suasq; merces ab omni iniuria hostili vindicandum.Liberis legibus Oranitæ viuebant , præterquam quod Trimesemio regi tributum quoddam quotannisp endebant:cuius coactori ex regiis ministris in vrbem ingrediendi facultas tãtum erat,nec præterea vllam habebat potestatem, aut iurisdictionem. Florente ciuitate plusquam sex millia domorum numerabantur:quæ cum ædificiorum magnitudine, tum pulchritudine,mirum in modum vrbem ornabant.Iam vero frequentia templorum, collegiorum,xenodochiorum,balneorum,cæterarumque ædium publicarum , adeo multa erat,vt quamlibet vrbem præclaram & illustrem facere possent.Prærupti loci situs parum aptam frugibus aut arboribus efficit:sunt tamen huic incommodo circum circa regiones remedio,assidue in eam frumentum importantes,adeo vt nulla ex re certius vectigal Orani sit,quam ex furnis & aquariis molis. Variis id oppidum nominibus vocatur à recentioribus:nam alii Madauram,alii Aeram,Auranum etiam nonnulli vocant: Afri hodie Guharam appellant.Omnia autem hæc nomina locum accliuem,& ventis expositum significãt. Hinc igitur nostrates Oranum dixerunt. An vero hæc vrbs antiqua sit,& eius fiat à priscis authoribus mentio,quoniam mihi non satis constat,consultius faciam,si hanc curam aliis reliquero.Ergo ex dictis Vianelli,& descriptione loci quam propofuerat, facile Ximenius intellexit,frustra se quicquam tentaturũ,nisi portus ille magnus à nostris præoccuparetur. Quare ad hoc omne studium conuertens,cum rege Ferdinando rem omnem communicat,& vt mature rescribat quid fieri velit,impense rogat.Erat quidem rex sua sponte satis animatus ad bellum Africanum gerendum,sed re nummaria minus se esse instructum dicebat,quod bello Granatensi & Italicis impensis,eius ærarium fere esset exhaustum: esse ergo bonam voluntatem,sed suos conatus neruis belli destitui.His cognitis, Ximenius quẽ & Hispaniæ clades stimulabat,ex qua per maximum dedecus,prædæ ab Afris quotidie abigebantur,& religionis prouehendæ amor miro quodam ardore impellebat,ne præsentẽ occasionem amitteret,quam Vianelli præsentia promittere videbatur: & ne totius aulicæ iuuentutis voluntas,quam huius belli cupidam esse sentiebat,dilatione interiecta languesceret,regi continuo pollicitus est,eam se pecuniam mutuo daturum, qua exercitus sustineri per bimestre spatium posset,ad Mersalcabir in Africa expugnandum , vt reipublicæ Christianæ hostes à nostris littoribus arcerentur. Instructissima ergo classis apparatur,& delectus iuuentutis per vniuersam Hispaniam fiunt. Aulicorum adolescentum magistro totius belli imperium committitur.Is erat Didacus Fernandus Corduba, vir spectatę virtutis & prudentię,qui illico ex veteranorum militum numero,socios & participes laboris asciuit viros selectos,& rei bellicæ peritos:sed potissimum Ramundum Cardonam classis regiæ, & Didacum Veram tormentorum regiorum pręfectos,& Gonsalum Aioram prętorianæ cohortis ducem,& Petrum Lopidem Horoscum cognomento Zagalum, sed ante alios Hieronymum Vianellum,viæ indicem & commonstratorem. Tertio nonas Sept. Malaca soluunt:nostrum littus deinde legentes, Euris nonnihil retardantibus, sexto Idus Almeriam,quam nonnulli antiquam Abderam esse volunt,veniunt: tertio post die Mersalcabir appellunt. Afri tamen, qui per suos exploratores de Hispanorum classe certiores facti,iam dudum in specula & vigilia erant,vt eos portum attingentes viderunt,fundis,tormentis & sagittis hostem propellere,& submouere tentauerunt:sed virtute nostrorum militum cum omnis conatus irritus fuisset,crebris ignibus de more eius gentis in speculis accensis,fumi indicio,paruo sane temporis spatio nostrorum aduentus vniuersę ferme Mauritaniæ innotuit.Statim vt diluxit,tanta Maurorum & Numidarum,qui per eos cãpos vagantur,cum equitum tum peditum multitudo congregata fuit, vt omnes vndique colles

arma-

armatis hostibus replerentur. Hi ergo magna animi constantia ad littus descendebant, Hispanos ne terram Africam contingerent prohibituri. At eas omnes difficultates nostri euincentes, inuitis hostibus, portum tenuerunt. E nauibus extemplo egressi, prout in illis angustiis licuit, cum præsertim hostium telis vndiq; impeterentur, castrametati sunt. Alterum diem in exploranda regione, in castris muniendis, & auxiliis Afrorum, quæ ab Orano, aliisq; partibus assidue veniebant, deturbandis, occupati fuerunt. Duces interea, donec aliquid memoria dignum effecissent, nullum nuncium ad regem remiserunt. Id cum animos cunctorum solicitos teneret, omnes rumores, qui varii prout in re incerta fieri solet ferebantur, auide captabant. Anceps erat victoriæ euentus, propter egregiam hostium virtutem, sed præsertim arcis præfecti, qui singulari vigilantia & fortitudine præsidium eius fidei commissum tuebatur. Petra vbi id præsidium est, maris vndis ex omni parte alluitur, præterquam qua meridiem spectat. Ab ea autem parte collis quidam præruptus attollitur, cuius statio & hostibus erat necessaria, & nostris peropportuna ad præsidium ipsum expugnandum. Hunc collem ex hostium potestate eripere, cum totius exercitus viribus Hispani contenderent, eo tandem vt sunt potiti, quamuis nō sine sanguine, protinus in spem maximam sunt erecti, Mersalcabir quoque potiundi. Interea rex Trimesenius Maurorum & Numidarum exercitum miserat, qui dum variis præliis cum nostris confligunt, vt est Mars anceps, nunc illi, nunc nostri victores fuerunt, & milites vtrinq; desiderati. Porro præsidii præfectus, qui summa (vt dixi) diligentia, nostrorum conatibus obuiam semper ibat, dum inter propugnacula reficiendis tormentis attendit, glande ferrea à nauibus emissa percussus occubuit. Permagni momenti ad rem bene gerendam vnius viri mors nostris fuit: nam ab eo tempore hostes debilitati omnia remisse & timide gerere. Tandem cum neq; subsidio sibi veniri, neq; nauibus commeatus comportari posset, nostris mare & itinera omnia intercludentibus, seque partim ex nauibus, partim è colle occupato, omni tormentorum genere impugnari vident, de ditione agere cœperunt, dummodo aliquot dierum induciæ ad deliberandum darentur. Igitur inter nostros, & Mauros sic conuenit, quod si rex Trimesenius copiosiori exercitu auxilium per tempus induciarum non tulisset, Mersalcabir extemplo Hispanis cederet. Elapsis diebus cum ne quicquam regis subsidium expectaretur, totidem dies adiiciendos petunt, quibus si etiam Trimesenius cessaret, ipsi omni sacramento exoluti, oppidum simul & arcem traderent. Cum ergo omnes dies pactionis bellicæ exiissent, postridie mane Didacus Fernandus exercitu ante portam, quæ Oranum ducit, agminatim instructo, classicum canere iubens, antequam armis infestum aliquid tentaret, per fecialem alta voce pro mœnibus admonuit: Quandoquidem Mauris per dies induciarum, nihil auxilii à suis aduenisset, ipsi, vxores, liberiq; eorum Mersalcabir secundum pacta indemnes exirent: quicquid eorum corporibus possent exportarent, quocunq; liberet, nemine per vim auferente, aduеherent. Qui ex nostris abeuntes læsisset, aut alio quouis modo contra pacta cum Mauris fecisset, capitis multa ducem fœderis violati religione exolueret. Illico oppidi portis reseratis, dies tres impetrati sunt ad supellectilem concessam conuasandam. Toto illo triduo Didaco Fernando pro portis sedente, per medias acies Mauri transibant, rerum adamatarum quicquid poterant asportantes. Nemo ex nostro exercitu inuentus est, qui vel dicto Mauros offenderet, præter vnum ex gregariis militibus cuius nomen in obscuro est, qui auaritiæ morbo correptus, aut, vt quidam narrant, libidinis, Mauræ fœminæ iniurius esse cœpit. Erat is in postremis ordinibus, quare latere posse confidebat. At indigne Mauris id ferentibus, miserabili voce contra pacta conuenta agi clamitabant: nam & penates relicti, & arcis traditæ tacita exprobratio, dolore & ira animos repleuerat. Illico ad aures Didaci peruenit, qui antiquo & seuero Hispaniarum instituto pilis militem transfigi imperauit: quod vniuerso exercitui & exemplo, & pauori fuit. Oppido itaque veteribus incolis destituto, nostri exultantes quinquagesimo postquam Malaca soluerunt die, potiuntur: & Hispano præsidio arcem munientes, ad regem & Ximeniū triremem miserunt, quæ victoriam partam nuntiaret. Aiunt post Mersalcabir occupatum, multos ex Mauris qui Oranum incolebant, cum vniuersa familia & facultatibus Trimesenium se contulisse: nam eam vrbem statim à nostris oppugnatum iri nihil dubitabant. Postea tamen cum toto quadriennio cessatum à nostris esset, omnes Oranum reuersi sunt, existimantes Hispanos satis habuisse portus magni receptaculo à Mauris erepto, oræ nostræ securitatem comparasse. Vnus tamen prædiues Maurus, qui camelo auro onusta Orano discesserat, magnopere redeuntes deterrebat: qui propositi tenax expugnatæ vrbis cladē effugit. Didacus interim cum aliquot dies Afrorum cōmeatu corpora suorum curari permisisset: nam quamuis multa Mauri exportauerāt, cū ea pretiosissima quæq; fuissent, multa quoq; intacta, præsertim quæ ad victum pertinent, remanserunt. Ergo præstantissimis qui-

busque ad custodiam Mersalcabir per Didacum ex vniuerso exercitu delectis, cæteram multitudinem in Hispaniam redire iussit. Nam & res nummaria fere omnis consumpta erat, & nihil quod vltra tentaret occurrebat. Ad Oranum enim oppugnandum, loci situ, & ciuium frequentia, & militari exercitu munitum, longe maiores vires requiri videbat, quã quæ tunc sibi adessent. Regis tamen imperium expectare constituit. Interea non cessauit omni ratione & cura, portum, oppidum, ipsamq; arcem ad nostrorum vsum, tum reficere, tum denuo formare. Postquam regi, & Ximenio rerum earum suasori, victoria nota fuit, dici non potest, quanta lætitia non solum vtriusque animum, sed vniuersum Regis comitatum, totamque Hispaniam perfuderit: omnes enim anxios & mœstos tenuerat, tam diutinum de Didaco Fernando, deque eius classe per menstruum fere tempus, silentium. Octo dierum supplicationes per vniuersam Hispaniam sunt indictæ, quibus Deo Opt. max. gratiæ agerentur, quod eum Africæ portum Hispani cepissent, vnde non modo securitas littoribus nostris comparata esset, sed ingens aditus patefactus ad omnem Africæ oram occupandam. Venerunt non multo post ad regem aliquot ex tribunis militaribus à Didaco missi, Didacus Vera, Gonsalus Aiora, Petrus Lopides Horoscus, quem Mauri Alzagalum (vt diximus) ob singularem in rebus bellicis strenuitatem, vocabant. Hic ex spoliis Maurorum, baculum ex selecto hebeno, eximii tum læuoris tum nigredinis, Cadin (ita enim Mauri pontifices suos & seniores vocant) gestamen, ad Ximenium detulit. Quo in gratiam Alzagali cum aliquot dies Ximenius vsus esset, Complutum ad Academiam suam, victoriæ Africanæ monumentum, & amici viri optimi pignus misit. Rex vero postquam quæ per Didacum Fernandum gesta sunt, & quibus opus esset cognouisset, centum leuis armaturę equites, pedites quadringentos ad Didacum in Africam traiiciendos curat. Horum ducẽ Rodericum Diasium Rogium, virum nobilem, & fortissimum constituit. Didacum vero Fernandum ad se accersiit, vicaria magni portus custodia Roderico interim tradita. Didacus à rege benignissime susceptus est, & Ximenio eius virtutem apud regem collaudante, multis præmiis & honoribus affectus, Mersalcabirana etiam præfectura donatur. Nam cũ eius fortitudine & industria in potestatem nostram deuenisset, à nemine melius, veluti in re propria laboranti, defendi posse iure credebatur. Tria millia nummorum aureorum, quę summa, prout illa tempora ferebant, ad capiendum illud præsidium satis fuit, in singulos annos ad retinendum assignata sunt. Haud est obliuionis tenebris premendum Roderici Diasii factum: is enim non ignauam in absentia præfecti operam nauans, eum crebras eruptiones in hostes faceret, & rebus rusticis occupatos de improuiso adoriretur, & frequenter prædam ex agris ageret, regionemque omnem incursionibus vastaret: Mauri tot damnis & rapinis grauissime permoti, sese ad illum, quoquo modo possent, opprimendum parant. Ergo cum de more agros popularetur, interclusus est à Mauris. Erant perpauci milites qui Rodericum sequebantur, præ hostium multitudine: quare in re desperata bono vsus consilio, suos breui, sed acri oratione cohortatus, ne inulti perirent, sed Hispani nominis memores, se ducem sequerentur, & per medios hostes viam, quæ sola patebat, salutis facerent, simulque equum adigit, & in confertos Mauros irruens, tantam eorum stragem fecit, vt quocunque incederet, ingens esset hostium trepidatio. Hispani vero milites tanti ducis exemplo excitati fortissime dimicantes, hostes terga dare coegerunt. Narratur mirabilis ictus, quem hoc die Rodericus coniectione hastæ fecit. Insequebatur Maurum equitẽ, qui cum equo fideret velociore, dum putat se euasurum, terga dedit. In hunc Rodericus tanta vi hastam cõtorsit, vt hoste transuerberato, ligneum ephippii capitulum, & equi ceruicem perfoderit. Certum est hostes hoc terribili ictu animaduerso perterritos, cœpisse laxis habenis fugere. Multo post tempore durasse inter Mauros prouerbii loco aiunt, vt quibus irati essent, ictum præfecti Mazalquibirani imprecarentur. Dum hæc in Africa geruntur, Philippi è Belgis aduentus, quemadmodum in tertio volumine late sumus executi, regis Ferdinandi conatum, & Ximenii antistitis institutum retardauit: qui maritimam Africæ oram, atq; adeo totam ipsam Mauritaniæ regionem, Hispano imperio subiicere proposuerant, satis enim per ea tempora ab vtroque laboratum esse constat, vt reipublicæ commodis consuleretur. Nam & tumultus regulorum compresserunt, & regnorum imperium quod post regis Philippi mortem labefactatum fuit, in priorem ordinem & statutum reduxerunt. Non cessabat Didacus Fernandus è Mersalcabirina arce assiduas in Mauros incursiones facere, ex quibus cum victoriam sæpe reportasset, decreuit tandem cum tribus peditum millibus, iusto prælio Oranenses prouocare. Nam cum Mauri non ita pridem oppidum in Hispaniæ ora situm internecione vastassent, vtriusque sexus vniuersis incolis ad vnum trucidatis, aut captis, insolentiores ex ea re facti, Didaco cladem minitabantur, & vt portum magnum reciperent omni apparatu & studio curabant. Sed vt sors belli anceps

semper

ſemper & incerta eſt, anno eius ſeculi ſeptimo ſub Idus ferme Iulias, cum egregie Didacus cum illis dimicaſſet, magna iactura ſuſcepta victus prælio diſceſſit. Eo nuntio Ximenius, cæteriq; principes qui apud Ioannam reginam aderant (nam nondum Neapoli Ferdinandus venerat) adeo grauiter perculſi ſunt, vt illico Ximenius ad expeditionem diu exoptatam fuerit nauigaturus, niſi reginæ valetudo, & reip. ſtatus, eius ſtudium & conatum retardaſſet, & in primis Ferdinandi regis abſentia, ſine cuius auſpiciis & nutu, nihil rite confici poſſe exiſtimabat. Ergo ſimul ac rex venit, & Hiſpaniæ res ſunt compoſitæ, Ximenius cum eo agere cœpit, vt vel ipſe rex in Africam traiiceret, vel Ximenio eam prouinciam traderet. Indignum enim eſſe, & pene intolerabile, vt tali à Deo immortali opportunitate oblata, taliq; aditu ad vniuerſam Africam debellandam dato, ipſi otioſi & negligentes ſederent, ſpectantes quemadmodum tot captiuorum Chriſtianorum millia, cum maximo totius Hiſpanæ nationis dedecore, paſſim abducerentur. Erat quidem rex in Ximenii ſententiam propenſus, quamuis reguli varie ſuper hac re ſentirent. Nam nonnulli, qui cum ipſi nihil præclarum faciant, id ab aliis fieri ſuſtinere nequeunt, Ximenium vt immodice ambitioſum incuſabant, qui præter inſtituti ſui rationem, præterque perſonæ decorum quam gerebat, cædibus ſe polluere vellet, & pro lituo & galero, haſtam & galeam ambiret. Atque ex re, quæ tunc in omnium ore verſabatur, occaſione capta, ridiculum eſſe paſſim iactabant, Gonſaluin Fernandum tot victoriis in Italia partis, quæ merito magni imperatoris cognomentum illi peperiſſent, è bello reuocatum, orbiculos quibus preces annumerari ſolent, Pintiæ voluere, antiſtitem vero Toletanum cædes & lanienam optare. Hanc autem rerum commutationem, eſſe portenti ſimilem aiebant, & vt reip. parum fauſtam, ſacris omnibus expiandam. Sed hi noſtrorum annalium ignari, pontificum Toletanorum ſtrenue ſemper in debellandis religionis hoſtibus apud ſuos reges nauatam operam, aut non intelligebant, aut præ inuidia diſſimulabant. Alii hominem dementem, & temerariũ vocabant, quod bellorum difficultatibus parum conſideratis, res maiores animo præſumeret, quam pro illius facultate & captu. Opus enim eſſe ad id bellum rege aliquo potentiſſimo & induſtrio, nec non rerum bellicarum perito, qualis Ferdinandus erat: alioqui nec hoſtibus terrori, neque ſuis reuerentiæ fore. Porro militum animos ad imperatoris amorem inflammare ſolet aſſidua in caſtris præſentia, ſomni & ciborum communio, & eadem in periculis fortuna, quæ ſingula longe à Ximenii inſtituto aberant: qui vanis quorũdam promiſſis lactatus in eam fuiſſet ſententiam inductus: quod extremæ leuitatis, & animi parum ſani teſtimonium non mediocre eſſe affirmabant. Alii tamen qui ſibi videbantur prudentiores, non adeo aiebant Ximenium inſanire, vt huic ſe negotio parem eſſe crederet: ſed hominem imperandi cupidum, reſq; omnes pro arbitrio componendi, regem atq; adeo vniuerſam Hiſpaniæ nobilitatem in Africam amandare, his prætextibus ſtudere, vt ipſe interim ſummæ rerum præfectus, de republ. pro voluntate ſtatuat. Quod ſi malo nodo malus quoque quærendus eſt cuneus, regi alteram conditionis partem minime quidem eſſe recuſandam: ſed potius Ximenio concedendum, vt in Africam cum exercitu traiiciat, quandoquidem id tantopere ſe diſcupere ſimularet. Rex Ximenio multo erat æquior, quod eius probitatem, atq; illam potiſſimum ad hoſtes religionis extirpãdos animi propenſionem multis argumentis nouiſſet. Quare eius propoſito apud regulos palam collaudato, ſibi nimis Ximenii ſententiam placere declarauit: eſſeq; illi gratias pro merito agendas, quod vir tanta ætate prouectus, & diuturnis laboribus pene confectus, ad duriſſimum Martis opus religionis dilatandæ ſtudio, & reip. defendendæ amore, ſeſe ardore iuuenili offerret. Idcirco ſanctiſſimis eius conatibus omnino fauendum, & omnibus regni viribus optimi præſulis conſilium, religionis & pietatis plenum, mature eſſe exequendum. Nihil contra eo tempore amplius eſt actum, ſed ſtatim decretum vt reip. triremes, naues longæ & roſtratæ, ad Ximenii imperium, ſiue Malacæ, ſiue Carthagini nouæ præſto eſſent, vt cõmeatus ad eam rem neceſſarii ex proximis locis empti comportarentur, & materia quæ ſexcentis doliis conficiendis ſatis eſſet, ad aquationes in terra hoſtili faciendas: nam primæ nauigationi ex portu Meneſthei, quem S. Mariæ vocant, & ex Cæſaris caſtris, quæ nunc Xerezium, aqua erat haurienda. Vt ſulphur etiam & nitrum ex regiis fodinis, aut priuatis, nemine prohibente, ad pulueres tormentarios conficiendos, aut aſſumere aut coemere liceret: & vt commendatarii, quos vocant, nullo miſſionis genere vti, aut pro ſe vicarium dare poſſent, niſi legitima de cauſa: ſed omnes tanquam ad remp. contra paganos defendendam, ſuis ſtipendiis in hoc bello militarent. Vt milites ſtipendiarii, qui Abulam, Areualum, Segobiam, Medinam Campenſem, Vlmetum, Fontiuerum, Salmanticam, Vacceorũ oppida, & qui Truſillum, & Cereris caſtra in Luſitanis habitant, certo quodam regis ſtipendio, ad militares vſus ſunt adſtricti, regiis literis euocarentur. Vt quotquot panis nautici põ-

do, Malacæ per regios procuratores, parata essent, Ximenio venderentur. Vt commeatus qui per regem cōferendus ex pactis esset, ad portum vnde Ximenio soluendum esset, regis opera aduheretur. Vt quoniam ad militarem licentiam coercendam pōtificia persona parum apta esset, ex regiis quatuoruiris, qui capitalibus causis in comitatu principis præsunt, duo saltem ad legiones Ximenii mitterentur, qui de illis reb. cognoscerent. Hi fuerūt Gallecus, & Aguirrus, quibus omnia ad exercitum pertinentia, prout vsus poscere videretur, constituendi suprema facultas est data. Intererat Ximenius horum duorum cōsilio, & suo arbitrio omnia moderabatur. Sed prudentissime curabat, vt per regios ministros discerni cuncti arbitrarentur. Nam regia authoritate prætenta, quæ inter nostros semper fuit sacrosancta, facile omnes in officio cōtinebantur. Datæ etiam sunt regiæ tabellæ nonnullæ manu regis subscriptæ, & eius sigillo impressæ, puræ tamen, quæ cum opus esset scribebantur, & earum vi & potestate totidem iudices vicarii creabantur, eiusdē cum duumuiris facultatis, ad milites puniendos. Nam hoc etiam Ximenii industria cōfectum est, ne vir religiosus, & tanta dignitate præditus, ad huiusmodi castigationes se demittere videretur. His itaq; apud regem decretis, atq; per Ximenii procuratores acceptis, operi Ximenius accinctus est. Porro Gōsalo magno inprimis hortante, Petrum Nauarrum Oliueti Comitē, ducem egregium, & rei bellicæ peritum, qui viri fortissimi exēpla in Gōsali exercitu permulta ediderat, & qui tunc Gōsalum secutus, in Hispania apud regem erat, ad se accersit. Is nō ita pridem Beleziam rupem (Pegnonum nostri vocant) quæ in Africano littore est, è potestate Maurorum receperat. Ergo cum Nauarro omnia sua consilia cōmunicat, & quid in singulis rebus faciendum esset ab eo edoctus, imperatorem totius exercitus Nauarrum designat: & vt cohortes Italicas quæ sub Gōsalo magno meruerant, cōtinuo recipiat, edicit: & vt Malacam proficiscatur, & regiæ classis cōmeatus exploret, quos à Varga senatore regio, aut eius nomine à procuratore Villalupo traditos, Carthaginem curet asportādos. Nauarro itaq; ad eas res curandas digresso, Ximenius militum delectus per diœcesim suā facit, & ex Bætica, Catalonia, Aragonia, Cantabria, & Asturia, selectas aliquot legiones conscripsit, ex quib. exercitus factus est ad eam rem quam parabat peraccōmodus: nam equitum quatuor millia, peditū decem millia recensebantur. Tribunos militū (quos coronellos nostri vocant) Rodericum Moschosum, Altamiranum Comitem, Ioannem Spinosam, Alphonsum Vanegam, Gonsalum Aioram, Petrum Ariam in hastarum ludo celebrem, atq; inde e patrio idiomate iustatorem cognominatū, & Ioannem Villaluam Cantabrum. Erant omnes hi viri bellicis victoriis adeo clari, vt sæpe homines maiores natu qui reb. illis interfuerūt, dicētes audiuerim exercitū Ximenii eos tūc duces & coronellos habuisse, quorum singulis, nō modo huius belli summa, sed cuiuslibet alterius, quod difficilius & grauius esset, tuto quidē cōmitti potuisset. Suberāt eis nō inglorii manipulares duces, ac cēturiones: quinam fuerint, quibusve manipulis aut cohortib. præpositi, adhuc in superstitū memoriis durat. Ergo Petrus Castellus Cōplutenses milites ducebat. Villaroellus Turrilacunenses, Vzedanos & Talamācenses. Bernardinus Menesius Talabricēses, & sagittarios transpōtanos: nā hi ladæ, quæ apud eos copiosissime nascitur, beneficio, ex qua sagittas faciūt, eā artē mirifice callēt. Bustamātus titularis episcopus, & parochus Hipponēsis, Guardianos, Romeralios, & Liliēses. Ioannes Mōtanus, Hipponenses, Valliuerdanos, & quos Moros iuxta Toletū cis Tagū sitos, hoc est colonos, lingua nostra appellat. Aluarus Salazarus, Toletanos. Sāctus Petrus ciuis Toletanus, Illescēses, qui sunt Toleto cis Tagū proximi. Hactenus gentē ex Toletana diœcesi memorauimus. Quos vero Bętica Asturia & Cātabria miserūt, aliæve circūcirca regiones, Ioāni Giēnio Bastetano, & Ioāni Bustamāto Cōplutēsi sunt cōmissi. Sed quoniā plusquā octingēti milites, nullo stipēdio cōducti, aut vlla sacramēti ratione addicti, Ximeniū in Africā sponte sua secuti sunt, iis Requelmus Bastetanus dux præfectus est. In epistolis Ximenii ad procuratores suos, quos eo tēpore apud regē habebat datis aliorū ducū & quæstorū nomina reperio: quib. ob egregiam operā sibi in Africa nauatam, cupit vt rex beneficia & munera pro meritis donet: inter quos, Garridū, Vadillū, Arguesiū, & Maderellū Cēturiones cōmendat, & licentiatū etiā Zaratem ad cognoscēdas causas per duūuiros suffectū. Ergo equitib. ducēdis Garsias Villaroellus Castorlæ præfectus cōstitutus est: Vianello magisteriū castrorū defertur: nā ille & regionē bene nosse, & quo loco castra essēt metāda, & qua parte hostes adoriēdi, & quę præsidia pro loci ratione augeri aut minui deberēt, & quæ loca itē forēt custodiis tuēda & cōfirmāda, solus exacte callere credebatur. Ximenius qui frustra apparari cætera intelligebat, nisi pecuniæ, quæ belli nerui semper sunt habitæ, vel in lōgum tēpus suppeterent, aliquot retro annis de Africana expeditione cogitans, prouido in posterum consilio non mediocres opes cōgregauerat. Sed belli casus incertos esse sciēs, stultissimū esse iudicabat ad terram hostilē, subductus ad calculū ratio-

nibus

nibus,proficisci. Ergo ne difficultate rei nũmariç aliquando premeretur,ad Toletanũ capitulum scripsit,vt sibi subsidio essent,missa quãtam possent nummorũ summa. Nam si olim post Hispaniã à Mauris occupatã,ecclesiasticis reditibus exercitus parabantur,vt ab hostibus reciperetur,multo causatius id nunc ab ipsis poscebatur, ne Hispania rursus in priscas illas miserias recideret:præsertim cum ipse,qui eorum caput esset,nõ solum suas facultates insumeret,sed se quoq; in manifestum vitæ discrimẽ,pro religionis defensione & augmẽto obiiceret. Res erat eo tempore huiusmodi subsidiũ in Hispania infrequens,& nõ nisi maximis & euidentibus periculis,cum videndum erat ne quid detrimẽti respub. Christiana caperet,à Põtif. Romanis indicta. Nam sacerdotia quo quomodo per reges grauari, inuidiosum & iniquũ censebatur:semperq; aliquid infaustum &dirum,id attentantibus accidisse, obseruatũ fuit . Sed capitulũ nec rei insolentia commotũ est,nec graue aliquid in antistitẽ suum dixit,aut immunitatẽ suam imminui vllo modo idcirco existimauit. Imo animis prõptissimis,non modo opes & facultates,sed omnẽ operam ad eam rẽ polliciti,multi discedẽtem ad mare vsq; secuti sunt:qui nisi ab eo Toletũ redire coacti essent,nõ dubitassent in Africã traiicere,atq; ibi si opus esset,consertis manib. cum hostib. pugnare. Sunt apud me Ximenii ad regem Ferdinandum epistolæ,quibus de hac capituli sui erogatione scribit,penè gaudio gestiens, quoniã aliæ diœceses & ecclesiæ exemplũ essent habituræ, ad Africanam Ximenii expeditionẽ stipe collata iuuandã,ꝙ & fieri iam affirmat. Quo magis mionr nullã huius rei memoriã,nullumve monumentũ in ecclesiæ Toletanæ archiuis haberi. Nisi forte,ne exemplũ sequerentur archiepiscopi successuri,& ꝙ liberalitate sacerdotũ factũ erat, tempore maxime necessario,ad exactiones per vim faciendas ob priuata commoda adducerentur,communiter curatũ est,vt vestigium nullum remaneret. Est quidẽ certe solennis hic rapinarũ modus,nonnulla precario obtinere à populis, q̃ post iure suo potentiores exigant,quasi lege teneantur præstare. Totus hic annus commeatibus apparãdis,pecunia colligenda,& exercitu congregando,à Ximenio Compluti consumptus est. Octauus qui deinde secutus est,non sine maximis molestiis Ximenio accidit. Nam cum militum legiones ex omni Hispania selectas cõscripsisset,duces egregios illis præfecisset, belli Africani fama ad hostes vsq; penetrasset,& omnia deniq; in procinctu essent,nõ defuerũt peruersi homines,qui semel conceptã opinionẽ è regis animo conuellere tentarent, & falsis affictis causis,Ximenii propositũ inutile esse calũniarentur:vanũ,&temerariũ esse clamitãtes,tãtimomẽti rem,ab homine tractari,qui in monasteriis & solitudinib. cucullo indutus,semper delituisset,nec vnquã hostes,aut castra vidisset. Ad hæc subiiciebant,belli impensas à rege attentè considerãdas:neq; n. fieri posse,vt tam copiosam pecuniã Ximenius cõgregasset,q̃ ad tanti belli molem sustinendã esset satis. Facile n. homini plus satis ꝓpẽso ad hoc bellũ Africanũ,imponi potuisse ab iis q̃ priuata sua emolumẽta sectãtur. Post exhaustã vero pecuniã, necesse erat re infecta discedere,&classem regiã,&Hispanã iuuẽtutẽ,velit nolit,hostiũ arbitrio relinquere. His sermonib. atq; aliis rex deterritus,bellum Africanũ differre parat,& pactis conuentis cum Ximenio per dilationẽ deesse incipit. Regii vero ꝓcuratores,quib. classis reficiendæ cura,eamq; cum omni nautica suppellectile Ximenii nauarchis tradendi cõmissa est,auaritiæ morbo corrupti,illo occasionis momẽto abutebantur,à quo cũcti Ximenii conatus eo tẽpore pendebãt. Quare Petro Nauarro,q̃ ad hoc missus fuerat neq; cymbã vnãdederũt,nedũ tot illa panis nautici pondo,&poscæ dolia,vt cũ rege cõuenerat. Nã cum ciborũ nauticorũ copiam illi ad regios epibatas iampridẽ cõparassent, Ximenio indigenti pluris vẽdere volebãt:ꝙ si fecissent,haud contemnendũ lucrum corrasissent. Petrus quoq; Nauarrus militaris ingenii homo,cum ea impedimẽta Ximenii consiliis obiici cõspiceret, ipse quoq; in diuersum mutat[9],dum suis cõmodis,q̃ non nisi ex prçda constabãt,consulere cupit,classem regiã,quoquo modo posset,clam Ximenio,ad se transferre curat. Ergo regiis amicis persuadet, Onei promontorii præsidium, quod infra Oranum versus fretum Herculeum est,multo facilius expugnari posse,atq; inde in totam Africæ maritimam oram incursiones commodissime fieri. Differebatur etiam commendatariorum euocatio, & stipendiariis nihil adhuc per regem denunciatum fuerat. Iam vero si quando Ximenii procurator,regios de ea re cõsiliarios regem ve ipsum appellaret, aliis atq; aliis causis eludebatur. Nam prout anni tempestas erat, aut hyemis instantis obiiciebatur rigor, aut Malacæ aut Carthaginis pelagus, vnde scilicet soluendum erat, adhuc esse intractabile, aut æstatis in Africa terra immodicus ardor, aut difficilis commeatus importatio, si præsertim, vt ille meditabatur, hyberno tempore exercitum traiiceret. De his rebus Ximenius certior factus, quamuis indigne secum agi consideraret, constanti animo in re proposita perseuerandum censens, rursus ad regem epistolas misit, partim supplices, partim expostulatorias,in quibus per religionem,quam vterq; tueri studebat,per necessitudi-

nem,per pietatem qua regem ſemper coluerat,per aſſiduos, quos ad id tempus in repub. conſeruanda ſuſtinuerat labores,obteſtabatur atq; obſecrabat, ne pateretur rem tantam concidere:néve eius exiſtimationi,aut neceſſariis & optimis conatibus,vllo modo deeſſe vellet.Eo enim vſq; rem proceſſiſſe,vt retrocedere iam nequaquā liceret.Nec poſſe iterū, qualis tunc erat,exercitum cogi ſperaret:nam deluſi milites,fidem non erant amplius habituri,ſed indignabundi,militari ſacramento exoluti,alia caſtra,aliumq; imperatorē quæſituri:ſibi vero,vt interim pecuniam,quam non mediocrem impenderat,taceret,multis de cauſis iniuriam fieri.Nam præter non leuem temeritatis notam,quam ipſe ſubibat,ſi bellū ſuſceptum dimitteret(neq; enim palam omnibus futurum,cuius id culpa accidiſſet)Toletani primatis dignitas non mediocri cōtumelia afficiebatur,cuius ea potentia ſemper fuit, 1
vt exercitum alere,atq; è Maurorum poteſtate oppida & vrbes munitiſſimas recipere,ſolita fuerit.Nunc vero,cum opibus ſit multo auguſtior,quam illa tempeſtate erat, & accederet tanti regis fauor,neſcire ſe aiebat,quid homines non eſſent oblocuturi, ſi cœpta interrumperentur.Nam quod ſe maleuoli homines amentem vocabant,ad regis potius exiſtimationem putabat pertinere,qui eiuſmodi hominem ad ſupremum orbis ſacerdotiū ſubuexiſſet.Iam vero quod anni tempus obiiciebatur,meram eſſe tergiuerſationem ad conatus ſuos retardandos:quandoquidē eo ipſo tempore non ita pridem Didacus Fernandus, Merſalcabiranum præſidiū cepiſſet,& tunc per mediam hyemem, è Belezia rupeſcaphas, cymbas,& maiora nauigia commeatuū importandorum cauſa, quotidie Malacam incolumia appuliſſe certum ſit.Ne tamen vllam tranſmarinā famem,aut tumultus militares vereretur,ſe rerum futurarum prouidum,trium aut quatuor menſium cibaria,& militum ſti- 2
pendia,iam pridem comparauiſſe. Quod ſi vlterius bellum eſſet protrahendum, vt fieri poſſet,habere ſe facultates,vnde ſumptus ſuppeditaretur,& certa eccleſiarum ſubſidia, vt paulo ante regi ſignificauerat.Quare neutiquam in eo temporis articulo, & rerum omniū cardine,ceſſandum erat.Porro ad ſe nuper delatum fuiſſe,Gratianum, & nonnullos alios, Carthaginem,Murgos & Hiſpalim,à Nauarro miſſos,ad nouos quoſdam delectus faciundos,claſſemq; regiam ad alia tētanda abduci: vtrunq; vero eſſe impediendum,ſi ſaluam rē eſſe vellet. Nā quod de Oneo præſidio dicebatur,prorſus eſſe inutile,aut potius perniciosum:neq; enim inde,imo vero neque ex vniuerſa Africa, littoribus noſtris tantum damni, quantum ex vnica Orano inferri.Neq; rurſus tam opportunum aditum,ad Africam occu- 3
pandam, aut vaſtandam ex Oneo futurum,quam ex Orano vrbe opulenta & portuoſa.Solere autem grauiores ſumptus,& maiora militum damna,in oppidulis expugnandis interdum fieri,quam in magnis vrbibus. Quod ſi adhuc in mutāda ſententia perſiſteret,ſe quidem habere quod ageret Toleti & Compluti,de bello aūt Africano, ne verbum quidē facturum,ſed ſua conſcientia contentum quieturum:exercitum vero ſtatim dimiſſurum, ne aliquid mali accideret ex otioſis militibus. Multa alia in Ximenii epiſtolis continētur,quæ chirographæ Compluti aſſeruantur:vnde & religionem Chriſtianam dilatandi amor,& in rebus gerendis dexteritas,& imperatore exercitatiſſimo digna prudentia, & animi robur ad ſummas difficultates ſuperandas,compluresq; aliæ virtutes intelliguntur,quæ in bello, & pace ſummum illum virum fuiſſe declarant. Vnam è multis libuit Latinam facere que- 4
relarum plenam,quam eo tempore v.idus Oct.ad Didacum Lupum Aialam dedit.Regias literas,tuaſq; ſimul recepi,quibus non tam commotus aut indignatus (quæ enim hominis priuati aduerſus regem indignatio eſſe poteſt?)quam ſtuporē correptus fui. Dolui tot hominum millia,qui partim apud me iam erant,partim vero meo iuſſu multis in locis ad bellum Africanum conſcripti,ſubito ſine vlla cauſa dimitti.Præterea tam multiplicem commeatum,tot ærea tormenta,quæ aut à me ſunt fuſa,aut empta:relinqui paſſim,quaſi temere fuerint parata.Inciderunt quidem militares viri in fraudem ſpe certi emolumenti, ſed nos grauiorem iacturam fecimus, nimirum fidei, & authoritatis. Optandum eſt vt in poſterum regia maieſtas de hiſce rebus maturius & prouidentius caueat. Omedē virum probū,& prudentem, ad Petrum Nauarrum mitto, qui hanc illi rerum commutationem 5
narret. Vtinam nec Vargæ, nec eius familiari Villalupo, de hac in me contumelia, atq; adeo in totam remp.Deus opt. max. iraſcatur, qui tot improbis aſtutiis, & commentis, ne ſceleſtiſſima mēdacia commemorem, nobiſcum egerunt.Sed vix credo valituros diuinam vindictam effugere.Vale.His tam iuſtis querelis commotus rex,maleuolorum & inuidorum ſermonibus reiectis, ad Ximenium ſcripſit, vt in proximum ver exercitum retineat, & nihil de intentione ſuſcepta remittat : fidemque ſuam denuo interponit, ſe pollicitis nequaquam defuturum. Regis reſponſo Ximenius eſt confirmatus, ſed nouæ ſtatim difficultates ſunt exortæ. Nam cum commeatus ſecundum pacta conuenta Carthaginem , vnde Ximenius traiicere parabat , è Malacitano portu transferendi forent,

rent,erant apud regem,qui nec Petro Nauarro,nec Ximenio dandos censerent. Posse enim fieri,vt ab hostibus interciperentur,aut absumerentur à nostris in alios vsus, qui è republica non essent,vnde classis regia magnum esset detrimentum captura.Idcirco regem consultius facturum,si eos in Mersalcabiranam arcem,custodiæ præfecto asseruādos mitteret,qui simulatq; Ximenii classis incolumis ad eum portum appulisset, omnia illi necessaria ministraret. Non placuit Ximenio illorum sententia, partim quod stultè se facturum iudicaret,si tot secum milites in armis,& magnam cæterorū hominum multitudinem duceret,victum vero quo sint alendi,in alterius potestate haberi fineret: partim quod ex reb. anteactis verebatur, ne postquam cum exercitu ad custodiæ Mersalcabiranæ præsidium appulisset,vt sunt militum animi contumaces & seditiosi,commeatus denegaretur. Siquidem non ita pridem Didacum Fernandum custodiæ præfectum ab rege redeuntē,in præsidium recipere tandiu distulerunt,donec aliquot mensium quæ debebantur stipēdia,persoluerentur. Rursus Villalupus,qui commeatus curator erat,Vargæ (vt credebatur) suasu, cum iam nullus tergiuersationi relinqueretur locus,tandem animum auaritia infectū patefecit: negauit enim se quem habebat commeatum cuiquam daturum, nisi pecunia præsenti numerata: ea enim omnia suis sumptib. comparata esse, quare nihil regis mandatum ad se attinere. Indigne quoq; hanc Villalupi conditionem Ximenius tulit,& ad Vargam regium Senatorem scripsit,vt in epistolis reperio: Quod si ea molestia, atq; belli mora pecunia tandem redimenda erat,ex ecclesiæ Toletanæ subsidio suppleretur,potius quā ex summa in militum stipendium parata,quam vel quadrante imminuere,cum classem trans mare in terram hostilem duceret,non esset sani hominis consilium. Vargas in cuius rem non erat,vt hæc ad regis aures peruenirent,omnia ex Ximenii voluntate fecit: in eum tamē omnem culpam reiiciens, Didaco Lupo Ximenii procuratori dixit, vt non cuiusquā negligentiam archiepiscopus culparet,sed suam potius ignauiam,qui tandiu otiosus sederet. Cū hoc Ximenius resciuit,hisce verbis respondit: Mirari se hominem prudentem,de re quam ignoraret, ad eum modum loqui: se enim omnium aliarum occupationū vacuū,ad hanc vnam rem expeditum esse: nihilq; aliud operiri ad iter suum quam primum maturandum, nisi vt hæc quæ de commeatu agebantur,inter ipsos rata constarent. Nam quod nuper sibi Didacus Lupus scripserat,vt quoniam in extrema linea negotium versabatur, ipse Carthaginem proficisceretur (illum enim omnia ex eius voluntate extemplo confecturum) minime faciendum duxisse. Quoniam si quid iterum impedimenti obiiceretur, sua quidem permultum referre,pedem Compluto non mouere. Quid enim ignominiosius aut pudendum magis sibi accidere posset, quam si postquam vniuersam Hispaniam delectib. concitauisset,& ordinibus instructis modo non classicum cecinisset, antequam ad mare accederet ludibrio & despectui esset & domum irrisus redire cogeretur. Fuerunt adhuc alia quæ Ximenii profectionem remorabantur: nam neq; ordinum militarium commendatarii,qui euocati fuerant,conueniebant neq; milites stipēdiarii ad diem præstitutū mittebantur. Sed quanuis hæc illum moratura viderentur,primo tamen vere succedentis anni,qui eius seculi nonus censebatur, Nauarro ad se vocato, cæterisq; militaribus tribunis, quid sit cuiq; faciendum mandat. Malacam petiit Nauarrus, classem Carthaginem deducturus,& alii sunt alio profecti,vt ex diuersis locis, vbi milites in hybernis expectauerant, Carthaginem quoq; collecto exercitu,ad certū quendam diem properarent. Octauum à dominicæ Resurrectionis festo,qui eo anno in diem XVII. Cal. Maii inciderat, hunc fuisse in epistolis reperio. Ipse vero familiarib. suis ac domestica turba stipatus, nec non præsidiorum Pontificiorū custodibus,quos ad vnum Complutū accersierat, Toletū religionis causa proficiscitur. Erant vero tunc præsidiorum custodes, XXIIII. nunc autē post Castorlæ prouinciam in feudum datam quatuordecim tantum in libris quæstorum numerantur. Qui Ximeniū affectabantur oēs lucentib. armis,equis alacribus,& cæteris impedimentis, quæ bello sunt necessaria, bene instructi & ornati incedebant. Nam omnib. sua liberalitate, præsul benigne quæ vsui necessaria forent,pro cuiusq; dignitate suppeditauerat. Præsidiorum custodes coccineis vestibus,peregrino grano tinctis,notiores quocunq; in agmine comitantiū splēdebāt. Quare non solū spectantiū oculi pulchritudine agminis oblectabātur,sed victoriā quā illi precabantur,ex alacritate omniū diuinabāt. Toleti expeditionis suæ causis capituli patrib. corā declaratis,& ecclesiasticis reb. cōpositis(Ioanni enim Velasco Calagurritano Antistiti,quē in Ximenii senatu principē locū tenuisse diximus, Toletanæ diœceseos curā cōmiserat,& cōmēdauerat) supplicationib. assiduis per oēs aras & cœnobia ꝓ victoria decretis, diuos patrios precatus, sed virginē matrē ante alios, cuius numē in Toletano templo semper præsens habetur, vt ea res fauste prospereq; eueniret, iustis i-

tineribus ad excitum suum Carthaginem contendit. Voluerant ex patribus capituli non pauci Ximenium comitari, sed ipse proposito eorum collaudato, duos tantum admisit, qui eum Carthaginẽ vsq; sequerentur: vnde postquam Ximenius vela fecisset, Toletum erant cũ suis familiis & comitib. reuersuri, ecclesiæ commodis studendũesse dicens, cuius multum intererat eorũ præsentia non destitui. Quin sua quoq; priuatim de causa in omnẽ fortunæ successum curare se vt incolumes essent. Nã parui semper momenti à viris sapientib. sunt arma existimata, nisi domi, vnde vires in exercitũ dimanant, prudens & fidũ consiliũ relinquatur. Ex duob. illis quos Ximenius delegerat, alter Franciscus Aluarus scholasticus Toletanus fuit, qui (vt dixi) Academiã Toleti condidit, vir iuris peritissimus, qui prudentiã & industriã non vulgarẽ multiplici rerum vsu comparauerat. Hic octoginta ex familia sua comitantibus, habitu militari speciose ornatis, Ximenii animum valde oblectauit. Alter Carolus Mendozius fuit, sanctæ Leocadiæ abbas, qui postea ad Decani dignitatẽ ascendit. Hic maiorũ nobilitate & propria virtute clarus, Ximenii cubiculo iam olim præfectus, atq; huius belli Africani maximus suscipiendi suasor fuerat. Toleto itaq; sub finem mensis Februarii, die cinerum proficiscitur, atq; per suã ditionem qua commodum erat iter faciens, Romeralios & Lilienses præteruectus, egenorum inopiæ succurrebat: atq; eorum vxores, qui militiæ nomen dederant, solabatur: monebatq; vt bene sperarent. Lilio ad Didacũ Lupum Aialã v. Cal. Martias literas dedit, quib. se iter institutum prosequi dicit, & pridie nonarum Carthagini adfuturum. Et quoniam criminatores non cessabant de Ximenii incõsiderantia apud regem obloqui, quasi pecuniã paratam ad classis traiectionẽ non haberet, vt regem adeat iubet, & certiorẽ faciat se tantam argenti signati summã Malacã ad classem reficiendã misisse, vt omnib. abunde prouisis, plusquã decem millia aureorum ad alios vsus essent superatura. Ergo per Marcã (vt vocant) Aragoniæ, & per Murgitanos ad diẽ præstitutum Carthaginẽ venit: vbi cuncti eius præsentia exhilarati, nouo quodam ardore rem incœptam perficere cupiebant. Nam extemplo Nauarrus, ad eum Malaca profectus, venit, & omnia diligenter à se prouisa, quæ ad classem instruendam pertinebant, ostendit: sed quo minus Carthaginem appulerit, Eurorum flatib. hactenus prohibitam fuisse, tamen intra decimum diem, quandoquidem illi flatus remittebantur, sperabat Carthaginem peruenturam. Scripserat Ximenius ad Spinosam tribunũ militarẽ, de stipendiariis cohortium regiarum militib. daret operã, vt quamprimum collectos antequã classis solueret, adduceret. Quod si euocati per regẽ non essent, tumultuarium exercitum cogeret: neq; enim par erat, vt classis idoneã tempestatem nacta, retardaretur. Nihil ad id tempus Spinosa rescripserat: sed vir prudens statim coniecit, regios ministros ea in re negligentes fuisse, neq; vllam euocationem esse factã. Quare Valdesium cohortis prætoriæ ducẽ cum duob. aureorum nummum millibus, ad Spinosam mittit, & vt quanta celeritate possent manum aliquã militũ facerent, quæ in euocandorũ locum succederet, imperat. Porro dum omnia quã cõmode cõposita Ximenius esse cupit, illud ẽt, quo celerius regi nuntiari quid in Afica ab eo gereretur posset, prouidit, vt modicis interuallis, per planiores vias equi disponerẽtur. Currendi autẽ & properandi curã Mirandæ veredario, magnopere commendauit. Id quo diligentius fieret, binos & vicenos aureos nummos in mensem tum ei, tum eius sodali, quẽ in partẽ laboris recepturus erat, assignat. Tantã vero victoriæ spẽ conceperat, vt quoniã eo ipso tempore, regẽ in Italiam ad Neapolim continendã peditum cohortes mittere cognouerat, ad eum scripserit, se simulatq; Africanam expeditionem confecisset, partem exercitus in Italiam missurum, seque ipsum etiam, si opus esset, traiecturum: quare ad se quid fieri vellet sigillatim scriberet, omnia enim ex reipublicæ vtilitate, & dignitate regia curaturũ. Rursus dum in anchoris ventũ expectat, ad Lupum procuratorem scripsit, se felicem euẽtum de re suscepta sperare. Regẽ ergo suo nomine cõmonefaciat, vt de tuenda Orano iam cogitare incipiat: neq; enim minorẽ diligentiam, aut impensas ad eam postea retinendam, quam ad expugnandã in præsentia requiri. Quoniã vero Didacus Vera tormentorũ præfectus, eo tempore reip. rebus occupatus aberat, vt regẽ de dando Veræ vicario consulat iubet: sibi enim Fernandum Veræ filium ad paternum munus obeundum satis aptum videri. Dum hæc Carthagine geruntur, bimestre tempus est elapsum: neque enim vt constitutum fuerat, sub mensem Aprilem proficisci licuit, nouis subinde difficultatibus, quæ nauigationẽ impedirent, emergentibus: quarũ hæc fuit potissima. Cum Carthaginem oẽs cõuenissent, nihilq; ad vela facienda iam deesset, tumultuari milites cœperunt, neque se inde discessuros minari, nisi stipendiis numeratis, quæ sibi cum militiæ sacramento obligarentur, duces spopondissent. Huius tumultus authorẽ, Arnoldum quendã Cõplutensem fuisse dicunt, vilem homuncionem, atq; sordido centonarii sutoris opificio ã pueritia addictum

Eo res

Eo res processit, vt bona pars exercitus secederet, & collem proximum occupauerit, atque pila & gladios ostentantes, difficilem pacationem promittere viderentur. Ximenius ea de re grauiter (vt par erat) commotus fuit: nam cum paulo ante Petrus Nauarrus nouarum rerum cupidus classem alio diuertere tentasset, neq; adhuc quid ille moliretur satis certus esset, stipis numerationem, donec in Africam appelleretur, consulto distulerat. Vianellus, cuius castrorum datum fuerat, potestatē traditā exercens, si quos ex seditiosis militib. cōprehendere poterat, morte multabat: nam aut laqueo gula frangebatur, aut pilis transfigebantur, vt more militari solet fieri. Id cum Ximenio nuntiatū esset, Garsiā Villaroellum Castorlæ præfectū ad eum mittit, qui suo nomine vt mitius ageret admoneret. Nā quanuis ea esset castrēsis consuetudo, Pontificiā tamen personā lenitas potius & mansuetudo, quā immodica seueritas decebat: præsertim cum bonā militū partem ex pontificalib. municipiis, à liberorū & coniugū complexibus, ad belli labores ipse pertraxisset. Id fortasse durius quā par erat Villaroellus Vianello exposuit: vnde procacius aliquid in ipsum & Ximeniū effudit. Cuius superbū & insolens responsum, quale solet esse militū, non putauit Villaroellus verbis retundendū, sed ferro potius decernendū. Gladio ergo stricto hominē adortus, caput grauiter percussit. Sed Ximenii indignationē veritus, in arcē continuo se recepit, cuius custodiā Villaroellus quidā tenebat, huic de quo agimus genere propinquus. Vianellū vulneratū fuisse permoleste Ximenius tulit, nec minus ad arcē Villaroellū confugisse doluit. Reddebat aūt causas non ineptas, cur nec ille vulnerari, nec hic dare se fugæ debuerit, viris etiā militarib. approbantibus. Venti ex voto flare cœperant, sed expectandum fuit donec Vianellus conualesceret, præsertim seditione militū adhuc durante. Sed Salazarus Toletanorū dux, vir eloquentia militari præstans, & plerisq; militibus notus, cōmuni sententia electus est, qui ad milites tumultuantes orator mitteretur. Is ergo militū sic pectora flexit & leniuit, vt de concordia agere cœperint. Sed quia hæc solida esse non poterat, ni stipendia soluerentur, & Ximenius tam milites quam Nauarrū de abitu suspectos haberet, opportuno Fr. Aluari consilio decretū est, vt per præconē oēs vocarentur ad pecuniā, in nauib. recipiendā. Adducuntur sacci nummorū aureorū pleni, festa fronde coronati, cunctis vidētibus, & tympanorū tubarumq; sonū audientibus, quæ pretiosum metallū in nauim prætoriā comitabantur, vbi quæstor sedebat, stipendia quæ cuiq; deberentur, numeraturus. Hoc spectaculo ita sunt oēs inflāmati, vt incredibili festinatione ad vnū naues conscenderint seditionis obliti. Ximenius ea militū alacritate impense lætus, ipse quoq; in idus Maii die dominico portu statim soluturus, nauim ingreditur: sed vsq; in diem quartum in anchoris manere coactus est, propter parum idoneam tempestatem. Duces interea ad se solicitus vocabat, & singulis quibusq; tribunorum ac centurionum, officium demandatum in memoriam reducebat. Hæc quæ de militum tumultu diximus, tales causas manifestas habuerūt: cæterum vt ex Ximenii epistolis ad regem sub id tempus scriptis colligere licet, tota eius seditionis culpa, in Petrum Nauarrum, veluti in fontem & principium reiicitur. Is enim Italicis rapinis assuetus, omniaq; ex voluntate tribunorum, qui cum eo in Italia meruerant, agens, ex quibus non parum multos huius belli comites secum ducebat, pactis quæ chirographo cum Ximenio firmauerat neglectis, clancularíis obtrectationib. & mendaciis, militum animos abalienauerat, dum fidem Ximenii apud eos eleuat, & mercedē promissam calumniis dubiam facit. Nam cum inter eum & Ximenium conuenisset, pecuniam non vt alias consuesset, tribunis committendam, sed per quæstorem suum, ipsis militibus viritim diuidendam: quandoquidem experimento cognitum erat, id in detrimentum militum vergere: qui sæpenumero aut stipendio fraudabantur, aut si id non contingeret, diutius dilato, rerum necessariarum, donec tribunis liberet, indigentia laborabant: aut certe militum numerum tribuni mentientes, quod & nunc quoque passim fit, sibi per maximam auaritiam quicquid superaerat vindicabant. Ea igitur pacta conuenta simulatque tribuni Carthaginem appulerunt, per Nauarrum recisa sunt: & aut de summa rerum periclitandum erat, aut tribunis pecunia numeranda. Conuenerat etiam, vt dimidia pars prædæ hostilis quæcunque caperetur, ad id bellum gerendum cederet, atque apud sequestros ad militares vsus primo quoque tempore deponeretur. Sed hoc etiam irritum Nauarrus fecit. Nam per illos dies, quibus Carthagine Ximenius commoratus est, oram maritimam infestabat, & nonnulla ex hostibus capta sunt, quæ prædæ nomine censeri debuerant, nihil tamen in commune attulit, sed militaribus elusionibus ad priuatos vsus, & nonnullorum aliorum conuertit. Ximenii verba hæc ad Franciscum Ruizium sunt: His me artibus Nauarrus tractabat. Quod si quid ex petitis renuerem, aut me quod ageretur sentire indicarem: illico milites ad tumultum concitabantur. Sed quoniam personæ meæ ratio, vt id more militari vindicarem, non permittebat, & Nauarrum habebam, qui id ex imperio commisso vindicare potuisset, non modo illum hac in re adiutorem aut col-

legam non habui,ſed omnino aduerſarium ſenſi. Verum omnia potius mihi toleranda du-
xi,quam in eo temporis articulo vniuerſum negotium ſubuertere:quod niſi ita facere ani-
mum induxiſſem,prorſus fuit euenturum. Habes cauſam Carthaginenſium ſeditionum,
quæ me non mediocriter diſcruciauerunt. Quocirca creditum eſt, Villaroellum Ximenii
conſiliorum participem, aliquid huiuſmodi bile percitum Vianello exprobraſſe, qui Na-
uarro conſentiebat,& in milites,quaſi illorum peccatum eſſet,ſeuerius (vt diximus) anim-
aduertebat. Claſſis ergo octoginta actuariis nauibus,decem maximis triremibus,quas nũc
regias galeras vocant,conſtabat:præter permulta nauigia minora,& ſcaphas maiorib. ſer-
uientes. Vehebantur autem decem millia peditum,equitum vero quatuor millia,& lixa-
rum calonumq; numerus neceſſarius. Poſtridie idus Maias ventum ſecundum nacta claſ-
ſis eſt:quare ſublatis anchoris,hora ferme diei tertia,portu Carthag. ſoluunt. Ex literis Al-
uari ſcholaſtici ad Diegum Lupum Aialam ſatis conſtat,Cardinalem corporis maciem ex
ſolicitudine contraxiſſe,non tamen ob id animi vires imbecilliores factas,& magna totius
exercitus alacritate vela quo diximus die feciſſe,certiſſima victoriæ ſpe concepta. Adeo
iuſti belli cauſam militum animos excitare & inflammare valet, præſertim ob religionem
ſuſcepti. Poſtridie eius diei multa iam nocte, Ximenius ad Africam ſecundis ventis appu-
lit. Is autem dies religioſiſſimus eo anno fuit,quoniam Chriſti ſeruatoris in cælum aſcen-
ſus eo die celebrabatur. Claſſis ſub meridiem ab ſpeculantibus Mauris viſa eſt, cum diſta-
rent quadraginta millibus paſſuum. Omnia montium cacumina ſigno ex arce, quæ Facis
appellatur dato,fumare cœperunt. Quo ſane ſignificabatur hoſtium exercitum iam aduẽ-
taſſe,& idcirco oportere,vt cuncti ad eos repellendos ſeſe compararent. Ximenius,Mer-
ſalcabirano præfecto recipiente,portum ingreſſus eſt. Obtexerãt iam omnia craſſæ tene-
bræ,cum Ximenio nuntiatum eſt,claſſem vniuerſam ad eundem portum ſaluam appuliſ-
ſe,& hoſtes magnopere conterritos,noſtrorum audaciam & virtutem conſiderantes, qui
locis ignotis & hoſtilibus,per noctis caliginem ſeſe committerent:tantaq; animorum præ-
ſentia,non expectata luce,neq; ſtationibus exploratis,portum tamen tenuiſſent. Mirũ ſane
fuit,naues ſibi viciſſim cladi non fuiſſe,dum portus anguſtias nocte illuni ſubeunt,altera in
alteram impingens. Per eam noctem Ximenius ſomnum non capit,ſed ſolicitus in ancho-
ris manſit,dum ſingulis quid poſtero die faciendum eſſet per partes diuidit. Nauarro,qui &
ipſe quoq; vt Imperatorem optimum decebat,forti ſermone cunctos ordines ad præliũ in-
cendebat,eius diei victoriam commendauit. In eo enim ſolo totius rei ſummam verſari, &
ſoli tantæ rei gloriam reſeruari,multis audientibus dicebat. Ad ſe enim præter impenſas,&
ſolicitudinem omnes cohortandi,& regem admonendi quemadmodũ quiſq; ſe in eo bel-
lo gereret,nihil,aut certe parum pertinere. Multi ex ducibus eius alloquio fiducia pleni,lu-
cem non eſſe expectandam exiſtimabant:ſed in primis Ximenius,cui omnis mora,nõ mo-
do longa & grauis videbatur,ſed ſuis conatibus impedimento & damno eſſe. Itaq; inter o-
mnes conuenit,vt quoniam plurimum momenti ad victoriam haberet, prærupti cliui oc-
cupatio,quem inter Oranum & portum conſurgere diximus, de media nocte irruendum
eſſe putabant,dum nihil tale hoſtes timebant,& præſidium in cliuo poſitum negligentius
cuſtodiebatur. Nec eſſe Numidarum multitudinem expectandam, qui vigiliarum fumis
admoniti,ante auroram omnes illos colles eſſent præoccupaturi. Interea actuariis nauibus,
& triremibus per oram maritimam ad vrbem accedendum eſſe,vt eodẽ tempore tormen-
tis è nauib. Oranum quateretur,& præſidium è cliuo deturbaretur. Neceſſe enim eſſe, vt
dum vni rei ſuccurrere laborant,alteram deſtituant:quare alterutram capi oportere. Sed
poſtquam pedites omnes è nauibus ante lucem egredi cœpiſſent,Nauarrus incertum quo
conſilio,ſcaphis & cymbis ablatis,quibus equi erant traiiciendi orã legens,ad Oranũ con-
tendit. Hic vt retulere qui per id tẽpus vixerunt,nunq̃ probauit claſſem tã numeroſo equi-
te onerari:eſſe enim dicebat ardua & difficilia loca,nihilq; minus quã equitatui apta. Ergo
animi ſui ſententiã ſecutũ,de egreſſione equitũ,vt parũ neceſſaria,nequaquam curaſſe,ſed
vniuerſis nauigiis arreptis,eorũ ad vrbẽ ſpecie,terrorẽ hoſtibus iniicere voluiſſe. Id poſt- 5
quã Ximenio renuntiatũ fuit,exiſtimans Nauarrũ,vt imperii æmulũ, in ſuã id contumeliã
feciſſe,indignabundus ex arce,quo ſe ad curandũ corpus receperat,ſubito exiliit, & equi-
tes quamprimũ qua ratione fieri potuit egredi iubet,atq; ad auxiliũ peditib. ferendũ vrget.
Ne quid tamẽ à mari,aut à tergo ex vallibus,quæ ad prærupti collis radices profundiſſimæ
iacent,detrimenti à noſtris caperetur (eſt enim gens Punica,inſidioſa,& fraudulenta) oræ
maritimæ,& vallium faucibus præſidium appoſuit. Hac cura & diligentia, plus exercitui
ſalutis & auxilii ad victoriam attulit, quam cæteri omnes dum ſtrenue pugnant. Po-
ſtea enim compertum fuit, complures ex Mauris in inſidiis collocatos fuiſſe, qui nihil
hoſtile ea de cauſa tentare ſunt auſi. Quod niſi Ximenius prudentiſſimo conſilio cauiſſet,

pauci

pauci ex hoſtibus repente noſtros adorti, magnum terrorem inopinantibus & perniciem intuliſſent. De quibus ipſe ad Franciſcum Ruizium ſcribens, illius egreſſionis confuſionem deplorat, & culpam omnem in Nauarrum detorquet, atque Dei vnius fauore & ope acta illius diei ad felicem exitum proueniſſe affirmat: nec ſe, quamuis id ſedulo curauerit, efficere potuiſſe, vt tertia pars equitum è nauibus in tempore deſcenderit. Quod ſi ſuis cõſiliis Nauarrus paruiſſet, omnes ad vnum Numidæ equites, qui in auxilium Maurorum venerant, proculdubio cecidiſſent. Qui primus ex equitibus in Africam deſcendit, Carauaialus quidam eſſe fertur, Pontificalium ædium quæ Compluti amplæ ſunt, eo tempore curator. Quare rei præclare geſtæ Ximenius memor, ſtrenuum equitem, qui Carauaialum referret, è naui ſedulo deſilientem lata in tabula depingi, atque in diui Bernardini æde quam ille poſtea Orani dedicauit, affigi iuſſit, quæ in hunc vſque diem incolumis viſitur. Multum alacritatis & animi, præſentia ſua exercitui eo die Ximenius attulit. Nam è Merſalcabirana arce ſuorum caterua ſtipatus, cum ad portum (vt diximus) egrederetur, nouitate & inſolentia ſpectaculi, ducum animos & militum perculit. Neque enim imperatorem ſuum ſplendenti clypeo, aut caſſide ex chimæra ignes vomente formidabilem intuebantur, ſed Pontificalibus veſtibus indutum, ſacerdotibus & religioſis viris ex vtroq; latere ſtipatum, & cruce argentea pro vexillo præeunte, quam Algora canonicus Seguntienſis ex officio geſtare ſolebat, tunc vero frater Fernandus, validis lateribus, & procera ſtatura homo, quo ex Franciſcanis ſodalibus Ximenius familiariter vtebatur equa alba inſidens gerebat, gladio Hiſpano ſuper ſaccum Franciſcanum accinctus, quemadmodum & cæteri religioſi viri, qui eo die, iubente Ximenio, armis ſe munierant. Hora ferme diei ſexta, omnis peditatus in quatuor agmina per tribunos militares diſpoſitus, totam illam planiciem occupabat, quæ ante arcem Merſalcabiranam eſt. Sed quoniam in tanta feſtinatione milites debilitata corpora curare non valuerant, atq; veneris die qui tunc illuxerat, carnibus veſci religio erat, trepidantes cunctorum animos (neq; enim quid ederent, præter laridum & porcinam, ex claſſis commeatu ſuppetebat) Ximenius bene ominando religione exoluit, & qua pollebat authoritate, facultatem carnes edendi dedit. Ergo poſtquam cibo refecti ſunt, ad ſe omnes conuocat, & ad hunc modum allocutus eſt. Si exiſtimarem Hiſpani viri, fortibus animis, vllis verbis aut neceſſitudinibus fiduciam addi, haud ego ad vos in præſentia, homo parum ad loquendum inſtructus, & in caſtrenſi vita nunquam verſatus, ſed vnus aliquis ex veſtris ducibus prodiiſſet, quem & eloquentia præſtare, & vobis beneuolentia & laborum communione coniunctum eſſe intellexiſſem. At quoniam mihi perſuaſum eſt, vos omnes ad hanc Africanam expeditionem inflãmatos eſſe in qua & Dei opt. max. cauſa agitur, & reip. conſeruatio vertitur: quid autem religioni & patriæ omnes debeamus, neminem veſtrum arbitror ignorare: cum bellum inquam ſacrum geramus, pro aris & focis, vt dici ſolet: volui hoc potiſſimum tempore, quando ad aleæ iactum deuentum eſt, ego ipſe alacritatem veſtram intueri, & animorum præſtantiam contemplari. Audiebatis multis iam annis, littora Hiſpana ab hoſtibus noſtris miſere vaſtari: abduci liberos veſtros in duriſſimam Afrorum ſeruitutem: filias & vxores indigne violari: terrorem deniq; maximum omnium capitibus imminere. Cupiebatis cum illis cõfligere, tot iniuriarum vindictam ſumpturi. Id vt vobis liceret, cum à me crebris vocibus patria efflagitaſſet, decreui tandem ſelectos milites, quales vos eſtis, per viros præſtantiſſimos congregare. Viderunt ex cunctis Hiſpaniæ vrbibus matreſfamilias nos egredientes, & ad aras templorum fuſæ noſtram victoriam Deo commendarunt. Expectant cum triumpho noſtrum reditum, liberoſq; ſuos ex Maurorum ergaſtulis veſtra virtute ſolutos, in amplexu ſe iamiam habituras ſperant. Habetis ante oculos, quem tamdiu optaſtis diem. En illa regio infeſta & inimica, adſunt hoſtes adhuc inſultantes, & veſtrum ſanguinem impotenter ſitientes. Quare præſentibus eſtote animis atq; orbi vniuerſo hodie declarate, non tam robur vobis ad patriam defendendam hucuſq; defuiſſe, quam occaſionẽ & inſignem aliquem ducem, qui vos ad hanc laudem obtinendam inſtigaret & conduceret. Ego ante alios primus memet periculo obiiciam, qui ſic animatus huc tandem prodii, vt aut ſtrenue dimicantes hodie victoriam adipiſcamur, aut ſi id minime ſuperi conceſſerint, quod abominor, omnes pariter confoſſi concidamus. Nam vbi melius Antiſtes Deo ſacer occupet, quam pro religione depugnans. Nec ego primus hanc gloriam videbor aſſecutus: ſic enim multi qui me in Toletana dignitate anteceſſerunt, mortem pulcherrimam pugnantes oppetiere. Hæc dicens aciem procedere iubebat, ſeque militib. comitem dabat. Cuncti eius oratione mirum in modum incitati Ximenium circumſtetere, orantes vt pugna abſcederet, ipſiſque prælii conflictum committeret: eam enim operam religioni & reip. nauaturos, vt ipſum ſuſcepti negotii nunquam pœniteret. Ceſſit

Sſſſ

communibus omnium precibus Ximenius: atque ætatis & personæ suæ memor, in Petrum Nauarrum eam curam reiiciens, Mersalcabiranam arcem se recepit: sacram ædiculam ingressus, quæ diuo Michaeli dedicata est, in genua procumbens, passis manibus in cælum intentus, multis lachrymis Deum precabatur, vt suis Christianis præsidio esset. Petrus Nauarrus vt ingentem Maurorum & Numidarum multitudinem colles occupasse vidit, ne nostri quos maritimi æstus, & labor eius diei lassauerant, impares in congressu essent timuit: belli autem principio parum prospere nostris succedente, fiduciam & vires hostibus auctum iri non dubitabat. Quare secum deliberare cœpit, an in posterum diem conflictum differret, intereaque hostes in timore contineret, an alacritatem militum secutus, tandem de summa belli eo die decerneret. Vt cunctationem magis approbaret, diei tẽpestas in primis faciebat (erat enim hora propemodum nona) metuebat igitur ne iam appetentibus tenebris prælium incœptum intermitteretur, & noctis interuentu noua exoriretur rerum facies: paruo enim momento belli res plerunque in alteram partem inclinat. Animi itaque dubius ad Ximenium redire decreuit, eius sententiam antequam quicquam tentaret rogaturus. Is experientissimi Imperatoris dubitatione permultum commotus, neque quid consuleret satis certus cum se collegisset, in hac (inquit) vir fortissime pugna, Christus summi patris filius & seductor Maurorum Mahometus in certamen descendunt, omnem cunctationem non solum damnosam, sed impiam esse arbitror. Quare omni deposita formidine, milites tuos, vt cum hostibus manus conferant iubeto: certa enim mihi spes est, te hodie victoriam magna cum laude reportaturum. Diuinum id potius oraculum quam vllius hominis consilium fuisset, quæ sunt postea insecuta declararunt: nisi enim eo die pugnatum fuisset, Oranum capi non poterat. Vix post tres horas à capta vrbe, Trimesenius Messuarus, qui authoritate & potentia à rege est secundus, cum magna peditum & equitum vi, in auxilium Orani venit: qui vrbis captiuitate & direptione cognita, nil tentandum contra Hispanos victores ratus, ad regem suum rediit. Ergo Nauarrus ad exercitũ reuersus, qui in quatuor agmina quadrata erat diuisus, quorum singula bis mille & quingentis militibus constabant, sibi vnum agmen asciuit, quo per omnes partes discurrens, cæteris laborantibus auxilio esse posset. Tormenta bellica, quæ Ximenii diligentia, simul cum equitibus, in tanta festinatione è nauibus educi potuerunt, puluere tormentario, reliquisq; apparatibus instructa subsequi iussit. His ad hunc modum constitutis, tubis classicum incinentibus, & omnibus Iacobum diuum Hispaniæ tutelarem inclamantibus, recta ad cliuum occupandum, & inde hostes deturbandos, infestis signis & armis contendere imperat. Illi vero haud segnes, per loca aspera & difficilia, gradu militari, prout tubæ cymbalaq; præcinebant incedentes, iras taciti in Mauros acuebant. Illi è montis vertice partim telorum iactu, partim crebra lapidum ingentium volutione, nostrorum ascensum omni ratione prohibere nitebantur. Qui è Mauris paulo audaciores erant, ab stationibus nonnihil discedentes, loci opportunitate confisi (facilis enim erat ad suos regressus) nostros ad manus conferendas prouocabant. Erant quidem nostri Ducum & tribunorum imperio iussi, ne locum vllo pacto desererе auderent, antequam verticem occuparent: non tamen defuerunt, qui Maurorum insolentiã ferre non potuerint. Inter quos nonnulli Gualdalfaiarenses, promptiori animo & manu, facinus aliquod strenuum ante alios edere cupientes, longius ad prouocatores progressi, temeritatis pœnas dederunt. Nam Ludouicus Contreras interemptus fuit, & reliqui vt ad suos reuerterentur, vi sunt coacti. Mauri vero propter primi congressus fortunam læti amputatum Ludouici caput, veluti Christianorum pereuntium primitias, ad vrbẽ ferendum curant, quod in nostrum ludibrium pueris per vicos rotandum est traditum. Erat Ludouicus altero oculo orbatus quod cum vetulæ auguratrices, quarum ingens numerus apud Mauros est, animaduertissent, dira superstitione tactæ ad suos inclamare cœperunt, certam esse Orani captiuitatem proinde saluti suæ quisq; pro viribus in tempore consuleret: id aperte numina declarare, cum is qui ex hostibus ferro primus occubuisset, luscus esset. Tantus tamen vulgi de capite abscisso mutuo sibi gratulantis concursus fuit, vt ad subterranea ergastula, quibus Christiani vincti asseruabantur, dolorem & miserias aucturi detulerint, Alfaquini esse dictitãtes: ita enim ex suorum pontificum nomine, Archiepiscopum nostrum appellabant. Id cum Franciscus quidam Deolodatus audiuisset, qui in Ximenii familia aliquando vixerat, & in Mersalcabirana oppugnatione à Mauris captus toto quadriennio in vinculis fuerat, caput sibi ostendi postulauit. Postquam faciem, & oculi etiam orbitatem perspexit, non hoc (inquit) caput Alfaquini nostri est, vt vos vane putatis, sed alicuius gregarii militis. Interea nostri in aduersum niti, ad montem occupandum: sed festinantes à nebulis atris, quæ subito & montis cacumen, & ipsos etiam Mauros è conspectu abstulit, retardati sunt.

Hunc

Hunc tamen casum in augurium secutæ cladis Mauri acceperunt, vt ipsi postea dicebant. Nostri ergo pertinacibus & constantibus animis, tantum reptando & contendendo effecerunt, vt capacissimum aquæ locum, à quo in prima statim montis ora venæ nitidissimæ defluunt, quem Mauri ingenti contentione defendebant, sibi per vim & per neces occupauerint. Erant ob viæ difficilis molestiam, & festinandi studium, in solo præsertim ardenti & æstuoso, nostri fatigati: quibus multum roboris & fiduciæ dedit aqua eo tempore occupata. Quare tormentis inter ficeta & suburbanas quasdam habitationes collocatis, Maurorum agmina glandibus ferreis & non mediocris magnitudinis lapidibus male multabant. Nauarrus & aliquot selecti milites, tantam ferro stragem ediderunt, vt terribili metu debilitati Mauri, vim illorum sustinere nequiuerint, sed terga dantes montem deseruerint, nostrisque liber transitus sit relictus. Maurorum fuga conspecta adeo animose nostri sunt insecuti, vt militaris ordinis obliti, & ducum imperia parũ attendentes, per subiectam Orano planiciem sese aduersus fugientes effuderint. Hæc turbatio & ordinum confusio, qua sese milites per campos insequendi auiditate ad vrbem tam late explicarunt, non inutilis fuit vt timebatur: nam terrorem maximum Mauris incussit, multo maiorem exercitum quam erat, ea specie existimantibus. Interea classis non cessabat Orani muros quatere, quamuis Mauri pro virili sese defendere satagerent, & crebris tormentorum ictibus nostros impeterent. Accidit vero vt tormentarius magister, tam bene collineauerit pilam ferream contra præstantissimam Maurorum machinam, vt illam confregerit, & loco deturbauerit. Exinde hostium ictus remissiores fuerunt, adeo vt nostri è triremibus desilientes, terrestribus copiis sese coniungere potuerint. Coniuncti fortissime dimicantes effecere, ne fugientibus hostibus pateret aditus in vrbem, sed coacti fuerint, præter casam (quod aiunt) fugere, viis omnibus per nostrum militem occupatis. Dum hæc geruntur, sex Christianorum signa in summa vrbis arce sunt conspecta, & paulo post intra semihoræ spatium, omnia mœnia nostrorum vexillis tenebantur. Nam nostri milites per hastas mirabili pernicitate reptantes, dicto citius omnia præsidiis obsederant. Tanto ergo impetu conscensum fuit, vt postea id per otium considerantes, vix fieri potuisse crederent ipsi authores. Nam parta victoria, cum idem efficere laborarent, nunquam successit: nunc murorũ altitudine, nunc hastarum polita læuitate, & flexibili materia, militum studium & conatum retardantibus. Adeo ad res præclaras gerendas necessarius est ille ardor, quo animi incalescũt cum res vera agitur. Sosa cohortis pontificiæ præfectus, fuit primus qui reptando in muros conscendit: nam diuum Iacobum & Ximenii auspicia inclamans, & è summis mœnibus Ximenii vexillum ostentans, victoriam partam nuntiauit. Complures intra vrbem è muris desilientes, portis reseratis, aditum reliquis militibus dederunt. Mauri re insperata perterriti, & suorum militum præsidio destituti, ob subitam nostrorum irruptionem, multi se in sacella (quas mesquitas vocant) recepere, alii in munitas quorundam diuitum ædes, nonnulli quibus animus erat promptior, patentioribus locis cõuenerunt, vltima aduersus hostes experiri parati. At vbi vniuersum nostrorum exercitum vrbem ingredi viderunt, totamq; illam formidãdam aciem per omnes vicos circumfundi, veriti ne omnino spes fugæ interciperetur, vrbis portas petiuerunt, si forte cum irrumpentium confusa multitudine ipsi elabi quoquo modo possint. Ex nostris equitibus, quibus vt diximus Villaroellus Castorlanus præerat, plures quam ducenti, id quod futurum erãt rati, ante portam Trimeseniam cõsistentes, qua hostibus fugiendum erat, pene ad vnum omnes confodissent, nisi subitus Villaroelli casus eis salutem insperatam attulisset. Ille enim ab hostibus nihil periculi esse cogitans, quos in diuersa dispersos esse nouerat, prædæ solum inhiabat. At centum & quinquaginta Arabum equites, qui non minus quam nostri prædandi erant cupidi, vt mos gentis illius est, in socios victos omni perfidiæ genere insultandi, in hortis suburbanis delitescebant. Hi vltimos equitum subito adorti, tantum Villaroello terrorem iniecerunt, magnum aliquẽ exercitum à Trimesenio rege venisse existimanti, vt dum ad nostros inconsulte se recipit, equum amiserit Arabis hasta perfossum. Hoc vnus è cornicinibus, qui equites sequebatur, videns proh pudor (inquit) Hispani equites, cur fugitis vestros captiuos? Hi Arabes nuper vestras manus effugientes, in hosce hortos se receperunt, si qua possint mortem effugere. His verbis nostri sese collegerunt, & impressione facta, Arabes in fugam verterunt, nonnullis occisis. Decem ex nostris Arabum hastis confossi perierant, antequam se colligerent: inter quos Pezuelensem, Didacum Quiralum, Franciscum Vaezium, Ferdinãdum Cauiam Complutenses, cecidisse accepi. Exercitus qui Oranum victor occupauit, tanto ardebat odio cõtra alienæ religionis homines, vt nulli ætati aut sexui pepercerit: omnia ferro & igne vastabantur. Hanc stragẽ pulchris carminib. Consalus Ægidius in cõmentariolo de bello Africano, descripsit. Igitur nostri humanitatis obliti, vt in victoria fieri solet, nullũ sæuiẽdi finẽ facturi

Ssss 2

videbātur, niſi nox lucē ademiſſet, & receptui ſigna fuiſſent data. Quiſq; ad ſuā ſtationē & Ducē properabat: ſed tāta erat militū confuſio, qui Maurorū domos diripiebāt: ſeq; ſpoliis tū argenti facti, infectiq;, tū variæ ſupellectilis locupletabant, vt nullo modo contineri potuerint. Rurſus ergo ad direptionem redeunt, atque omnia vrbis loca paucis exceptis, occupant, occiſo ingenti hoſtium numero: & epulis, quas ſibi illi in cœnam parauerant, diei famem noſtri depulerunt. Sed tandem ſomnus ex labore & vino obortus eos oppreſſit & cruentis hoſtium cadaueribus tanta ſecuritate & fiducia indormierunt, vt permulti in Orani vrbis plateis ad multam diem ſtertuerint. Nauarrus interea vigilantibus centurionibus per opportuna loca diſpoſitis, excubias fieri diligenter iubet: & inſidias Maurorum timens, nunquam militare ſagum exuit: quod illi perpetuum in bello fuit, erat enim ſomni parciſſimus. Poſtero poſtquam illuxit die, Nauarrus omnia ſtrenui Imperatoris munera executus, vrbem circumluſtrat. Cum tot paſſim cadauera miſerandis vulneribus perfoſſa noſtri contuerentur, hoſtili furore & rabie, quæ in pectoribus humanis ex bellica contentione innaſcuntur, mitigatis, miſericordia & communis fortunæ recordatione tacti, palam illachrymabantur: & ad deditionem eos perhumaniter inuitabant, qui vel ad meſquitas, vel ad loca aliqua tuta confugerant. Perculit potiſſimum noſtrorum animos lactens infantula, quæ in media via matri interemptæ adrepſerat, & vellicata per blanditias papilla, colludens ſugere tentabat. Hanc Georgio Baracaldo, qui Ximenio ab epiſtolis fuit, dum ſub corona captiui veneunt, exiguo prætio ceſſiſſe Ægidius ſcribit, & à ſe poſtea in Hiſpania viſam. Huius perſimilem caſum Ariſtides Thebanus, qui Apellis æqualis fuit, pinxiſſe fertur. Oppido enim capto ad matris in moribundæ mammam infans repſerat, adeoq; mirum artificem fuiſſe aiunt in affectibus exprimendis, vt mater ſentire videretur, & timere ne pro lacte ſanguinē infans lamberet. Illico Nauarrus ad meſquitas & præſidiarias domos expugnandas milites quoſdam ſelectos mittit, ipſe circumcirca regionem explorat: vt priuſquam Ximenius ex Merſalcabirana arce Oranum veniat, omnia tuta forent. Illi qui ad meſquitas capiendas ſunt profecti, tanto impetu hoſtes ſunt adorti, vt quamuis egregie ſeq; & loca tuerentur ſuſcepta, inde tamen noſtrorum militum virtute deturbati, tandem victoribus ceſſerint: totaq; vrbs in deditionem ſit redacta. Arianarorum fratrum virtus quos Cantabria miſerat, principium loca illa capiendi dedit. Nam cum ad meſquitam maximam præclare vtrinq; dimicaretur, hi comiteſq; nonnulli robore ſuo freti, ædis faſtigia reptando occupauerunt: in quos cum tela ab hoſtibus frequentia iacerentur, eſſentq; animi dubii, an in Maurorum confertiſſimam multitudinem ſeſe immitterent (nam diutius eo in loco conſiſtere nequibant) nihil amplius cunctati, ſe in medios hoſtes, magna animi præſtantia præcipites dederunt. Sic ad vnum hoſtibus captis, maxima meſquita in poteſtatem noſtram venit, & reliqua deinceps loca, in quibus Mauris ſpei aliquid, aut fiduciæ remanſerat. Viri multi inſignes & præclari ex hoſtibus cecidiſſe dicuntur, ſed promiſcui vulgi quatuor millia, & aliquanto plures. Certe omnes plateæ & viæ, adeo cadaueribus erant plenæ, vt neceſſe eſſet ambulātium pedibus conculcari. De captiuorum numero, parum conuenit inter eos qui per epiſtolas tunc amicos certiores de his rebus fecerunt. Allii enim quinq; millia fuiſſe, allii octo ſcribunt: vt Hieronymus Iulianus ſcribendarum epiſtolarum Baracaldo ſocius. Ex noſtris triginta ſunt deſiderati, qui in montis expugnatione perierant. Præda adeo ingens & opulenta fertur, vt non ſolum tribuni militares & duces, inter quos quendam fuiſſe certum eſt, cui decem millia ducatorum obuenerint, ſed ipſi quoq; gregarii milites, atq; adeo calones & lixæ auro & argento diuites diſceſſerint. Quingentis millibus nummum aureorum Orani præda integra æſtimata eſt: quod neutiquam mirum videbitur, vrbis opulentiam & diuitas reputanti. Mille & quingentas tum mercatorum, tum artificum officinas Hieronymus Iulianus ſe per id tempus Orani numeraſſe tradit: quod ſi admittimus, vix in tribus præcipuis Hiſpaniæ oppidis, in quibus nundinæ frequentes ſunt, tot reperientur. Non defuerunt ad bellum Africanum ſuſcipiendum, neque poſtea in prælii diſcrimine oſtenta, quæ neutiquam recenſuiſſem, niſi eius temporis ſcriptores conſtanter ea non modo aſſeuerarint, ſed ſacris concionibus in templis euulganda, multis obteſtationibus tanquam rem admirandam commendauerint. Aliquot ante diebus, cum dilationibus de quibus diximus, in Hiſpania Ximenius detineretur, ad Vaionā Carpetaniæ vicū, vbi Taguſa modicus fluuius non longe à Toleto in Xaramam capaciorem confluens, frequenti per cymbam vectorum traiectu, locum ignobilem alioqui illuſtrat, crucē per aliquot dies viſam eſſe ferunt: de qua cum crebri ſermones in comitatu regio fierent, eiſq; Ximenius aliquando intereſſet, multiq; cauſam ſciſcitarentur, quid potiſſimū ſibi crux vellet Vaionæ viculo imminens, quidā vt apparet non inertis ingenii homo, Ximenio præſenti dixit: Te ô Antiſtes crux admonet, vt expe-

vt expeditionem ſuſceptam matures :,nam Vaiona parum à Veayna diſtare vides. Porro Veayna Hiſpanorum lingua id ſignificat, quod vade cito, ſi quis Latine interpretetur. Simili diuinatione in voce ſatyrus, cuius imago Alexandro dum Tyrum obſidet, per quietem oblata fuit, Ariſtander vates eam eſſe capiendam pronunciauit. Portu egredientibus, crux in Africa primo ſeſe obtulit. Igitur Cazalla titularis Epiſcopus, crucē in limine portus conſpicatus(nam is de ea re iuſſu Ximenii, ad Villalpandum Toletanum Vicarium ſcripſit) ad milites conuerſus, in hoc (inquit) ſigno vincemus. Quod enim quinto nonas Maias, Toleti in templo maximo concionantem me audiuiſtis, cū de crucis dominicæ inuentione tractaremus, nos nempe crucem dominicam repetitum in Africam tendere, quam perfidi Mauri Mahometo duce ex illis locis impie deturbaſſent, en ſe nobis in veſtibulo offert, vobiſq; certum victoriæ augurium dat. Aper deinde immanis, è proximis ſaltibus per medias acies ferociter pertranſiens, clamore noſtrorum continuo exorto, quaſi ex compoſito factum eſſet, Mahometum eſſe omnes conclamarunt, & militum telis transfixus eſt. Ingens vulturum multitudo, cædem Maurorum palam ſignificantium, hoſtium exercitum circumuolabat, nunquam ad noſtros deflectentes vt priſca ſapientum dicta vera eſſe depræhēſa ſint, qui vultures exercitus ſequi prodiderunt, eoſq; potiſſimum diligenter oberrare, quorum internecionem futuram eſſe triduo ante præſenſerint. Leones item per ſyluas frementes à circumuicinis Mauris audiebantur, qui poſt prælium commiſſum, ad cadauera deuoranda de nocte conuenerunt. Cum à noſtris caperetur, duplex item Iris viſa eſt Orano imminere: quas cum Carolus Mendozius Friaſio iuriſconſulto oſtenderet, ſubito veluti diuinans, Oranum in noſtram poteſtatem veniſſe, exclamat. Hoc cum Ximenius reſciuit, prænuncia cælo (inquit) veniſti Iris, nobis victoriam ratam factura. Atq; ad familiares conuerſus, in ſcholis philoſophorum, Irim non modo tempeſtatem, ſed pugnam etiam ſignificare, audiiſſe ſe dixit: Iam vero eius geminationem pugnæ atrocitatem proculdubio indicare: penes quos tamen victoria eſſet futura à Dei opt. max. pendere voluntate. Certe nautæ tempeſtate iactati, aeris inde ſerenitatem arguunt, nos item ſperemus rerum immutationem: ſic enim qui hactenus famelici & ſiticuloſi, montis aſcenſu prohibebantur, vrbem occupabunt. Hæc dicendi nuntius aduenit, qui vrbem eſſe captam declarauit. Admirabile videbitur quod dicturus ſum, ſed nihil certius eo tempore eſt habitum, ac proinde multorum ſcriptis teſtificatum: nam præter priuatorum hominum epiſtolas, Gonſalus Ægidius, & quidam innominatus author, qui commentariolis Latine editis, huius pugnæ ſeriem ediderunt, magna hoc aſſeueratione affirmant: ſolem ſcilicet, quatuor & amplius horas, curſum ſuum continuiſſe. Nam cum à noſtris mons appetebatur, dies palam inclinare cœperat, fermeq; ſol iam occaſui proximus eſſe videbatur: quod vnum (vt diximus) Nauarrum ad montis radicem, priuſquam prælium tentaret reputantem, non mediocriter conturbauerat. Hoc etiam Ximenium conſideraſſe aiunt, prudenter tamen tacuiſſe, donec res hæc mirabilis omnibus vulgata fuit. Animaduertiſſe hoc etiam nonnullos ex Mauris affirmant, qui rei nouitate perculſi, ſacrum ſuſceperint baptiſma. Certe in eo prælio, quo temporibus noſtris Carolus v. Romanorum imperator Ioannem Federicum Saxonem fudit, diem quoque longiorem fuiſſe ſcribunt, quam eo tempore curſu ſolari eſſe potuiſſet, quod & ipſe Cæſar affirmabat. Huiuſmodi autem miracula an ex opinione humana naſcantur (res enim maximas & difficiles breui tempore abſolui non credimus) an lux illa vere tardior fuerit, præpotentis Dei voluntate, non eſt conſilium perſequi. Igitur Ximenius captæ vrbis nuntio impendio lætus, noctem illam hilarem, in hymnis, & gratiarum actionibus ſomni immemor inter ſuos traduxit. Poſtridie eius diei triremibus Oranum petere placuit, vt ſalebroſi itineris difficultates vitaret. Fruebatur inter nauigandum pulcherrimo vrbis aſpectu, menianis frequentibus, & candidiſſimis turribus collucentibus. Ad terram expoſitus, crucis vexillo præeunte, & victore milite ſtipatus, vrbem ingreſſus, lætis omnium acclamationibus ſuſcipitur, laudes Deo optim. max. victoriarum largitori incinentium, & Ximenium gentium barbararum victorē proclamantium. Qua ille re mirifice oblectatus, Dauidis verſiculum ſublimi voce protulit, ita vt ab omnibus exaudiri poſſet: Non nobis domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Ad Alcazauam (hoc eſt ad arcem maximam) è veſtigio perrexit: neque enim alteri præterquam Ximenio aditus ad eam ſe daturum præfectus affirmauerat. Poſtquam receptus fuit, claues ſunt ei traditæ: & protinus trecenti ex Chriſtianis captiui, qui dira ſeruitute à Mauris premebantur, ex arcis ergaſtulis in lucem ſunt producti, atque optata libertate donati. Oblata eſt illi vniuerſa præda tāquam præcipuo imperatori, quæ publice iuſſa fuerat aſſeruari. Ille quamuis multa pretio & elegantia inſignia videbantur, nihil ad rem ſuā priuatam tranſtulit: ſed quædam in publicos exercitus vſus, quemadmodum cum Nauarro conue-

nerat, quædam ad regem deportanda ſepoſita fuerunt. Ducibus deinde, & tribunis militaribus vocatis, virtutem illorum publice collaudauit, & pro tam fortiter nauata opera benigniſſime gratias egit: & torquibus, armillis, & Numidicis phaleris, aliiſque item militaribus præmiis, prout quiſque merebatur, donauit. Cadauera extra vrbem vt eiicerentur curatum eſt, quorum fœtor vrbem pene infecerat, & periculum erat ne aer, qui facile alienas impreſſiones recipit peſtilentes afflatus conciperet, & corrũperetur. Negotium id fuit cum primis operoſum & moleſtum: neq; enim paruo tempore tam ingens fœtidorum cadauerum multitudo expelli poterat, neq; facile erat homines inuenire qui veſpillones agerent. Idcirco aut in ſcrobes profundos ſunt immiſſa, & aggeſta terra contecta aut per vicos alia ignibus incenſis combuſta, alia vſtulata. Sed vix efficere omni cura potuerunt, vt multis poſt diebus à Ximenii diſceſſu, cadauera per Orani vias non iacerent permulta: adeo vbi lucrum non eſt, vulgus laborem etiam ſibi neceſſarium fugit. Bellica inſtrumenta ærea, quæ mœniis diruendis ob ingentem magnitudinem ſunt idonea, pluſquam ſexaginta inſtructiſſima ſunt capta: Catapultarum, Scorpionum, Baliſtarum & iaculorum immenſus numerus. Quare miraculo proximum eſſe videri poſſit, atque ideo Ximenii auſpiciis, eiuſque pietati aſſcribi ſolet, vrbem Mauritaniæ celeberrimam, tot apparatibus bellicis refertam, tam florenti iuuentute, ac tot præſidiis Numidarum (quos Arabes vocant) abundantem, quæ vel ſex menſium obſidione vix expugnari poſſe credebatur, tanta celeritate & paruo temporis ſpatio, tam denique incruenta noſtrorum victoria, captam eſſe. Erat in ore omnium, id quod Cæſar Pharnace deuicto ad Senatum ſcripſit, Veni, vidi, vici, ob feſtinationem celeritatemq; qua hoc bellum Africanum confectum fuit. Quare Ximenii virtus & fortuna, omnium literis & memoria hominum eſt celebranda, qui Oranum nondum viſam, eo ipſo quo appulerat die vicerit, ſubegerit, & occupauerit. Quanquam nunc verum eſſe, quod inter veteres parœmias circumfertur, ſuam quenque moribus & induſtria fortunam fingere, oſtendemus. Nam portarum occluſio, qua Mauri & Numidæ excluſi ſunt, non ideo facta eſt, ne ſi cum Mauris etiam Arabes reciperentur, horum tyrannidi ſeruiendum eſſet, vt vulgo iactabatur. Multo veriſimilior cauſa eſt, quæ ab Oranenſibus nonnullis adhuc ſuperſtitibus refertur. Hi enim qui inter captiuos aut dedititios ducti, in vicis Gualdalfaiaræ proximis vitam agunt, proditione ſuorum ciuium vrbem eſſe captam mihi retulerunt. Sed non ab re fuerit de ingenio & moribus Arabum (quos Alarabes paſſim vocamus) non nihil præfari: vt ſic intelligatur, quæ de occluſione portarum dicta eſt cauſa. Eſt gens in Africa, quæ deſerta loca in tentoriis incolit, vnde primum Scenitæ ſunt dicti, ſine legibus, ſine certis laribus, ſine vllo manſuetioris vitæ cultu. Hi quod potiſſimum eam Africæ partem occupauerint quæ Numidia dicitur, à Romanis Numidæ ſunt vocati, noſtri vero Alarabes (vt dixi) appellant, quo nomine à Mauris etiam dicuntur. Erant. n. Arabiæ deſertæ quondam indigenæ, qui per Ægyptum in Africam venerunt, & bonam eius partem armis ſubegere, rei pecuariæ in primis addicti, latrociniis & cædibus intenti, nullamq; vel fidei vel iuſtitiæ rationem habentes. Hi aſſiduis exercitationibus & vitæ rigore duratis corporibus, ad vſum militiæ peraccommodi ſemper fuerunt, atq; cum Mauris, quoties à bellis externis otium eſt, perpetuas pugnas exercent. At ſi quando ex alienis regionibus hoſtes adueniant, illico ſe cum Mauris coniungunt, & veluti religionis & communis patriæ prætextu, ſtipendio conducti vindices ſe illorum profitentur. Non tamen vrbibus ſuſcipiuntur, quoniam alienis opibus inſidiantur, nullaque legum pœna, aut dominorum querelis à ſolitis rapinis abſtinent. Hi dum res Mauris proſpere ſuccedunt, non ignaui aut ſegnes operas ſuas præſtant: at ſi vinci Mauros contingat, tanta eſt Numidarum in eos ſæuitia, tanta deprædandi ſuperatos libido, vt præ illorum truculentia, quiuis hoſtes mitiſſimi habeantur. Igitur Oranienſes prælii exitum proſpicientes, idcirco portas ſuis ad vrbem confugientibus non aperuiſſe, ab omnibus ferme tunc creditum eſt, & à proditionis authoribus in vulgus Maurorum ſparſum. Nam principio huiuſmodi rumore vulgato, rem credibilem & faciliorem proditionem fecerunt. Alarabum ſcilicet equitatum à rege Trimeſenio auxilio miſſum, vrbe mœnibuſque excludendum eſſe, iuriſiurandi etiam religione cunctos portarum cuſtodes obſtringendos, ne quem eorum ingredi ſinerent: ſuos etiam aditu vrbis tantiſper prohibendos, donec Numidis fuga diſperſis, nihil damni ab eis timeretur. At re vera priuſquam Ximenius expeditionem Africanam ſuſciperet, de prodenda Orano cum Mauris egit. Eſt enim illi genti peculiare, ſe mutuis pactis fallere, & nec patriæ quidem fidem ſeruare. Diximus ſupra, Didacum Fernandum, Merſalcabiranæ arcis præfectum, dum anno tertio à capto oppido, parum proſpere cum Oranenſibus manum conſerit non ſine clade ſuorum fuſum: multi enim ex noſtris ſunt deſiderati, multi item capti.

Inter

Inter hos igitur duo præstantes duces in Maurorum manus venerunt, Alfonsus Martos, & qui hunc dignitate superabat, Martinus Argotus Cordubensis, Didaci Fernandi propinquus, vt Oranensis ille, à quo ista accepi, mihi retulit. Hi vtpote viri fortes & præclari, Hameto Acanixo, homini inter suos primario, custodiendi traduntur: apud quē aliquot menses detenti donec redimerentur, indulgenter tractati sunt. Interea siue ob priuata erga ciues suos Acanixi odia, siue ob nostrorum industriam, de tradenda vrbe inter ipsos agitatum est, adeo secretis clandestinisque consiliis, vt per biennium nihil eius negotii ad alios dimanauerit, præterquam ad Cattorram Iudæum, Orani itidem vrbis incolam, quem ad proditionem faciendam, & sequestrum & adiutorem habuerunt. Huius rei argumenta permulta sane sunt: nam & hi ex Numidarum moribus causis conquisitis, de portis militibus suis nō referandis authores fuerunt: & in vrbis direptione, cæteris omnibus exhaustis & vastatis, Acanixi & Cattorræ domus, magna nostrorum ducum solicitudine, ne quid læderentur curatum fuit. Deinde vero rebus iam pacatis, ad regem & Ximenium eosdem in Hispaniam venisse certum est, à quibus perpetuos reditus, vnde viuerent, susceperunt. Quin vt nihil ad fidem faciendam deesset, Martini Argoti filia, qui in custodia apud Acanixum fuerat, Acanixi filio nupsit, vt inter parentes conuenerat. Is Acanixi filius, qui ob Christianam religionem susceptam, nomen mutauit, & Ludouicus Fernandus est dictus, in familia Didaci Fernādi, cum Mersalquibiro præesset, diu mansit: postea ab eodem Oraniticam præfecturam obtinente, vrbis decurio est factus. Deseruit aliquando nostros, vt est gens illa infida & mobilis, ad Trimeseniorum regem deficiens, sed rursus redire cupienti iidem honores delati sunt, & reditus & opes quæ regio fisco cesserant, sine vllius oboli iactura restitutæ. Aiunt Ximenio dubitanti, an exercitū maris æstu & iactatione fessum, hora diei (vt diximus) postmeridiana ad vrbis munitæ expugnationem mitteret, ab eisdem nuntium venisse, qui admoneret vt rem paratam minime differret: nam si eo die cessaretur, protinus Trimeseniorum auxilium adfuturum, quod vniuersos Ximenii conatus erat proculdubio in multos dies retardaturum. Cedrinum etiam Alcazabæ in Orano custodem, Acanixo necessitudine sanguinis coniunctum, proditionis participem fuisse pro certo habetur: nam hic arcis claues in ea turbatione anxie (vt apparebat) quærens, vt posticum aliasque arcis ianuas fugientibus adaperiret, nusquam inuenire potuit: famuli enim (vt aiebat) negligentia, in inuolucra quædam coniecta fuerant, quæ postea tempore minime necessario sunt repertæ. Hæc vt exposui gesta fuisse, ex homine Oraniensi Guadalfajaræ didici, qui cognatione proditoribus propinquus, ea tempestate octodecim annos natus à nostris est captus, atque Didaco Mendozio infantatus duci iure mancipii datus, à quo postea libertate & agello donatus, Malaguillæ oppido apud Guadalfajaram religiose & innocenter vixit, superstitionis abnegatæ causa Deo optimo maximo ingentes gratias agens. Solebat enim quod de Themistocle fertur apophthegmate sibi gratulari: Perieram ni periissem. Ergo Ximenius, altero postquam Oranum ingressus est die, obequitans per loca vrbis celeberrima, eius situm est contemplatus, & quid in singulis partibus reficiendum, aut noua molitione construendum attente considerauit. Ad mesquitas deinde deflectens, ritibus Mahometanis conspurcatas, vt emundarentur & expurgarentur curauit. Erat forte Dominicus dies, qui cum in tertium decimum Calendas Iunias, diuo Bernardino dicatum incidisset, religionem mire auxit. Curauit igitur vt mesquitæ more Christiano consecrarentur, quo omnes sacris interesse possent: & religioni satisfacientes, ad reliqua in terra hostili, magnos animos conciperent. Igitur mesquitā maximā, Mariæ victrici, & angelicæ ad eam annūtiationi dedicauit. In hoc autem templo, cenotaphio ad orā maximam cōstituto, vt sibi anniuersario sacro 15. Cal. Iul. quo die Oranum capta fuit, parentarent instituit, xxx. M. nummum ad hanc operam in perpetuum datis. Alteram, vbi multi ex Mauris occubuerant, diuo Iacobo Hispanicæ virtutis conseruatori, in quibus statim sacerdotes nostri sacra fecerunt, & supplicationes sunt habitæ: Sed quoniam diuo Bernardino, partim ob egregiam viri sanctitatem, partim ob communem monachatus religionem, Ximenius peculiari affectu deuotus erat, ne eum præteriisse videretur, Xenodochium quod ægrotantibus militibus parabat, Bernardino tutelari consecrauit, memor scilicet pietatis, qua ille olim Senarum nobile Xenodochium, in flore ætatis constitutus administrandum suscepit, cæteris ministris fugientibus ob pestem, quæ quam dixi Hetruriæ vrbem, Bernardini patriam, & totam etiam Italiam occupauerat. Perpetuum in eo fundauit sacerdotium Ximenius, vt esset qui ægrotantibus sacra ministraret, impetratis à summo pontifice multis indulgentiis, & facultate absoluendi etiam à reatibus pontifici Romano reseruatis. At quoniam religionis cura Ximenio ante omnia cordi erat, quam sciret mirum in modum sodalitatibus monachorum ali, & pro-

moueri, ædes item binas dedicauit, alteras Franciſcanis, alteras Dominicanis, in quarum ſingulis monachi alerentur ſeni. Iam vero quod multi inter captiuos Iudæi erant, quorum pleriq; ex illa eſſe migratione exiſtimabantur, qua ex Hiſpania vndecimo ante anno, à catholicis regibus pulſi fuerant, vehementer timuit, vt ex eius epiſtolis ad regem co[n]ſtat, ne in tam recenti eorum qui in Hiſpania remanſerant, ad Chriſti fidem conuerſi[o]ne, nonnulli priſtinæ ſuperſtitionis memores, & vigilantiam inquiſitorum metuentes, cl[a]m ex Hiſpania Oranum fugerent. Quare officii ſui authoritate fungens, Yiedram virum religioſum & eruditum inquiſitorem, ad ea omnia diligenter exploranda conſtituit. Mirum eſt & pene fidem omnem exuperare videtur, Ximenium hominem ſenem, tot negotiorum fluctibus pene obrutum, & ob ſuorum militum fidem parum ſtabilem, & rerum humanarum inconſtantiam, atq; adeo dubiam regii animi erga eum propenſionem nimis anxius, tantum roboris & vigoris habuiſſe, vt non ſolum res militares, & quæ ad tutelam vrbis pertinebant, vigilantiſſime conſtituerit, ſed res etiam ſacras, quod in ſummo otio ſolet fieri, omni adhibita cura diſpoſuerit & cuncta quæ ad epiſcopi munus ſpectant, admirabili conſilio prouiderit. His tandem rebus factum eſt, vt quamuis ſæpius à Mauris ea vrbs impetita fuerit, nihilominus optimi præſulis auſpiciis, ſub regum noſtrorum poteſtate duret. Dum hæc Orani aguntur, Fernandus Didaci Veræ filius, à Ximenio nuntius ad regem deſtinatus eſt, qui rei totius vt geſta fuit, & notitiam & ſeriem ſigillatim in tabellis ferret. Trimeſenii Orani captiuitate, direptione, & vaſtitate cognita, nam octoginta tantūmodo Mauros ex vniuerſis Orani ciuibus euaſiſſe compertum fuit, cæteris omnibus aut interemptis, aut captis, Chriſtianos qui mercaturæ cauſa, aut alia quauis ratione illic degebant, ad vnum gladio peremerunt: atque eodem furore in Iudęorum gentem, quæ frequens Africæ vrbes incolit, quaſi Chriſtianis cognatione coniunctam, ſæuierunt, tanta vulgi ſeditione & tumultu, vt rex intra arcem ſe continuerit, nec foras exire ſit auſus, quanuis impendio doleret, fidei ſuæ commiſſos trucidari. Tantus ergo timor Hiſpanici nominis vniuerſam Mauritaniam occupauerat, vt Trimeſenii, aliique populi vicini trepidantes, deſertis oppidis ad regnum vſque Fezanum ſecederent: Dubius animi Ximenius fuit, an fortunæ ſucceſſum ſequeretur, & ad reliquam Africæ oram exercitum ſuum & claſſem conuerteret, an potius ætati & ſaluti ſuæ conſulens, ſumma belli Nauarro tradita ipſe rurſus in Hiſpaniam remearet. Sed quamuis bellici labores animo obuerſarentur, & militares mores parum eius inſtituto quadrarent, tamen ingenium, animuſque ille maxima quæq; natura ſua appetens, omnem vincebat difficultatem. Quare cum mare rurſus traiiciendum conſideraret, præſentem autem gloriam, & victoriam ex altera parte ſibi proponeret, & Chriſtianæ religionis propagationem, quam alterius induſtria & opera fieri indignū ſua fortuna iudicabat, ad reliqua pro virili perſequēda iamiam animū inclinabat. Sed vt ſunt res hominū mutabiles & fluxæ, aliquot cauſæ partim ex occulto partim ex Nauarri æmulatione prodierūt, quib. in diuerſum mutatus, Nauarro ſummo imperatore deſignato, ipſe protinus in Hiſpaniam traiecit. Id præter multorum opinionem accidit, qui eius conſtantia & magnanimitate alienum eſſe omnino exiſtimabant, poſt tot moleſtias in congregando exercitu & in nauigatione deuoratas, poſt victoriam tanta cum laude & felicitate obtentam, quæ ſolet animos militum efferre ad res ampliores conficiendas, & in tanto Afrorum hominum metu, lampada in ipſo curſus principio tam glorioſe micantem, alteri ſuæ laudi inuidenti tradere. At ſi quis rem ipſam nudam attentius conſideret, & in memoriam Deiotari regis ad M. Craſſum reſponſum reducat, cum nimirum ſexagenario maior, ad bellum Parthis inferendum per Galatiam iret, Ximenii laudem augebit potius quam vlla vel ignauiæ, vel timoris nota deteret. Iuſto enim ambitioſior haberi poterat, ſi ſuæ ætatis, perſonæ, & pontificatus immemor, cum hominibus illius modi vitam agere in caſtris maluiſſet, quam in patriæ ſolo inter viros ſapientes, religioſos, & ſobrios. Deinde cum nihil ſit belli ſucceſſibus inconſtantius, Orano vrbe opulentiſſima multumq; noſtris littoribus infeſta, quod ſibi vnicum propoſitum fuerat, tam facile capta, non erat viri prudentis Martis aleam toties experiri velle, ſed potius ſucceſſorem ſibi in prouincia tam laborioſa & incerta petere, aut ſua authoritate, quod & fecit, conſtituere. Cæterum ad hanc communem cauſam, peculiares aliquot acceſſere, quæ virum propoſiti tenacem, & conſtantis ætatis ab incœpto demouiſſent. Principio Nauarrus, cui hominis cucullati, vt ipſe iactabat, gloria inuidioſa erat, indignationis iam dudum diſſimulatæ manifeſta indicia, partim apud Ximenium, partim inter tribunos & milites dedit. Neque enim ſibi homini rerum bellicarum experientiſſimo ferendum eſſe vllo modo exiſtimabat, vt Ximenius antiſtes togæ muneribus ſemper dedicatus, in imperio militari præferretur. Accidit forte vt Nauarri miles Ximenii famulū inter rixandum occideret. De ea re cum Ximenius

menius Nauarrum obiurgaret, & multa, vt fit, vtrinq; dicerentur, Nauarrus bili & iracũdia stimulantibus, tandem pectoris arcana reclusit. Grauibus enim verbis Ximenium alloquitur, eum esse in causa, quod sibi milites parum essent morigeri, & tot tumultus in exercitu exurgerent. Quod si illinc ipse discessisset, sibiq; vni belli negotia relinquerentur, non dubitare breui temporis spatio magnam se Africæ partem subacturum. Nunc vero omnia quæcunq; animo concepisset, eius præsentia impediri: nunquam enim duorum imperia bene coaluisse, & inde semper multo maiorem exercitibus cladem quam ab hostium telis contigisse. Quare bonis auibus in Hispaniam proficisceretur, satis enim gloriæ reportare vrbe Mauritaniæ præcipue tã veloci victoria capta. Quod si adhuc in proposito persisteret, sciret se non alio quam priuati iure in exercitu esse diuersaturum. Nam reliqua omnia quæ deinceps agerentur, non amplius eius auspiciis, sed catholici regis erant conficienda: ipsi enim ad Oranum capiendam à rege munus esse tantũ delatum, quo expleto, imperium abrogatum esse, donec rex aliud decreuisset. Oranum vero, quam Toletanorum pontificum ditioni, nisi rex impensas pecunias reddidisset, addicere parabat, se tubis præcinentibus & signiferis vexilla pandentibus, ipso audiente, regium nomen acclamaturum. Desineret itaq; per vanas cogitationes regiæ potestati, aut incrementis homo priuatus inuidere, capesseret antistitis munus, pila, & gladios militib. concederet. Atque ab eo irreuerenter prosiliens, ad ea quæ dixerat conficienda abiit. Aduersus tam confidentem militaris hominis orationem, nihil respondendum Ximenius esse duxit: nam & id tunc dissimulauit, & ad strepitum regem acclamantium, nulla suorum cum rege pactorũ ratione habita, non modo nihil intercessit, aut prohibuit, sed nulla animi offensione ostensa, Nauarrum postmodum ad se vocatum, benignissime & comiter tractauit, & quid in singulis rebus faciendum esset, antequam nauigaret, edixit. Tamen post aduentum suum literas ad regem Compluto dedit querelarum plenas, quibus & Nauarri iniurias, & rapacitatem exposuit. Illud etiam rumore percrebuit, obiecisse Nauarrum Ximenio tenacitatem, & minus liberalem animũ in stipendiis numerandis, cum, vt diximus, vniuersam prædam, nulla eius parte ad vsus suos seposita, auferendam Ximenius benigne militibus concessisset: & quicquid ad victum & stipẽdia pertinebat, die quo Carthagine soluit, in trimestre tempus largissime prouidisset. Qua de re in epistola quæ altero postquam Carthaginem redierat die, ad Lupum data est, sic ait: Dum hæc scriberem literæ tuæ mihi redditæ sunt. in quibus vanos sermones & mendaciis refertos legi, qui à nostris æmulis de exercitu parum benigne à me curato impudenter iactantur, eos tibi contemnendos esse duco: simus factorum conscientia contenti, siquidem nunquam exercitus, aut stipendiorum sub manu numeratione, aut commeatu militari, vt hic noster abundauit: vt nihil interim de disciplina castrensi dicam, quæ citra arrogantiam, vel cum antiqua comparari potest: quoniam hæc omnia eadem frontis firmitate, qua ab hominibus impudentibus dicuntur, à nobis itidem sunt prætereunda. Deum optimum maximum precemur vt quæ reliqua sunt Africani belli eodem cursu & tenore perficiantur. De quo quidem spem præclaram habeo, quandoquidem qui scrutatur corda Deus, omnes meos conatus in se vnũ dirigi nouit. Sed tu regem admoneto vt suis triremibus, quibus Solerium præesse voluit, quamprimum prouidendum curet: carent enim omni commeatu. Nam ni ego optimi ducis, qui rei publicæ multis in rebus vsui esse potest, misertus essem, & panis nautici octoginta contulissem centipondia, milites inedia periissent. His igitur de rebus Ximenium commotum, ne toties sibi cum hominibus illis quos ad eum modum bella efferauerant, esset colluctandum, primo quoque tempore in Hispaniam traiicere decreuit. Certe in suis ad regem & procuratores epistolis, hanc potissimam causam discedendi affert. Ad Franciscum Ruizium, qui ad regem internuntius venerat, in hunc modum scribit. Vtinam quod me sæpe dicentem audiuisti, meæ diœceseos & Murgitanæ prouinciæ militibus contentus, expeditionem Africanam suscepissem neque vnquam in mentem venisset, Italico bello assuetas legiones accersere: vel si id tandem necessarium erat, mihi cum illis bene, aut saltem non adeo male conueniret, nam huic rei me deuouerem, & census & opes impenderem, vt vniuersam Africã superaremus. Hisce verbis plane assentirem (sunt enim sine vllo fuco, ex animi sensu, vt apparet, deprompta) nisi constantior opinio fuisset, literarum fasciculum, quem rex ad Nauarrum dederat, in Ximenii manus primum deuenisse. Nam dum quicquid accidere potest prudẽter timet, portus præfectis iusserat, vt quicquid literarum ex Hispania veniret, ad se primũ diligenter curarent deferendum. Rex igitur Nauarro per literas mandabat vt tãtisper Ximeniũ à traiiciẽdo auerteret, dũ eius præsentia reb. agẽdis necessaria foret. Id homo senex & ob atrã bilẽ suspiciosus, in suũ damnũ & perniciem tractari credidit, quasi laboribus imparẽ breui moriturũ Ximeniũ rex diceret. Ergo se ætate ferme extrema

eſſe videns, & anni tempus feruentiſſimum inſtare, in regione præſertim ad Auſtrum interiori, continuo metuere febres cœpit, & Nauarrum, Villaroellum, Didacum Veram cæteroſq; omnes tribunos ad ſe vocatos, benigne & perhumaniter alloquitur: diſceſſusq; ſui, quem illis ſtatim futurum ſignificauit, ſpecioſas cauſas permultas dat. Deinde Nauarrum, ſeſe illi concilias, ſupremum imperatorem vocat, cui tanquam duci præſtantiſſimo, totius Africæ ſubigendæ triumphum decernendum ſperaret, honorifice dicit: ſeq; intellexiſſe, præſentiam ſuam, hoc eſt, hominis ob ſenium cunctantis & moroſi, ad ſubitas belli occaſiones viuida ingenia & ætatem requirentis, minime aptam eſſe. Pręterea in rem totius exercitus futurum eſſe dicebat, ſi ipſe in Hiſpaniam nauiget: nam apud regẽ ſua authoritate opus eſſe, ad negotium vrgendum: alioqui vt ſunt miniſtrorum regiorum ingenia & mores, ſe non dubitare, quin & duces, & milites ſint rerum inopia laboraturi. Quare patienter ſuſtinerent eius diſceſſum, non tam ſuæ ætati aut valetudini parcentis, quam ipſorum commodis conſulentis. Interim vero ſe vniuerſum commeatum traditurum, quem in vſus proprios parauerat. Habere enim vini Græci apud ſe doliorum ſex millia, totidemq; triticeæ farinæ modios, & panis nautici numeroſam molem: lardi item, & ſalitarum carnium, aliarumq; rerum non leuem copiam, vnde exercitus per aliquot menſes non maligne ali poſſet. Addidit etiam, ſe pro certo comperiſſe, pluſquam centum & tredecim ſcrobes, quos Siros vocamus, frumento plenos Orani eſſe. Poſthæc, ſermonem ad Nauarrum conuertit. Quod te (inquit) præſente quidam Geneuenſis affirmauit, centum ſcilicet & quinquaginta millia modiorum tritici in hac vrbe recondita eſſe: quorum notitiam Almoxarifus (ſic enim publicum quæſtorem Mauri vocant) qui in tuis vinclis eſſet, & alter, de quo ego te priuatim admonui, habent. Quare non eſt cur id debeam in præſentia altius repetere, cum tu id optime ſcias. Quod ſi hæc ita habent, vt plane credo, erit vnde victus exercitui plus quam biennio ſuppetat. Sed timeo ne magiſtrorum nauticorum vitio, qui captiuorum ingentem numerum in nauigia & triremes ingeſſerũt, clam quæ ad manum ſunt ſubripiantur: quod tu tamen ſolicite pro tua diligentia animaduertes, ſcio enim te nullam illis peccandi facultatem in hac parte per ſocordiam conceſſurum. Sed ante alia dandã eſſe operam arbitror, vt tantum quotidie farinæ ſubigatur, quantũ exercitus inopiam leuet: quicquid inde pecuniæ obuenerit, ad te vnum extemplo deferatur: quod tu murorum ruinis reparandis, nouis ædificiis extruendis, cæteriſque militiæ neceſſitatibus ſubleuandis, vt optimum imperatorem decet, es aſſeruaturus. De cadaueribus occiſorum aut comburendis, aut humandis, ne peſtilentia ex corruptione aeris orta, victorem perdat exercitum, non eſt cur moneam: nec de militibus quidem per incurſiones in terram hoſtilem faciendas exercendis: cum tu optime noueris, quantopere ſit curandum ne exercitus torpeat: à te enim aliquando audiui, expedire vt cohortibus aliquot in vrbe quæ illam tueri valeãt retẽtis, cæteris legionib. ſtationes in caſtris per hortos ſuburbanos darentur: quod mihi admodũ placuit. ſic enim in continua futuri ſunt vigilia ad vrbem, quæ tumultibus caſtrenſibus libera beatius aget, & melius imperatori parebit. Iam vero de pabulatoribus deligendis, qui maturas ſegetes in vrbem conuehãt, antequam hoſtes qui illas demeſſuerant, & per agros paſſim iacere ſinũt, aut afferant, aut igne comburant, vt vobis incõmodent, tu ipſe (vt audio) agere cœpiſti, & mihi vehemẽter probatur. De litore Mauritaniæ, triremibus & cæteris nauigiis, quæ facile bis homines in armis circumferent, infeſtando tu etiam ſæpius coram me propoſuiſti, ni memoria vacillat. Ad reficiendas vero naues, quæ ſolutæ ſunt, tuis procuratoribus ſexcentas auri libras appendi iubebo: quod poſt dimiſſam concionem factum fuiſſe, in epiſtolis ſuis ſcribit. Deinde Villaroelo Alcazauæ cuſtodiã cõmiſit: qui permittẽte Ximenio Alphonſum Caſtellã Complutenſem ciuẽ vicariũ deſignauit, trecentis militib. Caſtorlanis, & quinquaginta ſelectis equitibus ad præſidium datis. Ne quid tamen cõmeatus exercitui decederet, ex Caſtorlana præfectura, quæ propter Africæ vicinitatẽ, ex vniuerſa ditione ſua paratior ad eã rem eſt viſa, farinæ triticeæ ceterarumq; rerũ ad victum opportunarũ quicquid eſſet neceſſariũ donec rex arcis cuſtodiæ prouideret, aſportari iuſſit. Quod Villaroeliũ egregie curaſſe ex Ximenii epiſtolis conſtat, in quib. ad regẽ ſcribitur, Alcazauæ præſidio in 5. vſq; menſem per Caſtorlanũ præfectũ eſſe prouiſum. Hac Ximenii erga exercitũ ſuũ benignitate & cura ita ſunt vniuerſi cõmoti, vt multis verbis deprecarẽtur, ne ipſos in regione inimica desereret: eius enim auſpiciis ex Hiſpania profectos rem eo vſq; feliciter geſſiſſe: nunc vero ad ſui imperatoris abſentiã, fortunæ quoq; mutationẽ timere. Inter quos, primus Nauarrus præ ſe ferebat, ob non ita pridem irreuerenter habitos ſermones pudorẽ & pœnitentiam quandã. Dec. Cal. Iunias Ximenius ex Oranico portu in Hiſpaniã vela fecit: eoq; ipſo quo ſoluerat die, mira temporis opportunitate, nullis præterquam ſuis familiaribus, & aliquot

miniſtris

ministris comitatus, Carthaginem venit. Nam summa securitate littoribus nostris per ipsum parta, prætoriana cohorte in exercitu, & bona familiæ parte, ad vsum Castorlani præfecti relictis, ipse primus facti sui vtilitatem sensit, expedito & inermi apparatu traiiciens Septem diebus Ximenius Carthagine moratus est; in quibus dici non potest, quantam negotiorum molem confecerit, quam diuersis rebus studuerit, quantum commodorum exercitui comparauerit. Primum enim ad circumuicina Tarraconensis, & Bæticæ oppida literas simul & nuntios misit, iubens imperatoria quam ad eam rem obtinebat authoritate, vt quam primum commeatum & cætera necessaria Oranum importarent, pretium vel iusto maius suscepturi. Quicquid farinæ ex finitimis locis potuit corradere, & quicquid apothecarum vasa Carthagini continebant, Oranum asportandum curauit. Quæstores item duos constituit, qui inter se mutuas operas dantes, alter cibarios panes vndecunque posset, primum Carthagini congregaret, deinde Oranum ad alterum transmitteret. Qui prout res poscere videbatur, exercitui & ciuibus stipe numerata distribueret, summam autem quotidie ad Nauarrum deferret, quemadmodum illi discedēs promiserat. Villalupo regiæ classis procuratori mille nummos aureos contulit, vt Malacæ itidem farinam coemeret. Dedit etiam celocem probe compactam, & instructam, qua crebras hinc inde vecturas faceret: & quemadmodum mercatores solent, ex pretio primo distractæ farinæ, aliam item coemeret. Tantum se in hoc negotio effecisse in epistolis ad regem testatur, vt cū omnes certatim quicquid panis aut farinæ Carthagini erat Oranum detulissent, quo ipse die Complutum profectus est, ne offula, quantumlibet magno pretio oblato, Carthagini inueniri potuerit. Regem autem monet, vt ad eam oram maritimam certos homines mittat, qui eius exemplo rem vrgeant: consultius tamen esse, vt granum transferatur, quam aut farina, aut panis cibarius. Dum ista agebantur, literas à suis accepit, quos Orani reliquerat, quibus certior factus est, quemadmodum nauium magistri, quorum operam & nauigia in bimestre tempus conduxerat, & integram mercedem soluerat, multo ante quam pacta conuenta implerent, easdem naues cum nauiculariis, & cæteris instrumentis, mercatoribus & aliis vectoribus locassent, transuehendis, præsertim mancipiis & multa supellectili ex Orani præda, stipulatione inter ipsos facta, vt dimidia pars omnis prædæ traiiciēdæ nauium magistris cederet pro vectura, dūmodo captiuos alerent donec in terram exponerentur. Hæc autem cibaria, quæ tanto mancipiorum numero satis esse potuerunt, ex publica annona fuisse subtracta. His cognitis literas ad Nauarrum dat, quibus vt in ea omnia inquirat iubet, & magistros cogat per bimestre tempus, ex pacto vecturam facere, & postea propter læsam quam dederat imperatori fidem, in tantū temporis spatium sine vlla mercede seruire cogat, quantum delicti grauitas exposcere videretur. Quin & sarcinas eorum excutiat: nam & furtim deducta præda, quam quæstoribus regis nō declarauissent, eisq; insciis, ad traiectionem conuasassent: & quæ vecturæ nomine acceperāt, centum millibus nummum aureorum, quæ regio fisco deberentur, æstimari posse. Habere autem se panis nautici non mediocrem copiam, sed tātisper mittere distulisse, donec ea omnia ab eo confecta esse sciret: neque enim se velle quod ad militares vsus parauerat, in cauponantium vtilitatem cedere. De excursionibus autem, multum se quoque doluisse ait, non ita frequentes fieri, vt inter ipsos conuenerat. Nam post suum discessum, semel ad sextum lapidem extra vrbem cum exercitu processisse cognouerat: qui cum in ducentos Numidarum equites, & octingentos pedites incidisset, & omnes ad vnum potuisset trucidare, & suum exercitum præda augere, maluisset sine vlla dimicatione Oranum milites reducere. Id qua de causa factum sit, ab eo homine minime formidoloso, aut ignauo, præsertim cum militum fortitudine & numero superior esset, nondum assequi potuisse. Illud vero prudenti consilio, vt imperatorem solertem decebat, Nauarrum fecisse, viros militares qui Africæ situm, & illius gentis mores nouerant, cum de hoc rogarem, differentes audiui. Esse enim Numidis & Mauris solenne aiebant, paruam aliquam manum nitide vestitam, & in equis hærentem melioribus, velut incaute procedentem præmittere, cuius despoliandæ cupidine hostes accensi, à maioribus copiis, subito ex insidiis erumpentibus, circumueniantur. Est enim illa tellus propter depressas valles quibus abundat, occultādis militibus peraccommoda. His omnibus multisq; aliis, per Ximeniū procuratis & prouisis, calorem Bæticæ regionis senili corpore, eoque laboribus confecto, sustinere non valens, tertio Calendas Iunias Complutum proficiscitur. Sed ne maturæ fruges ob messorum raritatem perirent, omnes agricolas, quos ex pontificia ditione in militiam secum duxerat, reducendos in proprios lares curauit. Homo enim circumspectus & innocens ne quid detrimenti suis subditis deferretur, summopere curauit: vt ex hac agricolarum reductione quiuis intelliget, sed multo apertius ex

testamenti sui tabulis, in quibus Ioannem Martinum Cardenam canonicum Toletanum, Didacum Gonsaluum Barcum, duumuiros designat, qui vniuersam diœcesim perlustrent, & quicquid damni Africani belli causa eius incolæ pertulisse inuenient, pecunia sua extemplo numerata resarciant. Hoc vero diligenter fuisse procuratum, ex secundis Ximenii tabulis quas anno M. D. X I I I I. condidit, satis constat. Adeo hæc omnia viuens facere maluit, quam testamento vt fierent cauere. Cum iustis itineribus iam prope Complutum venisset, Petrus Campus Complutensis gymnasii rector duos ex collegis obuiam ad eum salutandum misit, qui eum ferme vnius diei itinere anteuerterunt, quod Ximenio gratissimum fuit. Mensa eos eo die excepit, vt Ildephonsi collegas solebat: vt indulgens pater, qui diu liberorum præsentia caruit, ad eos sæpe vultum conuertens, de rebus literarii gymnasii interogabat: quantum cœpta ædificia assurgerent, qualem spem disciplinæ promitterent, quantus numerus scholasticorum conueniret, qualem vigorem adolescentum ingenia ostentarent. Deniq; qui modo turbarum strepitu classicum sonantium aures occupatas habuerat, ad musarum modulos conuersus, totus erat in re literaria. Mirabantur collegæ hominis prudentiam, nihil minus quam gloriosum affectum ob res gestas præ se ferentis. Existimauerant enim nihil apud eum eo tempore, nisi castra, & captiuos Mauros, & Africam audituros. Ille vero premebat omnia iam acta alto silentio, & de re præsenti verba faciebat: donec Balbasius, qui inter salutatores venerat, ex vultus pallore & macie occasionem captans, bene consultum fuisse dixit, quod relicto transmarino & ęstuoso cælo, Orano capta ad sui cupidos tempestiue rediisset. Hic ille quasi exprobatam sibi ignauiã interpretaretur, reconditum animi sensum aperuit. Non tu satis (inquit) animi mei robur Balbasi nosti: dedisses mihi fidelem exercitum, ego fortasse non Orani modo, sed totius Africæ superatæ victoriam, quantumuis sim corpore effœto, reportassem. Hoc idem & Friasio primum, deinde Lupo Aialæ dixisse certum est. Hinc Complutum est profectus, cui tam ciues, quam literarii ordines, obuiam perrexerunt, qui lætis salutationibus incolumem reditum & fœlicem victoriam gratulabantur. Præcedebant antistitem captiui Mauri, & cameli auro argentoque ex præda Africana onustæ. Volumina etiam Arabicis characteribus conscripta ad astrologiam & medicinam spectantia, vt suam bibliothecam exornaret. Alcazauæ, portarumq; vrbis repagula, & claues, candelabra, & pelues, mesquitarum, quibus Mauri ad suas lotiones vtuntur, & Arabici litui, quos annafilos vocamus. Multa ex his in tholo templi diuo Ildephõso dicati suspensa fuerunt, quæ adhuc Compluti magno studio visuntur. Nonnulla etiam Talabricam missa sunt, præsertim cuiusdam Oranensis portæ claues, quæ adhuc Talabricensis vocatur, quoniam à Bernardino Menesio Talabricensium duce capta fuit, & in sacello Deiparæ virginis quod extra oppidum est, vexillo rubro iuxta pendente, quod lunam cæruleam (vt Mauri solent) insigne habet, asseruari aiunt. Res erant sane applausu & specie triumpho par: quã cum celebrare Complutenses vellent, mœniorum partem diruerunt, qua Ximenius in oppidum reciperetur. Tamen modestiæ suæ memor, nullo pacto illac ingredi voluit, quanquam Complutensibus nimis deprecantibus. Compluti aliquot menses valetudinis restituendæ causa, commoratus est: nam Toletum quo religionis ergo venire cupiebat, ire noluit, ne immodicis honoribus quos parari nouerat, oneraretur: & vt salutationes regulorum euitaret qui ad eam vrbem simul atq; Ximenius aduentasset venturi credebantur. Hac etiam de causa Pintiam, vbi rex aderat, venire recusauit. Homo enim ad res serias & grauitatem factus, huiusmodi officiis, quæ ille inepta vocabat, nimis grauari se dicebat. Fecit interim ecclesiæ Toletanæ patres de aduentu suo certiores, & rogat vt dierum aliquot supplicationes pro incolumi reditu suo decernerent: nam se eorum puris ad Deum precibus, in bellicis periculis vehementer adiutum esse dicebat: quæ statim decretæ pro dignitate sunt. Diximus Fernandum Veram Didaci tormentorum pręfecti filium, Orano capta ad regem cum Ximenii literis venisse nuntium quod magni beneficii loco Didacus pater à Ximenio habuerat: solent enim reges primos huiusmodi de rebus nuntios præmiis neutiquam contemnendis donare. At Fernandus ætatis vitio parum prudens, non admodum properabat, sed delicate iter faciens ad multum diem dormiebat à prandio ludebat alea, literarum fasciculum negligenter iacere sinens. Eius ingenium quidam ex militibus cum abunde cognouisset. discedentem, per vestigia sensim & dissimulanter insequitur: & occasione oblata. primo aut secundo diuersorio literas suffuratus, ad regem properat, & præmia quæ Veram capere oportebat, intercepit. Ximenius vero iam bis ad eundem lapidem offendens, Granatensis æthiopis memor, ob cuius desidiam pene regiam beneuolentiam amiserat, quanquam ob præsentem successum nihil erat quod trepidaretur, tamen ne in parte aliqua officii cessasse videretur, Franciscum Ruizium cuius etiam opera in Granatensis

tensis æthiopis damno vsum esse diximus, cũ mandatis copiosioribus, pro vt res denuo natæ poscebant, mittit. Nam cum Zaratensem iurisconsultum, alterum ex militaribus duumuiris, causis Orani disceptrandis, ac iuri dicundo præfecisset, literas querelarũ plenas ab eo acceperat, de iis quæ post eius discessum, ab exercitus principibus, sed à Nauaro potissimùm, & Vianello gerebantur. Omnia scilicet per summam auaritiam ab illis agi: quicquid frumenti aliunde deportabatur, ad eorum horrea transferri: nihil nisi per ipsos Orani venale esse: quicquid furfurum, & vitiosæ annonæ apud se haberent, miseræ plebi quo vellent pretio diuendere. Rursus Vianellum magistri castrorũ authoritate vsum, edicto publico vetuisse, ne quid amplius cõmeatus ex locis vicinis inferretur. His denique artibus factum esse, vt post tam prouidam Ximenii de inuehendo commeatu curam, post tam largam panis nautici collatam ab eo copiam, in maxima rerũ penuria versarentur: seq; intercedentem, cum ea quæ fiebant indignissima esse existimaret, pessumè ab illis acceptũ & vltima si quid vltra contenderet, esse comminatos. Qua propter se præfecturæ munere abdicauisse, facultate postulata magistratu deposito in Hispaniam traiiciendi. Id cũ nequaquam ipsi concederetur (verebantur enim ne tam certo & domestico testimonio, apud regem traducerentur) in summo se dolore & squalore futurum interim, dum per regem ab illis ærumnis eriperetur. Nam quod de Nauarri ingenio aliàs à Ximenio audierat: hominẽ scilicet esse vastum, bellis & vitæ castrensi assuetum, & rebus ciuilibus tractandis perquã ineptum, id se planè experimẽto didicisse. Quare daret operam, vt aliquis moribus incorruptis, & rerum gerendarum prudentia instructus, ad rem tanta fortunæ prosperitate partam conseruandam, quamprimum mitteretur. Quòd enim in tanta tumultuantium, & omnia per scelus agentium militarium hominum confusione, incolumis Orani resp. permaneret, Ximenii omnino in Deum adscribere pietati, qui diuino magis auxilio, quàm vlla humana ope vrbem illam cepisset. His igitur literis à Zaratensi præfecto susceptis, de his omnibus ad regem scribit: & vt Nauarro imperatoriam potestatem quam ipse contulerat confirmet, poscit: sed rerum ciuilium & reip. gubernandæ curam alii mandet. Deinde necessarium videri, vt ei qui Orani præfectus esset, Mersalcabiranus portus cederet: periculosum enim existimabat, eam præfecturam inter duos partiri: ne fortasse ex opinionum dissensione, in tam coniuncto negotio contra regiam maiestatem & publica commoda peccaretur. Idcirco secum consideraret, an Didacus Fernandus, qui Mersalcabiranam custodiam tenebat, & cuius in re bellica virtus, & in rebus tractandis industria perspecta erat, ei negotio conueniret: & tantisper dum de Didaco Fernando consultabatur, iuberet Nauarrum ad incursiones faciendas Orano egredi, vrbis cura Roderico Rogio viro forti & vigilanti tradita, qui propter Didaci Fernandi absentiam, vicariam operam in Mersalcabirana præfectura dabat. Porrò ad vrbis custodiam duo millia peditum necessaria esse existimabat, equites verò trecentos: quanquam horum numerus in dies augendus videbatur. Quæ verò cùm ad religionis & Dei cultum, tum ad officia tam priuata, quam publica, & ad agros, domos, & peculia diuidunda pertinerent, sic esse tractanda videbantur, vt primùm sacerdotes templis iam dedicatis cooptarentur, quibus census & lares designarentur. Deinde colonos deducendos, qui religionis fertilitate, & cæli benignitate capti vrbem saluam cuperent, & arua excolerẽt, & vt iam indigenæ pro aris & focis depugnarent. Alioqui si ea peregrinis, & statim vendituris, beneficii & muneris loco erat daturus, fustra se tot labores suscepisse, cùm omnia breui essent ruitura. Porrò colonos ea lege Oranum esse deducendos, vt continuum biennium pedem inde non moueant, nec abesse illis liceat vltra duos menses: si secus fecerint, ius coloniæ amissuros. Iam verò qui designati fuerint intra duos menses Oranum ire teneantur. Publicus census aut communia pascua nemini vnquam priuato donentur, sed aut publicis vsibus relinquantur, aut ad Dei cultum & delubrorum. Quòd si commendatarii, vt sæpius cum rege tractauerat, Oranum tandem mitterentur, qui hostibus nostris oppositi oram maritimam tuerentur, vniuersæ proculdubio Africæ terrorem incuterent. Se quidem permultum reipublicæ interesse censere, vt quemadmodum ad Portugalliæ fines Alcatarenses, & in confinio Granatensium Oretani, quondam à maioribus nostris, quando Castella partim Maurorum vicinitate partim Portugallensibus discordiis laborarent, constituti essent: & Rhodi Hierosolymitani Turcarum regionibus proximi, eorum insultus & conatus retardarent: ita nunc quãdo diuino beneficio, atq; ipsius felicissimo regno, intestinis tumultibus Hispania liberata est, & eius fines vltra mare prolati, saltem commendatarii sancti Iacobi, qui in Velesano cœnobio sunt, & qui illuc solenni ritu initiandi conueniũt, Oranũ in nouũ cœnobiũ trãsmigrarẽt, in castris omnino futuri, donec post cõfecta vicesima stipẽdia, iã emeriti militia soluerentur. Hoc sanè si tunc regi placuisset, non modo Oranum tutã haberemus, quæ ob Turcarum cũ Mauris coniunctionem tam ancipiti custodia retinetur, sed de totius Africę

possessione decertaremus. At rex sibi facultatem donandi commendas, ea ratione adimi videns, causis quęsitis, negocium vtile, & vt multis videtur necessarium, quoad vixit distulit. De quo postea Ximenius rerum summæ præfectus, quanuis crebros sermones habuerit, nihil tamen tentandū duxit, donec coram cum Carolo de re ardua & impedita ageret. Nam Bartolus, qui militaris disciplinę studio cum primis tenebatur, facile Ximenio assensurus videbatur: sed morte ante regem conspectum præuentus, hæc & alia multa, cum maximo reipub. incommodo, imperfecta & informia reliquit. Iuxta præscriptam à Ximenio formam, omnia propemodum à rege sunt curata. Nam de colonis deducendis, de agris diuidundis, de vtraq; præfectura Didaco Fernādo tradēda, è vestigio sunt cōfecta. Quæ verò ad religionē, ad publicos mores, ad reipublicæ officia spectabāt, ferme intra trienniū constituta sunt. Nam regiarum tabularum exēpla, tertio ab hoc anno qui duodecimus eius seculi erat, data, & deinde per tabelliones Onofrium Garsiam, Melchiorem Nonnium, partim anno quatuordecimo, partim decimo, sub Alphonso Fonseca Archiepiscopo signata, apud me habui, nunc verò ea Compl. Academia tenet, in quibus ex Hispania coloni Oranū deduci, agros ipsis & Maurorum prædia diuidi, sex sacerdotes in templo maximo sacris more Christiano faciundis cooptari, quibus itidem sex domos dari iubētur, prope tēplum ipsum quoad fieri posset, ad accommodam habitationem hominum religiosorum. Alcazauæ & Castello, quod ab altera parte vrbis Trimeseniū versus Didacus Vera prudēti consilio, statim sub discessum Ximenii ex ædificauit (Razalcazar, quasi minorem arcem, Oranienses appellant) singuli sacerdotes deputari mandantur. Pace igitur & ingenti tranquillitate litoribus nostris ex Orani captiuitate constituta, dum Ximenius Compluti ædē musarum, quam felicibus auspiciis exorsus fuerat, perficere animū intendit, non cessabat regem adhortari, ne exercitui Africano deesset, & recenti victoria exultantibus militibus fauore suo vires adaugeret: nam debilitatis Maurorum animis, victorem exercitum facilè reliquam maris Africani oram in potestatē suam redacturum. Quod & anno insequenti factum est: nam eo ineunte, sub nonas Ianuarii, die ob Magorum adorationem religiosissimo, Bugia vrbs celeberrima à Nauarro in Africa capitur, quam nonnulli Iuliam Cæsaream, Iubæ quondam regiam, esse putant. Ea nō minus Hispanis quàm Oranum infesta erat, muris altissimis antiquitatis venerandæ cingebatur: nam Romanam esse structuram lapides ipsi testantur. Copiosior illam & ditior populus quam Oranū incolebat, sed minus bello exercitatus, magisq; deliciis & voluptatib. deditus. Nonnulli inter quos est Io. Leo Africanus scriptor, minimo negotio regē continuò cū omnibus ciuibus in fugam conuerso, captā fuisse dicūt. At ex nostris Petrus Martyr author est, aduētu Nauarri, cognito, fœminas, senes, pueros, & omnem bello inutilē multitudinē vrbe à Bugianis pulsam, cęteros qui cū rege remanserāt, ducentis tormētorū machinis super mœnia vrbis collocatis, vnde lapides ferreiq; globi in nostros cōtorquebantur, primò fortiter restitisse, regēq; ipsum non contemnendo cū peditatu, tū equitatu, montem vrbi adiacentē occupasse, vt maiore vi ex superiori loco in Nauarri exercitū irrueret, sed omnes machinarū quæ in mœnibus collocatæ erāt iaculationes, magistrorum tormentariorū imperitia irritas fuisse: qua occasione nostris locū, è nauibus egrediendi esse datum: qui bene stipati, & crebro sclopetarū & scorpionum iactu, in cliuum quē rex tenebat processerunt. Cū ergo nō mediocriter plumbeis globulis & sagittis exercitus Maurorū perturbaretur, vbi cominus ventū est, & hastis atq; ensibus agi cœptum, vim nostrorū Mauri non tulerunt, sed ad vrbē vniuersi se recipere laborabant. Hispani perniciter hostes insecuti, illis commisti vrbem vnà ingrediuntur, eāq; tandem victores capiunt. Petrus Arias cognomento Iustator, quē inter coronellos recensuimus, suis præclaro exēplo fuit: nam inter primos murū cōscendit, & Maurorū signifero deturbato, illius vexillo arepto suum substituit: & pręsidium quod prope aderat, admirabili præstantia occupat. Res accidisset nostris felicissima, nisi Rodericum Moschosum Altamiræ Comitē, acerbo mortis genere eo prælio desiderari cōtigisset. Hic nō hostili vulnere occidit, sed Hispani militis medicata sagitta, quam in scorpii vmbilico aptauerat, & oculos in hostes, occasionem feriendi captans, coniiciens, minus qui à tergo confertim premebāt cauens, sagitta emissa est ipso nolente, & Moschosum inter primos fortiter pugnantē lethali vulnere percussit. Ille oculis in cælū sublatis, gratias Deo immortali egisse dicitur, quòd pro Christi religione aduersus Mauros dimicās occūberet. Vnū prœmaturę & asperę mortis solatiū suscipere se dixit, quòd non illico cadendum illi fuerit: nam interea dum spiritus superaret, tale suæ specimen virtutis erat daturus, vt meritò esset à suis complorandus. Ergo cæteros exhortans in hostes processit, tantumq; manu dum potuit peregit, vt magna pars victorię, quā nostri eo die sunt cōsecuti, Moschoso è Nauarri testimonio debeatur. Cōmuni totius exercitus luctu, eius corpus sepulturæ datum est, & fortissimus iuuenis præstantis

impera-

imperatoris voce in totius exercitus conſpectu funebri oratione eſt laudatus. Eius mortē poſtquā reſciuit Ximenius, moleſtè tulit: nā in Oranica expeditione, cùm viuidū in iuuene animū animaduertiſſet, ei primas partes poſt Nauarrū in exercitu detulerat. Erat iam cunctis Africæ nationib. Nauarri nomen cūprimis formidabile: qui his ſucceſſibus elatus, regē Bugianum quinto pòſt menſe vrbem ſuam recuperare molientē, caſtris ſpoliatū adeò potenter fregit, vt nihil poſtea hoſtile tentauerit: ſed regno & fortunis exutus, priuatam vitā inglorius egerit. Ibi rurſus Petri Arias virtus emicuit: nam præſidio quod occupauerat per Nauarrum præfectus eſt, & barbaris per octo horas pertinaci contentione oppugnātibus, hoſtium impetū ſuſtinuit, egregieq; locum cōmiſſum eſt tutatus, quinq; duntaxat militib. adiuuantibus: nam cæteri ægrotabāt. Idcirco auitis ſuæ familiæ inſignibus caſtellū addidit, ſeptē hoſtiū ſcalis admotis, quas ipſe ferramētis ſuſtulit. Hic eſt ille Arias, qui aduerſus noui orbis anthropophagos, quos Charibes vocāt, claſſe à Ferdinando catholico rege ſuſcepta miſſus eſt. Huius factū ſub mortis tēpus percelebre & inauditū alias fertur. Diutina & inſanabili ægritudine correptus, crebrò ad ſacra audiēda in templū itabat, vbi eius ſepultura effoſſa & aperta erat, in quā quotidie peractis ſacris deſcendebat, iacebatq; quātus erat: deinde luſtrali aqua aſperſus, & funebribus precationibus expiatus domum redibat. Hoc ſe facere vxori & amicis dicebat, vt ſic paulatim aſſueſceret illiusmodi habitationi, quæ ſibi tam diuturna futura erat. Fuit quidem magnum intrepidi animi argumentum, toties terrā ſubiiſſe, & parētationes audiiſſe. Quāquam ſi quis rem penitius rimetur, potius huiuſmodi facta atræ bili adſcribet, quā vlli animi virtuti. Pari cū Bugiano ſucceſſu, tertio pòſt mēſe, VI. Cal. Auguſ. Tripolis per Nauarrū capitur: eiusq; vrbis præfectus vna cū familia, captiui Meſanam in Siciliam mittuntur, vbi aliquot annos in cuſtodia habiti, tādē à Carolo V. Imperatore (vt erat admirabili humanitate) Tripolim libertati priſtinæ reſtituti redierunt. Ob huius vrbis captiuitatem non modò Hiſpaniæ rex, & Ximenius victoriæ particeps, ingentem lætitiam ſuſceperunt: ſed cùm Pontif. Max. ad vrbem hæc ipſa nuntiata fuiſſent, adeò ei & ſenatui Cardinalium grata acciderunt, vt aliquot dierum ſupplicationibus decretis, ad diuorū puluinaria publica omnium lætitia ſit proceſſum, regis catholici magnanimitatem, Hiſpanam virtutem, & Ximenii præſtantiam collaudantibus, quem harum rerum ſuaſorem, & perpetuum apud regem inſtigatorem eſſe cognouiſſent. Antè tamen menſibus aliquot, dum eam oram orientem verſus Nauarrus circūnauigat, ad Cercinnā inſulā Lotophagitis proximā, Vianellus vir præſtanti animo & robore præditus, & rerū bellicarū notitia clarus, parū cauto & prudēti auſu, morte miſerrima trucidatus eſt. Nam cùm X. Cal. Martias ad eam inſulam Hiſpanorum claſſis deueniſſet, oppidis quidem vacuam repererunt, vt noſtra etiam tempeſtate eſt: tantū enim ſunt frequentia paſtorum mapalia, aliquotq; item ex Mauris agricolæ qui partim gregibus alendis, partim terram excolēdo vitā inermē agūt. Huc Nauarrus appulit, vt claſſem aqua indigētē ſubleuaret. Ergo Vianellus aquationē facturus egreditur, & loci ſitu circunluſtrato tres dulcis aquæ puteos reperit: ad eos explorādos Nauarrus acceſſit: erant autē cœno oppleti. nam poſtquā Mauri alios puteos interiùs effoderant, hi neglecti erant. Poſtero die, qui iam tertius ab acceſſu in inſulam erat, Vianellus excitatus à Nauarro obnixè contendit, vt ſibi aliquot militibus datis, curam puteos expurgandi, & aquam ad naues inuehendi demandet. Annuit Nauarrus. Ille verò quadringentis militibus aſſumptis, ita gnauiter in eo ſe geſſit, vt circiter meridiem opus ſuſceptum abſolutum dederit. Ergo foſſis puteos circūdat, & in orbem haſtas defigit, interpoſitis alternatim ſclopetis. Vbi Nauarrus eò aduenit, ſpectaculo delectatus, Vianellū id impēsè efflagitantē ad puteorum cuſtodiā reliquit. Animo id parū lubēti Nauarrum feciſſe teſtimonio ſatis magno eſt, quòd inde diſcedens dixiſſe fertur: rem quam forti animo Vianellus confecit, temerario & iuuenili conſilio tueri ſtudet: facilè enim è nauibus in terra hoſtili, velut canes in Nilo, aquam ſumeremus. Vianellus dum puteos expurgat, ſigniferū nōnihil in re demādata ceſſantē, nō modò verbis duris homo ſuperbus & iracūdus obiurgauerat, ſed pugnis inſuper & vulneribus additis, barbæ pilos per cōtumeliā vulſerat: is indignis modis ſic leui de cauſa à Vianello tractatus, quanuis eo tēpore irā conceptā diſſimulauit, impia proditione iniuriam illatam vlciſci decreuit. Igitur ſub primis tenebris ad agricolas Mauros qui Cercinnam incolebāt profectus, ſe Hiſpanorum ad puteos cuſtodiam, ſine vllo negotio in manus traditurum pollicitus eſt. Nocte intempeſta ſignifero ducente, Mauri exploratoribus ſine vllo ſtrepitu præmiſſis, cùm Hiſpanos nihil minus quā irruptionem inimicā cogitantes, ſomno oppreſſos eſſe cognouiſſent, in eos irruentes, tribus duntaxat exceptis, vniuerſos obtruncāt. Ex his alterū ad regē Tunetis, alterū ad Xecum Lotophagorū regem, veluti de noſtris triumphantes mittūt: tertius ex vulnerib. ſuſceptis penè exanimis, inter obtruncatos relictus eſt. Reuertebantur interea viginti

milites,qui ad naues commeatus deuehẽdi causa,eo ipso die sub Solẽ occidentẽ à Vianello
ire iussi fuerãt. Qui barbaras voces Maurorũ audiẽtes, & quid accidisset statim cõiectãtes
(quod in tenebris facilè fuit) quã commodè licuit,sese occultauerunt. Mauri dilaniatione
nostrorũ præter spem tam ex voto facta,sulphure sclopetarũ incenso,ingẽtẽ sonitũ exultã-
tes excitarunt.Nauarrus,qui Vianelli & militũ in Insula degentium solicitus,somno inter-
rupto noctem anxiam illam transegerat, vbi parum apta temporis hora(erat enim matuti-
num crepusculum) sclopetarum sonitum audiuit,extemplo perculsus,sagatus,vt in castris
dormire consueuerat,è lecto prosiliit, & classicum incinens vniuersum exercitum ad terrã
eduxit.Mauri tamen,qui ob victoriam adeptam elati, rectà in littus ad naues properabant,
vt si nostros negligentes offenderent, pari successu opprimerent, simulatque Nauarrum 1
acies suas instruentem conspexerunt, terga dantes, ad interiora insulæ,in latebras & antra
se recipiunt.Ille autem noster,qui inter cadauera semimortuus remanserat,vt Mauros fu-
gientes vidit,necessitate vires sufficiente, ad nostros reptans vix tandem peruenit. Is defi-
cienti & collapsa voce,tribunum quendam militarem, & Franciscanum monachum allo-
quitur:quibus Vianelli contumaciam, signiferi proditionem, Maurorum aduentum ordi-
ne exponit. Sed ante omnia Vianellum culpat, qui læsi militis & iniuriæ illatæ immemor,
vigilias procul à castris posuerit, quas hostes inopinantes oppresserunt: oportuerat enim
milites etiam intra castra constituere, qui per solidam noctem excubarent. Ad ea cognos-
cẽda Didacus Pacciecus tribunus militaris, cum exploratoribus à Nauarro mittitur,à quo
postquam de omnibus abunde certior factus fuit, dissimulato dolore,vt exercitus naues 2
protinus cõscendat iubet,& anchoras e vestigio soluit. Nihilo infractior eo casu Nauarrus,
Tripolim & postea Lotophagorum insulam, quæ Meninx dicitur, Siciliæ littoribus infe-
stam,vastare instituit.quo metu Neapolitanæ triremes liberatæ,quas ei oræ rex Ferdinan-
dus,paulò antè in Italiam veniens,præposuerat,facilius mare Tyrrhenum nauigaturæ erãt.
Minimo negotio eam insulam in potestatem suam redacturus Nauarrus fuerat,nisi Garsias
à Toleto, Albani reguli maior natu filius, fortis animi & magnæ spei iuuenis,sub procin-
ctum ipsum aduentens infausta & immatura morte Nauarri consilia prorsus interuertisset.
Nauarrus enim solis declinationem expectandam omnino censebat: erat enim sub extre-
mum Augustum dies diuo Augustino sacer, nostris tamen ater & nefastus. Lotophagi
quid hora diei feruentissima futurum esset præuidentes, situlas,aheneos vrceos,& alia id 3
genus vasa hauriendæ aquę accõmoda,funibus appẽsa sitibundis iuxta puteos apposuerũt,
vt aquam morte emerent.Siquidem dum æstuantium præcordiorum rabiem aquæ haustu
extinguere certatim laborant, quanuis ex insidiis prodeuntes Mauri equites in corpora
eorum vndique sæuirent, nullis vulneribus inflictis ab aquis depelli poterant,nec vllum
mortis genus recusabãt:miserandum sanè spectaculũ, ipsisq; etiam trucidatoribus horrẽ-
dum.Circiter quatuor millia egregiorũ militum,cum suis tribunis & ducibus,pauci ferro,
siti complures & arenosæ terræ voraginosis specubus (vt Martyr scribit) submersi perie-
runt.Si qui tamen ad naues se receperunt, eadem semper fortuna persequente, cum nihil
humoris quod haurirent inuenissent, ferme omnes siti sunt enecti. Nam dum fœminæ
quæ in nauibus erant,Insulę vastationem proculdubio futuram credunt,lauandis vestibus 4
& vasculis, omnem ferè classis aquam effuderant. Discedit inde Nauarrus mœrens: Me-
ningem insulam, cui arbor lotos in ea multa iam Homericis temporibus nomen dederat,
olim Cæsarum creatione nobilem, nunc verò clade Hispanorum infamem, diris, vt nefa-
stam,execratur. Erat in Lotophagite Gerapolis vrbs, hinc fortasse tota insula Girba appel-
lata est:sic enim illam Eutropius rerũ Romanarũ scriptor vocat.Hinc Nauarro prima mali
labes:nam cùm eius fraude id accidisse vulgò iactaretur,rex Ferdinandus vt Albano regu-
lo gratificaretur,tertio deinde anno Nauarrum cruento illo prælio & Rauennam habito
captum,neglexit.Sic ob priuatam & commentitiam,vt nonnulli arbitrantur, causam, for-
tis miles & præstans imperator, qui reip. multis in rebus opera egregriè nauata profuerat,
adhuc firma ætate in squalore relictus est:donec postea Gallorũ partes secutus,rursus à no- 5
stris est captus, & Neapoli in custodia vbi asseruabatur,tędio vitę mortẽ sibi cõsciuisse cre-
ditũ est.Cuius cadauer, quod inglorium in templo sanctæ Mariæ nouæ priuato in loco ia-
cebat,Dux Suessanus in sacellũ magni Gõsali, quod in eodẽ tẽplo est,trãstulit,cõstructo e-
tiã magnifico sepulchro, & epigrammate insculpto, quod sic habet: Ossibus & memoriæ
Petri Nauarri Cantabri, solerti in expugnandis vrbibus arte clarissimi, Gonsaluus Ferdi-
nãdus Ludouici filius, Magni Gonsalui nepos, Suessæ princeps, Ducẽ Gallorũ partes secu-
tũ pio sepulchri munere honestauit: cũ hoc in se habeat præclara virtus, vt vel in hoste sit
admirabilis. Hunc ergo vitæ exitũ Nauarrus & Vianellus habuere, qui Ximenii gloriæ &
virtuti inuidentes, malam illi gratiam acceptorum beneficiorum retulerunt, ingrati ani-

mi ne dicam impii, abunde testimonium dantes. Est epistola Zarati iurisconsulti, qui Orano præfectus fuit, ad Ximeniũ, cuius extremi versus ad hanc rẽ facientes, sic habẽt: Cùm tot beneficiorũ generibus à te Nauarrus, atque eius intimi, quos satis nosti, decorati & subleuati sint: nã ni tu prouidè & perhumanè annonæ castrensi subuenisses, ipsi cum exercitu omnino fuerant perituri: tamen sic verbis amaris in te debacchantur, ac si vxores eorũ rapuisses, aut maiorum monumẽta violasses, aliquid ve in eos atrocius gessisses: hæc vna causa me in primis cogit, vt missionẽ ab hoc loco vel importunè flagitem. A Vianello magistro castrorum cauendum tibi esse cẽseo: nihil enim syncero, nihil amico, nihil cãdido in te animo facit, aut loquitur. Hic ergo tunc erat rerũ nostrarũ in Africa status. Ximenius postquã Orani victoriam non ita recentem in hominum memoria esse credidit, & se minus seris gratulationibus obtundendum, Compluto Toletum patrum desiderio satisfacturus venit sed in primis, vt vota quæ in periculis transmarinis constitutus vouerat, in virginis Deiparę templo maximo, vbi illa coli gaudet, supplex redderet. Durant ad nostram ætatem sacri dies, in monumentum Africanæ victorię instituti, quibus postridie dominicæ Ascensionis atq; altero insequẽti, templi maximi sacerdotes sacra in crucis dominicæ honorem, & Ximenii suorumq; propinquorũ parentationem, faciunt, amplis reditibus in hoc cõtributis. Ad sacram verò templi Toletani supellectilem renouandam, tria nummorum aureorum millia anno eius seculi XIIII. per duumuiros testamentarios donari iussit, pecunia à Didaco Samartinio, quæstore pontificio, statim numerata.

LIBER QVINTVS.



HÆc vbi ritè peracta sunt, de Bastetana ecclesia, quam nunc Bazam vocant, ab Episcopo Acitano extorquenda, quæ fauore reginæ Isabellæ sub Gonsaluio Mendozio Archiepiscopo Toletano, fuerat occupata, Ximenius apud patres capituli egit: cuncta templi scrinia, ad antiquas tabulas proferendas, in quibus Bastetanę ecclesiæ mentio esset, vt excuterentur curauit: atque de ipsa repetenda patrum sententiis decretum est factum. Deinde Ilescis ædem sacrarum fœminarum Deiparæ virgini dedicandam curauit, annuis prouentibus perpulchrè instructam. Post aliquot verò dies Complutum rediit, de absoluenda Academia solicitus. Interea duo negotia, vt sunt res mortales in vtranque partem alternæ, permolesta illi acciderunt: alterum cum Episcopo Oranensi, de ecclesiæ Oranicæ possessione: alterum cum rege nostro eam vrbem regiæ ditioni vindicare cupienti. Duræ partes Ximenii in hoc erant nam propter regis ad hanc rem studium, impar Ximenius negotio habebatur. Rursus proceres, qui fasciculum literarum à rege ad Nauarrum missum in Ximenii manus venisse suspicabantur, regem Ximenio infensum futurum facilè credebant: quod vt eueniret, omni studio conabantur. Nondum illorum procerum animi, quos Ximenius in gratiam regis prudentissimè compresserat, pacati erant: idcirco peropportunam vtrunque committendi occasionem quam diu optauerant, nacti esse videbantur. Ergo causis vndecunq; conquisitis hominem de rege, deq; repub. ipsa benemeritum variè exagitare non cessabant. Rem etiam aliam occultis cuniculis agebant, vt subuerso scilicet Ximenio, faciliùs regem postea deturbarẽt. Quare Ferdinandum, sponte sua Ximenio iniquum, ita grauiter nouis calumniis perpulerunt, vt impensæ quę ad Africanũ bellum, per Ximeniũ (vt diximus) sunt factæ, & ex pactis conuentis statim illi soluendæ erant, tunc ea de causa denegarentur. Opponebant regis procuratores Oranicam prædam adeò fuisse opulentam, vt Ximenii sumptibus par esse posset: remq; periniquam futurã, si postquã gloria & diuitiis onustus Orano venisset, à rege alteram mercedem impensarum postularet. Ille contrà nil se ex præda abstulisse asseuerabat, præterquam Arabica quædam volumina, nonnullaq; alia magis speciosa quàm vtilia, quæ ad victorię monumentum Compl. asseruabantur. Quod si impensarum regem pœniteret, cederet Orani possessione Pontif. Toletano, & se omnem sumptum remissurum. Videbatur nonnullis hæc conditio neutiquam regi reiicienda, Ximeniumque nouæ victoriæ causa hallucinantem, haud satis considerare, quantum negotii & sumptus Pontif. Toletanis incuteret, ea vrbe tradita quæ perexigua emolumenta esset allatura: imò verò quæ in regione hostili trans mare constituta, assiduis incursibus impetenda foret, & nouis subinde sumptibus defendenda. Non displicebat regii census procuratoribus ea sententia, qui regis patrimonium liberare ab impensis cupiebat. Nam Toletanam ecclesiã imparem futuram

videbant, ad Oranum diutius tutandam, & necessariò regis opem imploraturam, aut op pidum minimo addicturam. Alii verò, quibus instituta maiorum magis nota, & quibus sa nior mens & consilium erat, neutiquam sumptus aut impensarum causa, aliquid regi ess committendum aiebant, ob quod aliquando dolere posset. Meminisset enim illam mise ram Hispaniæ vastationem, non aliam ob rem magis accidisse, quã quòd scelestus Iulianu Spartariæ Comes, & Tingitaniæ prouinciæ præfectus, illac aditum in Hispaniam Mauri dederit. Videret ergò ne Orano tradita, præsertim si portus custodia Orani præfecto, v Ximenius petierat, committeretur, in talem aliquãdo fortunam rex incideret, qualem infelix Rodericus passus fuit. Quod si præsules, aut homines alioqui sacros, fideliores ess existimabat, meminisset etiã Oppam Toletanum Antistitem, Iuliani conatibus eo tempore in primis inseruisse. Præsertim cùm iam diu Hispaniæ regibus vsitatum ac penè solenn legibusque cautum fuisset, ne limitanea præsidia, aut oppida vllis vnquam priuatis darentur. Idcirco vt de cæteris sileretur, Agredam oppidum in Aragoniæ confinio positum, à Montacutanis comitibus ablatum fuisse, & eius loco Almazanum suffectum. Bastetanam item vrbem mari proximam, & Africæ oppositam, ab Archiepiscopo Toletano detractam Vzetano oppido pro ea substituto. quæ res necessaria semper est habita, vt cùm Garsias Iuannius Pantussa, Toletanæ vrbis & ciuis & præfectus, in Murgitana prouincia præsidia mari vicina possideret, Niuellam scilicet, & Neopotum, Alphonsus rex cognomento sapiens, illis sibi vindicatis, Maganum, & Mozeionium, vicos Toleto proximos, Iuanio dederit: vt ex tabulis regiis, quas rotatas vocant, apud Iuanii successores, qui Pantussarã nunc appellationem in vrbe nostra tenent, videre licet. Addebant huius sententiæ suasores, quòd si aliqua fortè obiicerentur, quæ in talibus locis sitæ priuatorum hominum possessiones essent, vetustiores causas ad ea prætendi, quàm vt in præsentia conuelli deberent. Vicit hæc tandem apud regem sentẽtia, & illico de impensis reddẽdis actũ fuit: quas quanuis malignè & vix extorserit, redditæ tamen Ximenio fuerunt. Mittitur interea Complutum executor regius, qui primum cunctam Ximenii supellectilem excutiat, deinde priuatorum hominum, qui prædæ participes fuisse credebantur. Id autem impotenter ab eo, & contumeliosè, per Antistitis Toletani oppida, vbi militum delectus habiti fuerant, factum esse à maioribus accepi. Nam mancipia, quæ sub corona venierant, Maurica stragula, Numidicæ vittæ, & quicquid deniq; aut pretiosũ aut vile prædæ cesserat, rursus fuit in aceruũ redactum, vt inde regi quinta pars tribueretur. Res fuit Ximenio grauis & molesta, præsertim cùm iniqua & indigna contingeret: siquidem maior pars exercitus cum imperatore Nauarro & tribunis militaribus in Africa manserat, quibus præda opulentior & nitidior cesserat: Nunc verò tenues homines & agricolæ vexabantur, qui dum à peculio & opificiis suis absunt, plus ex re familiari amiserant, quàm ex præda in bello compauerant. Exigebãtur etiam à Ximenii quæstoribus rationum libelli, in quibus subducendis multò parcius & tenuius agebatur, quàm in cumino secando, iuxta veterem parœmiam, sordidi homines & auari solent. Hæc ille ita forti animo & generoso tulit, vt nullam offensæ patientiæ significationem, nullam vocem, aut arrogantem, aut superbam ediderit. Reuocabat enim in memoriã, prisca Themistoclis & Scipionis exempla: & quod magis eum consolari poterat, æqualis sui Gonsali ducis cognomento Magni, qui nuper Neapolitani regni præfectura relicta, ad similes scopulos cum regii census procuratoribus in reddendis rationib. impegerat: etiamsi, qua erat hic ingenii dexteritate & elegantia, facetis dicteriis contumelias circa eam rem illatas vrbanè eluserat, Ximenii tamen virile pectus paria cum Gonsali dexteritate faciebat. A regiis ergo rationibus explicatus, gratias pro redditis impensis egit: & ad omne deinceps obsequiũ se paratũ promptũ est pollicitus. Quod vt erat magnanimi & excelsi spiritus, multiplici officio in reb. quę postea emerserũt, iniuriarũ oblitus præstitit. Alterũ verò negotiũ quod Episcopus Oranensis facessebat, ab hoc principio occasionẽ, nõ omnino temerè ab aduersario animaduersã habuit. Aliquot retro annis priusquã de Orano capiẽda ageretur, Lodouicus Guilielmus ordinis Frãciscani sodalis, Episcopus per Põtif. Max. creatus est titulo Auriensis diœcesis: solent enim huiusmodi Episcopatus tribui titulo tenus, donec vrbes illæ ad Christianos iure postliminii redeãt. Cũ igitur Guilielmus passim Auriẽsem Episcopũ se vocitaret, isq; Oranẽsis tum ab ipso, tũ à vulgo omnibus esse crederetur, simulatq; Oranũ nostrorũ virtute in potestatẽ Christianorũ venit, veluti nihil iniquũ aut alienum petens, sed potiùs iure sibi acquisito vtens, litem Ximenio intendit, nã nihil precibus aut fauore effecerat, de Orani ecclesia, quã suã esse credebat, repetenda, ad quod Pont. Max. diplomata ostẽdebat, quibus illico vt Oranũ capta, est ei se ritè suffici curauerat. Ximenius verò, qui rẽ quã arcu suo (vt sacræ literæ loquũtur) atq; adeò militũ suæ ditionis sanguine & sudore pepererat, ex cõditionibus cũ rege Ferdinãdo pactis, diœcesi

Toleta-

Toletanæ applicare,& coniugare in primis operam dabat: vt vel eius poſſeſſionis memoria ſuccedentes Antiſtites ad res conſimiles efficiendas incitarentur. Anxius tamen & ſolicitus,ne quid propterea damni Guilielmus ſuſtineret,propriæ eccleſiæ poſſeſſione deturbatus, viros antiquitatum,& memoriarum priſcarum peritos ad ſe vocat,& de Orani vetuſtāte inquirit. Illi verò,conſultis prouincialibus de Epiſcopatuū diuiſionibus libris, & Africanis conciliis,vbi nomina Epiſcoporum & diœceſium ſubſignantur, ſitu item locorum explorato,ac vetuſtis vrbibus cum recentibus comparatis, ad hunc modum Ximenio reſponderunt: Oranum nouam ædificationem eſſe,quod partim ex antiquorum coſmographorum libris eliciebatur, qui ad portum magnum, qui Merſalcabir dicitur,nullam celebrem habitationem,qualis Oranica nunc viſitur,conſtituunt: partim ex Maurorum ipſorum monumentis, vbi Oranum Trimeſeniorum colonia eſſe proditur,& non ita longè à patrum memoria per Numidas ſtructa. Quod ſi ita,vt credebant,eſſet,nullam antiquā appellationē huic vrbi in præſentia dandam cenſebant. Quòd ſi ideo Guilielmus Aurienſem appellabat, quod cum Guaharam nomine à colonis indito conueniebat, videret ſanè vir parum iſtarum rerum peritus,ne ita cauſam ſuam omnino euerteret: cùm nimirū diœceſium Africanarū nomina iam olim ex monumētis prouincialib. ſint cognita,quę multò antè ipſis impoſita fuerūt,quàm à barbaris occupata regio eſſet. Quòd ſi ex barbaro nomine argumentū capiebat, confiteretur neceſſe erat, pòſt barbaricam irruptionem Epiſcopatum in ea vrbe conſtitutum fuiſſe: quòd quàm abſurdū & ridiculū foret,ipſe paululū attendens intueri poterat. Rurſus cùm ex libris prouincialibus, tum ex ſynodis in Africa habitis,vbi de Metropolitanis eius prouinciæ eccleſiis mentio eſt,Carthaginenſis & Tingitana recenſentur: ex quibus Tingitanæ, Setinenſem ſiue Eliſſenam, Bugianam,& Hipponenſem ſubiiciunt, nulla Aurienſis mentione facta. Quòd ſi tunc ea eccleſia fuiſſet, cùm multò propior & vicinior, quàm vlla prædictarum Tingi metropoli eſſet, dubium non eſt, quin diuiſores illam inter primas fuerint numeraturi: Carthaginenſi verò Tripolitanam, Icoſienſem, Horocellorū, pluresque alias, quæ ad orientē è freto Herculeo vergūt, inter quas Aurienſis numeratur, quæ ab eo loco in quo Oranū eſt, pluſquā paſſuū octoginta millia diſtat, ſi bene ſitus regionis conſideretur,& librorū computatio ſubducatur. Accedit quòd Orano Trimeſenio proxima, tātoq; illa & magnitudine, & dignitate inferior, neutiquam erat tam inſignis nota Trimeſenio inurēda, vt hac præterita, Oranū pontificiā eccleſiam haberet. His rationibus Ximenius perſuaſus, Guilielmo eccleſiam ſuam alibi quærat terrarum iubet: neque enim ſe viuo vnquam permiſſurum eam fraudem Toletanæ diœceſi fieri, vt contra regia pacta & iuſtas ſponſiones, Oranicæ eccleſiæ poſſeſſione priuaretur. Nam, vt ex Didaci Lupi inſtructionibus apparet, quas eo tempore à Ximenio apud reges procurandas accepit, antequam in Africam traiiceret, inter cæteras ſtipulationes, quæ ſolennibus tabulis hinc inde ſunt habitæ, vnum illud præcipuū fuit, quòd Oranica eccleſia collegiatæ titulo Toletanæ adiungeretur, abbatiæ, dignitatibus & ſacerdotibus per Pont. Max. inſtitutis, quorū abbas in Toletana eccleſia locum dignitatis in templo maximo, & ſedem haberet: quorū nominatio iure patronatus regi noſtro in perpetuum conceſſa eſſet,& protinus ab Archiepiſcopo Toletano confirmaretur. Id Guilielmus ægrè tulit,& vndecunque conuocatis auxiliis, regium tribunal, atque adeo regis ipſius aures querimoniis aduerſus Ximenium onerat: ſe poſſeſſione propria per omne nefas deturbari: Pontif. Max. diplomata parui pendi: & demum ab aduerſario potentiſſimo, non tam ex æquo vinci, quàm per vim & iniuriā obrui. Hæc cùm aſſiduè ab illo iactaretur, tandē biennio poſt literas ad Ximenium à rege impetrat, quarū autographū exēplū apud me eſt, quibus omni ſtudio modo nō orat, vt huic liti finē imponat: & ſi quas habet Pōtificis Maximi tabulas, quod ſæpe affirmauerat de collegiata eccleſiæ Toletanæ ſubiecta Orani erigēda, quāprimū ad ſupremū regis tribunal proferat: vt tam Guilielmi, quàm ipſius diplomatibus exactè perſpectis, quid ſit tandem decernendum innoteſcat, alioqui poſt tam benignam obteſtationem in proferendis tabulis ceſſet, ſe nullius rei priuatę ratione habita, ſolū quod iuris eſſet, facturū. Harū literarum cauſa Ximenius cum Guilielmo non aſpernādis conditionibus litem cōponere & ſopire parat. Nam eum abbatem Orani creandum pollicetur: abbatiamque ipſam Toleti in templo maximo, dignitatis titulo (vt dictum eſt) cohoneſtandam, ſacerdotio inſuper, quod portionem vocant, ad dignitatem tuendam addito. Sed dum Guilielmus ad huc ſe plura à Ximenio extorſurum ſperat, conditiones oblatas reſpuit: tabulas Pontif. Max. vt proferat inſtat: & quicquid cauſæ ſuæ profuturum exiſtimabat, apud regios iudices declaret. Tunc Ximenius ſeueritatis innatæ memor, diplomata quidem Pont. nulla (vt opinor) protulit, cęterum regē de cōditionibus Guilielmo propoſitis, per procuratores ſuos admonuit: qui apud eum prouincialium commētariorum teſtimonia, quibus Oranum recens eſſe colo-

nia oſtendebatur, cæterasque omnes Antiſtitis ſui rationes referentes, ſimulq; pacta in
memoriam reuocantes, quæ cum Ximenio ante Africanam expeditionem inierat, de eri-
genda collegiata eccleſia, quæ Toletanæ diœceſi adiungeretur, regis animum à Guilielmo
alienarũt: & partim negotiorũ maiorũ cauſa, quæ ſunt illico in Italia oborta, partim regis ę-
gritudine & tædio, nunquã Guilielmus amplius aditũ ad eũ habuit. Cũ verò à morte regis
Ximenius imperii gubernacula ſuſceperit, ſenſit tandem auarus ſenex, quanto ſibi com-
modiùs fuiſſet, vel cum iuris ſui diſpendio, nedum in re tam ancipiti & dubia, benignas Xi-
menii conditiones accepiſſe: nec rerum maiorum captandarum ſpe, paratam fortunã ſto-
lidè abiecisse. Vixit itaque pœnitentia ſera cruciatus, prorſusque à Ximenio neglectus: ra-
rò enim homo priſcæ ſeueritatis in gratiam cum illis redibat, qui iuſtam eius indignatio-
nem meruiſſent. In actis tamen Alphonſi Fonſecæ Archiepiſcopi Toletani inueni, Guiliel-
mum poſt Ximenii mortem rurſus ad litem ſuam rediiſſe, & Alphonſum Fonſecam (vt erat
vir ſingulari humanitate) eaſdem cum Ximenio conditiones obtuliſſe: quas ille litigationis
moleſtias ferre nolẽs, & ſimul occaſionis præteritæ exemplo prudentior factus, libenter
quidem amplexus eſt: atq; ita anno eius ſeculi XXVI. ferme ineunte (nam ſub menſem Ianu-
arium hæc ipſa gerebantur) Fonſeca Archiepiſcopo apud regem curante, literæ ab eo ad
Clementem VII. Pont. Max. & ad ducem Sueſſanum, Cæſareum apud Pontificem inter-
nuntiũ (nã iã Carolus V. rebus potiebatur) ſuper ea re dãtur. Porrò in Sueſſani mandatis, ea
quæ à me narrata ſunt de pactis regis catholici cum Ximenio initis, de eccleſia collegiata
Orani erigenda, de ea vrbe per Ximenium expugnata, de eccleſiæ inſtitutione propter re-
gis Ferdinãdi imbecillẽ ſenectã dilata, de ea primo quoq; tẽpore inſtituenda copioſiſſimè
agebatur. Quid tamen poſt illud apud Pont. Max. effectum fuerit, ſanè mihi compertũ non
eſt. At quantum ex eccleſiæ Toletanæ actis coniectare licet, res adhuc anceps relicta fuit.
Nam certè Pont. Max. nil cõceſſiſſe id magno argumẽto eſt, quòd cùm Romæ differri ne-
gotium Guilielmus cõquereretur, ſeq; titulo Aurienſis eccleſiæ eius fide fretũ abdicauiſſe,
quinquaginta millia nũmum Guilielmo quotannis percipienda, donec diplomata Roma-
na adducerentur, liberaliter conſignaſſe: ex quibus partẽ aliquam ſuſcepiſſe, chirographo
ſuo Guilielmus teſtatur. Sed cùm Romæ nihil ageretur, tandẽ Guilielmus Oranum con-
ceſſit, vicarii à Fonſeca inſtituti nomine eccleſiæ Oranicæ fructus percepturus: quos cùm
exiguos & tenues, vt in regione hoſtili deprehendiſſet, rurſus in Hiſpaniam rediit. Cuius 3
aduentus parum gratus Fonſecæ fuit: ob quod alteras à rege literas ad Fonſecã impetrare
coactus eſt, quibus illũ Carolus obteſtatur, vt ſaltẽ ſummã illã quinquaginta milliũ nũmũ,
miſerò ſeni, atque in extrema inopia conſtituto, nequaquam denegaret. Cùm ergo ad eum
ſtatum res producta eſſet, eccleſiæ Toletanæ patres, vt ex actis eorum apparet, voluntati
Fonſecæ conſenſerunt, ad dignitatem Oranicæ abbatiæ in templo ſuo conſtituendam: li-
cet ſe anguſtiſſimè ſedere, ob ſacerdotiorum multitudinem dicerent. Cùm ergo hucuſque
proceſſiſſet, mirandum eſt, quæ cauſa retardare potuerit, vt res hactenus infecta reman-
ſerit. Niſi fortè aut Pontif. max. religio fuit, rem vetuſtam circa Aurienſem titulum, aliter
quàm vulgo acciperetur, declarare: aut præſulem Toletanum piguit, impenſas non medi-
ocres ad collegiatam eccleſiam Orani, loco parum ab hoſtili iniuria tuto, erigendam face- 4
re. Hanc remiſſionem Guilielmi mors ſuperueniens adauxit: cuius potiſſimùm importu-
nis petitionibus, res parum antiſtiti Toletano grata intermiſſa fuit. Igitur manſit Oranum
Toletanæ diœceſis in Africa portio: qua de cauſa cùm hoſtium incurſibus perpetuò ab eo
tempore vexetur, & militariũ hominum qui ad eius cuſtodiam illic viuunt licentia, religi-
onis ſtudium pertenue habeatur, ſacerdotes à rege Ferdinando per Ximenium inſtituti,
armis magis quàm libris, & prædæ potius quàm pietati aſſueti, minoris fiunt quàm vt ca-
nonicorum nomen obtineant: abbaſque ille qui præponendus curabatur, vicarii nomine
in præſentia contentus, ſolo Pont. Toletani nutu, nulla regis neceſſaria nominatione, vt
videmus, eligitur. Nam Bartholomęus Miranda, inter initia ſui pontif. vicarium Oranẽſem
in demortui locum ſuffecit, isque adhuc eccleſiæ illius præfectura potitur. Ingens conten- 5
tio nobis cum reipublicæ hoſtibus, ab eo tempore pro Orano & portu magno manſit, no-
ſtris fortiter defendentibus, illis acriter incurſantib. Nam ſub extremũ Ximenii vitæ annũ,
ſemel à Turcis impetita fuit, Horuſcio Ænobarbo duce: rurſus ætate noſtra Turcarum au-
xilio ſemel, Martino Alcaudeto præfecturam Orani tenente, anno M. D. LVI. & iterũ Al-
phonſo Corduba anno M. D. LXIII. vbi Martini Cordubæ, Alcaudeti filii, ingens virtus
emicuit, in Maſalquibirano præſidio defendendo contra innumeram hoſtium multi-
tudinem. Poſt hoſtium fugam, Deo immortali à Philippo Rege, & vniuerſa Hiſpania gra-
tiæ actæ ſunt: perſuaſumque fuit Ximenii meritis, qui ſacris armis & religioſis auxiliis, di-
uino potius quàm humano pręſidio, ea pręſidia adeò reipub. neceſſaria expugnauiſſet, hoc

noſtro

noſtro tempore obſidione fuiſſe liberata. Hactenus de Africana Ximenii expeditione, quam ille nullis ſumptibus aut labori parcens, reip. cauſa, Deo virum magnanimum, & ad publica commoda procuranda natum, proculdubio inſtigante, ſuſcepit. Igitur poſtquam Oranica negotia ad eum modum compoſita ſunt, otium Ximenius à rebus publicis per id tempus nactus, Compluti de rebus, quas iamdudum meditatus fuerat, quamprimum perficiundis curabat. Atque ita ſub annum eius ſeculi decimum, ædem Ileſcis in honorem Deiparæ dedicatam, Araozo penoris præfecto abſoluendam mandat. Turrilacunæ, quod illi ſolum natale fuit, aream peraccommodam & ſpatioſam ſignat, ad ædem alteram Deiparæ erigendam: eius enim cultui deditum fuiſſe, tot præclara monumenta virgini matri dicata manifeſtis argumentis demonſtrant, in qua Franciſcani ſodales ſanctiſſimæ Virginis numen religioſis precibus, & obſequiis demerentur. Inde ad ſancti Auditus delubrum venit, quòd non longè à Turrilacuna, inter rupes Buitragiorum eſt. Locus certè nemorum ſolitudine, & aquarum ſcaturientium abundantia peramœnus. Eius Priore (ſic enim ædis præfectum appellant) ad ſe vocato, poſtquam in mores eius ex officio paſtorali inquiſiuiſſet, quos corruptiſſimos habere nouerat, de auferenda ab eo præfectura, & aliis prouentibus ei magis profuturis compenſanda, agere cœpit. Inde Complutum ad Academiam reuertitur, quam ſupra omnes alias operum inſtitutorũ curas, tanquam dilectam filiolã, ſingulari ſtudio adaugendã & exornandã curabat. Erat inter Ioannis Ximenii fratris liberos, Ioanna Ciſneria, ob honeſtos & ingenuos mores peculiari affectu Ximenio grata: qua de cauſa de eius in matrimonio locatione ſolicitus, virum aliquem nobilẽ ingenio facili & manſueto, maritum ei iamdiu quærebat. Proponebantur ſanè ab amicis aliquot regulorum filii, ad quos primigenii iure hæreditas paterna pertinebat: ſed his tanquam impendiò ſumptuoſis ſemper reiectis, ſemper ad natu minores inclinabat, quòd eis mediocri dote ſatisfacturum ſe eſſe arbitraretur. Oblatus tandem quærenti eſt Petrus Gonſaluius, Didaci Ducis Infantatus ex fratre Aluaro nepos, qui nondum ex ephebis egreſſus, indolem maioribus dignam præ ſe ferebat. Hic aliquot pòſt annis multa ſuæ virtutis exempla in Italia protulit, Vallis Siculæ Marchionatum in dotem vxoris accepit. Is tunc Ximenio ſatis dignus fuit habitus, cui Ioanna nuptui daretur: tabulis publicis, vt ſolet, nuptiarum ſtipulatio, Didaco duce tutore collaudante, facta eſt: & extemplo Gonſaluius in antiſtitis familiam ſpõſus nepti, quod fauſtum felixq; eſſet, magna omnium lætitia fuit aſcitus. Sed aliter viſum eſt ſuperis, neq; enim ratæ eæ nuptiæ fuerunt. Dum hæc à Ximenio Compluti aguntur, Villaroellus Caſtorlanus præfectus in præfecturam ſuam Orano venerat: vbi dum ab anteactis laboribus ſe quieturum ſperat, vt ſunt hominum ſpes fallaces, cum ciue ſuo ingenuæ conditionis homine ſimultate ſuſcepta, eò tandem furoris res proceſſit, vt eum ferro perimi curauerit, & paternos quos incolebat penates, ſolo per noctem intempeſtam æquauerit. Vxor & cognati tam atroci facinore permoti, ſqualenti & luctuoſo habitu, ad regem vindictam petituri veniunt. Ad inquirendum de ea re quatuoruir Cornelius Caſtorlam mittitur. Id ſimulatq; Ximenius cognouit, dedit operam, vt antè eius aduentum Villaroellus rei perſonam gerens, ante regium tribunal continuò ſiſteretur & largiſſimè pecunia vxori & propinquis occiſi erogata, & ad ſui defenſionem purgatione adhibita, mortui manibus expiatis, ea ſe tandem noxa liberaret. Vulnus nondum obductũ, quod Ximenius in animo ex Oranica Villaroelli, ad Trimeſenii portã, negligentia ſuſceperat, rurſus recruduit: & ignauiæ, vt ipſe ſibi perſuaſerat, aduerſus hoſtes, ferociam in ſubditos adiungi videns, dici non poteſt quam grauiter id tulerit: & quantum dum vixit Villaroello ſemper infenſus fuerit. Interea rex cum ſub veris initium ad Aragonios conuentus proficiſci vellet, Madritum ad ſe Ximenium accerſit: qui Ferdinandi nepotis cuſtodia ſuſcepta regni tantiſper gubernaculo inſiſtat, donec Aragonii conuentus peragerẽtur: quod ſub primum Septembrẽ factũ fuit. Quare cùm rex in Caſtellã rediiſſet, extemplò Ximenius Complutum conceſſit. Illuc cùm veniſſet, Ioannem Caſtellam Salmanticenſem Epiſcopum, diem ſuum obiiſſe cognouit: cumq; apud ipſum de epiſcopo illi eccleſiæ ſufficiendo inter familiares ageretur, non defuerunt, qui de Franciſco Ruizio eius ſodale, quanuis ſubtimidè, & parum apertè, Ximenii ſeueritatis & ingenii conſcii, explorabundi tamẽ mentionẽ fecerint. Nam ex frequentib. Ximenii mandatis, quæ eius nomine ad regẽ ferebat, & præſertim ex narratione belli Africani, quã Orano profectus corã rege prudenti & iucundo ſermone expoſuit, non ſolum erat regi Ferdinando notus, ſed carus etiam: vnde amplam ſpem ſecum reportauerat, tali aliqua qualis præſens erat, occaſione oblata, non ſe fruſtra ad regem ventitaſſe. Grauiter id accepiſſe Ximenium Ioannes Vergara referebat, qui quanuis eo tempore in antiſtitis familia non eſſet, ab antiquioribus tamen miniſtris audierat, neminem ex Ximenii familiaribus, neque adeò Ruiziũ ipſum, eius opera aut commendatione, ad dignitates quas habuerunt, gradus feciſſe: ſed ſua potius

ipsorum industria, Ximenii fauore obliquis consiliis ad ambitionem suam abutentium. Nam id vnũ vir religiosus, & rerum earũ experiẽs apud se statuerat, vt nemo ex his qui sibi cari, aut alias quoquomodo curæ essent, ad hos honores, quos partim animi tranquillitatem lædere, partim periculo plenos esse cognoscebat, se curante vnquam proueheretur. Veruntamen quanuis hoc ita esse non inficiabor, alii qui adhuc viuũt, in Ximenii domo id tempus diuersantes, longe aliter mihi retulerunt. Nam cùm Franciscum Ruizium semper plurimi Ximenius fecerit, eũq; cuiuis rei gerendæ parẽ esse abũde existimauerit, ad episcopalem dignitatem promouendum iudicauerat. Atq; ita Arteagã vnum è cubiculariis Madritum ad regem misisse certum est: qui Salmanticensem ecclesiam Ruizio peteret. Libẽter se id facturum fuisse rex Arteagæ respondit, nisi pridie eius diei Francisco Bouadillo Marchionis Moiani filio, in gratiam matris contulissent: cuius in aulam fœmineam, dum reginis sedulò inseruit, permulta quidem merita extiterant. Quòd si Rodericopolitanam, quam ciuitatem vocant, à Bouadillo relictam tantisper suscipere vellet, donec amplior se offerret, in qua Ruizius suam virtutem pro dignitate ostenderet, se extemplo id effecturum. Quod & præstitit: nam ferme quadriennio pòst, cùm ęger rex per saltus se oblectaret, & animi causa in Segobiæ syluis venationi operam daret, cùm forte Abulensis episcopatus pontifice defecisset, Didacus Lupus Aiala Ximenii procurator, atque Ruizio amicitia coniunctissimus, ad regem venit, & quod Madriti promisisset in memoriam reuocauit. Cui verbis beneuolentia & fauore plenis ad hunc modum respondisse ferunt: Memineris tu potius Lupe de diplomatibus Roma asportandis, nam ego me iam antequam tu venires promissis Ruizio, siue potius Ximenio, exolueram: quem ego vnum, propter eius in me præclara beneficia, nulla vnquam occasione fallere vellem. Huius secundæ Lupi petitionis Ximenium ignarum fuisse, proculdubio ex Vergaræ testimonio affirmare ausim. Satis enim segetis ad pietatem exercendam in Rodericopolitana ecclesia Ruizio datum esse arbitrabatur: idq; sæpius significauerat. Etenim crebris apud eum sermonibus vsurpabat. Si me audis, nihil vltra ambies: nam quantum solicitudinis & molestiarum, summi honoris & dignitatum gradus, sub fulgore qui præfertur, occultent, à meis rebus plenè discere potuisti. Idcirco non tam regi gratias tunc egisse, quàm offensi animi indicia commõstrasse, quòd id per Didacum Lupum factum esset. Nil memorabilius à Ximenio factum, hoc anno comperi, Bastetanæ ecclesiæ ad Toletanam diœcesim reductione. Nam cùm decretum à patribus Toletani capituli, Ximenio præsente de ea ecclesia repetenda, factum fuisset: simulatque otium nactus fuit, ad id conandum vires suas & animum conuertit. Est sanè difficile & arduum, rem quam semel quispiam iure, vel iniuria occupauerit, rursum extorquere, & in tuam possessionem vindicare, sed multò laboriosius quæ ab ecclesiis tenentur. Cùm igitur reges catholici, Ferdinandus & Isabella, conatu felicissimo ac religiosissimo, Granatẽse regnum expugnare aggressi sunt, quanuis in id sedulò & potenter intendere decreuerant, intellexere tamẽ Granatam, regiam & munitissimam vrbẽ, nulla vi, aut dolo debellari posse, ni vicina oppida prius caperentur: vt lignatores si quando magnã arborẽ euertere contendunt, ablaqueare solent, & paulatim radices quibus nititur, rescindere. Ergo inter alias vrbs Bastetana fuit, quæ vt in commentariis Ferdinandi Pulgarii habetur, obsidione sex mensium vexata, tandem anno M.CCCC.LXXXIX. ante diem tertium Non. Decembris in potestatem Hispanorum venit, plusquam quingentis ex nostris qui in ergastulis captiui continebantur, deditione ea liberatis. Curarunt illico religiosi principes, de ciuitate per sacerdotes nostros lustranda, deque præsuli proprio committenda: vt à Dei optimi maximi cultu principium faciẽtes, felici reliqua successu prouenirent. Annales rerum nostrarum tunc consulti sunt, & acta sacrorum librorum inspecta: atq; tandem intellectum est Bastetanam vrbem ad Toletanam diœcesim pertinere. Nam anno Domini M.CC.XXII. tertio decimo Calẽdas Februarii, qui dies Fabiano & Sebastiano Martyribus sacer est, Talamancæ diœcesis Toletanæ oppido, Ferdinando III. & Berengaria matre præsentibus, Alfonsus Tellius Meneses, qui quondam montosis ad Toletum locis, quà se illa regio Lusitaniæ antiquæ coniũgit, oppida quædam limitanea condiderat, puta Cedenillam, Malamonetam, & quod à duabus sororibus nomen tenet, quæ religionis ergo ecclesiæ Toletanæ, atq; eius Pontificibus dono dedit. Id cũ Toleti diuulgatum esset, magna contentione apud regem actum est, vt Rodericus Toletanus antistes, senatui populoq; Toletano oppidis iis cederet, quæ illorum vsibus peropportuna erant. Sed anno M.CC.XLV. solenni stipulatione confectum fuit, vt intra quadriennium, si Bastetana vrbs è potestate Maurorũ erepta esse ecclesiæ & archiepiscopo Toletano addiceretur, & statim præsidia, quæ circumcirca eam rex cœperat, traderentur. Non facilè tamen in præsentia affirmauerim, an ad Bastetanam à rege petendam aliquo iure Rodericus egerit: res enim sunt peruetustæ, & parum cognitæ, in qui-

in quibus quod certi tradatur nihil est. Bastetanam verò nunquam à rege fuisse captam, paulò attentius quæ gesta sunt consideranti satis constare potest. Nam de Vzedæ, Eznatophari, & aliorum oppidorum pro Bastetana à rege facta commutatione agitur, & rex literis ad Sanctium filium Archiepiscopum datis, Roderico iam defuncto, de Bastetana vrbe primo quoq; tempore obsidenda scribit. Illud certè satis constat, ad Ferdinandum v. sub Maurorum imperio eam vrbem fuisse, archiepiscopis Toletanis suum ius retinentibus, si quando in Christianorum potestatem veniret. Ergo postquam ea vrbs capta est, Cardinalis Gonsaluius Mendozius archiepiscopus Toletanus vicarium suum in ea constituit, sacris prius procuratis. Acis vrbs pari à nostris fortuna eodem mense capitur, quæ nunc Arabico nomine Guadix appellatur. Hæc quoniã olim episcopatu decorata inueniebatur, & tunc hostium causa diœceseos angustiis laborabat, visum est regibus, vt authoritate summi Pont. Bastetana vrbs propinqua ad Acitanũ episcopũ pertineret: & vt Toletana, ditione territorioq; suo amplissimo contenta esset. Ab eo tẽpore, in Acitanæ ecclesiæ potestate Bastetana fuit. Nam cùm Garsias Quixada, Franciscani ordinis sodalis, Acitanus episcopus fuit creatus, vt erat apud aulicos ferme omnes gratiosus, facilè à regina obtinuit, vt Bastetana vrbs Gõsaluio cardinale dissimulante, diœcesi Guadixianę cederet. Ergo Ximenius rẽ indignã esse arbitrabatur, põtificatus Toletani amplitudinẽ diminutã & accisam esse, in gratiã præsulis Guadixiani. Et quanuis pro tẽpore dissimulãdũ esse duceret, altè tamẽ animo ea iniuria impressa erat, & decreuerat simulatq; occasio data esset, Bastetanã ablatã ecclesiæ Toletanæ postliminio restituere. Igitur cũ à publicis rebus eo tẽpore vacaret, atq; ob bellũ Africanũ assiduè per eos dies in locis maritimis cõmoraretur, de Bastetana repetenda, cũ Acitano episcopo ex iure agere cœpit. Nã cùm ad cõmeatus, reliquaq; omnia belli instrumenta deportãda crebrò Singilienses, Bastetani, & Acitani, aliiq; itẽ maritimæ illius regionis incolæ conuenirẽt, querelæ ad Ximeniũ (vt sunt vulgi mores, ad calumniã magistratibus faciendam propẽsi) deferebãtur, de sacris male per Episcopos Acitanos procuratis, deq; disciplinæ Christianæ corruptela ob Mahumetanę gẽtis vicinitatẽ. Sed Bastetani antè alios instabãt, vt memor esset antiquorũ cliẽtũ, neq; tã bonus patronus, sub alieno dominio illos degere permitteret. His assiduis Bastetanorũ vocibus Ximenius cõmotus, sub mẽsem Februariũ, apud iudicẽ à Pont. Max. delegatũ, litem episcopo Acitano intendit: Capita rerũ ab eo proposita, quantũ ex publicis notariorum tabulis colligere licuit, hæc ferme sunt. Primum, In ecclesiæ Toletanæ tabulariis inter cætera venerãdæ antiquitatis monumenta, mẽbranas sigillis regiis & Pontif. consignatas esse, in quibus, ex regis Ferdinandi tertii & Sanctii archiepiscopi Toletani pactis conuentis, ius Bastetanæ vrbis possessioni regiæ conceditur, Vzeta & Eznatorofo oppidis pro ea datis, aliquotq; item nummorum millibus perpetuò percipiẽdis. Nã vt ex serie literarũ apparet, Roderico Ximenio Toletano antistiti in cuius demortui locũ Sãctius successerat, Ferdinãdus rex Bastetanã ditionẽ sub ea cõditione dederat, si Miraculo cederet. Id erat oppidũ in Bæticæ cõfiniis, ad publicã viã qua Toletũ itur positũ: in quod Rodericus, dũ Oreti Maurorum viribus resistit, nouã coloniam curauit deducere, loco scilicet ad impetus hostium infringendos peraccommodo: quanuis vt ipse in historiis Gotthorũ scribit, ab operis continuatione, ob crebras pluuias, & innundationes, sub ipsis initiis retardatus sit. Postea verò quoniam rex Bastetanã vrbẽ tanquam vsibus suis necessariam repetebat, Sanctius Archiepiscopus regis parentis voluntati obtemperans, annuentibus etiam capituli patribus, & publicis tabulis interuenientibus, Bastetanæ vrbis ius in regem ac suos successores trãstulit. Et nõ solùm diplomata in quibus donatio facta continebatur, regi sunt tradita, sed & literæ etiã ad Rodericũ Toletanũ datæ quibus intra quadriennium se ecclesiæ Toletanæ vniuersam Bastetanam possessionem, prout cõuenerat, traditurũ pollicebatur: itẽque aliæ ad Sanctiũ filiũ missæ, quæ sub mẽsem Maium instantis anni se id effecturum continebant. De iure verò pontificio in Bastetana vrbe exercendo per Archiepiscopos Toletanos, Cælestini II. & Vrbani III. concessiones, sub Gonsaluo & Martino antistitibus Toletanis datæ, in publicis nostræ ecclesiæ tabulariis repositæ aptissimè loquuntur. Fuit hic Rodericus vir plæclarus, pietate in primis sed bello etiam atque eruditione memorabilis, vt eius scripta & egregia in remp. monumenta testantur. Nam eius armis (vt suprà dictum est) Castorlana præfectura, aliaque oppida à Mauris sunt recepta. Id igitur cùm Archiepiscopi Toletani, ex actis suis ità esse cognouissent, iuris sui seruandi causa, quoties decumarum sacrarum publicæ redemptiones in diœcesi Toletana agebantur, semper tam Toleti quàm Castorlæ, inter cæteros annuos fructus, Bastetana etiã annona, de more taxãda proponebatur. Cõstat ex Alphõsi Carilli Archiepiscopi Toletani tabulis, Bastetanũ arhidiaconatũ cuidã sacerdoti etiã si nihil percepturo ab eo tributũ: ne huiusmodi actiones neglectę, Toletanę ecclesiæ fraudi es-

ſent. Quin & anno Domini M.CCC.XXX. Ægidius Albornozius Archiepiſcopus Toletanus, cuius egregiam & admirabilem virtutem, ſedes Apoſtolica ſeruata, atque adeò Italia vniuerſa ſenſit: cùm rex Alfonſus XI. Auenzaidi præſidium (quod Alcala Mauri vocant) obſideret, iuris Baſtetani Archiepiſcopis Toletanis debiti memor, Baſtetanam vrbem obſidendam duxit: quam cùm graui oppugnatione premeret, Farachius Granatæ rex, qui eius loci poſſeſſione priuari rationibus ſuis incommodiſſimum eſſe iudicabat, cum Alphonſo rege per legatos egit, ſe Auenzaidanum præſidium ſponte traditurum, ſi Ægidius Archiepiſcopus à Baſtetana expugnatione ceſſaret. Ægidius tamen iuri ſuo cauens, grauate id ferebat. Sed rex optimus & æqui obſeruantiſſimus, ne id vnquam eccleſiæ Toletanæ fraudi eſſet, fide regia interpoſita cauit: & collegiatam eccleſiam Virgini matri dicatam Auenzaidi condidit, in quam Metropolitani ius Archiepiſcopus Toletanus haberet, & oppidũ Alcalam regiam vocauit, oblitterata Auenzaidi appellatione. Quæ omnia in gratiam Ægidii archiepiſcopi facta magnam vim habere conſtat, in rebus huiuſmodi tam antiquis, vt Ximenius ius ſuum recuperare potuerit. Porrò inter cęteros PP.RR. qui eccleſiam Toletanam multis prærogatiuis auxerunt, Calixtus & Vrbanus, ius Metropolitani archiepiſcopis tribuerunt in eos epiſcopos, qui proprium metropolitanum Saracenorum incurſione amiſiſſent. Quas ob res Gonſaluius Mendozius archiepiſcopus Toletanus, ſtatim vt à regibus catholicis Baſtetana & Eſcua reparatæ ſunt, earum curam ſuſcepit, & meſquitas ritu Chriſtiano luſtrauit, eccleſias & ſacerdotes inſtituit, templa dedicauit, atq; omnia alia pontificia munera cum ſuis vicariis exercuit: quæ ius etiam archiepiſcopi Toletani non vulgariter ſtabilire potuerunt, ſi quæ recenſuimus non fuiſſent ſatis. Igitur cauſa coram ſummi pontificis iudice, hiſce omnibus allegationibus per Ximenium acta eſt, ſecundum quem lis eſt data. Prouocatum eſt ab Acitano, & ſecundus iudex à P.M. quem Ximenius fruſtra reiicere laborauit, quanuis ſibi & ſuis rebus illum inimicum eſſe clamitaret. Hic ergo latam ſententiam reſcidit, & ſecundum Acitanum pronunciauit. Sed Ximenius ad tres viros appellauit à P. M. in Hiſpania nominatos, qui priorem ſententiam confirmandam eſſe cenſuerunt. Acitanus qui his actis ſeſe de more oppoſuerat, duras agere partes intelligens, litem deſeruit, & tranquillitati ſuæ cõſuluit: neq; amplius negotium Ximenio exhibuit. Ab eo tempore in noſtram vſq; ætatem, Archiepiſcopus Toletanus ius pontificium in vrbe Baſtetana exercuit: & eccleſia noſtra, ob Ximenii diligentiam, ea diœceſis ſuæ parte priuata non fuit: cui ſi ſors ſucceſſores ſimiles dediſſet, longè aliam faciem maieſtas eccleſiæ Toletanæ oſtentaret. Ergo Acitanus, quanuis tunc quieuit, & trium Archiepiſcoporum, qui poſt Ximenium continuò ſucceſſerunt tempore, nihil efficere potuerit: tamen ſub Ioanne Martino Siliceo, in cuius pontificatu multi motus in diœceſi Toletana fuerunt, rurſus lis Baſtetana vires ſumpſit, & antiſtiti Acitano ceſſit, iure Metropolitani apud Toletanum duntaxat ſeruato. Quanquam in actis eccleſiæ Toletanæ inuenio, Ioannem Taueram principium litis componendæ dediſſe, Bernardino Alcarazio ſcholaſtico Toletano, ad eam rem gerendam ſubſtituto. Nec eſt regum catholicorum diſſimulanda pietas, in quorum poteſtatem ſimulatque vrbs Baſtetana venit, priſcorum ſacrorum quæ in ea fuit memores atque Baſtetani epiſcopi olim percelebris, eccleſiam primariam Annunciationi Deiparæ virginis dedicauerunt: & Abbatæ, canonicisque ſacerdotibus exornatam perpetuis reditibus magna liberalitate donarunt, vt ex tabulis quæ de erectione Baſtetanæ eccleſiæ extant, licet cognoſcere. Inſequens annus Ximenium itineribus exercuit, neque vt deſtinauerat, cœpta ædificia perficere, aut optati otii fructus quos meditabatur percipere potuit. Nam cùm regis animum Girbiana clades, quam noſtra claſſis ſub Garſia Ducis Albæ filio ſuſtinuerat, nimis commouiſſet, decreuit Gadibus numeroſam validiſſimamq; claſſem apparare, vt in Africam exercitum potentiſſimum ipſemet traiiceret: & illatam Garſiæ necem, magna hoſtium vaſtatione, vindicaret. Idcirco ſub vndecimi anni initium Madrito Hiſpalim proficiſcitur. Sed ſiue in Africam properebat, ſiue potius Galli regis conatus cupiebat infringere, qui Iulium II. Pont. Maxim. priuatis de cauſis opprimere conabatur: nihil tentare voluit ſine Ximenii authoritate & conſilio: quare vt ſe Hiſpalim ſequatur iubet. Igitur menſe Ianuario, pluuio cælo, & inundantibus fluminibus, neceſſe habuit Compluto diſcedere. Vbi regis expeditio per Hiſpaniam vulgata eſt, ingens concurſus omnium ordinum Hiſpalim fit: neque enim reguli ſolùm: ſed antiſtites & plerique ſacerdotes primarii illuc conuenerunt, promptis animis, & ardentibus votis, regem ad bellum tam iuſtum comitaturi. Erat Ximenio Turrigiis prætereundum: quod cùm Tharaſia Antiqueſia eius oppidi princeps reſciuit, quæ (vt diximus) pietate inſigni fæmina, iam olim Ximenii adhuc monachi ſtudioſa fuerat, & cupiebat pro dignitate tantũ hoſpitem accipere, atque eius cõſpectu & colloquiis frui: ſed verebatur, ne homo durior: & harũ lauti-

tiarum

tiarum, auersator, alio diuerteret, & insalutatam linqueret. Quare rumorē in vulgus sparserat, se per id tempus Turrigiis abesse. Crediderat Ximenius sic esse, & Turrigios ingressos rectà in ædes principales processit. Qui vbi Tharasiā illic adesse nouit, & in eius occursum properare, ab ædium limine indignabundus in Franciscanorum cœnobium diuertit, nihil publicas elegantiorum hominū leges moratus, qui inciuile & indignū homine bene educato esse censent, primarias fœminas, obsequiis præsertim & humanitatis officiis certantes fastidiose aut rusticè negligere. Ergo Tharasia insalutata bene mane iter susceptū die altera prosequitur, & Guadalupum religionis causa venit. Id est Hieronymianorum cœnobium, templumq; amplissimū virgini matri dicatum, quod religionis ergo ab vniuersa Hispania frequētatur, regum & priuatorum hominum donis opulentum, in cuius sarta tecta, & hospitalitatis sumptum, per Hispaniam quam latè patet, stips cogitur. Aliquot ibi dies commoratus, solita in diuos pietate, munera illi fano obtulit, & iter institutum est prosecutus. Erat igitur (vt diximus) summa hyems, & incommoda ad iter faciendum tempestas, ob frequentes & maximos imbres, quibus nō solùm amnes, sed riui quoque torrentes adeò sunt aucti, vt vado transiri non possent. Occurrebant paludes cœnosæ, hominibus & iumentis inuiæ, quæ tunc aqua pluuia collecta vias rumpebant. Qua de causa à principio Ianuarii Compluto profectus, vix paulò ante Calendas Martias Hispalim venire potuit, vt ex epistolis eius constat. Cùm Furnillos oppidum ignobile peruenit, hilariter & amplè acceptus fuit, ob antiqua Ximenii beneficia, quæ incolis contulerat. Est in proximo flumen Matacellum, cuius ripæ rhododendro vestiuntur, quæ arbor lauró est foliis similis, & floribus nihil à rosis differt, vnde Rododaphne etiam vocatur. Hæc quadrupedibus venenum est, cuius vim nonnulla tūc iumenta experta sunt, quæ passim vagātia folia deuorarūt, est enim sempiterna fronde. In huius fluminis traiectione Ximenius non præter solitam humanitatē curauit vt omnes percommodè transirent: & quibus mulæ ob rhododaphnem depastam perierant, ex suis vt restituerentur iussit, aut nummos vnde emerent dari. Ab eo loco Cordubam profectus est, sed propter diluuiem necesse fuit, vt in quadam villa rustica, quales in Bætica frequentes sunt, maneret. Locus erat tam numerosæ familiæ angustus: sed quisque vt potuit ad noctem transigendam sibi consuluit, passim ignibus per villam incensis. Guadalquanam postridie Idus Februarias peruenit, vbi Cornarus Aurifex Hispali profectus, cum literis Didaci Lupi occurrit, quibus hospitium sibi in ædibus Petri Anriqui Bætici præfecti, paratū esse intellexit: quoniam Saiauedræ Marcalci domus, quam cupiuerat, Gonsalo Fernandio Magno à metatoribus regiis designata fuerat. Ximenius perbenigne respondit, se ædibus paratis contentū esse, & maximè gratū accidisse, quòd à domo Saiauedræ petenda destiterit, quando Magno Gonsalio homini sibi amicissimo, & de se præclarè merito, attributā nouisset. Erat in Ximenio ad viros excellentes demerēdos, atque honorificis modis tractādos, innatus & peculiaris affectus, quē quoties occasio offerebatur, ostēdebat. Decimo quarto Calēdas Martias, cùm Cantillanā prope Hispalim sitā venisset, Didacum Lupū certiorē fecit, se postridie eius diei Rinconatæ vico meridiaturū, & paulò antè vesperā ingressurū Hispalim. Id vt à rege rescitū fuit, obuiam venienti octo millia passuum, cunctis proceribus regem officii causa comitantibus, processit: Id enim semper honoris Ximenio exhibebat, nōnullis ægrè ferentibus, quibus tāta hominis potētia infesta erat. Interea dum Hispali cōmoratur, & classis in Africā instructissima paratur, quæ terrori vniuersis Africanis erat, Roma nuntii deuenerūt, per quas Iulius secūdus Pontifex Max. regē nostrū certiorē faciebat, aliquot ex senatu patres cōspiratiōe facta, Ludouico Gallorū rege opē ferēte, se Pōtificatu deturbare velle, & in ordinē redigendū inuerecūdis vocib. iactare: id autem ea de causa fieri, quoniam priuatis & immodestis eorum affectibus ipse non obtemperaret. Iamque Pisis concilium indixisse, atq; alterum Christi vicarium scelerato & nefando ausu, rege etiam Gallo annuente, adorauisse. Præcipuum verò coniurationis authorem esse Bernardinum Caruaialium Hispanum, quem & reliquos omnes pessimi facti socios se per summum dedecus, vt meriti fuerant, senatu amouisse dicebat. Quare ad regis catholici præsidium confugere, & eius auxilium aduersus Gallum implorare: in primis verò ab ipso efflagitare, vt Caruaialium diris solenniter, à Christianorum cœtu separatum, sacerdotiis quæ in Hispania obtinebat, deiiciat, atque pari ignominia infamem, & à regnis suis alienum pronuntiet. Res indignissima Ferdinando pontificiæ authoritatis maximo semper assertori & vindici est visa. Idcirco cùm Ximenio cæterisque proceribus & episcopis, qui Hispalim conuenerāt, de ea re deliberat. Respondere omnes frustra externa bella aduersus hostes religionis quæri, si interim domi intestinis bellis caput impeteretur. Igitur mutata sententia, ab Africæ limine Ferdinandus pedem referens, in Italiā vires suas &

arma conuertit: Caruaialio pontificatum Seguntinum detraxit, cui Fredericum Portugallium præfecit. Ximenius in quem multa Iulii pontif. extabant merita (nam ab ipso in senatum Cardinaliũ allectus, inquisitoris maximi officio ad regis votũ cohonestatus, & Academia Complutensis non mediocribus priuilegiis aucta fuerat) peculiari etiã affectu in Iulium propensus, quem incredibili animi vigore ecclesiæ patrimonium tueri animaduertebat, & tyrannorum conatus & vires infringere: per procuratores nuntiari iubet, vt nulla aduersariorum potentia aut machina debilitatus, à proposito suscepto discedat, neve pessimis hominibus rempublicam Christianam euertendam & dilaniandam permittat. Se autem pro debita pietate & obseruantia in sedem Apostolicam, & Dei vicarium, quadringẽties nummum aureorum statim ad vrbem per publicos argentarios numeraturum: seque ipsum, si opus foret, exercitum coacturum, & in Italiam iturum. Voluerat quidem rex consilium de pontifici subueniendo celari, ineunte autem vere Malaca soluere, quasi Africã peteret, & in medio cursu ad Italiã obuertere: sed fieri non potuit, quin hasce artes Gallus præsenserit, & inter suos iactauerit, se illũ planè esse Saracenum, quẽ cognatus Ferdinandus classe Gaditana oppugnare & euertere pararet. Dedit igitur operam quam potuit maximam, ne imparatus opprimeretur: & quæ necessaria ad futurum bellum videbantur, vt in promptu essent laborauit. Multis interea prodigiis perterrefacta Italia trepidabat: nam Mutinæ ad diui Frãcisci cænobium faces noctu aere ardere sunt visæ interdiuq; in eodem loco effigies humanæ strictis ensibus cominus adstare, & sese inuicem confodere. Cremæ verò Mediolanensi municipio, die medio tam densæ nubes cælum obtexerunt 1
& tenebræ sunt secutæ adeò atræ, vt obscuriores nemo meminisset. Insolito fragore fremebant nubila, fulgura terribili lumine splendentia diem ablatum in hunc vsum reducebant, vt igneo colore cuncta rutilantia, imaginem mundi quondam arsuri ostentarent. Commisti pluuiis lapides immodici ponderis, immanique mole cadebant. Certè Petrus Martyr lapidem Mediolanum allatum fuisse scribit, decem & cẽtum Mediolanensium librarũ quarum singulæ octo & viginti vnciis constant, quem tacti religione ciues studiosè asseruauissent. Particulam ex diruptis ad se missam in Hispaniam dicit, quam non sine maxima admiratione rex Ferdinandus, præsente magno Gonsalio, est comtemplatus. Color erat semiglaucus, odor sulphureus, põdus auro nõ leuius, marchesitæ metallariæ persimilis. Porrò in Hispania eius anni tẽpestas inæqualis, prodigii loco etiã habebatur. Nam per menses 3
Maium & Iunium, quãdo Hispalenses Africę proximi, longeque à Boreæ flatu semoti, immodicis solent caloribus vrgeri, ita subitis frigoribus horrescebant, vt focis luculentis hyemem alieno tempore ingruentem sustinerent. Ea fuit tam insignis mutatio, vt hirundines & ciconiæ, quæ ante Calendas Februarias, vt solent, spem veris attulerant, mensibus æstiuis hyemem sæuientem tolerare non potuerint, & ad latibula, quibus se à frigoribus defendũt redierint. Sequentibus verò Decembri & Ianuario, cùm iam rex Burgos concessisset, vbi propter vicinos aquilones oleæ non proueniunt, & vuæ rarò maturescunt: ea fuit aeris tẽperies, & tam blandè Fauonii spirarunt, vt papiliones volitarent, & muscæ passim nõ sine molestia mensis assiderent. Non defuerunt in domo Ximenii casus tragici & ominosi: nam cũ Hispali ageret, quidam Mendoza eius lecticarius, in furorem quo per interualla corri- 4
piebatur, incidit. Is cùm morbum ex primis & sibi notis vestigiis ingruere sensit, templa frequentiùs præter solitum ingredi, ad omnes aras supplicare adumbrata quadam religione. Tandem cùm ad aram maximam in genua procubuisset, suspiriis & gemitu miserabili, non sine multis lachrymis omnium astantium oculos in se conuertit, & dicto citius, vt erat supplicantis habitu, se pugione quo præcingebatur, iugulauit. Decidit extemplo in caput exanimis, & magno tumultu exorto, multi rem dirã aut templo, aut sacerdotib. pronunciari iactarunt. Id non mediocriter Ximenium conturbauit: qui eò magis hoc casu tangebatur, quòd hominem dementem, & tam manifesta insania ægrotantem, intra domũ contineri non iusserit, aut certos custodes non curauerit admouendos. Non multò pòst anno eius seculi XII. sub idus Ianuarias, Burgis rege conuentus agente, melior templi maximi 5
pars qua tota moles amplissimæ fornicis tholo connectitur, graui dãno & iactura corruit. Quadraginta millia nummũ aureorũ ad eã reparandã impẽsã esse dicũtur. Fuit tamẽ innoxia, nec vllus mortalium ruina periit: accidit n. sub noctẽ. Quòd si alia diei parte decidisset, fieri nõ posset, quin multi, tũ profani, tũ sacri homines fuissent obtriti. Præuiderat eã ruinã nauclerus quidã, architecturæ (vt aiũt) peritus. Nam quadraginta dies antequã fornix lapsa est, operosam testudinẽ fuerat contẽplatus, & structuræ vitiũ aduertit, templiq; sacerdotes monuit, ni in tẽpore succurreretur, breui ruinã futurã. Sed illi risu eius diuinationẽ, vt plerũque in his reb. accidere solet, quæ diuinitus futura sũt, exceperũt, firmiorẽ testudinẽ esse psuasi quã vt nautici hominis dictis nutaret. Ergo postquã rex Hispalim relinquere decreuisset,

uiſſet, Ximenius quoq; ſub menſem Iunium, non multò poſt furioſi lecticarii necem, ante regis diſceſſum, in diœceſim ſuam venire inſtituit. Faciliori certè reditu eſt vſus, quàm aduentu, vt ipſe ad Didacum Lupum ſcripſit, ſe bene valentem & hilarem venire: gaudereq; quòd regionem impendiò æſtuoſam, eo anni tempore reliquerit. Dum in itinere eſſet, ex literis ſuorum intellexit, Ioãni Cabreræ Toletano archidiacono, coadiutorem à Romano pontifice, propter ſenium datũ. Semper eccleſiæ Toletanæ viſa eſt coadiutoris impetratio inuidioſa & iniqua. adeò vt grauibus pœnis multandum cenſerent, non ſolùm impetratorem, ſed etiam eos qui permiſiſſent, vt ex actis conſtat. At Ioannes, homo illuſtris, & regio fauore viuente fratre, & Bouadilla fratris vxore, ſuffultus, non dubitauit contra veterem morem priuilegiis Roma petitis vti: neque enim in vrbe patroni deerant, qui eius partes ſedulò tractarent. Ximenius qui priſcorum inſtitutorum ſemper maximus vindex fuit, ſolito animi robore vſus, impetratas tabulas à capitulo Toletano impediendas, Romæ verò abrogandas, ſtatim apud regem & pontificem maximum curat. Dum hæc per capitulũ geruntur, Illeſcis per aliquot dies manere decreuit. Prudenti ſanè conſilio, ne rei inuidioſæ & quæ non poterat ſine mutua animorum exaſperatione vtrinq; tractari, vir ſeuerus cogeretur intereſſe, & aliquid authoritate ſua indignum, dum animi incenduntur, palã diceret. Ergo Complutum regia mandata expectaturus venit: interim cœptis ædificiis aliorũque fundamentis iaciendis, vt ſtatuerat, præſentia ſua inſtaturus. Hic ex Africa ad regem legatos veniſſe certior factus eſt. Nam cùm claſſis Gaditanæ terror vniuerſam Africam occupaſſet, rex Trimeſenius, aliquotque item Mauritaniæ minores principes, regis noſtri potentiam formidantes, de pace cum eo componenda, de captiuis reſtituẽdis, & tributis pẽdendis, ſubmiſſis animis agere inſtituerunt: quanquam rege Fezano eam ſentẽtiam diſſuadente, & graui atque acerbo ſermone eorum ignauiam & inertiam increpante. Ille enim potentia ſuę ditionis cõfiſus, & quòd à littoribus noſtris longius ſemotus tardius ad ſe belli incommoda ventura exiſtimabat, amara & minaci ironia Ferdinandum Hiſpali agentem ad expeditionem Africanam inuitauerat. Nam ſe omnes vias paraturũ, omnique offenſa & impedimento liberas ad itinera facienda, alacri & ardenti ſuorum opera Fezam vſque, modò vellet traiicere, complanaturum, per commeantium rumores pollicebatur. Reges qui ſe Ferdinando dedidere, Trimeſenius & Tunezius fuerunt, cumque his Cadihametus, qui licet regium nomen haud obtinebat, libera tamen ditione fruebatur, nulli ex regibus parere addictus. Oranicum commercium per Iudæos interpretes petierũt, muneribus in amicitiæ ſignũ oblatis. Trimeſenius equos decẽ phaleris puniceis ornatos, cetras, & falconas totidem, vittas Arabicas, & pulcherrimè elaborata tapetia, & pelles equorum ephippiis aptas, vt illi nouerunt perficere. Cadihametus, inſignis pulchritudinis cicuratum leonem miſit. De hiſce donis in Trimeſenii literis, quarum exemplum apud Martyrem eſt, ad hunc modum dicitur: Sanè munera noſtra talia non ſunt, qualia ad regem mitti debuiſſent cuius nos poteſtati ſubiicimus, cæterùm monumenta, & pignora animorũ noſtrorũ accipito, ac veluti quaſdam indicaturas, quibus te dominum cæterarum rerum, quæ apud nos ſuperſunt conſtituimus. Gauiſus eſt antiſtes ob eam legationem: nam laboris ſui fructus in dies magis ac magis elucebat, & triũ dierũ ſupplicationes vt Toleti decernerẽtur, religioſiſſimè præcepit. Vrbs verò, quæ ad res huiuſmodi celebrandas propẽſiſſima eſt, variis ludis publicam lætitiam declarauit. Fuit hoc Ximenio gratiſſimum: nam ad Lupũ literis, vi. idus Iulias datis ſic ait: Trimeſenii nuntium adeò non vulgari, nec mediocri affectu vrbem noſtram exhilarauit, vt poſtquam omni genere lætitiæ exultarunt, quibus promiſcuũ vulgus ſeſe oblectauit, ſupplicationes & conciones capituli conſulto decretæ ſint, quibus Deo immortali gratiæ ſunt habitæ, quòd gens olim ſpoliis noſtris ferox, nunc Hiſpaniæ vires reformidans, ſeſe regi noſtro tam promptis animis, & demiſſis ſubiiciat. Pluris enim hoc faciendum eſſe cenſeo, quàm ſi omnis Africa ferro & cæde ſuperata foret. Algerii regulus idem conſilium cum Trimeſenio, & cęteris ſecutus, ſeſe fidei Ferdinandi tradidit, & præſidio Hiſpano Algerium fuit munitum: quod ingentis tranquillitatis cauſa littoribus noſtris ea tempeſtate fuit. Ferdinãdus interea, rerum Italicarum, & Gallicæ cũ pontifice Romano ſimultatis cauſa, Burgis vrbe Gallis finitima conuentus publicos habere parat: vbi cùm de rebus maximis tractare vellet, Ximenii præſentiam neceſſariam eſſe iudicans, vt Burgos veniat iubet. Quod ſe libenter facturum Ximenius reſpondit, ſed ob ardentiſſimos Iulii menſis calores, quo tempore literæ regiæ illi ſunt redditæ, moram duntaxat viginti dierũ petere, ad recreãdas corporis ſenilis vires, ex peracto Hiſpalẽſi itinere fatigatas. Poſtquam Ferdinandus Burgos peruenit, & nondum Ximenium veniſſe deprehendit, literis rurſus vt maturet ſolicitat: nam reipub. vehemẽter intereſſe, vt primo quoq; tempore ad ſe veniat. Ximenius, vt omnẽ ceſſantis, aut parũ obſequẽtis animi culpã à ſe depelleret, quod

regem, vt scripserat, Burgos accedentem non præuertisset, morbum iliacum sibi familia-
rem excusauit, quem per eos dies solito acerbiorem expertus esset. Sed cùm iam me-
liusculè se haberet, daturum operam vt sub Augusti idus, Burgis præsto regi esset. Sed
quanuis id facere curauit, extremo Augusto Burgos est ingressus. In ædibus Salina-
rii Comitis hospitium illi honoris causa datum est: vnde Ferdinandus Caroli frater,
migrare à Ferdinando auo iussus fuerat. Id verò neutiquam Ximenius tulit, siue principis
pueri dignitati cedens, siue vt ex epistolis eius colligitur, quoniam domos quæ circume-
rant, ad suam familiam excipiendam angustas esse iudicauit: tum etiam quòd ex suis pro-
curatoribus cognouerat, Salinariam Comitem fœminam grandæuam ædes illas inhabita-
re, ad quas & Maria etiam Vlloa eius propinqua quamprimum erat ventura. Nolebat igitur, 1
austerioris disciplinæ per omnia cultor, fœmineo contubernio vti, vnde vel sibi, vel fami-
liæ molestia crearetur. Itaque in amplam Didaci Soriensis domum, ad diui Ægidii portam
concessit. Hic cùm aliquando Ferdinandum puerum cũ Ximenio deambulantẽ rex è fe-
nestra palatii conspexisset, voce intentiori dixisse fertur: Euge nepos tali comite, à cuius la-
tere, si quid mihi credis, numquam discedes. Postquam Ximenius in ædem Palatinam pu-
erũ deduxit, & petita venia discedere pararet, cœpit ille constanti vultu contendere, quasi
Archiepiscopum in hospitium esset comitaturus, rege etiam nepotem hortante vt id fa-
ceret. Ximenius id vt par erat non tulit, gratias cumulatissimè agens, & pueri indolem mi-
ratus, domum abiit. Vrbium nostrarum procuratores Burgos iam conuenerant, & publi-
cis conuentibus agi cœptis, multa tractabantur ad reipublicæ vtilitatem pertinentia. Rex 2
interdum in propinqua nemora tempestate anni peraccommoda (erat enim mensis O-
ctober) ad ceruorum venationẽ quâ maximè oblectabatur, prodibat. Solẽt enim sub Ver-
giliarum exortum impotenter ad Venerem stimulari, cuius vi & cupidine perciti mortem
minus cauẽt, & venatorum insidiis expositi medicatis sagittis feriuntur. Tunc legati à Põt.
Max. & rege Gallorum Burgos venerunt. De fœdere cum Venetis aduersus Gallum icto
certior Ferdinandus fiebat, qui in partem vocatus, deberet Galli furorem reprimere & ec-
clesiæ laboranti suppetias ferre. Haud erat rerum earum Ferdinãdus ignarus: nam aliquot
retro mensibus Maximilianum Romanorum regem, & Anglũ generũ, Venetamque rem-
publicam aduersus Gallum solicitauerat, quem in Italia dominari æquo ferre animo non
poterat, quod proculdubio futurum videbat, si Pontifex Maximus deturbaretur. Totus 3
ergo ille Hispalensis & Gaditanus apparatus magnam inuidiam contra Gallum apud o-
mnes Christianos excitauit, vt qui vires Hispaniæ à paganorum faucibus in Italiam auer-
teret. Quod quàm inuitus Ferdinandus fecerit, literæ longissimæ ad Ximenium postridie
idus Octobris datæ multis rationibus declarant. Earum autographũ exemplũ per Alma-
zanum secretarium scriptũ, & regis ipsius chirographo notatum, quoniam in manus meas
deuenit, compendio inserendum hoc loco duxi. Reuerendissime in Christo pater, Tole-
tane pontifex, Hispaniarũ primas, Cãcellarie maxime, & summe Inquisitor aduersus hæ-
reticam prauitatem, qui nobis semper cõiunctione amicus, obseruantia parens es habitus.
Ipse tu mihi consiliorum meorum particeps abunde testimonio esse potes, quot rationes
hactenus inierim, quantamque industriam & cogitationem adhibuerim, vt Bononia, & 4
reliquæ vrbes & oppida, quibus Romana ecclesia per regẽ Gallorũ priuata est, Pont. Max.
restituerentur, ne tumultus & schismata in repub. Christiana acciderent. Id quoniam neu-
tiquam efficere potuimus, ecclesiæ clamoribus & querelis concitati auxilium nostrum
assiduè implorantis, reuerentia & obsequio quâ omnes reges Christiani in illam tenentur
moti, commodis priuatis posthabitis, & expeditione, quam aduersus reipublicæ hostes pa-
raueram, prætermissa, ad sedis Apostolicæ immunitatem defendendam, & Christi vicari-
um conseruandum, nostræque religionis caput tuendum, & in pristinam authoritatem
asserendum, Deo Opt. Max. cuius causa agitur, auspice, omnes meas vires conuertere
decreui. Ad eam rem ex dignitate nostra gerẽdã, quarto nonas Octobris, die tibi fausto ob
diui Francisci religionem fœdus cum Põt. Max. & illustrissima Venetorũ Rep. pepigimus, 5
quod vt vulgaretur curauimus, locũ in eo serenissimis imperatori fratri nostro, & Anglorũ
regi carissimo filio, vt per legatos petierũt, relinquẽtes. Porrò intra vigesimũ diuulgati fœ-
deris diem, Raimũdus Cardona, qui vices nostras Neapoli agit, imperator exercitus ad
Pontificiam restitutionẽ per principem fœderis declaratus, extemplo cum mille ducentis
cataphractis equitibus, & leuis armaturæ circiter mille, & decẽ millibus peditũ Hispanorũ
& tot bellicis tormẽtis, quæ satis ad vsum exercitus sufficiãt, iustis itineribus ad quærẽdum
hostẽ, & loca per ipsum occupata recuperãda procedet. Hunc sequetur Termenensis dux,
cum sexcentis pontificiis equitibus. Ab altero latere, quòd à Septentrione est, Venetę acies
Gallũ circũuenient. Mare verò copiosa pariter, & perualida classe occupauimus, quò me-
lius

lius quæ cupimus assequamur. Etenim duo sunt nobis ante omnia curanda, ne quis princeps, aut Italiæ regulus ecclesiæ dignitatē aduersis armis vllo pacto labefactet: deinde vt cū iis, qui ecclesiæ loca præter fas tenent, bonis cōditionibus, si per eos licuerit, potius quā cruentis certaminibus rē totā componamus. Quocirca maximo studio & affectu peto, ad omnes templorum aras Deum immortalem supplicandum cures, vt ecclesiæ suæ causam tueri, & eius vnionem conseruare, vniuersoq; Christiano orbi pacem & concordiam propitius conferre velit: sic enim ab intestinis dissidiis liberi, aduersus Christianæ religionis hostes cuncti vnanimes dimicabimus: quod vt fiat, in concilii Lateranensis indictione Pōtif. Max. se curaturum pollicetur. Quæ omnia cum reuerendo episcopo Bertonorensi, Pōtif. Max. nuntio, quē iā Barcinonā appulisse, & ad nos rectà venire scimus, tibi esse cōmunicanda censeo. Dū hæc scribo, ex Galliis allatū est, ad Pisanum concilium, quotquot conueniunt, inuitos trahi: literæ postridie nonas Oct. sunt datæ. Ex Anglia serenissimús gener noster eandem nobiscum fortunam fœderis initi experturū se promittit: eius literæ quarto Calen. Octob. sunt datæ. Ab imperatore Maximiliano omnia secundum nostram volūtatem offeruntur: literæ sunt beneuolentiæ, & optimæ spei plenæ, ante tertiū diē Cal. Oct. scriptæ. Eā principū Christianorū consensionē intuentes, ne quid intētatū relinqueremus, quod maleuoli homines obiicere, aut saltē, quod magis veremus, numina incusare possent rursus Gallum fratrem nostrū admonuimus, vt ab armis in ecclesiā infestis suos milites discedere cogat: nam si secus faxit, vires nostras nos vniuersas illi oppositurus, quò ecclesiæ authoritatem defendamus, & vim omnem & tyrannicum impetum à cōmuni matre propulsemus. Vale reuerendissime in Christo pater Cardinalis, nobis care, & dilecte amice ac domine, Deus Opt. Max. in omne tempus tui curam suscipiat. Datis in oppido sanctæ Crucis, XVI. Cal. Noueb. anno salutis nostræ M.D.XI. Hæc ad Ximeniū Burgis agentē tam prolixè scripsit, vt bellū quod parabat, tandē per virū grauissimū vulgaretur, & constaret ratio, cur in Africā apparata expeditio aliò transferebatur: ne quis per leuitatē sententiā mutatā crederet. Solēt enim reges quæ arcanis cōsiliis diu occultauerūt, tandē per viros pręclaros, & apud populū in pretio habitos enūtiare: vt rebus propositis authoritatē addāt, & à se inuidiā depellāt. Hoc ipso anno dū mēse Iulio Cōpluti ageret, nuptias irritādas curauit, quas (vt superius retulimus) Ioanna Cisneria cū Petro Gonsaluio Mēdozio contraxerat: causam verò & rei gestæ seriē simplici narratione exponā. Petrus hic Gonsaluius Inachi Infantatus ducis secundi nepos fuit: nam Aluarus eius pater Inachi filius fuerat ex Maria Luna vxore, minor verò natu Didaco fratre ad quē Infantatus dominium deuenit. Hunc Aluarū Maria mater illius magni Comestabilis filia, quòd patris nomen retineret, cuius memoriam quāuis exagitatam aboleri dolebat, gentilitia hæreditate, quàm à patre obtinuerat, Inacho etiā marito laudante donat: in qua non ignobilia oppida Turris Stephani, Abrami, castellum Vaiuellæ, Mōtes clari, & quod à ficu nomē habet cōtinebātur. Aluarus Tharasiā Carrillam Alphonsi Carrilli filiam, qui Pinti oppidi in Carpetania erat dominus, vxorē duxit: ex quā hunc Petrum Gonsaluiū, de quo agimus, habuit. Interim moritur Inachus dux, & nō multò post ipse Aluarus fatis quoque concessit. Didacus verò dux tertius, cùm ex Maria Pimētella lectissima fœmina filios quoque iam genuisset: Inachū qui dux quartus ætate mea vixit, vir per omnia magnus, qui post operam reipub. egregiè nauatam, senectam in literarū studiis transegit, & Rodericum minorem natu Monticlarorum marchionem, dum cupit filium suū potius quā fratris augére, cum Maria matre cōtendit, vt mutatis legati tabulis Petrū Gonsaliū expungeret, & Rodericum substitueret: se enim apud regē curaturū, vt simul cum hæreditate marchionis titulo cumularetur. Quare futurum, vt præpotenti & inclytæ familiæ non mediocre ornamentum accederet, si duo infantatus ducis liberi, alter ducatum Mendoziæ gentis proprium, alter non contemnendum marchionatum possideret. Nam de Petro Gonsaluio nepote parū anxia vt esset iubebat: satis enim nummatū socerū, & quiduis facere potentem Archiepiscopum Toletanum habere, cui, vellet nollet, charissimæ neptis cura suscipiēda esset. Mouit his dictis fœminæ animum, & vt sententiā mutaret persuasit. Atque ita quicquid hac de re tabularum apud Tharasiam nurum seruabatur, ruptum fuit. Id postquā Ximenius resciuit, aliquot ex suis familiaribus, homines industrios & prudētes Guadalfajaram mittit, qui à Didaco duce, vt Gonsalui tutore, rationē patrimonii commissi exposcerent: neque enim acta cū matre adhuc palàm euulgata fuerant. Didacus verò ad rationem eo tempore non reddendam causas obtendens, Ximenium eludere conabatur, vt ab ea re prosequenda tædio victus desisteret, & adolescēte sponso contentus esset, quem tot auorum stemmata commendabant. Sensit Didaci machinas Ximenius, idcirco ætatis infirmitatem in Gōsaluio causatus (neque enim annū quatuordecimum attigerat) nuptias neptis, quæ etiam propter ætatē nubilis nō erat, irritas fecit. Hoc

enim vnum erat, quod in tam manifesta iniuria, aduersus hominem potētem, agere potuit. Bernardinus Cluniensis Comes, qui ex eadem Mēdozia familia erat, cùm Ioannam Gonsaluio haud dari cognouisset, Ximenii authoritatem apud regem considerans, qui cū priuatæ quædam Bernardino rationes erant, ob vicini pręsulis ad res multas auxilium, sed potissimum ad Belennæ causam, cuius vicos, montes, & pascua, dux Infantatus præter ius in Cluniensis iniuriam occupanda curabat, Alphōso filio comitatus Cluniensis hæredi vt daretur optabat: deq; ea re, ita vt ad Ximeniū peruenire posset, inter suos familiares agebant. Cōditio erat cum primis Ximenio ambienda, ne dum accipienda cùm offerebatur. Nam ob nobilissimam Mendoziorum familiam, & opulentum Cluniensem comitatum, à præcipuis Hispanię regulis ad filiarum suarū nuptias Alphonsus certatim expetebatur. Proinde postquam Ximenius intellexit, quanquam hominis animus religiose timebat, ne propter nobilitatē generis & bene fundatas diuitias, maiorem dotem Bernardinus posceret, quàm par esset à Christiano & pio Antistite numerari: cœptæ tamen Academiæ molem, quam omnibus præsidiis fulcire cupiebat, & cœnobiorū institutiones, atque sacrarum ædium numerosa ædificia, quæ ille vt absoluerētur assidue vrgebat: reputans, Deo auspice eas nuptias oblatas credidit, quibus & suæ genti patrocinium, & præclaris operib. defensionem, & tutelā esset relicturus. Neptem igitur Alphōso collocauit, suorum omnium, sed Academiæ in primis, velut carissimæ filiæ, curam & incrementum Cluniensium fidei commendans. Ex Ioanna Alphonsus liberos suscepit Laurentium Suarium, qui nunc Cluniæ dominium tenet, virum honestissimis rebus deditum, qui Carolum Cæsarem, & Philippum eius filiū assectatus, virtutis suæ periculū frequenter fecit: & Alphonsum Mendozium alti animi, & ad omnia virtutis studia natum iuuenem, & doctorem Theologum, Ildephonsi ædis collegam, qui anno Domini M. D. LXV. ad supremum rectoratus gradum lectus, me animi dubiū & cessantem, vt has de Ximenio, qui eius patruus maior fuit, commētationes in publicum darē, cōpulit. Sunt his alii generosi fratres, quorum insignē & præclarā virtutē, alii suis scriptis memorabūt. Anno M. D. XII. Ximenius ad Nauarræ regem, ex Iulii II. Pontif. Max. & Apostolicæ sedis authoritate, regno priuandum, Ferdinandum secutus est: erat enim schismatis Pisani, & belli aduersus Pontif. & Apostolicam sedem suscepti vna cum Gallo Nauarrus fautor. Ante tamē quam Burgis rex moueret, sub resurrectionis dominicæ festum Ximenium Complutū rediisse inuenio, & Toleti celebrationi dominicæ passionis adfuisse vt rebus in diœcesi cōpositis, ad bellum paratior proficisceretur: vbi cùm sæpenumero annonæ caritate inopem plebeculam in vrbe nostra premi videret, & publicanorum iniquitate apud paucos frumentū recondi, cum vrbis præfecto egit, vt horrea publica, more Romano, Toleti instituerentur. Nam Romani, vt erant mirabili prudentia, non vno tantùm loco, sed singulis vrbis regionibus cōstruenda curarunt. Primus Ximenius frumenti nonaginta mil. mod. populo Toletano donauit, nouis granariis asseruādos, & quotānis in reip. vsus distrahendos. Hanc curam senatus Toletanus suscepit, qui vt se haud ingratos Antistiti suo bene merenti ostenderent, pridie nonas Octob. altero post festum diui Francisci die, Ximenii manes anniuersario sacro, in sacello Mozarabum, vniuersi cōgregati expiant. Concio per Franciscanum monachum è cœnobio regio de eius laudibus & gestis habetur, quam quotannis repetitam cupidissime ciues nostri, qui frequentissimi conueniunt, auscultant. Durarunt hæc frumenta in horreis, maximo cum reipub. emolumento, vsque ad XXII. eius seculi annū, quo popularib. tumultibus exortis, & effræni licentia ignobilissimis quibusq; cūcta per seditionem diripientibus, magna ex parte perierūt. Sed nemo hactenus ex præsulibus nostris fuit, qui rem cum primis ad miseros inopes subleuandos necessariam, reparare vel denuo adaugere curauerit. Noster tamen Senatus, quod prædonum manus eo tempore effugit, diligenter collegerunt, & in præsentia, vt est grani pretium, summā quinque mil. aureorum nummûm conficit. Quod si quis ad calculos reuocet, annonam illius temporis nō minorem summam esse intelliget, quæ nunc in publico vrbis ærario seruatur, quam quę olim à Ximenio est data. Hoc ergo remedio in cæli squalore miseris ciuibus subuenitur, non solùm Toleti, sed Complutum, & Turrilacunæ, & Cisneris, vbi huiusmodi horrea ex Ximenii liberalitate incolumia durant. Et in summa frumenti difficultate, cùm in aliis locis magno pretio statim numerato, vix è priuatorum granariis extrahitur, in his de quibus diximus, quinq; denariis tres tritici modios (tanti enim Ximenius vēdi voluit) licet ciuibus emere. Sed quanuis Toleti ea direptio frumenti acciderit, vrbs beneficium collatum vniuersario celebrare non cessat, atque in huius rei monumentum in medio vrbis prætorio: vbi Senatus de more habetur, inscriptio est, qua Ximenii liberalitas declaratur: idem Complutenses præstiterunt, inciso epigrammate ad forum olitorium, quod sic habet:

Æthere

Aethere seu largus, seu parcus decidat imber,
Larga est Compluti tempus in omne Ceres.

Dum annonæ tam piè & liberaliter Ximenius prouidet, Talabricæ Toletanorum Antisti-
um celebri municipio, monumentum marmoreum à rustico terram altius moliente re-
pertum est, literis Romanis hoc exemplo insculptum.

✠
LITORIVS FAMVLVS DEI VIXIT ANN.
A PLVS MINVS LXXV. REQVIEVIT IN ω
PACE DIE VIII. KALENDAS IVLIAS
AERA D.XXXXVIII.

d cùm Ximenius resciuisset homo pietatis eximius cultor, cùm ex epitaphii serie, & literis
A & Ω, atque ex crucis imagine Christianum esse Litorium intelligeret, eius ossa & cippū,
n Deiparæ sacellum, quod extra oppidum est, sub mensem Maium deferenda curauit. Si
eræ ratio attentius subducatur, Christianam religionem in Hispania longè ante mille &
quinquaginta annos floruisse reperiet: cū sepulchralia Christianorum marmora Romanis
literis publicè notarentur. Mense Augusto rediit Ximenius ad regem, rebus Nauarræ Lo-
cronii intentum. Certè semper fuit tanta Ximenio boni & æqui cura, & tam accurata reli-
gionis obseruantia, vt iustā belli causam fuisse ex sola eius viri præsentia credi possit. Diu
enim regem nostrum est moratus, suadens vt omnia prius tentet, quā ad arma descendat:
fieri enim posse, vt Nauarrus interea saniorē sententiam capesseret. Sed postquam Michael
Pompelensis sacerdos legatis nostris scripta quædam tradidit ad Ferdinandum deferenda,
quæ ille in nummaria secretarii regis Nauarri crumena inuenerat, quem rex ferro domi
confoderat cum concubina deprehensum, visum est Ximenio bellum non esse vlterius
differendū, & regem ad illud conficiendum libero impetu ferri permisit. In illis quæ dixi-
mus secretarii scriptis hæc ferme capita fœderis quod cū Gallo Nauarrus percusserat recē-
sebantur. Ferdinando Pont. Max. suppetias ferenti transitū in Italiam vterq; denegaret. Itē
quotiescunq; Gallo visum fuisset, Nauarrus Hispaniam infestaret. Gallus Nauarro Fosseio-
rum patrimonium, quod dux Nemorensis, Germanæ reginæ frater possidebat, restitueret.
Omnia quæ à parente suo Alebritēsi principe per reges Gallos ablata essent, Nauarro resti-
tuerentur. Gallus stipendia Nauarro cōferat, qualia regiam personam decent, qui tanto cū
regis Hispani odio Gallico sceptro sese subiiciat. Gallus vniuersis regni sui viribus conten-
dat, vt ea loca quæ à Nauarræ limitibus Gamonalum vsq; duobus millibus passuum citra
Burgos sunt, vxori suæ Catharinæ reddātur: quod olim maiorū suorum possessionē fuisse
ex antiquis monumentis constaret. His itaq; apud regem nostrū & Hispanos principes le-
ctis, cùm omnia iniuriæ plena per nefariam cupidinē, tanto cū reip. nostræ & Apostolicæ
sedis detrimento geri palàm esset, Ximenius regi socium & belli participem cū suis copiis
se dedit. Dum Ferdinandus Locronii ageret, & tristior esset, quòd exercitus noster in an-
gustiis quibusdā teneri nunciaretur, Santillum ad regē Ximenius cū mādatis misit, vt hac
occasione regē exhilararet. Erat Santillus Complutensis ciuis, homo dicax & vrbanus, qui
tamen salibus candidis semper est vsus, ob quod apud Ximenium gratiosus erat, & regi nō
ingratus. Hic ad regē ingressus, facultatem sibi dari postulabat Pampelonem eundi: se e-
nim Gallorū exercitum in fugam posse conuertere. Rege dissimulante cùm Santillus in-
staret, atq; magnifica & gloriosa de se promitteret, rex aliquanto hilarior, si tu Santille (in-
quit) me vt iactas amares, iam oportebat Pampelonē venisse, & ducē Albanum, cæterosq;
qui obsidentur egregios milites, ab hostium incursu, manu ista pugnaci defendisse. Proce-
res omnes qui apud regē aderant, eum sermonem, non tam ad Santillum, quàm ad se dictū
interpretati, inde discedentes tanto ardore aduolauerūt, vt postero die se omnes ad vnū, a-
pud Pampelonis muros, in auxilium suorū armati sisterent. Tantum regis vocula efficit ad
nobilium pectora excitanda. Quocirca quoties huiusmodi pericula ingruunt, solent reges
ad eorum locorū confinia proficisci, in quæ belli tempestas superuentura creditur. Nam il-
lò regem cuncti sequūtur, & præstantissimis quibusq; ad eū confluentibus, præsentiamq;
eius necessariò reuerentibus, omnia è reip. vtilitate fiunt. Quod neminem Ferdinando re-
ge diligentius & crebrius fecisse ex eius actis satis constat: vnde pleraque ex animi senten-
tia confecit. Valdesii prætorianæ cohortis præfecti, cuius, cū de Africano bello ageremus,
mentio facta est, egregium factū memoriæ mandare operæpretium erit. Nam cætera quæ
ad bellum Nauarræ pertinent, & quemadmodum illud regnum Castellæ cesserit, quoniam
à viris disertis scripta sunt, nō est cur actum agamus, denuo repetentes. Ergo Valdesius, cū
paucis aliquot antea mensibus, à rege Ferdinando ad Raimundum Cardonā cum man-
datis missus esset, ne apud Rauennam cum Gallis confligeret, & quanuis magnis itinerib.

profectus fuit: eò peruenire non potuit ante prælium commissum, in quo fortissimè etiam dimicauit. Pòst verò ad regem reuersus, quo in statu res esset indicauit, & suæ festinationis rationem exposuit, vnde celeriùs tantum viæ confici non potuerit constaret. Rex ob cladem præsentem grauiter commotus, næ tu (inquit) Valdesi, tibi prospicere nosti, qui ex tã ancipiti dimicatione incolumis ad nos venisti. Id dictũ adeò Valdesiũ, nullius ignauiæ aut timoris sibi conscium, pupugit, vt dissimulato pro tempore opprobrio, hoc ipso de quo agimus Nauarrensi bello Lacedæmonio Leonida nequaquam inferior, in Roncalionæ vallis faucibus, cum quadringentis tãtummodo militibus, vniuerso Gallorum exercitui se constanter opposuit. Palliza Gallicarum legionũ imperator, qui cũ olim Valdesio amicitia intercesserat, eum obnixè deprecabatur, vt præsidio quopiam occupato cederet necessitati, neq; vim vniuersam & Germanorum & Vasconum, in se ac suos irritaret: nunquam tamẽ potuit à proposito diuelli, donec ad vnũ cuncti interempti sunt, non sine magna Gallorum cæde: adeò excelsi animi viri contumelias ferre non possunt. Interea nostri dum Valdesius hostes moratur, Loberium & Tafallam, munitissimas arces, ad deditionẽ compulerũt. Intercluserat enim Fonseca, quo duce hæc gerebantur, omnes vias, ne quid de subsidio Gallorũ aduẽtãte sciri posset, & Nauarris spes omnis auxilii adimeretur. Successit annus XIII. cuius principia Iulii II. Pont. Max. morte, & Ferdinandi regis lethali morbo lugubria fuerũt. Duo quidem Frãciscani sodales pietate & literis præclari, Gallorũ legati venire dicebantur, Anna eorum regina, fœmina religiosissima, pacem curante: quamobrẽ Ximenius apud regem maiorem eius anni partẽ fuit. Pintiam sub mẽsem Augustum sodales Franciscani Iacobo quodam Hispano reginæ Gallicæ familiari comitati, ingressi sunt, nec planè quid attulerint, quidve postea cum illis actum sit, in monumentis nostris reperio. Post legatorum discessum aulica iuuentus quò regem graui morbo affectum exhilararet, ludos militares (quos vulgo Iustas appellant) sumptuosè & splendidè apparat. Qui ad huiusmodi ludos cæteros prouocãt, solẽt libellos publicè affigere, quibus ludorũ conditiones cõtinẽtur. Hos prouocatores præsto adesse oportet cuicunq; illos in certamina poscenti, vnde Manutentores à nostris vocantur, qui & armorum spendore, & ornamentorũ opulentia atq; elegãtia præstare solẽt. Hi tunc quinq; fuerũt, inter quos eminebat Alphõsus Mẽdoza Cluniẽsis, qui partim noua Antistitis affinitate, partim Ioãnę Spõsę amore exultãs, sumptuosiùs quã Ximenius vellet, se in diẽ ludorũ ornauit: nam septies millia nummũ aureorũ ab Alphonso feruntur impẽsa, qui elegantis & sciti cultus præmium tulisset, nisi manu multò cæteris promptior & alacrior per ludorũ iudices esset iudicatus. Idcirco elegantia Ioanni Velasco Bernardini comestabilis notho tributum fuit. Acti sunt hi ludi idibus Augusti in Germanæ reginæ conspectu, loco Pintiæ celeberrimo, quem Rinconatam appellant. Ludos quoq; regi proximus Ximenius spectauit, coactus nimia Alphonsi Cluniensis efflagitatione. Didacus Lupus Mendoza rationum Ximenii magister, dum Ximenii chirographo pecuniam impensam ad ludos quos diximus de more signari posceret, indignum esse dixit tantum sumptum in re ludrica fecisse. Cui Ximenius: postquam, inquit, hunc generum suscepimus, ad nostram magnificẽtiam pertinet, vt suæ personæ splendidè subseruiat, alioqui sordes nobis obiicerẽtur, à quibus longè abhorremus: præsertim cùm sumptus nec nimius fuerit, nec omnino perierit, sic.n. regẽ morbo afflictũ oblectare curauimus. Dũ hæc Pintiæ gerebãtur, Ioãnes Cãperus architectus cui ædis Turrilacunitanæ curã Ximenius ad regẽ discedens commiserat, eo absente contra pacta conuenta Salmanticam ad templi maximi structurã abierat, operis diuturnioris illecebra, & spe maioris mercedis inuitatus. Ximenius, cui omnis mora interposita grauissima erat, crebrò .n. solebat vsurpare fallacẽ esse senis sponsionem, Petrũ Consaluũ Valeram, virũ probũ & prudentem misit, qui vi stipulationum Camperum vinctum perduceret. Camperus, qui robustum Ximenii animum nouerat, intra templi penetralia latuit, canibus etiã, qui dormienti excubias agerent, comitatus. Sed fide à Ximenio data fraudi non futurũ eius aduentũ, Madritum venit ad rem componendam: nam rex illuc discedere ob salubritatem cæli Carpetani decreuerat. Querebatur Camperus ex pactis initis iacturam non mediocrem sibi obuenire, cui quadragies mille nummum vltra pactam mercedem addidit, vt statim Turrilacunam ad cœnobium ædificandum rediret. Camperus dum nimis festinat, parum attentè ad perpendiculum parietes exegit: quare necesse fuit omnia ad iacta vsque fundamenta demoliri. Tolerauit id æquiori animo Ximenius, qui sciebat quàm facilè homines etiam periti labantur, atque ob id erratum commodiore deinceps Campero vti potuit. Absolutum est id opus magnis impensis: nam cùm in patriæ suæ gratiam præclarum & magnificum esse vellet, præter sumptuosam ædificii molem, aquæ etiam perennis largissimam venam, è vicinis collibus magno labore deducendam curauit. Rupes durissimæ malleis

sunt

ſunt fractæ,montes cauati, & aquæ ductus validis fornicib. cōſtructi,quibus aqua ad Caſtella profluit, vnde in cœnobio purgatiſſima recipitur. Decies centenis millibus nummum aquæ duntaxat deductio Ximenio cōſtitit. Vaſa verò tā ad vſum ſacrorū aurea & argentea,quā ad cœnobii miniſteria ænea, & figlina Talabrica aduecta,quæ mirabili tectorio obducta, & variis picturis decorata æneis non cedunt, permulta dedit. Indumenta etiam, quibus ſacerdotes in ſacris vterentur, & ſtragula tapetiaq; altaribus & pauimentis exornandis,ex auro,ſerico & lana nobiliſſima confecta, benigniſſimè tribuit. Viſum etiam eſt domum Ioannis Ximenii fratris, quòd in ea natus eſſet, & puer reptaſſet, ædificio multò ampliori augere,& Benedicto nepoti addicere.Prædia itidē fraterna reparauit: & antiquū Hiſpaniæ morē ſecutus,ea vt alienari non poſſent cauit, in perpetuū ſuæ familiæ monumentum. Reip.etiam ter decies mille frumenti modios facili opera perpetuò adſeruandos,in publ.vſus largitus eſt.Quo vnico præſidio ad hūc vſq; diē,in annonæ caritate Turrilacuna multū iuuatur. Sub hæc tempora Leo x. Pontif. Max. qui Iulio II. ſucceſſit, vir excelſi animi,& bonorum ingeniorū fautor,ſanctorum Apoſtolorū Petri & Pauli ædem, quæ palatio Pontificio Romæ cōiuncta eſt,temporis vetuſtate collapſam, & rudis ſecli inſcitia prauè ædificatam,Iulii II. exemplū ſecutus, qui primus id eſt aggreſſus, in meliorem formam redigere decreuit, optimis quibuſq; architectis, ſculptoribus & pictoribus conquiſitis,ad eius operis molem illuſtrandam. Sed quoniam non mediocris pecuniæ ſumma ad tantam rem neceſſaria erat,priuilegia quædam quas Bullas vocant,in Hiſpania fuerunt, rege noſtro annuente,promulgata,quæ certam ſtipem tribuentibus dabantur.Ximenius, vt erat priſcæ religionis tenaciſſimus, laudabat quidem eos, qui in templi Apoſtolici conſtructionem ſuas pecunias largiebantur, ſed priuilegia ob id dari,contra vetuſtos eccleſiæ ritus,nunquā probare voluit:& quid de hac re ſentiret ad Pont.Max.prudentiſſimè ſcripſit,& regi Ferdinādo in priuatis colloquiis,ſine vllo fuco declarauit. Anno XIIII.inſequente,dum rex morbi grauitate & faſtidio afflictus, varia loca Hiſpaniæ pererrat, Ximenius Complutum ad opera ſua vrgenda reuertitur, & duo cœnobia Ioannis cognomento pœnitentis,alterum Toleti, Compluti alterū, quæ iamdiu (vt diximus) ædificari cœperant,tādem abſoluta ſunt:quanquam Complutenſe, ob aſſiduam Ximenii præſentiam,à virginibus ante hoc tempus inhabitabatur. Toletanum certè hoc anno dedicatum fuit,& totius vrbis applauſu delectæ fœminæ in Franciſci normam iurarunt,& puellæ quæ poſt aut nubere, aut in cœnobio manere deberēt,earū magiſtræ ſunt traditæ,vt piè & ſobriè educarētur,inſtituerenturq;.In hac ſacra æde Franciſcus Ruizius Ximenii ſodalis,Epiſcopus Abulenſis, humari voluit, monumento è marmore candidiſſimo, à Panormo Siciliæ allato, quod ob mollem ſignorum cælaturam,mirè laudatur. Auxit etiam in patroni benemerētis gratiam illud cœnobium, additis ſex ſacerdotibus ad rem ſacram quotidie faciendam, & perpetuis reditibus, ad aliquot puellas dote caſſas quotannis collocandas. Compluti, quod Ximenius peculiari ſtudio illud oppidum ornare curabat,rem vtilem, & iamdiu excogitatam facere adgreſſus eſt, quæ tamen non ſucceſſit ex voto.Habet Complutū à meridie vltra flumen,quo alluitur,perpetuos colles, qui nonnunquā in montes aſſurgunt, nullis tamen dumis aut arboribus veſtitos.Hoc verò non tam ſoli ſterilitate,quam negligentia incolarum euenire exiſtimabat: dedit igitur operā,vt diligēter plantæ ponerētur, & multi glandium modii,in ſcrobibus emollitis ſeminarentur: nam ilices quauis tellure prouenire audierat,& vtiliſſimas fore ſciebat tum pecori alendo, tū lignis cædendis, quorum inopia Complutenſes laborant.Sed fuit (vt diximus) irritus labor, occulta quapiam locorum ratione: aut quod verò ſimilius eſt, quia illi montes herbam pecori ſufficiunt, & non ea cura fuerunt cuſtoditi,quā oportebat,ne teneræ plantæ,aut ſemina latentia paſſim cōculcarentur,præſertim totius territorii incolis reclamantibus, in quorum damna ſeminabantur: oportuiſſet enim complures annos compaſcuis agris caruiſſe. Interea Leo Pont.Max. Lateranenſe cōcilium,quod Iulius II. indixerat,ritè inceptum perficere curabat: multaq; apud Ximenium de rogationibus,& concilii decretis, partim literario conflictu, partim familiari ſermone agitabantur. Grata permultum Ximenio fuerunt quæ de magiſtris ſcholarum,& adoleſcentium inſtitutoribus, à concilio præcipi audiuit. Nam cùm eo tempore ſuæ Academiæ infantiam generoſo, & nulla prauitate infecto lacte imbuere, & alere curaret,dici non poteſt quanto applauſu decretum illud complexus ſit, quo ſancitur, vt non ſolùm iuuentus in liberalibus diſciplinis erudiretur,ſed in iis etiam,quę ad religionis Chriſtianæ notitiā pertinēt:qualia ſunt præceptorū diuinorū,fidei articulorū,hymnorū pſalmodiarumque cognitio, & quicquid de vitis ſanctorum per probatos authores ſcriptum habetur. Hæc omnia feſtis potiſſimum diebus, nulla aliorum ſtudiorum intermiſta commentatione,præterquam quæ de moribus eſt, in gymnaſiis tradi iubebantur. Quo

etiam tempore non solùm missarum sacrificiis, sed concionibus sacris, cæterisque de rebus diuinis officiis, quantum fieri possit, vt interessent admonebantur. Illud in primis collaudatum ab eo audiui, quòd sacrorum ordinum initiatis seuerissimè demandabatur: vt postquam grammaticæ & dialecticæ iustam operam impendissent, rebus philosophicis, & poeticis, quinquennio duntaxat in publicis gymnasiis incumbere liceret. Quod si eorum studiorum amore capti, longiorem moram in ipsis ponere concupiscerent, id nullo modo per Academiarum præfectos permitteretur, nisi iuri etiam Pontificio, aut sacræ Theologiæ, aliquid quoque laboris quasi in antidotum impartirentur. Dicebatur etiam Pontif. Max. sedulò conniti, vt fasti nostri ob solis cursum à tẽpore Iulii Cæsaris nõnihil variantẽ, in ordinem redigerentur. Nam vt ex vetustis annalibus constat, ad Pontif. Max. pertinebat anni rationẽ exactè tenere, & fastorum dierum rationem ritè promulgare. De hac igitur re cùm apud Ximenium inter viros doctos sermo haberetur, aliusque aliud pronunciaret, Antonius Nebrissensis dixisse fertur, id sibi omnino simile videri antiquæ fabulæ, qua narratur quemadmodum diis cõsiliantibus, de orbis tumultu ob mortalium bella sedando, Iupiter habere se dixerit rem magni momẽti, ad quam eorum consilio opus esset, cui si, vt sperabat, subuenirent, statim de cæteris orbis incommodis agendum foret. Instare cælites, vt tandẽ id proderet, se enim opera sua iuuaturos. Succurrite (inquit) miseris agricolis, quibus non sat est cum rastris, ligonibus, & aratris perpetuò contendere, ad exercendam tellurem, sed nouus etiam labor multò molestior additur, in cucurbitis quotannis expurgandis ab interiore illa medulla, & fœcundissimo semine: quod ni sedulò faciant, vasis vinariis sint carituri, in magnum agriculturæ detrimentum: res ergo digna est in quam omnes incumbamus. Quare diis visum superis vt cucurbitæ vacuo ventre postea nascerẽtur. Næ tu (inquit Ximenius) Antoni salsa similitudine es vsus, sed hæc res est, de qua prisci & sanctissimi patres, summi quoque orbis Monarchæ studiosè & solicitè, publicis conciliis, & priuatis cõgressibus egerũt. Mittam ad te Pauli Episcopi Forosempronienses volumen, ad me nuper ex Italia allatum, vbi errores qui ab huius rei ignoratione proueniunt panduntur, & Iudæorum risus, & cachinni, oscitantiam nostram cauillantium, quod Pascha domini & Dei nostri in secundo mẽse immundis (vt illi aiunt) deputato, sæpenumero celebremus. Hæc cùm Ximenius dixisset, Nebrissensis gratiis pro tam beneuola obiurgatione actis, vera ea omnia esse fassus est, seque magis ad eum oblectandum fabellæ meminisse, quàm quòd aliter sentiret. Esquinas Abulensis canonicus literas, quas breues vocant, à Pontif. Maximo obtinuit, quæ mense Decẽbri Abulæ sunt publicatæ, quibus emolumẽta, quæ tribui solẽt canonicis, qui horis diuinis adsunt, vt absens etiam perciperet, concedebatur. Huic rei sese Ximenius opposuit: & ad regem scripsit incommoda, quæ inde essent prouentura, nisi in tempore caueretur. Tunc per regias literas iussi sunt vrbium præfecti, vt diplomata quæ Roma afferrentur, ad supremum regis tribunal mitterentur: Esquinas etiam perterrefactus regis nomine, ni ab huiusmodi priuilegiis petendis abstineret. Annus iam quintus decimus eius seculi numerabatur, quem Ferdinando fatalem esse plerique existimabant. Frequentes ergo literæ ad Ximeniũ dabãtur, tũ regis, tũ eorũ qui illi à consiliis erãt, quibus vt ad publica negotia animum conuerteret, & regi ægrotanti curarum partem detraheret, rogabatur. Neque enim suis priuatis rebus agendis, rege conualescente, tempus defuturum. Ximenius, qua erat prudentia, facilè animaduertit laboriosum admodum sibi futurum, si regem nusquam quiescentem, per saltuosa loca assectaretur, tam imbecillo corpore, & valetudine parum firma. Videbat etiam regem permolestè ferre, si quis de rebus seriis ad remp. pertinentibus secum ageret, qui tantùm erat in morbo depellendo attentus. Quare consultius se facturum, si valetudinem suam curaret, & vires seruaret in tempus opportunius, & multò reip. necessarius, quod propediem futurum coniectabat. Decreuit, itaq; Compl. commorari, & res propositas de villis in vsum Academiæ construendis, ad coronidem perducere. Diximus in Butragiorum montibus, qui in confinio Vacceorum sunt, ædem sacram in remoto secessu esse, vndiq; nemorib. & montibus cinctam, prorsus musarum studiis, & diuinarum rerum contemplationi aptam. Diui nomen cui est dicata, ex antiquis quæ apud Academiam Compl. asseruantur monumentis, Auditum esse liquido constat, quanuis eius memoriam in fastis sacris nullibi reperiam. Vulgò à nostris Sancto id appellatur, manifesta ab Auditi nomine deriuatione. De primis conditoribus, nil certi quod scribam habeo, locus canonicis sacerdotibus videtur extructus: nam & chorus est psalmodiis dicendis, sedilibus dispositis constructus, & triclinium (quod refectorium vocant) peramplum, cæteraq; multa ad vitam promiscuè degendam necessaria. Fons est in proximo prædiolo, qui Domini Sanctii appellationẽ seruat. Quin eius ossa ligneis loculis serico panno cõtectis in choro asseruabantur, donec Christophori

Petrii doctoris Theologi opera, qui diu ibi Priorẽ egit, monumẽto è gypſo iuxta arã ſunt
condita. Sed quis ille Sanctius fuerit, aut quibus ortus parentibus, quove ex loco ad eos
montes venerit, neque ex inſignibus inſculptis, neque ex vllis monumentis, aut hominum
memoriis aſſequi potui. Fama tamen quædam eſt, regis fuiſſe filium, qui ad ea loca, dum
Barbari miſerè Hiſpaniam vaſtarent, cum multis ſanctorum reliquiis ſeceſſerit. Has poſt-
ea Ximenius, præſentibus Franciſco Ruizio Abulenſi Epiſcopo, & nonnullis aliis, è thecis
detractas meliori in loco repoſuit. In antiquis membranis, quæ in Academiæ ſcriniis aſſer-
uantur, inuenio nemus ſancti Auditi, de quo nunc agimus, canonicorum ſacerdotum poſ-
ſeſſionem fuiſſe, qui ædem diuæ Leocadiæ dicatam ad Toletum colebant. Arquillinum
verò abbatem de ſodalium Leocadiæ voluntate, & Archiepiſcopi Toletani iuſſu, ac patrũ
eccleſiæ Toletanæ conſenſu, nemus illud regi Alphonſo octauo conceſſiſſe, qui tertius vo-
catur in membranis, quòd ab Alphonſo, qui Toletum cœpit, eſſet tertius. Hunc poſtea
Ferdinando Didacio S. Iacobi militiæ magiſtro, quẽ dilectiſſimum ſibi virum, & omni re-
ligione præditum ibi vocat, cœnobiũ ſancti Auditi (nam ita in membranis habetur) cum vi-
cinis nemoribus liberaliter donaſſe. Quis deinde cœnobii ſtatus fuerit, quive homines ip-
ſum habitauerint, mihi planè incognitum eſt. Igitur hanc ædem cùm à Priore de quo libro
proximo diximus, Ximenius extorſiſſet, theologis doctoribus, qui ſcholaſticam palæſtrã
abſoluiſſent, ſeceſſum eſſe voluit, vt nonnulli dicunt: vbi curis omnibus vacui, ſacros au-
thores per otiũ euoluerent. Certè patres, Academiaq; Compl. cùm hanc fuiſſe conditoris
mentem arbitrarentur, de eiuſmodi ſodalitate Compluti creanda ſæpenumero ſermonẽ
contulerũt. Sed ſiue publica rerum cura Ximenium ab hac cogitatione dimouerit, aut lo-
ci rigor nimius, ob Boreæ aſſiduos flatus, ſententiã mutare coegerit, certè potius id vulgo
iactatum, quàm vlla Ximenii certa deſtinatione agitatum fuiſſe, par eſt credere. Sunt etiã
nunc, qui Ximenium dicentem audiuerint, tres villas amœnitate & ſalubritate notabiles
ſe ædificaturum, ad quas æſtiuo, aut peſtilenti, aut turbulento tempore ob populares mo-
tus, Ildephonſi collegæ migrare poſſent. Harum vnam diui Auditi ædem fuiſſe, quam in
locis multis ſumptuosè conſtruxit, additis molis frumentariis, quæ à proximo riuo verſa-
rentur, non ſine magna vtilitate tum villæ, tum finitimorum agricolarum. Alteram non
longè ab agro Turrilacunitano, quam Aldehuelam (quaſi viculum dixeris) appellant. Vbi
ædem diui Ildephonſi, quæ Complutenſis æmula videri poterat, eiſdem prope partibus, &
membris diſtinctã, à primis fundamẽtis exædificauit, aptiorẽ tamẽ hyemali tẽpori quàm
æſtiuo, ſed prædio vini optimi & frumẽti feraciſſimo ornatã, vnde maximũ emolumẽtum
collegæ capiũt. Tertiã verò Anchuelli agro Cõplutẽſi erigere cœpit. Sed cùm parũ ex ani-
mi ſententia ſurgentem cerneret, demoliri protinus iuſſit, neq; amplius de reficienda cogi-
tauit. Verùm duæ, quas diximus, villæ, ſatis ſunt ad prædicta incõmoda euitanda. Tædium
certè aſſiduitatis & diuturnæ in Compluti ædibus habitationis, villarũ præſidio abunde
diſcutitur. Ximenius poſtquã Anchuelli villã demolitus eſt, ſanctũ Torquatũ Cõpluto pro-
ximum, & ſuæ ditionis oppidũ venit, vbi arcem, quæ vetuſtate collabebatur, tam firma
ſtructura & decora reparauit, vt pontificibus Toletanis haud aſpernanda habitatio ha-
beatur. Hoc igitur propoſito, & incredibili animi præſtantia & celeritate, tot præclara
opera conſtruxit, quæ non ſolum vrbem aliquam, ſed totam Carpetaniam, imò verò to-
tam Hiſpaniam illuſtrant. Auget hanc magnificentiam tenuitas prouentuum, & vectiga-
lium archiepiſcopatus Toletani, ſi cum opulentia & ſumma fructuum copia noſtri tempo-
ris conferantur. Multis morbo ædificandi laborare, aliis rerum bellicarum ſtudioſior,
quàm antiſtiti conueniret, viſus eſt. Nonnulli literarum, & doctorum hominum fautorem
mirum, in modum fuiſſe, cætera verò non natura ſed conſilio procuraſſe. Hæc tam varia
de illo iudicia, non aliunde nata eſſe, conſtat, quàm quòd in rem ſemel ſuſceptam adeò
gnauiter incumbebat, vt illi ſolùm natus, in eamq; tantum ingenio ferri videretur. Sub
menſem Iulium rurſus literis regis Arandam euocatur, quæ ad flumen Duriam ſita eſt:
quò Auguſto mẽſe, qua potuit feſtinatione, contẽdit. Nam rex cũ Burgis ageret, à cubiculi
cuſtodibus animo defectus, & toto corpore tremebundo repertus eſt, qui eius gemitu &
rhonchis excitati adcurrerũt, & vix frigida adſperſa, membrorumq; confricatione, in ſeſe
vt rediret effecerunt. Creditum eſt id regi accidiſſe, quòd per æſtiuos calores, feneſtris cu-
biculi apertis, & leuib. ſtragulis tectus, noctu dormiens aura frigidiore & tenui, qualis Bur-
gẽſis eſt, afflatus fuerit: vnde illæ corporis motiones & torſiones oculorũ prouenerũt. Hoc
caſu rex perterrefactus, Burgis relictis Arandã profectus eſt: Ximeniũ ſtatim ad ſe venire
iubet, de reip. ſtatu cum eo acturus. Nam cùm ineunte anno, Germanã reginã in Aragoniã
ad conuentus faciendos miſiſſet, quoniam ipſe ad alteros Burgis celebrandos procurato-

res Castellanos conuocauerat: regina rursus in Castellã reuocata, ad Aragonios absoluendos proficisci meditabatur. Acciderunt autem nonnullæ res, quæ regiam maiestatem offenderant, & magis arcano beneuolentium hominũ consilio, quã publica seueritate animaduertenda erant. Vt ergo Ximenium venire nouit, ad põtem eius oppidi, obuiam illi lectica processit, magna omnium admiratione, qui regem se quoquam ob ægritudinem difficulter mouere nouerãt. Id enim rex perpetua quadam religione obseruauit, vt Ximenium, ad regium comitatum venientem honoris gratia extra oppidi mœnia salutaturus progrederetur, quod me alias annotasse memini. Vt rex ad pontẽ peruenit, lectica descẽdit: qui dũ fluuiũ magni in Hispania nominis, rapido alueo fluentẽ spectat, Ximenius adfuit, & post mutuas salutationes in oppidũ colloquentes processerunt. Post aliquot dies Antonius Augustinus, regnorum Aragoniæ Vicecancellarius, reipub. malè actæ insimulatus, in Septimancam arcem, graui custodia seruandus, missus est. Sed hunc anno insequenti, iam Ximenio regni summam moderante, quòd alias reip. esset, multis in rebus vtilis, vadibus datis, custodia abire permisit. Inde rex sub finem Augusti Segobiam concessit: nam partim ob temporis calorem, partim ob ægritudinem in dies ingrauescẽtem in Aragoniam iturus non credebatur. Sed extemplo, quæ est animi ægrotantis incõstantia, quanuis cunctis proceribus diuersum suadẽtibus, Aragoniam proficisci statuit, reipub. cura Ximenio demandata. Vt rex Bilbilim peruenit, ibi proceres Aragonios allocutus de rebus quę vrgere videbantur, statim Madritum rediit. Sed cùm nullibi satis commodè consisteret, Placentiam in antiqua Lusitania vrbem, ex medicorum sententia, quòd mitius cælum ad hyemem transigendam habere credatur, sub Nouembrem mensem contendit. Haud diu ibi cõmoratus, in Albani reguli amœnissimum prædium, quod Abbatiam vocant, ad ceruorum venationem discessit. Sed neque hoc illi ex animi sententia fuit, adeò cuncta quæ quondam placuerant fastidio erant. Omnia sibi angusta & arcta in vrbibus esse clamitabat, & sub dio velle vitam agere, vbi latè paterẽt campi, optabat: tanta erat mentis anxietas, & præcordiorum æstuatio. Dum hic per mensem Decembrem immoratur, Adrianum Traiectensem Louanii decanum, qui à Carolo nepote legatus venerat, honorificè recepit. Sed rege negotia vniuersa fastidiente, Placentiæ vbi regius comitatus degebat, aut in Guadalupi cœnobio, donec vocaretur expectare iussus est. Hic rursus Ximenii præsentia desideratur: nam Segouia Complutum migrauerat, de suis ædificiis solicitus, quæ quò magis ad coronidẽ perducta videbantur, tantò plus manũ extremam illis imponere, quod & fecit, cupiebat. Igitur rerum subinde pullulantium molem ad illum reiicere Ferdinandus desiderans, crebris literis ad se vocauerat. Ximenius verò, quanuis nihil magis per id tempus concupisceret, quàm regi laboranti, & ferme extremum halitum ducenti adesse, recusabat tamen eò venire: ne si se præsente, quod postea euenit, regnorum moderationi præficeretur, nõ tam regis de se iudicio, quàm ambitione sua factum esse videretur. Tum etiam verebatur, ne si cum rege in Bæticam secederet, vt vulgò iactabatur, Reguli interea, qui toties in Ferdinandum conspirauerãt, & quibus eius dominatus grauis erat, aliquid noui molirẽtur: præsertim cùm Belgæ, in quorum potestate Carolus puer erat, nihil magis quàm imperium optarent. Itaque regi ad hunc modum respondit: Se quidem omni cura & diligentia ad iter parasse, sed imbrium immodicè superuenientium tempestate retardatum fuisse: nam ea rapidorum torrentium inundatio nunciabatur, vt omnis transitus esset interceptus: post serenitatem verò redditã nihil certi habuisse de regis mansione, quã subinde mutare intellexerat: quamobrem decreuisse tantisper immorari, donec certior de ea re fieret. Quòd si in eo Lusitaniæ tractu, qui propinquior Tarraconensi est, eam hyemem transigere statueret, se quamprimũ ad ipsum venturum, atque ea de causa simulatq; epiphaniæ festum celebrasset, ad Talabricenses venturum, vt in extremo ad occidentem diœcesis suæ limite, regis mãdatum opperiretur. Quòd si in Bæticam ire animus esset, & Granatã, Malacam, cæterasque eius oræ vrbes peragrare, sciret multas ob causas, de quibus latiùs aliàs scripserat, Ximenii præsentiã in Tarraconensi tractu necessariã esse. Quod vero comiter & amicè Adrianũ nepotis legatũ suscepisset, id ex regia dignitate factum esse: custodes tamen (quod ex aliorũ literis cognouerat) illi palàm appositos, vt nemo eum adiret, qui regi ingratus aut suspectus haberetur, sibi nõ probari. Neque enim cũ viro probitate, aut doctrina singulari, & qui pacis in republicã inducendæ causã venerat, vt cũ seditiosis & prauis ingeniis agẽdũ esse. Postquã hęc ad regẽ scripsit, quod de Bætica nõ adeunda significauerat, adeo firmiter seruandũ proposuerat, vt Alarconio, quẽ hospitii parandi causa, ad comitatũ regiũ præmiserat, per Didaci literas iusserit, vt si Hispalim rex proficisci tãdẽ decernat, ipse extẽplo Cõplutũ redeat. Ad Adrianũ vero literas humanitatis plenas dedit, quibus de eius in Hispaniã aduentũ

aduentu gratulatur,& permoleste tulisse ait,quod eo tempore à comitatu regio abesset, in quo Adriani conspectu & consuetudine tanta cum animi voluptate frui potuisset, quem cuncti in omni virtutum & doctrinarum genere virum summum prædicarent. Cæterum simulatque de regis in loco certo mansione cognouisset,illuc festinaturum.Nam dum per incertas sedes rex vagaretur,ætati suæ,aut valetudini tutum non esse, regem affectari. Interea regina cum ab Aragoniis conuētibus rediisset,Complutum diuertit,vbi regie & lautissime acceptam,Ximenius omni officiorum genere prosecutus est. Illa vero in amplissimis Complutensis palatii ædibus animum relaxabat,& choro suarum puellarum sine fastu intermista,negotiorum molestias quas apud Aragonios contraxerat,deposuit. Ibi Ximenius de regis valetudine,de propositi sui ratione, & de dilatione suæ profectionis ad regē, deq; multis aliis reip.rebus cum regina egit.Illa rursus de iliorum dolore, quo rex in abbatia vehementer laborauerat,&de lapide prægmagno per viscera eiecto,cum maximo totius corporis tremore,quemadmodum ex regis literis intellexerat, Ximenio exposuit.Quocirca citatis ad eum itineribus properare,foreq; sibi oppido quam gratum si ipse se viæ comitem daret.Cæterum quando ea impedimenta,quæ dixerat,obstabant, id(inquit)facias, quod magis è rep.futurum arbitraris.Nam ego regi pro dignitate causas omnes quas retulisti ob oculos sum positura.Sed id vt pollicita fuerat perficere regina nequaquam potuit: nam fata regem importune affligebant, & quanuis omni festinatione noctu diuq; iter susceptum vrgeret,Matricalioli iamiam moribundum offendit.Quare eum alloqui,aut priuatim de rebus suis agere non potuit.Tertio postquam regina aduenerat die, rex Ferdinādus inter viuos esse desiit:quibus diebus tanta rerum moles instabat,tot negotia peragēda se offerebant,vt nihil aliud quam flere per id tempus reginæ licuerit. Nam cū ante aliquot dies rex Ferdinandus Abbatia discessisset,totamq; illam Lusitaniæ apricam regionem,quę Areuatum prouincia includitur,pererrādo æger circumiret, aliquot dies Trugilio immoratus,quæ antiqua turris Iulii à nonnullis creditur,inde in vicum ignobilem,Guadalupini cœnobii magna ex parte prædium,cui Matricaliolum nomen est, locum sibi fatalem, venit:Nam vt audio,iam illi olim prædictum fuerat, vt Matricalium sedulo caueret. Quod quanuis rex religiosissimus idemque magni animi semper spreuisset, nihilominus humanum aliquid in ea re passus,Matricalium Vacceorum non longe à Pintia oppidum, ob nobile vinum memorabile,vitabat,sed longe memorabilius quod Alphonsi Tostati episcopi Abulensis natale solum fuerit,viri multiscii,cuius numerosa & variis de rebus cum sacris, tum profanis edita volumina, Didymo illi Alexandrino parem faciunt. Ergo tandem in Matricaliolum incidit,vt vere dictum esse constet, quid quisque vitet nō satis cautum est in horas. Multa huic ambagi similia traduntur non solum gentium historiis,sed Christianorum etiam;vt de Annibale Pœno & Atheniensibus,illo Libyssam fatalem sepulchro fugiente,his Siculam terram quærentibus:& de Federico II.imperatore, qui Florentiam astrologi monitis euitabat,& Florentiolæ obiit. Sed hæc omnia meræ sunt hominum imposturæ,qui post rerum euentum huiusmodi fingunt oracula,quæ incerto authore in vulgus sparguntur.Sunt etiam mulieres phanaticæ, quæ simulata quadam sanctimonia se futura nouisse prædicant,& principibus nimium credulis, de rebus quæ vt eueniant misere optant,facile imponunt.Sic Ferdinandus rex quanuis morbo multum præualescente, fœminæ,quam Beatam Abulensem vocabant,prædictionibus deceptus, quasi multo diutius esset victurus,neque Adrianum,qui vt hæc cognouit,Guadalupo Matricaliolum venerat, ad se recepit, q; non tam de rebus reip.acturus,quam de eius valetudine & vita sermones captaturus aduenisse diceres,neque Matienzum Franciscanum sodalem, qui illi à confessionibus erat,tempore maxime necessario admittere voluit.Aiebat enim non pietatis causa sed potius libellorum signandorum,& peculiari ambitione impulsum venire, vt regem obtunderet:tanta erat viuendi cupido,& adeo insederant fanaticæ mulieris promissa. Sed cum aliquot supremi senatus iudices qui regem comitabantur, aliquotque etiam insignes medici ei blandis alloquiis,& beneuolis sermonibus finem instantem denuntiarent, & vt sibi ac reip.quam tanta caritate hactenus complexus fuisset consuleret,adhortarentur: tādem illorum precibus,viq; morbi victus, Adrianum ad se vocari iussit:& postquam humane salutauit,vt Guadalupum rediret mandat,quo si viueret,quamprimum se iturum dixit, ad publicas res cum Adriano componendas.Cum Matienzo etiam, per aliquot horas, semotis arbitris collocutus,& conscientia more Christiano expiata, atque venia erratorum à Deo opt.max. suppliciter petita,ad reipub.curam,Matienzi consilio conuersus,testamēti tabulas,quas non ita pridem Burgis condiderat,intimis amicis,& regiis senatoribus,qui illic aderant,inspiciendas & retractandas tradidit.In eis Ferdinandum puerū Caroli principis fratrem,gubernatorem horum regnorum constituebat,& illa tria militarium ordinū

magiſteria, ſancti Iacobi, Oretani, & Alcantarenſis, iure hæreditario donabat. Illi ergo, multis rationibus adductis, vtrunque reprobarunt, vnde teſtamentum Burgenſe irritum eſt factum,&alterum denuo compoſitum & obſignatum. De Ferdinando gubernationi non præficiendo,etſi rex ſibi perſuaſerat,Carolum Belgicis moribus innutritum,in Hiſpaniam nunquam venturum,facile acquieuit.Nam quanuis Ferdinandi indoles nihil ſiniſtri ſuſpicari de ſe permittebat,tamen rex prudentiſſimus facile intellexit, non defuturos peruerſos homines,qui mentem pueri ob priuatas ſuas rationes immutarent. At de magiſteriorum legato mutando,non libenter audiebat:quod Ferdinandus,quem vnice dilexerat, patrimonio regio deſtitutus,vitam inopem acturus videbatur. Sed cum fideles conſiliarii monerent,vt quid faceret attentius inſpiceret: nam ſi experimento pernicioſo cognitum abunde fuit,vel vnius ordinis magiſtrum regi ſæpius negotium faceſſiſſe:quam diſcordiarum materiam ſe ſubminiſtrare credibile erat, tribus magiſteriis in vnum Ferdinãdum collatis? Præſertim cum nullas maiores diuitias poſſet nepoti relinquere,quam Caroli fratris beneuolentiam:quare & hoc etiam legatum inductum eſt. Carolus ergo regina matre viuente,gubernationi reip. præficitur: quod ob patriam in Ioannam poteſtatem regi facere iure licuit.Habita illico conſultatio fuit,de viro magnanimo ac prudẽte,cui cura regnorum abſente Carolo committeretur. Anceps erat ea deſignatio:nam neque ex regulis tutũ erat conſtituere,ob antiquas inter ipſos ſimultates:neque ex hominibus mediocris fortunæ,ob ingenia Hiſpanorum,qui minorum imperia pati neſciunt: & quod rariſſimum ſit, virum inuenire paruis aſſuetum, qui perſonam tantæ rei aptam ſubito induere valeat. Laurentius Galindus Carauaialus, iuris conſultus,& regius ſenator, qui iſti deliberationi aderat,Franciſcum Ximenium Archiepiſcopum Toletanum eum eſſe quem requirebant, dixit.Sed rex vultus auerſatione,qui animi motus plerunque indicat,ſibi non placere oſtẽdit:quod verbis etiam ſic confirmauit. An vos(inquit)ingenium ſeuerum Ximenii nõ cognoſcitis,hominibus tractandis in tanta morum varietate haud accommodum? Sed cum ad hanc vocem conticuiſſent omnes,rex quaſi diuinitus mutata ſententia,ſic ait. Si hominem effingere pro votis liceret ad rem de qua agimus,tractabiliorem, Ximeniũ voluiſſem: mores enim hominum quotidie degenerantes,ad priſcum illum honeſtatis rigorem, quẽ Ximenius profitetur,exigere,magnas in rep. difficultates excitare ſolet. Sed vt veſtrã ſententiam probem,facit in primis hominis integritas, animuſque ſemper recti & iuſti appetens:poſt hæc quod nulla propinquitate regulorum cuiquam coniunctus, nihil priuatis amicitiis eſt daturus.Porro beneficia,quæ ego & Iſabella regina in illum cõtulimus, noſtrarum rerum ſtudioſiſſimum fecerunt,atque in noſtro (vt ſic dicam)ære eſt,quod quotidianis exemplis haud obſcure declarauit. Ad hos regis ſermones plauſus adſtantium eſt ſecutus:qui regi pro Ximenii deſignatione gratias agentes, eius ſententiam vehementer collaudarunt, His atque aliis prudenter curatis,rex ſe morti proximum intelligens,ſanctiſſimæ Euchariſtiæ viatico ſuſcepto,& oleo ſacro vnctus,XIIII. Cal.Febr.antequam illuxiſſet, religioſiſſimæ vitæ curſum clauſit,dignus qui inter reges præſtãtiſſimos adnumeretur. De quo,in ſcholaſticorum frequenti conſeſſu,Ciruelus Darocenſis theologus,vt illa ferebant tempora memorabilis,in oratione funebri,vnum inter reges Ferdinandum fuiſſe dixit,qui regnandi rationem poſſet inſtituere:& ob inſignem prudentiã,cum longa rerum experiẽtia coniunctam,de recta principum gubernatione non vulgaria præcepta tradere. Extemplo Carauaialus & Vargas inter regios ſenatores primarii,ad Adrianum qui rerum euentũ Guadalupi expectabat,ſunt miſſi,& iam Matricaliolum properanti occurrerunt. Poſtquã igitur ad vicum acceſſerunt,vbi Federicus à Toleto dux Albanus,& Bernardinus Rogius Dianienſis marchio, & Fadricus Portugalius Seguntinus epiſcopus, & Ioannes Fonſeca Burgenſis antiſtes,cum multis aliis viris primariis aduenientes præſtolabantur,regis teſtamentum eo ipſo die ante meridiem,apertum & euulgatum eſt:atq; eius exemplum, quod ad Belgas Carolo tranſmitteret,authoritate publica, Adriano qui id iure flagitauerat,traditum fuit. Ximenius regii ſenatus literis Compluto Guadalupum continuo accerſitur,ſimulque illum certiorem faciunt,regis teſtamento,ad remp. gubernandam,donec Carolus princeps in Hiſpaniam veniat declaratum. Rex Granatam tumulandus effertur. Gonſalus Guzmanus Oretani magiſterii clauiger, Aluarus Oſorius Aſturicenſis antiſtes, Ferdinandi pueri cuſtodes,qui Guadalupi rerum ſucceſſus,vt cæteri omnes, ſuſpenſi expectauerãt, ob irritas Burgenſes tabulas,vana ſpe quam conceperant deluſi,tacitis animis indignabantur.Sed actorum ignorantiam ſimulantes,Ferdinandum alumnum impulerunt,vt iure tabularũ Burgenſiũ quib. Gubernator regnorũ abſente fratre cõſtituebatur,authoritatẽ regiã vſurparet:& libellos de more ad ſenatores regios, aliosque proceres,qui conuenerant,mitteret,quos ad ſe Guadalupum vocaret. In libellorum capitibus infantis nomen (ſic enim

principis

Principis fratres appellant) inſcriptum erat, ea forma qua ſoli reges in Hiſpania vti ſolent. Eius rei inſolentiam cum ſinguli ad quos dabantur iniquo animo ſuſcepiſſent: vnus ex regiis ſenatoribus fidei publicæ, regiæque obſeruantiæ ſtudioſus, renuntiato (inquit) Infanti, nos Guadalupum iamiam feſtinare, vbi officii noſtri memores debitam reuerentiam exhibebimus: regem tamen niſi Cæſarem habemus neminem. Quæ vox poſtquam Carolus rex Romanorum eſt deſignatus, & nõ multo poſt Cæſar factus, prouerbii loco iactabatur, quaſi certiſſimum imperii omen fuiſſet.

LIBER SEXTVS.

EXTREMVS rerum à Ximenio geſtarum actus ſupereſt, in quo fatis eum ad maximum faſtigium, & amplitudinem ſupremam ſubuehentibus, quẽadmodum Hiſpaniæ ſceptra abſente Carolo biennium ferme moderatus fuerit, & quãta authoritate & imperio, motus qui eo tempore in republica exorti ſunt, aut repreſſerit, aut ſuſtulerit, ſumus tradituri. Nam cum regulorum noſtrorũ vires formidabiles perſæpe regibus extiterint, magnopere Ximenio laborandum fuit, vt eius perſonam indueret, & maieſtatem referret, cuius vicarias vices habebat, & animos noſtrorum excelſos & elatos deprimeret. Hoc autem ab homine nullis natalibus, aut præclaræ familiæ gente numeroſa & illuſtri ſuffulto, fieri non potuit ſine maxima prudentia, ſumma fortitudine, & magnanimitate. Sic ergo procerum ſpiritus fregit, vt tunc primum reſp. viderit plebem cum nobilibus ex æquo agere, & regia mandata ſacroſancta haberi. Nam homo priuatus regio nomine in viros ſummos animaduertit, lites & controuerſias, in quibus ingentia emolumenta vertebantur, & ob cauillationes, tergiuerſationes, & ſtrophas aduocatorum remp. perpetuis ſimultatib. erant læſuræ, diremit. Magnorum patrimoniorum & cenſuum poſſeſſionem, velut Herculis clauam, è potentiſſimis manibus ablatam ad veros dominos tranſtulit. Omnibus reip. ordinibus, magna religione & potentia ſuum ius æqualiter diſtribuit, neque vnquam pacatiora tempora multis ante annis in Hiſpania ſunt viſa, & idcirco multo plus difficultatis & laboris duobus his annis, quam viginti prioribus, qui ab eius in Archiepiſcopum creatione computantur, ſubeundum illi fuit. Mihi vero res ipſas ſcribenti via multò ſalebroſior & impeditior ineunda eſt. Nam velut vaſtum ſpecum ingreſſi, quo magis à luce luminis recedunt, tenebris vndique craſſioribus cinguntur, ſic mihi ad metam properanti, extremus hic labor longe difficilior videtur, ob res grauiſſimas & multiplici negotiorum diuerſitate implicatas. Igitur poſtquam de morte Ferdinandi Ximenius per literas regii ſenatus certior eſt factus, ſeq; ab eo, ad reip. gubernacula teſtamento deſignatum eſſe, venerunt in mentem non ſolum beneficia maxima, quæ Ferdinandus illi contulerat, & honores quos ſemper Ximenio detulerat, ſed ſors etiam humana moriẽdi, quæ æquo pede ſumma & infima conculcat. Obortæ ſunt ſtatim lachrymæ homini alioqui ſeuero & grauiſſimo: tantique regis morte, magnam infligi plagam dixit vniuerſo orbi Chriſtiano, ſed Hiſpaniæ inprimis. Ergo ne reip. deeſſet, quam ſtatim nouis turbationibus concitandam nouerat, Guadalupum ad ſenatum properat. In mandatis quæ Didaco Lupo ad Chebrium Caroli nutritium dedit, potiſſimam feſtinationis cauſam fuiſſe inuenio, ne Ferdinandum puerum aliquo abducerent eius cuſtodes, & motus tempore maxime incõmodo excitarent. Vt Guadalupum peruenit, infantem Ferdinandum quamprimum adduci curauit, quem deinceps à ſe diuelli quandiu vixit paſſus non eſt. Germanam reginam, atq; eius fœmineum comitatum omni obſeruantia & cultu proſecutus, vt omnia ei quam largiſſime ſuppeterent, donec negotia componerentur, pecunia ſua ſtatim cauit. Cum ex teſtamento rerum ſummam vellet capeſſere, Adrianus Caroli mandata protulit, quibus ſi quid humanitus Ferdinando auo accidiſſet, Adrianum gubernatorem declarabat, & eius nomine vt poſſeſſionem regnorum caperet iubebat. Ximenius ſe id permiſſurum negabat: vnde nonnihil controuerſiæ inter eos ortum eſt. Sed cum vterque reip. cauſa id agitaret, & pari conſenſu ad Caroli obſequia eſſent animati, facile omnis contentio fuit ſublata. Nam cum ex regis Ferdinandi teſtamento Ximenius eſſet rebus præfectus, Caroli mandata expectanda eſſe videbantur, vt quid faciendum eſſet poſt eam Ferdinandi regis voluntatem, conſtaret. Porro cum ex Iſabellæ Reginæ teſtamento, Ferdinando marito reip. moderatio relicta eſſet, donec Carolus nepos ad xx. annum perueniret, iſq; è vita diſcedens Ximeniũ ſuo loco inſtituiſſet, quicquid Ferdinando viuente ſuper hac re Carolus feciſſet, irritũ ex iure eſſe à nonnullis affirmabatur: præſertim cum ex Hiſpaniæ legibus, atq; antiqua morũ

consuetudine, nullus posset externus legi, qualis Belga Adrianus erat. Placuit Adriano Caroli sententiam ea de re expectare, & interea partitis curis regni molem ambo subierunt, publicis tabulis, & quibusuis libellis, vtriusq; chirographo signatis. Ferdinandi regis morte, & Caroli principis absentia, procerum Hispanorum animi ad res nouas concitādas parabantur. Nam Petrus Portocarrerius cognomento Surdaster, Ascalonii ducis frater, cuius successores nunc marchiones sunt Villanouæ, cum inter Lusitanos, qui trans Anā flumen sunt, & potentia & opibus valeret, ad Magisterium sancti Iacobi occupandum, quod morte regis vacuum esset factum, Areuates solicitans, aspirauit. Is ergo prior cœpit res nouas in Hispania moliri. Sperauerat eam dignitatem magnus Gonsalius, sed post eius mortē Portocarrerius pontificis Romani diplomata comparauerat, quibus continebatur vt si is superstes Ferdinando regi esset, iure sibi illud magisterium vendicaret. Sed Carolus diplomata etiam à pōtifice max. Bernardino Carauaialo curāte obtinuerat, ad tria quæ diximus magisteria possidenda, vt regi catholico concessum fuerat. Cuius auxilio id fecerit incertum, certe Ferdinando rege inscio factum esse, vel illud satis aperte declarat, quod is Ferdinando puero (vt diximus) legauerit. Cum ad Ximenium de Portocarrerii conatibus delatum esset, qui per tumultum & militarem apparatum conuentum commendatariorū ad se eligendum congregabat, de Adriani & Senatus sententia, Villafannā quatuoruirum ad eum comprimendum, regiis tabulis & militari manu munitum, mittit: cuius aduentu, vt erat Villafanna vir industrius & sagax, Areuatum prouincia à nouis rebus tentādis quieuit: & Portocarrerius sanior effectus melius sibi consuluit. Post hunc tumultum sedatum, Ximenius & regii senatores, de loco deligēdo in quo domus palatina & comitatus regius cōsisteret, variis sententiis egerunt. At Ximenius, qui nihil vnquā recte fieri posse sciebat, nisi vnius arbitrio cūcta cōponerentur, suas partes esse videns, vt diuersas voluntates & parum firmos animos, paulatim ad vnitatē reduceret & cōfirmaret, sic in omniū cōsessu dixit: Videtis viri summi, in quā ancipiti periculo pariter cū rep. versemur, nisi ad locū aliquē commigrauerimus, in quo libere munus nostrum exequamur. In principio obstandum esse vel leuissimis incommodis scitis: ne è parua scintilla, maxima (vt fieri solet) crescant incendia. Quare si nunc ista negligimus in tam præcipuo rerum cardine, vereor ne nostrum principem, & rempub. deseruisse videamur. Video plurimis ex vobis transmontanam regionem placere, quod propior Belgis sit: nam ita à regibus nostris factitatum esse dicitis, qui quoties Gallici motus acciderent, aut alia externa negotia tractanda erant, illuc regium comitatum transtulerint. Recte illi quidem & prudenter, qui cum regia maiestate præditi essent, vt rerum domini ad se potentiores alliciebant viarum comites, & nihil erat quod aliunde vererentur. Nobis tamen, qui hoc præsertim tempore dum res sunt ambiguæ, nihilque adhuc à Carolo sit mandatum, precario regimus, longe aliud faciendum esse censeo: locumq; eiusmodi deligendum, in quo libere ius nostrum exercentes, reipub. commodis prospiciamus. Quod si in vltramontanam proficiscamur, præterquam quod multi reguli in ea sunt, quorū potentię, si nouum quid moliri studuerint, pares esse nequaquam poterimus: videtis totam meam ditionem cis montes constitutam esse, vnde quam sero subsidia sint illuc peruētura, neminem vestrum ignorare existimo. Carpetani, Bætici & Lusitani absentia nostra abutētes, difficulter in officio continebuntur. Porro rebus etiam meis consulendum esse duco: est enim mihi simultas cum viro principe, qui vt est celsi & erecti animi, vereor ne quid mihi absenti incommodet. Ob quas causas, viri sapientissimi, oppidum in hac nostra Carpetania ad eam rem assumendum esse iudico, vbi & mihi paratissima sint omnia ad cuiusuis contumaciam & insultum coercendum: & vobis nil defuturum, vt pro dignitate agatis, & me vt rectum clauum teneam, vestra prudentia adiuuetis. Vicit prudens Ximenii sententia: oppidum nullum quod Madrito esset commodius, aut magis aptum, inueniri potuit, quo statim profecti sunt. Interea Petrus Campus regius veredarius ad Belgas mittitur, cum literis ad Carolum principem, omnia quæ post Ferdinandi mortem accidissent, & quo in statu vniuersæ res essent, quidq; ille moriens mandasset continentibus. Hunc est subsequutus iustis itineribus Rengifus Abulensis, vir ad res gerendas strenuus. Petit hic locus, vt quo pacto Belgicæ res præsente Carolo se haberent, quorumve consilio aut arbitrio regerētur, exponamus: nihil enim posthac de Ximenii actis dici potest, quin de Carolo, & Belgis qui eius curam & custodiam gerebant, sit dicendum. Ergo Carolus princeps Gandaui apud Belgas natus, & educatus fuit: Ferdinādus vero eius frater, qui infans Hispaniæ dicebatur, Compluti. Quare in natali solo vterq; ad hæc vsq; tempora perseuerans, alter Belgicis moribus, alter Hispanicis est imbutus. Vnde Ferdinādus rex maiori hūc indulgētia & caritate prosequebatur, nec Ferdinādus modo, sed cuncti ferme Hispanorū principes. Carolum.n. longe sepositum, & alieno cælo, aliisq; viuendi institutis assuefactum, nunquam in Hispa-

niam

niam venturum esse,multi ex nostris,sed ante omnes Ferdinandus auus credidit.Quare ad
Ferdinandum puerum,regnis vicaria potestate pręficiendum,atq; omni ratione adaugen-
dum & cohonestandum,in primis incitabatur.Erāt in Caroli familia multi ex principibus
Belgarum, sed hi potissimum ob nominis claritatem,& Caroli fauorem notissimi: Ioannes
Saluagius Burgundii senatus præses,qui magnus postea Cancellarius fuit: Hontenius Cu-
sius,& Roesius consiliarii:Chebrius,Armastophus & Laxaus cubicularii:Laurentius Gor-
rebotus domus regię pręfectus,Carolus Lanoius hippagiorum administrator.Erat illi me-
dicus,Bartholomęus Marlianus Mediolanensis,suę artis peritia clarus,qui symbolum illud
Plvs vltra inter Herculis columnas adscriptum,in Caroli gratiam excogitauit,&Tu-
tedensis episcopus fuit creatus,inuito & reluctante Ximenio. Chebrius inter omnes Ca-
roli fauore excellebat, neque id immerito : nam & à puero illum enutrierat, & prudentia
ingenioque ad omnia versatili, mire erat præditus. Huic tamen ob certas rationes Ferdi-
nandus rex infensissimus erat. Certe in fœderibus quæ morti proximus cum Adriano in-
iuit, ante omnia cauit, vt Chebrius cubiculo cui præerat, pelleretur, neq; quicquam quod
ad remp.pertineret tractaret.Hoc quanuis Chebrio ingratissimum accidit, atque ea de re
seuerissime cum Adriano expostulauerit, nihil tamen potuit tempori accommodatius ab
Adriano fieri,vt Ferdinandi animus,qui Carolo aliquot de causis infensus erat,placaretur.
Ex nostris Ioannes Emanuellus eminebat: qui inter Ferdinandum & Philippum generum
lites disseminauerat:& cum viuente Ferdinando rege, à Margarita nuru Belgarum præfe-
cta,in custodia detentus fuisset, post eius mortem à Carolo nepote liberatus, & in honore
habitus est. Antonius etiam Astuniga Beiaris ducis frater, qui cum Didaco Toleto ducis
Albæ filio,de prioratu sancti Ioannis contendebat: & Petrus Portocarrerius surdastri, de
quo diximus,filius:& Ludouicus Corduba, qui ob morum elegantiam, Carolo iucundus
acceptusque erat: & Alphonsus Manricus episcopus Pacensis, qui postea Archiepiscopus
Hispalensis factus fuit:Petrus etiam Mota egregius concionator,Carolo ab epistolis, Che-
brio ob morum facilitatem & eruditionem carus, & Carolo principi non vulgariter com-
mendatus. Quanta ingenii solertia is fuerit vel ex hoc patere potest. Cum variæ epistolæ
ex Hispania,facta atque infecta canentes (vt optimus poeta dixit) adducerentur, erant a-
pud Belgas Hispani,qui domi suæ literas scribebant, affictis etiam amicorum subscriptio-
nibus, & ab Hispania allatas iactabant, quibus quæ ipsi nuntiata cupiebant, continebātur,
& in vulgus spargebant. Ex horum fasciculis vnas aliquando literas nactus,rebus male co-
hærentibus inspectis,cōfictas esse suspicatus,chartæ nota attente cōsiderata, Bruxellis scri-
ptas esse liquido deprehendit.Hic ergo erat aulæ Belgicę status,quando Petrus Campus,&
Rengifus ad Belgas profecti sunt,Ferdinandi regis mortē Carolo nuntiaturi,&Ximenium
cardinalem eius testamento ad reip.gubernationē designatum. Multa doloris indicia Ca-
rolus dedit,rectore optimo post homines natos se priuatum esse dicens,suiq; amantissimo,
& qui rudi eius ætati erat pernecessarius.Iacturam tamen hanc quamuis incomparabilem,
non mediocriter sarciri aui sui consilio,qui Ximenium cardinalē præfecisset,cuius sapien-
tiā multo vsu limatam,& mores grauissimos ex multorum relatione cognouisset:quanquā
postremum aui sui de eo iudicium summæ commendationis instar apud se erat. Hæc ergo
literis ad senatum regium datis,verbis amplissimis declarauit.Scripsit etiam adFerdinandū
fratrem,ad Reginam Germanam aui defuncti coniugem, ad Ximenium gubernatorē, ad
episcopos & ad Hispanos regulos,quibus omnibus se propediem,sub primam scilicet æsta-
tem venturum promittebat.Interim sibi gratissimum futurum,si libenter Ximenio, & se-
natui,perinde ac sibi ipsi parerent: se enim certum esse omnia quæ ad rei publicæ commo-
da,& ad regiam dignitatē tuendam pertinerent,illos esse curaturos. Ad ea senatus, & reli-
qui omnes summa cum reuerentia cuncta pollicētes,officiose responderunt: quorū exem-
pla cum aliis nonnullis, quæ ad Ximenium summi viri & grauissimi scripserunt, Compl.
Academia seruat. Interea Carolus apud Belgas funeris exequias multis equis phaleratis,
qui regnorum insignia præferebant,præcedentibus,& magistratuum ordinibus,& nobili-
tate subsequente,more patrio celebrauit. Visebantur vexilla,& rerum gestarū monumen-
ta,quę speciem potius maximi triumphi,ni omnia atris vestibus tegerentur,præse ferebāt.
Erectum etiam fuit cenotaphium,multis facibus per tabulata dispositis,sceptris & coronis
regiis ornatum.Literæ consolatoriæ intermistis ob tam amplissimam hæreditatem gratu-
lationibus,vndiq; ad Carolum quotidie mittebantur,quibus rex salutabatur:sed præcipue
Leonis x.Pontif.Maximi,& Maximiliani Cæsaris,qui illi auus paternus erat epistolis:ipse-
que iam eo se nomine appellari, ex Belgarum familiarium consilio, quorum authoritati
permultum(vt diximus)tribuebat,destinauerat. In literis quas ad Ximenium & senatum
dedit,Adriano quidpiam arcani, idque magni ponderis scripsisse se dixerat, de quo cum

ipsis erat acturus. Expectare ergo se responsum auidissime: quare operam darent, vt quamprimum quid de ea re sentirent, certior fieret. Id autem erat, vt quoniam viuente matre, ad quam regnorum possessio pertinebat, regium nomen à summis principibus, per publicas literas, & legatos iam ante tributum, assumere decreuisset, ipsi libere sentẽtiam suã dicerẽt: & quid leges patriæ, & maiorum instituta decernerent. Nam apud Germanos & Italos nulla vtiq; religio erat, liberos paternarum dignitatum appellationem vsurpare, parentibus etiam viuentibus. Ea consultatio insolens Ximenio, & senatui visa fuit: nam præterquã quod superstite matre, regis nomen legibus patriis Carolo interdicebatur, multæ aliæ causæ se offerebant, propter quas principi hæredi eo nomine abstinendum esset. Nam ob regis catholici mortem nihil iuris amplius acquisierat, neque eo in statu reginæ morbus erat, vt mentis inops omnino censeretur. Quare iterum, atque iterum videndum esse, ne ea festinata regii nominis præoccupatio, in re alioqui tranquilla & quieta, principi molestias, aut negotia compararet. Nam parum, vt ipsis quidem videbatur, ad principis vere regiam potestatem intererat, hoc aut illo nomine vocari, si cuncta eius nutu moderanda erant, & nihil prorsus impedimenti ex matris præsentia, aut mandatis esset habiturus: cum præsertim rerum nouarum cupidis, non mediocris occasio præberetur, ad motus in rep. concitãdos. Neque enim alius pretextus seditiosis hominibus conquisitus semper fuit, quo speciosius suorum principum imperia detrectarent, aut Remp. seditiose læderent, quam alterius regis, qui iure meliore se regnaturum contendat. Quæ cum ita esse vniuersi comprobassent, de omnium sententia communes literas quarto non. Martii ad principem dederunt: quibus reuerenter, vt par erat, admonebatur, ne matre incolumi id facere tentaret. Sed Carolus, qui non tam sibi consilium eo in negotio dari cupiebat, quam senatus suffragationem habere, difficultatibus quæ proponebantur posthabitis, ex aulicorum quorundam consilio quibus id conueniens videbatur, regium nomen sibi vindicauit. Quod vt faceret, Pont. max. & patrum purpuratorum, Maximilianiq; Cæsaris authoritate, atq; principũ necessariorum efflagitatione, se propemodum coactum fuisse, ad Ximenium & senatũ scripsit: idcirco curarent, vt id apud suos ratum haberetur. Ximenio vero priuatim mandat, vt quoniam sententiam mutare integrum iam non erat, suamq; in eo authoritatem verti sentiebat, daret operam, vt absq; vllius intercessione ea res cunctis probaretur. Igitur cum necessario parendum esse Ximenius videret, ne ipse solus rei insolitæ author esset, Adriano & Senatoribus regiis ad auxilium assumptis, Antistites & regulos, qui eo tempore Madriti aderant, ad Lassianas ædes, in quibus ipse & Adrianus habitabant, ac Senatus quotidie cogebatur, cæteraque omnia palatii munia, more regio administrabantur, per sceptriferos & accensos conuocat. Conuenerunt autem ex regulis, Anricus Almirantus, Fadricus Albanus, Paciecus Ascalonius, Rogius Dianensis. Ex præsulibus Rogius Granatensis, Senatus regii præfectus, Fonseca Burgensis, Fadricus Seguntinus, & Franciscus Abulensis, aliquotque alii, qui tunc in regio comitatu aderant. Postquam Ximenius Caroli mandata coram omnibus exposuit, proceres rei magnitudine perspecta, quid responderent dubitãtes, Laurentium Galindum Carauaialium, virum rerum antiquarum & legum nostrarum cumprimis peritissimum, qui vnus è Senatu palatii causis, & cubiculi regii cognitionibus præerat, vt quid super ea re sentiret ingenue exponeret, rogarunt. Ille vero, qua erat in sententiis dicendis securitate, ad hunc modum disseruit: Neminem vestrum illustrissimi principes, in hoc amplissimo consessu esse arbitror, cui si res pro arbitrio gerenda fuisset, non vehementer principem adhortaretur, vt quemadmodum leges diuinæ & humanæ exposcunt, reginæ matri spiritum ducenti, honorem omnem & reuerentiam exhiberet: & regis nomen tantisper differret, donec dies ipsa, quod proximum futurum est, vltro id quod modo efflagitat, offerret. At cum post eam admonitionem, qua illum ne quid huiusmodi in præsentia conaretur obsecrauimus, palam sibi nomen & regiam dignitatem desumpserit, maxima cura dispiciendum nobis est, quo pacto id, quod multi inflexum & insolens esse cẽsuerunt, rectum & fieri solitũ ostendamus. Nã eo in statu negotia esse constat, vt sine dignitatis principis nostri imminutione, atq; totius reip. damno, infecta fieri non possint. Hoc in primis mihi, & omnibus vobis verissimum esse constat, principem nostrum inuitum id fecisse: nam ab eius miti ingenio, mansuetis & religiosis moribus, nihil est magis alienum, quam vis & tyrannis, Sed eum matris morbus apud omnes mortales notus sit (neque enim regum casus vllo modo in occulto esse possunt) duo reipub. Christianæ culmina, Pontif. Max. & Romanus imperator, vt regis nomen vsurparet monuerunt: sic enim publica negotia poscere. Non potuit Carolus tantis principibus non parere: nec nos quidem debemus principis nostri iussa, in re præsertim non inhonesta neq; insolita, vt mox ostendemus, quamuis multis aliter videatur, recusare aut deprecari. Quod vt planius intelligatur,

primum

primum aliqua mihi de causis ipsis, deinde quod nihil noui fiat, dicendum est. Si Ioanna regina Caroli mater, Dei immortalis voluntate, suæ mentis & iudicii compos, ditionem Hispanam gubernare idonea esset, ea est imperii nostri amplitudo, ea maiestas, & prouinciarum regendarum moles, vt in consultationem & dubium vocaretis, an tantarum rerum consilia tuto fœminæ, quamuis illa capacissima esset, committerentur. Nunc vero in tam manifesta mentis offensione, in tam claris animi emoti iudiciis, ei consortem dare dubitabimus? Nihil earum rerum quæ per nos geruntur, qui principe hærede tanto inferiores sumus, ad eam deferimus, & Carolum imperio eius parere, & principis nomine contentum esse volumus? Non hæc sane cohærent, aut honestam aliquam excusationem habent. At si, quod omnes sentimus, dixeritis nomen tantum illi denegari, rerum summã, atq; adeo imperium vniuersum concedi, in errore versaremur: putantes regio nomine illi denegato, quicquam gesturum, quod vel reip. vtilitatem, vel sibi decus aut gloriam comparare possit: quicquid enim tentauerit, precario obtinebit. Quod si precibus agendum est, magno quicquid impetrauerit illi constabit. Principis nomen iure nostro, priuatum quid sonat: & quandiu hæredis spem tantum habet, nescio quo pacto eius mandata vel serui negligentius peragunt. Nomen illud regis, totaq; illa palatina cohors, & imperium non aliunde pendens, humanos animos tacita quadam reuerentia afficit, & ad debitum cultum & obsequium inducit. Iam vero, vt demus subditos imperata facturos, cum externis regibus, qui eum ad tot regnorum imperium vocari taciti dolent, nihil ex æquo aget, neque illis titulis & honoribus Carolum prosequentur, quibus ipse in mutuis officiis, illos vtpote reges, decorauerit. Neq; enim alterius dignitatis æmulus, aliquid cupidius aut studiosius captat, quam in re minima superiorem censeri: vt eo saltem prætextu vel suam causam æquiorem esse probet: vel illum alterum, vtpote imparem, sibi nequaquam opponendum esse efflagitet. Videte igitur inclyti proceres, ne dum nimium regii nominis cultores esse vultis, atq; id in regina mentis & consilii cassa conseruare contenditis, maiestatem reipub. nostræ minuatis. Et hoc quidem de causis satis esse arbitror: neq; enim omnia in sapientissimorum virorum consessu, qui ea quam ego multo melius nouistis importuna oratione sunt dicenda. Illud, quod magis vrget, & quod rerum antiquarum imperitos insolenti nouitate perturbat, filium regnorum hæredem futurum, regii nominis cõsortem fieri, & imperium cum matre ex equo moderari, si vos paulisper attentos prębeatis, externorũ exemplis præteritis, quæ ex priscis historiis apud omnes resp. sed præsertim in Romana sese offerunt, ex annalibus nostris solenne esse declarabo, Primum enim Gotthorum temporibus, quando res Hispanæ frequentibus Episcoporum coactis synodis sunt stabilitæ, Cindasuindum regem, quem Cisnandum nonnulli vocant, post remp. religiosissime moderatã, post concilium septimum Toletanum celebratum, post legationem ad summum Pont. missam, qua beati Gregorii moralium opus, in Hispaniam deferendum curauit, & post mille alia optimi & sanctissimi principis exempla edita, quatuor annis antequam moreretur, Recinsuindum filium regni participem assumpsisse legimus, atq; cum eo communicata potestate nihil id facere formidauisse. Sed hæc nimis vetusta mittamus. Post miseram illam vastationem, quã Hispania Iuliani proditione à Mauris pertulit, Veremũdus diaconus patrio Mauracato tyranno mortuo, cum anno à partu virginis DCC.LXXXIII. rex electus esset, ac duobus annis rempub. strenue administrasset, recolẽs se olim sacris ordinibus initiatũ esse, Iurelione vxore dimissa, quam prolis quæ in regno succederet suscipiendæ causa proceribus ac populis adhortantibus duxerat, Alphonsum consobrinum cognomẽto Castum ex Nauarris, ad quos Mauracati timore confugerat, reuocatum, regem secum pariter constituit: & nullis seditionibus intercedentibus vitam dulcissimam, & tranquillitatis plenam, quatuor & amplius annos cum eo traduxisse historiæ nostræ referunt. Huic Alphonso qui vitam cœlibem & puram egit, Ranimirus Veremundi filius successit: qui ex Iurelione, quam diximus, cum fratre Garsia olim susceptus, sub Alphonsi tutela paruulus relictus, cum iam adoleuisset, Alphõso id in primis curãte, regno præficitur. Hic Ranimirus inter cætera virtutis suæ præclara documẽta, tanta fratrem Garsiam beneuolẽtia complectebatur, vt siue pacẽ siue bellum gereret, nullã sibi gloriam sine eo cõquisiuerit: & tãdem eius fide & amore perspectis, regni gubernaculis admouerit: atq; ita imperii consortem effecerit, vt rerum nostrarum annales dubitent, an & is quoq; inter reges habeatur. Sed ne, dum omnes enumero, orationem in immensum producam, vnum aut alterum addam. Cum matre Vrraca parum ad rempublicam moderandam apta, Alphonsus Raimundi Tolosatis filius regnauit. Ferdinandus, Hispalensis vrbis recuperator, quem res piæ, & præclare gestæ diuorum adscribunt numero, & cælo asserunt, post patris Alphonsi mortem, in Legionensem regem assumptus, cum matre Berenguella fœmina alioqui prudentissima, regio nomine, &

paribus sceptris,possessionem maternam (hoc est) Castellæ regna,annuentibus populis rexit.Igitur cum tot exempla viri principes adducta videatis, quibus non modo non nouũ & insolens,sed consuetum,& pene patrium esse demonstrauimus , & ad regni communionem,non modo filios hæredes,sed fratres,aut fratrum filios assumi:non est cur tranquillitatem reipub.frustra perturbare velimus.Nam nec Carolus regis nomen dimittet,nec si ille,quod optimo consilio vsurpauit,mutare vellet,nos eramus vllo modo permissuri : ne in rege nostro vlla inconstantiæ nota hærere posset.Porro hæc summa est, non petit Carolus à vobis consilium,sed causas cur id fecerit,his literis declarat : atque eam ob rem ad nos scripsisse dicit, vt postquam suam sententiam viderimus , de nomine regio suscepto nobis gaudeamus,& illi gratulemur.Hæc cum dixisset,literas regias è sinu promit,quas omnibus audientibus recitauit,grauitate & imperio plenas. Diu intra silentium principes viri se continuerunt:nam quamuis Galindi oratio eos acriter pupugerat,priuatæ voluntates & concepta semel,ob seditiones quas futuras putabant,emolumenta, aliud prorsus faciendum suadebant.In duas ergo partes sunt diuisi:nam Ximenius cum senatu,& qui aderant Antistites,aliquotq; item ex minoribus principibus, Galindi sermonibus statim assenserunt. Anricus Almirantus,& Fadricus Albanus in contrariam sententiam inclinantes,minime id conuenire clamarunt:neq; enim exempla à Galindo adducta aliquam vim ad præsentem consultationem, aliquodve momentum habere. Quando multos ex illis quos connumerauerat,non tam veros reges,quam vsurpatores,rem necessariam & iustam fecisse,imperio ad proprios dominos delato. Vltimos vero,qui magis ad rem propositam videbantur pertinere,ob exiguam regum nostrorum ea tempestate potentiam, facile à principibus qui tunc in armis erant,potuisse cogi ad res nouas moliendas, ob præsentem vtilitatem.Nunc tamen cum Dei opt.max.beneficio,tantum Hispani sceptri maiestas creuisset,& res omnes tranquillæ & pacatæ viserentur, non esse legum sanctiones immutandas,neque ius aliquod,in re præsertim tam graui violandum.Esse enim ominosum, regni ineundi exordium facere à legum irritione, quas cuncti reges illis initiis sacrosanctas habent,idque verbis conceptis,sacra Dei mysteria tenentes, & sibi dira increpando si secus fecerint,aut tentauerint,iurant.Idcirco satis esse principi nostro,si matre viuente, gubernatoris nomen obtineret.Omnes ad Ferdinandi memoriam conuersi,eiusque in reip.maiestate conseruanda solicitudinem & curam laudantes,quamuis Galindi dictis peropportune prius viderentur confirmati,Caroli tamen factum non admodum probabant : adeo vt Paciecus,qui Ferdinandi rebus infensus , Caroli partes defensurus credebatur, multo magis in Almiranti & Albani sententiam declinans,cum quid sentiret efferre cogeretur, effugium potius quæsiisse,quam sententiam vllam aperte dixisse visus fuerit.Quandoquidem (inquit) Carolus à me consilium,vt dicis Galinde,non petit, neque ego importunus dabo.Murmur illico per omnes cum cœpisset oboriri,veritus Ximenius ne inde re infecta discederetur,indignabundo & seuero vultu & voce vehementius & acrius intenta: De re (inquit)minime dubia,neque suffragium vestrum exposcente,in præsentia principes agitur:neque enim subditorum consensu Carolus rex ad vota sua eget: sed idcirco huc à me conuocati estis,qui commodis vestris semper studui,vt regem gratissimo officio demereremini.At vos homines agrestes imitati,leges parum vrbanas attendentes,quod ex comitate quadam datum fuit,iure vobis deberi existimatis. Hodie Madriti sine vlla mora, publica solennitate fiet,vt reliquæ vrbes exemplum id sequantur. Vocemq; illam præclaram edidit:cui ego regium quod assumpsit nomen negarem,nec parere quidem in animũ induxissem. Atq; illico consilio dimisso, Petrum Correã Madriti præfectum ad se vocauit,& vt Carolum de Hispaniæ more,in prætorio primum,deinde per oppidi vicos gratulabũdus & exultans regẽ proclamaret,decurionib. præeuntibus,& vexillis sublatis, iubet. Tubarũ & præconum strepitus exaudiri cœpit,cunctiq; proceres ad vnum congregati præfectum certatim comitãtur,& cunctis mortalibus acclamantib.Carolus rex Castellę vocitatur:Facta est Madriti ea proclamatio,sub extremum Maium.Postridie eius diei ad cõuentus Pintianum,& Granatensem,& ad alias Castellæ vrbes, ad regulosq; omnes publico sigillo literæ sunt missæ,quibus quid Madriti per Ximenium & regium Senatum gestum esset, declarabatur:iubebantque,vt exemplum hoc secuti,ipsi quoq; Carolum principẽ statim regem proclamarent.Sententia autem literarũ hæc fuit.Carolum regẽ Pont. Max. & aui sui imperatoris suasu,regnorũ Castellę & Hispanię possessionem simul cũ regis nomine,matre Ioanna serenissima superstite,ob causas maxime conuenientes , de quibus ad Ximenium Cardinalẽ,& ad regium Senatũ scripsit,suscepisse:quod in totius reipub. commodum cessurũ nihil dubitabant.Quare ea reuerentia à se suscipi,quæ subditos decebat:vt matris reginæ nomẽ omnib.regiis tabulis,officii debiti,& obseruãtię ergo pręnotetur:neq; in his solum,

lum,sed vbique in regiis muneribus,reginæ tanquam præstantiori,omnes honores & obsequia deferantur.Nam tantum Carolo cordi esse,eius imbecillitati suppetias ferre,& aliqua parte laboris,quam in tanta mole regnorum sustinebat,subleuare. Igitur quod faustũ felixq; esset,nomen regis, quod iustis de causis & consilio excellentium virorum sibi assumpserat,Dei numine primum inuocato,deinde Iacobi apostoli tutelaris diui,lætis vocibus passim personarent:nam regem ipsum primo quoque tempore adfuturum,cuius præsentia,& optata voce plenius eius propositum essent intellecturi. Cuncti protinus obtemperarunt,tantumq; habuit Ximenii seueritas momenti,vt sine vlla populorum cunctatione,id ab omnibus approbatum sit. Reguli qui Madrito aberant,Ximenii & regii Senatus authoritatem veriti,nihil moliri sunt ausi.Sed ante omnium procerum & ciuitatum officia,Toletanæ ciuitatis studium enituit.Nam simulatque literas Ximenii, & Senatus regii accepit,incredibili ardore,& veluti quodam numine afflata,maxima omnium gratulatione,& insigni pompa,vexilla per pręfectum & Senatum sunt sublata,primariis equitibus,& nobilibus,cæteros ciues egregie cohortantibus.Aragonii legum suarum obseruantissimi, quibus ex Ferdinandi catholici testamento,Alphonsus Aragonius Cæsaraugustanus Antistes pręerat,contrariam omnino sententiam secuti, Carolo regium nomen denegarunt: atq; in eo perseuerarunt,donec Ioanna è viuis discessit.Dum hæc à Ximenio Madriti gerebantur,aliquot regulorum tumultus,primo Bæticam,vbi exorti sunt, deinde veluti pestifero contagio Tarraconensem omnem peruadebant. Nam statim vt regem Catholicum obiisse fama vulgauit,Petrus Gironius Vrennatum comitis maior natu filius,militum manu non ignobili coacta,in Assidonensem ducatum irruens, Luzerum maritimum oppidũ occupare conatus est:vnde si prospere succederet,ad reliquam ditionem capiendam procederet.Causam huius seditionis hanc fuisse inuenio. Ioannes Guzmanus Assidonensis dux,duas sorores diuersis temporibus duxit,Astunicæ ducis Beiarensium filias: ex quarũ prima Enricum & Metiam,ex altera Aluarum liberos suscepit. Gironius Metiam viuente Enrico vxorem habuit:at quod Enricus frigida corporis constitutione (vt apparebat) natus,sterilitatem perpetuam præ se ferret,Ferdinandus rex Annam Aragoniam,ex Alphonso Antistite neptem, Aluaro Ioannis ex secunda vxore filio,tantum principatum habituro, collocauit.Interea Enricus absque liberis è vita discessit: atque Ferdinando patrocinium & fauorem præbente,Aluarus dux Assidonensis sufficitur, quamuis multum Gironio reclamante,qui Aluarum spurium esse contendebat,& ad Metiam eius vxorem principatũ pertinere. Nam diuinis legibus, & pontificiis decretis vetari aiebat,ne quis duas sorores duceret.Quod si aliquando summi Pont.hoc condonauissent,id ob maximum reipub. emolumentum fuisse factum:in præsenti tamen negotio, nullam huiusmodi facultatem à summo Pont.Ioannem impetrasse.Sed quoniam regis potestas Aluarum tuebatur, & diplomata pontificia ostendebantur,quorum authoritate secundum Ioannis matrimonium celebratum fuerat,Gironius parum intercessione sua profecerat. At Ferdinandi morte vulgata,sperans se armis superiorem fore,& quod iure nequiuerat per vim obtenturum, ad Luzerum oppidum obsidendum se parauit,suis incœptis ob vicinum mare cumprimis opportunum.Sed Pontius Arcobricensis dux,electo præsidio oppidum præoccupans, & Gometius Solisius sancti Iacobi commendatarius,qui regis iussu arcem oppidi custodiebat,quod in maritimis priuatorum principum locis,Hispano more fieri consueuit,Gironii impetum strenue propulsantes, ne oppidum eo tempore caperetur effecerunt:& Ximenio,quid Gironius tentauisset nuntiarunt. Qui de Senatus regii consensu, Hispalensibus & Cordubensibus finitimis populis,vt Pontio & Solisio præsto sint iubet: & paulo post Antonium Fonsecam,militarem virum,cum exercitu aduersus Gironium mittit,atq; cum eo Cornelium quatuoruirum,qui sontes,more Hispano,ob læsam maiestatem, securi aut laqueo plecteret.Horum aduentu Gironius perterritus obsidionem deseruit,& sic illi motus consopiti tunc fuerunt.Postea tamen simulatque hæc quæ de titulo regio diximus,rursus Gironius tumultuari cœpit:& Velasco comestabili auunculo vindice, quem aliæ quoque priuatæ causæ stimulabant,sese Ximenii potentiæ opponere,& cognatos regulos cõuocare,iuuenili ausu non dubitauit. Qua de causa è Bætica in Tarraconensem veniens, ad eius prouinciæ principes omni conatu solicitandos,per Madritum, vbi Ximenius cum regio senatu erat,iter faciens, à publico abstinens factionis suæ proceribus conueniendis moratus est.Vbi parum reuerẽter & ciuiliter egisse,vel amici eius fatebantur, qui cum eũ adesse cuncti resciuissent,ad Ximenium salutandum non accesserit, regis personam eo tẽpore gerẽtem.Quinimo hoc nõ cõtentus,nuntium ad Ximenium misit,qui se illac venisse certiorem faceret,ad suos amicos & cognatos visendos, quasi palam illi simultatem indiceret,& Tarraconenses principes in eum concitãdos minaretur.Ad quod Ximenius nihil

aliud respondisse fertur, quam vt bonis auibus iter illud officiosum faceret. Sunt adhuc alia in Ximenii epistolis, quæ iuuenilem Gironii temeritatem, & parum sana consilia declarant. Nam Madriti à viris probis & prudentibus rogatus, cur eam seditionem tam manifesta Ximenii & regii Senatus contumelia mouendam tentaret: quoniam (inquit) nullã gratiam nobis rex, quod illi paremus, est habiturus, si eo absente, eius vicariis ex æquo paruerimus. Quæ eo magis vana censebantur, quoniam nec pecuniarum, nec militum præsidiis, aut ipse, aut regulorum quisquam cum Ximenio erat conferendus: qui suis duntaxat priuatis opibus, iustum exercitum alere poterat. Ille tamen in proposito persistens, ad Inachũ Velascum auunculum est profectus. Nam Velascum iamdudum male habebat, quod Ximenium meditari audierat, vt quicquid primates sine titulo manifesto in regii censu sprę-iudicium possiderent, regis fisco & patrimonio cederet. Nam cum ipse ex maritimis vectigalibus non mediocres reditus perciperet, timebat ne Ximenius quoq; eam rem conuellere vellet: quare eius potentiam imminutam cupiebat. Ne hanc rem temere aggrederetur, regulos omnes, qui priuatis de causis Ximenio infensi erant, conuenire statuit, vt coniunctis opibus & viribus, in perniciem Ximenii coniurarent. Præcipui inter hos fuerunt, quos facile in eius sententiam venturos arbitrabatur, Pimentellus Benauentanus, qui Cigaliis præsidium extruere prohibitus, cuius opportunitate vniuersam Campensem regionem, quoties liberet, facile infestaret, iniquo erat in Ximenium animo: & Cueua Alburquecius, & Cerda Metinensis: qui Vrenati affinitate ac cognatione proximi, censibus item temporariis à regibus donati erant: & Portugalius Seguntinus Episcopus, qui capiti suo timebat, ne si locus Ximenio daretur, Carauaialum quod iamdudum agebatur, in pontificatum Seguntinum restitueret, & ipse rursus in ordinem cogeretur, facile in suam sententiam pertrahendos confidebat. Sed ante omnes Mendozium Infantatus ducem, ob Velẽnatum cum comite Cluniensi controuersiam, indignatum esse sentiebat: quem si vnum ad partes suas pellicere posset, facile Ximenium è tam lata & ampla potestate deturbandum sperabat. Igitur literas statim ad Pimentellum dat, quibus se Guadalfaiaram ad Mendoziũ proficisci scribit, de reip. commodis cum eo tractaturus: quare aut ipse protinus, quod consultius esset, ad eos veniat, aut si causis necessariis impediretur, fidelem aliquem ministrum pro se mittat. Interea Velascus nulla mora interposita, primum Cuellar oppidum ad Alburquecium, deinde Buitracum ad Mendozium properat: Gironius ad Cerdam Medinẽsem accersendum, cum mandatis regulorum perrexit. In epistolis, quæ per arcanas notas ad Carolum dabantur, scriptum inuenio, Mendozium ad regulos venire recusasse: simulque internunciis dixisse, in his quæ ad reip. negotia pertinerent, nihil se aduersus Ferdinandi testamentum, aut regis Caroli voluntatem tentaturum: in aliis vero paratum sane esse ad necessariorum iniurias vindicandas. Ob quod Guadalfaiaram Velascum, & qui eum comitabantur profectos, illic cum Mendozio rem disceptauisse: vbi Velascus multa de Ximenii insolentia, multa de eiusdem temeritate egit: nec tolerandum vllo pacto esse, vt noui hominis & nobilitati infensi, inimica gubernatione Hispani principes regerentur: quibus æquius multo & decentius erat, vt cucullatus homo pareret, quam vt ipse potentia abutẽs, optimates per ludibria agitaret. Quod si Ferdinandi regis testamento ad regni moderamẽ relictus dicebatur, sat seruitutis Ferdinando viuente, se pertulisse: desinerent tandem vana mortui imperia pertimescere. Quare facultatem quam à Carolo suscepisset, Ximenius ostenderet, aut se ei aliter nequaquam pariturum. Hæc cum Velascus repetendo exacerbaret, cuncti aduersus Ximenium fremere. Mendozius, qui tunc inter eos authoritate præstantior habebatur, Sunt mihi non mediocres (inquit) aduersus Ximenium odiorum causæ: nam & per summam fidei violationem pactum cum fratris mei filio neptis suæ coniugium irritauit, & nũc demum patrimonio meo, ne quid grauius dicã, malitiose insidiatur. Sed illud priuata res est, ipseq; suas excusationes obtẽdit: hoc vero regii Senatus iudicio inter me & propinquũ Cluniẽsem dirimetur. Atq; ita apud me statui, nihil turbarũ, quandiu abest rex noster, mouere. Noui ego vtpote vicinus, Ximenii huius, magis quam vos, naturã & ingeniũ, nihil cuiusquã gratiæ aut authoritati dat, neq; vllius terrorib. mouetur. Amplã, vt videtis, ditionẽ possidet, amplissimã potẽtiam resp. illi dat. An existimatis ignauius quam solet in præsentia se gesturum? Nõ arbitror: imo multo acrius in nos populi vires excitaturum, cui iamdiu odio sumus. Quare aduersus rempub. nil esse tentandum censeo: eam autem necesse est lædi, si Ximenium offendamus. Aliam vos rationem cogitate, qua causas nostras apud omnes probemus: & tunc gloria maiorum me indignum iudicate, si non me primum nobilitatis vindicem aduersus huius contumaciam præstitero, & vos propinquos, affinesq; meos omnibus meis viribus protexero. Id cum Mendozius grauiter simul & prudenter dixisset, illorum impetus nonnihil infracti sunt, & mitius aliquid consultare

tare cœperunt. Viſum eſt Aluarum Gometium Mendozii generum, Atanzonis & Piozii oppidorum dominum, virum prudentem, & ſtudiis literarum amœnioribus deditum, cũ mandatis ad Carolum mittere: qui illorum principum quos recenſuimus nomine, Ximenium munere commiſſo priuari peteret, & cauſas apud eum eloquenter & copioſe exponeret. Interea Mendozius eos ſplendide, lauteque tractare: & quæ eſt eius gentis principibus, veluti quodam hæreditario iure, magnificentia inſita, omni genere ludorum oblectare, variaque illis ſpectacula exhibere. Ximenius qui vires eorum abunde nouerat, terrores Panicos illos vocitabat: nihilque idcirco magis mouebatur, quam ſi homines aliquot priuati conueniſſent, quorum nulla ditio, nullaque authoritas aut facultas eſſet. Nam luxu ſemper nobilitatis comite, aliiſque minime neceſſariis ſumptibus, adeo eorum cenſus exhauſtos eſſe dicebat, vt ſolum voces poſſent, & minas inanes ſpargere. Sed cum publicam quietem nonnihil turbari priuatis regulorum conſiliis animaduerteret: dedit operam, vt à certis hominibus monerentur, in rem illorum eſſe ab incœpto deſiſtere. Quod ſi perſiſterent, ſe quidem poſſe, nullis regiis ſiue pecuniis, ſiue militibus, ſed propriis duntaxat auxiliis, facile oſtendere, quanto eo inferiores eſſent futuri, ſi manu aliqua, aut militari exercitu agendum eſſet. Cum vero legibus ac regis in primis imperio parendum eſſet, viderent in quæ pericula ſe coniicerent. Senſum igitur conuentus eſt dimiſſus, ne quid tentaſſe videri poſſent, quod regis animum offenderet. Paulo poſt vt ſe in Ximenii amicitiam inſinuarent ſinguli curarunt. Nam Mendozius literas ad Ximenium dedit officii plenas: Velaſcus intimos ſuos, qui illum eius verbis ſalutarent, à Rexis oppido miſit, cauſatus etiam valetudinẽ, quominus id præſens faceret. Frequentiſſimus noſtrorum ſermo eſt, poſt Mendozii orationem proceres illos conſtituiſſe, vt à Ximenio facultates peterentur, quas poſt regis Ferdinandi teſtamentum à Carolo ad remp. gubernandam habere ſe dicebat, atque ea de re legatos fuiſſe miſſos: quibus Ximenius, vt poſtero die ad ſe venirent, iuſſit: & duo millia armatorum hominum, quos per vicos Madrito proximos ſimulatque illuc venerat, in ſtationibus continendos curauerat, multiplices bellicorum tormentorum machinas, ingentem pecuniæ tum priuatæ, tum regię vim, ſtupentibus oſtendiſſe: & vt ſuis renuntiarent mandaſſe, ſe nullas alias facultates præter illas à Carolo habere. Sed cum nihil tale in epiſtolis inueniam, vbi de Velaſci conatibus, & de Mendozii reſponſo agitur, potius hoc vulgo iactatum crediderim, & effictum ad ſimile Scipionis reſponſum in Hiſpania, vt tradunt Romanarum rerum ſcriptores. Quanquam eo tempore Didacum Lupum ad Belgas miſſum eſſe ſciam, qui de his omnibus Carolum certiorem faceret: & facultatem quam amplam ab eo peteret, qua ab huiuſmodi auſis regulorum animos, quoties opus eſſet, deterreret. Ipſi etiam reguli ad Carolum ſuos nuntios miſerunt, qui mores Ximenii grauibus verbis criminarentur: & reip. intereſſe dicerent, ne ille rebus moderandis præfectus eſſet: quod homo contumax & vniuerſæ nobilitati infeſtus, ſemper nouas contentiones & lites concitaturus eſſe crederetur. Sed his cauillationibus peropportune paulo ante regius Senatus occurrerat: longa epiſtola ad Carolum miſſa, de tumultibus in Bætica, magno regii Senatus cõtemptu, & regiæ maieſtatis offenſa, ac totius reip. turbatione, à Petro Gironio factis: vbi multa quoq; obiter ſunt dicta, de regulorum conſiliis. Ximenius, qui ſi Carolus aduentum differret, ſæpe ad eundem lapidem offendendum eſſe prouidebat: neq; enim in tam latis regnis, variis negotiis ſubinde exorientibus, occaſiones regulis defuturas aduerſus eum coniurãdi, vt nouas turbas quotidie concitarent: cœpit ſecum attẽte inquirere, quonam pacto eorum motus & tumultus cohibere poſſet. Erat (vt diximus) Ximenius natura ad res bellicas propenſus: vnde ſi quando ſermonibus militaribus intererat, ſtudioſe magnos duces percontabatur, qua ratione populus in officio contineri facilius poſſet: qua re milites melius cogerẽtur & allicerentur. De caſtrametationibus, expugnationibus etiam, & oppugnationibus oppidorum libentiſſime audiebat. Igitur cum aliquãdo de his rebus cum rege Ferdinando priuatim ageret, qui tum prudentia, tum rei bellicæ cognitione & laude, inter ætatis ſuæ principes excellebat: regi in animo eſſe intellexit, militarem exercitũ quem ſemper ad manum haberet, ex cuiuſq; ciuitatis incolis comparare & inſtruere. Dicebat enim experientia bellorum edoctus, delectus qui ex ignotis & vagis hominib. more maiorum haberẽtur, perniciẽ potius quam vtilitatẽ in remp. inducere. Nam obſcuri illi, & immodeſti, atq; impuri homines, peſſimiſq; exẽplis famoſi, quocunq; accederẽt ex rapto viuere: vicos & agros miſere vaſtare: infimã plebem & ruſticos homines affligere, milleq; alia ſcelera patrare. Quod ſi per ſingulas vrbes certi quidam ciues nomina ſua ad militiam ſacramento darent, qui quotieſcunq; à rege vocarẽtur, bellica ſupellectile inſtructi, ad omnes caſus prompti, & præſto eſſent, innumera incommoda ceſſatura. Hos enim melius & liberalius educatos, atq; moribus ciuilioribus præditos, liberis, vxoribus, & penatibus timentes, nihil indi-

gnum,aut atrox auſuros,ſed potius totis viribus,pro focis & aris depugnaturos. Quin cōmentariolos,quibus rei gerendæ forma tradebatur, aliquando per otium Ferdinandum ſcripſiſſe aiebat,& ſingula capita per partes digeſſiſſe:ſed moleſtiis & ægritudinibus ſubinde obortis impeditum,efficere non potuiſſe quod tantopere moliebatur. Quæ ne forte aliquis in re ancipiti & à multis improbata,ad Ximenii ſententiam confirmandam confi-cta putet,hæc eadem Ximenium ad Carolum ſcripſiſſe inueniet,literis quas hoc de quo agimus anno pridie idus Decemb.Madrito ad eum dedit,quarum autographum Compluti aſſeruatur.Hæc igitur cum Ximenius in memoriam reduxiſſet,& præter reliqua emolumenta,ſummum inde præſidium parari animaduerteret,quod reipublicæ ſecuritatem adferre,& præſentem rerum ſtatum mirum in modum recreare poſſet, de huiuſmodi inſtituenda cœpit illico acrius cogitare. Nam nullam fortiorem aut potentiorem machinam eſſe intelligebat,ad omnium animos ſedandos,& in officio continendos, quam huiuſmodi exercitum ex propriis ciuibus & incolis conſtantem, per ciuitates ſingulas diſpoſitum. Sed priuſquam rem vniuerſis proceribus inuidioſam,populis vero nouam attentaret, Didacum Lupum Aialam,virum experientem & ſtrenuum, cuius fidiſſimam operam in negotiis quæ cum rege Ferdinando tractauerat ſemper expertus erat, ad Belgas tranſmittere neceſſarium eſſe duxit,vt Carolum de omnibus quæ in Hiſpania gererentur, aſſiduis Ximenii literis admoneret:& vt eadem opera,regia diplomata publico ſigillo & proprio regis chirographo notata,à Carolo peteret, quibus facultas rempub. moderandi Ximenio confirmaretur.Nam quamuis per priuatas epiſtolas,id iam Carolus abunde declarauerat, 2
tamen in re tam graui,& proceribus odioſa,neceſſarium cum primis erat,vt omnia rite,& ex maiorum inſtituto,prout leges noſtræ expoſcunt,gererentur.Hunc ergo Lupum de rebus quæ cum Carolo eſſent agendæ,probe & diligenter inſtructum,ineunte Aprile proficiſci iubet.Mirari Lupus,quod nihil de literis gubernationem regni confirmaturis cum eo egiſſet,cum id maxime ad omnium animos comprimendos,& ad res quas parabat conficiendas perneceſſarium eſſe videretur. Sed prudentiſſimus ſenex,ad Lupum qui pridie Madrito profectus fuerat,curſorem itinere citato mittit,qui hãc ei epiſtolam propria manu ſcriptam tradat.Ximenius Cardinalis Didaco Lupo Aialæ S. Quod longi iſtius itineris præcipua cauſa fuit,& cuius ante omnia monitum te eſſe oportuit,tot negotiis & curis diſtrictus oblitus fui.Sic eſt profecto,quod maxime meminiſſe volumus, ſolicitudine ipſa 3
impediente,primum memoria elabitur:atque interdum nimia ſedulitas & importuna cura,pluſquam ignauia aut ſocordia nocent.Facultatem perquam latam, ad cuncta reipub. munera per me obeunda,à rege Carolo in primis petas volo: in qua nominatim ab eo declaretur,non modo ad regnorum moderationem concedi, ſed ad tribunalia, & vrbanas præfecturas,iuridicos conuentus,& ipſum adeo regium ſenatum,pro voluntate mea componendos,& immutandos:ad fiſcum & ſenſum regium explorandum,atque omnium pecuniarum,quæ per pręfectos coguntur ad obolum rationes exigendum. Nam quamuis hæc omnia parce à me,& non niſi ſummis de cauſis tentabuntur,huiuſmodi tamen facultatem penes me eſſe,permultum ad reipub.commodum & quietem intereſt. Hanc ergo vt erit impetrata,primo quoque tempore ad me mittes. Nihil enim interea,ſiue publicum 4
ſiue priuatum à me poſſe fieri,regi indicabis, ad quod non ſtatim velut validum arietem, diplomatum de hac facultate ſolennitatem abeſſe,regii nominis aduerſarii non opponant. Quod ſi quid hactenus egiſſe videor tantæ moderationis præfecto dignum, non tam epiſtolis translatitiis tribui poteſt,quas facili opera à regibus obtineri intelligunt, quam noſtræ authoritati & dexteritati:me enim infenſum habere reformidant. Nolim hanc noſtrã petitionem Caroli familiaribus ambitioſam videri : nam ea de cauſa Deum obteſtor,qui cuncta nouit,diu ac multum dubitaui, an mihi eſſet poſtulanda huiuſmodi facultas: nihil enim æque odi,atque huiuſmodi res quæ ambitionem olent,requirere,quantumuis ad publica negotia ſint neceſſariæ.Sed quid agerem,cum ad id curandum, diuina me primum inſtituta,regię deinde maieſtati debitum obſequium,& reip.tranquillitas, quæ hac potiſ- 5
ſimum ratione ſtabilitur,prorſus dubitantem & inuitum cogerent? Vale Madrito III.non. Aprilis M.D.XVI. Sic ergo animos eorum,qui parum beneuoli erga ipſum erant,ſuſpenſos & dubios per id tempus tenuit:qui dubitare poterant, an ille tædio negotiorum correptus, reip.curam deponere meditaretur.Quod ſi hac de re coram cum Lupo egiſſet,vt ſunt homines in rebus alienis curioſi,facile diuinaſſent,& re patefacta,omnes adhibuiſſent machinas ad huiuſmodi conceſſionem impediendam aut retardandam. Nam vt Caroli adoleſcentiæ præfecti,quid conducibile eſſet diutius conſultarent,facile effeciſſent: atq; interea reſp.tumultibus vexata,multum detrimenti capere potuiſſet. Qualiter in eo negotio Lupus ſe geſſerit,Ximenii teſtimonia partim ad Carolum,partim ad alios ſcripta declarãt.

Nam

Nam cum ſecundam legationem anno XVII, ſub menſem Auguſtum, Ximenius per Baracaldum inſtituiſſet, iſque, vt erat ingenio vafro, & parum ſyncero, clanculariis ſermonibus nonnihil Lupi fidem apud regem, de penſione Pontificatui Caurienſi in gratiam Epiſcopi Abulenſis imponenda, labefactaſſet, idque tandem Ximenius ex Lupi relatu cognouiſſet, literas ad regem commendationis plenas, & perquam honorificas dedit, vt ita ſe rem habere crederet, quemadmodum ei Lupus dixiſſet: iis enim maioribus prognatum eſſe, vt nihil eorum claritate indignum vllo vnquam tempore commiſſurus foret: quare non minorem eius ſermonibus fidem habere poſſet, quam ſi à Ximenio coram dicerentur. Memini me in Oranicis ſchedis epiſtolam quandam deprehendiſſe. in qua hæc ad verbum Ximenius ad Lupum ſcribit. Quod vero excuſas, quorundam ſermonibus ad me delatum, hæc negotia parum diligenter à te curari, equidem quantum ad hanc rem pertinet, talē te ſemper iudicaui, vt vel rerum tuarum negligentem eſſe potius exiſtimem. De aliis vero, hoc eſt, fide, & taciturnitate, atque honoris mei perpetua obſeruantia, caue dubites quicquam alicui me crediturum, quod noſtram erga te caritatem labefectet: eademq; prorſus de Petro Aiala Canarienſi Epiſcopo ſentio, quem meo nomine multum ſalutabis. Quanquam ni ego fallor, id eſt Ferdinandi regis ingenium, vt nullius vnquā perſuaſione egeat, ad id quod ſemel propoſuit agendum: quemadmodum nullis vnquam verbis moueri ſolet, vt quod ſemel animo non ſedit, rurſus probet. Hæc omnia declarant, quanti Lupi fides apud eum fieret, quove in pretio & opinione hominem haberet. Sane iis negotiis gerendis apud Carolum præfectus fuit Lupus, iſque ad eum quotidie aditus, vt ſi morum ſeueritati, potius quam genio, vel ad tempus ſtudere maluiſſet, proculdubio honoribus auctior locum in rep. haud obſcurum tenuiſſet. Verum ſua vnumquemque voluptas trahit: & modo animo ſuo mos geratur, reliqua omnia à pleriſque contemnuntur. Ergo Ximenius, cui omnis cūctatio in rebus propoſitis moleſta ſemper fuit, minime ad id quod animo conceperat, Lupi reſponſum, aut Belgarum decreta expectare viſum eſt: ſed exercitum, quem parare inſtituerat, quanam ratione cogeretur, meditari cœpit. Igitur poſt diutinam conſultationem, quam partim in Senatu, partim cum viris earum rerum peritis habuit, edictum ad omnes Caſtellæ ciuitates miſit, vt quicunque ex earum incolis, præſertim qui ius ciuitatis & penates haberent, nomen ad delectum quem parabat darent, multis immunitatibus fruerētur. Hi milites reip. futuri erant, & quotieſcunq; neceſſitas ingrueret, ad eam protegendā præſto cum armis futuri, & ſingulis quibuſque dominicis diebus aciem bellico procinctu ſub populorum conſpectum exhibituri, quam tranſuectionem vocant. Duces ſe illis, & qui lituis canerent, ac tympana pulſarent, reliquoſq; exercitus miniſtros pecunia publica exhibiturum: militibus vero peculiaria priuilegia iure ſuſceptæ militiæ concedi, vt ab exactionibus & tributis, quibus pendendis plebs & pagi circumuicini obnoxii ſunt, puta hoſpitiis regio comitatui præſtandis, & de multis aliis oneribus & angariis ſubeundis, ad quę vectigalis conditionis homines tenentur, immunes eſſent. Nihil principio eo edicto plauſibilius, aut gratius vniuerſæ plebi memoria noſtra accidit. Nam ea ratione facile ad nobilitatem viam ſibi paratam ſentiebat, cum præſertim tam paruo labore, intra proprios penates, cum filiis & vxoribus ea ſe munera obituros intelligerent, & non ſolum reip. ſaluti conſulturos, ſed hoſtibus cunctis formidini futuros. itaq; paruo temporis ſpatio, pluſquam triginta millia ſelectorum militum, ex ſingulis vrbibus coacta ſunt: qui per omnes bellicas artes ſeſe in oculis ciuium quotidie exercentes, iucundo ſpectaculo erant. Rurſus iuuentus, quæ niſi rebus honeſtis occupetur, continuo voluptatibus diffluit, à quibus plus periculi quam ab armatis hominibus imminet, vt facile parentum exemplis incitatur, curſu & ſaltu, & miſſilibus iaciendis, omnique armorum genere, & pedibus & equis mirum in modū exercebatur. Denique ludus quidam militaris aperiebatur, quo nihilo optabilius, aut iucundius Ximenio vnquam potuiſſet accidere: qui eo olim inſtituto, fortiſſimas nationes à viris non perinde validis ſuperatas & domitas nouerat. Nunc vero priuatim ſua permultū referre videbat, huiuſmodi exercitum ad omnes caſus, nullo regis aut reip. impendio, in procinctu paratum habere. Cum Madriti, per portam quæ Maurorum appellatur, Ximenius & dux Aſcalonius ad aciem inſtructam viſendam egrederentur, & extemplo milites bombardis & ſclopetis, fumum ſulphureum & fragorem concitaſſent, ab Aſcalonio ciuili & beneuolo ſermone monitum ferunt, caueret tetrum fumum, tonitruaque illa ſulphurea ne ſubita rerum parum aſſuetarum incurſione, noxam aliquam contraheret. Cui Ximenius, pone metum, (inquit) ô dux, hic enim fumus & ſulphurea nubes. iucundius mihi & gratius olet, quam Arabum pretioſiſſimi odores. Huius militiæ notitia poſtquam ad finitimos reges, & remotiores nationes peruenit, cuncti Ximenii conſilium magnificare, & prudentiam viri ante omnia admirari, qui mirabili inſtituto Hiſpaniam non modo ab externis in-

curſionibus tutam reddidiſſet, ſed cunctorum mortalium facile dominam poſſet conſti-
tuere. Certe regi Gallorum Hiſpanę potentiæ æmulo, nihil ingratius per id tempus accidit, quam de huiuſmodi militibus, non quidem ignotis, aut collectitiis, ſed ex ipſis ciuitatum ordinibus, ſine vllo reipub. ſumptu alendis, à Ximenio ſuſceptam curam. Vincerus Guiſæ Cardinali, qui apud Carolum erat, propinquitate coniunctus, menſe Iunio ad Ximenium ſalutandum Madritum diuerterat: qui totius reipub. Chriſtianæ nomine, pro ea cura & inſtituto, gratias illi egit, atq; ſponte currentem incitauit, vt tali diſciplina & rei bellicę ſtudio Hiſpanos populos in officio contineret, quo hoſtibus perpetuo eſſent formidini. Erat Vincerus militarium rerum peritus, & Maximiliano imperatori à conſiliis, qui tunc Bauariæ principatum æqua cum duce poteſtate regebat. Qua de cauſa eo tempore in Hiſpaniam 1
venerit, nihil certi quod affirmem, in epiſtolis vbi de eo agitur, inuenio: ſed creditum eſt, à Maximiliano imperatore diſſimulanter ad nos miſſum, vt quid in Hiſpania per Ximeniũ gereretur cognoſceret: aut ipſum noſtræ regionis luſtrandæ ſtudio iter tam longum ſponte ſuſcepiſſe. Illud certe conſtat, Ximenium eius præſentia impenſe oblectatum, omne genus lautitiarum, & omnem comitatem illi exhibuiſſe. Dici non poteſt, quantum hæc noui exercitus inſtitutio, ſeditioſos homines, & rerum nouatum cupidos male habuerit: qui omnem aditum ad tumultus excitandos ſibi interclusum videbant, atq; illam quam ex regis abſentia viuendi licentiam præſumpſerant, hac potiſſimum ratione euanuiſſe. Idcirco omnibus machinis & conſiliis, ſi quomodo eam labefactare poſſent, aut calumniis & criminationibus inuidioſam & ingratam facere, laborarunt. Illico hæ voces ab incertis au- 2
thoribus ſpargi ſunt cœptæ, acerbitatis & odiorum ſeminaria. Quorſum hæc inſolens exercitus forma? Quid hæc noua armorum oſtentatio? An tædebat Ximenium pacis? an homo ſanguinarius & Martem ſpirans, tantam concordiam & tranquillitatem iniquis oculis conſpiciebat? hoc vnum nempe abſente rege defuiſſe, vt populus ignobilis authoritate publica armaretur, ad nobilitatem euertendam & vaſtandam. Videret quid faceret homo ceruicoſus, & propriæ ſententiæ tenax, qui vulgo ferocis nationis tantam vim tribueret, vnde eas turbas propediem erat excitaturus, quas nulla induſtria coercere poſſet. Addebant etiam, hac militia factum eſſe, vt florentes ciuitates & ſuis muniis ea potiſſimum ętate intentæ deformarentur. & ad priſcum ſqualorem redirent, quando incultis & barbaris morib. palantes homines viuebãt. Omnes enim opifices (vt ſunt homines à laore ad libidi- 3
nẽ natura procliues) deſertis officinis in quibus ſeſe exercebant, militarib. ſtudiis intenti, id vnum tantummodo erant curaturi, quod illis licentiam quiduis faciẽdi indulgebat. Quare rebus ad vitam neceſſariis ciuitates ſenſim priuatas, tandem inopiam ſenſuras, & vix ad priſtinum ſtatum multo poſt tempore redituras eſſe. His atq; aliis ſermonibus aduerſus Ximenii conatus paſſim iactatis, Legio Burgi, Salmantica, Metina Campenſis, Areualum, Matricalium, & Olmetum, vltramontanæ vrbes, delectus qui fiebant impedire tentarunt. Sed quæ magis acri & pertinaci animo, atq; maiori cum tumultu & ſeditione, Ximenii imperio ſeſe oppoſuit, neq; à vocibus etiam petulantibus temperauit, Pintiam fuiſſe, tam Carauaialii annales, quam Ximenii epiſtolæ produnt. Nam cum Tapia Segouienſis ad dele- 4
ctum faciendum illuc veniſſet, Pintiani contumeliis affectum in vincula coniecerunt: & vt in rebus humanis fit, vbi error errori ſuccedit, ita paulatim animi eorum exacerbati ſunt vt nulla Ximenii ratione habita, ſeſe præſidiis omnibus, tãquam contra hoſtes munierint, vallum & foſſam circum vrbem duxerint, excubias etiam de nocte & vigilias fecerint, palamq; Ximenio reſtiterint, vt libertatis oppreſſori, & res pernicioſas per vim tentanti. De his omnibus quæ Pintiæ gerebantur, per aliquot ciues regii nominis ſtudioſos Ximenius certior ſubinde fiebat, ſed potiſſimum Zaratenſis & Leguizami nuntiis, qui cum Pintiani conuentus quatuoruiri eſſent, dum Ximenii mandata ſtudioſius exequuntur, grauia perpeti ſæpe ſunt coacti. Duæ potiſſimum cauſæ hanc Pintianam ſeditionem concitarunt, altera quod Antonius Rogius Granatenſis antiſtes, qui ſenatui regio præerat, aliquotq; item amici ſenatores, peculiari quadam contentione gubernatori Ximenio infeſti, quicquid 5
ab illo fiebat calumniabantur. Hi ſi quando Pintiani ad ſenatum legatos mittebant, priuata colloquia & clancularios ſermones cum illis habebant, & Ximenium tyrannum appellabant. Quod ſi hoc de viro iuſtiſſimo minus credibile legatis futurum putabant, dementem illum eſſe & temerarium, nihilque penſi in rebus habentem aſſerebãt. Ea enim omnia nulla ſenatus regii authoritate, qui rem non modo inutilem, verumetiam pernicioſam, eas militares cohortes videbat, ſed Ximenii ſolius voluntate geri. Quę cum à legatis apud ſuos nuntiarentur, animi ad Ximenio reſiſtendum augebantur. Nam virorum, qui regiæ maieſtatis aſſertores videbantur, teſtimoniis audacia confirmata effræni quadam libidine creſcebat. Non ergo ignobile documentum illud fuit: vnde quantum noceat gubernantium diuiſio,

diuiſio,& in reip. rebus tractandis priuatarum ſimultatum cauſa,diuerſas partes & ſententiam tueri,planum fuit. Altera porro cauſa ab vltramontanis regulis data eſt, qui omnem ſibi potentiam,per circumuicinam regis ditionem,in qua paulo ante regnabāt, auferri dolentes,ſimul etiam ne quid inde licentiæ ad propria oppida dimanaret timentes, aſſiduis dictis & cohortationibus Pintianum ſenatum inſtigarunt, ne vllo pacto apud ſe permitterent delectus illos ſeditioſos fieri:non enim eos ad aliud armari,quam ad reipub. vaſtitatē & perniciem. Quare ſi ſaperent,ſuis vxoribus & virginibus proſpicerent, & ſuis facultatibus & peculiis cauerent,quorum nihil tutum aut certum,inter milites armatos poſſeſſuri eſſent. Qui id maiori ſedulitate apud Pintianos egerunt, Anricus Almirantus,& Oſorius Auſturicenſis epiſcopus fuiſſe dicuntur. Habebat Almirantus Pintiæ ius ciuitatis,vbi ob antiqua & peruetuſta maiorum merita,quibus oppidum vniuerſum Almiranto deuinctū eſt,authoritatem minime vulgarem, veluti hæreditariam habet. Is cùm forte per id tēpus apud Ximenium Madriti ageret,cuius amicitiam ſemper coluit, vbi Pintiæ delectum eſſe faciendum intellexit,poſthabita amicitiæ neceſſitudine,priuatis commodis conſulendum ratus,ſe id minime permiſſurum dixit:atq; extemplo Pintiam profectus, fratribus & propinquis conuocatis,eos motus authoritate qua pollebat,excitauit. Oſorius vero,qui parum æquo in Ximenium animo erat,poſtquam à Ferdinando puero,cuius ipſe pueritiam inſtituebat,Ximenii diligentia & cura nihil ſperare potuit,ſimul etiam vicinis Pintiæ municipiis,quæ partim propinqui,partim ipſe poſſidebat timens,prætextu oppidi emendi Madrito diſcedens,clandeſtinis conciliis Pintianos etiam irritauit: quorum exemplum Burgenſes, Legionenſes,ac reliqui omnes,quos paulo ante diximus, vicinis regulis curantib. ſunt ſecuti. Hæc Ximenii animum acriter angebant: nam quamuis in ciſmontana regione omnia ex eius voluntate gerebantur,& in Bætica Hiſpalis,Corduba,Giennium,Vbeda,Beatia,aliæq; itidem non incelebres vrbes:in Carpetania vero Toletum & Madritum,atq; iis ipſis ſubiecti populi(nam Guadalfaiara Mendoziorum domicilium, eorum tunc imperio obtemperabat)In Celtiberia Seguntia,Oretum, Villenates, & Murgitani, ac tota demum trans Anam prouincia,promptiſſimis animis delectus feciſſent:quin apud tranſmontanos ipſos Zamorenſes,Taurini & Abulenſes,ciſmontanos imitati Ximenio paruerant: multi quoq; ex Campenſibus ſecuti eſſent, ac propemodum præter illos paucos, vniuerſa Caſtella:tamen quandiu Pintiani,ac Burgenſes,atq; cæteri coniurati populi in ſententia diuerſa perſiſterent,vt ſunt incerta multitudinis ſtudia, perſeueraturos Ximenius non putabat. Nam quoties aliquid quod publico imperio & authoritate iubetur,à nonnullis quamlibet paucis impune contemnitur,cæteris quoque occaſio datur, in eandem partem paulo poſt peccandi. Qua de cauſa Ximenius omnia cum Pintianis manſuete agere, & ne ſibi in re cumprimis vtili & neceſſaria impedimento eſſent admonere. Quod ſi conceſſiones regumve priuilegia,quibus ab huiuſmodi mandatis immunes eſſe iuberentur,apud ſe haberent,curarent vt in publicum ederentur:nihil enim ſe per violentiam,ſed omnia ex æquo & bono facturum. Illi tamen elatis animis,vicinorum regulorum patrocinio confiſi, nihil ex æquo velle agere reſpondent,parumq; curare quid ipſe faciat. Nam Pintiana ciuitas pro virili conatura erat,libertatem ſuam tueri aduerſus eius manifeſtam tyrannidem, donec Carolus in Hiſpaniam veniat. Porro in ea ſententia,cum Ximenius nihil ex ſummo iure agere decreuiſſet,donec quid Carolo ſederet intelligeret, vſq; in annum ſequentem durarunt. Ex Nauarra iam pacata octingentos equites accerſit,eoſq; ad Pintiam in proximis locis circumcirca collocat. Sed ne Pintiani contra ſe vocari exiſtimarent, Nauarræ recreandæ prætextu,quæ incurſionibus exhauſta erat,ad Campenſem regionem tranſtuliſſe, iactatum eſt:in qua ob rerum omnium abundantiam,annona multo erat vilior. Lupum vero per literas monet,vt regia,quam diximus facultas,hæc etiam quæ ad tumultuantes ciuitates pertinerent cōplecteretur,& primo quoq; tempore ad ſe mitteret. Rem enim ante omnes neceſſariam impediri:quam ſi regis approbatio non firmaret,neceſſe erat, vt ſuæ exiſtimationi conſuleret,gubernatoris munus deponere:quod ſe facturum non dubitaret. Porro,quoniam inuidioſæ regulorum legationes ad Carolum,& Chebrium, reliquoſque principes miſſas eſſe cognouerat,quibus delectus nouitatem, & militarem licentiam criminabantur:ad Carolum ſcribit,vt de delectibus quæ per Caſtellam fiūt,nihil grauius propter quorundam calumnias exiſtimaret: nil enim magis è reip. vtilitate vnquam in Hiſpania fuiſſe conſtitutum,vt leges ſeruarentur,& magiſtratus legum miniſtri colerentur,& regia maieſtas nulla ex parte minueretur. Nam quod maleuoli dicerent, rem eſſe nouam & inſolentem,non ob id eſſe reiiciendam. Quanquam ſi quis noſtrorum regum annales euolueret,à Gothorum temporibus ad regem Enricum quartum,longa & perpetua quadam ſerie,duo millia equitum cataphractorum apud ſe reges tenuiſſe, quos cuſtodiæ cohortem

vocabant.reperiret:vnde regiũ nomẽ terrori fuit & nihil indignũ per seditiosos vnquã est tentatũ. Postquã verò Enricus,aut animi socordia,aut potius procerũ vafritie,eã custodiã, vt parum necessariam, dimisisset illis miseriis & ærumnis, quas eius historiæ produnt implicitus, potestatem omnem amisit. Igitur morem illum aliquanto copiosiorem, quòd ita tempora exposcerent, à se reuocatum esse, quo ipse citra vllas impensas regnum auitum, quietum teneret: & hostibus formidini & terrori esset. Curaret igitur ne vllis factiosorum hominum dictis auscultaret, & se totum Ximenio permitteret cuius fidem & voluntatem tot in rebus haberet exploratam. Suam vero sententiam esse, vt ad ciuitates quæ iussis minus parentes fuerunt, literas quamprimum mittat, sic acri aceto aspersas vt posthac suas res quiete agant desinantque quidquam noui in rep. moliri, nunquam enim leue accipiendum esse, si subditi vel in re minima facere imperata nolint. Et quoniam ob bellorum desuetudinem, post Granatense & Africanum bellum rara erunt arma in Hispania, petit vt è Belgarum officinis magnam vim telorum, & thoracum ferreorum, primo quoque tempore transmitti iubeat. Persuasit fidelibus consiliis Ximenius, & omnia ex eius voto sunt facta. Vt regis mandatum cum literis quas diximus, delatum est, rebellantium populorum tumultus quieuerunt: & Pintiani, qui pertinacius & clarius resistebant, positis armis, & portis apertis, Ximenii fidei se commiserunt. Ximenius, vt illis gratificaretur, concessit vt populus Pintianus publicos quosdam procuratores haberet, qui quoties senatus cogeretur adessent: & ne quid aduersus regis, aut reip. emolumentum à senatoribus fieret, vetarent: quod si persisterent, illico regem admonerent. Hoc Pintiæ maxime necessarium esse Ximenius duxit, quoniam multi tam ex decurionibus, quam ex ciuibus primariis, Almiranto & Beneuentano familiares & clientes erant, quorum industria & consilio multa interdum parum reip. vtilia in patronorum gratiam fiebant. Plusquam quatuor millia Pintianorum ciuium chirographa de huius rei petitione ad Ximenium feruntur missa: multa item sacerdotum ac cœnobitarum, & eorum præsertim sodalium, qui delicta desertis in locis commissa puniunt, quorum sodalitas vulgo fraternitas appellatur. Hunc exitum delectus habuerunt, quibus adiutus, munus remp. moderandi susceptum, quamuis acerrimis aduersariis reluctantibus, sine reip. offensa obire potuit. Nostra ætate rex Philippus, huiusmodi delectus & cohortes Ximenias, de summi senatus consilio instaurauit, vt sibi & reip. vtiles. Nam & duces in singulis vrbibus constituit, & immunitates militibus concessit, anno huius seculi M.D.LXV. mense Octobri. Sed quoniam frustra exercitum terra parat, qui mari etiam vt sit potens non laborat, triremibus quas eo tempore resp. obtinebat, viginti adiungendas curat: atque ita classem instruxit, maritimis regionibus benigne quæ ad eam armandam necessaria erant suppeditantibus: qua à littoribus nostris hostium arma, & piratarum incursus depulit. Nam statim sub mensem Iulium, cum prope Alicantum, ad insulam non longe in eo littore sitam, quinque longas Turcarum naues classis nostra obuiã habuisset, acri prælio cum illis commisso, sexcentis hostibus fortiter occisis, fusæ captæque sunt, & ad Alicantum captiuæ remulco ductæ. Qua de re Leonis x. Pont. max. gratulationes ad Ximenium sunt missæ, animi præstantiam, & singularem prudentiam, qua in his rebus vtebatur, commendantis. Est apud me epistolæ autographæ exemplum, Cardinalis S. Mariæ in porticu, in qua hæc verba leguntur. Superioribus diebus, cum à magnifico D. Benedicto Hurtado sanctissimus D.N. literas vestræ reuerendissimæ dominationis recepisset, eumq; diligenter ac copiose, mandata quæ ab eodem tulerat exponentem audiuisset: libentissimo animo eius sanctitas intellexit, tam Christianas, tamq; dignas viro principe cogitationes, animo vestræ reuerendissimæ dominationis insistere: scilicet quo pacto & ędificari, & armamentis instrui, & continenter teneri classis necessaria posset, contra acerrimos Christi nominis hostes: summoq; opere eius beatitudo vestram reuerendissimã dominationem cõmendauit, quod ad tam egregia & gloriosa opera animũ adiecerit. Quæ vt sunt maxime principibus Christianis digna, maximeq; pro fide Christi necessaria, ita etiã non mediocre paritura sunt nomen vestræ reuerendissimę D. cui nec tenuis à summo Deo est expectanda ex hac re merces: sed quemadmodũ ex ea summũ percepit, ita etiã ei minime deesse vult, quantũ in ipsa erit, quin ad optimũ finem deducatur: vt vestra reuerẽdissima dominatio poterit explorate iudicare ex breui quod ab ea scribitur eidẽ. Inuenio etiam in epistolis, anno insequenti antiquũ apud Hispalim nauale (quod nostri Atarazanã vocãt) incuria tẽporum deformatum & neglectũ, à Ximenio instauratũ, armamentisq; iterum refectum fuisse, ne fortasse nauium apparatarum inopia, nostri ad littora conseruanda imparati essent, sed potius omnium animi ad naualia munera alacriores, vt solebant, efficerentur. Sed hanc solertis & prouidi hominis curam, posteri studio incredibili adauxerunt, tam late patentibus terris trans Atlanticum Oceanum continenter adinuentis: in quarum regio-

regionum ſemotas gentes,ne quid ad Ximenii magnitudinem deeſſet,eius quoque imperium penetrauit,atque ipſius prudentia & induſtria,rei neceſſariæ & pietatis plenæ,de Inſulanis in libertatem aſſerendis, principium datum eſt. Per hæc tempora Didacus Columbus,Oceani maris Almirantus,Madriti morabatur : qui anno anteacto, ob graues æmulorum accuſationes,à rege Catholico fuerat in Hiſpaniam accerſitus.Poſt regis autem mortem , reip. gubernatione ad Ximenium deuoluta,eius decretum & imperium expectabat. Fuit is Didacus Chriſtophori illius Columbi filius, qui magis diuina voluntate & conſilio,quam vlla hominum diligentia aut peritia,nouum illum orbem patefecit, qui tot innumeris gentibus habitatus,tot latiſſimis fluminibus irriguus, tot animantibus à noſtris diſſimilibus,tot plantarum generibus nunquam in orbe noſtro viſis refertus,tot metallis& gemmis ditiſſimus,aliis denique ſideribus,alioq; cælo ſuppoſitus,per tot annos latuerat. Igitur cum crebris,tum Almiranti,tum Inſulanorum petitionibus Ximenius compellaretur: videretq; vir prudentiſſimus,ad eas lites trans Oceanum componendas homines aliquot integerrimos mittendos,qui non tam auri & argenti cupiditate , quam religionis & reip.ſtudio ad eum laborem capeſſendum inuitarentur:nullibi eos commodius poſſe reperiri exiſtimauit,quam in monachorum cœnobiis, ſed potiſſimum Hieronymianorum, quos rei priuatæ tractandæ induſtria,& negotiorum agendorum prudentia, inter cæteros pollere palam erat.Ergo Ludouicum Figueroam,& Alphonſum S.Ioannis,illum Melioratæ apud Olmedum,hunc Ortegæ apud Burgos adminiſtrationi præfectos,& tertium cum his Bernardinum Manzanedum, qui olim magnis muneribus perfunctus, tunc emeritus erat,viros probitate & prudentia inſignes,vocari iuſſit. Habere enim ſe nonnulla reip. negotia,quæ illorum conſilio eſſent peragenda.Hoſce igitur tres, poſt multos cum illis habitos ſermones,de magnitudine rerum ad quas deſtinabantur, & communi vtilitate reipublicæ Chriſtianæ è ſua opera emanatura,ſi vt ſperabat ſe gererent, cum ſumma poteſtate ad Lucaiorum inſulas mittit,ſed potiſſimum ad Haytinam,quam alii Hiſpanicam,alii ſancti Dominici promiſcue appellant,ab vrbis nomine quam Columbus in ea condidit, quæ ſola per id tempus imperio noſtro ceſſerat,ad Almiranti & Hiſpanorum controuerſias cognoſcendas,cæteraq; omnia,quæ ad indigenarum quietem & vtilitatem neceſſaria foret, perſpicienda.Poſt diligentem vero cognitionem habitam,cuncta ex bono & æquo componenda,omni vi noſtrorũ militum & tyrannide imprimis ſublata, ſed ante omnia vt rudibus illis populis doctrinam Chriſtianam ſyncere exponerent,maximopere commendauit.Datus eſt illis comes ad ſontes puniendos,& reliqua munia obeunda, Alphonſus Suazus,ob vitæ ſanctimoniam & iuris peritiam Ximenio notus:cuius excellentem virtutem, ærumnoſum illud naufragium,quod anno eius ſeculi M.D.XXIII.apud inſulas Scorpionũ fecit,abunde demonſtrauit.Igitur Hiſpali ſoluentes,ad ſancti Dominici vrbem ſub extremum Decembrem monachi peruenerunt, Suazus vero ſub primum Aprilem inſequentis anni.Hieronymianis apud Franciſcanos diuerſari placuit:qui dum pridie natalis domini horis matutinis cum hoſpitibus Franciſcanis interſunt, eo calore ex regionis ſitu, quæ non longe à circulo æquatore diſtat,correpti ſunt,vt ſudare & æſtuare cogerentur.quo die vuæ è vitibus recens demeſſæ,atque itidem maturæ ficus primis menſis fuerint appoſitæ. Horum imperio cum multa ſint prouidenter facta,illud potiſſimum memorabile eſt.Inſulani,quos rex Ferdinandus quibuſdam qui in Hiſpania degebant,veluti patronis protegẽdos commendauerat, vnde & commendatarii vocantur,Ferdinandi actis reſciſſis, prorſus ſunt abſentibus ablati. Erat enim omnino iniquum, vt homines abſentes, otio & deliciis in Hiſpania dediti,potiores haberentur,quam fortiſſimi viri, qui poſt vaſtum mare emenſum,magnos labores in armis tolerarunt,ob religionis & Hiſpani imperii prorogationem.Itaque Inſulani veteranis militibus pro cuiuſque labore & meritis ſunt attributi.Tũc vulgo pro certo habebatur,Inſulanos iure belli ſeruos eſſe : quare non ſolum illis imperabant vt mancipiis,ſed ad onera vehenda,vt iumentis,vtebantur. Hieronymiani Chriſtiana pietate id indignum & alienum eſſe intelligentes , quamuis non omnino in prima illa cenſura opinionem inueteratam abſtulerint,tamen vt Inſulani in vicos redigerentur, atque vt oppida incolerent effecerunt. Nam prius nullum illis municipii ius, nullum coloniæ,aut priuatarum legum concedebatur:ſed dominorum tantum voluntate aut ſtabant, aut cadebant.Curatum eſt ergo,vt diuinis myſteriis, & Chriſtianæ religionis documentis per ſacros miniſtros probe imbuerentur,& tyrannica militum ſeruitute qua oppreſſi tenebantur,nonnihil liberati,quoquo modo tandem reſpirarent.Actum id fuit magnis contentionibus,& vt in rebus nouis & incertis contingit, non adeo claro & euidenti operæpretio.Nam cum aliæ Inſulanorum diuiſiones,partim per Columbum Almirantum, partim per regios miniſtros iam olim factæ eſſent,atque nunc idem per Hieronymianos no-

uam hanc tentari nostri milites intuerentur, coniectantes quod postea fuit, alias atque alias superuenturas, donec Insulani solida libertate donarentur, multi malis animis & mentibus præditi, immodicis laboribus Insulanos diuexantes, è vita tandem migrare coegerunt. Horum patrum potissimum industria artem arundinum mellitarum, totamque illam sacchari conficiendi rationem mirum in modum creuisse aiunt. Quare in Hispaniam reuersi, magno in pretio & honore sunt habiti, vt multarum rerum vtilium authores. Sed quoniam ad dulcium arundinum officinas robusta seruitia necessaria erant: nam mollia Insulanorum corpora labori cedentia prorsus fatiscebant: nonnulli ex nostris inscio Ximenio, sequenti anno à rege Carolo apud Belgas impetrauerunt, vt ex Æthiopicis mancipiis, quæ ex Nigritarum regione à Lusitanis in Hispaniam aduehuntur, quadringentos aut aliquanto plures ad nouas insulas traiicere licet. Id postquam Ximenius resciuit, rem esse perniciosam palam dictitauit: atque illico ad Carolum fucum illi factum in ea re scripsit: neque satis à Belgis animaduerti potuisse, quantam seditionis materiam & tumultus, nouis illis regionibus dedissent. Esse enim Æthiopes illos bellicis studiis aptos, neque omnino animis destitui ad egregie plerunque dimicandum. Sciret itaque scelerum ministros trans Oceanum misisse, à quibus rudes populi gladiatoriam audaciam condiscerent, & qui aduersus Hispanorum imperium seruile bellum aliquando concitarent. Neglexit prudens consilium eo tempore Carolus, aut Chebrius potius, per quem omnia gerebantur: & non tam ad reip. commodum Ximenii monita spectare existimauerunt, quam ad tacitam aliquam querelam aut dolorem, quod eo inscio ad quem reipub. cura pertinebat, traiectio illa Æthiopum esset facta. At post eius mortem, anno eius seculi M.D.XXII. in hac ipsa Dominici de qua agimus insula, quadraginta Æthiopum conspiratione, bellum seruile excitari cœptum est. Quod nisi diuina ope, atque duorum fortissimorum militum, Melchioris Castri & Francisci Abulensis præstantia, sub primis initiis repressum & extinctum esset, ingentes motus & strages edidisset. Nam cum Castri villam non longe à sancti Dominici vrbe Æthiopes primo incursu inuasissent, eamq; hostiliter deprædati, vltra animis ferocibus procederent, ferrum & ignẽ Hispanis minitantes, sibiq; alios ex conseruis adiungerẽt: Castrus quem damni suscepti dolor premebat, nõ expectato Almiranti aduentu, qui lentis itineribus, vt Castro videbatur, aduersus Æthiopes cum exercitu veniebat, vndecim equitibus, quos sex pedites comitabantur, noctes diesq; festinans rebelles seruos ad Ozoam Suazi prædiũ cõsecuti sunt, qui infestis mucronibus nostros expectabant. Sed equitũ impetu bis aut ter dispersos, atq; rursus coeuntes, tãdem fugere ad mõtes cõpulit: indeq; Almiranti aduẽtu deiecti, furcis ad vnũ suspẽsi sunt. Quod si forte Castro Almirantũ expectare libuisset, Suazi villam serui proculdubio expugnauissent, & cẽtum alios Æthiopes, qui in operis illic cõtinebãtur, sibi adiũxissent. Deinde Azuam oppidum properare, & vi captum, quod fecissent, præsidiis munire cõstituerant: indeq; bellum aperto marte dominis indicere, deque insulæ imperio cum Hispanis contendere. Sed nunc in Hispaniam redeamus: vbi cum Alebritensis Nauarra pulsus, auiti regni cupiditate teneretur, simulatq; regem Ferdinandum obiisse cognouit, occasionem peropportunam ad Nauarram recuperãdam (vt arbitrabatur) nactus, Gallicis præsidiis & militibus fretus, per valles Pyrenæorum Roncalem & Isannam instructo exercitu Nauarram ingreditur. Id non mediocriter Ximenii animũ, quamuis intrepidum & constantem, perculit. Nam rebus, propter recentem Ferdinandi mortem nondum plane vt oportebat constitutis, imperium plane exercere non poterat, & regulum aliquem in Nauarram mittere, qui prouinciam illam teneret, & Alebritensi sese opponeret. Nam Fadricus Acunius Bondiani Comitis frater, qui Nauarris eo tempore præerat, impar sane esse credebatur, ad Gallorũ impetus cõprimendos & propulsandos. Non quod animi robur, aut militaris industria ei deesset, sed vnus aliquis necessarius erat, qui patrimonii & propriæ ditionis virib. hostium ferociam sustinere posset: sed nemo sese offerebat ad rem difficilem adeo subeundã. Tãdem Antonius Manricus Naiarensium dux ad eam prouinciam tuendam sese obtulit, vir cõsilio & manu strenuus, & qui suam ditionẽ finitimam Nauarris, loco satis idoneo ad commeatus & auxilia cõparãda habebat. Id Inachum Velascum, Castellæ comestabilẽ, propter antiquas cũ Naiarensi simultates, Agramõtensium factioni timentẽ, quib. cum sibi apud Nauarros necessitudines multæ intercedebãt, male habuit. Quocirca recusationibus solenniter apud Ximenium interpositis, & impedimẽtis obiectis, adeo res protrahi cœpit, vt parũ abfuerit, quin Nauarram Alebritẽsis præoccupauerit. Quod proculdubio euenisset, nisi Ferdinãdus Villalua Placẽtinus, qui tunc tribunus militaris cũ pedestribus manipulis in Nauarra erat, incredibili vigore & præstantia hostes interea irruentes fregisset. Nam cũ eos in mõtiũ angustiis esse cognouisset, vbi veprib. & rubis, atq; præruptis saxis semitæ fallẽtes & impeditæ erãt, locorum

diffi-

difficultatibus,& suorum virtute militum adiuuantibus, Gallorum cohortes profligauit. Ex Nauarris vero omnes principes viros,qui exercitum Gallorum ducebant, Alebritensis necessarios & fautores, paucissimis exceptis qui per loca inuia euadere potuerunt, captiuos duxit. In iis fuerunt Petrus Nauarræ Marcalcus,& eius frater Didacus Vellez,qui apud Alebritensem rebus incolumib. in magna quondam æstimatione fuerat: Garri præterea,& Gamboæ,& Vicani oppidorum domini:qui omnes Ximenii iussu ad Atienzæ præsidium, arcta custodia asseruandi,sunt abducti. Inde Marcalcus,qui inter reliquos principem locũ tenere videbatur,ad Simancæ arcem translatus, vitæ captiuæ tædio, cum nihil rebus suis bonæ spei affulgeret,in grauissimum mœrorem incidens,anno M.D.XXIII. vitam exosam abrupisse ferunt. Alebritensis,qui dum Marcalcus cum Gallorum exercitu per saltus Pyrenæos in Nauarram ingredi curabat,S.Ioannis oppido,quod in citeriori Pyrenæorum radice est,per vim capto,arcem obsidebat,cum stragem suorum rescivit. Ergo Hispanum militem in arce defendenda constantem videns, spe omni abiecta de Nauarra capienda, in Galliam est reuersus, obsidione arcem liberans. Præfectus arcis à tergo recedentem vrgẽs, extremos male multauit,& oppidum receptum fossa & vallo muniuit. His de rebus Ximenius certior factus, Villaluæ per literas gratias agit, quod cum res sub nouacula esse videbantur,tam fortiter & strenue operam nauasset:& illum deinceps beneuolentia non vulgari complexus est. Quare si quid grauius in re bellica accideret, eius etiam absentis sentẽtiam requirebat. Huius consilio & persuasione, aliquot Nauarræ præsidia, & nonnullorũ oppidorum muros Ximenius diruit, vt nonnulli affirmant. Certe nil potuit aptius & vtilius pro tempore excogitari. Nam cum Nauarri regem suum omni studio restituere vellẽt, aut singulis in oppidis præsidia militaria erant imponenda,quod infiniti sumptus fuisset,& nostris littoribus noui milites quærendi ad hostes Africanos propulsandos, aut muri solo æquandi.quod factum est:sic enim indigenæ facilius cohiberi poterant,si res nouas molirẽtur:& Galli non erant in apertis vrbibus duraturi contra nostrorum vim & impetum, quẽ quotidie à munitis oppidis erant facturi. Hoc Nauarri ægerrime tulerunt, quibus miserrimum spectaculum fuit,in eorum oculis oppidorum muros euerti,& arces validas ac præsidia,quæ aliquot in locis rebus nostris incommoda habebantur,à fundamentis omnino exscindi. Nam tunc se debellatos & omnem rebellandi occasionem amisisse intellexerunt. Igitur siue à Villalua incitatus,siue suopte ingenio ductus,vt erat consilii semel probati tenacissimus,rem arduam & difficilem,dicto citius confecit. Marzilla fortissimum & arte & natura præsidiũ,altera ex parte Aragone flumine ambiente,& muris latissimis vndiq;, non sine profundis fossis cinctum,& spatiosa in planitie collocatum,sine vllis tumulis aut monticulis quibus hostes occultari,aut machinæ imponi possint,hanc cladem prudentia & virtute Annæ Velascæ euasit:quæ absente marito Falcensi Marchione, cuius id præsidium erat, mœnia ne diruerentur curauit. Nam cum Ximenius huic rei conficiendæ Acunnium præfecisset,& is à Velasca regis nomine,præsidium illud posceret,ponte ligneo sublato,aditum Acunnio negauit:& se optimam præsidii custodem,donec Carolus rex aliud iuberet, futuram proclamauit:quare Acunnius infecto negotio discessit. Datus est locus Ximenii æmulis obloquendi,quem præcipiti & temerario iudicio, siue potius animi furore, ad res perniciosas patrandas actum esse dicebant. Accedebant Nauarrorum querimoniæ oppida sua deformata contemplantium,quæ non secus ac trunca cadauera iacere dicebant. Onerabatur etiam violatæ religionis calumnia: cui non satis fuisset vetustis & nobilibus oppidis eam cladem intulisse,nisi etiam sacram diuo Francisco cum cœnobio ædem, multos per annos religiosissime ab indigenis veneratam,quæ apud Olitum oppidũ erat,solo quoq; vt cætera exæquasset. Tot denique ea de re ab inuidis & maleuolis,in peiorem partem cũcta rapientibus,sunt iactatæ calumniæ,vt post Ximenii mortem,colorem aliquem quærentes ad pecuniam Vzedanam occupandam,eam dixerint rege iubente intercipi ad Nauarræ mœnia instauranda. Sed hæc omnia euanuerunt,& quantum ea Ximenii prouidentia vtilitatis & quietis attulerit,suis primum temporibus cognitum, qui eo admirabili stratagemate Gallum coercuerit,& postea eo mortuo, populis in Hispania seditiones concitantibus,prorsus Nauarra ad Gallos defecisset,nisi murorum præsidio destituta,nihil noui moliri ausa esset. Audiui aliquando Nauarros aliquot primarios viros de hac re disputantes, quib. Ximenii factum partim laude,partim reprehensione dignum videbatur. Nã Tafallã, Olitum,Tudellã,& si quas alias ad Aragoniæ atq; Castellæ confinia sitas,& à Gallis semotas,potuisse saluas manere,quæ facili opera à nostris defendi poterant. Et quanuis Pompelo vrbs Nauarri regni caput, quam vnam Ximenius & præsidio militari firmandam, & muris,& fossis muniendam curauit, in potestatem hostium venisset, hinc nostri resistere & hostes profligare potuissent. Non enim aliam ob causam Viannæ præsidium, quod

non longe à Lucronio est, incolume esse relictum affirmabant. At Lubierum, Mendígurriam, Hirundinanzum, aliquotq; item in eo situ arces, prudenti quidem consilio dirutas, quod nimirum Pyrenæis montibus vicinæ facile capi ab hostibus poterant, nec tam paratis auxiliis defendi. Sed nonnulli qui in sermone aderant, mihi postea declararunt, hos Viamontensis factionis odio, harum quas diximus euersionem collaudasse, quod Viamontensibus dominis parerent: illarum vero quod Agramontensium possessiones essent, quorum illi partes tuebātur, culpasse. Nam in has duas factiones, Nauarræ regnum odiis admodum inueteratis diuisum esse, res notior est quam vt in ea declaranda immoremur. Non multo post Alebritensis fatis concessit, non sine suspicione veneni, Gallorum rege, post spem Nauarræ capiendæ depositam, ne assiduis Alebritensis flagitationib. vexaretur, cui se obnoxiū esse videbat, id procurante. Sub idem tempus Ferdinandus Villalua, XI. Calend. Augusti, domum ad prandium reuersus, subito quodam stupore sensuum correptus, quem apoplexiam medici appellant, in gremio vxoris animam efflauit. Creditum fuit, & hunc veneno interiisse. Nam ob consilium de muris diruendis Ximenio datum, maximo odio apud Nauarros laborabat, Ximenius rerum ab eo gestarum memor, Stellæ oppidi in Nauarra percelebris præfecturam, atq; cum ea arcis custodiam, & vrbis Placentinæ decurionatū, quæ singula regis Ferdinandi beneficio Villalua obtinuerat, in eius filium transtulit. Quod vt ratum & immotum haberetur, ad Carolum scripsit: & inter alia regum nostrorum eā semper consuetudinem memorabilem fuisse dicit, vt quę inclytis factis beneficia parentes meruissent, ea quoq; illis decedentibus ad eorum filios transferrentur, præsertim si dum regi seruirent morerentur, quod Ferdinando Villaluæ contigerat. Nam ita homines alacriores ad munera commissa fidelius obeunda redduntur, si suæ quoque virtutis præmia ad liberos esse transferenda intellexerint: quos naturali quodam affectu quam maxime ornatos, & prouectos cupiunt. At cum ea quæ diximus Ximenius filio contulisset, tribunatum conferre noluit. Erat enim in hac sententia, vt militares tribunos (quos Coronellos appellari diximus) ab exercitibus crederet auferendos: quoniam multorum dominiū ab omnibus merito damnatum, in exercitum inducebatur. Pręstare itaq; vnius imperio cuncti obtemperarent, quam in tot tribunos potestate diuisa, impensę, tumultui, atq; demum inobedientiæ locum dari: cuius ille rei magnam in bello Oranico experientiam ceperat. Erat Villalua corpore valido & compacto, nec minus manu quam iudicio strenuus. Altero oculo dum gladiis exercetur, ab aduersario orbatus esse fertur, quod viris fortibus, veluti fatale quiddam esse nonnulli arbitrantur. Aiunt, Romæ Villaluam bis eodem die singulari certamine pugnasse, atque victorem in vtroq; pronunciatum. Nauarrorum ergo motibus nondum sedatis, literæ quædam arcanarum notarum, quas Lusitanus veredarius ad Gallū deferebat, per Salsitanæ arcis custodem interceptæ, minime quidem negligendum esse quod Lusitanus moliebatur, declararunt. Agebatur de sponsalibus & fœderibus ineundis in nostri imperii damnum & offensam. Præteriisset veredarius, nulla facta literarum exploratione, si, postquam Perpennanum transiuit, epistolam quam ad illius præsidii custodem afferebat, rupisset. Nam Salsitanus aliquid monstri ali ex non redditis literis suspicatus, integrum fasciculum ad Ximenium misit. Accidit autem vt ille Compluti tunc esset: quare fasciculus Adriano Cardinali, vt gubernationis participi, est traditus, paulo ante solis occasum: qui rei grauitate (vt par erat) commotus, vt ad Ximenium statim properet, & sine mora literas in manum tradat iubet. Multa iam nocte nuntius Complutum venit, & vt Ximenius à somno excitaretur curat: afferre enim se negotia magni momenti, & quæ dilationē ferre nequeant. Ille vero literis perlectis nulla vultus aut vocis mutatione, præterquam quod nonnihil molestiæ propter intempestiuum hominis aduentum cepisse, præ se ferebat. Renuntiato (inquit) Adriano, me operam daturum, vt incommodis, quæ imminere videntur, obuiam eatur. Deinde ad Carolum regem de omnibus diligenter scripsit: & quid deinceps Lusitanus gereret, per exploratores solicite obseruabat: atq; Aialæ Fonsalitano apud Lusitanum oratori, vt eum de omnibus quæ illic dicerentur, aut fierēt, magno studio certiorem faceret monuit. Id Fonsalitanū accurate fecisse Ximenii epistolæ declarant. Dum hæc gerebantur, lites sunt compositæ inter Velascum & Manricum, qui ad pręfecturam Nauarrorum obeundam præclaris conditionibus est profectus. Multum id rep. iuuit, & bonam Ximenio occasionem obtulit, alia negotia ex dignitate administrandi. Cōplura sunt quæ Naiarensis præclarissime gessit, dum Nauarrorum regionē à Gallis tutatur, sed illud in primis memorabile, quod ad Carolum Ximenius scripsit: sic enim fiet vt ingenia Gallorū cognoscantur, & quantum intersit viros magnanimos, nec auaritiæ morbo laborantes, prouinciis præficere, intelligamus. Lethēsis regulus, qui in Gallia Aquitanica principatum tenet, ad Naiarensem scripsit, vt ad se fidum aliquem hominem mittendū curet: habere

habere enim, quæ iure boni vicini nuntiare vellet, non sine magno eius commodo. Missus est Gonsaluus Pizarrus centurio, ob bellicam virtutem Naiarensi carus, illius Francisci Pizarri pater, qui Perhuanam ditissimam regionem post subactum à Cortesio Megicum, nostris patefecit. Ergo Lethensis, post longum cum Pizarro sermonem, vt Naiarensi renũtiet maxima fide & taciturnitate commendat, se illi, Galli regis nomine, triginta millia coronatorum, aliaq; neutiquam reiicienda munera daturum, modo Gallis dissimulanter faueat, aut saltem, ne omnino se Alebritensi aduersarium ostendat: cui pro antiqua vicinitatis necessitudine ad recuperandam auitam possessionem, è qua per summam iniuriam deturbatus esset, omnis fauor aut dissimulatio officiosa debebatur. Pizarrus mirari se dicit, quo pacto id rex Gallus esset præstaturus, qui fidem fregisset, quam non ita pridem Hispano dedisset, de pace seruanda. Lethensis, adhuc (inquit) Pizarre ignoras, nulla re melius, quam iurisiurandi religione contempta mortales falli? An tibi leuia esse, aut toleranda probra videntur, quibus Gallos Hispani quotidie afficiunt, & non quauis ratione vindicanda? Quæ postquam inter se collocuti sunt, atq; de homine mittendo, qui responsum à Naiarẽsi referret, conuenisset, in Nauarram Pizarrus est reuersus. Vt Naiarensis hoc resciuit, non mediocriter se esse offensum existimauit, quod de proditione à Gallo esset appellatus. Qua re grauiter est minatus in nonnullorum conspectu, ita vt posset ad Lethensem dimanare, se sceleratæ legationis internuncium, aut infami suspendio puniturum, aut catenis constrictum ad Ximenium missurum. Ad Pampelonis custodiam Ferrera quidam Aragonius per Ferdinandum regem designatus fuerat, à cuius vrbis defensione totius Nauarræ asseruatio pendere videbatur: hæc etiam vt ad Naiarensem pertineret Ximenius omni studio cõtendebat. Quare ad Carolum scripsit, Aragoniis & Nauarris ob veteres iam olim inimicitias & discordias, male conuenire, & se in hac sententia esse, vt Ferrera Pampelone dimoueatur, & vir aliquis è Castellanis tam nobili vrbi præficeretur, qui Nauarris esset gratior: alioqui merito timeri posse, ne Nauarris cicatrices nondum obductæ recrudescerẽt, & res nouas cogitarent. Ferrera hac de causa Pampelonis præfectura se abdicauit. sed cui tradita fuerit, certum quod affirmem non habeo: certe Naiarensi tradita non est. Nauarrorum prouincia Ximenio rempublicam capessenti satis negotii facesserat, cuius tranquillitati probe consultum fuerat, Naiarense rebus præfecto: sed, vt imperiis recenter partis solet euenire, nouæ subinde difficultates suboriebantur. Supremus Nauarræ senatus ad quem totius regni moderatio pertinet, pari ex vtraque factione senatorum numero (in tot enim regnum Nauarræ diuisum esse diximus) more maiorum constare oportebat. Is autem qui princeps senatus deligebatur, quem illi regentem, nos præsidentẽ appellamus, in quo maximum momentum ad res gerendas inest, quoties ex factione Agramontensi erat, Viamõtensibus omnino iniquus, eorum commoda multipliciter lædebat: tantundem etiam, si Viamontensis præses erat, in aduersarios designabat. Quamobrem Ioannes Alebritensis Nauarræ quondam rex, atque post eum, Nauarra subacta, Ferdinandus Catholicus, præsidem externum, Senatui esse proponendum decreuerunt: qui conuentu publico celebrato, communibus crearetur suffragiis, vt leges patriæ iubent. Hoc sub illis regibus Nauarri tolerarũt. Sed Ximenio rẽp. moderante, Belgarũ principũ fauore & auxilio vsi, vt Caroli voluntate ad priscam consuetudinem reuocaretur, magno studio contenderunt. Id cum Ximenius ex amicorum relatione cognouisset, ne id Carolus permitteret, multis causis in medium adductis effecit: addens etiam, nulla in re Carolum, aut Ioanne Alebritensi, aut Ferdinando auo inferiorem esse, vt eo imperium adepto aliquid Nauarri licentius conarentur. Emersit aliud grauioris curæ, de Cardinale Alebritensi in Pompelonis Pontificatum, quo pulsus fuerat, restituendo. Nam vt id per Ximenium fieret summus Pont. contendebat, aliquotque etiam ex purpuratis patribus. Consuluit ea de re Naiarensem Ximenius: cui ille nequaquam reipub. conuenire respondit, hominem alienissimum prouinciæ prouentibus in nostrorum caput armare, vnde proculdubio motus perniciosi erant emersuri. Quare consultius sibi videri, eam pecuniarum summam militibus alendis tribuere, ne prouincia exactionibus vexaretur. Et hæc quidem de Pontificatus restitutione, pro sua in regem fidelitate sentire, Nuuardanensem vero arcem, quæ ad Antistitis Pompelonensis curam spectat, quanuis tunc Cæsaraugustani Archiepiscopi diligentia viro probo demãdata erat, diruendã cẽsebat, aut sibi custodiẽdã tradi: ne si casu in Alebritẽsis potestatẽ veniret, incõmoda quæ experti iã fuerãt, renascerẽtur. Vtrũq; ex Naiarẽsis sentẽtia factum fuit, tam felici & strenua cura, vt Nauarrorum negotia, Ximenii animum ab aliis rebus tractandis, post hæc non auocarint. Postquam externi motus conquieuere, intestini continuo sunt exorti. Nam cum Malacitani iam olim cum Anrico Almiranto de iudiciis mari-

timis exercendis contenderent, post regis catholici mortem, qui Anrico cognato patrocinabatur, occasionem nacti, tribunal, furcam, & quicquid huiusmodi potestatis insigne, in ora maritima ille retinebat, inconsulto Ximenio, neque vllam Senatus regii sententiã expectantes, apud quem causa tractabatur, demoliti per tumultum sunt. Nam Castellæ Almirantus, vetusto quodam maiorum instituto, oræ maritimæ & naualibus præliis præfectus est, & ius in nauticos homines habet. Quod si quid controuersiæ naueleris inter se, aut cum vectoribus accidit, eius consilio & iudicio dirimitur. In cunctis ergo maritimis regionibus, & locis portuosis, atque rerum commerciis frequentibus, quales Hispalis & Malaca sunt, furcas & iudices constituebat. Id illi indignum, & contra publicam disciplinam esse proclamabãt. Nam cum semper ad eas vrbes propter maris opportunitatẽ, homines moribus corruptis confluãt assidueque noua flagitia pãtrent, quoties per publicos lictores in ius vocabantur, Almiranti tribunal appellabant, ad quem eorũ cognitionem dicebãt pertinere: quare pœnas frequenter euitabant, quas alioqui sub iudicibus regiis erant daturi. Accedebat etiam, quod militares cohortes, quæ ad maritimam oram tuendam in his locis sunt, si quando ob aliquod crimen erant puniendæ, nunc ad Almiranti nunc ad regis tribunal cõfugientes, iudicia eludebant. Quamobrem maritimi incolæ, vt tam grauia incommoda euitarent, hanc Almiranti potestatem prorsus tollere, & euertere studebãt. Sed ante omnes Malacitani in Almiranti iudices tumultuosissime inuecti, omnem potestatem illis ademerunt. Almirantus grauiter apud Ximenium vim & contumelias conquestus est: qui acriter Malacitanos per literas obiurgat, & vt à violentia abstineant, iubet. Quod si quid aduersus Almirantum habeant, ius esse & iudicia. Quod si potestatem aduersarii verebantur, se aduersus regulorum potestatem populorum assertorem & vindicem, quantum per leges liceret, futurum. Malacitani paucis quibusdam ciuibus credentes qui eos ad tumultus ciẽdos missis ad Belgas criminationibus inducebant, authoritatem Ximenii contempserunt: & se nihil ex iudicio cum Almiranto, donec Carolus aduenier, acturos respondent: à quo mandata habebant, vt suo iure interdum vterentur: moremq; illum tyrannice inductum, à littoribus suis depellerent. statim vniuersam multitudinem ad defectionem incitantes, ciuitatem in armis esse iubent. Sed ne quid hostile Ximenius tentaret, tormenta & machinas bellicas, per vrbis mœnia dispositas, ad omni conatu resistendũ apparارunt: idq; tanta contentione & ardore, vt singuli ciues plurima vasa ærea in vnũ congregantes, ingens tormentũ conflauerint, hoc titulo superscripto: MALACITANÆ LIBERTATIS ASSERTORES F.C. Augebant animos eorũ, epistolæ quædã à Belgarũ procerib. missæ, quib. vt in libertate sua tuenda perstarent monebantur, se enim apud Carolum effecturos, ne eis fraudi ea rebellio esset. At Ximenius quem inter cæteras occupationes tranquillitatis publicæ cura in primis solicitabat, Antoniũ Cueuã, Atratæ oppidi dominũ, virũ bellicis studiis clarum, delectu ex publicis militib. momento tẽporis facto (hic enim primus, militiæ institutæ fructus gratissimus Ximenio fuit) cũ sex millib. peditũ, & quadringẽtis equitibus aduersus Malacitanos mittit. Illos primũ vt regiis mãdatis obediãt per feciale moneret, mãdat: q; si rebelles imperata facere noluissent, tũc vt in reipub. hostes sæuiendũ esse, & vrbe capta factiosos puniẽdos, & ciuitatẽ ad solitã quietẽ reducendã. Procedebat magnis itinerib. Cueua, iamq; ad vrbẽ Antequerã venerat, quam nonnulli Singiliã esse putant, & bidui itinere à Malaca distat. Sed Malacitani consiliũ mutantes, & fortunis suis consulẽtes, cũ Almiranto iure agere, totamque rem ex Ximenii voluntate quem iusti amantissimum esse nouerant, transigere decreuerunt: nam plebs vniuersa rerum omnium egestate premebatur, Duos ex sua ciuitate iurisperitos ad Antonium Cueuam legatos mittunt, qui ne vltra in armis pergat supplices deprecentur: se enim paratos esse ad Ximenii mandata exequenda: quem nunquam permissurum (qua est religione) sciebant, vt Malacitana littora ab Almiranticorum iudiciorum ministris, tanquam à prædonibus miserrime infestarentur. Certiorem de omnibus Ximenium Cueua facit: ille vero quandoquidem ita animati essent, iubet vt sine sanguine negotia componat, omniaque illis polliceatur iubet, quæ salua regiæ personæ qua sustinebat celsitudine, tolerari & condonari possent. Quinque tantummodo punitis, qui seditionis authores fuerant, cæteris publice venia est data. Ad Carolum Ximenius eam ciuitatem ex sententia sua, absque ferro & cædibus pacatam esse scripsit, serius tamen ob Belgarum literas, quibus Malacitani fidebant, vt quiduis audere & sperare possent. Quarum literarum exempla ne vanum esse quod à se dicebatur arbitraretur, cum suis mittebat: vnde etiam illud intelligere posset, multum damni reip. creari, si res magna diligentia & consilio prouisæ, facile à suis Belgis irritarentur. Belgas enim tam longo spatio ab Hispania semotos, parum quid nostris conducat nosse. Quare (inquit) si meæ authoritati

ritati profpexeris, cui tua etiam hac in parte coniuncta eft, mirum in modum remp. iuuetis, quæ fola exiftimatione & authoritate gubernatoris femper ftetit. Tunc etiã Velafquides Cuellar, rationum regiarum præfectus, & quæftor maximus, Guterii Velafquidis iurifperiti filius, Mariæ Velafcæ vxoris fuafu Areualum Vacceorum municipium per vim occupare conatus eft. Eius oppidi ditio attributa fuerat Ioannis fecundi regis vxori poft mariti mortem. Porro Guterio Velafquidi viduæ reginæ cura eft demandata, & fimul arcis Areualenfis cuftodia, quæ poft eius mortem ad Ioannem filium deuenit. Tunc vero Caroli regis iuffu, Areualum, Vlmetum, Matricalium, fanctam Mariam niueam, cum horum municipiorum territoriis, Ximenius Germanæ reginæ tradiderat: quibus quandiu viueret, vti frui liceret. Nam cum Ferdinandus catholicus teftamento cauiffet, vt triginta millia nummum aureorum Germanæ reginæ, ex Neapolitana regis pecunia fingulis annis penderẽtur, & illa in Hifpania diuerfari maluiffet, vifum eft Carolo, de Ximenii confilio conditionem accipiendam effe, vt quæ multo honeftior & vtilior effet. Id cum Velafquides agi cognouiffet, fe Areualenfis arcis præfectura, quam fibi & pofteris in perpetuum acquirere meditabatur, ea ratione deiiciendum animaduertit. Quare cum Maria Velafca vxore negotio communicato, clam Areualum proficifci inftituit, & oppidum præfidiis militaribus munire, vt nullo vnquam modo Areualum in Germanæ poteftatem veniret. Fuerat Velafca reginæ intima, fed tunc ob priuatas rationes illam peffime oderat, vnde Velafquidem maritum, ne id permitteret, vehementer inftigauit. Accedebant ad hæc aliquot regulorũ cohortationes, qui Germanæ reginæ res male procedere cupiebant: Velafquidi vero optimo & ornatiffimo viro, atq; quibufdam illorum affinitatis propinquitate coniũcto omnia bona optabant. Quare ad hoc confequendum, fauorem & auxilium pollicebantur. Ximenius qui non tam illum propria voluntate, cuius integritatem & placidos mores iãdiu nouerat, quam vxoris fuafu ad eam rem incitari videbat, primum literis, & amicis per internuntios fermonibus, deinde regiis epiftolis, quas è Belgio ad eum beneuolentiæ plenas, dãdas curauerat, reuocare à propofito laborauit: minas etiam interpofuit, de reipublicæ iniuriis vindicandis, fi minus dictis pareret. Sed plus apud Velafquidem ponderis habuerunt affiduæ vxoris obiurgationes, & Almiranti promiffa, quam Ximenii humanæ & vtiles monitiones. Nam eo ipfo tempore Almirantum ad Areuali muros acceffiffe certum eft, & municipii primarios viros ad fe vocatos dictis grauiffimis monuiffe, ne fibi ipfis vllo pacto per ignauiam deeffent, nec vllo modo à ditione regia ad muliebre imperium, & impotentiam transferri paterentur, eiecto Velafquide, cuius manfuetudinem & lenitatẽ nouerant; præfertim rege abfente, qui fi omnium incommodorum, quæ ex hac re fuborietur, certior factus effet, longe aliter regnis fuis confuluiffet. Quibus etiam, vt magis ad refiftendum Ximenio confirmarentur, literas nonnullorum regulorum, puta Velafci comeftabilis, Pimẽtelli Benauentani, Mendozii Guadalfaiarenfis, propriis chirographis notatas oftẽdit, quibus liberos fuos cum militaribus copiis, ad Areualenfes protegendos fe miffuros promittebant, fi quid violentum, aut hoftile à Ximenio tentari animaduerterent. His dictis permultum animati, Velafquidem vt in fententia permaneat adhortantur: fe enim potius fortunas & vitam amiffuros, quam fuftineant vt fua libertate fpoliati, alterius quàm regis poteftati tradantur. Ergo Ximenio omnia prius experiri cupiente quàm ad arma effet veniendum, multos menfes ea Velafquidis contentio durauit. Quam cum nulla tandem mitiore ratione finiri poffe videret, Cornelium quatuoruirum cum armatis cohortibus ad Areualenfes comprimendos mifit. Is pro Areuali portis confiftens, per præcones inclamari publice iubet, fi ftatim regiis mandatis parerent, contumaciæ & læfæ maieftatis veniã fe polliceri: fin praui propofiti tenaces perfifterent, bellum cruentum, vt eorum infania merebatur, illis indicere: & contumeliam reipublicæ illatam, multis damnis effe vindicaturum. Velafquidi vero defectionis authori proditionis infamiam denunciare, quæ ad liberos genufque fuum, vt fempiterna turpitudo deriuetur: & eius infuper bona vniuerfa profcribere & publicare: fe enim pie & iufte legatum venire, è quatuoruiris regiis vnum, ad eam controuerfiã dirimendã. Id cũ aliquot dieb. quæ ad eam clarigationẽ folennes funt feciffet, cum neque Almirantus, neque alius ex regulis quos commemorauimus, auxilium Velafquidi ferre, aut clientes fuos, vel copias mittere, vt promiferant, aufi fuiffent: tandem ille ad feipfum rediens, & malis quæ interim familiæ fuæ acciderant, & rebellionis tædio fatigatus, militibus quos ad Areuali præfidium congregauerat dimiffis, Cornelio fe dedere neceffarium effe duxit. Referantur extemplo Areuali portæ & maxima totius populi acclamatione Cornelius quatuoruir in oppidum recipitur, cui arcis præfecturam, iuxta regia mandata, obtinendam tradidit. Tunc fi quando alias, claro exemplo & manifefto documento innotuit, quantum momenti regis nomen in

Hiſpania teneat, modo comites ſecum habeat, prudentiam & magnanimitatem, quæ in Ximenio inueniebantur. De his omnibus ad Carolum Ximenius ſcripſit: & ne ſibi aduerſus omnes pugnandum eſſet, ipſius priuatim literis Almirantum cumprimis comprimendum eſſe monuit: nam vbique, ſed in Hiſpania præcipue, omnia exemplis conſtare aiebat. Porro, obedientiam quæ regibus debetur, rem eſſe fragilem, niſi adſit timor quidam & reuerentia: iam enim per omnes angulos iactari, regi Almirantum opponi in Areualenſium immunitate protegenda. Quæ cum probe Carolus conſideraſſet, omnia ex Ximenii voluntate confecit. Venit ſub menſem Iunium ſequentis anni ad Ximenium Velaſquides, quem inter cæteras calamitates, filii Guterii Velaſquidis mors, qui maior natu, ſucceſſioni deſtinatus, ineunte Februario obierat, non mediocri dolore afflixerat: ſeq; & omnes fortunas ſuas, eius fidei & humanitati commiſit. Ille vero miſerum ac ſupplicem, qua melius potuit ratione ſeruauit: & ſe apud regem ſua negotia & ſalutem, non ſecus atq; hominis amici & neceſſarii, curaturum pollicitus eſt: de qua tunc ſane non laboraſſet, ſi eius fidis adhortationibus potius, quam aliorum vanis conſiliis obtemperare maluiſſet. Ergo Madriti expectare iuſſus, omnibus in rebus Ximenio adeſſe, nihil ſuperbum aut elatum oſtentare, quæſturæ ſuæ munus exercere, ſe regi obſequentem præſtare, & omnia ſobrie admodum & modeſte agere viſus eſt. Dum hæc geruntur, morte paulo poſt præuentus fuit. Quare votorum compos, id Ximenio ſedulo curante, fieri non potuit. Veneni propinati ſuſpicio, propter præproperum eius obitum (vt ſunt ſiniſtra mortalium iudicia) oborta eſt, ſed quæ inter prudentes temeraria & inanis ſit habita. Nam quod aliud præſentius venenum, quæve lues peſtilentior, aut grauior, quam tot moleſtiæ in Areualenſi rebellione deuoratæ? Tam fallax amicorum ad eam inſtigantium patrocinatio? Anxius & incertus in capitis periculo euentus? qui quoties animos mortalium ſolicitat, dici non poteſt, quam acerbe diſcruciet. Acceſſit filii hæredis, quem dignitatibus & opibus ornauerat, mors immatura: qui fecialis maximi, quem nos præconem dicimus, ſacro magiſtratu, & Membrillana commendataria præfectura per regem Ferdinandum donatus, atque patris Velaſquidis pecunia Vaquerrili oppidi poſſeſſione adauctus, gradum ſibi ad ampliores dignitates & opes parauerat. Cæterum Velaſquide mortuo, Ximenius multo diligentius à Carolo contendit, vt vxoris & liberorum commodis proſpiceret, quos omnino deſtitutos videbat, ni ſolita regiæ celſitudinis beneficentia, domus viri optimi, deque rege ipſo benemeriti ſubleuaretur, conferendo in adultos filios, quæcunque pater à rege beneficia ſuſcepiſſet. Nam ſe iudicii ſui teſtimonium Velaſquidi dare, ante ſeditionem Areualenſem, ad quam partim vxoris iurgia, partim regulorum ſuaſiones reluctantem & inuitum perpulerant, optimi & præclari ciuis documenta ſemper dediſſe: poſt ſedatum vero tumultum ſumma fide munera regia, quibus eſt præfectus, obiiſſe, & præſto quoties reipublicæ vſus poſcebat ſibi fuiſſe. Solebat autem Ximenius huiuſmodi teſtimonia rariſſime cuiquam præſtare. Res vero Areualenſes, quæ Velaſquide ſublato, in Germanæ reginæ poteſtatem protinus conceſſuræ videbantur, meliorem libertatis aſſerendæ, Ximenio vindice, occaſionem habuerunt. Nam cum Germana in mariti defuncti gratiam, Ferdinandum puerũ, atq; adeò diuerſam factionem complecteretur, Ximenius de Areualenſium, & Vlmetanorum immunitate ſeruanda apud Carolum agere cœpit. Neq; enim tutum eſſe, antiqua & valida municipia loco commodiſſimo ad offendendum poſita, inquietæ mulieri concedere. Et vetus verbum in Hiſpania eſſe, qui Vlmetanis & Areualenſibus potiri poſſet, totius Caſtellæ dominum futurum eſſe. Idque non ſolum ex noſtris hiſtoriis, ſed viuentium etiam memoria, ne rem admodum vetuſtam ſe afferre putet, comprobari poſſe: qui Ioannem Nauarræ regẽ, hac potiſſimum fiducia, quòd Vlmetum ditionis ſuæ eſſet. Ioanni II. Caſtellæ regi bellum toties indicere auſum meminiſſent. Nam reginæ commodis è teſtamẽto Ferdinandi ſatis conſultum eſſe, Matricalio celebri oppido cum circumiacente territorio, pro Neapolitana commutatione dato: cuius animum iam ipſe pertentauerat, & optimis rationibus effeciſſe, vt ſibi ſatis eſſe factum credat. Nec ſententiã mutaſſe videri poſſe, quanuis nuper Velaſquide viuo, ea oppida reginæ condonanda cenſebat. Tũc enim Caroli regis litteras ad ſe totius negotii inſciũ fuiſſe delatas, quibus Areualũ, & reliqua quæ diximus municipia, vt reginæ traderet iubebatur. Quòd cum Velaſquides impedire conaretur, ſe omni tandem ratione effeciſſe, vt Caroli mãdata ſacroſancta eſſent. Nũc verò cum & Velaſquides vltro paruiſſet, atq; è viuis eſſet ſublatus, omniaq; ea loca à regiis miniſtris cum præſidiis tenerentur, ſententiã ſuam apertè declarare: & pro regia quã ſuſtinet perſona, quid ſit factu vtilius conſulere. Præſertim cum Areualenſes & Vlmetani, vetuſta regum priſcorum priuilegia, ſed potiſſimum Ferdinandi quarti, quẽ à Carauaialis fratribus ad diuinum tribunal vadatum apud Giennium obiiſſe aiunt, in ſcriniis publicis ſeruent, quorũ exempla ad eum

mittebat,

mittebat, in quibus propter antiqua eorum oppidorum merita, magnæ ad hoc pertinentes immunitates conceſſæ ſunt. Viſa ſunt Carolo ea omnia, quæ à Ximenio ſcribebantur, regiis rationibus perquã neceſſaria. Quare vt ipſe quę eſſent vtiliora proſpiceret, reſcripſit: ſe enim rata habiturum omnia. Interea regina quorundam conſiliis in diuerſum mutata, clam Ximenio Vlmetanos ſolicitat, vt ſe eius imperio ſubiiciant, mitius multo ſub fœminea lenitate, quàm ſub alterius poteſtate experturi. Sed cùm illi vnanimes repugnaſſent, rurſus Ximenium, vt priorem conditionẽ iuxta Caroli mandata exequatur, petit: dummodo manum aliquam militarẽ aduerſus Vlmetanos repugnantes mittat; ſibi enim ingentem fraudem fieri, dum rem altius conſiderat, ſenſiſſe, ſoli Matricalenſis collatione. Adaugebat hac in re Germanæ animum legatorum Belgarum conſenſus: nam iam quoque Laxaus Adriano quoque ſocius venerat, qui vt erant iuxta gentis ingenium, ſimplicioris cuiuſdam naturæ, atque rerum noſtrarum ignari, facilè dictis aliorum mouebãtur: & magis Ximeniũ natiua quadã ſeueritate, quàm rei ipſius animaduerſione ad ea omnia impedienda concitari, arbitrabantur. Ille tamen propoſiti conſtans, in re parum neceſſaria non multum eſſe laborandum ſtatuens, placidis reſponſis tempus eximebat. Et quoniam Carolum & Belgarum principes querimoniis aſſiduis regina fatigabat, vt eæ parum curarentur, ſibique vni eius rei exequutio mandaretur, admonebat. Nam quanuis Germana indignata Galliã petere deſtinauiſſet, multo minus offenſæ, aut damni ex quouis loco inferre poſſe, quàm apud nos inter factioſos agens, & fomenta ſeditionis miniſtrans. Itaq; res Areualenſes & Vlmetanæ in Caroli aduentum dilatæ ſunt. Non minori moleſtia Ioanna regina Caroli mater, morbo duriſſimo conflictans, Ximenii animum afficiebat: ea enim (vt diximus) atræ bilis commotione miſerrimè vexata, Turdeſſilis Vacceorum oppido vitam difficilem tranſigebat: vbi pater Ferdinandus, loco certè amœno & peraccommodo, ſedem ægrę & dolenti dederat. Ludouicus Ferrerius Valentinus, qui eius curæ & cuſtodiæ præfectus erat, aut ſenectutis vitio ad res exequendas tardus, aut ignarus quo pacto grauem reginæ morbum tractaret curaretve, nunquam ab illa obtinere potuit, vt ex obſcuris & tetris cubiculis, quæ morbum contumacem inſigni offenſione adauxiſſe credebantur, ad lætiora & luminibus renidentia, atque auris ſalubrioribus afflata, habitationem mutare vellet. Lecto molli, & blandis lodicibus, qualibus reginæ vtuntur, ſomnum capere prorſus recuſabat. Humi, aut tabulis, in ſummam obſecrantium gratiam, deſuper ſtratis cubitare, deliciæ magnæ erant. Hyeme rigente, veſtes pellibus pretioſis ſuffultas, aut alio quouis modo ad temporis iniuriam propulſandam munitas, pertinaci ſententia auerſabatur. Triduo omni cibo & potu perſæpe abſtinebat: neque vllis familiarium precibus ad eſcam ſumendam adduci poterat. Nonnunquam quod regni gubernaculis priuata, in illa cuſtodia aſſeruaretur, conquerebatur. Doluit Ximenius reginæ vicem, & vt rei iuxta honeſtæ & piæ nõ deeſſet, cum ex Ludouici cuſtodiis negligentia, tantum incrementi morbum reginæ ſuſcepiſſe pro certò haberet, Ludouico Ferrerio iam ætate graui, vacationem laborum conceſſit, & in eius locum Fernandus Ducas cognomento Strata, Talabricenſis ciuis ſubrogatur. Hic illuſtri loco natus, & rerum prudentia & induſtria valens, dum efferatum fœminæ animum arte quadam perapta tractat & demulcet, tandem effecit, vt cubiculo prorſus expurgato, & labris fictilibus, quibus carnes in prandium & cœnam afferebantur, eiectis, ad humanitatem priſtinam rediret. Nam cum huiuſmodi vaſa quotidie menſis apponerentur, nulla efferri patiebatur: vnde putreſcentibus obſoniis, teterrimus odor ſentiebatur. Quare lecto cubans quietem capere cœpit, & ad rem diuinam audiendam foras prodire: & ſe reginam eſſe ſentiens, vitam illam grauem & inhumanam relinquere. Id gratiſſimum Carolo accidit, proq; tam diligenti & officioſo erga parentem reginam ſtudio, gratias per literas Ximenio egit. Ferrerii ſenis incommoda, Ferrerius filius Toleti præfectura amotus adauxit. Nam cum eius negligentia omnia confuſa iactari, & quorundam priuatorum libidine potiuſquam vlla legum obſeruantia fieri Ximenius nouiſſet, qui ante alias Hiſpaniæ ciuitates Toletanam curam gerendam ſibi eſſe peculiari officio exiſtimabat, præfectura Ferrerium amouet, & Portocarrerum Palmæ comitem, virum magna laude & magnanimitate clarum, eius loco paulo poſt ſubſtituit. Sed cum noſtra ciuitas in factiones duas iam olim ſit diuiſa, Syluiam & Aialanam: hæc Portocarrerum ad eum magiſtratum aſſumi priuatis de cauſis recuſabat. Iam cunctis fere eius factionis primariis viris ad id violentia & armis prohibẽdum animatis, comes Fonſalitanus veritus, ne ea factio, in qua ipſe primas tenebat, parum obſequens Ximenio eſſe videretur, quem vnice ſemper coluerat, Fonſalita Toletum venit, & eos motus facile repreſſit, atque ita cunctis approbantibus Portocarrerus receptus eſt. Inter cætera quæ in epiſtolis de Ferrerii iunioris amotione facta reperio, vnum ſane eſt memorabile, & quod magis antiquis maiorum temporibus, quando morum rigor & ſeueritas vigebat,

quam noſtrorum temporum licentia geſtum videri poteſt. Gallecus iuriſperitus, qui Toletum in acta Ferrerii cogniturus venerat, rebus omnibus accurate inquiſitis, de Ximenii ſententia aliquot ex publicis miniſtris, quibus Ferrerius in præfectura vſus fuerat, quod iuſtitiæ exequendæ prætextu, nihil non iniquum geſſiſſent, per vicos ciuitatis, præcone præeunte, atque eorum peccata proclamante, flagellis cædi de more iuſſit. Simili ſeueritatis exemplo, grauiori tamen vindicta, in Arroium Calatrauæ cruciferum, ni ſibi fuga conſuluiſſet, animaduertere iam meditabatur. Hunc enim in Zoritana commendataria præfectum, potius libidines ſuas explere, quam munus commiſſum ex dignitate obire, multorum ſermonibus & querelis cognouerat. Nam honeſtis virginibus inuitis parentibus vim intulerat: nuptas per ſummam iniuriam ſtuprauerat: atq; aſſidua peccandi conſuetudine liberos etiam ex illis ſuſceperat. In eius locum Sãctium Cabrerum, virum probum, Ximenius ſuffecit: & ad Carolum continuo ſcripſit, ſi forte Arroius ad Belgas veniſſet, ſcelus ſuum mendacio & ſumma impudẽtia excuſaturus, eius gulam laqueo frangi imperaret. Calcenam ſanctæ inquiſitionis Senatus ſecretarium, & Aguirrum è iudicibus vnum, aliquot ex cauſis grauiſſimi ordinis cõſortio eiicit. Aguirrus vero, quod multis in rebus reip. vtilem ſeſe præſtitiſſet, non multo poſt in Senatum ſupremum transfertur: in quo ad extremam vſque ſenectam durauit. His atque aliis exemplis fortitudinis & conſtantiæ ſuæ per Ximenium editis, tantam ſibi authoritatem apud omnes comparauit, vt nemo eſſet qui non impenſe cuperet, in eius ſe beneuolentiam & amicitiam inſinuare. Vniuerſi pene Hiſpaniæ reguli, ſimultatibus & diſſidiis poſthabitis, vltro illi ob ſequentes fuerunt, pactis etiam conuentis de eius dignitate tuenda, non ſecus ac ſua, & propinquorum. Ex Bæticis Fontius Arcobricenſis, ex quo Vrennas res nouas moliebatur, Ximenii partes ſecutus eſt. Ipſe Vrennatum Comes, cum Petro Gironio maiori natu filio, depoſitis odiis, quæ aduerſus Ximenium vana ſpe conceperant, rebus ſuis proſpicientes, ſe neque vnguem tranuerſum ab eius mandatis diſcrepare inſtituerunt: in eoq; vſq; ad motus Villafradeos ſine fraude perdurauerunt. Ex Carpetanis Paciecus Aſcalonius, qui ob Toletanæ vrbis vicinitatem, nunquam à Ximenii voluntate diſceſſerat, eo tempore magis confirmatus, aſſiduis ad eum itionibus, omnẽ obſeruantiam & culturã exhibebat: atq; vt idem faceret Georgius Vrennas, illi propinquitate coniunctus, ante oẽs curaſſe certum eſt. Ad eam nouã animorum coniunctionẽ, quanuis Aſcalonius ſponte ſua bene erat animatus, Ioanna Anriqueſia eius vxor, fœmina lectiſſima, & diuis ob ingentẽ pietatẽ cara, permultum momenti attuliſſe dicitur. Illa enim cum abſentiam mariti tolerare non poſſet, qui apud Ximenium continue agebat, Madritum venit: & coram ſanctiſſimis Ximenii conſiliis, & actionibus conſideratis, intellexit diuinum honorem ab illo tantum captari, & à ſummo Deo tantum pendere, illiq; vni fidere. Quare hoc apud coniugẽ frequenter commemorans, effecit tandem vt Aſcalonius ſimulatione, ſi qua forte vtebatur, reiecta, ſyncero & amico pectore hominem ſanctiſſimum complecteretur. Ex vltramontanis, Aſtunigana familia, cuius dux Beiarẽſis princeps eſt, multis de cauſis Ximenio obſtringebatur, ſed potiſſimum ob prioratus ſancti Ioannis controuerſiam, quæ inter ipſum & Albanũ ducem erat. Almirantus, qui niſi Velaſquidis negotia interceſſiſſent, in Ximenio colendo Aſcalonio inferior haud fuiſſet, rurſus ad eius beneuolentiam rediens, Beneuentanum vna coniunxit. Hos Aſturicenſes, & Gallecia omnis ſequebatur: Lemoſio, & Andrata comitibus, id apud ſuos ſedulo curantibus. Pauci quidam priuatis de cauſis, adhuc infenſi Ximenio perſiſtebant, primarii illi ſane & principes viri, Mendozius Infantatus dux, Velaſcus Comeſtabilis, Fadricus à Toleto Albanus dux. Hi enim cum ad ſuas voluntates, Ximenii animum pertrahere nequirent, vi & potentia qua multum valebant, non tam reipſa quid ille iuberet contemnebant, quã ſe id facere verbis oſtentabant. Nam quoties ad rem ventũ eſt, taciti & quieti inter ſuos deſidebant, quemadmodũ Velaſquidis negotia declararunt. Igitur cum omnes motus compreſſi eſſent, atq; nihil ſibi negotii ab vllo ex regulis faceſſeretur, multa partim ad reip. vtilitatem, partim ad regii cenſus incrementum neceſſaria facere eſt aggreſſus. Nam primum ne tumultus denuo exorirentur, ipſeq; ſecurus & liber, rebus quas propoſuerat animum intenderet: tormenta bellica, & æneas illas ac operoſas machinas, quæ propter ponderis immanitatem nequeunt loco facile moueri, tribus potiſſimũ Caſtellæ regionibus, cum priuatis magiſtris & præfectis, collocare inſtructiſſima decreuit: in vltramontanis, ad Metinam Campenſem: in Carpetania ad Complutenſes: in Bætica ad Malacitanos. Ita enim ſi qui tumultuarentur, aut alio quouis modo aduerſus rempublicam iniurii eſſent, non ſpectatis aliunde præſidiis, facile ſub ipſis principiis coerceri & infringi poſſe. Hoc tamen ad Metinam factum tantum eſſe, in epiſtolis reperio. Nouam item pecuniam percutere, illique diui Franciſci imaginem ex altera parte inſculpere, tentaſſe aiunt,

ſed Se-

sed Senatoribus regiis multum dehortantibus consilium mutasse. Deinde ad regia vectigalia cognoscenda conuersus, totamq; aulæ priuatam rationem, quæ regis catholici diutino morbo multipliciter offensa, atq; perplexis ambagibus confusa erat: edictum à Carolo eius nomine promulgandum postulauit, ad tabulas omnes siue publicas, siue priuatas, quę de rebus regiis tractarent, à quibusuis hominibus extorquendas, siue ii in supremo Senatu iudices, siue apud principes aut respub. legati, siue domi cubiculo præfecti, aut deniq; muneri cuilibet per Ferdinandum regem olim delecti, aut præpositi fuissent: vt eæ in publica scrinia reconditæ, quoties vsus posceret depromerentur. Fuisset hæc res cumprimis fructuosa, & ad rerum nostrarum cognitionem vtilis: nescio enim quo sinistro fato, rerum apud maiores actarum negligentes, illorum instituta contemnimus: & quid illi egerint, aut qua ratione vixerint, nostris tantummodo cogitatis contenti, parum percipere aut inquirere curamus. vnde parte ad nostras actiones instruendas commodissima, vitam nostram priuamus. Nihil enim securius discitur, quam cum alieno periculo sapimus. At hæc scrinia facta non fuisse satis constat: nam cum tot rebus Ximenius distraheretur, in quibus reipub. incolumitas versabatur, nemini mirum videri debet, si omnia quæ animo proposuit, tam paruo tempore ad exitum non adduxerit. Cæterum tabulas permultas rerum publicarum, & libellos rationum à ministris illis exegisse, certum est: ex illorum enim notitia in ordinum Senatum inquisiuit, hoc est, de militarium magisteriorum censibus, de sportulis, & mensę magistralis (quam vocant) salariis, de commendatariis præfecturis, quę rectorum custodia carebant, de iudicibus in eorum Senatum asciscundis, deque aliis multis ad eam rem attinentibus prouidendis. Nam cum eorum magisteriorum recens esset sub regibus possessio, nullibi minus notitiæ, aut plus fraudis & iacturæ erat. At ita in eo diligenter se gessit, vt in primo cognitionis triduo omnes trium ordinum leges, omnes sanctiones, consuetudines, & decreta, quibus obtemperare militares commendatarii tenerentur, peruiderit: simul etiam quæ ad censum pertinebant, typo quopiam in genere perceperit. Præfecti maximi commendatariorum, qui Ximenio in res eorum inquirenti, contradicturi proculdubio erant, aliqua interea opposuerunt, quibus se non modo à Ximenii potestate, sed à regia quoque si possent, vindicarent. Verum ea omnia tanta prudentia & dignitate à Ximenio sedata sunt, vt vniuersis commendatariis parentibus, omnia ex illius voluntate sint confecta. Sed ne aliquis fortasse requirat, quæ sint illa quę commendatarii opposuerunt, nosque propterea, nisi aliquid de eo dixerimus, negligentiæ insimulet: Galatrauenses, & Alcantarani, quorum illi ad Oretum, hi ad pontem Traiani sacras suorum collegiorum ædes tenēt, diplomata summorum Pontificum apud se habere iactabant, quibus eorum magisteriorū præfecturæ, iuxta Cistercienfis ordinis ritum institutæ, nulli præterquam sui ordinis Antistiti, sine maximo piaculo subiectæ esse possent. Quæ omnia vana & futilia esse, prorsusq; ad tempus eximendum adinuenta, multis rationibus Ximenius declarauit. Nam ea quæ de diplomatibus Pontificiis ferebantur, cœnobitis Cisterciensibus, qui sacris ædibus inclusi, in solitudinibus delitescunt, quemadmodum & cæteris, qui ad eum modum viuunt, religiosorum sodalitatibus sui ordinis Antistites habere à summis Pontificibus iure quidem concessum est, quibus alienos præfici rectores indignum & indecens esset: & sub externis & rerum suarum ignaris magistratibus, omnia sursum & deorsum miscerentur. At militaribus hominibus, qui in luce clarissima apud regium comitatum, aut in castris viuunt, sacrum tantummodo Cisterciensium cognomen, certaque aliquot instituta quibus sese addicerent, data: non autem arctam cœnobitarum normam, vnicamque illam abbatum iurisdictionem. Atque ita Ferdinandus catholicus Antonium Rogium Archiepiscopū Granatensem, tribus magisteriis aliquando præfecit: eorumque maiorib. comitiis omnia moderans Antonius interfuit. Quin etiam ne in primario tantum eorum magistratu accidisse id respondeatur: sancti Iacobi commendatarios, qui Augustinianum ritum sequuntur, apud Calatrauenses & Alcantaranos, multis muneribus obeundis præfuisse. Heri vero & nudiustertius, nonnulla etiam per Adrianum Caroli legatum in eorum comitiis effecta esse, quæ hanc omnino dubitationem soluerent. Meminissent enim, non ita pridem, præfecturam Calatrauæ maximam, sine solenni cruciferorum rogatione, Caroli duntaxat volūtate, quibusdam in speciem comitiorum congregatis, Petro Nunio Guzmano fuisse collatam. Quocirca multo sibi æquiora petenti, nullo modo si saperent, resisterent: neque enim posse ab incœpto cessare, literis ad id efficiendum à rege missis. Quod si facerent, se operā daturum, vt quod illi iamdudum cupiebant, Petrus Nunius Guzmanus, præfectura haud rite obtenta deturbaretur. Id enim quod eorum priuilegia aperte imminuebat, contra morem illorum inauspicato factum esse, sibi quidem multum displicere. Scripsit quidem ad Carolum Ximenius hac de re sæpius: & Didacum Gueuaram, quem non ita pridem ela-

nigerum creauerat, præfectum maximum eligendum, suoque periculo alterum deiiciendum susceperat, qui ferme cunctorum commendatariorum odiis magistratum illum gerebat: nihil tamen circa eam rem obtinuit. Igitur dum vniuersas magisteriorum rationes euoluit, totumque illum militarem ordinem explorat, quadringenties centena millia nummûm, commendatariorum periniqua dissimulatione, in singulos annos ex regiis prouentibus intercipi inuenit. Nam cum illi ad bellum Mauris inferendum, limitesque nostros defendendos & tutandos, certum militum numerum propriis sumptibus tolerare teneantur, id omnino prætermittentes, regiæ curæ & impensis relinquebant. Quare vt decebat prouisa duo Calatrauensis magisterii oppida, quæ centenis millibus aureorum æstimabantur, ab Aragoniis iniuste occupata, per Touillam & Cabrerum Calatrauenses commendatarios, regiæ rursus ditioni vindicauit. Vim tentare principio Aragonii, litem sub iudice esse obiicere, præsidiis & militib. oppida firmare. Sed re probe per Ximenium cognita, eaque apud ipsos declarata, post longam sub rege catholico possessionem, licet inuiti oppidis cesserunt. Sed quoniam Touillæ opera in eo negotio conficiendo insignior fuit, volens Ximenius strenui hominis diligentiam beneficio aliquo condecorare, cum paulo ante Ciaconium quendam fisco magisteriorum Calatrauensis & Alcantarani præfectum, parum rite creatum comperisset: neque enim facultatem vllam, tabulasve collatrices, ab ordinis sui principibus habebat, sed vnicum duntaxat Ferdinandi catholici chirographum, quo illi facultas concedebatur, arcem quandam cum decessore fiscali commutandi ob munus in Ciaconii gratiam relictum. Id autem non modo iniquum, & contra ordinum militariũ consuetudinem, ab eorum Senatu dissimulatum fuisse aiebat, sed impium quoque & rei sacræ diuenditæ labe infectum. Proinde nullo modo amplius tolerandum, neque Ciaconiũ ad priuatas eius ordinis rationes procurandas, id est enim fisco nomen, sine magna religionis offensa, haberi posse. Inerat simul in Ciaconio parua muneris gerendi dexteritas, habitusque ipse totius corporis contemnendus. Ideo Ximenius de totius Senatus authoritate, fisci eum præfectura amouet, eamque ad Touillam tranfert. Ne quid tamen fraudis Ciaconio fieret, qui arcem fructuosam pro obtinenda præfectura dederat, vt arx illa sua redderetur cautum fuit. Doluit, vt par erat, Ciaconius, & grauem sibi iniuriam illatam apud Carolum conquestus, Belgarum tandem fauore effecit, vt amoto Touilla, Ximenii mandata irrita essent: ipseque rursus præfecturæ restitueretur. Quod quanuis Ximenius ægerrime tulerit, deque eo sæpius ad Carolum scripserit, nihil tamen impetrare potuit. Touillæ vero, quem præmio aliquo, vir rerum ab eo bene gestarum memor, omnino afficere cupiebat, de Senatus decreto Sabioticam custodiam contulit: & quadraginta millia nummorũ sportulæ vice, ex communi ordinum militarium pecunia assignauit: atque vt id ratum haberetur, apud Carolum studiose effecit. Quoniam vero iudicum inopia Senatus ille militaris laborabat, Tellum sancti Iacobi commendatarium, virum iurisperitia, & rerum earũ notitia percelebrem, Luxanum suum necessarium, doctrina & nobilitate clarum, Calueti loco in Senatum elegit. Hunc Caluetum Zoritanorum municipem, quod ad id munus parum aptum iudicaret, Senatu ordinum paulo ante amouerat: cuius rei dolorem Ouetensis Pontificatus, quem illi postea Carolus contulit, leniuit. Voluisset ad eum modum cæteros qui aderant in eo Senatu iudices regis iussu Ximenius explorare. Nam Osorium Episcopũ Asturicensem, qui Senatus præses habebatur, Alarconum quoque Senatorem Senatu pellendos iam meditabatur: proque Osorio Alphonsum Tellezium, coloniæ Montalbanicæ dominum substituendum, pro Alarcono Gonsalum Fernandum marchionis Plegiani fratrem. Neque in hunc tantummodo militarium ordinum Senatum, sed in alios quoque qui comitatum regium sequuntur, & post in Granatensem & Pintianum conuentum esse accurate inquirendum proposuerat. Sed ne totam rei inuidiosæ molestiam, in se vnum duntaxat deriuaret, priuatas literas super ea re à Carolo petit, quibus de aliis Senatoribus loco amotorum eligendis, aut nominandis à rege ipso demandaretur. Bæticæ prouinciæ, & Calatrauensis (quam campum vulgo appellant) administrationibus, quæ iam diu rectoribus carebant, Didacum Lupum Padillam, Ferdinandum Cordubam Capræ comitis fratrem, qui postea clauiger factus est, viros domi ac militiæ egregios, & qui eisdem regionibus alias præpositi operam non pœnitendam exhibuissent, gubernatores, hoc est, generales præfectos dedit. Erant etiam aliquot eorundem ordinum præsidia, sine commẽdatarii militaris custodia: quæ quoniam à factiosis, aut grassatoribus occupari poterant, si diutius præposito carerent, quanuis in Caroli aduentum res minoris momenti differre destinauerat, custodes quoq; peraccommodos quæsiuit, quibus interea præsidia commendauit. Vnum tamen quod iamdudum secũ cogitauerat, adhuc supererat, sed rei inuidia deterrebatur: suspensusq; aliquandiu fuit, an multorum simultates, & negotium odiorum plenũ, sed tamen regiis

regiis commodis,vt ſibi videbatur,neceſſarium capeſſeret. Id autem de ſalariis & ſportulis, quæ ex publico ordinum militarium ærario dabantur,menſam vulgo magiſtralem (vt dixi) appellant,donec Carolus veniret auferendis. Sed tandem ad id faciendum duabus rationibus adductus fuit. Altera, quoniam regiis cenſibus per Ferdinandum multa pecunia obæratis,neceſſe erat ad reip. commodis ſubueniendum, vt militibus merces aſſignata in ære alieno neutiquam eſſet. Nam primum Germani milites ad Carolum è Belgio traiiciendum,xx.millibus aureorum conducti erant,totidem ex templo(vt poſtea dicemus) Gomecio Buitronio,viro inter Aſtures primario, deputatis: nã hoc ipſo anno Carolus ſe vela facturum promittebat. Claſſi quæ oram maritimam tuebatur, reparandæ & inſtituendæ, octo millia numerabantur:præter multorum præſidiorum ædificia, præterque Nauarrorũ prouinciæ ſtipendia,aliaque innumera impenſarum genera,quæ in tam ampla regnorum poſſeſſione facienda quotidie offerebãtur. Iis autem omnibus ſufficiendis, ſalariorum ablatione opportune ſuccurri poſſe,cum præſertim Ferdinandi & Iſabellæ regum catholicorum morte,ea quoq; ſimul ceſſaſſent. Altera vero quæ ſibi haud inferior videbatur, vt Carolus in altera regione natus,atque rerum noſtrarum prorſus ignarus,dum ſingulis per Ximenium ablata reſtituit,nouis proceres beneficiis obligaret, ſeque cunctis amabilem redderet. Qua plane re ſatis ille declarabat,qua caritate & obſeruantia erga regiam maieſtatẽ eſſet:quãdoquidem modo regi ſuorum procerum,atque adeo omnium aliorum qui liberalitatibus regiis fruebantur,aduenienti applauſus conſtaret,propria odia ſuſque deq; habebat. Sed dubitari poteſt,an hac in parte vir animi æqui & ſynceri recte ſtatuerit:neque enim milites tantummodo commendatarios,ſed aulicos nobiles, qui comitatum regiũ ſequuntur,quorum ingens numerus eſt,ſalariis iam olim deputatis,& multa quæ regum beneficentia ex eorum cenſu proceribus quibuſdam,priuatiſque aliis collata fuerant, abſtulit. Vbi ne affectibus ſuis indulgere crederetur,ex æquo amicos & alienos multauit. Nam hæredibus magni Gonſali,quem vnice viuum ſemper coluerat, mortuumque itidem obſeruantia proſequebatur,pluſquam quingenties centena millia nummũm, hac ſalariorum ablatione perierunt:idque Ximenius factum ſuum magni faciens in epiſtolis ad Carolum commemorat. Tello vero homini amiciſſimo,quem in ordinum militarium ſenatum elegiſſe diximus,ad Bætim prope Hiſpalim frumentariæ molæ, quæ Pelagii Correæ cognomen olim tenent,ante annos quadraginta à regibus propter eius merita donatæ, rurſus regio cenſui reſtitutæ,occaſionem dolendi attulerunt. Magnum incrementum regiis facultatibus,ea ſalariorum & militarium antiquatio intulit:cæterum Ximenio ingens odium & inuidiam conflauit. Nam ſi paria facere volumus:haud tanti apud Carolum eius diligentia & induſtria habita ſunt,quantum apud eos conceptum eſt odii,quibus viuendi auxilia inſperato demebantur. Itaque immanes illæ regii ſplendoris,& vetuſtæ aulæ impenſæ,atque largiſſimi & munifici ſumptus ſub frugi homine prorſus ſunt acciſi, & intra certos carceres coerciti,illique tantummodo relicti,qui neceſſarii omnino erant. Qua in re ne quis Ximenium omnino culpet,ſi modo hæc culpa & non potius laus cenſenda eſt, ſciat Alexandrum Seuerum Romanorum imperatorem,qui inter optimos principes ab omnibus connumeratur,palatii maieſtatem,& diſciplinam reſtituere ſtudentem,neminem in palatinis haberi paſſum,niſi neceſſarium hominem,malum pupillum imperatorem eſſe dicens,qui ex prouincialium viſceribus, homines non neceſſarios neque reipublicæ vtiles paſceret. Supremæ igitur duntaxat curiæ ſenatoribus,priuatis palatii præfectis & miniſtris, militib. limitaneis & præſidiariis, quatuoruiris capitalibus, & comitatus regii lictoribus, vrbanis hoſpitiorum metatoribus,prætorianæ etiam cohorti,& ſi qui alii ad regios vſus neceſſarii erant,ſalaria & ſtipendia,quæ de more illis dabantur,reliquit. Vnde Petrus Martyr,& Gõſalus Ouetenſis,temporum illorum ſcriptores,ſuis quoque ſalariis priuati, calamo iniuriã illatam vlti ſunt. Nam cum Ximenii præclaram virtutem antea commendaſſent, poſtea dolore inſtigante parum æque de illo ſcripſerunt. Certe huiuſmodi viris ſalaria vel de ſuo Ximenius dare debuerat,præſertim P. Martyri,qui in gratiam regum catholicorum Babylonica legatione functus fuerat, & multa quotidie ſcribebat. Sed Ximenius aliam rationẽ eſt ſecutus. Hoc ꝙ de ſalariis, cæteriſq; honorib. ſublatis diximus, non ſatis adhuc mihi certum eſt,an Ximenii tantummodo conſilio,an Caroli iuſſu confectum ſit. Nam cum frequenter in epiſtolis conqueratur,ſibi vt malo genio aut cacodæmoni, partes auferendi conceſſas eſſe,donandi vero prorſus detractas: & Belgis in memoriam reducat, ſe eorum ſuaſu in ſummo odio apud ſuos Hiſpanos eſſe: & rurſus cum nihil apud Belgas, niſi ex Ximenii ſententia gereretur, cunctique eum authorem fuiſſe crediderint, iſque alicubi idipſum confirmauerit,atque regios cenſus augendos omni ſtudio vbique contenderet, deque eo ſerio & crebro multa verba faceret: res anceps & obſcura redditur. Erat illi ſane

cum primis perſuaſum, neminem principem neque bello neque domi res magnas, & reipublicæ ſalutares efficere poſſe, niſi cenſus regii curam haberet. parumque illam opinionẽ probabat, qui regem quantumuis inſumeret, prodigum futurum negat: ſiquidem opes quantumlibet immenſas aſſiduis largitionibus diſſipari, exhauririque. Ideoque vt in donando caute & conſiderate ſe gereret, Carolo conſuluit. Porro ſibi accurate diſquirenti, quod patrimonio regio eſſet perutile, tandem viſum eſſe ad res principis amplificandas maxime conuenire, vt ſublatis quibuſuis pecuniarum regiarum coactoribus, vnus tantum vir nobilis & induſtrius, quęſtor maximus crearetur, ad quem res nummaria vniuerſa perueniret, vnde ad publicas aut ſubitas quaſque neceſſitates parata pecunia continuo numeraretur: quæ vero ſupereſſent ad liberalitates & largitiones, alios ve vſus prout regi liberet, apud eum aſſeruarentur. Hoc ſe & alias monuiſſe dicebat, neſcire tamen qua de cauſa rem perutilem contempſiſſet, nihilque vnquam de ea conſultaſſet. Interim certe ſe permiſſurũ non eſſe, vt apud Ludouicum Sanctium Aragonium, qui ex curatoribus ærariis vnus erat, magiſteriorum militarium prouentus, & quicquid ex orbe nouo aduehebatur, deponeretur: quoniam maritimæ oræ tutela, præſidia omnia, & cætera quæ ſupra ſunt commemorata, ex ea ſumma prouidenda eſſent. Sed quoniam ex ſtatis regni vectigalibus, xx. millia aureorum Germanæ reginæ iubebantur dari, id ne fieret etiam prohibuit, quod ea ex Areualenſi ſolo iuxta pacta conuenta eſſent petenda. Nihil enim damnoſius regium cenſum lædere dicebat, quam huiuſmodi rationum confuſio, & ſolutionis ſemel deſtinatæ mutatio. Regulorum nonnullis, aliiſque item aulicis hominibus, non contemnendas nummorum ſummas liberaliter à Carolo donatas, parum ſe probare declarauit: multumq; conſiderandum monet, ne id paſſim & temere fiat: ſemperque hoc vnum ſolicite diſpiciat, quorumnã fidei & conſilio ſe committat: multos enim ſe illi inſinuaturos, non tam regiæ obſeruantiæ cauſa, quam priuatorum commodorum ratione. Quorum nonnullis hoc duntaxat propoſitum eſſe, regem in egeſtatem & anguſtias redigere, vt eorum operæ neceſſario implorẽtur, quas quanti libeat locent. Quemadmodum iam olim eueniſſe, ex priſcis hiſtoriis, rerũque recentium monumentis facile cognoſci poterat. Ergo ſecum paruper cogitaret, quãti ſumptus impenderent, in reipublicæ neceſſitates primo quoque tempore faciendi. Illud etiam inſolens & intolerabile, intra quadrimeſtre tempus quo regnare cœperat, ex ſtatis vectigalibus, centies & vicies centena millia, ex aliis vero regiis prouentibus, pluſquã ſexagies data eſſe: cum reges catholici, totis quibus regnauerant quadraginta annis, quantumuis benefici fuiſſent, eam ſummam non exæquaſſent. Quare ea omnia prorſus abſcindenda eſſe cenſebat. Tabulas vero, quas à rege Ferdinãdo datas Enricus Fortuna, Anricus Almirantus, & Paciecus Aſcalonius oſtendebant, in quibus decies centies, ex noui orbis reditibus ſingulis donabantur, irritas & inanes eſſe iudicandas. Nam quæ tempore diuturnæ & acerbiſſimæ ægritudinis parum conſiderate promiſſa fuerant, præſtari non debere ius eſt. Porro Enricum Fortunam, qui cognationis vinculo Ferdinando regi perquam coniũctus, id mereri magis videri poterat, hominem eſſe præcipiti natura, & qui Gallorum quæſitis auxiliis, aduerſus Carolum multa tentaſſet. Quod ſi liberalitatem, quæ reges in primis amabiles facit, exercere vellet, habere apud ſe nobiliſſimos miniſtros qui prompte & fideliter ſuis iuſſis aſſidue obediuiſſent, quos beneficiis, quoties facultas daretur, exornare poſſet: iuſtitiam vero erga reliquos omnes ex æquo coleret. Nam iuſtitiæ munera ſine diſcrimine omnibus eſſe tribuenda: liberalitatis vero miniſtris, pro cuiuſque fideli ſedulitate & dignitate. Tria enim ſibi magnopere neceſſaria ſemper fuiſſe viſa, quæ regis imperium ante omnia ſtabilirent, primum vt ſuum ius vnicuiq; tribuat, ſiue id æqualis conditionis homines à rege poſtulent, ſiue multũ diſſimiles. Deinde vt virorũ militarium, præſertim qui animi fortis & ſtrenui præclara dediſſent documenta, rationẽ inprimis habeat. Vltimũ vero, quod magni momenti exiſtimabat, vt cenſum regiũ diſſipari nõ permittat: ſed opes potius ex reditib. ampliſſimis continuo ſeponat quibus res maximas & glorioſas adoriatur, & efficiat. Ipſe enim experientia didicerat quantum hoc referret, qui eo quadrimeſtri ſpatio, quo Carolo vicariam operam in moderandis ſceptris præſtiterat, tot res præclaras & egregias abſoluerat. Nam Bæticos motus ſedauerat: terrores Nauarrorum compreſſerat: Malacitanorum contumaciam coercuerat: limitanea præſidia armis & militibus communiuerat: & oræ maritimæ reddiderat tranquillitatem: incurſiones in Africam fecerat, claſſe aduerſus Algerium miſſa: Bugiam, Pegnonum, & Melillam, Horuſcii Barbaroſſæ obſidione liberauerat: Luſitanis ad Argillam defendendam auxilium obtulerat: & demum grande æs alienum, quod ſub Ferdinando regius cenſus contraxerat, diſſoluerat. Quod ſi ipſe alienas partes agens, & maleuolorum inuidia ſæpe impeditus, hæc potuit efficere, à ſumptibus ſuper-

ſuperuacuis abſtinens: quid cenſendum eſſe crederet de ſe ipſo rege potentiſſimo, & cuius celſitudinem ſubditorum inuidia attingere non poteſt? Quod de claſſe ad Algerium expugnandam miſſa ait, quamuis proſper ſucceſſus illi defuerit, tamen ob data conſtantis animi & inuicti ſigna, memorabile eſt. Non minus enim laudis ex ea re infecta reportauit, quam quondam ex Orano capta. Algerium, quam nonnulli (ſed vt opinor falſo) antiquam Cirtā, Iubæ & Syphacis regiam eſſe credunt, eo tempore ſub Hiſpanorum poteſtate erat, quibus certum quoddam tributum quotannis pendebat. Sed cum interea Africana littora Horuſcius Mitylenæus pirata, cognomento Barbaroſſa, cum fratre minore Haredino infeſtaret Bugiamque quam noſtri tenebant, occupare laboraret, & ab eius obſidione alterius brachii iactura repulſus eſſet: ab Algerianis ciuibus qui Hiſpanicum iugum excutere affectabant, vindex libertatis accerſitus fuit: atque intra vrbis mœnia receptus, totius iuuentutis aduerſus Hiſpanos dux conſtitutus. Haredinus cognomento quoque Barbaroſſa, Chriſtiani nominis acerrimus hoſtis, ille eſt, quem Carolus iam Romanorum imperator noſtris temporibus Tunete depulit, oræ maritimæ ſecuritate parta. Aiunt permultum opera Morabitorum, ad perſuadendos popularium animos Horuſcium adiutum fuiſſe: qui aſſidue proclamabant, nefas eſſe & rem indigniſſimam, generoſos Mahumeti cultores, Chriſtianis hoſtibus non ſolum parere, ſed etiam tributa pendere. Quare Horuſcium virum fortiſſimum & Chriſtiano nomini infeſtum, qui eos ab Hiſpanorum ſeruitute liberare poſſet, regem capeſſerent: nam & occaſionem peropportunam à Deo illis oblatam eſſe, rege Ferdinando per id tempus vita functo. Ximenium vero non eſſe cur timerent: nam quamuis Orano capta Africam olim terruerat, iam adeo graui ſenio oppreſſus, & multis negotiis è regnorum gubernatione impeditus erat, vt celerrime è vita illi eſſet migrandum: Itaque nec vires neq; otium Ximenio eſſe, ad res iterum Africanas inuadendas. His regionibus perſuaſæ turbæ, à Selimo Algerii principe deficientes, Horuſcium regem creauerunt. Hic ergo vrbe Mauritaniæ celebri & littorali potitus, non ſolum Hiſpaniam maritimam quotidie vexabat, ſed etiam ipſos Africanos regulos, auitis imperiis deturbare conabatur: vt paulatim & Africam quoque ad Turcarum ſeruitutem traduceret, quorum armis & præſidiis ex prædone rex factus fuerat. Inter hos cum Albuzeuenum Tenezium principem crudeliter vita ſpoliaſſet, Iahia Albuzeueni frater à Tenezenſibus regno præficitur. Is paulo poſt filio herede relicto mortuus eſt. Hic continuis Horuſcii incurſionibus afflictus, timuit ne in eius manus incideret, & in Hiſpaniam tandem traiicere decreuit. Ergo ad Ximenium acceſſit ſupplex, ſe eius fidei commendans, & contra communem hoſtem opem implorās: nam ob Hiſpanorum amicitiam, in eas calamitates & miſerias ſe incidiſſe dicebat. Maluiſſe enim maiorum ſuorum exemplum ſequi, qui Hiſpaniæ reges coluiſſent, quam Barbaroſſæ piratæ adhærere. Ximenius humane reſpondit, curaturum ſe, ne amicitiæ cum Hiſpanis initæ vnquam illum pœniteret. Delectus militum per Hiſpaniam haberi iubet, & naues quibus in Africam appellerent inſtrui, vt pirata à noſtris littoribus arceretur. Claſſi cum Fernandum Andradam præficere vellet, impetrare non potuit: quod ex tumultuariis & rei militaris imperitis hominibus legiones illas coactas eſſe diceret: vnde potius ex illorum opera ignominia, quam vlla gloria expectanda eſſet. Ximenius cui omnis repulſa moleſta erat, ægreque ad preces deſcendebat, Didacum Veram tormētorum præfectum, cuius induſtriam & fortitudinem, in Oranica olim expeditione expertus fuerat, ad eam rem idoneum arbitratus, legionibus traditis ad Algerium expugnandam miſit. Nonnullis parū attente Ximenius id feciſſe viſus fuit: quod is militari arrogantia inflatus eſſet, & caſu potius, aut fortuna, quam prudentia conſiliove, quo carebat, victurus crederetur. Igitur octo millium armatorum exercitu Didacus Vera ex Hiſpania ſoluit: in Africam ad Algerii littus pridie diui Hiero. qui dies ante tertium Cal. Oct. eſt, appulit. Mauri, qui multo ante id reſciuerant, finitimorum vndiq; euocatis auxiliis, ingenti Numidarum equitatu conducto, oppidum probe munierant. Horuſcius cum ſexcentis fortiſsimis Turcis ſagittādi peritis, quos ad ſui corporis cuſtodiam ex Aſia adduxerat, pro muris ſtans magnos ſuis animos ad hoſtiū impetum propulſandum faciebat. Didacus Vera cum milites ſuos ad oppidum inuadendū prædæ cupiditate plus ſatis paratos videret, in quatuor partes exercitum diuiſit, ſic in officio melius contineri poſſe ratus, & vt à quatuor item cæli regionib. expugnationem Algerii adorirentur. Aiunt cōtentionem fuiſſe ortam de militibus diuidendis, inter Veram, & aliquot tribunos: qui nil pernicioſius fieri poſſe aiebant, quā exercitum in tot minutas partes frangere. Omne enim exercitus non numeroſi robur, in omnium militum vnione poſitum eſſe: præſertim cum pro certo accepiſſent, hoſtium præſidia quā inſtructiſsima & copioſiſsima parata eſſe. Bene conſulentib. Vera non auſcultauit, qua de cauſa illi contumaciores facti pugnam negligentius curantes, præcipitem conſilio ſuo agi ſiuerunt. Nā noſtri

quadrifariam diuiſi Maurorum viribus impares fuerunt, qui ſiue quod tribulos ferreos per vicos oppidi diſſeminaſſent, ſiue quod ſcrobes paſſim fodiſſent, quas leuibus virgultis & arundinibus terra leui iniecta contexiſſent, portas oppidi patentes relinquunt. Noſtri punicas inſidias veriti, ingreſſu neglecto, muros audacter conſcendere conantur: qui viribus Turcarum repulſi ſunt, & aliquot capti è pinnis murorum, in contumeliam & ludibrium ſuſpẽſi. Horuſcius Turcas & Numidas egredi iubet aduerſus reliquas exercitus partes: qui copioſiores atq; etiam animis, ob ducis noſtri manifeſtam imprudentiam, elatioribus irruentes, Hiſpanum exercitum continuo fugant, atq; ſtragem & internecionem edunt. Didacus Vera conſilio & militibus deſtitutus, fuga ſibi & filio conſulendum ratus, bonam (vt aiunt) eius diei partem, dum Mauri in noſtros ſæuiunt, in ſcopulorum cauernis delituerũt. Poſtquam in Hiſpaniam appulit, imprecationibus paſſim accipiebatur: & contumelioſis puerorum cantilenis proſciſſus longe debilior Horuſcio eſſe cantabatur, qui altero brachio carebat. Infauſta ab eo tempore Algerii expugnatio noſtris ſemper fuit: nam littoris illius importuoſi ſtationem, male fidam nauibus ſemper experti ſumus. Eius rei nuntium Ximenius ſub Octobrem accipit, multa iam nocte, hominibus theologis de rebus ſacris diſputantibus aſſidens, Cum dictum eſſet, curſorem ex Africa ad fores adſtare, vt intromitteretur iubet: & nihil ſciſcitatus, poſtquam literas ad ſe datas tacitus legit, ſereno vultu circunſtantibus dixit: Exercitus noſter in Africa victus & profligatus eſſe nunciatur: ſed paruam iacturam fecimus, Hiſpania hominibus facinoroſis & audacibus exhauſta eſt. Et rurſus ad quæſtionem theologicam diſputandam eſt conuerſus, qua abſoluta ad corpora curanda diſceſſum eſt, admirantibus cunctis Ximenii conſtantiam, & inuictum pectoris robur, qui nullum animi commoti ſignum in re aduerſa & ſubita dediſſet. Id autem, quod Hiſpaniam malis hominibus exhauſtam eſſe dixit, ex regis Ferdinandi conſuetudine & cõuictu traxit: qui ſæpenumero expeditiones aliquas non alia de cauſa parandas eſſe aiebat, quam vt furibus, ſicariis, ganeonibus, & perditis hominibus iuuentus Hiſpana expurgaretur: quæ malorum conſortio inutilis & vitioſa paulatim reddebatur. Hoc conſilio iam olim in Athenienſium rep. Periclem clariſſimum imperatorem vſum eſſe, ex hiſtoriis nouimus: qui ſingulis annis claſſem ornare ſolitus erat, vt ignaua, turbulenta, & ſeditioſa plebe ciuitatem ſuam leuaret. Æmuli qui ex euentibus acta æſtimabant, eam expeditionem tanquã parum prudenti conſilio ſuſceptam, parumque apto imperatori commendatam, apud Carolum criminabantur. Qua de cauſa aliquot epiſtolis cladis famam Ximenius extenuat: nã mille tantum homines ex vniuerſo exercitu, adnumeratis etiam captiuis, deſideratos fuiſſe ad Carolum ſcribit: & culpam in Didacum Veram aperte reiicit, tametſi iacturam nihili eſſe faciendam dicat: bonam tamen ſpem habere, magno cum hoſtium damno & detrimẽto ſe vindictam ſumpturum. Ad Leonem vero Pont. Max. vt ex eius reſponſione per Petrũ Bembum edita apparet, grauius aliquid ſcripſiſſe certum eſt. Nam magna moleſtia ſe affectum eſſe Pont. reſpondet, quod exercitus quem in Africam Ximenius tranſmiſiſſet, magnam plagam apud Algerium accepiſſet: vna tamen re dolorem ſuum leuiorem fieri, quod ipſe animo fractus non eſſet, neque quicquam de ipſius ardore & diligentia eam ob cauſam eſſe detractum: atque verbis ampliſſimis, eum ad alterum exercitum comparandum, & ad rempublicam Chriſtianam iuuandam adhortatur: animumq; illum dignum eius virtute, dignum etiam authoritate quam ſupremam Carolus ei dabat, diutius retinendũ eſſe, atq; adeo ſæpius aduerſus communes hoſtes incitandum: cum præſertim ex recenti, & mirifica Turcarum regis contra Sultanum Ægyptium victoria, non dubium erat, quin inſolẽs & exultans Turca, vere ineunte mare noſtrum infeſtaturus eſſet, atq; claſſe inimica repleturus. Quod commune malum cæteris quoque principibus Chriſtianis ſe indeſinẽter denunciaturum, vt communibus votis & præſidiis, hoſti potentiſſimo vniuerſi reſiſtant, bellumq; cum eo aduerſus Turcas vnanimes capeſſant. Ex quibus ſane literis plane conſtat, Ximenii amplitudinem & authoritatem, non modo apud Hiſpanos clariſſimam, ſed etiã apud exteras gentes illuſtrem fuiſſe. Sic enim Pont. Max. cohortationibus ad regios conatus ſuſcipiendos inſtigatur, vt ſolent reges, & magni principes. Nimirũ bonam negotii cõficiendi partem, ex eius induſtria & robore pendere intelligebat. Fuit etiã ſub hoc ipſum tempus edictum Ximenii, ex regii ſenatus authoritate, aduerſus mercatores Genuẽſes, qui noſtras vrbes frequentes incolunt, per vniuerſam Hiſpaniam promulgatum, quo iubebãtur, vt intra certum dierum ſpatium, ex Hiſpania diſcederent, alioqui bonis priuandi & capite puniendi. Tam acerbi edicti cauſam hanc fuiſſe apud Martyrem reperio. Ioannes Riuus, qui Didacum Veram ad Algerianam expeditionem inter præcipuos comites ſecutus fuit, modicis parentibus Toleti ortus, ſed bellicis artibus & animi præſtantia per omnia inſignis, longa & probe munita triremi piraticam interdum proſpere exercebat. Hic in mer-

catores Genuenses aliquando incidens, naues eorum & opes deprædatus, damna non mediocria (vt aiebant) illis intulerat: quare sedulo curabant, vt sese occasio offerret, qua prædonem vlciscerentur. Accidit igitur vt sub mensem Iulium, tres onerariæ Genuensium naues apud nouæ Carthaginis portum, lanarum asportandarum causa in anchoris essent. Nam cum ouium Hispanarum vellera, tenuitate & mollitudine præstent, innumeri lanarum sacci ad alias regiones ex Hispania quotannis traiiciuntur. Aderant præsidii causa totidem naues, omni bellico apparatu, atq; militibus Genuensibus munitæ: quibus respub. iusserat, vt Ioannem Riuum prædonem interea quærerent, & meritas pœnas ab illo sumerent. Igitur dum ea de causa in anchoris sunt, ecce classis Hispana aduenit, cui præerat Catalonius Berenguellus Muschoti dominus, vir in illa prouincia primarius, dignus qui propter generis nobilitatem, & spectatam sui parentis erga regem Ferdinandũ fidem, honorificis muneribus præficeretur, quanquam animo nonnihil remisso, & ad pericula ignauo habebatur. Huic comes veniebat Ioannes Riuus, quem ex triremi longa Genuenses agnoscentes, eum sibi tradi multis obtestationibus à Berenguello petunt: cum præsertim ex fœdere cum Hispaniæ rege facto, si quis hostis alterutrius fuisset, vtriusque præsidiis & armis, esset oblata occasione puniendus. Id cum Berenguellus arroganter despexisset, Genuensiũ præsidia irritata, quod iusta oratione impetrare nequiuerunt, Ioannem Riuum vi adoriuntur, & eius triremem tormentis pene subruunt. Commotus Bereguellus, satis inepto & degenere consilio præsidiariis nauibus relictis, quibus cum ob illatam iniuriam, confligendũ erat, in nihil commeritas onerarias tormenta sua hostiliter contorquet. Vim vi repellendã Genuenses decernentes, cum præsertim insontes impetiti essent, tres demittunt è nauibus scaphas, & singulis bina tormenta imponunt, & nostram classem præfecto carentem (illico enim vt ad manus veniendum fuit, Berenguellus prælium deseruit, & classe neglecta terrã petiit) assiduis ictibus male multant: & ex quatuor Hispanis triremibus, duas vi tormentorum confregerunt: quarum altera submersa fuit. Berenguellus interea tumultu vrbem cõplens, eam iniuriam quæ prorsus ad læsam maiestatem pertinebat, neutiquam esse ferendã clamitans, machinis tormentariis in Carthaginis tutelam comparatis, Genuenses esse repellendos admonet. Cœpit pugna grauiter accendi, & vt in tumultu & seditione fit, cæco furore concitatis animis, nihil consilii vel remedii capiebatur. Vtrinq; æneæ glandes tormentis emittebãtur: vrbis tecta concutiebantur: eminentiores turres concidebant: nihil hostilius ab immanibus Turcis misera ciuitas potuit expectare. Tandem magna vtrinque edita strage noctis interuentu certamen dirimitur. Hoc factum Ximenii animum acriter commouit: neq; enim tanti faciebat Ioannem Riuum piratam à Genuensibus capi, quam per summam iniuriam fœdus violari, & regis nostri maiestatem contemni. seq; eo tempore sceptra moderantem, tam manifesta contumelia affecisse. Hac ergo de causa in Genuẽses edictum, quod diximus, promulgauit. Berenguellum vero ita ex ea re oderat, vt eum classis præfectura priuare apud regem curauerit, & ad Ioannem Velascum virum strenuũ, & Bernardini comestabilis iam defuncti filium transferre. Sed Berenguelli patroni, id non tam Ximenium reip. causa: quam affectui priuato indulgentem contendere, apud regem identidem affirmabant: quorum dictis fidem rex habuit, & Bereguellum ferme per Ximenium exauthoratum rursus pristino muneri restituit, quatuor millibus aureis ad iacturas farciendas insuper additis. Quapropter Ximenius acerbiori in Berenguelli ignauiam epistola ad regem data, id neutiquam faciendum esse scripsit. Quod si Velascus propter paruã rerum maritimarum experientiã impar esse præfecturæ credebatur, Barchionenses & Valentinos maritimos populos sese offerre, ad omnem oram Hispanam tutandam, propriis commeatibus & sumptibus vniuersæ classi necessariis: quorum promptam ad eam rem voluntatem, eo præsertim tempore, non esse reiiciendam. Nam postquam seculares induciæ cum Genuensibus pactæ exierant, veteres simultates, quæ ob Sardiniam Mauris quõdam proditam inter ipsos intercedebant, capitali odio renouari videbantur. Porro mirari se dicebat illorum inconsiderantiam, qui Berenguellum regia beneficẽtia adaugendũ curauissent, qui acerbiori custodia, quam eius conterraneus Quinctus, qui apud Belgas ob læsam maiestatem in vinculis erat, puniri meruerat. Sed nihil apud Carolum promouit, Belgis aulicis Berenguello studiose patrocinantib. Eius causam tunc mire adiuuit, quod sub extremum Augustum, acri & cruẽto prælio, quod magna vtriusq; partis cõtentione per solidum ferme diem durauit, quatuor Turcarum piraticas triremes Berenguellus nouẽ nostris probe instructis cepisset, Turcis ad vnum captis aut confossis: cum toto sexennio ex quo ille præfectus classi fuit, mare nostrum Mauris insolenter infestãtibus, nihil egregium aut preclarum gesisset. Erat Ximenius suopte ingenio fortium virorum studiosissimus: vnde magnum Gõsalum & Bernardinum comestabilem summe coluit: Fernandum Andradẽ non

vulgari comitate tractabat: compluresq; alii hac vna ratione, quamuis infimo loco nati eſſent, apud eum inprimis commendabantur. Quæ res eo tempore effecit, vt virorum fortium numeroſa turba ad eum vndique confluxerit: atque reſpub. militaribus exercitiis florens, exteris principibus, rege abſente, terrori fuerit. Berenguello vero indignabatur ob ſemel conceptam de illo opinionem, quaſi remiſſi & imbellis animi eſſet: à qua nunquam diuelli potuit. Genuenſes vero, quos edicti promulgatio ob intercepta lucra & bonorum cunctorum proſcriptionem male habuit, illico ad Belgas traiicientes, publica legatione apud Carolum regem ſeſe excuſarunt: moleſtiſſimum id ſuis ciuibus accidiſſe, quamuis Berenguelli temeraria inſolentia occaſionem iuſtiſſimam dediſſet: Remp. tamen eius nomini deuotiſſimam parum Berenguelli imprudentiam curauiſſe, modo fœdera cum ea icta conſeruarentur: atq; ita ſenatum decreuiſſe, vt nauium illarum præfecti capitis rei continuo haberentur, cæteris vero qui præfectis conſenſiſſent, vt quamprimum patriam terram appellerent, commeritas pœnas reipublicæ darent. Verum Deum immortalem iuſtiſſimũ delictorum vindicem, occaſionem quam quærebant præripuiſſe, qui naues illas apud Nicæam, in Villafrancę portu conſiſtentes, ſubito & inſperato turbine correptas, & ruptis rudentibus, anchorarumq; retinaculis, miſerabili ſpectaculo in gyrum actas, cum viris pluſquam trecentis ſubmerſiſſet. Cuius rei atrocitatem & duriſſimam fortunam adeo nihil eos commouiſſe, vt potius grauiter tulerint, ſceleſtos homines & fœderum violatores, diuina potius vltione periiſſe, quam reipublicæ vindicta, quæ in exemplum poſterorum erat futura. Carolus illorum appoſita oratione placatus, quicquid noxæ admiſerant benigne condonauit, & Ximenii edictum abrogandum eſſe placuit. Ximenius contra ſeuerus inſtare, in regiam maieſtatem peccantibus haud ita leuiter ignoſcendum eſſe, & nouas cauſas accidiſſe, propter quas Genuenſium bona apud ſequeſtros eſſent detinenda. Eæ autem huiuſmodi erant: Petrus Nauarrus, quem ad Africanam expeditionem imperatorem Ximenius habuerat, cruenta illa apud Rauennam pugna, cum fortiſſimi militis & optimi ducis partes abunde præſtitiſſet, à Gallis captus, & odio quorundam noſtrorum, quos infenſos habebat, in cuſtodia neglectus, à rege Gallorum ſolicitatus, claſſi Gallicæ hac (vt aiunt) cõditione præficitur, vt naualibus & pedeſtribus copiis, conſilio & præſentia ſua conſuleret, manus autem cum Hiſpanis conſerere, aut regem ſuum apud quem in pretio habitus ſtipendia fecerat, aperto Marte offendere non teneretur. Is eo tempore ſedecim nauiũ claſſe Maſſiliam veniens delectus militum ſtudioſe faciebat, nec dubium eſſe, quin ille totus apparatus aduerſus Calabriam & Siciliam inſtrueretur. Nam Genuenſium claſſis, quæ paulo ante Gallicæ adiuncta fuerat, Panormum adoriendi ſuſpicionem dederat, Camarino & Goliſcano eius vrbis primariis hominibus clam auxilium ferentibus, poſt Nauarri vero aduentum aperte rem gerentibus. Neq; enim alia de cauſa, vir eius oræ peritiſſimus ſuperuenerat, niſi vt eius ductu & conſilio, qui Campana & Sicula littora tam probe nouerat, totã illam regionem infeſtarent. Periculum itaq; eſſe, ne Maximiliano Cæſare aduentum ſuum in Italiam differente, Gallorum poteſtati Mediolanum & Neapolis cederent. Addebat etiã Barchionenſium legationibus certiorem factum eſſe, quotidie in eorum portubus Genuenſes & Gallos ſeſe oſtendere, omnemq; illum Cataloniæ tractum ſub ſpecie diſtrahendarum mercium illis hominibus repletum eſſe, qui vltro citroq; cõmeantes, frequentes nuncios in Galliam mitterent, indeq; rurſus acciperẽt. Quæ omnia belli quidem aduerſus Neapolim præparati indicia erant: ſed iam tandem literis per arcanas notas ſcriptis, quas Caucoliberenſis arcis præfectus interceptas ad ſe miſerat, vniuerſam rem deprehẽſam eſſe. Nã in eis Genuenſes claſſis ſuæ præfecto imperabant, vt tam à Gallis quam à cæteris confœderatis, aduerſus Hiſpanos præſidia peterent, beneq; deinceps ſperarent: nam iam fortunæ aſpirantis principium ſeſe oſtenderat, celoce Hiſpana apud Sardiniam capta, pluſquam cẽtum militibus inſtructa. Quare bono animo eſſent. neq; vllam rerum neceſſariarum inopiã timerent: nam in duabus inſulis Sardinia & Sicilia, omnia prouiſa & diſpoſita eſſe, quo ſi anguſtiis premerentur, tuti & ſecuri ſe reciperent. Idcirco ſibi id ſententiæ eſſe, vt ex ſupellectile Genuenſi, quæ apud ſequeſtros erat, nihil propriis dominis reſtitueretur, donec illi motus apertius innoteſcerent. Nam ſi fœdus tãdem violare nõ ceſſarent, propria pecunia oppugnari poſſe. Quare tãtiſper ſuo edicto authoritas dãda, quoad de eorum erga noſtros fide rei euẽtus teſtimonium daret. Neq; enim tantopere Genuenſium negotiationẽ Hiſpanis regionib. neceſſariam eſſe, vt non parum multi prudentes homines reperiantur, qui nõ modo eorum commercia parum eſſe nobis fructuoſa affirmant, ſed vehementer etiã pernicioſa: quod tamen alterius conſiderationis eſſet. Porro legatos ſe Genuam miſiſſe, qui de his omnib. agerent, atq; eorum animos explorarent. Hæc quidem Ximenius diligẽtiſſime monebat: ſed Genuenſes fidem Caroli implorantes, tandẽ in priſtinã cõditionẽ, Ximenio

etiam

etiam approbante restituti sunt. Nam legatis, quos ad eos miserat, benignissime susceptis, omnem suspicionem quam de Neapolitano bello conceperat, abunde ademerunt. Nauarrus quoque pro veteri amicitia per Taramonam presbyterum familiarem suum, se apud Ximenium expurgauit, maritimas illas copias, totumque illum naualem apparatum, pro antiquo suo instituto aduersus hostes religionis parari affirmans: viresque suas & solitos conatus se potius aduersus Africana littora, quam contra regnum Neapolitanum, aut contra Siculam oram intendere. Dum hæc aguntur, Naiarensis Nauarræ prorex ad Ximeniũ scripsit, Caroli literis iuberi, vt equestre præsidium, quod in Nauarrorum finibus tenebat, Maximiliano imperatori, ad Brixiæ obsidionem in Italiam descendenti concederet. Ille enim Gallicæ potentiæ infringendæ causa, nepoti prospiciens, in Italiam festinabat: quoniã totum illum Insubriæ tractum, qui à Mediolano in Bononiam est, Gallus occupauerat: cuius copiæ in dies magis augebantur. Id vt diligenter faceret Ximenius rescripsit: sed per celeres cursores Carolum monuit, ne Brixiæ expugnationem imperator auus frustra tentet, esse enim, vrbem natura & loco munitissimam: sed Mediolanum continuo contendat, qua capta, non solum Brixiæ dominum futurum, sed vniuersæ Italicæ opulentiæ, quæ ex Mediolanicis negotiationibus & commerciis, propter regionis fœlicitatem constat. Se vero nisi ei aliter videretur, si Neapolim Gallus intendat, validissimo ex Hispania coacto exercitu, Lutetiã versus in Gallias irrupturum. Et quoniam nonnullos ex Neapolitanis regulis, qui priuatorum negotiorum causa apud eum erant, parum comiter à Belgis aulicis tractari audiuerat, & moras in reb. quas efflagitabãt iniquo animo sustinere, meminisset Neapolitanorum mores, qui leuibus de causis nonnunquam acriter irritantur: & daret operam, vt omni beneuolentiæ & ciuilitatis genere deliniti, domum quamprimum fieri posset redirent. Militum Hispanorum legionibus, quæ ad Neapolim eo tempore erant, in summa rerum inopia constitutis, subueniendum statim esse censere. Nam stipendia quæ meruerant numerari flagitabant, vt ex Arellano tribuno, qui à prorege eam ob causam ad se venerat, cognoscere poterat: nam in eo articulo res Italicas positas esse, vt potius regiæ familiæ, quam Neapolitanis militibus argentum sit negandum. Ad cæteros vero Italiæ motus sedandos, Pontificis maximi animum captandum: de quo, quamuis ille omnia pollicere-tur, se non admodum securum esse. Nam cum non ita pridem Gallis ad conferenda cooptandaque sacerdotia liberali animo, certis sub legibus, ius concessisset, & condonationes item pontificias, quæ à crucis protectione, cruciatæ dicuntur, has à nobis sæpius flagitatas, nouas causas nectendo, denegauit. Id autem fieri, vt vires Gallo adaugeantur, certissimum esse: neq; enim bellum cum religionis nostræ hostibus se gerere, aliamve publicam causam procurandam suscepisse, poterat prætexere: cum Hispani per nongentos annos, cum Mauris perpetua prælia conseruerint, sanguinemque suum in defensionem crucis, & religionis propagationem effuderint, & adhuc effundant. Esse itaque summum Pontif. si opus foret interdum perterrefaciendum, quemadmodum à se quoque nuper esset factum: qui liberiori epistola eum admonuerat, vt se erga reges Hispaniæ indulgentius gereret, & multa alia quæ in hanc rem esse videbantur. Quare etiam atq; etiam videret, quem suo nomine legatum Romam mitteret: nam permultum in eo deligendo interesse, cuius ob Hispanorum in vrbe frequentiam magna authoritas & potentia erat. Ergo Petrus Vrrea Belgarum fauore apud regem commendatus, non quidem Hieronymo Vico successor datur, sed pari cum eo potestate Romam mittitur: quam aliquot mensibus non admodum concordes, vt in imperii consortio solet fieri, gesserunt. Nam Martinus Cotillus sic ad Ximenium, cuius cum Petro Arteaga negotia Romæ procurabat, scribit de cardinalibus, qui aduersus Pont. max. cõiurasse accusabantur. Sauli (inquit) & Vrsini cardinalium causa, in portu (vt aiunt) est & propediem liberandi credũtur: nam iam cõtrouersia ad clausulam perducta est, & vades Pont. max. dati. Ingens ad hãc rem fautor, noster orator Hieronymus Vicus est, egregieq; illorum partes agit: quo fit vt Petrus Vrrea eisdẽ aduersetur, & in contrariam partem inclinet. Neq; enim fieri vllo pacto potest, vt duo simul legati cõcordem operam, & regi nostro profuturã, apud Pont. vnquã præstent, nisi alter alteri cedat, à quo hi nostri lõge absunt. Nã Petrus Vrrea regio fauore insolens, legati munus arrogantius exercet: Vicus cõtra ex suis opibus, & ex fratris Raimundi cardinalis dignitate animos sumit: præsertim quod tam rerum experiẽtia, quã iudicii acumine & grauitate, Petro Vrreæ præstare se videt: vnde attẽtius auscultatur in sentẽtiis dicẽdis. Quare tẽpus esse expectandum existimat, neq; vllo modo Vrreæ cedẽdum. Qui Vrreã propius nouerũt, multum eius virtuti deferunt. Nam cum Caroli iussu Mediolanum in Maximiliani ducis auxilium venisset, quem Gallus deturbare principãtu contendebat, atq; Heluetii, quos Maximilianus selectos apud se habebat, Hispanis anteponi niterentur, ille forti & præstanti animo Heluetiorũ superbiæ sese opposuit

illamq; celebrem vocem edidit, sæpe Hispanos Heluetiorum terga conspexisse, cum illi raro Hispanorum vultus ferre potuissent. Hæc de legatis per regem mittendis. Monebat etiam, pari cura considerandum esse, quales legati in Hispaniam à Pont. max. mitterentur: nã totius reip. tranquillitatem ex eorum ad principes suos relationibus pendere: sæpeq; numero accidisse, vt illorum stultitia aut insolentia, motus grauissimi coorti fuerint. Certiorem porro factum se esse, nuncium à Pont. Max. in Castellam mitti Laurentium Putium, Laurentii Putii cardinalis nepotem: quare in rem nostram esse vt omni conatu rex intercederet. ne homo leuissimus, & futilis ad nos mitteretur. Nam Putium cardinalem superbum esse, & auiditatis inexplebilis vitio laborare, ex suorum literis didicisse. Magnam itaq; reipublicæ Hispanæ perniciem euenturam, si hic Romæ, ille in Hispania ad res pro libito tractandas mutuam sibi operam dedissent. Dum externis rebus apud Carolum prouidendis Ximenius occupatur, multa reipublicæ nostræ propria sese interim quotidie offerebãt, in quibus constituendis eius virtus etiam elucebat. Erat in Hispania numerus eorum frequens, qui Iudæorum superstitione relicta, ad verum Dei cultum transierant: sed multi quotidie ob violatam religionem accusabantur. Et cum iudicia exercerentur, nulla testiũ publicatione facta, apud regem omni studio & arte contendebant, vt apertis testimoniis vniuersa negotia tractarentur, oblata interim ingenti quadam nummorum summa. Nam vt ex Mazuequi regii consiliarii ad Ximenium literis intelligitur, plusquam octingenta aureorum millia, eo tempore regi offerebantur: idque iam confectum per Belgas esse crebris rumoribus apud nostros iactabatur. Rursus Cathalonii apud Pont. Max. altera ex parte instabant, hoc ipsum petentes: & fortasse impetrassent pecunia oppugnantes, nisi Laurentius Putius cardinalis, Hispani nominis studiosus haberi volens, regium legatum admonuisset, qui Ximenium certiorem hac de re fecit: cuius authoritate & monitis, Cathalonii summum Pontif. solicitare destiterunt. Ad Carolum vero mirari se Ximenius scripsit, quod ex sacrosancti Tribunalis legibus, quæ per reges catholicos tam accurato consilio examinatæ & exploratæ fuissent, quicquam mutari (vt aiebant) permisisset. Priuatim quoque doluisse, quod se adiutore & hortatore id esse factum à quibusdam iactaretur: cum apud Pont. Max. Cathaloniis, ne id consequerentur, ipse potissimum impedimento fuisset: & multo ante apud auum Ferdinandum rei nummariæ inopia laborantem, quando bellum Nauarrense gerebatur, intercessisset, ne sexcenta aureorum millia acciperet, quæ modo annuisset, continuo numerabantur: qui Christianæ religionis cultum & obseruantiam, atque in Deum immortalem insignem pietatem, pluris quam diuitias & auri aceruos faciens, illius tribunalis leges stabiles ratasque manere voluit. Haberet itaque in oculis tam præclarum & recens aui sui exemplum, ne quid mutandum in cognitione causarum, quæ ad religionem pertinent, censeret. Nam quicquid ab aduersariis obiiciebatur, sub regibus catholicis in vtranque partem satis disputatum fuit: & hanc vnicam viam fuisse repertam, qua religioni labanti consuleretur. Quare si à Deo Opt. Max. incrementa etiam suscipere, & exornari cuperet, eandem quoque viam iniret, qua eius aui perpetuam sibi gloriam pepererant. Nã vt cætera exempla taceret, vnde satis constaret legem de testium nominibus non edendis immotam esse oportere: illud recensere velle, quod nuper in Talabricensi tractu acciderat: nouum quendam è Iudæo Christianum ad tribunal Inquisitionis appellatum, qui absolutus, cum in testis cuiusdam notitiam deuenisset, insidiis in solitudine dum iter facit circumuenit, & hasta transfixit. Tanta enim est ea ex re infamiæ acerbitas, & tanta turpitudinis nota inuritur, vt si hoc remedio non succurratur, permulti ad hunc modum non solum in solitudine, sed in foro ipso & iudicum subselliis, perituri atrociter sint. De quibus omnibus, si certior fieri accuratius cupiebat, habere apud se Alphonsum Manricum Cordubẽsem Episcopum, & Lupum Aialam procuratorem suum, qui rerum istarum magnam cognitionem tenerent. Carolus religiosissime se gerens, qua virtute ab illis adeo initiis ad vltimam vsque ætatem semper enituit, Ximenii consilium secutus, sacrosancti tribunalis authoritatem conseruauit. Agebatur per ea tempora, de Bernardino Carauaialo Cardinali, in Seguntinum Episcopatum restituendo: nam coniurationis in Iulium secundum Pontif. Max. causa, cuius ipse princeps est habitus, sacerdotiis omnibus priuatus, insuper Senatu motus, vitam ignobilem & extorrem traduxerat. Cæterum Leonis x. benignitate, & Caroli regis fauore in Senatum iterum receptus, omnia ablata restitui postulabat, sedulo id Ximenio contendente. Successerat ei in Seguntina ecclesia Federicus Portugalius, regio Aragonum sanguine, & familiæ nobilitate perquam illustris. Magni nominis aduersarius Carauaiali negotium dubium reddebat: nam quamuis & regis voluntas, & Ximenii conatus Carauaiali causam tuebantur, aderant ex vniuersa nobilitate Federico patroni, qui rem per tumultum acturi credebantur. Nam Inachum Mendozium Infantatus ducem,

qui

qui nuper ingenti omnium, ſed potiſſimum ſtudioſorum mœrore, quorum ille patronus & fautor ſemper fuit, anno M. D. LXV. ſub menſem Septembrem fatis conceſſit, dicentem audiui, ſe eo tempore ad Ximenium à patre Didaco miſſum, atque cum eo multum expoſtulaſſe, quod in Federico exturbando tantopere laboraret, quem Iſabellæ Aragoniæ quam nuper ipſe vxorem duxerat, non vulgari propinquitatis gradu coniunctum noſſet. Quæ cum liberiori oratione à ſe dicerentur, Ximenium quanuis irritatum, magno artificio reſponſum temperauiſſe: nam & illum ſeuera oratione corripuiſſe, & ita blando ſermone intermiſto iuuenili feruore excandeſcētem demulſiſſe, vt inde Ximenii ſtudioſiſſimus, quadamque prorſus ingeniorum (vt Inachus aiebat) ſympathia erga hominem ampliſſimum affectus diſceſſerit: ſæpeque mecum de eius animi magnitudine & conſtantia, ſingulari elogio, & honorifica & profuſa mētione, egerit: cum alioqui grauis & excelſi animi vir, non niſi optimos & meritiſſimos homines teſtimonio ſuo, idque parce, cohoneſtādos duceret. Igitur dum de Carauajalo, reducendo agitur, diœceſis Seguntina in diuerſas factiones diuiſa, nonnulli Carauajalo, alii Federico ſtudebant. Hæc cum in dies pertinacius agitarentur, ſimultatibus in odium gliſcentibus, ad arma & rixas deuentum eſt. Et in ea diœceſi Almazanum, oppidum ditionis comitis Montacutani, in quo tumultum hac de re exortum, non aliter ſedari poſſe viſum fuit, niſi quæſtore per regium Senatum miſſo, qui in eius authores ſeueriſſime de more animaduerteret. Hic, vt plerunque huiuſmodi iudices carnificinam exercere ſolent, in miſeram plebem, terrorem (vt aiunt) incutiendi cauſa, non modo inſolenter, ſed crudeliter & inhumane ſæuire cœpit. Comes cum ad Senatum de eius immanitate & dementia retuliſſet, nihilque tādem ab his prouideretur, ſubditorum iacturis conſulens, Ferdinandum Calderonum (nam id erat quæſtori nomen) Almazano per vim expellit. Senatus Montacutanum, vtpote læſæ maieſtatis reum, & Adrianus Ximenii ſocius acerbiſſime accuſandū decreuerunt: diemque illi continuo dicendum. Id Ximenius neutiquam permiſit, iureque ſuo id Montacutanum feciſſe dixit, qui toties apud Senatum queſtus, nihil remedii attuliſſet. Hoc autem quod de Carauajali & Federici controuerſia diximus, Guterrii à Toleto Placentini præſulis morte diremptum eſt: nam ea eccleſia Carauajalo per Carolum data, Federicus Seguntinam retinuit. His ad hunc modum ſedatis, cum ſub Ferdinando rege, vrbium & oppidorum præfecturæ obſcuris hominibus plerunque committerentur, perpauci ex nobilitate qui eas ambirent inueniebantur. Quocirca Ximenius in hac quoque parte reipublicæ conſulens, priſca noſtrorum regum conſuetudine reuocata, viros ex omni nobilitate ſelectos, moderandis prouinciis præfecit: quorum catalogum non pigebit facere, nam nonnulla eis acciderunt, quæ ſi prætermitterentur, nonnihil ſeries hiſtoriæ læderetur. Comiti Lunæ Hiſpalenſem regionem tradidit: Fonſalitano Callaicorum fines: Palmario Toletanos: Falcenſium marchioni Baecios in Bætica & Vbetanos: Ioanni Velezio huius fratri Paxauguſtanos: quos ad remotiſſimas Luſitaniæ & Bæticæ partes amandaſſe dicitur, vt longe illos à Nauarris locaret, quorum permulti Alebritenſis, non ita pridem pulſi, deſiderio non vulgari tenebantur: Petro Reginoſo Giennēſes: Ioanni Zapatæ Madritēſi Aſtigitanos: Alcaratios Aluaro Luxano: Villenates Antonio à Corduba: Bernardino Meneſio, qui Talabricenſium ad Oranum (vt diximus) dux fuit, Murgitanos: Guterio Quixadæ Conchenſes: Gaditanos Alphonſo Guzmanno: Bernardino Aſtunigæ Molinenſes: Petro Caſtillo Agredenſes: Alphonſo Syluæ Toletano Truſillanos: Didaco Gomecio Aialæ Placentinos: Ioanni Sandio Carauajalo, Cardinalis fratri, Salmanticenſes: Bertrano Gueuaræ Madritiēſes: Pintianis cuius prouinciæ adminiſtratæ rationem eo tempore præfectus reddebat, Lupum Zapatam, vt inuenio, deſignauit: Abulenſib. Bernardum Matam Guadalfajarenſem: Legionenſibus Gonſalum Ayoram, de quo in Africana expeditione diximus: Sanctifacundianis, & Carrionenſibus Sanctium Brauū: Ioannem Gaitanum Malacitanis. Qui quoniam ſine honeſta excuſatione Ximenii mandatum, & regias tabulas de Gaitano recipiendo contempſerunt, palam interminatus eſt, ſe iterum aduerſus eos militares cohortes miſſurum, quæ ſine vlla veniæ ſpe eorum fines hoſtiliter diriperent. Palantini tamen & Cantabri, quamuis nobilibus præfectis caruerunt, duos inſignes iuriſperitos ſortiti ſunt, Leonem & Callaicum: quorum ſecundus in examinanda Ferrerii præfectura, quam Toleti aliquot annos ſub Ferdinando tenuit, præclaram operam (vt diximus) Ximenio commodauit. Lauretanæ tetrapoli cum Rengifum ſancti Iacobi cōmendatarium deſignaſſet (hic autem eſt quem de morte Ferdinandi nuntium ad Belgas veniſſe ſcripſimus) & pluſquā annum, quod tempus ad capeſſendam prouinciam more maiorum definitum eſt, non impetrato commeatu, abfuiſſet, Villaroellum iuris item peritia clarum, & rara quadam prudentia præditum ſucceſſorem extemplo dedit: qui cum iam proxime Lauretum acceſſiſſet, per miniſtros, quos forte præmiſerat, certior eſt factus, tabulas regias

è Belgio venisse, quæ Rengifo præfecturam prorogabant: & eius vicario facultatem dabant, vt si quis alius præfectus mitteretur, aut eum non susciperet, aut in vincula coniiceret. Id iniquo animo Ximenius accepit, atque ea de re apud Carolum & Belgas proceres multum expostulans, indignissime secum agi scripsit, prorsusque contra factas inter ipsos pactiones: conuenerat enim vt officia ad exequendam iustitiam pertinentia, quæ aut annum, aut biennium durabant, Ximenii arbitrio distribuerentur. Tum quod illi tam longe absentes, parum priuatorum hominum dexteritatem, aut ignauiã cognoscebant: tum quod prouinciarum præfecti ni à Ximenio designati fuissent, parum obsequentes ei futuri erant: quandoquidem & quos ipse præfecerat, & quibus magistratum abrogare etiam poterat, sæpe imperata facere imprudenter negabant. Proinde mirari se dicebat, cur sententiam mutassent: timereque maxime, ne ipsis rerum nostrarum & legum ignaris, à maleuolis & pessimis fucus factus in ea re fuisset. Carolo in memoriam reducebat, quemadmodum non ita pridem per literas priuatas iussisset, vt eis continuo successores daret, qui à regionibus & prouinciis traditis vltra tempus à iure præscriptum quauis de causa abessent. Itemque partim eam ob rationem, partim quod Lauretana terra polis per præfectorum absentiam, vt sunt mores illorum hominum, graue damnum capere solet, Villaroellum ad eos misisse: cuius ea erat experientia, authoritas & doctrina, vt vel Toletanæ præfecturæ par esse posset. Si quis Ximenii naturam æstimauerit, generosumq; illud & contumeliæ impatiens ingenium in re præsertim tam manifeste iniusta, durum id accidisse arbitrabitur. sed in hoc quoque prudentiæ suæ documenta dedit. Sentiebat enim aliter fieri non posse, quin in tanta rerum & negotiorum mole, vbi ipse vicario nomine regnabat, permulta interdum per regem absentem irritanda forent, quæ ille grauiter & iuste procurauisset. Sed eius animum non mediocriter exacerbauit Burgensis vrbis præfectura, quæ se inuito & renitente, Belgarum fauore Petro Castellæ mandata fuit. Is enim nescio quas ob causas à Ximenio neglectus, cum nihil vnquam ab eo impetraret, ad Carolum traiecit, & Belgis aulicis curantibus, Burgensis vrbis præfectus constituitur: & in Hispaniam veluti de Ximenio triumphaturus reuersus, eo insalutato & inconsulto, prouinciæ curam & moderationem cepit. Multa ab eo in gratiam Inachi Velasci comestabilis affinis sui, qui semper in ea vrbe primarium locum tenuit, facta sunt: multa item regio nomini & iuri officientia. Nam inter alia Laræ arcem, quæ regio custodi ad eam prouinciam in officio continendam, per præfectos regios committitur, pernicioso consilio Burgensi Senatui, contra pacta olim cum maioribus conuenta, custodiendam & tenendam tradidit: quanuis Pomareda, qui tunc Ximenii iussu in eius acta, qui eo magistratu abierat, inquirebat, vehementer intercederet. Burgenses eius arcis custodiæ, parum prudenter Giofredum Condannium Belgam, Philippi I. regis Hospitiorum metatorem, qui ius ciuitatis apud eos obtinuerat, præfecerunt, hominem dicacem, & Velasco familiarem & assiduum. Hisce omnibus commotus Ximenius, quid Burgis ageretur ad Carolum scribit: eumq; per literas hortatur, vt Giofredo homini ad eam rem inepto, eius arcis custodia auferatur. Idem censebat cum Petro Castella præfecto faciendum, si Galli aut Nauarri bellum rursus, vt dicebatur, instaurarent. Vtrumque vero esse à Carolo prouidendum, ne ipse cum Burgensibus, aut cum Petro Castella in certamen descenderet. Cum tamen de his rebus cum Didaco Castella tenpli Toletani decano agerem, viro grauissimo, acerrimique iudicii, & qui rerum nostrarum non mediocrem notitiam habet, mirari se aiebat, quod Petrus Castellæ homo simplici & generoso animo, moribusq; prorsus innocentibus quicquam aduersus Ximenium tentasset: cum non ita pridem sub Ferdinando rege Phillippũ Castellam Petri fratrem, Didaci decani parentem, à Ferdinando rege neglectum, vt qui Philippi generi partes sequutus fuisset, Ximenius multos dies benignissime fouerit & aluerit, donec ad Carolum traiecit. Burgenses vero Ximenii indignationem veriti, sub prætextũ Manzanetum commendandi, quem ex arcanis Ximenii notis Pomaredam nuper appellauimus (sic enim illum appellare libuit, nomine in Latinam linguam inclinante) quo secretius ageretur, epistolam reuerentiæ plenam de eo non abrogando ad Ximenium miserunt, nonnullis interim commemoratis, quæ ille ad reip. vtilitatem facere exorsus, ad finem perducere si vrbi vltra præfuisset studebat: quale est, de municipalibus Burgensium legibus, quæ dispersæ iamdiu, insigni reip. nocumento vagabantur, colligendis & emendandis: item de tota Burgensi regione lustranda, deque multis fundis & vectigalibus, de agrorum etiam limitibus in ea per priuatos homines vsurpatis, ad publicos vsus restituendis. Nam cum de eius voluntate in Manzaneto conseruando certi essent & securi, nunquam in animum induxerũt, præfectum ad eam vrbem Ximenio inconsulto à Carolo missum iri. Quod tunc plane insolens & insperatum accidisset, alioqui ipsi apud Belgas, tam pro debita in Ximenium ob-

seruantia

seruantia, quam pro magna in Manzanetum caritate, quam ob eius singularem in reipublicæ vtilitate procuranda industriam conceperant, summe fuerant curaturi. Porro Giofredus, quid de se Ximenius ad Carolum scripsisset certior factus, vt erat dicaculus, & scurrili pene licentia, Ximenii acta cauillis & calumniis, atque amaris dicteriis apud Carolum & Belgas traduxit. Multos ad magnos honores Ximenius euexit, quos non est operæpretium recensere: vnum tamen aut alterum propter eorum celeberrima & clarissima nomina, & blandissimam fortunæ indulgentiam, quibus ad excelsas dignitates obtinendas gradus certe per Ximenium est factus, obiter annumerabo. Cum Dertuensis Episcopus, qui in Aragonia Inquisitoris maximi officio fungebatur, diem suum obiisset, ad Carolum accurata oratione Ximenius scripsit, idq; suo procuratori studiose curandum summopere commendauit, vt Adrianus Florentius imperii socius, Dertuensi ecclesiæ, & sanctæ Inquisitionis officio sufficiatur: hominē enim esse syncerū & probum, ab omniq; prorsus auaritia alienū: externorum insuper natalium causa, ad prouinciam factiosam illis in rebus moderandam perquam accommodum. Nam se Inquisitionem Castellæ, & illo Aragoniæ tenentibus, omnia rite & religiose procuraturum iri. Dertuensem ecclesiam Adrianum obtinuisse certum est, quæ aditum illi ad purpureum galerum, & deinde ad summum Pontificatum aperuit: de Inquisitionis officio dissimulatum est. Cordubensem itidem ecclesiam Episcopo carentem Alphonso Manrico Paxaugustano, reguli Najarensis filio, tradendam curauit: Paxaugustana vero, quam nunc Pacensem vocant, vt Motæ Burgensi, regio secretario, homini Theologo mandaretur effecit. Manricus postea ad Hispalensem conscendit, & Ximenio mortuo Inquisitor maximus fuit. Motæ vero Palantina ecclesia cohonestato, cum iā prope culmen constitutus esset, morte præoccupatus, purpureo galero & Toletano pontificatu frui non licuit. Morte instante orationem grauitatis & sanctimoniæ plenam ad suos familiares habuisse fertur: in qua postquam de fallaci hominum spe, de rerū mortalium inconstantia disseruisset, binas literas ex scriniolo quod ad manum habebat deprompsit, alteras summi Pontificis galerum offerentis, alteras Caroli iam tum Cæsaris nomen adepti, quibus vt eius salutem diuæ virgini Deiparæ, quæ Toleti pietate maxima colitur, commendaret hortabatur: & vt ipse etiā vicissim firmus & incolumis, illius ecclesiæ moderandæ curam susciperet: quæ omnia (inquit) morte impediri videtis. Sed necessitati, aut diuinæ potius voluntati parendum est, quæ hominibus Christianis quod vtilius ad salutem æternam est, proculdubio tribuit. Quare ego me diuino arbitrio libentissime committo, & vos etiam quāquam multum perire vestris commodis sentiatis, debetis summi Dei decretum patienter ferre, & omnes vitæ vestræ rationes, illi vt patri indulgentissimo permittere. Sed illud memorabile est, vt prudentissimos etiam homines dormitare nonnunquam intelligamus. Fuerat Mota regi Philippo Caroli patri à concionibus, post cuius mortem cum parum Ferdinando catholico esset gratus ad Belgas traiecit, vt & cæteri Philippi ministri, sed fasciculis literarum quos à nostris regulis susceperat oneratus: nam illi in Ferdinādi odium, Maximilianum imperatorem ad Hispaniæ gubernationem euocandum curabant. De ea re Ferdinandus certior factus, cum Bernardino comestabili genere suo re communicata, vt magnanimum regem decebat, Motæ profectionem neutiquam impediuit, satis enim habuit hominis conatum eludere. Nam Bernardinus Burgos profectus, vbi itineri necessaria Motam conuasare intellexit, fasciculos quos dixi literarum, per sedulos ministros clam subtrahendos curauit: quod facile vir ea in vrbe potentissimus efficere potuit. Venit ad Belgas Mota, nihil omnino de interceptis literis suspicatus. Eius aduentus, qui iam regulorum literis innotuerat, cupide ab omnibus expectabatur, quos ipse iam præsens alacriores erectioresque reddiderat, omnia regulorum nomine pollicendo: in cuius rei fidē, cunctorum ferme literas se adferre iactabat. Sed apertis vasis, vbi sublatas esse vidit, Bernardini astu & calliditate id factum fuisse, facile Carolo, & Belgis qui Ferdinandi diligentiā nouerant, vt alioqui facundus persuasit. Cœperat Mota, vt homo parum cautus negligi: sed paulatim virtutis suæ multis in rebus specimen proferens, Caroli & Belgarum approbationem meruit: eamque gratiam tandem consecutus est, quæ in summo (vt dixi) fastigio illum collocauerat. Talis Ximenius in exornandis nobilibus fuit, talis in viris præclaris adaugendis: quos non solum magistratibus, beneficiis, sacerdotiis, aliisq; multiplicibus emolumentis prosecutus est, sed etiam honorificos titulos, aut ipse per se dedit, aut per Carolum dandos curauit. Ioannem Paciecum Pacieci Ascaloni filium, comitem titulo sancti Stephani, patre petente, ipse nominauit. Guillielmus Peraza ex Aialæa familia, Gomeræ Comes (quæ vna est ex insulis fortunatis) esse cupiebat, vt per Carolum appellaretur Ximenius effecit. Nam vt ex eius epistolis constat, Guillielmus præter suam dignitatem, & claritatem generis, Ximenii beneuolentiam priuatis officiis, regis autem multis obsequiis abunde quidem

demeruerat: quareſi illo titulo cohoneſtaretur, gratum ſibi magnopere & voluptati futurum ait: præſertim cum ex hac re nihil regis commodis deperiret, imo vero eius maieſtas & fiſcus magis dilataretur: prorſuſque id fieret, quod in prouerbii ſpeciem à noſtris hominib. iactatur, vt concubina in matrimonium illi collocaretur. Quod huic comitis titulum per regem conferri voluerit, Pacieci autem filio per ſe contulerit, id opinor in cauſa fuit: quod de Guillielmi titulo prius eſt actum, & ad ſuam modeſtiam pertinere putauit, vt per regem id faciendum curaret, ne ambitione aliqua eam quoque facultatem rege inconſulto ſibi aſſumere videretur. Laudauit eius prudentiã Carolus, quod facultate conceſſa vti noluiſſet, & vt poſthac audacius ſe gereret imperauit. Quare in Pacieco condecorando, anno ſequenti ſuo munere functus eſt: vt Carauajalus in annalibus ſcribit.

LIBER SEPTIMVS.

ANNVS decimus ſextus rebus ſupra narratis componendis moderandiſq; effluxit: decimus ſeptimus qui Ximenio fatalis fuit, & quo Carolus in Hiſpaniam nauigauit, varios regulorum motus, difficiles exitus, populares denique tumultus habuit. Hi quoniam anno proximo iam cœperant, & ferme vſque ad Caroli aduentum durarunt, in principio huius voluminis narrabuntur: vt poſtea minus impedito ſermone contentiones cum regulis habitas ediſſeramus. Poſtquam Ferdinandus catholicus obiit, Carolus per literas & frequentes nũcios pollicitus eſt, ſe vere ineunte (nam ſub extremum Ianuarium Ferdinandus obierat) in Hiſpaniam vela facturum, quod omnibus ciuitatibus mirum in modum gratum fuiſſet. Veruntamen cum eius aduentus per totum eum annum dilatus eſſet, multaque interim accidiſſent, in quibus Ximenii gubernatio non ſatis æqua quibuſdam videbatur, iis nempe, qui rege abſente res nouas moliri decreuerant, vnde eorum patrimonia augerentur: Belgæ rerum noſtrarum imperiti, & auri Hiſpani auidi, multa ſacerdotia & officia, tum publica, tũ priuata, externis hominibus, & noſtratibus nonnullis, ſed parum idoneis, vt Carolus tribueret effecerunt. Exportabatur interea ingens pecuniæ vis ex Hiſpania nemine prohibente: cœperunt populi rem præſentire, & in fraudem reip. fieri clamitabant. Acceſſerunt reguli nonnulli Ximenio infeſti, qui vulgus incenderent, & vt rex quamprimum veniret flagitarent: & vt Belgis relictis, deuotam Hiſpaniam viſeret adhortarentur, quæ illi potentiæ neruos, regiæq; adeo maieſtatis ſplendorem, vna potiſſimũ, inter ampliſſimos quos teneret principatus, daret. Cum autem annum elapſum eſſe, & adhuc etiam differri regis aduentum animaduerteret, varii rumores diſperſi ſunt, in multo longius ſpatium protrahi affirmantes. Grauius itaque fremere, & vrgentius inſtare: nam Galli quibus Carolum in Hiſpaniam venire moleſtũ & graue erat, eum natalis ſoli amore captum Hiſpaniam auerſari iactauerant. Quare rationem accommodam excogitaſſe, qua ſui cupidiſſimis populis fucum faceret, ſibique rurſus moram ampliorem necteret, qui duram & moleſtam populorum moderationem, ſuo ingenio & iuuenili ætati parum aptam fugiebat. Ergo decreuiſſe mentiebantur, ſimulatque claſſis Hiſpana in Belgium veniſſet, omnibus in ſpeciem nauigaturi apparatis, incunctãter nauim conſcendere, & iubere vt anchoræ ſoluantur: ſed ſtatim nauſeam vehementem ſimulaturum, cuius prætextu in Morinos ad portum relictum eſſet illi redeundum. Alii vero Gallum in animum induxiſſe aiebant, omnibus modis eius in Hiſpaniam aduentum impedire: proinde Belgas aulicos parum honeſtis conditionibus apud Gallum curare, vt per Galliam iter Carolo concedatur. Illud Ximenius falſum fuiſſe affirmabat: hoc vero quod veriſimilius videbatur, ſi ipſe audiretur, nequaquam eſſe faciendum cenſebat. Gallos enim ſemper nobis infidos fuiſſe: quare ne in cuſtodia apud Gallũ retineretur, donec Neapolim & Nauarram traderet, vereri ſe dicebat. Rem eſſe inconſiderantiæ plenam, & reipublicæ vehementer pernicioſam, per Galliam iter facere, in tam veriſimili perfidiæ ſuſpicione, niſi Rex Galliæ ſibi obſes interea daretur. Nõnihil hi motus compreſſi ſunt, Laxai Belgæ per id tempus aduentu. Is enim quod & Philippo regi amicus fuerat, & Carolo filio tunc à cubiculo eſſet, peraccommodus viſus eſt, ob acutum etiam & ſagax ingeniũ, qui Ximenio & Adriano tertius ad remp. moderandam accederet. Reguli qui in Ximenii inuidiam multa ſcripſerant: eius potentiã in triumuiratum diuiſam, infractam & imminutam fore ſperabant. Nam & Adrianus eorum ſuaſu, & inſtigatione ad Belgas ſcripſerat, ſe imparem eſſe ad Ximenio reſiſtendum, quod vir ſuperbus & conſortis impatiens, ſua voluntate omnia moderaretur. Populi qui rebus nouis ſtatim capiuntur, aliquid quod ſuis poſtulatis ſatisfaceret attuliſſe

attulisse Laxaum rati, tandiu interquieuerunt, donec alterum Adriano similem (hoc est desidiosum,& remissum hominem) temporis tantum eximendi causa missum esse, intellexisse se dicerent. Reguli tanquam id in Ximenii contumeliam factum esset, palam exultare: omni gratulatione Laxaum excipere: omni cultu & reuerentia, non tam ex animo, quã Ximenii æmulatione, prosequi. Ximenius vero fortitudine animi, & perpetua vitæ constantia subnixus, quanuis in suæ authoritatis fraudem Laxaum venisse aperte intelligebat, adeo id dissimulanter tulit, vt non secus ac si rex aduenisset, omnes regii comitatus ordines Madritum aduentanti prodire obuiã iusserit. Is enim primus Caroli nomine ad nos veniebat, post regis titulum assumptum. Reguli Ximenii imperio non expectato, clientibus quisque suis stipatus, in occursum certatim processerunt. Adrianum nuntii Romani (duo enim tunc aderant) Burgensis item Antistes,& Antonius Fonseca frater comitabantur. Maximi etiam præfecti militarium legionum commendatariis longo agmine præeuntibus, præfectus vrbis,& ordo decurionum nobilitate municipali adiuncta, Aragonii legati,& postremo amplissimus regii Senatus ordo, cui sanctæ Inquisitionis, & regii census, ac priuatarum rerum præsides, maiestatis ergo se adiunxerunt. Simul etiam processit Episcopus Abulensis cum Ximenii familia. Huic se comites in Ximenii gratiam addiderunt, Ascalonius Villenatum marchio, Gironius Vrrenatum Comes, marchiones Comarensis & Aquilarius,& Beltranus Cueua, Alburquercii ducis maior natu filius, comites Oropesanus, & Fernandus Andrada, & Bernardinus Cluniensis,& Aiala Fonsalitanus,& quem Ximenius Stephani titulo nuper insignierat, Ioannes Paciecus Ascalonii filius: præterea nobiles alii viri permulti, quos Gonsalus Ciaconius ducebat: nam marchio Plegianus, & Palmæ Comes, suis vterque gentilibus cinctus, Abulensi adhæsissent, nisi tunc populari fluxionis morbo, quem rheumatissmum Græci vocant, laborassent. Magna mentio huius morbi inter illius temporis scriptores est: neque enim Hispaniam solum, sed Belgas etiam & Gallos atque ferme vniuersam Europam, epidemiæ cuiusdam instar, inuaserat: quemadmodum & nostra ætate accidisse vidimus anno M. D. LVII. Nemo enim adeo salubri victu, aut selecta diæta est vsus, qui nõ vi fluxionum febriculis & rigoribus correptus, pestilentem ægritudinem senserit. Vidiq; ego cœnobia & collegia cunctis ferme sodalibus decumbentibus, languorem illum importunum sensisse. Nostrates vt cauillis gaudent, quod ille morbus Ximenii tempore priores Belgas inuasisset, hoc vnum malorum defuisse dicebant, quod ad nos Belgæ cum cæteris miseriis transmitterent, lentam rerum moderationem & ignauos qui mittebantur præfectos subnotantes. Igitur hi omnes obuiam processerunt: solus Ximenius personæ quam gerebat ratione habita, domi suæ mansit, & ad secundas cubiculi fores progressus venientem hospitem excepit. Et quod raro solebat, ea nocte opipare & apparate illum accepit,& omni sermonis comitate est prosecutus. Sed quoniã palatii cõclauia potiora Ferdinãdo Caroli fratri, Germanæ itẽ reginæ, & Ximenio cesserãt, donec locus hospitio accõmodus in eo appararetur, Abulensis in Laxai gratiam à cubiculo suo migrauit. Reguli interea ad Laxaum ventitare, & oblique vt Ximenio se in omnibus opponeret instare: illumque velut in hostem instruere & armare. Sed solitum tenorem in moderanda rep. Ximenius seruans, hominis ingenio perspecto, qui ad risus & iocos pronior erat, quam ad res cum grauitate tractandas, quod à Ximenii moribus in primis alienissimum erat, raro illum ad negotia vocabat. Quod si quãdo vt id faceret necessitas vrgeret, Adriano primas tribuebat. Accidit vt complures tabulæ regiæ ad diuersos reipub. vsus expediẽdæ fuerint, quam occasionem Adrianus & Laxaus iam tunc captãtes, regulis forte submonentibus, ad se primo tabulas deferendas curarunt,& priores partes chirographo suo occupãtes, nouissimum locum Ximenii chirographo reliquerunt. Quæ cum ad Ximenium delatæ essent, ambitione Belgarum animaduersa, vanam illorum arrogantiam contempsit:& accersito scribæ, vt tabulæ omnes quæ ad eum modum signatæ erant, rumperentur iussit:& totidem suo tantum chirographo notatæ scriberentur,& ad negotia quæ gerenda erant mitterentur. Hunc morem ad regis vsque aduentum Ximenium tenuisse certum est: cum ante hoc factum ab Adriano simul signari permitteret. Nihil Belgæ repugnare sunt ausi, sed illis tamquã quartæ personæ scenæ seruientibus, solus Ximenius imperium exercebat. Magis ac magis ab eo facto indignatio æmulorum ad Ximenium inuidia onerandum creuit: Belgæque ipsi quamuis de eius integritate certi, nescio quo pacto subuereri cœperunt, ne ille tandem potentia abutens, sibi & Carolo negotium facesseret. Ideo Armastophum virum grauiorem, & cubiculo regio præpositum, certis de rebus legatum, pari cum aliis potestate mittendum curant. Sed quoniam Ximenius, quemadmodum de Tiresia ab Homero proditur, solus inter illos sapiebat, neque tertii legati præsentia est fractus, aut segnior in rebus gerendis fuit, aut quicquam de constantia sua remisit: sed ipse solus quidquid è Republicæ vtilitate fa-

ciendum videbatur, parum illorum ſententiis expectatis, ſingulari præſtantia exequebatur. Belgis quoque qui apud Carolum erant nihil contra imperare tentantibus. Quæ res etſi non mediocriter authoritatē Ximenio auxit, cauſa tamen implacabilis odii fuit, quod Ximenio mortem maturaſſe conſtantiſſime poſtea eſt creditum. Igitur Belgis Ximenii vires per id tempus extenuare cupientibus, de variis hominibus in Hiſpaniam cum poteſtate mittendis cœptum eſt agi. Nonnulli Maximilianum Imperatorem, alii Ludouicum comitem Palatinum, Carolo propinquitate coniunctum, multi Seluagium magnum Cancellarium, huic rei idoneos & neceſſarios deſignabant. nec deerant qui etiam Ferdinandum puerum ei muneri præficiendum admonerent. At Maximilianus imperii & Italiæ rebus impeditus erat: Ferdinandus vero non modo propter ætatem, ſed ob fraterni gradus cognationem parum commodus eſſe iudicabatur. Nam à Ximenio alias ſcriptum meminerant. Ferdinandi cuſtodiam non eſſe negligendam: cuius prætextu reguli: ſi res nouæ cordi eſſent, magnos tumultus excitare poſſent. Nonnullis placebat, vt Palatinus quaſi cuſtos Ferdinandi pueritiæ daretur, legati poteſtate in Hiſpaniam veniret. Sed cōplures in Seluagium inclinabant. Hæc cum eſſent Ximenio nuntiata, ne vllum ſibi ſocium mittant, qui cum ſit perpetuo rixandum, per literas grauiſſimis rationibus plenas, continuo egit. Quod ſi aliud animo ſederet, de ſucceſſore mittendo cogitarent, quem moderandæ Hiſpaniæ præficerent: ſe enim in diœceſim ſuam conceſſurum. Palatinum Ferdinando cuſtodem venire ſibi non diſplicere, ſæpe enim cogitaſſe de magiſtris eius amouendis, totaq; adeo familia immutanda. Se quidem hactenus pro regiæ maieſtatis obſeruantia, & quam reip. debebat caritate, in ea moderanda & regenda integritatem omnem præſtitiſſe: nunc autē cum propter regis ætatem, & quorundam auaritiam, magis ac magis conatus ſuos & voluntatem impediri videret, vereri ſe ne magna aliqua calamitas ex popularibus ſeditionibus aliud agentes opprimat. Quare Toletum ſe recipere decreuiſſe: vnde velut è portu fœdam tempeſtatem iam imminentem, & aliena pericula ſpectare poſſet. Hæc autem mala vitari vnica poſſe ratione, ſi rege aduentum in Hiſpaniam differente, omnia munera, quæ ad iuſtitiam conſeruandam pertinerent, ſine vlla exceptione ſibi vni prouidenda concederentur. Sic enim futurum eſſe, vt iudices tribunalium regiorum, & eorū præſides capitales regii comitatus quatuoruiri, & vrbium præfecti, cenſus etiam regii procuratores, ex quorum fide & integritate regiæ potentiæ nerui omnino penderent, militaria item præſidia, eorumque duces & limitaneæ præfecturæ, arcanorum negotiorum & ſecretioris conſilii comites, neque ad Belgarum quenquam, neque ad ipſum quidem Carolum donec adoleſceret, ſed ad ſe vnum pertinerent. Præfecturæ vero militarium ordinum, & Epiſcoporum deſignationes, regiæq; liberalitates & largitiones, Caroli arbitrio relinquerentur. Nam ſe id vnum curaturum, vt reip. dignitas non imminuatur, & vt regius cenſus terrori hoſtibus ſit, & ius ſuum vnicuiq; tribuatur. Quæ omnia laboris & ſolicitudinis ſunt plena, & Belgis propter rerum noſtrarum inſcitiam, & Carolo etiam propter ætatem, minus conuenirent. Belgæ tam libero, aut potius audaci, vt illis videbatur, Ximenii ſermone conterriti, hominis integritatem & potentiam conſiderantes, qui vnus inter Hiſpanos ſi qui motus orirentur reprimere poterat, diſſimulato quem ex eius dictis conceperant dolore (aditum enim ad remp. illo viuente interclusum ſibi videbant) nihil amplius de alio legato mittendo conſultarunt, ſed de Carolo diutius detinendo, & Ximenio qua poſſint arte placando: ſic enim vellet nollet, argento Hiſpania exhaurienda erat. Quod ſi Carolus tandem venire cogeretur, de Ximenio tollendo deliberaſſe, peruulgatum fuit. Parum callido & prudenti conſilio hæc tam aperte ad Belgas ſcripſiſſe Ximenius creditur. Nam certum erat, homines externos, & Hiſpanæ pecuniæ percupidos, neminem apud regem eſſe toleraturos, qui ſe tanta animi conſtantia, authoritate & potentia illorum cupiditatibus opponeret. Igitur Belgæ tempori ſeruientes, Ximenii ſententiam impense collaudare: omnem concordiam & conſenſum polliceri: hortari etiam vt cuncta ſuo arbitratu regeret: quem ſolum reipub. ſalutarem eſſe aiebant. Carolum nauigationem maturaturum: idcirco daret operam vt populi tantiſper conquieſcerent, donec ille rebus Belgicis compoſitis, & idoneam tempeſtatem nactus, ſe oceano committeret: ipſe claſſem inſtructam primo quoque tempore mitteret, ne quid optatam profectionem moraretur. Gratias illis Ximenius egit, & ex mutua concordia beatiſſimum reipublicæ ſtatum proculdubio futurum affirmat: vt ex eius epiſtolis ſatis conſtat. Maximilianus Imperator q̄ eo inconſulto nihil tunc per Belgas agebatur, nepotis dignitati conſulens, & nauigandi dilationem ægre ferens, Bruxellas venit: & Viluordiæ proximo Bruxellis oppido mora aliquot dierum facta, crebra variis de rebus cum Carolo colloquia habuit: ſed potiſſimum vt Martyr ſcribit, de aduentu in Hiſpaniam maturando. Nam principum res, vt ingentes & excel-

& excelſas, ita fortunæ ludibrio magis eſſe expoſitas: proinde occaſionem continuo arriperet, ne locum Hiſpanis cogitandi daret de reipublicæ ſtatu mutando: nam populos iam tumultuari intellexiſſe ſe aiebat: quos perbelle pullo equino ſapientes comparaſſe audiuerat, qui œſtro ſtimulante, hos & illos calcibus impetit, neque ab equa parente temperat. Ximenius cui iam omnia quæ apud Belgas fiebant ſuſpecta erant, exiſtimans Maximilianum in ea quoque ſententia eſſe, vt Carolus quem ſucceſſorem imperio Romano deſtinabat, profectionem in Hiſpaniam differret: aut fortaſſe colloquia illa haberi, vt conſiliis communicatis, tandem Maximilianus in Hiſpaniam gubernator veniret: Chebrium ea colloquia vitanda eſſe grauiſſimis rationibus admonuit, exemplis etiam in medium adductis de cõgreſſibus magnorum principum fugiendis. Porro Hiſpaniæ populi dum vanis promiſſis de regis aduentu ſe deludi vident, ad coitiones faciendas redierunt. Neque enim iam diſſimulatis technis, ſed palam officia & magiſtratus apud aulicos Belgas venire vociferabantur. Item ampliſſimam pecuniam ſumma diligentia à Ximenio confectam, quam vt ad regis aduentum neceſſariam poſtulauerant, ad Carolum demum traiectam fuiſſe, ſed in alios vſus intimi affirmabant. Porro Seluagium, & Chebrium per Zuquetum iuriſperitum, & per quendam ſupremi Senatus duodecimuirum, regni præfecturas, ſupremi Senatus cooptationes, cubiculi intimi miniſteria & munera, ita imprudenter & palam licitaſſe, vt horum officiorum poſſeſſoribus, quæ quondam nobilitati ob merita, & antiqua in reges noſtros obſequia offerebantur, turpiſſimam conditionem de pecunia paciſcenda obtulerint, qua numerata nihil de officiis auferendis eſſe timendum. His artibus innumerabilem pecuniæ vim per Seluagium & Chebrium coactam fuiſſe, vulgo ferebatur. Idcirco Burgenſes Legionenſibus & Pintianis conuocatis, totaque adeo Campenſi regione, de Belgarum cupiditate, & inſolentia coercenda conſilia ceperunt. Quibuſdam rex hortandus videbatur vt in Hiſpaniam illico veniret, aut ſi id minus facere eo tempore poſſet, Belgas omnes è cubiculo moueret, quorum artibus, corruptelæ quas diximus exercebantur: & homines Hiſpanos quorum probitas perſpecta eſſet, pro illis ſubſtitueret. Alii difficile id & graue exiſtimantes, & metuentes ne eadem cum Belgis labe noſtri etiam inficerentur, publico populorum decreto ſtatuendum eſſe arbitrabantur, ne regi vllo pacto liceret, magiſtratum, præfecturam, ſacerdotium, cuiuſuis denique generis officium aut munus, externo homini concedere: & ne crebræ illæ pecuniarum traiectiones, quæ ferme in ſingulos menſes fiebant, vllam deinceps ob cauſam exercerentur. Item ne conſueta & ſtata vectigalia, quæ ad domeſticos regis vſus neceſſaria eſſe iudicabantur, Ximenius inconſultis ciuitatibus mitteret: aliaque id genus permulta. quæ quamuis ex reipublicæ commodis eo tempore eſſe videbantur, tamen regiæ authoritati officiebant: & feneſtra quædam formidabilis aperiebatur, qua caput populi ſenſim oſtentantes, paulo poſt omnia pudoris repagula eſſent fronte obfirmata perfracturi: quod non ſine miſerabili & ingenti reipublicæ damno, nondum toto triennio elapſo poſt Ximenii mortem, feciſſe nouimus. Multum in re maximi momenti inter ciuitates variatum fuit. Burgenſes vt ad viuum omnia reſecarentur contendebant. Pintiani & Zamorani ſi nonnulla in melius mutarentur, contenti erant, & pleraque Ximenii arbitrio permittebant. Poſtquam de rebus emendandis conuenit, plebiſcita quædam iureiurando confirmarunt, interueniente Petro Caſtella, vrbis Burgenſis præfecto. Sed Federicus Zamoranus, qui in præfectura Legionenſi Aioræ ſucceſſit, multo præſtantius ſe geſſit, vt Ximenius in epiſtolis teſtatur. Nam illius vrbis decurionibus flagitantibus, vt plebiſcitis ſeſe iureiurando obſtringeret, animoſe reſtitit, & peruicit. Legatos deinde ad Ximenium & Senatum regium miſerunt, qui apud eos cauſam reipub. diuexatæ agerent, & eorum ſententiam & propoſitum, ni rex quamprimum veniret, declararent: & ſimul ab eis peterent aliquem in locum conueniendi poteſtatem, vbi ſingularium vrbium legati de reipub. neceſſitatibus tractarent. Iuſta eſſe populorum vota, & Ximenius & Senatus agnoſcunt: videbatur enim reipub. vaſtitas imminere, ni ea omnia quæ illi decreuerant, rege aduentum differente, efficerentur: tamen motus populares verebantur. Et quanquam aperte repugnare iuſtis poſtulatis non ſunt auſi, tamen vt conuentus tantiſper differrent, donec de regis aduentu merito deſperare poſſent, rogant: nam propediem adfuturum fama erat. Interea Ximenius & Senatus literas ad Carolum de hiſce omnibus copioſas dederunt: quas quoniam grauiſſimæ, & pietatis in regem plenæ ſunt, Latinas vtcunque facere viſum fuit. Ximenius gubernator, & Senatus regius Carolo regi ſalutem. Pro antiqua & fideli obſeruantia, qua erga maiores, parenteſque tuos, & nunc demum erga teipſum obnoxii ſumus: vt fidos miniſtros, optimos ciues, & conſiliarios incorruptos decet, tuis reipublicæque commodis,

adquam ſuſcipiendam, tot regni hæredibus paruo temporis interuallo extinctis Dei nutu vocatus es, neceſſario proſpicere cogimur: teque ipſum continuo admonere ea, quæ reipublicæ conuenire viſa ſunt, ita enim nos culpa vacabimus, & crimine neglectæ reip. aut potius proditæ, liberi erimus. Magni principes,& ſuſpiciendi reges, tandiu à Deo poteſtatem, & ab hominibus reuerentiam conſequi merentur, quandiu iuſto & recto imperio populos eorum fidei cõmiſſos regunt.Id autẽ ab ipſis fieri,nullo maiori argumento intelligi poteſt, quam ſi ad tantam molem ſuſtinendam, adiutores & ſocios quam ſpectatiſſimos & idoneos elegerint. Neque enim vnus aliquis quantumlibet præclaris dotibus & virtutibus excelluerit, rebus tam diuerſis obeundis par eſſe poteſt. Nam nihil aliud priſcos illos centimanos eſſe exiſtimamus, niſi reges conſideratos & ſapientes, qui per egregios & probos miniſtros, æque ac per ſeipſos regna ſibi commiſſa tuerentur. Sed fabuloſa iſta relinquamus, maiorum tuorum res geſtas cæteris exemplis prætermiſſis, intueamur. Enricus tertius atauus tuus, qui propter aſſiduas in ætate florenti imbecillitates, valetudinarius cognominatus eſt, cum ſe viribus corporis deſtitutum, regio muneri imparem videret, prudentiſſimo conſilio vſus, viros literis, & moribus, & religione præſtantes ad ſe accerſitos, magno ſemper in pretio habuit: eiſque comitibus & conſiliorum participibus adeo remp. pacatam & optime inſtitutam tenuit, vt magno eius merito, ſucceſſoribus optimi principis exemplum ſit habitus. Contra Enrico quarto tuo maiori auunculo omnia dura & infauſta contigerunt, quoniam eos rerũ gerendarum ſuaſores per ſummam ſocordiam apud ſe retinuit, qui nullo hominum pudore, nulla Dei immortalis reuerentia, omnia ſurſũ ac deorſum miſcentes, grauiſſima mala reip. intulerunt. Sed quid in aliis commemorandis immoramur? an non aui tui catholici reges, ſatis magno documento eſſe poſſunt? quibus id vnum ante omnia curæ fuit, muneribus publicis viros egregios, quicunq; tandem ij eſſent, præficere. Vnde propriis miniſtris, & aulæ familiaribus prætermiſſis, qui ſuo veluti iure hæc importune ſolent extorquere, ignotos homines, nec ſibi vnquam viſos, quod eſſent meritis ſuis commendati,& publica opinione celebres,præter omnium expectationem ad res magnas vocarunt. Nemo illis regnantibus ambitus eſt conuictus nemo lege Iulia de repetundis condemnatus: quod proh dolor, miſerrimo hoc tempore frequens eſſe, magnopere dolemus. Fuit etiam illorum regum hoc præclarum inſtitutum raro cuiquam ſumma concedere, niſi per inferiores gradus deuolutus, ſpecimen ſuæ probitatis & virtutis exhibuiſſet: vt pro cuiuſque facultate & ingenio, hæc aut illa munera deferrentur. Qua nimirum ratione factum eſt, vt omnia ſuis numeris quadrantia, concentum quendam in rep. conſtituerent, qualem nunquam ad id tempus videramus. His igitur artibus & conſiliis, vt de cæteris taceamus, remp. aliorum principum negligentia collapſam, & ſicariis hominibus, atq; tyrannicis violentiis vehementer afflictam ſuſcipientes tibi hiſce difficultatibus liberam, tradiderunt. Proinde cum Deus opt. max. ſub cuius tutela reges eſtis, id tibi ingenium & iudicium dederit, eam prudentiam in iuuenilibus annis largitus ſit, ijs denique ſingularibus virtutibus maieſtatem tuam exornauerit, quales homini principi neceſſariæ ſunt, æquum eſt vt quæ diximus animaduertas, & quantum ponderis habeant conſideres. Inuenies enim grauiſſimam cladem, & ingentem perniciem, ſi hæc contemſeris reipub. imminere: contra ſi hæc egeris, maximam quandam fœlicitatem promitti. Res vniuerſæ à principiis ſuis pendent, & errores in principio ſolent minimo labore emendari, vt facile in viam rectam redire poſſimus. Sero remedium parari à ſapientibus dicitur, dum mala vires diutinas ſumſerunt. Quare tuis pedibus Hiſpania vniuerſa ſupplex prouoluta, vt eius commodis proſpicias, vt hominum corruptorum cupiditates reprimas, vt gliſcentia vitia cohibeas, vt tuorum regnorum tranquillitati conſulas, te votis omnibus & precibus orat & obteſtatur. Id autem facile fiet, ſi Hiſpaniam ampliſſimam & nobiliſſimam regionem, ſuorumq; principum obſequio deuotiſſimam, ſecundum leges patrias & antiqua maiorum inſtituta gubernari, & viuere conceſſeris, Vale. Carolus literis ſenatus receptis, vt erat mira præditus indole, quanquam duodeuigeſimum annũ agebat, animaduertit ſibi fideliter ab Hiſpanis conſuli. Sed Belgæ inter quos ab infantia ad id ætatis vixerat, facile in ſuam ſententiam pertraxerunt. Nam egregie diſſimulantes, & diſceſſum pro virili protrahentes, ſolitas artes tanta impudentia, non ſolum in Belgio, ſed in Hiſpania etiam poſt Caroli aduentum palam exercuerunt, vt Seluagius magnus Cancellarius intra quadrimeſtre tantũmodo ſpatium pluſquam quingenta aureorum millia in Belgium miſerit. Quod ſi Chebrii, & aliorum compilationes ad calculum reuocarentur, infinita pecuniarũ vis aſportata ex Hiſpania inueniretur. Huiuſmodi rapinas cauſam ſeditionib. popularib. poſtea dediſſe, quæ poſt Caroli ad Belgas reditũ ſecutæ ſunt, proculdubio cõſtat: ſapienter.n. ab antiquis legũ latorib. dictũ eſt, poſt munerũ publicorũ vẽditiones, illico bella inteſtina,

intestina, & tumultus exoriri. Igitur populi cum nihil certi de Caroli aduentu audirent, & magis Hispaniam in dies exhauriri, ad propositum suum conficiendum redeunt. Ximenii & senatus fidem implorant conuentus faciendi facultatem petunt, quibus tantummodo de rege accersendo, de legũ nostrarum authoritate conseruanda, de Belgarum aulicorum auaritia, de petitionibus officiorum per summum ambitum, reprimendis ageretur. Alioqui si ipsi quoque in hoc dissimularent, se pro debita in remp. & regiam maiestatem caritate & obseruantia, non expectato senatus iussu legatos super ea re missuros, & ne quid respub. detrimenti caperet curaturos. Non potuit Ximenius huiusmodi ciuitatum petitionibus contradicere. Itaque in mensem Septembrem conuentus populares indicti sunt, eosque ad anni extremum consulto reiecit, quod interea Carolum venturum esse crederet. Ea concessione mirum in modum ciuitates recreatæ, libenter, quanuis id sub Ianuarium agebatur, in autumnum vsque quieuerunt. Ab eo die frequentes nuncios, & crebros literarum fasciculos, Ximenius ad Carolum, & ad aulicos Belgas mittere: aduentum in Hispaniam properarent admonere: non esse negligendum quod ciuitates tentabat clamitare: nulla enim re magis populos insolescere, & reuerentiã omnem exhibere, quam cum libertatem loquendi nacti sunt, & pro libidine, suas vulgo iactant querimonias: quas iustissimas esse facile perditis hominibus quorum magna est copia, persuadent: qui eo magis timendi videbantur, quod non sine fauore quorundam regulorum ad id agitandum sunt concitati. Quod si nauigatio in Hispaniam protrahenda erat, consultum fore videbatur vt conuentus populares eo in oppido haberentur, vbi ipse & regius senatus aderant. Sic enim futurum, vt præsentia potentiæ regiæ cohibiti, minus essent arrogantes, & magis seditiosis vocibus parcerent. His demum atque aliis adhortationibus Ximenius apud Carolum effecit, vt sub extremum eius anni autumnum, classe quam ipse instructissimam misit, cũ Belgis aulicis in Hispaniam traiecerit. Varia interim de Ximenii voluntate apud Carolum & in Hispania ab eius æmulis iactabantur. Nonnulli ob id motus populorum sedulo ab eo comprimi aiebant, quod imperii splendore, & regnandi cupiditate captus, omnem occasionem studiose tolleret; quæ Carolum cogere posset, vt in Hispaniam citius quam decreuerat veniret. Hanc enim ob causam pecuniam tam ingentem ad Belgas mittere asseuerabant, ne eius desiderio nauigationem maturaret. Quamobrem cum Chebrio coniurasse affirmabant, & ab vtroq; scenæ inseruiri. Nec defuerunt qui famosis libellis Ximenium, Chebrium, & Franciscum Ruizium, totius veluti fabulæ Dauum. scommatibus & conuiciis proscinderent. Alii vero popularem esse Ximenium aiebant, in inuidiam nobilitatis, cui iam diu infensus erat. Sed affictas huiusmodi calumnias semper neglexit: planum enim apud Carolum fecerat, quo neruos & conatus suos intenderet. Quare se conuentibus popularibus præfuturum, aperte in epistolis profitetur. Quod si secus tali tempore & occasione faceret, quid aliud esset, quam domesticis prædonibus diripiendam rempublicam deserere? De libellis vero vulgo editis; in gratiam quidem Belgarum, quorum animi acriter erant commoti, inquiri iussit, sed non admodum diligenter. Viri enim fortes, suæ virtutis & præstantiæ conscii, contemnere solent huiusmodi latratus canum minutorum: & id solatium inferioribus relinquunt, qui dicteriis dolorem vlciscuntur. Alphonsus Castella Madriti præfectus, famosa illa carmina ad Adrianum & Laxaum detulerat: qui dentatis illis dictis minus assueti, indignissime tulerunt se vulgo deridendos propinari. Quocirca minus admirationis habet, si Adrianus postea Pontifex maximus factus, Pasquini & Marphodii statuas, vbi famosi & ridiculi libelli in vrbe affigebantur, in Tyberim proiici studiose curauerit. Cui Suessanus Caroli legatus peropportuno sermone dixisse fertur: Si in flumen proiicerentur, ranas illiusmodi mala carmina esse cantaturas. Quo dicto sic pontificis conatus repressit, vt amplius ea de re actum non sit. Toletum per hæc tempora Ximenius venit: nam de Caroli aduentu iam certus, ad Campensem prouinciam cum regio senatu transire constituerat. Quare eam vrbẽ, quæ suæ diœcesis caput est, priusquam discederet, inuisere decreuit: tum vt rebus sacris consuleret, & cœnobiorum muliebrium ædificia, quæ tam Toleti, quam Illescis eius impensa surgebant, præsens videret. Adrianus itineri comitem se dedit: quem in Ximenii inuidiam, Syluanorum factio frequens est secuta: tum quod in Aialæam Ximenius inclinare videbatur, tum etiam in Albani ducis gratiam, qui cum ingens simultas Ximenio erat. Burgensis ciuitas de fœdere ad conuentus populares ineundo, Toletum sub id tempus legatos forte miserat. At Toletani Portocarrero authore, cui vulpes cognomen fuit, contentionis antiquæ cum Burgensibus memores, de primo suffragio in conuentibus habendo, in eo fœdere esse recusantes, indictis conuentibus renunciauerunt. Quod Portocarrerus cum ad Ximenium detulisset, veluti eius sententiam quam sequi se velle simulabat, cogniturus: ille hominis callidi-

tate perſpecta, priuata ſunt hæc (inquit) ciuitatum negotia, de quibus nihil à me diffiniri nunc debet. Ita ille deluſus abit, & Ximenius authoritatem ſuam retinuit. Non minorem curam in ſacerdotum turbis ſedandis adhibuit, quæ ſub id tempus etiã ſunt exortæ, Leone x. Pontif. Max. ex Lateranenſi concilii authoritate, fructuum ſacrorum decumam à ſacerdotibus vniuerſis exigente. Ea autem prætextu defendendæ Chriſtianæ reipublicæ à Pontif. Maxim. petebatur. Nam cum Selimus Turcarum princeps Ægyptio rege (quem Sultanum vocant) deuicto, & per ſummam ignominiam vita priuato, potentiam ſuam aduerſus Italiam conuerſurus crederetur, Pontifex maximus oram maritimam tueri cupiens & omnem aditum pro virili hoſtibus intercludere, vltima Concilii Laterenenſis rogatione, ad ſacerdotiorum decumam triennio cogendam, de patrum congregatorum ſententia egit. Vehementer à nonnullis reclamatum eſt, quibus durum eſſe videbatur ſacerdotia huiuſmodi exactionibus grauari, contra aliorum conciliorum decreta & pontificum ſanctiones: præſertim regibus Chriſtianis, quorum id officium erat nec delectus militum nec claſſium apparatus ad eam rem facientibus. At Pontifex maximus eam tunc neceſſitatem imminere, quæ in concilio Conſtantienſi, ſub Martino quinto prænotata erat, contendebat. Quæ enim maior cauſa vrgere poterat, quam publico Chriſtiani nominis hoſte Italiam & Romam vrbem inuadere parante Aragonii ſacerdotes, quibus & Cæſar auguſtanus antiſtes Aragoniæ prorex, & libertas qua iure illius regni omnes fruuntur, animos faciebat, Prouincialibus ſynodis conuocatis, de non pendenda Pontifici max. decima egerunt. Sed quoniam id Ximenii authoritate facere, cuius ſumma apud Pontif. max. exiſtimatio eſſet, plurimum interat, Cæſar auguſtanus & cæteri Aragonii antiſtites, literas ad Ximenium miſerunt, quibus vt ſacerdotum patrocinium ſuſcipiat deprecantur, neque patiatur, vt ſe tantum authoritatis & potentiæ habente, quantum nemini hactenus contigiſſe meminerant, ſacerdotum immunitas tam magnum detrimentum caperet. Ximenius qui in Caſtellana prouincia id ne fieret cauerat, perhumaniter & benigne reſpondet, & omnem operam pollicetur ad eccleſiaſticam libertatem conſeruandam. Sed interea vt conuentus diſſoluant monet, & rerum euentum quieti expectent: ſe enim cum Pontif. max. & rege Carolo ea de re diligenter acturum: & ſperare, ſecundum ſacerdotum vota negotia eſſe exitura. Igitur Carolum primum commonendum eſſe duxit: ad quem in ea ſententia ſe eſſe ſcripſit, vt quoniam Aragonii ſacerdotes coactis per antiſtites ſuos ſynodis principium reſiſtendi dederant, noſtri quoque ſuos pariter conuentus facerent, vbi veræ cauſæ huiuſmodi exactionum tractarentur: an hæc quæ Pontif. Max. allegabatur, talis eſſet excuteretur: dummodo Hiſpanorum regum exemplo, non alibi quam in regia curia ſacerdotes conuenirent, ad haſce controuerſias terminandas. Ad Arteagam vero ſuum Romæ procuratorem ſcripſit, vt Pontif. Max. reuerenter adeat, & Ximenii nomine non ſolum decimas ſuæ diœceſis offerat, ſed totos etiam fructus, & omnem eccleſiaſticam ſupellectilem, & quicquid auri & argenti facti aut infecti, in theſauris ſacerdotum, aut templorum ſacrariis eſſet repoſitum: ſed ſummopere oret, vt eius ſententiam de belli ſacri apparatu diſerte aperiat. Nam niſi iuſtiſſima de cauſa, nunquam ſe authorem futurum, vt Hiſpani ſacerdotes, quos iam fere tumultuantes pacauerat, vectigales fierent. Iubet etiam procuratori, vt diligenter inquirat, quid de huiuſmodi decimis imponendis concilium Lateranenſe decreuiſſet. Ea cum ad Pontif. Max. Arteaga retuliſſet, Laurentius Putius & Iulius Medices cardinales, Pontif. Max. cum primis intimi, ad hun modum Arteagæ reſpondent: Nullam ſacerdotibus decumam, ex concilii authoritate, aut alio quouis modo Pontificem maximum hactenus impoſuiſſe, neque impoſiturum quidem, niſi ad extremum, cum res ipſæ opem non ſolum poſcent, ſed flagitabunt, iuxta ſynodi Lateran. in vltima rogatione decretum. Culpam verò in Ioannem Ruffum Cuſentinum epoſcopum, nuncium Apoſtolicum in Hiſpania, reiiciebant: qui parum prudenter hæc vulgaſſet. Quare ſacerdotes Hiſpaniæ, quantum ad decimas præſtandas, poſſe in vtramque aurem dormire: & diploma pontificium procuratori oſtenſum eſt propediem edendum, vbi de Concilii Lateranen. actis tractabatur. Ximenius tamen poſt hæc ab Arteaga nuntiata, non ceſſauit à ſacerdotum conuocatione: quos omnes Madritum paulo antequam Arandam diſcederet, conueniſſe certum eſt. Nam Petrus Martyr, qui Granatenſis eccleſiæ procurator huic conuentui interfuit, vt ex eius epiſtolis conſtat, de neganda exactione cunctorum ſententiis approbatum eſſe refert. Quorum propoſitum Ximenius collaudauit, & ſe patronum, & vindicem, ſi opus foret, pollicitus eſt. Ex epiſtolis nomine Leonis à Bemdo editis ſatis conſtat, nõ tantum rumoribus, ſed reipſa decimam illam exactam fuiſſe, ſed tantum in Italia, aut ditione pontificia, ni fallor. Tres potiſſimum Hiſpani principes, priuatas ob cauſas Ximenio infenſi, pene rempublicam obruiſſent, Mendozius Infantatus dux,

dux, Fadricus Albanus, Gironius Vrennatum comes, quibuscum vno & eodem tempore contendendum Ximenio fuit. Mendozii animus non tam ob irritas Ioannæ cum nepote nuptias exacerbatus est, quam quod ex affinitate inter Ximenium & Cluniensem cōtracta, Velenæ municipii litem sibi ancipitem futuram videbat, reipublicæ moderationem Ximenio tenente. Est in Carpetanorum finibus, non longe à Guadalfajara Velenna oppidum. id Ioannes Mēdozii frater possidebat, quo cum iam olim Cluniensis iure egerat, & tandē certis quibusdam conditionibus Ioannes Velennam Cluniensi vendidit. Mendozius vero auitam hæreditatem, & suis præsertim oppidis cōterminam, dolebat alterius potestati cedere: Cluniensem in ius vocat, quod Didaci aui testamēto, qui eam legitimam portionem Ioanni filio legauerat, cautum esset, vt si de ea vendenda ageret, Mendozii ducatus hæres eam sibi posset asserere, eodem pretio emptori oblata. Hæc controuersia in complures annos fuit protracta. Ximenius, qui causas in immensum trahi conqueri solebat, cupiebat lites omnes finire, quæ apud regia tribunalia agebantur. Sed reguli id præsentientes, summopere curarunt, vt lites ampliarentur, donec Carolus in Hispaniam venisset. Ipse vero, ne callidis tergiuersationibus eius propositum eluderent, vt de eis omnibus primo quoque tempore cognosceretur, impetrat, Baracaldo ad Belgium misso, qui id diligenter curauit. Sed quoniam post mortem Ferdinandi catholici, tabulas ad Velennatum litem ampliandam Mendozius à Carolo Belgis curantibus obtinuerat, acta rescindi periniquo animo ferebat. Quare regii Senatus, & Adriani Laxaique legatorum auxilium aduersus Ximenii potētiam implorat, vt ea facultate Ximenius priuaretur. Pintiani tribunalis iudices, apud quos causa Velennatum disceptabatur, Ximenii de his litibus finiendis facultatem ad Velennatum litem non pertinere aiebant, quæ Caroli cognitioni seruari iussa fuerat. Sed Ximenii in re iusta indignationem veriti, eius cognitioni reliquerunt, an in tabulis ad eum missis Velennatum causa excepta esset. Ximenius hoc ad regium senatum reiecit: vbi quamuis Rogius Granatensis antistes, senatus regii præses, parum æquus Ximenio esset, æqui tamen ratione habita, secundum Ximenii voluntatem pronuntiatum fuit. Mendozius qui superari à vicino Cluniensi ferre non poterat, iterum ad Belgas solicitandos se conuertit: & tabulas secundas obtinuit, de Velennatum lite comperendinanda. Hoc Ximenii animum alioqui constantem, haud mediocriter commouit. Nam is erat mandati tenor, vt Pintiani iudices à Velennatum causa abstinere iuberentur. Quod si Cluniensis aliquid opponeret ante impetratum, aduersus præsens diploma, omnino vt reiicerent imperabatur, vt in notis arcanis reperi. Rem factam se habere Mendozius credidit: & Ferdinandum Guterium Altamiranum eius familiarem, & publicum notarium, ad Ximenium misit, qui illi regis mandata denuntiarent. Timebant hi, ne Ximenius offenderetur, & aliquid illis quod nollent accideret. Sed post longam trepidationem & deliberationem, tandem regis interdictum de causa Velennatum differenda Ximenio denuntiatum est. Tandem tabulæ prudenter inter nostros dissimulata indignatione, rursus ad Carolum & Belgas scribit, indignissime secum actum esse, & diploma iniquissimum esse datum contra alteram partem. Deinde contra publicam quietem esse, velle hominem potentissimum nouis oppidis augere. Nam quod de tumultibus Ximenio gubernante exorituris vulgo iactatum erat, vanissimū multis argumentis planum facere poterat. Quod si iudices, & præsidem Pintiani conuentus ipsi consulerent, nihil ex hac parte imminere periculi probe cognoscerent. In memoriam etiam reuocabat, quid rex Ferdinandus egisset, quem similibus officiis qualibus Carolum haud demeruisset, post Isabellæ Aragoniæ, Enrici Fortunæ filiæ, cum Inacho Mendozio domus hærede nuptias. Nam quamuis multum Mendozius apud regem laboraret, nunquam obtinere potuit, quin libero in foro ius suum singuli ex æquo prosequerentur. Atque ita Ferdinando viuente, apud quem Mendozius multū fauore & gratia poterat, sententiam secundum Cluniensem latam fuisse. Addebat etiam, vereri se ne ob iustitiæ inæqualem distributionem, turbæ excitarentur. Nam contumeliam & iniuriam passi, desperatione quadam ad arma venire solere. Impetrauit quod voluit Ximenius: & tandem Mendozio indignante, Velenna Cluniensi adiudicata est. Accidit paulo post, vt Complutensis Ximenii vicarius suum fiscalem (sic enim publicum accusatorem vocant) Guadalfajaram mitteret, publici criminis vindicandi gratia. Mendozius occasionem arripiens in Ximenium aliquid designandi, quo exulceratum animum leniret, fiscalem multis fustibus male mulctari iussit: quasi in fraudem iurisdictionis Bernardini fratris, Guadalfajaræ archidiaconi, fecisset, ad quem illius modi cognitiones pertinerent: suspendium etiam minatus, si quid tale posthac auderet, Complutum dimisit. Id cum statim ad Ximenium, qui Madriti aderat, delatum esset: minime esse dissimulandum ratus, vindicationem in Mendozium non tam quidem re ipsa parabat, quam sermonibus

circumferri permittebat: ſe tam ob violatam religionem, quam ob reipub. tranquillitatem læſam, ſic in Mendozium proceſſurum minabatur, vt vel principatu ſpoliaret, vel imperatas pœnas ex iure ſubire cogeret. Huiuſmodi rumores iactari Mendozius duriſſime accipiebat: quare iræ & doloris impatiens, Petrum quendam presbyterum, qui catholici regis cantor fuerat, & in Mendozii familia tunc erat, cum mandatis conuicio & contumelia plenis, ad Ximenium Complutum, quo forte venerat, miſit. Is venia impetrata, & genibus aduolutus, vt ſibi liceret mandata exponere, obtinuit. Ea nihil aliud continebant, quam exprobrationem priſtinæ fortunæ, & humilis conditionis, minasq; arrogantiæ plenas. Nam & dignitate & publicis muneribus ſe illum deturbaturum propediem promittebat. Conſtanti vultu Ximenius, ſine vlla indignantis aut commoti animi ſignificatione contumelioſam legationem audiuit, & an quid ſupereſſet dicendum, rogat. Et cum ille negaſſet, redito (inquit) ad tuum herum, quem iam ſuæ improbæ & ineptæ legationis pœnitentem inuenies. Sic res habuit: nam Mendozius iam cum familiaribus ſuis expoſtulabat Petro aduenienre, quod ſe iratum non placaſſent. Petrum etiam obiurgauit, quod ſibi irato paruiſſet. Igitur cum Mendozii legatio diuulgata per Hiſpaniam eſſet, Velaſcus comeſtabilis, qui Ximenii indignationem iuſta ratione conceptam implacabilem eſſe exiſtimabat, Guadalfaiaram ad Mendozium venit: & quanuis eius bilem & animum facile irritabilem prudenter repreſſit, maiorem tamẽ culpæ partem in aſperos & ſubagreſtes Ximenii mores reiecit. Suadebat tamen vt tempori cedens, cum Ximenio in gratiam rediret: quod vt fieret, ſe apud Ximenium omnem operam daturum, promittit. Velaſci ergo dexteritate factum eſt, vt Ximenius omnem ſe ſimultatem poſiturum diceret ſi facti Mendozium pœniteret, & pœnas quas merebatur, ob ſacrum miniſtrum violatum, deprecaretur. Miſſus eſt cum mandatis Friaſius Ximenii familiaris ad Mendozium: & conuenit, vt certo quodam die ad fontem Carralium, vicum octo millibus paſſuum à Madrito diſtantem, Ximenius, Velaſcus & Mendozius pranderent, & de amicitia ſarcienda agerent. Die condicto, Ximenius Franciſco Ruizio epiſcopo Abulenſi, Villaroello Caſtorlæ præfecto, Ciſnerio & Friaſio, paucisq; aliis comitantibus, Fontem Carralium venit, nullis ſenatoribus aut proceribus, qui in curia agebant, conſciis. Anteceſſit aliquot horas conuiuas Ximenius: & cum meridiem inſtare cognouiſſet, non expectatis conuiuis pranſus eſt. Vix menſæ remotæ erant, quando Velaſcus & Mendozius, ſine vllis omnino comitibus, & vno tantum à pedibus miniſtro, aduenire Ximenio nunciantur, qui iam etiam pranſi erant. Vix mutuis ſalutationibus habitis, Mendozium nondum animo ad æquitatem compoſito, paulo altiori ſermone, ita fari cœpiſſe aiunt: Dum ego pie religionem coluero, regique meo fideliter obediero parum quid cæteri fremant curo. Ximenius quod principium dediſſet conſiderans, ſuæ perſonæ ſeruiens, ego (inquit) is ſum Mendozi, qui vel te religionis reum inquiſitor maximus plectere, vel regiis mandatis parum obſequentẽ, regis vicarius obtemperare poſſim cogere. Velaſcus Mendozio acriter increpato rurſus animum Ximenii leniuit: qui à principio omnes cauſas diſſidiorum repetens, ſingulis ex ordine abunde ſatisfecit, tam de nuptiis Petri Gonſalui cum Ioanna Ciſneria, quam de Velennatum cum Clunienſi lite: obiter etiam conquerens de inciuili Petri presbyteri legatione, cum ipſe nihil vnquam dixerit, aut fecerit, quod Mendoziam familiam offenderet, quam ante alias ſemper coluiſſet. Meminiſſe etiam deberet, non ita pridem inter medias diſcordias, poſtquam ſe conuiciis immeritis fuiſſet conſectatus, & poſt ſuum fiſcalem pulſatum, Bernardino fratre archidiacono Gualdafaiarenſi vita functo, ſe Martino filio, cum nihil tale pater expectaret, multis admirantibus, nec paucioribus fortaſſe ægre ferentibus, archidiaconatum inſperato contuliſſe: quod non tam exprobrandi cauſa ſe dixiſſe, quam cõmonendi putaret. Hæc atque alia prudenter & grauiter à Ximenio dicta ſic animum Mendozii pupugerunt, vt ſella aſſurgens, ad Ximenium vt ſibi ignoſceret poſtulaturus iret. Animaduertit hoc Ximenius, & feſtinantem præuenit: complexusq; amice. Ego (inquit) ni te amarem, & magni facerem, nec quæ dixi in tuam gratiam feciſſem, nec meam Academiam tuæ fidei & protectioni commendaſſem. Dum hæc inter ſe agunt, ſclopetarum ſtrepitus audiri ſunt cœpti, & hoſpitium vbi meridiebantur, pluſquã ducentis leuis armaturæ hominibus erat obſeſſum. Nam Ioannes Spinoſa cohortis Prætorianæ præfectus, indignum eſſe cenſens, Hiſpaniæ proregem priuati habitu cum hominibus parum beneuolis colloquia miſcere, Fontem Carralium comitantibus prætorianis militibus, mature venerat. Nonnihil reguli commoueri viſi ſunt, contra pacta conuenta agi putantes. Sed plena humanitatis Ximenii oratio animos eorum confirmauit: & nimia Spinoſæ ſedulitate reprehenſa, qui ſe nihil tale iubente ad eum vicum importunus aduenisſet, regulis perbenigne ſalutatis Madritum reuerſus eſt. Hunc finem habuerunt Mendozii

dozii discordiæ: sed maiorem tumultum & strepitũ Gironius Vrennatum princeps in rẽpublicam induxit. Magno & excelso animo Gironium præditum fuisse, multa eius dicta & facta demonstrant, quæ adhuc in hominum memoria seruantur: aderat quidem acumen & iudicium sed nimis liberum & audax. Commendantur quædam eius dicta, Laconica breuitate tornata, sed pleraque sale nigro adspersa. Hic igitur simulatque regis catholici mors vulgata fuit, primus Ximenii æmulus, Petro filio Assyndonensem ditionem (vt supra diximus) inuadendi auxilium tulit, quem potius reprimere debuerat. Granatensis conuentus ministros, qui Vrsaonem veneıant, iustitiæ exequendæ, & regiorum vectigaliũ colligendorum causa, pugnis, fustibus, & vulneribus percussos, quanuis Ximenii tabulas ostentantes & reipublicæ cautionem proferentes, violenter & furiose repulit. Literæ adhuc in Caruaiali annalibus seruantur, quas regius Senatus ad Carolum misit de his omnibus copiose edocentes. Hæc Ximenius, Mendozii & Albani contentionibus implicitus, prudenti consilio dissimulauit: ne cum tribus potentissimis Hispaniæ regulis vno tempore esset concertandum. Sed occasio non defuit in eum animaduertendi. Erat Ximenio (vt diximus) propositum, lites inter regulos, aliosque inferioris conditionis homines, in regiis conuentibus iamdiu agitatas, & in fraudem legum protractas, finiri. Inter eas Gironii & Guterii Quixadæ controuersia fuit, de Villafratro in Campensi regione, non longe à Pintia oppido, quod tũc per vim Gironius obtinebat, non sine speciosis aliquot prætextibus. Hæc causa in Pintiano conuentu ab vtroq; iamdiu litigabatur. Quixada rem vindicare, Gironio, quam semel abstulerat, retinere contendentẽ. Ea igitur, & aliæ permultæ causæ finitæ fuerunt. Nam de iudicum Pintianorum sententia, oppidum de quo agebatur, Quixadæ primo possessori restitutum est. Pintiani conuentus accensus, Ximenio iubente, oppidi possessionem regia authoritate Quixadæ daturus, cum aliquot regiis ministris Villafratrum proficiscitur. Id cum Gironius resciuisset, sententiam iniquam fuisse proclamans, regios executores insolitis modis pulsatos & affectos, per Rodericum Gironium eius filium ab oppidi finibus, re in fecta audacissime repellit. Comites facinoris aliquot æquales Rodericus Gironius habuit, qui adolescentiæ inscitia suum negotium in tuendo Gironio agi arbitrabantur, puta Bernardinum Velasci comestabilis, Beltranum Cueuæ Alburquercii, Ferdinandum Antici Almirandi regulorum filios. Redierunt executores ad hunc modum violati Pintiam, recentia vulnera, & vultus vibicibus deformatos ostentantes. Id spectaculum cum omnibus regii nominis cultoribus graue, tum vniuersæ reipublicæ triste accidit: qui nil ex legum potestate, sed omnia per vim agi intuebantur. Didacus Ramirus Villascusanus, Malacæ antistes, qui præses conuentus Pintiani erat, vir alioqui mitis & quietus, rei indignitate & atrocitate permotus, ex publicis militibus non ignobili coacta manu tubis classicum vndique incinentibus, regiam iniuriam, & reip. contumeliam vlturus, equo armatus Villafratrum proficisci parabat. Velascus annis & prudentia maturior, periculũ quod principibus iuuenibus Villafratrum tenentibus, ex læsa regis & reipub. maiestate, imminebat cernens, eo properat; & priusquam aciem Malacitanus educeret, sine vllo armorum strepitu, sine vlla hostili incursione, Villafratro eos abire coegit: & Pintiani cõuentus mandata rite, & è reip. more confici iubet. Malacitanus armis depositis, & Velasco collaudato Pintiam reuertitur. Tunc tandem Pintiani senserunt, quantum esset in publicis militibus vtilitatis, ad potentum hominum vires infringendas, qui tantopere eos institui prohibuerant. Postquam ad Ximenium hæc perlata sunt, Gironii insolentiam minime ferẽdam, aut dissimulandã esse censens, criminosis libellis, & capitali accusatione, aduersus regiæ Maiestatis violatores agere iubet. Sarmentum quatuoruirum ad Villafratrum flammis & ferro diruendum, cum armatis militibus mittit. Iuuenes qui Velasci dictis parentes, Villafratro opportune exierant, postquam eorum facinus in crimen vocari, & de læsa maiestate causam esse dicturos cognouerunt, Gironio sese eos aduersus Ximenium (vt aiunt) instigante, ex Villalpando, quod Velasci ditionis est, præsidio militari accepto, Villofratrum rursus redierunt Quixadam deiecturi, & quamuis Ximenius omnia atrocia minaretur, eo inuito ibidem mansuri. Res durissimo in statu versabatur: nec deerant qui Ximenium culpabant, quod post Velasci officiosum factum vltra quicquam tentasset, Albano præsertim, & Mendozio paratis, ad omnes aduersus eum motus fouendos & captandos. At ille, qui se longe paratiorem sentiebat, ad regulos si quid molirentur, in officio continendos; nihilo segnius propterea se gessit: proscriptionibus, & publicis præconum vocibus, legum contemptores, & regiæ maiestatis rei, Pintiæ & Madriti publicati sunt: libelli in celeberrimis locis propositi; & proditores proclamati, ni continuo Villafratro cederent, & ad regium senatum causam læsæ maiestatis acturi se sisterent. Dici non potest quam grauia eorum parentibus & co-

gnatis, hæc omnia acciderint. Quocirca, tanquam in communi periculo, plerosque regulos cohortati sunt, vt in vnum locum conuenirent, de re tanta deliberaturi. Interea Velascus & Anricus Pintiæ commorantes, Malacitano in omnibus aderant, & quanuis in perniciem filiorũ ea omnia fieri viderent, ne quid eius mali in ipsos recideret, regiis executoribus, quoties opus esset, præsto se futuros esse promittebant. Locum ad conueniendum nonnulli Tudellam Vacceorum, alii Portillum oppidum Aluari Lunæ custodia percelebre, vbi hæc coitio facta est. Conuenisse autem dicuntur Pimentellus Beneuentanus, Velascus comestabilis, Fadricus Albanus, Cueua Alburquercius, & Mendozii quidam procurator. Sed Ximenii robur & naturam metuentes, post longam tandem altercationem, omnia pacifice agere decernunt: & ad eum primo, deinde ad Carolum supplices literas de his rebus mittunt. Cum Ximenio submisse se gesserunt, veniam liberis suis deprecantes: ad Carolum grauia omnia de difficili Ximenii ingenio scripsere, qui Hispaniam turbis & tumultibus ob peruicaciam repleret. At Gironius senatum regium se suspectum habere profitebatur, vt qui à regis catholici tempore, in Assyndonẽsis reguli partes quocum sibi magni momenti lis erat, manifeste inclinasset, & litem suam fecisse luce clarius constaret. Ximenius per Malacitanum de his rebus certior factus, quid sibi essent obiecturi cogitans, ad Carolum cõtinuo scripsit, & pariter senatus regius, qui Villafratensem casum, inter alia exponebat, ne mendosæ aliorum narrationi rex fidem haberet. Extrema epistolæ particula hoc continebat: Guterrii Quixadæ cum Gironio controuersia, quam tua maiestas requirit, & in tuum aduentum differri iubes, sic habet vt diximus. Porro nobis nihil priuati odii aduersus Gironium esse, ex breui gestorum summa, quam ad te mittimus, liquido constabit. Certe nemini verisimile videri debet, omnes iudices qui in publicis Hispaniæ conuentibus sedent, in vnum Gironii caput cõiurasse: præsertim cum iudiciorum, quæ quotidie fiunt, integritas, tam in distrahendis controuersiis, quam in puniendis delictis, sit notissima. Quare si viri grauissimi & iuratissimi, quos in conuentibus iudices esse voluisti, Gironium insectantur, illius potius culpa cordati homines fieri credent, quam priuato iudicum odio, aut corruptela. Si Gironius impotenti & perdita audacia, cuncta confundit & perturbat, nos qui omni vigilãtia & integritate à subditis tuis iniurias propulsamus, huic vt etiam aliis quietis publicæ interturbatoribus, & omnia pro libidine exercere cupientibus, necesse est vt odio pariter & terrori simus. Atque idcirco non solum apud tuam maiestatem, sed apud omnes mortales nos traducunt, omnia mala imprecantes, non alias ob res, quam quod illorum prauis consiliis obuiam imus. Quare pro debita nostra fidelitate maiestatem tuam monendam duximus, vt si saluam tuam rempub. optas, nulli diploma de controuersiis supersedendis, concedi permittas; quæ diu in iudiciis agitatæ, & omnibus numeris cumulatæ sententiam iudicum manent: hoc enim semper in alterius partis damnum fit, & causam seditiosis hominibus turbandi remp. præbet. Iube igitur, leges patrias seruari, quarum tu custos & vindex à Deo optim. max. es datus. Dum hæc ad Carolum perferuntur, reguli non cessabant capita conferre, & mutuo sibi animos addere ad Ximenium deturbandum. Cuncti proceres præter Aquilarium & Asturiensem ex vltramontanis, ex cismontanis vero Mendozius Infantatius, qui nondum in amicitiam Ximenii redierat, Paciecus Ascalonius Gironio coniunctissimus ad resistendum Ximenio consenserant: sed viam optabant qua id iure fieri videretur. Ergo Acunius Zamorensis antistes, præcipuus seditionum popularium author, cui ad Aquilæ arcem gula fracta est, & comes Albalistanus cohortibus armatis, & militaribus tormẽtis, Gironio præsidium laturi Pintiam aduenerunt. Sed quoniam ciues ad defectionem solicitabant, de iudicum regiorum sententia Pintia exire coacti sunt. Velascus Cigalios ad Beneuentanum, deinde Pennafielum ad Gironium magnis itineribus proficiscitur, qui videri volebat omnem operam dare, vt Gironius eius affinis Ximenii mandatis obtemperaret, & excitatum incendium nulla ruina, sed leui aqua extingueretur. Sed longe aliam mentem habere paulo post ex literis ad Gironium datis Ximenius deprehẽdit, quæ Madriti interceptæ fuerunt, plenæ acerbitatis & seditionis: nam Burgensem, & Montanam prouinciam se concitaturum pollicebatur, & Ximenio palam detrahebat, quasi impedimento esset, quominus Carolus rex leges Hispaniæ dignas regulis & populis concederet. Hasce tam criminosas & tumultuosas literas, noluit Ximenius, sua bonitate & moderatione vsus, ad Carolum transmittere, quanuis illum multi instigarẽt. Porro Albanus Hierosolymitani ordinis prioratu Didacum filium è vestigio spoliandum metuebat. Processerat vltra septennium hæc controuersia, & post multas cum Ximenio contentiones habitas, litem se perditurum videbat, quo nihil durius ei poterat accidere. Ergo Cuellar Alburquercii oppidum, quasi Cueuam solaturus, cuius Francisca filia Faiardi Velezani marchionis vxor, nõ ita pridem

dem

dem defuncta fuerat, Madrito proficiscitur: sed reipsa cum eo acturus de suppetiis Beltrano eius filio, & affini Gironio, qui Villafradæ obsessi tenebatur, aduersus Ximeniū cerebrosum, & iniuriū hominē ferendis: seq; exercitus cogendi authorem & ducem professus est. At Cueua vir prudentia & consilio singulari, vt perniciosum sibi & suis consiliū mutaret monuit: nec enim aduersus Ximenium, sed omnino aduersus remp. & Carolum ista moliri monuit: quare nec se neq; vllum ex propinquis arma aduersus Ximeniū capturum. Albanus recte monenti annuit, fuit enim hic vir sui principis studiosissimus, & Madritum rediit. Interea hi qui Villafratro concludebantur, ne illorum insaniæ quicquam deesse videretur, Ximenii imaginem pontificalibus indumentis vestitam, præcone præeunte, per oppidi vicos (vt fama est) circumtulerunt. Hæc quanuis Ximenio nunciarentur, vocesq; multorum irreuerentes & minarum plenæ iactarentur, non ideo minus rem propositam vrgebat. Nam Sarmentus quatuoruir qui ad Villafratrum obsidendum missus fuerat, mira diligentia oppidum expugnare, ferroq; omnes quotquot aderant perimere nitebatur. Sed iuuenes cum se impares esse ad resistendum animaduerterent, Villafratrum tandem deserere, atq; suæ saluti consulere decreuerunt. Porro Sarmentus re vniuersa ex iuris formula in tabulas relata, nemine aduersante per publicum præconem pronuntiari iubet: Quandoquidem Villafratri regiæ iustitiæ executores indignis modis violati essent, prisco maiorum instituto flammis incenderetur, & muris aratro impacto, oppidi area sale adspergeretur: in monumentum vero patrati sceleris, vt nunquam deinceps vel ædificiis instaurare, vel alio quouis humano modo colere cuiquam mortaliū liceret. Gironium & Rodericum filium, cæterosq; omnes, qui auxilium tulissent, læsæ maiestatis reos peregit: & vt Gutterio Quixadæ, secundum quem lis data fuerat, damna & impensæ resarcirentur iubet. Extemplo ignis in oppidum coniicitur, tormentis bellicis vndiquaq; quatitur, totumq; ab ipsis fundamentis concidit. Septem homines, qui accenso Pintiani conuentus Gutterio Quixadæ possessionem loci vindicante, seditiosis vocibus inclamauerant, se neminem præter Gironium dominum agnoscere, virgis de Sarmenti sententia cæsi sunt. Vnus ex Antici Almiranti familia, qui Pintiæ militum delectum, ad præsidium Gironio ferendum, clam fecisse dicebatur, per oppidi vicos die festo inusitato exemplo verberatus est. Tam atrocis animaduersionis in Villafratrū editæ forma, vt per Hispaniam innotuit, vires cunctorum fregit: & qui prius minaces & arrogantes incedebant, animos demiserunt. Ascalonius, qui Madriti aderat, & inter omnes has turbas Ximenii amicitiam palam ostentauerat, ea re audita, tantū doloris & ægrimoniæ concepit, vt per totos sex dies nemini aditus ad eum fuerit. Apud Franciscū vero Ruizium Abulensem episcopum, officii gratia ad eum venientē, de Ximenii perticacia, & animo difficili, atq; inexorabili, graui oratione conquestus est: vtpote qui nulla amicitiæ ratione habita, ita Gironiū eius propinquū tractauisset: quo facto vniuersis Hispanis regulis authoritatē, multis de causis debitā indigne imminuisset. Velascus iterum regulis Vltramontanis solicitatis, Mendozio infatio simul etiam adiuncto, legationē ad Ximeniū mittit per quendam Mendozii familiarē: vt quandoquidē in Villafratrum per summā Vrennatis contumeliā tam atrociter sæuitum fuisset, cessaret Gironiam familiā amplius persequi, & infaustis præconū vocibus per omnia compita exagitare. Anricus Almirantus, qui nunquam Ximenio aperte inimicus fuit, Madritum ea de re cum eo expostulaturus, venit. Multa ab Almiranto, reuerenter tamē de procerum Hispanorum dignitate, & maxima in reges suos fidelitate, fuerunt commemorata. Et tandem se mirari dixit, vnde viro prudenti in mentem venisset, ista designare. Nam cum Pontifex Toletanus, cuius personā gerebat, Primas non modo inter Antistites, sed inter regulos etiam in Hispania sit, non modo aduersus nobilitatem, sed aduersus se ipsum ea omnia gerere videri poterat: qui principes viros tam dire & contumeliose frangeret. Rex enim qui nondum eorum animos, fidē, & promptas voluntates nouerat, postquam tam indignis modis tractari intellexisset, paruo in pretio erat habiturus. Quocirca etiam atq; etiam caueret, ne in eas angustias ex quibus difficulter explicare se possent, regem, rempublicam & omnē Hispaniæ nobilitatem de principe suo bene merentē, coniiceret. Nota enim plerisq; esse, quæ de regulorum superbia, cōtumaci ingenio, malisq; artibus ad regem iratus scripsisset. Quare si Carolo æquissimo, potentissimoq; regi morem gerere vellet, & saluti reip. consulere, diuersa cum illis ratione ageret, & se ad animi æquitatem componeret, omni deposita iracundia. Deniq; multa se alia prætermittere dixit, ne dolorem suum refricaret. Ximenius paucis Almiranto respondet: Nunquā sibi illorum artes placuisse qui per sæuitiam, aut aliorum iniurias, gratiam inire apud reges curabant: reipub. curam, quam ei rex tantopere commendasset, pro virili sustinuisse. Ad Carolum quædam de regulis scripsisse, quæ ad quietem publicam pertinere videbantur, non tamen ea ver-

borum inciuilitate, quæ vulgo pro cuiusque libidine iactabatur. Quod ad Gironium pertinebat, satis se hactenus dissimulasse, iam eo loci rem esse, vt à Carolo tantum expediri posset. Interea Petrus Gironius, maior natu Gironii filius, iterum in Bætica nouos militum delectus cōscribere cœpit, sed nemo se illi adiūgere audebat, cūctis Ximenii indignationē, post Vilafratrū deletā, formidantibus. Ergo Gironii quid è Belgio Carolus iuberet auide expectabant: nō enim interea cessabant difficiles Ximenii mores apud Carolum increpare, vt aptissimos ad seditiones concitandas. Belgæ Ximenii adhortationes, & Senatus regii literas, reiq; ipsius naturam considerantes, omnia ex Ximenii sententia vt fierent decernūt, & eius aduersus Gironium actis authoritatē quantamq; postulabat præstiterunt. Ergo diploma regiū ad Senatū missum est, quo Ximenii gesta vniuersa rata esse iubebantur, & Gironiis nota læsæ maiestatis inurebatur, nisi illico se ad regium tribunal sisterent, & iudicatū facerent. Tunc demū omnes intellexerūt, quantum reuerentiæ & honoris, cum publicis legibus & institutis, tum earum ministris & iudicibus esset deinceps perpetuo deferendū. Ascalonius, qui Gironii fortunas in præcipiti positas videt, amicitiam Ximenii nouis officiis demereri studet, & omnes temporū opportunitates captans, ad Ximenii animū, quoties occasio dabatur, placandū, tandemq; factum est, vt Gironius ad Ximeniū supplex veniret, paratus omne iudicium subire. Ergo ex Ascalonii sententia rebus compositis, Francisco Ruizio Episcopo Abulensi (vt Carauaialus testatur) curante, venia criminū, quæ contra leges cōmiserat, data est. Nam Ximenius ad Lupum Aialam scripsit, vt eius nomine Carolo referat, Gironiū virum primariū, satis pœnarum dedisse, qui supplex ad se venerit, & sibi liberisq; suis veniam efflagitauerit, & animi in diuersum mutati plurima exempla dederit. Neq; enim omnia ad viuū resecanda, aut principes viros æqua cum priuatis hominib. conditione plectendos esse. Deniq; in hoc esse conuentum, vt res integra regis cognitioni seruaretur, vt nihil de iure suo regi, aut reipub. deperire videretur: & Gironius mirifice in officio contineretur, ne ad naturam & mores suos redeat. Fertur dum Madriti de his rebus acturus Gironius moraretur, quanuis rebus aduersis fractus ingenii tamen sui non oblitus, dictis non omnino ineptis Ximenium perstrinxisse. Cum aliquando ad eum accederet, cubiculi præpositos ecquid rex Ximenius ageret quæsiuit. Nam Ximenius inter priscos, & pauperes Hispaniæ reges numeratur, & quoties aliquid rude, & ab vsu iamdiu remotū significare volumus, id Ximenii regis temporibus factitari solitum parœmiæ vice, dicimus. Item ab eo digrediens ministros rogauit, an Ximenius tineoso esset capite, qui tam superstitiosa cura ne quid capitis retegeretur, caueret: visus enim fuerat nimis maligne caput aperuisse in Gironii discedentis honorem. Illo ipso tempore quo contentiones Gironii sunt finitæ, Leo x. Pontif. Max. comitiis v. Cal. Iulii habitis, inusitato cooptationis numero XXXI Cardinales creauit, & in his Adrianū Florentium, qui vna cum Ximenio moderandis rebus præfectus erat. Ea tam numerosa Cardinalium creatio parum grata reip. fuit, multi enim Cardinales vehementer restiterunt, & in primis Antonius Montius, Ioannis Montii auunculus, qui post Max. Pontif. factus Iulius tertius dictus est. Inter hos Raphaelem Vrbinatem, clarissimū pictorem cuius arte oppido quam delectabatur, vt hoc honore collato, ingentē æris summam quam illi ex pictura debebat, cōpensaret. Qua de causa Raphael Bernardum Bibienæ Cardinalē, neptem suam in vxorem offerentē nouis morarū causis in dies allegatis, fertur suspensum detinuisse: sed Raphaelis mors satis immatura omnes eius spes præuenit. Graue Ximenio visum est supremū ecclesiæ honorem tralatitium fieri. Sed Pii quarti Pont. Max. tempore non ita dudum factum esse vidimus. vt quadraginta & amplius Cardinales crearentur, pluresq; adhuc creandi esse credebantur, nisi quinto idus Decemb., anno M. D. LXV. ab humanis esset sublatus. Adriani promotio nō ingrata Ximenio fuit: nam ea occasione Didaco Lupo per arcanas literas iussit, vt suo nomine cum Carolo ageret de Adriano Romā, aut in Belgium, aut in diœcesim suam mittendo, quandoquidem à rebus gerendis natura sua abhorrens, noua tunc dignitatis accessione potius impedimento, quam vlli vsui futurus esset Literæ elegantissimæ inter Petri Bembi epistolas Leonis x. nomine editas, quas Leo ad Carolum de Adriani cooptatione scripsit, circumferuntur: quibus perbelle ad hominem benemeritū augendū primo quoq; tempore exhortatur. Nempe illum fortuna ad summā dignitatē vocabat, aut potius vrgebat. Gironii simultatibus contentio cum duce Albano successit, quæ ob dignitatem maximi emolumenti, & honoris suscepta esset, magnas turbas excitauit. Erat res futura cum regulo potentissimo, & iusta (vt videbatur) indignatione commoto, qui amplissima dignitate, quam per totos sex annos tenuerat, priuabatur. Ximenii etiam robustus animus, & cedere nescius capitales inimicitias promittebat. Quare cunctorum mentes suspensæ erant, quo res esset euasura. Est ea dignitas in

Hispania

Hiſpania adeo opima, vt ſi ius ſucceſſionis accederet, cum cæteris Hiſpaniæ principatib. qui potentia & authoritate præſtant, proculdubio comparari poſſet. Ab hac dignitate Valenzuela ſub Enrico quarto malis artibus, vt illa erant tempora, deiectus fuit, & eius loco Aluarus Aſtuniga rite ſuffectus. Sed is vel morbis, vel ſenio afflictus, otium ſibi neceſſarium illa in ætate iudicans, in Antonium Aſtunigam ex fratre nepotem, prioratum tranſtulit, Philippo rege annuente, & Pont. Max. confirmante, ne quid iuſtæ & legitimæ ſolennitatis defuiſſe cauſari quiſquam poſſet. Ferdinandus Poſt Philippi mortem ad Hiſpaniam moderandam rediens, voluit Albano, cuius ſingularia in eum officia fuerant, gratificari: & Didaco tertio eius filio, ſancti Ioannis prioratum contra publica iura, & Hiſpaniæ leges, antiquamq; maiorum conſuetudinem contulit. Ergo magiſtri Rhodiorum authoritate, qui per Pontif. Max. collatum eſſe ægerrime tulerat, Antonium prioratu priuauit, & Didaco Albani filio conceſſit. Factum eſt id Melioratæ in Hieronymiano cœnobio, per Rhodienſis ordinis Balionem (ſic enim ſuos adminiſtros nominant) qui Rhodo à rege ea de cauſa accerſitus fuerat, anno huius ſeculi M. D. XII. poſtridie idus Aprilis. Antonius apud Pont. Max. de regis iniuria, & magiſtri Rhodiorum audacia, ſed fruſtra conqueſtus eſt, ſunt enim longæ regum manus: quare in Belgium ad Carolum confugit, vt patris Philippi acta tueretur. Sed poſtquam Ferdinandi regis mortem cognouit, Belgis curantibus, apud Carolum egit, vt eius voluntate & fauore in integrum reſtitueretur. Romam proficiſcitur æquo iure cum Albano iam decertaturus. Multa Albanus, ſed ea omnia Romanis iudicibus ingrata, obiiciebat. Nam ſancti Ioannis prioratum, cæteraſq; omnes militarium ordinum præfecturas ex Martini quinti diplomatibus Ioanni ſecundo conceſſis, ad reges Hiſpaniæ & Rodiorum magiſtros pertinere aiebat: in Hiſpania etiam apud regium Senatum proclamabat, regem & rempublicam ipſam pernicioſe lædi, ſi ea quæ proprie regii iuris eſſent, ad Pontificem Maximum iterum incaute deuolui ſinerent. Contra Antonius ſe perinique ſpoliatū eſſe contendebat dignitate, quam iure optimo poſſederat. Iudices Romani, cauſa probe examinata & cognita, Antonio Aſtunigæ pontificia diplomata dederunt, quæ poſt cauſam diiudicatam & confectam, victori tradi ſolent, ad vltimam rei controuerſæ executionem, vnde executorialia vocantur. Hæc ad Carolum illico detulit, cum Leonis decimi Pontif. Max. literis, ex quibus conſtat, regis Ferdinandi interceſſione, iudiciorum morā per biennium eſſe factam, quas hic referre non eſt operæpretiū, cū inter epiſtolas P. Bembi circūferantur. Carolus partim ſua volūtate partim Pōt. Max. epiſtola incitatus, Antonium in Hiſpaniam cum hiſce ad Ximeniū literis mittit.

CAROLVS Hiſpaniarum rex, Franciſco Cardinali Toletano, amico cariſſimo S. Quæ de prioratu ſancti Ioannis Hieroſolymitani ad nos accurate ſcripta miſiſti, valde probata à nobis ſunt. Cauſæ tamen magnitudo, & contendentium dignitas, vt omnia prius experiamur, quam cum illis ſummo iure agamus, efflagitant. Idcirco clementia noſtra dignum duximus, vniuerſum prioratus patrimonium (hoc eſt) arces, oppida, emolumenta & prouentus fiduciaria poſſeſſione in poteſtatē noſtram tantiſper redigere, donec quid ſit faciendum decernamus. Id vt citra tumultum à te perficiatur, dux Albanus & Didacus eius filius, meo nomine tibi conueniendi ſunt: quibus noſtrum hoc conſilium expones, dabiſq; operam vt mihi hac in re obtemperent. Compromiſſum faciant in quo me arbitrum ſtatuant: quod fide publica confirmatum, ad nos quamprimum mittatur; ſumus enim ſemper habituri honoris & commodi vtriuſq; rationem. Id ſi fecerint, nobis erit perquam gratum: ſin minus, quindecim dies duntaxat ad deliberandum damus, quibus elapſis nomine noſtro prioratum capies, viroſq; regiæ maieſtatis fideles, oppidis & præſidiis præficies. At ſi dux, aut eius filius parere recuſauerint, te inprimis hortamur, Senatui vero noſtro iubemus, vt diplomata Pontificia, ab Antonio Aſtuniga Roma allata, ſine cuiuſquam reſpectu manu regia exequamini. Id ſi ex ſententia noſtra, vt ſpero, confeceris magnam gratiā apud me inibis. Vale Bruxellis XIIX. Cal. Febr. anno Dom. M. D. XVII.

Aſtuniga Begerenſis dux cum Antonio fratre conuocatis ex ſua ditione, quæ ad Anam flumen eſt, præſidiis, multiſq; regulis (nam Mendozius Infantatius, Cardenas prouinciæ Granatenſis præfectus, qui poſtea dux Maquetanus fuit, Fonſalitanus Aialææ familiæ primarius, aliquotq; alii eum ſequebantur) nulla quidem armorum ſpecie ad Ximenium venit, cui literas regias obtulit, omnem ſuam & ſuorum operam pollicitus, ſi vſus foret. Poſtquam hæc omnia Albanus cognouit, & Ximenium flecti poſſe deſperauit, qui litem illam iurgiorum & ſeditionis plenam finire cupiebat: ſuam atq; Didaci filii dignitatem, non quidem aduerſus regem, ſed aduerſus Ximenium, familiæ ſuæ (vt iactabat) hoſtem, omni conatu & virib. defendere ſtatuit. Ximenius febribus tertianis eo tempore Madriti laborabat, vnde Albanus erectior factus, numeroſam ſuæ gentis familiam, & vltramon-

tanos regulos, sibi necessitudinis vinculo coniunctos, solicitauit. Porro Antonius Fonseca Cocceiorũ in Vacceis dominus, & Ascalonius ex Cismontanis, qui hactenus dubii vtram in partem inclinarēt, fuerant, tertio post Astunigæ aduentũ die, ad Albanas partes transierunt: quod non mediocriter Astunigã cõmouit. Erat in Ascalonio diuitiarum facultas & potentia. quã multæ propinquorũ clientelæ adaugebant. In Fonseca animi præstantia, & longo rerum vsu prudētia. Ruizius Abulensis Episcopus prætorianã cohortē in armis esse iubet, cui tercentos strenuos milites adiunxit, ne alterutrius factionis homines Madritũ ingrederentur. Interea Ximenius à morbo recreatus, deq; his omnib. continuo edoctus vtroq; regulo ad se accersito, inducias pollicetur, donec receptis virib. quid vterq; iuris obtineat, & quid sit è reip. vtilitate, & quemadmodũ inter eos melius controuersia componi possit, accuratius possit inspicere. Supplicationes pro Ximenii incolumitate, Madriti primum, deinde per vniuersam Castellã sunt habitæ: videbant enim ex vnius hominis salute, eo præsertim temporis articulo, vniuersæ reip. quietē pendere. Eo enim ægrotante, præsidiis arces cõmuniebantur, & ad res nouas omniũ animi erigebantur, qui Ximenio melius se habente pacati sunt. Albanus donec iterũ Carolus de vniuersis causæ eius articulis consuleretur, & quid exequendũ foret rursus iuberet, quicquid Ximenius facere tentaret armis repellere decreuerat: palamq; clamitabat, se regium ius eo modo tueri, cui patronatus ratione prioratus designatio debebatur. Fraudē etiam magno Rhodiorum magistro creari affirmabat, ad quē post regis designationē, collatio pertinebat. Ximenius qui rem omnem perspexerat, Albani voces vanas esse intelligens, ad Carolum scripsit, vt in re semel imperata constanter persisteret: permultum enim interesse, regias voculas vel per iocum emissas, nedũ sigillis impressis publicatas, firmitatē & robur tenere. Post aliquot dies, de literis regiis ab Astuniga allatis in Senatu agere cœpit: sed non omnes ad eam executionem illico faciendã animatos offendit, erant enim qui Albani causam æquiorem esse arbitrabãtur: quorum sententiam Belgæ legati, Adrianus & Laxaus, non mediocriter confirmabant. Itaq; dubitari in Senatu cœptum est, an literis regiis Albanus satisfaceret, si facto cõpromisso prioratum retineret, donec rex arbiter certum sequestrem declararet: neque enim ex diplomate satis liquere. Item iuris formã in literis inuerti obiiciebant. Quorsum.n. castris & arcib. prioratus ex regis iussu occupatis, postremo tabulę põtificię proferēdę erãt? Sed cum hæc omnia tempori tantum eximendo ab aduersariis dici Ximenius intelligeret, dedit operam vt omnes in Senatu de regiis mandatis exequendis concordes essent. Albanus cui aqua hærebat, ad Germanã reginam cõfugit: quæ cũ propter antiquũ in Ferdinandum coniugem amorē cui vnice carũ semper Albanum fuisse intellexerat, tum ob priuatum erga ipsũ affectũ, non mediocre præsidium tulit. Nam eius diligentia & studio factũ est, vt Ludouicus Galliæ, & Enricus Britanniæ reges, cum Carolo in primis, deinde cum Chebrio, cæterisq; Belgiæ aulæ principibus agerent, ne Albanus clarissimus in Hispania regulus, cuius officia in reges cõplura extarent, & qui Ferdinando in repub. Hispana amplificanda tam multiplici opera vtilis extitisset, ea dignitate, quam de veteri Hispaniæ instituto per sexennium tenuit, nunc inimicorum iniuria spoliaretur. Cœpit Carolus nonnihil de constantia, ob regum intercessionē remittere. Sed Ximenius cum Chebrio per literas acriter expostulauit, qui regis authoritati male consuleret, & seditiones in remp. inueheret, ni totis virib. curaret, vt Carolus in sententia obfirmato animo esset. Nam Astunigenses, quorum illustris & amplissima erat, tum familia, tum clientela, parati erant depugnare, & ferro controuersiam dirimere: quod & fecissent, ni illos ipse promissis de Caroli constantia detinuisset. Post has literas datas, Albanum ad se Ximenius accersit, quem præsentibus legatis, senatoribusq; regiis, & Osornio comite, pro diuturna inter eos consuetudine, amicissimis verbis adhortatus est, vt moderatione animi & prudentia, quam in eo semper cognouisset, tunc ad eam rem componendam vteretur: se enim in iis decernendis eius cõmodis non defuturum, si absq; vllis reip, motib. totã rem transigi & confici permitteret. Regi ergo prioratũ traderet, vt de illo secundũ leges statuere posset. Quod si id durũ videretur, se de regiis mandatis permultum remissurũ, ne omnia pacifica noluisse argueretur: & Petro Bazano, Balduernæ & Vanezæ domino & Albanæ familiæ per omnia addicto, prioratum traditurũ, quem in regis aduentũ adseruaret: se quoq; tunc effecturum, ne Antonio Astunigæ tradi posset, nisi post tres menses elapsos. Eas conditiones Albanus contempsit: atq; inde digressus omnem culpam in Ximenium reiiciebat, qui salua regis maiestate mitius secum agere poterat: quasi vero supremũ reip. moderandæ, ea de causa Ximenius subiisset, vt iuxta leuiũ hominum vulgarem consuetudinem, priuatos affectus officiis anteponeret. Igitur Albanus Madrito in Vltramontanam regionem profectus, amicos regulos de ea re consuluit. Qui Villafratrēsis casus memores, vt quiesceret, &

conditiones

conditiones quas Ximenius obtulisset accipiat, cõsulenti responderunt. Hæc ad hũc modũ acta fuisse ex Velasci comestabilis, qui eo tẽpore Pintiæ aderat, ad Astunigensem Mirandæ comitem literis, qui cum sibi necessitudo intercedebat, compertum fuit. Acquieuit tunc Albanus in amicorum consiliis: verum postea res incrudescere denuo cœpit, multaque & varia hinc inde tentata & acta sunt: de quibus omnibus, in Ximenii literis quæ per arcanas notas sunt datæ, longa admodum notitia est: nobis hæc tantum dixisse satis sit, ad vtriusq; causas indicandas, quibus tandem rationibus adducti, tam acerbas simultates exercuerint. Vt igitur Albanum Ximenius nulla ratione in sententiam suam pertrahi posse videt, præsidia reip. hoc est milites à se institutos, diuersis ex locis conuocat, & Ferdinandum Andradam præfectum militum, ad eam rem designat. Legati eos motus conspiciẽtes, quo res euasura esset incerti, mirum in modum angi cœperunt: & Ximenium vt Caroli aduentum expectet adhortantur, ne resp. quam hactenus florentem tenuerat, nunc per eam occasionem detrimentum caperet. Antonius Fonseca vir nobilis, & rei bellicę peritia atque animi præstantia clarus, quem Albani partes palam tuendas suscepisse diximus, multis apud Ximenium ea de re disseruit. Quo remp. coniiceret etiam atque etiam consideraret: esse iam omnium exacerbatos animos, qui si cæco furore semel metum & pudorem abiecissent, nullis consiliis aut fræno cohiberi possent. Ad quæ Ximenius, Pone metum (inquit) Fonseca, nec te rerum istarum euentus discruciet, ego enim prosperrimum efficiam. Mille equites cum ex prætorianis, tum ex regiis præsidiis, quos nostri limitaneos appellãt, ad se accersit, quorum septingenti cataphracti erant. Item quinque millia peditum conscribi iussit, in quibus veterani quingenti, qui sub Villalua Placentino stipendia fecerant, & quos Ximenius custodiæ causa in vicis Madrito proximis retinebat, sunt annumerati. Cauit etiam, vt in diœcesi Toletana tercentum equites in procinctu essent, cum nõ pœnitenda peditum manu, qui in supplementum, aut in auxilium, si forte opus esset, venirent. Hos aduersus Consaburenses, vbi Didacus sese munierat, omnia extrema sustinere (vt aiebant) paratus, proficisci iubet. Sed antequam ad manus veniatur, per reipub. fecialem denunciari placuit, vt Didacus Consaburensi præsidio cedat: armatos omnes dimittat: præsidia prioratus, arcesq; cunctas, & oppida tradat: & ex æquo legibus cum Astuniga acturus, in regium tribunal descendat: regem præterea, ex Pont. Maxim. præscripto, arbitrum statuat. Sin id contumax renuerit, læsæ maiestatis damnatum esse: eiusque bona & fautorum, fisco addicta. Interea Albanus circiter mille pedites cum paucis equitibus Consabronem mittit, qui multum æris & commeatus ad Didacum & socios deferre dicebantur. Idcirco Ximenii cohortes prædæ cupidine festinãtes, locorum angustiis & diuerticulis præoccupatis, non modo transitu prohibuerunt, sed in latiora loca procedentes, leui opera fuderũt, atq; omni pecunia & commeatu spoliarunt. Inde ad Consabronem accedentes, dies aliquot ex formula iuris quieuerunt, vt fecialis regia mandata denunciaret, bellumq; cruentum indiceret. Toletana iuuentus, quæ cum Didaco erat, animorum vigore & præstantia exultans, loculos cadaueribus construi solitos, pullo colore illitos, è mœnibus ostentabat: quasi se omnes more Hispanico, de quo multis ante seculis in Dionis Nicæi historiis mentio est, ad commoriendum cum Didaco deuouisse innuerent, priusquam præsidium Consaburense traderent. Cum hæc Albanus resciuit, ne per tantum tumultum negotium ageretur, Madritum venire necesse habuit: vbi Germanæ reginæ, & legati Adriani opera adiutus, cum Ximenio de prioratu tradendo egit, modo conditiones, quæ prius offerebantur, aliæq; quas insuper addebat, concederentur. Nam pro tribus mensibus, quos Ximenius concedebat, de non tradendo prioratu post regis aduentum, tres annos dari, & vt interea tantundem pecuniæ ex regis ærario, aut vectigalibus sibi numeraretur, quantum ex fructibus prioratus redigebat. Omni conatu legati contendebant, vt illis pactis Ximenius annueret: qui quanuis antea conditiones aliquot obtulisset, tunc sine vllis pactis aut exceptionibus, vt prioratum regis arbitrio permitteret statuit, quãdo in eum locũ res progressa esset: alioqui Albani poti' metu, quã libera volũtate id præstitisse, multos fore arbitraturos. Ergo Albanus iam mutato consilio ad Ximeniũ venit, coramq; cum eo egit de prioratu libere tradendo. Factũ est id sub idus Iulias, hora noctis intempesta. Igitur post longam inter vtrumq; expostulationem, Ximenius se nunquam in causa fuisse dixit, vt eo in cardine negotia versarentur. Præterea aliorum vicarios non posse vltra mandata excedere, quod vt crederet, literas Caroli archetypas protulit, quas Albano in manus dedit: & vide (inquit) quid ego, salua mea fide, & regis authoritate, in tuam gratiam facere possim, nam id omne præstabo. Nihil aliud Albanus (inquit) quam vt postquam prioratũ Didacus tradiderit, nostræ familiæ rationem rex habeat, cuius fidem atque obseruantiam ad res omnes gerendas expertus est, & perpetuo experietur. Audio etiam te statuisse, Ferdinando Andradæ militum præfecto, prioratum tradere asseruandum, donec rex veniat:

Indignum eſt, vt is qui Franciſcam Aſtunigam, aduerſario meo propinquam, vxorem duxit, in noſtras calamitates inſultet. Æquum poſtulare Ximenio viſus eſt, quare Antoniũ Cordubam, Capræ comitis fratrem deſignauit, cui prioratus traderetur: ſic tamen, vt Ferdinando Andradæ primum dederetur, & is poſtea Cordubæ traderet. His ad hũc modum conſtitutis, ea ipſa noctis hora datæ ſunt literæ Ximenii ad Ferdinandum Andradã, Albani autem ad Didacum filium, vt hic prioratu cedat, & ille arma continuo ponat: quæ omnia ex præſcripto confecta fuerunt. Et ne quid deeſſe videretur, veniam & impunitatem dari præconio promulgatum fuit cunctis, qui Albani partes eſſent ſecuti, publica fide interpoſita, ne illorum cuiquam fraudi eſſe poſſet. Interea Didacus, quod in rem ſuam eſſe exiſtimaret, conuentum militum Hieroſolymitanorum, Paradinis commendatariorum oppido, quaſi iuſtus prior eſſet, indixit ad VI. Idus Septembris. Nam magnus Rhodiorum magiſter Didacum tantum priorem agnoſcebat, & illi negotia ordinis demandabat. Ximenius hæc in fraudem Antonii, & contra pacta conuenta fieri animaduertit: & Didacũ ſeuere monuit, ne conuentum quoq; indiceret, aut aliud quicquã quaſi prior, ſuo aut Rhodiorum magiſtri nomine, gereret. Nam Didaco imperia ſui magiſtri cauſanti Ximenius acute reſpondiſſe fertur: Recte quidem, ſi tu iſta in Rhodo in ſula tractanda ſuſcepiſſes, nõ in Hiſpania, cui ego ſum præfectus: oportuerat enim me prius conſuluiſſe. Sed quanuis Didacus tunc ceſſauit, Ximenii præſtantiam & ſeueritatem veritus, tamẽ poſt eius mortem, Antonio neglecto, prioris munera obibat: vnde tumultus ſunt orti, quos vix Carolus partito inter eos prioratu ſedare potuit, donec Antonius Perpennianum profectus, vt præſidiariorũ militũ dux eſſet diem ſuũ obiit: & Didacus in integrum ſucceſſit. Supererat adhuc lis vna terminanda, ex his quas Ximenius finire decreuerat: ea erat de Ripadei ad Galleciam comitatu, cuius ditionis tractus anguſtus quidem, ſed ſoli amœnitate & vbertate, cæliq; ſalubritate, nulli Gallecię principatui poſtferendus. Comes ob antiquam ſuæ familiæ in reges obſeruantiam, priuilegio non vulgari iam olim fruitur: nam die feſto Epiphaniæ, quo reges noſtri lautius & conuiuantur, & ornantur, epulis regiis accumbere conceditur, & veſtitu quo rex tectus fuit donatur: idq; quotannis. Hunc ergo comitatũ Villandradus paulo ante poſſederat. Is duas vxores ſterilitatis cauſa allegata repudiauerat: Iſabellam Caſtannam primo, & deinde Ludouici Biberi filiam: Leonoramq; genere Mauram, libertã ſuam, vxorẽ duxit: ex qua Rodericum filiũ ſuſcepit, cui Anricus Almirantus filiã notham vxorẽ dederat. An is legitimus haberi deberet, & priorũ vxorum nuptiæ ratæ non eſſent, à Ferdinandi catholici tempore magna cõtentione controuertebatur. Nam Maria Vlloa multi nominis fœmina, Sarmento comiti Salinario nupſerat, qui Villandradi ex ſorore nepos erat, ad quem comitatus pertinebat, ſi Rodericus Leonoræ filius ſpurius iudicaretur. Qua de cauſa Maria Vlloa Roderico litem intenderat filii nomine quem ex Sarmento genuerat. Rege catholico viuente, nunquam Rodericum legitimum eſſe declaratum eſt, quamuis Almirantus id vt fieret multum laboraret. Fuerat quidem Biberæ matrimonium ſententia iudicis à Pon. Max. delegati diremptum, & nuptias cum Caſtanna irritas fuiſſe non dubitabatur. Ximenius cui Rodericus pupillus certus hæres eſſe videbatur, comitem eum Ripadeum appellauit, curabatque ſedulo vt talis haberetur. Sed quoniam in Mariæ Vlloæ partes multi regii Senatores inclinabant, quos Compoſtellanus & Burgenſis Antiſtites, Velaſcus etiam, & Mendozius reguli, omni ſtudio ſolicitabãt, cognitionem cauſæ ad Pintianum tribunal remiſit, vbi de more ad exitum perduceret. Sed qui aduerſus potentiſſimos regulos aliarum cauſarum lites diffiniuerat, vnius fœminæ opera vincitur. Nam rurſus Maria Vlloa in contrarium nitente, regemque multipliciter captante, literæ tandem ab ea allatæ ſunt, quibus Ximenii mandata irrita fiebant: & Sarmentus Salinarius Ripadeus comes tandem pronunciabatur. Nam Belgæ, quos præteriti tumultus male habuerant, cum adhuc per Mariam Vlloam nouis terroribus retardarentur, feſſi potius rerum grauitate, quam Ximenii potentiæ in re non admodum difficili diffidentes, noluerunt poſtremo experiri, quid ille etiam in hac cauſa poſſet. Id Ximenius moleſte tulit, & literas ad Carolum dedit querelarum & doloris plenas. Ad Belgas autem aulicos, ſe ſatis quid in Hiſpania poſſet perſpexiſſe, quare non eſſe cur timerent: ſed omnem potius curam in Neapolim & Siciliam conuerterent, vbi noui tumultus ſubinde oriebantur. Se grauiſſime dolere, quod puer pupillus, cui pater viuens comitatu ceſſerat, nullis nunc allegationibus prolatis, ſtatu eſſet deiectus. Addidit etiam aliquot vltramontanos regulos, libello ex iuris formula propoſito, aduerſus literas regias in pueri fauorem interceſſiſſe. Quoniam nihil acrius omnium animos irritat, quam iuſtitiæ peruerſa adminiſtratio. Nihil ſuper ea re Belgæ reſponderunt, ſed potius cum nouos quotidie tumultus emergere viderent, regis præſentiam neceſſariam eſſe demum ſentien-

ſentientes, vt in Hiſpaniam primo quoq; tempore traiiciat decernunt, deque ea re certiorem Ximenium faciunt. Ille claſſem apparatiſſime inſtructã, cui Gumetium Buytronum virum inter Cantabros præſtantem præfecit, ad regem omnium votis, ſed ſuis præſertim exoptatiſſimum, in Hiſpaniam deducendum mittit. Portus omnes & ſtationes Oceani, cum Callaici, tum Cantabrici explorat: & quoniam nonnulla maritima loca peſtilentia laborare nouerat, ſalubriora magna diligentia cuſtodienda curat, & magna annonæ abundantia inſtruit. Ferreræ quatuor viro, experienti viro, horum curam tradidit, & Buytrono ad claſſem inſtruendam, executorem & comitem dat. Ipſe vero quo regi aduenienti maturius occurrere, & rebus diſponendis præſto eſſe poſſet, quanuis corpore imbecillo, regium comitatum Madrito mouet, & Arandam ad Duriam flumen ſitam contendit. Placuit illud oppidum ob multa, ſed ob vicinum cœnobium Franciſcanum præcipue, amœniſſimo in loco ædificatum ad Aquileram vicum quod eius valetudini aptiſſimum putabat. Turrilacunam natale ſolum Ximenius obiter inuiſit, veluti telluri genitrici vltimum vale dicturus: nam illac Arandam eunti tranſeundum erat. Secum Ferdinandum principem, Caroli fratrem, adducebat. Comites ſequebantur, Adrianus & Armaſtophus legati: nam Laxaus, quemadmodum & cæteri qui in comitatu regio erant, alius alio, vt ſolet, diuerterat. Poſtridie diui Laurentii, qui dies ad tertium idus Auguſti eſt, Turrilacuna Ximenius diſcedit. Venit altero die Bozeguillas, montanum vicum. vbi prandenti fama conſtans apud noſtros eſt, venenum fuiſſe propinatum, cuius vi paulatim cõtabuerit. Nam poſt eas epulas ſolito grauius ægrotare cœpit. nec multo poſt ſanies per aures, & vnguium iuncturas erupit, reduuiis perſimilis. Multa veneni famam confirmarunt. nam quo die Bozeguillis eſt pranſus, eques quidam Marquinæ Franciſcano prouinciæ Ciſmontanæ prouinciali miniſtro, & aliis magni nominis monachis, quos Ximenius accerſierat, occurrit, capite faſciis obuoluto ne agnoſci poſſet, qui Madritum petebat. Hic monachis dixiſſe fertur, ſi ad Cardinalem itis, diligentius feſtinate, vt eius prandium anteuertere poſſitis: & diligenter monete, ne ingentem troctam, quæ illi condita eſt, guſtet: habet enim venenum præſentaneum. Quod ſi ſerius perueneritis, curate vt animæ ſuæ de more Chriſtiano conſulat, neque enim veneni vim ſuperare poterit. Marquina homo ſyncerus, totam rem Ximenio patefecit. Ille vero quanuis huiuſmodi rumorib. non multum fidei habere eſſet ſolitus, ſi quid huiuſmodi ô pater, mihi accidit. ante hunc diem accidiſſe certus ſum: nam lectis quibuſdam dum Madriti eſſem è Belgio literis, oculis venenum hauſiſſe mihi ſum viſus: nam ab eo tempore notabiliter languere cœpi: ſed hoc etiam mihi non fit veriſimile. Deus qui omnia ineffabili ſapientia moderatur, ægritudines dat, & idem aufert: illius arbitrio fas eſt, nos & noſtra permittere. Aliquando etiam dixiſſe medicis fertur, ſe proditorum perfidia perire. Porro Franciſcus Carrillus, qui Ximenio Bozeguillis miniſtrabat, cum troctam de more prægustaſſet, vehementer ægrotauit. Erant qui veneficii authorẽ è Belgica aula prodiiſſe dicerent. Nam ex literis eius, & mandatis ad Carolum per Lupum procuratorem miſſis, abunde Ximenii animum intellexerant de regis aula mutanda. & Belgis in patriam amandandis. Et tanta eſſe authoritate & gratia apud regem Ximenium videbant, vt id facile effecturum crederent. Nonnulli Baracaldum nefarii ſceleris adminiſtrum faciunt. Erat ille fronte parum verecunda, & pecuniæ auidus, cuius fides ob legationem apud Belgas male actam vacillauerat, videbaturque Belgis addictus plus ſatis, & obſtrictus. Literas etiam nomine Ximenii Gallice ſcriptas in Belgium tulit, quas ille ſuas eſſe negabat: & Didacum Lupum hortatur, vt eas ſtudioſe quæſitas ad ſe tranſmittat. Ab eo tempore Ximenium decreuiſſe, in ſubſignandis libellis, literiſve, Baracaldi opera non vti, ex epiſtolis Abulenſis ſatis conſtat, qui in illius mores nimis inuehitur. Sed hic Baracaldo infenſus erat, propter penſionem Caurienſem interceptam. Nec cuiquam veriſimile videri poterit, non aliquo aufugiſſe, tam atrocis criminis ſibi conſcium, & patroni vultum ferre potuiſſe: nam Ximenium illius opera & manu ſemper vſum fuiſſe, quouſq; diem ſuum obiit, multorũ teſtimoniis planum eſt. Eſt apud me Baracaldi epiſtola, quam ſeptimo Cal. Oct. Aranda ad Didacum Lupũ dedit, cuius tres aut quatuor verſus bona fide Latinos feci, qui ſic habent: Illud autẽ operępretium eſt, vt ſcias Cardinalem cõmunem patronũ tam vegeto corpore, & proſpera valetudine nunc eſſe, ob hilaritatem (vt arbitror) quam poſtquam rex noſter orã ſoluit cõcepit, vt vel in totos viginti annos vitã ſit prorogaturus. Certe tãti criminis conſciẽtia perturbatus hæc ſcribere nõ potuiſſet, ad hominẽ pręſertim adeo Cardinali intimũ. Lapidibus medius fidius appetitus & obrutus fuiſſet à Ximenii domeſticis, qui id non potuiſſent nõ odorari. Aquileræ oppido exiguo, Valuaſius, & Petrus Lerma, ſi quando ad Ximenium veniebant, comitem Baracaldum adducebant: neq; enim in illo vitæ extremo

curriculo niſi intimi admittebantur, & ibi Ximenio aſſiduus ſcribendi operas dabat. Didacus etiam Lupus, quem Baracaldus loco deturbare apud Carolum voluit, conſtantiſſimè affirmabat, falſum id eſſe, neque vnquam à Baracaldo attentatum. Abulenſis quidem, qui multa hominis vitia per arcanas notas numerat, non erat hoc prætериturus, ſed tamen mentionem nullam facit. Confirmauit hanc vulgi famam, quanuis mendacem, Baracaldi mors. Solent enim homines ex mortis genere, de ante acta vita iudicium ferre. Ille ergo vt à Chebrio repulſus fuit, domum Ægidii Baracaldi parentis ſui Turdeſillas diuertit, qui cohortis prætoriæ apud Ioannam reginam præfectus erat, vbi grauiſſimè ægrotare cœpit: & cum atra bile vexatus, feneſtræ proſpectu ſe oblectare conaretur, mœrore confectus animam ſtans efflauit. Sunt qui mulæ calcibus Seguntiæ impetitum, dum Romam properat, obiiſſe affirmant. Poſtquam Ximenius Arandam peruenit, tumultuari Pintiæ cœptum eſſe accepit: & vulgo iactari, ea quæ de aduentu Caroli dicebantur, à Ximenio confingi, qui iter illud æſtuoſo tempore feciſſet non alia de cauſa, quàm vt Ferdinandum puerum ad Belgas tranſmitteret: & Hiſpania regia prole orba, ſub illo maneret: cuius vita diutius produci non poterat, ob grauiſſimam eius ægritudinem in ætate adeò prouecta: vnde ipſi aut bellis ciuilibus erant laboraturi, aut præda finitimis hoſtibus futuri. Sed legatis ad Pintiam miſſis, qui eos de regis aduentu, deque ſuis conſiliis edocerent, extemplo coercuit. Arandæ etiam ineunte Septembri, de Ferdinandi principis Magiſtro pædagogo, & pleriſque aliis miniſtris amouendis, ſolicitè egit. Dictum eſt ſupra, Ferdinandum Caroli fratrem, à regibus catholicis, Petri Nonii Guzmani, Oretanæ militiæ clauigeri curæ traditum: ſub mortem Philippi regis, cum è Senticenſi oppido vbi diuerſabatur, in arcem per Didacum Gueuaram deductus eſſet, Catanenſis Epiſcopi Petri fratris ſtudio & conſilio Pintiam translatum fuiſſe: atque hunc Petrum, Guterio Padilla militiæ Oretanæ præfecto maximo fatis concedente, in eius locum ſuffectum fuiſſe. Vtrunque vero Ximenio parum probante, factum eſt: vnde ſimultates inter eos continuo ſunt exortæ: quas Aluarus Oſorius Dominicani ordinis ſodalis Aſturcenſis Antiſtes, qui Ferdinandum primis literis inſtituebat, Ximenii odio ſedulo augebat. Id autem ab Oſorii ambitione proficiſcebatur, qui ægerrime ferebat, Ximenii ſedulitate omnem ſpem Ferdinando alumno adimi res nouas in Hiſpania moliendi. Nam vt fama incerta vulgauerat, quotquot in familia Ferdinandi erant, mirum in modum concupiſcebant occaſionem aliquam offerri, qua ille rerum ſumma potiretur. Indicio fuerunt Guadalupani (de quibus diximus) libelli, multaque alia temere dicta & facta. Nam motus Pintianos de militibus publicis repellendis, ab Oſorio Aſturicenſi magna ex parte concitatos eſſe diximus. Delationibus atque calumniis apud Belgas Ximenium onerabat: Maximiliano Imperatori ſeſe per intimos inſinuabat; vt male de Ximenio apud eum loquens, irritos optimi viri conatus faceret. Poſtremo vt Germana regina Imperatori nuberet curabat: nam ita fore arbitrabatur, vt aut Carolo aduentum differente, Ximenio Maximilianus ſufficeretur, aut Germana Maximiliano nupta, ſuis rebus, ſuiſque conſiliis magnum pondus & momentum afferret. Erant quoque nonnulli qui affirmabant, Petrum Nonnium, cæteroſque miniſtros, Ferdinandum puerum in Aragoniam tranſferre velle, & ibi regem conſtituere. Nam Aragonios, Ferdinandi catholici memoria, cui puerum vnice charum fuiſſe cognouerant, facile in eam ſententiam pertrahendos eſſe exiſtimabant. Sed hæc omnia, quantum ad fidem & integritatem Petri Nonnii & Oſorii pertinent, vana fuiſſe, & ab eorum æmulis in vulgus ſparſa, multis argumentis compertum habeo. Nonnius enim ob mores inculpatos, & inſignem pietatem, ab Iſabella regina pueritiæ Ferdinandi datus eſt cuſtos: Oſorius vero, etſi non admodum ſedati ingenii fuit, animi tamen in reges fideliſſimi habitus eſt. Verum cum Nonnius Oſorio conſiliorum comite, & nonnumquam authore vteretur, qui partim Dominicanæ ſodalitatis æmulatione, Ximenio Franciſcano ſemper detrahebat, partim quod eum ad ſupremum faſtigium euectum moleſte ferebat, factum eſt, vt vterque Ximenio etiam parum gratus eſſet. Vnde nec Nonnii cooptationem ad præfecturam Oretanam probauerit, & poſtea in ordinum militarium ordinem inquirens, illum præfectura pellere tentauerit. Nam Oſorii conſiliis credens, ab abbate Morimundenſi, qui in Gallia Belgica Ciſtercienſis ordinis magiſterium ſupremum tenet, ſuæ cooptationis firmitatem in regis Caroli detrimentum quæſiiſſe arguebatur, & Ximenium in Senatum inquirentem diplomatibus Pontificiis, quæ Ciſtercienſi ordini ſunt conceſſa, repellere tentauerit. De quibus Nonnius apud Carolum conqueſtus eſt, Gonſaluo fratris filio ea de cauſa ad Belgas miſſo: qui cum Chebrio homine potentiſſimo inſolentius expoſtulans, in eius odium incurrit:

incurrit: quare & tunc repulsus est & deinde à Ferdinandi custodia amotus. Nam vt erat Ximenius rerum callentior, audiretque Caroli aduentum Ferdinandi familiaribus non placere, & Belgarum mores ab illis palam culpari, Ferdinandi vero indolem & ingenium exosculari & prædicare, & Hispaniæ delicias appellare: ne si ipse in bonam partem acciperet, vulgus mobile erigeretur, operæpretium magnum esse duxit, eos honesta missione dimittere, & à Ferdinando quam longissime amandare. Scripserat sæpius ad Carolum hac de re, & paucis ante diebus quam è Belgio appelleret, eius literæ Ximenio Cal. Septemb. sunt redditæ, quibus iubebatur, vt Petrus Nonnius Guzmanus, & Aluarus Osorius, Gonsalus etiam Guzmanus cubiculo præpositus, & Sanctius Paredius œconomus, qui omnes Ferdinando erudiendo, & in rebus quæ ad eum pertinere videbantur, curandis, egregiam hactenus nauassent operam, quietam posthac vitam agerent: se enim eorum rationem propediem habiturum, vt homines id ætatis otium tenere possent. De reliquis vero qui in Ferdinandi familia erant, facultas Ximenio dabatur, vt ex dignitate regia disponeret. Si hæc Caroli literæ in tempore ad Ximenium peruenissent, magna facilitate, quæ eius erat prudentia, negotium confecisset. Nam ad se puerum vocare potuisset, & Caroli fratris voluntatē blande insinuasset docuisset in magnā eius vtilitatem futurū esse si Caroli iussis acquiesceret. Sed Veredariorum præfectus, dum de regis in Hispaniam nauigatione suscepta in illis agi putat, & tam exoptati nuncii præmia à singulis regulis & proceribus per ministros corrogat, totos quinq; dies fasciculum literarum domi retinuit. Accessit etiam & secunda remora. Nam cum Ximenius valetudinis gratia in Aquileræ cœnobium secessisset, nihil interesse veredarius putauit, illi redderentur an Adriano qui Arandæ erat, vt ad Ximenium transmitteret. Adrianus vero siue de aduentu Caroli solicitus, de quo fieri certior cupiebat, siue humano vitio res arcanas cognoscendi, siue potius à Ferdinandi familiaribus, qui iam aliquid olfecerant, instigatus, fasciculum soluit, & ex literis quæ ad se erant datæ negotium cognouit. Ferdinandus etiam suas legit, & rē omnem inter suos vulgauit, adhuc Ximenio inscio: qua de causa ex Caroli præscripto nihil potuit à Ximenio confici. Adrianus in errore, aut culpa potius fortasse fuit, qui integrum fasciculum ad Ximenium, vt inscriptio faciendum esse indicabat, reiicere debuisset, aut tacitus rem integram seruare cum illo communicandam. Sed fieri potuit, vt qua erat animi simplicitate, prius literas Ferdinando tradiderit, quam suas legerit, & sero factum doluerit. Ergo postquam Ferdinandi ministri rem intellexerunt, dolore maximo sunt affecti: & quamuis nullum in puero præsidium esse videbant, tamen in re desperata eius etiam opem implorandam putarunt. Quare eius se fidei & tutelæ commendantes, omni prece ab illo efflagitant, vt cum Ximenio enixe contendat, ne ante regis aduentum quicquid moueat: & vt sunt pueri creduli, in eius contemtum & contumeliam, id negotii à Ximenio fuisse procuratum persuadere sunt conati. Postridie eius diei Ferdinandus puer Asturicensi Antistite tantum comite, (nam P. Nonnius ægrotabat, & Adrianus erroris sui causa, negauit se ad Ximenium iturum) & probe suorum oratione instructus, Aquileram ad Ximenium venit, cui Beiarensis dux, aliiq; reguli forte aderant, qui extemplo digressi, locum Ferdinando sine arbitris reliquerunt. Ergo pene lachrymis erumpentibus, secum indigne agi cum Ximenio conquestus est, quod antiquis, fidissimis & optimis ministris, quem sui amantissimum esse existimabat, sine vlla causa priuaretur. Igitur illum per aui Ferdinandi memoriam, per Isabellæ reginæ erga ipsum merita obsecrat, vt tam insignem contumeliam sibi fieri nequaquam sineret, integerrimo custode, præceptore appositissimo, obsequentibus ministris, coæuis denique quibuscum libenter conuiuebat, per summum dedecus & iniuriam ablatis. Pueri pectus dolore accensum Ximenius blando sermone demulcet: omnia magna de eius incremento, deque summo apud fratrem loco, modo illi pareat pollicetur. De contumelia vero quam tantopere dolebat, se longe aliter sentire, cui propter ætatem & longam rerum experientiam, propterque summum amorem, quo semper eum prosecutus fuerat, æquum erat vt consulenti crederet. Officia in ministros iure quidem deberi, sed cariores esse qui nobis sanguine coniuncti bene monent. Cogitaret ergo, affectu illo quem famulorum verbis conceperat deposito, id à fratre omniū regū potentissimo, eiusq; in primis amantissimo, sine vlla exceptione iuberi, cui repugnare nec tutū nec piū erat. Quod si aliorsum atq; ille fecisset acciperet, offensiq; animi, aut parū grati significationē daret, se & sua in manifestū discrimen adducere: & suis familiaribus damna & detrimenta maxima creare, dū parū caute curat cōsulere. Nihil Ximenii dictis pueri animus semel persuasus mouebatur. Amorē (inquit) tuum erga me multis in rebus hactenus sensi, nūc tamē cum maxime mihi opus erat, nescio quo tandē auolauit. Ergo quando tibi propositū est, me & meos omnino perdere, quibus par-

ua temporis dilatione succurrere possis, curabo ipse rationem inuenire, qua mei nihil detrimenti capiant. Ximenius iam tunc paulo irritatior, asperiori oratione adortus, age quod libuerit Ferdinande: nam ego per caput Caroli tui fratris iuro, quod etiam si Hispania vniuersa aliud niteretur efficere, nonposset, quin cras ante solis occasum, regis mandata sint confecta, quibus te ante omnes parere oportet. Quæ simulatque à Ximenio dicta sunt Ferdinandus animum virilem ante annos gerens, tanta incessus moderatione, & vultus constantia ab eo Arandam reuersurus digreditur, quanta ætate iam matura potuisset. Ximenius vero pueri & oppidi custodiam, Canabillæ & Spinosæ cohortis Prætorianæ præfectis ad se accersitis, commendat: iubetq;, vt præsidiis militaribus ex finitimis locis conuocatis, excubias per noctis vigilias agant: omnemq; exitum Ferdinandi ministris intercludant: ne quod postea ab illis tentatum fuit, cum puero regio aliquo diffugerent, & motus concitarent, iam rege in Hispaniam vela faciente. Ita gnauiter & strenue Spinosa se gessit, vt priusquam Arandam Ferdinandus venisset, quem Canabillas deducebat, custodiæ expeditæ & in procinctu essent, continuoq; fuerint suis locis dispositæ, quod mire omnium conatus compressit. Ea nox insomnis & turbulenta Ferdinando, & eius ministris fuit, dum inter se communem fortunam dolent. Vox Ferdinandi à cubiculi ministro, qui prope stabat, grauior quam pro ætate excepta est, Ximenio si in proposito persisteret inimicitias capitales minantis. Cui cum Nonnius, Osorius, & cæteri qui aderant dixissent, quo pacto se id facere cogitaret aduersus hominem potentissimum, & tot præsidiis militaribus munitum: simulabo (inquit) me ad matrem reginam proficisci, & iter quo libuerit deflectam, & quem mihi aduersantem ostendero interimam. Ergo cum aula discedendum viderent, syngraphas à Ferdinando impetrarunt, quibus pollicebatur se illos in familiam reuocaturum, simulac sui iuris factus esset, & maioribus aucturum honoribus. Quod Castillegii indicio, qui ab epistolis Ferdinando erat, Ximenius cum in eius familiam inquireret, cognouit. Ferdinandus ex suorum consilio, regios senatores, & duos pontificis maximi nuntios, & quotquot aderant episcopos ad se vt venirent, rogat. Quibus Caroli regis mandata exponit, sibi quidem, & suis grauia, sed tamen libenter ferenda. Esse tamen vnum, quod pro ipsorum debito in regiam sobolem officio, ab illis peteret, vt quando suorum familiarium dignitatem & fidem longa experientia nouissent, & quam paratis & obsequentibus semper illis vsus fuisset, ad fratrem regem de ea iniuria & contumelia literas darent. Quod cum id se facturos respondissent, non est illos amplius moratus. Ximenius per Baracaldum cum Adriano egit, vt ad se P. Nonnium, & Osorium episcopum, & Gonsaluum Guzmanum adduceret: velle enim consilii sui ratione illis exponere, & querelis, quas de eo iactabant, satisfacere. Ergo post expostulationes factas, & Ximenii responsiones, ad hoc tandem ventum est, vt se dicerent quod imperatum esset facturos: orare tamen vt authoritate sua & gratia, qua multum apud Carolum valebat, eorum iacturam & damna curaret resarcienda. Ximenius qui eorum animos explorabat, vt si minus iussa comprobarent, Arandam redire omnino vetarentur, postquam obsequentes est expertus, reuertendi locus est datus, resq; suas eo die componendi. Igitur ab alumno ægre diuulsi, ante solem occidentem Nonnius, Osorius, & Gonsalus Aranda discedunt. Ni id fecissent, aut Nonnius quo minus id facerent impedimento fuisset, decreuerat Ximenius eum ad Oretanum præsidium mittere, vbi in arcta custodia teneretur, donec Carolus in Hispaniam appelleret. Ferdinandus Aquilario Marchioni, cui multum Ximenius deferebat, interea traditur: nam Alphonsus Tellezius cuius curæ cōmendari à rege iubebatur, Arandæ non aderat. Tres de triginta veteres ministri ex familia Ferdinandi sunt amoti, in quorum locum inferioris conditionis homines, ne animos efferrent, consulto assumpti sunt. Seuerum Aquilam equestri rei præpositum, & Moschosum puerum Altamiræ vicecomitem dimissos fuisse, mirum fuit: nam ille Sanctii Aquilæ & Isabellæ Carauaialæ filius matris causa retinendus credebatur, quæ Ferdinandum omni diligentia & cura nutriuerat, tantaq; fide de reuerentia Carolo fratri exhibenda apud puerum assidue agebat, vt Nonnius & Osorius inciuilius nonnunquam cum illa egerint, exploratricem appellando, quam pollicitis Ximenius submitteret. De Moschoso vero, parentis optimi viri & fortissimi causa, qui in Africanis expeditionibus obierat, omnia fausta & prospera sperari poterant, præsertim illa in ætate & præclara indole. Erat Moschosus liberali facie, corpore agili & compacto, & ingenio ad res omnes tractandas dexterrimo, ob quas dotes semper Ferdinando fuit carissimus. Nam siue artem armorum ludicram exerceret, siue serii quid tractaret, siue ad literarū studium cogitationē conuerteret, hic operam similem daturus præsto erat. Idcirco hunc à se diuelli impotenter Ferdinandus doluit: atq; ob hoc multum sibi Carolum debere affirmabat. Cogitauerat Ximenius de

Moschoso

Moschoso non amouendo, & proculdubio fecisset, ni illi Orosius fuisset patruus. Hinc facile cognosci potest, quã seuerus ac pene durus Ximenius fuerit, qui puero bene nato amabiliq; & hominis de se benemeriti filio parci noluerit, ne apud Ferdinandum vlla Osorii soboles relinqueretur. Ob rem tam celeriter cõfectam omnes admiratio inuasit, & religiose curabant officium facere, vt à Ximenio probarentur. Alphonsus Castillegius in familia Ferdinãdi mansit, nam homo musis & poesi deditus innocentiã suam præ se ferebat. Belgę tamen nonnihil seditiones subuериti, vt ad Marchionem Asturicensem, & ad Lemosiorum comitem, Nonnii & Osorii propinquos, literas Carolus daret, effecerunt: quos hortabatur, ne vllo modo Ximenii actis impedimento essent. Sed Ximenius suæ virtutis & potentiæ conscius, ex authoritate regia non se facturum putauit, si eas literas Asturicensi & Lemosio redderet: atq; hoc ipsum sæpe multis in reb. fecit, parũ curãs quid Belgæ trepidarent. Seniores quos vsus ac rerum prudentia edocuerat, rerumq; euentus attẽtius contemplabantur, Ximenii factum, vt quieti reipublicæ necessarium, maxime laudabãt. Paulò ante quàm hæc gesta sunt, Antonius Rogius Granatensis antistes, qui regio senatui præfectus erat, ad Carolum scripserat, Ximenium ambitione cuncta moderandi, quid Ferdinandi familiares agerent præsensisse, & cum eis quoq; fœdus fecisse, vt in omnem euentum puerum sibi magis deuinciret. At Ximenius hæc quæ diximus de familia Ferdinandi tacite marchinabatur. Aquilarius cuius vicariæ curæ Ferdinandus commissus fuerat, ita probe seueritatem cum comitate miscens, puerum tractauit, vt ipse per literas sit Carolũ deprecatus, ne Aquilarius, donec ipsę in Hispaniam veniat, quod propediem futurum sperabatur, à sua familia amoueretur. Ximenius etiam literis suis Aquilarii fidem & industriam mirificè commendauit: & vix alium inueniri posse dixit, qui in corruptiùs & obsequẽtiùs quicquid ipse præscribat exequatur. Nam Alphonsus Tellezius, quem ad id munus obeundum designauerat, omnia ex Ascalonii volũtate, cui cognatus erat, facturus videbatur. Didacus autem Gueuara, de quo præficiendo consultabatur, Velasco comestabili admodũ deuinctus erat. Quod si incõstantiæ notã vereretur, posse Chebriũ de regis voluntate, illius muneris curas partiri, & Aquilariũ cubiculo præficere, Tellezium verò vniuersę familiæ. Quanquã nullam leuitatis animaduersionẽ incurreret, si donec ipse adsit, Aquilarius in munere cœpto perseueret, idq; ita reperio esse factum. Posthęc, cũ varia valetudine apud Aquilerã Ximenius esset vsus, sanie, quam diximus, copiosius ex auribus dimanante, visceribusq; ipsis grauius affectis, quorum in homine sene difficilis semper curatio fuit, magis de eius salute timere familiares & amici cœperunt. Fama igitur crebra iactauerat, Ximenium morbo lethali laborantẽ, in cœnobio Franciscano abditum, reip. curã prorsus abiecisse. Quod vt in Bætica vulgatũ fuit, indeq; in Africam delatum, Petrus Gironius Assyndonenses continuo inuadit. Mauri cuncta eo ægrotante negligentius curari existimantes, oram maritimam Granatæ proximam infestare audacter tentauerunt. Turcæ, qui nuper Algerium occupauerãt, Horuscio Barbarossa duce, Oranum Ximenii decus, & trophæum, magna vi militũ adoriri destinantes, ipsam propediem inuasuri nunciabantur. At Ximenius qui animi vigore, quantumuis corpore debilitato esset, nunquam destituebatur: ad Gironii motum cõprimendũ qui mille & quingentis peditibus ex agro Vrsaonensi congregatis, apud Moronum alias copias conuocabat, Quignonio Lunæ comiti, Hispalis præfecto, reip. præsidiis accersitis, iustũ exercitũ cogat iubet, eoq; in Gironiũ feratur, donec aut captũ ad se viuum perducat, aut interimat. Id à Quignonio præclarè curatum est. Anna Aragonia Assyndonensis reguli vxor, gemmas & lapillos, omnemque mundum muliebrem, ne reipublicæ ærarium exhauriretur, Quignonio liberaliter obtulit. At Gironius pater intelligẽs Villafratensem culpam denuo suscitari, cuius nondum veniam à rege consecutus fuerat, & publica præconis voce eius bona fisco regio addici, & adhuc Ximeniũ spirare & valere, supplices literas ad eum mittit, quibus filii errorem & peccatum deprecatur: & se protinus operam daturum promittit, vt ab armis discedat. Quod quanuis cõtinuò factũ fuerit, Ximenius tamen grauibus interim literis Carolũ hortatur, vt digno aliquo exemplo tantam tamq; assiduam contumaciam eorum plectat. Ex Mauris qui ad tercentum in terram descẽdentes prædas ex maritimis oppidulis agebant, quinquaginta duntaxat elapsi, cęteri capti aut occisi sunt. Aduentum Turcarum aduersus Oranum, cùm Carolus quoq; dum vela facit, per nauticos aliquot prædones cognouisset, de ea re simulatque in Hispaniam appulit, certiorem Ximenium facit, & vt Orano primo quoque tempore subueniendum curet imperat: nihil enim grauius eo tempore posse accidere, quàm si ille in Africana regna aditus aliquo casu aut negligentia occluderetur. Se enim assiduè animo voluere, quonam pacto nomen Christianum dilataret, & Hispaniæ littora à piratis tutaretur. Ad quæ conficienda peraccommodam stationem Oranum esse: ob cuius expugnationem, & se, &

remp. multũ illi debere fatebatur. Lætus eas literas Ximenius accepit, eiusque proposito laudato, reges eos, si historias repetat, beatissimè in Hispania vixisse ait, qui ad eum modum religionem adaugere contendissent. Cæterùm de Orano, tanquam de propria solicitum prouincia, per illius vrbis custodes quotidie admoneri, & omnia necessaria prouidisse. Sed quoniam magnum hostium numerum esse audierant, cui milites nostri pares non essent, Didaco Fernando Comario marchioni, Orani præfecto præcepisse vt se intra mœnia cum suis contineret: satisque agi è se existimaret, si eam fortiter & strenuè tutaretur. Postea cognitum fuit, Numidas Turcarum immanitatem & potentiam formidantes, eos Oranũ venientes adortos, & conserta pugna fudisse, nostros verò solicitudine & cura liberasse. Carolus septimo idus Sept. cunctis ferme aulicis inuitis, quibus eo tempore non satis tuta navigatio videbatur, suo tantummodo consilio vsus, oram è Belgio soluerat: & ad Tazones Asturiæ oppidum, horridis cautib. vallatum, & importuosum, quod nemo vnquam existimauisset, quinto Cal. Oct. cogentibus ventis classem appulit. Est non longè oppidum Villauiciosa appellatum, quò Carolus corpus è maris æstu curaturus, nauseamq; illam, quam ex molesta & immodica iactatione comparauerat, depositurus se contulit. Carolum Leonora soror, quæ primũ Emanuelli Lusitanorũ regi, deinde Francisco Gallorũ nupsit, Chebrius inter cubiculi ministros princeps, Laurentius Gorrebotus, Veranius familiæ regiæ præfectus, Seluagius magnus Cãcellarius, Carolus Lanoius equestris rei curator, Laxaus q; in Aranda iã ad illũ venerat, sequebãtur, & è nostris permulti, qui in Belgiũ profecti fuerãt, quos superius recẽsuimus. Aiunt eorũ montiũ incolas insuetã classem littora sua occupasse cernentes, dum Gallicas insidias, hostilesve aliquas incursiones timent, fœminas, pueros, & senes in montana loca seposuisse, ipsosque telis assumptis, in mari proximos colles ad vim repellendum paratos aduenisse: Carolum eo spectaculo lætatum Hispaniam è regia naui proclamari, & vexilla explicari & erigi iussisse, castella simul & leones ostentantia, regũ iã olim Hispanorum insignia. Armis proiectis regem suum in genua procumbentes Astures salutant, regemque Villamuiciosam ouantes deducunt, quam Villamdichosam, hoc est, fortunatã, vocari voluerunt, satis apposita literarũ permutatione. Velascus comestabilis, qui amplissimam in eo tractu regionem possidet, simulatque ad ea loca regem accessisse, cognouit, rebus omnibus necessariis oppidula instruit: annonamq;, quantum terra inculta patiebatur sine vllo pretio omnibus suppeditari iussit. Ipse equitibus septingentis comitatus, qui omnes familiares, clientes, & propinqui eius censebantur, regem reuerenter salutaturus venit: & protinus est reuersus, ne tanto apparatu commeatum & hospitia angustiora faceret. Nemini postea ex proceribus aut regulis, ea in loca adire concessum fuit, donec rex ex illis montium angustiis explicatus, in latiorem regionem perueniret. Ximenius quem morbus ingrauescens per eos dies immodicè afflixerat, exoptato nuntio exhilaratus longè valentius habere cœpit: atque ita pristinæ saluti nonnihil restitutus, qui paulò ante lecto decumbebat, IIII. non. Oct. qui dies diuo Francisco dicatus est, sacra ad aram astans celebrauit, & communi mensæ, quam refectorium vocant, cum sodalibus Franciscanis accubuit. Sed hæc vt Carolo perquam grata erant, qui animo vere regio, Ximenio de se tam multipliciter benemerito multum deferebat, & crebris nunciis Abulensem hortabatur, vt in eo recreando & restituendo accuratè, vt faciebat, occuparetur: ita aliquot ex Belgis molestissima fuerunt, qui illum omnino sublatum à medio cupiebant, priusquam in colloquium cũ Carolo veniret. Videbant, hominem maximæ authoritatis, & ob res gestas summo apud regem in pretio habitum, omnia ex sua voluntate confecturum: ipsosq; statim, quòd palam Ximenius parum considerate sæpiuscule inter familiares dixerat, & in notis arcanis ad Carolum scribens subindicauerat, à regiis consiliis esse deturbandos. Igitur ex Parræ & Ianguensis medicorum relatione, à quibus in singulas horas de eius salute certiores fiebant, in quot dies spiritum vitalem producere posset intelligentes, Caroli itinera, dedita opera remorabãtur, id vnum solicite curantes, vt ille priùs viuere desineret, quàm cum rege cõgrederetur. Non cessabat ille interea per crebras literas regem admonere, quid in singulis rebus facere, quo pacto in obuiis excipiendis ꝓ dignitate se gerere deberet. Nam cùm Belgarum consuetudo & conuictus simplicior multò, quàm Hispanorum sit, vt ad nostros mores vultũ simul & sermonẽ cõponeret, suadebat. Adiecit preterea, se summopere curasse, vt non mediocris pecuniæ summa ad Bugiæ custodem mitteretur, quam à Simone Ruizio publicano obtinuerat, datis ad Alphonsum Sanctium Valentinum quæstorem literis, vt primo quoq; tempore ea summa Bugiã deferretur. Nihil enim libentiùs agere, quam ea Africana præsidia communire. & militibus illic collocatis stipendia debita persoluere. Vehementer quoque probare se ait, quòd ex Panormitanis multis Neapolitanum exercitum sustinere rex constituisset. Siculos enim illos re atrocissima & inaudita edita, qui

tâ,qui Vgonē Panormo eiicientes, cunctos senatores trucidarūt, omnē pœnam commeritos esse. Imò verò ita necessariò faciendum, modò classis aduersus Mauros instruenda esset quemadmodum sibi per literas significauerat. alioqui ærarium nostrum, tot impensis nequaquam suffecturum, quanuis esset probè per ipsum curatum, vt ditissimum haberetur. De cuius incrementis, deque summa vigilantia, quam ne regius census dissiparetur adhibuisset, rationem se coram redditurum: ob quam gratias non vulgares se reportaturum esse existimabat: nullas tamen maiores optare, quàm vt eius animum, mentemque incorruptā cognoscat, integramque fidem suam, quam semper in munere commisso præstitisset: & illi rempublicam incolumem de manu (vt aiunt) in manum traderet. Atque ita pro laboribus in ea hactenus moderanda exhaustis, id solùm petere, vt si quid ipsum deinceps admoneret, ab eo homine proficisci intelligeret, qui paulò antè cunctorum mortalium inuidiam eius duntaxat causa sustinuisset. Mira animi propensione hæc omnia à rege auscultabantur, & omnia ex eius consilio gesturus proculdubio videbatur. Belgæ id durè accipientes, in proposito persistebāt, ne vnquam congrederentur: atque ita Villauiciosa profecti, sanctum Vincentium oppidum, cui Barquera cognomen est, deueniunt, vbi multos dies immorantur: & quò reguli, cæteraque Hispana nobilitas minus de rege adeundo cogitarent (nam & illos quoque verebantur, ne vt primi apud Carolum essent laborarent) in Aragoniam prius, deinde in Castellam eundum esse, vulgo iactant. Id ne faceret Ximenius monuit, addens vt nihil de rebus publicis aut priuatis cōstituat, donec ab ipso de regnorum statu, & ærarii facultate doceatur: sed interim omnia negotia in aliud tempus reiiciat. Ferdinandum fratrē in Germaniam ad Maximilianum imperatorem vt transmitteret, consulebat: ea tamē prudentia conficiendum, vt omnes intelligerent in Ferdinandi rem id esse, eiusque referre maxime. Sibi autem commodissimam rationem videri, si ex Maximiliani aui patrimonio bonam partem, aut totam illi cederet, quandoquidem ipsi tam amplissima regna Dei opt. max. consilio & prouidentia obuenissent. Post Ximenii mortē hoc Carolum fecisse certū est: neque id tam Belgarum consilio, quemadmodum multos credidisse video, quam Ximenii monitu. Nam cùm Carolus aqua manibus lauandis posceret, curasse Chebrium aiūt, vt id ministerii Ferdinādus præstaret, quasi inferiorē fortunā sic melius laturus: Carolum verò, quòd pius frater ad id se demitteret, doluisse: cuius hæc tunc vox audita est: Quàm bene Ximenius admonebat. Protinusque illum Verani principis curæ, qui palatii præfectus erat, commendatum: ad auum in Germaniam mittendum decreuisse, omni studio id Chebrio curante, æmulum amandandi causa, vt tunc peruulgatum fuit. Ergo dum Aquileræ valetudinem Ximenius curat, testamenti etiam sui tabulas, quas anno eius seculi cum duodecimo tum quatuordecimo Compluti condiderat, & hoc ipso anno antequam Arandam veniret sub mensem Iulium Madriti recognouerat, mira sedulitate euoluit. Et animæ suæ rebus consulens, quasi vitæ actæ iamiam Christo Deo rationem redditurus, omnia attentè inspectabat: & siquid minus rectè factum videretur, id emendari & corrigi studebat. Ob vnum tamen Deo immortali semper gratias se egisse dicebat, quòd in tanta rerum magnarum & variarum mole, neminem damno aut iniuria affecisset: sed vnicuique, citra vllum amoris aut odii affectū, suum ius tribuēdum curasset. Antonius Rogius Granatensis antistes, senatus regii præfectus, qui Ximenii rebus semper iniquus fuit, tunc ei incommodandi occasionem nactus, omnes ferme senatores regios solicitauit, vt Ximenio inconsulto Aranda regem salutaturi discederent. Et ne speciosæ causæ defuisse viderentur, Ferdinandum puerum secum deduxisset, ni Aquilarius repugnasset. Præsensit Ximenius quid illi molirentur, & binas Caroli literas ad Antonium Rogium misit, quibus cauebatur, ne ipse aut senatores supremi à Ximenio digrederentur. Non tamen ob hoc ab incœpto cessauit Rogius, tempus iam non esse iactans, vt cuiusquam nutum expectaret. Senatus quæstorius, cæterique aulæ Hispanæ administri in Ximenii comitatu iuxta Caroli præscriptum manserunt. Postquam id Ximenius resciuit, literas ad regem dedit, quibus de Antonii Rogii & senatorum profectione conqueritur, qui regiis mandatis neglectis, se remque publicam, & negotia deseruisset. Quòd si ante regis aduentum tale quid designauissent, ita se in eos animaduersurum fuisse, vt triduo nouum senatum, & eius nouum præfectum deligeret: illos verò per summam ignominiam gradu senatorio deiectos, in ordinem redegisset. Quamobrem illos statim indignabundus Arandam redire iubeat, vt qua par erat dignitate, omnes simul illum adeant. Ægrè id factum Carolus tulit, Rogium & Senatores acriter per literas increpauit, & vt ad Ximenium reuertantur imperat. Iam prope Pallantiam venerant, quando Caroli literis susceptis eadem via redeundum sibi esse intellexerunt. Omnia potiùs perpeti maluissent, quam rursus ad Ximenii conspectum reuerti, quem adeò temere offendissent.

Itaque facti culpam deprecantes, Almeriam & Polancum senatores ad eum legatos mittũt, qui ne rursus idem iter relegendum esset cum tot vxorum & familiæ impedimentis, vt illic vbi aderant, aut Pallantiæ saltem expectare concederet, obsecrarent, donec aliud à rege e- diceretur. Humaniter hi à Ximenio accepti sunt, & nulla animi offensi significatione da- ta, omnem culpam, quæcunque illa esset, remittere se ait. Cæterùm de Arandam non rede- undo verbum nullum esse faciendum: regiis enim mandatis aliquid detrahere, nemini vn- quam ex subditis licuisse. Itaque Arandam Rogio irascentes sunt reuersi, qui itineris suasor extiterat. Longè aliter à regulis factum, qui ad officiorum obseruantiam ex antiqua nobili- tate propensiores, sese comites Ximenio obtulerunt. Anricus Almirantus legatum misit, obtestans vt se comite in primum Caroli regis conspectum venire dignaretur. Ximenius gratias se illi agere pro tanto officio respondit: Antiquesiorum tamen familiam, cuius ipse princeps erat, adeò nobilem & illustrem esse, vt nefas videri posset, hac occasione cuiquam comitem accedere. Iret ergo bonis auibus regi obuiam, sua gente & familia stipatus: vt Bel- gæ intelligerent, quantum illis nostri proceres antestarent. Haud absimili elogio complu- res alios regulos & proceres, qui se illi obtulerant, dimisit. Hyems interea, quæ in regione illa multò maturius quàm in Cismõtana aduentare solet, rigere cœpit: & Ximenius ex cœ- nobii Aquilerani nimia humiditate graue damnum sentire. Decreuit ergo Roam, Siruela- ni comitis oppidum, vbi prima literarum rudimenta didicerat, tanquam in terram patriam proficisci, & illuc senatũ etiam regium ducere. Ergo socci, chirothecæ, & manicæ pretiosis pellibus, quas Zebellinas vocant, suffultæ erant, ipse etiam villosis vestibus bene contectus, lecticam ingressus est. Erat ad pedes prunarium argenteum, accensis iuniperi carbonibus, manibus verò argenteum orbem ferro candenti incluso gestabat. Ergo cum Roam appro- pinquaret, secũq; Ferdinandũ puerum adduceret, comes Siruelanus illi obuiam fit: & se ve- reri ait, ne quoniam olim Roa municipium, Infantum patrimonium fuisset (sic nostri re- gum filios appellant) vnde & eiusmodi ditionis oppida Infantatus quoque vocarentur, Fer- dinandus arcem in suum detrimentum occuparet: nam leuioribus occasionib. propria pos- sessione dominos sæpe deturbatos fuisse. Omnia salua se viuo speraret, Ximenius iussit, quo dicto ille conquieuit. Sedecim autem millibus passuum remotior, est à Pintia Aranda quam Roa. Facta est hæc migratio XVI. Cal. Nou. tanta celeritate, vel quia pestis grassari Arandæ cœperat vt Abulensis scribit, vel quod Roa eo in loco situm est, vt facilè Pintiam aut Sego- biam inde posset iri: nam in alterutrum propediem migrandum esse non dubitabatur. Sed Ximenius Segobiam maluisset, vnde in suam Carpetaniam facilè transire posset. Certè sub extremum Sept. cum meliuscule valere sibi est visus, Pintiam laudauit vt splendidam & ca- pacem vrbem & è pestilentiæ fama liberam, & regio comitatui aptissimam, postea tamen cùm à sancto Vincentio oppido Aquilarium Campense Carolus venisset, vbi multi ex auli- cis Hispanis illum, vt iussi erant, præstolabantur: Ximenius literas ad eum XI. Calend. No- uemb. dat, quibus ne Pintiam deueniat iam pestilentiæ morbo laborantem deterret: se e- nim eo die nuntium accepisse, nõ ita pridem quatuor homines Pintiæ peste obiisse: totam- que finitimam regionem eo morbo grauiter infectam esse. Quare Segouiam diuertendum esse videbatur, vrbem Pintia non minorem, eique rerum abundantia parem: vbi de nego- tiis agere, & locum conuentibus agendis deligere, & transuectionem militum publicorum contemplari posset, quod se Pintiæ facturum proposuerat: nam stationibus æquo interuallo ab vtroque oppido distantibus, in hybernis legiones erãt. Quanquam de conuentibus stã- tim habendis sibi quidem parum probari: nam populi rebus anteactis commoti, ad res no- uas petendas animati erant. Quare plurimum referre, vt aliquandiu conquiescerẽt, donec reipublicæ negotiis sine tumultu compositis, regis præsentiam atque imperium vererentur. Esse enim vehementer curandum, vt à principio per summam reuerentiam reges à subditis excipiantur. Hoc prudentissimum consilium neglectum fuit: quapropter parum abfuit, quin respub. euersa fuerit. Dum de loco designando tractabant, commodum Roam legati Toletani aduenerunt, qui ab vrbe sua ad regem mittebantur de aduentu gratulaturi, & eũ supplicibus verbis oraturi, vt vrbem Hispaniæ amplissimam primis conuentibus celebran- dis optare dignaretur. Nam præter eius celebritatem, & aeris salubritatem qua semper frui- tur, opportunissimo in loco sitam esse, vt vndique ab Hispaniæ ciuitatibus, cuius vmbilicus videri potest, commodè adeatur. Ximenius, qui iam tum Toletanorum fidem, & vrbis na- turam, situm & pulchritudinem cõmendauerat, Regem ita se posse ad Cismontanos dedu- cere sperans, senatus Toletani factum vehementer collaudat: atq; eis ad Didacum Lupum Aialam XV. Calend. Nouemb. literas dedit, quibus ostendit, quàm illi cara vrbs Toletum es- set: iubet enim vt legatis se comitẽ adiungat, & eorum causam Ximenii nomine regi com- mendet: ciuium integritatem, salubres loci auras, annonæ vbertatem edisserat. Beni- gnè

gne & comiter legati Toletani à rege ſunt accepti: veruntamen Belgis parum id probantibus, qui littori proximi eſſe cupiebant, & in Hiſpaniæ interiora penetrare formidabant, Pintia tandem commodior viſa eſt. Didacus Lupus per hos legatos Ximenium conſuluit an Roam iret, de rebus ſingulis copioſius ipſum edocturus. Id ne faciat Ximenius iubet, pedemve à curia diſcedat, donec aut ipſe aliũ ſubſtituat (nã principem aliquem virum ſe propediem miſſurum cogitabat) aut coram, quod mallet, Carolum conueniat: nam ſibi vires firmiores iam eſſe: vt itineri dare ſe poſſit. Ergo Carolus priuſquam Pintiam veniret, Turdeſillas matrem ſalutaturus ire decreuit. Iã itineri accinctus ad Ferdinandũ fratrem, Ximenium ſenatumq; regium, & ad omnes regulos literas dat, quibus multis verbis ſuũ conſilium de matre regina viſenda, declarat. Nam ea de cauſa, relicto Belgio in quo natus atq; educatus fuerat, in Hiſpaniam potiſſimum veniſſe ſe dicebat, vt aliqua curarum & ſolicitudinis parte matrem leuaret: ad cuius nutum ſemper ſe accommodare certus erat. Collaudauit Ximenius animi pietatem in parentem: cæterùm tam multis de ea re egiſſe non placebat. Nam ſi re integra ſententiam fuiſſet rogatus: id ne faceret vehementer hortatus fuiſſet. Neque enim tam id ſcribere rex videbatur, quòd factum ſuum probari vellet, quàm metu aliquo impulſus, ne quid negotii faceſſeretur, matre ad reipublicæ curam capiendam, peruerſo malorum hominum conſilio, inſtigata. Nam multa per reges agenda eſſe cenſebat, quorum ratio reddi non deberet. Incidere enim perſæpe negotia quorum ea natura eſt, vt prius ſint conficienda quã euulganda. Interea Pintiæ hoſpitia ſignabantur: vbi quod animũ Ximenii offenderet, per quatuoruiros Belgas hoſpitiorum præfectos, factum fuit. Bernardini iuriſperiti domum qui hoſpitium Ximenii curabant à Belgis poſcebãt, vt ſalubrẽ & Ximenii valetudini peraccõmodã. Illi verò Germanæ reginæ eſſe deſignatã contendunt, quã Ximenio præferri par erat. Hoc cùm Ximenii miniſtri ad Aſcalonium, qui Pintiæ aderat, & multis à Ximenio beneficiis affectus, eius amicitiam perpetuò coluerat detuliſſent, cum Teneramunda quatuoruiro, quo cum ſibi à Philippi regis tempore familiaritas interceſſerat, multa de Ximenii amplitudine & meritis diſſeruit: cui nõ modo in hoſpitio deligendo, ſed in omnibus apud regem officiis, primæ partes iure deberentur. Non eſſe igitur, cur domum quam eius procuratores poſtulabant, negaret: ni fortè regium dari palatium mallet, quod ille paulò antè regis vicarius biennium obtinuerat. Omnia modeſta Teneramunda reſpondet, ſibiq; hominis clariſſimi dignitatem iamdiu cognitam: cæterùm regias ad ſe literas fuiſſe perlatas, quib. vt Bernardini ædes Germanæ reginæ relinqueret, iubebatur. Aſcalonius hæc ſingula ad Abulenſem ſcripſit: & ſe à Bernardino eiusq; vxore accepiſſe ait, Albani ducis opera id eſſe factum. Nõnihil eo nũtio Ximenius commouetur, quod ea de re tractari indignum ſua authoritate iudicaret: ſed tandem illi domus Bernardini data in hoſpitiũ fuit. Sed dum familiaribus quoq; hoſpitia petuntur, in vicum Pintiæ proximum ire iubẽtur, quod periniquo animo Ximenius tulit. Nam neque ſub regibus catholicis, aut ſub Philippo Caroli patre quando non modo principibus, ſed militum cohortibus regia curia erat referta, tale aliquid cum familia ſua actum fuiſſe dicebat. Nunc verò poſt tot merita, poſt tot labores pro Carolo exhauſtos, contumeliã ſibi pro beneficio reponi, indigniſſimũ eſſe arbitrabatur. Sed qua erat prudentia & grauitate, omnem animi moleſtiam comprimebat: & rege aulicisque ignaris, id fieri per miniſtros rerum noſtrarum inſcios dicebat. Aulici Belgæ, quibus permoleſtum & graue erat, quicquid in gratiam Ximenii fiebat, nihilq; auidius cupiebant, quam omnem eius authoritatem imminutam eſſe, cum nimia eius viuacitate offenderentur, repulſam illi ſtruunt: nempe validiſſimum mentis quantumlibet conſtantis arietem. Mota Paxauguſtanus epiſcopus, in Chebrii patroni gratiam & ſuã priuatim cauſa, vt Carauajalus prodit, incitatus, author peſſimi conſilii fuit: qui vt rex ad hunc modum ad Ximenium ſcribat ſuadet. Se Turdeſillas iter inſtituere: curaret igitur vt ad Moiados antiſtitis Segouienſis oppidum, occurreret: vnde poſtquam de reipub. rebus in commune egiſſent, conſiliumque ab eo de priuatis rebus componendis, totaque familia conſtituenda ſumpſiſſet, domum quieti ſuæ conſulturus diſcederet. Sat enim laborum pro rep. ſubiiſſe: quorum præmia, quando nemo mortalis dignè tribuere valeret, a Deo opt. max. expectaret: ſe verò quandiu viuere daretur, memorem futurum, & ea obſeruantia proſecuturum, qua liberi bene inſtituti optimos parentes proſequi conſueuerunt. His literis à Carolo acceptis, Ximenius ſe planè reiici repelliq; ſentiens, febri lethali (vt ferunt) correptus fuit. Abulenſis vero, qui de hac re ad Lupũ ſcribit, pridie quã hæ literæ Ximenio redditæ eſſent, ſub veſperã ea febri laboraſſe ait: atq; idcirco Caroli literas grauiter iam ægrotanti datas non eſſe, ſed ad ſenatum regium miſſas. Adriano verò qui eas literas miſerat, VII. idus Nouembris reſcripſiſſe, quo in ſtatu Ximenius eſſet: nam eo ipſo

die quo literas receperat, decimam octauam horam à febris incremẽto numerari, & medicos affirmare vigesima quarta è vita migraturum: quare certioré regẽ faceret, nam fortassis hoc accepto nuncio, propositũ de Moradis petendis erat mutaturus. Vt igitur se mori sensit, vitæ sanctissimè actæ præclara documẽta dedit. Nã quanuis corpore nimis afflicto & debili, animo tamen, & iudicio firmo, de rerum humanarum instabilitate & vanitate, de immensa Dei misericordia, apud suos breui quodam sermone piè & doctè disseruit. Deinde Christi crucifixi signum complexus, veniam à Deo multis lachrymis efflagitauit, vocãs interim in suum patrocinium Diuos omnes, sed ante alios Deiparam virginem Mariam, Michaelem archangelum, Petrum & Paulum apostolorum principes, & Iacobum Hispaniarum patronum, diuum etiam Franciscum, sub cuius instituto vixerat, & Toletanæ ecclesiæ præsides Eugenium & Ildephonsum. Quæ tanta ab illo pietate, atque animi Christiani affectu dicebantur, vt circunstantes amici lachrymas tenere non potuerint. Ergo postquam religionis sacra omnia absoluit, vt oleo sancto perungeretur postulauit: & astantibus Petro Lerma, Antonio Roderico, Fontano Archidiacono, & Balbasio, qui morientem piis precibus iuuabant, & fidei constantiam augebant, subinde versus illos Dauidis repetens, In te domine speraui, antistes sanctissimus & amplissimus, qualem posteritas vix est habitura, animam efflauit VI. idus Nouemb. die Dominico, anno sui pontificatus XXII. ætatis verò circiter octogesimó: Cunctis qui aderãt mœstissimis, fletus ingens obortus est, qualem patronum, qualemq; dominum amitterent inclamantibus. Vox moribundi audita est, qua se libenter quidem mori dicebat, quanquam eius morte rebus Hispaniæ incomparabilis iactura pariebatur. Paulò antequam moreretur, epistolam dictare ad Carolum cœperat, qua illi suam Academiam, & cœnobia à se cõstructa & dotata, familiamq; suam suppliciter commendabat, sed digitorum rigido stupore subscribere non valuit. Aderant in vlteriori cubiculo multi ex aulicis dum animam Ximenius ageret, inter quos Vadillus & Collazus militares tribuni, qui Ximenii aulam frequentabant, simulatque obiisse vulgatum fuit, argentea vasa, quæ in abaco de more permulta erant, cæteramque ad manum expositam supellectilem deprædari adgressi sunt: idque omnino cõfecissent, nisi Coronellus Spinosa, aliquotque ex proceribus prodeuntes, & præsertim Alphonsus Arellanus Aquilarii comes qui cognomentũ ab obtorto capite habuit, eos deterruisset. E cubiculo in quo decubuerat, in proximum triclinium Ximenii cadauer productum fuit, & pontificiis vestibus indutum, in sella vt viuẽs solebat est locatum. Posthæc lecto pretiosis stragulis ornato, & conopeo pendenti intecto, componitur. Continuo per Roenses vicos publ. vox præconis audiri cœpit, qua & Ximenii mors denuntiabatur, & omnes ad deosculandas manus de more inuitabãtur, proposita certatorũ indulgentia. Magnus hominũ concursus factus est, non eorum solũ qui Roæ aderãt, sed ex finitimis circũcirca oppidis. Condıtũ fuit cadauer vnguentis & aromatibus, & multo in primis sale, vt Complutũ asportari posset, vbi se humari iussit. Sed dum iter adornatur, in Roense templum transfertur: vbi quotannis VI. idus Nouembris illi parentatur. Eo ipso die Cisnerus vir iurisperitia & prudentia non vulgari præditus, quem Ximenius semper magni fecerat, & omnium cõsiliorum participẽ habuerat, diẽ suũ obiit: cuius cadauer Cisneros municipium, ad paterna monumenta deportatum est. Qui Ximenium Complutum afferebãt, imbribus assiduis toto itinere vehemẽter impediti, qua nocte vicum Robleg-rdum deuentum est, largioribus delapsis aquis magno in discrimine fuerunt. Turrilacuna, Ximenii natale solum, altero die eos excepit: vbi mœrens patria tanto alumno orbata, iustissimo dolore squalens & lugens, per agros effunditur: & ad virginis Deiparæ cœnobium, quod ipse sumptuosum & splendidum condiderat, innumeris facibus comitatur. Ibi iustis cœnobii sodales parentationibus exolutis, postridie Complutũ delatum est. Academia tẽporarium sacellũ, vndiq; gradib. funebri veste stratis cinctum, & in eo cenotaphium ad portam Burgensem constituerat. Vt autem proxime aduentare cognitum est, iuuentus studiosa, cœnobitarum fratrũ collegia, ordines literarii, omnes mœstissimi, postremò Michael Carrascus iterum rector patribus theologis, collegisque suis comitatus, obuiam ad sacellũ processerunt. Altera ex parte, Abbas & capitulum sanctorum Iusti & Pastoris, aduenere, funesta etiam & atrata Ximenii familia paulò pòst accessit. Tantisper eo in loco constiterunt, dum preces aliquot funebres, & carmina expãdis manibus accommoda, tam capituli quã collegii sacerdotes, mœstis rythmis incinuerunt. Contentio illico inter canonicos & collegas exoritur, dum vtriq; Ximenii cadauer ad suum fanũ deducere cupiunt. Eam ægrè Abulensis composuit, qui prolatis testamenti tabulis D. Ildephonsi ad collegium Complutense ædem suæ sepulturæ Ximenium deligere recitans, tandem capitulo vt desisteret persuasit. Populum verò Complutensem obuiam progressum & multa mœroris signa dedisse certum est, quanuis alii contrarium asseruerint. Nam & duumuiris, & decurionibus

nibus pullas vestes ex publica pecunia datas fuisse satis constat. Certè ea extabant Ximenii merita in ciues Complutenses, vt sine piaculo secus facere non potuissent, Illud tamen dissimulari non potest, villas quas ad fœnicularium agrum, non longè à Compluto, in aruis Benedicto nepoti vectigalibus, inuitis Complutensibus Ximenius extruxerat, extemplo ab eis dirutas fuisse. Ildephonsi collegæ Cardenam canonicum Toletanum rationibus collegii præpositum, & communes ædes cum eis incolentem, Ximenio defuncto statim eiecerunt: nonnullaque alia, quæ magis eius voluntate, quam vllius decreti virtute fiebant, abolere neutiquam sunt veriti. Multum à Ximenii voluntate Abulensis testamenti executor in parentalibus celebrandis deflexit. Nam cum antistes religiosissimus palam in testamenti principio prohibuisset, ne quid superbæ vanitatis, aut vulgaris ambitionis & arrogantiæ, in eius funere fieret, amplissimum factum esse scimus. Siruelus theologus concionem de eius laudibus, & de temporum insequentium deploratione habuit. Is quasi proximam calamitatem diuinans, quæ rempub. continuò occupauit, versiculum illum Dauidis concioni suæ thema proposuit: Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum, vt excludant eos, qui probati sunt argento. Quem alioqui obscurum, & mysteriis perplexum graui & diserta oratione ad Belgarum aulicorum mores detorsit: qui nostratibus pulsis, sibi solis apud adolescentem regem locū relinquerēt, & assiduis ac immodicis prædis se, & suos locupletarent. Dies quo humandus Complutum infertur, diuo Eugenio primo archiepiscopo Toletano, longa olim maiorum religione, non modò in Toletana diœcesi, sed per vniuersam tam Hispaniam quam Galliam sacer est. Quam ob causam rector, & theologi patres, qua pietate in diuum sanctissimum Ximenius fuisset non obliti, in cuius, & diui Ildephonsi tutela suam Academiam esse voluit, lege cauerunt, vt eo die sacris anniuersariis conditori Ximenio parentaretur, fierentque exequiæ ampla & illustri pompa, concione etiam habita in eius laudem, quemadmodum quotannis celebrari videmus. Sepulchri verò monumentum quo est conditus, è Lunensi marmore candidissimo factum est, in quo eius simulachrum indumentis Pontificiis, & pastorali pedo ornatum visitur, multaque alia signa rerum variarum in sepulchri lateribus, tam molliter omnia scalpta, vt Praxitelis aut Phidiæ manibus ducta videri possint. In sepulchri fronte hexastichum est a Ioanne Vergara elaboratum quod eius iuuenile ingenium satis ostendit. Erubescebat vir eruditissimus ætate iam matura, cùm hæc carmina multis aliis fuisse prælata meminerat. Sed sic illa ferebant tempora adscribam autem ipsum epigramma:

Condideram musis Franciscus grande lyceum,
Condor in exiguo nunc ego sarcophago.
Prætextam iunxi sacco, galeamq; galero,
Frater, dux, præsul, Cardineusq; pater.
Quin virtute mea iunctum est diadema cucullo,
Cùm mihi regnanti paruit Hesperia.

Anno ab Academia condita LVIII. Alphonsus Mendozius rector, sub cuius auspiciis, vt supra diximus, nostri hi commentarii cùm ab Academia probati, tum honestissimo præmio sunt affecti, ferreis cancellis miro itidem opere, per Nicolaum Vergaram egregiū scalptorem, elaboratis, monumentum cingendum curauit, sedecim quibus licuit spatiis totam Ximenii vitam cælaturis præclaris ostentantibus. Non ab re futurum arbitror, si paucis complectar, quæ anno M.D.LXV. in transferendis diui Eugenii reliquiis gesta sunt. Nam præterquam quòd sempiterna memoria sunt dignissima, ad Ximenii etiam historiam facere videri possunt. PHILIPPVS II. Hispaniarum rex potentissimus, ecclesiæ Toletanæ precibus, apud Carolum IX. Gallorum regem operam piissimam dedit, vt sanctissimi Martyris Eugenii corpus ecclesiæ suæ restitueretur. Quo votis eius annuente, quanuis Galliæ populis dolentibus, ac potissimum sancti Dionysii monachis, in quorum cœnobio multis iam seculis asseruabatur, numenque Martyris non vulgaribus miraculis præsentissimum sentiebatur, in Hispaniam per Petrum Manricum canonicum Toletanum, iure quodam postliminii reductum fuit. Consultabant interea Toletani templi patres, an ad ipsos Galliæ & Hispaniæ limites obuiam venerabundi procederent, indeque Toletum Eugenium deducerent. Qua de re cùm regem consuluissent, visum est, vt Manricus Turrilacunam, Toletanæ diœcesis limitaneum oppidū, & Ximenii natale solum, cum sanctissimis reliquiis festinaret, vbi tandiu cōsisteret, donec quid facto opus esset moneretur. Ventū est Turrilacunam postridie Calēdas Iulias, vbi Eugenius in successoris Ximenii patria magna populorum frequētia exceptus, post tam diuturnam à diœcesi sua absentiam, quasi Ximenii laribus sese oblectaret, per totum autumnum diuersatus est. Fuit ea dilatio propportuna, vt

interea Episcopis, quos Toletani Antistitis suffraganeos vocant, ad Synodum prouincialem Toleti congregatis, primus Toletanus præsul Episcoporum suorum humeris in ecclesiam Toletanam inferretur. Sub extremum Nouembris diem, qui inter festos in fastis adscriptus fuit, id factum est, pompa celeberrima, variis diuorum ferculis, & passionis dominicæ insignibus, reliquiarum capsam multis gemmis & margaritis fulgentibus illustratam, præcedente: quam per vices Philippus rex, & Carolus iuuentutis princeps, & proceres alii subibant: quibus in partem piissimi laboris Episcopi prouinciales, & templi maximi sacerdotes succedebant. Hoc tanto apparatu, in vrbem nostram multis fornicibus, & amplissimis arcubus ornatam, & magno mortalium concursu ex omni ferè Hispania frequentatam, reliquiæ illatæ sunt. Nihil illustrius, magnificentius, aut splendidius eo in genere vrbs nostra vnquam vidit. In ædicula Dominici sepulchri, quæ subter aram maximam in templo est, rege iubente, depositæ fuerũt. Quanquam multi patres in sacello Mozarabum quod Ximenius dicauit, Eugenio (vt credi par est) inspirante, collocandas esse contendissent. Ximenii mors, vt fuit bonis & rempublicam amantibus grauis & acerba, sic malis hominibus & seditiosis iucunda. Nam cùm quosdam Senatores regios Senatu eiecisset, & alios, vt merebantur, ignominia notasset: & inferioris nobilitatis hominibus salaria regia, quibus vt inutiles fuci fruebantur, abstulisset, potentiores verò antiquis stemmatibus & ditionis amplitudine superbientes, ex ęquo cũ cæteris viuere primus omniũ edocuisset: fieri non potuit, quin illo sublato gauisi fuerint. Mors enim vtcunque accidat, quibus ob damna aut iniurias illatas malè volumus, in vindictæ locum libenter accipitur: quanquam generosos homines, in æmulorum aut inimicorum morte, & doluisse, & præclaras illorum virtutes laudasse, accepimus: carent enim odio & inuidia. Certè Fadricus Albanus regulus, quo cum de prioratu extorquendo tam acriter Ximenius contenderat, miris laudibus post mortem efferebat: vnumque Ximenium fuisse affirmabat, in quo priscum illud robur eluceret, quo nostrates olim excellebant. Quòd si vultus & corporis lineamenta, animum & mores produnt, operæpretium erit Ximenii habitudinem, & sensuum instrumenta compendio describere: vt qui hac naturæ partę delectantur, habere possint quo animum oblectent. Procero fuit corpore, firmo tamen & compacto, incessu composito innatam grauitatem præ se ferente, voce virili & stabili, qualis in heroibus à poeta laudatur, facie oblonga & macra, Fronte ampla sine vllis rugis, Oculis mediocribus, conditis potius quam eminentibus, acutis tamen & acribus, sed vuidis, quales esse lachrymantium solent, Naso oblongo & adunco, quem Græci grypum vocant, Narium foraminibus latis amplisque, Dentibus bene iunctis, sed caninis prominẽtibus, vnde à ridiculis parasitis elephantus vocabatur, Labris crassioribus & aliquantum diductis, nam superius nonnihil attollebatur, sed citra deformitatem, Infimis auriculis non pendulis, sed perpetua serie ad maxillarum iuncturas hærentibus, Superiore totius corporis parte longior erat quàm inferiore sesquitertia ferme proportione. Anno M. D. X L V. Andrea abbate rectore, cùm fornix subterraneus, in quo Ximenii cadauer conditum fuerat, reficeretur, eius calua foras ad lucem deducta fuit, quæ nullis suturis compacta erat, sed osse continuo constabat, qualem aliquando in homine reperiri Aristoteles notat. Animi sententiam breui explicabat, respondebat disertè, nec vnquam extra rem vagabatur: erat enim verborum parcissimus, etiam cùm iratus minabatur. Nam cum beneficii loco aliquid promittebat, multò liberalius rem ipsam præstabat & cumulatiorem quàm verbis: neque vnquam temere, præterquam de rebus seriis, sermonem faciebat. Sæpeque illud Ciceronis vsurpabat, nequaquam ita nos à natura generatos esse, vt ad ludum & iocum facti existimaremur, sed ad seueritatem potius, & ad quædam studia grauiora. Tamen nonnunquam inter familiares suos, qui natura simpliciori & aperta erant (nam hisce hominibus impẽdio oblectabatur) iocis & risu animum laxabat feriatum rerum mole fatigatum: Sed adeò parcè & rarò, vt comitatem potius illi non defuisse, quàm comem & facilem esse iudicari potuerit. Dictis Francesii scurræ, quæ sale nigro carerent, delectari videbatur: erat enim acri ingenio & dicax. Domi hominem mente lapsum alebat, qui olim Theologiam didicerat, & tunc memoriter multa recitabat, cuius confusis & nonnunquam certis allegationibus oblectabatur. Sanctii Pumilionis breui statura, & ingeniolo gaudebat: quem Ildehponsi collegis & rectori moriens commendauit, & mensarũ ministrũ esse iussit: id.n. munus diligẽter obibat. Maderolli militari & simplici libertate nõnunquã fruebatur, dũ illi per iocũ vt monachus fieret suadebat, quò mentẽ scelerib. impiatã purgaret. Fuerat hic ad Oranũ tribunus, qui mira quadã dexteritate, multis hostibus quibuscũ cominus pugnauit, dextros oculos punctim feriens effodit. Literis mirè videbatur recreari, quarũ sẽper studiosus fuit. Solẽne hoc illi fuit, vt à prãdio & cœna, doctę quæstiones de reb. præsertim sacris, ꝓponerẽtur, de quib. viri eruditi, qui sẽper illi aderãt, disputarẽt. Audiebat

etiam

etiam dialecticas iuuenũ dimicationes: bonum enim agricolã non minus delectari nouis dicebat virgultis, quàm arboribus iam fructuosis. Atra bile nonnunquã vexabatur, quo tẽpore negotiis se subtrahebat, neq; temere ab aliis quàm ab intimis cõueniebatur. Quamobrẽ nonnulla furore potius animi, quàm consilio gessit: quemadmodum Granatensiũ Maurorum per baptismatis aquam lustratio, & Africæ debellandæ propositum testimonio esse possunt. Cum potentissimis regulis obstinatissimè contendit, sed iusta semper ratione præcedẽte, vt superiùs ostendimus. Nam qui difficilium negotiorum exitus perhorrescunt, atq; ea de causa rerũ agendarum occasiones prætermittunt, non tam prudẽtes aut cauti, quàm ignaui & timidi censentur. Nihil vnquã grauioris consilii aut operę aggressus fuit, quin prius ad canonicos Toletanos referret: quibuscum re communicata, Deum precari iubebat, vt negotium fortunaret. Nam Africanã expeditionem facturus, & Arãdam cum regio Senatu profecturus, Toletum ad patres venit, quibus conatus & consilii sui rationem edidit. Quod semel faciendum proposuerat, dicto citiùs confectum volebat, illud Salustii vsurpans: Vbi consulueris, maturè opus est facto. Si quis parum cautè aliquid egisset, etiam in rebus magni momenti, modò animi voluntas ad nocendum abesset, per omnes ætatis gradus nulla indignãtis significatione data siue ea humanitas siue potius prudentia erat, dissimulauit. Dum Academiæ exędificandæ intentus, in diui Ildephonsi templo fabro lignario crucem supra aram maximam clauis trabalibus figenti adesset, penè vitæ discrimen subiit, delapso in Ximenii caput malleo, sed numine quopiam ictum auertente, cutim tãtum perstrinxit. Statim inde discessit nulla voce emissa, vitæ humanæ caliginem & pericula reputans. Verborum libertatem in nõnullis magna animi moderatione tulit. Nam Vxamensi sacerdoti iudicem priuatum suæ causæ postulanti, cum respondisset optimos vicarios se tribunalibus præposuisse, quibus meliores nec Guadalfajara, nec Madritũ erat datura: Potuit (inquit ille) Turrilacuna huic regno præsulẽ dare, & hæ ciuitates nõ habebunt iudicẽ idoneũ tantulæ causæ? Ximenius, reguli alicuius fiducia illum procacẽ fuisse existimans, quæsiuit quem patronum haberet: pari cõfidentia retulit, se sibi patronũ esse, neq; alio indigere. Pol (inquit Ximenius) non poteris te digniorem inuenire. Et hac castigatione contentus, de iudice dando cœpit agere. Contrerã cõcionatorem, qui præsentẽ Ximenium, ob pretiosas pelles quibus induebatur, acriùs quàm par erat reprehẽderet, magna animi lenitate sustinuit, & ad prandiũ vocari iussit, & eius concionẽ laudauit. Qui personã publ. sustinent, vti non possunt plebeio vestitu & apparatu: nam purpuræ splẽdore, & supellectilis lautæ copia, maiestas quædã conciliatur, quà homines in officio continentur. Sed Ximenius, quanuis istis in vsum quã diximus vteretur, interiores vestes, & lecti quo indormiebat stragula, semper ex pręscripto Franciscani instituti habuit. Vitę itaq; tristioris perpetuò cultor, & rusticitati quam deliciis propior semper fuit, quod de M. Agrippa dictum legimus. Salzedam austerioris cõuictus causa secedens, cum menianum, quanuis angustũ, ante quoddã cubiculum proiectũ vidisset: hæc est (inquit) illa Salzeda, in qua omnia acida esse dicebantur: quasi curiosum opus, & voluptati factũ notaret. Quoties sodales Franciscani panẽ & vinũ ostiatim mendicabant, panem sine quo viuere commodè non possent, iure suo exposcere aiebat, vinũ verò delicias meras esse, cùm tot perẽnes fontes vbiq; scaturirẽt. Nocturno tẽpore plerunq; tondebatur, ne vllam diei particulam reip. subtraheret: quanquam nec illud tempus perire patiebatur, audiebat enim qui grauem aliquem authorem recitabat. Preces horarias, adiutore rarò accersito, solus & plerunq; obserata ianua absoluebat, vt interpellãdi occasionem adimeret. Sacram synaxin celebraturus, publico item loco non gaudebat: frequentius in priuata ædicula operabatur, duobus Franciscanis, viris bonis & eruditis pręsentibus, quos in id munus apud se habuit. Simplicem in ecclesiis cantum (quem Gregorianum appellant) amabat, theatrali offendebatur. Templis nec admodum spatiosis, nec plurimam lucem admittentibus capiebatur: nam alterutra res mentis intentionem disturbat, quæ in locis subobscuris colligi solet. Extremis vitæ suę temporibus, negotiorũ & morborum agmine irruente, publicis sacris interesse desiit: & aliquanto serius quàm solebat in publicum prodibat. Vtrunq; æmuli culpabant: & apud regem per literas sæpe conquesti, multum detrimenti ex ea re lites capere aiebant. Qui responsum rege dignum acceperunt, plus momenti in vnius Ximenii salute ad reipub. incolumitatem verti, quàm in omnium priuatorum negotiis. Liberalis animi erga posteros argumenta, testimoniis æternis, de quibus iam diximus, comprobantur. Quæ verò singulari beneficentia in sui ęqui homines contulit, multa commemorari possunt. Quiomarã Castram Manrici Naiarensis vxorẽ, quã ille vt erat ingenio difficili & feroci, domo per contumeliã expulerat, Ximenius apud se eo splẽdore & dignitate Toleti habuit, quã vix apud maritũ ducẽ tenuisset, donec inter eos conciliata gratia, in pristinam fortunam restituta fuit. Cuius afflictio eo

indignior videbatur, quòd Manricus factus fuerat Najaræ dux, ab Enrico IIII. in vxoris gratiam. Huius beneficii Quiomara deinceps memor, quotannis ad Ximenium linteam supellectilem, dulciarii operis bellaria, aliasque eiusmodi lautitias, veluti perpetuum vectigal, misit. Cùm olim Seguntiæ capellanus maximus esset, Alphonsi Iannii suaui voce delectatus: est cur doleas Ianni (inquit) me Archiepiscopũ Toletanũ non esse: nam ego te primicerium creassem. Est autem primicerius, qui chori cantũ curat: nunc capiscolum vocant. Post vero Archiepiscopus creatus, promissi memor ea dignitate illum donauit, addito in literis propria manu elogio, ad cantorem Guadalfajarensem, ibi enim natus fuerat. Brunetũ, qui, vt diximus, Ximenio à latronib. ad Aquas Sextias despoliato, viatico est prosecutus vt Romam adire posset, ad se officii causa venientem, benignissime accepit: cumq; eo non semel semotis arbitris familiariter est collocutus, quod perpaucis ille præstabat. Voluit apud se Brunetũ peramplis præmiis retinere: at ille siue quòd ętate prouectus iam esset, siue quòd aptum nidum, & quod sibi satis erat Segouiæ haberet, gratias Ximenio egit, à quo multis muneribus donatus discedit: quæ ille tã facili & hilari vultu largiebatur, vt nemo esset qui plura in posterum impetranda sibi non promitteret. Quoties digna aliqua aut opima sacerdotia, Toleti in templo maximo vacua esse acciderat, ea in filios regulorũ, aut in viros aliquos doctrina pariter & moribus præstantes, iuxta summorum Pontificum decreta, quæ in hac parte mira quadã consideratione ecclesiarũ commodis cõsuluerant, propositi tenax ad mortẽ vsq; contulit: nam ex claris & nobilibus viris fauorem, ex doctis verò authoritatem rebus sacris conciliari aiebat. Qua in re nullo in discrimine nothus, an legitimus esset, apud eum habebatur, modò is virtute commendaretur. Benigna fuisse natura satis constare poterit, qui qua fuerit in domesticos caritate considerauerit, & eius epistolas legerit, quibus catholicis regibus, & deinde Carolo nepoti, viduarum & pupillorum causas piissimis verbis commendat. Fuit in Ximenii familia Ferdinandus Valdesius Archiepiscopus Hispalẽsis, vir amplissimus, qui duos viros alterum theologum, alterum iurisperitum Ximenium habuisse referebat, diœcesi Toletanæ lustrandæ causa, vt pudicas puellas dote cassas, aut parẽtum auxilio destitutas, honestis viris in matrimonio locarent. In beneficiis ecclesiasticis cõferendis, præsertim quæ animarum curam annexam habent, haud vulgarem considerationem adhibuit. Nam proximis quibusq; ex familia prætermissis, sæpenumero ignotos aduocabat, homines probos, & in aliorum commodis curandis piè solicitos: quos vel mediocri literatura præditos, aliis quanuis doctioribus, minus tamen strenuis præferebat. Dum hæc secum ponderabat, & de singulorum virtutibus certior fiebat, multa nõnunquã sacerdotia penes se retinebat, donec dignus minister occurreret. Quod tamen ęmuli quoq; vt cætera culpabant: ipse verò consilii sui conscius, quicquid illi calumniarentur contemnebat. Sacris potissimum Pascharum solenniis, eiusmodi sacerdotia benemeritis distribuebat. Amabat, homo beneficus, habere quod donaret, ne homines indignè egentes expectare, donec vacua essent sacerdotia, cogendi essent. Quæ vt libenti animo in ignaros sponte conferebat, ita si quis aliquid huiusmodi ab eo peteret, molestè & grauiter ferebat, & veluti procacem, & parũ sui reuerentẽ auersabatur. Ministris & familiaribus, viris optimis, & efficacibus est vsus: eosq; semper in maius prouehere, nouisq; incrementis adaugere, vt solent patres carissimos liberos, curauit. Si quis à familia discedere vellet, nihil aliud rogans aut inquirens, illicò abeundi commeatum dabat, neq; vnquam rursus admittebat. Rerum occultarũ, quarũ sibi notitia à rege nõ daretur, adeò se parũ curiosum esse ostendebat, vt Lupo apud regem Ferdinandum diuersanti, ne quid tale rogaret per epistolam interdixerit, nihilq; operæ in illis rebus inquirẽdis sumeret. Esse enim vanum & molestum studium in negotio præsertim non admodum necessario: cùm alioqui ita omnia priusquam euulgarentur cognita habuerit, vt nihil sibi repẽtinum acciderit, aut occultum diutius fefellerit. Æqui semper obseruantissimus, iustitiam per se, & per ministros coluit. Quòd si quando munera sua aut parum integrè, aut negligenter obire intellexerat, illico magistratibus amouebat, quantumuis vinculo arctissimo coniunctos. Erat Talabricæ præfectus Sanctius Villaroellus; quem ille loco propinqui habebat: hic dum rapinis potius, quam reipublicæ curandæ studet, eò res impudentiæ deuenit, vt palàm concussiones per ministros, & per præfectum fierent. Quare Talabricenses commoti, duos decuriones ad Ximenium mittunt, qui præfecti flagitiosos mores declararent: quibus auditis, iudicem Ximenius constituit, qui in Villaroelli acta inquireret, & querelas, qui illum reum facerent cognosceret, administratiq; magistratus rationem seuerè reposceret, post quæ successorem illi dedit. Supremo suæ diœcesis tribunali iudices viros doctissimos, & maximi ponderis semper delegit: ex quibus multi ad Pontificatum deinceps assumpti, magistri disciplinam probè retulerunt. Ioannes Velascus, Petri comestabilis filius, Bernardini

& Inachi frater, aliquot annos huic tribunali præpositus, Calagurritanus Antistes demum constituitur, & deinde Pallantinus. Verùmtamen postquam Calagurri præficitur, præpositi munus triennio apud tribunal Ximenii exercuit: nec recusauit homo generosus, Pontificatu haud contemnendo auctus, in familia Ximenii recenseri. Sed fuit hæc olim Toletanorum Antistitum siue authoritas, siue maiestas, vt aliarum ecclesiarum Antistites publicis munerib. præfectos, & officiis priuatis administros habuerint. Nam Rodericus Ximenius Toletanus Pontifex, is qui historiam Gotthicam scripsit, memoriæ prodidit, se Guadalfajaræ ægrotantem: in suum locum Dominicum Placentinum Episcopum, qui sibi à sacris agendis erat, substituisse: vt interea regem Ferdinãdum Alphonsi noni filium, ad Gienenses, Toraphos, & Plegianos Mauros, qui in Carpetaniam incursus fecerant, debellandos, comitaretur. Rursus vt ex historiis nostratibus intelligimus, Petrus Tenorius, cuius aliquot sunt in diœcesi Toletana illustria monumẽta, Episcopos Conchensem & Segouiẽsem, inter sui tribunalis iudices habuit. Petrus autem Gonsalus Mendozius generalem vicarium Episcopum Cauriẽsem constituit. Postquam Ximenii mors diuulgata fuit, Alphõsus Aragonius Ferdinandi regis catholici filius, Cæsaraugustanus Antistes, quem in Toletanum Pont. creare pater exoptauerat, Turdesillas Carolum salutaturus venit, & simul de ecclesia Toletana obtinẽda acturus. At Chebrius, qui vt Guilielmo Croio nepoti, præclaræ indolis adolescenti, conferretur adnitebatur, aliquot nostrorũ studiis adiutus, qui diuersæ factionis odio, Croiũm opibus & honore auctum mallebant, Alphonsum Aragonium Turdesillas ingredi vetuit, quanuis multũ deprecantem, vt sibi reginam sororem, & Carolũ nepotem visere liceret. Ergo ad cæteros proceres Pintiam proficiscitur, vnde post regẽ salutatum, spe frustratus in Aragoniam sub extremum Decembrẽ dimittitur. Quatuordecimo Cal. Oct. Carolus Pintiam ingreditur, ibiq; cõuentibus habitis, procerum & vrbium suffragiis sexto id. Feb. rex Castellæ à cunctis acclamatur. Supererat de dissidiis inter Chebriũ & Gorrebotum, deq; Guillielmi Archiepiscopi in Flandria, & Seluagii magni Cancellarii in Aragonia morte, & de conuentibus Pintiæ celebrari cœptis, & Compostellam translatis, de Hispania etiam Belgarum rapinis exhausta, vnde motibus ciuilibus data est occasio, postquam ciuitatum procuratores ad suos redierunt, & rex Carolus in Belgiũ vela fecit: vt se post mortem Maximiliani aui, imperii Romani candidatum ostenderet, & Gallo eius æmulo præferri satageret, scribere. Sed nos ista aliis copiosius tractaturis relinquimus, sat habentes disertis verbis profiteri, vniuersa illa incommoda, quæ & tunc maxima fuerunt, & in nostra prorepserunt tempora, cessatura proculdubio fuisse, si Ximenio vita longior Dei beneficio contigisset.

LIBER OCTAVVS.

POTVISSEM hic desinere, doctis omnibus fortasse approbantibus, postquam Ximenii rebus pro virili satisfeci. Sed quoniam Complutensis Academia, à morte Ximenii conditoris, magna subiit discrimina & ex altera parte magnos fecit progressus, & vberrimũ doctorum hominum prouentum tulit, qui tum illi, tum Hispaniæ vniuersæ illustri fuerũt ornamento, ad Ximenii etiam historiam pertinere putaui, quædam de vtraq; re compendio scribere. Neq; enim eruditi homines, qui ab illa prodeunt, minus Ximenii opus censendi sunt, quàm ipsa studiosarum ædium structura, quæ vt quotidie nouis fabricis illustratur, sic etiam nouos fœtus subinde edit, qui eas perpetua successione inhabitent, conditorisque sui beneficentiam & virtutem repræsentent. Ergo Theologiæ schola successorem accepit Michaelem Carrascum, virum doctum, & disputando acerrimum. Erat in hoc homine tanta morum & vitæ integritas, vt ad summũ magistratum, qui rectoris est, iterum sit assumptus: & Ximenius perpetuum rectorem esse voluerit, syngrapha etiam data paulò ante mortem, qua id honoris Carrasco tribuere profitebatur. Conditio erat, vel in maiori fortuna nequaquam aspernanda: nã vniuersa Academia, & quicquid ab ea emolumenti emanat, quod & multiplex & non vulgare est, ab vnius pendere rectoris arbitrio Ximenius voluit. Cæterùm vir prudens, literarias contentiones, odia, & communem hominum ingratitudinem, ambientium studia, & eos commendantium, molestias considerans, decreuit conditionem oblatam repudiare. Sed amicis ne id faceret suadentibus, coactus fuit syngrapham antequam magistratu abiret, suis collegis ostendere, & eorum sententias rogare, anno primo à Ximenii

morte, ab Academia verò condita decimo. Tantus illico tumultus est exortus, ex Senatu in longius producto, totus ferme dies collegarum contentionibus consumptus fuerit, Carrãza inter alios, & Curia, & Almarazio, magna vi admittendam pernegantib. Quod cum ille animaduertisset, syngrapha discissa, se magistratu extemplo abdicauit. Hic post aliquot annos scholam Theologicam deserere coactus, in Alphonsi Fonsecę Archiepiscopi Toletani familiã ascitus est, cui à conscientia expianda fuit. Datus fuisset Philippo principi magister, nisi corpusculi breuitas obstitisset, matre Augusta iudice, quæ illi Siliceum prætulit: hi enim duo, & Siruelus designati fuerant. Huic suffectus fuit Ioannes Metina, iuuenis adhuc, sed perspicacis ingenii, & grauis iudicii. Hic plusquam viginti annos Theologicæ scholæ præpositus, tantam sibi laudem comparauit, vt eius nomen breui celeberrimũ per vniuersam Hispaniam fuerit. Erat in eo admirabilis in explicando distinctio, adeoque materiam propositam sine vllis ambagibus colligebat, vt nihil esset tam perplexum aut obscurũ, quod vel tardissimus non assequeretur. Et in argumento nõnunquam arido & ieiuno, tanta verborum volubilitate & copia, tanto ordine, tamq; apta & cõnexa serie, tam intenta contentione, tã firmis sensib. ad rem semper faciẽtib. tã acutis & veris rationib. vtebatur, vt nihil in illo ad perfectã eloquẽtiam præter verborum delectum desideraretur. Qua nempe reanimos omnium attentos faciebat: qui si semel vagarentur, frustrà postea intentionem reuocarent. Concursus vndique ad eum fiebat in rebus dubiis, aut certè parum cognitis, tanquam ab oraculo claritatem petentium. Ex immoderato studio varios morbos contraxit, qui illum indignis modis cruciabant: podagram, calculum, & iliorum dolores. Atq; ita ante tempus è viuis sublatus, scholam Theologicam, atque adeò vniuersam Academiam, sua morte mœstissimam reliquit: neque enim annum quinquagesimum septimum attigit. Situs est in diui Ildephonsi sacello, obiit anno Domini M.D.XLVI. quod insculptum epigrãma testatur. Reliquit suæ doctrinæ monumenta, libros de pœnitentia & restitutione, qui etsi manibus studiosorum circunferuntur (sunt enim multis in rebus cumprimis vtiles) verum longe maiori cum veneratione is sua verba sonans audiebatur, quàm postea eius scripta leguntur. Eo mortuo Andreas Cuesta scholã suscepit, acri ingenio, & non vulgari prudentia vir, quem ob doctrinam & virtutem, Philippus II. Hispaniarum rex, Legionensem Episcopũ fecit. Vnde ad Tridentinũ conciliũ proficisci iussus est, & rediẽs bene re gesta, & doctrinæ opinione clarus, apud Montem Sarratum diem suum obiit. Fuit in eo mira subtilitas, acre ingenium, & certum iudiciũ. Liberales disciplinæ multos percelebres viros habuerunt, de quibus alii copiosiùs tractabunt: à nobis tres tantum hic recensebuntur, Thomas Villanoua, Alphonsus Pratus, & Didacus Nauerius. Thomas in Ildephonsi collegium cooptatus, artes liberales professus est, & discipulos satis doctos Academiæ dedit: inter quos Dominicus Soto, & Ferdinandus Enzinas numerantur. Hic cum raram indolem & ingenii acumen opusculis editis ostentasset, magnamque sui spem concitauisset, immatura morte præreptus fuit: ille verò inter Ildephonsi collegas adlectus, tantos in liberalibus disciplinis, in reque Theologica progressus fecit, vt Salmanticam concedens, & in Dominicanam sodalitatem ascitus, in ea Academia Theologicam scholam multos annos fuerit moderatus: scriptisque eruditissimis orbem repleuerit: & ad res grauissimas tractandas à Tridento per Carolum V. Imperatorem, cui à confessionibus fuit, accersitus, magnam sibi authoritatẽ comparauerit. Thomas verò, & ipse Ildephonsi sodalis, Augustinianum ordinẽ postea professus, cum vitæ sanctimonia magis ac magis quotidie claruisset, Archiepiscopus Valentinus factus est: in quo munere obeundo sanctissime se gessit. Alphõsus Pratus, Toleti ortus, ingenii acumine & acrimonia præditus, scholam philosophicam, non mediocriter illustrauit: proutq; illa tempora ferebant, in illis plusquam Chrysippeis quæstionum subtilitatibus, quibus immodice illa ætas indulsit, magnum nomẽ adeptus, multos & illustres doctrina discipulos reliquit: inter quos Hieronymũ Velascũ, virũ iudicio & doctrina clarum, qui ad Ildephonsi collegas tunc assumptus, nunc Episcopus Ouetensis est. Hic Prati præceptoris in S. Thomæ cathedra petenda competitor, non sine multorũ reprehensione, victor euasit, quem magistro de se & de rep. literaria benemerito, cedere fortasse æquũ iudicabãt. Pratus ob hanc repulsam à Ioanne III. Lusitaniæ rege non multo post vocatus, Conimbricæ Academiæ, quã rex ille florentissimã instituit, Cancellarius est factus. Nauerius ingenii acrimonia, & non ingrata quapiam iactatione feruẽtioris spiritus homo, recte eruditos discipulos eduxit, & doctrinæ suæ documenta exhibuit, editis de dialectica & philosophia libellis, qui multos annos sunt publice prælecti. Medicorũ schola Petrum Leonem, & hunc quoq; Toletanũ suscepit, virũ excellenti memoria & doctrina, at bilis feruore nonnunquã adeo percitum, vt vix dũ publicè profitebatur, sese posset cõtinere. Quare magno impetu in gymnasio deambulans, corpus mire contorquens docebat, non sine of-

fensione

fensione discipulorum quorum attentioni officiebat. Habuit hic Ioannem Reinosum lectionis æmulum, qui cum non ita pridem ex Italia venisset, ac præceptorem Leonicenum referret, literarum Græcarum præsidio adiutus, in quibus nonnullos profectus fecerat, vniuersam scholam medicinæ inuertit, & quæ ad id tempus Arabum medicorum placita apud Hispanos persancte coluerat, totam se ad normam Græcorum composuit, Leone fere destituto. Mirum in eo homine fuit, quod cum ad reliqua omnia ingenio præcipiti & inquieto esset, in morbis curandis lentus erat, & gradarius: vnde factũ est, vt raro in Remediis ministrandis aberrarit. In diui Francisci templo, magna Academiæ frequentia sepultus est. In rhetorum gymnasio Ioannes Ramirius Toletanus Nebrissensi successit, vir leni quadam facundia, & styli elegantia ac puritate excellens: tanta vero probitate, & in rebus domesticis tractandis vigilantia, vt merito frugi appellari potuerit. Multa scripsit, partim dialogis, in quibus scribendis multum oblectabatur, partim oratione perpetua, ferme ad œconomicen cuncta pertinentia, quæ in lucem nondũ venerunt. Alebat domi adolescentes ingenuos, quos & moribus & literis probe instituebat. Ramirio eloquentiæ scholã tenente, cum magis ac magis studiosorum adolescentum copia cresceret, ne ille annis iam ingrauescentibus nimio labore fatigaretur, visum est rectori & collegis, legem Ximenii de hac re sequentibus, alteram cathedram rethoricæ constituere. Hæc primum Ioanni Fernandio Hispalensi, cuius nunc doctrina Conimbricensis Academia permultum iuuatur, deinde Io. Petreio Toletano commissa est, iuueni ingeniosissimo, qui non ita pridem Cõplutum venerat: cuius indoles & dicendi vigor, quemadmodum excellentis artificis signo accidere Cicero ait, simul aspectus & probatus est. Eius tam prompta erat & extemporalis ad dicendum facultas, tam amœno amne & perenni fluens, tamq; liquido, & minime turbido, vt medio in Latio natus & eruditus, iudicio etiam Italorum, qui illum audierãt, videretur. Pangebat etiam venustissima carmina, cuius rei amplum testimoniũ, editis aliquot per Antonium fratrem eius poematibus, quæ apud nostros circunferuntur, datum est. Iustum opus de vita & actibus Mariæ Magdalenæ poeticis virtutibus refertissimum scripsit: cui si vltimam manum addere licuisset, esset profecto opus præclarum, & vndique absolutum. Lætam sæpenumero Academiam fecit facetissimis comœdiarum argumentis. Multũ de eius ingenio sperabatur, ni immatura morte præuentus fuisset: neque enim (vt opinor) quintum & trigesimum annum attigerat. Igitur cum Academia omni genere disciplinarũ florens, in dies magis ac magis augeretur, resq; theologica quam Ximenius sibi excolendã sumpserat, eo gloriæ & incrementi processisset, vt Complutensis Academiæ comprobatio ad res maximas religionis requisita sit: ad integram corporis literarii magnitudinem, atque membrorum perfectam absolutionem, professor in primis desiderabatur, qui sacra bibliorum volumina interpretaretur, quorum cognitio viro Theologo propositus est finis: qua de re in Ximenii legibus nihil cautum est, quod eius tempore antiqui authores à perpaucis versabantur: sacrasq; literas & primitiuam illam scholam, vt facilem negligebant: quã quia sine disputatione procedebat, positiuam vocabant. Postquam vero homines euigilare cœperunt, & se frustra quæstionibus vacare intellexerunt, nisi antiquitatis & bibliorum cognitio haberetur, magna diligentia virum ad hanc rem aptum quæsierunt. Oportebat autem linguarum peritia esse præditum, in sacrisq; authoribus euoluendis bene versatum, & maturo iudicio, atq; adeo vaticinantis spiritu, quod Paulus alicubi prophetiæ donũ appellat, instructum, qui ad id munus exequendum accommodus esse videretur. Tandem post longam consultationem, diuino numine rem suam curante, Dionysius Vasquius Toletanus Augustiniani ordinis sodalis, ingenii monstrosi vir, qui tunc in sacris cõcionibus apud Hispanos principatum tenebat, ac propterea Carolo Cæsari in primis carus, cuius potissimum erudita & peracri voce inter palatinos concionatores oblectabatur, quem nonnunquam stans audire solebat, ne vel somnus obreperet, vel negotiorum cogitationes alio auerterent, accitus est. Nouos ipse scripturæ sacræ sensus, qui cum antiquis certare possent, ingenii acumine, quod in illo admirabile fuit, grauitate iudicii plenos passim eliciebat: materiam magna cum iucũditate dilatabat: amplificationibus cumprimis eminebat: affectus mirifice inde concitabat: & quoties ad ipsam perorationem veniebat, tanto dicendi ferebatur impetu, tam præcipiti torrente decurrebat, vt animos omnium vel nolentes raperet, & in quamcunque vellet partem flecteret: adeo vt Ramirius de ipso dixerit, nullum ætate sua præter vnum Dionysium oratorem natum vidisse. Ingenio alioqui viuacissimo, ex doctrinæ adiumentis, quam sibi iuuenis conquisiuerat, multum roboris additum fuit: nam & in linguis discendis assiduus, in Theologicis disputationibus frequens, & sanctorum patrum lectioni quotidie intentus, illustre nomen sibi comparauit: & in tribus celebribus Academiis Parisiensi, Complutẽsi, & Toletana doctoratus titulũ promeruit, ipsis certatim

honores deferẽtibus. Incidit Dionysius postremis suæ vitæ diebus in linguæ paralysin, qua mire eminebat. Quare maximo omnium mœrore Academiam deseruit, & in patriam secessit, vbi eodem fere quo natus est die vita functus est, vix sexagesimum excedens annum. Huic successit Georgius Nauerus, non tam excelsi spiritus vir, at doctrina & iudicio insignis, atque quod maxime illum cõmendabat, vitæ puritate & sanctimonia clarus. In Theologia tam grauiter & erudite instructus fuisse dicitur, vt in primis illis Theologiæ studiis, cum nihil aliud quam scholasticæ quæstiones versantur, quæ in priuatis aut publ. disputationibus asseruerat, ex veterum authorum placitis, suis in fontibus consideratis, confirmabat. Is doctrinæ causa Pallantinus canonicus factus, Louanium literas Græcas discendi cupidine incensus, ætate iam decliui concedens, non mediocriter in eis profecit. In ecclesiã suam reuersus, Complutum accersitur, vbi quanuis Dionysiacæ magniloquentiæ longe impar (erat. n. minoribus lateribus, & lenta ad loquendum prolatione) attentionem audientium retinebat, admirabili diligentia omnia veterum scriptorum arcana enucleans. Quod nimirum in causa fuit, vt Franciscum Vergaram, Græcæ linguæ professorem, & magnæ eruditionis grauissimiq; iudicii virum, aliquot annos auditorem habuerit, quã ille re impendio delectabatur. Interim à Cæsare apud Belgas Diuodurum, quam Metin vulgo vocant, obsidente, ad vulneratorum, & ægrotantium curam vocatus est. Quod munus cũ religiose & sanctissime Nauerus obiret, è viuis cum cæteris sublatus fuit. Successit in schola Cyprianus, Cisterciensis ordinis monachus, vir tam Latina quam vulgari eloquentia illustris: qui cum non ita pridem vnus è numero scholasticorum haberetur, & ordinis causa inter præceptores tantum & amicos notus esset, post peracta Philosophiæ & Theologiæ scholasticæ curricula, in linguarum studiis assiduus, breui tantum ingenii acrimonia, qua pollebat, profecit, vt incredibili totius Academiæ consensu, ad eam præfecturam cæteris omnibus prælatus fuerit. Magna de eius ingenio & eruditione in dies sperabantur, sed in medio vitæ cursu omnibus doctis dolentibus raptus fuit, relictis nonnullis doctrinæ suæ monumentis. Petrus Campus, qui vt retulimus, primus rector, cum vi & potestate Academiam gubernandi creatus fuit, postea inter canonicos Toletanos ad sacrarum concionum munus cooptatus, plusquam XXX. annis ita pie, & eloquenter, atque tanta cum varietate eã rem tractauit, vt eo ad populum verba faciente, templum alioqui capacissimũ semper auditorum frequentia repleretur. Mirum habebatur in ciuitate acuta & delicata, post tot annorum curricula, nunquam ex satietate fastidium cuiquam fuisse subortum. Vtebatur sermone eleganti & culto, graui tamen & seuero, qui non artificio quæsitus, sed sponte sua fluere videbatur. Accedebat motus gestusq; aptissimus, qui eius orationem adeo cõmendabat, vt vnus eo tempore fuerit, quem aures Toletanæ auidissime auscultarent. Ioan. Vergara sepulchralem inscriptionem in amici gratiam composuit, quæ sic habet:

Reuerendo in Chr. Pat. Doct.
Petro Campo, Episcopo Vticen.
Can. Tolet. Theologo, ex cuius
ore concionantis Pop. Toletan.
totos XXXIII. *annos cupidissime*
pependit, Dec. Cap. q; Toletan.
Sodali B. M. P. C.
obiit.
Anno Domini M. D. LI.

Alii deinceps insecuti fuerunt viri excellentes: de quibus qui acta Complut. Academiæ sunt scripturi, multa nõ indigna relatu memorabunt. Primus Academiæ Cancellarius Petrus Lerma fuit (vt diximus) vir doctrina clarus, & cui plurimum Ximenius in primordio nascentis Academiæ detulit. Hic post Ximenii patroni mortem variis casibus exagitatus, Hispania relicta Lutetiam concessit. Ibi antiquioris in Theologia dignitatis ratione, primarium locum quoad vixit obtinuit. Ludouicus Catena huic successit, qui in re Theologica Lermam patruum æquauit, & linguarum peritia, & multiplici variarum rerum cognitione superauit. Sunt apud eius hæredes orationes multis eloquentiæ luminibus claræ, quibus studiosorum hominum encomia, qui ad gradus seu promotiones ascendebant, continentur, maximo totius theatri applausu recitatæ. Pangebat argutissima epigrammata, & fauebat ingeniis: barbariemque à complutensi Academia pro virili propulsandam curauit. Sed hic quoque, vt eius patruus, graues fortunæ ictus pertulit. Episcopus Abderitanus in Granatensi prouincia, senectute ferme decrepita erat, quamobrem Ludouicus Cathena de

quo

quo agimus, Pontificiæ dignitatis conſors (quem coadiutorem vocant) eſt illi datus, vt in eius locum eo mortuo ſufficeretur: ſed maleuolorum hominum, qui eius gloriæ inuidebāt, calumniis, & vt nonnulli credunt, Silicei archiepiſcopi opera, alius Abderitano vita functo in epiſcopatu ſucceſſit, & noſter intra priuatam fortunam neglectus manſit. Hæc repulſa ſic totam Ludouici mentem occupauit, vt mœrore confectus intra paucos menſes obierit, relicto epitaphio, quo animi dolorem eſt teſtatus: negat enim fas eſſe ſibi infelici cælum intueri. Hactenus nonnullos viros eruditos, & ſapientia præſtantes retulimus, quorum nõnulli ad dignitates haud vulgares prouecti ſunt, ex iis qui partim à Ximenio relicti ſunt, & partim poſt eius mortem in eius Academia eruditi fuerunt. Nunc nonnulla referemus, quę aut addita ſunt eius conſtitutionibus, aut in meliorem formam ſunt redacta. Quarto volumine retulimus quemadmodum doctore Valladario occaſionem dante, Ximenius cogitauerat, de licentiarum (quas vocant) ordine mutando. Nam cum noſtrorum hominum id ingenium ſit, in honoris & dignitatis contentione ſemper primas obtinere, ſiue id iure, ſiue iniuria fiat, quoties promotionum comitia fiunt, de prioribus locis acriter decertatur: & omnis modeſtiæ obliti, quiſque proximum deturbare cupit: adeo vt is, cuius alias nulla ratio aut poſtrema haberetur, primum ſibi locum dari impudenter poſtulet, eumque per omne flagitium conquirat. Iam cum ex Ildephonſi collegii ſeminario, patrum animi, atque adeo totius Academiæ, in factiones diuiſi ſint, poſtquam ſemel turbatis ſententiis, hæc aut illa factio aliquem præferendum eſſe contendit, nihil non ad id faciendum tentat, vel publica Academiæ tranquillitate conturbata. Nam cum ingenii ſpreti iniuria alta mente recondatur, odia in nonnullis ad mortem vſque durant: & nonnunquam peractis comitiis, neces iudicum intentantur. Anno ab Academia condita XXIX. accidit, vt ad Naueriũ male multandum, qui Cancellarii vicem eo anno geſſerat, quidam Æthiopica larua tectus, ſtricto pugione, pene incautum & inermem noctu poſt cœnam confoderit. Quod & feciſſet, ni aliquot famuli accurrentes, tumultu audito ſuppetias tuliſſent. Verſatur etiam in hac honorum contentione vtilitatis ratio, ob ſacerdotia Iuſti & Paſtoris, ſed quæ minima ſit præ honoris ambiti repulſa. Nam in medicorum ſchola, vbi illa emolumenti cauſa ceſſat, grauiſſimis furiis rem agi videmus: & ſuffragia, quæ ſtudiorum induſtriæ debentur, aſſentationibus, viliſſimisque obſequiis, & muneribus mercantur. Ergo de totius Academiæ ſententia, Ximenii legem abrogādam eſſe maxime neceſſarium viſum eſt. Nam ſtudioſorum iuuenum mutuam contentionem, cui ea lege proſpectum eſſe creditur, nihilominus duraturam eſſe dicebant, cum eadem pudoris vis, apud homines præſertim Hiſpanos, quocunque tandem modo reprobentur, maneat. Huius rei apud Salmanticenſem, cæterasq; Hiſpaniæ Academias ſatis magnum exemplum eſt, vbi R. literæ timore, qua reprobationem ſignificari volunt, non minori ſtudio, quam Compluti deſudatur. Reclamatum eſt à ſenioribus patribus, quibus ſemper, quicquid ab ea forma quam illi retinuerunt mutatur, inſolẽs & iniquum ſolet videri. Quorum adhuc pertinacia apud regium ſenatum perſeuerat, ſtudiorum ardorem ea re ſublata perire clamitantium. Sed cum in honorum petitione ea lex ſeruari ſemper debeat, vt quam quiſque meretur dignitatem ea contentus ſit, & maiorem etiam oblatam recuſet, & ad præſtantiorem deferendam eſſe iudicet, vt ſeptem Græciæ ſapientes in tripode aureo recipiendo fecerunt, humanæ tamen naturæ vitio quiſq; res ſuas immodice amat, & maiora de ſe quam æquum eſt concipit. Quare nulla poteſt grauior eſſe peſtis ad reip. tranquillitatem tollendam, quam ſi ea ratione honores tribuātur, vt de multis pariter in re aliqua iudicium fiat, & pleriſq; neglectis alii publica ſententia præferantur. Nemo eſt enim qui ſe contemni velit, & pauci alios prælatos patiuntur. Quare qui parum ingenio & virtuti fidunt, preces importunas, epiſtolas ſolicitatrices, minas deniq; plerunq; adhibent, vnde egregię meriti de ſuis locis pelluntur, & ipſi primarias appellationes manibus (quod aiunt) illotis vſurpant. Hac de re Ludouicus Catena Cancellarius multis in locis grauiſſime conqueſtus eſt, ſed nullibi prudentius aut elegantius, quam in oratione anno ab Academia condita XXVIII. ad competitores de liberalium diſciplinarum titulis habita. Sed tandem anno ab Academia condita LIIX. ſupremus regius ſenatus illum locorum ordinem abrogauit, quanquam multis indigne ferentibus, qui maximos ſtudiorum aculeos retundi clamabant, quos illa locorum æmulatio ſubminiſtrabat. Inter cætera quæ per Ximenium prudenter ſunt conſtituta, illud etiam (vt alibi ſcripſimus) memorabile eſt, de redituum incrementis in noua collegia ædificanda conſumendis. Hinc factum eſt, vt anno ab Academia condita XX. Matthæo Paſchali Catalonio rectore, homine theologo, & nõnulla linguarum peritia inſtructo, in boniſque authoribus aſſidue verſato, trilingue collegium Hieronymo dicatum ſit. Triginta adoleſcentes, quorum duodecim in eloquentię arte exercentur, duodecim Græcis literis incũbunt, ſex Hebraicam literaturã diſcũt, perpe-

tuo ibi aluntur. Nam præterquam quod ſacra Pontif. decreta linguarum peritiam in Academiis excolendam adhortantur, pullulantium circa religionem ſectarum inuentores qui ſe fontes ipſos ſacrarum literarum petere præ ſe ferunt, quantum viris theologis neceſſaria ſit, improbitate ſua declarauerunt. Sed quoniam ex Ximenii lege, ſingulis grammaticorum collegiis, ſeni qui Græcas literas profiterentur adſcripti fuerant, duodecim illi in nouam Hieronymi ædem ſunt tranſlati. Habet vniuſcuiuſq; linguæ familia certas quaſdã leges præſcriptas: nam rhetoribus declamationes, Græcis in Latinam linguam verſiones, Hebræis interpretum ſacrorum librorum differentiæ demandantur. Hæc domi inter ſe crebro meditantur: nam quotidie ad epulas aliquod laboris diurni teſtimonium, à nõnullis eorum ſiue per prorectorem deſignatis, ſiue ordine ita exigente, poſcitur. Nonnunquã in publicum proceditur, atq; rectore præſente, & Academiæ patribus, magnaq; omnium frequentia, fructus ſtudiorum conſtat. Triennium ſingulis in ea æde commoratio conceditur: tantuſq; fit in linguis profectus, vt inter cæteras Academiæ Compl. laudes hæc potiſſima haberi poſſit. Certe ab eo tempore ita bonis literis pleriq; exculti ſunt, vt pauciſſimi quiq; reperiantur, quos Græcæ aut Hebraicæ citationes remorentur. Ex hoc ſeminario principum & optimatum filiis inſtitutores egregii dantur: & grammaticorum per vniuerſam Hiſpaniam gymnaſia, ad iuuentutem inſtituendã excellentes præceptores ſortiuntur: deniq; eloquentiã cum ſapientia ita feliciter oẽs coniungunt, vt vel theologis ipſis, q olim monſtro par eſſe videretur, Cicero placeat & Demoſthenes, atq; ſcripta Platonis & Ariſtotelis ſua lingua legant. Igitur ſi quis ex nouis cum incrementis, tum diuiſionibus collegiorum, numerũ ad calculũ deducat, nouem cõtubernia eſſe reperiet: iuuenes vero, qui in eis aluntur, pluſquã ducentos. Quod ſi collegiorũ præfecti, & famuli annumerentur, vltra trecentos eſſe deprehendemus: qui omnes perpetua Ximenii liberalitate ſingulis diebus ad vitæ vſus neceſſaria ſuſcipiunt. Quod ſi Ildephonſi collegas, & capellanos, cæteroſq; miniſtros computaremus, ſummã quadringentorũ hominũ excederent, qui à Ximenio perpetuo veſtiuntur & aluntur. Inter hos, iuxta Ximenii de conditione eligendorũ legem, qui ex Toletana diœceſi ſunt, non ſine magnis rationibus præferuntur. Nam & Academiæ Cõpl. conditor in hac diœceſi eſt natus, & Toletanus præſul fuit, huiuſq; regni Toletani opibus omnia conſtruxit, & reditib. locupletauit. Accedit etiam Toletani cæli benignitas, quæ ad omnes diſciplinas & artes aptiſſima ingenia producit: vnde merito illis ſubuenitur, præſertim ſi patrimonii anguſtia premantur. Huius trilinguis collegii gratia, Academia Salmanticenſis legatos Complutũ miſit, Ioanne Ruizio rectore, qui formam & inſtituta non ſolum intuerentur, ſed accurate tranſcriberent. Cupiebant. n. & ipſi collegiũ trilingue conſtituere noſtro perſimile. Ergo paulatim Academia Compl. in tantã creuit magnitudinẽ, vt inter orbis Chriſtiani ſcholas celeberrimas annumeretur, & eius in rebus arduis & grauiſſimis ſententia, ſemper requiratur, & apud oẽs magno in pretio ſit. Permulta ſunt huius rei teſtimonia, aliquot tamen referam. Statim ſub naſcentis Academiæ initiis, cum Eraſmi Roterodami ſcripta paſſim apud omnes legerentur, & nonnulli apud regem contenderent, multa eſſe in eius libris, aut temere aſſerta, aut affinia damnatis dogmatibus, aut arrogãter ſcripta: viſum eſt, vt cenſura de Eraſmi operibus fieret. Ergo Pintiã theologorum conciliũ, per Alphonſum Manricum cardinalem Hiſpalenſem archiepiſcopum, & inquiſitorem maximum indictum eſt, à quibus ea res diſceptaretur. Complutenſes inter primos ſunt vocati. Petrus Lerma ſcholæ Cancellarius, & Petrus Siruelus illuc venerunt: ex quorum ſententiis ſtudioſe auditis, permulta Manricus vt fieret decreuit. Anno ab Academia condita XXII. Chriſtophoro Loaiſa rectore, cum Enricus octauus, Anglorũ rex, Catharinã vxorem fœminã pudiciſſimam, Ferdinandi regis catholici filiã repudiaſſet, Romani Pont. poteſtate in dubiũ vocata, qui nuptias cũ prioris vxoris ſorore ratas habuiſſet, Academia Comp. ſentẽtiam ſuam dixit, Carolo Cæſare poſtulante. Anno vero XL. Ferdinando Barriouero rectore, cum noui orbis per Hiſpanos patefacti indigenæ, duro & acerbo ſeruitio à militib. noſtris premerentur, ſeruos eos eſſe cõtendentibus, quaſi barbari homines, & cõtumaces, palamq; Chriſti religionem auerſantes, iure belli iuſtiſſime capti eſſent: Geneſius Sepulueda, vir noſtra tẽpeſtate doctrina & eloquentia illuſtris, illorũ cauſam libello elegantiſſimo, aliis contra aſſerẽtibus, defendebat. Huius rei cognitio noſtræ Academiæ cõmiſſa eſt: quæ poſt longã cum Geneſio diſputationẽ, hiſce verbis ad regium ſenatũ ſcripſit: Doctrina huius libri accurate probat quod aſſumit: ſed quoniã non eſt ſatis tuta, librum hunc imprimi aut euulgari æquũ non eſt. Atq; ita iuxta Complutenſis Academiæ decretũ factum eſſe, in hunc diem videmus. Anno XLV. Entrena rectore, cũ libri canonici hæreticorũ noſtri tẽporis flagitio vitiati eſſent, & multa paſſim bibliorũ ſacrorũ volumina, ab illorum excuſoriis officinis annotatiunculis pernicioſis, & capitulorum peſtilentib. periochis fœdata, circunferrẽtur: vi-

tur: visum est Ferdinando Valdesio, Hispalensi archiepiscopo, & inquisitori maximo, vt ea per viros doctos & orthodoxos pristinæ puritati restituerentur: huic negotio Academiam Compl. elegit, cui eam curam commendauit. Theologi patres inter se laborem partiti, facile rem necessariam perfecerunt: ex quorum censura formula præscripta est, vt expunctis peruersis quæ notarunt dogmatibus, libri distrahi per bibliopolas possent, quiq; essent distracti tuto retineri. Anno vero XLIII. Roldano rectore, Philippus II. Hispaniæ rex quanti faceret Academiam declarauit: nam cum ipse adhuc iuuentutis princeps, nondũ mole rerum occupatus, ad eam visendã nonnunquã diuerteret, eiusq; institutis & studiis caperetur, collegiũ Compluti instituere decreuit, in quo ministrorũ aulicorum filii, quorũ angustæ facultates essent, aliquotq; etiã Academiæ adolescentes alerẽtur & instituerentur, quẽadmodum eorum etiam filiæ (vt alibi scripsimus) donec aut nuberẽnt, aut religioni sese addicerent, in S. Ioannis, cognomento pœnitentis, cœnobio, quod à Ximenio ædificatũ Compluti fuit, Philippi liberalitate pascuntur & instruuntur. Illud etiam insigne beneuolentiæ in nostram Academiam argumentum fuit: nam post Caroli patris cessionem, regnorũ moderatione suscepta, mandata ad Academiam dedit, vt quod in cæteris ditionis suæ vrbibus de more in Castella fiebat, ipsi quoque facerent: vexillaq; sustollerent, ipsumq; regem Hispaniarũ acclamarent. Hoc Agesio rectore, anno ab Academia condita LVIII. ingenti lætitia & apparatu factũ fuit. Sic præsidium potentissimũ Academiæ nostræ datum est, ne quid aduersus eam, Archiepiscopi Toletani deinceps tentent: quã eo honestissimo mandato, & fauoris pleno, sibi rex propriam & peculiarem fecisset. Certe inter alia monumenta, hoc etiam Academia Complutensis perpetuo asseruabit: vt posteritas intelligat, quanti à rege potentissimo facta fuerit. Diximus supra, theologorum collegium, quod matris Dei cognomine appellatur, eo proposito ædificari à Ximenio cœptum, vt ibi pauperes scholastici, si quando ægrotarent, medicorũ nostrorũ opera, & Academiæ sumptu, in pristinã salutẽ restituerentur: aut si morbi grauitati succũberent, id solatium parentes haberent, omnem diligentiam ad eos curandos adhibitam fuisse. Est enim acerbum & graue nuntii genus, cum is morte immatura interceptus dicitur, quem aut senectutis præsidium, aut decus suæ gentis, aut columen familiæ, literarum beneficio olim fore sperabant. Semper enim aliquid incautis iuuenibus, suorum cura in peregrina regione destitutis, per incuriam accidisse existimatur, quod vitam præter fati rationem ademerit. Ædium illarum angustiis Ximenius offensus, in eum quem diximus vsum conuertit: animo tamen semper voluebat de ægrotorum contubernio ædificando. Nam & in legibus quæ de collegiis sunt, Valetudinarium diuo Lucæ ædificari præcipit: eiusq; formam diligenter præscribit. Regni tamen gubernatione. quam statim suscepit, retardatus, morteq; inter hæc præuentus, quæ nullo non tempore viris excellentibus immatura accidit, vnum id ex destinatis ad Academiam consummandam operibus, neque attingere neque dedicare potuit. Seruata est ea laus Ioanni Angulo, Eugeniani grammaticorum collegii patrono. Is enim cum sæpius rectorem, & Ildephonsi collegas de ea re consultantes videret, nihilque tandem perficere, scholasticos ægrotantes miseratus, quos ad publica oppidi valetudinaria indignissime deferri videbat, vbi præter priuatas sordes, quas inter viles homines decumbentes tolerare necesse erat, negligenter & malignè curabantur, anno ab Academia condita XXXII. Ioanne Vergara Conchensi rectore, spatiosas ædes, quas extra oppidum ad eam portam, quæ tunc Iudæorum, nunc diui Iacobi appellatur, possidebat, in Valetudinarii vsum Academiæ dono dedit, cum perpetuis aliquot reditibus, prout eius fortuna patiebatur: cubicula singulis ægrotis, vt Ximenius proposuerat, sunt diuisa. Id cum rectori & collegis pergratum accidisset, Ximenii mandata in memoriam reuocantes, quãuis ex Anguli benignitate ægrotis esset pro facultate satis factum, vt rei præclaræ ipsi quoq; incrementũ adderent, frumenti centum quinquaginta trimodios, centum item aureos nummos in singulos annos à collegio in vsum ægrotorum pendenda constituerunt. Hæ tam amplæ ædes diuo Lucæ dicatæ sunt, quod is medicus fuisset: sic.n. Ximenius faciendum proposuerat. Oblata est Academiæ patribus, cæterisq; viris studiosis satis honesta occasio pietatem colendi. Permulti enim cubicularĩã supellectilem, alii perpetuos prouentus his ægrotantium ædibus attribuunt. Valladarus, de quo supra diximus, hoc Valetudinarium, suum ex asse hæredem esse voluit: vnde plusquã ducentorum aureorũ summa quotannis fit. Petro Salasio Cisterciensis ordinis sodali, homini ad hæc munia obeunda perstrenuo, deinde eo mortuo Ioanni Seguræ doctori theologo, disciplinarum mathematicarũ professori, domus cura commissa est: quorum prudẽtia & solicitudine ea est eius loci lautitia & mundities, vt nonnulli ex primariis Academiæ viris, in eam se domum curandos deportari frequenter iubeant. Post Ximenii mortẽ egit aliquoties Academia de mutandis ædibus, non quidẽ leuitate aliqua & animi inconstãtia,

ſed magnis de cauſis,quas nunc lectori planas faciemus, ne hanc hiſtoriæ partem reliquiſſe videamur. Poſt tumultuoſam illam ſeditionem, quam viuente Ximenio Carolus Mendozius ſopiuit,longa quies Academiæ & indigenis Complutenſibus fuit. Sed tertio poſtquam Ximenius viuere deſiit menſe,ex leuiuſculæ rei initio, vt omnium mortalium fœlicitates lubricæ ſunt, ea paulatim certamina inter Academiam & Compluti incolas adeo infenſis ſtudiis exarſerunt, vt non modo Salmanticam vrbem opulentam, & ſtudiorũ ratione ad conuiuendum perutilem, ſed quouis potius terrarum tranſmigrare Academiæ patres deliberarint. Anno ab Academia condita x. poſtridie Non. Ianuarias,qui dies Chriſtianis hominibus,ob Magorũ aduentum ad Chriſtũ recens natum adorãdum, religioſus cumprimis eſt,adoleſcens quidam Arenillas nomine,formoſæ puellæ amore captus, cum forte ad eius ianuam,quæ in fronte ſpacioſæ plateæ,de qua ſupra diximus,ſita erat,ſpatia aliquot laſciuo gradu & effracto geſtu faceret: Carillus quidam, vnus ex his qui Ildephonſi collegio eo tempore famulabantur,illius mulieris cognatus,adoleſcentis petulantiam non ferens,cui iam pridem ea de cauſa infenſus erat,non deſines(inquit) ô bone,fœminam pudicam in loco oppidi celeberrimo ſolicitare? Quod ſi minus te mouet diei religio,erubeſce ſaltem prætereuntium oculos,tuam tacitis nutibus impudentiam auerſantes. Ad hæc verba indignatus adoleſcens,ſtricto gladio in Carrillum fertur:qui quoniam inermis ex Academiæ more,quo pacto vim illatam propulſaret,non habebat,intenta voce Academiæ auxilium implorat. Idq; cum ſæpius alta voce inclamaret,momento temporis tantus confluxit Academiæ populus,vt multi oppidani,ne Arenillas à multitudine furente occideretur, qui etiam Complutenſes appellabat,conuenerint. Ergo mutuo ſeſe ferociter intuentibus, in eum furorem noxio quopiam inſtigante dæmone venerunt, vt ſeſe ictibus ſæuis impeterent,& cladem,vaſtitatem,& internecionem mutuam minarentur. Cum acrior in ſingula momẽta concertatio fieret,monachus quidam ex ſcutiferorũ ordine, quos vulgus mercenarios appellat,linteum quo ſub meridiem dormiturus caput alligarat,in vſum fundæ ꝓ tempore conuertit, & Ramirium Complutenſem, armorum apparandorum magiſtrum, tam certo & valido ictu percuſſit, vt pectus comminuerit, & in omnium conſpectu exanimẽ proſtrauerit. Vargas regius ſenator,qui pecuniæ Vzedanæ deferẽdæ gratia non ita pridem Complutum venerat,equo ſublimis in aciem progreditur,multiſq; obteſtationib. regis nomine ad vtroſq; factis,cum & ipſe quoq; lapidibus impeteretur, furenti populo tantiſper ceſſit,& in ſacram Dei genitricis ædem,quæ in poſtrema plateæ parte eſt,ſeſe quamprimum potuit recepit: & templi parochum veſtibus ſacris indutum,Chriſtiq; corpus manibus geſtantem, ad eos continuo vt prodiret curauit: ad cuius præſentiam religione tacti ſedatioribus animis ira compreſſa eſt. Michael Carraſcus rector,& Vargas regius ſenator, increpationibus & minis ad paulo iam ſobriores contenderunt, vt armis depoſitis diſcederent:ꝙ & fecerunt,ſicq; finem certamen habuit:quanuis odia nõ perinde deſierint,quę in multam poſtea ætatem durauerunt. Obuerſabatur ante patrum oculos,inconditus ille oppidanorum frementium furor,quo veluti rabie correpti, inclytam Ildephonſi ædem, augurato conditam,ſeſe in eo tumultu demolituros non ſemel iactauerant. Terrebat Cõplutenſium animos prompta illa adoleſcentum audacia, qua extrema omnia aduerſus eos implacabiles tentauerant. Quare cum ſimilia certamina quotidie expectarentur, tunc primum de Academia in alium locum mutanda, deliberari inter patres & collegas cœptũ eſt: cum præſertim opportuna occaſio alioqui ſe obtuliſſet, Hieronymianis Lupianenſibus,ad ædem Ildephonſi vſibus ſuis peraccommodam, quouis pretio & conditione emendã paratis. Madritum & Guadalfajara, quas olim Mantuam & Caracam fuiſſe exiſtimant,altera ad orientem,altera ad occidentem,confines Compluto vrbes, de recipienda Academia inter ſe contendebant. Nam epiſcopus Placentinus huius Vargæ,de quo nuper diximus, filius,in patriæ gratiam, cuius ingens futurum incrementum ex Academiæ aduentu proſpiciebat,largiſſima pecunia vt Madritum venirent inuitabat. Petrus Siruelus,vt cum Madritenſi ſenatu de ea re ageret,legatus eſt miſſus. Quo minus tamẽ factum id fuerit, Frãciſcus Prato Madritẽſis decurio in cauſa fuit: qui gentẽ in lubrico ætatis poſitã,atq; ex diuerſis nationib. conſtantẽ,poſtremo recenti finitimorum hominum exẽplo odioſam,in partẽ ciuitatis aſſumendã non eſſe dictitabat. Quod potiſſimum Madritenſes deterruit,id fuit,ꝙ ſub finẽ orationis à decurione dictum eſt. Vrbẽ hanc noſtrã ô ciues(inquit)à regib. frequenter habitari noſtis:inuitãtur enim cæli ſalubritate,& rerum omnium in hoc loco abundantia, ſed potiſſimum iucundiſſimis nemoribus, Pardo & Aranſueſo tam prope poſitis, quorum hilaritate & aſpectu,rerum publ. tædia voluptate honeſtiſſima diſcutiuntur. Præcluditis igitur regum aduẽtum,ſi Academiã Complutẽſem recipitis. nouamq; ſibi in hac potius regione vrbẽ reges noſtri condent,quã penates cõmunes cum ſtudioſa gente habeant. Nam

quî conueniunt negotia cum musis? quî detrita philosophorum pallia cum augusta principum purpura? qui diffluentes voluptatib. homines, cum frugalibus? Certe ꝓuidis principibus quietem literariã aulico strepitu interturbare animus non erit. His dictis cum mẽtes suorum ab Academiæ cõiunctione abalienasset, re infecta ad Academiã Siruelus discessit. Guadalfajarensib. cum illa nota essent, cõmodorum suorum soliciti, ad Academiã legatos miserunt, qui in vrbe sua nõ modo situm & locum, sed annuã vini & olei quantitatem non contemnendã, & in totum quadriennium ad diuersandum, non illauta & gratuita hospitia pollicerentur. Erat hæc Guadalfajarensium amplectẽda conditio, multo magis quã vllius alterius oppidi: nam & locus amœnis montibus, quos vocabulo Arabico Alcarianos, hoc est mirabiles & spatiosos vocant, cingitur: vnde auræ salubres assidue flantes, cæli temperationem gratissimã faciunt: fontibus etiã gelidis scaturiens, æstum corpora sub cane inflammantẽ mitigat, & per totum deinceps anni tẽpus solum pingue & fœcundum est, ad necessarios vitę vsus. Proinde si quis illã collium hilaritatem, syderum fœlicem influxum, Henaris fluminis irrigationem, quã liquidiorem & amœniorem habet, quã tractus Cõplutensis, contemplari velit, statim eandem cum Alphonso Fonseca archiepiscopo Toletano acclamationem faciet: qui sæpenumero demirans dicebat, hoc esse in rerum natura obscurum & abditum, vnde in tam breui locorum interiectu, tanta terrarum dissimilitudo proueniret: nec enim sibi quatuor leucarum (vt nostri dicunt) distantiam videri, sed quadringentarum. Adeo cæli & soli dispositio, longe aliæ vtroq; in loco sunt. Multum in hoc Academia inclinabat, gratiæq; sunt Guadalfajarensibus actæ, quod tam humanis conditionibus rẽp. literariam ad se pellicerent: sed ne gymnasium suum illuc transferrent, gentis Mendoziæ aulam in causa esse, quæ nimirum peculiari quodam genio eam sibi sedem elegisset, quam cum fortunatum patronam colerent, nullo pacto quietem interturbare volebant. Quare ad concordiam cum Complutensibus, Ximenii voluntati obtemperantes, sese componere conati sunt. Tandẽ ab illis temporib. ea animorum consensio ex mutuis cõmodis & beneficiis contracta est, vt æterna futura existimetur: tot præsertim ædificiorum molibus, & tot amplissimis operib. pignorũ loco & obsidum extructis. Hunc externum cum Cõplutẽsibus tumultum, intestina & ciuilis seditio biennio post excepit. Nam anno ab Academia condita XIII. cum Carolus ad Belgas rex Romanorũ designandus, Hispaniis relictis profectus esset, grauesq; illi populorum motus, qui per ea tempora Hispaniam afflixerunt, exorti fuissent: nulla ciuitas, aut oppidum, aut vicus fuit, qui non ciuilib. discordiis concuteretur. Ildephonsi etiam ædes consuetis factionibus laborarunt, & communi reipub. contagione inuadente, Academiæ populus desertis musarum studiis, furia aliqua mentes hominũ tunc occupante, ad domestica prælia acrius quam vnquam se conuertunt. Quoties igitur in Ildephonsi æde senatus de rebus literariis per rectorẽ Hontagnonum cogebatur, qui rem facere ex voto non valebant, ꝙ potentia & suffragiis minores essent, furore ex temporum calamitate concepto, illico ad arma conclamabant. Sancitum est in Ximenii legibus, vt vltra numerum collegarum, aliquot studiosi & ingenui adolescentes, quos portionistas Ximenius vocat, impensis victus (prout ille taxat) exolutis, intra ædem Ildephonsi à collegis reciperentur. In qua quidẽ re variatum aliquoties est, nã cum rerum domesticarũ externos testes habere displiceret, ex Romani pont. cõsensu ea lex abrogata fuit. Nũc tamẽ Academia crescente, virisq; nobilibus ad natorũ suorum institutionẽ eam mansionẽ à collegis petentibus, ad reip. literariæ vtilitatẽ, quibus procerũ fauor necessarius est, pertinere visum fuit, antiquatã legem reuocare. Erat igitur in Ildephonsi collegio per illud tempus, inter portionistas iuuenis quidã, excelso & generoso animo, atq; maiorum nobilitate clarus, Alphonsus Petreius Guzmanus nomine, Ramirii Guzmani Legionensis, Toraliæ ditionis domini filius. Rector Hontagnonus & Vltramontani collegæ, hunc sibi ducẽ quẽ sequerẽtur elegerunt. Contra Bætici & eorum clientes, illorum conatib. & decretis, quanuis rectore aduersante, forti animo se opposuerunt. Aderat Bæticis consiliorum hortator & princeps, Petrus Gasca, qui Seguntinus Pontifex nunc est, corporis statura, & vultus specie parum cõmendabilis, ex ignobili vico in Abulensi tractu ortus, sed iuuenis ingenii solertia, & senili quadã maturitate, ad res omnes prudenter & sobrie peragendas præditus. Hic postea Compluto Salmanticam concedens, theologicis studiis relictis, breui iuris vtriusque peritiam nactus, atq; ad res graues à regibus nostris gerendas accersitus, magnã quidem animi virtutẽ ostẽdit. Nam in senatum inquisitorum ascitus, & ad Mauricæ gentis tumultus sedandos Valentiam missus, quantũ prudentia polleret ostendit. Et postremo orbis noui Peruanos motus, totamq; illã Pizarrorũ fratrum erectionẽ, qui velut sub alio sole degẽtes inexpugnabiles esse credebantur, admirabili animi præstantia supplicio de tyrannis sumpto, abstulit: & prouincias post tã vastum Oceanum positas, consilio suo & prudẽtia pacauit. Vnde admirabi-

li temperantiæ exemplo, eadem veſte amictus quam illuc detulerat, & quidem detrita, & pileo etiam eodem in Hiſpaniam rediit. Quod de Athenienſi Ariſtide authores Græci referunt, cum ad Ægei maris inſulas tributorum componendorum cauſa, à ſuis ciuibus miſſus eſſet. Ergo vecordes & inſani iuuenes ſtudiorum ſuorum obliti, cum nocte qua in priuato ſenatu per rectorem habito, res contra Bæticorum ſententiam geſta eſſet, idq; principes eorum male haberet, de rectore cæteriſq; tranſmontanis confodiendis conſilio inito, vna impetũ facere decernũt. Suſtuliſſent eos è medio, niſi vigiles oppidi cuſtodes, qui temporis turbulenti ratione acrius nocturnis circunluſtrationib. intendebant, illac ad multã iam noctẽ forte tranſeuntes, dimicantium ſtrepitũ, funeſtaſq; voces clare per noctis ſilentiũ audiuiſſent. Fruſtra tamẽ grauiſſimis repagulis obſeratas portas, aut reſerare aut infringere tentarũt. Quare igne ad meridianã ianuam, aut quod aliqui malunt, ad ſodalium Franciſcanorum poſticum, q́ iuxta illam ſitum eſt, admoto, iter ad eos patefactũ fuit. Præfectus oppidi & ſatellites ingreſſi ſcholaſticos homines, in quorum olim diſputationib. concertatio quædam togata à ſedentibus conſerebatur, nunc ab infeſtiſſima & cruenta pugna, qualis nunquam inter immanes milites commiſſa fuiſſet, mutuis ſeſe vulneribus afficiẽtes, vix vt ceſſarent efficere potuerunt. Rectorem in ea nocturna pugna mortis periculum ſubiiſſe ferũt, Cueto Cordubenſi, qui poſtea monachus factus eſt, hominem vrgente. Illi motus in collegio durauerunt, donec Cæſaris aduentantis auſpiciis, & regulorum eius maieſtatem fideliter tuentium ſtrenuitate, totius regni tumultus ſunt ſedati: reſpublicaque ipſa ad priſtinam tranquillitatem, & legum noſtrarum obſeruantiam reſtituta. His ipſis diebus Antonius Acunius Zamorenſis epiſcopus, qni vnus ſpe Toletani pontificatus regiam in primis authoritatem conuellebat, Compluto iter faciens, cum Fernando Pintiano Gręcarum literarum profeſſore, qui maxime inter alios popularis habebatur, arcanis cõſiliis egiſſe fertur, vt pollicitis optimatum eius oppidi animos ſolicitaret, eoſq; in popularis ſtatus fauorem quanta poſſet diligentia pertraheret. Sedulam operam in ea re Pintianus nauauit: nam quem vnum cæteros pellicere poſſe exiſtimauerat, tum quod familiæ nobilitate illuſtrior, tum quod clientelis potentior videretur, Alphonſum Caſtellam præfracti animi, nec multum opibus affluentem iuuenẽ, vana ſpe & promiſſis lactatum, ſexagenis millib. nummũ in ſingul. annos interim oblatis, vt partes populi ſuſciperet effecit. At rebus paulo poſt in contrariũ mutatis, totaq; illa tẽpeſtate diſcuſſa: popularibus in ordinẽ redactis, illorumq; ducibus capite multatis, cum Caſtella Pintianum vt promiſſa perficeret vrgeret, illeq; rerum mutatione ſe excuſaret: Caſtella magis ob reip. proditæ pudorem, quam quod promiſſa à Pintiano homine priuato exigenda arbitraretur, gladio ſtricto in illum irruit, & brachium viri eruditiſſimi vulnerauit. Ob eam iniuriam ab homine potenti illatam, quem vlciſci non poſſet, relicta Compluto, Salmanticam Pintianus, non ſine magno Academiæ dolore, conceſſit. Erat .n. Græcis & Latinis literis cumprimis eruditus, magnuſq; ad eas ingeniorũ excitator. Recenſuimus ſuperius, quemadmodũ Antonius Nebriſſenſis timere ſe dixerat, ne Complutenſis Academia, quæ in oppido ad ditionem archiepiſcoporum Toletanorum pertinente ædificabatur, perpetuas lites cum illis habitura eſſet, tum de iuriſdictione, tum de ſacerdotiis conferendis, aut fortaſſe leuioribus de cauſis, vt ſunt potentũ animi facile irritabiles. Ergo poſtquã primam partẽ confecimus, magnis viris annumeratis, qui poſt Ximenii mortem ab eius Academia exierunt, & de diſcordiis diſſidiiſq; cum ciuibus Complutenſibus: ſupereſt, vt quemadmodũ iuxta ſenis Nebriſſenſis vaticinium, ab archiepiſcopis Toletanis fuerit Ximenii Academia agitata & exercita, exponamus. Ergo poſtquam Guilielmus Croius qui Ximenio ſucceſſerat, intra annum, nondum viſa Hiſpania obiit, Alphõſus Fonſeca ad pontificatũ Toletanum aſſumitur. Is vt moribus perurbanis, & clemẽti animo præditus erat, Academiæ rebus iniquus non videbatur. Palam enim prædicabat, Complutum Academiæ cauſa ſibi veluti pretioſum margaritum eſſe. Tamen ſimultatis quam cum Ximenio quondã exercuerat, & doloris ex ea concepti memor, cõquiſitis cauſis Academiam cœpit diuexare. Duæ potiſſimũ res fuerunt, ob quas Fonſeca vindictã optabat, altera quidẽ omnib. nota, quã nos etiam diximus de Compoſtellano antiſtite à Ximenio iure primatus inhibito. Hanc ſimultatis cauſam dicto aculeatiori Ximenius auxit imprudẽs: nam cũ anno inſequenti Compoſtellanus à Ferdinando rege impetraſſet, vt apud Pont. Max. liceret agere de archiepiſcopatu Compoſtellano in Alphõſum filium transferendo, ſibi ne gradu honoris decederet, Patriarchæ Alexandrini titulo cõceſſo, Ximeniũ inter ſermones familiares, ad ꝓceres priuatis dicteriis inſolentiã rei notãtes dixiſſe ferũt, pontificatũ Cõpoſtellanũ gentilitiã hæreditatem ex reſtitutione eſſe factũ, ꝓinde diſpiciendũ eſſe, an fœminarũ exceptio facta fuiſſet: acerbo ſcommate prolem vtriuſque ſexus in Alphonſo perſtringens, nec non regis Ferdinandi parũ iuſtam conceſſionem: cuius ipſum poſtea pœnituiſſe Cara-

ualus in annalibus author est, At secunda illa posterius multo gubernationis Ximenicæ tempore, ex notis arcanis ad Carolum regem scriptis exorta fuit. In iis Ximenius suæ modestiæ nonnihil oblitus, paulo liberius in Fonsecę mores inuehitur. His igitur de causis, aut fortasse quod ita ad rem suam pertinere Fonseca arbitraretur, primum sacerdotia ecclesię Iusti & Pastoris, quæ per Alphonsum Carrillum Archiepiscopum Toletanum instituta sunt, suæ distributioni & curæ afferenda omnino cōtendebat: cum id regio ea de re diplomati in Academiæ fauorem concesso palam aduersaretur. Deinde quoniam Pont. Max. priuilegio Ildephonsi sacerdotes rectori Academiæ subiiciuntur, & ab eo in mores eorum inquirendum est, iniquum esse, aut potius flagitiosum proclamabat, si suæ ditionis clerici alium quam ipsum iudicem haberent: eam esse inquiens, dum se rector, & illi mutuo, iuxta prouerbium, scabunt, peraccommodam ad peccandum licentiam. Idcirco quo iure, quaq; iniuria, de eorum moribus conquisitionem facere est aggressus: sed hanc vim præsenti animorum constantia nostri repulerunt. Nam simulatque id à canonicis sacerdotibus, recēs è theologis patribus per Ximenium adauctis, rescitum fuit, rectoris ope & præsidio imploratis, in Ildephonsi collegium se receperunt: ibique plusquam triginta dies templo absentes morati sunt, donec Pont. max. tutelares literæ Roma aduenerunt, quibus ea solum Archiepiscopus curare iubebatur, quæ ad templi cultum & preces horarias rite persoluēdas necessaria essent: cæterum morum & vitæ inquisitionem rectori relinqueret. De collatione tamen sacerdotiorum, quæ per Alphonsum Carrillum instituta sunt, quandiu Fonseca vixit controuersia fuit: quod nullo modo in alterius præiudicium, siue per regem siue per summum Pontificem, ea facultas (vt ille aiebat) potuisset concedi. Ergo tutelares illæ literæ quibus in mores sacerdotum inquisitio vexabatur, eius animū eo acrius pupugerunt, quod per ea tempora à regio comitatu sponte absens, Compluti quandiu illi vita superesset, morari constituerat. Nam cum in Cardinalium S. R. E. senatum, priuatis legibus, nothus cooptari non posset, & Cardinales nonnulli in curia Cæsarea tunc diuersarentur, quibus propter eius senatus maiestatem, maior honos quam Fonsecæ Archiepiscopo deferebatur: indignum sua authoritate esse duxit, qui Hispaniarum Primas esset, tam insigni nota quotidie affici. Nam cum ad Augustam aliquando venisset, sellaq; sibi ex earum forma allata fuisset, quæ nullis hinc inde lateribus cinguntur, atq; ea de causa rasæ appellantur: Ioannes vero Tauera Archiepiscopus Compostellanus quod Cardinalis esset, in multo digniori sederet, dolore & indignatione affectus, non multum apud Augustam moratus, aula egreditur, & vltimum vale comitatui regio dixit. Hac ergo occasione, quod iamdiu cogitauerat, Complutum secessit. Secedentem ingens familia secuta est: decreuerat enim Cōpluti amplissime viuere, & animum honeste oblectare. Nam & musicis concentibus lectissimarum vocum ad peragenda sacra vtebatur, & studiosis iuuenibus digna prēmia proponebat, qui conficta themata apud illum eloquentius perorassent. Ad quod spectaculum in ędes Pontificias Academia vniuersa confluebat: & crebro sex, nonnunquam octo declamationes, habebantur. Vbi præter iuuenum disertas orationes, & ambiguam de præmiis sententiam Petri Lermæ Cancellarii versiculi studiose audiebantur, quos aut è Virgilio, quem ille ad vnguem senex memoria retinebat, aut ex alio quopiam Poeta in singulos iactabat. Quale fuit, Lusitano quopiam non inuenuste causam suam agente, multumq; iudices obtestante, ne sibi quod esset Lusitanus, fraudi esset: Tros, Tyriusve mihi, nullo discrimine agetur. Dū hæc in fauorem Academiæ gerebantur, clam per accommodos ministros, non modo iam sacerdotes ipsos, sed vniuersam literariam remp. sibi subiectam facere curabat. Ildephonsi collegium per ea tempora in duas factiones diuisum erat, Bęticam, & Transmontanā, quā Castellanam vocant, Hæ vero cum alternis vicibus in Academia, prout sors dabat, regnarent, qui numero & potentia maiores erant, dignitatib. cathedris, & emolumentis contrarios pellebant: vnde atrocibus odiis inter se laborabant. Igitur Villichio ex Bętica factione rectore Castellani multo inferiores, in magnis angustiis & dolore sunt cōstituti. Peropportunam eam occasionem Fōseca ratus, quamuis tūc Compluti nō aderat, aliquot tamē Academiæ patrib. qui in eius aula versabātur internūtiis, Moiam qui inter Castellanos præstātior habebatur, pollicitationib. permultis inescatum, modo iuri suo renunciaret, & ipsi demum Academiam traderet, cōstituere rectorem parat. Id autem facile factu Fonsecę erat, Bernardini Alphōsi visitatoris opera, qui ex Ildephonsi collegis, quos liberet suffragio priuare poterat. Procuratum est tandē à Bernardino homine multis de causis Fōsecę addicto, vt Moia rector crearetur. Nam sub mensem Augustum, qui secundę visitatoris censurę deputatus est, secretum & obsignatum edictum in Michaelis festo, ne quid remedii interea quęreretur, publicare decreuerat: aliquot ex Bęticis suffragio ad finem Octobris sunt priuati, vt sic eis exclusis comitia de rectore creando pręterirēt. Id edictum, cum apud cēsurę

tabellionem magna cura & studio seruaretur, Didaci Agramontii, & Ioannis Cueuæ Cordubensis & Santacrucii cuiusdam industria, noctu ex scriniis clam est abductũ. Et ne quæstione per antistitis vicarium facta, alicubi gentium edictum compareret, ab eisdem confestim deuoratur. Is enim erat Ioannes Figueroa, vir ingenio vehementi & seuero, qui postea nostro tempore magnis reip. muneribus functus, ad regii senatus præfecturam per Philippum II. assumptus fuit. Qua in re cum Agramontii sedulitas illustrior fuisset, Bedellatus officio per rectorem donatus est. Cum itaque censuræ tempore elapso, Bernardinus nihil contra efficere valeret, & Fonseca tunc spe sua frustratus, postea in Academiam (vt diximus) venisset, atque Castellanorum factionem commutata fortuna, tertio post anno potentiorem offendisset, quod per suos absenti non successerat, præsens maiori contentione aggreditur. Quendam itaque Alexandrum ad se vocari iussum, qui inter factionis Bæticæ collegas & prudentior & cautior habebatur, ad hunc modum alloquutus esse fertur. Miraberis fortasse vir optime, quid ego vestræ reip. (nam ita existimatis) tantopere infestus, te accersi in præsentia curauerim, quem vnum eius amantem ante omnes esse audio, ac proinde mihi (vt vestra fert opinio) minime propitium. Veruntamen hæc ipsa ratio vt tuũ colloquiũ expeterem effecit, cui ex omnib. qui hanc literariam remp. gubernatis, voluntatem meam aperire, & cõsilium approbari volui. Atq; vt primum omnem animi erga vos maleuolentis suspicionem à me remoueã, intelligere te cupio, nihil mihi in tota pontificatus Toletani ditione, siue carius, siue pretiosius Academia vestra esse: idque & passim, & libenter prædico, ac testimoniis quotidie declaro. Nam crebro ad vestras literarias disputationes in collegium venio, & studiosos iuuenes partim publice in vestro cõspectu, partim priuatim inter meos familiares, siue declamantes, siue pugnas eruditas cõferentes ausculto. Verum dum audio, quod de viris theologicis nunquam credidissem, cõtentiones priuatas inter vos esse, odiaq; tãtum inuicem creuisse, vt animis implacabilib. alteri alteros deturbare conemini, totamq; illam literariam quietem, cui vos vir ille ter maximus Frãciscus Ximenius dedicare voluit, amittatis, nõ possum non grauiter dolere, & labãti gymnasio qua potuero ratione succurrere. Id autem si opera tua mihi præsto fuerit, me facile cõsecuturum spero. Fõtem & originem huius mali, qui res vestras penitus nouerũt, in rectoris magistratu, qui prorsus tyrannicus apud vos est, esse aiunt. Nam cum in hãc Academiam ex variis Hispaniæ locis cõueniatis, patriæ nomen apud omnes mortales, natura ipsa dictante, tam sanctum est, vt quoties in transmõtanis imperium fuerit, Pelendonem, vel remotum Cãtabrum, sint Toletano, atq; adeo ipsi Complutẽsi, sine vllo delectu antepositituri: atq; idem Carpetani, & Bætici commutata fortuna in suis sunt facturi. Huic ego malo vnicum remedium esse video, si hic rectoris magistratus auferatur, & vnus aliquis opulentus vir & potens, quem nihil vestra emolumenta moueant, Academiæ curam suscipiat. Ille enim priuatis vestris rationib. liber, æquum sese erga singulos præbebit. Neminem autem huic rei magis cõuenientem quam Archiepiscopum Toletanum inuenio: qui vt potẽtiam, authoritatem, & reliquam omnem amplitudinem taceam, quæ ad populos regendos necessaria sunt certe personæ quam profitetur causa & officii proprii ratione, eruditis sacerdotia largiturus est, & omnibus studiosis suum fauorem præstaturus. Hanc tu si meam sentẽtiam approbaueris, ego te in annum sequentem rectorem esse faciam, dummodo factus fidem tuã des hoc quod dixi, te statim curaturum: & mihi in manus potestatem vestram tradas: quæ multo magis (vt modo se habet) dissidiorum & seditionum fomes existit, quam vllius cõmodi, aut profectus studiosi causa. Et ne te ad tam manifestam vtilitatem torpor aliquis segnis retardet, quamprimum in Toletano templo canonicatus vacuus erit, ego te incũctanter donabo. Defixis humi oculis aliquãtisper Alexander cõstitit, nõ tam reip. suæ proditionẽ cõsiderans, ad quam fucatis causis, & præmio insuper non contemnendo ferme iam persuasus fuerat, quam aduersæ factionis odium, & suæ maiorem potestatem illa ratione futuram. Quare gratiis Fõsecæ actis, quod secum ea de re tractare voluisset, collaudatis eius sermonibus, difficile esse dixit se rectorem creari posse, cum Castellanorũ factio sesquialtero maior quam Bæticorum esset: nec enim tũc sorte, quemadmodũ nũc fit, sed ex maiore suffragiorum numero, rector, vt Ximenio placuerat, creabatur. Facile hoc Fõseca, inquit, modo tu firmus & fidelis maneas, effectum dabo. Iusti & Pastoris canonici, sub Andreæ festũ, ex Ximenii vestri legib. visitatorem, quem vocatis, inter se eligunt, qui in acta præteriti rectoris inquirat, omnesq; alios magistratus exploret. Eius potestas quam lata sit, intelligis: vosq; ipsi sæpenumero apud me conquesti estis, graue iugum & intolerabile à Ximenio ceruicibus vestris impositum fuisse, cum quicquid ille sanxerit ratum sit habendum, neq; vlla ratione prouocãdũ esse iusserit. Hũc ego deligi in præsentia curabo, qui nõ vt cæteri ad omnia annuẽtes, sibiq; gratiã vicissim captãtes, sed rebus diligenter examinatus perspectisq;, iuxta

munus

munus ſuum ſontes vlciſcatur,atq; quatuor aut quinq; ex Caſtellanorũ factione collegas,
quos ego moribus corruptis inter alios eſſe noui,ſuffragiorum iure priuatos, donec comi-
tia Lucanalia prętereant, atque ab octauo Cal. Aug. quando ſecunda inquiſitio agitur, ad
Lucæ diem exulare iubeat. Quamobrem tu ita ſuperantibus Bæticis facile rector ab eiſdẽ
declaraberis. Nam & Ægidius,qui rectoratu fungitur,cui tu imprimis es amicus,vt reliqui
omnes earundem partium ad te creandum ſtatim inclinent,curabit. Senſit tyrannicas te-
chnas Alexander,nihilq; tale commeritos vllos ex collegis Caſtellanis ſciebat,cur ea eſſent
pœna afficiendi. Sed tamen diuerſæ factionis odio,quam omnino ſublatam cupiebat,ad ea
animo lætabundo annuit:& quod antea arduum videbatur,ſine moleſtia & difficultate ita
effici poſſe non negauit. Digreſſi ſunt datis d[illegible] vterq;,ſilentiumq; ante alia pollicentur,
donec ad finẽ optatũ perducta cuncta e[illegible]ander interea ſuos pertentabat; varieq;
ipſis ſermones iniiciebat,de Academiæ ſt[illegible] mutando. Sub Andreę feſtũ, Fõſeca curante,
Albornotius Seguntiẽſis Viſitator factus fuit,vnus ille quidem ex Academiæ patribus, ſed
quem minimo negotio in ſententiam ſuam Fõſeca traheret. Huic magiſtratui in rectoris
pręteriti acta,& mores omnium collegarũ inquirere,ſumma poteſtas abſq; vlla prouoca-
tione,eo tẽpore erat,quam poſteri bonis legib. coarctarũt. Venit,vt mos eſt,poſtridie diui
Andreæ ad rectorẽ & collegas ſalutãdos Albornotius,ſeq; ſtatim iuxta Ximenii legẽ, præ-
ſante rectore,ſacramẽto deuouit,citra vllius iniuriã in eorũ acta inquiſiturum,in quos ſibi
poteſtas ex lege eſſet:neminiq; vnquã reuelaturum,quę vel collegii,vel magiſtratuũ digni-
tati fraudi eſſent futura:nulliſq; verbis,literis aut ſignis,vel pecuniæ impenſæ numerũ, vel
rerum geſtarum notitiam ſignificaturum:omniaq; piè & ſanctè curaturum,quæ ad Acade-
miæ vtilitatem pertinerent. Dum ergo muneris ſui partes exequitur, & anni præteriti ma-
giſtratus examinat,& dati & accepti rationes expendit,quęſtionẽ de morib. ſingulorum a-
gendam,in paucos quoſdã propẽſius dirigebat. Senſerunt illico quorum intererat, Albor-
notium nõ admodum æquũ Caſtellanis futurum:nã per omne fas ac nefas,eorum poten-
tiã & cõditionem labefactare velle videbatur: Hoc Alexãdrum machinarum conſcium in
ſpẽ maiorẽ erigebat,& omnia ſibi ex voto ſucceſſura ſperabat. Elapſi ſunt interea quinqua-
ginta quatuor dies,per quos viſitatori in rectorẽ & collegas ius eſt:cumq; nihil rei nouę ac-
cidiſſet,pauore quem Caſtellani conceperant depoſito,rurſus animis ſedatis quieuerunt.
Inter hæc in collegium Fõſeca vẽtitare,& ne quid beneuolẽtiæ prętermitteret,ludorũ die,
quos poſt Pentecoſten in Chriſti corporis cultum ſplendidiſſimos quotãnis Academia ex-
hibet,epulis eorum,quas tãti cõuiuæ cauſa lautiſſimas collegæ apparauerũt, comitatis ple-
nus accubuit. Inſtabat iam S. Iacobi dies,qui per VIII. Cal. celebratur,quando Albornotius
iuris depoſiti compos denuo factus(durabat enim id ſpatio minori, nẽpe ad IIII. idus Au-
guſti,quod ferme tempus ſemeſtre eſt)cœpit animum ſuum magis prodere:& quibuſdam
cauſis prætentis,quinq; primores Caſtellanę factionis viros per quatuor mẽſes exilio mul-
tat,& ſe magiſtratu continuo abdicat. Collegæ qui ſunt in exilium miſſi: Didacus Wagus,
Martinus Malus,Inachus Angulus,Ioan. Morenus,& Martinus Luiandus fuere. Seceſſe-
runt in proximum Compluto vicum,qui Turriionus Ardozus appellatur,vbi amœnis ru-
ſticationib. prẽfinitum exiliũ traduxerunt. Comitiis Lucanalib. iuxta Fõſecæ votum Ale-
xander rector creatus,Caſtellanis qui rem vt acta erat iam reſciuerant,nõ mediocrẽm cu-
ram iniecit de rep. literaria cõſeruanda,cuius negotia ſub nouacula (quod aiunt) eſſe, Ale-
xandro rectore intuebãtur. Grauiora ſunt enim domeſtica quamuis remiſſa mala, quã vlli
hoſtium duriſſimi incurſus. Quare Caſtellani qui comitiis interfuerunt,interpoſitis appel-
lationis tabulis,eum rectorem ſalutare noluerunt,donec rite comitia fierẽt,exulibuſq; rur-
ſus ſuffragia redderẽtur. Nã Archiepiſcopi Academiæ inſidiãtis nutu ea eſſe facta clamita-
bãt;viroſq; optimos & prudẽtiſſimos ea de cauſa exilio pulſos,vt is tãdem rector crearetur,
qui antiſtitis partes ſequebatur. His querimoniis in tã iuſto dolore effectũ fuit, vt is annus,
quod nunquam cõtigerat,ſine nouo rectore principium habuerit,Ægidio magiſtratũ,do-
nec lis componeretur,in ſexquimenſem & amplius prorogante. Id autem non mediocri-
ter Fõſecam cõturbauit,qui conſilia ſua palam iam innotuiſſe cerneret. Proinde ad regiũ
ſenatum,vbi Caſtellani aduerſus potentiſſimũ aduerſarium cauſam agere cõſtituerãt,pro-
curatores mittit,qui omni criminationum amplificatione Caſtellanam factionẽ onerarẽt,
culpamq; cunctã a ſe depellant,cui id vnũ in primis curæ ſit,vt ſeditioſis hominib. pulſis, A-
cademia indies augeatur. Irritus Caſtellanis conatus fuit aduerſus hoſtem ingentem dimi-
cantibus:nam rectoratus Alexandro confirmatur:& res illas ad ſe non pertinere ſenatores
regii pronuntiarunt. Interea miſſi in exilium redierunt,& tanquam in publico commodo,
quemadmodum viros bonos decebat,depoſitis odiis & ſimultatibus,viros ex Bæticis præ-
ſtantiores ad commune periculum cohortantes, conſilia inire promiſcue cœperunt;

ne quid resp. detrimenti caperet. Cuncti igitur ad eam rem vnanimes, quinque illis ab exilio reuersis, qui ob recentem iniuriam magis Archiepiscopo infensi credebantur, curam rectorem compellandi demandauerunt. Ex quibus Wagus homo priscæ seueritatis & cōstantiæ, qui postea ad Cæsaraugustanos inquisitor à Cæsare est missus, ita in vtriusque factionis cōspectu Alexand. alloquutus est: Si ego solus, & nō potius hi vniuersi præstantissimi viri, ad id persuadendū q̃ in præsentia dicturus sum, animatus essem, fortasse tanquā nihil ꝓfuturus, aut occasionē aliā expectassem, aut ꝓrsus in silētio me cōtinuissem. At cū eiusmodi periculū metuatur, ad quod euitandū depellendūq; omnes animis paratissimis accedere fas est: eorum, quos in conspectu tuo tanta consensione congregatos cernis, meā vocem esse existimato. Quam cum non possint sine tumultu & cōfusione simul omnes emittere, mihi vni prouinciam dederunt, non tam quidem ob eloquentiam, quæ in me parua aut nulla certe est, siue ob maioris prudentiæ opinionem, cum tu ipse vir iudicio eximius, quales hi omnes sint abunde noueris, sed quod rerum præteritarum, & contumeliæ susceptæ causa, mihi maiorem notitiam esse existimant fœderis inter te & Fonsecam Antistitem icti. Quod vt certum esse cognouimus, vobisque tantum non sanguine humano firmatum ita facile vniuersi speramus id te protinus depulsurum, postquam ex meo sermone intellexeris, cuncta ea quæ in Academiæ perniciem clam pepigistis, in lucem tandem prolata fuisse. Neque enim hominibus prudentibus cogitandum erat, viros innocentes per summū dedecus collegio pulsos, omnem operam nō adhibituros, ad huius calamitatis causas præcognoscendas, ipsaq; adeo principia perscrutanda. Fucum ille tibi fortasse fecit, vt est magnus verborum artifex: neq; enim de homine, qualis tu es, incorrupto & probo, vllam proditionem suspicari animus est: tuumque istum rectorium magistratum tanquam seditionum & turbarum fomitem atrocibus verbis insectatus fuit, ac denique nostram hanc optimatum remp. democratiæ nomine traduxit. Et vt sunt omnium potentiorum mores, vbi vim inferre non possunt, pecunia & muneribus impudenter oppugnant: tu aliquid humanū in hac re passus, præmii alicuius ingentis spe eius perniciosis consiliis assensisti. De vtroque breuiter in præsentia dicam: neque enim longa oratione opus est ad tuam mentem tibi reducendam, hoc est, integram, & reip. amicam. Atq; vt ad primum statim respondeā, quantam vigilantiam rectores hactenus adhibuerint ad hanc remp. conseruandam & augendam, numerosus populus tanto cum profectu literarum, & Academiæ nostræ maiestas, in quam tam paruo temporis spatio creuit, argumento & testimonio sunt. Nam cum publ. commodum agi videremus, si æque omnibus in Academiam confluentibus, modo apti ad disciplinas habeantur, aditus ad collegia & cathedras sit, nullusq; fauor aliunde requireretur, præterquam à cuiusq; natura & virtute, conditoris huius gymnasii leges secuti, omnem in hoc operam posuimus, vt cunctis hoc persuasum esse, cōmunem esse literariā fortunam, & pariter opulentis & egenis, nobilib. & obscuris, tardis & ingenio valentib. patere: primum vero locum & honores labore improbo sibi quemq; parare oportere. At quo pacto hoc potuissemus facere, nisi liberis legibus vteremur? nisi in eodē ludo exercitati cuiusq; merita cognosceremus? nisi quotidie eos explorātes, laboris industriam, ingenii acrimoniam, operam indefessam noctes insomnes, inuictam deniq; in euincendis disciplinarum difficultatibus constātiam ante oculos semper haberemus? At id credo Toletanus antistes accurate perspiciet; non mehercle magis quam rex Persarum. Satis illi cum sacerdotibus suis negotiorum est: satis de rege demerendo, de se cæteris præsulibus anteponendo, solicitudinis & ambitionis habet. At id faciet eius vicarius, totaq; illa tabellionum, fiscaliū & lictorum, quibus stipatur, cohors? multò minus profectò: cū vix litib. diiudicandis, dies & noctes illi satis esse videamus. Nostra hæc Minerua ambitione & auaritia vacua, libertatem & otiū requirit, quæ non ab aliis quā à nobis ipsis præstari queūt. At fingamus nos, vt Fōseca dicit, per omnia negligētes esse, nihilq; quod nostri muneris sit curare. An non videtis, vniuersum studiorū profectū, qui vnicus nobis scopus esse debet, ita funditus cadere & perire: Statim ad eius nutum cathedræ dabūtur: gradus qui licētiarum appellātur, quib. à nobis de singulorū studiis iudicium fit, non iam ex cuiusq; meritis, sed ex eius volūtate, aut quod grauius & intolerabilius est, ex suorū ministrorū libidine, cōferētur. Quorū insolentiā non ita pridē experti sumus, quando tu ipse, & competitores tui de theologicis gradibus contendentes, vnius mulierculæ, quæ Maldonato præfecto domus Fonsecæ nupta est, arbitrio res vestras interturbari aperte sensistis. Taceo contumelias & iniurias, quibus per oppidi præfectos nostra iuuentus quotidie afficietur, quibus nescio qua de causa tantopere infensa est. Alterum vero quod dicendum mihi erat, ne te ille, quod minime credimus, præmio aliquo proposito lactauerit, Sentis iam quantū spes huiusmodi fallaut: solēt enim principes viri

viri aureos montes, dum aliquid fieri cupiunt, facile promittere, post rem vero confectam, non solum aut nihil aut perpauca præstare, sed oblique, & nonnunquam aperte proditionem exprobrare: quod Philippum Macedonem fecisse scimus cum eis qui Olynthum illi tradiderunt. Quocirca si quid huiusmodi cum Fonseca pactus es, memento rectorem te huius Academiæ esse, hoc est, parentem, protectorem & patronum: cuius muneris & officii est, seuere in eos animaduertere qui tale aliqnid designarent: & pacta, quæ in manifestam nostræ scholæ perniciem, & in tuum sempiternum opprobrium futura erant, irrita facito: quod diuis & hominibus laudantibus es facturus. Erige, obsecro Alexander te, tuamque vitam tanta hactenus integritate anteactam recolito, cui notam hanc inurere nullo pacto vir ingenuus debes. Habes hic prope sacram aram, & diuum Ildephonsum huius Academiæ tutelarem. nostri conditoris Ximenii ossa, quod si per maximam hanc iniuriam ædes has literarias perdideris, Deum vltorem, & Ildephonsi numen inimicum, & Ximenii manes iratos semper habebis, qui omnibus locis conscientiam tuam terreant, & te grauibus furiis vlciscantur. Hic cum ille finem dicendi fecisset, illico ingens silentium fuit: manifestęq; notæ in Alexandro visæ mutati animi, & culpam deprecantis. Nam & notabiliter expalluit, & lachrymæ sponte sunt illi obortæ. Vt primum igitur voci interclusæ locus datus fuit, omnia prout cum Fōseca conuenerant. exponit, sibique magnis precib. veniam dari postulat, hoc vnum in tanto crimine bonum futurum prædicans, quod se cum Fōseca sic esset gesturus, vt & ipsi suum antiquum animum, & caritatem in Academiam essent agnituri, & ille nullius vnquam animum de proditione esset interpellaturus. Quod tam constanter & fideliter præstitit, vt eius propositū Fonseca demiratus, se anguillā cauda captasse dixerit. At is talem se deinceps toto tempore rectoratus præbuit, vt æque vtrique factioni carus esset: & munere tandem rectoratus functo, libenter erāt si per leges licuisset, magistratum prorogaturi. Verum nō multo post in Hispalensem ecclesiam ab Alphonso Mānriquo Archiepiscopo vocatus, canonicatu & theologica eius cathedra donatus est. Fōseca, aut quod operæ frustra sumptæ eum iam tæderet, aut quod iniquo animo tulerit, Michaele Carrasco, & Ioanne Vergara eius familiaribus indicantibus, Annam Vlloam Frācisci Maldonati (vt dixi) vxorem, curasse vt gradus secundum eius voluntatem distribuerentur, interminatam ni id fieret, Archiepiscopi & totius familiæ indignationem, mirum in modum se continuit. Vidit enim si quod tantopere conabatur effecisset, omnia pro suorum libidine esse iactanda & inuertenda. Interim tamen magna & frequens consultatio rectori, & Academiæ patribus, de mutandis sedibus fuit. Nam ex Ximenii lege aperte inuitabantur, qui prudentissime in hoc quoque prouidit, vt de regum nostrorum voluntate, si quid incommodi ex Cōplutensis oppidi habitatione Academia pateretur, alio continuo migrarent. Cū ergo præsulem, alioqui benignum, tam iniquum erga se experti essent, frequentesq; item studiosorum mortes, ex oppidi loco, & cęlo pestilenti cōtigissent, decreuerunt calamitosis sedibus cedere, & se Pōtificum Toletanorum molestiis liberare, quas perpetuas futuras ex principiis illis diuinabant. Postquam id vulgatum fuit, crebræ multorum populorum legationes venerunt, commodissimas cōditiones offerētes, & caritatem, rerumq; omnium mutuam coniunctionem. Fonseca non sine magna sui nominis iactura, & Complutensis oppidi imminutione, id futurum sentiens, dedit operam apud regium senatum, ne quid tale suo tempore permitterent: quare nihil actum fuit. Quod si tunc effecissent, & suæ libertati Academia cōsuluisset, & multi præstantissimi viri, qui immatura morte non ita pridē occubuerunt, magna studiorum vtilitate nunc starent. Sed huic malo obuiā itum esse affirmant, paludibus illis per emissiones in flumen siccatis, salicibusq; frequentibus, & populis ad eius ripas studiose consitis, quarum attractu nebulæ illæ perniciosę refringuntur, & magna ex parte vi sublata hebescunt. Moritur Fonseca Compluti intercuti morbo, & in eius locum Ioannes Tauera Compostellanus antistes suffectus est, vir quidem quod in elogiis in templo maximo Toleti habetur, temperantia & prudentia eximius. Verum vt illis virtutibus maxime laudandus est, ita iuris quod suum arbitrabatur adeo tenax fuit, vt suis emolumētis quantumuis minutis impēdio plus studuisse dicatur, quam Pōtificem deceret. Nā cum statim vt ad Pontificatum Toletanum designatus fuit, controuersiam sacerdotiorū Iusti & Pastoris cōponere à Cæsare iussus esset, idq; optimis cōditionibus actū fuisset, in mores sacerdotū inquirere voluit: & nihil grauius aut molestius ferebat, quam si Cōpluti præfectus, atq; ipse Taueræ vicarius, diplomatibus quæ Academiæ à summis pōtificib. Alexandro, Leone & Iulio benigne & merito data sunt, à causarum scholasticorū cognitione repellerentur. Sæpe enim accidit, vt nonnulli scholastici iuuentę vitio, noctu vagarentur, aut interdiu rixarentur, qui ab oppidi circitoribus intercepti in carcerem cōiiciebantur, & inter vilissimas custodias vincti tenebantur. Hos rector postquam suæ iurisdictionis esse cō-

Eeeee

pertum erat, vt sibi traderentur curabat. Quod nisi fieret, præfectos oppidi sacris arcebat, & diris (vt solet) deuouebat: monebatque ne Academiæ iuuentutem irritarent. Tauera nõ multo post Complutum veniens, aliquot scholasticorum iuuenum delicta plus æquo apud rectorem exaggerauit, & theologis patribus conuocatis, sese illam remp. mutare velle dixit, quietemque eius perpetuo stabilire. Nam quod Fonsecæ de rectoris potestate imminuenda visum fuisset, sibi quoque maxime placere: cœpitque statim nonnulla scholasticorum errata commemorare, quæ in tanta hominum diuersitate, quales quotidie in Academiam conueniunt, accidere sane necesse est. Quibus expositis ad rectorem conuersus, permulta de eius negligentia dixit: quæ tamen condonabilia (vt aiebat) & ferenda in homine priuato, & literaria tantummodo supellectile instructo essent. Annuo enim magistratu fungens, non erat cur sibi inimicos compararet, quibus vlciscendis omnino impar futurus esset. Idcirco ex Salmanticensis gymnasii exemplo, magistrum scholarum se velle constituere, qui censu suo & fauore adiutus, Academiam tranquillam teneret, omnesque eas iurgiorum causas obliteratas è medio tolleret: idque se apud regem continuo curaturum. A quo si id obtinere nequiret, vel pedibus Romam iter facturum, vt id à Pont. max. impetraret. Dura oratio rectori, & patribus theologis fuit, tantique præsulis authoritate indigna: cęterum magistrum illum, quem dicebat, scholarum, se suscepturos responderunt, modo vnus ex theologis patribus ad eum magistratum gerendum sumeretur: quod ille cõstanter renuebat, quasi idem tandem magistratus mutato nomine esset futurus. Aliquot dies cum ea de re altercatum fuisset, nihil confectum est: illeq; ad Cæsareum comitatum discessit: vbi partim per regium senatum, partim per Romanos apud summum Pont. procuratores, Academię libertatem non ille clam, quod Fonseca fecerat, sed apertis machinis expugnare conabatur: Erat enim iam antistitum criminantium causa rectorius magistratus vulgo nonnihil inuidiosus. Missi sunt ad eum legati Fernandus Balbasius, & Fernandus Mataticus, vterq; prudentia & doctrina commendatus. Hi cum de rebus Academiæ apud eum cœpissent tractare, liceat (inquiunt) præsul potentissime, hominibus priuatis, & longe infra tuam fortunam positis, de re propria ex ęquo tecum tantisper loqui, donec tu nobis tuam voluntatem, nos tibi contra nostrum propositum & consilium declaremus. Placuit Tauerę iusta petitio: atque ita inter eos semotis arbitris actum fuit. Tandem cum sermo ꝑduceretur, Tauera bili cõmota iratus, vir alioqui animi sedati & cauti, ꝙ fortasse iamdiu in animo celabat, ipso dicẽdi calore (vt fit) effudit. Nihil (inquit) Ximenius, aduersus pontificiã Toletanæ sedis dignitatẽ perniciosius excogitare potuit, quã eo in loco Academiam cõstituisse. Mirati id verbũ legati, nõ ita (inquiũt) Fonseca sentiebat, à quo instar appẽsæ ad pectus pretiosæ gẽmæ, Academia nostra ostentabatur: idq; passim, & libenter prædicabat. Quid ille dixerit aut egerit, parũ curo, Tauera respõdit: ego præsentes discordias tantummodo cerno. Quod si è re vestra futurũ esse creditis, statim omni studio apud Cæsarẽ contendã, vt vobis sedes quocũq; libuerit mutãdi facultas detur. Atq; eo dicto cũ fuisset colloquiũ solutũ: legatis domũ reuersis, post multas vltro citroq; habitas super ea re disceptationes, Academiã Cõpl. mutare decreuerũt. Quare rursus ad Tauerã redierũt, & vt pollicitis staret petierũt: neq; enim aliã se posse rationẽ inuenire, ad eas turbas & cõtentiones euitãdas. Cũ igitur, ꝙ nunquã existimauerat, constantẽ de cõmigrando Academiæ sententiam videret, hoc (inquit) viri optimi, nõ sine magno strepitu, grauiq; quodã & inuidioso apud oẽs rumore fiet. Diu est ꝙ hãc rẽ conamini, atq; ab ipsis adeo Academiæ primordiis, partim insalubris aeris iniuria, partim genio loci, hoc est, indigenarũ auersatione, ab huius loci habitatione repellimini. Vos quid nũc tẽtetis obsecro attẽdite: nã si id tandẽ effeceritis, nõ ꝑpterea Cõplutum concidet, neq; ipse Toletanus antistes aut primatũ, aut auth ritatẽ deteret. Atq; in interius cubiculũ se recipiens, nihil amplius de ea re egit: cœpitq; diem de die ducere, donec illi tædio correpti, pollicitis frustati in Academiã sunt reuersi. At cũ quotidie nouæ causæ acciderẽt, quæ præsulẽ alioqui attentũ, minimeq; ad ignoscendũ nostris animatũ, facile rursus irritarẽt & accẽderent, semper lites paratæ erãt: & inter rectorẽ & antistitis vicariũ negotia animis exacerbatis gerebãtur. Proinde cũ id mirũ in modũ Tauerã vreret, & palã efferre rursus vereretur, ne eos de transmigrando iã dudũ solicitos, eo pacto vt efficerẽt cogeret: gratia & fauore, causisq; itẽ adfabre cõfictis, apud Romanũ pontificẽ contendit, vt proprio (ꝙ dicũt) motu, sibi in omnes sacerdotes, qui Cõpluti studiorum causa conuenissent cognitio concederetur, atq; in eos duntaxat iuuenes qui diœcesis Toletanæ essent. Cum Academia per procuratores suos, qui Romæ erant, statim resciuisset grauiter vt par erat tulit: & ad sacram (quod aiunt) anchorã confugientes, & Pont. Max. eiusq; intimos familiares, & in primis sanctæ Balbinæ Cardinalẽ Academiæ patronum obtestati & deprecati sunt, vt Academiæ labanti succurrerent, & è potentissimi aduersarii manibus

afflictas

afflictas muſas,& ſtudia [illegible]erent. Sed cum ſurdis caneretur,& Academiæ negotia in vltimi [illegible] diſcrimine eſſent, Deus (vt aiunt) è machina,& Ximenii Genius rebus perditis opẽ tulit. Nondum Roma pontificiis tabulis allatis, cum Pintiæ Iſabellæ Philippi principis vxoris exequiis Tauera intereſſet, ſiue atrarum veſtium, quibus pullatus venerat, pondere, ſiue facum cerearum fumo, homo ſenex & longis laboribus confectus, in febrim incidit, & paucos poſt dies extinctus eſt. Eius morte Academia reſpirauit,& veluti longa tempeſtate iactatis, lumen quoddã affulſiſſe viſum eſt. Erat enim certamen cum magno aduerſario, eoq; magis formidoloſo, quo probitatis & prudentiæ opinione, incorruptius de rebus iudicare, & quid eſſet in negotiis faciendum, rectius quam cæteri præuidere credebatur. Deſignatus non multo poſt ad ſedem Toletanam Ioan. Martinus Siliceus fuit, Philippi regis quondam magiſter: qui cum animi erga inopes paterni, in annonæ per ea tempora caritate non parum multa indicia dediſſet, comitate præterea quadam peculiari cunctorum animos ſibi conciliaſſet, incredibili omnium fauore ad eam dignitatem promotus fuit. Academia partim hiſce rebus perſuaſa, partim ſtudiorum ipſorum coniunctione, nam & philoſophus & theologus, quæ duæ res in Compl. gymnaſio florent, habebatur,& libello de arithmetica Pariſiis edito, ſe à mathematicis non alienum oſtenderat, ingentem quandam ſignificationem lætitiæ dedit, ſupplicationibus ad omnes aras vno die habitis,& certamine literarũ iuuentuti publice propoſito. Nam poetica themata, ſymbola, inſcriptiones, multaq; alia exercitamentorum genera ad nouam antiſtitis deſignationem celebrandam, non ſine præmiis, rectoris edicto in medium ſunt allata. Quãta totius gymnaſii atq; oppidi hilaritate, pegmatibus per vias erectis, Complutum ingreſſus fuerit, quoniam publicis typis vulgatũ eſt, non eſt cur in eo recẽſendo immoremur. Fecit Academiæ patres ad omne genus obſequiorum erga nouum antiſtitem eo tempore propenſiores, imminens à Tauera paulo ante periculũ: quod procul dubio aut euitare nequaquã potuiſſent, aut nõ ſine maximis & duriſſimis moleſtiis eo ſeſe tandem explicaſſent. Pollicitus omnem Academiæ benignitatẽ Siliceus, Toletum quamprimum profectus eſt: vbi nouis legibus condendis occupatus Academiam quietã reliquit, magna noſtrorũ (vt ego exiſtimo) fœlicitate: quibus ſi acrẽ hominem, & ad id in ꝙ incũbebat vehementem, hoſtem ex propoſito habere contigiſſet, actum forte eſſet de noſtra libertate. Nam anno M. D. L. doctore Fontinouilla cum quadam de re inter Antiſtitis præfectos & rectorem litigaretur,& Ludouicus Catena abbas, cæteriq; Iuſti & Paſtoris doctores ſacerdotes, ſacrorũ interdictũ non timuiſſent, ꝙ rectori ſubiectos nulla interdicti religione obſtringi dixiſſent, omnes ad vnũ cõprehendi per arcanas literas Compluti præfecto iuſſit. Quod cum ad aliquot ipſorũ permanaſſet, ſibi in tempore conſuluerunt: & eo die quo manus & vincula illis iniicere conſtitutũ erat, templo abſtinuerũt: & alius alibi delituit. Tres tantũmodo, qui aut ætate ſenili freti, aut dignitatis & innocẽtiæ ſuæ conſcii, aut potius quod nihil de manus iniectione reſciuiſſent, ſecure rebus diuinis peragendis intenti erant: Ludouicus Catena abbas, Alphonſus Almenara, Bernardinus Alphonſus: quos præfectus oppidi armatorum hominum manipulo ſtipatus capit,& iumentis impoſitos, ad Almonacitanam ditionis pontificiæ arcem, quæ Toleto duodecim millibus paſſuũ diſtat, propere abduci iubet. Interim omnis Academiæ iuuentus cõmota, in maius collegium venit,& cubiculum armorum reſerari poſcunt, vt neceſſariis telis communiti vindictam ſumerent: idque facili negotio feciſſent, copia & viribus longe oppidanis præſtãtiores, ni rectoris imperio,& patrum Theologorum prudentia, coerciti fuiſſent. Ponuntur illi in arctiſſima ſubterranei carceris cuſtodia, anni tempore rigidiſſimo, nempe ſub Chriſti Dei natalem. Concitauit apud iratum Antiſtitem riſum Almenara, qui longæuior cæteris erat, homo innocentia & vitæ ſanctimonia apud omnes commendatus, cum deſcendere in ſpecum iuberetur: nam vt tabellio adeſſet poſtulauit, qui ſe in illum locum obſcurum inuitum deſcendere, tabulis obſignatis fidem faceret. Adhibita eſt omnis cuſtodia, ne quis ex amicis, aut ex familiaribus, ad eorum colloquium admitteretur. Nemo fuit in vrbe noſtra iuuentus, qui apud furibundum Antiſtitem intercedere pro eis auderet. At cum periculum in mora eſſet, crebriq; rumores Toletum deferrentur, partim temporis intemperie, partim animorum afflictione, tres illos viros in languorem incidiſſe, ſed potiſſimum Ludouicum Catenam, qui animi deliquium patiebatur: non defuit ex illorum diſcipulis Toleti agentibus, qui Siliceum interpellandi munus ſubierit. Erat tempus geniale, & Saturnalitium, quod mutua hilaritate inter omnes celebratur, ac proinde cum antiſtes totius vrbis ſalutationibus occupatus conueniri non poſſet, poſtridie Dominici natalis, noctu aditus ad eum patuit. Sed vbi ſenſit de Complutenſibus agi, vultũm mutat, & illorum crimen multis verbis exaggerat: & ignorant (inquit) miſeri iſti quo cum litigent? exiſtimant enim ab inferis Fonſecam, aut Taueram reuixiſſe, quorum altero ſtolide clemente, altero timide

prouido pro libidine ſua abutebantur? Qui deprecabantur, ne ſe torrenti opponerent, tantum orare ſe dicebant, vt ſibi & medico quem Siliceus vellet, vinctos liceret adire: ne homines id ætatis, negligentia perirent: & ipſe non tam emendare voluiſſe, quam interimere videri poſſet. His verbis commoueri viſus eſt, & literas ad carceris cuſtodem dat, quib. iubet vt Oſogueræ medico, & Aluaro Gomecio, liceret vinctos Complutenſes viſere. Poſtea huius medici relatione, & multorum precibus factum eſt, vt Toletum in mitiorem cuſtodiam adducerentur: è qua tamen dimiſſi non ſunt, donec per tertias ſenatus regii literas, vt id faceret Siliceus eſt iuſſus & coactus. Sed cum ex iuris præſcripto id per moras quaſdam, & dierum interpoſitiones fieret, ab extremo Decemb. ad Cal. vſque Maias, non ſine multis impenſis & moleſtiis eorum qui aſſeruabantur, tempus eſt protractum. Poſt horum in Academiam reditum, accidit vt aliquot adoleſcentes è noſtra Academia, ſcholaſticum eorũ amicum, è vinculis in quibus à Complutenſi præfecto tenebatur, eripuerint. Factum id fuit carceris poſtibus effractis: vnde omnes ſimul cuſtodiæ fugerunt. Erat tunc Siliceus rebus Toletanis, quæ multum negotii & odii crearunt, occupatiſſimus. Quare Complutum cōquiſitorem regium mittendum curauit, qui ea de re in Academiæ ciues ſeuere animaduerteret. Ob hanc cauſam, eo anno graue damnum ſtudia paſſa ſunt, ſcholaſticis conquiſitoris metu mature ad parentes in patriam diſcedentibus. Tunc antiſtes intellexit, fruſtra huiuſmodi regios iudices ad eos mitti, qui nihil prauatarum facultatum, præter libros aliquot, & vrceolos, curtamq; aliam ſupellectilem ſtudiorum gratia poſſident: qua contempta, facile ſolum vertunt, nullis focis aut liberis relictis. Quin & populus ipſe Compluc. oppido vacuo non mediocrem iacturam fecit. Longe diuerſa quam cum aliis præſulibus ratione, Academia cum Siliceo contendebat: illi enim Academię principatum curabant ſibi aſſerere, vt euerterent: ſed Siliceo ad alias res perficiendas Toleti intento, pœnam de ſcholaſticis & Academiæ patribus quoque modo ſumere, ſat erat. Complutenſes vero cum tam pertinaci animi conatu rebus Toletanis incumbentem viderent, neq; ſe facile ab iis explicaturũ crederent, & inſuper apud regium Senatum aliquorum odiis laborare intelligerent, noluerunt optimam occaſionem prætermittere: ſed quod nunquam in animum ſub aliis præſulib. olim induxerant, de duũuiris ad cauſas cognoſcendas, more per Antiſtites abolito reducendis, qui ex ipſis ciuibus creari ſolebant, & de hoſpitiis Pontificiæ familiæ denegãdis, deque Ianuariis ſtrenis non dandis, apud regium Senatum contra Siliceum poſtularunt, & omnia ad vnum obtinuerunt. Qua de cauſa Siliceus grauiter offenſus, Compluti commoda & authoritatem, ratione ſagaciter excogitata imminuit. Nam conuocatis ad ſe vicorum Cōpluto ſubiectorum ditioribus agricolis, vt ius municipiorum apud regium Senatum conſequerentur, effecit, magno Compluti detrimento, & Pontificiorum etiam iudicum. Nam plures quam quindecim vici è territorio Complutenſi, municipali libertate fruuntur. Hiſce difficultatibus occupatus Siliceus, non ſine aſſiduis irarum cauſis, quæ quotidie in tanta rerum inuidioſarum turba, homini alioqui irritabili, neceſſario paſſim occurrebant, calculo pariter & vrinæ ardore octogenarium ſenem atrociter affligentibus, fatis concedere coactus fuit. Bartholomæus Miranda Dominicani ordinis ſodalis, Siliceo ſucceſſit, in cuius Pōtificatu Academia competitore carens, quieta pace per hos annos fruitur: nouiſq; ſubinde ſtudiorum profectib. exultat. Hæc ſunt Philippe rex Catholice, quæ de rebus per Fr. Xim. Ciſnerium geſtis ſcribi curauimus, in Hiſpaniæ, vel potius in totius orbis gratiam. Sub auguſtiſſimo vero tuæ maieſtatis nomine in publ. prodire voluimus, vt auſpicatius & tutius inter varias orbis nationes verſarentur. Simulq; fieret, vt nonnulli magni viri quibus ingētia ſunt patrimonia, ad Ximenii æmulationem excitarentur. Nam vt nouas vrbes condere, & pilis molibuſq; in mare iactis, neceſſarios nauigantibus portus moliri, & magnorum fluminum curſus mutare ne frugibus noceant, aut arua agricolis neceſſaria occupent, aut quo irrigationi ſint aptiora, regum ſunt potentiſſimorum opera: ſic ad opulentos præſules, & regulos magnanimos pertinet, Academias iuuentuti erudiendæ, & ædes ſacras virginibus alendis, & hoſpitia mendicis & valetudinariis hominibus recipiendis conſtruere. Quanquã ſic noſter Ximenius omnes Archiepiſcopos & regulos, quotquot illum præceſſerunt, aut ad noſtram vſq; ætatem floruerunt, operum magnificentia & amplitudine ſuperauit, vt æmuli quoque, ſi qui forte tantarum laudum exorientur, longo interuallo ſint noſtræ Academiæ conditorem ſecuturi.

FINIS.

I N-

INSCRIPTIONES ALIQVOT TARRACONENSES EX HISTORIA HISPANICA *Ludouici Pontis Doctoris, &c.*

C. CERÆCIO
C. FIL. QVIR.
FVSCO AQVIFL.
EX CONVENT
BRACAR. AVG.
OMNIB. H. IN RE
P. SVA FVNC.

GENIO
CONVENT
ASTVRICENSIS.

AVRELIÆ
MASCVLINE
EXCLVNIENS.
FLAMINICÆ.

DEVICTORI OMNIVM GENTIVM BARBARVM ET SVPER OMNES RETRO PRINCIPES PROVIDENTISSIMO
IMPE. CÆS. MARCO
ANTONINO VERO
INCLIT. AVG. P. M. T. POT
P. P. COS. II. PRO
VAL. IVLIANVS. V. P.
P. P. H. TARRAC. NVMINI MAIESTATIQ. EIVS
SEMPER DICATISSIMVS.

GENIO COL. I. V. T. TARRAC.
L. MINICIVS APRONIANVS
II. VIR. Q. Q. TESTAMENTO
EX ARG. LIBRIS XV
PONI IVSSIT.

COLONI COLONIÆ CONCORDIÆ VLPIÆ TRAIANÆ AVGVSTÆ. FRVGIFEER HADRV: METINÆ.

C. CALPVRNIO
P. F. QVIR. FLACCO
FLAM. P. HC
CVRATORI TEMPLI
PRÆFEC. MVRORVM
COL TARR. EX. D. D.
CALPVRNIVS FLACCVS
HONOREM ACCEPIT
INPENSAM REMISIT.
H. S.
ETHEIVS. F. L. COELI
VS BELLICVS

P. H. C.
FAVSTINÆ
IMP.
ANTONINI
FILIÆ

FAVSTINÆ
AVG.
IMP. M. AVREL.
ANTONINI
AVG.
D. D.

D. M.
FACTIONIS VENETÆ FVSCO SACRAVIMVS ARAM DE NOSTRO CERTI STVDIOSI ET BENE AMANTES VT SCIRENT CVNCTI MONIMENTVM ET PIGNVS AMORIS INTEGRA FAMA TIBI LAVDEM CVRSVS MERVISTI CERTASTI MVLTIS NVLLVM PAVPER TIMVISTI INVIDIAM PASSVS SEMPER FORTIS TACVISTI, PVLCHRE VIXISTI, FACTO MORTALIS OBISTI, QVISQVIS HOMO ES QVÆRES TALEM SVBSISTE VIATOR, PERLEGE SI MEMOR ES, SI NOSTI QVIS FVERIT VIR FORTVNAM. METVANT OMNES DICES TAMEN VNVM, FVSCVS HABET TITVLOS MORTIS HABET TVMVLVM, CONTEGIT OSSA LAPIS, BENE HABET FORTVNA VALEBIS, FVNDIMVS INSONTI LACRIMAS NVNC VINA, PRECAMVR VT IACEAS PLACIDE. NEMO TVI SIMILIS.

D. M.
EVTYCHETI
AVRIG, ANN. XXII
FL, RVFINVS ET
SEMPER DIOFANS SERVO B, M, F,
HOC RVDIS AVRIGÆ REQVIESCVNT OSSA SEPVLCHRO
NEC TAMEN IGNARI FLECTERE LORA MANV
IAMQVI QVADRIIVGOS AVDEREM SCANDERE CVRRVS
ET TAMEN A BIIVGIS NON REMOVERER EQVIS
INVIDERE MEIS ANNIS CRVDELIA FATA

FATA QVIBVS NEQVEAS
OPPOSVISSE MANVS
NEC MIHI CONCESSA EST MO-
RITVRO GLORIA CIRCI
DONARET LACHRIMAS NE
PIA TVRBA MIHI
VSSERE ARDENTES INTVS
MEA VISCERA MORBI
VINCERE QVOS MEDICÆ
NON POTVERE MANVS
SPARGE PRECOR FLORES SV-
PRA MEA BVSTA VIATOR
FAVISTI VIVO FORSITAN
IPSE MIHI.

L. NVMISIO
L. FIL, PAL,
MONTANO
ÆD. Q. II. VIR.
ITEM. Q. Q. II. VIR.
EQVO. PVBL. DONATO
AB IMP. HADRIANO AVG.
IVDICI DECVR. I
NVMISIA
VICTORIANA SOROR
TESTAMENTO IN FORO
PONI IVSSIT.

L. SEPTIMIO
MANNO
C. V.
CONCILIVM
P. H. C.

C. VIRIO
FRONTONI
FLAMI
EX LVCENS
EX DECRETO
CONCILII
P. H. C.

SEMPRONIÆ
FVSCI. F. PLACIDÆ
POMPAELONENSI
FLAMINCÆ CON-
SENSV CONCILII
P. H. C.
C. CORNELIVS VALENS
MARITVS
S. P. F.

CANNIO L. F
QVIR. FLAVO
IVLIO BRIGENS
EX GENTE CANTA
BRORVM
PROVINCIA HISPA-
NIA CITERIOR
OB CAVSAS VTILITA-
TESQVE PVBLICAS
FIDELITER ET CON-
STANTER DEFENSAS.

M. FABIO M. F.
GAL. PAVLINO
EQVO PVBLICO
DONATO AB
IMPE. CÆS. HADRIA
NO AVG.
ILERDENSES
CIVI OPTIMO OB
PLVRIMAS LIBERALI
TA IN REM PVBLIC
SVAM LOCO A PRO-
VINCIA.
IMPERATO POSVERVNT
D. D.

Q. CÆCILIO GAL. RVFINO
Q. CÆCILI VALERIANI. F.
SAGVNTINO OB LEGATIO
NEM QVA GRATVITA A-
PVT MAXIMVM PRINC. HA-
DRIANVM AVG. ROMÆ
FVNCTVS EST
P. H. C.

L. NVMISIO
L. F. PAL
MONTANO
TARRAC
OMNIB. HONO
IN REP. SVA FVNCTO
FLAMINI. P. H. C.
P. H. C.

L. ÆLIO.
IMP.
ANTONINI
FILIO.

FORTISSIMO ET CLEMEN-
TISSIMO.
IMP. CÆ. M. AVG. CARO
INVICTO. AVG. P. M. T. COS.
II. P. P. PROCONSVLI.
M. AVR. VALENTINIANVS
V. C. P. P. HISP. CIT. LEG. AVG.
PR. PR. DNM, EIVS.

VICTORIOSISSIMO
PRINCIPI IVVENTVTIS
M. AVR. CARINO NOBIL.
CÆS. CONS. PROCOS
M. AVR. VALENTINIANVS
V. C. PRÆ. PROVINC. HISP.
CITER. LEG. AVG. DEV
OTVS NVM. MAIESTATI
QVE EIVS.

VICTORIOSISSIMO

PRIN-

PRINCIPI IVV NTVT
M. AVR. CARINO NOBILIS
SIMO CÆSARI
COS. PROCOS M. AVR
VALENTINIANVS. V. C.
PRÆSES PROV. HISP. CIT.
LEG. AVGG. PR. PR. DN. EIVS.

M. TVLLIO CICERONI
M. F
ROMANÆ FACVND.
PRINCIPI.
QVÆSTÆ DI. COS. PROCOS
IMPERATORI. P. P.
ARPINATES

M. T. CICERONEM. OB EIVS
EXIMIAM VIRTVTEM ET
EGREGIAS ANIMI SVI DO
TES. PER VNIVERSVM OR
BEM TERRARVM. SALVVM
ESSE IVBEO
C. I. CÆSAR.

IMP. CONSTANTINVS IVLIANO.
V. C. VEL DIC IVLIO VERO PRÆ-
SIDI TARRACONENSI.

DE VICTORI OMNI-
VM GENTIVM BAR-
BARVM ET SVPER OM-
NES RETRO PRIN-
CIPES PROVIDENTIS
SIMO IMP. CÆS. MAR
CO ANTONINO VE-
RO INCLITO AVG.
P. M. C. POT. P. P. COS. II.
PROCOS VALERIVS IV-
LIANVS. V. P. P. P. H.
TARRAC. NVMINI
MAIESTATIQ. EIVS
SEMP. DICATISSIMVS.

PIISSIMO. FORTISSIMO. FELI-
CISSIMO. DN. CONSTANTI
NO MAXIMO VICTORI
SEMPER AVGVSTO.
BADIVS MACRINVS. V. P. P. P
H. TARR. NVMINI MAGES-
TATIQVE EIVS SEMPER
DEVOTISSIMVS.

MARTI CAMPESTRIS. SAC
PRO. SAL.
IMP. M. AVR. COMMOD
AVG. ET EQVIT. SING.
T. AVREL. DECIMVS
LEG. VII. G. FEL.
PRÆ. P. SIMVL. ET
CAMP. DEDIC. K. MART
MAMERT. ET RVFO CONS.

ISIDI, AVG
SACRVM
IN HONOREM
ET MEMORIAM
IVLIÆ SABINÆ
CLOD. OSIANA
MATER.

TVTELÆ
TARRAC.

HIC REQVIESCIT VIR SANC-
TISSIMVS CIPRIANVS PRIMÆ
SEDIS TARRACONENSIS CI-
VITATIS EPISCOPVS DEPO-
SITVS EST IN HVNC TVMV-
LVM OCTAVO KLAS MAIAS
IN PACE.

ORN ✠ TE EAQVE L ✠ O ✠ VNS ✠
VER ✠ BVS ✠ I ✠ S ✠ NEGL ✠ VI ✠ VA ✠
FL ✠ BVS ✠ SIBI PERPETVO RE-
MANET ✠

FINIS.

HISPANIA DAMIANI A GOES EQVITIS LVSITANI.

DAMIANVS A GOES LVSITANVS, PETRO NANNIO, LATINO APVD LOVANIENses Professori dignissimo, amicoque non vulgari, S. D.

*VM sæpenumero rerum Hispanicarum mentio inter nos, amantissime Nanni, incidisset, multis argumentis cognoui, te nondum iisdem satiatum, ampliorem earum notitiam è scriptis nostris expectare. Quamobrem optatis tuis parentes, hæc tali lege tibi cudere voluimus, vt si arriserint, legas, amicisque tuis huiusmodi rerum notitiam cupientibus communices: sin minus, Vulcano tradas. Vale.*

CLARISSIMO EQVITI, ERVDITIONE ET HVMANITATE INSIGNI, D. DAMIANO A GOES, PETRVS NANNIVS S. P. D.

IBELLVM *tuum, amplissime Damiane, eo animo accepi, vt si mihi ingens thesaurus oblatus fuisset, nec alacrior, nec hilarior esse potuissem. Sunt mihi à te alia præclara munera, sed nequaquam pari honore æstimanda, cum illa tantummodo precii magnitudine dignitatem habeant, iste de ingenii tui præstantia venerationem mereatur. Admirabilis ibi ordo singulæq; res in suas classes distributæ sunt, quam rationem scribendi maxime videtur Suetonius adamasse. Habent in tuo libro singula suam peculiarem stationem: hic Regnorum vires, illic Episcoporum & Satraparum opes describuntur. Habent suum catalogum Sancti Hispani, habent viri eruditi. Duces quoq; bello clari in sua à te legitima acie constituti sunt. Habēt merces sua fora, quas Hispania vel accipit, vel donat. Deniq; Antipodum munera, quæ duplici ratione Hispanorum sunt, vel quod ipsi hunc orbem inuenerunt, vel quod soli inde omnia deportant, in suas apothecas à te digeruntur. Quid multa? nihil omittis quod ad laudem Hispaniæ pertinet. Quamobrem, quæ olim de Hispania legebam, potius admiratione quam fide prosequebar, nunc tua authoritate efficis, vt me non amplius admirantem solum, sed & credentem habeant. Non mihi iam figmentum videtur, auro Tagum turbidum fluere, equas ex Fauonio subuentaneum fœtum concipere, meritoq; mihi fecisse videtur Vespasianus, quod vniuersæ Hispaniæ ius Latii donarit, rectumq; etiam iudicium Plinii existimo, qui* Hispaniam *censuit proximam esse Italiæ laudibus. Enumerantur enim à te innumerabiles opum frugumq; thesauri, vt Plutus & Ceres non alibi quam in* Hispania, *aut certe peculiariter sedes habere videantur. Obstrepunt hic quædam verba nouitia, sed fastidioso lectori. æquo enim æstimatori non venia, sed laude dignus habeberis, quod res nouas vetustate incognitas, nouis vocabulis, vt intelligi possint, explicueris. In apologia acrior es, sed stimulis de amore patriæ profectis. amabit tuum pectus, quisquis pietatem amat, & patriæ studium inter virtutes adnumerat. Librum igitur tantæ vtilitatis, quem tu aut Vulcano tradi, aut amicis tantummodo communicari iubebas, prælo subieci. Nefas enim putaui id intra paucorum manus contineri, quod tanto vsui publice esse posset. Quod si singularum prouinciarum eodem modo vires & opes descriptæ essent, magnum profecto instrumentum haberent docti ad historias condendas, quū nerui bellorum pecuniæ sint, earumq; inopia vel copia multiplices causas & cladium & victoriarum adferat. Fieri non potest vt quis recte in historia versetur, nisi vtriusq; partis opes & copias cognitas habeat, & lectori exponat. qua in re vtinam aliquot Latini scriptores diligentiores essent, eaq; in parte Thucydidem imitarentur. Tantum igitur mihi in rebus tuis, te inconsulto, permisi, nec offensam timui ex hac mea audacia, qui quiduis in Nannio tuo & ferre & probare soles. Nec, vt iniquior sis, ius habes expostulandi. si, quod meum esse voluisti, vtar pro meo arbitrio. Bene vale ampliss. & eruditiss. Damiane. Louanii.*

HISPA-

HISPANIÆ, CVIVS NOMINA VARII VARIIS NOMINIBVS AMPLECTVNTVR, HÆC SEQVENS EST AMplitudo,potentia,vbertasſque.

DE eius ſitu,latitudine,longitudine,atq; poli eleuatione,cum id ſatis inter Coſmographos conſtet,nihil hic dicturi ſumus:ea autem quæ rariora ſunt, explicabimus:nec etiam id tacituri,quod antiqui ſcriptores teſtatum olim reliquerunt,eam adhuc auri,argenti,cupri,ſtanni,plumbi,ferri,omniumq; metallorũ fodinis abundare,necnon argenti viui,ſalis quoq; vberrimam eſſe. De frugibus non eſt quod multum diſceptetur cum omnino ferax vini, olei,mellis, lactis, frumẽti fructuumque omnium ſit. Abundat etiam ouibus bobus, equis generoſiſſimis,piſcibuſque diuerſorum generum. Ferarum quoque &, auium mira copia. Sunt quoq; in ea diuerſis in locis calidi & frigidi fontes, ad diuerſos morbos efficaciam mirabilem habentes.

DIVIDITVR HISPANIA IN DVODEcim regna,nempe:

Caſtellæ antiquæ & nouæ.	*Valentiæ.*
Leonis.	*Toleti.*
Aragoniæ.	*Gallitiæ.*
Portugalliæ.	*Algarbiorum.*
Nauarræ.	*Murtiæ.*
Granatæ.	*Cordubæ.*

Quorum regnorũ vectigalia,vt pro comperto habetur, magna ſunt.nec enim ſigillatim quid ex vnoquoq; regno Regibus Hiſpaniæ accreſcat,auderem dicere, cũ dubitẽ,id ne eis gratũ futurũ ſit,an nõ.Sed hoc ſcito,Reges iſtius Hiſpaniæ, quæ à nõnullis imperitis hominibus ſatis temere ſterilis nuncupatur, annue vltra quinquagies centena millia ducatorum aureorũ,præter exactiones,inde accipere.

DE regnis diximus,modo ad clerum veniamus. In cuius reditũ computu Luciũ Marinæum Siculum ſequemur,qui facilius id quam Principum Hiſpaniæ prouentus, explicuit.

Archiepiſcopus Toletanus,Caſtellæ Cancellarius, habet annue plus minus 150000 aureorum ducatorum, habet etiam in ſuos familiares conferendos circiter	*100000*
Archiepiſcopus Hiſpalenſis	*24000*
Archiepiſcopus S.Iacobi	*20000*
Archiepiſcopus Granatens	*10000*

EPISCOPI.

Epiſcopus Burgenſis	*20000*
Epiſcopus Siguntenſis	*20000*
Epiſcopus Cunquenſis	16000
Epiſcopus Plncentinus	15000
Epiſcopus Palentinus,Comes Pernienſis	13000
Epiſcopus Iaenenſis	10000
Epiſcopus Segouienſis	14000
Epiſcopus Auillenſis	8000
Epiſcopus Zamorenſis	12000
Epiſcopus Cordubenſis	12000
Epiſcopus Oſinenſis	10000
Archiepiſcopus *Valentinus*	13000
Archiepiſcopus Tarragonenſis	8000
Epiſcopus Tarraconenſis	5000
Epiſcopus Hueſcenſis	3000
Epiſcopus Segorbienſis atq; Albarrazinenſis	3000
Epiſcopus Barchinonenſis	5000
Epiſcopus Leridenſis	5000
Epiſcopus Tortoſenſis	8000
Epiſcopus Gironenſis	4000
Epiſcopus Leonenſis	8000
Epiſcopus Calahorenſis	1[illegible]000
Epiſcopus Salmantieenſis	10000
Epiſcopus Badaioc nſis	6000
Epiſcopus Ouidenſis	6000
Epiſcopus Carthaginenſis	5000
Epiſcopus Aſturgenſis	4000
Epiſcopus Corienſis	8000
Epiſcopus ciuitatis Rodrigenſis	4000
Epiſcopus Malagenſis	10000
Epiſcopus Calixenſis	8500
Epiſcopus Guaditanus	2000
Epiſcopus Almerienſis	1500
Epiſcopus Mondonenſis	1500
Epiſcopus Tuienſis	2000
Epiſcopus Lugenſis	1500
Epiſcopus Orenſenſis	3000
Epiſcopus Canarienſis	8000
Archiepiſcopus Caragucenſis	20000
Epiſcopus Vrgellenſis	7000
Epiſcopus Vicquenſis	2500
Epiſcopus Eunienſis	1500
Epiſcopus Pamplonenſis	6000

Sunt & alij permulti Epiſcopi nouarum prouinciarum,Indiarumq; Occidentalium, nuper inuentarum, ex collatione ſiue iure patronatus quoq; Regis Caſtellæ,quos hic non exprimo.

REGNORVM PORTVGALLIÆ ET Algarbiorum.

Archiepiscopus Bracharẽsis, qui propter antiquitatem cum Toletano Archiepiscopo ad hunc diem vsq; de primatu (vt vocant) totius Hispaniæ disceptat, habet	24000	*Episcopus Viseensis*	8000
Archiepiscopus Vlyssipponensis	16000	*Episcopus Guardensis*	5000
Archiepiscopus Funchalensis	8000	*Episcopus Colimbriensis*	12000
Episcopus Eborensis	20000	*Episcopus Portensis*	4000
		Episcopus Lamecensis	6000
		Episcopus Syluensis	4000
		Episcopus Cæptensis	2000

Præter hos sunt adhuc alii Episcopi Indiarum Orientalium, Africæ & Æthiopiæ, & multarum insularum ex collatione Regis Portugalliæ, quos hic prætereo. Volui autem hic omnes Episcopales ciuitates Hispaniæ mihi saltem cognitas, cum putem adhuc plures esse, propriis huius temporis nominibus, ob maiorem cognitionem, recensere. Sciendum quoque, omnis Hispaniæ cleri prouentus (Abbates excipio) duplo maiores, quam Episcoporũ esse. Idq; præter aliquot decimas & primitias, quæ in multis locis Regibus atq; magnatibus, ex Pontificum indultis, colliguntur. Ex quibus quidem reditibus iure omnes simul tenentur vnicuiq; ecclesiæ suum animarum curatum, vt aiunt, siue pastorem alere, qui ex pacto & consuetudine, omnia ecclesiæ sacramenta populo gratis, siue in templo, siue extra templum, siue in priuatis domibus, administrat. Quod vtinam in cæteris prouinciis fieret, vbi ita pastoratus venduntur, vt pastores pro vitæ alimento, ac pensione soluenda, sacramentorum administrationem sæpe inuiti cogantur nundinari. Est præterea innumera Abbatiarũ & monasteriorum copia, quarum prouentus non solum cleri reditus æquant, sed etiam superant, inter quas sunt nonnullæ habentes decem, duodecim, quindecim millia ducatorum annue: permultæ inter quatuor & decem millia fluctuãt: innumeræ rursus ab hac summa declinant: ita tamen, vt sine aliqua controuersia ii qui se cultui diuino dedere, habeant in Hispania singulis annis vltra quadragies centena millia ducatorum, præter id quod Cõmendatarii & eorum magistri possident, quæ summa etiam ingens est. Ex quo facile apparet, quam religiosi semper fuerint Hispani, & quam dediti cultui diuino, cum tam liberaliter suas eleemosynas Christi ecclesiis impartiti sint. Habet vlterius regnum Castellæ quatuor Magistros equitum, seu (vt vocant) ordinum, qui magnos admodum habent reditus.

Quorum primus S. Iacobi est.

Secundus, Calatrauæ.

Tertius, Alcantaræ.

Hæc tria officia dignitatum, temporibus Ferdinandi & Elizabeth catholicorum Regũ Castellæ, cum consensu Pontificis ad coronam regni deuoluta sunt. Quartus est Magister equitum Rhodiensium, ordinis diui Ioannis. Ordo sancti Iacobi ornatur duobus commẽdatariis primis, quorum vnus dicitur Commendatarius maior Castellensis, alter Leonensis, Ordines Alcantaræ & Calatrauæ, habent singuli suum Commendatarium maiorem & suum clauigerum, sub quibus maioribus commendatariis ingens commendatariorum equitum est copia, habentium magnos reditus. Aragoniæ, Valentiæ, & Catelloniæ regna vnum habent equitum magistrum ordinis Montesiæ, magnos quoq; habentem reditus.

ORDINES REGNORVM PORTVGALLIAE ET Algarbiorum.

Primus est magister ordinis Christi, qui magister ipse Rex est, cuius ministerii prouentus admodum magni sunt, inde, quod huic ordini omnes prouinciæ inuentæ, tam in Africa quam in Asia & Brisilia, cum omnibus insulis, atq; Orientalis Indiæ, annexæ sint.

Secundus est ordinis sancti Iacobi.

Tertius ordinis, qui de Auis dicitur.

Habent quoq; hi ordines suos maiores Commendatarios & Clauigeros, sub quibus etiam est magna equitum Commẽdatariorum copia magnos reditus possidẽtium. Quartus est Magister equitum Rhodiensium, ordinis sancti Ioannis, qui Prior à Crato dicitur, qui tres magistri magnos etiam reditus possident.

MAGNATVM HISPANIAE INDEX.

Et primum de regnis Castellæ, Legionis, Aragoniæ, Nauarræ, Granatæ, Valentiæ, Toleti, Gallitiæ, Murtiæ, Cordubæ.

Princeps

Princeps Asturiarum.
Dux de Arsona.
Comestabilis Castellæ, Dux Friensis, primus Regis cubicularius.
Archithalassus Castellæ & Granatæ, vulgo Amiraldus, & Dux de Medina, de Rio Sequo.
Dux de Beiar.
Dux de Scalona.
Dux de Medina cæli.
Dux de Medina Sidoniæ.
Dux de Arcos.
Dux del Infantazgo.
Dux de Alua.
Dux de Naiara.
Dux de Maqueda.
Dux de Albuquerque.
Dux de Cardona, Comestabilis Aragoniæ.
Dux de Segorue.
Dux de Gandia.
Dux de Villa formosa.
Dux de Luna.
Archithalassus Aragonensis Marchio.
Dux de Sauiote.

MARCHIONES.

Marchio de Oristan.
Marchio de Gotiano.
Marchio de Villena.
Marchio de Astorga.
Marchio de Tarifa.
Marchio de los Velez.
Marchio de Zenete.
Marchio de Comares.
Marchio de Aiamonte.
Marchio de Gibraleon.
Marchio de Moya.
Marchio de Logolludo.
Marchio de Zaara.
Marchio de Sentillana.
Marchio de Marchena.
Marchio de Coria.
Marchio de Elche.
Marchio de Cuellar.
Marchio de Lombay.
Marchio de Molina.
Marchio de Mondeiar.
Marchio de Poza.
Marchio de Denia.
Marchio de Alcanisas.
Marchio de las Nauas.
Marchio de Tanara.
Marchio de Cerraluo.
Marchio de Cagnete.
Marchio de Villa noua.
Marchio de Montemaior.
Marchio de Graial.
Marchio de Villa Franca.
Marchio de Monte Claros.
Marchio de Sarria.
Marchio de Aquilar.
Marchio de Barlangua.
Marchio de Camarassa.
Marchio de Pliego.
Marchio de Falces.
Marchio de Cortes.
Marchio de Valle.

COMITES.

Comes Cataloniæ.
Comes de Roisillon.
Comes de Lampurdam.
Comes de Pincerdam.
Comes de Vrgel.
Comes de Benauente.
Comes de Vregna.
Comes de Feria.
Comes de Cabra.
Comes de Velalcacer.
Comes de Miranda Castellæ.
Comes de Salinas.
Comes de Ribagorza.
Comes de Lemos.
Comes de Oropesa.
Comes de Alcandet.
Comes de Medellin.
Comes de Syrnela.
Comes de Real de Mancanares.
Comes de Saldagina.
Comes de Melga.
Comes de Haro.
Comes de Vaninares.
Comes de S. Stephano de Gormaz.
Comes de Niebla.
Comes de Valentia.
Comes de Treuigno.
Comes de Ledesma.
Comes de Altamira.
Comes de Pallares.
Comes de Ampurias.
Comes de Lerin, Comestabilis Nauarrensis.
Comes de Trastamara.
Comes de Tendilla.
Comes de Lerma.
Comes de Villalua.
Comes de Castanneda.
Comes de Osorno.
Comes de Ribadeo.
Comes de Castro.
Comes de Astudillo.
Comes de Niena.
Comes de Aquillar.
Comes de Ognate.
Comes de Saluaterra.
Comes de Paredes.
Comes de Monterei.
Comes de Orgaz.
Comes de Ribadauia.
Comes de Pliego.

Comes de Luna.
Comes de Monte agudo.
Comes de Coregna.
Comes de Fuensalida.
Comes de Cifuentes.
Comes de Aluadelista.
Comes de Benalcazar.
Comes de Sancta Martha.
Comes de Buendio.
Comes de Teua.
Comes de Palma.
Comes de Vagnares.
Comes de Palamos.
Comes de la Deleitoza.
Comes de Miranda Nauarra.
Comes de Baylen.
Comes de Gelues.
Comes de Olivares.
Comes de la Puebla.
Comes de Sancto Stephano, del Puerto.
Comes del Castellar.
Comes de Cocentayna.
Comes de Albaida.
Comes de Aranda.
Comes de Oliua.
Comes de Gallada.
Comes de Fuentes.
Comes de Belchis.
Comes de Sastago.
Comes de Morata.
Comes de Lagumera.
Comes de Quirre.
Comes de Aithona.
Comes de Almenara.
Comes de Puro enrostro.
Comes de Chinchon.
Comes de Baraias.

VICECOMITES.

Vicecomes de Altamira.
Vicecomes de Chelua.
Vicecomes de Peralda.
Vicecomes de Ebol.
Vicecomes de Bas.
Vicecomes de Blanes.
Vicecomes de Valduerna.
Vicecomes de Gaiano.
Vicecomes de Sterlie.

PORTVGALLIÆ MAGNATES ET Algarbiorum.

Comestabilis, qui nunc est infans Ludouicus, Regis frater, ac Præfectus regnorum confinium, qui vulgo Fonteiro maior dicitur. Is enim Ludouicus magister quoque equitum Rhodiensium est.
Dux Brigantiæ.
Dux Colimbriensis.
Dux Viseensis.
Dux Trancosensis.
Dux Barcelensis.
Dux Aueriensis.

MARCHIONES.

Marchio de Villa Real.
Marchio de Tores Nouas.
Marchio de Monte Maior.
Marchio de Ferreira.

COMITES.

Comites de Marialua.
Comes de Tentugal.
Comes de Penella.
Comes de Alcontin.
Comes de Portalægre.
Comes de Feira.
Comes de Lonle.
Comes Monsancto.
Comes de Faro.
Comes de Arganil.
Comes de Abrantes.
Comes de Vimieso.
Comes de Villa noua.
Comes de Linhares.
Comes de Vidigeira, Nauarchus, vulgo Amiraldus.
Comes de Sortelha.
Comes de Castanheira.
Comes de Prado.
Comes de Redondo.
Vicecomes de Lyma.
Regni Archithalassus, vulgo terræ Amiraldus.
Baro de Aluito.
Rector, siue Prætor, omnium regnorum, vulgo Regedor.

Hi Hispaniȩ magnates mihi tantum cogniti sunt, puto adhuc alios extra meam notitiam esse, quos hic adiungat quisquis eos me melius nouerit. Quorum prouentus viritim nō exprimo. Id enim curiosus lector apud Lucium Marinęum Siculum requirat, qui rem non omnino infeliciter tentauit. Ego autem perspiciens eum quibusdam istorum Principū plus, aliis minus diuitiarum, quam possident, tribuere, & sciens quam difficile sit alienas facultates ad vnguem enumerare, volui potius silere, quam rem non satis appensam euulgare: id etiam veritus, iisdem ipsis principibus non satis placitum iri huius rei singularem propalationem. Inter quos autem (nomina sileo) aliquot sunt (vt verissimum est) centum, octoginta, septuaginta, sexagintaque millia ducatorum aureorum annue possidentes: non pauci quin-

ci quinquaginta,quadraginta,triginta:multi viginti,quindecim,decemque. Cęteri omnes hac summa inferiores,ad minimum trium millium reditus habent. Sic,vt sine mendacio asserere quis possit,Hispaniæ magnatum annuos prouentus vigesies centena millia ducatorum attingere,vel vltra. Sunt prætereà in Hispania non pauci nobiles titulis, vel dignitatibus obscuri, decem,quindecim millia ducatorum annue habentes, estq; aliorum ingens numerus,qui à millibus ad decem millia ducatorum vsq; annue possident. Sunt etiam Reguli,quos pastores Hispani vocant,triginta,quadraginta,millia ouium,& magnam boum, equorum,mulorumque multitudinem possidentes,quorum familiæ amplissimæ sunt. Ex quo apparet non frustra dictum , in Hispania talentari precio arietes admissarios emi, asinos quoq; admissarios,& asinas ad fœturam,40.sestertiis.

Ornatur etiam Hispania maximo Sanctorum numero, quorum Martyrum tantum Indicem hic scribere nobis non indignum visum est, cæteros propter prolixitatem omittimus.

S.Vincentius.
S.Laurentius.
S.Victor.
S.Fronto.
S.Istitius.
S.Apodonius.
S.Linxius.
S.Successus.
S.Faustus.
S.Martianus.
S.Vrbanus.
S.Publius.
S.Matutinus.
S Cassianus.
S.Felix.
S.Ianuarius.
S.Primitius.
S.Quintilianus.
S.Enotus.
S.Cæcilianus.
S.Frontonius.
S.Optatus.
S.Seruandus.
S.Germanus.
S.Facundus.
S.Primitius fratres.
S.Felix II.
S.Cericus.
S.Anastasius.
S.Faustus II.
S.Ianuarius II.
S.Martialis.
S.Speratus.
S.Natalius.
S.Cerinius.
S.Beturius.
S.Felix III.
S.Aquilinus.
S.Lætarius.
S.Ianuarius III.
S.Florentius.
S.Fructuosus
S.Augurius.
S.Eulogius.
S.Claudius.
S.Lupercus.
S.Victorius.
S.Emetherius.
S.Celedonius.
S. Eugenius, primus Archiepiscopus Toletanus.
S.Zoilus.
S.Eugratia.
S.Leocadia.
S.Eulalia.
S.Christeta.
S.Sabina,sorores S.Vincentii.
S.Iulitta,mater S.Cerici.
S.Digna.
S.Generosia.
S.Bessa.
S.Donata.
S.Secunda.
S.Eurosia martyr & virgo.
S.Centolla.
S.Helena.
S.Nunilonia.
S.Alodia,sorores.

Hi omnes Christi Martyres,vt ex eorum vitis apparet,fuerunt. Est autem aliorum ingens copia,quam,ne lectoribus tædio simus,prætermittendam duximus.

Habet hoc tempore Hispania has vniuersitates,opulentia & professorum eruditione celebres:

1 *Salmanticensem.*
2 *Complutensem.*
3 *Colimbriensem.*
4 *Pincianensem.*
5 *Siguntinensem.*
6 *Oscensem.*
7 *Ilerdensem.*

QVIBVS VIRIS DOCTRINA PRÆCLARIS Hispania quoq; fulget, accipe.

Fronto præsul & Martyr.
Fulgentius Præsul & Martyr.

Audentius Præsul.
Ioannes Præsul.
Sanctus Isidorus Archiepiscopus Hispalensis.
Sanctus Leander Auchiepiscopus Hispalensis.
Colimpius Præsul.
Pacianus Barchinonensis Episcopus.
Paulinus Præsul.
Sanctus Victor Præsul.
Vilerius Præsul.
Antonius Præsul.
Sanctus Vincentius Martyr.
Zoilus Martyr.
Sanctus Dominicus Calaguritanus, ordinis Prædicatorum author.
Matorianus vir præclare doctus.
Auitus presbyter.
Sanctus Ildefonsus Archiepiscopus Toletanus.
Sanctus Iulianus Archiepiscopus Toletanus, cuius meminit Magister sententiarum libro quarto.
Sanctus Antonius Vlyssipponensis, qui Paduanus dicitur.
Paulus Episcopus Burgensis, vir præclare doctus, & Iudæus natione, sponteq; Christianus factus scripsit non pauca theologica, nec indocta.
Tostatus Episcopus Ebulensis, scripsit in nouum & vetus instrumentum.
Rabbi Abenezra doctissimus Iudæus, magnus Theologus.
Rabbi Moyses Iudæus Theologus & Medicus insignis.
Rabbi Dauid Chimhi, insignis Theologus.
Moyses Cordubensis Theologus Iudæus.
Rabbi Camora Theologus.
Hugo de Folieto.
Arnoldus de Villa noua, Raimundi Lulli præceptor.
Raimundus Lulus.
Aquilius Seuerus.
Gualterus.
Ioannes Toletanus.
Iuuentius Cardinalis.
Vincentius Monachus.
Duo fratres Coroneles, insignes Theologi.
Franciscus Ximenius, Cardinalis, qui Academiam Complutensem instituit.
Sotion Philosophus Peripateticus.
Auicenna Medicus præclarus & Philosophus.
Auerrois quoque Medicus & Philosophus.
Rasis Almanzor.
Mesalac Medicus Astrologus.
Habramus Astrologus.
Albumazar Astrologus.
Cacutus Iudæus Lusitanus, magnus Astrologus.
Fortunius Gratianus Iurisconsultus, cuius opera rara, sed absolute scripta, extant.
Alfonsus Rex Castellæ, huius nominis decimus, Romanorumq; Imperator, magnus Astrologus.
Henricus Infans Portugalliæ, Mathematicus insignis, qui primo nouas terras suo studio & industria reperit.
Seneca Orator magnus, & Philosophus Stoicus.
Anneus Gallion Seneca, Senecæ frater.
Lucius Annæus Seneca Tragicus, Annei Gallionis Senecæ filius, Senecæque oratoris nepos.
Columella.
Dexter.
Theodosius Cæsareensis.
Iulius Higinius.
Portius Latro, Orator insignis.
Lentus Cornelius præfectus Cæsaris.
Paulus Orosius.
Quintilianus Orator insignis.
Pomponius Mela.
Iustinus historicus.
Lucius Latianus Orator.
Seuerius.
Silius Italicus.
Henricus Marchio de Villena, magnus magicus.
Ioannes Ludouicus Viues Valentinus, Orator.
Damasus Pontifex maximus, insignis Poeta.
Aurelius Prudentius Poeta.
Iuuencus Poeta.
Arator Poeta.
Sedulius Poeta.
M. Anneus Lucanus, L. Annei Melæ filius, qui Mela frater Senecæ & Gallionis fuit.
M. Valerius Martialis.
Sextilius Hæna Poeta.
Ruffus Festus Anienus Poeta.
Dec. Iunius Iuuenalis oriundus ex Aquino Volscorum.
D. Georgius Nanrique Poeta insignis.
Henricus Caiadus Poeta Lusitanus & Menesius de quib. Erasmus in suo Ciceroniano meminit.
Laurentius à Caceres Lusitanus, Poeta & vir non vulgariter eruditus.
Ioannes de Mena Poeta.
C. Iulius Higinius Augusti libertus, Grammaticus insignis.
Antonius Nebrissensis eximius Grammaticus, & variæ eruditionis vir, vt Erasmus in suo Ciceroniano testatur.
D. Garsias Lasso à Veza, Poeta insignis.
Alfonsus Veruesius Episcopus Canariensis, Theologus insignis.
Gomessius peritus iuris, scripsit super Instituta.

Hi omnes, præter alios nonnullos, quos, cum adhuc viuant, silentio prætereo, Hispani fuere: ex quo apparet, nostrates non tam infeliciter discere, nec verbositate & simulatione sapientiam ostentare, vel tam multis nominibus & consuetudinib. barbariem colere, quam Munsterus in suo nouo Ptolemæo prædicat, vbi ad imitationem cuiusdam Michaelis Villanouani, hominis mihi incogniti, & hac in re non mediocriter lapsi, Hispanorum & Gallorum

lorum comparationem induxit. Puto eum, cum Basileę profiteatur, Gallis, ad quos reliqua Basilea spectat, excepta tertia ferme parte, qua secundum Rhenum Germaniæ adhæret, potius quam Hispanis adblandiri voluisse. quamobrem vt doceat ita esse, quod dicit, opus est, vt nobis depromat vel vnum Senecam, Quintilianum Portium Latronem, Auicennam, Lucanum, Prudentium, Iustinum, Columellam, Orosium, Melam, Silium, Martialē, Iuuenalem, & alios istis similes, & tum damnet Hispanicam indolem, eamque Gallicis & Germanicis ingeniis postponat. Quod si nec Germani, nec Galli istos, quos supra recitaui, viros adæquent (Erasmum & Budæum excipio) quid est quod conuitium nostræ genti de stupore faciat? Fateor aliud seculum alio florentius, nec nunc esse laudem eam eruditionis quæ olim Hispaniæ fuit, nō tamē bruta est illa terra, quæ talia ingenia produxit, nec quia aliquandiu talia non produxit, in omne æuum effœta habēda est. Quod si nunc nō tot chartas oblinunt Hispani, quot nonnulli faciunt, ne edendis alienis libris plagium committūt, nihilo deteriores illis qui se furtis librorum venditant, existimandi sunt. Edunt fortasse Hispani pauca, sed edunt sua, nec falsarii hac in parte, nec fures, estq; nobis ista modesta scribendi ratio cum Italis communis. Non incesso vllam gentem, quorundam vitia tantum attingo, & qui de vitiis suis, genti suæ gloriam, aliis nationibus probrum concinnant. Habuit hac tempestate Gallia Budæum, & Fabrum Stapulensem, & alios viros doctos, sed habuit. Conuixerunt etiam istis nonnulli Hispani illorum eruditione non plane inferiores, quorum nomina, cum cognita sint, prætereo. Habuit quoque Germania Erasmum, sed habuit: habuit Longolium, ambos Batauos, quam prouinciam nonnulli nec in Germania, nec in Gallia constituunt. Sed sit Germaniæ vel Galliæ, fuerunt isti viri ornamenta incomparabilia suarum gentium, sed fuerunt. ita nobis quoq; Quintiliani, Senecæ, aliique innumeri fuere. Præteriti temporis est, quod vtrobique pro gloria iactatur, nisi nobis allegent Philippum Melanchthonem, columē Germanię. Fateor eum hoc tempore cum illis antiquis Hispanis in arenam descendere potuisse, si se Theologiæ ac fidei negotiis non implicuisset, quibus dum incumbit, contabescunt studia illa, ob quæ nostro æuo inclaruit. Nec defuissent Hispaniæ ab hinc annis plus mille præclara illa ingenia, quæ semper enutrire solita fuit illa prouincia, si à Gothis, Alanis, Saracenisque incultis hominibus, ab omnique genere disciplinarum abhorrentibus, non fuisset tam diu occupata. nunc vero hac barbarie vtcunq; expulsa, non dubitet Munsterus, quin Hispani posthac, ad laudem eruditionis non segni gressu sint progressuri.

Longolius (vt ex quadam epistola Erasmi ad hunc nostrum Damianum a Goes apparet) verus putus Hollandus est Schonouiæ natus.

INDEX DVCVM HISPANIÆ.

Viriatus Lusitanorum Dux, cuius facinora Romanorum historiæ late prædicant.

Megara Dux Numantinorum, Romanorum temporibus præclarus, vt testatur. L. Florus lib. 2. cap. 18.

Rex Pelagius qui ob vitæ sanctitatem, Dei miles vocabatur. Is enim Hispaniam Cantabricam à Maurorū incursionibus immunem fecit, eosq; ex regno Legionis, ciuitate accepta, expulit.

Bernardus à Carpe, Dux præclarus & vir eximius, qui Carolum Magnum Imperatorem & duodecim Franciæ Pares apud Ronces valles deuicit, quanquam Gallorum Annales Hispanis hanc victoriam denegent.

Ferdinandus Gonzalues, Comes Castellæ eius quæ nunc regnum est, & antiqua Castella vocatur, in cuius historia late patet, quantæ virtutis vir fuerit, atq; filius eius Gartias Ferdinandus & Santius nepos.

Rodericus Diaz de Biuar, cognomento Cid, qui bonam partem Hispaniarum ex tyrannide Maurorum liberauit; cuius nomen inter Mauros terribile, & magnæ venerationis fuit.

Ferdinandus cognomento Sanctus, Rex Castellæ qui ex Vandalucia, mira virtute Mauros fugauit, prouinciamq; sibi obtinuit.

Iacobus Rex Aragoniæ, qui regnum Valentiæ & Baleares insulas à tyrannide Maurorum liberauit.

Alfonsus primus Rex Lusitaniæ qui ex toto ferme regno Mauros expulit, cuius gesta magis videntur diuina, quam humana.

Ioannes huius nominis primus, Rex Lusitaniæ, qui cum inops & abiectus esset, propria arte & virtute, Castellanis, maioreq; parte Lusitanorum etiam reluctante, totum regnum sibi vēdicauit.

Comes Nonius Aluarez Pereira Lusitanus, qui Regis temporibus vixit, cuius insignia gesta historia nostra late prædicāt, vir sane magnanimus, & supra hominum vires in bello strenuus, ex quo Duces Brigantiæ originem suam ducunt.

Ferdinandus Infans Castellæ, qui postea fuit electus Rex Aragoniæ, qui miras victorias contra Mauros in ipsa Hispania obtinuit, vt testantur historiæ.

D. Franciscus ab Almeida Lusitanus, qui ingenti classe Babyloniæ Sultani atq; multorum Indiæ Orientalis Regum deuicta, Turcas ex ipsa

India expulit, cuius Ludouicus Ro. in suo itinerario amplam facit mentionem.

Alfonsus de Alburquerque Lusitanus, qui ferme totam Orientalem Indiam sub imperium nostrum reduxit.

Ferdinandus à Valle, Marchio de Pescara, qui Gallos apud Ticinum debellauit, eosq; ex Italia fugauit, quo in prælio Frãciscus Gallorum Rex interceptus fuit, & in Hispaniam captiuus adductus.

Ferdinandus Cortesius, Marchio de Valle, qui in Indiis occidentalibus magnam Temystitam ciuitatem & regnum, non sine incredibili admiratione regno Castellæ edomuit.

Franciscus Picarrus. qui in ipsis Indiis occidentalibus Imperatorem Atabalipã deuicit, & supplicio tradidit, eiusq; ditiones atq; aliorũ principum sub Castellæ imperium redegit.

Antonius à Leiua, vir præclarus, qui arte & virtute Italos sæpe armis superauit, & pondus tuendi, contra ipsorum Italorum ac Gallorum potentiam Mediolanensem Ducatum ad extrema vsq; suspiria sustinere valuit.

Antonius à Syluei ra Lusitanus, qui postremo apud Dium Turcas ex India Orientali iterum profligauit, & magnum Cambaiæ regnum Lusitanis subiecit.

Goncallus Ferdinandus Cordubensis, qui regnum Neapolitanum nostris temporibus edomuit, idq; sub imperium Hispaniarum redegit.

Eduardus Pachecus, vir Lusitanus, qui aduersus Regis Calecutii potentiam, prolixum cruentũque bellum gessit, in quo diuersas & incredibiles victorias obtinens, ipsum Regem fuga salutem petere coegit.

Habuit & habet Hispania alios præclaros Duces, quos prætermitto, & hos tãtũ, qui virtute cũ Cæsare & Alexandro certare possint, pono.

Videtur etiam Hannibal potius Hispanus, quam Pœnus fuisse, si Floro fides aliqua est, cum libro 2. cap. 6. asserat, ipsum Hannibalem alitum, educatum, & enutritum fuisse in Hispania.

IMPERATORES GESTIS PRÆCLARI nati & oriundi Hispani.

Vespasianus.
Titus Vespasianus.
Nerua.
Traianus.
Adrianus.
M. Antoninus philosophus.
Theodosius Magnus.
Arcadius.
Honorius.
Theodosius Minor.
Alfonsus huius nominis decimus Rex Castellæ.
Maximilianus.
Carolus V. Rex Castellæ.
Ferdinandus Infans Castellæ.

PONTIFICES HISPANI.

Damasus historicus scriptor & Poeta.
Ioannes XXI. Medicus insignis, Lusitanus.
Benedictus XIII. doctissimus vir.
Calixtus III. Iuris prudentiæ peritissimus.
Alexander sextus.

Vernacula, quæ nostra tempestate ex Hispania in Galliam, & alias prouincias adferuntur, hæc sunt, nec scitu indigna, præter non pauca, quæ cum in ipsa prouincia his temporibus absumantur, vt puta frumentum, argentum, cuprum, plumbum, glastum, rubia tinctorum, gossipium, & multa alia, vel quod magni momenti non sint, in ipso catalogo referre noluimus. Vehuntur nauigio Brugas ciuitatem Galliæ Belgicæ, singulis annis quadraginta millia lanæ sarcinarum, quas saquas vocant, quarum vnaquæq; vt minimum precium viginti ducatorum aureorum, vel æquat, vel superat. In Italiam quoq; ac in alias Galliæ ciuitates, viginti ferme millia sarcinarum vehuntur, quarum quæ in Italia consumuntur, quod selectioris lanæ sint, quadraginta, quinquaginta ducatis aureis singulæ venduntur. Sericũ & panni serici, quæ tam in Galliam, quam in Italiam, Angliam, aliasq; prouincias euehuntur, precio innumerabili constant.

Deferuntur etiam, vt summatim dicam, ex Hispania in Galliam, Belgicam, & alias prouincias vina multorum generum.

Oleum.
Saccarum.
Cera.
Mel.
Oriza.
Crocum.
Vuæ passæ.
Ficus passæ.
Sal.
Alumen.
Murex, siue purpura.
Coccum.
Smegma, siue sapo.
Mala Medica, siue aurea.
Mala Citria.
Mala Granata, siue Punica.
Cydonites, siue (vt barbare dicitur) codignatum.
Oliuæ conditæ.
Limones.
Cappara.

Pruna

Prunapassa.
Amygdala.
Pinei.
Castaneæ.
Glycirryza.
Anisum.
Caruis.
Anethum.
Cuminum.
Corianon, siue Coriandrum.
Thymni saliti.
Balænæ salitæ, atq; earundem oleum.
Suberum codex.
Gallæ.
Bacca laurina.
Hyacinthi.
Gagates.
Iaspis.
Alabastrum.
Corallum.
Coria hircina.
Spartum.
Pelles multorum animalium ad vestes suffulciendas.
Aurum.
Ferrum.
Chalybs.
Stannum.
Minium
Argentum viuum.
Fructus quoque diuersorum generum sacchara conditi.

PRO HISPANIA ADVERSVS MVNSTERVM DEFENSIO.

EX hoc, chariſſime Nanni, videre eſt Hiſpaniæ fertilitatem, quam hiſce verbis Munſterus, egregius Michaelis Villanouani imitator, ad Galliæ comparationem ita deſcribit. Qua in re facit, vt ſuſpecti iudices, inuidia, vel muneribus, vel odio obcæcati, ſoliti facere ſunt, qui vera cum intelligant, falſa tamen pronunciant, dum inquit in ſuo Ptolemæo, vt eius verba referam: Mercatores ex Hiſpania in Galliam deferunt ſericum, & omnis generis pannos, lanas, crocum, ſaccarum, orizam, oleum, alumen, grana tinctorum, &c. ex Gallia in Hiſpaniam frumentum, lineas telas, filum, paſtel, libros, & minutiora alia mercimonia plurima, vt gladios, ſpecula, acus. Concedamus Galliam mittere frumētum (quanquam id raro contingat) cum potius id Germaniæ Orientali debeatur, cuius frumentum nauibus Batauorum ad littoralem Hiſpaniam, eamq; Oceano attiguam ſubuehitur. Hi enim inuectitia annona ab hinc annis 25. plus minus vſi ſunt. Ad mediterranea Hiſpaniæ exoticum frumentum non peruenit, certe pro ſingulis culeis ex Gallia, ſingulæ holcades frumento onuſtæ ex Hollandia appulerunt. Tamen demus hoc Munſtero & præceptori ſuo Villanouano, vt vera ſint quæ dicunt: quid, an non ex ipſorum verbis apparet, Hiſpaniam Galliç plus impertire, quam Galliam Hiſpaniæ? Miror autem, cur, dum agrorum fertilitatem vtriuſq; prouinciæ inter ſe confert Munſterus, aſſeuerat Hiſpaniam vini, frumenti, & carnium copia à Gallia vinci. Vbi (vt de hac Galliæ vbertate diſceptemus) auditum eſt, aut viſum, ex Gallia in Hiſpaniam vinum deportatum eſſe? niſi forte ad confinia Cantabriæ, & id raro, quippe cum ii magis amplectuntur Hiſpanicum, etiam dilutum, quam Gallicum merum. Prodeat nunc Gallia Belgica, ac Anglia, Irlādia, & Scotia, ſimul cum Noruegia, Dacia, Suecia, Moſchouia, Ruſſia, Liuonia, Lituania, Pruſſia, ac tota orientalis Germania, nec nō Hollandia, & teſtentur quid vini Hiſpanici in ipſarum finibus abſumatur. Deinde ſi iā ex Gallia in Hiſpaniam frumentum, vt vult Munſterus, inuehitur, id non ex natiua malignitate ſoli, ſed ex adſpectu, vt aiunt, aſtrorum accidit, quæ hoſtiliter ab anno 1516. ad hunc vſque diem, morbis, cædibus, calamitatibus, prouinciam afflixerunt, alioqui fertilis eſt Hiſpania, vt teſtatum antiqui ſcriptores reliquerunt. Et vbi hæc ſæuities ſiderum mitigata fuerit, petent à nobis Galli frumentum, vt antea ſoliti fuerunt facere. Hoc credo ignoraſſe Munſterum, Gallos à noſtris crebrius, quam nos ab ipſis, olim frumentum expetiſſe. Nec hoc tempore peregrino frumēto indigeremus, ſi omnes (vt in Gallia & aliis prouinciis fit) Hiſpaniæ partes quæ coli poſſunt, colerentur. cuius enim vbertas tanta eſt, vti maiori anni circulo mediaſtini atq; plebeii homines, ex ſylueſtribus fructibus, melle, herbiſq; laute victitare poſſint: quæ res eos parum ad agriculturam propenſos efficit. Accedunt ad hoc nouæ Orientalium Occidentaliumq; Indiarum nauigationes, continuum quoque bellum Africanum, atq; Italicum, quæ noſtri magis amplectuntur quam aratri labores. Vnde euenit non ſolum apud nos agriculturam negligi, ſed etiam metalla quorum venis adhuc Hiſpania abundantiſſime ornatur, ex viſceribus terræ non effodi. Cætera quæ Galliæ ſunt, veluti lineæ telæ, filum, glaſtum, facile iudicabis an ea tanti ſint, vt cum Hiſpanicis frugibus conferri poſſent, quanquam maior pars telarum & fili canabacei, quæ in Hiſpaniam apportantur, Batauiæ ſolum producat. Quod ad carnes autem ſpectat, verius ipſa veritate eſt, non

tantum in Galliam ex Hiſpania boues,ſed magnam quoq; mulorum copiam educi, equos etiam,ſed furtim,ob regum edicta. Reliqua autem quæ ſequuntur,futilia ſunt,indignaque tanta comparatione. Nec hoc contentus Munſterus,vt per omnia ſuum autorem Villanouanum ſequeretur,ſtomachum in Hiſpanos euomuit,credo re vera, cum nõnunquam ab aliquo Hiſpanorum iniuria aliqua laceſſitum fuiſſe,cum ſic in eos verbis debacchetur. Ait enim,frugalis vitæ Hiſpani,ſicut & Itali (etiam Italos noluit immunes à ſuo temerario iudicio) nec tantum cibi & potus,vt Galli & Germani,abſumentes,niſi ſint inuitati. nam tũc ſe ad ſaturitatem explent eduliis,quia rara eis & maiore auiditate accidunt conuiuia. Elegans ſcomma,& dignum quod topographiis prouinciarum inſeratur, quaſi Gallorum & Germanorum conuiuia,ſplendida plane & opipara ſint habenda. Satis ibi ciborum & potus,ſed externi homines non de copia conqueri ſolent,ſed de lautitia & elegantia. Sed ſinamus vnumquenq; patrio more viuere,atrum panem,ſtipulis, furfuribuſq; vna piſtis commiſtum,fœtidam cereuiſiam,carneſq; ſalitas,ter quaterq; recoctas,aſſaſq;, ſibi ſuiſq; familiaribus adminiſtrare,vel aquam & herbarum placentas. Quod ſi de numero conuiuiorũ diſputandum eſt,vincunt Germani & Galli: ſi de magnificentia,ſplendore,lautitia,elegantia,multis modis Galli & Germani ab Italis & Hiſpanis vincũtur. Cæterũ laudes cõuiuiorũ ſi quæ ſunt,non ab Hiſpanis Hiſpanię,nec à Germanis Germaniæ vindicãdæ ſunt,ſed id iudicium exteris hominibus committendum eſt. Exitus certe & finis conuiuiorum, honeſtior in Italis & Hiſpanis,quum Germani & Galli eo animo conuiuia aggrediantur,vt vino ſe adimpleant,refarciantq;: quo feruente,animus,ſenſus, iudicium, ratio, reuerentia,grauitas,ſedulitas,prudentia,& alia multa amittuntur: iniuriæ,cædes,luxus,ſtupra, clandeſtinæ locutiones, conſiliorum Principum amicorumq; effutitiones, vulnera,plagæ,inſidiæ, proditiones,aliaq; infinita perpetrantur. Itali & Hiſpani contra, ſic ad conuiuia ſe ornant, vti bene ſaturi & cibis referti à menſa diſcedant. Hic tametſi corporis ſalus repletione grauetur,animus tamen & ratio,vt accidit in ebriis,minime læditur. Ita fit, vt qui vinum intemperanter ingurgitant, animum, conſcientiam,corpus, honorem, vitam labe tingant. Qui autem cibi voraces ſunt,corporis tantum ſaluti noxii ſunt. Iſtis perpẽſis,iudicet ęquus æſtimator,penes quos laus iſtius rei conſiſtere debeat. Nec mihi ideo iſta dicta ſunt,quod magni eſſe momenti putem hac in parte vel vinci,vel vincere, ſed quod ferre non potui, Hiſpanos tanquam famelicos & cœnipetas, nunquam niſi de alieno ſaturos, à Munſtero deſcribi. Neque mea dicta à Munſtero accipi volo, veluti recriminationem,ſed admonitionem. vt cautius poſthac & ſyncerius in ſuis ſcriptis agat. Virum enim eum bonum ſcio, & aliquo vſu familiaritatis mihi cognitum habeo. Nec prætereundum puto id quod deinceps idem dicit,cum re non intellecta,multorum etiam ſit opinio,quod duriter & inciuiliter apud Hiſpanos aduenæ excipiantur,adeo,vt itinere defeſſi,cibum ſibi vicatim quærere cogantur. Res ſic ſe habet: Olim pandochei Hiſpaniæ ad quos viatores tã peregrini quã incolæ diuertere ſolebant,fures atque latrones erant,ſicut Germaniæ,Galliæ, aliarumque prouinciarum hodierna die nõ pauci ſunt: quales ſi nõ eſſent,non tam ſubito in immẽſum diteſcerent. Hęc perpẽdentes catholici Ferdinandus & Elizabeth Caſtellę & Aragonię reges,lege ſanxerunt ſub magna mulcta,ne quis cauponum pandocheorumq; quicquã præter domeſticum ſeruitium,& cibi coquendi operam, aduenientibus pręberet. Pro equis autem hordeum,auenam,fœnum,ſtramen tantum venderet,quarum rerum precium publica æſtimatione ipſis foribus diuerſoriorum inſcriptũ eſt,ita vt barbariſſimus & ſimplex homo cuiuſcunq; nationis,facile intelligat,quid pro domeſtico ſeruitio, quid pro equorũ alimẽto ſine aliqua licitatione hoſpiti dandum ſit. Hoſpes pręterea tenetur cum aduena in forum,& ad propolas procedere,vel aliquem ex ſuis eo mittere,cuius opera vtatur externus in eduliorum emptione,quæ empta in diuerſorio parantur,parataq; ipſis, ſtrata menſa,apponuntur. Sic fit, vt diſcedente aduena,nihil rixarum,oriatur,nihil ei auferatur, nihil extorqueatur,cum ipſemet cibos ſibi emat, ſibique ex tabulis diuerſorio affixis conſtet, quid hoſpiti annumerandum ſit. Hæc autem in ciuitatibus & oppidis tantum fiunt: in pagis & villis,vbi propolæ deſunt,licet pandocheis edulia vendere pro arbitrio, cętera ex tabularum teſſera indicantur. Hęc immanitas non tam fera videtur, quam à Munſtero depingitur. Deinde ſi ad humanitatem Italorum Hiſpanorumq; reſpicias, hęc inuenies, cum ad eorum ciuitates veneris. Amicitia contracta, officium ſuum vnuſquiſq; gratis offeret: quicquid dignum viſu ſit, oſtẽdet: circunſpectis, viſiſq; omnibus, te ipſi in hoſpitiũ tuum deducent. At ſi quẽquam illorum,dum gratus eſſe cupis,in prãdio,vel in cœna retinere volueris,vix ab eis illud impetrabis,id præcauentib. ipſis,ne homini peregrino, & ſumptui,& moleſtiæ ſint, Tãdem ex viginti,ſi tot comites habueris, vix vnum aut alterum retinebis, nec id efficies,donec clare intelligãt,ex animo,& nõ ficte,eos tibi cõuiuas velle. Galli cõtra

& Ger-

& Germani, vt verum est, & experti sumus, humanissimi in peregrinos sunt: quicquid visendum in suis ciuitatibus habent, ostendunt, omneque officium benigne exhibent. Sed peractis spectaculis, vbi diuersorium repetis, siue frigide, siue ardenter ipsos inuitas, faciles eos habes, nec opus est magna contentione precum, idque laudo. est enim illud ingenuæ cuiusdam & candidæ simplicitatis, nihil fictum existimare in verbis inuitatoris. Sed sunt nonnulli improbiores, qui se vltro tuæ mensæ ingerunt, idque magno numero, quos antea nec noueras, nec videras, iiq; non quia amici sunt, sed se amicos aliquando futuros sperant, pro Pythagorica lege omnia futurorum amicorum communia credunt, homines me hercle non male ad ventrem philosophantes. Postremo in Italia, Hispaniaq;, dum templa, arces, armamentaria, ædificia, huiusque generis alia inspexeris, vel à domo amici alicuius tui, apud quem hospitabaris, discesseris, si custodibus, vel operariis, aut amici famulis, aliquam gratuitam pecuniolam dare coneris, efficies pro amico, vt inimicus abeas. Tanta est eorum magnanimitas, vt peregrinis hominibus, gratis officium suum exhibere contendant. Et si aliquando talia munera istis accipere contingat, id vi coacti, & omnino reluctantes faciũt. At Germaniæ Galliæve famuli arcium, armamentariorum, templorumq; custodes multo contra, nulla humanitate nec decore seruato, non tantum non recusant, quod facere non nouerunt, sed antea quam offeras, præbent ipsi manus, sic vt qui sub arcis præfecto merentur, ianitor, custos, pincerna, pistor, lotrix, cocus, omnes demum quotquot sunt, prædam inter se, antequam des, calculis diuidant. Parique modo in familiis amicorum fit. à quibus enim amicis antea quam discedas, omnes famuli inter se computatione lucrum aduentatis liberalitatis diuidunt. quæ res ita increbuit, vt pro dedecore iam non habeatur. Ad istum modum humanitate vrbanitateque hæ nationes differunt.

Nunc iudicet Munsterus, & ferat ipse sententiam, & dum mores gentium scribere conatur, edat ea tantum quæ ipse viderit, & certissima habuerit. Mutantur quotidie ciuitates, oppida, mores, viuendique hominum rationes, nec iam Germania Galliaque tales, quales nobis à Cæsare depinguntur, nec tam barbaræ sunt, quod idem æstimare licet de cæteris nationibus. Quid enim hoc tempore minus verum, quod olim verissimum fuit, mercaturã Germanos ob ferocitatem non exercere, cum hoc tempore nullibi magis Mercurius colatur? Aut eis Solem, Vulcanum, & Lunam deos ascribere, eisdemq; ad annum vigesimum vsque pubertatem inuiolatam esse? Nonne si quis id dicat, vaniora dixerit, quam si quis etiamnum Druides adhuc apud Gallos sacrificia administrare, eosque pro victimis, vel alios homines, vel seipsos immolare, aut Lusitanos lineis thoracibus in bello vti, aut ex intestinis captiuorum hominum futura prædicere, vel hordeaceum vinum bibere, & pro oleo butyrum in conuiuiis consanguineorum vsurpare, cum hæc omnia iam euanuerint, & alia viuendi ratio introducta sit? Demum si Munsterus nouos nostri temporis hominum mores describere velit, inuisat prouincias, vt ipsi fecimus, ac tunc ea quæ experientia viderit, scribat. Quod si fecisset, non oleo carere Baleares dixisset, non Hispaniam sterilem, non eius incolas immanes, atque in discendo rudes, non Nerium promontorium Celticum vocasset, & in Algarbe, cum in Gallitia sit, pronunciasset, nec multa alia vana, quæ prætermitto, suo Ptolemæo inseruisset. De his satis, ne videar incandescere, aut minutias rerum non satis minute tractare. Tamen sciat Munsterus, hanc ipsam Hispaniã, de qua nũc loquimur, eandem esse, quam ex omnibus prouinciis Cæsar ab initio quæsturæ suæ semper chariorẽ & electiorem habuit, in qua nullo tempore, ob hominum magnanimitatem, & militaris disciplinæ industriam, Romani desierunt legiones habere, teste Hircio. Quam etiam Vespasianus tanti fecit, vt ei ius Latii tribuere non formidauerit. Hæc numero deuicta à Romanis, vt Cicero de respons. Arusp. asserit, nunquam fuit, sed pietate & religione, quam Romani tunc temporis sibi soli tribuebant. Huic vt cederet terra Cretensis, Iouis incunabulis elata, Plinius iunior in suo Panegyrico voluit. Cuius, inter alia, hæc verba sunt: Adde tot egregias ciuitates, adde culta incultaq; omnia vel fructibus plena, vel gregibus, adde auriferorum opes fluminum, adde radiantium metalla gemmarum. Scio fabulas poetarum auribus mulcendis repertas, aliqua nonnullis gentibus attribuisse miracula, quæ dum sint vera, sint singula, nec iam excutio veritatem: sint, vt scribitur, Gargara prouentu læta tritici, Meuania memoretur armento, Campania censeatur mõte Gargano, Lydia prædicetur amne Pactolo, dum Hispaniæ vni, quidquid laudatur, assurgat. Hæc durissimos milites, hæc expertissimos duces, hæc facũdissimos oratores, hæc clarissimos vates parit, hæc iudicũ mater, hæc principum est, hæc Traianũ illum, hæc deinceps Hadrianum misit imperio. Huic te debet imperium. cedat his terris terra Cretensis, parui Iouis gloriata cunabulis. De hac etiam maxima ductus admiratione Budæus libr. 4. de Asse, cum multorum antiquorum authoritates in medium attulisset, ista loquitur: Ingentia sunt hæc testimonia de opu-

lentia Hispaniæ. Vlterius ait: Multa adnotabimus quæ fide caritura sunt, vt opinor, præsertim apud eos qui omnia, & præterita, & futura præsentis temporis modulis metiuntur, &c. Infinita enim sunt, quæ hic de laudibus Hispaniæ scribere potuissem, nisi timerem lectori molestam fore lectionis prolixitatẽ. Quod si quis latius intelligere cupiuerit, legat id quod Posidonius, Polybius, Strabo, Iustinus, Solinus, vterq; Plinius P. Velleius, Paterculus, Vegetius, Florus, Pomponius Mela, Stephanus de Vrbibus, Philostratus, Diodorus Siculus, Martianus Capella, Cælius de antiquitatibus, atq; Budæus testatum de Hispania reliquerunt, apud quos & alios nonnullos tales ipsius Hispaniæ laudes reperiet, vt facile iudicaturus sit, nos de hac re plura veraq; dicere potuisse: quod & fecissemus, nisi obiectiones nimii in patriam amoris, à maleuolis & infestis hominibus timuissemus.

ADVECTITIA, QVÆ EX ASIÆ, AFRICÆ, NOVÆque terræ prouinciis, Regibus Castellæ & Portugalliæ subditis, quæ innumera sunt, in Hispaniam aduehuntur, ac inde per totam Europam.

Primum in Castellam, ex nouis, vel occidentalibus Indiis, Hispalim magna vis auri deportatur.
Argentum.
Aurea vasa & argentea, mira dexteritate operata.
Vniones.
Margaritæ.
Smaragdi.
Cyanos, vulgo Turquinæ.
Casia.
Guaiacum lignum.
Dactyli.
Indidem ex insulis Canariæ & aliis locis, saccarũ, coria bubula & hircina, psittaci, simiæ, atq; vestes pennis auium miro artificio contextæ, & alia admiratione digna.

QVÆ IN PORTVGALLIAM EX PROVINCIIS sibi subditis aduehuntur.

Singulis annis ex Nigritarum regnis deducuntur Vlyssiponem 10.12. millia mancipiorum, præter alia ex Mauritania, India, Brisiliaq; aduecta, quæ singula passim decem, 20.40.50. aureis ducatis venduntur.

Præterea ex Nigritarum prouincia apportatur magna auri copia.
Gosipium.
Ebur, ex eodemq; vasa non ineleganter exculpta, atq; imagines.
Hebanum.
Mala Getulica, vulgo paradisi grana, seu mala geta.
Coria boum hircorumque.
Panni, mira arte ex palmarum foliis contexti, nec non ex gosipio.
Piper longum.
Oriza.
Zibelli (vt vocant) musiones feles.
Dactyli palmarum.
Ex Brisilia, lignum quod Brisil vocatur, & vestes auium pennis contextæ, ac lecti pensiles, ex gosipio, instar retium connodati, & saccarum optimum.

EX INDIA ORIENTALI & Cathaio.

Piperis annue tricies quadragiesque centena millia pondo, cuius centum libræ venduntur Vlyssipone 34. ducatis, supra quartam ducati partem, quæ summa minimũ est, duodecim, aut tredecim, aut quatuordecim centenũm millium aureorum ducatorum.
Zingiber.
Muscata myristica, atq; eorum flores.
Cinamomum.
Gariophyllon.
Reubarbarum.
Myrobalani omnium generum.
Casia.
Dactyli Indici, siue Tamarindi, & omnia aromatum genera.
Crocum Indicum.
Lignum aloes.
Sandali rubri & albi.
Lacha.
Hebanum.
Item gemmæ omnium generum preciosissimæ.
Vniones.
Vasa aurea & argentea, mira industria facta.
Panni serici, & aurei.
Telæ gosipinæ.
Sericum.
Styrax siue styrace, storax vulgo.
Laserpitium, vulgo Belzoi.
Ambar, gris, vt vocant.
Muschus.
Nuces Indicæ.

Scutellæ mira arte ex calce concharũ fictæ, quas porcellanas vocãt, quarum nonnullæ precio 50. & 60. & 100. ducatorum venduntur, & alia infinita apportantur, quæ ob prolixitatem omitto.

Elephantes quoq; quinq; vel sex tẽpore felicis Regis Emanuelis inde allati sunt, quorum, dum puer ipsius prudentissimi Regis ab intimis cubiculis essem, treis simul vidi, atq; Rhinocerotẽ vnum, qui omnes Regem ipsum equitantẽ præcedebant. Certamini etiam vnius istorum Elephantũ cum Rhinocerote, interfui: spectaculum sane admiratione dignum, in quo Elephas succubuit. Quem ludum Rex ipse felicissimus Emanuel Vlyssipone præbuit, anno (si bene memini) 1515. vel 16.

Ex In-

Ex Insulis Madeira Hesperidum, Sancti Thomæ, principis, atque aliis magna saccari copia. Glastum quoque & gosipium ac frumentum ex his insulis vehitur. Ex Brisilia, ac Nigritarum prouincia, psittacorum, cercopithecorum, simiarum, aliorumque miraculorum, ingens turba apportatur,

Hæc sunt quæ de fertilitate, opibus, nobilitateque Hispaniæ, à me, Nanni doctissime, scire petisti: quæ, te volente iubenteq;, ea lege scripsimus, vt omnibus ius faceremus castigandi, mutandi, augendi, quod mirifice exoptamus, haud ignari, plurima esse à nobis omissa, quibus Hispania ornatur, & celebrari possit. Tu interim viue, & vale, bonique consule. Louanii 12. Cal. Decemb. Anno 1541.

MICHAELIS RITII NEAPOLITANI DE REGIBVS HISPANIÆ LIBRI TRES.

LIBER PRIMVS.



HISPANIÆ veterem formam mutari sæpe contigit. Initio reges eam habuerunt ex gente Curetum, Gargoris, eiusq; nepos ex filia stupro conceptus Abbis. Nam Geryonem licet historia Diodori memoret, equidem fabulosum putarē, nisi grauis autor Trogus accederet. Hispalum vero de cuius appellatione suspicantur Hispaniæ nomen inditum, longa ætas obruit. Post multa demum secula, Carthaginenses occuparunt eius imperium, quibus bello Punico secundo pulsis, Romani duas in prouincias vniuersam diuiserunt, in Bæticam & Tarraconensem, Iuridicosque conuentus vndecim: mansitque is rerum status ad Attilam vsque, qui per legatos vlteriorem subegit Hispaniam. Quam falso quidam prodiderunt esse dictam ab Hunnorum ducibus quos illi sua lingua memorant Hispanos, quum certa temporum ratio refragetur. Iterum deniq; sub regibus aliquando in regna quinque distributa est: primum Legionis & Castellæ, secundum Aragonum, tertium Nauarræ, quartum Portugalliæ, quintum Bæticæ quam Granatam perhibent. Itaque Mauris qui Bæticam tenuerunt omissis, Legionis & Castellæ regum stemma prosequemur, vnde manasse Christianos reges autumo. Quorum nostro proposito debita relatio est. Bæticæ rerum potiebantur Wandali, Sueuique Lusitaniæ, quas Romanis opibus attenuatis in potestatem redegerant, quum Gothi sub auspiciis Athanarici qui primus eius gentis rex fuisse proditur, Hispaniæ fines ingressi, sedes posuerūt anno dominicæ salutis trecentesimo quadragesimo tertio: quumque regnasset annis tredecim, diem clausit, Hispanique recepti sunt Theodosii Cæsaris virtute, qui Gothos annis duodeuiginti imperata facere coegit, & in officio continuit. Exinde Gothi quum desciuissent ab imperio, Regem sibi creant Alaricum Pannonem de gente Balthorum, qui præterquam quod Hispaniæ partem sibi vendicauit, & Thraces & Germanos variis affecit cladibus, in Italiam ductis copiis, Romam, Campaniamque, & Apuliam redegit in potestatem. Sed vigesimotertio sui principatus anno, repente fato functus est in Brutiis, deriuatoque captiuorum labore Basento Cosentiæ præterfluente, in eius alueo conditus est. Athaulfus, incertum nepos Alarici, an necessarius, in defuncti locum substitutus est, & apud Gothos regnauit, qui licet Hispanis & aliis Europæ gentibus imperarent, Gothorum tamen Reges adusque Pelagium, de quo post, omnes appellati sunt. Athaulfus itaque Gallam Placidiam Honorii Romani principis sororem matrimonio sibi iunxit. Nec amplius annis quinque rerum potitus, apud Barcinonam à militibus suis obtruncatur. Successit ei Sigericus à stirpe propior (vt aiunt) isque anno post obiit. Exinde gubernacula suscepit Walia, cuius adusque tempora Wandali, quos ab initio, fines Hispaniæ tenebant, donec eorum Rex Gensericus in Aphricam traiecit, occasionemque nactus Walia, pulsis ex Hispania qui domi remanserant Wandalis, quicquid in eorum iura concesserat, in suam ditionem redegit, subitaque vi morbi correptus, anno tertio regni sui fato functus est. Itaque res ad Theodoricum defertur. is tertio post anno, sociis Etio patricio, & Meroueo Francorum Rege, dum pro Romanis aduersus Attilam pugnaret Hunnorum Regem, in

campis Catalaunicis occubuit. Patris honori successit Torismundus, qui principatus sui anno decimo germanorum fratrum (vt rumor est) insidiis de medio sublatus est. Regnum, Theodoricus huius nominis secundus, Torismundi frater occupauit, exactoque Rethiario Sueuorum Rege, Lusitaniam regni sui finibus adiecit. aiunt huic eandem necis sortem obtigisse, quam Torismundo fratres intulerant, quo tempore Theodoricus alter Ostrogotorum Rex in Italia rerum potiebatur. Elato Theodorico, principatum suscipit Henricus eius frater, qui Gothis autor fuit, vt scriptis legibus vterentur: annoq; septimo sui principatus excessit ab humanis. Alaricus alter à superiore, post Henricum Gothis imperauit annis duodecim. In acie cæsus à Fludiguino Comite apud Pictauium, superstite Almarico quem suscepit ex filia Theodorici Regis Italiæ. Gensalaricus Alarici frater ex pellice genitus, excluso Almarico nepote, regnum sibi vendicat, annisque quatuor tenuit, donec copibus Theodorici quem maternum auum Almarici demonstrauimus, in Aphricam compulsus est. Itaq; receptis Gothis Theodoricus Almarici nepotis infirmam rexit ætatem lustris duobus, & septem mensibus. Mox Almaricus vbi à pueris excessit, annis quinque rem per se administrauit, donec commisso cum Gallis prælio obtruncatus est. Amisso filio successit Alamasintha Theodorici Regis Italiæ filia, mater Almarici, Tendiumq; sobrinū suū in spem successionis adoptauit. is non expectata fatali die, Amalasintham in balneo suffocandam curauit. Tendius igitur Amalasintha sublata septemdecim regnauit annis. is in cędem suam Gothos accendit habitus histrionici deformitate, quem palam passimq; gestabat. Gothi nouum Regem sibi creant Tendesilium, qui forte per id tempus exercitui præerat, impositus à Tendio, cuius affinis esse dicebatur. is apud Hispalim orta seditione obtruncatus est, ob illatam vim matronis illustribus. Agila subrogatur in eius locum. Nec equidem scio, superiores ne Reges aliqua necessitudine contigerit. illud vnum constat, anno quinto ex quo creatus Rex, à suis esse interemptum. Exinde Gothorum Dux Atanagildus occupat dominatum, quem postquam bis septenis tenuit annis, apud Toletum morbo consumptus est. Lymba, quem Luybam nonnulli vocant, ad rerum fastigium suorum studio suffragioq; euehitur, triennioq; regnauit, viuensque Leonogildo fratri cessit Hispaniæ principatu. Leonogildus ex Hispania Sueuorum reliquias eiecit, Andeca Rege superato. ii regnum semel in Hispania constitutum, per annos centū septuaginta tenuerant in Hispania. Securi percussit Hermelgundum suorum liberûm natu maximum in conuentu Hispalis in acie captum, quod is Arianorum sectam non probaret. Regno præterea, Legionis adiecit vrbem. Gothis imperauit annis duodeuiginti. Leonogildo patri successit Recharedus ab Hermelgondo proximus. is Arianum dogma in conuentu Toletano damnatum, ab Hispaniæ finibus eiiciendum curauit. Luyba alter à priore, quem vocatum præterea Lymbā demonstrauimus, Recharedi filius, excepit imperium, quod annis duobus & mensibus quinque tenuit, insidiis Victerici de medio sublatus, illustris inter Gothos viri. Luyba cæso regnum Victericus occupauit eius percussor, adeptoque per fraudem dominatu septē potitus annis, eodem lethi genere periit quo Luyba. Res ad Gondamirim delata, quam quum biennio administrasset, ex aduersa valetudine mature diem clausit. Gothi nouum Regem sibi creant Sissebutam, qui verum Dei cultum nostramque religionē mirifica pietate prosequutus est, in Aphricam trans Herculeum fretum ducto exercitu plures in ea gentes in ditionem redegit, annis nouem regnauit & septem mensibus, morbo consumptus est. Recharedus eius nominis secundus, Sissebuti F. paternum decus accepit, idque sesquianno tenuit. In eius locū subiit Suintilla Recharedi primi filius, isq; quum decem regnasset annis suum F. Rachimirum in regni consortium accepit, eumque viuens administrare regnum permisit. Quoniam vero Rachimirus mature patrem sequutus est, breuique post eum regnauit, non venit in ordinem per se regum, sed cum patre confunditur. Itaque Sisecundus & ipse Suintilla patre natus, in demortui locum suffectus est, excluso qui præstabat ætate germano, qui paterno nomine Suintilla vocabatur. is anno post septimo, defuncto apud Toletum Sisecundo, debitum sibi regnum vindicauit. Suintilla Rex eo nomine secundus, quadriennio rerum potitus, ex ægritudine in quam incidit, fato functus est. Tum Gothi Regem sibi creant regia stirpe genitum Tulgam, qui regnauit annis duobus.

PRIMI LIBRI FINIS.

MICHAE-

MICHAELIS RITII NEAPOLITANI DE REGIBVS HISPANIÆ LIBER SECVNDVS.

ACVAM Gothorum regiam Cindasuindus occupat, illustri inter eos loco, quam annis decem tenuit, moriensque filio per manus tradidit. Recisuindus is fuit, qui Gothis imperauit annis duodeuiginti, ac mensibus vndecim. Quo mortuo, Bamba Rex creatur, is qui Mauros Hispaniæ littora cum classe ducentarum septuaginta nauium ingressos, ingenti prælio fudit, & classem igni succendit. ex haustu demum veneni quod ab Eringio Recisuindi datum rumor est, incidit in grauissimũ morbum. Ex quo quum ægre conualuisset, anno post initum regnum nono, mensèque vno, religionis habitum sumpsit, in eoque permansit annis septenis ad vltimum vitæ diem. Sunt qui fabulentur hunc ex aratro ad principatum euectũ Leonis Romani Pontificis beneficio. Eringius de quo supra diximus, ad religionem transgresso Bamba, Theofredum Recisuindi F. pellit, occupatoque dominatu, septimo post anno fato functus est. Egypza Bambæ sobrinus, idemque gener Eringii, mortuo socero successit, quumque regnasset annis septem, Toleti naturæ concessit. In eius locum Vitiza F. subiit, eoque potitus est annis nouem, donec à Roderico Theofredi F. eius quem prius Eringius regno exegerat, & Vitiza confossis oculis relegarat, imperio vitaque spoliatus est, impar opibus Romanorum qui Roderico fauebant. Hic (vt aiunt) Vitiza lege permisit, vt sacerdotes, quot quisque posset, alerent concubinas, & ipse nullum libidinis genus intentatum reliquit. Excepit imperium Costa Roderici frater ætate maior, isque regnauit annis quinque, mensibus septem. Eo vita functo, Rodericus frater rem Gotorum suscepit inauspicato. Nam cum Iuliani Comitis in Africa pro se legati filiæ stuprum intulisset, à Mauris à Iuliano solicitatis, bello petitus, in acie cecidit, ex quo regnare cœpit anno tertio. Post interitum Roderici, Maurorum Duces Tariph & Muza, Bellaz in Muzæ filium partis in Hispania finibus imponunt Regem, continuoque in Africam redierunt. Annis non amplius viginti Maurorum Reges in Hispania quindecim fuerunt. Nam quum Rex omnium votis respondere non posset, populari tumultu, vel occidebatur, vel imperium deponebat, subinde in exacti locum altero subrogato. Denique quum delata res esset ad quendam Acabath, nouarum rerum cupidis ad trecentos vsque de medio sublatis diu regnauit. Dum Mauri rerum potiuntur in Hispania, Christianorum reliquiæ Pelagium quendam Regẽ sibi creant, apud Asturas vbi latitabant. De quo sermo varius est, aliis tradentibus eum Theofredi filium fratremque Roderici, nonnullis ex Phafilla natum Duce Cantabriæ quæ Biscaia nũc appellatur. is etsi nullas, aut perexiguas opes habebat, auxilio cælesti fretus audere cœpit, adhortatusque quosdam finitimos, ad veram religionem compulit, appellarique voluit Asturum Legionisque Rex, etsi maiores sui Gothorum dicti sunt: quamuis alii hanc tituli mutationem Phafillæ eius filio ascribant, & his qui deinceps regnauerunt. Imperauit autem Pelagius annis viginti. Relicto superstite filio Phafilla, post quem deinceps ad vnum Reges Legionis & Asturum sunt inscripti, siue Pelagius, siue Phafilla fuerit autor eius tituli, quum biennio regnasset, ab vrso laniatus est in venatione. Regnum peruenit ad Alphonsum Petri Cantabriæ ducis maximum natu filium, cui Phafillæ soror Ornosuba nupta erat. is Arrianum dogma quoda Recharedi Regis morte rursus in Hispania pullularat, eradicauit, vrbesque & oppida complura eiecto Maurorum præsidio recepit: ex quo Catholicus est cognominatus: annoque vndeuigesimo sui principatus exiuit hominem. Successit Alphonso patri Phroilla, qui tertio decimo post anno de medio sublatus Aurelii fratris sui dolo, regnum Veremundo filio per manus tradere non potuit: Aurelius enim patrato parricidio, continuo regiam occupat, annisque sex obtinuit. excessit absque prole, nisi quod ad inuidiam periculumque declinandum, Veremundum Phroillæ filium in spem successionis adoptarat. Ab Aurelii morte, Gothorum rem suscepit Sillo, cui nupta erat Egimanda Aurelii soror, pulsoque Veremundo solus imperauit annis sex ad vltimum vitæ diem. Mauregatus Alphonsi cognomento Catholici filius ex pellice, mortuo Sillone, Maurorum qui rerum potiebantur in Hispania, præsidio dominatum constituit, pactus (vt aiunt) cum Maurorum Regibus, quotannis quasdam virgines in stipendium mittere. Sed id triennio post, Mauregati morte sublatum est. Veremundus Alphonsi cognomento Catholici nepos ex filio

Bilmarao, Mauregato iam fato functo successit: bienniօque rerum potitus, quũ eius vxor ex qua Raymiri Garsiæque pater erat, in Parthenonem se coniecisset, ipse memoria repetens, quod adhuc priuatus in ordinem diaconum cooptatus erat, Alphonsum Phroillæ filium eius consobrinum pro se regnare iussit, continuoque transit in sectam religionis. Alphonsus itaque cognomento Castus, Maurorum ad septuaginta millia cæcidit in acié, qui fines Asturum ferro ignique populabantur, ex quorum manubiis duas erexit ecclesias. Ouetensem & Asturiensem. Regnauit annis quadraginta vno, adusque Caroli Magni principatum. Raymiris Veremundi filius, Alphonso iam vita functo, paternum decus accepit, exindeque vixit annis sex, mensibus nouem. Principatum reliquit Ordonio suo filio, quẽ tenuit is ad decennium, decessitque superstitibus liberis Alphonso, Veremundo, Minioque, & Phroilla. Alphonsus Ordonii filius, cognomento Magnus, eo nomine tertius, à morte patris imperium suscepit, annisque quadraginta tenuit, quoad hominem exiuit, parum secunda fama. Nam quum fratres suspectos haberet, ac si necem per insidias sibi molirentur, oẽs oculis priuauit. Liberos habuit quatuor, Garsiam, Ordoniũ, & Phroillam, nullis initiatos sacris, quos hodie Græco verbo Laicos appellant: & Gondisaluum archidiaconum Ouetensem. Ex his Garsias rerum gubernacula subiit, eaque moderatus est ad triẽnium, nec ex se prolem reliquit. Itaque frater eius Ordonius, in defuncti locum suffectus est. is quatuor Castellæ Comites per interpositam fidem circumuentos in carcere necari iussit, ob eamque rem Castellæ prouincia defecit ab eius fide: quosdamque ex sua nobilitate creauerunt qui de publicis priuatisque controuersiis inter eos cognoscerent, eosque Iudices appellari placuit. Ex his alteri Nunio Rasurauo nomen fuit, alteri Layno Caluo: vnde Castellæ Reges originem traxisse constat. Ordonius cum genuisset Alphonsum Raymirimque, octauo sui principatus anno, mense sexto diem clausit. Phroilla quum sui fratris Ordonii liberos exegisset, in se principatum transtulit: eo tamen vt fraude quæsito diutius frui non potuit. Nam vno post anno duobusque mensibus morbo lepræ correptus interiit, superstitibus quatuor ex se liberis, Alphonso, Raymiri, Ordonio, & paterno nomine Phroilla. Quorum natu maximus, huius nominis quartus Alphõsus, à morte patris imperium suscepit, eoque potitus vno toto lustro, mensibusque septem, iurauit in verba Christianæ religionis, Ordonio filio quem susceperat ex Imena superstite, cui cognomentum Malo fuit: regnumque Raymiri germano dimisit. Sed quum paulo post eum pœnitentia subiisset, abiectis insignibus eius sectæ quam professus erat, iterum regnum quo cesserat, contrectare cœpit. vnde captus à Raymiri fratre, effossis oculis luce priuatus est. Raymiris eo nomine secundus, Alphonso quarto concedente rerum potitus, duos habuit filios, Ordonium & Sanctium, quorum vterque post patrem deinceps imperarunt, quum Raymiris obiisset vndeuigesimo principatus anno, duobusque mensibus. Rerum gubernaculis admotus est Ordonius, eo nomine tertius, Raymiris filius natu maximus. Quem quum Sanctius consanguineus eius frater, opibus Garsiæ Regis Nauarræ matris suæ fratris, eiusque auunculi, Ferrandique Gundisalui Castellæ Comitis Ordonii soceri, tentasset è regno deturbare, consiliaque non successissent, Ordonius Viracam Fernandi filiam eius vxorem dimisit, aliamque superduxit: quumque regnasset annis quinque, naturæ concessit. Gothorum res ad Ordonium eius nominis quartum deuoluta est, Alphonsi filium, quem à fratre obcæcatum demonstrauimus. Huic inditum cognomentum Malus est, quia non iure regium sibi nomen arrogauit, & quia populos in pace non continuit, quorum plerique Sanctio potius Ordonii tertii tertio filio ac vero Regi parebant: isque non multo post, Ordonium prælio victum apud Cordubam interemit. quamdiu regnauerit hic Ordonius, ob eius temporum perturbationem minime constat. Sanctius eo nomine primus, ab habitu corporis cognomento Crassus, anno regni sui tertio decimo, quum tantam saginæ molem vix ferret, & ad eam leuandam nihil intentatũ relinqueret, Cordubam profectus est, Abdemari regiã qui Saracenis imperabat, impetrata prius ab eo pace. vbi inter experimẽta medicorũ quorũ magna turba apud Abdemarum erat, herbæ cuiusdam vi ad maciem deductus, haud ita multo post excessit, non sine suspicione dati veneni. Viuens Castellam quam Ferrandus Gundisaluus à Rege Legionis in feudum tenebat, ex fœdere liberam esse iussit. Sanctio patri Raymiris eo nomine tertius in principatu successit, ætatis annum agens quintum, exindeque vixit in eo honore annos viginti quinque, decessitque sine liberis. Eius principatu quæ pars ab eo subditorum defecit, rem deferebat ad Ordonii Mali filium Veremundum, initoque prælio victoria neutro inclinauit. Raymiri tandem vita defuncto, Veremundus eo nomine secundus, affectato regno potitus est inauspicato. siquidem Maurorum Rex Al-

manzor

manzor in eum ducto exercitu primo quidem congressu pulsus, instaurato prælio Veremundum vicit, atque in fugam vertit, vrbemq; Legionem vi cepit. Aggressus exinde Galleciæ prouinciam, Compostellanam diripuit ecclesiam: abstinuit tamen à corpore Diui Iacobi, perterritus obuiis (vt aiunt) fulminibus: ex eoque metu soluta aluo cum incidisset in morbum dysenteriæ, ægre conualuit, multique eius milites internecino genere mortis absumpti sunt. Itaque parta victoria Veremundo cessit, illeque paulo ante acie superiorum hostium spolia adeptus est. Cumq; regnasset annis septenis, Alphonso filio superstite quem ex priore susceperat vxore (nam duas habuit) exiuit hominem.

SECVNDI LIBRI FINIS.

MICHAELIS RITII NEAPOLITANI DE REGIBVS HISPANIÆ LIBER TERTIVS.



LPHONSVS eo nomine quintus, inito statim regno, Therasiam sororem pertinacissime recusantem, compulit ad nuptias Abdalæ qui Toleti Saracenis imperabat, ab eo pactus auxilia contra Cordubæ Regem. Rumor est Therasiam virum monuisse, ne se contingeret olim Christo desponsatam: cumque nihil ea mouissent Abdalam, in grauissimum incidisse morbum, Therasiamque fratri remisisse, quæ Parthenonem Diui Pelagii ingressa vitam cœlibem duxit. Liberi fuerunt Alphonso Veremundus, qui patri successit, & Sanctia, quæ prius nupta Garsiæ Sanctii Comitis Castellæ filio, eo in finibus Legionis interempto, Ferdinandi matrimonium sequuta est, Sanctii cognomento Maioris, Regis Nauarræ filii, qui postea Castellæ Rex appellatus est, ac per vxorem regnum Legionis adeptus. Agebatur annus ex quo regnare cœpit Alphonsus vigesimus septimus, quum in oppugnatione Visei, quod oppidum præsidio firmatum Mauri tenebant in Portugallia, Mauri telo vulneratus interiit. Continuoque Veremundus huius appellationis tertius, in eius subiit locum, qui non ita multo post, orta inter eum Ferdinandumque sororis suæ virum simultate, in apertum Martem prorupit, collatisque signis apud Carrionem, Veremundus in acie cecidit, anno post initum regnum decimo. Ferdinandus vxoris suæ prætextu (nam Veremundi soror erat) victor regnum Legionis occupauit, eiusque curam Sanctio patri commisit, qui Castellam quoque per Eliuram coniugem consequutus obtinebat. Eliura namque Garsiæ patri successerat Comiti Gondisalui cui Castella parebat. Et hucusque à Pelagio primo Regum Legionis & Asturum titulus durauit, exinde Castellæ Legionisque dicti sunt, etsi quidam sub Sanctio, nonnulli Ferdinandi eius filii principatu nouissimam tituli mutationem factam velint. Sanctius itaque cognomento Maior, Nauarræ Rex, alterius Sanctii filius, eius qui Temulentus appellabatur (vt quidam tradunt) Legionis & Castellæ titulum primus vsurpauit, quãuis alii Ferdinandum malint, vt demonstrauimus, ambigiturque quoto quisque eorum tempore regnarit. Et quoniam sors ita tulit, vt Nauarræ Reges Legione Castellaque potirentur, non ab re putaui eorum originem his inserere, quemadmodum reperi. Nostræ salutis annus noningentesimus sexagesimus primus agebatur, ex quo Christiani regnum Legionis obtinebant, Castellaque per Comites administrabatur, Arabesque partim Cordubæ, partim Toleti, rerum potiebantur, quum quidam cui nomen Enecus, vel (vt alii scribunt) Innicus, ex Comitatu Bigortiæ, qui montibus Pyrenæis includitur, vt facilius Arabum sustineret incursiones, qui Nauarræ fines infestabant, cum pluribus eiusdem sectæ Christianis in æquum campum descendit: quumque rem feliciter sæpe gessisset, à Nauarris in regium fastigium euectus est, eamque dignitatem moriens Garsiæ filio reliquit, & is deinceps Sanctio, Sanctius Abarca (sic enim cognominatus est) Garsiæ filio quem Temulentum diximus appellatum, post quem Sanctius ex eo natus imperauit, is qui dictus est Maior, vt proposuimus, quique ex iusto Eliuræ connubio Ferdinandum Garsiamque suscepit, ex pellice Raymirim. Ferdinãdus Castellã, sibi velut ex hereditate materna vindicauit, Legionemque per vxorem: Garsiæ paterno Nauarræ regno cessit: Raymiris Aragonia potitus, vt moriens pater testamento cauit, primusque Rex Aragonum voluit appellari. Sed ad Ferdinandum redeo. Qui duobus auctus regnis, ex honesta matrefamilias vxore-

que liberos habuit,Sanctium, Alphonſum,Garſiamque,& Eliuram, ex pellice Ferdinandum,qui cooptatus eſt in collegium patrum quos eccleſiæ vocant Cardinales. A Mauris Colymbriam maioremque Portugalliæ partem recepit.Cumque Garſiam fratrem morbo implicitum ſalutatum profectus,incidiſſet in ſuſpicionem non integrum ſibi fore reuerti, ſilentio diſceſſit:eaque erroris opinione, quum Garſias, vt parem gratiam referret,ad ægrotum veniſſet,aliquandiu cuſtoditum tandem dimiſit. Hinc orto bello, Garſias in acie cæſus regnum Nauarræ Sanctio ſuperſtiti filio reliquit. Ferdinandus autem viuens liberis ſuis regnum diſtribuit,Sanctioque natu maximo Caſtellam, Alphonſo Legionem, Aſturiamque,& Tranſimenam, Garſiæ vero Galleciam & Portugalliam habendam dedit, annoque regni ſui quadrageſimo vita functus, in ædem Diui Iſidori illatus eſt apud Legionem. Rodericus Viuar,is cui poſtea cognomentum Cido fuit, alumnus Ferdinandi fuiſſe dicitur,& in eius aula adoleuiſſe,qui ſæpe victis acie Saracenis, Valentiam recepit, atque ſui iuris fecit. Ab hoc originem traxiſſe Mendozam familiam plerique credunt. Sanctius eo nomine ſecundus,cui liberûm Ferdinandi natu maximo Caſtellæ regnum diximus obtigiſſe, non contentus eo,Legionem ſibi vendicauit,Alphonſo fratre eiecto,compulſoque ad Arabum Regem ſupplicem Toletum confugere. Quumque Galleciam Portugalliamque ſpe voraret,armiſque Garſiam quoque peuiſſet, in prælio captus ope virtuteque Roderici quem Cidum cognominatum iam diximus,ab hoſtium poteſtate exemptus, atque ſeruatus eſt.is enim collectis ex fuga militibus incompoſitos fiducia victoriæ Gallaicos adortus vicit,in eoque prælio Garſias occidit.Ipſe Sanctius dignum factis vitæ finem ſortitus eſt,à Vellido quodam per inſidias interemptus. Tum Sanctii frater Alphonſus à Toleto reuocatus,ante dimiſſus non eſt quam iureiurando firmauit amicum ſe Regis Toleti ſemper fore.Cumque iam regnum Legionis & Aſturum recepiſſet,à morte fratris obtinuit & Caſtellam.Sex habuit vxores,ex quibus deterioris ſexus liberos quinque genuit.Denique filium quoque patrui nomine Sanctium,quem Zaida peperit Sibiliæ Regis filia,quæ ſimul ad verũ Dei cultum Chriſtiq; religionẽ tranſiit,appellata Maria dicitur.is Sanctius in acie cecidit aduerſus Saracenos inito prælio.Suſcepit Alphonſus ex pellice Theraſiam,quę nupſit Henrico Comiti Lothoringiæ,dotata Galleciæ parte quæ Portugallia nunc appellatur: vnde Portugalliæ Reges originem trahunt. Alphonſus oppidum Toleti longa obſidione redegit in poteſtatem,defuncto iam Rege filioque quibuſcum fœdus icerat, ac obſtrinxerat fidem ſuam.Quumque rerum potitus eſſet annis quadraginta tribus,naturæ conceſſit, in cœnobio Diui Facundi cum Zaida vxore quæ & Maria ſepultus, nullo ſuperſtite filio præter Alphonſum,quem genuit ex pellice Ximena,quum ſocius expeditionis in Antiochiam Tripolimque communi Chriſtianorum principum conſilio ſuſceptæ traieciſſet in Syriam,ibique à partu puerum luſtrauit in vnda Iordanis,ex quo Iordanis eſt cognominatus. Alphonſus itaque Raymundi Berengariæ filius,Barcinonæ Comitis,& Viracæ ſuperioris Alphonſi filiæ,poſt auum maternum regni gubernacula,vergentibus ad eum magna ex parte procerum ſtudiis,accepit: etſi diu cum Vitrico Alphonſo Aragonum Rege, cui Viraca mater iterum nupſerat,armis contendit: appellarique voluit Imperator Hiſpaniarum. Duos habuit filios Sanctium & Ferdinandum,puellaſque totidem,Eliſabeth ac Beatricem.Sanctium Caſtellæ, Ferdinandum Legionis Regem ſupremis tabulis inſtituit,exemit ab Arabum manibus & Cordubam,ſed eiuſdem generis alteri quem ſibi fidum putabat,in feudum conceſſit, annoque quinquageſimo primo poſt initum regnum,morbo conſumptus eſt,ad Baiezam,ſub arbore quadam montis cui nomen eſt Demuladar. Sanctius tertius cognomento Deſyderatus, Alphonſi ſeptimi liberûm natu maximus, à patre Caſtellæ regnum tenuit.Is ex Blanca coniuge filia Garſiæ Nauarræ Regis Alphonſum genuit.Cumque vno tantum regnaſſet anno,diem clauſit Alphonſo ſuperſtite. Cuius ætatem Ferdinandus eo nomine ſecundus, Sanctii frater, deſpectam habens, eo deturbato Caſtellæ regnum occupat.Is Ferdinandus antequam Sanctius ab humanis excederet, opera principum Legionis,vbi regnabat,in carcerem coniectus,quod in eos ſæuiret, certis deinde conditionibus emiſſus iterum Legione potitus erat. Interea dum Caſtellæ rebus incubat Alphonſus adhuc in cunis infans illuſtrium quorundam virorum pietate ſeruatur, ipſeque Ferdinãdus anno trigeſimo primo ſui principatus obiit diem. Paternum decus ad Alphonſum rediit Sanctii tertii filium, cognomento Bonum, qui ducta filia Regis Angliæ Elionora, Sanctium genuit, quem infantem: Ferdinandumque quem adultum agentemque annum vigeſimum quintum,amiſit: Henricum qui patri ſuperſtes rerum potitus eſt.Blancam præterea ſuſcepit,Ludouici Francorum Regis matrem, eius qui poſt mortem conſecratus eſt: & Berengariam quæ nupſit Alphonſo Legionis Regi: Viracam quæ Regi Portugalliæ iuncta eſt,& Elionoram quæ Regina fuit Aragonum.Geſſit hic Alphon-

Alphonſus in Arabas bellum,ſed primo parum proſpere. Mox auctis opibus ingenti prælio vicit,in quo rumor eſt ad ducēta millia Arabum cecidiſſe,duce Milamonelino. Commiſſumque mox & ad Toloſam nauale prælium,pluraque loca quæ dum rem teneret Alphōſus ſextus,Arabes occuparant,eorum eiecto præſidio recuperauit: annoque quinquageſimo tertio ex quo regnare cœpit,exiuit hominem. Per hoc ipſum tempus floruit autor ſectæ prædicatorum Dominicus,ob vitæ ſanctitatem relatus in diuos. Alphonſus huius appellationis nonus,Berengariæ vir, Alphonſique gener octaui,poſt obitum ſoceri, Caſtellæ regnum ſibi vendicauit,Henrico vxoris ſuæ fratre deiecto. Cumque regnaſſet annis duodetriginta,vita functus eſt. Henricus eo nomine primus, Alphonſi filius octaui, mortuo iam viro ſororis Alphonſo,paternum regnum recepit.is biennio poſt, apud vrbem Palantiam cocto latere vulnus accepit in capite, dum luderet cum ſodalibus; ex eoque biduo poſt morte occubuit. Itaque Ferdinandus eo nomine tertius, Alphonſi noni filius, in eius locum ſubiit,vtroque regno Legionis & Caſtellæ potitus, vxorem duxit Beatricem Brabantię ducis filiam,quæ liberos ei peperit ſex,Alphonſum,Federicum,Emanuelem, Philippum,Sanctiumque,& Henricum.qua mox elata,Ioannam ſibi iunxit ex Comite Pontis editam,quam matrem fecit ex Ludouico & Elionora. Multa fortiter & pręclare geſſit, omnibuſque Hiſpaniæ fere finibus,Mauros exegit,præter Granatam, cuius tamen Regem ſtipendiarium ſibi fecit. Per idem tempus Iacobus Aragonum Rex inſulas Baleares ad verum Dei cultum perduxit. Regnauerat Ferdinandus annis trigintaquinque, cum decedens ſummum ſui deſiderium reliquit omnibus. Patri ſucceſſit Alphonſus eo nomine decimus,qui Violantam Iacobi Regis Aragonum duxit,ex qua primo filiam ſuſcepit nomine Berenguelam,mox & alios ſeptem liberos, Ferdinandum quem viuus adhuc pater extulit,Sanctium qui poſt eum regnauit,Ioannem, Iacobum, Petrum, Berengariumque,& Elionoram. Patria profugus Alphonſi frater,Henricus in vrbem venit, allectuſque in ordinem ſenatorum Conradino ſtuduit aduerſus Carolum,eius nominis primum Siciliæ Regem. Sed Alphonſus Hiſpanorum leges aliis inſuper additis illuſtratiſque ſenſibus,vt ex vſu videbatur,in volumen redegit quod gentiliter Hiſpani vocant Partitas. Condendum præterea curauit & opus quod illi Generalem memorant hiſtoriam. Murtiamque recepit ab Arabibus,quam Granatæ Rex auxiliis Maurorum qui traiecerant ex Africa fretus,violato fœdere,cum multis præterea locis, & in his Sericia Bæticæ vrbe,occuparat. Alagarbi Comitatum Regi Portugalliæ dedit,in dotem filiæ quam ex pellice genitam ei collocarat, exindeque Portugalliæ Reges Alagarbi dicti ſunt. Immunes præterea Portugallię Reges fecit in gratiam Dionyſii ſui nepotis ex filia natu maximi,ne cogerentur edicto Regum Legionis & Caſtellæ ad conuentus adeſſe,qui ſingulis annis peraguntur,Hiſpanorum lingua curiæ vocati,nec equitum trecentorum turmas auxiliares aduerſus Arabas mittere, ſicut ex conditionibus fœderis aſtringebantur. Variantibus in creando Imperatore ſententiis, ei Imperium vltro delatum eſt. Suadente etiam pontifice, vt capeſſeret,abnuit,ſuoq; iuri renunciauit apud Belligradum prope Auinionē vitandæ ſeditionis eccleſiaſticæ cauſa, vt videri voluit. Aduerſus Ludouicum Francorum Regem quem conſecratum demonſtrauimus,de regni iure contendit,quod is ex Blanca Alphonſi octaui filia natu maxima editus, Alphonſo poſthaberi iniurium putabat,ex Berenguella proxima Alphonſi octaui filia trahente originem.nam Berenguella Ferdinandum peperit,huius Alphonſi de quo nunc agimus,patrem. Demum data in vxorem Blanca Ludouici filia Ferdinando Alphonſi liberûm natu maximo, cui cognomentum de Lacerda fuit, diſceptationi finis impoſitus. Cumque Ferrandus de Lacerda viuo patre diem clauſiſſet, Alphonſo Ferrandoque de Lacerda ſuperſtitibus, neuter in regnum ſucceſſit, Sanctio poſthabiti ſecundo genito, qui mortuo patre rerum potitus eſt. Idem Alphonſus profitebatur Aſtronomiam ſyderalemque ſcientiam,in qua tanta cum laude verſatus eſt, vt quæ extant tabulæ, ab eo dictæ ſint Alphonſinæ. Fama tenet, Alphonſum à Sanctio filio, cum depoſito Imperio rediret ad regnum,non eſſe receptum,portaſque vndique in eum clauſas,excepta Murtia, quæ perſtitit in eius fide. vnde priuilegio conſecuta eſt,vt ſeptem coronas inſignibus ſuis imponeret, morienſque Alphonſus anno principatus ſui trigeſimo ſecundo,Murtiæ condi voluit. Sāctius eo nomine quartus,adhuc viuo patre Regem ſe geſſit (vt quidam volunt) & mortuo ſucceſſit. Ex Maria Infantis Alphonſi filia cognomento de Molina,fratriſq; Ferrandi tertii, quatuor habuit liberos,Ferrandum,Petrum,Philippumque,& Henricum. Cumque Ferrandi de Lacerda natu maximi filius Alphonſus è carcere quo ſeruabatur apud Aragonum Regem Iacobum,quibuſdam principibus operam ſibi nauantibus eſſet emiſſus,arma corripuit in Sanctium patruum principatus incubatorem,Caſtellamque regio nomine ſolicitabat ad defectionem,ſed à Iacobo deſertus,infecta re diſceſſit. In Sanctium præterea bel-

lum sumpsit Ioannes eius frater, fretus auxiliis Maurorum Regis Ballamarini, sed eius quoque consilia fortuna destituit. Sanctius itaque cum regnasset annis vndecim, fato functus est. Regnum Ferdinandus excepit, eo nomine quartus, Sanctii filius, quod annum agens ætatis nonum per matrem gerebat. vnde huius pueritia, illius sexu contempto, plures in eum arma sumpserunt, vna ex parte Aragoniæ Nauarræque & Portugalliæ Reges, ex altera Alphonsus de Lacerda, Ioannesque patruus, quorum alter se Castellæ Regem, alter Legionis asserebat, iunctis opibus in eum mouerunt. Pietas tamen & prudentia matris incolume regnum filio seruauit, exceptis aliquot oppidis ex prouincia Murtiæ, quibus Aragonum Regi Iacobo cessit, arbitratu Dionysii Regis Portugalliæ, qui disceptator inter eos, litem secundum Iacobum dedit. Cumque regnasset annos quindecim, duosq; non obscuro loco natos, perduellionis reos ex altissima turri præcipites dari iussisset, iique constanter ab se crimen amolirentur, nec aliquid profecissent, eo confugerunt, vt dicerent se diuinũ tribunal appellare, proindeque meminerit ad dies triginta iudicio sistere. mos enim Gallis & Hispanis est, vt qui sibi iniuriam fieri quæritur, aduersarium moneat, vt ad certam diẽ coram superiore compareat. Itaque Ferdinandus adueniente trigesimo die, cum dormire crederetur, in fata corruit. Alphonsus eius nominis vndecimus, Ferdinandi quarti filius, in patris locum successit, ductaque Maria Portugalliæ Regis filia, Petrum genuit. Ex Leonora vero de Guzman pellice, Henricum Comitem Trastamaræ constituit, Federicum D. Iacobi Magistrum fecit: ex eadem pręterea Sanctium, Telium, Petrumque, & Didacum, quorum duos vltimos Petrus eorum frater interimendos curauit. Alphonsus vbi satis in suos crudeliter & iniurie debacchatus est, in Arabas impetum conuertit, ab iisque sæpius pręlio victis plura recepit oppida, rerumque potitus annis circiter quadraginta, pestis contagione correptus, obiit in obsidione castri de Gibraltar, eo die Veneris quo dominicę passionis memoriam recolimus. Petrus eo nomine primus, Alphonsi filius, habenas imperii suscepit. Huic vxor initio fuit Blanca Borbonii ducis filia, quam paulo post instigante Palida sua pellice dimisit, per causam quod aureo gemmatoque donatus ab ea cingulo, comperit inesse vim magicam Hebræi cuiusdam arte insertam, adeo vt aliquando serpẽte succinctus sibi videretur. Fama tenet eum sęuisse in necessarios, atque per interpositum fœdus in socios, ipsumque Federicum D. Iacobi Magistrum ab eo obtruncatum. Cumque Machometus & Rubeus inter se de regno Granatæ contenderent, aduersæque factionis opibus impar Rubeus ad Petrum confugisset, humano diuinoq; iure violato, hospes supplexque & olim socius ab eo iugulatus est, inhiatu thesaurorum quos aduexisse secum putabatur. Eius exinde fratres, Telius, Sanctiusque, & Henricus, ad Aragonũm Regem se recipiunt, impetratoque auxilio Castellæ fines adoriuntur, confluentibusque ad Henricum Gallis qui vulgo societates appellantur, Regis nomen obtinuit. Vnde Petrus in Vasconiã proficisci compulsus, Anglos qui Vasconiam tenebant, ostentata præmiorum prædæque spe pellexit, vt suppetias sibi ferrent, Principemque de Gales Angliæ natu maximum secum mitterẽt: initoq; pręlio aduersus Henricum, victoria potitus, eum regni finibus exegit. Hẽricus in Galliam venit, instauratoque bello Francorum Regis auxilio, Petrum superauit apud oppidum de Monuel, intraque arcem compulsum obsedit, rebusq; suis diffidentem coegit ab eo colloquii facultatem petere, Qua non impetrata noctu penetrauit in tabernaculum Beltrandi de Clarequin Franciæ Conestabilis & auxilii Gallici præfecti. quo seu forte, seu de industria cum venisset Henricus, dubium imprudente ne an conscio Beltrando, Petrum stricto gladio confodit vndeuigesimo sui principatus anno. Henricus eo nomine secundus, frater Petri nothus, interempto Petro, regno potitus est, etsi non omnes eius imperata fecerunt. Vxore ducta Ioanna Ioannis Emanuel Infantis filia, Ioannem genuit eũ qui post patrem regnauit, & Elionoram quæ nupsit Regi Nauarræ. Cumq; regnasset annis octo patrato parricidio, nihil præter naturam præterque fatum passus è vita migrauit. Ioãnes eo nomine primus Henrico patri successit, Elionoraque Petri regis Aragonũ filia matrimonio sibi iuncta, suscepit Henricum quem superstitem Regemq; Legionis & Castellæ reliquit, & Ferdinandum qui post Aragonum Rex euasit. Amissaque Elionora, Beatricẽ Ferdinandi Portugallię Regis vnicam filiam superduxit, ex qua numerosam prolem sustulit: defunctoque Ferdinando socero persequens vxoris ius quorundam principum studiis, cũ magna manu Portugalliæ fines ingreditur. cui Ioannes Ferdinandi filius ex pellice quorundam suffragiis euectus in regium fastigium, quanquam professus religionem quæ militaris appellatur, egressus obuiam repulit, infectaque re exercitum reducere coegit. Aduersus hunc Ioannem Rex Angliæ bellum gessit, quod regnum Legionis & Castellæ spectaret ad Aleucastriæ Clocestriæque ducem suorum liberũm natu maximum, quem sibi Constantia pepererat filia Petri Legionis & Castellę Regis, eius quem Ioannis pater Henricus

ricus interemerat. Verum Ioannes exclusa Constantia causam suam sic agebat, Infantem Ioannem Emanuel eius auum maternum ex filia Ferdinandi de Lacerda natum, Alphonsi decimi nepte ex filio natu maximo. Sed Angli cum traiecissent in Hispanias, post aliquot prælia pacem Ioanni dederunt his conditionibus, vt Catharina Ducis filia nuberet Henrico tertio prædicti Ioannis filio, viuenteque patre Henricus & Catharina principes Asturum declararentur. Itaque regno constituto, Ioannes equi lapsu oppressus interiit vndecimo sui principatus anno. Patri successit Henricus quem tertium supra nominauimus, agens ætatis annum duodecimum, qui mox adultus, ex Catharina quam nupsisse ei dictum est, duas habuit filias, quarum altera Maria, altera Catharina materno nomine dicta est. Cumque de cętero spem sobolis abiecissent ob aduersam Regis valetudinem Reginæque corpulentiam, Ioannem susceperunt. Ferdinandum præterea fratrem liberaliter habuit, & multis maximisque donis in Hispania regnantem prosequutus est. Hic est ille Ferdinandus numerosę prolis pater ex vxore Comitissa de Albuqueque susceptæ. Nam priusquam regno potiretur, ex ea genuit Alphonsum natu maximum, qui Rex Aragonum fuit & Siciliæ: Ioannem qui defuncto Alphonso fratre Aragonum regno potitus est. Ferdinādi quinti patrem, qui nobis ista prodentibus apud Castellam rerum potitur, Henricum prętcrea collegii D. Iacobi Magistrum: Sanctiumq; Magistrum quoque de Alcantara: atq; Petrum, qui ictu molaris excussi tormento occubuit, Alphonso fratre Neapolim obsidente. Deterioris autem sexus habuit Mariam, quę matura mox ætate nupsit Henrico quarto Castellæ Regi, Ioannamq; Portugalliæ Reginam. Magnificus in ædificādo fuit Henricus, ędificiaq; tum sacra tum prophana ad vsus hominum multa cōdidit. Mittēdis vltro citroq; legationibus ad alienigenas & diuersi quoq; dogmatis principes apprime studuit. Mariam quoq; filiam suo nepoti iunxit, Alphonso Ferdinandi filio. Toleti morbo solutus obiit, cum regnasset annis sexdecim, ætatis anno duodetrigesimo. Ioannes ergo secundus Hērico patri mortuo successit infans adhuc in cunis, eiusq; rem Catharina mater & Ferdinādus patruus administrarunt, donec ad pubertatem peruenit, annoq; ætatis quartodecimo regni gubernacula subiit, Mariamq; Ferdinādi patrui filiam duxit vxorem, ex qua genuit Henricum eius nominis quartum, quę cum mature decessisset, altera coniuge superducta, suscepit Alphōsum & Elisabeth. Eodē tempore Martinus Aragonum Rex vltimus, absq; prole diem clausit, ortaq; de regni iure contentione inter Ioannē, Ferdinādumq; patruum Andegauię Ducem Vrgelliq; Comitem, quod vterq; se propiorem Martino materno stemmate prædicaret, armis regnum Ferdinandus asseruit & præsidiis regni Castellæ. Multum poterat apud Ioannem autoritate & gratia Aluarus de Luna ad inuidiam vsq;, adeo vt eius patrueles Ioannes & Henricus fratres Alphonsi Regis Aragonū conspirantes vna cum pluribus in eum bellum mouerint, quod Aluaro dimisso Ioānes extinxit. Sed Aluarū non multo post, comprobante Regina suisq; patruelibus, ad se reuocatum recepit, iterumq; facta in eum conspiratione, habitoq; vtrinq; delectu, leui prælio primum congressi sunt, deinde gliscentibus animis acriter est pugnatum, donec Ioannes & Henricus accepta clade fugæ se commiserunt, Henricusq; paulo post ex vulnere in acie accepto decessit. Itaq; D. Iacobi Magistratus Henrici morte vacuus, Aluaro collatus est: sed ea fortuna propria diuturnaq; illi non fuit. nam paulo post à Ioanne coniectus in carcerem, capitali supplicio affectus est in valle quam vocant Toleti. Ioannes anno regni sui quinquagesimo diem clausit extremum, superstite Henrico filio quem viuens in regni consortium assumpserat. Henricus eo nomine quartus, inito principatu, Blancam Regis Aragonum filiam matrimonio sibi iunxit, eaq; dimissa superduxit Heduardi Portugalliæ Regis filiam nomine Ioannam, quæ dubium pepererit ne an sibi supposuerit puellam Elisabeth, quam vulgo pro Regis filia colebant omnes. Henricus contra Mauros exercitu ducto maximis eos cladibus affecit, adiutus auxiliis regni sui principum Ioannis de Guzman Ducis Metinæ, Ioannis Pacheco, Marchionis de Villena, Petri Giron Magistri Calatrauæ, Federici eius regni Almarici, Ecieci Lupi Marchionis de Mendoza, Aluari de Stumiga Placentini, Ioannis Pimantel Benauentil, Aluari de Toleto de Alua, Ioannis Mauriques de Castaneda, Roderici Mauriques de Paredes, Gabrielis Mauriques de Orsono Comitum, itemq; Comitum de Aro. Recepit oppida de Gilbetrar, Castrum de Estipona prope Malicam, & oppidum de Alchidona, quæ Maurorum præsidiis tenebantur. Elizabeth eius filiam sobrino suo collocauit Regis Portugalliæ filio qui patri successurus erat, sed Henrici soror Elizabeth suasu quorundam principum clam fratre curabat à Ferdinando Ioannis Aragonum Regis filio duci in vxorem. Nam rumor erat, Elizabeth quæ Henrici filia putabatur, à matre fuisse suppositā, cum satis constaret Hēricum genitalibus esse debilem, neq; per naturam patrem fieri posse. Qua spe Elizabeth elata, regni ius ad se peruenturum animo præsumebat. Itaque Henrico non ita multo post

Henrici Regis obitus.

ab humanis exempto, omnibus opibus vtrinque ad arma itum est, quum Portugalliæ Rex Elizabeth Henrici filiæ, Ferdinandus alterius Elizabeth Henrici sororis ius tueretur. Victoria penes Ferdinandum fuit, regnoq; Castellę cum coniuge potitus est. Ferdinandus ergo quintus, ac Elizabeth tori regnique consors, paribus auspiciis administrabant omnia, bellumque susceperunt, & ad pietatem simul & ad gloriam maximum. nam Bæticę partem quam vocant Granatam, Maurique præsidiis annos circiter octingentos occupatam tenebant, adorti sexto demum anno receperunt, sæpissime fusis acie Mauris, qui maximis opibus obnixi resistebant, pulsisque Mauris Machumetique superstitione, templa Deo optimo maximo condiderunt, veri cultus & Christianæ religionis inducto ritu: vnde Ferdinãdus Catholici cognomentum sortitus: Elizabeth ex Ferdinando peperit vnicum filiũ, cui Margaritam de Austria collocauit, eam cui Carolus octauus Francorum Rex nuncium remisit, sed nulla suscepta prole superstitibus parentibus diem clausit. Habuit etiam puellas quatuor, quarum prima Regi Portugalliæ nupta, amisso viro cum rediisset ad patrem, iterum Portugalliæ Regi collocata est, ei qui mortuo sine liberis puellæ socero, in eius locum successit, ostentata spe si puellæ parentes absque virili sobole decessissent, aditum sibi liberisve suis in regnum Castellæ fore: secundam Philippus Archidux Austriæ Comesq; Flandrensium duxit: tertia Regis Angliæ natu maximo filio pacta est: quę remanet quarta adhuc innupta est. Hispaniam præterea purgauerunt omni superstitione, exactis inde Iudæis omnibus, & iis qui Iudęorum ritibus imbuti nominetenus Christiani, vulgo Marrani dicuntur, quorum magna vis erat. Vix annus agebatur à morte filii, & ecce filiam cui regnũ destinauerant, mæstissimi parentes amissam lugent. Nec in alia quam Regis Angliæ filio desponsatam demonstrauimus, admodum felices extiterunt. nam deducta ad virum paulo post vidua, secundo Regis Angliæ filio pacta est. Itaque eam quæ Philippo duci Austriæ collocata est, cum viro successioni designant. Inito prẹterea fœdere cum Ludouico duodecimo Francorum Rege, Alexandro sexto Pontifice maximo subscribente, paciscitur, vt paribus auspiciis opibusq; regnum Neapolis, eiecto Federico Castellæ necessario reciperent. Aragonei Ferdinandi filius erat Federicus ab Alphonso maximo natu proximus, qui post Alphonsi filium Ferdinandum secundum, rerum potitus nondum constitutis regni viribus, vir alioqui nihil minus quam ad arma natus, Gallorum virtute facile pulsus est. Itaque potentissimi duo Reges aliquandiu regno Neapolis æquo iure potiti sunt, donec eorũ culpa qui limetes inter agros qui cuiq; cederent, in confinio posuerunt, ingens exarsit bellum, primoq; prælio à Gallis Hispani intra Baroli mœnia compulsi sunt, seq; arcium præsidio tuebantur. Exinde Gallorum negligentia qui veluti pacato iam regno per ocium potiebantur, instauratis opibus iterum belli fortunam tentant apud Cidoniolam, victisq; Gallis Neapolim recipiunt, aliaq; mox oppida, quę Neapolis exemplum sequuta, deditionem fecerunt præter Caietam, quam Gallorum præsidio firmatam Hispani obsederunt.

Libri tertij finis.

GENEALOGIA, SIVE LINEA SVCCESSIONIS, REGVM HISPANIÆ,

AB ADAMO VSQVE AD DILVVIVM, ET DEINceps per temporum seriem ad nostram vsq; ætatem deducta: recens ex Italico translata & in hunc ordinem redacta. Simul etiam diuersi Principum & Ducum militarium catalogi continentur.

Geneseos cap. 5. *Anni vitæ.*

1	*Adamus, vixit annos*	930.
2	*Seth*	912.
3	*Enos*	905.
4	*Cainam*	910
5	*Malaleel*	895
6	*Iaret*	962
7	*Enoch*	365
8	*Matusalem*	969
9	*Lamech*	777
10	*Noe*	950.

Ab orbe condito vsq; ad diluuium elapsi sunt anni 1656.

1 *Iaphet, tertius filius Noe.*

2 *Tubal, quintus filius Iaphet, & nepos Noe, primus Hispaniæ cultor & Rex, anno post diluuiũ 143.*

143.regnauit annis 155.

3 Iberus, anno post diluuium 298. regnauit 37.

4 Iubalda, anno diluuii 336. regnauit 64

5 Brigus, an. diluuii 400. regnauit 52

6 Tagus, anno à 452. dilu. regnauit 33

7 Betus, an. à diluuio 482. regnauit 31

8 Deabus, an. à dilu. 514. regnauit 33

9 Geryon, an. à diluuio 549. regnauit 42

10 Hercules, cognomento Orus Libyus, in Hispaniam venit an. post diluuium 658

11 Hispalus, an. à dilu. 590. regnauit 17

12 Hispanus, an. à dilu. 608. regnauit 32

Ab hoc Hispano Prouincia ista, quæ prius ab Ibero Rege nominabatur Iberia, Hispaniæ nomen obtinuit, quod in hunc vsque diem perdurat: nimirum quod præclarus & multis virtutum ornamentis insignis Princeps fuerit, suasque ditiones illustrauerit.

13 Hercules anno diluuii 640. reuersus ad imperium regnauit 19

14 Hesperus, an. dilu. 669. regnauit 11

15 Atlas, an. diluuii 682. regnauit 13

16 Sicorus, an. diluuii 695. regnauit 46

17 Sicanus, an. diluuii 726. regnauit 31

18 Siceleus, an. diluuii 757. regnauit 40

19 Lusus, anno diluuii 801. regnauit 31

20 Siculus, an. à diluuio 832. regnauit 60

21 Testa, an. diluuii 893. regnauit 74

22 Romus, anno diluuii 968. regnauit 33

Hic Valentiam vrbem nobilem & Regni metropolim, Romam olim à se vocatam, condidit, circa annum diluuii 970.

23 Palatuus, post dil. 1001. regnauit 24

24 Cacus, à diluuio 1025. regnauit 36

Duorum istorum regum temporibus venit in Hispaniam Hercules Græcus, patria Thebanus, & multa ibidem oppida, præcipue vero ciuitatem Gibraltarensem fundauit, & Cadiz vrbem, Gades veteribus appellatam, illustrem admodum reddidit.

25 Erythreus, an. dilu. 1061. regnauit 88

26 Mellicola, an. à dilu. 1131. regnauit 74

27 Abidus anno dilu. 1292. regnauit 35

Hactenus enumerauimus priscos Hispaniæ Reges, & primos cultores & fundatores, de quibus certo equidem constat, quorumq; res gestas non Ethnici solum plerique, sed etiam Christiani Historici copiose descripserunt, quas nos breuitatis causa omittimus. Præter hos vero Reges quos supra recensuimus, nullos in Hispaniæ regno Principes Regesve successisse comperimus, vsq; ad Carthaginensium & Romanorum ætatem. Magnas enim contentiones Romani cum Carthaginensibus & diuturna bella gesserunt de imperio Hispaniæ. In quibus victores ad extremum Romani, pulsis Carthaginensibus, Hispaniam sibi vectigalem fecerunt: quam quidem ad Gotthorum aduentum vsq; sub imperio semper habuerunt. Post Abidum Regem nullus in Hispania regnauit, ob ingentem quæ in ea fuit, & celeberrimam illam ariditatem: adeo vt P. Magister Petrus Medina, libro de præclaris & memorabilibus rebus Hispaniæ, cap. 8. testetur, per 6. & 20. continuos annos nullam in ea pluuiam decidisse. Cuius quidem siccitatis omnes Hispanorum Historici constanter & diserte meminerunt. Quod cum nusquam terrarum amplius contigisse legatur, ob eximiam eius raritatem hic annotare libuit. Qui vero fusius hac de re cognoscere desiderat, quonam id pacto acciderit, is authorem quem dixi, legat, & Hispaniæ præterea Chronicon, à D.P. Ant. Beut. primo editum, translatum deinde Italice, M. Alfonso Vlloa interprete, c. 12. par. 1. Medina vero ille, quem dixi, c. 9. & Beut. exteras nationes commemorant, quæ diuersis temporibus in Hispaniam migrarunt: quodque Hispani sine vllo Rege variis cateruis & itineribus per 26. aut 28. annos ex Hispania discesserint. Destituta porro successore Hispania fuit, anno post vniuersale diluuium 1332. ante natum vero Christum millesimo. Ingens illa quam supra narrauimus, multoq; nobilissima siccitas, circa annum à diluuio 1332. contigisse legitur, & ante Domini nostri Iesu Christi natalem 1009.

POPVLI SIVE NATIONES EXTERNÆ, QVÆ POST INGENTEM ILLAM SICCITATEM IN HISPANIAM MIGRARVNT, EAMQVE occupatam rexerunt vsque ad successionem Regum Gotthorum.

Celtarum siue Francorum in Hispaniam aduentus. Vasæus.

Lydorum in Hispaniam aduentus. Franciscus Tarapha.

Thracum in Hispaniam aduentus. Franc. Tarapha.

Rhodiensium aduentus. Franciscus Tarapha, Vasæus.

In hanc ætatem, vel paulo certe superiorem, incidisse legitur memorabile illud Pyrenæorum siue Perineorum montium incendium: quod à pastoribus factum esse, testis est Diodorus Siculus lib. 6. Vasæus & alii.

Aduentus Phrygum. Franc. Tarapha.

Cypriorum aduentus. Tarapha.

Phœnicum aduentus. Franc. Tarapha. Vas.

Celtiberorum aduentus. Tarapha.

AEgyptiorum aduentus. Tarapha.

Milesiorum aduentus. Tarapha.

Carum aduentus. Tarapha.

Lesbiorum aduentus. Tarapha.

Phocensium aduentus. Tarapha.

Nabuchodonosoris aduentus. Tarapha.
Græcorum aduentus. Vasæus.
His successerunt irruptiones & bella Carthaginensium. Vasæus cap. 11. M. P. Medina, Franciscus Tarapha & alii.
Aduentus Argantonii. Vasæus.
Opes repertæ hoc tempore.
Consentiunt multi historici, &c.
Amilcaris Barcinonis aduentus.
Asdrubalis aduentus.
Annibalis aduentus.
Cn. Scipionis aduentus. Vasæus.
Consules à Romanis inuecti in Hispaniam.
Cuius deinceps imperium penes Imperatores sequentes fuit. D. P. Antonius Beuterus parte 2, Vasæus cap. 12. M. P. Medina capite 11. Franciscus Tarapha & alii.

CATALOGVS IMPERATORVM, QVI DOMINATVM ET IMPERIVM HISPANIÆ TENVERVNT, EAMQVE PER PRÆFECTOS ET PRÆSIDES administrauerunt paulo ante Natalem Domini nostri Iesu Christi, donec tandem à Gotthis occuparetur, &c. Vasæus capite 13. Franc. Tarapha, D. P. Antonius Beuterus parte 2. & complures alii.

1 *C. Iulius Cæsar.*
2 *Octauianus Augustus. Cæsar.*
Hic Saldubam instaurauit, & à suo nomine Cæsaraugustam appellauit, quæ nunc Saragossa dicitur, ciuitas primaria, & iure meritoq; sancta cognominata, & insignis Aragonum regni metropolis. Quod accidisse potuit circa annum à diluuio 2276. aut 2280. vt aliis placet: ante Christum vero natum 42. Franciscus Tarapha.

NASCITVR CHRISTVS *Dominus noster, creator & Saluator mundi, anno imperii supradicti Imperatoris Octauiani Augusti quadragesimo secundo, diluuii anno 2305.*
3 *Tiberius Augustus.*
Benedictissima Virgo, gloriosa & sancta Maria, Domina nostra, & Regina Angelorum, in ripa fluminis Ebri, prope Cæsaraugustam Aragonum vrbem, in columna marmorea, glorioso Apostolo Iacobo apparuit. Qui eodem deinceps in loco sacellum angelicum iussus exstruxit, & eius honori ac nomini consecrauit, quod Diuæ Virginis à columna Cæsaraugustana cognominant: ob pylam siue columnam, in qua videndam ipsa se præbuit. Quod quidem miraculum contigisse perhibetur circa annum Imperii Tiberii 20. Anton. Beuterus in Chron. cap. 23. Hoc de miraculoso casu multæ in eadem S. Ecclesiæ tabulæ supersunt.
4 *Caius Caligula.*
5 *Claudius.*
Anno imperii huius Claudii primo, capite multatus ab Herode Ierosolymæ fuit Sanctus Iacobus Apostolus, vna cum Iosia, qui in ipso necis momento conuersus fuit. Sanctum eius corpus in Hispaniam deinceps adductum est, & Compostellæ reconditum, vrbe Galliciæ, sic olim dicta, quæ nunc sancti Iacobi nomen adepta est, celebrata plurimũ continuo peregrinorum hominum concursu, qui religionis ergo eo commeant, vt sanctissimi simul & gloriosi Hispaniæ protectoris & antesignani corpus inuisant. Factum autem hoc est anno nati Christi 43. Discipulos gloriosus Apostolus Sanctus Iacobus septem aut vt aliis placet, nouem habuit: qui diuersis in locis Hispaniæ, dum sanctam Catholicam Domini nostri Iesu Christi fidem feruenter ac sedulo propagant, martyrii palmam adepti sunt.
1 *Athanasius.*
2 *Theodorus. Hi duo discipuli ad ministerium supradictæ Ecclesiæ, quæ Diuæ Virgini in columna Cæsaraugustana dedicata fuit, remanserunt superstites.*
1 *Torquatus, Gadibus martyrium passus est.*
2 *Secundus. Albæ.*
3 *Andalectius, Almeriæ.*
4 *Ctesiphon, Vergi.*
5 *Cæcilius, Eliberi.*
6 *Euphrasius. in oppido Iaen.*
7 *Sicilius, Cazorlæ.*
Hi septem, iis quos dixi, locis martyrio vitam finiuerunt. Vincentius part. 2. libro nono, capite 6.
6 *Nero. Anno Imperii Neronis supremo, eiusdemq; mandato, Diuis Apostolis Petro & Paulo caput vno eodemq; die truncatum fuit, anno Christi 70.*
7 *Sergius Galba.*
8 *Otho.*
9 *Vitellius.*
10. *Vespasianus.*
11 *Titus.*
12 *Domitianus.*
13 *Nerua.*
14. *Traianus.*
15 *Adrianus.*
16 *M. Antoninus Pius.*
17. *M. Antoninus Aurelius.*
18 *Commodus.*
19 *Aelius Pertinax.*
20 *Seuerus.*
21 *Cassianus cognomento Antoninus Caracalla.*
22 *Macrinus Opilius.*
23 *M. Aurelius Antoninus, cognomento Heliogabalus.*
24 *Alexander Seuerus.*
25 *Maximinus Iulius.*
26 *Gordianus.*

27 Phi-

27 Philippus.
28 Decius.
29 Gallus Hostilianus & Volusianus.
30 Valerianus & Galienus.
31 Claudius II.
32 Aurelianus.
33 Tacitus.
34 Florianus.
35 Probus.
36 Carus vna cum filiis.
37 Diocletianus & Maximinus.

Horum temporibus quoniã instituta aduersus Ecclesiã tertia fuit persecutio, Cæsaraugustæ, Deciano Præside, martyrium subierunt, vna cum S. Engratia, equites decem & octo: quorum hæc sunt nomina.

Sancta Engratia.
1 Sanctus Lupertius Tius.
2 S. Quintilianus.
3 S. Cassianus.
4 S. Matutinus.
5 S. Publius.
6 S. Vrbanus.
7 S. Faustus.
8 S. Martianus.
9 S. Successus.
10 S. Felix.
11 S. Ianuarius.
12 S. Primitiuus.
13 S. Enotus.
14 S. Sicilianus.
15 S. Optatus.
16 S. Frontonius.
17 S. Apodemius.
18 S. Sicilius.

Qui quidẽ omnes Cæsaraugustæ sepulti sunt, in quodam insignis Ecclesiæ Doctoris D. Hieronymi monasterio, quod S. Engratiæ nominant. Sunt ibidem sepulta corpora Sancti Lamberti & innumerabilium martyrum, qui Cæsaraugustani dicuntur, & in eadem Imperatorum persecutione quam aduersus Ecclesiam mouerunt, à Deciano martyres effecti sunt. Qui Decianus Valentiæ S. Vincentium martyrio affecit, & S. Valerium, Cæsaraugustæ tunc temporis Episcopum, ob senilem ætatem exilio damnauit.

38 Constantius & Galerius.
39 Constantinus Magnus. Hic omnium Imperatorum primus Christianus fuit. Idem ille ciuitatem Romanam cum omnibus, quæ Pontifices Romani hodie possident, aliisq́ pluribus quæ iam pridem amiserunt, ecclesiæ donauit. Sedem imperii Constantinopolim, vrbem à suo nomine sic appellatam, cum olim vocaretur Byzantium, transtulit. Fuit bonus & præclarus Princeps.
40 Constantinus, Constantius, Constans.
41 C. Iulianus Apostata.
42 Iouinianus.
43 Valentinianus & Valens.
44 Gratianus & Valentinianus.
45 Valentinianus & Theodosius.
46 Theodosius vna cum filiis.
47 Arcadius & Honorius.
48 Honorius cum Theodosio.

De supradictis Imperatoribus multi scripsẽrũt historici, vt & de cæteris qui ordine sunt subsecuti, vsq; ad Catholicum & Christianissimum Imperatorem Carolum quintum, Hispaniæ Regẽ, sanctæ & benedictæ memoriæ: quorum nomina, cum à tot ac tantis eorum vitæ prolixe descriptæ sint, hic prolixitatis euitandæ causa prætereo. Vnum excipio, quem placiturum nõ dubito, si legatur, tam ob elegantiam stili quo vsus est, quam ob historiæ suæ de Imperatorum vitis amplitudinẽ. Appellatur is Petrus Messias, Hispalensis, ex equestri ordine vir nobilis. Cuius opus, Hispanico primum idiomate conscriptum, non minori diligentia quam fide, M. Alfonsus Vlloa Italice vertit, frequẽter à nobis supra productus in mediũ. Quo etiam authore conscriptam habemus Caroli quinti vitã, imperatoris gloriosissimi: cuius anima perenni gaudio fruatur in cœlis.

Alanorum in Hispaniam aduentus. Vasæus cap. 14. Fran. Tarapha.

Vandalorum in Hispaniam aduentus. Vasæus, Franciscus Tarapha.

Sueuorum in Hispaniam aduentus. Vasæus cap. 14. Franciscus Tarapha.

Gotthorum in Hispaniam aduentus, anno Domini nostri Iesu Christi 343. aut, vt aliis videtur, 400. D. P. Ant. parte 2. Vasæus cap. 15. Fran. Tarapha. M. P. Medina c. 11.

CATALOGVS REGVM GOTTHORVM QVI IN HISPANIA REGNARVNT, VSQVE AD INFANTEM siue sanctum Regem D. Pelagium. Vasæus, Franciscus Tarapha, D. P. Antonius parte secunda, & alii.

1	Radagaisus, anno D. N. Iesu Christi.	308.	7	Theoredus, anno D. N.	439.
2	Attanaricus, anno D. N.	369.	8	Turismondus, anno D. N.	453.
3	Alaricus, anno D. N.	382.	9	Theodoricus, anno D. N.	454.
4	Ataolfus, anno D. N.	411.	10	Enricus, anno D. N.	467.
5	Sigericus, anno D. N.	416.	11	Alaricus II. anno D. N.	484.
6	Vallia, anno D. N.	417.	12	Sisalettus, anno D. N.	507.

13 *Theodoricus II. anno D.N.* 511.
14 *Amalaricus, anno D.N.* 526.
15 *Theodius, anno D.N.* 531.
16 *Theodiscus, anno D.N.* 548.
17 *Aquila, anno D.N.* 549.
18 *Athanagildus, anno D.N.* 554.
19 *Luiba, anno D.N.* 568.
20 *Leouigildus, anno D.N.* 569.
21 *Riccaredus, primus Gotthorum Rex Catholicus, anno D.N.* 586.
22 *Luiba II. anno D.N.* 601.
23 *Vitericus, anno D.N.* 603.
24 *Gundimarus, anno D.N.* 610.
25 *Sisebutus Rex Christianissimus,* 612.
26 *Riccaredus II. anno D.N.* 620.
27 *Suintilla. Primus hic Hispaniæ Monarchiam obtinuit, expulsis inde Romanis, anno D.N.* 621.
28 *Rechimerus anno D.N.* 629.
29 *Sisenandus, anno D.N.* 631.
30 *Suintilla II. anno D.N.* 636.
31 *Tulga, anno D.N.* 642.
32 *Cindasuindus, anno D.N.* 644.
33 *Recesuindus, anno D.N.* 650.
34 *Bamba. Religiosissimus hic Princeps fuit. Animaduertit in aliquot sibi rebelles, & reformauit in Toletano Concilio fines Episcopatuum Hispaniæ, multaque notatu digna in regno suo gessit, anno D.N.* 672.
35 *Eringius, anno D.N.* 682.
36 *Egipta, anno D.N.* 689.
37 *Vitisa, anno D.N.* 704.
38 *Costa, anno D.N.* 707.
39 *Rodericus, anno D.N.* 713.

Catalogus hic è Vasæo desumptus est. Alii nonnihil in numero variant. Fuit hic Rodericus Gotthorum postremus Rex, cuius ætate Hispania fuit amissa, & Iuliani Comitis proditione à Mauris qui in eam inuaserunt, misere vastata atque direpta. Petrus Antonius *Beuterus Chronici parte prima, cap. 28. Verum coeuntes in vnum Christiani, resumptis animis ac viribus, recuperare eandem cœperunt in Asturiis, Legione, & Iaccetanis Aragoniæ montibus: vnde vim vi repellentes, infidelibus ab Hispania paulatim expulsis, quamuis longo post interuallo temporum, amissa tandem loca recuperauerunt, quemadmodum infra dicetur. Hinc illa regnorum Hispaniæ varietas, quæ hodieq; perseuerat, originem habet.*

Maurorum in Hispaniam aduentus, anno D.N. 717.

Restauratio Hispaniæ, anno Natalis D.N. Iesu Christi 721. M.P. Antonius Beuterus loco supradicto.

CATALOGVS REGVM LEGIONIS ET CASTELLÆ,

AB INFANTE SIVE SANCTO REGE PELAGIO, AD CHRISTIANISSIMI Regis Philippi, domini nostri, imperium vsque deductus, sine vlla stirpis interruptione siue defectu, sed seruata semper serie successionis à patre ad filium aut filiam, nepotem, cognatum aut cognatam, nulla extra familiam ipsorum regni translatione facta.

Vasæus cap. 16. M.P. Medina, c. 22. Tarapha, D.P. Antonius Beuterus 1. & 2. parte, & complures alii.

Fafila, Cantabriæ Dux, Infantis siue sancti Regis Pelagii pater.

1 *Pelagius Rex sanctus. Electus & proclamatus fuit in Regem anno D.N. 717. regnauit annos sedecim. Mortuus est in Cangas anno 732. Alii dicunt an. 737. Princeps hic fuit & religione & militari virtute clarissimus: ideoque Mauris semper ad extremũ vsque vitæ spiritum fortissime restitit.*

2 *Fafila, anno D.N. 732. Regnauit biennium, filius fuit Pelagii, discessit absq; liberis masculis: cui successit in regno soror Ormisinda, Pelagii Regis filia, quæ* Alfonso *Cantabriæ Ducis filio nupsit. Cognominatus is fuit*

3 *Alfonsus Catholicus, anno D.N.* 734.
4 *Froila* 753.
5 *Aurelius* 766.
6 *Silus* 772.
7 *Alfonsus II. cognomento Castus.* 780.

Hic Carolum Magnum Imperatorem in Roncesualle, Bernardi Carpii nepotis virtute atque solertia vicit. Qui quidem Imperator cum magno Gallorum aliarumque nationum exercitu in Hispaniam venerat, vt Alfonsum regno pelleret: sed fusus fugatusque fuit. In quo prælio ceciderũt duodecim Palatini, idque proditione ac dolo Galli cuiusdam Comitis, Gani nomine, qui in causa fuerat, vt Imperator in itinere diutius hæreret, quã vt suis qui commisso iam prælio valde periclitabantur, tempestiue posset succurrere.

8 *Mauregatus* *780.
9 *Bermudus* 780.
10 *Ramirus* 823.
11 *Ordonius* 827.
12 *Alfonsus III. cognomento Magnus* 838.
13 *Garcias* 883.
14 *Ordonius II.* 885.
15 *Froila II.* 895.

* Hic aut vitiũ est, aut iidem numeri forte ponuntur, quia Maureg. & Berm. anni Alfonso II, adscribuntur.

Horum Regum temporibus quosdam sibi Iudices Castellani fecerunt, penes quos Castellæ *esset administratio. Nonium videlicet Nunesium Rasuram, Lainum* Caluum, *auum Roderici Viuari*

Viuariensis, quem alio nomine Cidum RuidiaZiũ appellare solent, Ducis Hispani fortissimi & inuictissimi, qui Valentiam urbem à Mauris recepit. D.P. Ant. Beut. Chron. parte 1. cap. 34. Hos Iudices alii Lainum Caluum, & Flauium Caluum nominant.

16 *Alfonsus* 4. 895.

17 *Ramirus* 2. 901.

Huius ætate floruit Comes Fernandus Gondissaluus, qui admirandis aduersus Mauros facinoribus editis, magnam nominis claritatem adeptus est.

18 *Ordonius* 3. 920.

19 *Ordonius* 4. 925.

20 *Sanctius cognomento Crassus seu Pinguis* 930.

Huius Regis ætate, Castella Legionis dominatu, Fernandi Gondissalui Comitis dexteritate, liberata fuit. Hic Rex nobiles certo quodam tributo quod vna cum oppidanis & rusticis in sumptus belli Maurici quotannis pendere solebant, exemit.

21 *Ramirus* 3. 940.

Regis huius tempestate mortuus est fortissimus Comes Fernandus Gondissaluus 940. & septem Infantium Laræ historia, tempore Comitis Garciæ Fernandi à Castella facta est. D.P. Ant. Beut. Chron. parte 1. cap. 34.

22 *Bermudus* 2. 965.

Hic rex Archiepiscopum S. Iacobi tauro obiiciendum curauit, à quo tamen ille se liberauit.

23 *Alfonsus* 5. 982.

24 *Bermudus* 3. 1006.

Huius Regis tempore Castella Nauarræ coniuncta fuit matrimonio Sanctii Nauarræ Principis cum Eluira filia Sanctii Fernandi Castellæ Comitis, cui ipsa successit, Garcia coniugis suæ fratre defuncto. Coniuncta quoque Legio cum Nauarra & Castella fuit, per connubium Fernandi supradictorum filii cum Sanctia sorore Bermudi 3. cui mortuo illa successit in Legionensi regno. Habuit præterea regnum Aragoniæ, quod frater eius Ramirus possidebat, qui sine hærede legitimo decessit è viuis. Ideoque Magnus & Hispaniæ Monarcha nominatus fuit. Regnare cœpit anno Domini N. Iesu Christi, 1017. regnauit annos 40. Hispaniam tributo quod ei Henricus quartus imperator & Vrbanus Papa imperabant, liberauit, idque opera, virtute, & solertia Cidi RuidiaZii, de quo supra diximus, quem ipse magnis honoribus affecit & equestri dignitate donauit. à quo Cido deinde res admiratione dignæ perpetratæ sunt, vt ex ipsius historia constat. Rex iste Fernandus tres habuit filios, inter quos sua regna diuisit, Sanctium videlicet, Garciam, & Alfonsum. In quo quidem Alfonso regna simul omnia coniuncta manserunt.

25 *Sanctia.*

26 *Ferdinandus, cognomento Magnus* 1017.

27 *Sanctius* 2. 1063.

28 *Vrraca.*

29 *Alfonsus* 7. 1107.

30 *Alfonsus* 8. 1126.

31 *Sanctius* 3. 1146.

32 *Fernandus* 2. 1160.

33 *Alfonsus* 9. 1177.

Rex iste Miramamolinum Maurorum Regem magno & memorabili prælio superauit, in quodam Hispaniæ loco quem Tolosæ Nauas appellant. Regno præfuit annos 53. Festum diem sanctæ Crucis inuexit, & perpetuo seruandum statuit 1212. Huic omnium primum insignibus suis inseruisse perhibẽt castrum aureum in campo rubeo, eo quod magno illo prælio victor extitisset. Ordinem equitum gloriosi Apostoli S. Iacobi instituit, quorum insigne est, gladius sanguinolentus: propterea quod eodem prælij die, benedictus Apostolus per aerem equo candido vectus, gladium gestare conspectus sit in subsidium Christianorum, totum cruentatum & stillantem Maurorum sanguine quos inter pugnandum occiderat: quodque illi hoc pacto victoriam obtinuerint. Hanc igitur ob rem, & ob alia complura, ab eodem glorioso Apostolo Iacobo in se collata beneficia, Hispani illum optimo iure non solum olim in antesignanum, patronum & Diuum tutelarem susceperũt, sed etiamnum habent & pro tali agnoscunt ac venerantur.

34 *Henricus* 1213.

35 *Fernandus* 3. 1216.

36 *Alphonsus* 10. 1251.

Hic Rex Sapientis cognomen adeptus est. Astrologus fuit excellentissimus. Septipartitum opus Iuris Ciuilis Hispanorum, Historiam generalem, Librum Thesauri, Tabulas Alfonsinas (opus sane mirabile) aliosque complures libros in lucem edidit.

37 *Sanctius* 4. 1284.

38 *Ferdinandus* 4. 1295.

39 *Alfonsus* 11. 1310.

40 *Petrus Cognomento Crudelis* 1350.

Hic supra modum crudelis fuit, & per solam crudelitatem atque tyrannidem plerosque Hispaniæ barones ac proceres capite multauit.

41 *Henricus* 2. 1369.

42 *Ioannes* 1. 1379.

Henricus 3

43 *Ioannes* 2. 1407.

44 *Henricus* 4. 1454.

Hic Aragoniæ Castella coniungitur, per matrimonium Ferdinandi cognomento Catholici Aragonum Regis cum Isabella Catholica, Henrici 4. Regis sorore. Nam cum Henricus prolem masculam & legitimum successorem non haberet, Castellæ Legionisque regnorum hæreditatem adiuit Isabella Regina Catholica.

45 *Ferdinandus Rex Catholicus* 1471.

Fuit iste Fernandus bonus & præclarus Princeps: ideoq. subditis suis charissimus. De quo cõfir-

mare hoc poſſumus, eum omnium qui Hiſpaniam huc vſque rexerunt, & fortunatiſsimum fuiſſe & Chriſtianiſsimum. Nam præter cæteras fœlicitates, quibus abunde cumulatus à Deo fuit, ipſius ætate nouus Mundus repertus eſt (qui ob terrarum regnorumque magnitudinem, huius orbis reſpectu, id nomen obtinuit) tot antehac ſeculis incognitus. Accidit autem id anno 1492. Quo anno Granatæ regnum imperio ſuo adiecit, profligatis inde totaque adeo Hiſpania Mauris, qui eam per annos 778. peccatis incolarum ita merẽtibus poſſederãt. Eodem illo anno, Hebræos vniuerſos, quorum ingens & infinitus prope numerus erat, Hiſpaniæ finibus excedere iuſsit. Et vt hæreticos, Mauros, & Hebræorum reliquias è ſuo regno penitus euelleret, ſanctum Inquiſitionis officium inſtituit. Quod inuentum profectò ſaluberrimum & optimum fuit aduerſus noxias illas plantas quibus grauiter inficiebatur nobilis illa & Chriſtiana Prouincia, iam inde à Diui Iacobi temporibus ſanctæ Catholicæ fidei myſteriis inter primas orbis regiones imbuta. Quam fidem accepit ab illo benedicto ſanctoque Apoſtolo qui glorioſæ virginis Mariæ, Angelorum reginæ mandato, eam ibi promulgaturus aduenit. Idem quoque Princeps Regum Hiſpaniæ ſepulchrum Granatæ exſtruxit, vbi cum Iſabella coniuge, & aliis Hiſpaniæ Regibus qui poſt in regno ſucceſſerunt, ſepultus eſt. Regnum præterea Neapolitanum & Nauarræum, iniuſtis poſſeſſoribus eiectis, ſubegit. Aliaq; multa commemoratione digna fecit, quæ breuitatis cauſa hic omittuntur.

Iohanna, Regum Catholicorum filia, (quod nulli parentibus filii ſucceſſoreſve legitimi ſupereſſent) Caſtellæ & Aragonum regnum accepit, mortuo iam fratre Ioanne, qui Margaretam Maximiliani Imperatoris filiam in vxorem duxerat. Quæ quidẽ Ioanna deinceps Philippo nupſit, Imperatoris eiuſdem filio Archiduci Auſtriæ. Eaque ratione omnes eius ditiones, principatus ac tituli, cum Aragoniæ Caſtellæque regnis, in illud corpus, quod hodieque videmus, vniti fuerunt.

46 *Philippus* 1506.

47 *Carolus* 1516.

Fuit hic Carolus Imperator & Princeps Chriſtianiſsimus, optimus, atque fortiſsimus. Eius ætate reperta fuit ingens illa Iucatana Prouincia, quæ noua poſtmodum Hiſpania dicta fuit: item regnũ Peruuicum. Alia præterea multa notatu digna ſub eius imperio contigerunt, quæ fuſe ſatis ab Alfonſo Vlloa conſcripta ſunt in eius vita, quam quiſquis voluerit, conſulat.

48 *Philippus 2. Caroli filius. Viuit etiamnum.*

SOBRARBORVM, RIPAGORTIÆ, ET NAVARRÆ REGVM CATALOGVS.

1 *Garcias Ximenius, in Regem electus an. D. N. 724. obijt an.* 758.
2 *Garcias Ennicus, an. D. N.* 758.
3 *Fortunus Garcias.* 802.
4 *Sanctius Garcias.* 815.
5 *Ignicus Ariſta.* 835.
6 *Garcias Ignicus.* 870.
7 *Sanctius Auarca.* 891.
8 *Garcias Sanctius Abarca.* 927.
9 *Sanctius Maior.* 962.

CATALOGVS COMITVM ARAGONIÆ, QVI REGVM SOBRARBORVM TEMPORIBVS VIXERVNT.

1 *Aznar.*
2 *Galindus.*
3 *Simenius Aznar.*
4 *Simenius Garces.*
5 *Garcias Aznares.*
6 *Fortunus Ximenez.*

Quædam Regis huiuſce filia, Vrraca ſiue Blãca nomine, Garciæ Ennio ſexto Sobrarbenſium & Nauarræ Regi nupſit. Doct. Pet. Anton. Beuterus parte 2. de Comitibus his tractat.

CATALOGVS REGVM ARAGONIÆ.

1 *Ramirus.* 1018.
2 *Sanctius.* 1058.
3 *Petrus.* 1094.
4 *Alfonſus.* 1108.
5 *Ramirus 2.* 1126.

Petronia, alias Vrraca, Ramiri Regis cognomento Monachi filia, eo quod pater nullos liberos maſculos, neque legitimum ſucceſſorem haberet, in Aragoniæ regno ſucceſsit: quæ deinde Ramoni Berengario Barcinonenſium Comiti nupſit. Atque hoc pacto Catalaunia cum Aragonia coaluit.

6 *Ramon Berengarius.* 1145.
7 *Alfonſus.* 1169.
8 *Petrus 2.* 1203.
9 *Iacobus Victor aut expugnator, cognomento Sanctus.* 1213.
10 *Petrus 3. cognomento Franciſcus.* 1276.
11 *Alfonſus 3.* 1286.
12 *Iacobus 2.* 1292.

13 *Alphonſus*

13 *Alphonsus cognomento Benignus.* 1327
14 *Petrus 4. cognomento Cerimoniosus, siue Pugiunculus.* 1335
15 *Ioannes, cognomento venustatis & elegantiarum Amator.* 1387
16 *Martinus.* 1396
17 *Fernandus, cognomento Honestus.* 1410
18 *Alfonsus 5. cognomento Magnanimus.* 1416
19 *Ioannes 2.* 1458
20 *Ferdinandus 2. cognomēto Catholicus.* 1479
Hic ille fuit, qui Isabellam Castellæ reginam vxorem habuit, vt supra narratum est.
Ioanna eiusdem Ferdinandi filia, quæ Philippo Maximiliani Imp. filio nupsit.
21 *Philippus.* 1504
22 *Carolus, qui & Imperator fuit.* 1516
23 *Philippus 2. viuit.* 1558.

CATALOGVS COMITVM BARCINONENSIVM.

1 *Bernardus, mortuus est an. D.N.* 839
2 *Iofredus, mortuus est* 858
3 *Iofredus Villosus, obiit* 912
4 *Miron.* 929
5 *Godefredus aut Iofredus.* 964
6 *Borellus.* 993
7 *Ramon Borellus.* 1017
8 *Berengarius* Borellus. 1035
9 *Ramon* Berengarius. 1076
10 *Ramon* Berengarius 2. 1093
11 *Ramon* Berengarius 3. 1131
12 *Ramon* Berengarius 4. 1262

CATALOGVS NOVEM PRISCORVM EQVITVM, QVI NATIONE TEVTONES, CATALAVNIAM INGRESSI SVNT, viri non minus genere, quam virtutum ornamentis illustres: quorum hæc sunt nomina.

Ottogerus Golantes, cognomento Catalaunus, qui Guyennæ Præfectus fuit, & nouem horum equitum caput ac dux.

1 *Nopifer Moncada.*
2 *Guilhelmus Ceruera.*
3 *Galceranus Gerau Pinus.*
4 *Guilhelmus Ramon Ceruellus.*
5 *Hugo Mataplana.*
6 *Petrus* Alemanus.
7 *Ramon* Anglesola.
8 *Gisbertus Ribelles.*
9 Berengarius *Rogerius Eril.*

Quorum familia, variis multorum scriptis celebrata, etiamnum in Catalaunia superest.

FINIS.

INDEX RERVM MAXIME NOTABILIVM, IN PRIMO TOMO, RERVM HISPANICARVM.

Ampo-

B

Carolus

Constan-

G

H

I

Idubedæ,

M

N

Q

R

V

Valentia

FINIS.



